MARSILII FICINI


PHILOSOPHI PLATONICI

MEDICI ATQVE THEOLOGI OMNIVM PRÆSTANTISSIMI,

OPERVM

In quo comprehenduntur ea, quæ ex Græco in Latinum ſermonem doctiſſimè tranſtulit, exceptis PLATONE *atq;* PLOTINO *Philoſophis, quorum tamen Epitomæ, ſeu Argumenta, Commentaria, Collectanea, & Annotationes, quotquot vel edita antea, vel hactenus non viſa, magno ſtudio collecta, extant, etiam Compendij loco adijcere, in Philoſophiæ ſtudioſorum gratiam, placuit.*

TOMVS SECVNDVS.



PARISIIS,
Apud GVILLELMVM PELE, viâ Iacobæa, ſub ſigno Crucis Aureæ.

M. DC. XLI.

VIRO CLARISSIMO

DOMINO IOANNI A POPET,

EQVITI GENEROSISSIMO, AC COMMENDATORI

Ordinis ab Alcanthara, Philippo Regi Catholico à Consiliis, Burgundiæ superioris nobili, domino suo obseruando,

ADAMVS HENRICVS PETRI S. P. D.



ERCELEBRIS excellentium virtututum tuarum fama (clarissime atque magnificentissime Domine, Eques illustrissime) non adeò pridem cùm apud virum clarissimum, Burgundiæque decus Gilbertum Cognarum, discipulum agerem, ad me perlata, non mediocriter me commouit, vt tuam excellentiam, ne dum visam, nec ex facie notam, & suspiciendam mihi, & amore prosequendam, studioseque obseruandam ducerem, adeò vt felix mihi viderer, si aliqua ratione, vel pacto talis & tanti viri, gratiam, aut beneuolentiam, vel notitiam comparatam haberem. Ibi fato quodam accidit insperato, vt Bisontinus ille Antistes Claudius à Bauma, tuæ Excellentiæ cognatus, ex Italia Nozeretum appelleret, & ædes præceptoris mei pro hospitio eligeret, ab iisdem arcem tuam longè validissimam, & penè inexpugnabilem Calcem visurus, quem & ipse dominus Gilbertus comitaturus, mihi quoque vnà proficiscendi copiam fecerat, quo sanè magno gaudio & alacritate animoque videndi vos cupidissimo profectus fui: ibi enim me virum, qui apud Principem Max. Carolum V. Imperatorem pium, dum in viuis esset, tanta præstabat authoritate, vt eum inter præcipuos familiæ suæ viros haberet, eumque in κατακοιμητὴν suum eligeret, inuenturum sperabam. Sed me fefellit opinio, profecta enim erat T. E. in Brabantiam, ad Serenissimum Regem Philippum, Bruxellis in vrbe, tunc temporis aulam habentem, relicta domi honestissima matrona, tua filia Anna vnica, omnis nobilitatis ac virtutis eximiæ splendor, quam nuper T. D. copulauit iusto matrimonio Domino à Sombarnon, qui certè tanto socero dignus est, in eo enim sunt, quæ in viro honestissimo ac nobili requiri possunt omnia, veluti virtus, dignitas, honestas, denique summa cum corporis elegantia coniuncta. Postea verò contigit, vt T. E. familiaris Hugo Cognatus Regius metator, à te Polichnium vocaretur, quo cum eo profectus, ibi longè maiorem virtutem tuam, morum integritatem, summam denique in rebus gerendis prudentiam multo excellentiorem opinione mea, quàm ex fama conceperam, deprehendi, vbi etiam præter alia magnifica, domesticæ quoque rei administratio, domus elegantia, structura, & ornatus, quasi oculorum mihi aciem deturbabant. Et meritò sanè ea tantum nobilitas laudari solet qualis tua, quæ virtuti proxima est, vnde & antiquissimæ gentes nobilissimos eos vocitabant, qui virtutis viam sequebantur, & literis disciplinisque optimis imbuti erant. Quorum vestigia adhuc hodie magnates præcipuè Burgundiæ, sequentes, id moris & consuetudinis habent, vt filios suos ad exteros mittant, ac proprios præceptores viros eruditos & honestæ vitæ illis constituant, qui omni doctrinarum genere eos imbuant, ac ad viam virtutis perducant, non ignorantes eo in tenera ætate perductos, tolerabiliores vita, iustitiæque meliores cultores, & à vitiis alieniores futuros. Tales enim vel solos Plato ille diuinus, ad Rempublicam munusque magnum subeundum admitti vult: hacque de causa iamdudum mecum perpendi quî possem T. E. mihi attrahere, & gratiam cum ea inire, quo aliquando eius patrocinio vti possem. Huic itaque meæ sollicitudini percommodè accedit patris mei in bonis authoribus antiquissimorumque monumentis luci restituendis diligentia: ex quorum numero hic quoque Marsilius Ficinus Florentinus est, cuius lucubrationes in duos Tomos distinctas hoc semestri impressit, quorum priorem fratri tuo nobilissimo Abbati Gulielmo inscribere visum fuit, hunc verò alterum T. E. qui viri huius, quas aliis bonis authoribus prophanis & sacris elucidandis conscripserat, commentationes & annotationes continet, quorum nomina ordine hic recensuisse fortasse non ineptum fuerit. Meritò itaque Christianæ religionis professor ille Dionysius Areopagita Atheniensis, à Paulo Apostolo conuersus, Philosophus & Theologus, Platonicorum culmen, Christianorum verò columen, ethnicis anteponitur, & primum locum occupat, cum ob religionis prærogatiuam, qua salui futuri sumus, tum etiam ob doctrinã, nunquam satis laudandam: in cuius adeò præcipuos duos libros commentaria illa Marsilius reliquit, quorum prior ad Beatum Timotheum Ephesinum Episcopum de Mystica Theologia, alter verò de diuinis nominibus scriptus fuit: Martyrio coronatus fuit diuinus ille Dionysius sub Domitiano Imperatore, Anno Domini XCVI. ætatis verò suæ nonagesimo, in agro Parisiaco, vbi & sepultus iacet. Sequuntur postea in omnia diuini Platonis opera, Epitomæ seu Argumenta, Commentaria, Collectanea, simul & Annotationes pulcherrimæ quotquot extant à Marsilio conscripta, eleganti profectò stylo ac succinctè, ita tamen vt ipse Plato in eis compræhendatur. Huius Platonis laudes aut vitam hoc in loco celebrare supetuacaneum foret, in libris enim Epistolarum abundè satis celebratur, vt hic nihil opus idem agere. Tertium sibi locum vendicant Commentaria in Plotinum Philosophum non minus eximium, qui castitate morum, & pietate haud aliis facilè cesserit, sed viri huius vitam à Porphyrio Platonico cõscriptam in principio ip-

forum Commentariorum reperies, vbi laudes eius ex instituto tractantur. Quarto loco exhibentur eiusdem Commentaria in interpretationem Prisciani Lydi super Theophrasti Librum de anima, vbi multa Christiano homini scitu dignissima explicantur: scire enim decet quemlibet animæ suæ statum, vnde orta sit, & quo demum reditura. Hunc postea sequitur Mercurij Trismegisti Pymander, de potestate & Sapientia Dei: eiusdem quoque Asclepius de voluntate Dei, qui ex alta vetustate per tot retro sæcula, per tot item peregrinas linguas, tandem Latio per hunc nostrum Philosophum donatus ac reseruatus, ne omnino interiret, cui non modo ob sanctam venerandæ vetustatis reuerentiam causa laboris plurimu debemus, sed & ob singularē & multifariam doctrinā, quam Ægyptij primū ac barbari, mox etiam Prisci Christianorum Theologi admirati sunt. Huius Mercurij vitam ex Fulgosi Genuensis Lib. VIII. cap. XVI. desumptam huc apponere libuit, quò melius T. D. percipere posset, qualis hic author fuerit: de hoc ergo ita ille scriptum reliquit. In Hermete, qui idem est quod Mercurius, quem Eupolemus Græcus Mosem dicit fuisse à Græcis Musæum appellatum, à quo Orpheus permulta didicit, tria quæ plurimum excellerent inuenta fuerunt, propter quæ dictus est Trismegistus, quod Latine ter maximum sonat. Id quod Alexandro Pompeioque semel attributum est, nam & rex maximus in Ægypto fuit. Item Philosophus nūra præditus doctrina, præterea sacerdotali honore qui maximus erat, insignis. Quibus de rebus ab Ægypriis post mortem inter numina cultus est, primumque anni mensem ei sacrarunt, vrbemque in Ægypto clarissimam ab eius nomine Hermipolim nuncuparunt. Hæc ille de hoc Mercurio. Sexto loco excipitur Iamblichus ex Chalcide Syriæ Philosophus de Mysteriis Ægyptiorum, Chaldæorum, & Assyriorum differens, liber non minus elegans quam doctrina excellens, versione Marsilij dignissimus. Septimo habentur excerpta quædam ex Græcis Commentaria in Alcibiadem Platonis primum, Procli Lycij, discipuli Syriani, ac Plutarchi Nestorij, Philosophi Platonici per eundem Marsilium: item libellus de sacrificiis & magia eodem Interprete. Hos Porphyrius sequitur de occasionibus siue causis ad intelligibilia nos ducentibus: item ex eodem de abstinentia animalium, redditus per eundem Marsilium nostrum. Præterea hoc volumine habentur quædam ex Michaële Psello translata de dæmonibus. Simulque Alcinous de doctrina Platonis item Speusippus Philosophus, de definitionibus Platonis, Libri elegantissimi. Vltimo ponuntur Xenocratis Philosophi Platonici liber de morte & aurea Pythagoræ verba cum Symbolis. Hi sunt (generosiss. Eques) Marsilij nostri labores quos in aliis interpretandis & elucidandis insumpsit. Quorum postremam hanc editionem T. D. nuncupare voluimus, vt agnoscat studia nostra non inania hactenus fuisse; quem sanè authorem eo T. D. gratiorem fore spero, quod in hunc vsque diem aut nusquam Genrium, aut saltem apud nostros certè plenior nunquam visus vel euulgatus fuerit. Rogo itaque & obtestor T. E. vt hoc munus gratissimo animo suscipere velit, & cogitet non tanti munus faciendum quanti dantis & offerentis voluntatem, maiora enim si licuisset mittere parati fuissemus. Deus Opt. Max. Tuam Excellentiam nobis diu in incolumi statu seruet atque tueatur. Basileæ Rauracorum, Idibus Martij, Anno à nato Christo, Millesimo, quingentesimo, sexagesimo primo.

Series eorum, quæ continentur in hoc secundo Tomo.



DIONYSII AREOPAGITÆ DE MYSTICA THEOLOGIA, AD TIMOTHEVM LIBER.

MARSILIVS FICINVS Florentinus Reuerendo in Christo Patri & Domino Ioanni Medici Cardinali se commendat.



VM & me, Genius meus semel interpretandis Platonicis destinauerit, & ego magnis Medicibus Platonica fermè omnia dedicauerim. Cætera quidem maiorum tuorum fuerint, quæ verò inter hæc in primis ad Theologiam pertinent, & idcirco sacra censentur, ipse sacer antistes iure optimo tibi vendicare videris. Itaque Platonicum Iamblichum sacerdotem iampridem ad te misi sacra Aegyptiorum mysteria pertractantem. Post hæc autem ad Dionysium Areopagitam Platonicum Christianumque Theologum interpretandum tibi, me contuli, præcipuum Atheniensium Antistitem summo Florentinorum Antistiti dicaturus. Hunc ergo iam absolutum lege, atque viue feliciter.

MARSILII FICINI IN Dionysium Areopagitam, PROOEMIVM.

Dionysi Dei numen Theologi veteres, & Platonici separatarum mentium extasin, & excessum esse putant, quando partim amore natiuo, partim instigante Deo, naturales intelligentiæ limites supergressæ, in amatum Deum mirabiliter transformantur. Vbi nouo quodam nectaris haustu, & inæstimabili gaudio velut ebriè, (vt ita dixerim) debacchantur. Hoc igitur Dionysiaco mero Dionysius noster ebrius exultat passim. Effundit ænigmata, concinit dithyrambos Itaque quam arduum est profundos illius sensus intelligentia penetrare, tam difficile miras verborum compositiones, & quasi Orphicum dicendi characterem imitari, ac Latinis præsertim verbis exprimere. Idem profectò ad id facilè consequendum necessarius omnino nobis diuinus est furor. Eadem protsus oratione Trinitas obsecranda, vt quod Dionysio piè petendi lumen, ad penetranda Prophetarum, Apostolorumque mysteria, quondam Deus infudit, idem nobis similiter supplicantibus ad illius sensum eloquiumque consequendum & exprimendum feliciter nunc infundat.

MARSILII FICINI IN Orationem Dionysij de Trinitate, ARGVMENTVM.

Dionysius Areopagita Platonicæ disciplinæ culmen, & Christianæ Theologiæ columen, quærens diuinum lumen, non tàm intelligentia perscrutatur, quàm ardente voluntatis affectu, &

orationẽ petit. Quippe cum à Paulo mundi Sole didicerit, Platone etiam confirmante, ipsum vniuersi principium esse intellectu quantumlibet excelso superius. Non igitur conatu quodam intelligentiæ comparari, sed in animum amore prorsus Deo deditum, accendi Deum, atque ibidem in ardore lucere. Hactenus quam ob causam ab oratione iaciat fundamentum dixisse sufficiat. Quæ verò orationis sit virtus, & quis efficacius oret, in præsentia prætermittimus. Satis enim diximus in epistola ad Bindacium Recasolanum singulari, nobiscum charitate coniunctum. Ad expositionem iam pergamus.

Prosecutio expositionis de Trinitate, & quòd bonum est super essentiam & propter exuberantiam lucis ignotum.

RES quælibet quo magis bonitate vigent, eo magis sua quadam propagine se communicant. Quapropter ad infinitum bonum propagatio pertinet infinita. Cum verò duo esse infinita non possint, merito infinita bonitas rursusque immensa bonitatis propago, natura sunt vna, seipsam videlicet intra se propagans. Tum verò quoniam omnis amor ad bonum necessariò fertur, consequens est penes infinitum bonum, eiusdemque propaginem infinitam, infinitum quoque amorem spiritumque amatorium ad seipsum intus existere. Dum verò tres hic quasi naturales proprietates personasque numeramus, interea quoniam quod est infinitum nihil relinquit extra se sui, nec admittit aliquid alienum, naturam vnicam simplicissimamque cogitamus. Perinde ac si quis naturalem Solis formam, & lucem huic intimam calefactoriamque virtutem, vnicam Solis naturam esse dixerit. Diuina Trinitas, non est numerus aliquis in quantitatis genere collocatus, nec etiam in substantiæ genere, nec in super in essentiæ ordine computatus. Cum enim appetitui naturali non sufficiat esse, sed affectet insuper bene esse, ideoque entia singula suum quoddam bonum appetant, atque vniuersum eos cupiat vniuersum bonum, & ipsum tandem ens primum similiter exoptet primum bonum, merito bonum ipsum tanquam finis perfectioque entium omnium, atque entis, horum omnium est principium. Et idcirco vniuersa essentia primaque superius. Est insuper eminentius Deitate quauis & bonitate, per quas videlicet aliquis alicubi Deus sit, & aliquid alicubi bonum. Prima enim bonitas extra omne quomodocunque bonum ac præter omnem compositionem absoluta penitus simpliciter in seipsa consistit. Inuisibile dicimus tùm lumen quàm minimum, tùm quàm maximum. Nec enim vel illud prospici, vel hoc ab oculis inspici sustinerique potest. Sed hoc rite potest super inuisibile nominari. Similiter in formis rerum materia, itemque rerum principium, sunt ignota. Sed materiam ob lucis defectum ignotam dicimus, principium verò ob excessum lucis super ignotum. Summus animæ ad Deum ascendentis gradus caligo dicitur atque lumen. Caligo quidem, quatenus animus per negationes quasdam illuc vsque processit, negando videlicet, Deum ipsum esse rem hanc, aut istam, aut illam, vel natura compertam, vel à nobis excogitatam. Lumen verò, qua ratione non aliter de Deo quàm ita negando perspicuam consequimur veritatem. Vt tenebræ eius, inquit Dauid, ita & lumen eius, & nox tanquam dies illuminabitur. Deus ipse mentes tunc demum lumine suo penitus implet, quando seipsas illi quasi iam cæcas, atque silentes exposuerunt, id est, tùm singula intelligibilia de Deo negantes, tùm etiam intellectualem formam suam actionemque consuetam, per diuinum amorem, mirabiliter transcendentes. Sic igitur animus ita demum vera de Deo loquitur, quando non loquitur.

Dionysij ad Trinitatem oratio.

DIONYSIVS.

TRinitas, essentia, deitate, bonitatẽ superior, diuinæ Christianorum sapientiæ dux, dirige nos in ipsum super ignotum, & præfulgens excelsumque mysticorum eloquiorum culmen. Vbi simplicia & absoluta immutabiliaque Theologiæ mysteria latent, adoperta præfulgente quadam silentii clam sacra docentis caligine, quæ quidem vbi maximè videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem. Illic sanè quod tangi viderique nullo modo potest splendoribus plusquam pulchris ad exuberantiam implet omnes quasi captos oculis intellectus.

Bonum est super essentiam. & intellectum, nec attingitur, intelligentia, sed per vitæ similitudinem & amorem percipitur vnitate.

MARSILIVS.

QVatuor cognitionis species sunt, sensus, imaginatio, ratio, intellectus. Imaginatio non semper indiget ad actionem præsentia corporum, qua necessariò sensus eget. Veruntamen corporeas quasdam in agendo conditiones sequitur, actionemque mobilem habet atque multiplicem. Ratio non sequitur conditiones particulares corporum, sed iam ad absoluta se confert, mobilis tamen est, & necessariò multiplex. Intellectus denique motum iam deposuit, diuiduam verò multiplicitatem, minimè, nam & necessitate ordinis eam retinet, & vsu declarat, siue

definiat ſeu diuidat ſiue componat. Quod igitur priucipium vniuerſi ſit ſuper ſenſum, imaginationem, rationem, nemo aliquando Philoſophus dubitauit, ſiquidem incorporeum eſt penitus, & immobile. Eſſe verò, & intellectu intelligibilique ſuperius Platonici vnà cum Dionyſio probant. Quippe cum principium quidem ſit ipſa ſimplicitas infinita. Intellectus autem agendo per multiplicem & diuiduam actionem ad obiectum intelligibile dirigatur neceſſariò multiplex. Quod & proportionem quandam cum intelligentia ſubeat. Proinde cum ipſum intelligibile ipſi enti ſit æquale vel forte latius atque præſtantius, ſequitur principium rerum dum excedit intelligibile, ens item multo magis excedere. Quod autem intelligibile ens exſuperet inde patet, quia & quæ ſunt, & quæ non ſunt intelligimus, & eſſe pariter atque non eſſe, & aliquid ente, & eſſentia & ipſo eſſe, perfectius. Hinc ergo concludimus, principium vniuerſi, quod propter inæſtimabilem ſimplicitatem eminentiamque ipſum vnum cognominamus, excelſius ente putandum, præſertim quia ens, qua ratione ens eſt, multiplicitatem diuiſionemque non neceſſariò refugit, ſed vel præſentem ſuſtinet vel futuram, Ipſum verò vnum & vniuerſi principium talia longè propulſat. Quæcunque ab hoc proximè procreantur intellectus, ſcilicet intellectualeſque animæ vnitatem hinc in quandã quaſi paternum characterem ſortiuntur. Quo quidem quaſi capite vel, cardine, vel centro ſuo, Deum quandoque tanquam vniuerſi centrum poſſint attingere. Quemadmodum Plotinus vna cum Dionyſio comprobat. Cum igitur nec rationis, nec intellectus vſu, frui Deo poſſimus, fruituros tamen naturalis ipſa ſpes & conatus profectuſque polliceatur, per vnitatem ſaltem intellectu præſtantiorem quandoque fruemur. Quando ſcilicet poſthabitis cæterarũ virium actionibus, animæ totius attentionem totam in hanc vnitatem tanquam ad centrum à circunferentia collegerimus. Hoc diuinũ illud Harpocraticumque ſilentium à Mercurio, Pythagora, Socrate, Platone, Plotino, Apollonio eſt celebratum. Efficere verò id poteſt aliquando ſolus amor. Cuius propria virtus eſt traductoria pariter & vnifica, poſtquam animum ab inferioribus transferat ad ſupremum ſuum, vniatque ſupremo. Amor videlicet ipſius duntaxat vnius quod eſt vniuerſi principium, qui ſane directus ad vnum, animam à multitudine tùm aliena, tùm ſua ad propriam reuocat vnitatem. Per quam ipſi vni denique copuletur, quando ſcilicet amorem nunc in multa bona diuiſum, in vnum bonum perfectè adiecerit bonorum omnium principium atque finem. Quid nam igitur ad hoc diſputationes, doctrinæ, meditationes conferunt? Hæc ſane tanquam colliſiones quædam mutuæ luminum ipſius primi boni gratia factæ, amorem tandem ad ipſum in animo prorſus accenderunt, amor confeſtim traducit, & vnit. Mox diuinum in animo ſic accenſo ſuperne lumen effulget. Hinc illud Platonis noſtri. Diuinum verbis doceri non poteſt, quemadmodum cætera quæ diſcuntur, ſed ex diuturna circa rem ipſam conſuetudine vitæque coniunctione, ſubitò tanquam ab igne ſcintillante accenſum in animo lumen ſe ipſum iam alit. Hæc Dionyſius plane confirmat per verba quæ ſequuntur. Quibus ea quæ ſunt ſiue entia nominat ſubſtantias incorporeas. Quæ verò non ſunt, ſiue non-entia, res corporeas, atque materiam. Extenſionem autem animæ appellat amorem feruentem ad Deum in animã pura veritatiſque ſtudioſa directum.

Tranſcende non ſolum ſenſibilia, ſed etiam intelligibilia, & quaſi intelligentiam negligens ſolo ſolius primi boni amore, te confer ad ipſum.

DIONYSIVS.

HAec equidem orauerim. Tu verò amice Timothæe intentiſſimo circa myſtica ſpectacula ſtudio, linque ſenſus intellectualeſque actiones, & ſenſibilia, & intelligibilia omnia, & quæ ſunt, & quæ non ſunt. Atque vt ipſi iungaris, quod omni eſſentia & cognitione ſuperius eſt, te ipſum intende pro viribus, quaſi cognitione ſuperius eſt, te ipſum intende pro viribus, quaſi cognitione vacantem. Sola enim extenſione quadã, tùm à ſeipſo, tùm ab omnibus expedita, ad ipſum diuinæ caliginis radium eſſentia ſublimiores, ſublatis omnibus, & abſolutus ex omnib⁹ euolabis.

Quare diuina inter prophanos diuulgãda nõ ſint. Et qui ſint proph. Et quãdo ſuper ens exte tvnum atque bonum.

MARSILIVS.

SIcut Plato bis in epiſtolis, ita Dionyſius hic & ſæpe alibi vetat ſecretiſſima Theologiæ myſteria inter prophanos effundere. Ac propter iudicii defectum exceſſũ ve ſuperbiæ, vel fas vanaſque opiniones inde concipiant, vel res dignas veneratione derideant. Prophanos verò nominat philoſophos exceptis Platonicis pene omnes, quia nihil altius de Deo cogitauerunt quã quod ſummus Deus ſit mens quædam, & eſſentia prima. Nec mirum illud Platonicorum inuentum ea pere potuerunt, ipſum ſcilicet vnum atque bonum eſſe toto primoque ente intellectuque ſuperius. Idque rectius rerum principium nominari. Prophaniſſimos denique iudicat eoſdem quos & Plato, Epicureus ſcilicet atque ſimiles, qui niſi quod ipſi pugno ſtringere poſſint, eſſe nihil putant. Atque vbi Deum deſcribere compelluntur ex rebus quibuſdam paſſionibuſque corporeis imaginabil uſque componunt. Eſſe verò vnum ipſum atque bonum ente ſuperius, vna cum Dionyſio cæteriſque Platonicis, & in ſuperioribus ſignificauimus, & ita hic breuiter confirmamus. Latius enim hæc in Theologia noſtra & commentariis in Plotinum iam tractauimus. Ratio formalis entis ratioque vnius diuerſa eſt. Nam enti quidem opponitur non ens, vni verò opponitur multitudo, quemadmodum igitur multitudo differt à nihilo, ita vnum differens eſt ab ente. De firmitate verò rationis huius agimus in Parmenide. Item entis naturæ multitudinem intus accipere non repugnat, vnius verò naturæ repugnat. Differant igitur inter ſe, dicet quiſpiam, vtrum verò ſuperius? Primo quidem paria eſſe non poſſunt: Neforte binarius quidam numerus ex his pariter coniugatis conficiatur. Atque ita ſuper eiuſmodi binarium vnitas iterum ſit quærenda. Præterea duo quædam forent æquè principia rerum, ceſſaretque communio in rebus, & ordo Non ergo ſunt æqualia. Nec rurſum ens eſt ſuperius vno. Alioquin ens quidem non foret vnius particeps. Eſſetque ſic vel multtudo prorſus infinita, vel nihilum. Vnum

verò velut inferius particeps ipsius entis euaderet. Statimque amissa simplicitate, putam similiter perderet vnitatem. Est igitur vnum ipsum excelsius ente. Quapropter vnum quidem simpliciter nominare licet. Dicere verò vnum esse tenera non licet. Indulgendum tamen est humani sermonis inopiæ. Præterea non appellamus entia, nisi quæ formas, habitus, actiones, possident. Vnum verò dicimus non solum eiusmodi aliquid, vt puta, visum vnum vnumque auditum. Verùmetiam priuationem habituum, velut vnam cæcitatem, vnamque surditatem vnumque simpliciter habitum, ac priuationem pariter vnam. Vnum igitur ente latius superiusque censendum. Denique participatio vnitatis ad priuationem materiamque primam vsque protenditur, neque tamen entis huc usque participatio. Nempe cum esse per formam distribuatur, materia prima priuatioque quatenus cadit à forma, eatenus ab essentia labitur. Neque tamen pariter ab vnitate degenerat. Nam propter singularem ab aliisque secretam informitatem, fermè non minus vna materia dicitur, quam res formata dici soleat vna. Quamuis ob defectum formæ materia minime nuncupetur essentia. Cum igitur participatio imperiumque vnius amplius sit entis imperio, merito vnum excelsius ente coniicimus. Similiterque bonum. Nam materia propter potentiam appetitumque ad bonum, & necessitatem eius in vniuerso, appellationem boni non æquè, ac munus essentiæ amisisse videtur. Bonum summum atque vnum idem penitus esse volumus. Bonum enim sicut vnum vnione cuncta perficit & conseruat. Vnde quæcunque ab vnione cadunt à bono similiter & ab essentia delabuntur. Iam verò cum ad principium rerum primum maximè pertineat, tùm simplicitas, & singularitas supereminens, tùm virtutis propagatio vsquequaque diffusa, merito inde quidem vnum, hinc verò nominatur & bonum. Ac reuera propter ipsam eminentiam singularem, diffusio quoque vniuersalis adest. Atque vicissim ex amplissima largitate, singularis agnoscitur eminentia. Quæ quidem vnitas propter propriam sibi summam simplicitatem omnium obtinuit principatum, atque ob prouidentiam vniuersam, beneficium declarauit imperium.

Confirmatio, quod bonum sit super essentiam, vitam, intelligentiam. Et quomodo fruamur bono, perfectius quam simpliciter intelligendo.

Ipsum bonum esse superius ente in superioribus quoque diximus. Simili ratione esse præstantius vita confirmari potest. Quoniam vita per se nulli sufficit, nisi gratia boni. Non enim viuere simpliciter optant, sed bene viuere. Imò & vitam omni bono totque boni spe destitutam negligunt atque reiiciunt. Eadem ratione bonum intelligentiæ anteponimus. Quisquis enim ad intelligendum nititur, & bonum sibi quidam optat intelligere, & speret aliquem ex intellectione profectum, imò nec malum sibi quicquam eligit intelligere, sed latere, & obliuisci, ne cruciet cognoscentem. Accedit ad hæc quod pauca quædam naturaliter obtinent intellectum, omnia verò bonum. Item intellectuales animæ non semper intelligentiam affectant, semper verò bonum. Rursus statim ab initio naturali quodam instinctu bonum cupiunt, intelligentiam verò & sapientiam tandem consulta quadam electione. Cum igitur bonum & latius sit quam intelligentia, & à pluribus sæpiusque optetur, appetitúque magis naturali quæratur, constat bonum esse superius intellectu. Summatim verò neque essentia, neque vita, neque mens se ipsa contenta est, illa enim ad vitam semper annititur, hæc ad mentem, mens ad bonum tùm intelligendo, tùm volendo. Bonum verò cum in te- soluendo sit vltimum, ad aliud non contendit. Solum ergo se ipso contentum est. Solum itaque primum. Sed iuuat per hæc iterum Platonico more paulo latius euagari. Essentiam, vitam, intellectum, inter se differre, patet ex eo quòd intellectus quidem paucis, vita verò pluribus, essentia denique quàm plurimis adest. Cum verò distinctio hęc tanquam maximè formalis & ordinata, nec ex materia, nec fortuna contingat, merito ex quadam distinctione procedit essentiæ, vitæ, intelligentiæ primæ. Distinctione, inquam, minore quàm in rebus, saltem non formali. Illic igitur nec intellectus, nec vita, nec essentia ex se existit. Intellectus enim vitam exigit quodammodo præcedentem, vitaque essentiam. Atque essentia per se imperfecta, dum in vitam intellectumque procedendo perficitur, proficitque bono, non ex seipsa fit melior atque optima, sed ipsius boni supereminentis munere. Quod quidem cum primum esse dedisset, mox viuere, atque deinceps intelligere dedit. Hæc igitur essentia, vita, mens prima, per intellectualem formam intus superne perfecta, intelligentiam paucioribus quam vitam impartit, ac vitam paucioribus quàm essentiam. Ipsum verò bonum, & per ipsam tria hæc impartit, & per se largitur vnicuique bonum. Hæc Platonicè quidem narrata sint, vt cunque Christianis placet accipienda. Mirabile profectò est boni ipsius imperium. Incredibilem namque facilitatem, cum immensa potestate coniungit. Cum enim infinitate possit omnia prorsus impellere, vim infert nulli. Omnia vel minima quæque quasi persuasione quadam occulta, facilè ducit, mouetque vltro moueri volentia. Cumque nihil res omnes velint suapte natura, nisi bonum, nullius imperium magis voluntarium, & clementius & suauius est quam boni. Hinc efficitur vt potentiam quidem, & sapientiam infinitam possimus odisse, bonitatem verò nequaquam. Cui enim proprius naturaliter amor est, inde procul exulat odium. Quonam igitur tandem bonum consecuturi sumus? Non quidem intellectu bonum intellectu superius consequemur, sicut neque intelligibile sensu. Sed eadem ipsa occulta natura tandem attingemus ipsum bonum, intellectu iam vacante, qua naturaliter ab initio & ante & præter intelligentiam, assiduè quærebamus, & quærimus. Quemadmodum qua leuitate ignis petit Lunæ concauum, eadem attingit & possidet. Non erit igitur perfecta possessio boni, quasi quædam imaginaria consequutio, qualis fieri solet cognitione, sed substantialis, & intima per vnitatem animæ facta intellectu superiorem præstantioremque essentia. Verùm cum præter intelligentiam fruitio tandem perficiatur, merito nec qualis futura sit exprimi nobis vllo modo potest, gustari tamen interim amore, & gaudio quodam inestimabili. Quo denique non vacante sicut intelligentia, sed crescente absoluitur possessio boni. Quæ quidem sicut amore quæsita est assiduè, ita tribuitur & amori. Hinc Apostolus

Paulus, scientiam nostram in patria desinere, inquit, charitatem verò nequaquam.

Prophani sunt qui Deum super essentiam & intellectum esse non putant, prophanissimi qui Deum ex essentia deteriore confingunt, & imaginatione quærunt.

DIONYSIVS.

HÆc autem caue ne quis prophanus audiat. Eos autem sic appello, qui occupari duntaxat in his quæ sunt, atque entia nominantur, nihil excelsius entibus (vt ita dixerim) superessentialiter esse putant. Sed arbitrantur cognitione sibi propria illum apprehendere, qui tenebras posuit latibulum suum. Iam verò si hos diuina mysteria supereminent, quidnam de illis quispiam dixerit, qui longè profaniores supremam illam omnium causam ex infimis quoque rebus effingunt, nihilque hanc antecellere putant impia simulachra, vel imaginaria variis formis à se conficta.

Quomodo fiant affirmationes omnium, negationesque de Deo, atque de materia prima.

MARSILIVS.

DVo quædam potissima de rerum principio communiter cogitamus, vnum quidem quemadmodum omnia inde profluunt, semperque dependent. Alterum verò quemadmodum ipsum interim est ab omnibus eminentissimè segregatum. Prima igitur ratione, omnia quæ diuinitus effecta sunt, quatenus inde videntur egredi, de Deo possumus affirmare, quasi non inde venire potuerint, nisi prius illic extiterint. Sic Deum esse affirmabis, essentiam, substantiam, vitam, intellectum, animam, naturam, cœlum, elementa, stellas, item formasque rerum vbique formosas. Sed ratione secunda negare rursum singula de Deo debemus. Quo enim pacto est aliquid eorum quæ fecit? Siquidem est ab eis interim mirabiliter segregatum. Est autem tutior veriorque negatio rerum quam affirmatio circa Deum. Quoniam longè plus est quod ipsius Dei separatum est à rebus, quam quod rebus est quasi communicatum. Hoc enim finitum est omnino, illud autem prorsus immensum. Denique mentiri facilius, affirmando possumus quam negando, siquidem affirmatio ad intelligentiæ nostræ limites finire videtur, quod incomparibiliter est immensum. Solet apud nos negatio affirmationi sic opponi, vt nequeat simul vtraque circa idem esse vera. Vbi enim dixeris anima vel corpus est substantia, non licet dicere vicissim non esse substantiam. Diuina verò vnitas est tam efficax, vt contraria etiam inter se conciliet. Cumque sit positione & affirmatione qualibet eminentior, meritò à priuatione quauis positioni opposita mirum in modum separata censetur, præsertim quia cùm indigeat, nullis vnquam priuata putatur. Summatim verò alio sensu affirmamus, alio verò negamus idē circa Deum. Nempe cùm dicis, Deus est essentia, Deum intelligis procreare essentiam, atque seruare. Cùm, inquit, iterum, Deus non est essentia, intelligis Deum non esse hanc ipsam quæ inuenitur, vel excogitatur abs te essentiæ formam. His rationibus Plato noster in Parmenide omnia quamuis opposita de ipso vno affirmat pariter atque negar. Poterit quinetiam aliquis circa materiam primam idem fermè facere. Verum quoniam Deus atque materia quasi inter se opposita sunt, velut supremum & infimum vniuersi, probabiliter oppositio quodam pacto quæcunque inter Deum informemque materiam, media cadunt, de vtroque possumus affirmare pariter atque negare. Deum igitur dices esse vel habere rem formamque hanc aut illam, quoniam facit eam, nec rursus habere, quoniam est superior, materia verò dicetur rem eandem habere vel esse, propterea quòd eam parit, rursumque negabitur, quia sit inferior.

Affirmare omnia de Deo decet, rursusque negare, sed negatio tutior est & verior quàm affirmatio.

DIONYSIVS.

DEbemus sanè omnes rerum positiones affirmare de Deo, tanquam de omnium causa. Vicissimq; potiori quadam ratione easdem omnes de Deo negare tanquam cunctis excelsiore. Neque verò putandum est, negationes eiusmodi, affirmationibus repugnare, sed ipsam vniuersi causam quæ omni non solùm ablatione, sed etiam positione altior est, longè prius priuationes omnes exuperare.

Quomodo Deus apparet in silentio, & post transitum summitatum, & in caligine.

MARSILIVS.

MEns circa Deum tres (vt videtur) gradus agit. In primo verbis quàm plurimis vtitur, in secundo paucis, in tertio nullis. Quam plurimis, inquam, vbi quotcunque occurrunt de Deo, affirmat pariter atq; negat, paribus quidem verbis, sed ratione diuersa. Paucis autem, vbi relationibus vtitur, referendo videlicet res ad Deum, tanquam ad principium, finem, medium, conseruantem, conuertentem, perficientem. Nullius autem, quando nec vlterius res ad Deum refert, neque negat quicquam. Neque dependens à Deo aliquid, Deo quodammodo reddit affirmans. Sed ipsum Deum mox affirmatura, sermonem rumpit intimum, siletq; protinus, ne affirmando finiens insolenter reporter pro infinito finitum. Tunc igitur si quatenus sermo remittitur, eatenus intenditur amor boni, statim (vt diximus) hoc ipso incendio penes bonum, effulget boni lumen, spiratque bonum. Oportet verò animam huc accessuram tres saltem (vt ita dixerim) summitates penitus transcendisse, scilicet, corpoream, animalem, intellectualem, summitatem quidem corpoream cogitamus, vbi cœlum fingitur, quasi nouum, tanto pulchrius hoc cœlo, quanto cœlum, hoc est terra formosius. Animalem verò, vbi in vna anima confingitur omnis anima, & qualibet exuberans intellectu. Intellectum denique, si quando intellectum excogitamus. Sic vniformem, vt omnes formas, omnesque præferat intellectus. Vltra summitates eiusmodi extat ipsum bonum, tanquam extra sonos verba que, & lumina prius in mente patentia. Habitare verò dicitur in caligine, quoniam cùm primùm nihil amplius ex his apparet quasi obrutis in caligine, apparet bonum, his tanto saltem clarius, quanto meridiana lux profunda nocte fulgentior.

Sermo de Deo, tum plurimus ritè, tum paucissimus, tum denique nullus haberi potest, Deus super essentiam & intelligentiam habitat.

DIONYSIVS.

HAc igitur ratione diuinus Bartholomæus ait: Theologiam esse plurimam, atque paucissimam. Ipsumque Euangelium esse tum latum, magnumque, tum concisum. Mihi quidem mirificè intellexisse videtur eum, qui circa bonam omnium causam versatur, ritè posse tum multis verbis vti, tum etiam paucis, tum denique nullis. Quippe cum penes eam & verbum & intelligentia cesset, propterea quòd quadam super essentiam ratione omnia supereminet. Solisque illis sublato velamine reueraque fulget, quicunque omnia non solum impura, sed etiam pura transilierunt, omnemque omnium sanctorum culminum ascensum iam transcenderunt. Et cuncta diuina lumina, & sonos, sermonesque cœlestes deseruerunt, atque eam protinus caliginem subiere, vbi ille reuera est, vt sacra tradunt eloquia, quia omnibus est excelsior.

Quomodo purgetur animus, per quot gradus ascendat ad Deum. Quomodo Deus super intellectum & intelligibile habitet, quæ sit Platonicorum opinio.

MARSILIVS.

ANimus diuini montis fastigium ascensurus, in primis cunctis exhortationibus amore solo primi est inflammandus. & quoniam superni caloris officium est, ab inferioribus nos purgare, amoris diuini flagrantia purgandus est, tū ab affectibus, tum ab imaginationibus singularum rerum corporearum. Tum verò monstrante disciplina, eodemque interim amore duce, traducendus est ad contemplandas formas à corporibus separabiles, atque separatas, id est, ad intellectuales animas & angelicos intellectus. Sol namque diuinus in animis quidem fulget velut in Luna, in Angelis autem velut in stellis. Vtrobique igitur mentis oculus ad Solem impotens, facilius tanquam familiaria lumina contuetur, quibus conspiciendis, & Solem inde diuinum augurатur, & aciem ad idem vel intuendum, vel quomodocunque percipiendum assuefacit. Hactenus exhortatio quidem purgauit. Sed disciplina monstrauit. Amor autem & emundauit, & hucusque perduxit. Amor igitur cum amato tandem feliciter copulabit amantem. In ea videlicet nube, vbi postquam naturales oculi sub exuberante lumine caligarunt, bonum ipsum benefica gratia illuxit & aspirauit amanti. In hoc autem ascensu actiones ac vires animatum & Angelorum imprimis occurrunt. Mox verò substantiæ illas sanè sub nomine vocum, has autem sub appellatione luminum Moses ipse significat. Annuit etiam purgatis interdum animis, intellectuales notiones ob mirabilem efficaciam, vsque ad purissimos sensus, visum scilicet & auditum, per imaginationem se trāsferre, quasi sub forma quadam luminum atque vocum. Proinde vbi Dionysius ait, ipsum bonum super summitates intelligibiles locorum suorum incedere. Plotinus & Iamblichus, Proclusque dicent intelligibile quidem intellectui, velut inde formabili præferendum. Immensum verò bonum anteponem dum intelligibili proportionem quandam cum intelligentia subeunti. Mitto in præsentia distinctionem illam Proculi, vbi summa post primum numina vocat intelligibilia. Infima verò, sed interim mundo superiora potius intellectualia nuncupat, formanda vel à supernis. Sed media vtriusque appellationis mistione cognominat. Missas etiam facio tres illas apud Proclum substantias, triaque suo primo principia. Essentiam, vitam, meotem. Probabilius cum Plotino tria hæc apud superos ratione quadam inter se differre dicemus potius quàm substantia. Sed Plotinus quidem vnum hoc sub primo constans ex tribus asserit vniuersi principium, vel à primo progenitum. Dionysius autem, quem libentissimè sequimur, non vnum aliquid eiusmodi tanquam principium sub principio collocat, sed diuioas Deo mentes subigit, ex his tribus essentia vita, intelligentia, diuinitus constitutas, mentesque eiusmodi partim intelligibiles, partim intellectuales, ideo nuncupat, quoniam inde quidem propter luminis abundantiam capaci cuilibet largissimè sese offerunt. Hinc autem ob serenissimam perspicaciam, lumen quodlibet veritatis ipsius facillimè diaphani more suscipiunt. Denique booum ipsum regionem intelligibilem supereminet, siue regionem eiusmodi, Platonico more, primum ipsum intelligibile nomines intelligibile specierum omnium fontem inter se formaliter differentium, siue substantiam quamlibet separatam perspicacem pariter atque lucentem.

Confirmatio superiorum, & quomodo fruamur Deo per modum quendam intellectu præstantiorem.

MARSILIVS.

HOc supercœleste cœlum stellarum suarum, id est, intelligibilium formarum plenum, Sol diuious habitat quidem, stellæ enim Solis lumine lucent, sed mirabiliter supereminet. Cœlum hoc intellectu videre potes, Solem verò non sustinet intellectus. Qui & in oppositum te deducit, actio enim tum rationis quasi mobilis, tum mentis quasi multiplex & finita ad aliquid mobile, multiplex, finitum, quod principio est oppositum, te retorquet. Actio igitur eiusmodi cum primū intelligibilia per eam cōsequutus fueris post habenda est. Hucusque tantum confert, vlterius impedit. Quemadmodum imaginationis vsus ad intelligentiæ principia confert, vlterius obstat. Confirmatur hoc etiam per Platonicum illud. Sol conspicuus in mundo nobis est imago boni. Sol quidem tam visus generat quam videnda & suscitat ad agendum, cumque oculis videnda coniungit. Similiter ipsum bonum ad intellectus omnes intelligibiliaque se habet. Hæc Plato. Cùm igitur intellectus non tam sua quam diuina virtute res consequatur intelligendas, consequens est, vt nulla penitus facultate sua bonum ipsum assequi possit, igitur Deo frui non est ad Deum agere, sed potius agi Deo. Non est aliquid per se haurire, sed aliunde prorsus impleri. Non est per intellectum versari circa bonum, sed amore transferri. Atque ipsa vnitate nostra intellectu superiore, ipsi vni bonoquo penitus copulari. Vbi sane animus omnem prorsus actionem affectionemque & ad alia & ad

seipsum iam deposuit, exuit & formam suam, induit iam diuinam, vt etiam Plotinus ait. Iamque sic agit vt Deus, sicut aurum ignitum, in Apocalypsi celebratum, agit vt ignis, & animatum corpus vt anima. Atque anima sublimis intellectu formata, tanquam intellectus agit. Intellectus igitur reformatus in Deum, agit denique tanquam Deus.

Ascensus ad Deum per purgationem animi, atque per transitum intelligibilium specierum. Fruitio Dei per aliquid intellectu præstantius.

DIONYSIVS.

Vre igitur diuinus Moses diuinitus admonetur, primo quidem vt mundetur ipse, rursum que vt se separet ab immundis. Atque post omnes expiationem buccinarum clangores varios audit. Cernitque lumina multa, puros atque multiplices radios diffundentia. Post hæc à turbis vulgaribus segregatur. Atque cum selectis sacerdotibus ad diuinarum ascensionum fastigia sese confert. Ibique non cum ipso quidem Deo commercium habet, nec ipsum cernit, non enim est visibilis, sed locum potius vbi stetit. Hoc autem, vt reor, significat, diuinissima & suprema quæque visibilium atque intelligibilium esse rationes quasdam suppositorias significationesque eorum, quæ subiecta sunt omnia transcendenti Deo, per quæ Dei præsentia omnem intelligentiam superans super intelligibiles sanctissimorum ipsius locorum summitates incedens. Tunc igitur ipsa quoque visibilia & videntia intelligibiliaue dimittens, ipsam ingreditur ignorationis mysticam reuera caliginem. Vbi omnes cognitorias perceptiones excutit, atque in eo qui tactum penitus, visumque refugit, iam consistit, totusque euadit ipsius qui omnia supereminet. Tunc sanè nec sui iuris est, nec est alterius, Sed ipsi, qui penitus est incognitus, cognitionis omnis vacatione, per aliquid cognitione præstantius est vnitas. Ex eo enim quod cognoscit nihil, intelligentiam transcendendo cognoscit.

Quomodo auferendo gradatim ascendamus ad Deum, tum in homine, tum in mundo toto, tum in Sole.

MARSILIVS.

Si fecit Deus hominem ad imaginem suam, certe est in homine statua Dei, quamuis additamentis abscondita. Primo igitur, separa corpus ab anima, secundo, ab eadem corporeas passiones, tertio, imaginationes à ratione, quarto, rationales discursiones ab intellectu, quinto, intellectualem multiformitatem ab ipsa animæ vnitate, sexto, ab hac vnitate animalem intellectualemque conditionem. In septimo gradu, vt arbitror conquiesces: Inuenies enim ipsam simpliciter vnitatem, id est, Deum sub tali quadam vnitate latentem. Mundum quoque Deus statuam suam fabricatus est. Sed velaminibus multis opertam. Subtrahe primo materiam, relinque cætera, iam habes vbique cœlum cui multi materiam ademerunt. Deme rursum cœlesti huic mundo dimensionem. Serua formas omnesque motus formarum. Nactus etis animam vniuersam. Tolle, si placet, motus, formis omnino seruatis, vniuersum mox possides intellectum, sed huic auferto diuisos inter se velut in cœlo formarum radios. Accipe lumen ipsum in se principium radiorum, nec dispersum per radios, nec certis radiorum speciebus determinatum, sed absolutissimum & simplicissimum & immensum. Quod & ipsum bonum est omni semper intelligentiæ voluntatisque conatu quæsitum. Hac igitur ratione gradatim auferendo, Deum ipsum primo ex mundo paruo, rursumque ex mundo magno feliciter inuenisti. Tertio, forsan inuenies similiter ex mundo Solari. Cogita, colores omnes lucesque rerum, ita ex Sole profluere semperque seruari, vt nihil fermè sint aliud quàm Solis ipsius lumen, sub rebus occultum. Quamobrem si abstuleris à coloribus vbique terrenis, terrenam crassamque mixturam. A coloribus verò nubium quandoque fulgentium aqueum terreumque fumum, à lucibus tandem igneis stellaribusque mixturam igneam proprietatemque stellarem. Atque his ita sublatis, lucem pro viribus conseruaueris, Solem iam habebis. Vbi si molem, proprietatemque Solis ademeris, luce seruata, reportabis ex hoc Sole Deum, Solis reuera Solem. Certis inde remotis limitibus per immensum regnantem vbique totum. Sic enim beneficium primi boni lumen rebus omnibus inde bonis & pulchris & appetendis est infusum, quemadmodum Solis lumen coloratis omnibus, atque lucentibus, nec non similibus fermè gradibus distributum. Sed quomodo per gradus rerum quibusue rationibus ascendatur ad Deum, in libro epistolarum secundo & in Theologia, ac libro de raptu Pauli ad tertium cœlum, latius disputamus.

Quomodo auferendo omnia quæ sunt, procedamus ad Deum. Et contraria ratione auferamus atque ponamus.

DIONYSIVS.

Hanc nos prælucidam caliginem ingredi precamur. Atque per visus cognitionisque vacationem, videre & nosse quod est visione notitiaque superius. Ex hoc ipso videlicet quod nec videamus, nec aliquid cognoscamus. Hoc enim est reuera videre ac nosse. Et eum qui essentia eminentior est, modo quam super essentiam, ex omnium videlicet quæ sunt ablatione, laudare. Quemadmodum qui statuam indigenam fabricant, auferentes omnia quæ circum apposita impediunt, perspicuum formæ latentis intuitum, solaque ablatione pulchritudinem ipsam in se pandentes occultam. Oportet autem ablationes, vt arbitror, contra ac positiones celebrare. Positiones enim inchoantes à primis, ac per media ad vltima descendentes adhibeamus. At in auferendo vicissim à postremis ad prima dispositis gradibus ascendentes omnia tollimus. Vt submoto velamine ignorationem illam

cognoscamus, quæ sub omnibus cognoscibilibus in entibus omnibus delitescit. Illam que caliginem essentia superiorem perspiciamus, quæ ab vniuerso lumine in his quæ sunt emicante nobis occulitur.

De Trinitate & imagine Trinitatis.

MARSILIVS.

Solem vnà cum Platone diximus esse conspicuam boni ipsius imaginem. Finge igitur ex intima luce quæ viget in centro Solis tria lumina intrinsecus emicare, primum per altitudinem Solis effundi, secundum per latitudinem dilatari, tertium, profunda penitus occupare. Ex primo secundum, ex secundo cum primo, tertium originem ducere. Esse inuicem coniuncta pariter & distincta. Similiter in ipso bono tria quædam benefica lumina, sic emicare, vt extrinsecus non prosiliant. Quæ vna cum pullulatione permaneat, ac vicissim pullulent permanendo, atque ita germinat one inter se distinguantur, rursu que natura sint vnum. Possunt verò lumina quodammodo etiam angelos designare, eorumque cum Deo & inuicem vnionem. Reliqua satis patent.

De bonitate diuina, vnitate, trinitate, Iesu appellationibus, figurisque diuinis.

DIONYSIVS.

IN eo libro quem de Theologicis institutionibus inscripsimus, quæ sint affirmantis Theologiæ præcipua, diximus. Quomodo diuina bonaque natura dicitur vnica, quomodo ibidem Trinitas Quæ penes hanc ipsam naturam sit ipsa Patris, quæ Filij notio. quid significet Spiritus sancti theologia. Qua ratione ex incorporeo indiuiduoque bono intima bonitatis lumina pullularunt. Permanentque intus non exeuntia, nec discedunt à mansione in ipso & in se ipsis & inuicem. Quippe cum hæc ipsa permansio pullulationes perpetuo comitetur. quo item pacto superior essentia. Iesus veram possidet humanæ naturæ substantiam. Et quæcunque alia à sacris literis demonstrata in eo opere celebrauimus. Sed in libro de diuinis nominibus, quomodo bonus appelletur, quomodo ens, vita, sapientia, potestas, cæteraque eiusmodi ad appellationem diuinam scilicet intelligibilem pertinentia. In Theologia verò per figuras significatiua, tractauimus quæ sint à rebus quæ sentiuntur appellationes ad diuina traslatæ, quæ formæ diuinæ, quæ figuræ, membra, instrumenta, quæ loca diuina, quæ ornamenta, qui furores, quæ tristitiæ, indignationes, ebrietates, crapulæ, iuramenta, execrationes, somni, experrectiones. Et aliæ significatiuæ theologiæ figurantis Deum formationes sunt sacra ratione confictę.

De gradibus virium cognoscentium, atque rerum cognoscendarum. Et quare sermo de rebus supernis verus, breuis esse soleat.

MARSILIVS.

Sermo de rebus superioribus verè & pro ipsa natura rerum habitus, breuior quàm sermo de rebus inferioribus (quod & Plato Plotinusque confirmant) esse debet, quod quidem tùm ex viribus cognoscentibus, tùm etiam ex rebus cognoscendis asseuerari potest. Imaginatio vna paucioribusque actibus efficit, quotcunque sensus multi actibusque multis efficiunt. Ratio vna quadam vniuersali specie sæpe complectitur plurima, quæ per imaginationem formis pluribus singulatim percipiuntur. Intellectus immobili quodam subitoque intuitu conspicit, quæ ratio petuarium d sursum aucupatur. Et quo sublimior intellectus est, propter efficaciam tùm naturæ tùm exemplaris formæ, eo pauciora plura cognoscit & efficit. Sicut eum oculus figuram circularem vno quodam semel intuitu iudicat, quam cæcus tactus sæpius attractendo perpendit, sic intellectus omnis se habet ad rationem. Rursumque ad intellectum inferiorem superior intellectus. De viribus quidem cognoscentibus hactenus. Res quinetiam cognoscendæ quanto superiores sunt, tanto gradatim numero quod pauciores, ampliores verò virtute, vtraque igitur ratione sermo legitimus de rebus supernis breuis est. Notio verò ampla, quæ forte si ampla non fuerit, vt minus saltem mentiaris vel repetas, sermo debet esse breuissimus. Tandem in ipso Deo admodum intellectu superiore, non solum discurrens oratio tam interior quã exterior, sed etiam intelligentia cessat. Verum quod deest intelligentiæ, amore quodam & quasi gestu & tactu vnitateque & gratia compensatur. Sed hæc latius vna cum Plotino in commentariis in eum iam tractauimus.

Sermo de rebus altioribus debet esse breuior.

DIONYSIVS.

REor autem te deprehendisse, extrema verbis esse prolixiora supremis. Oportebat sane theologicas institutiones, explicationemque nominum diuinorum breuiori quam theologiam significatiuam sermone tractari. quatenus enim ad sublimiora contendimus, eatenus sermones ipsis intelligibilium conspectibus contrahuntur. quemadmodum nunc caliginem illam subeuntes quæ superat intellectum, non solum in sermonis breuitatem, sed etiam in silentium omnino vacationemque intelligentiæ protinus incidemus. Iam verò illic quidem à supremo ad infima descendens oratio, pro quantitate descensus ad latitudinem descensui congruam gradatim extendebat. Nunc autem ab inferioribus ad sublime sermo conscendens, pro modo ascensus, paulatim euadat angustior. Itaque post omnem ascensum, obmutescet omnino totusque ineffabili coniungetur.

Omnia formam aliquam præferentia affirmari de Deo possunt atque negari. Sed affirmatio quidem à superioribus, negatio autem ab inferioribus inchoanda.

MARSILIVS.

DEus summus super omnem positionem extat, quoniam est bonitas infinita. Non potes ergo aliquid tàm bonum adhibere Deo, quin melius aliquid reliquum sit vlterius adhibendum. Est etiam super omnem ablationem, quoniam est vnitas eminens, simplicitas infinita. Imò etiam prima ratione omni ablatione superior. Quamdiu enim licet aliquid admouere Deo tanquam inde profectum, tamdiu idem & remouere fas est tanquam hoc ipso quòd est inde, non sit illud, Est autem sub illo semper, & indè quicquid boni repereris vel inueneris. Proinde vtrisimile est, affirmare de Deo quæcunque formam, actionem, ordinem, habent. Verissimilius autem affirmare de primo perfectiora quam imperfectiora, atque vicissim probabilius imperfectissima quæque quam perfectiora negare. Si igitur perfectissima primum affirmaueris, nondum affirmasti sequentia. Itaque sermo reliqua gradatim afferens superfluus iudicari non poterit. Sin autem perfectissima primo negaueris, semel cuncta negasti, frustra iam reliqua negaturus. Quam obrem si omnia deinceps media percurrere rite volueris, superiora quidem affirmabis infimis, vicissimque ante alia rectè inferiora negabis.

Affirmatio rerum de Deo contraria via procedit atque negatio.

DIONYSIVS.

FOrtasse quæres, quare cum à primo diuinas positiones inchoare soleamus, vicissim auferre ab extremis incipiamus? quoniam videlicet quando ponimus circa illud quod positionem omnem exuperat; suppositoriam affirmationem oportet ab eo quod est illi cognatius exoriri. Contra verò quando circa illud auferimus, quod ablationem omnem excedit, ab his quæ longius ab eo distant, rite inchoamus ablationem. Nonne Deus magis est vita & bonitas, quàm aër atque lapis? Vicissimque potius non crapula, nec irascitur, quàm nec dicitur, nec intelligitur.

Vnum est omnium principium, nec est aliquid sensibile, vel intelligibile, sed vtrisque internallo quodam infinito præstantius.

MARSILIVS.

DVo quæ sequuntur capita confirmantia Deum esse causam omnium tam sensibilium quàm intelligibilium, contra Manichæos adduci possunt, quos & Plotinus confutat, introducentes principia duo, scilicet, summum bonum atque summum malum, & illud quidem intelligibilium, hoc autem sensibilium esse principium. Hos etiam nos in Theologia & vnà cum Plotino refellimus. Quoniam quod summum fingitur malum, nec actionem habet, nec essentiam, nihil enim habet boni, hæc autem expetuntur vt bona. Præterea cum etiam sensibilia bona, pulchra, ordinata, vtilia sint, non à malo sunt principio, sed à bono. Quod Moses confiteri compellit. Denique nisi vtraque ab eodem principio dependerent, communionem inter se nullam habere possint. Ratio vera dictat, quemadmodum proprius quilibet rerum ordo ad proprium reducitur caput vnum, sic vniuersalem rerum omnium ordinem ad vnum omnium vniuersale caput denique referendum. Si enim quo altior causa est, eo latius longiusque suum dilatat imperium, altissima certè causa vim suam actionemque per omnia porrigit. Quæ cum sit causa causarum prima, proculdubio est maximè causa. Omnium igitur causa est tam conseruans vbique singula quàm efficiens, reliquas in Theologia & Plotino ad idem rationes adducimus. Quamobrem Dionysius noster Deum appellat omnium tàm sensibiliũ quàm intelligibilium authorem Addit esse causam eminenter. Cæteræ namque causæ nonnullam habent cum effectibus suis proportionem, quoniam & causæ & effectus sub eodem vniuersali rerum principio continentur. Sic igitur sphæra ignis cum effectibus calidis proportionem habet, imò & Mars, atque Sol, confirmantibus id Platonicis. Prima verò causa, quod Plato demonstrat, nulla ad opus aliquod proportione, sed absoluta prorsus infinitate facit. Alioquin non foret summopere simplex, atque prima. Cum igitur causa prima per simplicem eminentiam agat omnia, tàm sentienda quàm intelligenda, merito nihil est eorum, quando nec proportionẽ quidem vllam habet ad illa. Negaturus autem Dionysius Deo cuncta, ne forte videatur Deum prorsus è medio tollere, proponit in primis ea duntaxat conditione se negaturum minus bona, vt semper intelligatur supra modum meliora daturus. Quando negamus animam esse essentiam corpoream, non negamus simul esse essentiam meliorem, scilicet, incorpoream. Negamus similiter Deum esse in ordine essentiæ etiam transcendentis, quæ in essentiam corpoream & incorpoream potest diuidi, & in se existentem, & alteri adhærentem & similiter ad omnia deriuari, singulatimque finiri. Concedimus tamen Deum esse essentiam transcendente simplicius, absolutam. Negantes iterum Deum esse vitam, quæ est actus essentiæ, non prohibemus esse vitam, huiusmodi vitæ causam. Rursus quando negamus Deum esse rationem, vel intellectum indagatorem luminis, atque boni, non negamus tamen esse intellectum luminis, bonique causam intellectibus. Sed quis adeò demens est vt intellectum dicat irrationalem? quia rationis ambagibus non indigeat. Aut rationalem? Quia rationis ambagibus non indigeat. Aut rationem appellet cæcam, quoniam absque præsente oculi misterio videat. Ita nec Deum amentem suspicari fas est, quoniam cum sit ipsum lumen bonumque à mente perceptum, mentis vsu non indiget. Negat Dionysius in primis Deum esse corpus, deinde nec esse, nec habere conditiones passionesque corporeas, siue in corpore sint, siue circa corpus. Nos ergo vicissim ex eo quòd conditiones, defectus, passiones contingentes corpori, rerum principio non contingunt, consequenter illud non esse corpus argumentari valemus. In Theologia quinetiam nec esse formam corpori adhærentem, nec formã rursũ huic formæ proximam, latius declaramus. Ascendit verò Dionysius negando ab inuerti corpore ad formam corporis quodammodo efficacem, id est, accidentalem, ab hac ad efficatiorem substantialem, sed nondum viuam, ab hac ad vi-

uam, sed irrationalem, quæ est ita summum sensibilium sicut est intelligibilium vltimum.

Quod nisi sensibilis omnis eminenter est author.

DIONYSIVS.

Causa omnium, omnia supereminẽs, nec essentia, nec vita, nec ratione, nec mente capta est. Neque est corpus, nec figuram vel speciem, nec qualitatem aut quantitatem aut molem habet, nec est in loco, neque cernitur, neque sensibilem tactum habet, nec sentit, nec est sensibilis. Neque perturbationi ordinis experti obnoxia est, à passionibus, vel materialibus, agitata. Rursus, nec est inualida sensibilibus videlicet subiecta casibus, nec luminis indiga, nec alterationem vel corruptionem, aut diuisionem, aut priuationem vllam admittit. Nec aliud quicquam sensibilium aut est aut habet.

Quibus gradibus negantur de Deo intelligibilia, primo quæ pertinent ad animam, deinde quæ ad intellectum, tertio quæ ad ideas, quarto quæ ad communes Dei appellationes, quintò quæ ad Trinitatem.

MARSILIVS.

Negaturus de Deo intelligibilia omnia, exordium facit ab his quæ ad genus intelligibile tanquam vltima rediguntur. Ab anima, scilicet, vegetali pergens ad sensualem, ab hac ad imaginantem, hinc ad animam quasi rationalem sagacissimarum, scilicet, bestiarum, hinc ad rationalem, id est, humanam, ab ipsa huius ratione, ad eiusdem intelligentiam, hinc ad angelicum intellectum, ab intellectu ad ideas, sunt enim ideæ in intellectu quasi in cœlo stellæ. Quæ in intellectu angelicò sunt eius supremum, sed in diuino quasi sunt vltimum. Inter ideas collocat ideas numerorum, mox verò proportionum numeros comitantium. Vbi commemorat ordinem. Item ideas dimensionum quæ resoluuntur in numeros. Vbi de magno, paruo, æquali loquitur. Præterea qualitatum ideas suis quodammodo dimensionibus indigentium. Vbi similitudinem dissimilitudinemque adducit. Tum verò ideas actionum quæ sequuntur ex qualitatibus. Loquens vel de motu atque quiete, accedunt ideæ formarum substantialium, scilicet, elementalium sub potentiæ nomine. Ideæ rursus cœlestium sub luminis cognomento. Ideæ quin etiam animarum corporibus coniunctarum, appellatione vitæ; item separatarum sub essentiæ cognomento, angelorum quoque æternitate signatæ, æternitas autem secum trahit tempus velut imaginem. Demum idea est diuinæ fruitionis sub intelligibili tactu. Hactenus de sublimitate diuina negauit & dotes animarum mentiumque & omnes quæ quomodocunque intelliguntur ideas. Et merito, quoniam eiusmodi quæuis idea singulatim definitum quiddam est, ac simul cunctæ compositum. Præterea Deus agit omnia pariter & in omnia, ideæ verò ita inter se distinguuntur, vt non possint ab vna omnes esse. Imò & opponuntur, scilicet, idea status, ideæ motus, similitudo idealis, ideali dissimilitudini. Deus igitur cum ideas omnes æqualiter proferat, nec aliqua earum est, quæ intelliguntur à nobis neque etiam cunctæ. Sed quis non viderit? Si Deus ipse idea paruitatis fuit, aut motus, aut diuersitatis, non effecturum magnitudinem, & statum & vnionem. Quibus autem rationibus talia quædam de ipso vno Plato & Parmenide neget, & prolixum narratu foret & in præsentia minimè necessarium. De his enim in commentariis in Parmendiem disputamus. Negat post hæc absolutas quasdam appellationes, quæ communiter Deo digna videntur. Vbi ad veritatis appellationem peruenit reliquorumque similium, tollit tandem è medio notiões humanas de relationibus illis, quibus diuinæ personæ inter se distinguũtur. Notiones enim eiusmodi intelligibiles sunt potius quàm diuinæ, pro intelligentiæ nostræ captu conceptæ. Imò & quæcunque sublimius à supremis angelis naturaliter conceptæ sunt, Deo inferiores existunt. Docet & cognitionis modum, quoniam est actio intus permanens pro natura cognoscentis efficax. Ideo nec aliquid entium, intellectualiumque, cognoscere aliter quàm essentiali intellectualique ratione. Talesque conceptus intra se formare. Ideò Deum essentia, intellectu intelligibili longe superiorem, eiusmodi notionibus minime circunscribi. Sed verisimile tunc intelligi, quando iudicatur absolutè intelligi nunquam posse. Tum verò Deum, inquit, omnia quæ sunt cognoscere, non ea conditione qua sunt, sed pro natura Dei Essentia igitur (vt ita dixerim) superanter, intelligit, imò & superintelligit, multa vnice composita simpliciter immutabiliter mutabilia. Præsenti momento præterita pariter & futura, velut sibi cuncta præsentia. Ait deinceps, nec figurari quidem & designari Deum per quæ forsan designari putatur. Nec enim sermonem nos habere de Deo, quia neque nomen ex quo sermo componitur, non, inquam, nomen, quoniam neque cognitionem, quæ quidem est ratio prolati nominis, primumque nomen, sed hæc satis in Parmendie Plato declarat. Videbitur igitur Deus esse tenebræ, id est, ipsum omnium obscurissimum. Sed quomodo? Cum clament esse Deum tanquam omnium vbique notissimum. Putabit aliquis vicissim Deum appellari posse lumen, id est, omnium notissimum. Sed quo nam pacto? Cum omnia finita testificentur ignorari quid sit ipsum, quod omnes infinitum proculdubio confitentur. Nec omnino verè de Deo sentiunt homines, qui conceptum humanum superat infinite, nec errant omnino de Deo, à quo omne votum & iudicium opusque bonum assiduè pendet. Tollit denique Deo, & affirmationes, & negationes, quæ tamen aliquando visæ sunt diuinitati ratione aliqua conuenire. Sed reuera, quod nusquam attingimus, nec ponere possumus, nec auferre. Sed quæ sunt post ipsum. Si enim vni ipsi bono bonorum omnium authori, nihil deest boni, quidnam boni huic possumus adhibere? Rursum si Deus est eminentia simplicissima, ab omnibus penitus absoluta, non potes huic auferre quicquam, quia nec assequeris quod semper eminet, neque diuidis, quod omnium indiuiduorum simplicissimum & absolutissimum iudicatur.

Quod nullum intelligibilium est qui omnis intelligibilis eminenter est author.

MARSILIVS.

Iterum ascendentes dicimus, Deum nec esse animam, nec habere sensum

vel phantasiam, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam, nec esse intellectum, neque intelligentiam, nec dici, nec intelligi, nec essennmerum, nec ordinem, nec magnitudinem, nec paruitatem, nec æqualitatem, neque similitudinem, vel dissimilitudinem, nec stare, vel moueri, vel quietem agere. Nec habere potentiam, nec esse potentiam, neque lumen, neque vitam, nec essentiam, nec æternitatem aut tempus, nec esse tactum ipsius intelligibilem, neque scientiam Quin etiam nec est veritas ne regnum, neque sapientia, nec vnum, nec vnitas, nec bonitas, nec deitas. Nec spiritus est, quemadmodum ipsi perpendimus, nec paternitas est eiusmodi, nec ratio filij. Neque aliud quicquam eorum, quæ nobis vel aliis rebus vllis sint cognita. Nec est aliquid eorum quæ non sunt, vel eorum quæ sunt. Item nec ea quæ sunt, Deum sicut est ipse, cognoscunt. Nec Deus res pro ipsa rerum conditione cognoscit. Nec ipsius Dei sermo est, neque nomen, neque cognitio, neque tenebræ, neque lumen est, neque error, neque veritas. Nec est ipsius positio prorsus vlla, nec ablatio. Verum nos quæ post Deum sunt ponentes auferentesue, nec ipsum ponimus, nec auferimus. quippe cum omni positione superior sit singularis illa & omnino perfecta omnium causa, & omni rursum ablatione altior excellentia illius qui ab omnibus est simpliciter absolutus, totisque superior.

MARSILII FICINI FLORENTINI in Dionysium Areopagitam de Diuinis nominibus ab eodem è Græca lingua in Latinam translatum.

ARGVMENTVM.

MARSILIVS.

Cvm multi tàm Latini quàm Græci, Dionysij libros longis Commentariis explanauerint, non est consilium nunc ad verbum singula commentari. Sed vbi potissimum Areopagus academiam redolet, paulo sagacius explorare, perque pulcherrimos hortos Dionysij nostri Platonicorum facilè principis, flores, passim delibata Platonicos. Et si Dionysium Platonis tanquam pij Philosophi sectatorem alicubi declaramus, ipsum tamen non solum cæteris Platonicis propter doctrinæ Platonicæ culmen, verùm etiam ipsi Platoni propter nouum veritatis Christianæ lumen, anteponendum esse censemus. Instituimus autem non solum sensum eius summatim (vt diximus) Platonica potissimum ratione perstringere, verùm etiam Græca in Latinum verba rursus interpretari. Vt vtrinque pro viribus ipsa secum forma Platonica consentiret. quam rectè vtrobique referte, facilè potest nullus, difficilius quidem aliquis nisi Platonicus, difficillimè verò, nisi Philosophus. In mystica Theologia Platonico simul & Dionysiaco sensu probauimus ipsum vniuersi principium appellatione magis propria ipsum vnum bonumque nominandum. Idque intellectu, & intelligibili quantùmlibet excelso superius esse monstrauimus. Nullus igitur intellectus per intellectualem actionem, id attingit, sed vnionem quadam intelligentia veriorem, atque meliorem. Eiusmodi autem vnio non tàm intellectu fundamentum habet quam in vnitate quadam. Quæ quidem est animæ intellectualis apex eminentior intellectu. Hanc ipsum vnum tanquam sui characterem impressit animæ. Cui simul, & tanquam bonum, naturalem primi boni infudit amorem, & assiduè suscitat. Anima igitur tunc demum ipso vno bonoque fruitur, quando tùm amore eiusmodi instigante, tùm etiam trahente Deo, multitudinem omnem exuit, ad sensum & rationem & intelligentiam pertinentem. Solutaque iam tota surgit in vnitatem suam per quam cum ipso vnum rerum principio inexistimabilem consequitur vnionem.

Dionysij Areopagita de diuinis nominibus, interprete Marsilio Ficino, liber.

DIONYSIVS.

POst Theologicarum figurationum librum, beate vir, nunc iam ad diuina nomina pro viribus explicanda me conferam. Esto nunc quoque nobis diuinorum eloquiorum lex illa præscripta, per quam eorum quæ de Deo dicuntur veritatē asseueremus, non in persuasoriis humanæ sapientiæ rationibus, sed in demonstratione potestatis eius, quam Sanctus spiritus in Theologis suscitauit. Qua quidem ineffabilibus & incognitis ineffabiliter & incognite copulamur. Per vnionem quandam potentia & actione nostra tùm rationali, tùm etiam intellectuali præstantiorem.

Tantum de diuinis asseuerandum, quantum diuinitus inspirati nobis ostendunt. Item quomodo radius diuinus se ipsum nobis accomodat.

MARSILIVS.

PLato in Timæo de rebus diuinis, credendum, inquit, Dei filiis, etiam si nullas afferant rationes. In legibus quoque Theologiæ inuenta iubet oraculis confirmari. Dionysius similiter nihil de rebus diuinis asseuerandum putat, nisi quantum diuinitus inspirati confirmant. Deum hic appellatione quadam apud Latinos prodigiosa, superessentialitatem nominat. Essentialitatis apud metathyficos est simplicior quam

essentia. Deus igitur non solum simplicissimum est, sed ipsa simplicitas. Si qua huic scient a competit, non essentialis illa quidem est dicenda, sed eminentior quam essentia. Quæ rursus ignoratio dicitur, quippe cum nihil alicui notæ cognitionis habeat, sed est interea ratione, intelligentia, cognitione, essentia melior. Hæc igitur Dei propria sit. Nobis autem quamdiu sumus extra patriam summa cognitio intelligentia est, diuinam naturam nondum attingens, tantum verò de muneribus diuinis viribusque consequens, quantum diuinus ipse radius per serenas sanctorum mentes transmissus ostenderit. In quibus sane tanquam in corporibus diaphanis diuinum percipimus Solem, quem capere in se ipso non possumus. Quamobrem circa diuinorum contemplationẽ certis quibusdam limitibus cohibiti sumus. Primo quidem, quoniam nihil vltra pertingere possumus, quam radius offerat. Secundò, quia radius ipse in nos sub mensura descendit, non quidem ostensurus nobis naturam ipsam diuinam, vel quæcunque Deus conspicit in seipso, vel omnia saltem quæ penes Deum angeli contuentur, sed pauciora, & inferiora quædam, quamuis pretiosissima proculdubio, si cum cæteris conferantur. Tertio, quoniam radius ille vnicuique pro sua duntaxat capacitate demonstrat. Iusta quadam vbique pro meritis distributione seruata. Vbi certe Sol diuinus perinde se habet, ac si Sol cœlestis, lumen suum singulis passim oculis temperaret. Se ergo quasi finitum mentibus finitis offert, infinitatem interea suam occulens in seipso. Denique & vnusquisque debet circa diuinum radium ita moderari se ipsum, vt nec per ignauiam ab illius excellentia decidat in deterius, neque tentet vlterius per superbiam. Ibi quidem sanctitas, hic autem temperantia lucet.

Tantum de diuinis asseuerandum, quantum inspiratio diuina declarat. Item radius diuinus pro cuiusque ingenio se infundit.

DIONYSIVS.

NVlla igitur ratione audendum est aliquid de occulta Deitate, quæ est superior quam essentia, dicere vel cogitare, præter illa quæ sacra eloquia diuinitus nobis aperuerunt. Ipsi namque quod excelsius est essentia, scientiam quoque essentia superiorem, quæ & ignorantia nominatur, sed ratione, & intellectu essẽtiaquæ præstantior est, debemus adscribere. Eatenusque ad excelsa contendere, quatenus præcipuè diuinorum verborum radius se ipsum nobis infundit, dum videlicet ad sublimiores splendores temperantia, & sanctitate diuinorum veneratrice, cohibiti sumus. Si qua enim sapientissimæ verissimæque Theologiæ fides habenda est, pro mentis cuiusque proportione reuelantur, spectanturque diuina. Vbi sane præcipua Dei bonitas per iustitiam omnium seruatricem ab his quæ sub mensuram cadunt, immensitatem ipsam tanquam incomprehensibilem, qua Deum decet prouidentia, segregat.

Deus nec ab essentia, nec ab intellectu, non per illam, non per istum vel comprehendi, vel saltem perspici potest.

MARSILIVS.

INtelligibilia ita superant sensibilia, item simplicia, composita, rursum incorporea similiter corporea sic excedunt, vt superiora illa, nec ab his inferioribus, neque per hæc vel comprehendi, vel etiam reuera spectari possint. Multomagis principium vniuersi tum immensitate naturæ superat essentiam, forma quadam necessariò designatam, tum incomparabili simplicitate, vnitateque penitus absoluta superat mentis formam, vt Plotinus probat, necessariò multiformem. Longius quoque superat cogitationem, non solum multitudine, sed etiam mobilitate dispersam. Maximè verò sermonem. Nec igitur ab his, neque per hæc, neque per aliud finitum quicquam comprehendi perspicuè potest. Est autem Deus vnitas non in re quauis vnita sedem habens, sed vnionis vnitatisque vbique causa. Essentia quoque & intellectus dici potest, tanquam essentiæ omnis intellectusque causa, non tanquam essentialis quædam intellectualisue forma. Denique cum etiam Peripatetici putent essentiam & esse tanquam communissima à cõmunissimo principio rebus tribui, atque causa communissima potentissima causarum, si ab omnibus effectibus expedita, meritoque primum principium Platonici petant ab essentia & esse solutum. Qua verò ratione intellectus quantumcunque sublimis nunquam primum principium esse possit, sicut neque visus sit quandoque lumen, in Theologia nostra planius declaramus.

Deus essentia & intellectu superior, non potest per vllam essentiam vel ab vllo intellectu comprehendi, vel saltem propria virtute cerni.

DIONYSIVS.

SIcut neque sensibilibus intelligibilia comprehendi spectariue possunt, neque fictis figuratisque simplicia & in figura. Neque per corporum figuras formatis informitas ipsa incorporeum refugiens ractum figuraque carens, eadem veritatis ratione, ipsa superessentialis infinitas, omnes essentias antecellit. Ipsa quoque vnitas intellectui superior, omnes supereminet intellectus. Ipsum denique vnum cogitatione præstantius, nullis cogitationibus potest excogitari. Atque bonũ excelsius omni verbo, verbis est ineffabile. Vnitas vnitatis omnis vnifica, superessentialis essentia. Intellectus nequaquã intelligibilis, ineloquibile verbum, verbi & intelligentiæ nominisque vocatio, hæc sane iuxta nullum existentium est. Causa quidem omnibus vt sint, ipsa verè non est, tanquam omni essentia superior. Et tandẽ quemadmodum ipsa de se, propriè scitequè pronũciauerit. De hac igitur secretissima Deitate, quæ & essentiam antecellit, sicur dictum est, nec loqui, nec cogitate quicquam audendum est, prærer illa quæ sacra eloquia nobis diuinè admodum tradiderunt.

Comprehendere

Comprehendere Deum nullus intellectus potest. Scire quid Deus, intellectus beatus solus solo lumine supernaturali potest.

MARSILIVS.

INtellectus lumine naturali potest certis rationibus intelligere. Primò quidē esse Deum, deinde quid non sit ipse Deus; tertiò quid, & quemadmodum efficiat atque regat: quartò, qua conditione res ad Deum omnes sese habeăt. Scire verò quid propriè sit ipsa natura Dei; nec intellectus noster, nec angelicus naturali lumine potest. Est enim natura illa longò interuallo super essentiam & intelligentiam quantumcunque perfectam. Sed solæ beatæ mentes intelligunt, quid sit Deus, sub lumine quodam plusquam naturali, quando Deus ipse sementi coniungit, quasi tanquam formam quem videat & per quem videat. Hinc Plotinus, animus, inquit, perfectè purgatus prius per vnionem diuinam Deus efficitur, quam cognoscat quid sit ipse Deus. Sed comprehendere Deum, naturamque ipsius sub cunctis rationibus apprehendere, nullus intellectus, nullo lumine valet. Nullum ergo vestigium nobis vsquam occurrit, eorum qui Deum hac absoluta ratione comprehenderint. Quoniam nullis comprehendere licet, nec rursus eorum quibus palam ipsa diuina natura patuerit, percipientibus quidem, nec interim complectentibus. Nec enim vel ipsi exprimere, vel alij capere possunt quod illi contemplati fuerint in excelsis, vel etiam contemplentur. Nam & quæ Paulus Apostolus cognouit in raptu, non licuit homini loqui. Et Plato diuina, inquit, dici docerique non posse, sed in animo pio ad Deum accedente, subitò tandem diuinum ex alto lumen accendi. Quod quidem seipsum intus alat. Quasi neget eiusmodi lumen extrinsecus emicare.

Scire quid sit Deus, Dei ipsis proprium est. Nec vllum diuinæ substantiæ vsquam manifestum vestigium reperitur.

DIONYSIVS.

QVemadmodum enim diuinitas in sacris literis benignè admodum de seipsa tradidit, eius quicquid tandem est, scientia contemplatioque omnibus quæcunque sunt, est inaccessa. quippe cum ab omnibus super essentiali quadam excellentia sit segregata. Iam verò Theologos multos inuenias diuinitatem celebrauisse, non solùm tanquam inuisibilem incomprehensibilemque, verumetiam inscrutabilem inuestigabilemque dixisse. Quasi nullum extet vestigium eorum qui ad occultam infinitatem illius accesserint.

Causa prima, & separatissima, atque sicut omnibus impartit bonum, sic multis diuinam intelligentiam atque vnionem.

MARSILIVS.

AD excellentiam causæ duo præcipua pertinere videntur. Primum quidem, vt quo præstantior causa est, eo sit à subditorum conditionibus segregatior. Secundum vero, vt pro excellentiæ suæ gradibus, vires suas, actionesque longius, latiusque diffundat. Quamobrem prima omnium causa, & separatissima est ab omnibus, & interim præsentissima. Inde vnū, hinc bonū, à Platonicis nominatur. Inde quidē, nihil habet simile cum effectibus atque cōmune, hinc rursus agit omnia, agit in omnia, cōseruat assiduè, est in omnibus penitus præsentissima. Cum ad infinitam illius bonitatem pertineat amplissima virtutum munerumque diffusio, nihil relinquit vsquam suæ bonitatis expers. Merito igitur & claritatem illam, quaseipsam cernit, multis impartit, per quam multa Deum contueantur. Sed ipsa cognitio Dei penes Deum super essentiam extat. In sequentibus verò cognitio Dei non transcendit essentiæ limites, radium ergo excelsiorem essentia Deus retinet in seipso, essentialem verò communicat, nempè cum primum ex Deo prosilit, essentialis euadit. Per hunc, vt Plato in republica inquit, & species rerum fiunt intelligibiles, & mentes euadunt intellectiuæ. Atque hę quod cum illis harmonicè copulantur. Ac tandem mentes Deo beatæ formantur. Distribuit verò lumen Deus suum intellectibus pro sua cuiusque proportione. Quemadmodum stellæ singulæ pro natura sua lumen varium à Sole suscipiunt. Tum verò beatæ mentes cum diuina voluntate concordes, mensura dati muneris contentæ viuunt. Præsertim cum ita naturæ suæ fuerit satisfactum. Nec affectant vlterius, neque decidunt in deterius. Quoniam verò luminis est calefacere, ideo sub hoc intelligentiæ lumine statim accenduntur amore, congruente videlicet cum ipso lumine, vt nec citra, nec vltra petat. Ipse verò amor est, qui alarum instar, mentes per sublimia sustinet, ne ad inferiora labentur. Hinc amorem diuinum in hymnis Orpheus alarum canit. Et Plato in Phœdro, sublimes animas, per amorem diuinæ pulchritudinis, pennas, inquit, recuperare, quibus in cœlestem patriam denique reuolent. Denique amor, sicut, & naturæ, principium motus est, atque quietis. Itaque si fortè mentes dum Deum cognoscunt non mediocriter, interim tamē ament aliud, vel medioeriter, statim, relicto Deo, ad aliud mouebūtur.

Deus radium intelligentiæ suæ vnicuique pro capacitate communicat. Intellectusque beati distributo munere contenti viuunt, ac firmiter perfruuntur.

DIONYSIVS.

VErum tamen summum illud bonum nullum alicubi existentium sui expers esse patitur. Sed cum in seipso stabiliter superessentialem fixerit radium, benignè tamen interea pro cuiusque existentem proportione, vnicuique fulget. Atque ad ipsius contemplationem, communionemque & similitudinem, quatenus assequi possint, sacros intellectus extendit. Qui, vt fas est, aciem in ipsum reuerēter intendunt; neque ad superiora quàm ferat indulus ipsis, pro modo suo radius frustra insolenterue contendunt, neque inclinatione quapiam ad deterius vergente, ad inferiora labuntur. Sed firmiter indelinabiliterque ad illucentem sibi radium, aciem intendunt. Et amore decentium illustrationum congruo sacra cum reuerentia temperatè sanctèque per sublimia peruolant.

Facilius tutiusque diuina videmus, si mentis aciem ad eloquia sacra conuertimus, quasi in ipsum Deum audentius dirigamus.

MARSILIVS.

QVod lucet in Deo tanquam Solis mundani Sole, supereſſentię & intelligentiæ limites non tam perſcrutati quam venerari debemus. Mentiſque oculos immenſam hanc lucem minimè ſuſtinentes, hinc ad ſacras literas tanquam ad cælos flectere. In quibus nomina ſunt, cognomentaque diuina tradita diuinitus, velut ſtellæ oculis noſtris accommodatæ, ex quibus ſanè ſtellis nobis emicant propriè Dei vites & appellationes laudeſque diuinæ, tanquam Solis, virtutes in ſtellis.

Ex hoc denique ſeculo pioque ſtudio duo quędam potiſſima reportamus. Primum quidem, quod diuinos radios hinc haurimus noſtro ingenio congruentes. Secundùm, quod diuinum Solem radiorum eiuſmodi ſacrum fontem, vt Deo placet, ritè laudamus. In nominibus appellationibuſq; diuinis diuinitus videlicet traditis, mirabiles latere virtutes, tum ad diuina myſteria declaranda, tum ad mirabilia perpetranda Hebræi omnes exiſtimant, & Zoroaſter Iamblichuſque confirmant.

Radij diuinitatis fulgentes in ſacris eloquiis ad diuinam contemplationem facilè nos perducunt.

DIONYSIVS.

HIs ergo ſubditi diuinis lancibus, quæ vniuerſos ſupercœleſtium ordinum ſanctos gubernant exercitus, ſecretum quidem illud diuinitatis intellectui eſſentiaque excelſius, ſanctis intelligentiæ nihil iam perſcrutantis venerationibus, quæ vero ineffabilia ſunt modeſto quodam ſilentio honorantes, ad illos duntaxat, qui in ſacris literis nobis fulgent ſplendores contendimus. Atque ab eis ad diuinos hymnos illuminamur, inde videlicet, vltra mundanum modum illuminati. Atque ad laudationes ſacras inde formati. Ad hoc ipſum videlicet, vt & diuina lumina nobis inde pro modo noſtro tradita facilè videamus, & beneficium illud principium totius illuminationis ritè laudemus, quemadmodum & ipſum de ſe in ſacris eloquiis tradidit.

Deus uſque adeò potens, & intima cauſa eſt rebus omnibus bonorum omnium, ipſemet rebus ſit ipſa rerum bonorum.

MARSILIVS.

AD rationem cauſæ effectuſque pertinet, vt hic ab illa pendeat, & quo cauſa magis cauſa eſt, eſſe ſtuſetiam mag s in ſe dependeat. Cum igitur cauſa cauſarum ſit maximè cauſa, conſequens eſt, vt & omnia, & omnino inde dependeant. Quamobrem & illa eſt non ſolum efficiens omnium cauſa, ſed finalis. Nec efficiens tantum, ſed conſeruans, mouens, perficiens, iterumque reficiens. Ex quæcunque ſunt in opere, ab illa omnino dependent. In operibus vero mundanis, eſt eſſentia, vita, virtus, inclinatio, motus, actio, perſeuerantia, perfectio. Hæc igitur in rebus omnia prima cauſa facit, ſeruat, perficit, reficit. Proinde cauſa prima ob immenſam poteſtatem adeo tota totum occupat, vt vbique ſit omnibus præſentiſſima. Tantoque ſaltem in omnibus rebus narrata à Deo pendent omnino, tum etiam Deus omnibus omnium ineſt intimus, merito Deus ipſe videtur bona hæc omnia, quæ narrata ſunt, eſſe. Speculare imaginem ſi qua eſt in ſpeculo, hæc adeo dependet à viuo, vt eſſentia eius & virtus & & ſtatus ſit ipſe qui viuit, ſeque ipſum ad ſpeculum ſpeculatur. Multò magis Deus ipſe eſt eſſentia rerum, vita, virtus, actio, perſeueratio, perfectio, reformatio, atque in mentibus puritas, illuminatio, perfectio, diuinitas. Plato in Politico, Protagora, Critia, diuinum quiddam, inquit, vel Dei formæ quondam animis noſtris infuſum, idque paulatim multis temporum curriculis aboleri, ſed cum penitum deletum eſt, Deum renouare ſeculum animoſque iterum diuinitate formare. Id modo Dionyſius attigit. Qui deinde ſubdit, Deum eſſe tum eorum qui ſimplices fiunt, ſimplicitatem, tum eorum qui vniuntur, vnitatem. Siue enim exuendo corporea ad ſimplicitatem, teſolui videntur in Deum, qui eſt ipſa ſimplicitas. Siue poſthabita vitium, actionumque multitudine, ad vnum ſe conferant, rediguntur in Deum, qui eſt ipſa vnitas. Siue intellectus tum inuicem, tum etiam cum intelligendis vniantur, ita prorſus Deo, qui eſt ipſa vnitas, quaſi quodam glutino, copulantur. Seu tandem eum ipſo Deo quaſi vnum efficiantur, vacant hic iam mentes, diuina regnat vnitas, vnitate diuina formatæ mentes agunt. Quod & Plotinus ſępè probat Iamblicuſque confirmat. Et ſi Deus adeo ſit rebus intimus, eſt tamen interea ſegregatus tanquam principium ratione quadam ſuper eſſentia, principium, inquam, ſuper principium, nullam videlicet cum principiis cæteris vel effectibus habens proportionem. Rurſum quamuis ſit adeo ſeparatus, immenſum tamen, quod in ſe bonum, ceu lumen occultè, largiſſimè diffundit in omnia. Hinc Orphicum illud Iupiter quam in ſeipſo lucem occultat, edit quandoque foras, ex almo corde operans admiranda.

Deus omnibus in rebus eſt omnia rerum bona.

DIONYSIVS.

TRadidit autem hæc: Deus eſt cauſa omnium, atque principium, eſſentiaque & vita. Tum verò eorum qui à Deo prolapſi ſunt, reuocatio atque reſurrectio. Eorum autem qui lapſu quodam diuinam in ſe effigiem perdiderunt, renouatio atque reformatio. Rurſus eorum qui prophana quadam agitatione quatiuntur, confirmatio ſacra, permanentium verò tuta ſecuritas. Ad eum quoque proficiſcentium, porrecta manu perductio, illuminatorum fulgor, eorum qui perficiuntur, principatus ipſe perfectionis. Quippe in cum illuminuntur ſumma diuinitas. Eorum quoque qui ſimplices fiunt, ipſa ſimplicitas. Qui in vnum conueniunt, ſimiliter vnitas. Vniuerſi principij ratione quadam ſuper eſſentiam

principium supra principium. Occulti quin etiam quantum fas est benefica distributio. Atque, (vt summatim dixerim) viuentium vita, existentium essentia. Omnis vitæ essentiæque principium atque causa, ob propriam bonitatem, omnia vt essent producentem atque conseruantem.

Quare Deus multis nominibus appelletur, cur Trinitas, causa, sapientia, pulchritudo, benignitas, cæteraque similiter.

MARSILIVS.

Nomina, cognomenta, adiectiua, quæ à sacris litteris varia tribuuntur Deo, nam ad hoc inuenta sunt, vt ipsam Dei naturam significarent, quæ cum vnica sit & simplex, si nominanda foret, vnico foret nomine nominanda, sed ideo instituta sunt, vt multa variaque bona à diuina bonitate largissimè profluentia declararent. Siquid verò præter processum ex Deo, aliquid præterea significant apud Deum, dicunt vtique quid non sit Deus. Vbi igitur Deus ipsum vnum, vel vnitas, vel monas cognominatur, primo quod per ista significatur, non esse Deos plures, sed vnicum, item vnicum Deum non esse compositum, sed simplicissimum. Rursus simplicissimum Deum non esse diuiduum. Atque ita dicitur, quid non sit Deus. Deinde per eiusmodi appellationem significatur rerum vnitas ex diuina vnitate procedens: Singularis enim & simplicitas indiuiduitasq; vbicunque rebus inest, à prima singularitate, simplicitate, indiuiduitate procedit, sed hoc interest quod qui in rem aliquam incidit singularem vnicamque hanc habet solam, qui verò vnicum Deum habet, iam possidet omnia. Præterea res plurimum simplices compositioni seruituti sunt, diuina simplicitas compositionibus dominatur. Denique ad indiuidua in rebus velut ad punctum & vnitatem, deuenimus velut ad minima, diuidendo paulatim, vel quomodolibet minuendo. Ad indiuiduitatem verò diuinam peruenitur velut ad maximum. Vbi cum infinita vnitate, virtus concurrit immensa. Et vt summatim dicam, quod bono sit vnus homo; quod corpus sit vnum aliquid, & vnum aliquid anima, sic ex Deo habent, sicut ex eodem habuerunt, vt & simpliciter essent, & essent homo, corpus & anima. Partes sanè corporis tum humani, tum mundani, interse naturaliter repugnantes, vt in vnam formam concilientur, à prima tandem vnitate sortitæ sunt, per eandem quoque di cordes animæ vires & affectus & motus, dissensione tandem sedata, placantur, totusque animus sub vna intelligentiæ forma viuit. Sed quis non videat vniones omnium à primo principio dependere. Quatenus enim cuncta sunt ab eodem & eo quidem simplicissimo indiuiduoque prorsus, secumque ipso penitus vniformi, eatenus & inuicem conformia sunt confluuntque in idem velut finem, quod & tanquam principium ad se ipsum conuertit, quæcunque produxit, conuertendoque in idem, efficit interim, vt cuncta inter se sint eadem. Proinde, quemadmodum in Theologia nostra probauimus, ad fœcunditatem naturę pertinet generatio, & interior illa quidem priusquam exterior. Et quo excellentior natura est, eo interiorē sibi prolem generat. Prima ergo natura adeo generat intimam, vt vnica sit generantis genitique natura, eademque quoque mutui sit amoris. Veritas quidem generationis productionisq; postulat, vt tres hę personę sint existentes. Vnitas interea infiniti principij facit, vt natura sit vna. Contra in nobis, in quibus vna persona intr bus consistit naturis, anima, corpore, spiritu. Quod Latinè personam dicimus, Dionysius dicit hypostasim. Quod quidem non debemus substantiam interpretari, sed suppositum vel subsistens, vel existens, Aut subsistentiam vel existentiam. Ita verò, conclude. Natura communiter prior est & simplicior quam persona. Si ergo persona plerumque vnitatem suam seruat in multitudine naturarum, multo magis conuenientiusque natura potest singularem vnitatem suam in personarum numero conseruare. Quod autem & ratione possibile & simul conuenientissimum est, ipse in se Deus implet. Diuinam Trinitatem ibidem confirmauimus oraculis Caldæorum. Plato quoque noster scribens ad Hermiam in diuinitate Patrem nominat atque Filium, & mox vtrumque singulari numero celebrat. Refert Iamblicus Ægyptiorum mysteria, in quibus Deum inducunt ex se emicantem, filiique ipsius Patrem Filiumque nominant. Vbi vnam in primo naturam ponunt generantis & geniti. Plotinus vbi de amore diuino. Item vbi de vno & bono, & libertate primi disputat, intimam quandam in diuinis generationem ponit, perquam ex stens aliquid generetur. Deumque asserit ex seipso prodire. Ex hac igitur fœcunditate diuina omnis fœcunditas emanauit, in Angelos, in animas, cœlestia, in inferiora cœlo. Ex illo quidem generante generantia; ex illo autem genito genita prodierunt. Ex producente similiter, & producto; producentia pariter, atque producta Appellatur etiam Deus causa, quoniam omnia essentiam accipiunt à Deo, bonitate videlicet diuina ita volente, sicut; & Plato in Timæo, inquit, non ante necessitatem naturę. Nominantur sapientia & pulchritudo, quoniam harmoniam decoremque rebus inserit, harmoniam, inquam, interiorem, exteriorem verò decorem; per quæ quidem duo & sunt & bene sunt omnia. Post hęc Dionysius æternum Dei filium, inquit, benignitate mirifica humanam sibi naturam assumpsisse, nullo interim modo mutatum. Mysterium hoc Platonicus Amelius Euangelium Iohannis commemorans, veneratur Plato, quin etiam contra Protagoram disputans, non hominem, inquit, esse rerum omnium mensuram, sed Deum, maximè verò si Deus fiat homo. Rationes autem mysterij huius in libro de Christiana religione, tractauimus.

Diuina nomina plurimum significant, beneficos ex Deo progressus: Deus appellatur vnitas, Trinitas, causa, sapientia, pulchritudo, benignitas.

DIONYSIVS.

Nec tanquam initiati ab eloquiis sacris accepimus. Inuenies autem vniuersam (vt ita dixerim) sacram Theologorum laudationem ad beneficos summæ diuinitatis progressus explanandos laudandosque, appellationes diuinas effingere. Itaque in omni fermè Theologica

tractatione, summam diuinitatem sanctè celebratam videmus. Vt Monadam quidem & vnitatem propter simplicitatem vnitatemque impartibilitatis ipsius naturam exuperantis, ex qua tanquam vnifica potestate efficimur vnum diuiduique nostris diuersitatibus supra mundanum modum coglobatis in monadem Deiformem vnionemque Deum imitantem, colligimur. Vt Trinitatem vero propter superessentialis fæcunditatis in suppositis tribus expressionem. Ex qua paternitas omnis in cœlo & in terra existit atque nominatur. Præterea, vt omnium existentium causam, quoniam omnia per bonitatem eius effectricem essentiæ, vt essent acceperunt, tum vero sapientem atque pulchram, quia quæcunque ex eorum numero quæ sunt naturæ suæ propria seruant inuiolata, diuinæ omnis harmoniæ sacrique decoris sunt plena. Præcipuè vero generi nostro propitiam, quoniam in vna personarum suarum naturam nostram vere integreque assumpsit, reuocans ad se sibique applicans humanam humilitatem. Ex qua simplex Iesus ineffabiliter est compositus. Et qui est æternus temporalem sumpsit processionem. Atque, in intima naturæ nostræ peruenit, qui omnem totius naturæ ordinem super essentiæ modum eminenter excedit Propria tamen interea immutabilia prorsus, & inconfusa conseruans. Hæc, inquam, tanquam initiati didicimus, & quæcunque alia deifica lumina, sacris eloquiis hausta secreta diuinorum præceptorum nostrorum traditio explanatione nobis perspicua contulit.

Ipsum bonum que est superius ente, intellectus intelligibili. Item quare figuris vtamur ad diuina declaranda. Item de resurrectione & fruitione Dei.

MARSILIVS.

IAm diu lectores admonendi nobis erant, vocabula hæc, essentia & ens & entia Philosophis condonanda, vt instrumenta sua cuique artifici concedenda. Præterea non posse nos, vbicunque Dionysius vsiam nominat, per substantiam satis interpretari, sed plerumque per essentiam exprimendum, præsertim vbi de seipso vno bonoque, vbi de malo, vbi de materia disputat. Philosophi enim non substantiam quidem quæ vnum prædicamentum est, sed essentiam atque eas quod omnia prædicamenta complectitur, in certamen trahunt cum vno atque bono. Peripatetici sane ens, vnum, bonum æqualia putant. At verò Platonici, inter quos Dionysius noster obtinet principatum, vnum bonumque enti extra controuersiam anteponunt, tanquam amplius, simplicius, prius, sufficientius. Idcoque summum Deum vnum ac bonum essentia superius libenter appellant. Sed die age, quando Dionysius materiam informem vsiã inferiorem, inquit, interpretaberis ne substantia inferiorem. At parum dixeris. Nam quatenus est informis, non solum substantiali, sed etiam accidentali est forma deterior. Præterea vbi malum, ait necesse, nec habere. Vsiam, si substantiam intellexeris ibi negatam, subintelligere poteris malo quantitatem saltem, vel qualitatem posse concedi. Quod dictu nefas. Proinde Dionysius vna cum Platonicis, quæcunque sensibus subiacent entia non vera nominat, substantias verò incorporeas earumque proprietates appellat entia vera, & intelligibilia vocitat. Quo in genere sunt animæ intellectuales, & intellectus Angelici. Super hæc tandem entia vera, introducit Deum excelsius ente, intelligibilique superius. Sane quemadmodum vnusquisque sensus cum sensibili suo proportionem quandam habet, ita sensus vniuersus cum vniuerso sensibili. Item quam proportionem sensus habet ad sensibile, eandem ferme ad intelligibile obtinet intellectus. Rursus qua proportione se habet sensus ad intellectum, eadem sensibile ad intelligibile se habere videtur. Quamobrem cum & intellectus & intelligibile proportionem aliquam subeant, merito super vtrumque Deus est ab omni proportione penitus absolutus. Est & super substantiam quæ sub ente ab accidente diuiditur, & commercium subit cum accidente. Est etiam super essentiam natura sua multiplicabilem in essentias, ipse tamen non ita multiplicandus. Quoniam verò intellectus noster propter nimium sensuum sensibiliumque commercium, in eiusmodi vita quodam modo ad intelligibilia pura fit ineptus, ideo prudentes Theologi sensibilibus quibusdam, & his quidem honestioribus, intelligibilia vestiunt, ita demum intellectui nostro magis accommodata, qui lumen intelligibile ita temperatum, tam facilè cernit, quam oculi lumen quodlibet incorporibus videt quodammodo solidis, alioquin minime discernendum. Deum quoque excelsius ente, & quouis intelligibile mirabiliter eminentius, entibus intelligibilibusque ad Angelos & animas pertinentibus, induere solent, sic intellectui tem perandum, sicut Sol ipse, qui alioquin tolerari non potest, tamẽ sæpius nebula oculis temperatur, ita lumen figuramque Solis tuto cernentibus. His itaque rationibus Plato noster animam intellectumque per lineas, circulos, musicos numeros, currus, alas, similiaque describit, & Deum in Sole figurat. Esaias quoque Dominum videt in solio excelso sedentem. Et Seraphinos fingit alatos. Vt Ezechielem in præsentia cæterosque dimittam. Et, vt summatim dicam, sicut in genere sensibilium puriora tanquam velamina quædam, rebus intelligendis apponunt, scilicet puncta, lineas, figuras, vnitatem, numeros, lumina, per punctum quidem & vnitatem significantes naturam indiuisibilem, per lumen verò intelligentiæ certitudinem, sic quæ summa sunt in ipso intelligibilium ordine, Deo adhibent, vt essentiam, vitam, intelligentiam, veritatem, sapientiam, intelligibile lumen. Verum sicut illa intelligibilibus deteriora sunt, ita hęc inferiora Deo. Resurrectionem corporum humanorum diuina potestate futuram Plato in libro de regno describit. Quam olim Zoroaster asseruit. Itaque legimus in Magorum carminibus, quod omnes vsurpauere Platonici, animam nostram præter terrenum corpus habere cœleste. Qui cum quasi curru quodam reuersura sit in cœlum.

Item, animas Deo deditas, terrenum quoque corpus terræ tandem non relicturas, sed vnà cum cœlesti suo corpore, id quoque corpus cœlo redditurus illuminandum. Quibus in verbis & resurrectio corporum, & beatorum splendor asseritur. Profectò quemadmodum Sol in Vere terræ visceribus condita semina suscitat, & pleraque pulcherrimis floribus ornat, ita splendidissimum Christi corpus, statutis temporibus coniectis vsquequaque radiis, hominum corpora suscitabit, multaque præterea splendoribus exornabit. Hinc illud Pauli, conformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quando igitur ita filij resurrectionis erimus, id est, ea eo, qui primus iam resurrexit in similitudinem renati fuerimus, cœloque donati æterno Christi lumine perfruemur. Per visum quidē visibilis corporis Christi lucet, per intellectum verò iam ab omni contagione corporea liberum, intelligibili lumine ex intellectuali, videlicet Christi anima, in nostram intelligentiam emicante. Sed per vnitatem illam animæ, quam Plato in Phædro mentis caput appellat intellectu præstantius, consequemur vnionem quandam intelligentia meliorem cum vnitate bonitateque diuina, quæ quidem infinito interuallo superat intellectum, sed coniectis in mentem nostram radiis intelligibili forte superioribus, vniet sibi mentem, quæ ita formata Deo per Deum ipsum, Deum protinus percipit formatorem.

Diuina tunc docentur per signa. Item, qualis gloria cœlestis futura sit.

DIONYSIUS.

Nunc quidem in his erudimur pro nostri ingenij facultate. Cui sanè indulgens benignitas sanctarum literarum, sacerdotaliumque traditionum, per sacra velamina intelligibilia quidem sensibilibus, quæ verò essentiam superant, rebus quæ habent essentiam, obtegit, formasque, & figuras his quæ formam, figuque refugiunt, ritè circundat. Excelsam denique infigurabilemque simplicitatem signorum diuiduorum varietatem multiplicat & effingit. At quando incorruptibiles immortalesque facti erimus, sortemque Christo similem beatamque adepti, semper, vt scriptum est, cum Domino erimus. Visibili quidem diuinoque ipsius spectaculo per castissimam speculationem iam impleti, lucidissimis, tunc nos circunfulgente luminibus, quemadmodum discipulos suos in diuinissima illa transfiguratione sua. Intelligibilis autem illuminationis eius, intellectu à perturbatione materiaque superato, particeps, vnionis verò intellectu superioris præfulgentium radiorum incognitis beatisque iactibus, compotes erimus, in diuiniore, videlicet, supercœlestium mentium imitatione, erimus enim, vt diuinorum eloquiorum veritas ait, æquales angelis, filiiq; Dei, quandoquidem resurrectionis filij futuri simus.

Quare circa diuina imaginibus & comparationibus vti deceat, & quomodo Deus essentiam cognitionem antecellat.

MARSILIUS.

In hoc vitæ statu anima quidem corpore vestita est, ratio verò imaginatione, mens deniq; ratione. Tum verò imaginatio, qua vtimur, vtimusque quamplurimum, intelligentiæ notationes, assiduè sensibilium imaginibus induit, quo circa nec iniuria cognitioni nostræ non tam nuda quàm vestita quædam accommodata videntur. Induunt igitur sapientes meritò, sicut diximus, sensibilibus quidem intelligibilia, his verò diuina. Hac Plato prouidentia, iubet hominem sub tenebroso specu nutritum, ad intuendā meridianā lucem nōnsubitò compellēdum, sed monstrandum huic Solem primo quidem ad lucernæ lumen in aqua, deinde in Luna sub nocte serena, demum in ipsa aeris serenitate diurna. Similibus quoque gradibus rude vult ingenium ad contemplandam perduci diuinitatem. Lineæ vndique contingentes centrum, non longitudine quidem sua signum illud tangunt magnitudinis expers, sed suo quæque signo, signum. Quod quidem & si non est longum, neque plura, plurimarum tamen longatumque linearum terminos, id est cunctæ, eodem sui puncto complectitur. Iam verò cùm lineæ cunctæ earumque termini, ab eo profluāt, meritò in se eminenter peranticipat omnes, eadē ratione minores multæ sphæræ quadam ampliore comprehensæ, cētris quæq; suis attingūt sphæræ cōtinētis centrū mirabiliter in se, & circulos omnes, contra cōplectens. His fermè comparationibus Plotinus magnus vtitur, ostensurus qua ratione quam plurimæ simul mentes in vnum ipsum vniuersi principium fingant intuitus. Ipsumque in se comprehendat & intellectus omnes, & summa quæque intellectualium actionum. Idem hic ante Plotinum Dionysius attigisse videtur, probans præterea intellectus vbi Deum attingunt, intellectuales actiones posthabere quasi multiplices, ideo diuinæ oppositas vnitati. Atque per vnitatem potius amoremque attingere. Quod & Plotius sæpè comprobat. Quemadmodum vita ante se essentiam postulat, nisi enim sit non viuit, ita cognitio vitam. Nempè non cognoscit, nisi prius viuat. Omnis ergo cognitio essentia viua fundamentum habet. Et ideo circa essentias atque entia tanquam fines dirigit actionem. Hinc aiunt naturalem quidem Philosophiam circa ens iam quale mobileque versari. Mathematicam verò circa ens iam quantum. Metaphysicam denique ipsum simpliciter ens spectare. Quod tam etsi nondum substantia est vel accidens, nec dum quantum vel quale mobile, potest tamen per hæc omnia quandoque finiri. Ideo nec est simpliciter infinitum. Sed (vt summatim dicam) cùm cognitio quidem & essentiam supereminens, cognitionem etiam antecellit, nec igitur attingi cognitione potest. Essentiam verò bono posteriorem esse testantur essentiæ quælibet in se ipsis minimæ quiescentes, sed annitentes semper ad actionem, ad actionem, videlicet, circa bonum vna quæque suum, qua quidem ratione ipsa simpliciter primaque essentia agere iam conuincitur ad ipsum simpliciter primumque bonum.

Signis congruè vtimur ad diuina, ipse verò Deus essentiam cognitionemque antecedit.

DIONYSIVS.

NVnc autem pro ingenij viribus congruè ad diuina signis vtimur. Rursumque ex his ad simplicem vnitamque intelligibilium spectaculorum veritatem modo quodam proportionis assurgimus. Atque post omnem nostram diuinorum intelligentiam, sistentes intellectuales actiones nostras, ad sublimiorem essentiam radium, quantum fas est, contendimus. In quo quidem termini omnes omnium cognitionum plusquam ineffabiliter præexistunt, quem nec intelligere nec eloqui licet, neque quomodocunque aliter speculari Propterea quod est ab omnibus segregatus, & eminenter ignotus. Iam verò essentialium omnium cognitionum, atque virium super essentiali virtute fines simul omnes anticipauit. At que incomprehensibili potestate super cœlestibus quoque altior extat. Si enim cognitiones omnes tum entium sunt, tum etiam in entia desinunt, qui omni essentia superior est, consequenter est ab omni cognitione semotus.

Deus amplectitur, complectitur, anticipat omnia. Mysterium diuinum nec anima, nec Angeli per intelligentiam assequuntur, sed per vnionem intelligentiam meliorem.

MARSILIVS.

DEus omnia amplectitur, complectitur, anticipat: amplectitur quidem per excellentiam potestatis, velut extrinsecus circumfusus. Complectitur autem, vna quadam penes se natura vnice colligens singula quantum licet interse dioersa. Anticipat denique, quoniam & antequam sint possidet ipse, & gradu longè præstantiore quam fiot. Deum neque scientia, neque tactu percipere possumus. Id autem est, neque con clusione quadam antecedentibus prius ipsis consequente, neque subito quadam intellectus intuitu. Ipsum bonum ob infinitatem suam intellectu finito assequi non valemus, rursus vnitatem eius propter incomparabilem simplicitatem intelligentia semper multiplici non attingimus, tres in super illas, (vt ita dixerim,) existentias in vnitate simplicissima subsistentes, vestigiis nullis inuestigare licet. Præsertim quoniam quilibet trium illic existentium æquè Deus est, atque bonus, totusque Deus, totumque bonum. Angeli quin etiam naturali intelligentiæ lumine, mysteria eiusmodi non attingunt, sed diuinitus infuso super naturali quodam lumine in Angelicam vnitatem sintellectu præstantiorem con unguntur Deo, vnione quadam intelligentiam superante. Per quam vtique vnionem fruentes Deo, hæc mysteria & si non omnino comprehendunt, certissimis tamen rationibus consequuntur. Angelos dico non omnes, sed beatos, hi namque Angelos supernaturali lumine digni sunt habiti. Animæ quoque in patria iam beatæ, & si quæ præterea quasi separatæ viuentes in corpore, extra corpus aliquando diuinitus rapiuntur factæ iam Angelicæ, eodem ad tempus cum Angelis munere potiuntur. Similium duntaxat animorum officium est, diuina nobis nomina rite tradere. Quoniam verò nomina hæc non rite pandunt, nisi con unctæ Deo, coniunctæ verò non sunt, nisi seiunctæ prius non solum à corpore fuerint, verumetiam à propriis intelligentiæ actionibus, rursus ab omnibus tumque sunt, tum etiam quæ intelliguntur esse, idcirco prima eiusmodi nomina, tam ablationem rerum à Deo quam separationem Dei ipsius à rebus significauerunt. Vniones quibus beari vel Angeli vel animi Deo iunguntur, appellat vel ἐπιβολας vel προσβολας. Primum quidem significat, iactus, ictus, aspectus, intuitus. secundum vero perceptiones, acceptiones, susceptiones. Disiunctio hæc originem ducit à diuersis opinionibus circa iustum. Platonici enim putant, visum foras emittere radios, Peripatetici verò, contra, imagines à re videnda suscipere. Beati verò nec iaciunt suos in Deum radios nec Deum ipsum accipiunt, scilicet ab ipso Deo lumen hauriunt, quo statim hausto, non Deus quidem beato coniungitur, sed beatus Deo. Non enim beatus Deum accipit, sed beatum sibi Deus assumit. Formæ quidem materiale, id est, cum materia quantanque quaque diuiduæ, ab ipsa materia suscipiuntur atque sustinentur, indiuiduæ verò formæ, & à materia separabiles, materiam ipsæ suscipiunt, atque regunt. Similiter accipi quidem rerum formas ab anima licet dicere, Deum verò nequaquam, sed animam ab ipso Deo vicissim.

Soli sancti per diuinam inspirationem facti iam Angelici, ita per vnionem cognoscunt Deum, vt rectè possint diuina nomina constituere.

DIONYSIVS.

AC verò si ipsa omnium causa est omni sermone cognitioneque præstatior, atque intellectu vniuersaliter essentiaque superior, quippe cum amplectatur, complectatur, anticipet omnia, ipsaque à nullis vsquam comprehendi possit, rursus, si neque sensus ipsius est vllus, nec imaginatio, nec opinio, nec nomen, nec sermo, nec tactus, nec scientia, quonam pacto diuina nomina pertractabimus? Quippe cum ostenderimus deitatem excelsiorem essentia, consequenter nec vocabulum, nec nomen habere. Cæterum, quemadmodum diximus, vbi diuinas ὑποτυπώσεις, id est, figurationes vel institutiones exponebamus, quid sit ipsum vnum atque bonum essentia superius & ignotum, quid, inquam, sit in ipsa vnitare Trinitas, & in Trinitate quilibet æquè Deus, æquè bonus, nec dici nec intelligi potest. Ipsæ quinetiam sanctarum virtutum conuenientes Angelis vniones, siue eas iactus dicere oportet, siue perceptiones circa bonitatem plusquam ignotam atque præfulgentem, ineffabiles sunt, nobisque incognitæ. Solis Angelis illis insunt qui super cognitionis angelici modum his digni habiti sunt. His vtique vnionibus

intellectus quoque conformes Deo, Angelos imitantes, quantum fas est vniti, cum per totius intellectualis actionis vacationem eiusmodi vnio mentium Deo raptarum ad ipsum lumen excelsum confecta sit, consequenter tamen ipsum, propria admodum ratione per ablationem omnium celebrant. Ad hoc ipsum verè mirabilitérq; illuminati ex beatissima ad idem vnione. Quod videlicet rerum quidem omnium causa est. Ipsum verò nihil est ex omnibus. Vtpote quod ab omnibus entibus sit supra modum essentiæ segregatum.

Deus dupliciter considerari potest, tum à rebus longissimè segregatus, tum omnibus maximè se communicans. Item ipsum bonum est accommodatißimum Deo nomen.

MARSILIVS.

ALibi diximus duo ad primum rerum principium potissima pertinere, primum quidem excellentiam cuncta immenso spatio superementem, secundùm verò, bonitatem per omnia seipsam creando, conseruando, mouendo, perficiendo, largissimè diffundentem. In prima quidem contemplatione, nullo Deo nomen accommodamus rerum prorsus vllarum, siue sint, siue esse possint atque fingi. In secunda verò attribuere quodammodo Deo bonorum ab eo procedentium nomina possumus. Qua ratione omnium in Deo vigor efficax, exemplatque proculdubio viget. Negat Dionysius de Deo, quæcumque formali aliqua ratione pertinent ad proprietates rerum naturalium animarumque & mentium, vel etiam entis illius vniuersi. In quo Platonici essentiam, vitam, intellectum, collocant, item motum, statum, identitatem, diuersitatem tanquam genera rerum, rursus infinitatem, atque terminum, veluti prima omnium elementa. Vtitur quin etiam prima Platonis Epistola, dicente circa regem omnium cuncta sunt, ipsius gratia omnia, ipse causa est bonorum omnium. Primum ex his tribus omnia dicit ex Deo pendere, secundùm declarat illic tanquam à causa finali, Tertium, velut ab efficiente, omnia dependere. Præterea probat ipsum bonum esse accommodatissimum primo rerum principio nomen. Primò, quoniam ad ipsum bonum amplissima diffusio pertinet, eademque pariter pertinet ad principium Deinde quia bonum rationem causæ finalis habet, quandoquidem, tanquam finem, omnia bonum appetunt. Finis est causa causarum, causas enim cæteras monet. Tertiò, quoniam omnia principium suum appetunt, vt vel inde perficiantur. Nihil verò aliud expetunt præter bonum. Bonum igitur omnium est principium, quemadmodum est & finis. Non appetunt omnia intellectum, nec omnia vitam & quæ saltem affectant essentiam, non simpliciter eam optant, sed gratia boni, videlicet vt etiam bene sint & bono quodam essendo fruantur. Quamobrem nec intellectus, nec vita, nec essentia, ita Deo conueniunt, sicut bonum. Memento verò quatenus singula proprium bonum cupiunt, catenus quodammodo ipsum quoque simpliciter bonum desiderare. Ab hoc enim tum ab initio, tũ perpetuo habent singula, vt bona appetendaq; sint. Quæ de bono ex mente Dionysij diximus, à Proclo post Dionysium sunt maximè cõfirmata.

Deum tum ex nullis nominare licet, tum etiam ex omnibus celebrare. Siquidem ipsum bonum suo modo appetunt omnia tanquam inde creata.

DIONYSIVS.

IPsum igitur deitatis excelsæ superessentiale, ipsa scilicet superbonitatis superessentia, quicquid denique sit, neque vt rationem vel potestatem, neque vt intellectum aut vitam, vel essentiam laudare fas est nulli ex his quæ veritatis, omni veritate superioris, sunt amatores, scilicet vt excellentissimè segregatam ab omni habitu, vel motu, vita, imaginatione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentia, essentia, statu, firmatione, vnione, termino, infinitate, & vniuersaliter ab omnibus quæ in ordine entium collocantur. Verum quoniam tanquam subsistentia bonitatis ipso suo esse entium omnium causa est, haud ab re excelsæ deitatis prouidentiam bonorum principium, ex omnibus inde creatis laudare decet. Quandoquidem circa ipsam omnia, atque eius gratia ipsaque est ante omnia, & in ipsa cuncta consistent. Atque eo ipso quod est ipsa, vniuersa perducta sunt, atque subsistunt. Idcirco hanc appetunt omnia, intellectualia quidem rationaliaque scienter, inferiora verò his sensuali conditione, sequentia rursus paruitatem motum, aut per aptitudinem quandam essentialem, & in quodam habitu consistentem.

Qua ratione negari omnia de Deo, ac pariter affirmari possint.

MARSILIVS.

MYsteria Dionysij sententia illa Mercurij ter maximi confirmatur. Deus, inquit, nihil est omniũ. Deus est omnia. Deus nomen nullum habet, Deus habet omne nomen. Ita fermè res omnes ideo sunt pariter atque non sunt, sicut domus in architecto. Formæ membrorum in vegetali seminariaque natura. Igneus in Sole calor. In vnitate numeri: Longitudo lineæ in puncto vnde Pythagorica ratione producitur. Lunæ in centro circuli. Radij omnes in centro Solis. In lumine verò calores. Res sanè nulla præter Deum ea forma qua vel est vel fingitur, est ideo finita in Deo penitus infinito. Res item omnes tanquam à Deo non casu sed ratione in formam suam editæ, in Deo præsunt gradu quidem certo, sed infinitè præstantiore quam in se ipsis. Merito igitur Parmenides Pythagoricus apud Platonem, omnia de ipso vno rerum principio negat pariter & affirmat. Nomina verò affirmatiuè de Deo dicta, non significant ipsam Dei naturam fictam videlicet ab intelligentia naturam illam penitus ignorante. Sed significant actum quendam, quid ad Deum quidam comparatus, productio, ad res autem, processio dici potest. Item verò quando Deus nominatur vita, significat & actum Dei viuificum, & vitam in res quadam actione eiusmodi procedentem. Similiter essentia & intellectus & bonitas & cognomenta cæteraque affirmant.

Qua ratione Deo nullum conuenit nomen. Rursusque conueniunt omnia nomina.

DIONYSIVS.

HOc igitur intelligentes Theologi, diuinitatem partim tanquam nomine carentem, partim ex omni nomine celebrant. Vt carentem quidem nomine, quando supremam diuinitatem, aiunt, in vna quadam secretarum occultumque aliquid significantium visionum apparentem more passe eum, qui interrogauerat. Quod appellationis cognitione deterrentem, dixisse Quid nam meum nomen interrogas? Atqui & hoc est mirabile? An verò nonne est illud re[?]tera mirabile nomen? quod est super omne nomen, quod est innominabile. Quod quidem omne nomen exuperat quodcunque nominatur, vel in hoc sæculo vel in futuro. Vicissim quoque tanquam plurimis nominibus præditum laudant, vbi Deum rursus dicentem inducunt: Ego sum qui sum, vita, lumen, Deus, veritas. Et quando diuina sapientia præditi ipsam omnium causam varia denominatione ex creatis omnibus prædicant, vt bonū, vt pulchrum, vt sapientem, amabilem, Deum deorum, Dominum dominorum, sanctum sanctorum, vt æternum, vt existentem, vt causam sæculorum, vt authorem vitæ, sapientiā, intellectum, rationem, cognitorem, vt thesauros totius cognitionis, omnes anticipantem, vt potentiam potentem, regem regum, antiquum dierum, insenescibilem, immutabilem, salutem, iustitiam, sacrificationem, redemptionem magnitudine omnia excedentem. In aura tenui, iam verò, & in mentibus esse Deum dicunt, & in animis, & in corporibus, & in cœlo & in terra, atque simul in eodem, eundem in mundo, circa mundum, super mundum, super cœlestem, super essentialem, Solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, roris nubem, ipsum lapidem, atque petram omnia quæ sunt, nullum eorum quæ sunt.

Deus non solum omnia in omnibus agit, sed etiam ipse est in omnibus omnia.

MARSILIVS.

PLato in Epistolis, inquit, omnia a Deo regente pendere, tanquam ab efficiente pariter atque fine. Præterea in quatto legum idem co[?] firmat his verbis: Deus, vt Prisci tradunt, principium & finem & media omnia comprehendens, recta via peragit, & secundùm naturam omnia circuit. In Timæo atque Parmenide omnia deducit ab vno. Quamobrem Plotinus & Iamblichus, & Proclus, omnesque extra controuersiam Platonici, quamuis res, virtutes, euentus differentes in causas quasque differentes proximè referant, omnes tamen & effectus & causas in primam redigunt causam causarum. Vnde causæ omnes habent, & vt sint, & causæ sint, & sua quæque naturaliter agant, & certo quodam ordine moueantur. Idcirco mediarum causarum effectus à causis suis proficiscuntur, in omnibus causis agente prima, ideoque & à prima sunt omnes. Tam verò efficaciter agit in causis agentibus effectibus procedentibus, causa prima, cuius virtute actuque omnia faciunt atque fiunt, vt mirificæ dotes omnes in rebus quibuscunque repertæ, non solum à causa prima sint, verumetiam excellenter consideratæ, causa ipsa sint prima. Imò prima causa sit omnes eiusmodi dotes. Quemadmodum anima in oculo quidem est visus, in auribus autem est auditus, in cæterisque membris & cæteri sensus atque vires. Tradunt Astrologi per aspectum quendam Lunæ ad Solem, vires summatim congregatas stellarum omnium hauriri. Quoniam videlicet vires omnium & existant à Sole, & in Sole consistant, per lumen vsquequaque diffusum singulis virtutibus singulas conferente, Itaque non sum quicquid stellæ faciunt, Sol quoque facit, sed etiam virtutes in stellis differentes, ipse Sol existit, in Saturno quidem Solis lumen est ipsa Saturnia firmitas, in Ioue virtus alma, in Marte motus efficax, in Venere gratia, in Mercurio agilitas & industria, in Luna viuidus humor, in cæterisque similiter est & cætera. Quid ergo mirum, si Deus sit nominibus omnibus appellandus. Cum ipse Deus in essentia sit ipsum essentiæ firmamentum, in vita verò sit ipse ad vniuersalem motum vigor intimus, intellectu perspicacia pariter atque claritas. In omnibus denique summitas vniuscuiusque boni. Huc denique tendunt quæ Dionysius de vniuersali Dei actione & regno, & prouidentia disputat. Ita verò vniuersale & absolutum est Dei regnum, vt non solum omnia in omnibus agat, sed ipse quoque excellenter sit in omnibus omnia. Agit quidem regitque cuncta absque inclinatione habitudineque ad subdita. Est quoque omnia, sine mistione ad alia, sine detrimento sui, Habet in super in se omnia, simpliciter ac prorsus indefinite. Simpliciter inquam, atque vnice. Quoniam quæ in rebus firmæ sunt multæ, in Deo firma sunt vna. Sicut lux, calor, siccitas, leuitas, in igne quidem qualitates multæ sunt, sed in cœlo vna sunt qualitas, lumen vnum, diximus insuper indefinite, quoniam vita, sapientia, iustitia, cæteræque virtutes, quæ in anima atque mente inter se formaliter distinctæ sunt, speciebusque propriis definitæ, in Deo sunt vna virtus absoluta prorsus, ipse Deus immensus. Quemadmodum innumerabiles radii inter se discreti è Solis globo prosilinnt in conum passim determinari, sed in ipso Sole sunt lux vnica Solis, nondum discreta conis, sed orbem sibi retinens naturalem.

Deus omnia in omnibus agit. Atque ipse est in omnibus omnia, ideo ex honestis omnium nominibus rite laudatur.

DIONYSIVS.

HAc igitur ratione ipsam omniū causam super omnia existentem, tum priuatio nominum, tum etiam rerum omniū nomina decēt. Vt vniuersorum exacta ratione sit regnū, atque circa ipsam omnia sint. Et ex ipsa tanquam causa, tanquam principio, tanquam fine dependeant. Ipsam, vt scriptum est, omnia sit in omnibus. Sic igitur verè laudatur tanquam omnibus

subsistentiam exhibens, inchoans, perficiens, continens, custodia omnium atque sedes. Et ad seipsam cuncta conuertens. Sed agit hæc omnia, vnitè, absolutè, eminenter. Iam verò neque complexionis aut vitæ, aut perfectionis duntaxat causa est. Vt ab hac sola, vel alia prouidentia, bonitas illa, quæ est super omne nomen propriè nominetur, imo verò simpliciter omnia & incircunscripta in seipsa complectitur. Perfectissimis videlicet ipsius vnius omniumque causæ prouidentiæ beneficiis. Quamobrem ex rebus omnibus congrua ratione laudatur atque nominat.

Quot modis finguntur diuina nomina, & quomodo diuina in visum veniant.

MARSILIVS.

Diuina nomina fingi solent vel per negationes de quibus in mystica Theologia tractatur, vel per affirmationes, atque id quidem duplici ratione. Aut enim secundùm intelligibiles ex Deo processiones formantur, de quibus hic agitur. Aut secundùm sensibilium rerum similitudines adducuntur. Quod sanè de symbolica Theologia liber explicat. Liber verò præsens per processiones intelligibiles nomina fingentes, ex tribus principiis ea ducit. Aut enim vniuersalem Dei prouidentiam beneficentiamque significant, per omnia procedentem, vt vnum, bonum, essentia. Aut prouidentiam quasi particularem, vt vita, veritas, intellectus. Particularem quoque magis vt iustitia, temperantia, fortitudo. Aut fortè non tam ipsam Dei prouidentiam proferunt, quàm res prouidentia gubernatas. Vt quando Deus nominatur, Sol, ignis, homo. Denique quod vetat diuina temere diuulgari, confirmatur authoritate Platonis in Epistolis prohibentis inter diuinorum imperitos efferri diuina. Ait enim nulla rudibus magis ridicula videri quam diuina. Nulla sapientibus admirabiliora quàm diuina putari. Cæterum quod de diuinorum visis, seu visionibus adducit in medium, quonam modo putabimus exponendum? Nunquid diuina, quæ plus quam intelligibilia sunt, condensato quotidie aëre circunfundi, atque ita externis oculis, sub variis seipsa figuris offerre? An potius intelligibile inde lumen intellectui nostro vberius se infundens, ex intellectu proximus in imaginationem nostram exuberare? Ibique variis vestitum figuris ac iam imaginabile factum, in visum quoque ipsum intrinsecus exundare? Atque hic efficacius apparere, veriusque videri, quàm si per inferiora media extrinsecus incidisset. Hac vtique ratione diuinorum plurimum visa fieri Platonici putant. Idemque præsentia Dionysij verba sonare videntur. Vbi eos quibus hæc apparent, & tunc illuminatos dicit, & Prophetas nominat, præceptoresque sacrorum. Ratio quod Platonica fortè dictaret visa per Deum summum, angelosque sublimes effecta, secunda hac fieri ratione. Facta verò per inferiores Angelos sæpius ratione prima. Præsertim quando hominibus non admodum excellentibus offeruntur. Nos autem ita denique sentiemus, vt Theologorum cœtus maximè comprobauerit. Si varia diuersorum numinum visa desideras intelligere. Lege Iamblici librum, quem anno superiore sumus interpretati, de his latissimè disputantem.

Diuina nomina deducuntur non solum à prouidentia Dei, rebusue prouisis, sed etiam à visionibus diuinis. Sed diuina non sunt patefacienda prophanis.

DIONYSIVS.

Neque vero tantum diuina nomina Theologi celebrant, quæ à prouidentiis vniuersalibus, particularibusue, aut ab his quæ prouidentia diuina reguntur, originem ducunt, sed etiam à diuinis quibusdam interdum visis. Quibus præceptores sacrorum, vel Prophetæ in sacris ædibus, aut alibi illuminati sunt, ex aliis & aliis causis, atque viribus, nominare solent bonitatem omni nomine omnique luce prorsus excelsiorem. Iam verò formas illi figurasque humanas, vel ignis, vel electri circumponunt. Ipsiusque oculos, auresque & crines, facies, manus scapulas, alas, brachia, humeros, pedes, laudant, coronas quinetiam, sedes, pocula, pateras, & alia quædam id genus mystica, circa Deum fingunt De quibus in significatiua Theologia pro ingenij facultate dicemus. Nunc autem quæcunque ad præsens opus pertinent, ex libris Theologicis colligentes, atque his quæ dicta sunt, tanquam regula quadam vtentes, ad quam aciem dirigamus ad explicanda intelligibilia Dei nomina iam pergamus. Iam vero quod nobis in vniuersa Theologia lex sacra sancit, intentissima in Deum mente, diuinitus effulgentia (vt proprie dixerim) spectacula speculemur. Atqui & aures expiatas sacrorum Dei nominum explanationibus adhibeamus. Sancta sanctis ex traditione diuina duntaxat insinuantes. Eaque à risu illusioneque prophanorum interim vindicantes. Imo vero illos ipsos si qui omnino sunt tales, ab hoc errore diuinis repugnante pro viribus liberantes. Te quidem ista conseruare oportet, optime Timothee, iuxta sacratissimam sanctionem. Neque inter prophanos eloqui aut efferre diuina. Mihi autem præstet Deus rite vt diuina decet laudare beneficia & multiplicia nomina deitatis appellatione nomineque carentis, nec ori meo verbum auferat veritatis.

Quæ deitatis per essentiam. Quæ per participationem. Quomodo bonitas sit proprium Dei nomen. In Trinitate quæ communia sint, quæ propria.

MARSILIVS.

Hierarchia vsitatissima apud Dionysium appellatio Dei, interpretatu durissima, significat deitatem primam, deitatis diuinitatisque vniuscuiusque principium. Opinantur enim Platonici, Deum primum intellectibus omnibus tam humanis, quàm angelicis impressisse pro-

prium quendam sui characterem, tanquam proximè à se crearis, quam alibi appellauimus vnitatem, atque etiam bonitatem. Quæ quidem vnitas in naturis intellectualibus sociam superat multitudinem, in naturis verò deterioribus sæpius à cognata multitudine superatur. Intellectus igitur ob naturalem excellentemque vnitatem diuini dicuntur. Et quatenus in eam collecti per eam fruuntur, & Deus ipse se alioquin simpliciter proferendus, dicitur & primus Deorum Deus, & diuinitatis deitatisque vniuersæ principium. Ipsa per se bonitas, cùm significet summam, tum sufficientiam, tum etiam amplitudinem, præ cæteris exprimit principij primi naturam. Præsertim, quia proprietas illius est omnia facere. Boni quoque ipsi est efficere omnia, siquidem eiusdem est cuncta perficere. Intellectus autem qua ratione simpliciter intellectus existit, non est sibi ipsi sufficiens. Sed est quasi quidam oculus instructus & adspirans ad intelligibile lumen. Neque hoc ipsum lumen est primus ipse Deus, subbit enim quandam, vt diximus alibi, cum intellectu proportionem. Multominus essentia, atque vita sibimet sufficiunt. Quandoquidem intellectus qui perfectionem non satis sibi, ipse facit. Denique, si verum est, quod plerique Peripatetici putant, ipsum videlicet ens, qua ratione ens esse intellectus, obiectum intellectui adæquatum, nimirum necens, nec effensia esse potest principium vniuersi. Quippè cùm intellectus hic inferior, ens vniuersum vndique circumlustret, & penetret, & distinguat, & componat atque definiat, tanquam rem proportione quadam intellectui coniugatam. Omnia communiter nomina à sapientibus attributa Deo, propterea quod perfectionem simpliciter excellentiamque significent, singulis Trinitatis diuinæ personis æquè conueniunt, vt bonitas ipsa immensa potestas, causa omnium prima, atque similia. Nam & eiusmodi nomina ad celebrandam diuinam naturam instituta sunt, & natura diuina tota in singulis personis est penitus vna. Quæ verò proprietatem personæ significant, personis cæteris non conueniunt; vt Pater, Filius, Spiritus. Item, generare, generari, procedere. Proprium quoque Filij est humanam sibi naturam assumere. Genitor quo potentior est, eo similiorem sibi prolem generat. Potestas igitur infinita infinite consimilem, similitudo vero ad æqualitatem adolescens gradatim in ipsam identitatem postremo resoluitur. Vna est igitur naturæ in Patre & Filio singularitas, tanta duntaxat districtione seruata, quanta est omnino inter genitorem ac genitum necessaria. Id autem est vt hoc quidem sit ab illo, neque viciſsim. Similis quoque distinctio est inter Patrem vnà cum Filio producentem, Spiritumque productum, atque producentem. Quæ quidem distinctio priorem alium ab alio sola forsan designat origine. Quia videlicet hic ab illo, neque contra. Neque propterea prior est alius alio, vel tempore, vel natura, non tempore, quoniam & hic & ille pariter est æternus, non natura, quoniam ita natura singularis est vna, quemadmodum in nobis, natura in Patre Filioque specialis est eadem. Quæ quidem in nobis, ac multo magis in igne vel lumine ad identitatem summam videtur anniti, quam ab æuo possidet in diuinis.

Quæ in Trinitate communia sint, quæ propria.

DIONYSIVS.

Ipsa per se bonitas à sacris celebratur tanquam definiens atque exprimens totam deitatis supremæ substantiam, quicquid tandem existit. Quid enim aliud ex sacra Theologia discere licet? Quando supernum ipsum Deum ait exponendo dixisse? Quid me interrogas de bono? Nullus bonus, nisi solus Deus. Hoc igitur & alibi à nobis discussum est, atque demonstratum. Omnes semper denominationes Deo dignas non diuisim per partes, sed in tota, perfecta, integra, plena, deitate, à sanctis eloquiis celebrari. Ipsasque omnes indiuiduè, absolutè, præpter omnem discriminis obseruantiam, integra videlicet ratione vniuersæ integritati perfectæ, totiusque deitatis attribui. Iam vero quemadmodum in Theologicis Institutionibus admonuimus, nisi quis hoc de tota deitate dictum confiteatur, scindere audet temeritate nefanda vnitatem ipsam super vnitatem. Dicendum igitur, de tota deitate hoc accipi oportere, nempè verbum quoque ipsum natura bonum, ego inquit bonus sum. Atque aliquis ex Prophetis diuinitus occupatis canit, spiritum bonum. Huc tendit & illud: Ego sum qui sum, nisi de tota dictum deitate consentiant, sed per vnam duntaxat partem circumscribere annitantur, quodammodo illud accipient? Hic, ait, qui est, qui erat, qui venturus est, qui est omnipotens. Item illud, Tu autem idem ipse es. Necnon & illud, Spiritus veritatis, qui est, qui à Patre procedit. At qui nisi totam deitatem esse vnitam dicant atque viuificam, quonam modo verum est verbum sacrũ, quod ait: Quẽadmodum Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Et illud, Spiritus est qui viuificat. Iam vero quod tota deitas habeat omnium dominatum perspicuè patet. Nempè de fœcunda Patris deitate, vel deitate Filij. Nõ facile narratu est, vt arbitror, quam multis Theologiæ locis prædicetur Dominus de Filio pariter atque Patre. Spiritus quin etiam Dominus est. Ipsum quoq; pulchrum atq; sapiens in tota deitate laudatur. Lumen præterea, potestasq; deifica similiter atq; causa. Cũcta summatim, quæ totius deitatis supremæ sunt, sacræ literæ in vniuersam deitatẽ referunt celebrandam.

Nomina Trinitati communia, quandoq; summatim comprehenduntur, quandoque discursione quadam enarrantur, ac de vno prædicatur, de omnibus prædicanta censentur.

MARSILIVS.

Paulus scribẽs ad Colossenses, Filium, inquit, Dei esse Patris quidẽ imaginem, mundi verò

exemplar, in quo sint omnia genita. Item per ipsum tanquam efficientem causam omnia facta fuisse. Rursus in ipsum vel ad ipsum referri omnia, vt ad finem, denique in eo cuncta consistere, velut in causa conseruante. Dum verò de filio loquens, ipsum esse omnium causam, inquit, exemplarem, efficientem, finalem, conseruantem, quatuor hæc munera nō solum Filij, sed etiam Patris sanctique Spiritus esse censet. Dauid quoque vbi ait, spiritum creare omnia, intelligi vult Patrem quoque, & Filium vna cum Spiritu procreare. Quam sanè communionem declarat Euangelium, vbi Filius inquit Patri, tua omnia mea sunt, argue vicissim. Denique spiritui quoque dantur quæcunque Patri Filioque traduntur. Sed aliquando munera hæc eiusmodi discursione, & quasi distinctione quadam gradatim diuinis personis attribuuntur (vt diximus) interdum verò summatim, vt quādo dicitur, omnia sunt ex Deo.

Diuinis personis communia aliquando summatim cōprehenduntur, aliquādo attinguntur articulatim.

DIONYSIVS.

Quæ personis diuinis communia sunt litteræ sacræ aliquando summatim comprehendunt, velut quando dicitur, omnia sunt ex Deo. Aliquando discursione, & quasi distinctione quadam, vt quando dixerit quispiam, Omnia per ipsum, atque in ipsum creata sunt, & in eo cuncta consistunt Rursus illud, emittes spiritum tuum & creabuntur. Atque vt summatim dicatur, verbum ipsum supreme diuinum inquit, ego & pater vnum sumus. Et omnia quæ habet Pater, mea sunt. Et quando sic Patrem alloquitur. Mea omnia tua sunt. Atque tua sunt, & mea præterea quæcunque Patris sunt, atque filij, Spiritui quoque supremè diuino communicabiliter vniteque attribuuntur. Deificas operationes venerationem fontium indeficientemq; causam. Optimorum muuerum distributionem. Iam verò neminem arbitror ex his qui in diuinis eloquiis recta immutabilique intelligentia sunt educati huic sententiæ contradicturum. Quod videlicet quæcunque Deo digna censentur, toti diuinitati insunt, ratione diuinitatis absolutissima. Cum igitur hæc in præsentia quidem breuiter atque ex parte, alibi verò sufficienter sacrorum eloquiorum testimonio ostenderimus, atque distinxerimus, deinceps quamcunque diuinam denominationem integram explicare tentemus, hanc ad totam diuinitatem pertinere putandum.

Eloquia diuinitus inspirata sunt totius Theologiæ principia In qua mysteria multa humanam superant rationem. Illis ergo principiis acquiescendum. Si quis illa negauerit non est cum illo de Theol. loquendum.

DIONYSIVS.

Si quis autem obiecerit, confusionem nos hac ratione contra distinctionem diuinitati conuenientem introducere, nos hunc arbitramur se vera dicere, nunquam persuasurum, si enim is est, qui omnino sacris litteris resistat, à Philosophia quoque nostra procul admodum aberit. Atqui nisi curæ illi sit diuina sanctorum eloquiorum sapientia, quonam pacto nobis curæ erit ad Theologicam scientiam hunc adducere? Sin autem sacrorum eloquiorum veritatem quasi signum spectat, hac & nos regula luceque freti, ad rationem nostram pro viribus contra obiecta reddendam indeclinabili sententia iam pergemus. Principio dicentes Theologiam alia quidem vnite, alia verò discrete nobis tradere, quare neque vnita diuidere fas est, neque discreta confundere. Sed ipsam sequendo quantum vires suppetunt ad diuinos splendores conferre nos expedit. Iam verò nos illinc diuinas explicationes suscipientes, tanquam regulam quandam veritatis pulcherrimam, quæ ibi posita sunt, in nobis ipsis conseruare studemus, nec addentes quicquam, nec minuentes, nec etiam permutantes, in seruandis diuinis eloquiis, nos interim conseruati, atque ab ipsis ad conseruādos eorum obseruatores corroborati.

Quæ sint in diuinitate communia, quæ propria.

MARSILIVS.

Alia in diuinitate communia sunt, alia propria. Duo verò sunt communium genera; Aut enim excellentes quædam negationes sunt, vt super bonum, super essentiam, atque similia. Aut progressus ex Deo benefici, vt bonum & essentia, cæteraque similia. Duo quoque sunt genera propriorum. Aut enim personæ ipsæ diuinæ sunt, personarumque proprietates, aut humanitatis assumptio à verbo diuino tantum facta. Est quod est Patris proprium, id est, generare non sit commune Filio, cui est proprium generari, non tamen propterea Filius gradum tenet inferiorem. Quia nec tempore, nec natura posterior est quam Pater, nec minus diuinitatis habet. Tota enim est vtrobique eademque diuinitas, hoc tantum differens quod hic existit inde, neque vicissim.

Quæ sint in diuinitate communia, quæ propria.

DIONYSIVS.

Communia quidem toti diuinitati sūt, quemadmodum in Theologicis institutionibus latius ex sacris litteris demonstrauimus, ipsum quod dicitur, super bonum, super deitatem, super essentiam, super vitam, super sapientiam, Et quæcunque in excellente quadam negotiatione consistunt. Quorum in ordine sunt etiam quæ ad expressionem causæ pertinent, scilicet bonum, pulchrum ens, viuificum, sapiens, & quæcunque nomine ex beneficiis ipsius donis, bonorum omnium causæ tribuuntur. Discreta verò in diuinitate sunt super essentiale patris nomen, resque ipsa proprie Patri, item Filij, Spiritusque sancti. Quippè cum nulla in his conuersio, aut omnino cōmunitas indicatur. Discreta præterea est perfecta immutabilisq; Iesu substantia cum

nostra natura cõmunicans, & quæcũq; substātialia mysteria sũt ad ipsā Iesu substātiā, humanitatēque benignissimam pertinētia.

De vnitate & discretione diuina.

MARSILIVS.

VNitatem appellamus in Deo ipsam diuinæ infinitatis singularitatem, nulli foris communicabilem. Discretionem verò dicimus processionem rerum ex Deo manantium. Nisi enim processio fiat, nec Deus habebit à quo distinguatur, nec vlla rerum erit inter se distinctio. Res ipsę procedentes conseruant interim mutuam vnionem. Nam in vno quodam conueniunt cum sint ab vno. Item penes diuinam vnivnitatem, (qualem modo diximus) personarum consideramus distinctionē, rursus in hac distinctione communionem. Tum quia dotes omnes per excellentiam Deo tributę, sic in vna quauis persona sunt, sicut in alia, tum quia persona quęlibet est in aliis cuncta simul atque distincta, quemadmodum lumina luminibus insunt.

De vnitate & discretione diuina.

DIONYSIVS.

OPeræpretium vero est (vt arbitror) vt planius resumentes, perfectum diuinæ vnionis distinctionisque modum exponamus. Quo sermo nobis omnis fit conspicuus, varietatem quidem omnem obscuritatemque deuitans. Distinctè verò & manifestè, & ordinatè pro viribus propria digerens. Theologicæ traditionis nostræ præceptores appellant, vt alibi dixi, vnitates quidem diuinas excellentes quasdam ipsius plusquam ineffabilis & supra modum incognitę singularitatis, stabilitatis verò firmitater, secretas penitus, nusquam verò prodeuntes. Discretiones autem vocant beneficas supremæ diuinitatis progressiones, atque expressiones. Iam verò eloquiorum sacrorum obseruatores tradunt vnionis modo dicta propria quædam, rursumque discretionis proprias quasdam vniones, atque discretiones. Velut in vnione diuina, siue natura illa essentiam superante commune quidem est vnicæ, principalique Trinitati existentia essentiam superans, deitas diuinitate superior, bonitas bonitate præstantior. Item identitas ipsa totius proprietatis omnia separantis, omnia superans. Vnitas quoq; principio eminentior. Præterea ineffabile, vicissimque multis vocibus prædicabile. Ignoratio quinetiam, ac vicissim per omnia intelligibile. Omnium positio, omniumque negatio. Excellentia quoque omnem positionem ablationemq; excedens. Personarum præterea ratione principij dominantium, si dicere ita licet, mansio in se inuicem atque sedes, integrè supra modum lumina lampadum, vt sensibilius propriisq; vtamur exemplis, in domo vna cũ sint, & tota in totis mutuo sunt, & si certa interim exactaq; à se inuicē discretio ne propria secernuntur, discretione quidē cõiuncta, & vicissim vnione interse discreta.

De vnione & discretione luminum atq; diuinorum.

MARSILIVS.

SI in aula lucernis tribus illustri deambules, tres vmbræ resultant. Præterea si ingentem tabulam lucernis illis opponas, cuius in medio sit foramen, lucernæ tres per foramen illud tria lumina è transuerso traiiciunt in oppositum. Vnde coniicimus emicantia lumina in aëre inuicem non confundi, sed quanuis sint coniuncta loco, pura tamen sunt, suamque proprietatem seruant inter se discretam. Spiritalis enim eorum natura facit, vt non cõmiscantur inuicem in nouam communemque formam, sicut solent corporeæ qualitates. Quanquam Astrologi putant è multis radiis vim nouam aliquam procreari, radiis tamen interim non communis. Quamobrem vnumquodque lumen discerni potest ab alio, nec alieni quicquam secum ferens, nec relinquens sui, atque vt Plotinus ait, principium suum passim, & assiduè comitans. Profecto pluribus lucernis adductis splendor inde fit ingentior, vna quaq; subducta fit minor, vnaquæq; enim lumen suũ & affert veniens, & aufert inde discedens. Si lumina ob incorporeā proprietatē in corpore tamen existētia, munus id cõsequuntur, vt & vnita inuicē, & simul discreta inter se mirabiliter esse possunt, multo magis id habent quæ magis sunt à corporibus separata, vt ipsius animæ virtutes atque scientiæ, magis etiam ipsę inter se substantiæ animarum, magis insuper inuicem intellectus Angelici, maximè omnium Trinitatis diuinæ personæ. Cuius quidem tam vnitatis, quam discretionis participatione quadam singula deinceps pro modo suo gradatim vnionem discretionemque reportant.

De vnione discretioneque luminum.

DIONYSIVS.

QVando in eadem aula lampades accensæ sunt plures, videmus omnium lumina ad vnum aliquod cõiuncta lumen, vnumq; splendorem indiuiduum præferentia. Neq; posset, vt arbitror, aliquis lampadis huius lumen ab aliis ex aere cuncta lumina continente secernere, & alterum absq; altero cernere. Quippe cùm tota in totis sine mixtione sint inserta. Iam vero siquis lampadem vnum è medio tollat, lumen quoq; proprium eius totũ abeuntem lampadem comitabatur, nec quicquam aliorũ luminum secum trahens, neq; ex suo cæteris linquens. Erat enim, vt diximus, illic totorũ ad tota exacta quidē vnio, nec vllo modo commista, nec vlla ex parte confusa. Id quidem, ita se habet. Quamuis lumen sit in corpore aëris, atque ex ignē materiali dependeat. Vnionem igitur illam essentia superiorē, transcendere dicimus, non vniones tamē quæ fiunt in corpore, sed eas etiā quæ in animis cõficiuntur. Imo & illas quę efficiuntur in entibus. Quas quidē tota illa diuina, & supercœlestia lumina per tota, ratione plusquam mũdana, sincerè admodum possident. participatione quadam vnitatis illius omnibus eminētibus, & vnicuiq; pro cuiusque modo seipsam impertientis.

Discretio diuinarum personarum duplex.

MARSILIVS.

GEminam in Trinitate consideramus discretionem, tùm quia existentia Patris alia est atque Filij, & existenria Filij Patrisque alia est atque Spiritus. Tùm etiam quoniam actus Patri proprius, quod est generare, non conuenit Filio, neque actus Filio proprius, id est, nasci, Patri competit. Similiterque procedere ad Spiritum solum pertinet. Ideo nec Pater est Filius, nec Filius est Pater, neque Spiritus, simili ratione.

DIONYSIVS.

EST autem discretio apud supremam Theologiam, non solum quomodo dicebam, quia videlicet iuxta ipsam vnitatem diuina quælibet subsistentia puram & impermistam, suam sibi seruat proprietatem, sed etiam quoniam diuina illic generatio inuicem non conuertitur. Nempe superessentialis deitatis fons solus est Pater. Neque Pater est Filius, neque Filius est Pater, sacri igitur hymni sua vnicuique diuinarum personarum piè planeque conseruant. Hæ quidem secundum ineffabilem vnitatem atque existentiam vniones & discretiones existunt.

De discretione, & vnione diuina in creaturarum possessione.

MARSILIVS.

A Processione rerum ex Deo consideratur discretio simul & vnio. Discretio quidem, quia Deus videtur seipsum, id est, similitudinem suá, in plures imagines deriuare, sicut & Sol lucem suam in radios quamplurimos, & vultus vnus circa speculum effigiem suam in multas imagines. Vnionem quoque interim cogitamus, tùm quia nec vnitas ipsa diuina vel multiplicatur intus, vel diuiditur foris, vel admiscetur, tum etiam quia bonorum progressio cunctorum, æquè fit à Filio atque Spiritu sicut à Patre. Profluunt autem ex Deo bona quàm plurima, præcipua verò tria, scilicet essentia, vita, intelligentia. Quemadmodum à Sole lumen, calor, ordo formarum. Præterea sicut à puncto circuli medio lineæ circum quam plurimæ producuntur, ipso interim in longitudinem non producto ab aliisque distincto. Lineæ verò inde & suum quòdque punctum possident, & indiuiduitatē in latum profundumque suam. Rursum sicut multæ impressiones ex vno eodemque sigillo, non multiplicato, non diuiso, non omnino coniuncto. Ita fermè rerum processio fit ex Deo, diuina tamen simplicitas absque proportione segregatior est à rebus inde fluentibus quàm cẽtrū atque sigillum, diuina quoque potestas est rebus præsentior quā alterutrū.

DIONYSIVS.

SI autem diuina quoque discretio est beneficus vnitatis diuinæ progressus, se ipsam plusquam vnitæ bonitate sua propagantis atque multiplicantis, vnitæ quidem sunt in discretione diuina traditionis ipsæ donorum à rebus penitus absolutæ, siue essentia, siue vita, seu sapiētia inde procedat, cæteraque causæ omniū bonitatis munera. Iuxta quæ ex participationibus celebrantur quæ participātur, interim nequaquam participata. Id sanè commune vnitumque est & vnum toti penitus deitati. Ipsam videlicet omnē totamque ab vno quoq; participante sumi, atq; à nullo interim vlla ex parte percipi. Quemadmodum circuli centrū ab omnibus circunfusis rectis in circulo lineis. Atq; veluti sigilli figuramenta plurima, principalis figuræ participia sunt, vbi & in singulis figurationibus idem totumq; sigillum est, & in nullo vlla ex parte rursus existit. Supereminet autē hæc in communicabile illud deitatis omnium authoris. Propterea que neque tactus illius est vllus, nec alia quæ vis ad participantia permixta communio.

Differentes sub eadem idea resultantur imagines; ob differentiam subiectorum.

MARSILIVS.

SIgillum manu potenti ductum, imaginem suam eandem, vniuersam, exactam, quantum in se est, subiecto cuique tribuit. Multæ verò fiūt sigilli eiusdem imagines, quia multæ materiæ sunt, perfectiones quoque gradibus differentes euadunt, quoniam materiæ admouentur gradibus diuersis affectæ. Similiter ferme se habeat diuini exemplaris ideæ quælibet ad subiectas sibi materias, vel naturas. Materia verò vel naturæ nō solum per medias causas ad diuinū exemplar variæ disponuntur, sed & ipsa prouidentia Dei ad præscriptum finem medias vbique causas agitāte, quę & ita naturas ab initio varias procreauit.

DIONYSIVS.

OBiiciet forte quispiam, sigillum nec idem, nec totum in totis formationibus esse. Sed sigillum non est in causa, illud namque se totum idemque imprimit vnicuique. Differentia verò participantiū dissimiles vnius totiusq; & eiusdē exēplaris primi reddit effigies. Si enim subiecta sint mollia formatuq; facilia, & lenia, figurisq; vacua, neque resistentia, duraque neque fluxa, rursus neque inconstantia, figuram certè purā & expressam permansuramque reportabunt. Siquid verò ex his, (quæ diximus,) præparamentis defuerit, defectus eiusmodi erit in causa, vt & figura minimè congruat exemplari, & obscura cōtingat. Atque vt cætera quoque accidant, quotcunque participationis ineptitudine fiunt.

De discretione rursus, & vnione diuina circa Christum.

MARSILIVS.

DVas in præsentia circa Deum discretiones consideramus, Primam, quod nec Pater, nec Spiritus, sed Filius naturam assumpsit humanam. Naturá dico nō personá, sed in ipsa diuinæ vnione personæ secundum quod actiones passionesq; Christi prorsus humanę, vt concipi, nasci, esurire, comedere, dormire, dolere, quodammodo quidem attribui Filio, possunt, videlicet humaná induto naturam. Patri verò Spirituiq; nullo modo possunt. Sed geminam vicissim vnionem excogitamus. Primá, quod Pater, Filius, Spiritus voluntate eadem penitus consenserunt, filium videlicet hominem effici. Secundam, quod diuinæ omnes in Christo operationes æquè sint Trinitati communes. Notabis interea æternum Dei ver-

bum assumpsisse corpus humanum, non ex cœlo, vt opinatus est Cœlestinus atque Valerianus sed ex nobis. Item totam naturam nostram non subtracta anima vel intellectu, quod Arrius Apollinarisque suspicantur, denique naturam veram non imaginariam, qualem Manichæi somniauerunt. Tres enim hos errores ipsa Dionysij verba proculdubio confutant.

DIONYSIVS.

IPsa quidem operatione diuina ergà nos benefica, munus hoc discretum est, quod videlicet supersubstantiale Dei verbum secundum nos & ex nobis integram atque veram adsumpsit naturam. Item, quod gessit & pertulit, quodcunque diuinitatis ipsius factæ iam humanæ, propria sit atque præcipua. In his enim Pater & Spiritus nullam habuere communionem. Nisi forte quis dixerit, in benefica clementique voluntate circa Assumptionem eiusmodi consensisse. Rursumque conuenisse simul in omni operatione diuina ineffabili penitus, & excelsa, humanam naturam exsuperante, quam gessit Dei verbum, secundum quidem nos factum homo, sed diuinitate penitus immutabile. Hac igitur & nos ratione vnire, & discernere diuina disserendo studemus, quemadmodum ipsa diuina coniuncta sunt atque discreta.

Duabus viis ad Deum accedimus, ratione, veneratione.

MARSILIVS.

AD diuina duabus præcipuè viis accedimus. Aut enim ratione, aut veneratione mouemur, ratione quod ad cognoscendum esse Deum ex ordine mundi, esse potentissimum, ex motu totiùs rerumque effectu, esse optimum ex vsu rerum, & commoditate mirabili. Eadem quoque via principium vniuersi ex participationibus suis cognominamus, Deum, quia deos efficiat vel diuinos, essentiam, vitam, sapientiam, bonitatem, quia esse rebus tribuat, vitamque, & sapientiam, siue ordinem, & benefica dona. Huc vsque humana ratio lumine naturali procedit. Ad ipsam verò naturam Dei in se ipsa manentem, & mysteria Trinitatis, atque similia, veneratione potius præparamur. Veneratio ad Deum geminis peruolatur alis, fide videlicet & amore, quibus denique Deo coniungimur vnione quadam intelligentiam superante. Qui tandem ita Deo fruitur, agnoscit protinus non esse Deum, vel penes Deum simile vel tale aliquid, quale prius excogitauerit, quando principium rerum ex participantibus participationibus, donis cognominabat. Huic Platonicum illud in epistola ad Dionysium simile. Animus noster affectat qualia diuina sint intelligere, aspiciens in ea quæ sibi cognata sunt, quorum, nihil sufficienter se habet. Nam in ipso rege omnium, & penes ipsum nihil est eiusmodi, quod autem post ipsum est, animus dicit. Hæc Plato. Cognata quidem animo sunt substantia incorporea, viua, viuifica, sensualis, rationalis, intellectualis, intelligibilis, sapiens. Nam ipsa anima vel hæc ipsa est, vel horum particeps, atque compos. Quatenus verò in se ipsam suáque respicit, per hæc Deum iudicat, atque nomina, eatenus quoque fallitur, Transiturus verò animus quandoque est, hæc omnia, tùm demum non amplius menciturus.

DIONYSIVS.

SEd harum vnionum, atque discretionum rationes Deo dignas quascunque in diuinis eloquiis inuenimus, in Theologicis institutionibus propria seorsum de singulis distinguentes, pro viribus exposuimus, alia quidē vera ratione euoluentes & explicantes, atque ita sacrum tranquillumque intellectum ad perspicua sacrorum eloquiorum spectacula perducentes. Aliis autem tanquam mysticis ex traditione diuina super intellectualem actionem intendentes. Diuina enim omnia etiam quæ nobis patuerunt solis participationibus cognoscuntur, hoc ipsum verò qualia in se ipsis existant secundum proprium principium atque sedem, super intelligentiam extat, omnemque essentiā & notitiam supereminent, veluti si super essentiale illud atque secretum appellamus Deum, aut vitam, aut essentiam. Velut lumen, rationem atque verbum, nihil intelligimus aliud quam aliquas in nos ex eo profluentes participationes atque virtutes, quæ videlicet diuinos aliquid faciāt, vel essentiam aut vitam, aut sapientiam largiantur. Ipsi verò secretæ naturæ per quandam omnium intellectualium actionum vacationem penitus absolutam appropinquamus, nullam iam aspicientes deificentiā, aut vitam, aut essentiam, quæ omnino similis sit ipsi omniū causæ, cuncta prorsus per omnem excellētiam superanti.

De Trinitate & donis Trinitatis in naturis intellectualibus.

MARSILIVS.

EX fœcunda Solis natura nascitur ipsa lux intima Solis, æqualis generanti naturæ, & à centro ad superficiem Sol s vsque producta. A superficie rursus eadem æqualitate reflectit vndique se ad centrum splendor ipse calefactorius, ex natura luceque profectus. Eodem ferme modo in diuinis ex parte Filius Spiritusque existunt. Tametsi modus ille intelligentiam nostram superat supra modum. Verum qualiscunque modus ille sit, intelligentia saltem hucusque progreditur, vt excogitet, quemadmodum à Sole omnia diaphana, id est, luci peruia, euadunt momento lucentia penitus ideoque solaria, sic ex Deo intellectuales substantias puritate diaphanas, suscepto protinus fulgore diuino, diuinas & quasi Deos euadere. Atque fulgoris huius fœcunditate intellectus vbique superiores lumen in sequentes effundere. Cuius infusione illi quidem hos quasi regenerent, hi verò illinc quodammodo renascantur, ferme quemadmodum Luna ex Sole illuminante renascitur. Hac igitur ratione diuini Patris Filiique munera per generationem, & natiuitatem insequentes perueniunt intellectus. Peruenit quoque munus Sancti Spiritus dum ille suum cunctis inspirat amorem. Vnde per amatorium affectum, intellectus tum superiores generant, tum inferiores inde nas-

cuntur, quatenus hi semper ab illis conuertuntur, purgantur, illuminantur, perficiuntur. Denique sicut materia corporalis per potentiam formabilem ad actum formæ paratur, vnde, ita substantiæ spiritales per amatorium affectum, qui sanctum Spiritum repræsentat, superioribus intellectibus exponuntur, atque expositi renascuntur. Ratio tamen ipsa generationis, natiuitatis, spirationis, diuinitati propria, sequentia hæc quamuis quoquomodo similia, infinito prorsus superat interuallo.

DIONYSIVS.

Accepimus insuper à sanctis eloquiis, Patrem quidem esse fontanam, (vt ita dixerim,) deitatem. Filium verò spiritumque fœcundæ deitatis, si modo ita licet loqui, germina diuinitus pullulantia, & quasi flores, & supersubstantialia lumina. Sed qua ratione hæc sint, nec loqui nec intelligere possumus. Hactenus verò nostra omnis intellectualis actio se extendit, vt videlicet excogitet, omnem Patris ipsius ac Filij tationem, ab ipsa tatione Patris, Filiique prima omnibus eminente, & nobis & virtutibus super cœlestibus esse tributam. Ex qua quidem intellectus, diuinam imaginem præferentes, & dij, & deorum filij, & deorum patres fiunt atque nominantur. Dum videlicet id Patris, Filiique munus spiritaliter vbique peragitur, id est incorporea, immateriali, intelligibili tatione. Ipso interim diuino spiritu, quicquid intelligibile, immateriale, diuinum fingitur, excellentissime superante, similiterque Patre atque Filio, ab omni diuino Patris Filiique officio, eminenter exceptis.

Causa superat effectum, nec est in effectu, ad superiorem causam perfecta similitudo.

MARSILIVS.

Causa tanto saltem excedit effectum, quanto mouere, & agere superat moueri, atque pati. Hac vtique ratione causa quælibet quomodocunque efficiens, præstantior est effectu, præsertim quoniam causa quidem effectum profert, hic autem neque seipsum, neque illam proferre potest. Potissimum verò causæ illæ operibus suis præstantiores sunt, quæ non eadem specie comprehenduntur, sicut ignis generans cum igne genito, sed ad genus quoddam superius attinent, quemadmodum Sol atque Mars ad ignem se habere videntur. Iam verò eiusmodi causa simpliciter gignit effectum, ceu Sol cum Marte simpliciter generat ignem. Hic autem ignis quando alium generat ignem, non generat ipsum simpliciter ignem, alioquin & ipsum, & præcedentem ignem progeneraret. Sed hunc ignem hic, atque nunc, & in tali materia gignit, imò producit, & quasi propagat iam existentem. Quando igitur efficientes causas operibus anteponimus, negamusque opera perfectam ad causas similitudinem obtinere, de causis specie differentibus ab effectu verba facimus. Quamobrem neque Sol necessariò similiter calet, propterea quod ignem genetet ita calidum, Neque rursus calor ipse similiter calet, quamuis causa sit formalis qua calet ignis, Neque iterum calefit ignis, licet causa sit efficiens, qua calefacit lignum. Neque viuificatur vita, quando corpus ipsa viuificat. Neque etiam viuit ea videlicet participatione vitæ qua per ipsam viuit corpus. Verùm si vita dicatur viuere, hoc ipsum in ea viuere est ipsam vitam actu suo prorsus existere, vel naturalem sibi actum in se ipsa secum penitus edere.

DIONYSIVS.

Neque enim est effectibus ad causas similitudo perfecta. Sed habent quidem effectus, quas præferre possunt, imagines causarum, ipsæ verò causæ segregatæ ab effectibus in se superius extant, ipsa videlicet sua ratione principij Atque, vt exemplis nostris vtamur, voluptates, & dolores efficere quidem dicuntur, vt oblectemur, atque doleamus, ipsa verò non lætantur, non mœrent. Atqui & in his cum calefaciat vtraque, non vti tamen neque calefieri dici solet. Tum verò si quis dixerit ipsam vitam viuere, vel lumen ipsum illuminati, meo quidē iudicio, non rectè loquetur, nisi fortè alia quadam conditione hæc acceperit. Quoniā videlicet quæ pertinent ad affectus ratione quadam essētiali, atque exuberante in causis præexistunt.

De conceptione Christi, & assumptione humanitatis, atque miraculis.

MARSILIVS.

Tria circa Christum omnem intelligentiam superant, vel angelicam. Conceptio, assumptio, prodigium. In conceptione quidem impossibile intellectu est, quomodo Spiritus sanctus virgineum fouens vterum, vel quasi tactu quodam, ceu gallina, vel quasi aspectu, ceu struthius, ouium sanguinem non qualemcunque, sed ex toto purissimum vndique traxerit in matricem, qui fomento spiritus statim coaluerit in infantem, non paulatim, sed momento perfectum, id est, penitus figuratum. Quo quidem momento intellectualis anima se infuderit, eodemque diuini verbi persona, naturam sibi hanc assumpserit in vnitate personæ. In assumptione rursus intellectus nullus intelligit, qualis vnio diuini verbi cum humana natura facta fuerit. Non enim confectum est vnum aliquid tertium ex hoc & illa, sicut ex forma simul atque materia, quemadmodum animam cum corpore coire in vnam speciem Peripatetici putant, An forte sicut ex anima rationali atque nostro corpore per animam irrationalem iam viuente quodammodo fieri vnum dicitur à Platonicis? Anima tamen rationali interim separabili, nec non quodammodo separata, & quasi quomodo Auerrois cogitatiuum in nobis animal intellectui subigit separato, Non penitus ita, sed aliter. Nunquid sicut intellectus linguæ, manibusque se coniungit, ita Deus homini? Nec ita prorsus, sed modo quodam apud Deum cognito, vbi & copula quidem arctissima sit, & interim diuinitas per humanitatem subiunctam nihilo permutata. Quo etiam pacto miracula Christus effecerit, perfectè nullus intelligit, solum autem hoc intelligimus, ex admirandis operibus, adesse Deum. Hinc Amelius Platonicus, diuinum, inquit, verbum, humanam induisse

naturam, atque in hac ipsa naturæ diuinæ celsitudinem ostendisse. Iam verò, quando Christus aquæ superficiem siccis pedibus pertransiuit, nunquid aquæ potentiam indidit resistendi ne pedes immergerentur? An fortè pedibus sustulit interea pondus? An potius animalem virtutem rectricem membrorum multiplicauit in pedibus? An denique respiratione vehementi aërem quam plurimum hausisse dicetur? cuius leuitate corpus & sustineretur atque peruolaret. His ne similibusque rationibus Christianorum miraculorum modos, & quasi rationes quasdam inuestigabimus, nequaquam. Sicut enim supra vires naturæ, ita super rationes intelligentiæ facta censentur.

DIONYSIVS.

PRæterea quod inter omnia Theologiæ mysteria apparet euidentissimũ, quod videlicet Iesus formatus est in natura nostra diuinitus, ineffabile prorsus est omni sermoni, omnique ignotum intelligentiæ ipsi quoque antiquissimorum angelorum primo. Iam verò quod essentiam virilem assumpserit accepimus in mysteriis, ignoramus autem quo pacto ex virgineis sanguinibus, lege quadam non naturali formatus fuerit. Et quomodo siccis pedibus corporale pondus materiæque grauitatem habentibus, liquidam inæstimabilemque substantiam perambulauerit, aliaque perfecerit, quotcunque supernaturalem Iesum, naturam, rationemque declarant.

Quot modis diuina cognosci possint.

MARSILIVS.

TRibus modis diuina percipimus. Aut enim actione, aut passione, aut motu quodam quasi mixto. Actione quidem præcipuè, quando non ab aliis eruditis, sed rationis propriè discursionibus sub naturali lumine hæc inuenta consequimur. Passione verò, cum diuinitus afflati percipimus. Mixto denique motu, id est, partim agendo, vbi docente alio, aut verbis aut literis erudimur. Tunc enim quatenus aliunde mouemur, quodammodo patimur. Quatenus autem proprium ipsi iudicium examenque adhibemus, videmur & agere. Cæterum & aliena disciplina, & inuentio propria diuinorum, ad hoc velut ad signum duntaxat dirigenda est, vt Deo, assiduè nos pulsanti, penitus exponamur, id autem solo in eum amore perficimus. Hoc enim duntaxat & ad Deum dirigimus omnia, & Deo subiicimur clam pulsanti. Atque illo inspirante & quasi mouente, agenteque subitò commouemur, atque ita compatimur, spirituque replemur. Affectio verò eiusmodi passio nuncupatur, tùm quoniam amatoria est, amor autem transferens in amatum amantem, inde pati compellit. Tum quia vacantibus tunc propriis rationis intelligentiæque actionibus, diuina luce formamur, patimurque formati. Ad hanc vtique lucem amore solum feruentissimo præparamur. Sicut enim opacas sæpe materias inuias luci, calor ingens purgat, extenuat, peruias luci præbet, sic amatorius in Deo feruor à corporeis perturbationibus nebulisque purgans animum, quasi serenum reddit lucique diuinæ paratum. Cum qua & vnionem arctiorem intelligentiam, & fidem humanam, scientiam certiorem denique consequamur. Ad hunc vtique statum, vt Plato ait, neque doctrina peruenimus, nec propria quauis inuentione. Neque vicissim hunc exprimere Possumus, cæterosque docere. Amare verò bonum ipsum, non tàm persuadendi sumus quam docendi. Hoc enim instigante natura, assiduè in singulis bonis amandis consequenter amamus. Sed distractum in varia bona, colligere debemus amorem, atque in ipsum duntaxat intendere, quo bona sunt omnia, & nobis amanda.

DIONYSIVS.

HAec autem & nos alibi satis tractauimus, & inclytus præceptor noster in Theologicis elementis supra naturæ modum mirabiliter celebrauit. Quæ ipse vel à Theologis sanctis accepit, vel artificiosa literarum sacrarum indagatione perspexit, frequenti circa illas exercitatione studioque diuturno, aut etiam diuiniore quadam inspiratione percepit, non solum dicens diuina, sed patiens. Atque ex quadam ad illa compassione, si modo ita loqui licet, ad iudocibilem secretamque eorum vnionem ac fidem denique consummatus, sed vt plurimas beatas contemplationes excellentis ipsius intelligentiæ, paucissimis afferamus, hæc de Iesu in Theologicis elementis summatim collectis inquit.

Expositio Hierothei de diuinitate Christi.

MARSILIVS.

SI Artiani similesque Hæretici legissent hæc, & similia Hierothei, Dionysiique verba, & æquo animo perpendissent, ausi certe nunquam fuissent, (vt opinor) diuinitatem in Christo creatam ponere, vel secundam. Quanquam & in Paulo Apostolo, & Ioanne Euangelista, idem nec negligenter, nec ambitiose legentibus, patere poterat. Ad primum sane Deum, tanquam maximè causam atque communissimam, pertinet non hæc aut illa duntaxat, sed omnia facere, omnibus omnia dare, in omnibus omnia operari. Cum igitur diuinitas ipsa cum Christo communicans in vnione personæ, prorsus ita se habere, certe prima est Christo communicata diuinitas. Ita verò se habere extra controuersiam Hierothei & Dionysii dicta declarant. Si omnia præter Deum, ex partibus quibusdam viribusque suis composita sunt, certe Deus omnia faciendo vbique conficit & componit. Componit autem in singulis conficiendis multas vniuscuiusque partes, in vnam formam in ipso toto perfectam. Per quam authorem suum, qui est ipsa vnitas, pro viribus imitentur. Non possunt autem multa conflari prorsus in vnum, nisi proportionibus connectantur harmonicis. Quod quidem Pythagoras & Plato senserunt. Ac Hierotheus Dionysiusque consentiunt. Et nos in vltimo legum atque Timæo proportiones harmonicas exposuimus, ad eiusmodi copulam conferentes. Nominatur autem hic præter partes singulas tùm totum, tùm etiam totalitas, (vt ita dixerim) vel vniuersitas. Totum quidem, vbi distinctè loquimur, sunt est partes ipsæ simul cunctæ, nec præterea quicquam. Totalitas autem est res

quædam formaque noua ex cunctis rite conspirantibus, postremo resultans. Rite verò conspirant, si & pars alia cum alia consonet. Et cunctæ sint penitus cum forma conficienda concordes. Alioquin nec simul permanet, neque conficitur noua forma, vel conseruatur. Deus interim neque partes, nec vlla partium est, nec totum, nec vniuersitas. Alioquin aliunde penderet. Veruntiam alia quadam ratione est hæc omnia. Quoniam quicquid boni his inest, habet & ille. Habet quidem non eodem modò quo illa, ideo nec propriè videtur habere. Possidet autem eminentius atque prius, eminentius, inquam, id est, gradu quodammodo altiore, prius quoque id est, antequam illa, tempore pariter, atque natura. Cognomenta Dei, quæ hic affirmando negandoque afferuntur, in septem capita colligi possunt, totum, siue, (vt ita dixerim) totaliter, perfectionem, speciem, essentiam, mensuram, plenitudinem, exuberantiam. In ipsa quidem, (vt ita loquar) totalitate, perfectio partium tota consistit. Perfectio verò forma quædam est. Forma rursus vel per formam existit essentia. Essentia prima est mensura sequentium, mensura non sæpius repetita, sed semel plena vel plenitudo, plenitudo non adæquata rebus, sed prorsus exuberans. Deus ad imperfecta vel informia comparatus perfectio dicitur atque forma, quoniam formæ omnis & perfectionis est author, comparatus verò ad perfecta formosaque, nec perfectio quædam est, nec forma. Quoniam non eadem proprietate qua illa, sed longè diuersa, ac infinito spatio celsiore, adeò vt super formam perfectionemque dici debeat potius quam forma, vel perfectio, vel alicubi reperta, vel à nobis excogitata. Proinde quemadmodum tempus est mensura fluentium, sic æuum mensura est éxistentium. Mensura, inquam, existentibus adæquata, quemadmodum tempus fluentibus est æquale. Deus igitur si ad fluenta referatur est æuum, sin referatur ad existentia, est super æuum. Ipsum namque bonum vnumque toto ente superius, entibus non æquatur. Varij rerum ordines ad principia varia velut propria proxime reducũtur. Eiusmodi verò principia multa quidem & definita ad principium vnum rediguntur in immẽsum; quod quidem est principium super vnum, quodque principium disponit principiorum numerũ, subigit suum cuique ordinem, meritur rerum ordines sub principiis, metitur principia sub seipso, eatenus vnumquodque sub ipso principium est, quatenus accipit id munus ab illo. Et quo illi propinquius est atque similius, eo magis & principium iudicatur. Naturale dicimus quod motũ aliquem vel mutationem quamlibet habet vel habere potest. Intellectum igitur mobili ratione superiorem solemus supernaturale aliquid appellare, essentiale tamen. Vnitatem verò ipsam, quam Plato in Phœdro mentis caput appellat, superessentiale aliquid nominamus. Vtroque Deus ipse superior extat, vnde supernaturale & superessentiale vocatur. Sed munus hoc & illud, ratione quadam supernaturali, atque superessentiali possidere censetur. Essentia verò quæ libet creata, vel rationalis vel angelica, vnitatem quidem illam habet, quæ superessentiale quiddam est. Sed id possidens in essentia, mer.to id essentiali tenet proprietate. Habet & intellectum supernaturale munus, sed naturali quadam conditione. Quoniam id habet in essentia, vel potentia quoquomodo mutabili. Solus itaque Deus munus tantum supernaturali, & superessentiali possidet ratione, cætera verò nequaquam. Quemadmodum serenus aër, & habet lucem, & hanc quidem habet lucide, aër verò nubilus non lucide lucem habet. Denique si anima rationalis coniuncta corpori, corpore aucto, diminuto, vsto, secto, non augetur, ipsa similiter non minuitur, non vritur, non secatur, multo minus diuinitas in Christo vtcunque libuit humanitati coniuncta, similiter humanitate patiente compatitur. Præterea sicut anima corpori copulata, munera quædam tribuit corpori non corporea, ita, multoque magis Deus homini se coniungens dona largitur homini non humana.

Mirabilia Hierothei dicta de diuinitate & operibus eius & excellentia Christi.

DIONYSIVS.

Verbis Hierothei loquitur.

IEsu diuinitas quæ omnium causa est, & implet omnia, ac partes consonas vniuersitati conseruat, neque pars, neque totum est, rursusque & pars est, & totum, vt pote quæ partem omnem, & omne totum in seipsa comprehenderit, & eminenter habeat, atque præhabeat, perfecta quidem est in rebus imperfectis, vt pote perfectionis princeps. In rebus verò perfectis imperfecta. quippe cum perfectionem excellentia origineque præcedat. Præterea in rebus carentibus specie, species est specifica, tanquam principium speciei. In speciebus autem speciè carens, vt speciem superans. Essentia quinetiam totis procul à contagione essentiis insidens. Atque super essentiam extans, ab omni essentia penitus absoluta. Vniuersa principia ordinesque determinans, & super omne principium ordinemque locata. Mensura entium est, & æuum, atque super æuum, & ante æuum. Plena quidem in rebus egenis, in plenis autem exuberans. Ineffabilis, non pronuntiabilis, super intellectum, super vitam, superessentiam, super naturale munus, supernaturaliter habet, super essentiale; superessentiali etiam ratione. Quamobrem quando vsque ad naturam ob summam benignitatem venit, vereque substantiam nostræ carnis accepit, summusque ille Deus vir est appellatus, propitia verò sint, quæ in præsentia intellectum sermonemque super entia laudantur à nobis, tunc quoque in his supernaturale & superessentiale munus emicuit. Non solum quia immutabiliter, & inconfuse nobis communicauit, nihil inexubetante sua plenitudine ab ineffabili exinanitione perpessus, sed etiam quia quod nouitatum omnium est maximè nouum, in naturalibus nostris supernaturalis erat, in his quæ nostræ sunt essentiæ, superessentiam. Omnia nostra ex nobis, & super nos possideris

excellenter. Sed de his satis. Ad ipsum sermonis nostri signum iam pergamus, communia coniunctaque diuinæ discretionis nomina pro viribus tractaturi.

Qua ratione Deus producendo multa permaneat vnus atque extet ente superior entia procreando. Sitque vnum ipsum vno quolibet excellentius.

MARSILIVS.

Disputationis sequentis institutum est, diuina nomina recensere, quæ quidem significant beneficas quasdam ex ipso Deo processiones, in quibus sane processionibus videtu vnitas ipsa diuina multiplicari, quemadmodum lux intima Solis in radios quam plurimos inde micantes. Aut vultus vnus in quam plurimas illinc imagines quomodolibet resultantes. Atque ita fermè Deus sicut lux & vultus, in varia bonorum diffusione permanet vnus. Distribuit autem munera Deus vnite pariter atque vnice. Vnite quidem, quia vniuersa omnium distributio, eodem actu penitus singulari ad Filiũ pertinet, vt ad Patrem, pertinet, & ad Spiritum vt ad illos. Vnitè verò quoniam & nulla Deo varietas inde contingit, & procedentia licet varia, vnum tamen sunt, quatenus ab eodem ad idemque pendentia, conueniunt & in vno. Dicitur autem Deus ens, (vt ita dixerim) superenter, quod videlicet entia procreat. Dicitur & entia superenter excedere, quoniam natura in summo gradu entium collocatur, reliqua in secundo vel tertio. Alioquin partim cum cæteris conueniret quidem, partim verò differret. foretque ita compositus. Præsertim si vna sit entis ipsius vniuoca ratio entibus quibuscunque communis. Quod illustres metaphysici nonnulli vnà cum Platonico Plethone senserunt. Deus itaque & extra & supra totam entium latitudinem excellenter existit. Præsertim quia ratio formalis entis, & si indeterminata est, secundum omnium entium species, determinabilis tamen est ad omnes. Deus autem non solum indeterminatus, sed etiam indeterminabilis esse debet. Cum igitur Deus ens vniuersum entiaque singula ab ipso procedentia, mirum inmodum superet, inæstimabiliter segregatus, consequens est, vt nec in processione rerum à suo statu digrediatur, nec in deriuatione inde fluentium deincepsipse minus sit plenus, nec in multitudine illinc per processionem deriuationemque imaginum propagata, minus ipse sit vnus. Denique cum Deus sit ipsa simpliciter vnitas à certo quolibet vno penitus absoluta, merito nec est vna quæuis entium species, neque vnum ens, neque vita vna, nec intellectus vnus, nec vna quædam pars alterius totius, neque vnum aliquod totum, sed horum omnium principium atque finis.

DIONYSIVS.

Vt autem perspicuè de omnibus quæ sequuntur ante definiamus, discretionem diuinam, vt dictum est, appellamus beneficas Deitatis processiones. Cũ enim omnibus quæ sunt, dum eminet bonorum cunctorũ consortia largiatur, vnite quidem discernitur, amplificatur autem vnice. Ac dum multiplicatur, non discedit ab vno. Puta quoniam Deus ens est, vt ita dixerim, superenter, largitur autem esse his quæ sunt omnibus, & omnes producit essentias, vnum illud ens multiplicari dicitur, dum entia ex se multa producit. Manet ille nihilominus in multiplicatione vnus, & in processione vnitus, & in descriptionem plenus, propterea quod ab omnibus entibus superenter sit absolutus, & vnico actu producat omnia. Atque in diminuta profusione deficientia ipsius munere largiatur. Atqui cum sit vnum, omnique parti & toti & vni & multitudini participationem vnius impartiat, vnum permanet eodem pacto, super essentiali videlicet ratione, Nec pars est multitudinis alicuius, nec aliquod expartibus totum. Sicque nec vnum est, nec vnius particeps, neque habet vnum, longeque ab his existit super vnum illud quod entibus inest, multitudo quin etiam impartibilis, inexplebilis super plena, omne vnum multitudinemque producens & perficiens, atque continens.

Quomodo Dei vnius participatione, dij multi dicantur.

MARSILIVS.

Sol, vt putat Plato noster, visibilis imago Dei, proprietatem suam multis tùm cœlestibus tum terrenis impartit. Vnde solaria fiunt atque nominantur. Quod quidem in libro de vita tertio declaramus. Similiter Deus angelis animisque diuinam impartit proprietatem. Ob quam multi sub vno apud Platonem dij cognominantur. Maximè verò ad Deum pertinet, vt omnibus prouideat, ab omnibus segregatus, ob segregatam quidem singularitatem, vnum ipsum cognominatur. Ob vniuersalem verò prouidentiam appellatur & bonum. Angeli igitur fermè omnes animique plerique munus id ab ipso Deo nacti, quo fermè similiter ab inferioribus segregati, inferioribus interea late prouideant, dij merito nominantur, dij videlicet participatione primi Dei, qui solus sit Deus per essentiam atque summus. Cùm enim alij spiritus aliis diuiniores sint, nonnullique diuinissimi, merito ad vnicam atque summam denique Deitatem referendi censentur. Quæ quidem per imagines suas in multis quasi participata, dum ita, discerni videtur, nihilominus permanet vna semper ac penitus indiuidua. Sicut neque facies euadit multiplex ex imaginum inde resultantium multitudine. Platonici in rebus quidem diuinis multitudinem ab vnitate, motumque à statu superari putant, ideoque indissolubiles permanere, cætera verò in quibus vnitas statusque à multitudine motuue superantur, posse quandoque dissolui. Excedit quoque apud Deum vnitas multitudinem, quoniã videlicet vnica natura Dei inaestimabiliter superat imaginum inde fluentium multitudinem, nec inde fit multiplex. Denique omnia cognomen a Deo propter excellentiam attributa, quemadmodum alibi diximus, vnicuique Trinitatis diuinæ personæ pari dignitate conueniunt.

DIONYSIVS.

Præterea ex deifico Dei actu, quo vnusquisque pro facultate sua Dei formis euadit, dij plures efficiuntur. Qua

quidem in re videtur & dicitur Deus ipse vnus discerni quodammodo atque multiplicari. Est autem nihilominus Deus ipse diuinitatis princeps & diuinitate qualibet essentiaque sublimior, Deus vnus, in distributis in de diis, non distributus, Sed vnitus ipse sibi, nec permistus multis, nec in multiplicatis multiplicatus. Id sane mirabiliter contemplatus communis ille noster præceptorisque nostri dux, qui ad diuinam illuminationem nos prouexit, diuinis abundans, & mundi lumen, hæc in sanctis literis sui diuinitus afflatus ait. Siquidem sunt qui dicuntur dij vel in cœlo vel in terra, quemadmodum profecto sunt dij multi & domini multi, vnus tamen nobis est Deus pater, ex quo omnia, & nos ad ipsum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. In rebus nempe diuinis vniones excedunt discretiones atque ducunt. Nihiloque minus diuina secum sunt vnita post discretionem participem vnitatis, & ab ipso vno minime discedentem. Has itaque nos communes vnitasque totius Deitatis distinctiones, siue beneficas ex Deo processiones, ex diuinis cognomentis declarantibus eas in sanctis literis, pro viribus celebrare conabimur. Quando videlicet hoc, vt alibi prædictum est, prius definierimus. Omnem beneficam appellationem Dei, de quacunque diuinarum personarum dicatur, absque vlla distinctionis obseruatione in tota simul accipi deitate.

De appellatione boni, efficacia orationis. Quomodo Deus vbique.

MARSILIVS.

IN sequentibus libri capitibus ordine quodam quasi Platonico primo quidem tractabit de bono, secundo, de ente atque ideis, tertio, de vita, quarto, de intelligentia, deinceps verò de quibusdam ad hanc ordine consequentibus. Inter omnia Dei nomina præcipuum est ipsum bonum. Omnia enim nomina quæ processionem & munera Dei significant, in hoc vno nomine tripliciter comprehenduntur. Primo, quia hoc omnia dona tanquam varia bona, vno communique continentur bono. Secundo, quoniam Deus exuberanti naturæ voluntatisque bonitate cuncta largitur, velut efficiens. Tertio, quoniam ad suam bonitatem communicandam, & repræsentandam, tanquam finis, omnia refert. Duæ videntur potissimæ ad bonum viæ, inquisitio disputans, oratio supplicans, illa quidem ad cognoscendum bonum contendit, hæc autem ducit ad consequendum, & consecutione perfectissimè cognoscendum. Tria vero sunt ad orationis efficaciam summopere necessaria. Primum quidem, perturbationes sensuum cohibere, quæ ad corporea longissime à diuinitate distantia nos detorquent. Secundum, expellere, tanquam nebulas, fallacias & machinamenta imaginationis ab intellectu. Tertium, vniuersum voluntatis affectum, in diuersa nunc bona distractum, in primum bonum tota prorsus amoris intentione conuertere. Ita enim feruor obsecrantis animum coniungit Deo, sicut sulphureus calor copulat lignum flammæ. Huc tendit Zoroastri dictum illud. Si mentem igneam ad opus pietatis intenderis caducum quoque corpus inde seruabis. Quatuor proinde rerum gradus considera. Res sane diuidua certis loci limitibus circunscribitur. Res indiuidua quidem sed virtute finita, & si non continetur loco, finitum tamen spectat locum. Hæc itaque si virtutem habet rebus quibusdam æqualem, eas ipsas facile præsentia lustrat, si rebus cunctis æqualem, facile totum habitat. Quod autem immensam possidet potestatem, non tam dicendum est rebus cunctis inesse, quàm adesse pariter & præesse.

DIONYSIVS.

PRincipio, si placet, perfectissimam omnesque diuinas processiones exprimentem appellationem boni consideremus, inuocantes videlicet trinitatem, bonorum principium, atque super bonam, optimas quasque suas prouidentias explicandam. Oportet enim nos votis in primis ad ipsam tanquam bonorum originem prouehi, atque ita ad illam propius accedentes in hoc ipso gradu optima quæque dona penes ipsam sita perdiscere. Illa enim omnibus adest, non tamen omnia illi adsunt. Quando verò illam castissimis precibus & intellectu tranquillo, affectuque ad diuinam vnionem apto precamur, tunc nos etiam illi adsumus Iam verò illa, nec est in loco, vt propterea absit ab vllo, aut ab aliis se ad alia transferat. Imò etiam dicere, hanc in rebus omnibus esse, longè deficit ab ipsa infinitate, quæ & excedit & complectitur omnia. Quamobrem nos ipsos ad diuinorum salutariumque radiorum, sublimiorem intuitum omnibus eleuamus.

Catena aurea, vel luminosa à Deo dependens, est dispositio rerum sibi inuicem connexarum, diuinæ prouidentiæ subdita.

MARSILIVS.

FInge Catenam varijs contextam luminibus quasi annulis per totum cœlum diffusam, & ad terram vsque porrectam, qualem Plato in decimo de Repub. fingit, qualem rursus apud Homerum, Iupiter Deos conuocans per cœlum proijcit, promittitque sursum se tracturum quicquid catenam apprehenderit, se verò trahi non posse deorsum. Catena verò hæc est ordo seriesque rerum diuinæ prouidentiæ parens: Series, inquam, luminum partim quidem inuisibilium, partim etiam visibilium. Occulta quidem lumina sunt intellectus angelici, animalesque. Manifesta verò sunt cœlestia lumina. Est autem communio quædam & connexio mutua, tùm in ipsis intellectibus, tùm etiam in cœlestibus, tùm denique cœlestibus ad intellectus, atque vicissim. Vniuersus sane contextus eiusmodi catena dici potest. Sed ibi quidem intellectualis & aurea, atque prouidentiæ. Hic autem naturalis & argentea, atque fatalis. Series verò fatalis ordini

prouidentiæ subest, perquem animæ piæ soli à fato quandoque possunt. Vt Platonicis placet & magis, atque astronomis Hebræorum. Ex verbis denique Dionysij colligitur, diuinam prouidentiam vsque ad minima se prorsum intendere, atque dum ipsa immutabilis est, ordine mutabilia ducere, locumque re'inquere arbitrio animarum, atque votis. Quod sane Plotinus sæpe confirmat. Catenam quidem fatalem per infirmos eius anulos Magi prensant, vt gradatim trahantur ad cœlestia bona. Catenæ autem intellectualis gradus propinquiores attrectant metaphysici contemplatores, vt paulatim perueniant ad intelligibile lumen. Sed quænam catena est quam adorator debet apprehendere, à Deo summo facile quod optat impetraturus? Catena profectò hæc est diuina lex & naturaliter insita mentibus, & modis vbique variis promulgata, dictans, primo quidem, vnum summumque Deum esse, deinde, hunc esse bonorum omnium authorem, tertio, ab omnibus in primis amandum. Iamblicus Platonicus votum longo interuallo sacrificiis anteponit, probatque hæc ab illo totam vim accipere. Nihilque adoratione vehementius animam cum diuinitate coniungere. Nec mutari orationibus Deum, sed animum intrinsecus permutari, atque ad bona diuinitus capienda parari. Plato in epistolis, inquit, omnibus in rebus principium à Deo faciendum est, & dicendi & cogitandi. In Timæo potissimum à Deo inchoandum, inquit, vbi agitur de diuinis & opificio Dei.

Qui adorat innititur immobili Deo. Per quem nixum, non Deum ad se, ipsum mouet ad Deum.

DIONYSIVS.

VEluti si catena quædam multis contexta luminibus à summo cœlo suspensa vsque ad infima protendatur, nosque hanc manibus semper alternis in anteriora porrectis apprehendamus, trahere quidem ipsam ad nos videbimur, re autem vera non deducemus eam ad nos, supra videlicet infraque præsentem. Sed ipsi potius ad excelsiores radiorum variè lucentium splēdores feliciter prouehemur. Aut forte quemadmodum si ingressi nauim funes ex petra quadam vsque ad nos extentos teneamus, quippe quorum nitamur auxilio, non petram quidem ad nos, sed nos potius nauimque reuera promoueamus ad petram. quemadmodum vicissim si quis stans in naui, maritimum percutiat saxum, in illud quidem tanquam immobile permanens, nihil efficiet, sed seipsum potius arcebit à saxo. Et quanto vehementius contendet impellere, tanto illinc longius repelletur. quamobrem ante omnem actum, præcipuè Theologicum ab oratione nobis exordiendum. Non quidem vt potestatem illam vbique præsentem, & nusquam addictam ad nos quandoque trahamus, verum vt diuinis commemorationibus inuocationibusque nos ipsos illi dedamus, & vnione iungamus.

Apologia. Cur scribunt, quæ scripserat Hierotheus. Mira Hierothei laus.

MARSILIVS.

PLato in Prothagora scribit, antiquorum doctrinam nihil aliud fuisse, quam breuiloquium quoddam. Idque esse viri absolutè sapientis, paucis videlicet multa complecti. Hac ratione Hippocrates composuit Aphorismos, Pythagoras quoque symbola, & Prouerbia Salomon, Quo enim altior intellectus est in angelis, eo formis paucioribus plura comprehendit & agit. Hierotheus igitur post Paulum Dionysij doctor, & Apostolis excellentia proximus, Theologiam summulis mira profunditate concludit, scripsitque expiatissimis mentibus atque doctissimis. Dionysius autem & Hierotheus iussu, & Timothei rogatu vniuersales illas summulas Hierothei in notiones singulas deriuauit.

DIONYSIVS.

PVrgatione forsā nobis opus est. Cùm enim inclytus præceptor noster Hierotheus theologica elementa mirabiliter profectò collegerit, mirabitur forte aliquis, cur nos quasi minus illa sufficiant, & alibi & hic Theologica conscripsetimus. Iam verò si ille omnia Theologica ordine deinceps disposito, digerere voluisset, particulatibusque explicationibus vnumquodque totius Theologiæ caput disposuisset, nunquam nos in tantum furoris vel ruditatis incidissemus, vt vel perspicacius, vel diuinius quam ille Theologica penetrare posse mysteria confideremus, aut eadem bis dicendo superflua frustra tractare vellemus. Atque ita præceptorem amicumque nostrum iniuria auderemus afficere & præclarissimam intelligentiam expositionemque illius à quo, post diuinum Paulum, instituti sumus, nobis vsurpare non dubitaremus. Cæterum ille diuina venerabiliter exponens, summas profectò quasdam perspicacia compendiosa refertas nobis exposuit, in vno videlicet plurima complectentes. Præcipiens videlicet nobis, cæterisque radium animorum magistris explicare, pro viribus atque distinguere sermone nobis congruo, lucentia intus, compendiosaque mysteria, à virtute illius apprimè intellectuali manantia. Præterea & ipse ad idem sæpe nos exhortatus es, librumque ipsum, vt supra modum excellens quiddam, remisisti. Quamobrem nos quoque ipsum velut perfectorum seniliumque animorum magistrū, his duntaxat assignamus, qui intelligentia cæteros antecellunt. Tanquam secunda quædam eloquia sacra Apostolicam authoritatem proximè consequentia. Nos autem his qui nobis propinquiores sunt, pro ingenij nostri proportione, diuina trademus. Si enim cibus solidus perfectorum est, hoc certe & alios pascere,

quantæ perfectionis extimandum esse censemus.

Sicut non est idem lumen hoc in rebus illuminatis aspicere, atque lucem ipsam in Sole suspicere, sic aliud est diuina mysteria introspicere, aliud disciplinam ad illa conferentem prosequi.

MARSILIVS.

Illud quidem Hierotheum effecisse, Dionysius ait, hoc autem se profiteri non negat.

DIONYSIVS.

Recte igitur id quoque nobis est dictum, contemplationem quidem intelligibilia eloquia prorsus inspicientem, compendiosamque eorum doctrinam, consumatæ virtutis existere. Scientiam verò sermonum ad id conducentium, atque eiusmodi disciplinam, inferioris meriti præceptoribus discipulisque congruere Enimuerò diligentissime id obseruauimus, vt quæ diuinus ille præceptor plane nobis expressit, nunquam attingeremus, ne forte repeteremus eadem, ad id exponendum quod in verborum diuinorum explanatione fuisset ab eo propositum.

Salutatio Mariæ Virginis. Mira Petri Hierothei laus, modestia Dionysij singularis.

MARSILIVS.

Qvantum multi sensu valent, afficiunturque ad corporea, & quando corporis oblectamenta commemorant, eadem quodammodo patiuntur, tantum Hierotheus pollebat intelligentia. Et afficiebatur ad incorporea: laudansque diuina, patiebatur eadem. Simile quiddam narrat Porphirius de Plotino.

DIONYSIVS.

Conuenimus quandoque apud Pontifices nostros Deo plenos vt nostri nos simul & ipse, multique sancti fratres nostri, visuri corpus illud, quod vitæ principem Deumque suscepit. Vbi aderant & Iacobus frater Domini, & Petrus excelsus & antiquissimum Theologorum culmen. Illic ergo post contuitum plocuit, vt pontifices omnes pro viribus quisque suis infinitæ potentem delibatis diuinæ bonitatem laudarent. Hierotheus autem alios omnes ibi doctores sacros, vt nostri, post ipsos Theologos superauit, totus excedēs, totus extra se positus, eorum quæ laudabant, communione patiens. Quamobrem ab omnibus qui audiebant eum atque videbant, siue cognoscerent ipsum, seu non cognoscerēt, occupatus Deo, diuinusque laudator est iudicatus. Sed quidnam illa tibi referam quæ illic sunt Theologica ratione tractata? Iam verò nisi mei oblitus sum, memini me partes quasdam diuinarum illarum laudationum abs te sæpius accepisse. Adeo studuisti diuina diligentissimè persequi.

Mira in Dionysio & reuerentia erga Hierotheum præceptorem, & modestia erga omnes.

MARSILIVS.

Sicut sensui amor est ingenitus ad caduca: sic intellectui ad æterna: igitur æterna pro facultate sua, & quærere debet, & quandoque inuenire potest, potest & æternitate frui. Venerati sunt Pythagoram Pythagorici, & Plato Socratem, multò magis Dionysius Hierotheum.

DIONYSIVS.

Verū quæ illic mysticè tractata sunt, missa in præsentia faciamus. Quippe cum nec multis exprimi possint, & tibi nota sint. Quotiens autem oporteret nostra multis communia facere, & quam multos possemus in sanctam disciplinam nostram introducere, erat profectò mirandum, quàm longè Hierotheus sanctorum doctorum plurimos antecelleret, & diuturna docendi sedulitate, & puritate mentis, & exacta diligentia demonstrandi, ac cæteris omnibus quæcunque ad sacra eloquia pertinent. Itaque nos nunquam aduersus Solem tàm ingentes fingere auderemus obtutus. Sic enim nobis conscii sumus, nec ignoramus, nos nec intelligibilia quidem ipsa diuinorum satis intelligere posse, vel ineffabilia diuinæ cognitionis mysteria verbis exprimere. Et profectò longè diuinorum virorum scientia veritatem theologicam spectante, inferiores sumus. Huc profectò reuerentia summa nos adduxit, vt nec audire, nec loqui de diuina phoilosophia quicquam auderemus, nisi id prorsus insedisset animo, non oportere diuinarum rerum cognitionem, quatenus assequi licet, nos negligere. Id autem nobis persuaserunt, non solùm naturalia mentium desideria, amatorio quodam affectu contemplationem rerum sublimium quantam capere possunt, desiderantia, sed ipsa quoque prima legum institutio diuinarum, quæ supra nos sunt inquirere vetans. Quippe cum & nostra merita superent, & comprehendi non possint. Quæ verò præter id quod naturaliter appetunt, notitiæ quoque nostræ concessa sunt, studiosè perdiscere, ceterisque benignè tradere, admonet. His igitur & nos persuasi, nec labore, nec ignauia perterremur, quo minus diuina pro facultate nobis concessa, quæramus. Imò verò eos etiam qui humano ingenio superiora contemplari non possunt absque auxilio, deferendos minimè iudicantes, descendimus ad scribendum, noui quidem nihil audentes inferre, sed minutioribus quibusdam, & per singula dispositis inquisitionibus, discernentes & explicantes ea quæ ab illo verè Hierotheo, id est, sacro quodam Deo, perspicacia compendiosa sunt tradita.

In solo Deo idem est esse simpliciter, atque bene esse. Item Deus hoc ipso quod natura facit simul intelligentia facit & voluntate.

MARSILIVS.

IN omni re post primum aliud quidem est essentia, aliud verò bonitas, aliud esse simpliciter, aliud autem bene esse. Alioquin in ipso primò, puroque essendi momento penitus conquiescerent, nec ad aliud aliquid niterentur intrinsecus vel extrinsecus acquirendum. Sed in quolibet, reuera, est aliquid quasi adhuc informe, imperfectumque ad formam absolutam natura contendens. Quæ quidem sua cuiusque bonitas appellatur. Qua iam comparata rursus mouetur ad finem aliquem, vt ad bonum. In primo verò rerum principio ipsa simplex existentia prima est ipsa bonitas absoluta. Sicut & Sol per essentiam luminosus, & ignis per essentiam calidus, præter hoc ipsum eiusmodi esse non indiget alio quopiam adminiculo ad agendum sed eiusmodi esse suo illuminat atque calefacit: sic ipsum bonum cuius natura est absolutissima bonitas, præter hanc non eget deliberatione quadam, & electione cuius adminiculo benefaciat, sed ipsa sua existentia, quæ est bonitas, benefacit, id est, bona omnia procreat, & perficit procreata. Est autem idem penes Deum velle, atque intelligere, quod & esse. Deus igitur essendo facit, intelligendo pariter efficit, atque volendo. Id noster Plato confirmat. Qui mundi huius opificem natura sua mundum fecisse putans, intelligentia tamen, & voluntate vsum in opificio fuisse fatetur. In sexto de Republ. solem, inquam, esse boni ipsius imaginem filiumque visibilem. Vnde sequitur, ipsum bonum esse imaginis huius exemplar. Deum igitur esse solem primum, atque verum, nostrum verò hunc secundum, imaginariumque solem esse putandum. De sole quidem tam diuino quam corporeo librum scripsit Platonicus Iulianus, præceptorem Iamblicum imitatus, qui sane vbi distinctè loquuntur, soles saltem tres inducunt, diuinum, angelicum & cœlestem. Sed de sole in sequentibus. Nunc autem gradus quatuor agendi considera. Humana ratio agit consilio, ac sequente consilium electione. Ars quoque similiter quam diu est imperfecta. Consummata verò ars, ad faciendum electione non indiget, sed ita facit habitu, sicut natura virtute. Naturale agens, naturali virtute, id est, bonitate facit, non essentia pura. Deus denique tanquam ipsum bonum, ipsa sua existentia pura, id est, bonitate facit. Siquidem participatione boni cætera faciunt quicquid agunt.

Sicut sol, ita bonum natura sua radios per cuncta diffundit.

DIONYSIVS.

AGe igitur ad ipsam appellationem boni explicandam iam pergamus, quam Theologi Deitati plusquam diuinæ ex omnibus excellenter attribuunt, ipsum, diuinitatis principem, vt arbitror, existentiam bonitatem appellantes. Quippe cum eo ipso quod est bonum, vt pote quod substantiale bonum est, bonitatem in omnia quæ sunt diffundat. Nam quemadmodum sol hic nobis conspicuus, nec cogitatione, nec electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittant, sic & ipsum bonum non aliter solem superans quàm exemplar primum exilem excellenter antecellit imaginem, ipsa sua existentia per ea quæ sunt omnia pro sua cuiusque capacitate bonitatis suæ radios abundè diffundit.

Ipsum bonum sicut & sol per septem gradus suum diffundit lumen. Item, quid stella à sole, quid angeli à Deo reportent.

MARSILIVS.

SOl per septem rerum gradus lumen vsquequaque diffundit, per stellas fixas, per Planetas sex eodem semper tenore fulgentes, per lunam lumine variam, per ignem, per aerem, & per aquam, atque per terram: Similiter sol ille solis, summus Deus, ipsum bonum, per septem gradus beneficos radios vbique distribuit. Per angelos, per animas ratione præditas, per animas sensu viuentes, per animas vegetales, per cœlestia corpora, per corpora elementaria, quæ ex materia constant, perque materiam. Lumina quidem à sole distributa stellis, visibilia sunt atque visualia, visibilia, inquam, quia clara & ingentia sunt. Visualia verò, quia viua sensuque pollentia Præterea quoniam vnumquodque stellarium luminum absque impedimento manat à sole, naturales in se virtutes omnes mirabiliter complectente, meritò & vniuscuiusque stellæ fixæ lumen, virtures illinc, & in se omnes amplectitur, & ad sequentia traiicit. Denique virtute solis procul ab impedimenro stellis, vbique præsente, stellæ naturam virtutemque solarem, vt ab initio semel, ita semper habent. Eadem ratione beneficum lumen ab ipso bono procedens, statim in primo summoque participationis suæ gradu procreat tanquam scintillas, substantias penitus à corpore separatas, essentia, virtute, actione præditas sempiterna, Quæ quidem illinc cum intelligibiles, tum etiam intellectuales cognominantur. Siue supremi Angeli, vt Iamblico & Proclo placet, nominentur intelligibiles, sequentes autem intellectuales, quoniam isti illuminatur ab illis. Siue vnusquisque Angelus, more Plotini, & intelligibilis, & intellectualis pariter appelletur, Ipsum profectò intelligibile qua ratione intelligibile, eminentius est, & priusquam intellectuale, hoc enim participatione quadam illius intelligit. Ideo boni ipsius lumen infusum Angelo in summa illic plenitudine sua intelligibile nuncupatur. In gradu verò sui sequente quasi perspicuitate statim comitante lucem intellectuale potius appellatur. Verum sibimet, & intelligibile, & intellectuale censetur. Hæc autem est Plotini magni sententia, eandem esse arbitror Dionysij. Peripatetici sanè hac in re à Platonicis minimè discrepantes, formam quidem materialem, nec intellectualem vllo modo nec actu intelligibilem esse putant, sed potentia, quatenus per efficacem agentis intelligentiæ radium quodammodo absoluitur à materia. Formam verò in materialem statim intellectualem intelligibiléque euadere. Quod & Dionysius hic attigisse videtur. Angelos enim appellat intelligibiles eo ipso quòd sunt à materia segregati. Eadem quoque ratione intellectuales, intelligentes quinetiam non modo quodam mundano, quo videlicet rerum imagines per sensus à corporibus mutuentur, sed modo quodam præstantiore, quo scilicet entium, id est, rerum verarum, rationes ipsas essentiales ab

ipso bono sub eius splendore reportent, & in sequentes subinde transfundant. Quamobrem Angeli diuini luminis participatione totum habent. Illinc enim tanquam à causa efficiente substantiam viuam intelligibilem, intellectualem, & hanc quidem æternam, nacti sunt. Rursus velut à causa exemplari rationibus rerum omnium inde formati. Denique tanquam à causa finali, sortiti sunt vt amore illuc assiduè conuertantur, & conuersi confirmentur ibidem, in eodemque perpetuo consistentes, diuinique iam facti, boni ipsius instar, bona in sequentes abunde traducant.

Quomodo angeli habent ab ipso bono, vt sint, & viuant, & intelligibiles, intellectualesque sint, atque in eodem firmiter perseuerent.

DIONYSIVS.

Bonitatis diuinæ per ipsos radios subsistunt omnes intelligibiles intellectualesque essentiæ, & virtutes, & actiones. Per eadem sunt, vitamque inficientem, & indiminutam habent, ab omni videlicet corruptione & morte, ac materia generationeque segregatæ, & instabili fluxaque & aliàs aliter agitata transmutatione semotæ. Iam verò tanquam incorporeæ, immaterialesque substantiæ munus id nactæ sunt, vt intelligibiles essent. Atque insuper tanquam intellectus supra mundanam conditionem intelligunt. Rationes quinetiam rerum ipsarum illustratione diuina tanquam peculiares reportauerunt, rursumque ad illa quæ sibi cognata sunt, sua dona traiiciunt. Ab ipsa quoque bonitate perseuerantiam habent & firmitatem, atque inde continentur, custodiunturque. Domiciliumque illinc habent, pabulumque bonorum. Atqui bonitatem ipsam amantes, vt & sint, beneque sint inde sibi vendicant. Atque ad illam pro viribus conformatæ bonitatis speciem perferunt, atque vt diuina lex dicat, sequentibus donorum ex ipso bono prouenientium consortium exhibent.

Quemadmodum stellæ & inuicem, & ad solem, sic angeli se habent inuicem & ad Deum.

MARSILIVS.

Omnes stellæ habent à sole tum naturam scilicet stellarem, tum etiam ordinem scilicet & inuicem, & ad solem. Illinc enim & mutuam inter se communionem habent in eodem scilicet solis lumine, & distinctionem illam qua variæ stellæ sub variis solis radiis, varias sunt nactæ virtutes. Habent vt alia vicissim sic in alia. Sic in Saturno Iupiter, & in Ioue Saturnus. Vna quæque enim stella non nihil aliarum in se possidet. Illinc insuper habent vt stella superior, in inferiorem radios abunde proiiciat, ab inferiore vicissim in superiorem radij reflectantur. Et quæ inter se cognatæ sunt & quodammodo pares, coniectis mutuo radiis, virtutes inuicem mutuentur, & mutuent. Conseruat interim vna quæque proprietatem sub sole suam. Superiores quinetiam quodammodo purgant inferiores, & illuminant atque perficiunt. Purgant quidem dum à defectu luminis arcent. Illuminant quoque dum proprio insuper lumine complent. Perficiunt denique quatenus sui quoque muneris largiuntur effectum. Cunctæ insuper stellæ in eundem solem quasi spectandum, & venerandum radios velut oculos, affectusque coniiciunt. Lucem denique solis, quæ in ipso superat aciem oculorum, ipsæ oculis in se contemperant conspicuamque facile reddunt. Si quæ dicta sunt singula ad angelos, Deumque referes, cognosces eadem comparatione Angelos ad Deum atque inuicem se habere.

Ordines in Angelis sunt ab ipso bono.

DIONYSIVS.

Inde illis ad sunt mundo superiores ordines, vniones, susceptionesque mutuæ, inconfusæ quoque distinctiones, virtutes etiam inferiora reuocantes ad superiora. Superiorum quinetiam ad inferiora prouidentia multiplex. Propriatum cuiusque virium conseruatio. Immutabiles præterea in se ipsas reuolutiones. Item identitates summitatesque circa boni ipsius amorem, & quæcunque alia dicta sunt à nobis, in libro de proprietatibus, & ordinibus angelorum. Denique quæcunque cœlestis hierarchiæ propria sunt, ipsæ scilicet purgationes angelicæ, illustrationes quoque supermundanæ, & perfectionis consummationes angelicæ. Id sane totum ex ipsa omnium causa & principali bonitate procedit. Vnde & illis boni indoles est indulta, munusque tributum, quo occultam illam in se ipsa bonitatem ipsæ in se patefacerent, angelique existerent. Tanquam diuinum silentium nuntiantes. Et quasi conspicua quædam lumina tanquam è vestibulo bonum ipsum in adytis latens sequentibus declarantia.

Animæ rationales à bonitate diuina sex præcipuè dotes habent.

MARSILIVS.

Animæ rationales bonitatis diuinæ munere dona sex præcipuè possident. Quod sint intellectuales, id est, lumine diuini Solis ita referta, vt absoluta, simplicia, incorporea, æterna, querant, inueniant, comprehendant. Angeli quidem intellectus, animæ verò intellectuales esse dicuntur. Quoniam angelus totum id quod est intellectus & purus, & totus existit Anima verò & ex quadam sui parte intellectum, & partem babet intelligentiæ. Item quod vitam essentialem habeant, id est, ab essentia sua prorsus inseparabilem. Non enim potest earum vita resolui in essentiam non vltra viuentem. Nec ipsum earum viuere actus est compositi necessariò, sed proprius est actus essentiæ. Propterea & immortales sunt. Quemadmodum in Theologia nostra probamus. Præterea quod ipsa essentia, virtutesque ad angelos se extendant. Cum enim in actione id est, affectu, intelligentiaque æternorum, atque diuinorum veneratione cum Angelis

ipsis conueniant, nimirum cum eisdem virtute quoque & essentia congruunt sempiterna. Nec non quod intellectuales ex Deo reuelationes, quales Angeli pro viribus nanciscuntur. Rursum quod duces Angelos habeant ad diuina. Quatenus & angeli communiter omnes animas, omnes illustrant. Et vna quæque anima ad certum angelum præcipuè pertinet, vt rectorem. Denique quod eiusdem diuini muneris, id est, gratiæ, beatitudinisque diuinæ, cuius & angeli, compotes esse possint. Sua tamen proportione seruata. Iamblichus Platonicus probat, animas non solùm per Angelos, sed etiam per se nonnunquam ad gradum æqualem Angelis, Deo videlicet ductas, ascendere posse.

DIONYSIVS.

POst sacros illos, sanctosque intellectus, animæ, omniaque animarum bona per ipsam consistunt bonitatem plusquam bonam. Inde virtutem intellectualem habent, inde essentialem vitam & immortalem, inde quod ipsa essentia potentiaque ad Angelicas vitas aspirant, inde quod per Angelos tanquam bonos duces reuocantur ad ipsam bonorum omnium principem bonitatem, splendoremque inde micantium pro modo suo compotes euadunt. Atque doni ipsius ad boni speciem pertinentis pro viribus participes fiunt. Illinc denique quotcunque alia in his quæ scripsimus de anima, numerauimus.

Ab ipso bono intellectus Angelici, animæ rationales, sensuales, & vegetales, & corpora perfectionem suam, actumque habent.

MARSILIVS.

OMnia corpora sicut virtute solis habent, vt non solùm inertem molem sortita sint, sed præterea formam, figuram, colorem, vim, motum, habeant: sic res omnes ipsius boni munere præter potentiam formabilem, formale aliquid nactæ sunt. Supremæ quidem intellectum, secundæ rationem, tertiæ imaginationem, quartæ sensum, quintæ vitam, sextæ essentialem virtutem & qualitatem, atque habitum. Angeli sunt quidem boniformes, sed intellectus veri. Animæ rationales intellectuales quidem sunt, sed animæ veræ, irrationales autem non sunt animæ veræ, sed animationes quædam, vegetales sunt vestigia vitæ, formæ sequentes sunt vmbræ vitæ.

Omnia quomodocunque animata, vel quomodolibet formata donum ab ipso bono reportauerunt.

DIONYSIVS.

PRæterea si de animabus animalibúsue irrationabilibus hic loqui licet, quæ vel aërem diuidunt, vel per terram gradiuntur, vel serpunt humi, vel in aquis vitam sortita sunt, aut in aqua vicissim, atque terra, vel sub terram insita, pressaque luto viuunt, & simpliciter quæcunque sensualem animam, aut vitam habent, hæc, inquam, omnia insuper per ipsum bonum consecuta sunt, vt animarentur & viuerent. Plantæ item omnes vitam nutritiuam, motricemque ab ipso bono sortitæ sunt. Et quæcunque essentia animæ, vitæque expers est, per ipsum bonum est, atque per idem essentialem habitum reportabit.

Influxus boni vsque ad materiam extenditur, ipsaque est essentia & vita, intelligentiaque superius.

MARSILIVS.

QVemadmodum esse hoc, & istud, & illud, per hanc formam & istam habetur, atque illam, sic ipsam simpliciter esse per ipsam simpliciter formam necessariò datur. In ipso igitur simpliciter vel quomodolibet ente est aliquid loco formæ, & aliquid huic quodammodo formabile subest, principium verò rerum primum eiusmodi esse non potest. Est igitur tota entis latitudine & ratione superius. Materia verò vicissim, vniuersa entis amplitudine, ratione que inferior iudicatur, quoniã nihil in ipsa formale cogitari potest, sed velut speculum, (vt Plotinus ait) esse hoc imaginabile vel illud ab obiectis mutuari videtur, mox amissurum, sic ab entibus formisque materia. Vsque ad hanc tandem ipsius boni procedit influxus. Hæc enim bonam appetit. Vtpote quæ boni ipsius est effectus, cum appetendo formam conuertatur ad illud, sitque mundo valde bono penitus necessaria. Cum igitur influxus boni longius quam entis progrediatur, consequens est bonum esse superius & potentius ente, præsertim cum ens non aliunde quam à bono potentiam habeat, & virtutem. Atque habeat ab eodem, vt sit causa. Non enim cum primum aliquid est, aut quomodolibet est, hoc ipso generat atque efficit, sed quando bene se habet, atque propter ipsum bonum, est in natura & virtute perfectum, ipsum itaque bonum est prima maximeque causa, quando per illud ens quodlibet, & ipsum simpliciter ens habet vt sit causa. Sed quis negat bonum esse primam & maximè causam, cum omnia bonum appetant, tanquam finem, finis autem causas omnes vbique moueat tanquam causa causarum. Iam verò si bonum atque ens tanquam duo quædam sublimia cogitatione secernas, bonum certe restabit vt finis. Ens autem non superest tanquam finis, non enim appetitur esse simpliciter, sed bene esse. Neque sufficit vlli esse nisi cum ipso etiam sit bonum. Erit igitur non vt finalis causa, vt quæ quidem summa est, sed vt effectus boni. Quippe cum referatur ad bonum. Et si quam habeat rationem causæ, erit tanquam efficiens aut forma. Et id quidem virtute boni. Duæ verò hæ causæ cum moueantur à fine, nimirum & ducuntur à bono. Summus Deus & materia infima similitudinem quandam inter se habere videntur, quatenus vtrunque est informe. Sed rursus dissimillia sunt, quoniam Deus est superior omni forma, omnemque facit. Materia verò forma qualibet est inferior, omnesque patitur. Platonici, sicut diximus alibi, entia nominant res sub Deo formales & sempiternas. Deum verò super entia cogitant. Res substantia mobiles, entia non vera, materiam denique non ens, sed hæc formis à Deo venturis naturali quodam instinctu videtur exposita. Deumque dupliciter æmulari, tùm ex hoc, qui formas inde subit, tùm quia naturaliter est informis. Informis quoque Deus, sed & hoc

hoc iterum ratione diuersa. Qua denique ratione Dionysius Deum cogitat, essentiæ & vitæ intelligentiæque expertem, eadem post illum cogitat & Plotinus, id est, eminentius aliquid essentia & vita, intelligentiaque habentem, atque hæc omnia facientem.

DIONYSIVS.

SI autem ipsum bonum est super omnia quæ sunt, vt certè est, nimirum ipsum quod illic est informe, format omnia, & in ipso solo, quod dicitur expers essentiæ, & eminentissima vita excellentissimaque sapientia. Et quocunque in ipso bono modo quodam informium nominatur, ad potestatem pertinent sublimiorem formis, formas excellenter efficientem. Denique, si dictu fas est, ipsum quoque non ens appetit ipsum bonum omnibus quæ sunt excelsius, contenditque quodammodo ipsum quoque in bono esse essentia prorsus superiore, per negationem quandam omnia inde tollentem.

Cœlestia dotes habent mirificas ab ipso bono, efficaciam, temperantiam, firmitatem, pulchritudinem, & similia.

MARSILIVS.

COelum quia valdè particeps est principij rerum, quod est ipsum bonum, ideo euidenter habet multa ad bonum peculiariter pertinentia. Quapropter cœlum est principium corporeorum omnium atque finis. Generat enim hæc tanquam principium, & conseruat. Rursus definit vnicuique tempus atque locum. Et ad imitationem sui pro viribus omnia reuocat. Substantiamque ipsam ex bono possidet immutabilem. Dispositaque sunt in eo prima, mediaque & vltima, pro voluntate boni. Præterea sicut bonum attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, in cœlum quamuis magnitudinis potestatisque excessu, motuque rapidissimo pulsans & penetrans vniuersa, mox videatur violentet omnia concussurum, seipsum tamen omnium commodati prorsus accommodat ac sine strepitu violentiaque dispensat. Quodue mirum est, sphæræ cœlestes corporum omnium tenuissimæ & (vt ita dixerim) liquidissimæ motu quam celerrimo se inuicem absque vlla collisione & dissipatione contingunt. Rectore videlicet cœli sic bonitate sua cœlestia inuicem temperante. Hic Orpheus in hymno naturæ, naturam, inquit, circuitum agere prouidenter, & incedere sine strepitu. Dicuntur verò cœlestia liquida, quia tanquam à terra separatissima, duritiam terrenam nullam habent. Dici etiam quodammodo solida possunt, quoniam virtute mirabili conseruant substantiæ suæ, figuræ, mensuræ perpetuam firmitatem. Cur autē motus tam vehementes contactu frequenti combustionem ibi nullam inferunt, cùm motus naturaliter author sit caloris. Quoniam videlicet ipsum bonū extrema sphærarum globorumq; labia vbi mutuo se contingunt, aquea (vt ita dixerim) virtute perfudit. Quod quidem Hebræorum Astrologi non negabant. Quę fane virtutes humificæ fortè apud Mosem & Dauidem sunt aquæ cœlestes. Deniq; Pythagorica quidem ratione concinere cælestia possunt, melodiamq; conficere, terrenis auribus non perceptam, strepere vero non possunt. Sic apud Orpheum Apollo supercœlestis in lyra cœlesti fides feliciter tonosq; mundanorum iucunditati contemperat.

Proinde stellę firmamenti ex ipsa boni dispositione habentur vt ordine certo in imagines pulcherrimas dispositæ sint, & in sua sede firmæ, soloque radiorum iactu velut intuitu quodam atque nutu omnia facillimè peragant. Hinc quoque planetæ varietatem motuum sunt adepti. Hinc Sol & Luna cursibus suis dies & menses metiuntur & annos, perque tempora hæc metiuntur & sæcula. Et quæ sub tempore fiunt, eadem mensura ducuntur. Inde certis temporibus orta, definitisque interuallis temporum restituta. Probabile est sub prouidentia boni, vt ab vno gradatim in multitudinem procedatur, empyreum, cœlum vno tamen ab oriente ad occasum motu moueri. Christallinum eodem quoque simulque opposito motu proferri. Firmamentum verò præter geminos eiusmodi motus, agit tertium, per accessum videlicet & recessum, septentrionem versus atque meridiem. Planetæ deinceps, pręsertim propter epiciclos, pluribus etiam motibus agitantur. Inter quos simplicissimus est Solis tanquam Domini motus.

Ab ipso bono sunt dotes ordinesque cœlestes, & moderatio & decus & splendor.

DIONYSIVS.

VErum quod in medio disputationis cursus nos effugerat, bonum ipsum causa est cœlestium principiorum atq; definitionum, huius videlicet substantiæ, quæ nec augeri, nec minui, nec omnino variari potest. Causa rursum, vt celerrimus motus orbis immensi (vt ita dixerim) sine strepitu peragatur. Hinc præterea syderum ordines, decores, lumina, firmitates, hinc planetarum permutatio multiplex, hinc Solis & Lunæ, quæ magna lumina sacræ literæ nominant, circuitus ab eisdem ad eadem perpetuo restitutus. Quibus sane restitutionibus apud nos dies & noctes, mēsesq; & anni definiuntur, quæ quidem definitiones reliquos orbiculares motus tam temporis, quàm temporalium determināt, numerantque & ordinant atq; continent.

Lumen est imago boni. Sol est cœlestium Dominus & imago Dei.

MARSILIVS.

RES nulla magis quam lumen refert naturam boni. Primò quidem lumen in genere sensibili purissimum eminentissimumque apparet. Secundò, facillimè omnium, & amplissime momentoque dilatatur. Tertiò, in noxium occurrit omnibus, atque penetrat, & leuissimum atque blandissimum. Quartò, calorem secum fert almum omnia fouentem & generantem atque mouentem. Quintò dum adest inestque cunctis, à nullo inficitur, nulli miscetur. Similiter ipsum bonum totum rerum ordinem supereminet, amplissime dilatatur, mulcet & allicit omnia, nihil cogit, amorem quasi calorem habet vbique comitem, quo singula passim inescantur, bonumque libenter asciscunt. Vbique rerum penetralibus præsentissimum, commercium cum rebus nullum habet.

Denique sicut ipsum bonum inextimabile est, atque ineffabile, ita fermè lumen. Hoc enim nullus adhuc definit Philosophorum. Vt nihil lumine clarius sit alicubi, nihil rursum videatur obscurius, sicut & bonum & notissimum est omnium, & pariter ignotissimum. Quamobrem Iamblichus huc postremo confugit, vt lumen actum quendam, & imaginem perspicuam diuinæ intelligentiæ nominaret. Quemadmodum emicans è visu radius est ipsius visus imago. Nos saltem lumen solemus dicere vestigium quoddam vitæ mundanæ, quasi proportione quadam ita seipsam oculis offerentis, vel quasi spiritum vitalem inter mundi animam atque corpus. Sed de hoc in Theologia nostra satis diximus. Sol tanquam manifestus cœli dominus, omnia prorsus cœlestia regit, & moderatur. Magnitudinem eius ingentem, qua centies, sexagiesque & sexies terram excedere iudicatur, in præsentia prætermittam. Nam de Sole & lumine librum vitæ graui composuimus. Neque tamen prætermittere decet comparationem illam Platonicam, alibi latius à me descriptam. Quemadmodum Sol & oculos generat & colores, oculisque vim præbet qua videant, coloribusqua videantur, & vtrosque in vnum lumine conciliante coniungit, ita Deus ad intellectus omnes resque intelligibiles se habere putatur. Atque ita demum excedit hæc omnia, quemadmodum Sol oculos & colores. Quoniam verò ab imagine ad exemplar partim adimendo quod deterius est, partim addendo quod melius, ascendere licet, deme si placet Soli, cui materiam subtraxit. Auerrois, tu certam similiter quantitatem. Sed interea cum luce relinque virtutem, vt superfit lumen ipsum mirifica virtute referum, nec quantitate certa, nec figura aliqua definitum. Ideoque immensum imaginatione spatium sua circum præsentia tangens. Ita tunc excedens intelligentiam, sicut in seipso nunc exsuperat aciem oculorum. Hac fermè ratione Deum, qui in Sole posuit tabernaculum suum, ex Sole pro viribus inuenisse videberis. Denique sicut nihil alienius est à luce diuina quam materia protsus informis, ita nihil à luce Sole diuersius est quam terra. Ideo corpora in quibus terra conditio preualet, tanquam ineptissima luci, lumen nullum intus accipiunt. Non quod sit impotens lumen ad penetrandum. Hoc enim dum non illuminat intus lanam, aut folium, interim penetrat momento cristallum, alioquin difficilius admodum penetratu. Ita diuinum lumen etiam in tenebris animæ lucet, sed tenebræ non comprehendunt. Quæritur inter hæc, quid potissimum primo Deus creauerit, respondet Moses lucem. Merito enim ab ipsa diuina luce plusquam intelligibili statim emanat lux omnium simillima Deo, lux quidem intelligibilis in mundo supra nos incorporeo, id est, Angelicus intellectus. Lux autem sensibilis in mundo corporeo, id est, lux ipsa solaris. Sed hæc primo quidem sui gradu tanquam die primo, id ipsum simpliciter habet, vt luceat intus, illuminetque foris. Secundo verò, vt virtute calefactoria tum ipsa polleat, tum cætera vegetet. Tertio rursum, vt efficacia sua iussuque Dei seipsam propaget in molem? Quarto denique naturæ ordinisque gradu quasi die quarto, vt molem suam ita sortiatur in orbem, quemadmodum diuinæ intelligentiæ lux, vnde manauit, reflectitur in seipsam.

Similitudo luminis atque Solis ad Deum.

DIONYSIVS.

QVid autem de ipsa dicam, secundùm se luce solari? Lumen sanè ex ipso bono est, atque bonitatis imago. Quapropter ipsum bonum luminis cognomento laudatur, tanquam in imagine quadam exemplar expressum, ipsa quidem transcendentis omnia Deitatis bonitas à supremis antiquissimisque substantiis ad infimas vsque pertingit, atque interim extat super omnes Dum non superiores essentiæ eminentiam eius supergrediuntur, non inferiores, quin ab ipsa contineantur effugiunt. Sed & illuminat quæcunque lumen admittere possunt, & fabricat, viuificatque atque continet & perficit omnia. Rerum quoque omnium mensura est & æuum numerus atque ordo, custodia, causaque & finis. Similì fermè ratione euidens diuinæ bonitatis imago, magnus hic Sol omnino semperque lucens, pro exigua boni similitudine, quæcunq; lumen accipere possunt, illuminat, habetque lumen per omnia eminenter explicitum, & per omnem hunc visibilem mundum supra pariter atque infra, radiorum suorum splendores expandit. Si quid verò relinquitur lumine destitutum, id sanè nec debilirati, nec paruitati luminosæ distributionis est imputandum, sed his potius quæ inepta luci percipiendæ ad participationem luminis attollere se non valent. Iam verò radius multa sic affecta pertransiens, quæ post ea sunt illuminat, nihilque visibile vsquam est quod ob excellentem lucis propriæ magnitudinem non attingat. Præterea ad ipsam quoque sensibilium corporum generationem confert, eaque ad vitam mouet, nutritque & auget, perficit, purgat, renouat. Mensura quoque & numerus horarum atque dierum totiusque nostri temporis est ipsum lumen. Ipsum namque lumen est, & si tunc adhuc erat infiguratum, quod diuinus Moses ait primam illam dierum nostrorum Trinitatem ab initio distinxisse.

Similitudo rursum Solis ad Deum.

MARSILIVS.

QVando dicimus à Deo cuncta procedere, non intelligimus actum rerum se ipsas inde mouentium. Sed rerum quidem passionem, actionem vero Dei. Similiter vbi dicimus, omnia conuertuntur in Deum, non tam res mouere se ipsas erga Deum, quàm ab ipso moueri, trahi, allici, cogitamus. Cùm verò causa prima non aliunde dependens, omnia sui gratia faciat, merito sicut principium vniuersi est, ita & finis est vniuersi, si principium est finis, merito & conseruatio est omnium, atque perfectio. Quatenus aliqua in vno quodam communicongruunt, catenus & vicissim inter se conue-

niunt. Dum igitur cuncta ab eódem bono procedunt, & appetendo conuertuntur ad idem, nimirum & ab ipso bono videntur inuicem congregari. Iam vero si proprios quæque fines appetunt, quia tamen finem vnum quodq; suum appetit vt bonum. quiddam, boni videlicet summi portionem quandam atque similitudinem consequentur, ad idem ipsum bonum omnia confluunt, sed diuersa ratione participant. Summus quidem gradus participationis eius, habetur per intellectum, secundus, per rationem, tertius, per sensum, quartus per vitam, quintus, per essentialem perfectionem, atque formam. Comparatione quadam simili Sol effector est, & conseruator & finis optatus omnium mundanorum, ideóque omnium congregator. Hunc enim Helion ab ipso conuersionis & congregationis effectu, Platonici in Cratylo cognominant. Summa participatio Solis habetur in visu, secunda in virtute vitali, tertia in motu quodam ad Solem conuerso, qui in herbis lapillisque solisequiis euidenter apparet, quartus, in somento caloris, quintus in lumine Physici veteres nonnulli, atque inde religiosæ Gentes putauerunt ipsum Iouem summumque Deum esse mundum animal, eorum sententia, beatissimum, mundi verò, (vt diximus) esse Solem, quod sicut & in quolibet animali primum maximeque viuat, efficaciaque fœcunda, sphæras omnes mundi globosque progeneret, quemadmodum & cor arterias, &, vt plerique putant, venas atque neruos, & summatim omnia profert. Atque sicut hinc per omnia membra spiritus diffunduntur, sic à Sole radij per omnia mundana vibrantur. Ita sanè Solem opificem mundi putabant, atque eadem ratione gubernatorem. Nec solum calore viuifico omnia vegetantem, sed proiectis circum radiis, singula continentem, & intima intelligentiæ luce omnia prorsus intelligentem. Hinc Homerus, arenarum quoque numerum marisque mensuras, Apollinem non ignorare fatetur, Orpheusque similiter. Theologi verò Pythagorici atque Platonici, soli totique mundo sublimiorem Deum, veriore sententia, præfecerunt. Si animus à mundo separatus esset, inuisibilia Dei per proprios ipsorum radios primum intueretur, deinde per illa etiam mundana conspiceret. Cum verò sit creatura mundi, natus videlicet in mundo & ex mundo, instrumenta corporea nimirum quæ supra mundum sunt excogitat per mundana, per Solem quidem Deum, per stellas verò fixas Angelos, per erraticas autem animas, maximè verò per Lunam.

DIONYSIVS.

Bonitas ad se conuertit omnia, primaque ipsa bonitas dispersa omnia congregat tanquam vnitas, principium & vnifica Deitas. Atque hanc omnia tanquam principium, tanquam continentiam, tanquam finem, appetunt. Bonumque ipsum est, vt sacra tradunt eloquia, ex quo subsistunt omnia. Productaque sunt inde velut à causa omnium perfectissima, & in quo omnia constant tanquam in omnipotente fundamento penitus conseruata. Ad quod omnia conuertuntur, tanquam ad suum quæque finem, quod, videlicet, cuncta desiderant, intellectualia quidem rationaliaque cognitrici quadam conditione, sensualia vero sensuali, quæ autem sensu carent, ingenito vitalis desiderij motu, & quæ sunt expertia vitæ, solaque sunt essentia prædita, sola quadam ad essentialem participantiam aptitudine. Eadem & euidentis imaginis ratione, lumen quoque congregat & conuertit ad seipsam omnia, quæ vident, quæ mouentur, quę illuminantur, quæ calefiunt, quæue omnino ab eius radiis continentur. Quapropter Sol Græcè ἥλιος appellatur, quod congregabilia reddat omnia, concilietq; dispersa. Omnia Solem sensibilia cócupiscunt, videlicet videre, aut moueri & illuminari atque calefieri, & omnino ab ipso lumine contineri, desiderantia. Neq; vero hoc in præsentia co antiquorum sequens opinionem, putantium, Solem esse Deum & opificem vniuersi, & idcirco patentem hunc oculis mundum ratione propria gubernare. Verùm hæc ideo dixi, quoniam inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius atque diuinitas.

De quinque luminibus, item quomodo diuinum lumen agit in Angelos atque animas.

MARSILIVS.

Platonici quinque lumina ponunt, primum superintelligibile, secundum, intelligibile, tertium, cogitabile, quartum, imaginabile, quintum visibile. Visibile hoc, cuius fons primus est Sol, dependere putant ab imaginabili, quod animę mundanæ imaginario est, & excellentius isto apud seipsam imaginatur. Imaginabile quoq; à lumine cogitabili, quod rursum præstantius eiusdem animæ ratio excellenter excogitat. Cogitabile hoc ab intelligibili similiter emicare, quod & per summam participationem existit in mundanę huius animę intellectu, & per formam viget in intellectu supermundano, id est, Angelico. Lumen autem ipsius boni proprium non appellatur intelligibile, quoniam nullam habet cum intellectu proportionem, sed plusquam intelligibile nominatur. Et ab Apostolo Iacobo nuncupatur, pater luminum, scilicet quatuor reliquorum. Hoc ipsum lumen sic in sonte suo superat intellectum, quemadmodum lumen in ipso Sole excedit nostrũ visum. Temperat verò seipsum benignitate sua, graduque pleniore descendit in Angelicos intellect⁹, in nostros verò parcius, excelsius videlicet lumen minimè tolerantes. Officium verò luminis est, tenebras caliginesque discutere, item leuitatem dare ac motum, sursumque attollere. Hæc igitur omnia facit diuinum lúmen in anima intellectuali quidem omni, etiam in tenebrosa per ignorantiam, ac tenebrarum pondere pregrauata per mundanos affectus præcipitantes ad infima. Prima quidem portio luminis exhibetur intellectuali naturę etiam non quærenti. Hinc è vestigio sequitur amor quidam, nimirum ex lumine calor, amor verò vbi euadit ardentior, quia & purgat & transfert, vberiorem iure reportat luminis plenitudinem. Tot verò plenitudinis gradus animæ conferuntur, quot amor gradibus incalescit.

Feruet autem tum accensus, afflante Deo, tum nostro arbitrio concitus.

DIONYSIVS.

SEd hæc quidem ad Theologiam symbolicam, id est, significatiuam pertinent. In præsentia vero intelligibilem ipsius boni appellationem à lumine ductam celebrare debemus. Deus quidem ipse lumen intelligibile nuncupatur, quoniam intellectum omnem supercœlestem lumine implet intelligibili. Atque ex omnibus animabus, quibus seipsum infuderit, ignorantiam omnem erroremque expellit, easque sacri luminis participes efficit, intellectuales harum oculos purgat, obductamque ex ignorantia caliginem discutit, atque profundo tenebrarum pondere obtusos suscitat explicatque in luce. Primum quidem bis mediocre lumen impertit, deinde postquam animæ gustantes lumen ardentius ipsum amare cœperunt, vberius affluit, ideoque illuminat abundantius, quoniam plurimum dilexerunt. Atque ita semper incendit vt gradatim vltra proficiant, quatenus sursum pro viribus se attollere valent.

Deus est lumen super lumen, illuminat mentes omnes, tum natura, tum gratia, atque in vnum illuminando conciliat.

MARSILIVS.

RErum principium non est formaliter lumen aliquod ab intellectu quouis excogitatum vel proportionem vllam habens ad intellectum. Dicitur tamen intelligibile lumen, id est, luminis intelligibilis author, atque deinceps luminis cogitabilis, & imaginabilis, visibilisque largitor. Quemadmodum Sol stellas fixas illustrat & Planetas, & elementa, ita fermè Deus Angelos super mundanos, id est, assistentes Deo, & duntaxat contemplationi vacantes, item circa mundanos, id est, Angelos in gubernatione mundi ministrantes Deo, rursum, intra mundanos id est, intellectus humanos. Nec solum naturale lumen ab initio semel vnicuique tribuit, sed etiam supernaturale multis nouumque largitur. Et quemadmodum Sol distributa lumina penes seipsum comprehendit in vno vberiusque possidet, atque prius, ita multoque magis Deus intelligibiles & intellectuales rationalesque virtutes, atque fulgores in vno penes se vigore comprehendit, qui sanè & infinitis gradibus sequentes superat, & naturali ordine, vel temporali etiam antecedit. Quoniam verò diuinum lumen & simplicissimum est & ipsa vnitas, ideo quoscunque intellectus ad se conuertit, in vnam quasi formam & voluntatem, & actionem mirifice congregat, vt non mirum sit, dum multæ mentes eidem simul Deo sunt deditæ, quærendo, videlicet contemplando, amando, fruendo, ab alia vicissim in aliam cogitatus, & affectus & motus aliquos redundare. Mitto nunc quod circa idem vna duntaxat est vera sententia, esse verò falsæ complurimæ possunt. Vnde confirmatur, veritatis quidem lumen mentes inuicem congregare, contra verò, falsitatis tenebras disgregare. Animus denique vnifico Dei lumine plenus, vnica virtute consequitur omnia, quę cęteri multis sensibus & imaginatione rationeque & intelligentia prosequuntur.

DIONYSIVS.

IPsum ergo bonum lumine quouis excelsius, lumen intelligibile nuncupatur, tanquam fontana lux & exuberans profusio luminis intellectum omnem supermundanum, circamundanum, intramundanum, sua illuminans plenitudine, totasque intellectuales horũ vires renouans. Et oẽs deniq; intellectus comprehendens eo ipso quod se super eos expãdit. Atq; omnes excedens eo quod desuper exstat. Et omnino tanquam principiũ luminis super lumen, authoritatem, dominationemque omnem potestatis illuminantis in se complectens & excedens atque antecedens. Iam verò intellectualia rationaliaq; omnia congregat atque conciliat. Nam quemadmodum ignorantia eos qui decepti sunt, diuidit, sic ipsa intelligibilis præsentia luminis eos qui illuminantur congregat, vnit, perficit. Conuertit quoque ad ipsum quod verè est ex opinionum diuersitate, variasque visiones, siue, vt rectius loquamur, imaginationes, in vnam veram, puram, vniformem cognitionem cogit. Ac vno tandem & vnifico lumine complet.

Ipsum bonum omnia reddit suo lumine pulchra.

MARSILIVS.

SOl tribus potissimum gradibus per omnia diffundit intimè lucis imaginem. Primo quidem per cœlestia, secunda verò corpora penitus sub cœlo diaphana, tertio per superficiem corporum solidorum. Similiter ipsum bonum lucis propriè gratia, quæ pulchritudo dicitur, per Angelos, per animas, per corpora porrigit. Pulchritudinem communiter circa corpora in duobus versari putamus, in proportione videlicet quadam membrorum atque linearum, coloribusque perlucidis. In animis quoque pulchritudo tributa diuinitus, in proportione virium motuumque animi, item in cogitationis & intelligentiæ claritate consistit. In Angelis etiam pulchritudo desuper emicans in proportione, intelligentiæ voluntatisque, & actionis, rursumque in veritatis lumine collocatur. Summa tandem ipsius Dei simplicitas efficit, vt propria pulchritudo Dei proportionem non habeat à luce distinctam. Sicut neque Sol calorem à lumine differentem. Efficit insuper vt pulchritudo & pulchrum, quæ duo quædam sunt in rebus, vnum denique sint in ipso, sicut nec in ipsa luce simpliciter considerata aliud quidem lux est, aliud verò lucere. Nec multa quidem hic de pulchritudine vel de amore dicam, plurima enim in libro de amore tractamus, conuiuium Platonis interpretantes. Quem sanè librum placuisse Dionysio propterea coniectamus, quod Platonica verba in hoc præcipuè capite libenter imitatur & comprobat.

DIONYSIVS.

HOc ipsum bonum à sanctis Theologis vt pulchrum & pulchritudo, item vt dilectio diligendumq; laudatur. Et quæcunque aliæ appellationes diuinæ pulchri-

tudinem illam decent gratiosissimam, & omnis pulchritudinis author est. Pulchrum verò & pulchritudo in causa illa, quæ in vno omnia colligit, distinguenda non sunt, hæc enim in rebus quidem post Deum omnibus esset intelligibilibus, in participationes participantiaque diuidimus, Pulchrumque nominamus quod est particeps pulchritudinis, pulchritudinem vel participationem quandam causæ primæ pulchra omnia facientis. Ipsum verò supereſſentiale pulchrum pulchritudo quidem dicitur, propter illam quam rebus omnibus pro suo cuiusque modo pulchritudinem tradit. Atque vt omnium concinnitatis nitorisque causa, luminis videlicet instar, cunctis coruscans, fontani radij sui deriuationes, omnia passim pulchra reddentes, & tanquam ad se omnia vocans. Vnde à vocando pulchritudo Græcè κάλλος cognominatur. Ac denique tota in totis in vnum colligens. Appellatur & pulchrum, tanquam vniuersam comprehendens pulchritudinem atque superpulchrum. Semperque & secundùm eadem & eodem modo pulchrum, nec vnquam ortum neque caducum, nec adauctum, nam diminutioni subiectum, nec parti quidem hac pulchrum, illa verò turpe. Nec alias quidem pulchrum, alias verò nequaquam. Nec ad hoc pulchrum, ad illud turpe. Nec his quid ita, ibi verò aliter, nec his sanè formosum, illis autem deforme. Sed tanquam tempus secundùm seipsum secum ipso vniforme semper existens pulchrum. Atque vt vniuersi pulchri foutanam pulchritudinem in seipso eminenter anticipans. In ipsa enim scilicet simplici & excelsa pulchrorum vniuersorum natura, omnis pulchritudo & omne pulchrum vniformiter secundùm causam præexistit.

Pulchritudo prima est omnium principium & exemplar & finis, atque est ipsum bonum.

MARSILIVS.

Omnia pulchra ad primam pulchritudinem referuntur, cuius participatione magis minusuè pulchra fiunt. Est autem pulchritudo prima omnium causa, efficiens finalisque & exemplar. Efficiens, inquam, modo perfecto. Nam non solum dat esse, sed & motum atque conseruat. Nemo dubitat rem quamlibet esse per formam. Formositatem verò cuiusque, quæ & sua cuique pulchritudo est, esse integritatem formæ, nemo negabit. Ab eadem vtique causa & formositas est, atque forma. Formositas autem tanquam pulchritudo quædam à pulchritudine prima dependet. Quæ quidem cum tribuat vnicuique formam, per quam est vnum quodque, nimirum tanquam efficiens causa omnibus esse largitur. Præterea dum formam exhibet, quæ est principium motionis, adhibet interea motum, motum, inquam, certum formæ propriè comitem. Illinc igitur habent singula, vt ad salutem suam moueantur, & in perfectiore quiescant. Hinc efficitur vt pulchritudo prima faciat, & moueat omnia, pariterque conseruet. Quoniam verò singula quatenus pulchra sunt, amabilia sunt, merito pulchritudo prima maximè omnium est amabilis, tum sibi ipsi, tum cæteris. Sed quod sibi ipsi amanda est, ideo amore sui seipsam propagat, tanquam in suas imagines in omnia pulchra, quod rursum omnibus est amanda, interim conciliat omnia. Quæ dum in singulis pulchris amandis, pulchritudinem primam amant, & alia aliis amica fiunt, & conueniunt in eodem. Quapropter per ipsam pulchritudinem societates omnes communionesque nascuntur. Item intima vnicuique rei in suis partibus congruentia. Hæc enim tanquam proportio quædam à pulchritudine prima proportionis omnis origine proficiscitur. Hinc rursus efficitur, vt pulchritudo prima sit finis omnium, Quatenus omnia, & ad hanc amandam confluunt, & omnem conatum motumque suum huc dirigunt, vt integritatem formæ formositatemque tum suam quærent, conseruentque, pro viribus, in aliudque deriuent, tum alienam comparent, atque fruantur. Denique pulchritudo prima est causa omnium exemplaris, singula enim sunt per formam. Dispositio verò vniuscuiusque formæ per dispositionem rationemque formalem primæ formæ peragitur. Cum verò dotes eiusmodi, quas primæ pulchritudini proprias attribuimus, ipsi tantum bono sint propriè, concluditur primum pulchrum primumque bonum esse idem. Plotinus quin etiam postquam pulchrum distinxit à bono, tanquam emanantem foras splendorem ab intima luce, tandem ipsum bonum, ratione quadam superpulchra pulchritudinem appellauit. Materia prima quæ non ens propter informitatem cognominatur, formam formositatemque, imo & omnes formas naturaliter appetit, atque ita appetit esse, & pulchre pariter, atque bene esse. Ipsumque bonum pulchrumque primum, in hoc saltem æmulari videtur, quod quemadmodum illud, ita & hæc nullam habet formam. Item quatenus illud omnes largitur formas, eatenus hæc easdem & auidè adsciscit & libenter amplectitur.

DIONYSIVS.

Ex hoc ipso pulchro omnibus quæ sũt inest, vt pro modo suo sint pulchra, Atq; propter ipsum pulchrũ, omnium cõgruentiæ amicitiæq; & cõmuniones vnionesq; proueniunt. Idq; omniũ est principiũ vt causa efficiens, & mouens, & continens vniuersa, pulcritudinis videlicet sui ipsius amore. Est & finis omnium, cunctisq; amabile, tanquã finis, omnia enim pulchri gratia fiunt. Exẽplaris quoq; causa est, omnia enim per pulchrũ definiuntur. Quãobrem idẽ est pulchrũ ipsum atq; bonũ. Quoniam omnia pulchrũ pariter atq; bonũ secundũ omnẽ causã appetunt, nec quicquam est in rerum ordine, quod non sit boni pulchriq; particeps. Audebimus quoq; dicere, ipsum etiã nõ ens, pulchri boniq; cõpos existere, Tunc enim & ipsum est pulchrum atq; bonum, quando in Deo per omnium ablationem supra modum essentiæ celebratur.

Idem est primum bonum atque pulchrum, item à pulchritudine prima sunt rerum essentia uniones, discretiones, communiones, ordines, proportiones, status, motus.

MARSILIVS.

Nemo argumentari debet, primum principium, quia quam plurima facit, esse propterea multiplex, vel in natura, vel in actione. Sed potius contra, quia videlicet est indefinitè simplex, ideo esse primum, & idcirco illinc omnia proficisci, & quoniam propter miram simplicitatem est ipsa vnitas, virtutem infinitam habere cuncta creantem. Siquidem in singulis vnaquæque virtus quarenus vnita magis est, eo potentior est, efficitque plura. Ipsum ergo principium apud Dionysium, sicut summe vnum est, sicut vnite, vnice, vnica virtute & actione dicitur omnia procreare. Proinde si singula consideres naturæ opera, cœlum, elementa, plantas, animalia, videbis naturæ intentionem duo hæc pariter vbique curare, commoditatem videlicet & ornatum. Quod vel in minimis quibusque est maximè manifestum, in herbarum foliis, in aliis papillonum. Commoditas quidem & vtilitas ad bonum pertinet, ornatus verò, modus, species, dispositio, proportio, concinnitas, consonantia, gratia, claritas, spectat ad pulchrum. Ex his ergo colligitur in summo naturæ principio primam pulchritudinem cum prima bonitate concurrere. Et si Plotinus bonum anteponit pulchro, tum rationibus aliis, tum etiam quia bonum vsque ad materiæ primæ centrum videt attingere. Materia siquidem necessaria est & vtilis & commoda mundo. Pulchrum verò non ad deformem materiæ finum inspicit penetrare, sed circa superficiem eius in forma versari. Dicit tamen primum principium tam à Plotino quàm à Dionysio, ipsum pulchrum & pulchritudo prima, non quia sit formalis aliqua pulchritudo, sed quoniam prima causa pulchritudinis. Contemplatur præterea Dionysius noster in Sole occultam Solis naturam atque lucem, vbi natura quidem est lux ipsa se intus colligens in seipsam. Lux autem natura rursus existit seipsam explicans in apertum. Similiter contemplatur in Deo efficacem naturæ fœcunditatem, & clarissimæ rursus intelligentiæ ordinem. Illam quod propriè nominat bonitatem, hanc verò nuncupat pulchritudinem. Re quod ipsa penitus vnum, sed hanc ab illa quadam ratione distinctam. Quemadmodum igitur quæcunque fiunt à natura Solis occulta eadem proficiscuntur à luce atque vicissim, ita quæcunque à bonitate nascuntur, eadem à pulchritudine disponuntur. Sicut in artificio cuncta simul & virtus in artifice mouens efficit, & ratio inrerim artificiosa, dum fiunt ordine suo quæque disponit. Quæcunque in ordine rerum, ad gratiam, claritatem, proportionem, concinnitatem, consonantiam, ordinem, attinent, tanquam propria pulchritudinis à pulchritudine prima perficiuntur. Hæc igitur omnia Dionysius in præsentis numerat. Essentiales quidem subsistentiæ rerum in claritate formæ & eiusdem integritate consistunt. Vniones quoque discretionesque rerum, siue in suis vniuscuiusque partibus insint, siue interrem hanc & aliam cōsiderentur ad proportionem quandā spectare videntur. Similiter quæ per vnionem discretionemq; contingunt, scilicet, identitates diuersitatesq; in natura, item similitudines dissimilitudinesque in qualitate ad proportionem aliquam mutuamque habitudinem referri putantur. In prima pulchritudine vnitas cum multitudine ita semper est concors, vt alterutrum non impediant. In vnitate essentiæ Trinitatis ineffabilis, & in Trinitate similiter vnitas. In conceptu diuino vnica lux intelligentiæ simplicissimæ cum idealium radiorum mira multiplicitate conspirat. Hinc efficitur vt in re qualibet & vnitas sit essentiæ, & partium seu virium multitudo, nec alterum impediat alterum. Item & in vniuerso multæ rerum species actionesque in vna totius mundi forma ordineque conueniant. Per quam quidem conuenientiam & superiora ad inferiora, & hæc ad illa, & æqualia inuicem quodammodo se conuertunt, mirabiliterque communicant, vnde quoque tamen suam interim seruat proprietatem. Per eandem quoque conuenientiam cœlestia etiam in terrenis modo quodam propè terreno, ac terrena sunt in cœlis, sed ibi ratione cœlesti. Hinc vtiquè totus sibimet mundus ceu viuens vnum est connexus, totusque vbique respondet toti, vt si quis terrenum Mercurium explorauit, & opportunè susceperit, si quodammodo cœleste ad se Mercurium attracturus. Sed de his in libro de vita latius disputauimus. Proinde proportio quæuis harmonica vel exterior, vel interior à prima pulchritudine omnibus est tributa, per portionem eiusmodi partium, virium, actionum. Tum substantiæ stabiles permanent insolubiles, rum res fluxæ perpetua quadam propagine, speciem retinent sempiternam. Denique series idearum diuina mēte concepta, est proculdubio pulchritudo prima. Ab hac igitur & in ipsa vnum quodque est in certa specie ratione que propria constitutum, videlicet vt ignis necessario sit lucidus, calidus, siccus, leuis. Per certam verò naturam, inclinatio, motio, actio, similiter est sua cuique destinata. Illic igitur & status, & motus est omnibus assign tus. Ipse verò Deus, vt Plato disputat in Parmenide, neque mouetur, neque motus est vllus, alioquin imperfectus fere compelleretur. Neque stat, esset enim ex statu quodam ac stante compositus. Neque status est illius, quomodo scilicet formaliter aliquid starè dicatur. Primum nanque principium est in nullo; neque est ipsa duntaxat idea status. Esset enim & certa specie definitus, & ad certum designatus effectum. Sed ne pigeat mysterium hoc Dionysiacum memoriæ commendare. Quemadmodum in principio numerorum summa vnitas concurrit cum infinita numeralium rerum multitudine, sic in principio rerum penes ipsam naturæ vnitatem inextimabilem, innumerabilis existis rationum idealium multitudo. Nec eiusmodi multitudo summam impedit vnitatem, sed necessario comitatur. Quamobrem diuina vnitas atque discretio vsque adeo pariter vbique regnat, vt nulla vel tam inter se diuersa esse possint, quin in aliquo simul communi conueniant, vel tam exactè conflata ex pluribus, quin plura hæc suam ad huc aliquam seruent proprietatem.

DIONYSIVS.

Hoc ipsum bonum vnum atque pulchrum vnice causa est multorum omnium pulchrorum atque bonorum. Ex hoc omnes rerum essentiales subsistentię, vnio-

nes, discretiones, identitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines, præterea discretorum communiones, vnitorum inconfusæ proprietates, superiorum prouidentiæ, rerum eiusdem ordinis consortia mutua, conuersiones inferiorum, omnium interea sibimet cõseruatrices immutabilesque mansiones atque firmitates, rursus omnium in omnibus pro sua cuiusque proprietate communiones, & congruentiæ inconfusæque amicitiæ consonantiæque vniuersi, atque omnes in vniuerso, tum eorum quæ reuera sunt, contemperantiæ, indissolubilesque connexus, tum eorum quæ fiunt perpetuæ successiones, denique status omnes motusque mentium, animarum, corporum. Status enim est omnibus atque motus quod omni statu motuque superius exstans rem quamlibet in ratione propria firmat & ad propriam dirigit motionem.

De motu Angeli & animæ triplici, idest, circulari, recto, obliquo.

MARSILIVS.

INter virtutem naturalem atque cognitricem, hoc interest potissimum, quod naturalis virtutis actio fertur foras, ac desinit in subiectum. Cognitricis verò virtutis actio permanet penes ipsam. Quapropter hæc quidem circulare non nihil habet. Quod enim in orbem mouetur, versatur circa seipsum, reditque semper vnde discessit. Illa verò rectam videtur lineam imitari, ab altero videlicet puncto in alterum desinentem. Corpori quidem sola competit euiusmodi actio, motioque consimilis, intellectui verò conuenit actio circularis. Cum enim cognitio qualibet in se videlicet quodammodo permanens, circulare nonnihil habeat, & imaginatio quidem magis quam sensus, ratio quoque magis quam imaginatio, intellectus denique, tanquam cognitio summa, circularis est summopere. Hinc fit vt anima inter intellectum corpusque media, mediam habeat actionem motumque similiter tum orois, tum recti participem. Vna siquidem intellectus ipsius actio est intellectio, ex se exordiens & orbiculariter remeans in seipsam. Quatenus verò se sua que intelligit, eatenus intelligit, efficit, moueat, regit alia. Hic igitur recta quædam linea tendens in alia orbem intimum comitatur, videlicet inde profecta. Hęc igitur actio circa alia intimam non distrahit actionem. Anima verò & animaduersione sui facit circulum, & vegetatione corporis negotioque circa corpus rectam lineam imitatur. Sed quoniam hæc non dependet ab illa, nimirum anima sic agendo distracta videtur, & apud eum operatio, altera vicissim impendit alteram. Verum si ad mentem quidem circuitus attinet, ad animam verò motio quædam mista, ad corpus denique recta, vnde nam cœlestis reuolutio prouenit? Non à corpore quidem cœli natura, sed à motore cœli mente vel anima, vel vtraq; ad circuitum interea conferente figura. Esse verò mundanum motum à mente simul & anima, Platonicus quisque coniicit ex motibus mundi mistis, orbicularibus videlicet atque rectis. Hactenus Platonicè tantum locuti sumus. Ad Dionysium reuertamur, Platonica semper in melius reformantem. Cum mens Angelica per diuinum lumen intelligens, ipsum quoque lumen intelligat, idque vniformi perpetuoque actu semper efficiat, merito sic remeans vnde cœpit, circulum quendam videtur efficere. Mox verò intelligens inferiora, & intelligendo dispensans per rectam lineam ita procedere iudicatur. Nec enim illuc spectat vnde cœperat. Nec quæ gubernantur inde similiter dispensantur. Inter loquendum Dionysius noster Platonis amator, libenter verbis Platonicis vtitur. Vbi inquit, recta quadam via omnia peragit. Quod quidem Platonis est in quarto legum dicentis: Deum dum vniuersa lustrat in orbem, omnia interim via recta peragere. Vbi sanè dicit, Deus secundùm naturam circuitum agens via recta peragit, id est, naturalis, & prima Dei actio versatur circa seipsum intelligendum atque amandum, ex hoc autem circulo linea recta suboritur, dum videlicet se intelligens intelligit & efficit omnia. Animus verò noster contra, exordiens à linea recta qua versatur circa alia, desinit in circuitum quo seipsum animaduertit. Proinde motus obliquus partem quidem habet recti, partem verò circuli. Angelus igitur dum quasi recta quadam processione gubernans inferiora, ab ipsa diuinorũ intelligẽtia non discedit, atq; ita summum illum conseruat circuitum, nimirum obliquum morum imitari videtur. Eatenus autem in eodem suo habitu perseuerat, quatenus in Deo permanet, velut centro. Ipsa namque vnitas, status omnis principium est & ratio. Stare enim censetur, quod sui habitus retinet vnitatem. Est & fundamentum motus, non enim motus est nisi continuus. Neque continuatur actus nisi per vnitatem. Vis ipsa mouendi permanet, est & origo identitatis, ęqualitatis, similitudinis. Siquidem per ipsam vnitatem, & quæ sunt eadem, vnum sunt in substantia, & quæ sunt æqualia, sunt vnum in quantitate, & quæ similia, vnum in qualitate. Quemadmodum verò à circulari cœlestium motu, tum recti elementorum atque mistorum, tum obliqui viuentium motus prolificuntur atque reguntur, ita & rectus obliquusque motus id est, actus Angeli ab intimo eius circa Deum circuitu vim omnem originemque sortitur. Platonicus Timæus in cœlo circuitus præcipuè duos suscipit, Erraticum scilicet planetarum. Atque non errantem, videlicet firmamenti. Circuitus fermè similes in anima contemplatur. Erraticum quidem in ratione circa se & causam cognoscendam variis discursionibus aberrante. Non errantem verò in intellectu seipsum causamque suam per simplicem firmumque intuitum contuente. Præterea quemadmodum sub Luna motus recti sunt gemini, alter quidem ascendentium, alter verò descendentium, sic in anima motus quasi rectus est duplex, alter sentiendo corpora, & imaginando imagines corporum ad externa descendit, alter ascendit, aut ex multis sub specie singularibus speciem vnam rationemque communem concipiens atque colligens, aut etiam ex natura corporea interdum excogitans incorpoream. In hoc autem officio refugiens multitudinem confugere videtur ad vnitatem. Inter hęc verò memento, quo superior virtus est, eo & minus multitudine indigere, & magis in vnitate multa complecti. Nempè visus vnico intuitu figuram percipit circularem,

quam actu multiplici digitorum tactus exhibet iudicandum. Imaginatio vna conficit quotcunque multi sensus efficiunt. Ratio singula imaginatioois spectacula, summatim sub vna specie contuetur. Intellectus vno sæpius actu stabili conspicit, quod ratio multis indagauit ambagibus. Appellatur tamen ratio etiam intellectos à Dionysio, sed inferior & in vtroque intellectu circulum, Platonico more designat. Circuitumque intellectus inferioris erraticum, resoluit in orbem intellectus superioris non errantem, id est, minimè vagabundum, erroresque rationis emendantem atque firmantem. Quemadmodum verò ex iactu lapilli in aquam circuli plures euestigio subsequuntur, sic ex ingressu animę in seipsam circuli deinceps multi nascuntur. Primo quod seipsam animaduertit & ex propriis actionibus vires suas agnoscit atque naturam, atque ita nonnunquam ex rationali maximè intellectualis euadit, vnaque iam efficitur ex multiplici. Secundo verò circuitu per intelligentiam suam animo participanti tributam, Angelicam excogitat intelligentiam, non in anima quidem vlla, sed in seipsa constantem, propriaque animę vnitate longè simpliciorem. Tertio tandem circulo per intelligentiam Angelicam contemplatur Deum omnis intelligentiæ lumen. Tres autem actus eiusmodi ideo circuitus appellantur, quoniam in suam originem se reflectunt. Nominatur autem motus obliquus io anima, quando luminibus infusis Deo, ipsummet Deum excogitare contendens, à diuinitate procul aberrat. Tunc enim quia conuertere seipsam oititur illuc vnde mouetur, refert quodammodo circulum. Quoniam verò non peruenit, noonihil adhuc recti retinens, obliqua relinquitur. Erat autem sic à Deo quotiens ratione vtens potiusquam intellectu, notionem quandam sub diuino lumine circa Deum concipit non simplicissimam quidem atque stabilissimam, qualem intellectus purus augurari solet, sed mobilem potius atque multiplicem, quam humana ratio confingere consueuit, ideoque longissimè à diuina summitate distantem. Appellatur autem eiusmodi notio mista, quoniam ibi rationis actio diuinas intelligentię species, cum imaginibus imaginationis humanæ commiscet.

DIONYSIVS.

SIc intellectus diuini circulo quidem moueri dicuntur dum pulchri bonique splendoribus, principio & fine carentibus, coniunguntur. Rectè verò linea quando ad inferiorum prouidentiam prodeunt, recta omnia peragentes, obliquè vero quoniam dum sequentibus prouident, nunquam à propria identitate discedunt, videlicet circa pulchrum atque bonum, identitatis causam, indeficientem choream agentes. Animæ vero motus circularis quidem est ingressus in seipsam ab externis, atque intellectualium eius virium glomeratio vniformis, velut circulo quodam acta, munus non erraticum ei largiens. Eamque à multis extrinsecus circumfusis diuertens atque colligens, primo quidem in seipsam, secundo tanquam vniformem iam effectam singulariter vnitis potestatibus copulans. Tertio hinc ad pulchrum bonumque perducens, quod super omnia quæ sunt, est vnum atque idem, neque principium habens neque finem, obliquè vero mouetur anima, quatenus diuinis subrutilat notionibus, pro sua duntaxat proprietate susceptis, non intellectuali quidem stabilique sorte, sed rationali discurrenteque conditione, transeuntibus, scilicet actionibus atque permistis. Linea vero recta mouetur quando non ingreditur in seipsam nec intellectuali vniformique proprietate mouetur, hoc enim est, vt dixi, circuitum agere, sed ad externa procedens ab eis, velut à signis quibusdam variis multiplicibusque ad simplices & vnitas contemplationes erigitur.

Ipsum pulchrum bonumque est causa efficiens, exemplaris, finalis, conseruatrix omnis status atque motus & ordinis, bonique totius rerum omnium.

MARSILIVS.

PRimum rerum principium, quod ex ipsa quidem fœcunditate naturæ dicitur ipsum bonum, ex ipsa verò intelligentię luce dicitur ipsum pulchrum, est causa motus omnis recti, circularis, obliqui, tum in rebus incorporeis, tum corporeis. Multoque prius status omnis est causa, tum quia status perfectioni principij propinquior est, tum quia io vnoquoque præcedit ac regit vnius cuiusque motum, videlicet statum virtutis optantem. Conclude, si status motusque omnis causa Deus est, ipsum omni statu motuque superiorem esse. Est autem causa Deus, ipsum omni statu motuque superiorem esse. Est autem causa vtriusque, modis quatuor, ex qua, per quam, ad quam, siue cuius gratia, io qua, id est, efficiens, exemplaris, finalis, conseruans. Efficiens inquam, quia dùm vnicuique dat essentiam, essentialemque virtutem, interim & perseuerantiam in essentia præstat, & efficaciam admodum subito properantem. Exemplaris quoque, quoniam species, modus & ordo vtriusque designatur penes Deum. Finalis insuper, ad quam vtriusque & intentio spectat & cuius gratia editur actio. Conseruans denique, quoniam & vt principium ac exemplar seruat ad destinatum tempus vnicuique munera semel data, vt finis quęlibet ad se conuersa pro modo cuiusque perficit atque reformat. Omnis essentia vitaque mentis, animæ, naturæ dependet ab ipso. Quod quidem valdè Platonicum est. Naturam scilicet animam corpusque esse mediam, vitamque habere. Putant enim mentem quidem esse vitam à corporibus alienam, animam verò vitam ad corpus ex quadam sui parte vergentem, naturam denique vitam quandam esse ex accessu animę ad corpus euestigio resultantem. Siue natura sit vniuersalis sub anima mundi, corpori infusa mundano, siue particularis sub anima nostra, nostro. Post naturam Dionysius corpus Platonico more disponit, narrat sanè quæ pertinent ad quantitatem vel continuam vel discretam. Et interim quæ spectant ad qualitatem & quæ ad vtramque & quæ comitantur atque sequuntur. Quales sunt mensuræ, modi, proportiones, har-

moniæ, id est, congruentiæ mistiones, seruata tamen discretione id est vniuscuiusque proprietate naturæ. Item, proprietates partium, perfectiones totius, concentus, quibus partes partibus totique ligantur. Præterea ordines comparationesque inter totum aliud atque totum atque summatim & cætera modis, (vt dixi,) quatuor ex bono pulchroque dependent. Maximè verò si inde dotes animæ, naturalis videlicet vel acquisitus habitus animi, & sensus ratioque & intellectus. Atqui in hoc ipso intellectu, tum tactus id est subitus principiorum vniuersaliumve intuitus, tum scientia conclusionum argumentationibus comparata, tum vnio in excelso mentis excessu cum Deo denique facta. Principium ordinis vniuscuiusque proprium ex principio vniuersi dependet. Quicquid igitur in quouis ordine munus id obtinet vt sit efficiens aut finis vel exemplar vel conseruatio vel elementale fundamentum vel perfectio formalis, hoc sane totum primi principij beneficio possidet, id est ipsius boni pulchrique dono. Hoc enim tanquam primum & vltimum omnia petunt. Denique & quæ sunt sempiterna, & quæ non sunt influxa, id est, fluxa vel informia dependent à principio rerum primo modo quodam supra quam essentiali omnia continente. Quod quidem & principium & finis est, omnium, supra principij finisque modum. Nullam enim propterea cum sequentibus proportionem habet, qualem propria rerum principia propriique fines habere videntur. Quod autem dixit, omnem infinitatem terminumque illinc existere, Platonici Philebi sensu intellige, infin tatem capacitatis in materia atque anima. Infinitatem propagationis in spe successionisque in tempore. Terminum verò formas atque perfectiones.

DIONYSIVS.

Ipsum bonum atque pulchrum omni statu motuque superius author est & conseruator & finis harum trium in mundo motionum, atque etiam sensibilium, multoque prius vniuscuiusq; mansionum & statuum atque formarum. Per quod sane bonum atque pulchrum status omnis ac motus existit, ex quo, & in quo, & ad quod & cuius gratia hæc omnia fiunt. Iam verò ex ipso atque per ipsum essentia vitaque omnis intellectus & animæ naturæque existit. Præterea, paruitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ, omnes proportiones rerum, congruentiæ, commistiones, integritates, partes, quodlibet vnum, quælibet multitudo, partium nexus, omnis multitudinis vniones, integritatum perfectiones, quale, quantum, quotum, cuiusmodi, infinitum, coniunctiones, discretiones, omnium infinitudo, omnis terminus, fines omnes, ordines, excessus, elementa, species quælibet, essentia, quæuis potentia, omnis actio, habitus omnis, sensus, ratio, intelligentia, tactus, scientia, vnio. Atque simpliciter quicquid est, ex pulchro bonoque existit, & in pulchro bonoque consistit, & ad pulchrum bonumq; conuertitur. Nempe quæcunque sunt & fiunt, propter pulchrum bonumque sunt & fiunt, ad ipsum omnia spectant, ab eodem mouentur atque continentur. Præterea ipsius gratia & per ipsummet & in eodem est omne principium, exemplare, perficiens, efficiens, speciale, elementale, & simpliciter omne principium, quælibet conseruatio, vnusquisque terminus, siue, vt summatim dicam, quæcunque sunt ex pulchro sunt atque bono, imò & quæ non sunt, ratione quadam plusquam essentiali in pulchro bonoque consistunt, ipsumque est omnium principium atque finis super omnem principii finisque rationes. Quoniam ex ipso, atque per ipsum, & in ipso, atque ad ipsum omnia pendent. Quemadmodum sacrum testatur eloquium.

Omnia pro modo suo appetant ipsum bonum atque pulchrum, quæ desiderio agunt quicquid agunt, item ipsum bonum amore sui omnia facit.

MARSILIVS.

Cum effectuum conditio sit, vt quocunque possunt instinctu conuertantur ad causam, à qua processerunt; bonum verò pulchrumque sit omnium causa in omni genere causarum, merito ipsum appetunt omnia, Quæ videlicet simpliciter sunt, appetitu simpliciter naturali; quæ & sunt & sentiunt, appetitu insuper sensuali, rationali, intellectualia quin etiam intellectuali. Quamuis autem ipsum appetant omnia, sola tamen rationalia intellectualiaque dicuntur amare, solus intellectus denique consequi. Amor quidem appetitus quidam est, non qualiscunque, sed ardens, concitatus, anhelans. Est igitur ardentissimus quidam motus. Et quemadmodum ardor in aëre sequitur non lucem Soli insitam proxime, sed splendorem illinc aëri prorsus infusum, sic amor erga bonum ardens non aliter ab ipso videtur accendi quam per intelligibile lumē, intelligibile lumen intellectui rationique insertum, siue mox ex alto subrutilet mentibus scilicet segregatis, siue per sensibile lumen gradatim ascendatur ad ipsum. Lumen verò intelligibile quidem pulchritudo prima est & primæ bonitatis imago, sensibile verò pulchritudo secunda boni. Ipsum itaque bonum alioquin mediocriter appetibile, per pulchritudinem suam splendoremque, amore intus accenso, ardenter appetitur & amanter. Quamobrem & qui nouum gratiosumque intelligentiæ lumen non est adeptus, vt Plotinus ait, nondum intus habet Deum, & qui non ardenter amat Deum, is profecto nondum est lumen ipsum intelligibile consecutus. Præterea Solis radius Planetarum motibus causam præbet efficientem atque finalem, nam & calor eius insitus efficit vt moueantur, & cum primum mouentur, ad lumen vergunt velut ad finem. Similiter ipsum bonum atque pulchrum & tanquam efficiens efficaciam præbet omnibus quæ moueantur, atque ad id quod eis consentaneum est pro viribus annitantur, & tanquam finis gratia quadam singula circunfundit per quam alliciant appetentia. Iam verò quoniam ipsum est primum amans & amator amorque primus, hinc ha-

ut omnia ut ament, amenturque, hinc omnes amores proficiscuntur, amores, inquam, genere quatuor. Amor superiora prouocans ut inferioribus benignè prouideat. Amor inferiora reuocans ad superiorum virtutem vel similitudinem comparandam. Amor eorum quæ in eadem specie, vel eodem genere vel ordine sunt, ad mutuam inter se communionem in conuersando, dando, præcipiendo. Amor vniuscuiusque erga seipsum pro viribus conseruandum. Tum vero dum omnia gratia finis alicuius atque bonum agunt quicquid agunt, in singulis appetendis apperunt ipsum bonum. Sed quoniá non solùm commoditatem, verumetiam ornatum vbique spectant, quatenus bonum, eatenus & pulchrum spectare videntur. Denique, si quatenus vnumquodque est fitque bonum atque pulchrum, eatenus & sibi & aliis est, euaditque amabile, merito conijcimus ipsum bonum pulchrumque primum à seipso prorsus amari. Ex ipso autem sui ipsius amore immensam efficaciam possidente, tum necessario in existimabile quiddam in semetipso prodit, tum pro arbitrio multiformes extra resultant diuinitatis imagines, id est, rerum omnium species. Quæquidem quo amore inde fiunt, eo mouentur perficiunturque & seruantur atque conuertuntur.

DIONYSIVS.

IPsum ergo pulchrum atque bonum est omnibus appetibile, amabile, diligendum. Rursus propter ipsum eiusque gratia inferiora quidem amant superiora, se ad illa videlicet conuertendo. Quæ verò in eodem ordine sunt, communicãdo inuicem, consortia diligunt. Sed præstantiora inferiora diligunt prouidendo, & singula semetipsa, se videlicet continendo. Cuncta denique quicquid agunt atque volunt, boni pulchrique desiderio faciunt atque volunt. Audebit & hoc vera ratio dicere, ipsam omnium causam propter bonitatis exuberantiam omnia amare, omnia facere, omnia perficere, continere, conuertere. Est profecto diuinus amor bonus boni, propter bonum Ipse enim amor beneficus rerum author, cum antea in bono prorsus exuberaret, non permisit ipsum sine germine in se manere, sed ad agendum mouit, per excessum, omnium genitorem.

De nomine amoris. Et quod intentionem loquentis potius quam verba debemus perpendere.

DIONYSIVS.

NEmo vero nos arbitretur præter sacrarum literarum authoritatem amoris nomen colere. Est enim irrationabile, vt reor atque absurdum, non vim ipsam instituti spectare, sed dictionibus inhærere. Neque verò hoc est hominum diuina volentium intelligere, sed sonos duntaxat nudos aucupantium, eosque tantum ad aures obseruantium, interiora nequaquam penetrantum. Neque nosse volentium, quid potissimum talis significet dictio, & quemadmodum deceat eam per alia tantundem valentia & apertiora verba nonnunquam exponere. Curiose namque versantur in elementis & lineis intellectu carentibus, & syllabis dictionibusque cognitionis expertibus, neque ad intellectualem vim animæ penetrantibus, sed extrinsecus circum labia auresque sonantibus. Perinde ac si non liceat quaternarium numerum exprimere per bis duo, figuramque rectilineam, per figuram lineas directas habentem interpretari, siue materiam per patriam declarare. Vel aliud quoduis eorum, quæ in pluribus orationis partibus tantundem significant.

Quomodo imaginatio potest aliquid sine sensu, ratio sine imaginatione, intellectus absque ratione, denique habitus animi Deo conformis potest, vacante iam intelligentia Deo frui.

MARSILIVS.

QVemadmodum sensus interior, id est, imaginatio circa imaginanda se versat, etiam vbi sensus exterior externum nihil in præsentia sentit, sic & ratio circa excogitanda potest argumentari nonnunquam, imaginatione vacante, multoque magis altior intellectus simpliciora quædam simpliciter intueri, non argumentante vlterius ratione. Similiter & vnitas apex animæ præstantior intellectu, cum Deo congruens intelligile quodlibet excedente frui Deo quandoque potest, intelligentia videlicet ad hoc interim non agente, frui inquam, per actum quendam cognitione qualibet vel excelsa subliminorem. Lumen namque diuinum re qualibet cognoscenda superius, attingi non potest nisi per actum cognitione quauis excelsiorem, ideoque oculos non habentem, Oculus enim ad cognitionem necessario pertinet.

Verbis vtimur propter sensum. Sensus cum sensibilibus superflui sunt, quando intellectus intelligibilia penetrauit, superflua & intelligentia, quando animus cum Deo charitate coniungitur.

DIONYSIVS.

DEcet autem recta ratione considerare, nos elementis, syllabis, dictionibus, scripturis, sermonibus vti sensuum gratia. quapropter vbi noster animus intellectualibus actionibus ad intelligibilia se iam confert, superflui sunt cum rebus sensibilibus sensus. Quemadmodum & vires intellectuales superuacuæ sunt, cum animus diuinam indutus speciem per ignotam vnionem luminis inaccessibilis radios iam attingit, perceptionibus quibusdam expertibus oculorum. Quando verò mens per sen-

sibilia studet ad contemplatiuas intelligentias prouocari, illi præ cęteris sensuum vsus eligendi sunt qui ad intelligenda planius introducunt, apertioresque sermones, & quæ inter visibilia videntur expressiora. Nisi enim expressa fuerint quæ sensibus ocurrunt, ne ipsi quidem sensus sensibilia meuti rite porrigere poterunt.

MARSILIVS.

Sicut pulchritudo ad humanam speciem pertinens, nec in vllo hominum, nec semel in cunctis integra reperitur, sed ex cunctis tandem per mentem tota colligitur, sic generalis ipsa rerum omnium pulchritudo, nec in aliqua formarum specie, nec cunctis inest, sed in vno diuinæ mentis sapientiæque splendore, quæ prima pulchritudo est velut fonte comprehenditur. Primam enim pulchritudinem Plato Dionysiusque definiunt, intelligentiæ primę lucem ideis formarum pulchritudinumque omnium corruscantem. Ab hac intellectus quilibet procreatus est ad eam denique contuendam. Quisquis igitur ad hanc toto mentis ardore conuertitur, vnitum habet amorem. Omnes enim formas amat consequenterque in vna. Qui verò extra illam ad pulchritudinem aliquam se diuertit, amore statim in multa diuiditur. Cum enim absolutam pulchritudinem naturaliter optet, neque hanc inueniat vsquam, vel in singulis vel in cunctis, merito passim sitibundus oberrat, per varia solicitus quotidie quæritans, quod in vno primoque semel fuerat perquirendum.

Nomine amoris vtimur in diuinis, tum quia efficacius illa significat, tum etiam & vulgarem huius nominis abusum auferamus.

DIONYSIVS.

Cæterum ne hæc dicere videamur sacra eloquia peruertentes, audiant illa qui appellationem amoris calumniantur. Ama illam, inquit, & seruabit te. Valla te illa atque extollet te. Honora illam vt te complectatur. Et quotcunque alia à Theologis ratione quadam amatoria celebrantur. Iam vero quibusdam ex nostris sacrorum tractatoribus, visum est amoris nomen, dilectionis, charitatisue nomine diuinius esse. Scribit enim & diuinus Ignatius. Meus amor crucifixus est. Atque in ipsis instructionibus ad sacra ducentibus, quendam Philonem de diuina sapientia dicentem audies. Amatore quidem formæ illius sum affectus. Quamobrem nomen hoc amoris minime formidemus; neque nos vlla perturbet oratio ab hac appellatione deterrens. Mihi sane videntur Theologi commune quidem arbitrati dilectionis amorisque nomen, sed propterea diuinis amorem ipsum verum potius assignare, vt istiusmodi hominum absurdam præsumptionem feriantur. Cùm enim verus amor non solùm à nobis, sed etiam à diuinis eloquiis, quemadmodum diuinitatem decet, celebretur, vulgus tamen vniforme illud appellationis amatoriæ capere minimè potens suo quodam more ad particularem corporeumque atque diuisum amorem est prolapsum. Qui profectò non verus est amor, sed imago quædam, vel potius ab amore vero ruina. Vnitas enim ipsa diuini vniusque amoris à vulgari multitudine comprehendi non potest, quãobrem quod multis nomen videtur ingratius, in diuina sapientia ponitur, ad illos erigendos, atque prouehendos in amoris ipsius veri notitiam. Atque vt inde minus amoris appellationi succenseant. Inter nos autem vbi abiectiores ingenio nonnihil obscœnum suspicari nonnunquam possint, vocabulo quod videatur honestius scriptura vtens inquit. Cecidit dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum.

Virtus amoris est vnire duo in vno quodam tertio, copulare inuicem, commiscere ad nouum aliquid inde conflandum.

MARSILIVS.

Tria considerauimus in sole, primò quod naturam, secundo, lucem naturalem, tertio in luce naturali virtutem calefactoria. Tria fermè similiter in Deo. Nam in bonitate diuina, id est, potestate fœcunda intelligentiam lucem, tanquam pulchritudinem eius, in hac rursus amorem, quasi calorem. Hic igitur amor in bono pulchroque consistens diligit omnia non aliunde pendens, sed boni pulchrique sui propagandi, communicandi, imitandi gratia. Hinc quoque rebus inde creatis accensus est amor, bonum pulchrumque desiderans, se bonum quidem suauiter, pulchrum verò admodum vehementer. Dicitur autem amor vnire, connectere, commiscere, vnire quidem duo quædam in vno quodam tertio vtriusque communi. Quatenus enim animi duo amant idem ipsum diuinum bonum pulchrumque quod est ipsa vnitas, in hoc ipso fit vnum. Rursus quantum alter diligit alterum inuicem connectuntur, id est, voluntate & actione mutua copulantur, denique mirifice commiscentur. Neque nunc quidem de coitu venereo loquimur, se de naturali quodam & occulto mirabilique effectu, qui ex mutuo amantium affectu sæpius frequentato, quandoque contingit. Sæpè enim hinc, mores, ingenia, naturæ, miscentur, vt & alter in his tribus alterum imitetur, & ex propinquo vtriusque congressu, nouus & inopinatus conflatur effectus, ad hunc ipsum clam eorum spiritu conferente, quemadmodum fieri solet ex coitu Planetarum. Amor tandem est vinculum vniuersi, siquidem inferiora conuertit ad superiora, atque vicissim, & æqualia inuicem.

DIONYSIVS.

Apud illos autem qui diuina rectè audiunt, nomen dilectionis, amorisque à sacris Theologis in eadem potentia ponitur, vbi exprimere diuina conantur. Est

autem hæc ipsa virtus quædam vnifica, & connectens, mirificeque commiscens, in ipso quod pulchro, bonoque propter pulchrum, bonumque primo consistens, deinde verò ex pulchro, bonoque propter pulchrum atque bonum foras emicans. Vbi sanè qui sunt eiusdem ordinis, alterna continet communione, priora verò ad inferiorum prouidentiam mouet. Inferiora denique conuersione quadam superioribus alligat.

Amor impellit amantem in amatum se transferre, Motionumq; & actionum omnium est principium.

MARSILIVS.

COgnitio & amor hoc inter se maximè differunt. Quod rem quidem externam cognoscimus pro ratione formæ, imaginisque rei, quam intus ipsi iam habemus. Atque ad hanc imprimis aciem mentis intendimus, amamus autem quod bonum iam iudicauimus pro natura ipsius boni, eaque qualis in seipsa est, frui prorsus appetimus. Quamobrem amor dicitur in amante exstasim facere, id est, excessum quendam, quo quasi extra se traducitur in amatum. Cum igitur cognoscendo quidem quasi rem cognitam ad nos trahamus, amando verò vicissim trahamus videlicet nos ad ipsam, nimirum inferiora quidem satius est cognoscere, quàm amare, superiora verò præstat amare quam nosse. Quod igitur Physici tradunt, motus actionesque omnes ab inclinatione siue naturaliter insita, seu quomodo vis infusa, procedere, qua cessante, desinit statim motus simul & actio, possumus amori prorsus accommodare, inclinatio enim eiusmodi nihil aliud est quàm amor. Amor igitur actionum omnium est principium, vt & superiora inferioribus abundè prouideant, & inferiora superioribus se tota deuoueant. Et æqualia affectu quodam, atque commercio se inuicem complectantur.

DIONYSIVS.

PRæterea diuinus amor excessiui efficit, dum amantes sui iuris esse non sinit, sed amatorum iubet existere. Idque declarant omnia Nempè superiora inferiorum prouidentiæ sese dedunt, æqualia verò conseruationi mutuæ mancipare se solent. Inferiora denique, diuinæ cuidam ad supremа conuersioni seipsa deuouent. quapropter & Paulus ille magnus diuino amore iam occupatus, traductoriaque amoris huius virtute compræhensus, ore diuinitus afflato proclamat. Viuo iam non ego, viuit autem in me Christus. Tanquam verus amator, atque in Deo, vt inquit extra se positus, viuensque iam vitam non suam, sed amatoris iam, tanquam prorsus amabilem.

Deus amore facit omnia, adest omnibus ac prouidet.

MARSILIVS.

SOl visibilis imago Dei neq; per omnium naturam, neque per manifestam lucem naturalia generat, nisi accesserit calefactoria virtus & motio calorem proferens. Similiter Deus neque naturæ, neque intelligentiæ necessitate res procreat, sed potius voluntatis actu, & amante propriam bonitatem, & sic eligente communicatione eius in procreando. Amor ergo diuinus rerum omnium est principium. Quoniam vero hic amor à bonitate pulchritudineque prima sumens exordium, reuertitur in eandem, meritò semper amor omnia ad bonum pulchrumque dirigitur. Et si ad summam Dei simplicitatem pertinet, vt in seipso cõsistens, sit ab hominibus mirabiliter segregatus, tamen propter beneficum amorem bonitatis propriæ diffundendæ, quasi procedit ex se in omnia, adest omnibus præsentissimus, diligentissimè prouidet. Quoniam verò sua quisque amat, ac maxima Dei sunt omnia, nimirum amans omnia plurimum prouidet omnibus. Videtur quoque Zelotes: nam more Zelotum non leuiter diligit, sed vehementer amat & explorat accuratissimè singula, vult etiam quasi Zelotes ita singulariter amare atque redamari, vt solus ipse sua re vera amare putandus sit, solus re vera sitamandus, zeloque præ cæteris obseruandus. Deus denique non, sicut nos, quæ vult Deo vult, quoniam ipsa in se sint bona, sed contra, quia vult ipse, sunt bona. Quoniam amat, sunt amanda, item quoque Zelotes obseruanter amat, ne quando deficiant. Præterea quoniam ita curat hæc (vt ita dixerim) sunt zelanda, id est, cura quadam studioque sunt digna. Inter hæc amorem esse magico cuidam illicio, ductuique vel raptui similem, ex Dionysii verbis percipere licet. Quod in Symposio disputamus.

Beneficus amor quasi Deum allicit, vt extra se omnia diffundatur, vt zelo quodam omnia curet.

DIONYSIVS.

AVdendum quoq; id insuper pro veritate loqui. Ipsum etiam omnium authorem pulchrò bonoque amore omnium propter bonitatis amatoriæ vehementiam extra se prodire, dum prouidet omnibus. Atque bonitate, & dilectione, & amore quasi mulcetur, atque ex illo statu, quo super omnia exstat, ab omnibus segregatus, ad id profectò vt in omnibus sit deducitur. Per supersubstantialem, videlicet, virtutem illam, quæ traducit quid ipsum interim à seipso nusquam digredientem. Quamobrem diuinarum rerum periti zelotem illum appellauerunt, vt amore benigno erga omnia prorsus exuberantem, excitantemque ad amatorij desiderij sui zelum, desideriumque ipsum declarantem cœlo dignum. Quo etiam quæ desiderabilia ipsi sunt, promerentur & zelum. Atque ipse ad illa quæ prouidet zelo quodam videtur affectus. Denique ipsum quod est amabile, ipseque amor, pulchri, bonique est, & in pulchro, bonoque priorem habet sedem, & existit, efficiturque propter pulchrum atque bonum.

Quæ ratione Deus appelletur amor, quæ rursus amabilis, & quomodo amor tum ideo, tum extra sit motus aliquis circularis.

MARSILIVS.

PRincipium vniuersi appellatur diligibile quidem quia bonum, amabile verò quia pulchrum. Pulchritudo enim aërius quam bonitas concitat appetitum. Quamobrem ad bonitatem spectat temperata dilectio, ad pulchritudinem pertinet amor, nesciens tenere modum. Præterea Deus appellatur amor, tum quoniam amorem in omnibus procreat, sicut à Peripateticis nominatur in sole calor, quoniã caloris est causa, tũ etiam quia seipsum amat. Est igitur penes Deũ, amans, amor, amatum. Qua quidem ratione amabile, mouetur, qua verò amans, quasi mouetur qua denique seipsam amans, quodammodo à seipso mouetur, qua rursum amor est, existit & motus, motus inquam, quo Deus se amando quasi circulo reuoluitur in seipsum. Profectò nisi consideramus in Deo rationem eiusmodi, qua se contemplatur, & amat interim contemplando, vltra vnitatem naturæ diuinæ nullam ibi distinctionem inueniremus. Amor igitur ille contemplatiuus & expressio sui dicitur, & videtur in multitudinem quandam ab eximia vnitate procedere. Simplicitatem tamen interea conseruare. Permanet enim semper in eadem vnitate naturę. Appellatur & actio per se mobilis, per se operans, non enim aliunde dependet quàm ab intima sui forma. Primus amor penes primum bonum ex ipso in ipsum circulariter se reuoluens. Hoc suo quasi motu calorem accendit omnibus amatorium, in orbem similiter reuolutum, amor enim vbique à primo bono tanquam principio prodit, item in bono vnoquoque proprio sedem habet. Rursus ad bonum vniuscuiusque suum tanquam ad finem propinquiorem aspicit, denique ad primum omnibus commune bonum tanquam ad vltimum finem prospicit, cunctis communiter expetendum. Motus igitur amatorius peractum orbicularem principio, fineque carentem, infiniti meruit cognomentum.

DIONYSIVS.

QVid verò Theologi sibi volunt, cum aliquando quidem Deum amorem dilectionemque vocant, aliquando vero amabilem, atque diligibilem nominant? Sane alterius quidem causa est, ac veluti productor & genitor; alterum verò ipse Deus existit, rursus altero quidem mouetur, altero verò mouet. Quippe cùm ipse sit, sibique sit prouector, & motor. Hac vtique ratione diligibilem ipsum nominant, & amabilem, tanquam pulchrum atque bonum. Amorem rursus dilectionemque cognominant, propter virtutem eius mouentem prouehentemque ad seipsum. Quippe cùm solùm id sit per seipsum pulchrum atque bonum. Item propter quandam sui ipsius per seipsum expressionem, eminentissimæque vnitatis benignam processionem, motumque amatorium, simplicem se mouentem, per se operantem, præcedentem quidem in ipso bono, atque ex ipso per omnia procedentem, rursumque ad bonum se reflectentem. In quo sanè munus suum fine principioque carens, præcipuè diuinus amor ostendit. Tanquam circulus aliquis sempiternus propter ipsum bonum, ex bono, in bono, ad bonum reuolutione quadam nequaquam errante se glomerans. Et in eodem, atque secundum, idem, progrediens semper, & manans, & denique restitutus. Hæc inclitus quoque noster in sacris literis institutor diuinè admodum in amatoriis hymnis exposuit. Quos profectò commemorare fas est, & tanquam sacrum quoddam caput apponere nostro de amore sermoni.

Amores quinque, primus in Deo secundus in Angelo, tertius in intellectu animæ, quartus in parte animæ inferiore, quintus in natura.

MARSILIVS.

VBi Dionysius vna cum Hierotheo præceptor, amorem vim appellat, intelligo motum intimum efficacemque ad vniendum & commiscendum. Quid autem sit vnire, connectere, commiscere, in superioribus exposuimus. Amores verò quinque in præsentia numerat. Primum quidem diuinum, quo seipsum Deus amat, amatque alia se amando. Ex hoc primo amore, ex quo accenduntur omnes, factum est, vt vnumquodque quodammodo prius seipsum, quam cætera diligat. Secundum amorem in Angelo se amante Deumque, & reliqua. Tertium in parte animæ nostræ intellectuali, intelligibilia, diuinaque venerante. Quartum in parte animali ad discursionem & imaginationem sensumque pertinente, quo vel sensibilia simpliciter affectantur, vel intelligibilia sensibiliter diliguntur. Quintum in natura, id est, vel in potentia vniuscuiusque animæ vegetali, vel in certa quadam cuiuslibet corporis qualibet vbique consentanea quædam pro viribus asciscente. Hinc ortus est & famelicus amor ad solidum, & sitibundus ad liquidum. Amor in foliis & floribus ad calorem, in radicibus ad humorem, in læuibus ad circunferentiam, in magnete ad ferrum, in igne ad humorem aërium atque pinguem. In qua quidem obseruatione Platonici magorum machinas existimant adinuentas. Mittamus magiam. Denique si amorem vniuerso sustuleris, neque superiora inferioribus prouidebunt, neque inferiora se superioribus commendabunt, nec quæ eiusdem ordinis sunt communionem mutuam exercebunt.

Hierothei sanctissimi ex amatoriis hymnis.

DIONYSIVS. & HIEROTHEVS.

AMorem, siue diuinum, siue angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, vim quandam intelligamus vnificam atque commiscentem, superiora quidem mouentem ad inferiorum prouidentiam, rursum quæ sunt eiusdem ordinis ad communionem mutuam adhortantem. Inferiora tandem reuocantem, vt ad sublimia conuertantur.

Amores omnes referuntur ad duos, duo ad vnum.

MARSILIVS.

ANte quam amatorias vires, quæ sunt complurimæ, ad vnum primumque amorem referat omnes in capita duo, ritu Pithagoreo, colligit. Aliæ namq; amatoriæ vires sunt mundanæ, aliæ verò mundano superiores. Mundanæ rursum geminæ sunt, aliæ animales, aliæ naturales. Superiores item mundo sunt geminæ, aliæ quidem intellectuales, humanæque; aliæ autem Angelicæ sunt atque diuinæ. Mundanis intellectuales præsunt, intellectualibus autem Angelicæ tandem amor ipse diuinus. Hic autem in ipsa primi boni luce penes se micanre mirabiliter intus accensus, mox quasi foras emicat, variosque per varia spirat amores. Omnia denique passim amantia, in forma quauis amanda, prima consequenter amant, formarum amorumque omnium principium atque finem.

Eiusdem ex eisdem hymnis.

DIONYSIVS, ET HIEROTHEVS.

HActenus, multos amores ex vno pendentes disposuimus, diximusque deinceps quales sint motiones viresque amorum, tum mundanorum, tum mundo superiorum. Quibus sane mundanis secundum designatam rationis intentionem præsunt ordines ornatusque intellectualium, intelligibiliumque amorum, super eos autem exstunt ipsi per se intelligibilis atque diuini amorum ibi re vera pulchrorum. A nobisque pro viribus proprie sunt celebrati. Nunc iterum resumentes omnes in vnum & conglobatum amorem amorum omnium patrem colligamus, simul atque congregemus. Primo quidem ex multis in duas cogentes amatorias vires vniuersales, quas quidem omnes continet, regitque absoluta totius amoris causa, penes principium omnia supermineus. Ad quem contendit pro cuiusque natura vniuersus rerum omnium amor.

Vis amatoria ex primo bono luminis instar per omnia profluit refluitque circulariter in ipsum bonum.

MARSILIVS.

EAdem videtur esse lux, qua sol & lucet intus, & foras emicat, emicansque illuminat omnia. Eadem rursus qua omnia hæc illuminata, tum in seipsis nitent, tum transuerso radiorum iactu refulgent in alia, tum etiam recto quodam proiectu remicant erga solem, vbi sanè Plotinus excogitat, ipsummet Solis lumen ex Sole perpetuo dependere, comitarique Solem vbique, ac versus Solem vndique se reflectere. Similiter quoniam Deus est vbique amor quoque quo Deus seipsum, aliaque diligit, est vbique. Dum verò seipsum aliaque amat, amorem cunctis accendit, quo seipsa, Deum, & alia diligant. Accendit autem amorem hunc omnibus, vel extremis gradibus vniuersi, quandoquidem ipse pariter est vbique & omnia diligit. Vnus cuiusque verò amor ratione tam necessaria pendet ex primo, quatenus illinc oritur & conseruatur atque mouetur, vt vnica quædam vis amatoria vigere videatur vbique, ex primo quidem bono suspensa, & in seipsa residens, sicut lumen in sua passim puritate consistit, nullus in mistum reflexa, denique in primum bonum, luminis instar, quatenus omnia in bono quouis amando, primum consequenter optat, bonorum omnium bonum. Sicut autem Solaris radius vbique virtute vigens, non tam efficit, vt omnia vbique luceant, quam vt omnia quodammodo caleant, viuantque multa calendo potius quam lucendo, sic ad bonum ubique præsens non consequitur, vt singula cognitionis eius sint capacia, sed amoris. Omnia enim semperque bonum ipsum amant, cognoscunt verò vix tandem quam paucissima. Amor igitur ad consequendum bonum, hauriendamque inde vitam, magis amandus est necessarius quam cognitio. Quamobrem radiorum illa catena in superioribus introducta, quæ appræhensa supplicantem trahit ad bonum, est amor potius quam inuestigatio diuinorum.

Eiusdem ex eisdem hymnis.

DIONYSIVS, ATQVE HIEROTHEVS.

AGe iam has iterum colligentes in vnum dicamus, vnam quandam esse simplicemque virtutem seipsa mouentem ad vnificam quandam commistionem, ex ipso bono vsque ad extremum vniuersi, ab eoque rursum deinceps per omnia ad ipsum bonum, ex seipsa, & per se, & in se ipsamet in circulum reflectentem, atque in seipsam semper eodem modo se glomerantem.

Materia est inferior ente, Deus ente superior. Cum materia bonum appetat, multo magis reliqua bonum optant. Item de malo dæmonum.

MARSILIVS.

QVemadmodum alibi diximus, res vnaquæque esse possidet in hac specie aut illa, per hanc formam aut illam. Ipsum ergo simpliciter esse, simpliciter est per formam. Quapropter materia cum per se caret omni forma, merito nec proprium habet esse, sed mutari videtur à formis, nec ipsum sibi aliquando vendicare. Semper enim sub specie alicuius esse latet, hoc iterum amissura. Dicitur ergo non ens, sed ente deterior. Deus quoque non ens, quia videlicet nulla definitus est forma, sed ente superior, quoniam author est formarum. Et si naturales inclinationes ad certos quosdam terminos contendentes in ipsis rerum formis sedem habent, ceu inclinatio quidem ad centrum in grauitate, sed ad circunferentiam in leuitate, inclinatio tamen ad omnem terminum pariter atque formam, non potest in aliquo formali sed potius informi formabilisque consistere. Inclinatio igitur ad formas quaslibet in materia, est ipsa materiæ formabilitas procliuior ad formam quamlibet quam sulphur ad ignem. Ma-

teriæ igitur expositio tam prompta vel agilis ad subeundas formas imagines primi boni, est naturalis quædam appetitio boni. Cum igitur non ens eiusmodi quod fingitur vmbra quædam confusa boni necessario bonum appetat, multo magis ens quodlibet, quod per formam est imago quædam boni, bonum appetit. Inter hæc ambigitur, vtrum dæmones à Deo rebelles bonum diligant nec ne, & quâ ratione sint mali? Quidue malum sit, & in quo & vnde, quomodo prouidentia Dei malum permittat alicubi. Appellat Dionysius malorum dæmonum turbam prosylon, id est, procliuem ad materiam, addictamve materiæ. Siue aëria quædam mistaque corpora post peccatum dæmones sint induti, quod Platonici comprobant, & Græci Theologi non negabunt. Siue ad materialem, (vt ita dixerim,) cultum afficiantur, animosque alliciant ad materiam. Quod etiam Platonici confitentur. Putat verò Dionysius, sicut omnia bona ex primo bono proficiscuntur, sic omnia mala, scilicet nostra, ex primo malo dęmonum dependere. Plotinus vnà cum Platone ipsam simpliciter malorum originem esse vult materiam. Malorum verò nostrorum inclinationem animæ ad materiam, siue ex seipsa, siue incitamento dæmonum pronior ad hanc euadat. Sit igitur vel materia, vel mutatio quædam in dæmonibus aut animis accidens origo malorum, dum modo non sit principium malorum efficiens, sed deficiens. Ipsa verò materia propriè neque bonum est, neque malum. Non quidem reuera bonum, ratio namque boni est, cujus gratia sit aliquid aut fiat. Nullius autem materiæ gratia est enim infimum. Item neque reuera malum, cum sit ex bono, boni auida. Sed necessarium propriè nominatur, cum sit tantum gratia cæterorum, sitque inchoatio necessaria: videtur ergo eiusmodi necessarium item bonum malumque medium obtinere.

Cum omnia bonum appetant, cur dæmones non diligunt ipsum bonum. Item vnde dæmon malus. Quidue malum sit, & vnde.

DIONYSIVS.

Dixerit fortè quispiam, si pulchrum bonumque omnibus est amabile, desiderabile, diligendum; appetit enim ipsum id quoque quod non ens applicari solet, (vt est dictum) contenditque quodammodo in ipso esse. Ipsumque bonum est, quod etiam informibus formam facit. Atque in ipso non ens ratione quadam superessentiali dicitur, & existit. Quonam pacto turba dæmonum pulchrum, bonumque non desiderat? Sed materiæ dedita, & ab angelica circa boni ipsius desiderium, identitate, delapsa, malorum omnium causa, & sibi ipsi, & aliis quæcunque deprauata sunt, dicitur extitisse.

Quo rursus modo dæmoniaca gens ex bono profecta, speciem boni nequaquam præfert? Aut quomodo bona ex bono facta, mutari potuit? Et quidnam ipsam reddidit malam? Et omnino. quid est malum? Et ex quo initio subsistit, & in qua rerum est. Item, quomodo Deus ipse bonus, malum facere voluit, aut volens potuit. Atqui, si ex alia causa malum trahitur, quænam alia rebus causa est præter ipsum bonum? Denique, cùm sit prouidentia, quonammodo malum est? Aut omnino fit, aut certè non tollitur. Et quo pacto aliquid ipsum, dimisso bono, desiderat?

Malum nec habet effitientem causam, nec ipsum est causa efficiens, nec est aliquid ipsa essentia malum. Item, quomodo non ens dicatur de malo. Quomodo de primo bono.

MARSILIVS.

Cvm naturalis intentio agentis cuiusque sit, aliquid simile sit pro viribus generare, & quo quæque causa magis est particeps bonitatis, eo magis possit sibi similia procreare, consequens est, vt ipsum bonum facillime similia sibi & valeat & velit efficere. Malum verò bono dissimillimum est atque repugnans, malum igitur non fit ex bono. Sed neque malum efficit & generat aliquid. Efficere enim atque seruare propria est ipsius boni ratio. Nequit autem esse, & ratio mali repugnantis bono, imò ratio mali contraria est rationi boni, scilicet perdere. Malum igitur nullus rei causa est efficiens. Hinc sequitur vt malum nec ex malo fit tanquam ab efficiente causa, nec etiam ex ipso primo bono, imò neque ex quouis bono; vnaquæque enim res tunc maximè generat, quando maximè in natura sua bene se habet. Ratio igitur generandi efficiendique bonitas ipsa est. Cum itaque vnumquodque qua ratione bonum est, eadem & naturaliter agat, sequitur vt bonum faciat. Malum igitur non fit ex bono, qua bonum. Quamobrem cum malum, nec ex bono, nec ex malo tanquam ab efficiente causa fiat, nec ipsum insuper tanquã efficiẽs agat aliquid, merito, nec efficiens causa est, nec efficiens effectũ. Præterea quicquid est ipsa sua essentia tale, est etiã tale, totum, atque conuersõ. Sicut quod per essentiã calidũ est, calet vtiq; totum. Si quid ergo fingatur seipso, id est, secundum essentiam malum, omnino malum est futurum, atque vicissim. Non potest autem esse per essentiam malum, quoniam esse tanquam bonum naturaliter omnibus est optabile. Igitur non omnino malum, atque contra nulla res potest penitus esse mala. Cum enim malum significet defectum atque perniciem, nihil erit essentiæ reliquum, vbi malum integrum confingetur. Non est igitur malum aliquid per essentiam. Itaque quod malum dicitur, si quomodo est, ipso quidem suo esse bonum est, malum verò per accidens, scilicet per defectum, quo videlicet à bono quodam deficit, quod quidem expediret ad esse. Proinde naturalis entium omnium, & agentium appetitio, contendit ad bonum, & tanquam ad principium, quod appetitum mouet, & tanquam ad finem, in quo appetitus denique conquiescit. Ad malum igitur qua ratione malum nullus intenditur appetitus.

Malum ergo vicissim, qua malum, affectare non potest bonum. Itaque si quid fingatur

ipsa sua essentia malum, id tanquam bono omnino contrarium non desideraret bonum. Sicut nec ipsa siccitas humorem expedit peremptorem, quamuis subiectum olim humidum humore iam exhausto, pristinum affectet humorem. Eadem fermè ratione res aliqua per naturam quidem bona, per defectum verò aliquem mala, bonum optat, Non licet ergo fingere quicquam ipsa essentia malum, siquidem quicquid in essentiæ ordine computatur, bonum expetit. Fictum verò illud nequit desiderare bonum. Proinde, quod omnia per appetitum conuertantur ad bonum, argumento nobis est ex bono entia omnia processisse, ideoque bonum esse vniuerso ente superius. Præsertim cum esse non simpliciter appetatur, sed ratione boni. Quemadmodum verò quod est super entia corporea, non est corpus, sed toto genere corporeo melius, ita quod est super entia, non est ens, sed ente toto præstantius. Iam verò vbi de hoc dicimus non ens, hoc ipsum ibi est ens, id est, negationem illam in affirmationem quandam mente resoluimus, dicendo non ens, videlicet superius quiddam ente, principiumque entis totius atque finem. Contra verò quando de malo non ens prædicamus, in negationem id resoluimus, id est, in quendam essendi defectum. Atqui malum non est appellandum ens. Adeo scilicet, vt qua ratione est ens, eadem sit & malum, si ita est, non omnino malum esse potest. Neque rursus cognominandum non ens, scilicet simpliciter extra omnem entis conditionem. Sic enim nulli noxium foret, nulli malum. Præterea nusquam ponere possumus omnino non'ens, nisi ponamus in ipso bono. Quatenus nullum Deus ens est, sed totius entis causa, totoque superius. Denique bonum ipsum non solum est altius ente quantumlibet excelso, sed etiam est sublimius quolibet non ente, si fortè non ens fingatur quomodolibet ente superius. Malum verò (sicut diximus) neque est in ente vllo, qua ratione est ens, hac enim ratione bonum est, & optandum. Neque pro fundamento potest habere, quod nihilum simpliciter nominatur, nihilum enim non potest fingi malum, id est, aduersum alicui, aut mancum. Sed fundamentum habet ens aliquod atque bonum. In quo videlicet est aliquis bene se habendi defectus. Defectus autem eiusmodi longius discrepare videtur à nihilo quam à bono. In bono enim tanquam sustentaculo quodam iacet, non in nihilo. Et quoniam malum semper alteri euidam inhærere putatur, quod autem nihil cogitatur, non ita fingitur, inhærere verò à substantia est alienum, ideo malum fertur babere conditionem quandam à substantia diuersam, potius quam quod nihilum appellatur. Est & alius textus significans malum magis discrepare à bono quam nihilum, ac similiter ab essentia. Id ergo sic exponens, malum lędere bonum essentiamque posse. Quod verò fingitur nihilum, omnino lędere nihil posse. Cum eiusmodi textu consentit Proclus in libro de malo.

DIONYSIVS.

HÆc forsan dicat eiusmodi disputatio dubitans. Nos autem admonebimus dubitantem, vt rerum aspiciat veritatem. Atqui hoc primùm audebimus dicere. Malum ex ipso bono nequaquam existere, ac si ex bono sit; non esse malum. Non enim ignis est frigefacere, nec boni facere non bona. Præterea si quæ sunt, omnia ex bono procedunt, natura enim boni est producere atque seruare; mali vero perdere atque dissoluere; profectò nullum existentium est ex malo, atqui nec ipsum malum erit. Siquidem se ipso sit malum, atque nisi ita sit, non omnino malum erit malum, sed boni portionem quandam sic habebit. Item, si quæcunque sunt pulchrum bonumque petunt, & quicquid agunt propter id quod videtur bonum faciunt, omnisque rerum intentio bonum spectat, vt principium atque finem, nihil enim mali naturam spectans facit quæ aggreditur facienda, quonammodo in ordine rerum erit malum? Aut quo pacto in rebus omnino est aliquid, cum huiusmodi bono appetitu sit destitutum? Rursus, quæcumque sunt ex ipso bono dependent, ipsumque bonum entibus est superius, siquidem in bono etiam quod non ens dicitur: ens existit. Malum verò neque ens est, propterea nec est omnino malum, neque rursus omnino non ens. Nihil enim erit ipsum quod dicitur omnino non ens, nisi per rationem quandam ente superiorem in ipso bono dicatur. Bonum itaque & ipso simpliciter ente, & ipso non ente multò prius in seipso consistit. Malum verò nam in his quæ sunt, nam in his quæ non sunt, existit. Sed & ab ipso non ente alienius est & distantius quàm à bono, minusque habet substantiæ rationem. Legitur aliter. Sed magis quàm non ens, à bono & essentia dissidet.

Quæ dubia contingant si dicatur malum nihil esse.

MARSILIVS.

QVia malum negauit habere essentiam, eiusmodi dubitationes incidunt, virtus ac vitium conueniunt in genere quodam qualitatis ad animum pertinentis, neque differre inter se posse videntur, nisi in eo, quod qualitas illa quidem bona est, hæc autem mala, id est, quoniam illa voluptatem reddit bonam, hæc verò malam. Igitur si malum non est, non erit aliquid quo differat vitium à virtute. Idem igitur esse videbitur. Item nisi malum aliquid sit, sequitur, vt vitium quod virtuti bonæ repugnat, non sit malum. Pugnat, certè non solum iniustus homo contra virum iustum, sed etiam iniustitia contra iustitiam. Imò verò ex hoc ipso quod duo hi habitus contrarij sunt, prorsus euenit vt homines his præditi inimicem sint contrarij. Contraria quin etiam est perturbata sensus motio, ad statum rationis natura tranquillum. Quod si status eiusmodi bonus est, motio hæc à statu cadens, mala iudicanda videtur. Præterea sub ipso bono in longissimam retum graduumque distantiam fit progressus. Quod verò nimium distat à bono accidit fore malum. Præsertim quia videmus per hæc admodum dis-

crepantia bona nonnunquam sublimiora multifariam impediri. Quod autem longissimè distans à bono bonum impedit, necesse est contrarium esse bono. Idipsum verò non iniuria malum cognominabimus. Iam verò cum necessarium sit aliqu d bono tandem contrarium euenire, quod & Plato in libro de Scientia inquit; Neque id vtique bonum sit, confert enim bonum bono. Neque etiam sit aliquid minus bonum, qua ratione bonum, necesse esse malum aliquid, quod bono sit re vera contrarium. Denique si quis dixerit, malum nihil aliud existimari nisi quendam essentiæ interitum, responderi poterit, malum non propterea ex ipso rerum ordine tolli, siquidem corruptio aëris ad generationem essentiamque ignis necessaria est & conferens vniuerso, ideoque & esse aliquid & posse non nihil.

DIONYSIVS.

Dixerit ergo aliquis, vnde nam igitur erit malum? nisi enim malum sit, virtus ac vitium erit idem, vniuersale, videlicet, vitium idem erit, quod vniuersa virtus, particulare similiter idem quod virtus particularis. Aut saltem quod virtuti aduersatur, non erit malum. Contraria profectò temperantiæ intemperantia est, iustitiæque iniustitia Neque tantùm dico iustum hominem & iniustum, rursumque temperatum inuicem dissidere, verumetiam ante foris apparentem probi viri ad improbum discrepantiam, in ipso animo à virtutibus omnino vita distant & ratione, motus dissident perturbati. Propterea necessarium est concedere malum aliquid esse bono contrarium. Neque enim bonum sibimet repugnat. Sed vniuersum bonum, velut ex vno principio ductum, vnaque causa genitum communione quadam inuicem, & vnione & amicitia gaudet. Neque rursus quod minus bonum est, maiori bono contrarium est dicendum, quia nec minus calidum aut frigidum, minus calido frigidoue repugnat. Malum igitur est in rebus, atque est aliquid. Et ita duntaxat est oppositum contrariumque bono. Cæterùm, si quis dixerit, malum esse ipsum rerum interitum, non propterea conuincet, malum in rebus omnino nihil esse. Sed ita erit malum quoque ens aliquod, tanquam conferens ad entia generanda. Nonne sæpe huius interitus generatio sit illius. Atqui malum ita conducet ad plenitudinem vniuersi, ipsi per se præstans, ne sit imperfectum.

(.:) (.:) (.:)

Malum qua ratione malum est, nihil generat, sed virtute boni fit generatio.

MARSILIVS.

Qvando aër extenuatur in ignem, interitus quidem aëris, quem malum dicimus, nihil generat, sed virtus ignis aut Solis, quæ bona est, ignem generat tanquam bonum. Nec fuit naturalis intentio virtutis illius aëris formam perdere, imo formam ignis efficere. Abiit verò aëris forma dum ignis forma succedit. Neque putare debet quispiam malum atque bonum ratione quadam duntaxat inter se differre, nam & re ipsa discrepant. Generatio similiter & interitus. Neque malum esse potentiam quandam per se existentem, neque quoquomodo potentiam, sed potius impotentiam.

DIONYSIVS.

Ad hæc autem vera ratio respondebit. Malum qua ratione malum est, nullam essentiam, vel generationem facere, solùm verò deprauare, atque perdere, quantum in ipso est, rerum substantiam Siquis autem ipsum generationis dixerit authorem, propereaque alterius pernicie, præstet alteri geniturum, respondendum est, re vera, non qua ratione perdit, generationem aliquam elargiri, sed qua corruptio malumque est, violare solùm, atque deprauare. Generationem verò essentiamque effici propter bonum. Atqui malum per se quidem erit interitus, author verò generationis propter bonum. Et qua quidem ratione malum est, neque est ens, neque entium effectus. Atpropter bonum, & ens est, & bonum authorque bonorum. Imò verò neque est quicquam secundùm idem bonum, atque malum. Neque rursus eiusdem est interitus, & generatio idem. Neque qua conditione malum est, eadem est & potentia. Neque quædam per se potentia, aut quidam per se interitus. Ipsum namque quod dicitur per se malum, neque ens dicendum est, neque bonum, neque generationis effector, neque rerum author vel bonorum.

De gradibus bonorum. Quomodo per defectum boni contingit malum. De potestate boni.

MARSILIVS.

Voluptas naturalis simul atque libera in primo bono, scilicet Deo, constituit varios fore bonorum gradus atque quàm plurimos. Ex quibus ordo mirandus conficeretur, sapientiæ præcellentis imago. Igitur post lõgum graduum ductum magis paulatim magisque à primo bono distantium, malum accidit in nimio quodam videlicet defectu boni. Angeli qui perfectam nacti sunt participationem boni, animæ verò minus plenam, minus quoque cœlestia corpora, minus item inferiora quamuis animata, minus iterum inferiora corpora carentia vita, minimè verò materia prima. Cũ verò accidẽs sit debilius quam substantia, ideoq; sit procliuius ad defectũ, merito malũ prius cont. in accidente quã in substantia.

Quamobrem defectus malumque in anima non circa substantiam eius, sed circa accidentia potius versari videtur scilicet affectus & motus & actiones. In corporibus malum, præter accidentia, attingit quoque substantia. Tanta verò est ipsius boni potestas, vt etiam ipsa priuatio, quæ reuera malum cognominatur, in bono habeat firmamentum, id est, in essentia quadam, quæ quidem perfectione aliqua priuata censetur. Neque valeat quisquam repugnare primo bono, nisi per vim aliquam vel motionem tandem ab eodem bono pendentem. Denique materia prima, quam formis omnibus natura sua priuatam, fingimus, ideoque singulorum bonorum cogitamus expertem, non est à bono penitus destituta, quandoquidem ab ipso dependet facillimeque paret ipsi quomodocunque formanti, formasque tanquam boni ipsius imagines auidissimè videtur asciscere.

DIONYSIVS.

Bonum vero quibus perfectè inest, perfecta, pura, integra bona facit, sed quæ minus ipsum participant, imperfecta bona sunt, ac propter defectum boni, permista. Omnino quidem malum, non est ens, neque bonum, neque beneficum. Sed quod magis aut minus propinquat bono, pro ipsa à propinquandi mensura fit bonum. Siquidem perfecta bonitas per omnia se diffundens, non solùm ad illas quæ sunt circa ipsam substantias optimas accedit, sed ad extremas vsque procedit, aliis quidem summopere præsens, aliis autem inferiore quadam conditione, aliis tandem infimo quodam pacto, quatenus singula percipere possunt. Iam verò alia bonum prorsus participant, alia verò magis minusue inde degenerant. Sed alia tenuiorem boni præsentiam sortiuntur, aliis deniq; vestigium boni contingit extremum. Atqui nisi bonum vnicuique pro modo cuiusque se præstaret, diuinissimaque, diuinissima quæque, & antiquissima infimorum ordinem obtinerent, quonam pacto fieri poterat, vt vnica ratione singula bonum participarent? Quippe cùm non omnia sint ad exactam participationem eius accommodata. Nunc autem hæc penes bonum est magitudo potestatis excedens, quod ipse etiam quæ priuata sunt, & ipsam priuationem sui corroborat, secundùm participationem sui vbiq; productam. Denique si oportet vera audentius confiteri, illa etiam quæ repugnant bono, ipsa boni virtute & existunt & repugnare valent.

Ipsum bonum est super essentiam. Et quicquid cadit à bono, decidit ab essentia.

MARSILIVS.

Si ipsum bonum compares ad ens vniuersum, habet ad hoc principij rationem. Primò quidem quia quodlibet ens est boni particeps. Secundò, quia priuatum bono, orbatur essentia. Non tamen ita se habet ad essentiam corporea quæuis qualitas, vel vita, vel intellectus, nam & seorsum ab his esse quam plurima possunt. Tertio, quoniam entia singula bonum appetunt tanquam finem, itaque omnium est principium. Vita quoque & intelligentia se ad bonum similiter habent. Primum ergo principium omnium non appellabis intelligentiam aut vitam, tum quia duo hæc essentia indigent vt priore, tum quia bonū expetunt, dum bene viuere beneque intelligere cupiunt, tum etiā quia nō omnia vitæ vel intelligentię participia sunt. Rursus nec principiū ipsum appellabis essentiam, quippe cum hæc vitam & intelligentiam optet atque bonum. Est itaque ipsum simpliciter bonum super essentiam. Quoniam verò est principium ac finis essendi, merito quatenus quælibet à bono cadunt, eatenus essentia decidunt atque vicissim. Quod quidem exemplo rerum naturalium moraliumque apparet.

Quatenus quodlibet destituitur à bono, etiam priuatur essentia. Ita vitio sui homo quantum rationis bono caret, tantum substantia caret.

DIONYSIVS.

Cæterum, vt summatim dicam, quæcunque sunt, qua ratione sunt, eadem sunt, & bona, existuntque à bono. Qua vero destituta sunt à bono, neque bona sunt, neque subsistunt. Nempe in cæteris qualitatibus velut in calore vel frigore, ita se res habet, vt quæ calefacta fuerint, etiam superesse possint, postquam calor illa deseruit. Pleraque etiam sunt quidem tametsi vitæ & intelligentiæ sunt expertia. Deus quoque semotus est ab essentia & superessentiali, vt ita dixerim, ratione consistit. Iam vero in cæteris simpliciter omnibus, tum habitu quouis amisso, tum etiam non assumpto, sunt tamen entia, & subsistere valent. Quod autem è bono penitus destituitur, nimirum nec vsquam, nec vllo pacto vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest. Velut intemperatus, & si bono caret per concupiscentiam rationis expertem, atque per eandem neque est ipse quidem, neque vlla quæ reuera sit concupiscit, interea tam est boni particeps pertenuem quandam amicitiæ & vnionis imaginem. Ita quinetiam est boni compos, quatenus mouetur, aperitque quæ mala videntur honestum dirigere atque conuertere. Atqui & ipse qui deterrimam vitam eligit, propterea boni particeps iudicandus est, quod vitam desiderat, & eam quidem, quæ sibi videtur optima. Ac simpliciter quod appetit, vitamque desiderat, vitamque optimam spectat, vt finem. Iam vero si bonum omnino sustuleris, nec erit essentia, neque vita, nec appetitus, neque motus, neque quicquam.

Ipsum bonum est principium, finis, mensura omnis essentiæ. Item nusquam est quicquam omnino malum.

MARSILIVS.

Res nulla, vt alibi diximus, qua ratione simpliciter est, efficit opus aliquod, sed qua bene est, beneque se habet. Item non temere, sed boni sui gratia facit. Neque appetit agere aliquid, quod quidem sit simpliciter, sed quod bene bonumque sit. Hinc itaque concludimus, ipsum bonum esse vniuersi entis efficientem causam, & finalem, & quomodolibet essendi mensuram. Vt quo magis aliquid boni compos est, eo magis essentiæ, minusue, quo minus. Quod quidem etiam inde constant, quia quod gradatim minus bene se habet, paulatim ab essentia cadit. Quasi essentia qualibet ab ipso bono dependeat. Potest quidem aliquid omnino bonum existere. Aliquid autem omnino malum inueniri nusquam potest. Malum enim intelligimus vbi, vel minima est, vel minor quam oportet, participatio boni. Quæ quidem quodammodo in essentia quadam fundamentum habet vbique vt cæcitas in oculo, morbus in viuo. Quod si neque sit oculus, neque viuens, non erit alicubi cæcitas aut morbus. Oppositum igitur ipsius integri boni, quod sanè fingitur malum integrum, existit nusquam. Oppositum verò alicuius boni, id est, cæcitas visionis, morbusue sanitatis, quoquomodo repetitur alicubi.

DIONYSIVS.

Quod igitur corruptionem generatio sequatur, non est id quidem mali potestas, sed minoris boni præsentia. Quemadmodum, & morbus, defectus quidem est ordinis, sed non vniuersi, si enim totus ordo desit, neque morbus ipse subsistit. Manet autem, estque nonnihil morbus, quatenus essentiam habet minimum ordinem, in qua sane velut fundamento subsistit. Quod enim vniuersi boni expers excogitatur, neque est aliud, nec in existentibus repetitur. Quod autem mixtum est, id propter bonum est in ordine rerum, atque secundum hoc ipsum repetitur in rebus, atque est ens, quãtum est boni particeps. Imò verò quæ sunt omnia, eatenus magis minusue sunt, quatenus & boni participia sunt. Iam verò, & in eo quod esse ipsum dicitur, quod nec vsquam, nec vllo modo ibi est, nec erit quid vsquam. Quod autem quodammodo quidem est, quadammodo verò non, nimirum & quantum ab eo decidit quod semper est, sane non existit. Quantum verò ipsius esse sit compos, tantum quoque consistit. Atqui & simpliciter esse quod non ens censetur, ab ipso quod semper penitusque est ens, continetur atque seruatur. Ipsum quoque malum ita se habet, vt quod decidit prorsus à bono, id neque inter magis, neque inter minus bona sit futurum. Quod verò quodammodo quidem bonum est, quodammodo verò non bonum, aduersatur sane cuidam bono, non autem toti bono. Atqui & ipsum participatione quadam boni regitur atque continetur. Nempe bonum ipsum sua quadam participatione ipsam quoque sui priuationem quadam quasi essentia donat. Profectò si bonum prorsus abierit, nec erit vniuersaliter bonum aliquod, neque mixtum quicquam, neque malum ipsum. Si enim ipsum quod dicitur malum est imperfectum bonum, nimirum per vniuersam absentiam boni, & imperfectum, & perfectum bonum aberit, tunc perfectò duntaxat erit apparebitque malum, quando aliis quidem erit malum quibus est contrarium, ab aliis autem pendebit distinctum tanquam bonis. Nequeunt enim eadem secundum eadem inter se in omnibus repugnare. Malum igitur non potest existens aliquod esse.

Malum nec est in rebus procedentibus à bono, nec in bono, nec ex bono. Item si bonum malumque sint duo contraria, nequeunt vel ex se inuicem, vel ex vno principio proximè proficisci.

MARSILIVS.

Probauit hactenus malum non esse ens vllum, id est (vt paulo elegantius loquar) aliquid per se existens. Probat verò deinceps malum non ita esse in aliquo existente, vt pars eius vel qualitas censeatur. Cum enim causa prima, id est, bonum in omni affectu longè magis latiusque agat quàm cæteræ causæ, nihil in aliqua re ad naturam eius vllo modo pertinens, reperiri potest, quod non ab ipso bono procedat, magisque semper illinc dependeat quàm aliunde. Præterea cum causa prima ad suam similitudinem in effectibus omnibus absoluendam sit causarum omnium potentissima, concluditur quicquid naturaliter in aliqua re tanquam essentia vel pars vel qualitas, vel actus eius est, id omne tanquam efficacissime dependens & conseruatum comprehensumque à bono, non malum esse sed bonum. Si consideramus ipsum simpliciter bonum, cum hoc sit principium vniuersi, nec solum faciat bona omnia, sed etiam quæ forte labi videntur in malum interim potestate ordineque mirabili reducat in bonum, nimirum in hoc malum esse non potest, vel ex ipso, vel aliunde procedens. Sin autem bonum simul atque malum consideremus, tanquam duo quædam inter se contraria per longam videlicet distantiam pari lance distincta, neutrum potest vel ex altero esse vel in altero. Cogimur autem parem hunc numerum contrariorum binarium ad superiorem referre alicuius principij vnitatem. Sed nequeunt hæc summopere inter se pugnantia ex vno quodam authore simul sine medio proficisci, alioquin si ita proficiscantur, cum neque possint ita casu inter se distingui, neque secundum eandem rationem ab vno eodemque fieri proximè tam diuersa, compellemur simplicitatem principium iam negare, differentesque in ipso ponere rationes contrariorum inter se absolu-

cæ distinctas, per quas non temere sed naturaliter vel consulto possint inde statim simulque repugnantia proficisci.

DIONYSIVS.

Atqui, nec in existentibus inest malum, si enim hæc omnia sunt ex bono, omnibusque bonum inest, continetq; omnia, nimirum in his malum esse non potest. Ac forsan in bono malum erit? Minime. Nam nec est in igne frigidum. Nec malum in se vllum admittere potest, quod malum etiam reddit bonum. Sin autem fingatur in bono malum esse, quonam pacto inerit? Si enim ex ipso concedatur existere, absurdum id quidem & impossibile. Nam vt sacrorum eloquiorum veritas inquit, Non potest arbor bona fructus malos facere, vel mala bonos. Sin autem bono malum ex seipso non inest, an ex alio forsan tanquam principio causaque continget? Iam verò vel malum ex bono erit, vel ex malo bonum, aut si hoc est impossibile, ex alio quodam principio causaque erit bonum, pariter atque malum. Nulla enim dualitas est principium, sed vnitas ipsa est dualitatis omnis initium. Tametsi absurdum est confiteri ex vno eodemque duo quædam prorsus inter se contraria proficisci. Atque ita ipsum quoque principium non esse simplex penitusque vnum, sed diuisum atque biforme, contrariumq; sibimet atque repugnans.

Non sunt principia rerum inter se contraria, atque etiam duo, nec vnum aliquid in se multiplex, sed simplicissima vnitas atque bonitas.

MARSILIVS.

SI Manichæorum more fingantur duo contraria, prima vniuersi principia, profecto quantum contraria sunt & æquè prima, inter se pugnabunt, quantum quoque vtraque sunt pariter vniuersi principia, deinceps hinc & inde genera rerum duo deriuabuntur, inter se sine vlla conciliatione penitus dissidentia. Veruntamen cum per bonos vniuersi gradus, gradatim in melius aliquid atque potentius simulque simplicius ascendamus, paulatimque multitudinem congregemus in vnum, necesse est ad vnum denique peruenire simplicissimum, optimum, potētissimum, idque illæsum arq; prorsus impertubatum. Huic ergo neque rectè potest fingi contrarium, nec æquale. Alioquin impediri inde poterit atque perturbari. Denique cum quælibet in mundo contraria videamus in vnum certa quadam proportione conciliari, concordiaque eiusmodi nequeat vel ex discordibus vel rursus ex multis vel etiam ex authore multiplici, prouenire, alioquin à contrarietate non perueniretur in vnum. Necesse est non contraria, non duo quędam non vnum aliquid in se multiplex, sed vnum penitus simplicissimum principatum vniuersi tenere. Merito igitur Platonici, principium vniuersi, dicunt, omnia quantumlibet multa contrariaque vnire. Quia ipsum est summa vnitas atque bonitas. Vnio sanè vnitatis est ipsius & bonitatis officium. Ipsa namque bonitas dum seipsam vnam diffundit in omnia per processum distribuens videlicet singulis, & si non parem tamen quodammodo similem, bonitatem, inuicemque amicam, dumque vicissim per infusum omnibus appetitum boni, & inuicem & ad se vnam omnia conuocat, interim in vnam seriem & actionem atque formam mirabiliter omnia colligit. Denique si quod ad Deum pertinet in omnibus est bonum atque consensio, sequitur ipsum nihil apud se contrarium malumque admittere, atque malum nihil habere simile pertinensque ad Deum.

DIONYSIVS.

NEque rursum possibile est duo rerum esse principia & inuicem & in vniuerso contraria atque repugnantia. Si enim id concedatur, nec Deus ipse à detrimento molestiaque procul aberit, siquidem non desit quod ipsum quoq; perturbet. Præterea cuncta erunt inordinata, semperque pugnantia. Atqui bonum ipsum amicitia quadam cuncta conciliat, à sanctisque Theologis & pax & pacis author appellatur. Quamobrem bono omnia sibi inuicem amica sunt & consona, ex vna vita videlicet pullulantia, ad vnumque ordine certo disposita bonum. Atque sicut eodem quasi generis cognomento, ita conditionis similitudine & affectione quadam mansueta coniuncta. Quapropter malum neq; est in Deo, neque diuini commercij quicquam habet.

Nullum ex Deo malum, sicut nec ex igne frigus.

MARSILIVS.

CVm vbique superior causa melior sit effectu, certè causa prima ita optima est, vt sua bonitas sit substantia sua, ipsaque simpliciter bonitas. Hæc verò quemadmodum in substantia, ita nec in bonitate permutari potest. Cum igitur qua ratione bonitas ipsa est, nunquam efficiat mala, imò bona, mutarique ex bonitate non possit, bona semper efficit omnia. Nunquam igitur ex Deo malum.

DIONYSIVS.

SEd nec ex Deo malum est. Aut enim concedendum erit Deum nō esse bonum. Aut si proculdubio bonus est; bene facit efficitq; bona. Neq; tantum ita vt aliquādo tantum & aliqua bona faciat. Aliquando vero non agat, vel non omnia. Alioquin permutationem conditione eiusmodi pateretur, diuersitatemque in seipso circa id quod angustissimum est, videlicet causam. Iam vero siquidem in Deo bonum ipsa sua substātia est, si permutetur ex bono, Deus aliquando quidem erit, aliquando vero non erit. Sin autem participatione bonum habeat, & habebit ab alio, & aliàs id habebit, aliàs non habebit Malum igitur nec est ex Deo, nec in Deo, neque simpliciter, neque per tempus.

In Angelo non est malum, id est, defectus aliquis boni, quia est expressissima quædam imago primi boni.

MARSILIVS.

SI dicens malum, cogitas aliquid affirmatiuè rerum ordine positum, falleris. Quicquid enim hic est, cum ab ipso bono prorsus existat, est necessario bonum. Nusquam igitur existit eiusmodi malum. Sin autem appellatione mali, negationem & priuationem defectumque conuenientis alicui boni cogitas, malum & si alibi potes deprehendere, non tamen potes in Angelo ponere. Quadruplicem in natura qualibet ordinem Platonici ponunt. In primo quidem gradu imparticipabilem ipsum in se naturam. Quemadmodum, exempli gratia, in Sole lucem. In secundo, participatam quidem, sed perfectè, id est, semperque eodem modo, quemadmodum infusum stellis à Sole lumen. In tertio, participatam rursus & imperfectè, idque duobus modis, aut enim semper quidem, sed non eodem semper modo, vt lumen Solis Lunæ tributum, aut neque eodem modo neque semper, sicut lumen Solis in aëre. Necessarium est omnino per hos gradus vbique procedere. Nam & natura per media gradatim progreditur ad extrema. Et causa quævis efficiens similiores sibimet effectus efficit ante dissimiles. Bonum igitur à primo bono participatum Angelis quasi lumen à Sole stellis cum in primo proximoque sit participationis gradu, plene datum est absque defectu, igitur absque malo. Ad inferiora verò diffusum, quasi tenebris quibusdam admisceri potest, duplicemque defectum subire, qualem in Luna vel in aëre lumen, vel quomodolibet aliter quis inuenerit. Angelicam, id est, intellectualem, in sua puritate naturam esse quasi splendorem circumfusum diuinæ luci, lucis illius penetralia intellectualibus animis intelligibiliter declarantem, dogma Platonicum est, solémque diuinum in Angelo, tanquam in speculo purissimo, expressissimè relucere. Inter hæc vocabula duo notabis Dionysiaca simul atque Platonica, scilicet theoidiam atque agathotypiam. Per primum diuina lux speciesque designatur, per secundum diuina figura. Duo hec ad summum in verbo Dei, scilicet, conceptu eius intimo Apostolus Paulus in procemio ad Hebræos collocat. Secundo vero quasi gradu Dionysius attribuit Angelo. Qui & si non tantam diuinitatem à Deo sortitus est, quantam vel habet ipse Deus vel edere possit, & non velit, veruntamen tantam habet, quantam capit hactenus ordo rerum Deusque decreuit.

DIONYSIVS.

NEc in Angelis etiam malum est. Si enim Angelus speciem boni præferens exprimit, diuinam exprimit bonitatem, existens vel per participationem idipsum, secundo gradu, quod secundum causam, est in se primo illud quod exprimitur, certè imago Dei est Angelus, & occulti luminis declaratio, ac speculum purum, nitidissimum, in quo inquinatum, immaculatum, incontaminatum, totam in se suscipiens (si dictu fas est) pulchritudinem speciei ipsius figuræque diuinæ, atque in seipso syncerè, quantum fieri potest, splendore declarans secretissimi illius silentij bonitatem. Itaque nec Angelis quidem inest malum. Nisi fortè quis dixerit propterea malos esse, quod puniant peccatores, sed eadem ratione castigatores errantium, mali erunt. Similiter & sacerdotes illi qui prophanos à diuinis mysteriis arcent. Sed profectò non malum est meritis affici pœnis, imò fieri pœnis dignum. Neque rursus malum pro merito à sacris arceri, sed contaminatum prophanumque euadere, ideoque nec aptum qui admittatur ad pura.

Malum nec in dæmonibus nec in aliquo propriè pertinet ad substantiam, sed infirmitatem virtutisque defectum, neque tamen boni prorsus expertem.

MARSILIVS.

NOn debemus ipsam dæmonum essentiam dicere naturaliter esse malam. Sic enim & fateri cogemur semper ab ipso videlicet primo creationis suæ momento malam fuisse, itaq; nec ortam ab ipso bono principio rerum, ideoque nec esse quicquam. Neque rursum fas est asserere dæmonem ex bono per aliquem naturalem motum euasisse malum. Omnis enim eiusmodi motus ab ipso bono rectus rédit ad bonũ. Præterea nec ipsa potestas demoniaca sibi ipsi mala est, perimeret enim semetipsam. Rursus si quo modo interimat aliud, non propterea dicenda est penitus esse mala. Nec enim interficit quodlibet, nec aliquid totum. Omnis enim interitus desinit in materiam & in alterius ortum. Denique cum substantiæ nihil sit contrarium, imò inter qualitates contrarietas omnis existat, merito corporis nullius interitus ab ipsa sui materiali substantia vel substantiali forma, sed à suis quibusdam qualitatibus exorditur. Quarum proportio per accessum qualitatum contrariarum debilitatur. Per hanc vtique debilitatem infirmitatemque dicitur ægrotum corpus atque malum. Malum igitur nec propriè pertinet ad substantiam, nec quatenus per ipsum aliquid appellari potest malum, id est, male se habens, integrum potest esse malum. Vbi enim integrum malum fingitur, cum nihil sibi superfit boni, nec vlla ibi corporis forma superest, nec ipsa quidem materia prima. Hinc igitur nihil dici poterit male se habere. Quicquid ergo iudicatur male se habens, habet cum aliquo defectu bonum, siue corpus id sit, siue anima siue dæmon.

DIONYSIVS.

NEque rursus dæmones sunt natura mali, alioqui nec essent ex bono. Nec essent prorsus aliquid. Atqui nec ex bonis natura mutati sunt in malos, neque semper extitere mali. Præterea vtrum sibimet an aliis mali sunt? Si fortè sibi ipsis mali, seipsos perdent. Sin aut aliis, quonam modo interimentes, iudicantur mali? Aut quid potissimum interimentes? Essentiamue vel potentiam, vel actionem? Siquidem essentiam, primo

quidem non præter naturam id efficient. Quæ enim per naturam incorruptibilia sunt, non corrumpunt, sed quæ corruptioni sunt obnoxia. Deinde, ne id quidem omnibus, & omnino malum est. Iam verò neque quicquam eorum quæ sunt perimitur, quantum est essentia & natura. Sed ipsa congruentiæ commensurationisque proportio, propter ordinis naturalis defectum, iam ita debilitatur, vt eodem modo permanere non possit. Infirmitas vero non est integra, si enim integra foret, & corruptionem ipsam & subiectum eius è medio tolleret. Essetque corruptio eiusmodi, sui quoque ipsius interitus. Quamobrem quicquid malum dici solet, non est omnino malum, sed deficiens bonum. Quod enim expers omnino boni fingitur, nec vsquam quidem aliquid erit. Eadem quoque de potentiæ actionisque corruptela ratio est.

Malum in dæmonibus non est essentiale quicquam, sed defectus quidam affectus actionisque suæ circa principium suum atque finem.

MARSILIVS.

DÆmones cum quicquid habent essentiale, proximè habeant ab immenso bono, totum id habent bonum: si ergo dicantur mali, sequitur vt secundum nonnihil, quod ipsi non sunt, quodue nullo modo essentiale est, nominentur mali. Per aliquem videlicet casum ab essentia degenerationemq; ab ipso bono essentiæ authore. Quatenus videlicet nec affectum neque actionis intentionem in suum principium, vnde bene se habituri perficiendique fuerant, conuerterunt. Itaque non per naturam ipsam, sed per defectum agendi circa principium finemque suum, mali fiunt. Tu verò cum dixeris dæmonem naturaliter esse malum, interrogatusque deinde fueris, vtrum semper ab initio malus extiterit nec ne? vtrumvis responderis, tibimet repugnare cogeris. Si non semper fuit malus, igitur non natura, quicquid enim naturaliter inest, id vna cum natura semper adest. Sin autem dixeris, semper fuisse malum, cogeris iterum stabilem ipsam sempiternitatis identitatem confiteri bonum. Cum enim stabilitas ad vigorem virtutis attineat, ideoque stabiliter se habere, sit bene se habere, fateberis dæmonem stabiliter malum, esse bene malum, ac bene se habendo malum esse. Ob similem rationem plerique Platonici malum supplicij negant sempiternum fore. Ne fortè identitatem stabilitatemque quæ ad vnitatem bonumque tanquam propria pertinere putant, esse confiteantur in malo. Verum pro Christianis responderi poterit, in supplicio sempiterno propter pœnarum variarum diuersitatem, vicissitudinemque temporalem, nimirum stabilitatem veram non adesse.

(.·.) (.·.) (.·.)

DIONYSIVS.

PRoinde quonam pacto dæmones, cùm à Deo facti sint, mali sunt? Nempe bonum bona producit, & statuit. Verumtamen malos appellari dicet aliquis. Sed non qua ratione sunt aliquid, mali sunt. Ex bono enim existunt, bonamque essentiam nacti sunt. Imò, qua ratione non sunt. Quippe cùm ad seruandum principium suum infirmi fuerint. Quemadmodum diuina testantur eloquia. Dic age, in quonam dæmones deprauari dicamus, nisi in eo quod ab habitu, actioneque circa bona diuina vacant? Præterea, si natura mali sint dæmones, semper fuere mali, tametsi malum est instabile. Nonne igitur si semper eodem modo se habent, mali non sunt. Semper enim idem esse boni proprium est. Sin autem non semper extitere mali, non sunt ipsa natura praui, sed indigentia quadam bonorum angelicorum. Neque boni prorsus sunt expertes, quatenus sunt, viuunt, intelligunt, habentque nonnullum desiderij motum. Praui verò censentur, quoniam circa naturalem operationem sunt inualidi. His itaque malum est auersio quædam, excessusque & discessus (ob quem bonis sibi conuenientibus potiti non fuerint) defectus, imbecillitas, infirmitasque virtutis perfectionem suam conseruaturæ, fugaque & casus.

Angeli conuertuntur vel ad Deum, vel ad se, vel ad inferiora. Gradus dæmonum, quid malum in dæmonibus.

MARSILIVS.

COnsideranti mihi cum doctrinam Dionysij sæpè Platonicam, tum etiam verborum præsentium formam atque consequentiam, videtur expositio quam subiiciam, fortè videri posse probabilis. Descripsit hactenus quid primum fuerit in Angelis malum, omnibus commune dæmonibus. Nunc adiungit malum quasi secundum, non dæmonibus cunctis commune, sed infimis. Tres, vt Platonice loquar, actus in Angelicis mentibus esse possunt, scilicet trina conuersio, vel ad Deum, vel ad se, vel ad sequentia. Itaque Angeli quam plurimi ad ipsum Deum amandum tota voluntate conuersi, semper euasere beati. Nonnulli verò conuersi ad se prorsus amandos, facti sunt e uestigio miseri, principio suo videlicet fineque priuati. Quibus hæc illinc auersio priuatioque iudicatur malum. Quidam rursus non solum ad seipsos amãdos conuersi, verumetiam ad infima diligẽda diuersi, omnium euasere miserrimi. Quibus præter orbitatem illam malum aliud contigit, multiplex videlicet perturbatio. Primi quidem Angeli sunt penitus à corporibus absoluti, nisi fortè mira quadam facilitate cœlestia regant, interim diuina fruitione beati. Secundi ve-

rò iam miseri, quasi proprio amore decepti, elementisque sub Luna simplicibus mox addicti, non tanquam animæ quædam prorsus infusi, sed ritu quodam, quasi magico, diuinitus mancipati. Quibus præter superiorem orbitatem illam malum accidit conditio ista seruilis & indignatio sequens. Tertij verò composita corpora generationemque & cultum ab hominibus cupientes, corporibus iam ex igne aereque, vaporisque terræ & aquæ conflatis sunt immersi, ascīscente quidem hoc amore ac Deo interim compellente, hinc aëria quædam facta sunt animalia, vasta quidem & celeritate potentia, sensu mirabili, inuida, superba, malefica. Quibus præter orbitatem indignationemque iam dictam, malum est perturbatio sensualis, passioque sensibilis. His item vltra intellectum voluntatemque peruersam, consequenter inest imaginatio præceps, ita feruens, concupiscentia vehemens. Vt Dionysius, more Platonico, narrat, quasi sint animalia. Quod etiam confirmat, vbi ait, tria hæc in cæteris insuper animalibus naturaliter esse. Dæmones autem animalia esse non solum Platonici, sed antiqui etiam inter Christianos Græci doctores putant. Et Aurelius Augustinus non redarguit. Ac videtur tum naturæ vniuersi, tum officiis, actionibusque dæmonum, tum diuinæ iustitiæ consentaneum. Ego autem id asserere nondum audeo. Eiusmodi quoque in dæmonibus multis malignitatem atque superbiam omnes Platonici posuerunt. Porphyrius addit, maleficorum dæmonum principi nihil optabilius esse quàm vt colatur quasi Deus. Mitto nunc Christianos Græcos, qui omnes Angelos habere corpora quamuis tenuia voluerunt, quod quidem Aurelius Augustinus in libro de Trinitate commemorat, neque negat. Animalia multa perspicuum quendam radium habent naturaliter suis oculis insitum, quo proxima multa etiam nocte vident. Hæc si die fugiant in speluncam omnino Solis radiis inuiam, & si cœlestia non videbunt, quia vel cœlesti lumine careant, infima tamen nonnulla cernent, naturali vel lumine minimè capta. Similiter dæmones postquam voluntatis affectum non ad diuinum Solem, sed ad se penitus conuerterunt, & si supremo beatoque illo diuini Solis lumine sunt orbati, quod eis accidit miserabile malum, naturales tamen quibus naturalia videant radios retinuisse putantur. Quod & optabile est & bonum. Et hoc ipsum sibi conseruire cupientes, bonum aliquod appetunt. Ex hoc autem appetitu dimittentes supremum bonum, extremum malum elegisse videntur.

DIONYSIVS.

QVid præterea malum est in dæmonibus? Furor irrationalis, concupiscentia demens, imaginatio præceps. Verùm ista quanquam dæmonibus insunt, non tamen omnibus, nec omnino. Neque ipsa secundùm se mala sunt. Nam & in aliis animabus, non hæc quidem habere, sed his carere, pernicies est animalium atque malum. Horum verò habitus seruat, esseque efficit animalis naturam hæc habentem. Quamobrem dæmoniaca gens non qua ratione secundùm naturam est, sed qua non est, existit mala. Neque bonum illis traditum, totum est permutatum, sed ipsi à toto bono sibi tradito exciderunt. Nec angelica munera his tributa aliquando, permutata, sed integra sunt penitusque conspicua. Quamuis ipsi minimè cernant, quippe cùm vires eas, quibus bona videri possent, iam occluserint. Quapropter hoc ipso quod sunt, ex bono sunt atque boni, & pulchrum bonumque desiderant, dum videlicet esse, viuere, intelligere, quæ quidem existentia sunt, desiderant. Sed priuatione quadam & fuga, casuque à conuenientibus sibi bonis, mali cognominantur. Suntque mali qua parte pulchri non sunt. Et quod minimè est appetentes, malum appetunt.

Malum in anima.

MARSILIVS.

CVm in ipso bono omnium principium sit summa omnium prouidentia, consequens est, vt Angeli animæque ex ipso proximè dependentes, naturalem quandam ad sequentia prouidentiam habeant. Sed Angeli quidem monendo prouident. Animæ verò viuificando primum, deinde etiam consulrando. Cum igitur id totum prouidentiæ munus & ex bono sit & imitatio boni, est proculdubio bonum. Non igitur malum est animæ, sic adesse malis, id est, deterioribus vt vel naturali vel voluntario beneficio hæc afficiat. Proinde sicut nocturnus aër dicitur tenebrosus, non quia vel rem nouam subeat vel naturam amittat suam, sed quia deest ei Solis lumen, quod rem per se tenebrosam efficit lucidam, sic animus ac dæmon malus cognominatur, non propterea quod vel naturale quicquam perdat, vel suscipiat alienum, sed quia deficit à benefico Dei munere, ordinemque qui ad bonum perducere solet non obseruat. Cuius quidem boni munus sua quadam præsentia bonum reddit, quod alioquin in malum, hoc absente, corrueret.

DIONYSIVS.

AT animas quispiam esse dixerit malas, si igitur quia coniunguntur malis quodam prouidentiæ, conseruationisque officio, has aliquis suspicetur malas, obiiciendum est, hoc vtique non esse malum, sed bonum, atque ex ipso bono proueniens, quod quidem vel quod alioquin malum est, reddit bonum. Sin autem animas quoquomodo deprauari dicamus, in quonam deprauantur? Nisi in quodam affectionum, actionumque bonarum defectu, & quoniam aberrantes à fine ob infirmitatem propriam dilabuntur. Iam verò circunfusum quoque nobis aërem obtenebrari dicimus, defectu, videlicet, & absentia luminis. Ipsum verò lumen, semper est lumen. Quod etiam illuminat tenebras. Quamobrem,

nec in dæmonibus, nec in nobis ita malum eſt, quaſi exiſtens aliquid, ſed tanquam defectus aliquis, per quem proprium bonorum conſummatione caremus.

Malum in animabus, non eſt aliquid his naturale.

MARSILIVS.

OMnis naturalis inſtinctus, motuſq; in quolibet animali ſuæ proprius ſpeciei, eſt procuIdubio bonus, tanquam ab ipſo bono prouidente infuſus, ad conſeruandam ſpeciem, directus ad ſuum cuique bonum. Malum verò in animalibus dicitur defectus aliquis, per quem minus validum fit ad naturales actiones expediendas. Sed interea dum imperfectum aliquid appellamus malum, memento hoc ipſum quod dicitur imperfectum, nec omnino malum, neque prorſus præter omnem naturam eſſe. Diuinitas quidem tanquam ſummopere potens proximum opus ſuum quo momento facit, eodem perficit penitus conſummatum. Natura verò Deo prorſus inferior opus ſuum tempore, gradibuſque perducit ad finem. Prouidentia videlicet ita naturam conſtituente. Eo igitur gradu medio, quo naturæ opus, quia nondum abſolutum eſt, dicimus imperfectum, hoc ipſum imperfectum, nec præter naturæ intentionem eſt omnino, neque prorſus malum, tanquam ex quodam prouidentiæ, naturæque ordine ſic ad perfectum finem gradibus inſtitutum.

DIONYSIVS.

NEque rurſus in animalibus brutis eſt malum. Si enim iram, concupiſcentiamque ſuſtuleris, & cætera quæ in eis, & ſi mala dicuntur, non ſunt tamen ſimpliciter ſuapte natura mala, leo quidem fortitudine, ſuperbiaque amiſſa, leo eſſe deſinet. Canis quoque blandus effectus omnibus, non erit canis. Cuſtodire enim latratu ſuo, canis eſt proprium, atque domeſticos quidem admittere, alienos verò propellere. Quamobrem conſeruare naturam, non eſt malum, imò verò malum eſt naturæ corruptio, debilitaſque, & naturalium qualitatum, & actionum, vitiumque defectus. Proinde quæcunque generantur per quædam temporis interualla perficiuntur, nec imperfectum quidem præter omnem naturam eſt omnino.

Non eſt in natura malum aliquid. Quid natura.

MARSILIVS.

PLatonica ſententia eſt, mundum totum eſſe viuum, per vitam quandam vbique vigentem, generantemque omnia, vnà cum Solari virtute vſquequaque diffuſa, quaſi ſpiritu. In hac itaque corporis vniuerſi vita per eiuſmodi ſpiritum omnia vegetante, Platonici rationes omnium ſeminales, effectriceſque virtutes eſſe putant. Cum igitur omnes hinc particulares naturæ ducantur, tanquam ab vniuerſali natura, nec vlla huic aduerſari poſſit, meritò nullum huic, aduerſum, malumque accidit, nec quicquam eius fruſtratur effectum. Particulari verò naturæ contrarium aliquid accidit, velut ignis, aqua. Vnde & malum prouenit, id eſt, naturalis actionis impedimentum.

DIONYSIVS.

NEque rurſus eſt in tota natura malum. Si enim naturales rationes omnes ab vniuerſali natura ducuntur, nihil eſt illi contrarium. Singulari verò naturæ, aliud quidem ſecundum naturam erit, aliud verò contrà. Alius namque naturis, præter naturam aliud accidit. Quodue huic naturæ conſentaneum eſt, illi accidit alienum. Vitium verò naturæ dicitur, quod incidit præter naturam, priuatio vel naturalium. Itaque non eſt ipſa natura mala. Id autem dicitur ipſi naturæ malum, quod propria ſibi officia explere non poſſit.

Quid malum corporis.

MARSILIVS.

DIonyſius quemadmodum in ſuperioribus, ſimiliter & in ſequentibus id vbique contendit, malum non eſſe exiſtens re ipſa quicquam, ſed vel exiſtendi, vel agendi defectum. Itaque neque deformitas, neque morbus quæ corporis mala dicuntur, aliud quiddam ſunt, niſi priuationes quędam atque defectus. Neque poteſt malum purum, ſolum, integrum, in aliquo ſubiecto deprehendi, alioquin neque ſubiectum ipſum ſubſiſtere poſſet.

DIONYSIVS.

PRoinde nec in corporibus malum aliquid eſt, deformitas enim, atque morbus, defectus quidem eſt ſpeciei, ordiniſque priuatio. Id autem non omnino malum eſt, ſed minus bonum, alioquin ſi pulchritudinis, ſpecieique & ordinis integra ſolutio fiat, ipſum quoque corpus abibit.

Malum, vitiumque animæ non eſt ex corpore.

MARSILIVS.

SI quis dixerit, corpus eſſe ipſam per ſe, neceſſariamque vitiorum animæ cauſam, ideoque naturam corporis eſſe malam, hinc conuincetur errare, quod in Angelis corpora non habentibus, malum eſt exortum. Et Platonici incidere malum in animam, tunc primum putant, cum intentionem, affectumque à diuinis diuertit ad naturalia, etiam antequam corpus ingrediatur. Plato rurſus in Carmide, magos ſequens, bona, malaque corporum humanorum exiſtimat à bonis animarum malisue proficiſci. Quod eſt valde Moſaicum. Si quis autem obiecerit, corpoream labem vitio quodam originali concretam, animos inquinare, meminiſſe debebit hanc, ipſam ab initio rerum, vitio quodam animi natam. Vitia verò eiuſmodi, Platonici quidem & animabus intellectualium vltimis, & dæmonibus inferioribus, plerique verò Græci Chriſtianorum doctores, vltimo Angelorum ordini, accidiſſe putant. Malum namque id eſt, defectum bona propria conſequi non valentem, non ſpiritibus quidem ſummo bono propinquis, ſed remotioribus fortè contingere. Sed hæc illi viderint.

DIONYSIVS.

DIONYSIVS.

PRæterea neque corpus esse vitiorum causam animo contingentium, inde patet, quòd etiam absque corpore prauitas possit oriri. Quemadmodum in dæmonibus. Hoc enim est mentibus & animabus, corporibusque malum, infirmitas videlicet ad bonum proprium consequendum impos, atque casus.

Materia neque malum est, neque propriè bonum, sed aliquid necessarium.

MARSILIVS.

NOnnulli veteres materiam appellabant ipsam malignitatem, fortè putantes eam esse purum malum, principiumque malorum. Hoc Dionysius ita confutat. Materia aut indutæ iam specie, cogitatur, aut nuda; si speciem induta, iam boni compos effecta est; si nuda, cum propter informitatem prorsus inertem nihil agere possit, non potest principium dici malorum. Quinetiam nihil pati potest mali. Nihil enim huic contrarium est. Nihil proprij potest amittere. Præterea si materia nihil habet essentiæ, maleficium machinari non potest. Si quid essentiæ possidet, id ipsum cum sit bonum, habeatque ex bono, testatur materiam non esse purum malum. Proinde necesse est aut vnum principium ponere, aut duo. Si vnum, aut bonum, aut malum. Si duo, bonum pariter, atque malum. Iam verò si vnum bonumque, vnde materia simul atque cætera, necesse est, si materia sit purum malum, à bono proficisci malum, aut certè materiam malam, qua ratione ex bono est, esse bonam. Sin autem vnum principium est atque malum, cum multa præter hoc bona sint, confiteri cogimur à malo fieri bonum, vel saltem id quod sub malo bonum dicitur, quatenus ex malo dependet, esse malum. Denique si duo ponantur principia, non poterimus in hoc numero pedem sistere, sed ad vnum duorum principium ascendere, compellemur. Platonica sententia est, boni rationem esse, eandem atque finis, vt videlicet cætera quidem fint eius gratia, ipsum verò nullius. Oppositam verò huic esse ipsam materiæ rationem, hæc enim omnium gratia dicitur instituta, nihil verò infimæ materiæ gratia. Non est igitur appellanda bonum, neque rursus malum. Quippe cum exsistat à bono, auida & exposita sit ad bonum, necessaria sit ad mundi optimi complementum. Nuncupanda est igitur medio quodam inter bonum, malumúe nomine, necessarium, nempe necessarij ratio sicut & materiæ semper refertur ad aliud, boni verò vicissim. Attinet verò necessarium quoquomodo ad bonum, quatenus tanquam vtile conferensque ad finem certum, est eligendum. Atque hæc ipsa conditio necessarij aliena videtur à malo. Denique materiam non esse malam inde patet, quòd ipsum bonum materiam instituit ad bona quàm plurima componenda. Ipsaque formas necessariò bonas naturaliter concupiscit, generationisque vniuersæ, extra controuersiam optimæ, nutrix est (vt in Timæo Plato noster inquit) atque mater.

DIONYSIVS.

SEd neque verum est vulgatissimum illud, malum videlicet in materia esse, qua ratione materia. Hæc enim ornatus & pulchritudinis, specieique sit particeps. Si autem seorsum ab his materia suapte natura qualitatem speciemque nullam habet, quonam modo materia facit quicquam? Quæ nec id ipsum in se habet, vt pati possit. Præterea quonam pacto materia malum est? Si enim nec vsquam nec vllo modo est, neque bonum est, neque malum. Sin autem quomodolibet est, quæ verò sunt omnia, sunt ex bono, ipsa quoque existet ex bono. Atque ita vel ipsum bonum effector est mali, aut malum, quatenus fit ex bono, bonum erit. Vel fortè malum effector erit boni, vel bonum quatenus est ex malo, euadet malum. Aut duo rursus erunt principia, atque hæc ex alio rursus vno quodam principio dependentia Iam verò si materiam ad consummationem vniuersi fuisse necessariam confitentur, quonam modo erit materia malum, aliud namque malum est, aliud necessarium. quo autem pacto bonus ipse Deus ex malo ad generationem vlla perducit? Aut quomodo malum est, quod desiderat bonum? Nempe malum boni naturam fugit. Denique si materia naturaliter mala est, quomodo naturam generat atque nutrit? Malum enim qua ratione malum est, nihil generat aut nutrit, aut omnino quicquam facit, aut seruat.

Malum in anima non est à materia, quæ vel faciat malum, vel attrahat animam. Item malum integrum esse non potest.

MARSILIVS.

QVi materiam putant malum aliquid in anima generare, statim confiteri coguntur tum materiam non esse nudam, sed iam formis indutam, per quas possit generare nonnihil, tùm animam esse corpoream, siquidem formati à corporibus, imò deformari possit. Quæ sunt procul dubio falsa. Neque fortè desunt qui materiam fingant ad malum animas necessariò trahere. Qui statim inde redarguuntur, quod & ipsi aliquam ipsi materiæ vim concedunt, nullam prorsus habenti, animæ sæpe, vel inuitis corporibus, ad bona sese transferunt incorporea. Tertia verò sententia est Platonicis valde consona, duo esse prima mutationis principia, alterum quidem actiuum, id est, animam, mutationes videlicet suas ex se ipsa prorsus exordientem, alterum verò passiuum, id est, materiam, per diuersas formas commutari potentem, subiectumque esse formis mutabilibus necessarium. Hanc verò vniuersi conditionem esse, vt anima commercium iniens cum materia rerum mutabilium perpetuo plena, motus ipsa suos ad mutabilia bona deflectat sæpius ab immutabili bono. Quæ quidem deflexio peccatum est & malum, non cogente quidem ad id materia, sed vniuersi conditione res ita rebus frequenter accommodante. Interea verò naturam materiæ malam esse ne dixeris, dum mundo necessariam confiteris. Quod enim necessariũ, vtile; cõferens est ad bonũ, nõ est

malum, quodue malum est, nullo modo pet se necessarium est ad bonum. Tanta est potentia boni, vt cum ipsum quidem alicubi sit integerrimum, nusquam tamen permittat integrum esse malum. Rursumque cum ipsum suapte natura omnem habeat potestatem, malum certè si vim habet, hanc accepit ex bono. Malum enim definire solemus, defectum quendam alicubi noxium. Id verò si nusquam est nullamque vim habet, nulli noxium est, nulli malum. Sin autem sedem, vimque aliquam quamlibet nactum est, hanc sortitum est ex bono, nec integrum potest esse malum. Denique priuatio ipsa boni, quam malum appellare solemus, si integra, totiusque boni vacuitas cogitetur, nec vsquam est, nec vlli mala. Sin autem cogitetur, ex parte non est malum purum. Nisi verò particularis priuatio concedatur, sed orbitas quædam tota fingatur, vanum erit penitus mali nomen.

DIONYSIVS.

SI verò dixerint, materiam quidem ipsam in animabus prauitatem nullam facere, sed eas trahere, quonam modo id verùm erit? Cum animæ multæ aciem suam ad bonum dirigant. Atqui quonam pacto id fieri potuisset, si eas ad malum materia prorsus attraheret? Quamobrem malum in animabus ex materia non contingit, sed ex inordinato quodam & aberrante motu. Si autem & hoc affirment, omnino materiam sequi, atque est materia instabilis, necessaria rebus in se ipsis consistere non valentibus, quonam pacto malum est necessarium? Aut quomodo quod est necessarium, est & malum? Sed neque hoc quod dicimus, priuatio per vim propriam aduersatur bono. Vniuersalis namque priuatio vim prorsus nullam habet. Particularis verò, non quatenus priuatio est, sed qua ratione non est priuatio, vniuersam vim aliquam habet. Quatenus enim particularis est defectus boni, nondum prorsus est malum, quæ si non sit vltra particularis, simul & ipsa mali natura discessit.

Bonum vbique fit ratione quadam vniuersa simul & vna. Malum verò contra. Deus per bona cognoscit mala.

MARSILIVS.

IVstitia quidem in anima, sanitas verò, pulchritudoque in corpore, consonantia rursus in vocibus atque fidibus, bona dicuntur. Horum verò quodlibet tunc demum in subiecto proprio consummatur, quando cunctæ conditiones huic necessariæ, vna quadam certa ratione concurrunt. Hinc bonum dicitur ex vniuersa simul & vna causa consummari. Horum autem opposita mala, iniustitia, morbus, deformitas, dissonantia, contrà contingunt, multis scilicet, particularibusque defectibus. Cum enim vno duntaxat modo hæc consonantia fiat, scilicet cunctis ita propriè conspirantibus, dissonantia certè multis accidit modis, ex quolibet scilicet excedente, vel deficiente, vel aliter se habente. Hic Pythagorici vnum quidem ad bonum, multitudinem verò ad malum pertinere putant. Platonici quoque cùm bonum quodlibet in rebus videant ex causa quadam confici vniuersa simul & vna, solent argumentari, primum, bonum esse vnum & vniuersum vniuersi principium. Platonici in mente diuina proprias malorum ideas nullas ponunt. Sed per ideam iustitiæ Deum cognoscere iniustitiam arbitrantur, per ideam sanitatis, infirmitatem. Similiter per ipsam penes ipsum pulchritudinem, consonantiam, lucem, intelligentiam, potestatem, horum singulatim opposita nosse. Omnium præterea rerum vires penes Deum efficaces atque beneficas esse. Quas vtique Deus spectans, inspicit, & quatenus extra se gradatim per omnia procedendo in suo quodam vigore perdurant, & quatenus vltra deficiunt, ibi quidem bonum seruant, hic ad malum vsque degenerant. Igitur processus eiusmodi qui iam mali videntur, hactenus fuere boni. Per quæ bonos prospicit Deus malos, & vbique malum sub ratione boni.

DIONYSIVS.

CAeterum (vt summatim dicam) bonum ex vna, totaque causa proficiscitur, malum autem ex multis, particularibusque defectibus accidit. Cognouit præterea Deus malum sub ratione boni, ac penes ipsum malorum causæ sunt beneficæ vires.

Malum non est principium. Non habet causam, rationemque alicubi definitam.

MARSILIVS.

SI duo rerum ponantur principia bonum atque malum, certè vis quædam erit in vtroque principij ratio, potestas scilicet effectiua rerum. Et hæc quidem bona & omnibus exoptãda, nullo modo conueniens malorũ principio summopere malo. Sed hoc in præsentia misso, quæ tamus, vndenam hæc vna ratio potestatis existat? Non quidem à principiis multis, qua conditione sunt multa. Non enim à multitudine vnitas prouenit, sed vicissim. Neque rursus vna hæc certa potestas ab alterutro duorum venit in alterum. Alioquin non erunt principia duo, sed vnum. Neque etiam in hoc quidem principio potestas eiusmodi pullulat ex se ipso, in illo iterum ex se ipso. Sic enim in vtroque pet naturam proptiam pullulãs, quatenus conueniret vni, non conueniret alteri. Imò sicut principia hæc inter se opposita essent, sic in eis ex ipsis proprietates oppositæ nascerentur. Non potest igitur vna illa communis ambobus quæ fingitur eademque potestas ex ipsis originem ducere, sed cogimur eam ex vno quodam aliote principio deriuare. Tria Platonici principia ponunt. Diuinitatem, naturam, artem. Tria quoque opera, diuinum, naturale, artificiosum. Tres item sunt horum operum rationes. Ratio quidem idealis in Deo, seminalis autem in natura, artificiosa verò in arte. Quicquid ergo secundum diuinitatem vel naturam, vel artem agitur, ex causa quadam determinata & ptopria ratione peragitur. Idque omne bonum est. Malum verò quod contra diuinitatem, vel naturam, vel artem accidit, non habet definitam alicubi causam, nec rationem propriam, vel efficientem, vel exemplarem, sed ex causis temere confluentibus accidit.

Principium malorum non est vel ipsa anima natura, vel eius actio necessariò mala. Sed tumultuario motu defectuque contingunt.

DIONYSIVS.

SI verò malum sempiternum est, & fabricat, potestque aliquid, ipsumque existit aliquid atque efficit, vnde nam sibi ista? Num ex ipso bono? An fortè bono hæc insunt ex malo? An potius ex alia causa sunt ambobus? Omne quod secundum naturam existit, ex definita quadam causa nascitur, at si malum, nullam habet causam definitam, nimirum secundum naturam non existit, neque enim est in natura, quod præter naturam est. Neque in arte ratio est illius quod accidit præter artem.

MARSILIVS.

PLotinus Christianos quosdam hæreticos confutat, dicentes, primam quandam vniuersalemque animam à Deo statim ab initio defecisse, atque hoc peccato tumentem enixam fuisse mundum, corpus carceremque suum, ipsa animæ malignitate malignum, plenumque malorum. Opinionem eiusmodi tangit Dionysius, volentem animam malorum esse principium. Probabile quidem videtur si mala nullam habent causam definitam, ex motu quodam tumultuario & indefinito contingere. Igitur ex libero motu animæ indifferenter ad diuersa vergente, neque ad aliquid certum per naturam determinato. Verumtamen non ex aliquo motu malo pulcherrimum hunc mundum esse compositum. Neque malam rursus animam mundanum hoc animal tam perfectum defectu proprio vegetare. Præterea nefas dictu est, vel naturam alicuius animæ ab ipso bono creatam esse malam, vel motionem actionemque animæ omnem necessariò prauam esse. Alioquin nullæ prouenirent actiones rectæ, nullæ virtutes. Quamobrem malum nec in ipsa animæ natura est, nec necessariò in omni animæ actione, sed contingenter in aliqua. Neque in hac rursus est immutabile, sed corrigi potest. Neque est effectus aliquis, sed defectus.

DIONYSIVS.

AN igitur anima causa est malorum? Quemadmodum ignis calefaciendi principium? Et omnia quibus appropinquauerit, implet magnitudine? An potius bona quidem est animæ natura? Actionibus verò nunc quidem ita se habet, nunc verò non ita. Quod si per naturam mala est anima, essentiaque illius mala est, vnde naturam habet essentiam? Nunquid ex bona causa omnium conditrice? Verùm si ex illa, quonam modo per essentiam mala est? Huius enim omnes genituræ sunt bonæ. Sin autem per actiones est anima praua, neque hoc quidem est immutabile. Alioquin vnde nam virtutes animæ prouenirent? Nisi & ipsa boni speciem acciperet. Reliquum est igitur, malum esse debilitatem quandam defectionemque à bono.

Vna bonorum causa, multæ malorum. Bonum stabile est, instabile malum.

MARSILIVS.

QVemadmodum bono malum, ita fermè vni opponitur multitudo. Itaque si vna bonorum omnium causa est, causæ sunt multæ malorum. Aut enim vniuersum, aut vniuersi partes consideramus. Vtrobique propositio hæc est vera. Omnia siquidem vniuersi bona, ab ipso bono vno cunctorum principio profluunt. Hinc efficitur vt bona inuicem cognata sint, bonique inuicem sint germani semperque concordes, virtutesque cunctæ simul esse possint atque velint. Mala verò vniuersi ad plura passim principia referunt, seu ad ipsam materiæ rudis informitatem, item ad processum quemlibet longius à principio suo iam distantem, rursus ad cuiuslibet patientis debilitatem, validis agentium viribus succumbentem, præterea ad contrariorum dissimilitudinemque turbam, denique ad confluxum eorum absque modo proportioneque coeuntium. Mala igitur & incommoda vel insunt tibi, vel accidunt, quoniam ex abiectissima materia es compositus. Item quia longius à principio tuo & conseruatore distas. Rursus quoniam debilitate tua quibusdam natura bonis succumbis agentibus, ceu lumini Solis atque calori. Præterea quia multa tibi vel temperato sunt contraria, excessus videlicet cuiuslibet qualitatis atque motionis, Inimica quoque tibi sunt animalia vel natura, vel habitu longe diuersa. Denique quoniam quæ ad te componendum contraria confluxerunt, sæpe nimio quodam excessu vel defectu dissonant. Hæc vtique quando ad tuum bonum consonant, vna duntaxat consonant ratione. Hinc vna dicitur causa boni. Dissidere vero ad tuum malum incertis innumerabilibusque modis possunt. Hinc mali causæ infinitæ censentur. Et mala, malique homines inter se dissidentes simul omnino esse non possunt. Proinde cum bonum ex causa quadam determinata, valida, firma proficiscatur, ipsaque firmitas & validitas bonum sit, atque conuerso nimirum perseuerantia, tenorque semper idem bono conuenire videtur. Malum verò contra ex initiis longe diuersis, dissidentibusque profectum, ac debilitate contingens, perseuerantiam eodem modo se semper habentem habere non potest. Præcipuè cum hæc ipsa sit bonum.

DIONYSIVS.

BOnorum causa vna est, si bono malum est contrarium, mali causæ multæ sunt. Non tamen mala faciunt rationes atque vires vllæ, sed impotentia & infirmitas, atque incongrua quædam permixtio dissimilium. Mala nec immobilia sunt, neque semper eodem modo se habent, sed infinita & indeterminata, & in aliis aliter peruagantia, atque his insuper infinitis.

Malum non habet proprium principium aut finem, sed vtrinque resultat ex bono.

MARSILIVS.

FOecundissima boni potestas quàm plurimos rerum variarum gradus in latitudinem, longitudinemque produxit, in amplissima quidem latitudine, propter naturæ distantiam

oppositio, contrarietasque contigerunt, vnde malum aliis ab aliis accidit. In longitudine verò gradus minores paulatim suscipiente, defectus euenit, quod est malum. Quapropter bonum dicitur principium esse malorum, dicitur quoque finis. Nisi enim res mouerentur, aliæ aliis non nocebunt nec vsquam præuaricatio fiet. Mouentur autem communiter omnes ad bonum. Quemadmodum existunt & mouentur à bono. Ignis sanè hunc spectat finem, ignem propagare, quod est bonum. Interea huius boni gratia dissoluitur aër, quod est malum. Incontinens oblectamentum, bonumque sensus appetens, interim huius gratia transgreditur ordinem, quod est malum. Cum igitur quod propriam substantiam est habiturum propria quædam oporteat habere principia, propriosque fines, malum verò non habeat, sed ad oppositum suum, id est, ad bonum vtrinque forte sequatur, merito primam substantiam nullam possidet.

DIONYSIVS.

MAlorum omnium principium atque finis est bonum. Boni namque gratia omnia tùm bona, tùm contraria fiunt. Nam & mala facimus, appetentes bonum. Nullus enim malum spectans, quæ facit, aggreditur. Quapropter neque substantiam malum habet, sed præter substantiam existens, substantia nititur aliena. Vtpote quod non sui quidem, sed boni duntaxat gratia perpetratur.

Malum est per accidens, neque proprium principium habet, aut finem.

DIONYSIVS.

MAlum esse dicendum est per accidens, atque propter aliud, nec ex principio proprio. Itaque cum agitur, forte rectum quidem esse videtur, quoniam boni gratia geritur; re autem vera non est rectum. Quia quod bonum non est, opinamur bonum.

Malum præter intentionem accidit, & ad infirmitatem priuationemque vbique pertinet.

MARSILIVS.

PLato noster sæpe probat, Boëtiusque comprobat, malos homines, & impotentes, & infortunatos existere, quoniam voti compotes nunquam fiant. Optant enim agere, consequique, quod sibi reuera sit bonum, id autem nunquam peragunt, sed more cæcorum incidunt clam in malum. Malum igitur sicut homini præter intentionem accidit, sic arti, sic naturæ. Ingenioso satis cætera patent.

DIONYSIVS.

DEmonstratum est, quando malum agitur, aliud quidem esse quod optatur, aliud verò quod agitur, Nonne igitur malum est præter viam? præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam, itaque malum est priuatio, defectus, infirmitas, concinnitas, error. Scopo, id est signo, pulchritudine, vita, intellectu, ratione, perfectione, fundamento, causa, destitutum, interminatum, sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, infinitum, tenebrosum, essentia carens, ipsumque nullo modo ac nusquam & nihil existens.

Cum malum non per se, sed per bonum posit aliquid certe non malum, sed bonum est vniuersi principium.

MARSILIVS.

CVm essentia, potestas, actio, ad bonum propriè tanquam omnibus exoptanda pertineat, nimirum ad oppositum boni malum pertinere non possunt. Itaque cum malum nihil per se valeat, sed forte aliquid tantum ratione boni, certe non duo sunt omnium principia, scilicet, bonum atque malum, imò solum est vniuersi principium.

DIONYSIVS.

QVonam pacto malum omnino quicquam valet? Sola videlicet permixtione boni. Quod enim omnino bono vacuum est, neque est aliquid, neque potest quicquam. Etenim si bonum est & existens & appetendum & validum atque efficax, quonam modo boni contrarium aliquid poterit? quippe cum essentia, voluntate, potentia, actione sit captum.

Quid malum in dæmone, in anima, in corpore.

DIONYSIVS.

NOn omnibus omnino eadem, & secundum idem mala sunt. Dæmoni quidem malum est, quòd intellectus eius amisit ipsam boni formam, Animæ quòd ratione deficit. Corpori quod à natura desciuit.

Bonum prouidet omnibus, beneque malis vtitur.

MARSILIVS.

PRouidere nihil aliud est, quàm subdita bene disponere, ad bonumque perducere. Cum igitur ipsum bonum omnibus benefaciat, ac bene disponat ad bonum, omnibus certe prouidet. Malum verò & si præter intentionem prouidentiæ accidit, cognoscitur tamen ab ea, redigiturque in bonum.

DIONYSIVS.

QVonam modo cum sit prouidentia, omnino mala sunt? Malum quidem qua ratione malum, nec existens aliquid est, nec in existentibus aliquid. Nec quicquam extra prouidentiam est in rebus. Neque enim est malum existens aliquid, permixtionem boni non habens. Iam verò si nihil in rebus boni participatione caret, malum verò est defectio quædam à bono, resque nulla boni prorsus est expers, prouidentia diuina cuncta comprehendit, nihilque prouidentiæ gubernatione deseritur, sed his quoque qui mali fiunt, prouidentia bene vtitur

ad aliquam videlicet vel ipsorum vel aliorum siue priuatam siue communem vtilitatem.

Prouidentia singula pro modo cuiusque regit. Animam semel liberam non compellit ad bonum.

MARSILIVS.

Tria diuinæ prouidentiæ sunt officia. Primum quidem, quando composuit vniuersum, suis quæque gradibus vbique disponere. Secundum verò res singulas quo naturaliter ordine sunt disposita, conseruare, ac si præuaricentur, in ordinem mox illa redigere. Tertium denique, ita regere, mouere singula, suaque cuique dispensare, quemadmodum naturæ cuiusque conuenit. Cum igitur alia quidem ab initio constituerit tanquam tota, alia verò tanquam partes, item alia superiora, alia inferiora, rursus alia quidem stabilia, alia verò mobilia, & mobilia rursus, alia ex se ipsis libero quodam motu mouenda, alia verò ab aliis agitanda, consequenter suis quæque conseruat gradibus, & pro captu cuiusque dispensat, vniuersalia quidem munera totis, particularia partibus, maiora superioribus passim ordinibus, inferioribus verò minora, stabilia non impellit ad motum. Per se libero motu mobilia, nusquam cogit. Naturaliter coacta non liberat.

DIONYSIVS.

Vnicuique verò proprie prouidet, quapropter vanum multorum sermonem nequaquam admittimus, qui asserunt, diuinam prouidentiam oportere nos ad virtutem, vel inuitos impellere. Non enim prouidentiæ est naturam peruertere. Imò verò qua ratione est prouidentia, est vniuscuiusque naturæ seruatrix. Quapropter his quæ per se mouentur tanquam libero motu mobilibus prouidet, totisque & singulis, quemadmodum illis atque his propriæ conuenit. Quatenus eorum natura, quibus prouidetur, capere potest totius vniuersalisque prouidentia benefica munera prouidenter, pro modo suo vnicuique distribuit.

Malum non est quidem habere aliquid, sed bonum proprium non habere.

MARSILIVS.

Malum dæmonis vel animi non est, habere aliquid, sed potius non habere. Non habere, inquam, bonum, non inquam, quodlibet bonum, sed bonum proprie suum, ad quod videlicet consequendum est naturaliter institutus. Iam verò non male se habet animus, si non consequatur angelicam dignitatem. Imò si non suam, similiter non male se habet angelus, si diuinam ipsa minus assequitur, sed vbi minus angelicam. Malum tum in cognitione, tum in appetitione consideramus. Ibi quidem peruersa opinio, hic autem peruersus dicitur appetitus. Infirmitas vtrobique ibi quidem consequendi veri, hic autem assequendi boni. Qui falsum opinatur, quod non est opinatur. Similiter appetere malum dicitur, qui quod non est, infeliciter eligit, id est, autem quod non est ipsi reuera bonum. Ibi quidem opinio falsa non est cognitio, sed cognoscendi defectus, sic similiter appetitio mali, est quædam infirmitas appetitus. Dæmones dum naturalia sibi munera diligunt, eligunt profectò aliquid atque bonum. Veruntamen dum in his solis eligunt conquiescere, tanquam summum bonum, quod non est interim eligunt, id est, quod non est bonum summum, imò vero summum malum. Quippe cum inde primi boni fruitione priuentur.

DIONYSIVS.

Malum igitur nec est aliquid existēs, nec est in rebus existentibus aliquid. Malum enim nusquam existit, qua ratione malum. Atqui & fieri malum non est potentiæ, sed impotentiæ potius. Nempe demonibus, hoc ipsum quod sunt, & ex bono est, & bonum. Malum verò bis est quòd à bonis propriis sint prolapsi. Atque circa ideutitatem, habitumque fuerint permutati, perfectionemque angelicam sibi conuenientem ob infirmitatem propriam non impleuerint. Appetunt illi quidem bonum, dum esse, viuere, intelligere, diligūt. Rursumque non appetunt bonum, dum quod non est desiderant, atque est istud appetere, sed ab appetitione vera potius aberrare.

MARSILIVS.

Malum & crimen in cognitione est, non cognoscere bonum quod cognosci & potest & debet, vel actionem conferentem ad id negligere.

DIONYSIVS.

Nos autem in cognitione delinquētes sacra vocant eloquia, qui circa boni notionem haud latentem, vel circa effectionem, se debiliter habent. Et qui voluntatem quidam nouerunt, neque tamē faciunt. qui audierunt quidem, infirmi verò sunt circa fidem aut operationem boni. Iam verò nolunt quidam intelligere ut bene faciant, propter quandam peruersionem, infirmitatemuè voluntatis. Omnino verò malum est, quod sæpè iam diximus, infirmitas & imbecillitas & defectus, vel simpliciter cognitionis, vel cognitionis communiter notæ, vel fidei, aut appetitionis, aut actionis boni.

MARSILIVS.

Delictum infirmitatem non est excusabile, quia diuinum subsidium præsto est infirmis quærentibus & perentibus atque pulsantibus.

DIONYSIVS.

Dixerit verò quispiam, infirmitatem, supplicium non mereri, sed veniam. Si igitur non licuisset posse, rectè forsan esset obiectum, sin autem ex ipso bono vires suppeditantur, quod, vt sacra eloquia docent, omnibus simpliciter conuenientia tribuit, non est ignoscendum, si quis per ignauiam ab ipso bonorum

propriorum habitu diuinitus procedente aberrauerit, diuerteritque & effugerit, atque ceciderit. Verum hæc in libris de iudicio satis à nobis pro viribus sunt exposita. In qua quidem sacra disputatio sto diuinoque, diuinorum eloquiorum veritas sermones sophisticos iniquè, mendaciterque contra Deum loquentes, tanquam delirantes confutauit & repulit.

MARSILIVS.

EPilogus de muneribus boni, Bonum principium, finis, comprehensio omnium. Omnia bona facit. Malum nullum. Format informia. Ornat deformia, mala conuertit in bonum.

DIONYSIVS.

NVnc autem satis à nobis pro viribus celebratum est ipsum bonum, vt re vera admirandum, vt principium omnium atque finis, vt rerum omnium comprehensio, vt speciem non existentibus affetens, vt bonorum omnium causa, vt mali nullius causa, vt prouidentia & bonitas vniuersa, & quæ sunt & quæ non sunt, omnia supereminens. Mala quoque & sui ipsius priuationem quadam afficiens bonitate. Omnibus desiderandum & amandum & ad sufficientiam diligendum, & reliqua quæ in superioribus verarum (vt arbitror) ratio demonstrauit.

Appellationes boni, entis, vitæ, sapientiæ, non significant ipsam propriè in Deo naturam, sed munera quædam eiusmodi rebus diuinitus distributa.

MARSILIVS.

PLatonicorum more, post ipsum vnum bonumque & eius oppositum, ad ipsum ens ipsamque vitam & sapientiam æternitatemque proficiscitur. Verumtamen in vno eodemque vniuersi principio putat hæc omnia contineri. Hoc enim esse omnium causam, finalem & efficientem atq; exemplarem. Notionem verò eius, tanquam finis, esse bonum. Sed tanquam efficientis, ens atque vitam. Denique tanquam exemplaris, intellectum atque sapientiam. Cum igitur finis quidem agentem mouere soleat, & agens exemplar adducere, merito Deum primo contemplatus est vt bonum, deinde, vt essentia atque vitam, tertio, vt intellectum & sapientiam & exemplar. Nusquam verò tractare hæc audeatur ea ipsa supereminentissima ratione qua in ipso sunt Deo. Ita enim nec per intellectum, nec per vnitatem mentis apicem intelligentia superiorem, attingi possunt. Sed per appellationes huiusmodi potius vult intelligi, munera quædam ex diuina prouidentia vniuersi gradibus distributa. Per ipsam quidem appellationem boni, beneficos processus per omnia passim entia atque non entia vel vsque ad materiam primam, boni prorsus auidam, quamuis non essentiæ compotem. Per appellationem verò entis aut vitæ, vires diuinitus procedentes distribuentesque singulis citra materiam existendi munus atque viuendi, pluribus tamen esse quàm viuere concedentes. Per cognomentum intelligentiæ vel sapientiæ, quosdam diuini splendoris effluxus, cognitionem gradatim triplicem largientes, intellectualem quidem angelis, rationalem verò nobis, sensualem denique brutis. Ipsum autem inter hæc Deum extare cogita super bona atque bonitatem, super entia similiter & essentiam, super viuentia vitamque, super omnia quæ sapiunt, atque sapientiam.

DIONYSIVS.

TRanseundum verò nunc est ad ipsam apud Theologos entis ipsius verè existentem appellationem. Sed prius admonituri sumus, non esse nostri sermonis propositum, esseutiam ipsam superessentialem, qua ratione superessentialis est, explicare, id enim est ineffabile & cognitionem expositionemque antecellit, ipsamque exuperat vnionem. Sed potius celebrare quendam ab essentia diuina supereminente processum, omnibus quæ sunt essentiam largientem. Diuina sane appellatio boni, cunctas ipsius omnium causæ processiones explicans, per omnia & quæ sunt & quæ non sunt, extenditur. Et super ea quæ sunt, ac super illa quæ non sunt, existit, Ipsius verò entis appellatio per omnia quæ sunt porrigitur, atque super omnia quæcunque sunt eminet. Cognomentum verò vitæ per viuentia cuncta diffunditur, ac super viuentia viget. Sapientiæ tandem denominatio, per omnia intellectualia rationaliaque & sensualia propagatur, & hæc omnia superat. Has itaque sermo noster diuinas appellationes diuinam prouidentiam explicantes, celebrare desiderat. Non enim superessentialem ipsam profitetur exprimere bonitatem essentiamque & vitam atque sapientiam superessentialis Deitatis ipsius, super omnem bonitatem, Deitatem, essentiam, vitam, sapientiam, in occultis, vt eloquia tradunt, eminentissime consistentis. Sed beneficam prouidentiam foras iam prodeuntem, eminentemque bonitatem omniumque bonorum causam & ens & vitam & sapientiam celebrat, videlicet tanquam essendi, & viuendi, sapiendique causam omnibus quæ essentiæ, vitæ, intelligentiæ, rationis sensus; quoquomodo participant.

Nefas est ponere, tanquam principia plura, bonum, essentiam, vitam, mentem.

MARSILIVS.

PLatonici quidam, præcipuè Proclus, effectuū ordinem cogitantes, in hoc vniuersalissimam ponebant potentiam quandam boni naturaliter auidam & capacem, tanquam vel primæ materiæ comperentem. Præter hanc latissimam ponebant essentiam, per quaslibet formas supra materiale subiectum vsquequaque diffusam. Tertio latitudinis gradu, vitam paucioribus, quarto

mentem paucissimis attributam, post hæc autem se ad causarum ordinem transferentes, putabant vniuersaliorem effectum gradatim in causam vniuersaliorem superioremque referendum. Effectum verò minus communem, in causam quoque minus vniuersalem. Quamobrem in ordine causarum primam quidem constituebant ipsum bonum, secundam verò essentiam, tertiam similiter vitam, quartam denique mentem, totidemque substantias inter se disiunctas Deosque fingebant. Nos autem opiniones eiusmodi in commentariis in Plotinum nostris, talia non probantem, non probamus, atque hic vna cum Dionysio reprobante, pariter reprobamus. Causa quidem quo vniuersalior est, eo superior & perfectior, atque vicissim. Hæc enim & plura potest agitque latius, & vires continet aliarum. Effectus autem contra, quo communior eo vilior. Pauciores enim ipse dotes habet, & à possessoribus pluribus occupatur, & ad alios refertur omnes, vt ad fines. Sicut potentia formabilis ad essentiam, hæc ad vitam, hæc ad sensum, hic ad rationem, hæc ad mentem. Mens verò effectus minime vniuersalis, plenissima natura est, communiorum effectuum vires melius in se possidens, comprehendit enim in se rationis, sensus, vitæ, essentiæ, potentiæ bona. Præstat igitur effectum eiusmodi paucioribus quidem communem, sed plurima possidentem, ad causam referre superiorem, atque illam potius intellectum appellare quam essentiam aut vitam. Quod si super intellectum excogitamus bonum, propterea id facimus, quoniam intelligentiam videmus non seipsa contentam esse, sed tanquam finem appetere intelligibile, vel plusquam intelligibile bonum. Hoc igitur excelsum bonum, amplissimum habens imperium, agit omnia, & in omnibus agentibus operatur. Potentiam quidem bonitas auidam quasi materiam & viam atque mediũ retulit ad essentiam quasi formam atque finem, hanc similiter ad vitam, hanc ad sensum, hunc ad rationem, hanc ad mentem. Tu verò summatim si communiores passim effectus esse memineris viliores, Proculum non probabis, per communiores effectus superiores causas disponentem. Nam & si munus amplissimum non potest nisi à causa prima, amplissime videlicet operante, procedere, nefas tamen est conceptam ex ipso vilissimo notionem, in supremo principiorum culmine collocare, scilicet ex hac vel potentia, vel essentia illam. Satius enim erat ex intellectu saltem, sicut diximus, hanc accipere.

DIONYSIVS.

NOn tamen aliud esse bonum ipsum asserimus, aliud ipsum ens, aliud vitam, vel sapientiam. Neque multas esse causas, deitatesque alias opifices aliorum, superiores inter se atque inferiores. Sed vnius Dei bonos processus omnes, diuinasque appellationes celebratas à nobis. Et alia quidem appellatione vniuersam vnius Dei prouidentiam explicari. Aliis verò vniuersaliora deinceps minusuè vniuersalia Dei eiusdẽ munera designari. Sed obiecerit forte quispiam hunc in modum. Cum ens quidem vita sit amplius, vitaque latior quam sapientia, quidnam in causa est vt viuentia rebus duntaxat existentibus præstantiora sint? sensualiaque solum viuentibus, sensitiuis autem rationalia, rationalibus verò ipsi similiter intellectus. Qui & circa Deum versantur, propinquioresque existunt. Tametsi oportebat, quæ dona maiora diuinitus acceperunt, præstantiora quoque esse cæteraque superare. Verum si quis intellectualia fingeret essentia vitaque carere, recte forsitan fuisset obiectum. Sin autem intellectus diuini & sunt super cætera quæcunque sunt, viuunt super viuentia cætera, & intelligunt cognoscuntque super sensum, atque rationem, ac præ cæteris omnibus, pulchrum bonumque desiderant, atque participant, nimirum ipsi magis versantur circa ipsum bonum, qui & hoc vberius perfruuntur, ac plura insuper & maiora illinc munera perceperunt. Quemadmodum & rationalia, solo sensu vtentibus eminent. Quippe cum hæc illa munere rationis excedant. Sensualia similiter facultate sensus excedunt viuentia. Atque hæc similiter per vitam sequentia superant. Idque [vt arbitror] verum est, quæ vnius Dei infinitis muneribus abundantis magis participant, propinquiora quoque sunt ipsi, diuinioraque illis quæ minus talia perceperunt.

Ipsum bonum est entis vniuersi causa. In rebus permanentibus, est vis ipsa manendi. In rebus mobilibus est ipsa efficacia motus.

MARSILIVS.

ENs & esse tribus præcipuè modis consideramus. Primo quidem, ens & esse simpliciter, nullo videlicet præter ipsam entis simplicem rationem addito. Secundo, ens aliquid, scilicet ignem vel hominem speciesque reliquas. Tertio, esse tale calidum, frigidum, currens, atque similia. Esse quidem simpliciter naturali quodam originis ordine prius est quàm aliquid esse. Similiterque hoc priusquam esse tale. Esse itaque tale, ex eo editur quod est esse aliquid, hoc autem ex eo quod est simpliciter esse, hoc iam ex nullo. Cum verò ex nullo ente, ens efficere, propter discrepantiam infinitam, solius sit infinitæ potentiæ, solus Deus procreat esse simpliciter, per potentiam videlicet ipso simpliciter ente superiorem. Nam & hoc ipsum ens, sicut est communissimum, ita vilissimum, tanquam prorsus egenum, editum mox post nihilum, nihilo proximum, expectans perfectiores deinceps essendi gradus. Per quos gradatim perducatur ad bene atque melius esse, ceu ad vitam, ad sensum, ad rationem, plantam, animalque & hominem. Perducitur autem ad bonum melius gradatim ab ipso bono esse totius videlicet authore. Sicut enim ad hoc ipsum principium pertinet, proferre simpliciter esse, ratione, (qua diximus) ita insuper & afferre esse aliquid atque tale & omnino bene meliusque esse. Perfectiora enim vbique & perfectissima munera simul atque communissima, sed ad communissimam causam pertinent simul at-

que perfectissimam. Quod ergo sis simpliciter, quod sis homo, quod sis albus, currens atque legens, vniuersum habes ab ipso Deo, in singulis essendi gradibus, efficacius interiusque quàm causæ simul omnes, agente. Vniuersum igitur ens ab ipso bono est superiore quàm ens. Quod quidem bonum si quando nominatur ens, sic tanquam totius entis author & perfector conseruatorque nominatur. Entia quædam semper firma permanent, quædam verò mouentur, illa quidem æterna, hæc verò temporalia nuncupantur. Continuitas in illorum statu est æternitas, perpetuitas in horum motu, tempus. Cardo verò vigoremque tum continuitatis illius tum perpetuitatis huius, est ipse Deus. Qui & in his quæ permanent, est ipsa essentiæ firmitas simul atque veritas. Et in his quæ generantur est vis ipsa generationis efficax. Essentia quidem & natura in his Dionysij verbis significant, specialem ipsam cuiuslibet rationem, illa quidem substantiarum, hæc autem & qualitarum. Existentia verò & substantia rem hanc & illam potius singularem. Illa quodem quamliber, hæc verò substantialem, æternitates & tempora dicit. Quoniam Platonici qualiber mente suam ponunt æternitatem, in qualibet anima cœlesti sphæraque & elementali specie, suum tempus. Vbique verò perseuerantia existit ex Deo, vt Timæus docet.

DIONYSIVS.

Quoniam verò de his satis diximus, age bonum ipsum vt vere ens, atque his quæ sunt omnibus, essentiam tribuens, iam laudemus. Ipse qui est totius esse, per potentiam essentia superiorem, causa substantifica est, atque opifex entis, existentiæ, substantiæ, essentiæ, naturæ. Item principium & mensura æternitatum atque temporum, Entitas & æternitas entium, tempus eorum quæ fiunt. Ipsum esse his quæ quomodolibet sunt, generatio his quæ quoquomodo gignuntur. Nempe ex ipso qui est æternitas & essentia atque ens. Rursusque tempus & generatio & quod gignitur. Item quæ sunt in entibus, & quæ quomodolibet existunt atque subsistunt.

Deus dicitur ens vniuersum, quia totum ens gradu superiore complectitur intus, explicatque foras.
Atque est seculum seculorum.

MARSILIVS.

Ita ipsum esse, est intimus actus essentiæ, sicut calere quidem caloris, lucere verò lucis, est intimus actus. Si igitur alterutro Deus nomine appellandus est, esse potius quam essentia est appellandus. Non esse quidem aliquod certa specie definitum, sed ipsum esse penitus vniuersum. Alioquin non omnium pariter entium principium esse posset. Non esse, inquam, in essentia vel essentiæ, alioquin non esset absolutum penitus & immensum. Quando verò Deus ipsum esse vel ens appellatur, non per hoc tamen rationem ipsam Deitatis excogitamus, sed ens vniuersum secundum causam exemplarem sui in Deo comprehendi, & inde fieri semperque seruari. Neque recte dicimus, Deus est, ne ita essentiæ ipsiusque esse particeps videatur. Dependet verò diuinitus ens quodlibet prorsus totum scilicet tam essentiæ quam esse cuiuslibet. Si ipsum entium esse ad Deum referas, in species huius in Deo causam efficacissimam expressissimumque exemplar & illinc fieri hoc penitusque seruari, Deumque huic intimum semper adesse, atque hoc eatenus existere, quatenus inde seruatur velut vmbratilis imago quædam. His itaque rationibus Deum quodammodo ipsum esse omnium entium appellabis. Velut si varios iris colores ad Solis lumen comparans, lumen vocites ipsum esse colorum, aut si vultum dicas ipsum speculâris imaginis esse. Deus præterea æternitatum æternitas nominatur, quoniam ipse solus est tota virtus per quam aliqua sint æterna. Cum verò & tempus sit aliquid, motus ipsius in motu, & æternitas aliquod status ipsius in statu, atque ipse status sit aliquid similiter alicuius in aliquo, merito Deus non propriè nominatur æternitas, sed ipsa virtus & vnitas, per quam perseuerantia quædam in suo quodam vno & est & nominatur æternitas.

DIONYSIVS.

Iam verò Deus non quodammodo est ens, sed simpliciter & incircumscriptè, totum in se esse comprehendens, graduque superiore complectens. Quapropter & rex dicitur seculorum, quippe cum in ipso, & circa ipsum esse atque ens omne subsistat, neque erat, neque erit, neque factus est, neque fit, neque fiet, imò verò neque est quidem. Sed ipse est ipsis entibus ipsum esse. Neque verò entia solum, sed ipsum etiam esse entium ex ipso pendet, qui ante æternitatem extat. Ille enim est seculum seculorum, qui est ante secula.

Ab ipso bono, quod est ente superius, vniuersum ens & omne seculum omnino pendent.

MARSILIVS.

Quando ipsum simpliciter ens excogitas, quia nondum sufficientissimum & perfectissimum inuenisti, sed potes sufficientius & perfectius aliquid cogitare scilicet ipsum bonum, cuius ratione omne ens perfectionem sufficientiamque sortitur, ideò coniectare potes ipsum bonum super ipsum simpliciter ens extare, & ab illo vniuersum ens effici, perfici, conseruari à summa enim causa effectus omnes summopere pendent, in ipsa summopere continentur, ipsa quinetiam in omnibus est summopere. Omnia igitur quomodolibet entia, eorumque perseuerantiæ scilicet æternitas entium stabilium, tempusque mobilium ab ipso bono tanquam participationes quædam modis omnibus omnino dependent.

DIONYSIVS.

Resumentes itaque dicamus, omnibus entibus seculisque vt sint competere ab eo quod est superius ente. Atqui omne æuum, tempusque pendet ex ipso Ipsum namque omnis æui temporisque & vniuersi quomodolibet existentis principium & causa est, quod est celsius ente. Omnia illius participia sunt. Ipsum à nullo existentium abest. Illud sane ante omnia extat. Cuncta in ipso consistunt, & omnino quicquid quomodolibet existit, certè in

illo quod eminentius ente censentur, & est & excogitatur, atque seruatur.

Deus super essentiam existens, procreat primo ipsam per se essentiam, ipsam vitam, ipsam sapientiam. Per hæc crea thorum participantia. Primus Dei effectus est esse.

MARSILIVS.

CVm Deus nomina multa ex suis effectibus, donisque accipiat, conuenienter ens appellatur; siquidem primus ipsius effectus est, esse. Prius enim quam rebus moueri, sentire, sapere, viuere, tribuerit, simpliciter esse cocessit. Platonicorum mos est, super omnia quasi per conditionem quandam compositam sapientia, viuentia, entia, collocate ipsam per se sapientiam, ipsam per se vitam, ipsam per se essentiam. Hæc Dionysius hac conditione recepit, vt primò quidem hæc quæ ita dicuntur, penes Deum sint, ipse Deus non quidem sic, vt Deus formaliter sit hæc ipsa, sed sit potius horum causa. Deinde vt in rebus sub Deo, hæc ipsa sint formales rerum rationes. Ipsa quidem per se essentia in existentibus sit ipsa ratio formalis essendi, ipsa vita similiter in viuentibus, ratio viuendi, in sapientibus ipsa sapientia, formalis ratio sapiendi. Neque distinguuntur hæc ab his in quibus sunt re ipsa, sed quadam potius ratione. Per has quidem rationes formales res sunt, viuunt, sapiunt, ipsæque rationes dependent à Deo proximæ tanquam diuinæ quædam processiones atque dotes. Per has quoque res harum participes. Ratio item sapiendi est rationis viuendi particeps, hæc similiter rationis essendi. Deus denique per id quod est prius & superius ente, primò quidem ipsum simpliciter esse vbique producit. Per ipsum subinde deriuat passim hoc & illud quomodolibet ens & esse. Similiter per id quod est ante, & super vitam & sapientiam, procreat ipsam vbique simpliciter vitam atque sapientiam. Per ipsas deinde singulas viuendi conditiones atque sapiendi. Deus & ante omnia dicitur & super omnia. Ante quidem, quoniam & efficiens est, & finis. Super autem, quoniam rationes, viresque omnium absque proportione transcendit.

DIONYSIVS.

ANte omnes ipsius Dei participationes, esse profertur, ipsumque perse esse, antiquius est quàm ipsa perse vita, quàm ipsa perse sapientia, ipsa perse similitudo diuina, cæteraque quorum quæ sunt participantia, ante hæc omnia ipsum esse participant. Imò verò & omnia quæ ipsa per se censentur, quorum quæ sunt participant, ipsius per se esse participia sunt, nullumque est ens cuius non sit essentia, atque æuum ipsum per se esse. Meritò igitur Deus imprimis tanquam ens ex antiquiore bonorum suorum munere celebratur. Qua enim ratione ante est atque superest, eadem præhabens atque superhabens, quod simpliciter ens appellatur, nimirum vniuersum ipsum per se esse, primo quidem instituit, deinde verò hoc ipso per se esse, consequenter quicquid quomodolibet est, produxit.

De ideis principiisque rerum, & quomodo entis participatione vitæ & intelligentiæ antecedat.

MARSILIVS.

PLatonici rerum omnium formalium rationes, inter se formaliter & absolutè distinctas, non collocant propriè in ipso bono, siue vno penitus simplicissimo, sed in vniuerso intellectu ipsius boni filio vniformi pariter atque omniformi. Ideæ verò dicuntur propriè formales illic rationes specialissimarum, vt ita dixerim, specierum, hominis, leonis, equi. Rationes autem rerum communiorum, quæ omnibus vel plurimis competunt speciebus, diuina genera vel principia nuncupantur, vt ipsa per se essenti, ipsa vita, intelligenti, vnitas similitudo, ordo, identitas, diuersitas, status, motus. Rationes quoque formales ex his principiis dependentes, rebus participantibus inesse volunt, communem scilicet essentiam in existentibus, vitam similiter in viuentibus. Hæc communis Platonicorum omnium sententia est, & hucusque Plotinus atque Porphyrius. Nonnulli verò Platonicorum, quos Proclus est secutus, ipsam per essentiam, ipsam per se vitam, ipsam intelligentiam, non solùm in primo collocant intellectu, tanquam formales sequentium rationes, sed etiam inde segregant tanquam substantias quasdam diuinas inter se distinctas, ordinum suorum principia, vt ipsam essentiam, principium entium simpliciter, qua ratione sunt entia, vitam ipsam viuentium ducem, qua ratione viuentia, intellectum ipsum intelligentium. Plotinica, Porphyrianaque opinio, & si non vndequaque, multò tamen magis quàm Procli Dionysio consonat. Dionysius ergo suam illam communem prosequitur regulam, scilicet ipsam per se vitam, ipsam intelligentiam, & cætera quæ similiter appellantur, siue sint ideæ in mente diuina, siue formales quædam idearum participationes in rebus, siue substentia rerum principia, ita communiter se habere, vt horum quodlibet, primo quidem sit diuinitus factum, ipsius simpliciter, esse & essentiæ particeps. Deinde naturæ cuiuslibet magis propriæ, scilicet vitalis & intellectualis, atque similium. Tertio, agendi virtutem radicitus edat, per quam sit principium atque nominetur. Postremò concludit, sit ipsa omnium præcipua per participationem entis primam & sunt & cæterorum sublimium participia suot, & per hanc participationem, principia quoque inferiorum euadunt, multò magis inferiora per primam ipsius essentiæ participationem, vitæ quoque vt intelligentiæ & reliquorum participia sunt. Deus igitur non immeritò ens atque existens ex suo communiter essendi dono omnium antiquissimo celebratur,

Principia rerum per essentiæ participationem & sunt, & principia sunt.

DIONYSIVS.

ATqui & ipsa rerum principia omnia per communem ipsius esse participationem & sunt, & principia sunt, atque primò quidem sunt, deinde verò principia sunt. Iam verò si velis viuentium omnium qua ratione viuunt, dicere ipsam per

se vitam principium esse, & similium, vt similium ipsam per se similitudinem, atque vnitorum quatenus sunt vnita, ipsam per se vnitatem, ordinatorum quoque, vt ordinatorum ipsum per se ordinem, aliorumque similiter, quæ huius vel illius, vel amborum vel multorum, participatione euadunt hoc aut illud, vel ambo vel multa, inuenies profectò participationes ipsas, primò quidem ipsius communiter esse participare, atque ipso simpliciter esse primum manere, deinde huius vel illius esse principia, & omnino per ipsam essentiæ participationem existere atque participari. Si igitur hæc essentiæ participatione existent, multò magis & horum participia omnia participatione entis existent. quam obrem supereminens ipsa per se bonitas omnibus aliis muneribus suis præferens commune ipsius essentiæ donum, meritò ex antiquissima suarum participationum ante omnia celebratur.

Omnia in Deo, sicut numeri in vnitate, lineæ in centro, naturæ particulares in vniuersali, membrorum vires in anima.

MARSILIVS.

Qvomodo in ipso superens principio entia sint, gradibus quatuor inprimis assignat. Primo enim est in eo simul, atque ex eo ipsum simpliciter ens absolutè prorsus consideratum. Secundò, principia entium, siue Aristotelica decem, seu Platonica quinque, de quibus in Timeo & Plotino & Theologia satis. Tertio, sunt illic, atque illinc ipsa entia vera, scilicet sempiterna simul, atque substantiæ. Quarto, illa quæ quomodolibet à vera essentia continentur, reguntur que tanquam debiliora, vt mutabilissima quæque simul & accidentia. Continentur autem illic omnia, non solùm coniunctim tanquam minime inter se distantia, vel dissidentia, sed etiam vnitè, id est, sub vna natura, item absolute atque incomprehensibiliter, sunt enim ipsa diuina natura simplex penitus, & immensa. Proinde quomodo ex ipso bono, & in ipso sint omnia, quatuor declarat exemplis, scilicet quemadmodum in vnitate, atque ex vnitate sunt omnes numeri. Ex centro, & in centro omnes rectæ circuli lineæ ad circumferentiam inde productæ. Ex natura vniuersali, & in natura naturæ omnes particulares. In anima & ex anima virtutes omnes partium animalis. Numeri quidem in vnitate, & lineæ in centro non sunt aliud quicquam quam ipsa vnitas, aut centrum. Differre tamen intelligentiæ nostræ videri possunt, quatenus vnitas ad varios numeros ad centrum ad varias lineas aliter refertur. Similiter rerum omnium ideas in Deo summo nihil aliud esse re ipsa præter diuinam naturam excogitamus. Differre tamen inuicem quatenus diuina intelligentia, & voluntas aliter, atque aliter naturam suam ad alia refert, vt aliter imitabilem. Naturam vniuersalem Platonici virtutem quandam vitalem atque viuificam omnibus corporibus insitam arbitrantur, appellantque quoddam animæ mundanæ vestigium. Dionysius, vt arbitror, naturam diuinæ prouidentiæ instrumentum cognominabit. Virtutem saltem vitalem quomodocunque sit, toti mundo insitam esse declaratio, perfectio, motioque mundi mirabilis, & vbique viuentium generatio. In hac esse seminales omnium generabilium vires apparet, vbi pretiosissima quæque, plurimaque viuentia sine manifestis in eadem specie causis generantur. Itaque necessarium est hæc ex congruentibus naturæ seminibus generari. De hoc in Theologia satis. Post exemplum naturæ Dionysius, more Platonico, animæ introducit exemplum. Naturam namque Platonici putant ex anima mundi proxime dependere. In omni enim denique anima membrorum sui corporis virtutes latent. Illinc enim in corpore fiunt, & seruantur atque recreantur. Sed & naturæ particulares in vniuersali natura, & membrorum vires in anima magis inter se distinctæ sunt, quàm ideæ rerum in summo bono. Distinctas enim sicut in natura & anima, formæ similiter in mente sub bono, Platonici putant, Proinde vbi ait, lineas quo magis à centro discedunt eo larius inter se distare, ipse cogita, si forte produci fingantur in infinitum, distantiam quo ab alia ad aliam tandem infinitam fore. Vnde & circunferentia vniuersalis erit infinita, & pars eiusmodi quælibet, pariter infinita, totique æqualis, quod dictu nefas. Similiter si processio rerum sub Deo per infinitos gradus semper in deterius fortè fingatur, cogemur denique confiteri, eò rem deuenturam, vt multa inter se adeo discrepent, vt in nullo prorsus inter se conueniant. Quod quidem est absurdum. Conueniunt enim saltem semper in eo, quod & omnia sunt aliquid, & quod ab eodem principio processerunt.

DIONYSIVS.

Est autem ex ipsa bonitate, atque in ea, ipsum simpliciter esse, entiumque principia, atque entia omnia, & qua quomodolibet passim ipsa essentia continentur, Sunt, inquam, ibi hæc absolute, collectimque & vnitè. Nempe in vnitate numerus omnis præest vniformiter, habetque vnitas omnem in se numerū singulariter. Omnisque numerus vnitus quadam est in vnitate, quatenus verò inde progreditur, eatenus discernitur, atque multiplicatur. In centro similiter omnes circuli lineæ simul coniunctæ consistunt. Ipsumque punctum habet omnes in se rectas lineas simul vnitas tam inuicem, quam ad principium vnum, ex quo pariter processerunt. Iam verò in ipso centro penitus sunt coniunctæ, parum verò discedentes inde parum quoque inter se discernuntur. Longius autem inde distantes latius & inuicem distare coguntur, atque simpliciter quantùm centro viciniores sunt, tantum & ipsi & inuicem sunt coniunctæ. Quantum rursus ab ipso discedunt, tantundem discedere inuicem compelluntur. Præterea in tota vniuersorum natura sunt omnes particularis naturæ vniuscuiusque naturæ rationes secundum quandam vnionem non confu-

sam collectæ sunt. In anima quoque vires corporis totius singulatim gubernatoriæ vniformiter continentur. Non est igitur alienum, si per exiles imagines ad ipsam omnium causam ascendentes oculis mundo sublimioribus contemplemur omnia in ipsa omnium causa, etiam quæ alioquin inter se contraria sunt, singulariter penitus & vnitæ.

A primo principio datur omnibus non solum quod simpliciter aliquid sint, sed quod habeant speciales essendi proprietates.

MARSILIVS.

PVtauere nonnulli à primo rerum principio tanquam vniuersalissimo atque simplicissimo, solum pendere vniuersum simpliciter esse. Speciales autem modos differentiasque essendi à causis dumtaxat sequentibus proficisci. Proprios enim particularesque effectus ad proprias quasdam tantum particularesque causas pertinere. Quod igitur sis aliquid sortiri re à primo principio putant, quod autem ipsis viuens, efficax ad motum, aut statum, fœcundus ad generandum, sentiens, rationalis, sapiens, habere te à vita quadam & potestate secunda, & mente post primum, existimauere. Item quod sis homo, ab idea quadam hominis in ipsa mente regnante. Dionysius verò noster opinionem eiusmodi reprobat, fingentem informe duntaxat munus scilicet simpliciter esse, rebus ab optimo principio tradi. Formosissima verò munera quæ sunt quasi fines essendi, à deterioribus causis proficisci. Oportet autem singulis in singulas proprietates, quæ speciosum quiddam & optabile præ se ferunt, non minus, imò magis ab optimo omnium principio, quàm ab inferioribus causis proficisci. Itaque in ipso omnium primo speciales omnium rationes & notiones inesse. Cuius miranda potestas latissimè penetrat & comprehendit. Quamobrem Dionysius nunc à prime non solum agnoscit in rebus quod simpliciter aliquid sint, sed præterea quod sint & principium aliorum, aut finis, quod viuant, quod semper viuant, quod sapientiam habeant, qualemcunque nacta fuerint, similiterque rationem atque sensum. Et quæcunque ad illa pertinent, aut ista. Pertinent, in quam, perseuerare, stare, mouere, vnio, temperatio, ordo, finis, & distributio. Consimilesque formales proprietates, tanquam speciosi quidam ipsius simpliciter esse charácteres.

DIONYSIVS.

EST enim rerum principium, à quo existit & ipsum esse, & omnia quomodolibet existentia. Omne principium, omnis terminus, omnis vita, immortalitas omnis, omnis sapientia, Totus ordo, omnis harmonia, vniuersa potestas, omnis custodia & conseruatio, firmitas omnis, vniuersa distributio, omnis intelligentia, omnis artio, sensus omnis, omnis habitus, totus status, vniuersus motus, omnis vnio, temperies omnis, quælibet amicitia, quæuis conuenientia, cuncta discretio, quilibet terminus, vnaquæque diffinitio, & reliqua quotcunque eo ipso quo ipsa sunt entia, omnia essentia suis quæque characteribus imprimunt.

Quot gradibus sub bono essentia rebus participetur. De ordinibus angelorum.

MARSILIVS.

VNiuersa essentia ab ipso super essentiam bono per gradus præcipue quinque procedit. In primo sunt essentiæ angelorum, quæ neque corporeæ sunt, nec vllum habent commercium cum corporibus. In secundo sunt animæ incorporeæ quidem, sed consortium cum corporibus ineuntes. In tertio, substantiæ corporales. In quarto, quæcunque substantiis accidunt. In quinto, rationis machinamenta. Prima inter Angelos hierarchia soli diuinæ Trinitatis contemplationi dedita, summum sub Deo essentiæ diuinitatisque tenet gradum. Secunda verò vltra contemplationem cœlestia regens, in duobus eisdem gradum aliquantò inferiorem possider. Tertia quæ est sub cœlo gubernans, infimum quidem possidet inter Angelos, sed excelsiorem admodum animabus. Summatim verò Angeli & animæ omnesque naturæ & esse, & bene esse circa ipsum bonum tripliciter sortiuntur. Nam & id totum illinc tanquam à causa efficiente suscipiunt, & eiusdem virtute conseruatrice tenent. Et ad idem tam esse, quam bene esse actionesque omnes referunt, vt ad finem. Quod Angelos & intelligibiles & intellectuales cognominar, mos est Platonicus, intelligibiles nominare quatenus illuminant alios, intellectuales quatenus illuminantur ab aliis.

DIONYSIVS.

EX eadem quoque omnium causa existunt diuinorum angelorum intelligibiles & intellectuales essentiæ, animarum quoque substantiæ, ac totius mundi naturæ, & quæcunque quomodolibet esse dicuntur, siue tanquam aliis accidentia, siue tanquã excogitationes quædã intelligentiæ. Iam verò sanctissimæ, antiquissimæque potestates angelicæ, quæ & verissimæ sunt & velut in vestibulis superessentialis Trinitatis collocatæ, ab ipsa simul atque in ipsa, vt & sint & diuinæ sint, acceperunt. Præterea quæ post illas secundo loco inferiores sunt, inferiore quoque conditione id ipsum habent. Extremæ denique extrema quadam sorte, extrema, inquam, si cum Angelis comparentur, comparatæ verò ad nos, ratione quadam id habent mundo superiore. Proinde animæ & cætera omnia eadem conditione & esse, & bene esse habent, suntque & bene sunt ex ipso bono ens vniuersum exuperante, in ipso quoque & sunt & bene sunt. Ab ipso quidem exordiuntur, in eodem & conseruantur, in ipsum denique finiuntur.

Ipsum vnum, atque bonum est eminentius quam ens, & essentia atque esse. Et ista creat & comprehendit atque metitur.

MARSILIVS.

CVm ipsum vnum, bonumque sit entis vniuersi principium atque finis, meritò quæ es-

sentiam habent participem vnitatis bonitatisque summopere, summum in ordine entium gradum tenent. Eiusmodi sunt intellectuales, cœlestesque substantiæ, ex tota substantia sempiternæ. Quæ verò vnitatis, bonitatisque minimum gradum possident, gradum similiter infimum inter entia tenent. Verum in his quoque vnitatis & bonitatis virtus est adeò potens vt non permittat ea quamuis ex parte caduca, penitus interire. Potestas enim hæc vbique ipsum communiter ens & essentiam conseruat, neque sinit in nihilum euanescere. Solemus ens ita distinguere, vt in hoc ita esse sit actus, perfectioque essentiæ, sicut viuere est actus & perfectio vitæ. Dionysius ergo non tam essentiam hic, quam esse cum principio comparat, ipsum, inquam, simpliciter & communiter esse, in vniuersa videlicet entium latitudine. Vniuersum quod hoc dependet ab ipso vno atque bono, tanquam principio atque fine. Siue enim ens ex essentia & esse constans accipis, quod non est simplicissimum, ideo nec est principium, siue essentiam consideraueris, nec est ipsa principium quoniam per esse perficitur, neque rursus hoc ipsum quod dicitur esse, principium erit, quamdiu in essentia fuerit amplitudinem cobibente. Sin autem hoc extra essentiam contempleris, non iam ipsum reuera esse seorsum ab essentia, sicut neque viuere seorsum à vita, neque sapere seorsum à sapientia, sed vnitam potius, bonitatemque contemplare. Sub cuius amplitudine vniuersum esse comprehenditur, neque vicissim. Siquidem vltra rerum formas per quas profectò res omnes sunt, participatio quædam vnitatis & bonitatis extenditur. Ipsum igitur esse habet in se vnum atque bonum, videlicet tanquam particeps vnitatis atque bonitatis, neque vicissim. Denique bonum ipsum & est æternitas, id est, conseruatio entis, & est æternitatis simul & entis principium, medium, mensura, finis.

DIONYSIVS.

PRæcipua quidem ipsius esse munera excellentioribus essentiis ille distribuit, quas etiam æternas sacra eloquia vocant. Ipsum verò esse omnium entium nunquam omnino deseritur. Iam verò ipsum esse ex Deo qui est excelsior ente creatur, illius quoque est ipsum esse, neque vicissim. In illo rursum est ipsum esse, neque conuerso Item, esse ipsum participat illum, neque fit contrà. Ille quinetiam tanquam excelsior quam essentia est ipsius esse æternitas & principium & mensura. Imo entis & æternitas, omniumque principium efficax, & medium, atque finis.

MARSILIVS.

Qua ratione de Deo prædicentur omnia pariter atque negentur, & hic & inter initia libri, & in mystica Theologia tractatur.

DIONYSIVS.

SAcra igitur eloquia per omne, rerum intelligentiam Dei superioris ente cognomenta multiplicant. De illo namque dicitur, & erat, & est, & erit. Item factum est, fitque & fiet. Hæc enim omnia apud eos qui diuina, vt decet, intelligunt, Deum significant per omnem intelligentiam superessentialiter esse, & omnium quomodolibet sint, principium. Iam verò Deus non hoc quidem est, illud verò non est, neque hic quidem & ita est, ibi verò & aliter minime. Sed est simpliciter omnia, vt omnium causa, omnia rursus in se principia, omnes conclusiones & terminos rerum omnium continens & ante habens. Et super omnia est, vt qui ante omnia præest mirabili super essentiam ratione. Quamobrem de illo simul omnia prædicantur, neque est aliquid omnium. Omnem figuram, speciemque possidens, interim ab omni forma & pulchritudine segregatus. Principia, mediaque & fines rerum absolute, præcipueque anticipans in se ipso. Omnibus essendi munus per vnam supremeque simplicem causam sincerissimè superlustrans.

Comparatio Solis ad Deum. Deus per simplicem naturam & per ideas efficit omnia. Est super essentiam.

MARSILIVS.

TRia circa solem potissima Dionysius contemplatur. Primum, quod sol vnus per vnum lumen omnes sensibilium naturas ipse videlicet sensibile summum, generat, fouet, viuificat, mouet, & distinguit, & colligit. Secundum quod singula rursus pro varietate naturæ vnam Solis naturam, varia participant, animantes aliæ aliter. Tertium quod varij sub vno sole effectus non solum propter distinctionem mediorum suscipientiumque distinguuntur, verum etiam propter varias in ipso sole virtutes per lumen quidem vnum motumque procedentes, sed alias alibi aliter explicabiles. Vnde colligitur naturam ipsam solis nõ esse simpliciter, vt lucem, Solem vel calorem, sed vt vitam quandam potius vegetalem, in qua sicut & in genitali animatis cuiusque natura formaliter distinctæ vigent virtutes membrorum formarumque omnium seminales, Concluditur, Deum multo magis per vnam ipsius naturam diuersissimá facere, non per varias quidem vires quasi seminales inter se absolutè distinctas, sed per varia potius exemplaria penes ipsum Deum per diuinam intelligentiam voluntatemque distincta. Platonicum denique mysterium confirmatur non solum de ideis, sed etiam de bono totam prorsus essentiam excedente. Sicut enim entia hæc & eiusmodi ad hanc causam se habent, & illa rursus atque illiusmodi ad illam, ita ens vniuersum ad ipsum bonum vniuersi principium. Quemadmodum igitur hæ principales causæ atque illi effectus natura inferiores, per virtutes aliquas excedentes simpliciores que efficiunt, vt cœlum per virtutem superelementalem simplicioremque elementalia valde composita, anima per vires incorporeas corporalia, ita multóque magis ipsum bonum per superessentialem naturam, atque simplicissimam ens generat vniuersum, longeque diuersum.

Idea

DIONYSIVS.

Solquidem hic noster essentias qualitatesque sensibilium quamuis per multas atque differentes, ipse tamen vnus cum sit, lumenque vnicum, superlustrat, renouat, nutrit, seruat, perficit, distinguit, colligit, refouet, fœcundat, auget, permutat, firmat, producit, excitat, viuificat omnia. Rursusque vnumquodque ex omnibus pro natura sua vnius eiusdemque Solis est particeps. Atque ipse Sol vnus causas omnium ante hæc vniformiter in ipso comprehendit. Multo sanè magis oportet in ipsa Solis omniumque causa prius extitisse rerum omnium exemplaria, secundum singularem superioremque essentia vnitatem. Quandoquidem & producit essentias per excessum essentias eminentem.

Ideæ rerum in Deo atque in Angelo, in Angelo magis inter se differentes, quàm in Deo.

MARSILIVS.

DE Ideis in Theologia, & Plotino, & Parmenide latius disputramus. In hoc Platonici cum Dionysio consenserunt, quod ideas seorsum ab intellectu vel Deo, vt falsò Peripatetici calumniantur, nunquam excogitauerunt. Sed in quodam intellectu diuino extra controuersiam posuere ideas, videlicet absoluta quadam ratione formaliter inter se distinctas. Intellectum eiusmodi Platonici quidem diuinum, nostri autem Angelicum nominauere. Nam in ipso Deo ideas quidem vtrique ponunt, non tamen absolutè prorsus, sed quadam relatione distinctas, quatenus Deus ipse virtutis suæ conscius, quot quantisque modis sit extra communicabilis non ignoret. Modi eiusmodi definiti penes Deum plurimi quidem, sed sub vnica diu na natura formaque comprehensi, rerum ideæ sunt omnium. Prædestinationes quædam rerum diuina cognitione & voluntate pariter designatæ. Inde rursus in diuinam siue Angelicam mentem primo descriptæ, deinde per sequentia gradibus vbique suis participatæ.

Exemplaria rerum penes Deum.

DIONYSIVS.

EXemplaria verò dicimus rationes in Deo substantificas rerum, ante hæc omnia singulariter existentes. quas Theologia prædefinitiones siue prædestinationes vocat, & diuinas bonasque voluntates, rerum definitrices omnium atque effectrices. Per quas ipse super essentiam Deus, quæ sunt omnia præscripsit atque produxit.

Quomodo in vniuerso rerum ordine inferiores vbique superiorum ordines imitantur. Deus per simplicissimam virtutem omnia perficit.

MARSILIVS.

CLemens Philosophus secretiores Hebreos & Platonicos imitatus existimauisse videtur, ita superiora inferiorum quasi quædam exemplaria esse, vt gradus & qualitates intellectualium animarum intellectus Angelicos naturaliter imitentur. Cœlestium quoque dispositiones, similiter imitantur ordines animarum. Species quoque virtutesque rerum elementalium ad cœlestium imagines sint vbique dispositæ. Hoc quidem non approbare non possumus, vt vniuersum sub vno mirabilem habeat vnionem. Sed non propterea dicendum est Angelos esse animarum ideas & exemplaria, vel animas cœlestium, vel cœlestia rerum cœlis inferiorum. Nam & hæc omnia ad exemplaria prima penes Deum prædestinata, sunt denique referenda. Atque per cœlestes ordines proportione quadam ad Angelicos ordines ascendendum per hos, perque solem ad ipsum Deum. Quomodo verò per stellas quidem ad Angelos, per solem verò ad Deum progrediendum sit, neque solem tanquam Deum colere debeamus, quod lex Mosaica prohibet (satis in libro de Sole ac Lumine iam tractauimus.) Præterea virtus quę magis vnita est, eo maior, & ad plura se porrigit. Item cum cōpositionem simplicitas antecellat, merito causa quo simplicior est, eo prior, quo prior eo plura facit. Causa igitur maximè vna atque simplex, proculdubio prima est, per quam ipsam simplicissimam vnitatem efficit ducitque omnia. Processum verò ipsum ex se per omnia à munere ipsius esse, bonitasque incohare videtur, dum omnibus essentiam quandam & bonitatem communiter exhibet, post hanc quibusdam insuper vitam, sensum, rationem, intelligentiam. Infinita denique virtute complectitur, & extra proportionem exuperat omnia. Quæ quidem virtus non quoniam infinita; ideo est, & multiplex, sed quoniam maximè vna est, idcirco potentiam habet immensam, & quoniam immensa est, ideo vicissim est & vnica. Duo enim infinita simul esse non possunt. Seruat quin etiam suam hanc in participantibus vnitatem. Non enim diuidendo, sed velut attingendo participant. Quemadmodum auditus multi eundem vocalem orbem ab vno loquente ad eos vsque productum quodam quasi tacti pulsante percipiunt. Percipiunt inquam tria, primò qualitatem vocis, secundo, clamantis affectum, tertio loquentis sensum atque mentem, similibus ferme gradibus sub vno vnius Dei processu alia quidem essentiam bonitatemque communiter susceperunt, alia vitam insuper atque motum, alia præterea rationem, rationisue ducem intelligentiam.

DIONYSIVS.

SIn autem, vt Clemens Philosophus censet, fortè dicendum sit, etiam ad aliquid exemplaria dici quæ in ordine rerum principaliora sunt, procedit quidem eiusmodi sermo non per propria & perfecta, simplicissimaque nomina. Cæterum vt concedamus hoc etiam rectè dici, interim meminisse debemus, quid Theologia moneat, videlicet non ea tibi ostendi, vt post illa incederes, verum vt per cognitionem horum proportionalem ad ipsam omnium causam gradatim pro viribus prouehamur. Omnia igitur ipsi omnium causæ attribuenda sunt secundum singularem vnitatem omnibus eminentem.

Quandoquidem causam primo ab ipso essendi munere processum substantificum ac bonum incohans perque omnia pergens, & vniuersum per virtutem suam essentia complens, & in omnibus quæ sunt exultans, omnia prorsus anticipat in seipsa, per vnum simplicitatis excessum omnem duplicitatem respuens. Cuncta verò eodem modo compellit per infinitatem suam se super omnia dilatantem, & vnicè participatur ab omnibus quemadmodum & vox cum vna eademque sit, à multis interim tanquam vna sentitur.

Quomodo in omnibus per Deum sit infinitudo quædam atque terminus. Deus autem sit & infinitatis infinitas, & termini terminus, In omnibus extra omnia.

MARSILIVS.

Satis in commentariis in Philebum & in Theologia tractauimus, quemadmodum Deus omnia ex infinita, (vt Platonicè loquar,) terminoque composuit. Infinitatem quidem dicimus, naturam quandam, & capacitatem & quasi potentiam siue possibilitatem per se informem, facillimeque formabilem. Terminum verò formam speciemque & modum desuper his adhibitum. Duo hæc præter Deum sunt in omnibus inuicemque opposita, sed penes Deum ipsum, sunt vna virtus, vnicus actus, per quem, & formabilem vbique potentiam iecit, vt fundamentum, & speciem modumque adhibuit, tanquam ædificij terminum. Per eundem igitur actum Deus est & omnis infinitatis infinitas, & vniuersi termini terminus. Est & omnibus vbique præsens, rebus inter se diuersis, ipse præsens non per diuersa quidem sui, sed per idem. Non per idem, inquam particulare aliquid, sed per vniuersum, siquidem ipse sit vniuersum, imò per naturam virtutemque vniuerso prorsus excelsiorem. Omnia denique quæ bonum aliquid in rebus præ se ferunt, de Deo prædicari possunt, sed ratione quadam longè diuersa nobisque occulta, rursusque negari, quoniam nulla ratione à nobis excogitata, hæc de Deo prædicari possunt.

DIONYSIVS.

Ipse igitur qui est excelsior ente, entium omnium principium est & finis. Principium quidem tanquam author, finis autem, vt cuius gratia facta sunt, omniumque terminus. Infinitas quidem omnis infinitatis, & omnis termini terminus. Et id quidem eminenter tanquam oppositorum. In vno enim, vt sæpe iam dictum est, res omnes anticipat atque efficit. Præsens quidem omnibus vbique per vnum atque idem. Per idem, inquam, omne & ad omnia prodiens. Inter ea permanens in seipso & consistens, atque se mouens. Rursus neque stans, neque motus, neque principium habens, neque medium, neque finem. Neque est in aliquo existentium, neque aliquid est eorum. Nec omnino sibi quicquam competit eorum quæ æternè sunt, vel eorum quæ temporaliter. Sed & tempore, & æternitate, atque his omnibus quæ in tempore, æternitateue sunt, excellenter absoluitur. Quamobrem æternitas ipsa resque omnes rerumque mensuræ & quæ sub mensuras cadunt per ipsum, ab ipsoque sunt. Sed de his quidem & in alias diximus opportunius.

Omnis vita & omnis essentia sit ab eo quod est super vniuersarum vitam & essentiam.

MARSILIVS.

A Communionibus ad minus communia, ab essentia ad vitam, ab hac ad intelligentiam, Platonico, vt solet more procedit. Vitam æternam, id est, Deum, ait ipsius vitæ, id est, communissimæ vitæ, causam esse. Causam quoque vniuscuiusque speciei, vitæ, causam denique singularis cuiusque viuendi proprietatis. Per Deum Angelicas substantias animasque habere, vt semper viuant, quæ suapte natura, vt Timeus ait, immortalem vitam, imò nec vitam quidem illam habere possent. Animas hic veras, id est, rationales intelligit. Irrationales enim animas esse non veras. Et plantarum vitas imagines vltimas animæ. Idque vniuersum vitæ genus ex bonitate diuina quæ per vitam est, procedere. Quemadmodum & ens vniuersum ab eadem bonitate vniuersum ens exuperante. Prima enim causa maximè omnium causarum antecellit effectus. Cum igitur excellentiores vbique causæ non in eodem genere cum effectibus computentur, sed inde sint longius segregatæ, merito causa primum, cum rorum ens respondet, tanquam communissimum opus causę communissimæ mirabiliter rationem omnem ipsius entis exuperat. Sempiternum vero in Angelis motum, nisi actum exposueris, intelligentiam Angelis celerrime discurrentem attribues, quod nonnulli comprobauerunt.

DIONYSIVS.

Nunc autem vita æterna laudibus celebranda, ex qua ip a vita omnisque vita, & sub qua per omnia quomodolibet viuentia, viuere pro modo cuiusque diffunditur. Iam vero immortalium Angelorum vita, immortalitasque & perseuerantia illa sempiternæ motionis Angelicæ ex ipsa per quam ipsa est, atque subsistit. Quamobrem viuentes semper immortalesque dicunt, ac rursum non immortales. Quoniam non ex seipsis habent vt sint immortales & æternè viuant, sed ex causa illa viuifica vniuersam vitam efficiente atque continente. Et quemadmodum in ente dicebamus, ipsum quod est ente superius appellantes, ipsius entis æternitarem ita nunc iterum ipsum quod est vita superius ipsam, videlicet, diuinam virtutem esse ipsius vitæ causam viuificantem, atque firmantem. Omnis sane vita, motusq; vitalis ex illa vita procedit, quæ superat omnem vitã, & omne omnis vitæ principium,

Ex illa præterea immortalitatem habet animæ, ex illa animalia omnia viuunt. Ex illa plantæ per extremum vestigium vitæ viuunt. Illius vitæ munere forte sublato, iuxta diuinum eloquium, deficit omnibus vita. Sed quæ participandæ ipsius infirmitate iam defecerant, illuc conuersa, iterum reuiuiscunt.

Deus & generalem vitam, & omnes vitæ species modosque procreat. Motus quidam in Angelis sempiternus.

MARSILIVS.

DEus dat viuentibus omnibus non solum communem vitam, sed omnes etiam vitarum species, singularesque viuendi proprietates. Omnis enim formalis distinctio rerum in diuina describitur prouidentia, & eiusdem authoritate perficitur. Supercælestes Angeli, vitam inde nacti sunt ab omni materię commercio segregatã, atq; ita incõmutabilem, vt non alio tẽpore sit sapientior quã alio, vel melior, vel felicior. Sẽpiternitatem quoque motus indeclinabilem. Motum hic aut actionem quamuis intellige, aut reuolutionem cælestem Angelos scilicet agitante. Denique quicquid vsquam vitæ & vigoris existit, dependet ex Deo, homines quidem & ab initio Angelica quadam cognitione donante, & degenerantes quotidie reuocante.

DIONYSIVS.

IPsa vita dat quidem primum vniuersæ vitæ hoc ipsum vt sit vita, ac rursus vnicuique vitæ vt sit propriè quælibet quod naturaliter esse debuit. Atque super cælestibus vitis immaterialem, & diuinam, immutabilemque immortalitatem, sempiternum quoque motum nusquam vergentem, vel inclinantem. Præterea, propter copiam bonitatis vsque ad dæmoniacam; vitam sua munera porrigens. Nec enim non ab alia causa prouenit. Sed ex ipsa, & quod sit vita, & quod permaneat habet. Hominibus insuper velut compositis quantum accipere licuit, vitam condonauit angelicam, atque excessu clementię nos etiam illinc auersos ad se conuertit, & reuocat.

Ad primam vitam pertinet immortalium animarum corpora immortalitate donare.

MARSILIVS.

MVlta sunt præter naturam elementalem, quę non sunt pręter mirabilem cœlestis naturæ virtutem. Multa similiter supra cœli vires sunt, in authoritate rectoris cœlorum proculdubio posita, ad ipsius ordinem, prouidentiam, bonitatem, iustitiam pertinentia. Huius æternitas infinita absque medio substantias intellectuales omnes efficit atque ideo sempiternas. Quod quidem munus substantiæ omnes eiusmodi ex naturali ad Deum ipsum conuersione manifestè declarant. Deus substantias intellectualium vltimas, ad quoddam vniuersi bonum cultumque diuinum cum caducis corporibus copulauit ad humanam speciem faciendam, Deum, videlicet, in terris veneraturam. Itaq; quẽadmodum ordinis diuini fuit, corpora caduca diuinarũ animarum capacia facere, ita quoque fuit eadem immortalitatis animæ participia reddere. Præsertim vt inter hæc duo talis vicissitudo foret. Vt quemadmodum in eiusmodi commercio per Deum conciliato, anima mortalia quædam quasi subit corporis detrimenta, ita corpus quandoque immortale vicissim vitæ munus sub anima sortiretur. Mitto in præsentia quantum ad iustitiam diuinam spectet sempiternam, piis iustisque officiis præmium pollicentem, contrariisve supplicium sempiternum. Duo hæc etiam post hanc vitam corpori simul cum anima communia facere, sicut & in vita præsẽti officia; quæ dicebam, sunt vtrisque communia. Mitto denique naturalem animæ ad resumendum corpus inclinationem non futuram prorsus inanem. Nam de resurrectione satis in Theologia nostra, & in libro Athenagoræ, Platonici atque Christiani, quem hoc anno; è Græco ad sensum interpretatisumus. Resurrectionem Plato in Politico quasi vaticinati videtur.

DIONYISIVS.

QVod autem longè diuinius est, Deus ipse nos integros, animas, inquam, & socia corpora ad perfectam immortalemque vitam traducere pollicetur. Mysterium profectò, quod veteribus quidem præter naturam fortè videri possit, mihi autem & tibi, ipsique veritati diuinum atque super naturam, inquam, apud nos visibilem, non supra naturam illam omnipotentem vitæ diuinæ. Apud quam sanè tanquam vitarum omnium naturam, præsertim diuinorum, nulla vita præter naturam. Quamobrem dementis Simonis libri mysterio huic aduersantes, à choro diuino maque sancta anima longius arceantur. Latuit enim illum, vt arbitror, quamuis se sapientem existimaret, non oportere sanæ mentis virum, ratione quadam ex sensibus palam deducta, niti contra occultam illam omnium causam. Et hoc ei dicendum est, esse præter naturam dicere, illi enim nihil est contrarium.

MARSILIVS.

DEus non per formam, sed per causam vita dicitur. Atque ex omni vita laudatur. Quia ipse species omnes viuentium generat & distinguit, & mouet.

DIONYSIVS.

EX prima enim vita viuificantur atque fouentur animalia omnia, atque plantæ. Iam verò, siue intellectualem vitam dixeris, seu rationalem, siue sensualem, siue nutritoriam, seu auctricem, siue qualemcunque vitam, vel vitæ principium, vel essentiam vitæ, ex ipsa viuit, atque viuificat, quæ omnem supereminet vitam. In ipsa quinetiam secundum cau-

sam singulariter ante subsistit. Vita enim illa omni vita superior, omnisque vitæ principium, non solùm vitam vniuersam procreat, sed fœcundat etiam & implet, atque distribuit. Quamobrem ex omni vita celebranda est propter fœcunditatem suam vitas omnes mirificè propagantem. Vnde tanquam omniformis, omnisq; vita cogitatur atq; laudatur, & tanquam nullius indiga, imò verò super exuberans omni vita. Ipsa quidem vita dicitur, & vt super omnem vitam vitæ author excelsiorque vita. Siue quomodocunque illam vitam humano quodam more laudare quis velit.

Deus dicitur intellectus, qui procreat intellectum. Item, negationes in Deo non defectum significant, sed excessum.

MARSILIVS.

AB ipsa vita ad intellectum & sapientiam, Platonico ritu, procedens, quemadmodum appellauerat Deum ens, atque vita duntaxat, quoniam est omnis entis autbor atque vitæ. Ita nunc appellat intellectum, qui videlicet est vniuersi intellectus & intelligentiæ causa. Cùm verò Deus extra limites intelligentiæ secernatur, meritò nec intelligibilis est, nec propriè intelligens esse videtur. Verùm appellationes eiusmodi quæ priuationem negationemque intelligentiæ circa Deum significare videntur, non intelligentiæ aliorum defectum significant, sed excessum, scintillam procul minima dicitur inuisibilis. Inuisibilis quoque ingens illa lux intima soli, sed illa quidem infra proportionem visus laret, hæc autem supra proportionem extans effugit intuitum.

DIONYSIVS.

AGe verò bonam illam æternamque vitam, si placet, tanquam sapientem, atque vt ipsam sapientiam celebremus. Imò verò vt omnem sapientiam procreantem. Et super omnem sapientiam intelligentiamque eminentem. Deus enim non solùm exuberat sapientia, sapientiæque eius non est numerus, sed omnem rationem & intellectum sapientiamque excedit, Idque mirabiliter intelligens vir ille re vera diuinus communisque noster, nostrique præceptoris sol ait, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, non solùm quod omnis humana cogitatio ad firmitatem stabilitatemque diuinarum perfectissimarumque intelligentiarum comparata, error quidam est, verumetiam qui Theologorum mos est, quæ ad priuationem pertinent de Deo conditione quadam opposita prædicare. Sic igitur sacræ literæ inuisibile dicunt lumen omnium fulgentissimum. Eumque qui laudes omnes & nomina iure sibi vendicant, ineffabilem & absque nomine nuncupant. Præterea præsentem omnibus, ex omnibusque compertum incomprehensibilem, & inuestigabilem asserunt. Hac vtiq; ratione diuinus Apostolus in præsentia stultitiam Dei dicitur celebrare, quod videlicet in ea præter rationem modumque apparet, ad ineffabilem omnique ratione superiorem referens veritatem.

Non possumus percipere Deum humana consuetudine, vel virtute, sed diuina.

MARSILIVS.

SEnsus externi sensibilibus nutriuntur Sensus internus, id est imaginatio, imaginibus sensibilium. Ratio humana frequenter imaginationibus alitur, his enim freta de rebus humanis naturalibusque disceptat. Nos ergo per rationem nobis propriam imaginationi, quæ vna cum sensibus sensibilibus nutritur, innixi, & tractamus quotidie nostra, & diuina frequenter aggredi inde, atque falli inde. Oportet verò rationem inde ad intellectum conuertere, atque virtute intelligentiæ propria intelligibilia iudicare. Sed munere quodam diuino intelligentiam superante, id est, vnione quadam amatoria, per infusum diuinitus lumen accensa, sperare ipso Deo perfrui posse. De vnitate quidem diuinitus nobis impressa, ac de accessu ad Deum per eiusmodi vnitatem alibi satis in Dionysio, Theologia, Plotino. Vbi etiam quomodo naturam nostram vel intellectualem exuere necesse sit, diuinamque induere. Item, qua ratione ipsum intelligibile sit quidem intellectuali virtute superius, quandoquidem mouet eam, habeat autem cum hac ipsa proportionem atque coniugium, ideo principium rerum, nec intellectus esse, nec intelligibile possit. Propterea non intelligentia, sed alia quadam sublimiore secretissimaque ratione percipiendum.

Non possumus percipere Deum humana consuetudine, vel virtute, sed diuina.

DIONYSIVS.

VErum quod alibi dixi, quando more nostro quę supra nos sunt accipimus, atq; ea virtute confidimus, quæ vna cum sensibus aliter, diuina nostris conferentes, fallimur. Quippe cũ diuinũ illud arcanum iuxta apparentem nobis speciem persequamur. Operæpretium fuerat animaduertere, nostrum intellectum partim quidem habere intelligendi virtutem, per quam intelligibilia cernit, partim verò vnionem quandam excelsiorem intelligentiá. Per quã his quæ super intellectum sunt, cõiungitur. Eiusmodi igitur vnione cognoscenda sunt diuina, non humano quodam more, sed quatenus ipsi toti nos totos excedimus, nosq; integros Deo dedimus. Præstat enim esse Dei, quam nostri iuris. Ita demum diuina nobis tradi poterunt, si cum ipso Deo fuerimus.

Sapientia de Deo negatur atque affirmatur. Angeli diuina virtute simul omnia continentur.

MARSILIVS.

OMnem cognitionem, speculatiuam, & practicam siue simul totam, siue discurrentem, partim quidem de Deo negamus, quoniam ter-

minos omnis cognitionis excedit, partim etiam affirmamus, quia omnes ipse cognitiones agit & mouet & perficit. Angelicæ cognitiones ob diuinam vicinitatem habent, vt nec ex multis sensibus sensibilibus, signis, experimentis, effectibus, sicut nostræ perficiant, nec intus per argumenta notionesque discurrant, nec ex communi principio, gradatim deriuentur in singula, sed vno quodam actu simplici penitusque immobili intelligibilia omnia intus contueantur. Angeli quidem quoniam intelligibiles sunt naturaliter, id est, à materialibus conditionibus penitus absoluti atque perlucidi, ideo & intellectuales existunt, id est, perspicui perspicacesque ad diuina percipienda, ideo præter eiusmodi naturalem perspicuitatem perspicaciamque diuinitus illustrantur à Deo, vt cum ipso Deo super modos intelligentiæ coniungantur.

DIONYSIVS.

HAnc igitur irrationalem & amentem stultamque sapientiam eminenter celebrantes, dicamus, omnis intellectus rationis omnisque sapientiæ, & intelligentiæ causam esse, ipsamque esse omne consilium. Ab ipsa cognitionem intelligentiamque omnem existere. In ea omnes cognitionis sapientiæque Thesauros absconditos esse. Atque vt consequenter ex illis, quæ iam diximus, prosequamur, causa illa super sapientiam vniuersam consistens, omnemque comprehendens, ipsam sapientiam, & totam vniuersaliter, & quamlibet procreat singulatim. Ex ipsa profectò intelligibiles intellectualesq; angelicarum mentium vires, simplices ac beatas intelligentias habent. Nec in aliquibus diuisibilibus, nec à diuisibilibus siue sensibus, siue rationibus discurrentibus, cognitionem diuinam colligunt, nec ab aliquo communi ad ista simul comprehendunt, sed ab omni materiali conditione multitudineque absolute, intellectualiter, immaterialiter, vniformiter intelligibilia nitelligunt diuinorũ est sane in ipsis intellectualis virtus, actio per impermixtam incontaminabilemque puritatem desuper illustrata, propterea compos ad diuinas intelligentias contuendas. Dum partim quidem per naturã impartibilem immaterialemque, partim etiam per vnionem quandam, (vt ita dixerim,)deiformem, ad diuinam & plusquam sapientem mentem rationemque pro viribus conformatur.

Cognitio animarum propria per discursum.

MARSILIVS.

A Deo proprius est discursus aliquis animabus, vt plerique Platonicorum cœlestes animas discurrere circa rerum formas considerandas existimauerint. Quæ tamen quantum diuinæ mentis participes sunt, multa per vnam speciem contuentur, plurima in vnam congregant notionem. Circulos agunt à principiis rerum ad fines per media, vicissimque ab effectibus ad superiores supernosque procedentes. Similis est animæ quoque humanæ conditio. Sapientiæ diuinæ munus non solum hucusque procedit, videlicet, vt Plotinus ait, vsque ad imaginationem atque sensum, quasi quandam intelligentiæ ipsius imaginem. Quomodo in dæmonibus miscens voluntas cognitionem, sequens ab appetitu naturali cognitionem præcedente, dissentiat, ipse considera.

Sapientiæ diuinæ munus vsque ad rationem ac sensum, dæmonemque procedit.

DIONYSIVS.

ANimæ quoque facultatem rationalem per diuinam sapientiam habent, rerum veritatem circulari quodam discursu quærentes. Atque in eo quidem vnitis mentibus illis inferiores, quod partibili variaque conditione speculando procedunt, in eo verò quod multa in vnum colligunt, intelligentias angelicas, quantum animabus conuenit, assequuntur. Si quis præterea sensus etiam ipsos esse vestigium aliquod sapientiæ dixerit, non aberrabit. Dæmoniaca quoque mens, qua ratione mens est, ex illa dependent. Quatenus verò mens est, quodammodo demens, neque sciens, videlicet, neque volens, eo ipso quod naturaliter appetit perfrui, propriè vtique defectionem quandam à sapientia nominare decet.

Negationes in Deo non defectum significant, sed excessum.

MARSILIVS.

PLotinus cum Deo intellectuales actiones sensualesque negauisset, tanquam diuina dignitate inferiores dubitauit, an consequenter intelligibilia sensibiliaque, Deum forte laterent. Respondetur & hic & ibi, hæc omnia esse Deo certa, modo quodam sensum & intelligentiam excedente. Quemadmodum rationi perfectæ nota sunt eadem quæ & oculo per modum superiorem quàm per visum.

DIONYSIVS.

DIuinam quidem sapientiã ipsius, vniuersæque sapientiæ, & intelligentiæ omnis, rationisque & sensus cuiuslibet principium & causam, institutorumque, & perfectionem, & conseruationem atque terminum, suprà diximus. Verùm quonam pacto Deus ipse sapientia vniuersa superior, celebratur tanquam sapientia & intellectus, & ratio atq; cognitor? Quo enim modo intelligibile quicquam intelliget, cùm intellectuales non habeat actiones? Aut quomodo percipiet sensibilia, qui sensus vniuersi fines excedit? Scire tamen illum omnia, nihilque diuinam cognitionem effugere, sacra testantur eloquia. Cæterum, quod sæpè iam monui, diuina mysteria vt Deum decet, accipienda sunt. Sic itaque intelligentiæ, sensusque vacatio non defectum

in Deo significat, sed excelsum, quemadmodum & irrationale ipsi quod super rationem est, adhibemus, & imperfectionem ei quod supra pars & ante perfectionem extat, & intangibilem, inuisibilemque caliginem inaccessibili luci, qua videlicet, ratione visibile lumen exuperat.

Diuina cognitio res creatas, ideasque antecedit.

DIONYSIVS.

Diuina certitudo, per quam sibi certa sunt omnia, & si sæpè intelligentia nominatur, est tamen toto genere vel perfectissimæ intelligentię longè superior. Cognoscit verò cuncta per vnicum intuitum vnicæ suæ formæ quæ efficit omnia pariter & demonstrat. Quam cum primum intus inspexit, relatione quadam distribuit in ideas rerum inde procreandarum, adeo vt prima Dei cognitio non solum res iam creatas, sed adhuc esse creandas, imo & ipsas creandarum ideas mirabiliter antecedat. Angelica verò cognitio ideas quidem sequitur, sed res antecedit, humana communiter vtrasque sequitur. Ideæ quidem comparantur ad Deum sicut ad lucem radij, vel splendores, cætera verò sicut vmbræ. Deus igitur per vnicam lucem suam cognoscit, concipitque ideas, per has reliqua velut vmbras, perinde atque si Sol per lucem suam radios circumiactos contueretur, per radios vmbras ex opposito resultantes.

DIONYSIVS.

Diuinus igitur intellectus, omnia continet, cunctis eminente cognitione per ipsam omnium causam in seipso intelligentiam omnium anticipans. Priusquam Angeli fierent cognoscens Angelos atque producens, cæteraque omnia ex intimis suis, ab ipsoque, vt ita loquar, exordio noscens, ad essentiamque perducens. Idque arbitror sacrum eloquium significare dicens, quia omnia nouit antequam fierent. Intellectus enim diuinus non res ipsas nouit ex ipsis, sed ex seipso atque in se per causam, omnium notitiam & cognitionem, essentiamque anticipat & excellenti ratione comprehendit, non distractus in singula, sed per vnam causæ comprehensionem omnia sciens atque continens. Quemadmodum & lumen per causam in seipso notitiam tenebrarum anticipat, non aliunde tenebras, præterquam ex propria claritate cognoscens.

Deus per vnicam sui formam actu simplici cuncta facit, atque cognoscit.

MARSILIVS.

Quemadmodum Sol per lucem suam, vnicam, simplicemque omnia sensibilia fecit atque declarat, ita Deus per vnicam sui, simplicissimamque formam cunctorum causam cuncta facit pariter & cognoscit. Cum igitur diuina cognitio non à rebus cognoscendis dependeat, modumue accipiat, sed ex vnica sui forma, meritò & intuitu quodam immobili mobilia, immaterialì materialia, indiuiduo diuidua, vnico multa cognoscit, sicut & efficit. Sicut igitur Angeli non per sensum sensibilia, sed per intellectum cernunt. Ita Deus, intelligibilia simul & sensibilia, neque per ipsa quidem, neque per intellectum propriè comprehendit, sed per lucem quandam intelligentia meliorem. Neque geminam sicut nos cognitionem habet, vnum quod sui ipsius, alteram aliorum, vel nostro more seipsam ex alienis animaduertit, sed ipsa sui notitia simpliciter cuncta complectitur, notitia, inquam, antecedente etiam rationes omnium ideales, quæ videlicet per eiusmodi notitiam concipiuntur, discernuntur, distribuuntur. Alioquin si hanc illæ præcederent, nimirum absolute inter se, naturaliterque differrent, naturamque Dei formamue multiplicem declararent. Qualis quidem conditi (vt Platonicè loquar) ad intellectum Angelicum pertinet non ad Deum. Intelligentia enim Angelica naturaliter ideas sequitur, ac per idealem numerum reliqua contuetur.

DIONYSIVS.

Diuinam igitur sapientiam seipsam eo gnoscens, cuncta cognoscit. Materialia quidem immaterialiter, impartibiliter partibilia. Vnice multa intuitu videlicet vno cuncta cognoscens atque producens. Nempe si per vnam causam Deus essentiam omnibus impertit, per eandem quoque causam vnicam scit insuper omnia, quippe cum ex ipso sint & in ipso ante subsistant. Neque igitur ex rebus rerum accipiet notionem, sed ipse singulis id præstabit vt & se, & alia noscant. Deus igitur non aliam quidem sui, aliam verò aliorum scientiam habet. Ipsa namque omnium causa se cernens, quonam pacto cogitari potest, quæ ab ipsa sunt quorumue ipsa causa est, ignorare, hac igitur ratione Deus cuncta cognoscit. Non quidem vlla rerum, sed ipsa sui ipsius scientia noscens. Iam verò & Angelos sacra eloquia tradunt terrena cognoscere, non quia per sensus sensibilia discant, sed quoniam per propriam intellectus sui quodammodo iam diuini virtutem naturamque contemplentur.

Nihil notius quam Deum esse, nihil ignotius quam quid sit Deus.

MARSILIVS.

Deum quidem esse quomodo se habeat ad creata, & vicissim hæc ad illum, ex ordine rerum gradatim inuestigamus. Quod verò sit, nusquam indagare liceris. Vere autem vbique negamus, dicentes, neque hoc, neque illud est Deus. Vere interim affirmamus, & hoc & illud est ex Deo, & quodammodo refert Deum.

Affirmationes & negationes in Deo partim veræ, partim falsæ.

DIONYSIVS.

INter hæc quærendum est, quomodo nos cognoscamus Deum, cum neque intelligibilis sit, neque sensibilis, neque omnino aliquid existentium. Fortè vero id re vera dicemus, nos Deum non ex ipsius natura cognoscere, hoc enim est ignotum. Omnemque rationem intelligentiamque excedit. Sed ex ipsa rerum omnium ordinatissima dispositione, vt ab ipso producta, & imagines quasdam similitudinesque diuinorum ipsum exemplarium præferente ad illud quidem omnia supereminet, via ordineque pro viribus nos ascendere, dum videlicet omnia de illo negamus, singulaque transcendimus, causam duntaxat omnium asserentes. Quamobrem & in omnibus Deus agnoscitur, seorsumque ab omnibus, & per cognitionem, & per ignorationem Deus ipse percipitur, atque est ipsius intelligentia, ratio, scientia, tactus, sensus, opinio, imaginatio, nomen, cæteraque omnia. Rursus, nec intelligitur, neque dicitur, nec nominatur, nec est aliquid eorum, quæ sunt, neque apprehenditur in aliquo, existentium. Item, in omnibus omnia est, & in nullo nullum. Præterea ex omnibus cognoscitur ab omnibus, & ex nullo nulli.

Quomodo cognoscimus Deum melius negando, quam affirmando. Item fœlicius consequimur amando, quam indagando.

MARSILIVS.

OMnis perfectio, speciesque rerum affirmari de Deo potest, quatenus Deus vniuscuiusque est effector, & exemplar, & conseruatio. Negari quoque de Deo, quia nulla est ipse Deus, vel prope accedit ad Deum. Similiter negari debet, quicquid mens excogitat & comprehendit. In eiusmodi negationibus mens propius accedit ad Deum, quam per affirmationes superiores, proxime tandem, quando post eiusmodi negationes propria tandem inuestigatione dimissa, in diuinum lumen toto se prorsus amore traducit, mirisq; modis illuminata & vnita perfruitur. Eiusmodi quidem fruitio vera contingit proximè per amorem. Philosophica verò inuestigatio ex ordine vniuersi procedens nihil vltra consequitur, quam Deum facere omnia; item inuicem ordinare, præterea assignatum ordinem indissolubilem custodire. Denique ex eiusmodi ordine per quem infima superiorum, supremis inferiorum contigua & conformia sunt, vniuersum hoc vnum pulcherrimumque existere, & vnius, sapientissimique conditoris testimonium perhibete.

DIONYSIVS.

ISta quoque etenim rectè de Deo dicimus, Deusque rite ex omnibus celebratur, per quandam omnium, quorum ipse causa est, comparationem, atque proportionem. Est item Diuinissima Dei cognitio, quæ per ignorationem quandam prouenit, secundum vnionem intellectu sublimiorem. quando mens rebus omnibus posthabitis seipsam quoque dimittit, atque ita radiis superlucidis copulatur, & illinc, & ibi inscrutabili sapientiæ profundo penitus illustratur. Iam vt ex omnibus etiam, sicut dixi, Deum inuestigare fas est. Ipse enim iuxta sacrum eloquium, efficit omnia & harmonicè cuncta componit, contextumque & ordinem rerum inuicem indissolubilem vbique conseruat. Quatenus superiorum fines sequentium principiis vbique coarctat, atque ita vnam, harmonicamque vniuersi conspirationem pulcherrime fabricat.

Quare Deus ratio nominetur. Item de veritate, & fide.

MARSILIVS.

DEum quatuor modis rationem nominat, primò quia rationalis virtutis causa est. Secundò, quia omnium causarum causa. Tertiò, quia rationem omnium habet, prouidenter singula vbique dispensans. Quartò, quia diuina intelligentia est simplicissima, eminentissima, absolutissima veritas, formalisque & verissima omnium ratio, cōtinens formales omnium rationes. Ad has quidem rationes Philosophi singulatim contendunt, per argumentationes, vel coniecturas, dum rerum naturas sagaciter perscrutantur. Vnde vel humanam scientiam, vel opinionem postremo reportant. Religiosus autem per amorem summatim directus in ipsum Deum, rationum eiusmodi fontem, & simplici, firmaque fide mirabiliter diuina fruitur veritate. Qui sanè fidei actus, cum, neque ambiguitatem opinionis, neque circuitus scientiæ secum habeat, merito simplex nominatur, & firmus.

DIONYSIVS.

RAtio verò Deus à sacris eloquiis nominatur, non solum quia rationis & mentis, sapientiæque author est, sed etiam quia causas omnium vniformiter in se anticipat, & quoniam per singula discurrendo dispensat vsque ad omnium finem, vt sacra tradunt eloquia, atque præterea quoniam diuina ratio super omnem simplicitatem se protendit. Et ab omnibus secundum superessentiale munus eminenter absoluitur. Hæc vtique ratio est simplex vereque existens veritas. Circa quam vt puram, & nusquam aberrantem vniuersorum cognitionem fides diuina consistit, stabile credentium firmamentum, quæ quidem hos in veritate collocat, atque in ipsis collocat veritatem identitate quadam, nunquam dissuasibili simplicem veritatis cognitionem habentibus, quia iam crediderunt.

Cognitio veritatis coniungit. Ignorantia verò disiungit, Sola diuina fides firma.

MARSILIVS.

COgnitio quidem coniungit, ignoratio verò disiungit. Vtraque modis tribus. Nempe si tres viri veram de re aliqua naturam rectà ratione cognoscant, cum illa sit vna, similiter in vno quodam tres conueniunt. Deinde vnusquisque trium ea de re consentit ipse secum. Praeterea rem ipsam ita cognitam semper firmissimam tenent. Contrà verò si tres alij circa id veritatem non assequantur, in tres falsas opiniones facilè disiunguntur. Rursus eorum quilibet seiungitur à seipso. Item ex habitu quisque suo vel sententia facile deturbatur. Si humana ratio circa rerum scientiam tantam vnionem, stabilitatemque nobis affert, multo maiorem fides circa diuina ex alto nobis infusa, hinc fit vt Philosophi quidem etiam scientes, humano saltem ingenio diffidere compellantur, neque sententiam semper actione confirment. Viri autem afflati diuinitus fiducia testificentur & opere. Quantum denique Plato noster Dionysio nostro placuerit, declarat aurea de animo diuinitus inspirato sententia, & à Platone in Phodro probata, & hic à Dionysio confirmata.

DIONYSIVS.

PRoinde, si cognitio cognoscentes inuicem, cognitaque cõiungit, ignorantia verò permutat semper, ignorantemque à seipso seiungit, nimirum eum qui in veritate credit, vt sacer tradit sermo, nihil ab ipso veræ fidei firmamento, vel causa dimouet. In qua sanè constantiam immobilis, immutabilisque identitatis habebit. Qui enim veritati coniunctus est, quam bene se habeat, profectò nouit, etiam si multi eum corripiant velut amentem. Latet enim eos, vt par est, hunc ipsum ex errore iam erutum, per intemeratam fidem excedere, veritati coniunctum. Ipse rò re vera seipsum nouit, non, vt ferunt illi, furentem, sed ab instabili omnifariamque variabili errore semotum, propter ipsam veritatem simplicem, semperque secundum eadem & eodem modo sese habentem. Hac itaque ratione diuinæ sapientiæ nostræ præcipui duces pro veritate quotidie mortem obeunt, testificantes, vt decet, omni sermone, simul & opere, pro singulari Christianorum veritatis cognitione, hanc videlicet esse omnium scientiarum simplicissimam atque diuinissimam. Imò hanc esse solam veram, vnicamque hanc simplicem diuinorum cognitionem.

Quomodo Deus potentia, vel virtus cognominatur.

MARSILIVS.

QVod Græci δύναμιν vocant, propriè potentiam interpretamur, & potestatem. Tametsi virtutẽ pro potẽtia vsus iam communis vsurpauisse videtur. Deũ igitur potentiam vel virtutem religionis antistites nominãt, nõ quia Deus propriè per formam sit illa virtus quæ in effectum prodit, & in definitionem excogitationemue peruenit. Sed quoniam omnem potentiam eminenter anticipat, & vnicuique potentias semper infatigabiliter vbique distribuit, atque quod ipsa potentia vniuersalis simul, & particularis esse possit existatq, potentia, Deus efficit.

DIONYSIVS.

VErùm quoniam diuinam veritatem, ipsamque supra modum sapientię sapientiam Theologi etiam vt potentiam & iustitiam salutemque redemptionem appellant, agè ista quoque cognomenta pro viribus explicemus. Summamquidem deitatem omni potentia quomodolibet vel sit, vel cogitet eminentissimè superiorem esse, neminem reor qui in diuinis literis versatus fuerit, ignorare. Pluribus enim locis Theologia diuinæ potentiæ dominationem potestatum quoque supercœlestium palam assignat. Quo igitur pacto illam Theologi celebrant vt potentiam, quæ vniuersa potentia est eminentior? Aut qua ratione in ipsa hoc ipsum potentiæ, virtutisue nomen accipimus? Dicamus igitur Deum esse potentiam. Quoniam omnem in seipso potentiam anticipat & comprehendit, omnisque virtutis est causa, omniaque per virtutem nusquam inclinantem, incircumscriptamque producit, causaque est vt ipsa virtus siue vniuersalis, siue particularis existat.

Quomodo Dei virtus dicitur infinita.

MARSILIVS.

DEi virtus dicitur infinita non solum quoniam virtutes omnes producit, sed etiam quoniam ipsam virtutem vniuersam eminenter excedit. Potestque super ipsum potentiæ modum infinito infinitas, præter eas quæ sunt, alias proferre potentias. Ipsæque vires inde productæ etiam si in infinitum prodeant infinitè, nequeunt effectionem, plusquam infinitam virtutis eius virtutem omnem efficientis obtundere, denique quoniam virtus eius omnia superans nec exprimi, neque cognosci, neque excogitari potest.

Signa, vel argumenta quod Dei virtus sit infinita.

DIONYSIVS.

VLtimum in elementis quidem est terra, in corporibus verò materia prima, in rebus intellectualibus anima nostra, in rebus omnibus esse. Esse namque sicut post nihilum apparet in creatione primum, sic vltimum in resolutione prope nihilum. Diuinæ virtutis efficacia in hoc elucet maximè infinita, quod infimos ordinum fines procul à fine conseruat, stabilesque efficit atque sempiternos, alioquin debiles atque nutabundos & excellenti quadam proprietate donat. Ita igitur terra stabilis sicut cælum mobile, cœlestiumque capax. Materia quoque ita sempiterna est, vt forma

ptima. Ita suspicit omnia naturalia sicut forma cæli dat omnia. Anima quinetiam nostra ad Angelicos gradus admittitur, in corpore etiam moribundo pro viribus Angelos imitata. Denique hoc ipsum quod dicimus cõmuniter esse, diuina virtute protsus immẽsa & prodit ex nihilo per spatium infinitum, & seruatur inde ne, resoluatur in nihilum. Exempla verò Dionysij patent. Vbi norabis excellentissimi, sensibilis potestatem, & si ad sensum peruenit debilissimum, non tamen vltra procedere, non propterea quod vltra non possit ipsa, sed quoniam deest vltra quod capiat. Similiter vim effectionemque diuinam etiam vltra vniuersi extrema, absque fine facilè processuram, si modo finita vniuersi conditio patiatur.

DIONYSIVS.

Diuina virtus propter exuberantiam potestatis, infirmitatem quoque corroborat, extremamque vestigiorum suorum præpotenti continet potestate. Quemadmodum cernimus, & in rebus quæ ad mouendũ sensum valentissimæ sunt. Nempe splendidissima lumina ad hebetiores quoque acies penetrant. Ferunt etiam ingentes sonitus in aures quoque ad audiendum minus idoneas peruenire. Quod enim audiendi munere penitus vacat, nec est auditus. Quod ue nihil videt, non est visus. Illa igitur infinitè potens diuina distributio se per omnia porrigit, neque quicquam est in rebus quod non aliquam sortiri potentiam valeat. Sed vel intellectualem, vel rationalem, aut sensualem, aut vitalem, aut essentialem potentiam habet. Ipsum quoque esse, si dictu fas est, potentiam, ad essendum habet ab illa quæ super essentiam est potestate.

Confirmatio superiorum.

MARSILIVS.

QVęcunque sunt pręter primum, finita sunt, semperque dependent, igitur vt talia quædam scilicet Angeli semper, similirerque permaneant in eodem essendi, intelligendi, volendi habitu, ex infinita Dei potentia nanciscuntur, per eandem vim infinitam inferiora rursus habent. Primo quidẽ, vt quæ propter naturarum diuersitatem, coniugium, refugerent, coniungantur. Secundò, vt quæ propter imperum & confluxum confunderentur, in suis sphæris naturisque propriis sincera perdurent. Tertiò, vt quæ propter turbam stabilitatemque inordinara forent, ordinem semper obseruent vniuerso conuenientem, ad finem tam communem quàm proprium vbique directum.

Confirmatio superiorum.

DIONYSIVS.

EX ipsa sunt diuinæ angelicorum ordinum potestates. Nam ex illa & esse habent procul à lapsu, omnesque suas intellectuales & immortales, sempiternasque motiones, indeclinabilemque constantiam, & incontaminabilem voluntatem boni ab ipsa infinitæ bonitatis potentia susceperunt. Ipsa videlicet illis largiente vt & possint, hæc ipsa & semper esse desiderent. Ipsumque posse desiderare semper posse. Munera prætereà indeficientes virtutis illius ad homines quoque procedunt animaliaque & arbores, & totam vniuersi naturam. Quæ quidem munera quæcunque in vnionem conueniunt corroborant ad mutuam amicitiam, atque societatem. Rursum quæ discreta sunt, virtute donant, per quam vt vna quæque secundum rationem propriam sint atque terminum, neque confusa prorsus, neque commixta. Denique mundi ordines directionesque ad proprium bonum vbique conseruant.

Confirmatio superiorum.

MARSILIVS.

MVltis in secundo Theologiæ nostræ libro rationibus confirmauimus infinitam esse Dei potenriam, quarum vna est, qua plurimùm nitirur Dionysius, & profectò tutissima. Ad durationem videlicet diuturni maiori opus esse virtute, ad infinitam igitur infinita. Itaque cum Deus sit proculdubio per se sempirernus, virtutem per se infinitam habet. Cum verò mulra prærerea sempirema sint, semperque agant, vel saltem esse, vel agere ratio nulla prohibear, hæc insuper infinita quædam virrute fulciri necesse est. Solum verò primum per se infinitum. Illam igitur virtutem eiusmodi consequuntur, vt Angeli, cœlestia corpora, ęternitas, tempus, elementorum sphæræ, animæ rationales, materia prima, item perpetua rerum mutabilium & continuata successio, arque ordinata ad eadem vel similia certis temporum curriculis restirutio, infinita Dei potestate perficitur. Per eandem elementa per se quidem erratica, locum terminumque certum seruant. Diuersa passim & contraria familiariter in vnum coëunt, permanentemque ad tempus, neque pereunt eiusmodi mixtione. Dantur & quibusdam non per se diuinis, dona diuina. Nihil usquam diuinæ potentię munere est orbatum. Ipse denique mundus tanquam ex rebus diuersissimis congregatus, ideoque neque per se prorsus indissolubilis, indissolutus diuina potentia permanet.

DIONYSIVS.

Diuina potestas immortales Angelicatum vnitatum vnitas conseruat inuiolabiles, cœlorumque & luminum, & syderum substantiæ ordines efficit immutabiles, author est æternitatis & temporis. Temporales quoq; circuitus progressionibus quidem distinguit, restitutionibus verò colligit, vires ignis reddit inextinguibiles, & aquarum fluenta perennia, aëtiam quoque fusionem terminat, super nihil firmat terram, viuificos terræ partus custodit

incorruptibiles, mutuam elementorum harmoniam misturamque inconfusam atque inuiduam seruat, animæ præterea corporisque nexum continet, vires amborum quibus nutriuntur & crescunt, mouet & suscitat. Essentiales denique vites omnium roborat, vniuersum conseruat indissolutum, deificum largitur munus, dum his qui diuini redduntur, ad hoc ipsum suppeditat facultatem. Denique nulla res est vsquam, quam omnipotens virtus & conseruatio Dei non vbique contineat. Quod enim nullam prorsus potentiam habet, neque est quidem, neque est aliquid. Neque prorsus est eius vlla positio.

Declarat illud Pauli, Deus seipsum negare non potest.

MARSILIVS.

PAulum Apostolum dicentem, Deus seipsum negare non potest, Magus quidam Elymas inepte admodum criminatur, quasi Deum potentia quadam ira priuauerit, defendit Paulum Dionysius, quod his verbis Dei potentiam potius ab impotentia vindicauerit. Posse enim Deum negare seipsum, qui ipsa veritas & essentia est, nihil aliud foret quàm impotentię infirmitatique subjectum esse, per quam aliquando à seipso, à veritate, ab essentia, à potentia sit forte casurus. Deus igitur adeo potens sapiensque asseritur, vt neque possit non posse quicquam neque cognoscat aliquid se nescire.

DIONYSIVS

ATqui, inquit Elymas Magus, si est omnium potens Deus quonammodo à Theologo vestro aliquid non posse dicitur? Diuinum hic insimulat Paulum dicentem, Deum negare seipsum non posse. Ego verò vehementer timeo, ne vt amens ridear, qui puerorum ludentium structuras in arena fabricatas infirmasque euertere moliar. Atque huius rei veram Theologi mentem velut inperscrutabile aliquid intentius coniectare studeam. Nempe enim seipsum negare est à veritate decidere, veritas autem ens ipsum est, casusque à veritate est ab ipso ente ruina. Si igitur veritas ens est, veritatisque negatio est ab ente prolapsio, certè Deus ab ente cadere nequit. Neque est in eo non esse, vt ita dixerim, & non posse non potest, & non cognoscere secundum priuationem non nouit, quod quidem sapiens ille non animaduertens, athletas imitatur imperitos, qui sępe aduersarios suos imbecillos esse sibi persuadentes, atque contra absentes ipsos fortitet velut adumbrata pugna dimicantes, & aërem cassis ictibus audaciter ferientes, superauisse aduersarios opinantur, seque victores iactant, cùm neque illorum vires nouerint. Nos autem diuinum Theologi sensus pro viribus coniectantes, Deum præpotentem celebramus tanquam omnipotentem, tanquam beatum, solumque potentem, vt dominantem æuo in potestate sua. Vt qui nulla rerum essentia exciderit, imò verò excedat anticipetque entia omnia per virtutem essentia longè superiorem. qui his sunt omnibus vt esse possint, & vt sint propter excellentis virtutis copiam exuberanti profusione largitur.

Diuina iustitia non dat omnibus omnia, sed varia variis, & sua cuique pro dignitate distribuit.

MARSILIVS.

AD diuinam potentiam pertinet, vt vniuersum sit, & magnum atque multiplex. Ad sapientiam, vt in hac rerum ampla diuersitate, sit ordo graduum & pulchritudo formarum. Ad iustitiam verò spectar, & hoc quod dixi eumque eum sapientia, & id præterea, vt variis rerum gradibus atque formis, varias pro modo suo vires, motiones, actionesque distribuat. His quoque pro dignitate varias dotes, varios exitus, atque terminos, atque vt in suis quæque gradibus officiisque syncera permaneant, nec aliis alia confundantur, singula suum exequantur munus, statumque teneant, nec vsurpent sibi quod est proprium aliorum. Hæc in repub. à Platone narrantur. Tu verò nota, iustitiam ad Deum attinere, sicut diximus, virtutes autem quæ circa affectus versantur, fortitudinem, patientiam, continentiam, temperantiam & similia, minimè, nisi fortè ratione quadam à nostris longè diuersa. Denique iustitiam non solum apud homines, sed etiam apud superos atque inferos suum officium exercere. Est igitur iustitia præ cæteris diuinissima & amplissima virtus.

DIONYSIVS.

DEus præterea iustitia nominatur, vt sua cuique pro dignitate distribuens, modumque & pulchritudinem & ordinem & ornatum, omnes præterea distributiones dispositionesque definiens, vnicuique secundum ipsum terminum re vera iustissimum, singulis quoque vt suum quæque opus agant, auctor existens. Omnia enim diuina iustitia ordine certo disponit atque determinat. Custodit præterea singula seorsum à singulis non confusa. Singulis denique quod cuique conuenit pro dignitate largitur.

Diuina iustitia non commutat rerum naturas, sed sua cuique custodit & tribuit.

MARSILIVS.

ORdo rerum sub diuina sapientia postulat, vt varij deinceps sint rerum gradus. Vt alia quidem æterna sint, scilicet stabilia semper, vt Angeli. Alia verò temporalia, prima scilicet mobilia semper, quæ per se, id est, intimo vigore mobilia sunt, vt rationales animæ & quodammodo sphæræ cœlestes. Alia verò temporalia secunda, ab alioque mobilia vt ipsa secundum naturam suam corpora præsertim inferiora. Alia rursus perfecta corpora vt cœlestia. Alia non æquè per-

fecta. Sub cœlo insuper alia quidem actiua, vt calor & frigus, alia verò passiua, vt humidum atque siccum. Diuina vero iustitia sapientiæ comes non peruertit ordinem à sapientia ita dispositum, sed conseruat. Quamobrem propria superiorum munera inferioribus non distribuit, sed sua cuique pro natura confirmat, & pro dignitate rependit.

DIONYSIVS.

HÆc si rectè dicimus, quicunque diuinam iustitiam incusant, inscij suam iniustitiam proculdubio damnant. Aiunt enim immortalitatem mortalib. adesse debere. Imperfectis perfectionem, reb. naturaliter ab alio mobilibus, sui ipsorum mouendi potentiam, mutabilibus identitatem, debilib. vim adultam. Item, quæ temporalia sunt, esse sempiterna debere, quæ natura mouentur, penitus immobilia, temporaneas voluptates, æternas, & omnino attribuunt aliis, quæ sunt aliorum. Cùm alioquin considerandum sit, diuinam iustitiam ex hoc maximè, veramq; esse iustitiam, quod omnibus quæ sua sunt pro dignitate cuiusque tribuit, singulorumque naturam in ordine proprio, suaque facultate conseruat.

MARSILIVS.

DIuina iustitia permittit pios terrenis expoliari, atque conteri, ne terrenis oblectamentis à diuinorum amore flectantur.

DIONYSIVS.

AT verò dixerit quispiam non esse iustitię permittere viros sanctos ab improbis sine præsidio conteri. Hui: igitur respondendum est, eos qui appellantur sancti, si terrena diligunt, quibus homines terreni student, à diuino amore penitus excidisse. Nescio quo pacto sancti appellari debeant, qui re vera amabilia diuinaque iniuriis afficiunt, quatenus his illa quæ neque amanda sunt, neque digna studio indignè comparant. Sin autem quæ vere sunt amant, gratulari oportet eos qui aliqua cupiunt quando potiuntur optatis. Nonne tunc magis virtutibus propinquant Angelicis, quando diuinorum desiderio, pro viribus ab omni boni terrenorum affectione discedunt. Iam verò ad hoc admodum viriliter exercentur dum augu^ias honesti gratia tollerant. Quamobrem hoc dictu verius, hæc potius esse diuinæ iustitiæ proprium, ne quaquam mulcere atque eneruare virilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum. Neque si quis id tentet efficere eos absque auxilio linquere, sed illos in statu potius honesto & inflexibili solidare, eisque cum sint tales, secundum merita reddere.

Quomodo diuina iustitia sit salus omnium.

MARSILIVS.

DVo dicta sunt iustitiæ propria, primum, vt vnusquisque imò & res vnaquęque id quod suum est & quod sibi conuenit, teneat, exequatur. Secundum, vt non vsurpet sibi, quod à se alienum est, & proprium aliorum. Quamobrem diuina iustitia ita res instituit, ita prouidit, vt omnia naturaliter recteque disposita, duo hæc pro virib. obseruarent. Quatenus autē in hæc obseruāt, eatenus & ipsa seruantur. Propterea diuina iustitia insuper omnium conseruatio, salusque nominatur. Salua enim illa permanent quæ à proprio habitu & ordine non discedunt, neque alienis præsertim deterioribus commiscentur. Quę semper id agunt, salua sunt & semper, vt cœlestia motoresque cœlorum, septem elementorum, sphæræ, primaque materia, rationalium que substantiæ animarum, substantias earum dico, non actiones atque vitas, quæ aliter atque aliter commutantur. Quæ verò ad tempus id obseruant, & conseruantur saluaue sunt ad tempus.

DIONYSIVS.

HÆc igitur diuina iustitia, salus quoque omnium prædicatur, propriam cuiusque segregatamque ab alienis essentiam & ordinem seruans atque custodiens, causaque purè existens, vt actionem propriam quælibet prosequantur. Si quis præterea salutem laudet, quatenus à deterioribus singula eripit conseruando, hunc ipsi laudatorem vniuersæ salutis libenter recipiemus. Iam verò & hanc primam omnium salutem ipsam definiturum existimamus, quæ omnia in seipsis immutabilia, neque dissidentia & nusquam ad deterius deflectentia seruet, custodiatque omnia procul à pugna & bello, singula suis distinctim rationibus exornata, omnemque quoque inæqualitatem & actionem se circa aliena versantem ex cunctis eliminet, proportionesque cuiusque ita confirmet, vt in contraria neque ruant, neque pertranseant.

Quomodo diuina iustitia non solum salus, sed etiam redemptio nominatur.

MARSILIVS.

DIuina iustitia, qua ratione salus, eadem & redemptio nominatur. Quatenus & omnia pro singulorum modo in suo statu ordineque conseruat, & quæ cecidere restituit, substantias quidem simplices in se subsistentes solum seruat. Quæ verò quoquomodo mutantur, pro cuiusque modo, vel firmat corroboratque vel quandoque restituit, redigitque in ordinem. Nihil omnino permittit in nihilum permutari, species desinere vel confundi nunquam finit. Indiuidua sub speciebus similia similibus reddit, temporibus præuaricantes animas corrigit, & sua cuique ordine certo rependit.

DIONYSIVS.

HAnc quoque salutem non præter intentionem sacræ Theologiæ quispiam celebrabit tanquam omnia redimentem, vtpote quæ res omnes bonitate sua omnium seruatrice à bonorum suorum causa redimat. Quatenus videlicet vniuscuiusque rei seruandæ natura capit. quamobrem Theologi ipsam etiam redemptionem nominant, quoniam non permittit quæ vere sunt, ad id cadere, vt vltra non sint. Rursus ex eo quod etiam si quid deliquerit atque extra ordinem præuaricatum fuerit, perfectionesque propriorum bonorum passum fuerit detrimentum, hoc insuper à passione & imbecillitate priuationeque redimit, indigentiam implens, affectuque paterno firmans infirmitatem, erigensque à malo, imò vero in bono pulchroue sistens. Et quod passum fuerit detrimentum, hoc insuper à passione, & imbecillitate priuationeque redimit, indulgentiam implens, affectuque paterno firmans infirmitatem, erigensque à malo, imò verò in bono pulchroue sistens. Et quod passum fuerit detrimentum, hoc insuper à passione, & imbecillitate priuationeq; redimit, indulgentiā implens, affectuq; paterno firmans infirmitatē, erigēsq; à malo, imò verò in bono pulchroue sistēs. Et quod effluxerat boni, supplens, redigensque in ordinem, dum quod præter ordinem ibi est, exornat, perficitque ad integrum, detrimentisque omnibus prorsus absoluit.

Iustitia inæqualitatem graduum, & æqualitatem proportionis amat.

MARSILIVS.

DVæ sunt diuinæ ipsius iustitiæ tanquam reginæ comites & pedissequæ, quas modo narrauimus, salus omnium atque redemptio. Quod si absque iustitia saluum tutumque vniuersum esse non potest, multo minus absque hac genus humanum. Iustitia verò diuina æqualitatem exigit, non quidem in gradu, non enim vult vnicum vel æqualem esse in vniuersum gradum. Alioquin non esset varietas & ordo formarum, inæquales ergo gradus in multis deinceps rerum formis speciebusque decreuit. In quibus interim æqualitatem proportionis amat. Vt qua proportione hoc excedit istud, eadem istud superet illud. Item vt vnicuique pro modo proportionis suæ portio muneris tribuatur, æqualis quidem dignitati suæ vel merito, inæqualis autem ad proprium aliorum munus, sed interim hac æquitate, vt qua proportione res hæc vel persona superat illam, eadem & huius munus quia præmium, excedat munus alterius. Iustitia igitur inæqualitatem è rebus exterminat, eam dico quæ tanquam priuatio proportionali opponitur, æqualitati ad meritum modumue cuiuslibet pertinenti, non eam quæ formarum significat differentias, differentes enim propriasque rerum species diuina iustitia facit atque conseruat.

DIONYSIVS.

CÆterum de his quidem & de iustitia dictum. Quæ omnium æqualitatem metitur & terminat, omnemque inæqualitatem priuatione quadam oppositam æqualitati singulis competenti, foras expellit. Si quis enim inæqualitatem illam consideret, quam significat differentias in vniuerso totius cuiuslibet ad totum quodlibet, hanc quoque ipsa iustitia seruat, quatenus non permittit res totas totis commixtas turbari, sed custodit omnia secundum vnamquamque speciem, in qua esse proprium singula naturaliter susceperunt.

Qua ratione Deus dicitur magnus.

MARSILIVS.

PLatonici de generibus entis ideisque disputantes opposita quædam sæpius introducunt. Idem & alterum circa substantiam. Magnum, paruum circa quantitatem. Simile, dissimile, circa qualitatem. Statum, motum, penes actum. Hæc duo excellentiori aliqua ratione Theologi tribuunt. Magnitudo penes Deum excellentiam naturæ significat, & virtutis excessum ab ipsa natura minime differentis. Simillima quadam ratione magna dicunrur quæ magnitudinis diuinæ munere cætera quadam virtute & efficacia superant. In quibus virtus efficax est aliud quàm substantia. Ratione minus simili magna vocantur, quæ mole vel numero vel locali superficie, vel duratione cætera superant. Vbique verò magnitudo qualibet, vt & Plato inquit, diuinæ idealisque magnitudinis participatione consistit. Quemadmodum in commentariis in Parmenidem declaramus. Quę quidem diuina magnitudo neque dimensione neque numero constat, sed absque his omnem dimensionem numerumque etiam si infinita fingantur, indiuiduæ virtutis excessu penetrat vbique, & ipsa etiam præsentia infinite vsquequaque transcendit. Potestque dona etiam extra quemlibet numerum elargiri, plenitudine propria minimè diminuta, si modo res ipsæ suorum munerum sint capaces. Quas ipse Deus quanto maioribus pluribusque muneribus implet, tanto magis efficit maiorum pluriumque capaces. Hac vtrique ratione magnitudo diuina dicitur infinita.

DIONYSIVS.

QVoniam verò magnum & paruum causæ omnium attribuitur, idem quoque & alterum, simile rursus atque dissimile, status quinetiam atque motus, age & hæc diuinarum appellationum signa, quotcunque nobis perspicua fuerint, contemplemur. Deus igitur magnus in sacris eloquiis celebratur, atque in magnitudine, & in cura tenui diuinam paruitatem significante. Dicitur quod idem, quando sacræ scripturæ dicunt, Tu autem idem ipse es, prædicatur item vt alter, quādo à scripturis sacris multis figuris formisq; fingitur.

Præterea

Præterea celebratur vt similis, tanquam similium & similitudinis autor. Rursus aut dissimilis omnibus, quippe cum nullus illi sit similis. Denique vt stans & immobilis atque sedens in æternum. Vicissimque mobilis, vt qui per omnia se se conferat. Et quotcunque aliæ diuinæ appellationes tantundem valentes à sacris eloquiis celebrantur. Deus itaque magnus appellatur, iuxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus participationem sui tribuit, & extrinsecus super omnem magnitudinem se diffundit atque protendit. Locum omnem complectitur, omnem numerum superat, omnem transcendit infinitatem. Magnus quoque dicitur per virtutem suam exuberantem atque magnificam, per que ipsius dona velut, è fonte manantia, quatenus hæc ab omnibus sumpta per infinitam munerum profusionem prorsus absque diminutione perdurant, eandemque seruant plenitudinis exuberantiam, neque largitionibus minuunt, sed magis etiam atque magis exundant. Magnitudo hæc & infinita est, atque quantitate caret & numero, atque hoc est excessus ipse iuxta absolutam superneque se protendentem incomprehensibilis amplitudinis ipsius naturam.

Quomodo paruitas nominetur in Deo.

MARSILIVS.

PAruitas in diuinis significat simplicitatem naturæ vnionemque virtutis. Eiusmodi simplicitas vnioque summa est in Deo. Summa igitur ibi est huiusmodi paruitas. Quæ quidem est & idem atque magnitudo summa. Summa enim virtutisque excellentia est, vbi suprema simplicitas atque vnitas. Cum enim quo quid simplicius, eo prius, atque vicissim, merito idem simplicissimum est, omniumque principium. Vbiq; igitur simplicia vicem tenent principiorum, vt elementa si ad composita comparentur, & ignis ac elementa, quia nullam patitur mixtionem. Vnitas ad numeros, puncta ad lineas, superficies ad corpora, minimè partes naturales ad corpus physicum, Momenta ad tempus atque motum, Dicitur etiam in Deo paruitas, mira per omnia penetrandi virtus, cuius penetrationi resistit nihil, quæ & penitissima rerum tenet, tanquam centrum & vbique punctum & interim profunda vndique supergreditur, tanquam superficies ob tenuitatem corpora supereminens.

DIONYSIVS.

TEnue vero vel paruum in Deo dicitur, quod vniuersam molem atque distantiam supergreditur. quodue nullo impediente per omnia transit. Iam verò quod paruum est elementalem habet omnem rationē, nusquam enim inuenies non participatam ideam parui Sic igitur penes deū accipiendum est quod appellatur parnū, tanquám in omnia & per omnia nullo resistente pergēs atque agens. Atq; profecto pertingens vsque ad diuisionem animę atque corporis, cōpagum quoque & medullatum, discretor intentionum & cogitationum cordis. Imò verò discretor omnium. Non enim est creatura inuisibilis in conspectu eius. Hoc vtique paruum sine quantitate & numerali qualitate est, nusquam excogitetur, infinitum interminatū; que est, comprehendens omnia, ipsum verò prorsus incomprehensibile.

Quomodo Deus dicatur idem.

MARSILIVS.

DIcitur autem Deus idem: non quia sit semper eadem essentia vel ens idem, Existit enim super essentiam: sed quoniam nulla vel naturalis diuersitatis vel alicuius mutabilitatis, species apud Deum cogitari potest. Et quoniam identitatem ipsam diuersitatis omnis & mutabilitatis expertem, nec aliunde neque nuper sed ex se & ab æuo possidet in seipso. Præterea quoniam identitatis munus, id est perseuerantiam, firmitatem, vnionem, omnibus vtcunque capere possint ipse distribuit. Item quoniam res inter se varias ordine miro conciliat inuicem. Denique quoniam quæcunque in vniuerso contraria sunt vna penes seipsum forma continet in ipsa inquam identitatis forma, per quam omnia quantumlibet diuersa identitatis alicuius participia fiunt, singulariter inquam atque communiter. Singulariter, quoniam quodlibet aliquam illinc in partibus suis accipit vnitatem. Communiter, quoniam vnumquodque cum cæteris aliquam illinc suscipit vnionem.

DIONYSIVS.

DIcitur præterea Deus idem, quoniā super essentiæ mundum est sempiternus, inconuertibilis, in seipso manens, semper secundum eadem & eodem modo sē habens. Omnibus eodem modo præsēs. Ipse secundum seipsum & in seipso firmiter & intemeratè in pulcherrimis supercessentialis identitatis finibus collocatus. Immutabilis, casui nusquam obnoxius, indeclinabilis, inuariabilis, impermixtus, immaterialis, simplicissimus, nullius indigus. Et quoniam augeri minuique non potest. Et quoniam est ingenitus, non quasi nondum genitus, vel quia nondum absolutus, seu quia ab hoc quidē non genitus, sed ab æuo, siue quia non sit genitus secundum hoc, sed secundum aliquid aliud, seu quia nullo modo sit quicquam, sed ingenitum appellatur, tanquam super omne quod ingenitum dici potest, & tanquam ingenitū absolutè semperq; existens, & seipso perfectum idemque existens per seipsum & ex seipso vniformiter, eademque ratione determinatum omnibus participare potentibus ipsum idem ex seipso tradens, & alia connectens aliis copia indentitatis & causa. In seipso quinetiam contraria eodem modo anticipans per vnam vnificamque totius identitatis causam eminentem.

Quomodo Deus dicatur alterum, & Deus vnus quasi dij plures.

MARSILIVS.

DEum duobus modis alterum appellamus, primo quia dum suam omnibus similitudinem tribuit atque seruat, videtur quod res ipsæ sunt, toties seipsum multiplicare. Perinde ac si vultus vnus imagines sui plurimas in multis faciat speculis atque conseruet. Sit enim vultus idem in multis quasi factus iam multiplex apparebit, ipse interim non mutatus. Similiter Deus in rebus quæ simpliciter sunt, ipsa essentia est. In viuentibus ipsa vita, in sentientibus ipse sensus, in intelligentibus intelligentia, in omnibus speciem aliquam virtutemque habentibus, ipsa species, ipsa virtus. Singula enim hæc bona sunt velut imagines quædam primi boni expressæ diuinitus, semper inde pendentes: vt Deus vnus in se prorsus immobilis quasi dij iam multi videatur effectus. Secundo rursus modo dicitur Deus alterum, quatenus per alias figuras & species aliis aliter prophetis apparuit. Vnica enim Dei lux in variis prophetarum imaginationibus quasi vitris per varios colores affectis, nimirum imagines varias induit, quasi colores.

DIONYSIVS.

ALterum verò Deus dicitur, quoniam Deus prouidenter omnibus adest, omniaque propter omnium salutem euadit in omnibus, manens interim in seipso & in sua identitate firmus per actionem vnam indeficientemque consistens. Atq; seipsum indeclinabili potestate tradens ad eos qui in ipsum conuersi sunt, diuinitate donandos. Præterea putandum est alteritatem variam Dei per multiformes visiones figurarum, aliis quædam per ea quæ videntur, præter id quod apparet, significare. Profectò si animam corporali specie vellemus effingere, membraque corporea animæ indiuiduæ adhibere, alia certe ratione cogitaremus in ea partes obductas, quatenus videlicet naturæ ipsius indiuiduæ competit. Et caput quidem intellectum, ceruicem verò opinionem, tanquam rationalis & irrationalis potentiæ mediam. Pectus autem iram, ventrem verò concupiscentiam, crura denique pedésque naturam nominaremus, nominibus partium pro quibusdam virium signis vtentes. Simili ratione multóque magis in eo qui omnia supereminet, formarum figurarumque diuersitatem piis Deoque dignis mysticisque interpretationibus purgare debemus.

Diuina latitudo, longitudo, profunditas, Alteritas.

MARSILIVS.

PAulus Apostolus Deo latitudinẽ attribuit & longitudinem atque profunditatem. Latitudinem quidem, quoniam virtus & præsentia Dei attingit omnia simulatque comprehendit. Longitudinem verò, quia vnum quodque à summo ad imum penetrat atque implet. Profunditatem denique, quoniam ipse interim à nullo capitur vsquam, vel cognoscente vel quomodolibet attingente. Summatim Deus dicitur alterum, non propter varietatem ipsius vllam, sed propter munerum diuinorum multiplicationem per diuersa tendentem. Dum diuina virtus eadem prorsus omnibus præsens, vno quodam ordine cuncta connectit.

DIONYSIVS.

PRæterea si velis triplices corporum figuras si qui tactum figuramque refugit Deo accõmodare, latitudo quidem diuina dicenda est, amplissima per omnia processio Dei, longitudo verò potestas desuper tota quælibet penetrans, profundum denique incomprehensibile secretum illud, ac prorsus ignotum. Verumne forte dum variis figuris formisque explicandis insistimus, imprudentes interim incorporeas diuinorum appellationes, signorum sensibilium appellationibus confundamus. De his in Theologia significatiua iam diximus. Nunc autem diuinam alteritatem, non mutationem aliquam identitatis illius inconuertibilis suspicemur, sed singularem ipsius multiplicationem, atque vniformes per omnia fœcunditatis diuinæ processus.

Quomodo Deus dicatur simile.

MARSILIVS.

DEus simile dicitur, quia neque partium in eo diuersitas est, neque aliàs ipse se aliter habet. Item quia fons est similitudinis idealis, quemadmodum Platonici tradunt, cuius quidem ideæ participatione quadam similia inter se fiunt, quæcunque similia. Rursus quia Deus aliquid sui muneris distribuit, omnibus per quod & inuicem & ad ipsum similia fiunt, & naturali quodam amore conuertuntur ad illum, & communem inuicem habent affectum, Nulli verò Deus est similis, cum nullo enim in aliquo conuenit. Sed neque etiam exemplar imagini simile dicendum est. De hoc latius in commentariis in Parmenidem pertractamus.

DIONYSIVS.

SI quis Deum ita simile dixerit, vt idem, tanquam totum per omnia sibi firmiter & indiuidue similem, spernenda non erit eiusmodi in Deo ipsius similis appellatio. Theologi verò eum qui est super omnia Deum, qua ratione est ipse nulli similem esse aiunt. Sed diuinã largiri similitudinem omnibus ad ipsum conuersis, Diuina pro viribus imitatione ad ipsum, inquã, omni termino rationeque superiorem. Est autẽ similitudinis diuinæ virtus, quæ cuncta producta diuinitus, conuertit ad causã. Hæc igitur dicenda sunt similia Deo, atq; ad diuinam imaginem similitudinemq; expressa. Neq; tamen illis similem fas est Deũ dicere. Quia nec homo quidem est imagini suæ similis. Ea sanè quæ eodem in ordine congruunt possunt inuicẽ similia dici. Vt similitudo vicissim conuertatur vtrinq;

Vt sint inuicem ambo similia secundum principalem similis ipsius speciem. Vbi verò hoc quidem est causa, illa verò hinc effecta sunt, conuersionem nullam admittimus. Deus enim non his solis aut illis proprie, vt sint similia, donat, sed omnibus similitudinem participantibus, causa, Deus ipse est vt inuicem sint similia. Imò & ipse est ipsius per se similitudinis autor. quoque in quibuslibet simile est vestigio quodam similitudinis diuinæ sit simile. Vnionemque eorum ipse complet.

Res Deo quodãmodo similes sũt, & omnino dissimiles.

MARSILIVS.

Deo res omnes & quodammodo similes sunt, & omnino dissimiles, similes, inquam, quoniam cum inde semper velut speculares quædam imagines pendeant, quodammodo repræsentant Deum, scilicet Deum esse, atque esse potentem & sapientem atque bonum. Dissimiles iterum, quoniam in nulla natura vel qualitate vel conditione vel proportione cum Deo conueniunt. Alioquin neque diuina natura erit simplicissima, neque virtus immersa.

DIONYSIVS.

Sed quidnam vltra loqui de hoc oportet? Ipsa nempe Theologia Deum esse, ipsum dissimilem prædicat, neque ordinem vllum cum vllis habere, vt ab omnibus alterum. Et quod est profectò mirabilius, nihil Deo simile esse ait. Neque sermo hic aduersatur similitudini rerum ad Deum iam prædictæ. Eadem enim Deo similia sunt atque dissimilia. Similia quidem quoniam Deum imparticipabilem pro modo suo percipiunt, & illum qui omnem imitationem refugit pro viribus imitantur. Dissimilia rursus quoniam tanquam inde creata deficiunt, interuallisque infinitis incomparabilibusque inde distãt.

Qua ratione dicatur in Deo status.

MARSILIVS.

Deus stare dicitur, quoniam natura eius & actio semper eadem est similisque penitus, & circa idem. Et quoniam fingi non potest intrinsecus, vel extrinsecus vllo modo mutari. Iam verò si Deus est super essentiam, status autem ac motus sunt quædam conditiones essentiæ. Deus est non modò super motum, sed etiam super ipsum statum. Neque statione stat vlla. Sed & ipsam idealem stationem ipse parit & status omnis, perseuerantiæque rebus cunctis est author.

DIONYSIVS.

Quid autem de statu diuino, vel sede dicemus? quid ergo? nisi quod Deus in seipso permanet in sua immobili identitate firmiter & accommodatissimè collocatus. Et quoniam secundum eadem & circa idem, eodemque modo semper agit, nunquam ex seipso migrans vel quomodocunque motus. Atque hæc quidem ratione quadam habet super essentiam. Ipse enim est omniũ status & firmitatis author, qui super omnem sedem statumque existit. Atque in ipso cõsistunt omnia, & inde à bonorũ suorũ statu incõmota seruantur.

Quomodo motus in Deo, & rectus, & obliquus, & circularis.

MARSILIVS.

Deum per omnia moueri tradunt, quia vim actionemque suam per cuncta diffundit, adestque vbique singulis, procreando, seruando, mouendo, prouidendo, & dispensando pariter atque conuertendo, ipse tamen interim nullo modo mutatus. Rectus apud Deum motus dicitur virtus actusque eius indeclinabiliter per cunctã procedens. Obliquus verò motus dicitur stabilis operationis eius in producendo continuatio, & in ipsa stabilitate productio. Actio enim eiusmodi ad similitudinem motus obliqui, quasi composita est ex motu quodam pariter atque statu. Circularis denique motus significat diuinam identitatem, & quoniam media extremaque rerum intrinsecus circum, extrinsecusque complectitur. Et quia quæcunque ab eo fiunt, desiderio quodam boni ad se conuertit.

DIONYSIVS.

Quid autem? quando rursus hunc ad omnia procedere Theologi tradũt, & moueri eum qui est immobilis. Non ne & hoc qua ratione Deo dignum est, interpretari decet? Moueri enim Deum piè iudicandum est, non per corruptionem aut alterationem, aut variationem, aut versionem modumúe aliquem, vel localem motum, non rectum, non circularem, non ex vtrisque commixtum, non intelligibilem, non animalem, non naturalem. Sed quia Deus ad essentiam cuncta perducit & continet, omnibus modis prouidet omnibus, cunctis adest, comprehẽdens omnia, ab omnibus interim penitus absolutus. Prouidentissimis per omnia processibus actionibusque cuncta vbique dispensans. Sed & immobiles Dei motus, vt Deum decet, permittendum est celebrare. Et rectum quidem motum intelligere decet in Deo, indeclinabilem potestatem processumque actionum nusquam deflexum, omniumque generationem ex eo constãter effectam. Obliquum verò vel flexuosum, stabilem inde processum, statumque fœcundum. Circularem denique motum, identitatem ipsam, & quia media atque extrema quæ continent, & quæ continentur, ipse complectitur. Et quoniam quæcunque ab ipso processerũt, ad se cõuertit.

Quomodo in Deo dicatur æqualitas.

MARSILIVS.

Aequalitas in Deo significat, Deum nec ex variis esse compositum, nec vnquam aliter se habere, virtutemque & actionem eius æquali vigore, quantum in se est per cuncta procedere. Eumque idealis ipsius æqualitatis fontem esse, vt Platonici docent cuius participatione sequentia sunt æqualia, aut quælibet in seipsis, aut inuicẽ. Et alia quidẽ æqualia inuicem

magnitudine, vel numero simplici, vel gradibus qualitatis. Alia verò geometrica quadam proportione, vt qua proportione hoc superat istud, eadem istud superet illud, item sicut hoc pro modo suo agit, aut patitur, illud pariter & pro suo. Denique Deus æqualitate mira vniuersum in Armonicam contemperauit æqualitatem, vt cuncta inuicem, quasi compatiantur, mutuenturque, & mutuent, & moueantur, & moueant.

DIONYSIVS.

SI quis autem identitatis in diuinis eloquiis, vel iustitiæ diuinam appellationem accipiat pro æquali, dicendum est æqualem esse Deum, non modo tanquam indiuiduum & nusquam declinantem, sed quoniam ad omnia, atque per omnia equè pergit, ipsiusque per se æqualitatis est author, per quam Deus æqualiter efficit, vt cuncta simili quadam vicissitudine in se commigrent, & quæ participant æqua conditione participent, pro cuiusque vel facultate, & æquè pro dignitate ad omnia distributio fiat. Denique ipsum æquale Deus dicitur, quoniam omnem æqualitatem intelligibilem, intellectualem, rationalem, sensualem, essentialem, naturalem, voluntariam, eminenter & vnicè in seipso prorsus anticipauit per virtutem omnis æqualitatis effectricem, omnibus eminentem.

Qua ratione Deus dicatur omnipotens.

MARSILIVS.

PAntocrator omnia continentem significat, & omnibus dominantem. Quod totum vno Latini vocabulo, omnipotentem exprimunt. Deus igitur omnipotens appellatur, vt omnia extrinsecus ambiens & complectens & intrinsecus connectens atque conseruans, & vtrinque firmans, inuicemque concilians. Item vt radix producens omnia ad se producta conuertens tanquam firmiter contentura. Dicitur rursus omnipotens, quoniam absque confusione sui innectat omnibus, mouetque nutu facili quocunque, potentet. Atque interim omnipotenti bonitate ad seipsum omnia trahit, non quidem violenter, violentia enim aliena est ab ipso bono. Sed quadam naturalis amoris esca ad bonum singula suum, perque suum ad commune bonum naturaliter prouocantis. Qui sanè amor & si violentia passim allicit vltro, tamen interim necessariò rapit, bonum enim nolle non possunt. Neque rursus vellent posse nolle bonum.

DIONYSIVS.

TEmpus iam admonet, vt Deum multis laudatum nominibus, vt omnipotentem, atque vt antiquum dierum celebremus. Omnipotens quidem dicitur, quoniam ipse sit omnitenens omnium sedes, omnia tota contineus, & complectens, & cuncta collocans, & fundans atque constringens. Vniuersumque infractum in seipsa perficiens. Hæc rursus ex seipsa vniuersa tanquam ex radice omnitenente producit, & in seipsam velut ad profundum omnitenens cuncta reflectit continetque, & tanquam omnium firmamentum omnitenens, quæ continentur omnia vna connexione, interim omnia superante communit, neque sinit illa hæc seipsa cadere, ne fortè tanquam perfectissimo firmamento mota dispereant. Appellatur quinetiam summa illa diuinitas omnipotens, tanquam omnibus imperans, & propria synceritate seruata, dominans gubernatis. Rursus tanquam desiderabilis omnibus et amabilis, iugum annectens omnibus voluntarium, stimulosque dulces diuini & omnitenentis insolubilisque erga bonitatem suam amoris incutiens.

Qua ratione Deus dicatur antiquus dierum, item & senex, & iuuenis.

MARSILIVS.

CVm Deus rerum omnium quantumlibet inter se diuersarum, æquè sit author, & quæ in rerum ordine opposita sunt & contraria, pariter ab ipso dependeant, necessarium est, Deum ad nullum oppositorum naturaliter esse determinatum. Alioquin si Deus calor esset, frigus minime procrearet, si status, non faceret motum, si motus, neque statum efficeret vsquam. Similiter si ad aliquod rerum genus speciemùe definitus, vel propriè accommodatus esset, alia non efficeret. Est igitur ab omnibus rerum etiam excogitabilium speciebus generibusque penitus absolutus. Sed vt rem nostram breuius perstringamus, Deus cum neque sit status, neque motus, meritò neque est æternitas, neque tempus. His enim duobus illa duo sunt propria. Quod si tempus Deus dicatur, aut æuum, sic certè tanquam horum iam nominatur. Præterea quod hic dicitur, Deinde etiam in eo quod est semper moueri, manere, intellige vel per firmitatem eius quemlibet sempiternum motum continuari, vel in effectione variorum, non varia, vel in ipso ideali motu Deum non esse seorsum ab ideali statu. Proinde Deus antiquus quidem fingitur, quoniam nascentia antecedit omnia: iuuenis quoque quoniam desinentibus omnibus ipse succedit, virtutemque nunquam deficientem habet. Rursus quoniam Deus est principium omnium atque finis. Principium verò, quoniam prius extitit, videtur antiquum, finis autem quia posterior superest, apparet nouus, meritò senex, iuuenisque effingitur. Denique cum tempus appelletur motus ipsius numerus, meritò sicut Deus tanquam tempore prior, antiquus dicitur, sic & tanquam prior numero, vel ad numerum dicitur rursus antiquus. Vnitas enim antiquissima. Nempe in numeris illi fortè cuipiam seniores videri possunt, qui plurimùm numero processerunt, quemadmodum & homines, qui plurimo dierum numero processere, seniores appellare solemus. Si ita loquimur, numeri qui ab vnitate minus in numerũ progressi sunt, & hoc ipso vsu loquendi, iuniores apparent. Et iterum quia cæteris priores sunt, videntur etiam seniores.

DIONYSIVS.

ANtiquus verò dierũ Deus prædicatur, quoniam ipse sit æuũ omniũ atq;

tempus, & ante dies, & æuum, atque tempus. Tametsi tempus quoque & diem opportunitatemque & æuum qua ratione Deum decet, eum appellare licet. Vt qui omni motu sit immutabilis penitus, & immobilis, atque in eo ipso quod est semper moueri permaneat in idipso. Rursus tanquam æui & temporis dierumque causa. Quamobrem & in sacris mysticarum visionum apparitionibus, antiquus nouusque effingitur. Vbi antiquior quidem priorem illum, & à principio existentem significat, iunior autem insensibilem præfert. Fortè verò ambo nos docent, Deum ab initio vsque ad finem per cuncta procedere. Fortè etiam, vt diuinus noster in sacris institutor ait, ambo designant antiquitatem omnia præcedentem. Senior quidem priorem in tempore docet, iunior autem principaliorem, prioremuè in numero præfert. Quandoquidem vnitas ipsa, & quæ circa vnitatem sunt, numeris longius progressis principaliora, antiquioraue sunt.

De appellatione æterni, de æternitate & tempore.

MARSILIVS.

SAcræ literæ quatuor modis æternum vocant. Primo quidem, ingenitum, id est, Deum & quæ Dei sunt propria. Secundo, immortale, immutabileque, vt Angelos, tertiò antiquum, quartò humanum seculum. Aeuum quidem metitur ipsum esse, tempus verò mensurat motum atque esse mobile. Quoniam verò ipsum simpliciter esse procedit motum atque esse mobile, meritò æternitas & antecedit tempus, & metitur ipsum simpliciter, & firmiter esse. Cum verò eiusmodi esse sit totum simul velut aliquod indiuiduum, iure æuum & est indiuiduum totum simul, & metitur ipsum esse simul totum. Tempus autem vnà cum motu in partes vsquequaque diuisum per partes suas metitur & motus ipsius mobilisque partes, animam denique nostram. Dionysius vna cum Platonicis per essentiam quidem in æternitate, per actionem verò præcipuè humanam in tempore collocat. Similiter & hominem in vtroque etiam vnà cum corpore, nam & corpus eiusmodi vita temporale solum est, in futura verò quodammodo fiet æternum, animæ quinetiam actio hic quidem in plurima distracta motu, temporalis est, in patria verò stabiliter collecta simul in vnum, euadet æterna.

DIONYSIVS.

OPeræpretium est, vt arbitror, temporis quoque & æui naturam ex sacris literis discere. Non solum enim æterna dicuntur illa, quæ omnino absoluteque incognita sunt, reueraque sempiterna, sed etiam quæ incorruptibilia immortaliaque & immutabilia eodemque modo se semper habentia. Vt cum dicitur, eleuamini portæ æternales, atque similia. Sæpe etiã antiquissima æternitatis appellatione signantur. Nonnunquã verò totum nostri temporis ductum, sacræ literæ vocant æuum. Quatenus etiam proprietas æui est antiquum, & immutabile, atque secundum totum ipsum quod dicitur esse, metiri. Tempus autem scriptura in generatione corruptioneque & mutatione ponit, aliasque se aliter habens. Quamobrem nos quoque in hac vita tempore definitos, æui quoque fore participes Theologia promittit, quando incorruptibile, eodemque modo se semper habens attigerimus æuum. Interdum verò & temporale æuum scriptura prædicat, & æternum tempus. Et si scimus apud eam magis accommodatiusque illa quidem quæ vera sunt, æuo, illa verò, quæ in generatione versantur, tempore designari atque declarari.

Deus super æternitatem, quæ æterna, quæ temporalia, quæ media.

MARSILIVS.

DEus neque propriè est æternus, ne sit ex aliqua essentia, simul & æternitate compositus. Neque est æternitas, ne in ipsa re sit æterna. Præsertim quia dum æternitatẽ cõsideras, certum aliquid definitumque concipis, scilicet essentiam iam statu quodam determinatam. Non est igitur simplicissimum, neque primum. Deus igitur est æternitate superior. Aeterna quidem dicimus, quæ semper omnino stabilia sunt, vt angeli. Temporalia verò quæ mobilis solum, vt infra Lunam, ex vtrisque mixta, vt animæ rationales & cœlestia corpora. Deum verò æternitate superiorem, appellant regem omnium seculorum, id est, totius æternitatis, & temporis vniuersi.

DIONYSIVS.

QVamobrem non simpliciter coæterna Deo qui est ante æuum, censenda sunt, quæ nominantur æterna. Sed à sacratissimis eloquiis nusquam discedentes, æterna & temporalia iuxta cognatos, suosquo modos debemus accipere. Media verò inter illa quæ verè sunt, & ista quæ fluunt. Quæcunque partim quidem æternitatis, partim verò temporis participia. Deinde verò & tanquam tempus laudare fas est, vt vniuersi temporis æuique causam, item antiquum dierum tanquam ante tempus, & super tempus, permutantemque opportunitates, tempestatesúe & tempora. Rursusque ante æternitates existentem, quoniam & ante æuum est, & super æuum, regnumque eius regnum est omnium seculorum.

De pace diuina. De vnitate prima. De singulorum vnitate. De communi vnione cunctorum.

MARSILIVS.

DIuinam pacem, quam Gentiles colebant vt concordiæ deam, Platonici ideam concordiæ iudicant. Quæ quidem idea diuinam vnitatem comitatur ideis & ente vniuerso superiorem: Cuncta in ente quomodolibet vno congruere omnes existimant. Si igitur quomodolibet vniuntur in ente, per vnitatem ipsam vide-

licet sic vnita, multò magis in vno & vnitare conueniunt. Ratio igitur vnitatis in rebus, magis vna est quàm entis ratio in eisdem. Vnde confirmatur ipsum vnum esse simplicius, potentius, superius ente, hinc contra rerum diuersarum conditionem, opposita etiam & contraria communi quadam pace conciliat. Quatuor elementa in re composita sub vna totius forma connectit. Diuersa quinetiam composita alioquin fugitura procul inuicem, atque fugatura ad vnum mundi ordinem redigit & contextum. Post idealem pacem Platonici quædam concordiæ numina rebus conciliandis vbique præficiunt, Dionysius antiquissimos conciliatores vocat supremos Angelos, tanquam magis compotes vnitatis, & simplicitatis atque potestatis. Diuinæ pacis officium est vniuersi ordinem conseruare, huic autem duo pariter necessaria sunt, vnio videlicet atque distinctio. Diuina vnitas, dum vnitates singulis proprias seruat & firmat, distinctionem in ordine seruat, dum interim sibi subiecta custodit, communem cunctorum continet vnionem. Quæ quidem etiam dum proprium singula bonum petentia, inuicem dissidere videntur, in hoc saltem, quòd communiter asciscunt bonum, consentire coguntur.

DIONYSIVS.

Agè iam diuinam, conciliationisque principem pacem, pacificis laudibus prosequamur. Hæc enim est quæ omnia vnit, cunctorumque concordiam cõspirationemque gignit & efficit. Quamobrem hanc appetunt omnia. Quippe cum hæc partibilem horum multitudinem ad totam conuertat vnitatem. Et inestinum vniuersi bellum fœdere concordi deuinciat. Præterea diuinæ pacis participatione conciliantium potestatum antiquiores, tùm ipsæ singulæ ad seipsas, & inuicem, ad vnamque vniuersorum principem pacem conueniunt, tùm etiam quæ sibi subiecta sunt, ita congregant, vt & ad seipsa & inuicem, & ad vnum perfectum vniuersalis omnium pacis conueniant authorem. Qui sanè vniuersis indiuiduè præsidens, veluti claustris quibusdam diuersa nectentibus, omnia definit & determinat, atque communit. Neque finit diuisa ad infinitum interminatumque diffundi, alioquin ordine firmitateque caritura, & tanquam Deo destituta vnitatem propriam amissura, & inuicem omnibus mixturæ modis penitus confundenda.

Quid pax, silentium, immobilitas in Deo.

MARSILIVS.

SAnctus Iustus diuinam pacem appellat silentium, sensu, (vt arbitror) gemino, tùm quia nos de illa propriè loqui non possumus, tùm quia illa de se non ita loquitur, vt in ipsa interim sit motus aliquis, vel aliquid simile motui. Hinc immobilitatem quoque eam nominat, quia nullo motus genere vel ex cogitabili moueatur. Est autem in Deo pax, mira naturæ simplicitas, actionis immobilitas, voluntatis quies, in se ipsa velut fine virtus omnium pro cuiusque modo conciliatrix, dicitur Deus totus toti sibimet vnitus. Quia quicquid in eo cogitas est ipse totus, quod neque Angelis quidem competit, vnitus, inquam, supereminenter. Nam quicquid præter Deum est vnitum, non est vnitas ipsa, scilicet vnitate quadam potius est vnitum. Vnitate quadam, inquã, desuper accepta ab ipsa simpliciter vnitate, id est Deo, qui non vnitus vel sibimet propriè dicitur, sed ipsa simpliciter vnitas. Scilicet de his satis in commentariis in Parmenidem quotidie pertractamus. Ingreditur in se Deus quomodolibet cognoscendo vel amando seipsum, vbi nulla interim propterea multiplicitas accidit, qualis contingere solet vel Angelis in ipso intelligendi volendique munere. De quo satis apud Plotinum, negantem, intelligentiam eiusmodi Deo in qua sit formalis aliqua multiplicitas. Hactenus philosophi consequuntur. Sed quomodo per modum intelligentiæ voluntatisque tres ibi personæ vel subsistentiæ sint, neque tamen propterea Deus sit minus vnus aut vnum Angelis quoque prorsus ignotum.

DIONYSIVS.

DE ipsa igitur quicquid tandem illa est, diuina pace & quiete, quàm sanctus Iustus silentium vocat, & secundum consinitabilē processum quemlibet immobilitatem, quo pacto quiescat, & quasi silentium agat, & quomodo in se ipsa, & intra se ipsam sit, & tota ad totam eminentiratione iungatur, ac neque dum in seipsam ingreditur, seque multiplicat, suam relinquat vnionem, sed procedit ad omnia, intus tota manens propter excessum vnionis omnia superantis, neque dicere, neque cogitare alicui existentium fas est, aut possibile. Sed id quidem tanquam ineffabile, ac prorsus ignotum, ipsimet tribuentes omnia transcendenti, nos interim intelligibiles ipsius explicabilesque participationes, idque vt viris possibile est, & vt possibile nobis qui multis bonis viris inferiores sumus, consideremus.

Quomodo diuina pax omnia sine confusione coniungit.

MARSILIVS.

PAx diuina, id est superessentialis vnitas, generat ipsam per se pacem, id est idealem pacem omnium vnificam, tum penes ipsummet Deum, tum in angelica mente. Vtrobique enim suo modo sunt ideæ. Procreat & pacem vniuersalem, scilicet vnionem vniuersi communem, quàm pacem quamlibet vnicuique scilicet propriam vnionem. Primum in rebus Deo propositum est, totius vniuersi ipsius ordo, huic autem duo pariter necessaria sunt, vnio videlicet atque distinctio, vt tumque igitur vbique conseruat, per diuinam prouidentiam multis modis conueniunt omnia, conditione, qualitate, specie, genere, ordine. Hactenus quæ ita conueniunt, non propterea prohibentur inter se esse discreta, scilicet quæ præ-

ferea sunt, forma quadam communi conueniunt, ceu quatuor elementa sub communi commixta corporis forma, quonam modo etiam sunt discreta. Discriminantur & ista suo quodam pacto, si Dionysio hic & alibi credimus. Quam Auerrois sententiam secutus corpore mixto non solum quatuor virtutes, scilicet formas etiam quatuor seruat elementorum, elementa siquidem neque veræ perfectæ que substantiæ sunt, sicut mixta, his enim illa seruiunt tanquam fini. Neque simpliciter sunt accidentia, cum mixtam substantiam primo intrinsecus necessario compleant. Igitur tanquam media & cum substantia conueniunt, quod substantiam per se conficiunt, & cum qualitate, quod quodammodo intenduntur atque remittuntur. Sunt igitur hæ quatuor formæ sub vna mixti forma per totum perfectè coniunctæ, simulque formali quadam proprieta-te distinctæ, & contra contrarietatis conditionem conciliatæ diuinitus. Præterea varij rerum gradus in vniuerso, sicut colorum gradus inter album atque nigrum, multi per differentias tam exiguas deinceps dispositi sunt, vt præter id quod varij discernuntur, etiam propter exactissimum contextum videantur non contigui solum, sed etiam esse continui, formamque vnam præferant vniuersi, propterea Dionysius absque diuisione distantiaque ait hæc esse contexta, & absque confusione coniuncta. de graduum vniuersi connexione mirabili in Theologia latius pertractamus.

DIONYSIVS.

PRimo quidem dicendum, quòd pax diuina, ipsius per se pacis, & vniuersæ particularisue pacis, est autor, & omnia contemperat inuicem & commiscet, vnione quadam eorum inuicem non confusa. Per quam absque diuisione distantiaque coniuncta, simul tamen integra in sua quoque specie permanent, per contrariorum admixtionem minime conturbata. Neque quicquam obtundentia exactæ illius sinceritatis omnia inuicem vnientis. vnam igitur quadam simplicemque naturam vnionis pacificæ contemplemur, cuncta sibi ipsi, & sibi ipsis & inuicem copulantem & interim conseruantem, in complexu omnium inconfuso contemperata pariter & immixta.

Quomodo diuina pax coniungit sibi res, & rem secum ipsa, resque rebus, item intellectus angelicos, animasque similiter.

MARSILIVS.

PAx diuina vnire dicitur tripliciter omnia. Primo quidem sibi, quoniam dum singulis sua dona largitur, singula sibi similia reddit. Item quoniam ad tantum quam finem appetendum & imitandum cuncta couertit. Secundo, rem quamlibet secum ipsa, quia partes partibus, & cunctas cum totius forma connectit. Tertio, res inuicem rebus, ea videlicet ratione quam in capite superiore posuimus. Dicitur fermè similiter tribus modis angelicas mentes vnire, nam lumine pariter & vigore quodam his infuso facit vt intellectus angelicus seipsum animaduertat, in qua quidem agnitione sui quasi per circulum sibimet coniungitur. Mox verò in sitas sibi diuinitus formas conspicit, per quas res omnes quæ possunt intelligi, planè prospiciens cum rebus iam intellectis copulari videtur. Copulatur subinde cum Deo secretisque diuinis, non hac quidem intelligentia, vel sui, vel aliorum. Sed iam formatione eiusmodi præparatus per vnitatem suam suo tanquam intellectu superiorem angelus Deo mirificè fruitur. Multis sæpe rationibus, Platonico more, probauimus, ipsum per se primoque mobile animã esse, id est suapte natura mobiliter tēporaliter que affici & agere sēper vt anima. Idque ad animales eius vires propriè pertinere, scilicet vegetalē, sensualem, imaginalem, rationalem habere insuper intellectum quantum cum diuinis mentibus conuenit, aliquid quandoque immobiliter agentem atque consequentem. Quatenus igitur, vt animæ hanc vitam ducunt, nihil vnquam nisi mobiliter exequuntur, pluribusque ad idem viribus simul suis, vtuntur. Quod autem nonnunquam intermisso inferiorum virium vsu non iam per multas formas rationesque & conceptiones distrahantur, sed intellectu formatæ vno simul immobilique actu contemplentur verum, ex vnione diuina per intellectum angelicum conseruantur. Quod denique possint ipso Deo frui, qui super primum intellectum extat, per vnitatem habent diuinitus ingenitam ab initio, vt sæpe diximus, intellectu superiorem. Habent & per amatoriam vnionem, illuminante, accendente, rapiente Deo. Id verò Deus iam efficit, quando animus, etiam ratione vacante contulerit se prorsus ad mentem. Denique per diuinam pacem id est vim vnificam vniuersum habet tantam in cunctis partibus suis communionem, vt communio eiusmodi appellari possit tum vnio per quam mundus est vnus, vt Platonici tradunt, non minus vnus, quàm animal quodlibet vnum, tum cognatio, quasi membra sint animalis eiusdem, tum consensio & compassio, quasi affectio motusque cuiuslibet partis necessariæ mundo, deinceps resultet in omnes. Tanta denique vnio est in mundo quanta fert ipsa natura, seruat interim ad vnguem graduum articulorumque distinctionem formalem.

DIONYSIVS.

PEr diuinam pacem intellectus diuini suis ipsorum intelligentiis vniti, rebus quoque intellectis se coniungunt, rursusque ad incognitum scandunt eorumque super mentem sunt contactum. Per diuinam pacem animæ multiformes rationes suas cogentes, ad vnamque puritatem intellectualem congregantes, procedunt proprio sibi modo, via & ordine per immaterialem impartibilemque intelligentiam ad superiorem intelligentia vnionem. Per diuinam pacem vnus indissolubilisque contextus omnium iuxta diuinam harmoniam suam existit, concentúque harmonico & integra consonantia consensionéque & cognatione mutua coaptatur, dum & sine confusione colligitur, & absque diuisione procul dubio continetur.

MARSILIVS.

PAcis diuinæ vnifica virtus est omnibus, non mobilis, vt possit mobilia stabilire, non multiplicata, vt queat diuersa conciliare, non mixta huic vel illi, vt valeat hoc conflare cum illo. Non mixta rursus ambobus, si modo discretum sit hoc ab illo, non diuisa per varia, vt possit quæ sunt seiuncta connectere. Non cohibita intrinsecus vsquam, alioquin complecti extrinsecus non valeret, nusquam rursus exclusa, alioquin intima minimè deuinciret. Extrema verò conciliat vbique per media, incorporeum cum corpore per lumen virtutemque quasi lumini similem. Idque efficit statim cum corpore tenuissimo, tenuissimum corpus cum crasso per med um. Ceu ignem cum aqua per aërem. Connectens primo quidem medium cum extremis, nempe aër illinc quidem est igneus, hinc rursus aqueus. Deinde extremum per medium, nam aër velut igni cognatus calorem lumenque inde facile suscipit, deinceps aquæ sibi cognatæ eadem traditurus. Sed de eiusmodi rerum serie, vt diximus, in Theologia satis. Conciliat autem cuncta, primo quidem vnitatibus, quoniam diuina vnitas dũ quodlibet facit particeps vnitatis, cuncta sibi tanquam vnitate similia conformare videtur. Secundo identitatibus, dnm efficit eadem specie vel genere, vel conditione, vel ordine quodam. Tertio vnionibus, vbi qualitates multas in vnam cogit complexionis formam. Quarto congregationibus, quatenus similitudine quadam vel necessitate cunctis inducta ad mutuum consortium vndique conuocat. Impertit denique vnitatis vnionisque munus extremis etiam mundi determinationibus, id est materiæ prorsus informi, potentiæque passiuæ. Sæpe diximus materiam non esse essentiæ & essendi participem, quippe cum munus eiusmodi sit per formam. Præterea sicut potentia ad viuendum & intelligendum, neque vita neque sapientia est, ita potentia ad essentiam & adesse nec essentia nec esse. Oportet tamen quæcunque sunt potuisse prius existere. Potentiam eiusmodi immunem essentiæ dicimus. Veruntamen etiam materia & potentia vnitatis & vnionis bonitatisque participes indicantur. Dicitur in vno omnia indicare, vel quoniam ad vnam formam per contextum omnia redigit, vel quia ex vno vel exemplari vel cœlo sequentium præbet indicia, propter vnionem vniuersi mirabilem. Denique diuina vnitas dicitur sibimet vnita, tum tota ad totam, quoniam quicquid ibi supresseris, est ipsum totum, tum secundum se totam, quoniam formaliter per se ipsam, siquidem per vnitatem ipsam vbique fit vnio. Perplacet hic exemplum Aquinatis Thomæ ducis in Theologia nostri. Nempe linea & si per totum continua est, non est tamen tota vnita sibi toti. Quia neque pars est vnum cum parte, neque pars est totum. Punctum verò dici potest vnitum toto totum. Neque tamen id consequitur per se totum, nam per vnitatem habet vt sit vnitum. Punctum autem atque vnitas non est idem. Si qua verò sit vnitas in se eminenter existens, sicut Deus, per se totam formaliter sibimet vnita censebitur.

DIONYSIVS.

PErfectæ pacis integritas, secundum simplicissimam sinceramque virtutis vnificæ præsentiam, omnia penetrat, vniẽs atque connectens per media cum extremis extrema, per vnam cognatam amicitiam coniugata. Atque vltimis quoque vniuersi determinationibus, vt se fruatur indulgens, omniaque vnitatibus, identitatibus, vnionibus, congregationibus, cognata prorsus efficiens. Dum videlicet diuina pax nulli diuisioni perstat obnoxia, & in vno omnia indicat. Atque per omnia procedens nusquam à propria identitate discedit, pergit enim per omnia, singulaque pro suo quæque modo sui muneris participia reddit. Et copia quidem pacificæ fæcunditatis exuberat, & permanet interim per vnitatis excessum, tota ad totam, ac per se totam sibimet excellenter vnita.

Omnia pacem optant, etiam dum cupiunt esse secreta, & quæ mouentur similiter in motu pacem quærunt.

MARSILIVS.

DVm res appetunt in ipsa naturæ suæ proprietate perseuerare, neque cum alienis temere commisceri atque confundi, pacem & ad se & ad alia cupiunt. Sic enim & quiete secum habitant, nec aliis iniuriam inferunt. Item dum res naturaliter mobiles, motus suos continuare conantur, pacem suam optat, id est tranquillam in natura actioneque sua perseuerantiam. Nam & quæ naturaliter mobilia sunt, in eo ipso quod moueantur tanquam sua quadam pace quiescunt, atque ita motu contenta sunt, vt æterna statu, & quæ naturaliter motiua sunt, pacem optatam habent hoc ipso quod mouent, intellectus quidem puri, vt alia moueant, interim ipsi non moti. Animæ verò vt ipsæ ex se ipsis motæ corpora moueant. Corporum verò naturæ per se non viuæ neque sese mouentes non aliter quam pacem suam, appetunt vt à substantiis per se viuentibus & ex se mobilibus moueantur. Nulla denique vel substantia vel substantiæ per se qualitas est quæ vnionem omnem perseuerantiamque refugiat, alioquin salutem propriam fugitura.

DIONYSIVS.

INterrogabit forte quispiam, quonam pacto pacem cuncta desiderent? Cum multa alteritate discretioneque gaudeant, neque sponte quiescere velint. Atqui si alteritatem discretionemque qui sic obiicit, suam cuiusque rei proprietatẽ dicit, quodue hanc nullum eorum quæ sunt, idipsum quod est existens vnquam perire velit, ne nos quidem ad id refragabimur, sed id quoque esse pacis desiderium confirmabimus. Quippe cum omnia cupiant secum ipsis pacem vnionemque habere, atque in eo habitu permanere vt à seipsis atque suis dimoueri decidereque non possint. Iam verò pax illa perfecta, suam cuiusque meram custodit proprietatem, pacificis prouidentiis suis omnia seorsum à seditione

confusioneque tam ad seipsam quàm ad alia seruans, cunctaque stabili & nusquam declinante potentia ad ipsorum pacem immobilitatemque stabiliens. Quod si quæcunque mouentur, non quiescere quidem, sed suo semper motu moueri cupiunt, id rursus diuinæ omnium pacis desiderium est, quæ quidem omnia in seipsis seruant, ne forte labantur, & omnium quæcunque mouentur proprietatem motricemque vitam ne à seipsa dimoueatur decidatue, custodit Quatenus quæ mouentur secū ipsis pacem seruantia, eodemque se modo semper habentia, quæ sui sunt muneris, peragunt. At verò si alteritatem illam quispiam ruinam ab omni pace prorsus accipiet, affirmetq; pacem non esse cunctis optabilem, potissimum hoc asserimus, nihil vsquam esse quod ab omni prorsus vnione ceciderit. Quod enim penitus instabile infinitumque & nulla sede firmum indefinitumque fingitur, neque ipsum quidem per se quicquam est, nec existit in aliquo.

Etiam qui iracundia, vel concupiscentia efferuntur, ad hac pacis auiditate feruntur. Verum pacem Christus attulit.

MARSILIVS.

INtestinum in nobis contra rationem bellum gerunt concupiscendi atque irascendi natura. Concupiscibilis quidem oblectamenta corporea sequitur, irascibilis autem pro his consequendis, sæpius pro concupiscentia pugnat. Ratio verò communiter intelligentiaue reclamat, plurimum verò superant illa duo, & quo magis superant, eo magis & nos seruimus, & angimur. Plurimi igitur pacis auiditate perturbationem eiusmodi, bellumque sedare volentes, & iram explere vindicta, & concupiscentiam oblectamentis demulcere conantur. Eiusmodi verò pax & quies, quam mundus pollicetur, est falsa, dum perturbationes quotidie nouas, imprudentes rebus assiduè volentibus sedare molimur. Veram verò pacem præstat ille qui non quemadmodum mundus dat, sed quemadm... im cœlestis pater Pacem suam dat & relinquit nobis, inde pacem concordiamque accipientibus, & intimam nobiscum per temperantiam, & extremam cum hominibus per iustitiam, atque charitatem, & cum Angelis per imitationem Angelicæ puritatis, & cum Deo tum per redemptionem sacr ficio Christi factam, tum etiam per verum Dei cultum, à Christo feliciter introductum.

DIONYSIVS.

SI quis autem obiiciat, illos paci pacisque bonis aduersari, qui litibus & furoribus, mutationibusque & instabilitatibus delectantur. Respondendum, hos quoque exilibus quibusdam pacifici desiderij imaginibus occupari, dum affectibus multifariam agitantibus perturbantur, quos imperite sedare desiderant, sperantque se habituros pacem expletione iugiter effluentium, perturbantur vero semper, siquidem voluptates, à quibus occupati sunt, minime consequuntur. Quid autem de Christi clementia, pacem profundente dicemus? Per quam discimus, non vltra pugnare, neque nobiscum, neque inuicem, neque cum Angelis, sed vnà cum ipsis potius diuina pro viribus operamur, iuxta Iesu prouidentiam, qui omnia in omnibus operatur, pacemque conficit ineffabilem ab æuo prædestinatam, nosque sibi in spiritu reconciliat, ac per se, & in seipso patri quoque conciliat. De quibus sanè mirabilibus donis in Theologicis informationibus satis à nobis est dictum, sacrorum eloquiorum inspiratione nobis testificante.

Quid ipsa essentia, ipsa vita significent in Deo, atque rebus. Item de principiis & ideis, gradibusque formarum.

MARSILIVS.

DIonysius Deum aliquando nominat ipsam essentiam siue ipsum esse, Ipsam virtutem vel pacem, vel pulchritudinem, ipsam vitam, atque similia. Aliquando verò horum ipsorum nominat autorem. Vltima autem communissima hæc est per modum abstractionis & simplicitatis excogitantur & pronuntiantur, ipsa essentia prima tanquam principia siue elementa rerum compositarum intima atque formalis. Nam entia omnia nec ipsam essentiam formaliter sunt, atque nominantur, pulchra per pulchritudinem, viua per vitam, cæteraque similiter. Quando igitur Deus hæc ipsa nominantur, quæ vt dixi, sunt in rebus potissima quasi principia, declarat ipse rerum omnium esse principium. Quando rursus horum ipsorum autor appellatur, ostenditur, quandoquidem est super prima supra modum omnia superare. Duæ circa hæc antiquorum Platonicorum fuerunt opiniones. Primam quidem secuti sunt Plotinus atque Porphirius, dicentem, hæc ipsa quæ per modum abstractæ formæ pronuntiantur, ideas esse in mente diuina, ab ipso bono mentis patre progenitas. Secundam verò secuti sunt Syrianus & Proclus, præter ideas fingentem communissima quæque abstracta esse, diuina quędam principia rerum inter se per substantiam differentia gradatim sunt Deo primo disposita, primam quidem essentiam, r..ous essendi principium, primam vitam viuendi, primum intellectum intelligendi, similiterque per multa. Quorum hæresim in commentariis in Plotinum hac ratione refellimus. Quod postquam primam essentiam & vitam & mentem inuicem separaueris, & essentiam vitæ, vitam intellectui præposueris, necessarium erit & deinde intelligentiæ, quæ tertiæ causæ donum est, anteponere vitæ quæ est secundæ causę donum, iterumque munus hoc anteponere essentiæ quæ est primæ inter has causæ munus. Principiorum tamen natura sole exigere, vt superior causa præstantiorem edat effectum. Præterea vanum est plura ad hęc principia fingere, cum & sufficiat & deceat vnum. Nempe cum essentia prima omnia sibi naturales perfectiones habeat, vita verò sit intimus motus, vel actus essentiæ primæ, intelligentia denique sit quædam vitæ reflexio in essentiam, merito in

ipsa essentiæ primæ natura, simul vita est, & intelligentia prima. Meritò igitur opinionem secundam reprobat Dionysius, secutus, vt mihi quidem videtur, nisi fallor, Peripateticorũ quorundam sententiam à Platonicis non abhorrentẽ. Profectò sicut in vniuersis sequẽtibus reuera sunt numeri vbique priores, & in sequentibus dimensionibus sunt præcedentes, vt in profundo superficies, in superficie linea, & triangulus in quadrangulo, ita forte visum est illis & in forma mixti esse quatuor elementorum formas, & quod aptius cum exemplis congruit, generalem formam in speciali, specialem in substantia singulari. Vt corpoream naturam in animali, naturam animalem in homine, naturam humanam in Socrate, vel Platone. Differre verò putauerunt in hac formarum serie vniuersaliorem formam atque priorem à forma minus vniuersali sequente, non ita reipsa vt duæ quædam ibi res existant, alioquin ad vnam rem atque substantiam nunquam perueniretur. Neque rursus sola apud nos cogitatione differre, scilicet naturaliter & ipsa ratione formali. Denique si de re minus vniuersali natura vniuersalior, neque falso neque ridiculo prædicatur, probabile videtur, ampliorem in angustiore sic inesse, vt nec omnino duo sint, quasi seorsum, nec sit penitus vnum. Quamobrem Dionysius vniuersaliores in rebus formas, vtpote quæ reuera sint ibi, appellat entia principalia atque prima, virtutes bonitatesque prouisorias, dona diuina, effusiones beneficas ex Deo pendentes. Quæ quidem omnia participata sint in rebus, diuinitus hæc habentibus. Vt ipsa essentia, ipsa vita imparticipabiliter quidem & per modum causæ sit ipse Deus, participabiliter autem & per modum formæ diuinitus sint in singulis. Subdit tres participationes diuinæ gradus. Simplicissimum, vt ipsam vitam, vltimam vt vniuersalem vitam, particularem, vt hanc vel aliquam vitam, vltimam autem particularem vitam vniuersali quidem oppositam esse. Naturam verò ipsi simpliciter vitæ opponi, ipsamque non modo simpliciorem, sed etiam priorem vtrisque videat. Nam in ipsa formali ratione vitæ primæ, non necessariò conditiones eiusmodi continentur scilicet quod vniuersaliter particulariterue se habeant, vel quod sit huius generis, aut speciei vel illius, vel quidem sit particulare quiddam sub hac specie, aut illa. Siquidem penes exactam intelligentiam prior est vita simpliciter, quàm talis vita vel talis. Videtur igitur Dionysius particularem vitam sub genere collocare, vniuersalem verò vitam genus existimare. Ipsam verò simpliciter vitam, quasi extra genus transcendens aliquid cogitare, simpliciterque de cæteris, Deum denique non modo tres dictos participationum gradus, scilicet etiam participantia facere, participantia inquam, & pro modo suo & vel vniuersali ratione, vel particulari quadam conditione.

DIONYSIVS.

SEd quoniam alias quoque me per epistolam interrogasti, quidnam esse dicerem per se esse, ipsam per se vitam, ipsam per se sapientiam, dixistique te multum moueri, quod aliquando Deum dixerim, ipsam vitam, aliquando vitæ ipsius authorem, operæ pretium existimaui, sancte vir Dei, ab hac quoque de nobis concepta dubitatione, te soluere. Ac primum quidem, vt quæ sæpe iam diximus, nunc etiam repetamus, non est inter se contrarium dicere, Deum ipsam per se virtutem aut ipsam vitam, atque eundem appellare ipsius vitæ vel pacis, vel virtutis procreatorem. Illa quidem ratione ex his quæ sunt, præcipue vero ex illis quæ primo sunt, tanquam omnium causa nominatur. Hac autem, vt super omnia etiam quæ primo sunt modo quodam super essentiam eminens. Quæris inter hæc, quid appellem ipsum per se esse, aut ipsam vitam, vel alia quotcunque absolutè ac principaliter esse & ex Deo primum existere ponimus. Id vero non est obliquum, sed rectum, simplicemque interpretationem habet. Nonenim substantiam quandam diuinam, vel Angelicam esse volumus ipsum esse, velut causam, vt sint quæ sunt omnia. Solum namque vt sint quæcunque sunt, itemque vt sit hoc ipsum per se esse, principium est, essentiaque & causa, illud quod essentiam supereminet. Neque rursus deitatem aliam viuentium omnium viuificam asserimus, præter vitam illam plusquam diuinam, quæ & viuentium omnium, & ipsius vitæ sit autor, atque, vt summatim dicam, non esse putamus, principales illas & conditrices eorum quæ sunt essentias atque substãtias, quas nonnulli rerum Deos atque conditores sibi pro arbitrio fingentes prædicare non dubitauerunt, Quos, vt verè proprieque dixerim, neque ipsi nouerunt, quippe qui non sunt, neque patres eorum. Sed ipsum esse & ipsam vitam ipsamque deitatem asserimus, principaliter quidem & diuinè & secundum causam vnum illud principiũ causamque omnium, super omnem principii & essentiæ rationem. Participabiliter autem virtutes illas prouisorias ex Deo in participabili procedentes. Ipsam, inquam, ipsius essẽtiæ, vitæ, diuinitatis traditionem. Quorum dum omnia pro suo quæque modo participia sunt, nimirum, & entia & viuentia & diuina sunt, atque dicuntur, cæteraque similiter. Quamobrem Deus ipse bonus, ipsorum quoque primorum autor prædicatur, deinde ipsorum vniuersorum, subinde ipsorum particularium, posthæc eorumque vniuersaliter illa participant, postremò illorum etiam quæ particulari quadam conditione participant.

De ipsa bonitate atque deitate, quod neque hæc sint propria Dei nomina.

MARSILIVS.

NEque forsan existimet se proprium principij nomen mutius se, cum vocat ipsam deitatem, ipsamque bonitatem, inquit, neque per hæc ipsam Dei naturam exprimi, sed munera

quædam deifica atque benefica rebus infusa diuinitus, Multò minus ipsa pulchritudo quæ boni splendor est, Dei nomen esse potest: denique subdit, Deum in nulla essentia, vel natura, vel ordine esse posse, si modò horum omnium sit excellentissimus author iudicandus.

DIONYSIVS.

QVid autem de his plura dicere me opus? Quandoquidem nonnulli ex diuinis præceptoribus nostris ipsius quoque per se bonitatis Deitatisque auctorem Deum dicunt, qui supra bonitatem deitatemque existit, dicentes, bonitatem ipsam atque deitatem, esse beneficium deificumque donum ex Deo profectum. Ipsam quoque pulchritudinem appellant, effusionem pulchritudinis effectricem, quæ quidem & pulchritudinem ipsam efficiat, & vniuersalem pulchritudinem particularemque, vniuersaliter quoque pulchra, & pulchra particulariter, & quæcunque alia eodem modo dicta sunt atque dicentur, declarantia vel prouidentias atque bonitates rebus participatas, ex imparticipabili Deo abundanti profusione præcedentes ac largiter emanantes, vt qui est omnium causa, exactissima ratione sit super omnia, & quod super essentiam extat atque naturam, quæcunque in aliqua essentiarum namque est, penitus antecellat.

De sanctitate, regno, dominatione, deitate.

MARSILIVS.

PLana sunt hæc omnia, sanctum sanctorum appellat deum Daniel, Regem regum, & dominum dominantium Apocalypsis. Item, regnum tuum Domine regnum omnium sæculorum. Dauid, atque idem, Dominus regnabit in æternum & in sæculum sæculi. Denique in Exodo, Dominus regnabit in æternum & vltra.

DIONYSIVS.

DE his quoniam verò quæ dicenda erant, finem (vt videtur) congruum acceperunt, laudare iam decet Deum infinitis nominibus præditum, vt sanctum sanctorum, vt regem regum, vt regnantem æternum & vltra, vt dominum dominorum, Deumque deorum Ac primò quidem dicendum, quid ipsam sanctitatem esse putem, quid regnum, quid dominationem, quid deitatem, quid rursus sacra eloquia sibi velint, dum hæc nomina geminant. Sanctitas quidem est, vt simul nostra loquamur, puritas quædam ab omni scelere libera, itemque perfecta & prorsus incontaminata munditia. Regnum verò est, omnis termini ornatusque & iuris, & ordinis distributio. Dominatio autem non modo aduersum deteriora eminentia quędam, sed omnis quoque honestorum atque bonorum perfecta possessio, veraque & immutabilis firmitas. Quapropter κυριότης, id est dominatio ab autoritate & proprietate & imperio ducitur, θεότης autem, id est deitas, est omnia prospiciens prouidentia, perfecta prouidens bonitate, & circum omnia currens & continens, seque omnia replens, omnia denique supereminens, quæ illius prouidentia perfruuntur.

Quomodo propria sanctitatis, regni, dominationis, deitatis munera omnibus sunt infusa diuinitus.

MARSILIVS.

DEus nominatur sanctitas, regnum, dominatio, deitas, non tam per modum formę, quam causæ. Quia quæ sunt horum propria, vbique diuinitus fiunt atque seruantur. Per sanctitatem quidem inde pendentem res quælibet puritatem suam seruare nituntur, Et ad syncæritatem superiorem nonnulla contendunt, superioribus hæc adesse benefice conuertentibus. Per regnum diuinitus datum, rebus ordinata passim consonaque & iusta distributio conseruatur. Per dominationem, potestas excellens bonorumque possessio firma. Per Deitatem, id est, expressiorem imitationem Dei, summa beneficia, prouidentia in superioribus siue cœlis, siue hominibus cæterisque ad inferiora dirigitur. Sed munera hæc in Deo quidem vniformia sunt, in cæteris multiformia fiunt.

DIONYSIVS.

HAec igitur in causa omnibus eminente absolutè laudanda sunt, appellandumque illam supereminentem sanctitatem dominationeque regnumq; præcellens, & simplicissimam deitatem, ex ipsa enim in vno simulque exorta est, & distributa omnis absolutio mera totius sinceræ munditiæ. Item omnis rerum ordo ornatusque distinctus, inconcinnitatem, & inæqualitatem incongruentiamque eliminans. Et ad ordinatissimam identitatem rectitudinemque gestiens, & quæ participationem illius promeruerunt circum agens. Rursus omnis pulchrorum bonorumuè omnium perfecta possessio. Omnis denique diuina prouidentia prospiciens, & continens quæ prouidentur se ipsam, vt diuinitate dignum est ad eos exhibens qui conuertuntur diuinitate formandos.

Qua ratione Deus appelletur sanctus sanctorum, rex regum, Dominus dominantium, Deus deorum.

MARSILIVS.

VBi quatuor illa geminantur in Deo, scilicet sanctus sanctorum, rex regnum, dominus dominantium, Deus deorum, profectò significatur idcirco Deum dici sanctum, quoniam au. thor sit sanctorum, propriaque ipse sit causa per quam sancta vbique sint sancta, per quam regnantia regnent, dominantia dominentur, Deum expressius imitantia, Deum ipsum præseferant inferioribusque benigne prouideant. Inter hæc animaduertere, quemadmodum sancta diuinaque antecellunt, quæ neque sancta sunt neque diuina, ita sanctitatem deitatemq; id est diuinita-

tem, ſanctis diuiniſque eminere. Ita denique Deum ipſum, qui per ſanctitatem diuinitatemque infuſam effector eſt ſanctorum atque diuinorum, quorundam quaſi deorum, ſanctitatem ipſam, & deitatem quamlibet à nobis excogitatam, incredibiliter ſuperare. Animaduerte rurſum, reges Deoſque nominari primos in quolibet Angelorum ordine gradus, quoniam inſtar Dei benefica erga ſequentes, & ad omnia prouidentiam agunt. Donumque diuinum penes Deum quidem vniforme, ſed penes inferiores Angelos multiforme iam euadens, futurumque inde difforme, corporea ipſi colligunt ad vnitatem ſuam atque diuinam.

DIONYSIVS.

QVoniam verò Deus ille omnium procreator, eminenter omnium plenus eſt, per vnum eminentem cunctis exceſſus ſanctus ſanctorum prædicatur, & reliqua per exuberantiſſimam cauſam eminentiamque ſupremam. Ac ſi dicamus, Quantum ea quæ talia ſunt ſcilicet ſancta, diuina, domiuantia, regnantia, antecellunt illa quæ non ſunt talia, itemque participationes ipſæ participantia vincunt, tantum quæ ſunt omnia, & ſuperantur ab illo qui omnia entia ſupereminet. Atque participantium participationumque omnium eſt imparticipabilis author. Sanctos autem, & reges, & dominos atque deos ſacræ literæ nominant, gradus eos qui in ſingulis ordinibus principaliores exiſtunt. Per quos deinde ſequentes, diuina percipientes munera traditionis illorum ſimplicitatem, iuxta ſuas multiplicant differentias. Quorum varietatem illi ſupremi prouidè atque diuinè ad ſuam colligunt vnitatem.

Quomodo Deus dicitur perfectus.

MARSILIVS.

DEus dicitur perfectum ipſum atque vnum, primo quidem, quoniam omnes omnium perfectiones, & innumerabiles inſuper babet. Habetque in vno ſcilicet in vno præſenti, neque enim ibi eſt prius aliquid, atque poſterius. In vno inſuper ſui ipſius, non enim in ſe habet aliud atque aliud, ſed vno indiuiduo ſcilicet ſe toto penitus omnia poſſidet. Sic ergo perfectum eſt ibi, non extrinſecus accidens, ſed ipſa ſubſtantia, non per aliquam ſui partem, ſed per totum, non ex alio, ſed ex ſeipſo ſimulque totum, ſecundo vero, quia per omnia innumerabilibus bonis exuberat marerias & naturas per ſe informes, nec dum finitas, ipſe Deus formas definit. Infinitatem generationis, & temporis, æuo ſuperat, atque determinat, comprehendit omnia non comprehenſus, penetrat omnia, nullo prohibitus. Plura elargiri poteſt, quam accipere poſſint. Tertio, quoniam nec minui nec augeri, neque aliter permutari poteſt, gradibuſque perfectionis infinitis exuberans, ſuis quæque perfectionibus vbique replet atque definit.

DIONYSIVS.

HAec de his dicta ſufficiant. Reliquum eſt, ſi videtur, vt ad illud tractandum quod eſt validiſſimum, accedamus. Iam verò Theologia de illo omnium principio omnia & ſimul prædicat, ipſumque vt perfectum celebrat atque vnum, perfectum quidem non modo vt iu ſe ipſo perfectum, & per ſe ipſum ex ſe ipſo vniformiter vniceque ab omnibus ſegregatum, totumque per totum abſolutiſſimum, verum etiam tanquam pluſquam perfectum, ex eo quod omnia ſuperat, omnemque definit infinitatem, ac ſuper omnem expanditur finem, à nullo capitur vel comprehenditur, ſed pertingit ad omnia ſimul atque ſuper omnia, in deficientibus actionibus atque donis. Dicitur quoque perfectum tanquam nullum ſuſcipiens incrementum, ſemperque perfectum, atque vt neſciens decrementum. Quippe cum in ſeipſo anticipet omnia, prorſus exuberans per vnam indeſinentem eandemque & ſuperplenam largitionem, diminutionis expertem, per quam perfecta omnia perficit, ac perfectione propria complet.

Quare Deus dicatur vnum, & quare ipſum vnum ſit principium vniuerſi.

MARSILIVS.

QVibus rationibus Deus dicatur vnum, ipſumque vnum omnium ſit principium in Theologia, Plotino Parmenidè, ſatis diximus. Dionyſius quoque hic planiſſime loquitur ſeque hic potiſs. eſſe Platonicum profitetur, Deus ergo dicitur ipſum vnum, quoniam quantumcunque diuerſa, & inter ſe oppoſita in vna ſui forma complectatur, ſicut lux radios vnà quam plurimos, ſicut centrum capita linearum. Vnitas enim prima ita penes ſe imò, & magis multitudinem ſibi deuincit, quia vnitatem diſperdat vltima multitudo. Ipſum verò vnum omnium eſſe principium, confirmatur ex eo quod vnum cuncta participant, etiam quæ ſunt diſcreta, itaque multo magis quæ continua, maximè quæ ſunr in corporea. Item quod omnia vnitate ſeruantur, verum tamen ſuper vnitatem, quæ eſt vel per ſe aliquid multitudinis, vel quæ quolibet in multis aut ex multis exiſtit, eſſe omnem ipſum per ſe, et in ſe ſimpliciter vnum, quod quidem tanquam principium omnia paſſim multa vnitate determinat, rurſus quoniam multitudo quidem abſque vno eſſe nequit, vnum autem abſque multitudine poteſt. Præterea quoniam omnia mundana quantumlibet varia, vno quodam totius ordine congruunt, igitur vna quadam forma communi: ſed quoniam vnum hoc nec exiſtit ex ſe, cum neque ſit in ſe ipſo, nec ab oppoſita multitudine proficiſcitur, nec ab vno quouis multorum, alioquin non foret commune cunctis, merito ab ipſo ſimpliciter vno, quod extra, & ſupra multitudinem eſt dependet. In cuius quidem vnius natura per modum intelligentiæ ſuæ expreſſa eſt, non ſolum vnitas vniuerſalis formæ mundanæ, ſed vnitas etiā ſpeciei cuiuſlibet neceſſariæ mūdo, alioquin mūdanus ordo diſcendo foret incertus, deniq; quoniā vnū omnibus ineſt quaſi omniū elementum, quo ſublato, nec pars aliqua eſt aliquid nec totū; eſt autem intima rebus vnitas elemenrum, quoniam externa vnitas eſt efficiens atque finis.

DIONYSIVS.

DIONYSIVS.

DIcitur autem Deus vnum, quoniam est vnice cuncta per singularis vnitatis excessum omniumque causa est, nusquam interim à propria vnitate discedens, nihil enim est in rebus vnius expers. Sed quemadmodum numerus omnis vnitatis est particeps, nam binarius dicitur vnus, vnus quoq; denarius, & dimidium vnum, & tertium, & decimum vnum, sic omnia omniumque partes, participationem vnius habent, atque ex eo quod vnum extat, sunt omnia. Ipsum verò vnum quod omnium causa iudicatur non est aliquid è pluribus vnum, sed ante omne vnum omnemque multitudinem. Quod & quodlibet vnum multitudinemque definit, nulla enim multitudo est, quæ non particeps sit vnius. Sed id quidem quod secundum partes est plus, est toto vnum. Quod plus est accidentibus vnum est subiecto. Quod plus numero aut viribus est vnum specie. Quod speciebus plus, vnum genere. Quod multum processibus, vnum est principio, denique nusquam existit quicquam, omnino vnius expers. Quippe cum ipsum vnum natura sua penitus vnica, omnia atque tota etiam inter se opposita singulariter ante comprehendat. Præterea absque vno quidem multitudo non est, erit autem sublata multitudine, vnum, quemadmodum, & vnitas ante omnem numerum multiplicatum extat, ac si omnibus coniuncta quis supponat, erunt omnia toto vnum. Animaduertẽdum id interea, quæ vnita dicuntur, certè secundùm vniuscuiusque prius excogitatam vnitatem censeri. Præterea vnum elementi rationem habet ad omnia. Idcirco si sustuleris vnum, neque forma totius erit, neque pars vlla, neque quicquam erit in rebus vnum, namque omnia in seipso vniformiter anticipat atque comprehendit.

Vnitas diuina naturæ intus habet vt vnum omnia, & vnice cuncta facit.

MARSILIVS.

CVm omnis ordo rerum ad vnam causam referatur, merito prima causa vnius nomine nominatur, præsertim quia vnitas simplicitatem significat. Causa verò omnis quo simplicior, eo prior, atque conuerso. Natura diuina cum propter absolutissimum infinitumque actum sibi proprium nullo modo multiplicabilis sit, adeo maxime vnum vnificumque est, vt quæcunque sibi tribuantur sub vna sibi vendicant forma. Idcirco & si pater ibi filiusque & spiritus nominentur, non tamen naturalis sibi forma minus est vna. Ideæ quoque rerum ibi forma sunt eadem, vnice quoque illinc omnia pendent, non enim distincta sunt extrinsecus opera Trinitatis, sicut enim ex natura diuina, sic ex qualibet illic persona cuncta pariter fiunt & perficiuntur, atque seruantur. Denique si quo nomine deitas designanda est probabiliter ipsius vnius nomine designatur. Siquidem per vnitatem singula sunt & perficiuntur atque seruantur. Sunt inquam, quia res quælibet siue sit simplex omnino, ideo consistit singularitate naturæ sibimet consentiens à cæteris segregata, siue sit composita, partium vnione conficitur. Perficiuntur quoque, quia vnione quadam proprietatis & qualitatis siue redditur res quęlibet vbique perfecta. Conseruantur denique vnione quadam ad causam atque locum & simillima quæque.

DIONYSIVS.

HAc igitur ratione, Theologia totam ipsam deitatem omnis principem deitatis, tanquam omnium causam vnius appellatione ideo celebrat. Vnus itaque Deus & Pater, & vnus Dominus Iesus Christus, & vnus atque idem Spiritus, propter excellens totius diuinæ vnitatis indiuiduum. In qua quidem omnia vnice collecta sunt, excellenterque vnita, & superessentialiter ante comprehensa. quapropter & omnia ad ipsam iustè & vnicè admodum referuntur, atque rediguntur, à qua, & ex qua, & per quam, & in qua, & ad quam omnia sunt, & constituta sunt, & permanent atque continentur, & replentur, atque conuertuntur: nihil denique in rebus inuenies, quod non ipso vno, secundùm quod Deitas omnis superessentialiter nominatur, & sic hoc ipsum quod est, & perficiatur atque seruiatur.

Vnum ente superius, creat vnum in ente, atque ens vnitate definit & seruat.

MARSILIVS.

PRobauimus in commentar. in Parmenidem, ipsum simpliciter vnum, quod & omnium est principium, nec esse vnum aliquid, scilicet vnum viuens, vel vnum intellectuale, vel vnum intelligibile, vel vnum ens, alioquin determinatum iam foret, & multiplex, rursus nec habere aliquam sibi oppositam multitudinem, alioquin sub ordine quodam contineretur, neque faceret multitudinem, oppositum enim non facit oppositum, esse igitur super quodlibet vnum, ac super quamlibet multitudinem vni cuiusuis oppositam, item super oppositiones omnes, scilicet super finitum & infinitum, super partes atque totum, super statum atque motum, non quidem intrinsecus, sed extrinsecus omnia terminans, atque ipsum ens vnitate definiens. Probauimus etiam quod & hic tangitur, vnum esse in ente quodlibet & vniuerso atque primo aliamque vnitatis, aliam essentiæ rationem esse, ideoque vnum quod est in ente, esse cum quodam alieno permixtum, esse cum multitudine quadam & quodammodo particeps multitudinis, atque idcirco super hoc extare ipsum simpliciter vnum, omnis eiusmodi vnitatis vel vnionis, vel multitudinis authorem. Quod quidem tanquam ipsum bonum, est superessentiam vniuersam boni naturaliter auidam, nume-

rus autem iam essentiæ particeps, similiter vnum quod est in numero, simulcum ipso fit essentię compos.

DIONYSIVS.

OPeræpretium est, nos quoque à multis ad vnum diuinæ vnitatis virtute conuersos, totam vnamque deitatem vni è collaudare, ipsum videlicet vnum, omnium causam, quod quidem ante omne vnum, omnemque multitudinem, & partem atque totum, & terminum, & indeterminationem, & finem, atque infinitatem, extat. quod rursus omnia entia & ipsum esse definit. Quod item omnium atque totorum, & omnium simul, & ante omnia, & super omnia vnicè causa est. quod præterea super ipsum vnum ens existit. Ipsumque. vnum ens definit. Siquidem hoc ipsum ens vnum, quod est entibus, connumerabile est, vel numerale, numerus autem est essentiæ particeps. Ipsum verò superessentiale vnum, & hoc quod dicitur ens vnum, & numerum omnem terminat Ipsumque est & vnus, & numeri omnisque entis principium, & causa, & numerus, atque ordo.

De Vnitate & Trinitate diuina.

MARSILIVS.

QVando Deus vnitas vel Trinitas appellatur, omnem Mathematicam, vel naturalem, vel quomodolibet essentialem & intellectu quolibet excogitabilem vnitatem vel numerum procul expelle, vnum intellige simplicissimum trinum, intellige seruata prorsus vnitate naturæ, sei psum in se propagante, personis inter se sola originis relatione distinctis. Qua ratione videlicet existit spiritus ab vtroque. Quamobrem ipsa super omnia Deitas, quę quidem vt Vnitas, & vt Trinitas celebratur, nec Vnitas, nec Trinitas est à nobis vel ab vllo cognita, verum vt ipsum vnione superius vnum fœcunditatemque Deificam reuera laudemus, profecto Trinitatis vnitatisque appellatione diuina deitatem ipsam, quę est super omne nomen cognominamus, atque in ipsis entibus superessentialem celebrare solemus, nulla verò monas, nulla Trinitas, nullus numerus, nulla vnitas vel fœcunditas, vel aliud quicquam existentium, vel alicui existentium cognoscibile, arcanū illud aperit, quod super omnem rationem intellectumque existit, arcanum, inquam, super Deitatis ipsius omnia superessentialiter excedentis. Iam verò neque nomen est ipsius vllum, neque sermo, vel ratio, sed in ipso potius inaccessibili supereminet.

Bonum inter diuina nomina præ cæteris venerandum. Negationes circa Deum tutiores sunt, quàm affirmationes.

MARSILIVS.

CVm appetere aliquid nihil aliud sit quàm inclinari ad illud atque conuerti, non iniuria dum omnia bonum appetunt ipsum venerari videntur inclinata videlicet ad illud supliciterque conuersa. Quamobrem inter omnia Dei nomina, bonum dicunt esse maximè venerandum, præsertim quia bonum finis est omnium, finis autem omnes mouet causas, ipse interim prorsus immobilis, tanquam causa causarum. Prętεrea cum omnia & participia boni sint, & per appetitum naturalem conuertantur ad ipsum, constat Deum principium omnium hoc nomine præcipuè nominandum, bonum denique non solum in primis venerandum est, sed etiam præ cæteris admirandum, nempe quam potenter attrahit omnia, vt non appetere nequeant, tam suauiter allicit adeo videlicet libenter appetentia, vt non etiam velint posse nolle bonum. Hoc ipsum tamen quod mente conceptum pronuntiamus bonum, non tam proprium ipsius Dei nomen est quam diuini muneris cognomentum, malunt ergo Theologi in contemplatione diuina negationibus quàm affirmationibus vti, quod in Parmenide Plato noster in primis obseruat, siquidem mentes Deum ipsum concipere & affirmare non possunt. Negationes profecto quibus negamus Deum non esse aliquid eorum quæ ratione intelligentiaque describuntur, animum primo quidem à conceptibus suis aut rebus sibi propinquis similibusue seiungunt, quod in primis conandum Plato in Epistola ad Dionysium regem inbet, ac inde gradatim per contemplationes Angelicas prouehunt, quibus insuper de Deo negatis, non enim meditationibus vllis Angelicis definitur, ad gradum quendam excelsiorem eleuant, vbi Deus tandem menti ipsum ardenter amanti miro quodam splendore corruscat.

DIONYSIVS.

SEd neque bonitatis quidem ipsius nomen illi quasi congruum adhibemus. Verùm desiderio quodam intelligendi aliquid, & dicendi de ineffabili illa natura, nomen illud, scilicet bonum nominum omnium, maximè venerandum, præcipuè dedicamus. In quo quidem à Theologis minimè dissentimus, ab ipsa tamen rerum veritate deficimus. Quamobrem ipsi quoque ascensum illum, qui per negationes efficitur prætulerunt. Vtpote qui animam à rebus sibi cognatis auertat, ac per diuinas omnes perducat intelligentias, à quibus longè secretum est, quod super omne nomen & sermonem, cognitionemque existit. In extremo denique vniuersorum ipsi quantum & nobis illi coniungi fas est, coniungat.

(∴) (∴) (∴)

Summa Dionysij reuerentia erga diuina, singularis quoque modestia, charitas ardens, integerrima fides.

HAs itaque nos intelligibiles appellationes Dei colligentes pro viribus exposuimus, non solùm summa illorum dignitate inferiores, id enim verè Angeli quoque confiterentur, neque solùm Angelicis laudibus impares, siquidem & summi apud nos Theologi, ab extremis Angelis superantur. Neque solùm Theologis ipsis, aut ipsorum sectatoribus, vel auditoribus inferiores fuimus, verùm ipsisq; quoque ordinis nostri consortibus inæquales: quamobrem si rectè dicta sunt à nobis, proque nostro ordine, re vera sensum explicandorum attigimus nominum diuinorum, ipsi bonorum omnium authori tanta res accepta referatur, qui nobis primoquidem, vt diceremus, deinde, vt & bene diceremus, benignè concessit. Præterea, si quid eorum quæ tantundem valent, omisimus, illud quoque eisdem rationibus atque disciplinis supplere vos oportebit. At verò, si hæc, vel minus rectè, aut minus sufficienter se habent, & ab ipsa veritate, vel omnino, vel ex parte defecimus, erit profectò humanitatis tuæ corrigere, non sponte ignorantem, rationesque tradere discere cupienti, opemque ferre non satis per se valenti, & curare hominem, egrotare volentem, & alia quidem ex teipso inuenta, alia verò ab aliis percepta, cuncta denique ex ipso bono suscepta, in nos quoque transfundere. Nec te pigeat, obsecro, amicum afficere beneficio, cernis enim quemadmodum nos quoque nihil ex traditis nobis rationibus sacris intra nos ipsos continuerimus: sed illas nullo modo contaminatas, tam vobis, quàm cæteris sacris hominibus tradiderimus, trademus quoque quantum & nos dicere sufficiemus, & idonei fuerint auditores, nusquam traditiones maiorum contaminantes, nisi fortè ad intelligentiam, explicationemque ipsorum infirmiores erimus. Sed hæc tandem, vt Deo placet, ita prorsus se habeant, atque dicantur. Hic verò sit intelligibilium appellationum Dei, pro instituto modoque nostro finis, deinceps autem ad significatiuam Theologiam, Deo duce, me conferam.

FINIS.





MARSILII FICINI FLORENTINI

IN COMMENTARIA PLATONIS,

Ad Laurentium Medicem, virum magnanimum.

PROOEMIVM.



IVINA providentia, fortiter attingens omnia, suauiterq; disponens magnanime Laurenti, statuit religionem sanctam, non solum Prophetis & Sybillis, sacrisque Doctoribus, verumetiam via quadam, elegantique Philosophia singulariter exornare: ut ipsa pietas omnium origo bonorum, tam secura tandem inter omnes sapientiæ & eloquentiæ professores incederet, quàm tuta penes domesticos conquiescit. Oportebat enim religionem (quæ vnica est ad fœlicitatem via) non rudioribus tantùm hominibus, verumetiam peritioribus communem fore. Qua quidem duce omnes ad beatitudinem, cuius gratia nati sumus, & ad quem consequendam communi studio laboramus, facilius tutiusque peruenire possimus. Itaque Deus omnipotens, statutis temporibus diuinum Platonis animum ab alto demisit, vita, ingenio, eloquioque mirabili, religionem sacram apud omnes gentes illustraturum. Cùm verò ad hæc vsque sæcula sol Platonicus nondum palam Latinis gentibus orireiur, Cosmus Italiæ decus, & insignis pietate vir, Platonicam lucem, religioni admodum salutarem, à Græcis ad Latinos propagare contendens, me potissimum intra suos lares plurimum educatum, tanto operi destinauit. Ego autem etsi à tenera ætate nominis Platonici cultor, rem tamen adeò grauem, non meis quidèm, sed aui tui Cosmi prosperis auspiciis sum aggressus, sperans diuinam opem iam necessario, tamque pio officio non defuturam. Hac ergo in primis spe ductus Academiam sum ingressus, decemque ex ea Platonis nostri dialogos, Cosmo priusquam naturæ cōcederet, Latinos feci. Post eius obitum patri tuo Petro præstantissimo viro, Dialogos nouem legendos dedi. Postquam verò Petrus è vita decessit, fortuna præclaris sæpè operibus inuida, inuitum me à traductionis officio distrahebat. Verùm tu & religionis cultor, & Philosophiæ patronus, me ad incœptum omni fauore & auxilio reuocasti. Quamobrem ad institutum munus felicibus iterum auspiciis sum regressus, neque traduxi tantùm, verumetiam partim argumentis mentem perstrinxi Platonicam, partim quoad potui breuibus commentariis explicaui. Opus itaque totum diuino auxilio iam absolutum tibi libentissime dedico. Ad quem illa etiam quæ maioribus tuis inscripta sunt iure hæreditario pertinent, virum profectò auitæ paternæque vitæ in patria colenda virtutis hæredem. Leges autem inter Dialogos funebrem Platonis orationem pio fratri suo Iuliano dicatam. Præterea, vbi ad librum de Regno perueneris, videbis Fredericum Vrbinatem ducem, eo die à me honoratum, quo ipse tuas ædes honorifice salutauit. Non solùm verò septem atque triginta libri, qui solo tuo insigniti sunt titulo, sed cuncti denique tui sunt: quandoquidem omnes tui gratia sunt absoluti, atque ego sum tuus. Neque verò me Platonicum in his libris stylum omnino expressisse profiteor, neque rursus ab vllo, quamuis admodum doctiore vnquam exprimi posse confido. Stylum, inquam, non tam humano eloquio, quàm diuino oraculo similem, sæpe quidem tonantem altius, sæpe verò nectarea suauitate manantem, semper autem arcana cœlestia complectentem. Profectò quemadmodum mundus tribus præcipue dotibus est munitus, vtilitate, ordine, ornamento, atque ex his diuinum nobis testatur artificem, ita Platonicus stylus continens vniuersum, tribus potissimum abundat muneribus: Philosophica sententiarum vtilitate, oratorio dispositionis, eloquutionisque ordine, florum ornamento Poëticorum, & vbique tum diuinis vtitur testibus, tum etiam certissimum de architecto mundi Deo perhibet testimonium. Valeant igitur, magnanime Laurenti, valeant procul omnes, qui minutissimas erudiendæ pueritiæ à Platone rationes efflagitant. Erudiant alij rudiores, & eruditi denique fores Platonicas adeant, inde non tam puerilia rudimenta, quàm diuina mysteria tandem reportaturi. Dixi modo Laurenti tandem. Nam Plato noster antequam diuina fundat oracula, ne sacra prophanis communia fiant, audientium animos triplici paulatim ad summum calle perducit, purgatione, resolutione, conuersione. Quamobrem multa leguntur apud Platonem ad purgandos perturbationibus animos pertinentia: plura rursum ad soluendas mentes à sensibus. Plurima etiam ad conuertendas, tum in seipsas, tum in Deum omnium authorem, in quem veluti solem ritè conuersæ,

optatis inde veritatis radiis fœliciter illustrentur. Interea Plato noster, dum occultis sæpe modis humano generi necessario tractat officium, interdum iocari videtur & ludere. Verùm Platonici ludi atque ioci multo grauiores sunt quàm seria Stoicorum. Neque enim per humiliora quædam dedignatur alicubi peruagari, modo sensim auditores captans humiliores facilius ad excelsa perducat. Miscet frequenter grauissimo quodam consilio vtilia dulcibus, quo modestis sermonis blandi leporibus, animos natura proniores ad voluptatem, per ipsam voluptatis escam ad cibum allicıat salutarem. Fingit & sæpe fabulas more Poëtico, quippe cùm ipse Platonis stylus, non tam Philosophicus, quàm re vera Poëticus videatur. Furit enim interdum atque vagatur, vt Vates, & ordinem interea non humanum seruat, sed fatidicum & diuinum: neque tam docentis personam agit, quàm Sacerdotis cuiusdam atque Vatis, partim quidem furentis, partim verò cæteros expiantis, & in diuinum furorem similiter rapientis. Fabulis verò inter hæc ob id potissimum vti videtur: vt inter varios Academiæ flores oblectentur quidem omnes, sed expiati duntaxat poma decerpant, vescantur suauius, facilius concoquant, perfectius nutriantur. Agit autem dialogis omnia: vt sermo viuens, personas loquentes ante oculos ponat, persuadeat efficacius, & moueat vehementius. Accedit ad hæc, quod amicos (vt par est) opportune dialogis suis honestat, facilius multos posteritati commendans. Præterea opiniones eadem de re diuersæ commodius dialogo recensentur. Mitto quod dialogus mira quadam varietate delectat, & attentione audientes detinet & legentes. Verùm quidnam longius per minutiora quædam & humiliora digredimur? Sophia, magnanime Laurenti, quæ solo Iouis capite nata, ab initio cum eo erat cuncta componens patrem imitans, ipsa quoque filiam solo capite peperit, Philosophiam nomine, cuius deliciæ forent, esse cum filiis hominum. Hanc igitur in terra quondam per varias Gentes peregrinantem excellentiora passim admirabantur ingenia. Quorum in numero Plato noster non solum admiratus est illam: sed & primus & solus ad summum excoluit. Huic enim ille primus tanquam sacra sacerdotia cinxit tempora mitra: præterea peplum induit, quod Augustam filiam Mineruæ decet: caput etiam manusque & pedes suauiter redolentibus illiniuit vnguentis. Denique solum ipsum quacunque Philosophicum numen incederet, variis aspersit floribus, & ornauit. Talis erat, atque etiam est huius diuæ intra limites Academiæ deambulantis habitus, talis ornatus. Quoties verò extra hortos Academicos peruagatur, non solum vnguenta semper amittit & flores, sed etiam proh nefas! sæpe incidit in latrones, atque amissis sacerdotij & grauitatis insignibus nuda passim, & quasi prophana pererrat, adeoque deformis apparet, vt neque Phœbo vlterius Mercurioque suis familiaribus placeat: neque insuper vel auo suo Ioui, vel Mineruæ matri probetur. Cæterum statim materno consilio intra parietes & hortos Academiæ sese recipiens, antiquum resumit decus; & ibi velut in patria libentissime requiescit. Quamobrem iuuat vna tecum Platonicæ Laurenti omnes, tum discendi, tum bene viuendi cupidos, ad Academiam Platonicam cohortari. Hic enim iuuenes vel inter iocos, dum præcepta morum, vel inter ludendum industriam disserendi iucunde admodum & facile consequentur. Hic viri etiam rei tum familiaris, tum publicæ disciplinam abunde perdiscent. Hic senes pro mortali vita, vitam sperabunt æternam. In Academiæ hortis Poetæ sub lauris canentem Apollinem audient. In vestibulo Academiæ oratores spectabunt Mercurium declamantem: In porticu verò, & aula Iurisconsulti ciuitatumque gubernatores, Iouem ipsum auscultabunt, sancientem leges, iura dictantem, imperia gubernantem. In ipsis denique penetralibus, Philosophi Saturnum suum agnoscent, cœlestium arcanorum contemplatorem. Vbique verò sacerdotes rerumque sacrarum antistites arma reperient, quibus pietatem aduersus impios strenue protegant. Huc igitur, huc precor, omnes accedite, qui liberales colitis disciplinas, hic eas, & libertatem vitæ pariter adepturi, huc denique cuncti concurrite, quos assequendæ veritatis, & consequendæ beatitudinis perpetuus ardor inflammat, hic aspirante Deo, veritatem ad votum, & felicitatem consecuturi. Verùm iterum admonendi estis, ne temerè de rebus Platonicis, imó verò diuinis, feratis sententiam, sed longo & æquo examine iudicetis, neque liuidam in eos censuram exerceatis, qui procul ab omni liuore vobis vigilant & laborant. Imò verò fauete libenter autori pio, fauete etiam traductori, non solum translatione verborum, sed explicatione sententiarum communi omnium vtilitati pro viribus consulenti. Nolite precor antiquam salutaremque doctrinam, heu iamdiu nimis oppressam, nuper autem in lucem diuina prouidentia prodeuntem, insequi crudeliter & opprimere, ne fortè quam Deus omnipotens vult vbique viuam, mortalis homo frustra perditā velit. Dextera enim Domini fecit virtutem, dextera Domini iam exaltauit eam, non morietur, sed viuet, & narrabit opera Domini. Sed quonam optime Laurenti nos ingens in Platonem ac nesciens tenere modum, raptauit amor? Num in Platonis causa declamauimus, oratoriæ fœcundiæ principis? Satis enim superque ipse pro causa declamauerit, apud eos præsertim qui perturbationibus vacui, æquos se præstiterint auditores. Te verò in præsentia minime adhortabor, mirum in modum ad hæc omnia voluntate propensum, ingenio promptum, studio eruditum. Sed optabo duntaxat, vt & legas feliciter, & felicissime viuas, Marsilij tui memor. Dum verò Marsilium Ficinum nomino, Philippum quoque Valorem Academicum nostrum intellige pariter nominatum. Nam si Valor atque Marsilius in Platone defendendo, & in te amando idem sunt, proculdubio inter se quoque sunt idem. Valorem tibi Laurenti singularis sua virtus probat, Platonicus honor laudat, incredibilis in te amor valde commendat.



MARSILII FICINI FLORENTINI

IN OMNIA PLATONIS OPERA.

Epitome, seu Argumenta, Commentaria, Collectanea & Annotationes quotquot extant.

IN HIPPARCHVM PLATONIS, EPITOME.



ROPOSITVM Platonis in Hipparcho, est docere nos, omnes homines bonum appetere, cum & illi qui propter auaritiam aberrare videntur, bonum appetant. Illi siquidem lucri cupidi sunt. lucrum vtile est: vtile verò bonum, bonum itaque cupiunt. Etenim lucrum damno contrarium. Damnum verò cùm obsit, malum, malo igitur contrarium. Contrarium malo, bonum, lucrum ergo bonum. Quamobrem cùm illi etiam, qui ab appetitu boni declinare videntur, bonum cupiant, nihil iam repugnat quo minus omnes homines bonum appetāt. Bouum autem duplex. Vnum finis. Ad finem alterum. Illud propter seipsum, hoc propter aliud expetendum. Illius appetitio volūtas, huius electio. Illud venerandum, hoc vtile. Illo fruimur, hoc vtimur. Illius adeptio beatitudo, huius lucrum vocatur. Lucrum igitur est boni vtilis acquisitio, quod ad venerandi boni consequutionem conducere potest. Quod verò ad hoc non confert, nec ipsum vtile est, nec eius adeptio lucrum. Laudanda igitur lucri cupiditas, quæ omnibus naturæ inest. Vituperanda autem opinio falsa, quæ dum quod re vera vtile & lucrum est, ignorat, appetium naturæ ad aduersa retorquet. Hæc omnia Plato latenter docet, dum Socrates definitiones falsas, quas Hipparchus de lucri cupiditate refert, & inducendo & ratiocinando refellit. Vtitur autem Plato hac propositione; Omnes homines bonum appetunt, tanquam manifesta, ad concludendum quod omnes natura lucrum appetunt, quodque hæc appetitio naturalis laudanda est. Hæc autem est conclusio quam modo quodam directo Socrates tribus argumentandi modis infert, id est, exemplo, inductione, ratiocinatione. Sed modo quodam conuerso ex omni hac disputatione per argumentationem à minori colligimus propositionem illam maxime confirmatam, Omnes scilicet homines bonum appetunt, quæ huius libri finis vltimus est, cum primus finis sit ostendere, omnes lucri cupidos esse, neque id esse vituperandum.

De Philosophia, seu Amatore, Epitome.

SVmma huius dialogi est, quid sit, & quale officium Philosophi definire. Est autem Philosophi officium, diuina nosse, gubernare humana: in illo contemplatiua Philosophia, in hoc actiua comprehenditur. Philosophus itaque primo diuinam, id est, absolutam ipsius boni naturam per sapientiam contemplatur. Deinde ad id bonum velut ad finem humanas operationes dirigens humana gubernat. Hæc autem gubernatio duo requirit. Primum, vt quid humana natura sit, & quo pacto ducatur ad bonum, à malo remoueatur, cognoscat: quod quidem per prudentiam Philosophus agit. Alterum, vt sic instituat hominum & affectus & actus, sic temperet atque cohibeat, vt ad bonum quod sapientia ipsa inuenerat, & ad quod prudentia deinde direxerat, facile tendant. Id verò per morales virtutes efficitur, quas omnes vno iustitiæ

nomine Plato complectitur. Atque ex iis duobus humanorum gubernatio constat. Eiusdem autem est scire recte hominem vnum, familiam, ac rempublicam gubernare. Quamobrem qui moralis est, idem dominus, ciuilis, rex idoneus esset. Ex quibus concluditur in ipso philosophantis officio hæc omnia contineri, sapientiam, prudentiam, iustitiam moralem, domesticam, ciuilem, ac regiam disciplinam. Per sapientiam diuina cognoscit, per prudentiam iustitiamq; humana gubernat, dum rem suam, rem familiarem, rempublicam administrat. Eiusmodi est Philosophi ipsius officium quod Plato in libris de republica latius explicat, in hoc significat breuius. Ac primo duas aliorum opiniones circa Philosophi officium confutat. Prima videtur vel Solonis fuisse, vel similis alicuius, dicentis id esse quam plurima discere, secunda Hippiæ sophistæ volentis Philosophiam artium omnium peritiam esse. His denique confutatis, sententiam quam prædiximus, breuiter innuit. Socrates ergo fingitur hæc in scholis Dionysij, qui grammaticæ elementa Platoni tradidit, aduersus discipulos duos Dionysij disputasse, deinde quæ in scholis tractauerat, in corona familiarium suorum à principio recensere.

Theages vel de sapientia, Epitome.

Distinguitur in hoc Dialago Sapiētia, & vltimum distinctionis membrum sic inuestigandum assumitur, vt quo pacto acquiritur ab hominibus, pateat. Prima partitione Sapientia duplex dicitur. Vna absoluta, conditionis altera. Absoluta, quæ simpliciter absq; additione aliqua sapientia nominatur. Conditionalis, quæ non simpliciter sapientia, sed sapientia quædam dicta est. Illa sic definitur. Cognitio earum rerum de quibus haberi scientia potest. Habetur autem scientia de iis quæ semper eadem, & eodem modo sunt, huiusmodi sunt summa rerum principia, & æternæ rerum omnium rationes, hæc autem diuina dicuntur, quo fit vt sapientia sit diuinarum rerum scientia, quæ quidem absoluta sapientia est. Conditionalis verò omnibus artibus & facultatibus est communis Nam summitas cuiusque artis sapientia quædam vocatur, vt sapientia gubernatoria, sapientia aurigaria, sapientia militaris. Ex omnibus autem quæ cum additione sapientiæ nuncupantur, præcipua est, quæ cæteris vt ministris vtitur, cuiusmodi ciuilis sapientia est. Quæ quidem facultas commune ciuitatis & Genium bonum coniectans, definitur. Hæc tum ciuilis, tum regia disciplina vocatur. Cuius subiectum ciuitas est, finis, commune bonum, ministræ artes omnes. Officia duo, leges condere, & conditas exequi. Illud per prudentiam nomotheticam, hoc per iustitiam legalem & iudiciariam agit. Verum quo pacto quis ciuilem sapientiam nanciscatur, in plurimis eius disputationibus Plato dubitat, & in præsenti Theage, vtrum ciuiles homines, an sophistæ, an contemplatiui duntaxat Philosophi eam doceant. Quod à ciuilibus viris, aut sophistis, aut soli contemplationi deditis discatur, in Menone & hic quodammodo negat, quod illi ne filios quidem suos vnquam docuerint, quod isti rationem boni non habeant, quod hi rerum humanarum experti minimè sint. Restat igitur, vt hæc aut à Philosophis & contemplandi & agendi apprime peritis percipiatur, aut diuina sorte contingat. Illi nusquam reperiuntur. Vnde in Menone & in Theage diuino munere fieri asserit, vt in animos ciuium remperatos Dei prouidentia boni ipsius intelligentiam, & leges ad id ducentes infundat. Quam sanè notionem hic ciuilem sapientiam, in Menone propriori vocabulo vaticinium quoddam nominat, ciuilesque viros furentibus comparat. Sæpè etiam ait, nunquam à malis genus hominum cessaturum, nisi aut legitimi Philosophi dominentur, aut ij qui gubernant rempublicam diuina quandam sorte philosophentur. Hoc autem libro cum Socrates in sua membra sapientiam distinxisset, & hanc ciuilem sapientiam sub quadam ironiæ specie, nec à ciuilibus viris, nec à se vt à Philosopho contemplationi dedito Theagem adipisci posse dixisset, subiunxit tentandam esse vim dæmonis, & denique voluntatem Dei precibus exorandam, quasi illinc ista discantur, & Dei prouidentia per medios spiritus, sæpè hominibus agendorum oracula pandat. Eos autem ministros, qui Dei iussu bonorum ciuium & legitimorum principum mentes ad bene gubernandum illuminant, Dionysius Areopagita principatus nominat. Esset hic fortasse de dæmone Socratis disputandum, sed argumenti breuitas prohibet. Quinetiam Maximus Tyrius, & Hermias, & Apuleius de hoc abunde disseruerunt. Inducit autem hic tres Plato personas, Demodocum ciuem Atheniensem, vnà cum filio suo Theage sapientiam affectante, & Socratem. Incipit verò à Demodoci petitione dialogus.

In Menonem de Virtute, Epitome.

QVatuor esse argumentationum genera, quibus Plato vtitur, exemplum, inductionem, ratiocinationem, & enthymema, & quo pacto fiant, satis in Alcinoi compendio, quod & nos traduximus, declaratur. Vbi etiam tres Platonicorum dialogorum species inuenimus, & quibus argumentationibus in vnaquaque dialogi specie vti soleat. Aut enim solum inquirit, falsaue confutat dialogus, aut solum vera expônit ac docet, aut in vtroque versatur. Primus inquisitiuus & contentiosus. Expositiuus alter. Postremus mixtus est dictus. Meno autem licet mixtus sit, maiori tamen ex parte contendit & confutat, & omnes argumentationes attingit. Vt nisi qui ex aliis Platonis dialogis, qui ad expositionem magis quàm ad disceptationem pertinent, sensa colligat, & Menoni huic adiiciat, difficile summam disputationis huius elicere possit, est autem hæc, quid virtus sit, & quomodo nobis adsit, inquirere. Id Socrates efficit, dum quatuor Menonis, Aristippi, Gorgiæ, & Prodici de virtute definitiones confutat, & definitionem suam post illas inductam geminis obiectionibus retractat. Veritas quippe ex redargutione falsitatis elucet. Est autem hominis virtus affectio siue habitus animæ, quo potentia naturalis eius quàm optime suum opus exercet, quæ definitio in libris de Repub. traditur. Opus cuiusq; potentiæ tunc optime exercetur, cùm ad finē suum dirigitur. Quod ad finem confert, vtile dicitur. Merito igitur in hac disputatione commune virtutis officium id esse traditur, vt & actiones & ea quibus agendo vtimur, vtilia reddat. Illa itaque definitio huic dialogo consonat, cunctisque virtutibus est communis. Virtutum profecto species plures sunt, pro virium animæ & actuum diuersitate, in quibus vna tamen quæ dicta est communis virtutis ratio semper inspicitur. Prima vis animæ mens est, cuius actus est perpetua contemplatio veritatis. Secunda ratio, cuius actus veritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum quæ sensus eius nūcij porrigunt, perque illa discursus. Atque hæ sunt vires animæ, quæ cognitiuæ dicuntur. Restant tres aliæ, quas appetitiuas vocant, Voluntas, & irascendi vis, & concupiscendi. Voluntatis actus, appetere quæ mens & ratio porrigit. Irascibilis, aggredi quæ ratio & phantasia proponit. Concupiscibilis actus, adsciscere quæ phantasia sensusque obiciunt. Sex insuper istis duæ subiiciuntur, mouendi & nutriendi vigor, sed hæ cum superioribus, aut nihil, aut vix, & parum admodum in virtute communicant. Affectio mentis quæ contemplationem perficit, sapientia est, quæ rationis indaginem, scientia atque prudentia. Scientia quidem indagationem eorum quæ natura facit, prudentia consultationem in iis quæ nos agimus. Quæ phantasiæ discursum opinio recta, quam sagacitatem quidem vocant. Iustitia voluntatem & liberalitas. Irascibilem fortitudo eiusque pedissequæ. Concupiscibilem cōtinentia simul & temperantia. His omnibus id est commune, vt quælibet earum sit affectio actum potentiæ naturalis perficiens, dum decorum reddit & vtilem ad finem vltimum consequendum. Variæ verò virtutes diuerso modo habentur. Sapientia quidem natura, est enim æterna rationum omnium in mente complexio, perpetuusque veritatis intuitus. Scientia per doctrinam Philosophiæ quæ reminiscentiam præstat, acquiritur, dum ratio quæ pennas olim abiecit, ad mentem conuersa reminiscendo iterum alas recuperat. Prudentia doctrina simul & longo vsu rerum aduenit. Recta opinio exemplis, authoritate, inductione, sorte. Iustitia fortitudoque & temperantia, cæteræque morales virtutes prudentiæ rectæque opinionis legibus & exercitatione legitima perficiuntur. Vnde duo hæc moralium virtutum principia Plato posuit, prudentiam & rectam opinionem. Quamobrem prudentia sæpe numero totius moralis virtutis apud Platonem nomen vsurpat. Est & virtus quędam ad rectam opinionem attingens, qua legitimi principes ac ciues, in agendo honesti, contemplationis tamen expertes bonum publicum curant, quam ciuilem peritiam nominant. Eamque Plato facultatem, & in Theage, & in præsenti Menone, haud aliter quàm sorte diuina, dari ciuilibus hominibus disputat. Hac igitur summula quis mentem Platonis in Menone colliget, & huiusmodi præmissa distinctione contradictiones renuet, obiectionesque vitabit. Disputationem verò illam de reminiscentia geometricisque figuris in argumento tractare idcirco non placuit, quoniam non vt principalis, sed vt accessoria est inserta. Argumentum autem summam rei caputque requirit. Singula quippe discutere non argumenti, sed commentarij potius est officium.

In Alcibiadem primum, vel de natura hominis, Epitome.

CAndidissimus Platonis nostri liber, qui Alcibiades primus inscribitur, Alcibiade ipso venustior, & omni carior

auro, quid homo est, quid eius officium docet. Est autem homo, anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Ex hac definitione illius officium trahitur trifariam distributum. Vt enim rationalis anima est, in seipsam circulo quodam ratiocinationis sese animaduertendo reflectitur. Vt mentis particeps, in diuinam mentem velut riuulus in fontem suum refluit. Vt vtens corpore, humanis negotiis gubernandis incumbit. Perfectum igitur & absolutum hominis officium est, primo quidem vt naturam suam animaduertat, deinde ab illa tanquam ab imagine & affectu ad diuinam mentem exemplar eius & causam conuertatur. A qua hominis animus illustratus, ipsum bonum, ipsum vtile, ipsum pulchrum, ipsum iustum intelligit, suumque bonum, vtile, pulchrum, iustum perfectè comprehendit. Vnde quid bonum, quid vtile aliorum hominum quibuscum versatur, quibusue imperat, noscit. Cumque bonum absolutum, bonum sui, bonum aliorum cognouerit, ad seipsum iam & alium vnumquemque curandum secundum cogniti boni normam debet accedere Philosophiæ studio, moralis, Mathematicæ, Theologiæ opus est, vt ad seipsum & ad mentem sui causam redeat. Moralis quippe & Mathematica disciplina animum in corpus mersum in seipsum restituit, Theologia supra se rapit, & extra seipsum attollit in Deum. Mẽtis diuinę idearumque cognitio sapientia dicitur. Suiipsius notitia, & sui suorumque boni vtilisque inuentio ex diuinæ mentis intuitu manans, prudentia nuncupatur. Prudentia sanè vt bonum intelligit, humanas actiones, tam publicas, quàm priuatas ad finem optimum refert. Vt vtile, per commoda media propriasque vias, quibus ad finem perueniat, dirigit. Vt pulchrum, quis ordo, quis modus in hoc progressu quasi quodam itinere sit seruandus instituit. Vt iustum, quæ distinctio singulorum operum, quæ obseruantia impositi ordinis, quod supplicium transgredientis, quod præmium legem huius itineris obseruantis præscribit. A Philosophia igitur ad sapientiam, à sapientia ad prudentiam fit accessus, prudentia verò magistra vitæ disciplinam sui cuiusque rei familiaris, & Reipublicæ tribuit, homo per prudentiam gubernat, domus autem & ciuitas per amicitiam publicam, iustitiamque seruantur. Publicam amicitiam voco consensionem illã qua cuncti sub eadem lege & principe libenter conueniunt, & ad eundem finem respiciunt. Iustitiam publicam omnino legitimam distinctionem, qua singuli, licet sub eodem principe, & ad eundem finem, hoc est publicum bonum, diuerso tamen tramite proficiscuntur, variamque officiorum distributionem pro natura & dignitate vniuscuiusque à natura & legibus assignatam seruant, proprioque munere sine vsurpatione alieni funguntur. Insunt in hoc Dialogo Theologicæ dictiones duæ, ipsum idem, & ipsum vnumquodque. Circa hominem illa significat animam vt idem, hæc animam in corpore. Sed de iis latius in commentariis, quæ in decem hos Platonis Dialogos scribere iam institui.

Ad Alcibiadem Secundum, vel de Voto, Epitome.

QVoniam secundus Alcibiades liber, profectò sanctissimus de Voto inscribitur, summatim colligendum est, quid votum, quid in voto petendum, & quando & quomodo. Definitio voti partim ab Orpheo, partim à Platone sumpta hæc est Votum est ardens effectus casti animi, Deo deditus, & quod bonum videtur exoptans. Huic affectui Zoroaster & Orpheus suffumigationes & characteres adhibuerũt, quoties ad secunda numina preces dirigerentur. Mercurius ac Plato cùm supremi numinis maiestatem venerabantur, externas omnes cæremonias auferebant, solam ac puram fragrantiam animi relinquentes. Sed de his omnibus in nostris commentariis diligentius. In voto petendum Plato vult bonum, idque ex eo patet, quod petitionem hanc Poëtę Lacedæmoniorum testimonio comprobat, eamque tutam & prudentem, & imprudentem esse putat, votumque huiusmodi & à quolibet & semper fieri posse. Petitionem verò certi cuiusdam & proprij boni tunc demum esse securam, cum prudentiam quis fuerit consecutus, alias autem periculosam. Vbi multa de prudentia differit, quæ tu vir omnium prudentissime Cosme lege obsecro diligenter, vt quanti faciat prudentiam prorsus agnoscas. Vniuersalis ergo precatio, qua bonum solummodo petitur, semper fieri potest, propria verò qua certum aliquid quod bonum videtur optatur, tunc facienda cum quid poscendum est qui nouerit, tunc id noscet, cum quid bonum, quid malum est, intellexerit. Id intelliget, cum à mente didicerit. Discet, cum se ad illam conuerterit. Conuertet, cum purgauerit animam tenebrasque expulerit. Purgabit, cum seipsum legitimæ Philosophiæ dediderit. Tra-

det, cùm suam ignorantiam recognouerit. Nosce ergo teipsum templo Apollinis est inscriptum, ne quis temerè Deum oraturus accederet. Quo autem ordine in oratione propria sit orandum, Mercurius in orationibus suis, & in suis hymnis Orpheus, & Pythagoras in carminibus aureis docuerunt, quorum ritus alios exponemus. Plato deinde hos Theologos imitatus, in libro de Pulchritudine orantem sic Socratem introducit. O amice Pan, atque cætera numina, date, obsecro, vt intus pulcher efficiar, quæcunque & mihi extrinsecus adiacent, extrinsecus sint amica. Sapientem solum diuitem putem. Tantùm verò huius auri traditi, quantum nec ferre, nec ducere alius quamuis temperans possit. Quid petit Socrates? Bonum. Quod bonum? Sapientiam, hoc est veritatis diuinæ cognitionem, quam dare solus Deus potest, quam accipere solus animus pulcher, id est temperatus, purus, candidus valet. Quid poscit in primis? Vt dignum sapientia faciat, temerarij nẽpè hominis est, munus aliquod quo indignus est petere. Quis diuina sapientia dignus? Qui lumen eius ferre paratus est, quis paratus? Qui per continentiam primò, deinde per temperantiam, postremò per sanctimoniam, id est ciuilem, purgatoriam, purgatique virtutem animi, sic animum expiauerit, vt pulcher, hoc est purus omnino nitidusque euaserit, & virtutem iam, exemplarem, diuinam scilicet, sapientiam solam, vtpote thesaurum omnium diuitiarum optauerit. Idcirco Socrates Deum patrem omnium & ministros eius amice adspirare precatur, vt illorum benigno proprioque fauore purgatus euadat. Corporea verò & externa leuiter pertransit, eligens illa sic se habere, vt tranquillam puritatem animi non impediant. Deinde pulchritudine hac iam parta, optat vt sapientiam solam, hoc est Dei cognitionem esse opulentiam omnem sufficientiamque æstimet, solamque sitiat. Postremo quasi per ante dicta paratus fulgidum hoc aurum diuinæ sapientiæ postulat. Neque id superbè, neque remissè tamen. Minimam quippe veritatis cognitionem intemperati homines sortiuntur, summam & infinitam in seipso Deus amplectitur, magnam verò & amplam vir temperans adipiscitur. Tantum igitur huius auri postulauit, quantum solus ferre vir temperans valet. Hoc equidem esse aurum ignitum arbitror, quod emendum Ioan in Apoc. præcepit.

In Minoem, vel de Lege, Epitome.

Minos de lege requirit, vt quid lex communiter, quot eius species, vnde sit, paucis comprehendamus. Si quis Platonis verba in hoc libro de Lege, & in libris de Legibus, necnon de Repub. diligenter aduertat, sic legem vniuersali definitione describet. Lex est vera gubernandi ratio, quæ ad finem optimum per commoda media gubernata dirigit, transgredienti pœnam, obedienti præmium statuens. Quo fit vt institutiones principum cum veræ non sunt, nec ad optimum recto calle proficiscuntur, leges minime sint, sed decreta, edicta, instituta potius sint quàm leges, à lege uamque legitimum, à legitimo iustum, à iusto bonum, rectum, verumque opus sæpenumeto nominatur, propterea legem veram bonamque esse necesse est. Sequitur etiam vt lex æterna sit, ac penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de eisdem, si hoc modo vera sit: nam quæ temporibus locisque & opinionibus permutatur, non lex, sed institutio nuncupatur. Legis autem species, vt ex Timæo, Phædroque, & Gorgia colligitur, quatuor sunt. Prima diuina quam prouidentiam Plato vocat. Secunda cœlestis, quam fatum. Tertia mouens, quam naturam. Quarta humana, quam prudentiam naturalem. Prima in mente diuina, quam Saturni legem Orpheus & Plato esse volunt. Secunda in superiori animæ mundi parte quam Iouis. Tertia in mouente inferiorique illius potentia, quam primæ Venetis. Postrema in hominis mente, quam secundæ Veneris legem vocant. Prima à summo bono, quod supra mentem est, profluit. Secunda à mente & summo bono. Tertia à summo bono, mente, & vniuersali anima. Quarta à summo bono itidem, & mente & anima. Omnes verò ad ipsum bonum iterum reflectuntur. Prima in ideis, circa summum bonum, suprà rationes. Secunda in rationibus, circa ideas, supra semina. Tertia in seminibus, circa rationes, supra formas. Quarta in notionibus, circa rationes, super actus & artes, quam regiam legem appellant superni regis imitatricem. Vnde verò lex proficiscatur, ex iis quæ dicta sunt elicitur. Ab ipso quippe rerum principio omnes, sed vario modo, vt dictum est, manant. Quamobrem omnes illustres conditores legum inuentionem legũ in Deum, sed per diuersa nomina atque media retulerunt. Zoroaster Bactrianis Persisque leges tradens, in Horomasim. Trismegistus Ægyptiis, in Mercurium. Moyses Iudæis

rectissime in patrem totius naturæ Deum Minos Cretensibus, in Iouem. Charondas Carthaginensibus, in Saturnum Lycurgus Lacedæmoniis, in Apollinem. Draco & Solon Atheniensibus, in Mineruam. Pompilius Romanis, in Ægeriam. Mahometus Arabibus, in Gabrielem. Zamolxis Scythis, in Vestam. Plato noster Magnesiis & Siculis, in Iouem, & Apollinem. Arcadibus autem, & Thebanis, & Cyrenaicis leges postulantibus, denegauit.

In Eutyphronem, vel de sanctitate, Epitome.

EVtyphto totus in confutatione versatur. Quo factum est, vt nonnulli Platonicorum hunc librum, quemadmodum Euthydemum & Hippiam, litigiosum vocauerint. Sed re vera, dum falsas Eutyphronis de Sanctitate opiniones Socrates confutat, venantibus veritatem illius vestigia signat. In hoc igitur libro, atque etiam in Gorgia sanctitatem Plato nominat eam iustitiæ partem, quæ suum Deo tribuit. Suum tribuit Deo, qui illa quæ sine medio accepit à Deo, Deo reddit. Corpus quidem, vt Plato in libro de Natura disputat, ab elementis quatuor, naturalem speciei complexionem à cœlestibus sphæris, partes animæ quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus & animis syderum sphærarumque suscepimus, rationem verò ac mentem nostri parentis imaginem, ab ipso mundi totius opifice sine vllo cœlicolarum aut dæmonum ministerio. Hæc itaque Dei sunt, hæc Deo reddenda, atque hæc retributio sanctitas nuncupatur, quam præcedit pietas, religio sequitur. Est enim pietas Dei parentis agnitio. Sanctitas, eius quod Dei est, Deo agnito retributio. Religio, eius quod Deo redditum est, assidua meditatione iustisque operibus cum Deo ipso indissolubilis religatio, vt meritò sapiens ille dixerit, funiculum triplicem difficile solui, funiculum, inquam, ex pietate, sanctitate, religioneque connexum. Pietas sanctitatem excitat, sanctitas pietatem confirmat & sancit. Sanctitas quoque religionem mouet, Religio religat sanctitatem, prius enim hoc vel instinctu, vel inspiratione, vel admonitione opus est, quo Deum vnum nostrum esse parentem, fide indubia cogitemus, quam pietatem esse volunt. Cùm quis ista concepit, mox omnem mentis & rationis intentionem in Deum noscendum amandumque fingit. Atque hunc in cognoscenda amandaque diuinitate frequentem intuitum sanctitatem Mercurius quoque definit. Ex hac flagranti in Deum intentione, mentisque ardore fit, vt omnia Dei opera, instituta, mandata meditemur exerceamusque, & assiduo quicquid ad eius venerationem pertinet, relegamus. quamobrem nos ipsos relegendo religantes Deo, religiosi sumus. Hac autem definitione & distinctione præmissa, quæ de sanctitate in Eutyphrone, vel alibi à Platone dicuntur, perspicua fiunt. Cumque dicitur sanctum quod amatur à Deo, verum est, sed quia sanctum, amatur à Deo, non quia amatur est sanctum. Et quia amatur amatum est, non tamen quia amatum, amatur: quoniam non idem est omnino sanctum atque amatum. Neque enim sanctitatis ratio in ipso amatum esse, sed ipsa potius retributione ac deuotione consistit. Præterea cum dicitur, Sanctitatis cura ministra Dei, verum quoque dicitur. Sed ad quod opus Dei ministra? Ad conuersionem animæ. Opus enim Dei est, creare, conuertere, purgare, illuminare, perficere. Cum primum per pietatis instinctum inspirando conuertere Deus ad se incipit animum, illa ipsa assensio qua sese libenter in conuertentem Deum animus ipse restituit, sanctitas nuncupatur, quæ quidem ministra Dei est ad conuersionem perficiendam. Additur postremo; Sanctitas scientia vouendi, & sacrificandi Deo, hoc maxime ad religionem pertinet, quæ sanctitatem, vt diximus, comitatur. Vouendo petit, sacrificando dat. Quid petit à Deo? seipsum. Quid Deo dat? seipsum. Ideam si quæ in mente diuina est petit, quam Mercurius petiit à Pimandro. Dat autem naturam suam ideæ participem.

IN PARMENIDEM, VEL DE VNO RERVM OMNIVM PRINCIPIO, VEL DE IDEIS,

ARGVMENTVM.



VM Plato per omnes eius dialogos totius sapientiæ semina sparserit, in libris De Repub. cuncta moralis Philosophiæ instituta collegit. omnem naturalium rerum scientiam in Timæo. vniuersam in Parmenide complexus est Theologiam, cumque in aliis longo interuallo ceteros Philosophos antecesserit, in hoc tandem seipsum superasse videtur, & ex diuinæ mēti: adytis intimoq; Philosop. sacrario cœleste hoc opus diuinitus deprompsisse. Ad cuius sacram lectionem quisquis accedet, prius sobrietate animi mentisque libertate se præparet quàm attrectare mysteria cœlestis operis audeat. Hic enim diuus Plato de ipso vno subtilissime disputat, quemadmodum ipsum vnum rerum omnium principium est, super omnia, omniaque ab illo. Quo pacto ipsum extra omnia sit, & in omnibus, omniaque ex illo per illud, atque ad illud. Ad huius quod super essentiam est, vnius intelligentiam gradatim ascendit. Vnum quippe in triplici ordine reperitur. In iis quæ fluunt, atque sensibus subiiciuntur, & sensibilia nominantur. In iis etiam quæ semper eadem sunt, & intelligibilia nuncupantur, non sensibus amplius, sed sola mente percipienda. Nec in iis tantum, verum etiam supra sensum & sensibilia, intellectumque & intelligibilia ipsum vnum existit. Quamobrem hoc in dialogo Zeno Eleates primo Parmenidis Pythagorici discipulus vnum esse in sensibilibus probat, ostēdens quod si hæc multa essent, nullo modo vniꝰ naturæ participātia, errores plurimi sequerētur. Deinde Soc. Zenoni non repugnans quidem, sed eum altius eleuans, ad considerationem vnius & vnitatum quæ in rebus intelligibilibus insunt, perducit, ne in hoc vno quod sensibilibus inest, moretur. Ex hoc igitur ad Ideas inuestigandas perueniunt, in quibus rerum vnitates consistunt. Postremò Parmenides ipse senior haudquaquam Socrati contradicens, sed inchoatam contemplationem eius absoluens, integram idearum explicat rationem. Vbi quatuor de Ideis quæstiones inducit. Primò vtrum sint. Secundò quorum ideæ sint, & quorum minimè. Tertiò quales sint, quamue vim habeant. Quartò quomodo ab iis quæ infra se sunt, participantur. Hinc iam ad vnum quod super intelligibilia & ideas existit, ascendit ipse, nouemque de illo suppositiones adducit, quinque si vnum sit, quatuor, si non sit vnum, quærens quid vtrinque sequatur. Hæ verò suppositiones à triplici vnius, & duplici ipsius non esse partitione ducuntur. Vnum quippe triplex super esse, in esse, post esse repertum. Ipsum verò non esse geminæ considerationi subiicitur. Aut enim nullo modo esse, aut partim non esse quis cogitat. Prima itaque suppositio tractat, si vnum super esse existit, quid circa illud ad ipsum, & ad alia sequitur. Secunda, si vnum cum esse est, quomodo se habet ad seipsum, atque ad alia. Tertia, si vnum sub esse ponitur, quid illi ad seipsum, aliaque contingit. Quarta, si vnum super esse consistit, quomodo se habent alia & ad se, & ad vnum. Quinta, si est illud vnum quod cum esse locatur, quid altis ad se, & ad illud accidit. Sexta, si non est vnum ita vt partim sit, partim minimè sit, qua se ratione ad sese, & ad alia habeat. Septima, si non est vnum ita vt nullo modo sit, quo pacto se habeat ad seipsum atque ad alia. Octaua, si non est vnum ita vt partim sit, partim non sit, quid aliis ad se, & ad illud eueniat. Nona, si non est vnum, ita vt nullo modo sit, quid alia ad sese, & ad illud denique patiantur. In iis omnibus generatim intendit Parmenides potissimum hoc asserere, quod vnum omnium principium sit, eoque posito, ponantur omnia, sublato autem interimantur. Itaque inprimis quinque suppositionibus quinque rerum gradus posito vno in rerum ordine tradit. In quatuor verò sequentibus inquirit quot absurda, quot errores, quantaque mala ipso vno sublato sequantur. Prima ex quinque superioribus de vno, supremoque Deo disserit, quomodo procreat, disponitque Deorum sequentium ordines. Secunda de singulis Deorum ordinibus, quo pacto ab ipso Deo proficiscuntur. Tertia de diuinis animis. Quarta de iis, quæ circa materiam fiunt, quomodo à supernis causis producuntur. Quinta de materia prima, quemadmodum suapte natura specierum est expers, & à primo vno dependet. Illud insuper aduertendum est, quod in hoc dialogo cum dicitur vnum, Pythagoræorum more quæque substantia à materia penitus absoluta significari potest, vt Deus, mens, anima. Cum verò dicitur aliud & alia, tam materia, quàm illa quæ in materiam fiunt, intelligere licet. His ergo promissis, atque seruatis, ad ipsum dialogum veniamus.



MARSILII FICINI
IN COMMENTARIVM SVVM
IN PARMENIDEM.

Materia quidem Parmenidis plurimùm Theologica, forma non Dialectica,

PROOEMIVM.



Ythagoræ, Socratisque & Platonis mos erat, vbique diuina mysteria figuris, inuolucrisque obtegere, sapientiam suam contra Sophistarũ iactantiam modestè dissimulare, iocari serio, & studiosissimè ludere, itaque in Parmenide sub ludo quodam dialectico, & quasi Logico excrutaturo videlicet ingenium ad diuina dogmata, passim Theologica multa significat, præterea consuetudo fuit Pythagoreorum, Platonisque, plures inuicem materias partim more naturæ, partim ratione gratiæ, opportunè miscere, In Phœdro conflat cum Theologia oratoriam, & potissimum, in Timæo Physicis inserit Mathematica, differendi artem cum diuinis vel etiam cum moralibus sæpè coniungit. Diuisiuam quidem, & diffinitiuam in Philebo, & politico, atque Sophista, demonstratiuam in Parmenide similiter copulat cum diuinis. Ne fortè si sola Logica tradiderit rudimenta tanquam pædagogus quidam erudire pueros videatur, quemadmodum verò demonstratiua diuisiuam, & definitiuam antecellit tanquam finis, sic tam in materia quadam diuiniore traditam arbitrantur. Aristoteles quinetiam dialecticam summam, malo enim dialecticam dicere quam dialectricen, miscuit cum diuinis, Platonem, vt arbitror, imitatus, Theologiam in Repub. sub dialectico nomine designantem. Materia igitur Parmenidis huius potissimum Theologica est, forma verò præcipue Logica, qualem vtique dispositionem ordinemque libri Proclus, eiusque sectatores existimauerint, narrauimus in principio, qualem verò ipse putem, & quatenus sequar illos, paulatim in sequentibus declarabo.

Dispositio ad Dialogum in Parmenidem.

CAPVT I.

Cephalus & socij rogant Adimantum, & Glauconem Platonis fratres ex fratre simul atque matre, vt persuadeant Antiphoni eorum non ex patre fratri, sed ex matre Germano vt narret illis disputationem illam, quam acceperat à Pythodoro, qui quondam interfuerat quando Parmenides Zenoque Pythagorici & Socrates inuicem disputabant.

Quomodo omne ens vt vnum, ipsum verò vnum super ens.

CAPVT II.

Parmenides argumentis plurimis in poëmate confirmauit vniuersum, vel omne ens esse vnum, vniuersum verò siue omne tribus his modis accipitur, singulatim, congregatim, summatim. Primo itaque pacto ens quodlibet, & hoc seorsum, & istud & illud est aliquid in se vnum, ab aliis singulari quadam proprietate distinctum. Secundo verò, cuncta simul entium amplitudo ita vnum est, vt quoquomodo cuncta inuicem in essendo conueniat, ab eodem interim principio ducta, & ad eundem finem communem postremo redacta, inuicemque motu quodam, actionibus, passionibusque conspirantia. Tertio denique ipsum inter entia primum, & vnum est, & omne, vnum quidem quoniam sicut entia natu-

ralia ad naturam vnam, & corporea ad corpus vnum, ſic omnia ſimpliciter entia, ad ens randem vnicum referuntur. Omne rurſus, quoniam ſicut omnium naturarum corporumue virtus in prima natura, & primo corpore continentur, ſic in vno primo ente, entia omnia comprehenduntur, quem mundum intelligibilem nominamus. Neque verò Peripateticorum quorundam recipiendæ ſunt calumniæ, quibus ſuſpicemur Parmenidem, vbi dicit, omne ens vnum eſſe, omnem penitus, ex vniuerſo multitudinem auferre, alioquin Plato in Theætæto vbi de vno immobili ente fit mentio, Parmenidem non reueritus quidem eſſet, ſed potius inſecurus. Enimverò Plato vnà cum Pythagoricis multitudinem etiam in primo ente ponit, ſcilicet oppoſitorum generum, & idearum varietatem omnemque prorſus originem numerorum, ſed illud in terra vnicum numero vſque adeo vnum eſſe vult, vt poſt primum aliquid magis vnum cogitari non poſſit. Hactenus Parmenides, ter vnum nominans intelligit participatione vnum. Primo quidem, & ſecundo modo participio vnitatis eſt imperfecta, tertio verò perfecta, ſed præter vnitatem illam intelligibili mundo, perfectè participatam, eminentiſſimam excogitat vnitatem vniuerſo ente vno excellſiorem, alia enim ipſius entis, alia vnitatis ipſius ratio eſt. Entis ſiquidem rationi multitudo, & compoſitio non repugnat, vnitatis autem rationi repugnat. Illi præterea non ens, huic non vnum eſt oppoſitum: Dicere verò non ens, non eſt prorſus idem atque vnum dicere: Siquidem non vnum non neceſſario nihilum ſignificat, ſed diuerſam etiam multitudinem. Vnum igitur ens non eſt ipſum ſimpliciter vnum, ſed quoquomodo compoſitum multitudinique permixtum. Quemadmodum verò à calore vel lumine mixto frigori aut tenebris, ad calorem lumenque puriſſimum perueniendum ratio naturaque docet, & à ſubſtantia incorporea quidem, ſed coniuncta corpori, ad incorpoream ſubſtantiam à corpore ſeparatam, Item ab ente temporali quod quodammodo eſt non enti permixtum, ad ens æternum, ſic ab vnitate cum eſſentia iuncta ad vnitatem ab eſſentia penitus abſolutam: Quæ quidem qua ratione eſt ſimplicior quàm eſſentia, eadem eſt neceſſitate ſuperior. Hoc nomine rerum principium finemque omnium propter ſummam ſimplicitatem virtutemque vnitate ſignificatam Parmenides nuncupauit.

Omnis multitudo eſt particeps vnitatis.

CAPVT III.

POſitionem verò Parmenidis, qua omne ens eſſe vnum, id eſt, particeps vnius, aſſeritur, Zeno diſcipulus alia poſitione confirmat, qua probat ens non eſſe multa, id eſt, ſolum multa, ſed præter multitudinem eſſe participes vnitatis; Niſi enim in tanto diuerſorum entium numero, aliqua vnitatis participatio foret, eſſent inter ſe penitus diſsimilia, nec inuicem, vel ordine, vel alio quopiam conuenirent, quod patet vnicuique falſum, item qua ratione ita eſſent interſe diſsimillima, eadem quoque ſimilia forent, quod dictu ſtultum, ſiquidem in hoc ſimiliter inuicem haberent, quod ſic hoc diſcrepat prorſus ab illo, ita viciſſim & ab hoc illud penitus diſcreparet, par pari, vt dicitur, inuicem referentia. Quare enſ ergo nullum haberent vnum, diſsimillima forent, ſimilitudo enim in quadam vnione conſiſtit, eadem quoque ratione ſimilia, ſiquidem hoc ipſum commune ſaltem inter ſe haberent, quod fingebamus vnum videlicet non habere. Item neque ſimilia, neque diſsimilia forent. Non quidem ſimilia, ſi priuarentur vno omnis ſimilitudinis autore, non etiam diſsimilia, dum ſimiliter in hac ipſa priuatione congruerent. Hæc vtrique ſequentur abſurda cæteraque permulta, quæ alibi diximus, & dicemus, ſi quis multitudinem rerum finxerit vnitatis expertem, ſequentur itidem, ſi plura rerum principia prima, ſiue enim vnius eiuſdemque participia ſint, ſub illo vno tanquam principio, ipſa iam non principia locabuntur ſiue nullum, commune vnum habuerint iam, neque communiter principia erunt, neque inter ſe ſimilia, rurſus neque penitus diſsimilia, ſiquidem communem vnius abſentiam patiantur, denique eadem iterum ratione cùm diſsimilia, tum ſimilia probabuntur.

Ideas eſſe, & quales.

CAPVT IIII.

HAnc de multitudine vnionis participe diſputationem Zenonicam transfert Socrates ad ideas, ipſe videlicet idearum ſemper amicus cum Pythagoricis in præſentia diſputans, vt Plato in Sophiſta teſtatur amatoribus idearum. Rationes equidem confirmantes ideas in Theologia, & in Plotino ſum latius proſequutus. Socrates in præſentia ſe eiuſmodi nititur probatione. Specialis quælibet ſingularium multitudo in vna quadam proprietate, naturaque conuenit ſpeciali, vt homines in vna humanitate multi. Id verò commune vnum neque dependet à multis, qua ratione multa ſunt & varia, neque à quolibet multorum qua ratione proprium eſt quodlibet atque differens, neque per ſe & ex ſe exiſtit, quandoquidem nec in ſeipſo manet, ſed in multitudine iacet, neque purum perfectumque vnum eſt, ſiquidem eſt particeps multitudinis neque perfecta natura, quandoquidem alienis mixta conditionibus, atque mutabilis. Hæc igitur tanquam in his multis vna ab vna randem perfecta dependet his multis longe ſuperiore, ſcilicet ab idea hominis humana natura, ab idea ignis ignea quoque natura, humana profectò ſpecies quod ſempiterna ſit, non habet niſi à cauſa quadam immobili. Item quod vniuerſalis, non habet à particulari cauſa, ſed tantum vniuerſali. Cauſa verò immobilis ſimul vniuerſaliſque neceſſario eſt intellectus & intellectualis idea. Definitiones ſcientiaſque naturarum ad has ipſas ideas exiſtimat Socrates pertinere, ſi modo quod definitur, atque abſolutum ſit, neque poſſit aliter ſe habere, atque ita intrinſecus moueat intellectum quod reuera intelligibile eſt, quemadmodum quod de re vera ſenſibile extrinſecus mouet ſenſum. Ideæ rurſus multæ ſunt, quod ſaltem rerum ſpecies naturalium, & vna quæque vnitas appellatur, vnitas, inquam, non ſimpliciter imò quædam. Nempe idea hominis non vnum ipſum eſt abſolutum, ſed vnum aliquid id eſt, humanum, nec ad quaſlibet rerum multitudines, ſed ad multitudinem hominum habet imperium. Similiter ideæ reliquæ ad ſuas quælibet multitudines definitæ. Quamobrem ſuper ideales vnitates extat ipſum ſimpliciter vnum, per quaſlibet multitudines latiſſime regnans. Iam verò ideæ non ſolum ſub ipſo vno ſunt, vt diximus, primæ intelligentiæ parte, ſed etiam in vno quodam ſunt, id eſt, intellectu primo, primaque forma, ſicut enim for-

me naturales quamuis diuersissimæ in vna tamen materia sunt, & ideales in vna eademque mentis forma, quæ quoniam est omniformis à superiore dependet simplicissimo penitus, & vt ita dixerim, vniformi, Formæ quidem in materia, quoniam sunt in malo, partim quidem pugnant inuicem, partim etiam confunduntur. Ideæ verò quoniam sub ipso bono, statim sunt in optimo. Atque mutuo confunduntur, neque etiam aduersantur. Ignis illic cum aqua, natura humana cum lenta, neque confluit, nec vlla violentia dissidet. Sicut & in natura cœlesti tanquam & ipsæ diuinæ virtutes contrariarum apud nos qualitatum, imò & motiones oppositæ sine iniuria simul esse possunt. Appellat ergo Socrates ideas aliquas inter se contrarias, non quoniam inter se dissideant, sed quoniam apud nos contraria faciant, & ipse Deus per illas contraria videat atque agat. Si desideras quales illic ideæ sint planius intueri, cogita naturalium rerum rationes seminales in ipsa natura. Animaduerte rursus artificiorum formas in arte. Sed in natura quidem seminariæ rationes vim ad faciendum habent, non autem ad cognoscendum. Formæ verò in arte ipsa cognoscendi quidem, & iudicandi rationes sunt, seipsis verò nihil agunt nisi motrix præterea virtus accesserit, & instrumenta quædam coniuncta pariter, & seiuncta. Sed quoniam intellectus ille diuinus munera hæc apud nos separata mirabiliter in seipso coniungit, ideæ penes ipsum tum contemplandi, tum agendi principia sunt, atque rursus quoniam ille non argumentatione, non casu, sed natura sua, & hac quidem intellectuali perficit vniuersum, sibique reddit simile, necessario vires formasque omnium intellectuali, simul atque naturali ratione distinctas possidet in seipso. Ideas verò alias quidem communissimas arbitrantur, vt essentiam, identitatem, alteritatem, statum, motum. Alias specialissimas vt hominem atque equum, alias verò medias vt pulchrum, iustum, magnum, paruum, simile vel dissimile. Socrates ergo multa quidem in vna idea communicare, atque etiam ex participationibus idearum plurium cõmisceri. Ideam verò nullam cum idea confundi, & si penes vnius diuinæ mentis intelligentiam cunctæ consistunt. Alias quidem cum ideis suis communicant intellectus ipsi intellectualesque animæ atque rationales, aliter verò res corporeæ vitæque addictæ corporibus. Illa, namque sunt velut quędam progenies, vel propagines idearum, quamuis quodammodo inde degenerantes. Hæc autem sunt duntaxat imagines nullam idealem naturam in se habentes, sed illas speculari quadam similitudine referentes.

Quomodo ideæ inter se differant, & conueniant.

CAPVT V.

Atque verò putandum est, quas ideas excogitamus, nihilo & ipsa inter se differre, alioquin vnica erit idea. Et quod in ordine rerum est secundum simplicissimum erit, sicut primum, & distinctio in sequentibus casu quodam fortè continget. Neque rursus existimandum, ideas adeo inter se disertas, vt nulla illic aliquid babeat aliarum, alioquin mundus ille primus diuersior erit quam secundus primusque vnitatis diuinæ fœtus vnionem forte nullam in se habebit, nulla in sequentibus erit vnio. Nullus ordo, vnaquæque igitur idea naturam quandam atque vim habet propriam ab aliis re vera distinctam. Et accipit interim nonnihil à cæteris traditq; vicissim. Suntque coniunctæ inuicem, cum præsentia tum communione mirabili, & interim mirifice sua quadam proprietate disiunctæ. Coniunctæ, inquam, absque confusione, disiunctæ rursus absque disiunctione. Cum enim in mundo corporeo tria consideremus, materiam, dimensionesque, & corporeas qualitates, materiam quidem esse deprehendimus commutationis & confusionis originem. Dimensiones autem distantiæ causam, qualitates denique causam repugnantię. Quo fit vt corpora formæque corporeæ, cum propter dimensiones, & qualitates inter se distent atque dissideant, nec in vnum facile conciliari queant, tum etiam propter materiam, si quo forte congregatur impetu, commisceantur tandem, atque inuicem confundantur. Verum id ideales illæ formæ eiusmodi conditionibus nullis obnoxiæ, & simul semper sunt cunctæ penitus, in eodem prorsus indiuisibili, communionem maximam conseruãtes, & interim ita inter se proprietate distinctæ, vt nulla puritatẽ proprietatẽ suã ex aliarum cõmercio amittere vel remittere possit. Radiales visibilium species quoniam magis à materia distant, quàm voces, odoresque, & sapores atque tactiles qualitates, ferme similiter atque ideæ se habent. In eodem enim impartibili cunctæ sunt simulque semelque totæ, neque se inuicẽ vllo pacto confundunt, aliquanto minus id voces, potius minus odores, cætera verò minimè. Hinc iam profectus ad animam cognosces, & rationes seminales in vegetali natura & artificiosas rationes in arte atque in ipsa scientia rationes esse simillimas idearum seruantes videlicet vnà cum indiuidua quadam communione distinctionem quoque mirificam. Admonuimus autem supra, naturam, cum intellectu coniungere, naturamque intellectualem simul, & intelligentiam naturalem excogitare. In qua vnaquæque ratio, seu vis, seu forma, sicut est notio, & contemplatio quędam, ita, & quædam sit natura. Rursusque si est natura, pariter sit & notio, eiusmodi est idea quælibet, cognitionis pariter generationisque fundamentum. Illic est igitur ipse status, ipse motus, quibus status, omnes resque stabiles, item motus, omnes resque mobiles, & cognoscuntur, & fiunt, identitas illic similiter & alteritas, speciesque reliquæ. Status ipse nec est ipse motus, neque vnquam minus status euadit, neque qua ratione status est, vllo pacto mobilis iudicari potest, Participat tamen ipsum motum, omnes enim ideæ inuicem quoquomodo participant. Et quatenus participat ipsum motum scilicet idealem, in effectibus ipsius motus quoquomodo conspirat. Item identitas nec est alteritas, nec qua ratione identitas est, eadem est, & altera. Participatione tamen alteritates habet, vt altera sit ab aliis, de cæteris similiter iudicandum. Ideæ cum sint æternæ, & ad puritatis summum intellectuales, effectus procreant in eadem sub ipsis serie stabiles atque puros priusquam mobiles & impuros. Ita sub ideis elementorum elementa immaterialia sunt in cœlis ante materialia quæ sub cœlo. Leo & equus, & arbor quælibet cœlestis, deinceps elementalis, sub homine ideali, homo primo cœlestis subinde aëtius, & terrenus. Et sicut quilibet intellectus omnia intellectuali, & intelligibili ratione comprehendit, intellectus sane circuli quidam sunt

atque mundi, ita sphæra quæ libet omnia corporali quidem conditione, sed sua quadam proprietate complectitur.

Quorum sint ideæ, quorum non sint. Quot sunt rationales animæ, totidem earum sunt ideæ.

CAPVT VI.

ANimæ rationales, vt inquit Proclus, cū neq; per ipsam materiam, neque per materiales conditiones inter se distingui possint, sunt enim separabiles à materia, per formales specialesque distinguuntur proprietates. Quot ergo sunt animæ, tot species, totidemque animarum rationalium sunt ideæ. Irrationales autem cum à causis mobilibus, id est, à diis inferioribus simul, & animabus rationalibus dependeant, ideoque sint mutabiles per essentiam & circa corpora diuidantur, tanquam singulatim mortales, solam speciem sempiternam habent, quæ quidem species perpetuitatem sortita est ab immobili causa, id est idea. Idcirco, & vnius communiter speciei vna est idea. Quod insuper species naturarum corporumque sunt in mundo, totidem horum in conditore sunt ideæ.

Nulla est idea materiæ.

CAPVT VII.

MAteriæ verò, quæ omni penitus specie caret, nulla est idea. Siquidem idea species est, species autem non potest rei omni specie carentis exemplar esse, habet ergo informis materia causam quidem apud superos diuinā, exemplar verò non habet. Materia vero cœli propria si quam sibi speciem propriam inseparabilemque vendicat, quod est probabile, vt super imperfectam materiam sit perfecta, proprium habet exemplar, si Procli sententiam sequimur.

Singularium non sunt ideæ.

CAPVT VIII.

NOn sunt autem ideæ quædā propriè singularium corporum, qua ratione singularia sūt. Idea enim causa est prorsus immobilis, quod autem ab eiusmodi causa fit, est immutabile per essentiā, singula vero corpora non sunt talia. Item si singulorum mutabilium successionē innumerabilium iam actu sunt ideæ, duo sequuntur absurda, primum quod idea nunc quidē vitæ exemplar imagine videlicet existente, nunc vero non erit exemplar, imagine desinente, secundū quod in numerabiles ideæ forent, & multitudo illa intelligibilis vnitati proxima, quoniam infinita erit, & minime vna. Differentia verò est inter exemplar & causam. Nam exemplar quidem illud intelligibile, causa est, non tamen omnis causa est exemplar, singularia igitur, & si non sui proprium quoddam exemplar fiunt, efficiuntur tamen secundùm causam, imò causas, & has quidem proprias atque particulares, scilicet differentes mundi motus, naturas particulares, varietates temporum atque locorum.

Partium non sunt ideæ.

CAPVT IX.

TOtius signis quidem illic est idea, eius verò partium nulla, humani corporis totius est idea, non autem capitis, manus, pedis propriè sunt ideæ. Nam penes multitudinem illam intelligibilem vnitati quam proximam, vnam antecedit multitudinem impartibile partita totū, partes, & sub illorum ratione continentur & ista. Penes verò naturam vegetalem minus vnita, propriè iam rationes sunt singulorum membrorum seminales, oculi, digiti, pedis atque manus.

Quomodo accidentium sint ideæ.

CAPVT X.

QVæ accidentales apud nos qualitates alicubi nominantur, si omnes aliquibus speciebus generibusve substantiarum propriè sunt, atque ibi essentias necessariò complent atque perficiunt, nimirum omnes in ipsis sub earum ideis exemplariter comprehenduntur, si quæ verò fortè sunt nullis speciebus propriè, sed passim per singularia contingentes causas quidem remotas habent, hæ quoque apud ideas, exemplaria verò nequaquam, causas vero propinquas, non solùm in complexionibus corporum, sed in ipsis quoque naturis, in quibus talium insuper rationes quædam sunt seminales.

Artificiorum non sunt ideæ.

CAPVT XI.

ARtificiorum ideas Plato in decimo de Rep. videtur asserere. Non quia ideas lecti, & mensæ intellectus noster, artificiosam industriam diuinitus habet, & per hanc quasi ideas quasdam artificiorum in se machinatur. Totam verò illud exempli cuiusdam gratia apud Platonem Socrates illic adduxit. Ideales profectò rationes cuiuscunq; intellectui naturaliter insunt, siue diuino, siue nostro, non aliter quàm per mediam naturam viuentem, & inde formatam transeunt in materiam, in qua & viuentia generant. Artificiosa verò neque per mediam naturam ab intellectu procedunt atque viuunt. Nusquam igitur naturalem habent ideam. Hæc & superiora confirmat Xenocrates, Proclo teste, ideas ita definiens. Ideæ sunt causæ exemplares eorum quæ secundùm naturam semper consistunt, dixit exemplares quidem, quoniam finalis causa est superior, id est ipsum bonum, causa verò propriè efficiens quodammodo est inferior. Ipse scilicet, artifex intellectus exemplar ideale inspiciens quod insuper est, & efficax. Adiunxit, eorum quę secundùm naturam, quia eorum, quæ vel præter naturam, vel per artem fiunt, ideæ non extant. Addidit eorum quæ semper consistunt, quia singulorum mutabilium non sunt ideæ, hæc de Xenocratis definitione satis, pergamus ad reliqua.

Scientiarum speculatiuarum sunt ideæ.

CAPVT XII.

SCientiarum quæ animam ad materialia deducunt, humanaque curant nulla est idea. Sed harum facultas primoquidem est in dæmonibus, vt medicina in quodam Phœloo, agricultura in Cerere, æraria fabrica in Vulcano, textilis in Minerua, secundo illinc est in nobis, sed in illis alia ratione atque admodum excellentius. Scientiarum vero contemplatiuarum, quæ animam ad intelligibilia reuocant generales quædam quodammodo sunt ideæ, similiter moralium virtutum, non ciuilium, inquam, sed excellentiorum quæ purgantes animum ad intelligibilia ducunt.

Non sunt ideæ malorum.

CAPVT XIII.

Mala exemplar ideale nullum habent penes Deum. Alioquin aut illud foret malum, aut bonum. Non autem malum, quia in ipso optimo non est malum, item illud neque bonum est, faceret enim pro natura sua bonum, nullum verò malum: denique, si penes Deum sit idea mali, facit Deus mala. Idea enim vltra exemplar, causa insuper est efficiens. Imò Deus esset malus, si propriam mali haberet ideam, quælibet enim idea est ipse Deus. Iam verò vbi Plato dicit, architectum mundi velle sibi omnia quàm simillima facere, nullum verò malum, sed bona pro viribus omnia, planè declarat, nullum penes Deum malorum exemplar existere.

Sord um non sunt ideæ.

CAPVT XIIII.

Non sunt ideæ penes conditorem propriè, nisi eorum quæ ipse facit, & perficit. Non sunt igitur sordium, id est, degenerationum, & detrimentorum, atque malorum: quæ vel diuulsarum confluentiam causarum, vel nostris actionibus, & passionibus accidunt. Nec distincta idea pilorum, sed corporis semel totius, non partium particularumve seorsum. Cognoscit autem ille priuationes, informia mala, per ideas habituum, & formarum, atque bonorum. Non est idea luti, sed aquæ terræque idea, lutum verò non est adhuc species vlla ad aliquid naturaliter absoluta, qualis ad ideam attinere solet, contingit autem vel sorte, vel arte.

Etiam per ideas ipsas non exprimuntur ad prouidentiam pertinent, causamque diuinam.

CAPVT XV.

Socrates horum quæ modo dicta sunt infimorum defectum considerans, in suspiciones geminas incidit, primam quidem, ne præter ideas fierent. Secundam, ne fortè etiam præter omnem diuinam causam prouidentiamque contingerent. Primam quidem suspicionem non corrigit Parmenides, sed secundam, cognoscens, videlicet, nihil esse in mundo, sapientissimè, & pulcherrimè, optimeque disposito, tam deforme, tam abiectum, quod non ad pulchritudinem redigatur vniuersalem, & alicuius boni sit particeps, ipsas quinetiam particulas animalis ad finem certum institutas, totique necessarias informem quoque materiam diuino huic opificio necessariam nemo dubitat, omnia igitur eiusce modi, & à prouidentia procul dubio comprehenduntur, & saltem à prima causa, ipso videlicet bono, dependent, ad quod sane pertinet, vnitatem, bonitatem, essentiam, omnibus impartiri. Ad intellectum verò, per ideas omnia formis insuper exornare, quæ igitur deformia, & informia sunt, & si præter speciosissimum illud exemplar eueniunt, non tamen vel præter omnem mentis illius intuitum, vel præter actionem ipsius boni proficiscuntur. Articulorum quoque corporis animati seminariæ rationes quoquomodo diuinæ in viuente quadam natura consistunt, & quæ formas sortiuntur ab arte nostra, hæc ab intellectu diuino nanciscuntur essentiam, quemadmodum quæ ab illo formarum varietatem habent, antiquiorem habent ab ipso bono substantiam.

Parmenides responsiones Socratis corrigit, nec dirigit, nec disperdit.

CAPVT XVI.

Quemadmodum Socrates obstetricis filius, erga pueros adolescentesque passim obstetricis munere fungitur, idque præ cæteris profitetur, ita Parmenides iam senex Socratem adhuc adolescentem miris quibusdam acfermè diuinis opinionibus grauidum propemodumque parturientem, piè cuiusdam obstetricis more, prouocat adiuuatque ad partum. Nascentes præterea fœtus vel minus formosos non respuit quidem vel disperdit, imò suscipit fouetque mirificè. Teneriores confirmat, obliquos dirigit, conformat informes, perficit imperfectos. nemo itaque suspicetur Parmenidem Pythagoricū suorum more idearum amicum ipsiusque entis à sensibilibus separati atq; ipsius vnius ente superioris assertatorem, opiniones eiusmodi reprobare, sed meminerit vnusquisque Platonicus, Socratem, à Parmenide in dialecticis diligentius exerceri, vt in diuinis mysteriis sit admodum obseruantior, incedat cautius, tutiusque perueniat.

Quomodo res nostræ participant ideas, tanquam imagines idearum, neque his atque illis vlla ratio eadem, vel nam communis.

CAPVT XVII.

Et si modus quo materia fit particeps idearum cum modis apud nos consuetis conferri omnino non potest, tripliciter tamen hunc pro viribus comparare fas est, Tres enim Plato partim in Timæo, partim in Sophista significat, itaque tres merito Platonici prosequuntur, nempe contemplari licet cum mundani architecti virtutem, tum etiam formabilem materiæ facilitatem, simplicitatemque perpetuam, tum denique rerum naturalium si cum diuinis conferantur, (vt ita loquar) exilitatem atque vanitatem, si igitur participationem idearum in materia similem dixeris, vel signorum impressionibus ex sigillo, vel simulachris per aquam, & speculum apparentibus, vel picturis, & propriè quantum fas est comparaueris, & cum Plotino Platonicisque consenseris. Ideales vtique rationes, & in conditore sunt intellectu, & in ipsa mundi anima, & in vniuersali natura. Item per officia supercœlestium Deorum, & cœlestium, & supercœlestium perueniunt in materiam, si horum illorumue trium prima consideres, picturam quodammodo finges, si secunda idolum merito speculabere, si tertia, iure picturam, materiam quidem ipsam ex antiquissima causa, vnde & intellectum primum plerique deducunt. Itaque ab ipso bono tam mentem quàm materiam boni vnionisque auidam esse factam, & illam quidem efficacissimam, & promptissimam ad formandum, hanc autem facillimam procliuissimamque formaru. Hinc ergo formationem facilem admodum perpetuamq; prouenire. Quæ apud nos, hæc denominantur aut illa, non sunt verè perfecteque talia, mixta enim sunt, aut oppositis, aut conditionibus alienis, sic calida frigus habent, æqualia inæqualitatem, læuia, pondus, formosa, deforme nonnihil, homo brutum, ac semel per vnicam formam homo est, per partes autem plurimas articularim non est

homo, in motu, in tempore, est aliquid quod non est motus, quod non est tempus. Quid plura? ipse quinetiam ignis qui putatur mixtionis impatiens, apud nos aliquid crassum habet, & iners atque fuscum, in cœlestibus etiam motus, & oppositum motum tollera-; atque statum. Neque quicquid est in sole, est sol ipse totus, & compositio, dimensioque cœlestium, non per se prorsus indissolubilis, neque motus per se stabilis in æternum, plurima in hanc sententiam in Theologia iam diximus. Et Plato in Timæo, septimoque de Republica manifestè declarat substantias quidem veras ideas existere, res verò nostras, rerum verarum, id est idearum, imagines esse. Quamobrem nulla his communiter atque illis denominatio est vniuoca, sed hic, & ille, ita communiter homo dicitur, aut equus, quemadmodum apud nos Pictus Socrates, atque viuens. Proinde sicut hæc inde naturam habent, & hanc quidem imaginariam, ita denominationem sortiuntur inde. Prima enim nomina sunt apud superos, quibus mutuò sua cognominant; atque nostra. Secunda verò apud animos sapientum, qui per conceptus ideales, vel naturaliter sibi notos, constituentes nomina, res quidem diuinas, primò reuera, deinde ad illorum similitudiem nostras nominauerunt.

Idea non participatur corporeo more, ita ut vel tota vel pars eius aliqua capiatur.

CAPVT XVIII.

Aliter quidem corpus hoc participat illud, aliter autem corpus animam, aliter rursus anima mentem, aliter mens nostra vel vniuersa Deum. Parmenides igitur Socratem instructurus, vel potius prouocaturus ad contemplandum, verum illum participationis modum, quo ab inferioribus ideæ percipiuntur, modos paulatim non legitimos, & probat, maximè verò corpoream participandi conditionem, si corpus aliquod accipis, aut totum assumis, sicut escam, aut partem, quemadmodum elementum, si aquam bibes, aut totam, aut partem, probat igitur non eiusmodi conditione corporea ideas accipi posse, vt ita, vel tota quæuis idea, vel quædam duntaxat portio capiatur, vt Socrates admoneatur incorporeum quendam, imò diuinum perceptionis morem excogitare, aut enim virtutem ideæ, aut proprietatem consideramus. Nulla quidem rerum nostrarum totam capit ideæ virtutem, scilicet æternam illam efficaciam indiuiduam prorsus essentiam, vitam intelligentiamque perfectam, quæcunque in eadem specie sunt idealem proprietatem illi speciei concessam æquè capiunt: sic ergo non corporali quidem modo, sed alia ratione idea est tota in quolibet, & non tota. Item, cùm in seipsa considerata, potest per pœnitentiam tota simul multis inter se disiunctis adesse, quod sane neque corpori certum deinceps locum requirenti, neque virtuti corporali, quæ, certo cuidam subiecto est addita, competere potest. Socrates igitur tanquam ad idearum contemplationem naturalem aptus, verò quidem putat totam multis ideam quoquomodo simul adesse posse, atque admodum quendam præsentiæ in corpore annititur, sed non prorsus assequitur. Præterea ideam diurno lumini comparans, rectè vaticinatur, sed suspicans lumen ita per aërem extendi sicut calor, & sicut velum extensum super multorum capita, similiterque ideam multis adesse, redarguitur à Parmenide dicente: Sic ideam non totam cuique, sed per partes sui alias aliis rerum partibus affuturam, vt compellat adolescentem accuratius respondere.

Ipsa magnitudo, æqualitas, paruitas, ideales non participantur conditione quadam in partes diuisibili.

CAPVT XIX.

Diuisio, passio quædam est non qualitatis, vel virtutis propriè, sed quantitatis, postquam ergo diuisisti corpus vniforme, vides partes semper inæquales toti, nec inter se semper æquales, qualitate tamen & virtute consimiles. Ipsa magnitudo, æqualitas, paruitas, ideales ad quantitatem pertinere videntur, quantitatis enim notionem necessariò secum afferunt, neq; tamen sunt conditione corporea diuisibiles, itaq; multominus ideæ reliquæ sunt partibiles, si autem, si vis, ipsa magnitudo idealis, ita partibilis, participabilisq; per partes, sicut moles quædam, cuius partes sint toto minores atque paruæ, duo statim sequetur absurda. Primum quidem quod ipsa ratio magnitudinis ex oppositis, paruisque constabit, perinde ac si calor ipse igneus conficitur ex frigidis. Secundum, quod hæc multa quæ apud nos magna per participationem ipsius magnitudinis denominari solent, facta iam eiusmodi sectione magnitudinis illius in partes paruas, certè per paruitatem enim quandam quælibet potius quàm per magnitudinem magna ineptè nuncupabuntur, sed profectò idealis illa magnitudo non molem primo solumque decernit, sed excellentiam, & hanc quidem communissimam, qua & incorporea se inuicem virtutibus superat, eisdemque corporea prorsus excedant, qua rursus & hic inter se corporalia non virtutibus solùm, sed dimensionibus quoque superant. In idea quidem illa non partes multæ sunt, sed vires in cunctis viribus proprietas eadem, quæ quidem ipsa magnitudo vocatur, vires quidem sequentibus deinceps factis inde magnis, gradatimaliis distribuit alias, idealem vero proprietatem consimilem & eandem. Post magnitudinem idealem consideramus idealem æqualitatem, scilicet rationem quandam intellectualem, tam exemplarem, quàm conciliatricem, vniuersæ congruitatis, & proportionis harmonicæ, æqualitatisque cuiuslibet, quæ quidem ratio idealis secundum totam proprietatem suam, quamuis non secundum virtutes omnes in omnibus æqualibus inuenitur, si fingas ipsam quasi molem aliquam in duas diuidi partes inæquales toti, quando participatur à duobus æqualibus, absurdè confiteri cogeris æqualitatem ipsam, per inæqualitatem quandam, æqualia facere, quandoquidem in duo membra inæqualia toti diuiditur necessariò, vt cætera per ipsius participationem inter se reddantur æqualia. Post æqualitatem Parmenidis circa paruitatem exercet adolescentem, non tam quia existimet esse propriam paruitatis ideam, quæ fortè sub magnitudine clauditur, quàm vt passim ostendat non posse ideam vllam per diuisionem in partes suas more quodam molis alicuius participari.

Sunt autem qui putent paruitatis ideã significari quicquid est in vniuerso collectum, vel indiuiduum, vel vnificum, hæc illi viderint, nos argumentationem iam disponamus, sic ergo, si licet fingere, ipsa paruitas idealis, diuidaturque in partes duas, duobus quibusdam distribuendas, vt per eas duo, hæc parua reddantur, duo interim sequentur errata. Primum quidem, quod ipsa paruitas idealis euadet magna, dum ad partes proprias comparabitur ipsa tota minores. Nos verò nunc ipsam paruitatis rationem seorsum consideramus, cui nihil oppositæ magnitudinis sit admixtum. Secundum, quod illa quibus post ipsius sectionem sectarum partium fit aditio, aut maiora quam prius per additionem fient aut fortè minora, si maiora, quemadmodum probabile quoque videtur, frustra fingebas hæc per ipsam paruitatem parua futura. Sin minora, quod ipse quærebas, stultum erit dictu, aliqua per additamentum fore minora. Socrates paulatim per hæc instruitur, vt participationem idearum sublimiore quadam ratione quam corporea cogitet, cui quidem eruditioni ipse facile assentitur, vtpote ad hanc natura propensus.

Ideas non conuenire cum materialibus, neque natura, neque conditione.

CAPVT XX.

Cum enim ideas tres modo dictas cæterasque consideramus, quaslibet sui participantibus adesse eodem modo posse siue maiora sint siue minora, seu in oriente, siue in occidente, siue nunc siue alias, facilè possumus coniectare eas neque dimensionibus, neque locis, neque temporibus addictas esse, sed ab his omnibus absolutas. Et quoniam post temporales alterationes ideæ formas in generationibus speciales momento præparatis iam subiectis exhibent, plane constat illa procul ab omni diuisione, loco, motu, tempore, esse impartibiles, immobiles, æternas, vbique præsentes, ita præsentes, vt cuiuslibet ideę proprietas quædam ad vltimas perueniat mundi formas. Tales enim Platonici rerum series ab ideis huc vsque deducunt, nempe sub idea Solis, Lunæ, leonis sunt eiusmodi stellæ. Dæmones deinde tales, similes quoque animantes, eiusmodi metalla, lapilli. Iam verò cum in vltimis etiam idearum atque cœlestium proprietates reperiantur, multò magis mediis inesse necessarium est, vnde sane contingit vt per eiusmodi, membrorum mundanorum contextum, summa infimis, infima summis compatiantur atque consentiant, sed de his satis in libro de vita tertio diximus. Meminisse verò nunc oportet formas in materia non proximè ab ideis, sed per vires seminales naturę illinc infusas effici, formasque materiales cum eiusmodi seminibus non in natura quidem communicare, sunt enim incorporea semina, sed in conditione quadam particulari admodum atque mobili, cum ideis autem neque natura neque conditione communicare, sed relatione, & dependentia quadam, atque cognomento, quia videlicet certę rerum formæ à certis proficiscuntur ideis, quas & potissimum sequuntur & præcipuè repræsentant. Neque tamen propterea tertia, res quædam exquirenda est, in qua, res istæ cum ideis conuenire dicantur, sicut nec speculares imagines aut vmbræ animi corporibus suis in re tertia congruunt.

Non debemus ex qualibet multorum communione, vnam illorum ideam excogitare.

CAPVT XXI.

Quod Socrates per quasdam rerum multitudines in vno quodam certo conuenientes, scilicet ratione formali, speciali, naturali, perfecta, vna vniuscuiusque specialis multitudinis ideam excogitaret, Parmenides tanquam Pythagoricus idearum cultor non retractat, sed Socraticum impetum corrigit, ne fortè confiteatur, quamlibet præterea rerum communionem ad ideam propriam referri debere, etiam si in aduentitia quadam, vel relatiua duntaxat conditione vel defectu quouis vel figmento quodam, vel cognomento conuenire inuicem videantur, ita enim, & multorum preter naturalem rationem accidentium certe quædam in natura rationes forent, & ideæ iam infinite. Quod autem Parmenides argumentatur in multis, magnis, atque ipsa magnitudine, idem intellige de multis hominibus, & ipsa humanitatis idea, hæc enim singulæ cum idea in nomine quidem conueniunt, quoniam hæc propriæ sunt ex illa, & ipsam præcipuè referunt. In natura verò, & conditione nequaquam, non igitur hæc cum illa inuicem in tertia quadam specie congruunt per quam ad superiorem ideam, sit vlterius procedendum, iterumque ab illa simul atque istis ad aliam, & absque fine deinceps. Hactenus Socrates sic admonitus, non ex qualibet apparente communione ideas nouas effingere.

Oportet à speciebus, quæ fiunt ab anima, ad species ascendere, quæ naturaliter insunt animæ, Ab his insuper ad diuinas.

CAPVT XXII.

Socrates igitur ne forte substantiales species infinitas in ipsa rerum natura ponere cogeretur, tanquam adolescens neque satis adhuc eruditus, ad communem quandam de singulis conceptionem confugit à nostra intelligentia factam, quam appellat Noëma, nos commodiore vocabulo notionem: dicitur autem Noëma ab intellectu. Hæc est intelligẽtia qualibet propriè, quamuis more communi appellare etiam possimus intelligentiam, neque rursus intelligibile primum, sed quasi medium quodam inter vtrumque, conceptus quidã circa rem intellectam definitiuus, in quem intus intelligentia desinit, sed super conceptus huiusmodi quotidie nobis excogitatos, nostris mentibus insunt noëmata naturaliter infusa diuinitus, species videlicet quædam mediæ insuper inter intelligentiam atque intelligibile, quoniam intelligentia nostra per eiusmodi species quandoque ideas ipsas, quæ præcipua intelligibilia sunt, agnoscit, species his nobis ingenitas esse, multis in Theologia rationibus comprobamus, hic vnica, & hac quidem breuissima contenti erimus, quanto intellectus præstantior, & verior est quàm sensus, tanto intell. sensibilibus perfectiora sunt atq; veriora, Intelligibilia verò sunt ad quæ naturaliter conuertitur intellectus quoriens est expeditus. Hæ verò sunt communes quędam rerum absolutæque rationes. Si igitur sensibilia substantiæ quædam sunt in ordine rerum, multo magis eiusmodi rationes, sed hæ neq; esse nisi penes intellectũ quendã possunt, neq; primæ omnium sũt quàm à nobis nuper concipiuntur.

Mobiles enim ſunt, & intelligentia noſtra poſteriores, vera autem intelligibilia & immutabilia ſunt, & intelligentiam noſtram antecedunt. Primæ igitur eiuſmod. rationes ſunt in mente diuina, ſed in nobis quoque ante aduentitios, quos dixi conceptus, rationes ſunt naturaliter inſitæ, per quas & conceptiones eiuſmodi parimus, & hinc aſcendimus ad ideas. Ineſſe verò animæ penetralibus rationes eiuſmodi ipſi tunc maximè declaramus, quando res quaſdam abſolutè definituri, à ſingulis externis confugimus ad communia, & intima mentis penetralia petimus, vbi nobis occurrunt intelligibilia proxima, ideæ verò intelligibilia ſunt remota, proxima quidem hæc intelligibilia tanquam perfectiora à ſenſibilibus tanquam imperfectis collecta non ſunt, ſed à primis infuſa, per quę horum ipſorum virtutem dum particulare aliquid circunſpicimus, rationem ſpecialem, quæ in ſingulari non eſt vniuerſalis, vniuerſaliter cogitamus reſque corporeas ad incorporeas cauſas recta ratione reducimus. Denique quod Socrates ad notiones illius modi confugerit Parmenides reuera non reprobat, ſed quid in eis gradum ſiſtere videntur. Studet igitur eum per hanc notionum nouarum mentionem iam ſpeciebus naturaliter inſitis propinquantem, deinceps non ſolum ad has ipſas ſpecies reuocare, ſed etiam ad diuinas.

Primæ rerum ſpecies, quæ etiam ſunt principalia intellectus obiecta, intelligentias antecedunt.

CAPVT XXIII.

SIc ergo ſubintellige Parmenidem argumentari, quemadmodum verus ſenſus circa ſenſibile quiddam verſatur quid, & reuera exiſtit, & antecedit ſenſum, ac denique cum ſenſu iam ſentiente coniungitur, ſic intelligentia vera, quam nunc nominat notionem, ad intelligibile ſuum dirigitur, reuera exiſtens atque præcedens, & magis cum notione coniunctum quàm cum ſenſu ſenſibile. Intelligibilia verò ſunt ſpeciales ipſæ omnium rationes communes, immutabiles, abſolutæ. Noſtra igitur notio ſemper intelligit vnum aliquid ſecundum ſpeciem vnam vbique eſſentiam in ſe veram immutabilemque poſſidens, proprietatemque, & appellationem ſuam ſingulis ſub eadem ſpecie comprehenſis impartiens, id autem intelligibile neque eſt in ſingulis, alioquin iam diuiſum, & mutabile foret, neque eſt ipſemet notio noſtra noua, alioquin, & mutabile foret, atque figmentum, neque iam eſſet intelligentia vera, neque rurſus eſt præcipuè notio illa ſuperior menti noſtra naturaliter inſita, hæc enim rebus cognitis nihil tribuit, neque communis eſt vllis. Eſt igitur id quod modo dicebam intelligibile, ſpecies quędam in ipſo intellectu rerum omnium conditore, Cuius ſpeciei proles quędam eſt, & ratio ſeminalis, circa quamlibet ſpeciem oculis naturæ illinc infuſa, & quędam ſingulis ſub eadem ſpecie communiter tributa proprietas, & notio nobis infuſa diuinitus. Vbique verò intelligibilia intelligentias antecedunt, ſicut ſenſibilia ſenſum, niſi enim præcederent, conſequens profecto eſſet, vt intelligentię viciſſim antecedentes intelligibilia, eo ipſo priore momento vacuæ forent in obiectum videlicet nullum directæ, ſed mox ſibimet quod intelligerent, confinctuę. Quando igitur loquimur de ideis, non tanquam intelligentias ſcilicet actiones quaſdam ideas excogitare debemus, ſed tanquam obiecta & ſpecies vireſque naturales intellectus primi eſſentiam comitantes, circa quas intellectus illius verſetur, intelligentia, ſequens quidem illas quodammodo, ſed mirabiliter ipſis vnita. Hęc clam ſignificante Parmenide, ipſe neſcit quomodo Socrates aſſentitur.

Ideæ non tam intelligentiæ, quam intelligibilia ſunt. Atque hæc intelligentias antecedunt.

CAPVT XXIIII.

SEd quoniam Socrates antequam id manifeſtè conſentiat, videtur quodammodo ſuſpicari, ſpecies ipſas rerum primas forſitan eſſe intelligentias quaſdam, ſiue in noſtro intellectu, ſiue ſuperiore, Parmenides ita primum argumentatur, ſicut quæcunque vitam vel ſapientiam vera proprietate participant, viuunt, aut ſapiunt, itaque intelligentiarum participia ſunt, intelligunt, omnia verò naturalia ſpecies participant primas, neque tamen omnia hæc intelligunt. Non igitur primæ ſpecies formaliter intelligentiæ ſunt, ſed intelligibilia quædam, id eſt, eſſentiales formaleſque, & veræ rationes omnium exemplares atque virtutes omnium effectrices, In vno videlicet omnium conditore, in quo præter eiuſmodi plenitudinem ſpecierum, & vita, & intellectus exiſtit, & quamuis omnes ibi ſpecies mox viuæ, & intellectuales exiſtant, non omnia tamen ad ſpecies illas hic effecta, viuunt, aut intelligunt, cum non idem omnino ſit ibi ſpecies, & intellectus, & vita, ſed quæ præter ſpecialem formam illinc inſuper vitali, & intellectuali munere ſunt donata, ſed hęc alibi. Redeamus ad prima, intelligentia quidem formaliter actio quædam eſt, & quaſi motus, ſpecies autem eſſentia eſt, & virtus, & terminus. Non igitur idē intelligentia ſpecieſq; prima per intelligentiam vbique percepta. Plerumque enim ad multa intelligenda vna quædam communis intelligentia ſufficit. Species autem intelligibiles quibus illa formalem diſtinguunt, ibi ſunt hę pręſertim in ſuperioribus intellectibus. Quandoquidem & nos vno quodam intuitu formas ſæpe plurimas contuemur. Iam verò in intellectu primo intelligente ſeipſum quod intelligibile eſt melius, eſt quàm intelligentia vel intelligens intellectus, hic enim appetit, hæc autem eſt appetitus, illud verò eſt appetibile. Illud igitur melius eſt tanquam ſummo bono cognatum, quapropter vniuerſum hoc non tam ab intellectu vel intelligenti, quàm ab intelligibilibus, id eſt, ab eſſentia prima intelligibilium ſpecierum virtutumque plena, ſumpſit exordium, vbique igitur eſſentiæ ſpecieſque ſunt, non vbique intelligentia intellectuſque omnibus diſtribuitur.

Proprietas idealis vna quodammodo eſt in tota ſerie, virtus autem varia.

CAPVT XXV.

COnſideramus autem penes ideam quamlibet, tum idealem ipſam proprietatem, tum etiam plenam architecti virtutem. Proprietas quidem illa per identitatem in totam ſeriem ſibi ſuccedentem ſimiliter attribuitur. Plenitudo verò virtutis per diuerſitatem ſub diuerſis gradibus diſtribuitur. nam quemadmodum diximus alibi, virtutes penes lunarem ideam ibi vigentes omnes quidem in Lunam quodammodo deſcenderunt, In dęmones verò Lunares non ſimiliter

omnes, pauciores insuper & hæ quidem modo etiam remissiore, in homines in terra Lunares, pauciores, quin etiam debilioresque in bruta, plantas, metalla, & cætera deinceps propriè subiecta Lunę. Sic itaque virtus illa architecti, sapientia moderante, modis variis distribuitur. Lunaris verò sub idea proprietas, per quam, & illa idea à cæteris differt ideis, & naturæ Lunares dissentiunt à Solaribus, vel vna est in Lunaribus deinceps gradibus omnibus vel certe simillima, per quam sane cognationem vna quædam series appellatur, in qua quidem serie graduum diuersitas, variam virtutum distributionem sequitur, illa interim vnione seruata. Hinc Ægyptij Apim cognouere Lunarem, piscemque se linetem Lunam figura & motibus imitantes, lapillum quoque non solum virtute figura que Lunam, sed etiam augmento quodam, & decremento sequentem. Denique si Lunaris, idealisque illa proprietas etiam apparet in vltimis, multo magis in superioribus eminet.

Ideæ non sunt simplices notiones quædam, sed species naturales, vim exemplarem efficientemque habentes.

CAPVT XXVI.

Qvod Parmenides Socratem non quasi certator insequatur passim atque refellat, sed obstetricis more prouocet, adiuuet, foueat, dirigat, & emendat, hinc planè perspicitur, quoniam hic adolescens non deficit paulatim, sed gradatim proficit deinceps ad meliora perductus. Iam igitur à Parmenide tanquam pædagogo ductus, veram certamque de ideis sententiam proferens ait, eas tanquam exemplaria in natura consistere, cętera verò his similia fieri, nec esse aliud quàm imagines idearum, nec aliter illas participare, quàm quòd similia fiant. Non species nouas vel quomodolibet nostras hic ideas existimat, nec extra nos per varios intellectus, vel quomodolibet sparsas esse putat, vbi dicit ideas in natura consistere. In natura, inquam, vna vitali simul atque intellectuali, quam sanè naturam Iouem nominat in Philebo, dicens in natura Iouis regiam intelligentiam, animamque existere. Preterea dum hic naturam nominat, admonet, ne ideas existimemus notiones quasdam simpliciter esse, sed essentiales species, viresque naturales. Nam si in naturis vltimis animarum naturales formæ, viresque membrorum sunt, & in vltima mundanæ vitę natura, sunt vires omnium seminales effectiotiam vim habentes, multo magis in ipsa diuinæ mentis essentia, sunt rerum species efficientes, atque naturales. Quæ quidem non solum tanquam exempla quædam ad hæc effingenda extant architecto mundano, quod Socrates palam expressit, sed vim ad hæc etiam efficientem habent, conseruantemque, & vnificam. Quod minus expressisse videtur. Propterea Parmenides ad hæc planius explicanda Socratem adducturus, deinceps argumentis multis instabit, Socrates enim etsi virtutes huiusmodi clam significauisse videtur, vbi ait, ideas quidem in natura stare, scilicet tanquam æterna rerum principia, hæc autem fieri, scilicet ab ideis, & temporali conditione mutari, solam tamen virtutem, (vt ita dicam) assimilantem manifestè protulit, quæ sola nunc expressa occasiones Parmenidi deinceps dabit argumentandi. Tu vero interim, sicut alias te admonui, memento quæ apud nos discreta sunt in anima, illic esse coniuncta, vt intellectualis idea etiam efficacem virtutem habeat, quemadmodum seminariæ vires in genitali natura, non solum exemplarem, sicut artificiosæ species in artifice vel quolibet intellectu, quamuis exemplare quidem munus vsque ad rerum species, effectoria vero vis vsque ad singula protendatur. Denique Socrates vbi ait inferiora hæc ad ideas non aliam conditionem habere quàm vt imagines, satis respondisse videtur interroganti, quomodo participenrur ideæ, scilicet quod neque tota quęlibet idea, neque pars eius corporea conditione suscipitur, neque ipsa ideę natura ad hæc nostra transfertur, neque hæc igitur in re vlla conueniunt cum ideis, sed solum illas referunt, quemadmodum specularis imago vultum.

Naturales formæ dicuntur quidem ideis similes, Ideæ verò harum similes appellari non debent.

CAPVT XXVII.

Parmenides extare quidem in natura primas rerum species non retractat, sed modum similitudinis horum ad illas diligenter inquirit. Tentatus itaque Socrates à Parmenide, mutuam inter hæc similitudinem temere nimium acceptauit, hanc mutuam similitudinis sortem ille redarguit, solet enim mutuum id consortium inter duo consimilia esse, quæ in eadem qualitate communicant, ab eodem videlicet authore percepta. Inde fit inter illa conuersio, sicut hoc illi, ita aliud huic est simile; si igitur inferiora hæc eiusmodi coniugio, & conuersione reciproca idealibus speciebus similia forent, atque his vicissim illæ, proculdubio sequererur, hæc vna cum ideis tertia sursum specie quadam participare, atque infinitum stultè procederetur. Oportuit igitur Socratem respondere, similitudinis modum esse duplicem, Nam hoc est illi simile, aut quoniam ambo sunt ab eodem, aut quia hoc fit ab illo. Ibi quidem fit conuersio, hic autem minime. Nam hic alterum quidem est exemplar, alterum verò similitudo: sicut ergo quod est exemplari simile non habet exemplarem ad illud virtutem, aut appellationem, ita quod est exemplar, non habet ad similitudinem, hanc suam similitudinis rursus conditionem, hac itaque ratione inferiora hæc ideis quidem similia sunt, quoniam inde dependent. Ideæ verò ad hæc quoniam in nulla qualitate conueniunt, non similia sunt, sed exemplaria tantum atque principia. Modus ergo participationis ideatum, non fit per eam similitudinem, qua hæc cum illis in communi quadam qualitate conueniant, sed quoniam hæc formantur ab illis, atque illas ideo repræsentant.

Contra Stoicos, atque Peripateticos, quod ideæ, diuinaque omnia. & natura segregata sunt, & virtutem habent cunctis communicabilem.

CAPVT XXVIII.

Qvoniam Socrates faciliorem idearum consequutionem existimabat, atque ex sola rerum multarum communione, definitioneque illas asseuerabat. Parmenides admonet adolescentem ab hoc ipsū deinceps accuratius incessurum, vt cogitet in primis difficillimè comprehendi posse, quid sint ideæ, vbi primo sint, quomodo & ad se, & ad nostra se habeant, per quos gradus, & quales earum vires ad nostra procedant, neque

temerè ex communione rerũ qualibet affirmandas. Oportet sanè reuera duas ideam apud Platonem proprietates habere, primam quidem substantiam eminentem, videlicet neque commixtionem, communionemue naturę, neque inclinationem vllam ad naturales formas habentem, secundam verò virtutem actionemque per vniuersum communicabilem, suaque passim munera, propria etiam, præsentia diffundentem. Primam igitur appellamus eminentiam, secundam verò communicabilitatem, difficillimum autem nobis est in diuinis vtrunque seruare. Nam Stoici quidem diuinitatem eminentia sinceritateque priuauerunt, prouidere enim illam, & agere putauerunt per mundum vsquequaque diffusam, & instar spiritus ignei discurrentem. Quidam verò Peripaterici opinari videntur, substantias diuinas nec efficere, sensibilia neque curare, sed omnino segregatas existere. Cœlestia verò appetitum nescio quem ad illa moueri, moueri facere, vtrumque errorem in Theologia nostra refellimus. Contra Stoicos quidem multipliciter argumentamur, quod tantum cum materia, motuque commercium habet, esse non posse primum. Contra verò Peripateticos illos abunde probamus, & substantias separatas, præcipuè primam agere, intelligere, curare sequentia, & animas sphærasque cœlestes non alia ratione appetere, amare, imitari Deum, nisi quoniam inde perficiantur, quoniam videlicet efficiuntur, & inde. Præterea nihil agere, sterileque esse ad vltimum vniuersi pertinet, non ad primum. Media verò prouidenter agunt, & quę superiora meliora magis. Prima igitur, & optima maximè, primum denique ipsumque bonum quàm maximè facit & prouidet. Omnino verò dictu ridiculum est, cœlum tam operoso negotio imitari Deum penitus ociosum. Iam verò si operari bonum est quomodo deest operatio primæ? Si non bonum, quonammodo sequentia operando optimum imitantur? Parmenides igitur Socratẽ admonet, vt circa diuinas ideas obseruet vtrumque & eminentiam naturæ, & virtutes communionem. Quod enim communicabilitas idearum sit eminens, & absque habitudine propria, & communione naturæ, in superioribus satis significauit, vbi alioquin quid absurdi sequeretur ostendit. Quòd autem eminentia illa non debeat omni communicabilitate, & qualibet habitudine, vel proportione carere, ostendit deinceps, per absurda quædam ad quæ hinc argumentando deducit. Primum quidem absurdum est, quod ita nullo modo à nobis cognoscerentur. Secundum, quòd nec ipsæ nostra cognoscerent, vel curarent, vtrobique cautum reddit adolescentem, vt in ideis nec eminentiam sine vlla communione, nec communionem seorsum ab eminentia cogitet.

Quomodo ideæ à nobis cognosci non possint, Item quomodo possint.

CAPVT XXIX.

SI quis tecum disputet de ideis, & vterque vestrum solam idearum sinceram consideret excellentiam, humana proportione superiorem, ex hac facilè poterit, qui tecum disputat, demonstrare ideas à nobis cognosci non posse. Neque tu dubitans contra illum facile poteris redarguere, vel emendare, nisi & natura aptus sis ad diuina, & in dialecticis, naturalibusque, & Mathematicis eruditus, & ad hoc ipsum certamen ardens atque perseuerans, Nempe si ita vt fingo fueris institutus, denique respondebis ei, vim hominis cognitiuam actu quidem primo directoque ad humana & naturalia similiaque referri. Itaque hęc à nobis per proprium scientię modum comprehendi posse, id est, per conclusionem ex causis ad effectum rite collectam, diuina verò, neque primo rectoque intuitu, neque scientiæ more comprehendi, sed vel actu quodam reflexo, per hæc velut imagines, & effectus coniectari diuina, ideasque, tanquam horum causas, & exemplar, vel saltem ideas appræhendi posse, non per consuetam ratiocinationem scientię causam, sed insolito more per simplicem quandam intelligentiam perfectè purgatam, rite exercitatam, diuinitus illustratam. Forte verò intellectuales quidem species intellectibus nostris superioribusque naturaliter insitæ, per industriam nostram certo sciri possunt. Intelligibilis autem species, & ideæ primo intellectui naturales, nostra quauis sagacitate, certaque ratione apprehendi non possunt, neque rem hanc aliter se habere, illi qui tecum disputet persuadere valebis. Nunquam enim conuinces ideas speciesue primas directa quadam à nobis, vel propria virtute comprehendi, neque rursus poteris obtinere ipsam Dei scientiam quam Deus intus contuetur ideas, sic ad nostra referri, vt intuitu quodam rectio hæc velut obiecta prima contineatur. Intelligit enim hæc consequenter actu quodam reuera reflexo per ideas ipsas quasi effectus, & imagines idearum. Proinde vbi Parmenides ait, si sunt primæ species in seipsis, sequi vt non sint in nobis, concedere debuit Socrates non ipsas quidem inesse nobis velut qualitates aliquas in subiectis, sed imagines illarum quasdam, & perspicuas illinc mentibus nostris infundi & vmbratiles in materiis resultare. Non enim steriles sunt, sed fœcundę species illæ primę, ac longè fœcundiores quam naturales qualitates, & formæ cœlestes, si ita est, & nos certa possumus coniectare vestigia ad ideas inuestigandas, & intellectus ille primus idearum fœcundissima plenitudo per ipsas velut sequentium causas hæc omnia cognoscit prouideque dispensat. Tu verò inter hæc vbi primas species esse dicimus in seipsis, intellige non esse in primo intellectu, velut partes in toto, vel qualitates aliquas in subiecto, sed quemadmodum in vnitate numeri in centro capita linearum, In Sole lucem radios, vel colores, in geometria secundum actum perfectum necessariæ propositiones eius, seminariæ vires in genitali natura, si modo vnà cum efficacia genitali intelligentiam coniunxerint naturalem.

Quomodo ideæ non referuntur, vel referantur ad nostra, & hæc ad illas, Ac de dominatione illic, & seruitute, & relationibus idearum.

CAPVT XXX.

SI hic quidem res nostras vt aliquid in se sunt, inde verò ideas vt prorsus in seipsis existunt consideremus, neque hæc ad illa, neque illa referuntur ad ista, verum si rem hanc contemplemur vt factam, & imaginem quandam, ideam verò vt efficientem, atque exemplar, hac vtique conditione mutuo referuntur. Item vbi idealem ipsam dominationem excogitamus, non debemus illam, ad hanc seruitutem nostram coniugata relatione referre, quemadmodum inter nos solemus dicere, humanus dominus, hmnani est serui dominus, sed idealem illam dominationem, ad idea-

lem se tuitutem, quasi consortem conferre debemus, deinde ad dominationem nostram velut exemplar & causam ad imaginem vel effectum. Quòd si nostræ dominationis, consequenter, & nostræ seruitutis est author, tametsi seruitutem nostram ad idealem seruitutem propriè vt ad causam referimus, exemplar. Proinde relationes in ipsis ideis non aduenritias quidem collocare debemus, sic vt ego te circum euntem mihi modo dextrum dico, modo verò sinistrum, imò relationes aliquas naturales, sicut meam dextram, ad sinistram meam comparo tanquam efficaciorem ad minus efficacem labore vel motu. Item quemadmodum generantem, ad genitum comparamus, naturali virtute facientem, naturali processu nascentem. Præterea sicut intelligentiam ad intelligibile, & propriam quandam ad intelligibile, proprium naturali quadam habitudine, & proportione referimus, similem quodammodo relationem ideæ ad se inuicem habere videtur, hoc tamen excepto, quod non quemadmodum apud nos diuersæ eorum quæ referuntur substantiæ sunt, sed eadem, vna enim illic est genitoris ideæ, & prolisque ipsius essentia. Eadem intelligentis intelligibilisque substantia, etsi omnes valdè coniunctæ sunt, maximè tamen quæ sunt mutua relatione consortes. Idea quidem caloris necessario seorsum ab idea frigoris calores efficit, neque interim necessario generat eos cum humoris idea. Idea verò dextri quoties facit dextra agit, hæc simul cum idea sinistra, interim faciente sinistra. Est autem dominatio idealis ipsa vera dominandi ratio, per quam vbique naturaliter quod superius est, & melius præest inferioribus prouidetque minus bonis, horum opera vtitur ad suum opus, hæc conformat ad suum bonum, Idealis verò seruitus vera subministrandi ratio per quam quod minus bonum est naturaliter meliori ministrat, similiter superiores ideæ, ideis quodammodo inferioribus præsunt. Dij dæmonibus natura vltroque obtemperantibus imperant, Dæmones hominibus, sapientiores viri minus sapientibus naturaliter dominantur. Denique Socrates Parmenidi respondere debuit, idealem dominationem atque seruitutem non ad nos referri sed inuicem, prima dico coniugataque relatione, verùm tamen consequenti quodam relationis modo ad nos quoque referri, quatenus omnis dominatio atque seruitus tanquam effectus aliquis, & imago dependet ex prima naturaliter dominandi seruiendique ratione, per quam illa ad nostrá, consequenter & nostra referuntur ad illa.

Quomodo ipsa simpliciter scientia ad ipsam simpliciter veritatem refertur, scientia humana ad humanam. Quomodo ideæ ignotæ vel notæ.

CAPVT XXXI.

IN intellectu primo est idealis ipsa simpliciter scientia, nihil aliud quam intelligentia certaque sui ipsius omniumque comprehensio, est item idealis ipsa veritas, id est, prima omnisque essentia naturaque ipsius boni lumine fulgens, quo quidem lumine, & intelligentia spectat & cernit intelligibile suum, & hoc intelligibile quod appellauimus veritatem, seipsum offert, & infert ipsi intelligentiæ penitus comprehendendum. Hinc multæ quoque scientiæ in sequentibus intellectibus similes sunt, veritatesque consimiles, & ad sua intelligibilia intelligentiæ qualibet referuntur scilicet diuinæ ad diuina, & humanæ ad humana similiaque, Intuitu videlicet primo atque directo, nam vt in superioribus diximus, per consequentiam, reflexionemque & dij nostra sciunt, & nos diuina percipimus, nos præsertim amatoria purgatione, & illustratione quadam, quemadmodum Plato describit in Phædro, animos scilicet purgatos & furore correptos ad sublimia Deorum spectacula prouehens. Quomodo autem per inferiorum rerum formas speciesue nobis innatas, agnoscamus ideas quasi per imagines & exemplaria, est alibi dictum, Nemo verò more quorundam dicat, Deum nostra per suam scientiam non attingere, nam cum omnium causas in se perfectissimè complectantur, seipsum exactissimà comprehendens, similiter complectitur omnia, Præsertim quia si scientia prima scientiarum omnium scientia est, vnde scientiæ omnes qua ratione scientiæ sunt dependent, nimirum cognoscendo efficit omnes & faciendo cognoscit, si scientiæ omnes sibi notæ sunt, consequenter & scibilia, (vt ita dixerim) omnia sibi sunt cognita, coniuncta enim sunt scientiis suis scibilia quæque. Deum verò non habere scientiam, dictu nefas est, sicut quod dat vitam vita carere. Quod enim quicquid in ipsa scintia, vitaque boni est, non debere primo bono deesse, denique ipsæ ideæ primæ quam plurimis ab anima nostra gradibus semotę sunt, neque nobis insunt per characterem aliquem expressissimum, neque circa nos sunt, id est, nusquam nobis per absolutissimam imaginem offeruntur, neque igitur illas certissima ratione comprehendimus, imò neque intellectus Angelici nedum nostri illas ea perfectione definiunt qua Deus ipse definit, Nam in intellectu diuino sicut & cęterarum rerum sunt ideæ, sic est & ipsa scientiæ ipsius idea, quæ quidem verò coniugio, vt obiecta propria tenet spectatque ideas. Ipsa verò scientia, quam modo diximus, idealis nedum in nobis nec proprie in ipsis est Angelis, cumque in nobis multo minus; Merito nec ideas, quæ eiusmodi sunt, scientia comprehendendæ, comprehendimus, cognoscimus autem per formas tum nobis obiectas tum innatis quandoque intellectuales ideas in mentibus post primam perspicue refulgentes, per quas denique præsertim à superioribus mentibus illustrati, post expiationem in Phędro descriptam, ad ideas primas, quę proprio nomine intelligibiles species nominantur quoad fieri potest ascendimus, humana iam forte superiores effecti.

De modo diuinæ cogitationis atque prouidentiæ.

CAPVT XXXII.

VBi Parmenides per ea quæ conceduntur ab adolescente sequi probat, vt neque nos cognoscamus ideas, neque nos ideæ cognoscát, subiungit interea grauiter eos errare, qui quibuslibet argumentationibus confiteri coguntur, nos penitus ignorare diuina, quippe cùm receptum sit ab antiquis animæ rationalis substantiam esse diuinam, sed grauius erratum dicit, superis negare prouidentiam humanorum, ad quorum bonitatem necessario pertinet prouidentia: propterea hic Socrates diligenter excitatur, vt soluere discat dubitationes circa ideas, quæ minus solutæ prouidentiæ diuinæ detraherent. Tu verò inter hæc primò memento, Deum habere quoddam scientiæ genus nullomodo

cum noſtra ſcientia in aliqua ratione conueniens, Dominationem quoque nullo pacto cum dominatione noſtra conuenientem. Quatenus igitur rationem aliquam ſciendi vel dominandi noſtram, aut noſtræ quoquomodo ſimilem cogitamus confiteri poſſumus. Deum nec ita, neque ſimiliter ſcire noſtra vel dominari nobis. Hactenus fuit procul ab errore conceſſum, at verò ſi Deum vniuerſæ cognitionis dominationiſque prorſus expertem dices, & à veritate, & à Platonis ſententia nimium aberrabis. Mitto nunc eos, qui propter fortunam, cuius ordinem minimè videt, prouidentiam negauere, ſed agēdum ſaltem breuiter eſt contra nonnullos Philoſophos, qui cùm Deum ab omnibus materialium mobiliumque rerum conditionibus remotiſſimum eſſe ſciant, vnde ſtatim argumentantur, Deum nullam harum rerum materialium cognitionem habere poſſe, ſi modo cognitio cum re cognita congruere debeat, ipſa vero diuina cognitio nullam habeat cum rebus materialibus, infrà vnam mutabilibus cōgruentiam. Profectò ſi verum ſit quod aiunt, vim cognoſcendi oportere cum re cognoſcenda congruere, in noſtra forſan cognitione verum fiunt. Cum enim nos per cognitionem non ſimus authores rerum, nulla forſan eſt ratio quare percipiamus eas, niſi proportio quædam, cum verò diuina ſcientia ſit cauſa prima rerum, non ideo res cogniturus eſt Deus, quia congruat cum natura rerum, ſed ideo cognoſcit quoniam ipſe eſt cauſa rerum. Qui cognoſcendo ſeipſum principium omnium omnia ſtatim, & cognoſcit, & facit, ſed neque etiam in cognitione noſtra verum eſt, ipſum cognitionis, modum pro ipſo rerum modo eſſe debere, quandoquidem & efficientes cauſæ pro modo ſuo, non pro conditione operis opus efficiunt. Homo enim naſcens effectus quidem eſt vnus, aliter verò ab homine fit, & particulariter â ſole, ab homine qnidem particulariter, atque etiam conſultante, atque ſollicito, à ſole verò vniuerſaliter, neque ad hoc indigente conſilio. Multomagis à prima cauſa abſq; negotio fiunt omnia. Sed de hoc alibi. Nunc vero id quærimus, vt cùm actio tranſiēs in materiam, non cogat cauſam pro modo effectus ipſius efficere. Multominus actio in agente manens, id eſt cognitio, adducit agēdum, id eſt cognoſcentem, pro ipſo cognoſcendorum modo cognoſcere. Quod omne cognoſcens, non ſimpliciter pro rei cognitæ qualitate, ſed pro ipſa cognitiuæ virtutis natura, forma & dignitate cognoſcat, & iudice hinc apparet, quia hominem nobis obiectum aliter quidem ſenſus exterior, aliter autem imaginatio viderat, aliter item ratio, aliter intellectus. Senſus enim ſolam rem præſentem percipit, & accidentia ſola, imaginatio & abſentem repetit, & quodammodo ſubſtantiam ſuſpicatur, componit, diuidit ſola ſummatim conficit, quæ ſingulatim quinque ſenſus, ratio verò & hæc efficit omnia, & pręterea ad vniuerſalem ſpeciem, incorporeamque naturam argumentando ſe transfert, intellectus denique ſimul quodam intuitu conſpicit, quæ ratio multifariam argumentando circunſpicit, quemadmodum viſus obiectum globum, ſemel percipit, vt rotundum, tactus autem ſæpius attingendo, profecto natura viſque ſuperior percipit, agitque quicquid inferior atque melius, & pręterea abſque præſenti inferioris vſu comprehendit, & agit ea ſæpè ad quæ inferior non aſcendit. Quamobrem ſicut circa idem percipiendum aliter vis inferior, aliter meliuſque ſuperior agit, & quod ſigillatim quinque ſenſus attingunt, imaginatio quaſi ſummatim, & quod hactenus indiuidua corporeaque conditione perceptum eſt, ratio pro dignitate naturæ ſuæ iam ſpeciali quadam, & incorporea cōcipit ratione, intellectus autem iam quaſi diuinus vnicè, immobiliterque ſæpè comprehendit, quæ ratio multifariam atque mobiliter, & multa præterea quā ratio non attingit, ſic intellectus primus longè aliter, feliciuſque quàm ratio vel mens humana hæc omnia, & alia nouit. Neque rerum cognitarum conditiones, ſed naturam ipſam ſuam ſequitur cognoſcendo, naturam, inquam, vniformem, indiuiſibilem, immutabilem. Multa igitur forma vnica contuetur, immaterialiter materialia, cōpoſita ſimpliciter, immutabiliter mutabilia, neceſſitate certa ſemel tenet, quæ nobis quotidie ſorte contingunt. Hæc Boëtius, Procluſque confirmant, ac ſi liceat Procli exemplis vti, cogita, ſi placet, nauem vētis circum, & fluctibus agitatam, finge interim imaginationem tuam adeò potētem, vt dum imaginaris mare, effluat inde mare, imaginaris nauim, cōſtruatur eiuſmodi nauis, imaginaris multiplices vētos, & fluctus, & ideas, ſimiliter ad imaginationem tuam ſtatim ſingula conſequantur. Si hæc ita ſe habuerint, non cogeris circa hæc perſpicienda ſuſpicari vel diſtrahi, ſed vnicè facilè ſemel cōfingendo facies pariter, & cognoſces, ſimiliter diuinam intelligentiam ad inferiora conficienda ſimul, & cōruenda, Proclus habere ſe putat. Qua verò ratione noſtrum interim ſeruetur arbitrium in Theologia diximus, & Plotino præterea diuinus intellectus, cùm ſit vniuerſi conditor, ideoq; latiſſimè vim ſuam per cuncta diffundat, meritò formam habet ampliſſimam. Quæ videlicet, virtutem habeat repræſentantem omnia ſimul, & facientem, & ſicut perfecta ad illum effectio pertiuet, ita pertinet & perfecta cognitio, vtraq; vero perfecta eſt, non quæ ad communia tātùm, & generalia confuſaq; venit, ſed quæ ad propria vbiq;, diſtinctaq;, & ita demum iam exactiſſima peruenit. Alioquin & operatio, & cognitio fuerit imperfecta. Cognoſcit igitur ſicut efficit, non vniuerſalis quædam ſolùm, ſed etiam ſingula ſuis inuicem formis proprietatibuſque diſtincta, prouidet itaq; ſingulis, hæc enim quatuor per cuncta æquè procedunt. Virtus, actio, cognitio, prouidentia. Cognoſcit proculdubio perfectiſſimè ipſam bonitatis ſuæ, omniumq; idearum ſuarū naturam atq; virtutem, ſcit ergo quot modis, quot gradibus, quouſque procedere, participariq; poſſit, res igitur infimas comprehendit certiore, inquā, cognitione, quā ſenſus & opinio noſtra, quanto cognitio quæ fit per omnes cauſas, certior eſt quam cognitio quæ nō fit per cauſas, vel etiā non per omnes, profecto ſi in illo eſt idealis eſſentia vitaq;, ſenſus etiam eſt idealis, ſed intellectualis omnis, per ſenſum igitur intellectualē ſenſibilia noſtra perſpicuè ſētit, hinc illud Procli contra Peripateticos quoſdā videtur opportunè dicendū, ſi intellectus primus perfectè intelligit ſeipſū, vt omnium effectorē, & omnibus appetibilem cum & effector ad effectum, & appetibile ad appetentia relatiuè dicatur, neceſſario, & eadē perfectione cognoſcit, & ſuos effectus omnes, & quęcunq; ipſum appetunt, non cōmuniter tantùm & confuſè, ſed ratione diſtincta, ſicut enim definita ratione ſeipſū, tum effectorem omnium,

nium tum omnibus appetibilem animaduertit, ita nimirum, & ratione distincta quæ inde fiunt, & quæ ipsum appetunt omnia prorsus agnoscit, veruntamen scientia illa tanquam absolutissimi intuitu recto, quemadmodum supra diximus, fertur in obiecta absolutissima, id est ideas speciesque primas, in quo quidem gradu fingi potest res nostras non intueri. Contuetur enim eas subinde per consequentiam quandam conspectis ideis, neque nos etiam intuitu scientiæ recto alia præter inferiora hæc habemus obiecta, superiora consequenter quasi vaticinantur.

De dominatione, & cogitatione diuina, atque de sex ordinibus idearum vel formarum.

CAPVT XXXIII.

SI quis negauerit Deum nostra cognoscere quoniam hîc turpia multa sint, & mala, intellectum verò forsan talium consideratione contaminetur, scire debet dum non ad hæc aspicere, vt hæc prospiciat, sed ad seipsum, vt intus inspiciat, penes quem omnia sunt pulchertima, quin etiam neque apud nos est quicquam simpliciter malum, sed huic vel illi malum aut turpe, aliis autem, & vniuerso bonum atque pulchrum: rursus quæ apud nos opposita sunt apud Deum inuicem sunt coniuncta, & sæpe ad formam & rationem vnicam rediguntur, vt sub forma boni atque pulchri malum consequenter cognoscat & turpe, nam & mens humana per boni formam auguratur sæpe malum, & cognitio mali ita ferme est intelligentia bona, quemadmodum & cognitio boni. Parmenides autem non ex eiusmodi suspicione quæ nullius est apud ipsum Socratem adducit in dubium, sed ex eo potius, si quis ipsam solam diuinorum consideret eminentiam, bonitatem verò communicabilem non aduertat, Alioquin, dum omnem diuinis communicabilitatem aufert, tollit, & ipsis cognitionem, & prouidentiam humanorum, quod quidem ita dictu absurdum est, perinde ac si negaueris Deum interioribus dominari, & rectè quidem Parmenides dominationem diuinam cum cognitione coniunxit, id monitutus, Socratem nullo modo negandum Deum nostra cognoscere, sicut neque contendendum vnquam nobis minimè dominari; apud quem actio & intelligentia ita sunt idem, vt quemadmodum actio prępotens supremæ causæ ad vltima quæque procedit tanquam domina, ita & cognitio certa infimis quibusque prouideat; Neque ab re inter disputandum Parmenides adiunxit cum dij sint, quippe cum sciret intellectum merum si diuinitatem præterea nullam habeat, vniuersalia quædam naturalem cogniturum, ideasque similiter diuinitatis expertes, ad vniuersalia tantum, & species processuras; quod autem & intellectus & ideæ per cuncta vim suam & agendo, & cognoscendo protendant, inde potissimum habent, quoniam superioris illius principij id est bonitatis vnitatisque participes sunt per omnia longissime latissimeque procedentis. Inter hæc verò vbi Parmenides Deo exactissimam, supremamque scientiam tribuit, animaduerte hanc propterea singula certissime cognituram. Et vbi audis nonnulla ad priuationem negationemque pertinentia, negationem accipe, non vt defectum aliquem, sed potius vt excessum. Ita enim & sæpe Dionysius Areopagita nos admonet, forte verò Parmenides vbi subingit, diuina nobis prorsus incognita fore, ideas significare, si quæ sunt in principio, primo, non absolutis quidem, sed relatiuis tantùm rationibus inter se distinctas, nullo modo vel nobis vel illis intelligibiles, existentes videlicet super omnes ipsius intelligentiæ terminos. Non enim intelligentia, sed cultiore quodã actu frui primo vniuersi principio possumus, sequuntur post eas ideæ iam intelligibiles quidem simpliciter, nobis autem vis, & tandem intelligendæ. Rationes scilicet rerum omnium in intellectu primo, vt nostri dicerent, Angelo primo, absolutis iam rationibus inter se discretæ, sunt tertio, & intellectuales ideæ in sequentibus intellectualibus à corporum commercio separatis. Quartò sunt animales id est ipsius animæ, vel diuinarum, vel etiam humanarum mentibus, vel cogitationibus insitæ. Quintò nantes ideæ, speciesque sunt in tali natura, seminales videlicet formarum corporalium rationes in natura quidem & naturalis animæ, & in naturis animæ superiorum atque nostrarum Sextò formæ sunt in materia, quæ quidem tanquam à superioribus omnibus dependentes aliquid à singulis habent, à diuinis occultum aliquid & diuinum, & vnitatem atque bonitatem ab intelligibilibus, æternitatem specialem, distinctionemque necessariam ab animalibus distinctiorem pulchritudinem, & actionem atque motum, à naturalibus, ortum & diuisionem vltimam atque processum ordines, specierum quinque sub primo propter euidentem distinctionem mundi quilibet appellare potest. Quos forsitan quinque mundos apud Platonem, Timæus vaticinatur. Denique in primo quidem sub vnica forma sunt omnes ideæ. In secundo ideę sunt multæ formæ sed in paucissimo numero amplissima virtus ad faciendum atque cognoscendum. In ordine tertio specierum distinctio numerosior. In quarto insuper amplior in specialissimas species distributio. In quinto particularium iam, & membrorum corporis seminariæ vires. In sexto aduentitia insuper sunt & præter naturalem ordinem accidentia.

Nisi sint Ideæ penes Deum, & Ideales in nobis formula, peribit dialectica, omnisque Philosophia, non erit demonstratio, vel definitio, vel diuisio, vel resolutio.

CAPVT XXXIV.

PArmenides inceptum ab initio pium erga Socratem obstetricis officium vbi prosequitur; ingenium eius prouocans ad exactissimam idearum contemplationem, dum ostendit passim ex opinionibus, responsionibusque parum accuratis errata grauissima sequi. Item arduum opus & excellentis ingenij esse, demonstrare ideas existere, & quomodo se habeant, & dubitationes incidentes rectè dissoluere: & auditorem perspicua ratione docere. Hæc omnia Socratem cautissimum accuratissimumque efficiunt, vt autem inter hæc admoneat adolescentem, ne fortè in hac inuestigatione ad negandas declinet ideas, sed conetur ad affirmandas, palàm edicit, nisi reuera sint ideæ tum in se ipsis penes Deum, tum etiam per earum veraces formulas mentibus etiam nostris naturaliter insitæ, veram intelligentiam perituram, quandoquidem vera

desint obiecta, ad quæ propriè dirigatur, scientiam quoque differendi Philosophiàque nullam fore, sæpe iam diximus, inter potentiam cognitiuam, & obiectum cognobile proportionem aliquam esse debere. Præterea quantò verior, præstantiorque intellectus est quàm seeisus, tantò intellectus ipsius obiectum præstantius, & verius esse proprio sensus obiecto, Itaque formam rationemque vniuersalem atque separatam veriorem perfectionemque particulari materialique forma necessario iudicandam. Proinde sicut sensus ad exteriora diuertitur, sic intellectus ad intima se cõuertit, si modo sit ab inuentione iudicioque profecturus, sicut igitur sensus obiectum est externum, ita proprium mentis obiectum est intimum. Hac vtique aliisque permultis in Theologia rationibus formulas regulasque rerum esse menti etiam nostræ naturaliter insitas confirmauimus. Quæ quidem cum ita mobiles sint vt ex habitu quodam ocioso in actu cogitationis transire, atque vicissim probauimus eas tanquam nondum perfectissimas, non posse ex seipsis existere, sed neque etiam à formis exterins tanquã deterioribus procreati, ne fortè infimum ipsius sensus obiectum sublime procreet mentis sensu superioris obiectum. Dependent igitur nostræ formulæ tanquam per se mobiles non à sensibilibus formis, quem semper aliunde mouent, sed abſidæis quæ nullo modo mouentur, sed in eodem intelligentiæ actu semper existunt. Et quemadmodum sensibilium formarum numerus ad vnam sæpe redigitur seminariam rationem in natura vigentem, sic & intellectualium in nobis multitudo formarum ad vnitatem stabilitatemque reducitur intelligibilium idearum, quamobrem nisi sint ideæ, nec in nobis erunt eiusmodi formæ. Quæ quidem prima sunt & proxima, & cognata, nostræ mentis obiecta. Merito igitur vt Parmenides inquit, nullam iam substantiam veram inueniemus, ad quam mentis intuitum conuertamus, neque enim fas est ad superiora progredi, nisi per intima, neque intima hæc tanquã venerabilia ab extemis profecto nimis abiectis accipere, neque fingendum est veridicum mentis intuitum, ad nouos quosdam conceptus à nobis pro arbitrio fabricatos se conuertere, vbi de ipsa vera rerum natura, atque etiam diuinitate iudicaturi sumus; conceptus enim eiusmodi figmenta sunt, deteriora quiudem rebus extemis à speciebus diuinis minimum diffidentia, & à substantia naturaque rerum & ipsa nouitate plurimum aliena, neque per hæc tandem aliud quicquam præter particularia & sensibilia quædam perciperemus. Liceat hic cum Proclo sæpe nostro hunc in modum argumentari. Demonstrationum fundamenta è medio iam tollentur, nisi in intellectu tam nostro, quàm diuino species idealis extiterit, Demonstrationem enim per illa procedunt quę sunt principia rerum demonstrabilium, neque ad nos tantum, sed etiam secundum naturã priora simpliciter atque potiora: sunt autem demonstrationum principia non particularia quædam, sed vniuersalia semper. Vniuersalia igitur, & antiquiora particularibus sunt, & in principiorũ ordine potiora. Definitio quin etiam, quæ demõstrationis est principium, nulla erit, aut certe vana, nisi eiusmodi species extent. Definitio enim non ad accidens aduentitium, nõ ad aliquid prorsus particulare, sed ad naturę quiddam pertinet, & ad speciem multis æquè communem, vbi nam igitur hoc ipsum commune est à nobis sub ratione quadam immutabili definitum non quidẽ in rebus ad sensum pertinentibus particularibús prorsus, atque mutabilibus, præsertim cum natura communis si qua consideratur in singulis, id est humanitas in hoc, & in illo nostram comprehendat totam, sed vtrobique partem. Oporret autem hominem ipsum communiter definitũ, totum vnumquodque comprehendere. Eiusmodi autem amplitudo non ad rerum materialium angustias, sed ad specim pertinet absolutas. Quæ quidem & in intellectu diuino sunt & in nostro diuinitus profecto ipsa iusti ratio absoluta essentialisque & necessaria est in vno quoque nostrũ, per quam & iudicare de iustis, atque iniustis possumus, & iustitiam definire. Vtrum tamen cum rationes eiusmodi in nostris mentibus multis sint, & ad vnumque commune conspirent. Nec est igitur eas ab vna iustitiæ ipsius idea superius dependere, sub qua quidem per rationes eiusmodi nostra congruentes illi, similiter omnes species hominis definimus, & leonis, & equi, non speciem conceptu nouo cõfictam, quę mutabilis est, & nihil pertinet ad essentiam atque naturam, sed idealem potius veritatem, et in nobis expressam & extra nos effectu compertam. Diuisio quin etiam, quæ definitionis principium est, idealibus speciebus sublatis similem tolleturè medio. Quido enim generalem rationem per quasdam speciales distinguimus differentias, neque nouos tunc conceptus nostros diuidimus ad rationes rerum naturales minimè pertinentes. Neque sensibile aliquid distribuimus, quod particulare passim est atque mutabile, sed ad ideales species in nobis expressas intuitum diuidendo dirigimus. Quamobtem si negatis omnibus semel idealibus speciebus, consequens est diuisionem quoque & definitionem, demonstrationemque negare, imò & resolutionem veram à compositis ad simplicia procedentem, quatuor verò hæc totam continẽt dialecticam, merito & dialectica simul tota cessabit, Philosophia quoque peribit, vsura videlicet numero dialecticis instrumentis, præsertim quoniam Philosophia perfecta in perfectis causis non contenta ad perfectas sibique contendit, id est simplicissimas stabilissimasque ac penitus absolutas, Quæ quidem nullæ sunt nisi intellectualis intelligibilis idealis essentia fuerit. Maximè verò ad dialecticam quidem ideales species insitæ nobis attinent, ad Philosophiam verò diuinæ. Denique si Platonicam disciplinam in Epistola ad Syracusanos traditam sequimur, concludemus per diuisionem, definitionem, demonstrationem nos propriè ad cognoscendas ideales formulas peruenire in intellectibus post primum expressas, quæ & intellectuales cognominantur, perque illas quoquomodo excogitatas, etiam ad ęternas materialium naturas rite descendere. Ideas autem intelligibiles primas scilicet species in mente prima, quoniam à compositione motuque distinctissimæ sunt, non per illos dialecticos gradus qui in compositione motuque versantur statim posse cognosci, sed post eiusmodi disiunctiones, quæ propinquius ad ideales formulas ducunt purissimam in nobis mentem ideas iam primas per simplicem intelligentiam intueri, ad quam sanè resolutoria facultas potius quàm definitiua, vel diuisiua, vel demonstratio confert.

De dialectica exercitatione per formas intellectuales, ad species intelligibiles,

CAPVT XXXV.

CVm Parmenides Socratem ab hoc ipsum duntaxat in dialecticis exercitaturus sit, ne erret circa diuina, vtque sciat dubitationes soluere in diuinis, meritò dialecticam formam tradet Socrati deinceps in eadē ipsa diuina materia, ita enim reddetur instructior. Exordietur autē ab vno tanquam causa idearum atque diuinorum significans in toto disputationis cursu ipsum vnum producere entia omnia gradatim & entium vnitates. Plato verò cum nec in Philebo nec in Republica turbam adolescentum ad dialectica libenter admittat, ne forsan insolentiores efficiantur, Socraticum tamen ingenium natura diuinum etiam, in adolescentia per Parmenidem ad differendi artem plurimum exhortatur. Parmenides igitur in primis Socratem probat, quod ad ideales speeies adeo se conferat, formas verò spernat materiales, quoniam cum materiæ ratio sit informitas, ideoque sit opposita formæ, nimirum forma materialis est imperfectissima forma, summo, & nullæ formæ habentes mutabilitatem aliquam mixturam materialibus quodammodo similem siue in natura siue in anima, in aliquo intellectu sint; sunt formæ perfectæ quem verò & generationis ordo gradatim nititur ad perfectū, & ordo vnicuique à principio perfectissimo ducit exordium, ad perfectissimas tandem formas peruenire debemus, i. ad ideales intelligibilesque species, quæ sint ab omnibus materialium formarum conditionibus penitus absolutæ. In quibus ita sit pura formositas, sicut est & nuda prorsus informitas in materia, sed quemadmodum materia sic & illa est difficillima cogitatu. Cogitur enim cogitatutus materiam, omnem deniqueformam exuere quod quidem est contra consuetum cognitionis effectum, Compellitur, & ideas contemplaturas omnes materialiū formatum nubes reliquasque excutere. Quod quidem ià communi cognitionis humanæ more nimis est alienum. Illas igitur attingit tandem stabilis intelligentiæ simplex intuitus ab omnibus materialium cogitationibus penitus segregatus. Sed ad ipsas interim dialectica facultas ingenium exercet, & preparat per animalis intellectualisque conceptus, & species artificioso quod, vt ita dixerim, errore discurrens. Id facultatem hanc Plato appellat erraticam, quasi vicissim longis ambagibus per opposita discurrentem. Einsmodi Socrates petuagatione censet vtendum circa intellectuales species potius quàm sensibiles. Quod & Parmenides procul dubio comprobat.

Regulæ dialecticæ supponentes esse, vel non esse, & quot modis dicitur non ens.

CAPVT XXXVI.

POtissimam argumentandi formam esse vult, quæ ex suppositione procedit perpendens quid affirmato quolibet vel negato, multis gradibus inde sequatur, forma enim eiusmodi non machinis quibusdam confidit humanis, sed ipsa rerum naturalium diuinarumque consequenti serie nititur, præceptoremque veritatis habet ipsum ordinem vniuersi. Supponendum verò iubet non modo si est aliquid, verum etiam, si non est, & animaduertendum quid vtrinque sequatur: Nempe id obseruandum est, vbi rerum accidentiumque cuique causas præcipuas, & principia quęrimus; ratio namque principij est, vt hoc posito vel sublato, ponatur vel auferatur effectus. Si enim posito tantum hoc, ponatur simul & illud, neque tamen auferatur ablato, ducit illam originem etiam aliunde. Præcipit inde inter consequentia vtrinque quatuor considerare, siue supponatur res quædam, puta mens vel anima, esse, siue non esse, vtrobique enim perpendi vult quid coniungat huic ipsi rei supposita ad se ipsam, quidue ad alia, Rursus quid aliis accidat ad se ipsa, quid ad illam, sed vbi suponit mentem vel animum non esse, quonam pacto potest considerare, deinde quid illi accidat non existenti? Respondendum non supponi in potentia mentem vel animam omnino nihil esse, alioquin non quæreretur, deinde quid tibi accidat, sed supponi potius rem hanc, quæ appellatur mens, & anima, non esse mentem propriè, aut animam, sed quoduis aliud esse vel fingi, Platonici sanè non ens dupliciter accipere solent aut simpliciter, id est prorsus nihilum, aut secundum quod non ens. Id est autem quod vel non hoc quidem est, scilicet non homo quiuis, sit illud, scilicet equus, vel quod hac quidem ratione non est, licet sit alia, potentia videlicet quædam ens, non autem existens actu; Materiam non ens appellant, quia nihil sit actu formali, sensibile quodlibet etiam non ens, quia propter fluxum & diuisibilitatem confusionemque non verè sit, Mobilem quoque conceptionem animæ non ens, quia non ens perfectum. Alteritatem ipsam in intellectu vel primo, quodammodo non ens, quoniam est origo, vt hoc non sit istud, & istud non sit illud, ipsum vnum bonumque non ens quoniam ente superius. Multis ergo modis aliquid non esse supponere posterius, dum tam hoc ipsum de quo ens negant funditus non extirpant, vt cum fingunt, si vnum, si multitudo, si intellectus non sit, quærentes quid ipsi sequatur, aliisq; ex ipso non eradicant funditus quod supponunt, sed, vt dixi, subintelligunt non nihil interea, à quo absit tamen, vt sit. vnum, vel multitudo; vel intellectus. Cæterum quidnam ad illud? vbi Parmenides supponit vnum omnino non esse, responderimus quantum in præsentia mihi succurrit, fingi posse quod vnum dicitur, omnino non esse vnum, id est fingi turbam imitationis omnis prorsus expertem. De hoc quidem dabo in præsentia satis. Ad illud autem quod dicitur non ens, addendum est præceptum Parmenidis in Sophista narratum, vbi Melissus ait, magnum Parmenidem præcepisse; cauendum ne quando ipsi omnino nō enti aliquid entis admoueremus, ne videlicet contradictionem maximam inter ens, atque non ens temere concedamus, ibi quidem non ens significare vult nec ipsum vnum superius ente, Nec materiam in ipsa entis integritate deficientem, minimumque gradum entis habentem, sed omnimodam, vt ita dixerim, orbitatem. Quam qui fingit, non debet deinceps ei quicquam quod ad ens pertineat adhibere. Cum verò numerus gradum non minimum in ente possideat, non licet, inquit, orbitati confectæ vel multitudinem, vel vnitatem ad numerum pertinentem aliquam admouere, neque vel singulariter vel pluraliter eam pronuntiare, vel cogitare, aut dicere eam esse aliquid. Si quidem aliquid, dicitur ens aliquid, neque dicere,

eam vnum aliquid, nam vnum aliquid est ens, hoc vnum aut ens illud vnum, ipsum verò primum vnum de quo nondum ibi fit mentio, non est ens vnum, sed simpliciter vnum. Alioquin si foret ens vnum non esset vnum simpliciter, sed iam aliquod vnum quod cum ente conuertitur. Sed de hoc diligentius in Sophiste.

Futura disputatio dicitur ardua, quia non solum logica est, sed etiam Theologica.

CAPVT XXXVII.

EX verbis Socratis, & Parmenidis, atque Zenonis sequentem disputationem colligimus fore opus grande & arduum pelagusque profundum, non tam propter ipsam dialecticam siuo logicam dialogi formam quam propter subiectã huic materiam plurimũ Theologicam, alioquin minime decuisse tam magnificis verbis totiens hic præfari, neque rursus deceret Pythagoricum senem nudam logicam pertractare, Nónne Plato decorum personarum vbique seruat, & quæ quisque tractauerat cuique tribuit, Moralia, purgatoria, conuersoria Socrati, amoris sacri mysteria sacerdoti, Physica, & Mathematica Timæo, de ente Melisso Parmenidis sectari, nunquid ergo Parmenidi seniori magistro & entis intelligibilis idearumque præ cæteris assertori exercitationem tribuet puerilem? Absit. Sed audiamus Platonem ipsum de excellentia Parmenidis librique huius diuina testificantem. Socrates in Sophista Melissum sic alloquitur, vtrum velis oratione perpetua nobiscum loqui? An potius interrogando quemadmodum solebat Parmenides, quem ego adolescens audiui quondam ita disputantem admodum senem rationesque pulcherrimas afferentem. Rursus in Theæteto Socrates obsecratus, vt eos refelleret, qui ens vnum immobile posuerunt, non recipit se id facturum, ita respondens. Et si Melissum atque alios, qui vnum consistens vniuersum dicunt, vereor ne fortè immodesti videamur illos exagitantes, minus tamen quam vnicum Parmenidem vereor, Parmenides enim, vt Homericis verbis vtar, verendus mihi, acerque videtur. Colloquutus sum olim cum illo sene admodum adhuc adolescens, mihique visus est profundam, generosamque omnino sapientiam possidere, Formido itaque ne dicta eius, vocesque nequaquam intelligamus, & quod ipse verbis sub intelligit, multo magis nos lateat. Denique quis non intelligat, dum promittit disputationem dialecticam, præstare interim Theologicam? Cum & apud Platonem idem sit vtrumque & genera propriaque vniuersi entis gradatim in medium afferantur. Quod autem dictum est, disputationem eiusmodi turbæ ridiculam fore, præsertim à sene tractatam, duplicem habet sensum, partim quidem propter prætextum logicum, quem vulgus existimat verbis cauillationibusque nugari, ignorans videlicet artificium hoc, esse veritatis, & sapientiæ clauem, partim quoque propter materiam, qua de agitur, Theologicam paradoxis refertam. Quam videri turbæ quidem ridiculam, sed sapientibus venerandam Plato in Phædro, & in epistolis ad Dionysium, Syracusanosque testatur. Neque fas est Pythagorico, vel Platonico, præsertim qui in hac disciplina iam consenuerit prophanis diuina mysteria diuulgare. Quid plura? Quicquid hactenus disputatum est longum est ad sequentia Theologicumque proœmium, vt meritò, & quod sequitur futurum sit profectò diuinum. Non logica quædam simplex absque vllo Philosophico sensu, vt quidam dubitauerunt ante Proclum. Contra quos Proclus in Theologia inducit, non vlterius pugnandũ sibi fore, iam diu enim à Platonica familia fuisse conuictos. Ipse autem Syrianum secutus in singulis verbis, singula putat latere mysteria, & quot sunt clausulæ, fermè totidem esse numina, ego verò mediam secutus viam, arbitror tantum saltem Theologiæ subesse, quantum admittit artificium, vt communiter dicitur, dialecticum, ideoque non vbique omnino continuatas, sed quãdoque diuulsas de diuinis inesse sentẽtias. Profectò si Platonis cõsilium fuisset, solum in logicis argumentationibus erudire, non arduam hanc de vno & ente, entisque generibus materiam accepisset, discentibus impedimento futuram, sed facilem, & in promptu cunctis expositam, si contra decreuisset diuina, prorsus omnia hic vbique continuare mysteria, neque logicam interim difficultatem introduxisset, per se haud modum venerandam dignamque numinibus, neque adolescentem hic elegisset erudiendum, qui tamen tanquam natura diuinus diuina quædam simul cum logicis postulabat, quæ & à Parmenide meritò tradebantur, futuram disputationem tanquam etiam diuinam ex libris suis diuina tractantibus opportune texente, qui futuram disputationem ludum serium negociosumque appellauit, quoniam sub dialectica, vel logica specie diuinam quandam materiam ex suis libris acceptam subesse volebat, denique librum hunc esse Theologicum non solum cæteri Platonici præcipuè probatissimi conuenerunt, sed etiam Dionysius Areopagita confirmare videtur, quoties in ipsius vnius incidit mentionem, toties enim enti præponit, distinguit vnum ens ab ipso simpliciter vno, ipsumque vnum ait ipsius esse principium, entisque vnius procreatorem, vtitur quinetiam argumentationibus, negationibus, verbisque Parmenidis sæpe quam plurimis in materia diuinissima testificans interea materiam Parmenidis esse diuinam. Bonum quoque similiter vt vnum, ipsis Platonicorum rationibus semper anteponit essentiæ, sed de hoc alibi. Confirmemus tandem alio quodam Platonis ipsius testimonio, librum hunc non esse contentiosum, sed certe dogmaticum, Plato in Theæteto Parmenidem Melisso Zenonique longè præponit. In Sophista Melissum Parmenidis sectatorem fuisse inquit, à redargutionibus contentionibusque alienum. Et vt Deum veneraretur, vel certè diuinum, nemo igitur suspicari debet Parmenidem ipsum seniorem ac longè diuiniorem introductum à Platone fuisse, quasi contentiosis redargutionibus incumbentem logicum vt leuem iuueniliterque ludentem.

De suppositionibus Parmenidis, & de vno, bonoque quod ente, & intellectu superius, per verba Platonis.

CAPVT XXXVIII.

QVa ratione Proclus, aliique nonnulli, nouem suppositiones in hoc dialogo disposuerint narrauimus in principio commentarij, vbi etiam ex eorum sententia est addendum, affirmationes, negationesque à Parmenide circa vnum factas, vt vtræque veræ sint, oportere ipsum vnum alia quidem significatione accipere, vbi

negatur, alia, verò vbi affirmatur, puta si hunc in modum exponatur, vbi negatut vnum, neque esse idem neque alterum, intelligatur de vno, quod est ente supetius. Vbi autem affirmatur vnum esse & idem pariter atque alterum, intelligatur de vno, quod habet cum ente coniugium. Alij verò nonnulli distinctionem eiusmodi non vbique probabant, vt quando consideratur, si vnum sit, quid hinc sequatur. Item, si non sit vnum, quid & inde contingat, oportere enim dicebant in hac ancipiti quæstione ipsum vnum in eodem significatione verbique sumere, alioquin authoritatem vnius ad consequentiam inde rerum intelligi nunquam posse, nisi id certo sciamus vt vno quidem posito consequenter, talia quoque ponantur, eodem verò sublato, talia rursus auferantur, sed ad hanc quæstionem alibi respondendum, nunc verò quomodo ipsum vnum sit ente supetius, & entis vniuersi principium, breuiter perstringamus. In Philebo probatur, ab ipso vno terum principio statim producibinarium, scilicet principia entium, vel elementa duo, terminum scilicet infinitatemque quod & Philolaus Pythagoricus introduxit, ex quibus omnia prorsus entia componantur, sed ante aliotum entium compositionem, primum ex his confici mixtum scilicet ens, primum in se continens vniuersum, vt quemadmodum quodlibet ens ex suo quodam termino, infinitoque conflatur, sic ens primum ex termino, infinitoque primo sit præcipuè mixtum. Ex his manifestè concluditur ipsum vnum, & ente, & elementis, principiisque entis esse superius, Apertè enim illic, & infinitum appellat entium, & terminum entium, & ex his probat entia cuncta componi, primumque ex his compositam vocat essentiam, authorem verò vnionis ipsorum inter se oppositorum conuenienter ipsum appellaturus est vnũ. Præterea ibidem quæritur summum animæ nostræ bonum, probaturque in primis tres summi boni proprietates existere, quibus videlicet sit omnino perfectum, sufficiens expetendum. Per hæc consequenter adducitur intelligentiam solam quantumlibet in se perspicacem non esse ipsum nobis bonum, quia suapte natura ipsas boni proprietates haud penitus complectatur, non enim sufficit intelligentia nobis ad beatè viuendum, nisi per ipsius boni præsentiam. Cum verò noster intellectus, sit primi intellectus imago, neque videtur, vt quemadmodum intellectu nostro ipsa sua intelligentia non est ipsum sibi bonum, ita nec intellectui primo sola intelligentia, simpliciter sit summum sibi bonum, alioquin si per solam intelligentiam primam bonum ibi definiretur, consequenter vbique intelligentibus omnibus sua simpliciter intelligentia sufficeret, foretque summum vnicuique bonum, hac igitur ratione concluditur, ipsum bonum primo intellectu superius esse, quandoquidem cuilibet intelligenti fœlicitas non per solam intelligentiam, sed per integram ipsius boni præsentiam definitur. Audi præterea comparationem Platonicam in sexto de Republica eadem manifestissimè confirmantem, quemadmodum Sol in oculis, & colotibus generationem virtutemque & actionem mutuam cum lumine præbet, ipse tamen Sol nec oculus, neque color, neque generatio est, sed longè superior, sic ipsum bonum intellectibus, intelligibilibusque essentiam, & vim actumque mutuum cum ipso veritatis splendore largitur, neque tamen est intellectus, vel intelligibile, vel veritas, vel essentia, sed his omnibus dignitate, & potestate superius. Rursus ibidem inquit, ipsum ens in eodem gradu cum veritate pariter emicare. Cum igitur ipsum bonum veritati intelligentiæque apertissimè præposuerit, pariter anteposuit enti, In Sophista rursus probatur, in primo ente omnia esse, quæ ad perfectionem entis necessariò requiruntur, igitur habere vitam & intellectum, formalesque entium omnium rationes, penes vitam quidem habere motum atque altetum, sed penes intellectum haberé statum atque idem, ibi hæc quatuor essentiæ addita inter se distinctione formaliter, distingui quoque ab his essentiá interea cũctis admixtam. Igitur ipsum ens esse totum, & multiplex, atque vnum, ipsumque totum, & ipsum ens idem penitus esse. Item ad rationem essentiæ pertinere vt sit totum atque vnum. Et quæ conueniunt toti conuenire pariter enti scilicet vt sit multiplex simul & vnum. Hinc apparet ipsum ens ab ipso vno tanquam posterius disctepate. Præsertim quia omne primumque ens, inquit, cum non ente permixtum, nusquam verò ipsum vnum miscuit cum non vno. Imò & in Sophista significat, & in Parmenide probat ipsum vnum, prorsus à non vno, & ab omnibus entis generibus segregatum, tanquam ente sublimius, probatur denique in Sophista fermè hunc in modum, ipsum primum, & vniuersum ens patitur vnum, tùm in partibus suis, tùm in toto, non est igitur ipsum vnum, quoniam ipsum vnum, neque patitur vnũ, neque pattes vllas habet, nec est totum, item entium multitudo siue contrariotum, siue non contrariotum ab vno ente necessariò proficiscitut. Ipsum verò vnum ens ab ipso simpliciter vno, quando enim calidum, aut frigidum, statum, aut motum ens appellamus non vtique hotum quodlibet tanquam vt ens ipsum asseueramus, siue enim status sit ens ipsum, certè motus iam ens non erit, siue motus sit ipsum ens, profectò status appellationem entis amittet. Sed constat hoc esse, & statui, & motui, & omni entium multitudini ab vno primo ente distribui. Ipsum igitur ens, quod est omnibus essentiæ causa ab omnibusque participatum, particeps est vnius, propterea non sicut primo ens est, sic est & vnum primo, sed ipsum quidem ens existit, neque secundum participationem est esse sortitum, participatione verò est vnum, proptetea patitur quidem vnum, est autem primo ens. Hæc in Sophista. Cum igitur per hæc ostendatur, ipsum vnum vniuersi principium ente superius esse, necessariò demonstratum est esse super vitam intellectum, intelligibile, hæc enim enti succedunt. Denique in Parmenide quod & dicimus alibi, differentia inter vnum, & essentiam, & esse verbis ponitur manifestis, ibique ipsum vnum ab omnibus generibus entis, & ab ipsa tandem essentia tanquam sublimius segregatur, præsertim in primo suppositionis fine, itaque multo magis, vt modo dicebam, ipsum vnum primum superat intellectum. Iam verò intellectu sunt entis illa genera propriaque à quibus absoluitur vnum. Postremò neque post habendum est eiusmodi corollarium, sicut Plato Parmenidem hic de vno disputantē anteponit vbique Melisso disputáti in Sophista de ente, ita verisimiliter ipsum vnũ anteponit enti, si modò Deorum sit vtrobiq; in materiis personisque seruaturus, quod vbique

seruare solet. Superioribus Platonis verbis persuasi familiares eius vnum, bonumque essentiæ, intelligentiæque præfecerunt, &, vt narrat Proclus, probatissimi quique Platonici, Plutarchus, Ammonius, Plotinus, Amelius, Porphyrius, Iamblichus, Theodorus, cæterique sectatores eorum, ego verò id sensisse Platonem arbitror, in quo schola illa vetus extra controuersiam cum noua consentit, noua verò à Syriano & Proclo magnis profectò viris idem penitus sentientibus ducit originem. In qua post illos Hermias, & Damascius, Olympiodorusque præcipui numerantur.

Item quomodo Plato procedit ad primum de nomine eius. De idea boni.

CAPVT XXXIX.

PRoinde Plato in republica, & in Philebo & vbique sensibiles passim multitudines ad intelligibiles redigit vnitates, id est ideas, scilicet vnamquamque multitudinem rerum inuicem cognatarum ad ideam vnam, deinde vnitates intelligibiles ad ipsum simpliciter vnum, quod ita saltem intelligibilia superat, quemadmodū ab his sensibilia superantur. Illudque voccat ipsum simpliciter bonum, sed inter ideas collocat etiam ipsum non simpliciter, sed ideale bonum, à quo distinguit & ipsum ideale pulchrum, vt bonum ideale non pulchrorum sit causa, sed bonorum, nec essentiam primam rebus tribuat, vel excellentissimam vnitatem, sed per sectiones aliquas consequentes, bonitatum nomine designatas. At ipsum super ideas bonum, vt in epistolis inquit, est author omnium, vt bonorum, ita pulchrorum, atque sicut in republica docet, sic essentias sicut virtutes, atque perfectiones vbique distribuit, nec in essentia est, aut essentia est, vel intelligibile sicut idea quæuis, sed essentiam, & intelligibile, antiquitate, dignitate, potentia superat, sicut Sol generationem, & oculos & colores. Cum verò sit prorsus incognitum intellectu, atque ideo proprio nomine designari non possit, ex ideali bono vt pote sibi simillimo appellatur idea boni, simili ratione entis luminosissimum nuncupatur. Cum tamen & super ens & super entis lumen, id est veritatem, & intellectum, manifestissimè sit assertum. In republica videlicet, vbi dum probat ipsum bonum quid intellectus omnes cum intelligibilibus vnit non esse intellectum, non intelligibile, non veritatem, non scientiam, vel cognitionem vllam, non essentiam, ex amussim imitari videtur negationes entium omnium circa vnum in Parmenide declaratas. Lumen denique boni in omnibus tàm intelligibilibus, quàm intellectibus, & in vniuerso ente vero nihil est aliud, quam superessentialis imitas bonitasque diuinis infusa diuinitus.

Rursus duæ Platonis ad primum viæ, Duo nomina primi.

CAPVT XL.

PLato per duas ad summum vias ascendit, per comparationes quidem in Republica, per negationes autem in Parmenide. Vtræque pariter tàm comparationes, quàm negationes declarant Deum esse, tùm ab omnibus entibus, et intelligibilibus segregatum, tùm etiam principium vniuersi. Negationes autem, aliæ quidem sunt affirmationibus meliores, aliæ verò consortes, deteriores aliæ. Primæ quidem fiunt quando probamus primum non esse ens, tanquam videlicet melius ente entisque principium. Secundæ verò, quando non ens cum ente probamus admixtum. Quemadmodum in Sophista dicitur ipsum non entis enti saltem æquale videri. Quo videlicet pacto, quod est ipse status, non est ipse motus, quod est identitas non est alteritas, quod calor non frigus, quod rationale non brutum, quod aurum, non est ferrum. Tertiæ negationes fiunt quando priuationes, & fluxus, informemque materiam non ens appellamus, tanquam integro ente longè deteriora. Comparationes autem vere significant similitudinem quandam & habitudinem non primi quidem ad sequentia, sed sequentium prorsus ad primum, quod sanè cuncta multò eminentius superat, quàm cæteræ causæ quantumlibet ex te effectus quæque suos. Neque magis hos ordines superat, minus illos, alioquin habitudinem ad hos quidem maiorem haberet, ad illos verò minorem. Habitudine verò si præditum fuerit, non erit simpliciter vnum, nec penitus absolutum, omnia igitur æquè superat, hæc autem ad illud habitudine quadam affecta iam alia quidem propinquiora sunt illi, alia verò remotiora. Illud rursus per vnicum indiuiduumque quasi cardine cuncta producit, Hæc autem ad ipsum pro varietate naturæ aliter passim, & aliter se ad illud habent atque conuertuntur. Proinde quemadmodum via duplici Plato nosteras cendit ad primum, ita nominibus illud præcipuè duobus appellat. In Republica quidem, vbi per comparationes scandit, appellat bonum. Comparationes enim ex similitudine rerum ad primum infusa bonitate ducuntur. In Parmenide verò vbi per negationes incedit, nominat vnum, negationibus enim, Deum principium omnium vnicum, simplicissimum, eminentissimum esse designat, iam verò negationes processum omnium inde significant, siquidem multitudo procedit ab vno tandem multitudinis omnis experte, comparationes autem conuersionum omnium ad primum indicare videntur, quippe cum appetitu boni omnia conuertantur ad primum, cetera quidem ab aliis appetuntur, ab aliis negliguntur, bonum autem necessariò exoptatur ab omnibus, neque tamen duobus his nominibus vel nominamus ipsum, vel geminamus, sed nos ad sequentia conuertentes, dum multitudinis omnis inde processum consideramus, appellamus vnum, dum verò conuersionem, appellamus & bonum, sed etiam in processu bonum intelligimus propter fœcunditatem, & in conuersione vnum, quoniam ita reducuntur ad idem, ideo Plato in Republica vbi omnia conuertit ad ipsum, vt ad bonum, interea ipsum asserit intelligibilis, & ipsius intellectus vnificum.

Sequuntur discursus Platonici probantes vnum esse principium omnium, Et esse ipsum vnum, bonumque super ens ente. Primus discursus.

CAPVT XLI.

ENs vniuersum vel vnum est omnino, vel omnino multa, vel vnum atque multa, non quidem omnino vnum, ne cogamur quæ contraria sunt, idem prorsus esse fateri, negareque dimensiones esse, in quibus multæ sunt partes, ac principium, & medium, atque finis, negare rerum numeros, variasque formas, atque figuras, repugnantes qualitates, motus, effectus, actiones, &

passiones, motuum differentias, mutationes temporum, atque rerum, distinctiones inter causas, & effectus agentes, atque potentes. Neque rursus dicendum est vniuersum esse omnino multa, vnitatis omnis penitus expers, quia si nullum sit vnum in quolibet vel in cunctis, certe neque multitudo erit vlla, Multitudo enim ex aliquibus necessariò constat, quoniam quodlibet in se sit aliquid, & aliquod vnum, nisi igitur sit vnum, neque multitudo quidem erit. Item in multitudine cui nullum insit vnum, quicquid excogitaueris aut nihil erit, aut multitudo penitus infinita, similiterque de partium particulis infinitè argumentatiliceat. Erit igitur multitudo illa, in primis accepta infinita, ex infinitis infinitè vndique turbis coacervata, erunt infinita plura, atque vel tota multitudo prima maior erit cæteris turbis quasi partibus, itaque infinitum erit amplius infinitis, vel nihilo maior erit, vt absurdè confiteamur totum partibus non esse maiùs. Imò neque totum aliquod erit, neque partes, nisi sit vnitas atque vnio ad formam totius, partiumque necessaria. Denique si multitudo sit innumerabiliter infinita quod accidit vno sublato, certè innumerabiliter deinceps euadet multitudo maior, atque ex opposito innumerabiliter multitudo minor. Infinitè igitur hinc quidem infinita consurget turba, inde verò finita restabit, quod est absurdum, & omnis ordinis expers vbique futurum. Item per ipsam vnionis priuationem similia erunt pariter, atque dissimilia, vt alibi diximus, Similia quidem, quia priuationem similem patientur, Dissimilia quoque, quia per ipsam priuationem, dum nihil habebunt vnum, in nulla qualitate, vel conditione conuenient, rursus per priuationem vnius, simili ratione & eadem erunt, & altera, dum & priuationem patientur tandem, & non habentia vnum cogentur esse diuersa, ita multitudo per ipsam vnius priuationem neque stare poterit, neque moueri, non stare quidem, si modo stare est, in eodem vno que aliquo permanere, neque moueri rursus. Quod enim fingitur omnino non vnum, si mutetur vnquam certè ad oppositum permutabitur, id est ad vnum, quòd fingitur etiam nusquam. Cum igitur res nulla per aliquid idem pati simul possit opposita, meritò quæ ex vnius priuatione contingentia modo narrauimus impossibilia iudicantur, quas ob res, & vniuersum, & quodlibet ens est vnum simul atque multa. Quæritur deinceps vtrum in ente vnum atque multa sint omnino seorsum, an inuicem sint commixta. Si inter se fuerint segregata, eadem sequentur absurda, quæ circa multitudinem orbatam vno paulo superius sunt adducta. Sunt igitur inter se perfectè conflata. Quapropter necesse est super hæc extare causam principalem, authore videlicet partim quidem huic vni vt sit vnum, & huic multitudini vt sit multitudo, partim etiam vt conciliata sint inuicem. Neque enim multitudo hæc vno quodam conglutinata qua ratione multitudo est, vni huic opposita causa efficiens est vnius, neque rursus hoc vnum, qua conditione vnum à multitudine infectum est, particepsque eius, primum multitudinis est principium, neque vnum hoc, multitudoque inter se opposita ex seipsis conciliantur, sed aliunde, præsertim si neutrum sit à neutro. Sed neque putandum est fortuito hæc inuicem confluxisse, alioquin aliquando segregata forent. Quæritur iterum de authore, vtrum sit vnum prorsus, vel multitudo quædam. Multitudo quidem esse non potest, si quidem ex ipso varia vbique copulentur in vnum. Ac si multitudo sit vnionis expers, dictu nefas, si vel multitudo particeps vnitatis, vel vnitas particeps multitudinis sit, non est vnum simpliciter, principiumque primum, sed definitum quiddam, & desuper copulatum. Quod autem ipsum simpliciter vnum, sit cuiuslibet entis, & vniuersi causa, patet inde, quia nihil rebus melius est quàm & sua cuiusque vnitas, & vnio rerum mutua; per hanc enim fit, est, seruatur vnumquodque, hac amissa disperditur. Oportet autem in rebus optimum à primo principio proficisci, vnitas verò, & vnio diuersorum non fit aliundè quàm ab vno. Quod quidem hoc ipso quod vnum est, esse dat cunctis, si quidem per diuisionem amittitur esse. Quod autem amittit vnum perdit & esse, quod autem amittit vel non recipit multitudinem, non statim necessariò orbatur essentia, ipsi enim vni oppositum est non vnum, quod Græcè dicitur οὐδέν. Ipsi verò multitudini aut multis opponitur non multitudo vel non multa. Si igitur non id est vnum atque multa, neque rursus non multa idem erit atque non vnum, id est, μηδέν. Item non idem est essentia atque vnum, si quidem per ipsam essentiæ ratione res quomodolibet sunt, per rationem verò vnius, quælibet res non solùm est, sed est vnum aliquid, partim in se ab aliis distinctum, partim subiens cum cæteris vnionem. Rursus dicere essentiam, vel dicere vnum nondum est sermo, sed dicere essentiam vnum, iam est sermo. Iam verò si idem est essentia atque vnum, erit similiter multitudo atque non ens idem, quod quidem est impossibile. Nam & in essentia est multitudo, & in non essentia vnum. Sed nunquid ens, & vnum cum inter se differant in ordine vniuersi, velut æqualia, tanquam duo principia disponuntur? Nequaquam, Binarius enim esse retum origo non potest, exigit enim superius vnum, si autem essentia sit superior vno, vnum quidem tanquam particeps subibit essentiam. Neque viciſsim, quia si ens sit ante vnum, eo ipso momento primo quo iam est ens nondum existit vnum, cum naturaliter dicatur esse posterius. Quod verò nondum existit, participari non potest. Quicquid igitur vnum erit, essentia pariter erit, necè conuersò, quicquid erit essentia, statim erit & vnum. Erit igitur aliquid ens nullo modo vnum, igitur aut nihil, aut multitudo infinities infinita, quod est impossibile, quapropter vnum est superius ente. Dicitur autem ipsum vnum præter essentiam, non propter defectum quidē, sed excessum, quoniam est melius quam essentia, sed nunquid extat in essentia velut apex. Nequaquam, foret enim participatum aliquid & alicuius, & in aliquo, neque foret primum omnium principium, quod esse oportet imparticipatum, suique iuris, & in seipso tantùm, id est non in aliquo, ne cogatur aliunde pendere, nec habere debet duplicem in se naturam, sed vnum esse penitus absolutum.

Secundus ad idem discursus.

CAPVT XLII.

Item illud est omnium principium cuius omnia participia quodammodo sunt, ac propter participationem quandam appetitu quodam ad ipsum omnia conuertuntur, habentia videlicet ad ipsum habitudinem quandam inde tributam, illuc sua omnia referentem, vt vnde primò facta

sunt, inde præcipuè perficiantur, atque seruentur. Sed quidnam est manus hoc ipsius primi proprium, & tanquam communis quidam, artificis omnium primi character? Non quidem vita, vel motus, non enim omnibus insunt, neque etiam status, ipse namque motus, qua ratione motus, tanquam oppositus, statum in seipso non habet, non igitur status omnibus est communis. Sed neque etiam intellectus qua ratione intellectus, omnibus est communis. Neque enim intelligunt omnia. vel cognoscunt, siquidem quibus adest proprietas intellectus inest & cognitio. Intelligẽtia enim est, cognitio prima cognitionis omnis principium, nec materia speciem habet vllam intelligentiæ Symbolum, videatur sanè essentiam omnia communiter in se habere, neque tamen omnino verum est, quod enim fit qua ratione fit, nondum est hoc ipsum, quod fieri dicitur, et cum primum iam est hoc ipsum, non fit amplius. Cum igitur adhuc fieri aliquid, atque iam idem hoc ipsum esse, inuicem opponantur, meritò quod fit, qua ratione fit, essentiam non habere putatur. Idcirco Plato in Timæo, Sophista, Republica, & vbicunque de essentia disputat, tanquam longissimè diuersam à generatione distinguit, & quæ fluunt fieri quidem indicat, sed non esse. Quo fit vt essentia non omnibus sit communis, ipse tamen primi character, communissimi omnium principij communissimus, in omnibus qualibet ratione communiter inest. Contemplare igitur omnia inter se quantumlibet opposita, idem, alterum, statum, motum, fiens, (vt ita dixerim) factum, atque similia, omnibus & singularim & summatim inest vnum, & in ipsa multitudine, quæ vni videtur opposita, vnam ipsam conficit multitudinem, quid enim aliud multitudo est, nisi vnum aliquod sæpius repetitum? Et quonammodo ex multis conficitur aliquod sine vnione totum. Et quomodo est pars vlla totius aut numeri cuiuslibet, nisi ipsa sit aliquid, id est nisi sit aliquid vnum. Vnum ergo communiter inest omnibus, quo sublato, perditur vnumquodque, Quapropter volentes antiqui omnifariam nihilum prorsus exprimere, dixere οὐδὲν, id est, ne vnum quidem, quasi plus negetur dicendo non vnum, quam non ens, perinde ac si munus vnius vniuersa posterius quàm essentia deferat, idque sit in nihil penitus euanescere, videlicet vnum prorsus amittere. Hoc igitur vnum omnibus communissimum, ab ipso tandem existit simpliciter vno omnium communissimo.

Tertius ad idem discursus, Ac de simplicitate primi, & vltimi.

CAPVT XLIII.

IN ordine vniuersi ad primum peruenitur, & vltimum, vtrumque necessariò est vnum atque simplex, multitudinis expers. Alioquin neutrum erit primum simpliciter, aut vltimum, in ipso enim simpliciter primo non debet esse posterius aliquid, & in ipso simpliciter infimo, non debet esse superius, si primum aut vltimum in plura diuiseris, vtrobique reperies intus superius aliquid, & inferius, non enim diuiduntur hæc, si modo diuidantur more continui, siquidem dimẽsio nec primum est, nec vltimum vniuersi. Sicut igitur in linea longa peruenitur vtrinque ad punctum, nullo modo longum, sed prorsus indiuisibile, quantum ad dimensionem spectat, sic in vniuerso ad primum, vltimumque procedimus, vnum prorsus & indiuiduum etiam, quantum ad existentiam pertinet & naturã. Et primo quidem id nulli dubiũ esse debet, infimũ quoque si diuidatur in plura, non erit totum hoc infimum, sed illud potius in quod postremo resolutio fiet. Iam verò cum actio primi, vlterius protendatur, quàm sequentium actiones, nimirum in infimo nullum inerit cæterorum munus, sed sola & simplicissima ipsius primi proprietas, vt præter primi simplicitatem, vnitatemque nihil possit infimo simplicius cogitari, præsertim cum nihil in seipso nouum machinari queat. Quod autem est primo quàm proximum, & si simplex existit inde, sua tamen seipsum fœcunditatẽ multiplicat, Præterea omnis diuisio, differentia, multiplicitas, fit vel per formarum varietatem, vel diuisionem, ad dimensiones numerosúe spectantẽ, Hæc omnia formalia sunt, in materia nihil est per se formale. nulla igitur multiplicitas inest. Est itaque maximè vnum, & quoniam non habet vllum in se multorum, ideo potentia est ad multa suscipienda, sicut primum, quia multorum nullum est, ad multa sufficit facienda. Est certè materia maximè vnum scilicet formabile, sicut ens primum, maximè vnum est formale. Neutrum verò est ipsum simpliciter vnum. Quis ergo dixerit, vnum atque ens idem prorsus existere? Si modo consideres vnum de maximo, & de minimo ente pariter prædicari. Atque quatenus multitudo formalis negatur de materia, eatenus negari ens, & affirmari vnum. Ac si ex eo quod infinitas subire formas potest, & indefinita pariter est ad omnes, Plato in Philebo sub ordine infiniti materiam collocet, non tamen propterea eam existimabit esse minus vnam, sed maximè vnam, siquidem nullum infinitorum naturaliter habeat. Nam & ipsum infinitum ibi sæpe nominat vnum, quod quidem non ipsa ratione sui multitudine habeat, imò sub se participantium gradatim contineat multitudinem. Ibi quinetiam sub infiniti nomine non materiam duntaxat subiectam corporibus vult intelligi. Præsertim quia dicit ex infinito entia cuncta constitui. Neque tamen ex hac materia cuncta, vniuersa igitur formabilitas, & ad quamliber multiplicitatem subeundam indefinita potentia dicitur infinitum, quamobrem materia ad ordinem infiniti redacta nec ibi, nec alibi à Platone multitudo vocatur, sed vnum in Timæo ad suscipiendam multitudinem, susceptaculum. Probatque longius ab ente distare quàm formam, quandoquidem forma scilicet materialis ens verum refert, velut imago. Materia verò non refert, nisi forrassis vt vmbra vel potius vt oppositum, siquidẽ tàm informis materia sit quàm essentia vera formosa. Veruntamen dum ita probat tanquam minimum entis habere declarat, vnius habere non parum, dicens de hac verè pronunciari posse, hoc est istud. Neque propter ingredientia varia vnquam, è sua identitate mutari. Proinde Platonici sicut per negationes ascendunt ad ipsum simpliciter vnum, ita negando descendunt ad materiam simplicissimam, (vt diximus) eas quidem minimum, si modo sit ens, sed maximè vnum. Nempe quemadmodum negando molem, figuram, superficiem, longitudinem peruenimus ad punctum, quod in dimensionis genere maximè vnum est, & dimensionis habet minimũ, quia non est dimensio, sed dimensionis aliquid, quod cernimus, sic & negando entia per formarũ

negationes descendimus in materiam prorsus vnam. Entis verò quàm minimum, non quidem ens propriè, sed aliquid entis scilicet possibilitatem (vt ita dixerim) ad ens ente formabilem, fermè similiter à corpore procedimus ad eius imaginem specularem, quæ quidem non est corpus, sed corporis aliquid & hinc ad eius vmbram, quæ aliquid corporis est quàm minimum, simili ratione ab ideis, quæ vera sunt entia ad corporeas formas imagines entium, hinc ad materiam vniuersi entis vmbram. In qua informitas ipsa descretionem vllam admittens, dum prohibet essentiam esse formalem, cogit esse necessariò vnum. Iam verò materia vt fit vnum aliquid definitum sortitur à forma, per quam subit vnam hanc speciem aut illam, vt autem fit vnum, & id quidem indefinitum habet ab ipso simpliciter vno, quoniam ab hoc solo dependet vt penitus infinito, sed de hoc, & de his in Philebo diligentius disputamus. Præterea materialis forma authore Timæo non conuenit cum essentia in ratione aliqua, sed in nomine, quia fit inde, referatque illam velut imago. Longè igitur ab essentia cadit scilicet ideali velut specularis imago hominis ab humana natura, neque tamen similiter discedit ab vno. Nam & si nihil de natura entis, aut hominis sit in eius imagine, tamen non propterea imago hæc minus vnum quiddam est, videlicet vnum hominem, vel vnam ideam singularem repræsentans ab aliis differentem, seruata quoque pulchritudine conseruat & bonum, neque pariter seruat essentiam, similiter oppositi inter se motus, & si propter fluxum ab essentia decidunt, non tamen minus suum quisque vnum habet, per distinctionem propriam, qua ab aliis distinguuntur, suum quoque bonum, quo diriguntur ad finem conferuntque ad bonum. Item neque materia, neque forma ita distat à bono sicut ab ente. Forma enim & pulchritudine habet bonum, & ad bonum prouocat, vt imago boni. Fortè verò materia totiens iudicanda bona, quod species appellit, excipitque libenter, quasi portiones boni, & quantùm necessaria est huic vniuerso boni ipsius operi, tantùm forsitan est & bona. Per ipsam tamen formarum indigentiam, per quam & appetit bonum, & bono necessaria est, (vt dixi) longissimè distat ab ente, ac per eandem incitatur, & accedit ad bonum. Per ea quæ diximus, dogma Platonicum confirmatur, vnum bonumque ente superius iudicandum. Summatim verò vnũ quod est cum aliqua multitudine, & participatum est, & aliquod vnum, id est, multitudo vna est cum apposita multitudine mixtum. Super hoc igitur extat vnum imparticipabile, absolutum, purum. Quod omnis multitudinis est principium per que vnum multitudini infusum ordinat ipsam, & connectit, & reuocat ad seipsum, denique sicut supra formas passim mixtas oppositis, vel alienis sunt ideæ in seipsis puræ, & super ens quodlibet quodammodo, cum non ente permixtum, est ens ipsa sui prima ratione sincerum, ita super vnum, multitudini coniugatum extat vnum à multitudine penitus absolutum, in quo nihil est non vnum. A quo dependet quicquid est vnum, simul atque non vnum, omne quidem eiusmodi quoniam existit à primo vnum est, quoniam verò extra ipsum, & inferius ipso statim in se multitudinem explicat, & distinctionis originem.

Quartus ad idem discursus, & de contemplatione boni.

CAPVT XLIV.

VNicum optimumque vniuersi principium percepturi, cogimur in primis quæcunque maximè ab ipso diuersa sunt, id est, malum multitudinemque deponere, atque in nostrum quendam vnicum optimumque habitum pro viribus reuocare, ad simplicem videlicet, tranquillumque intelligentiæ sublimis intuitum. Illuc igitur quantum diuinæ lucis in intellectu primo, idemque refulget, ita fermè suscipimus, quemadmodum in nocte serena stellas in firmamento, per intelligentiam videlicet nostram, intellectum illum, per formulas item ideales ingenitas intelligentiæ nostræ ideas pro viribus contemplantes. Quod si in eiusmodi contemplatione diu perseuerantes proficiamus, ita demum ipsius boni noua lux & incredibiliter admiranda coruscat nobis ex alto, quemadmodum. Astronomis stellas vsque ad diluculum obseruantibus Solis iubar exoritur, ita mox stellas oculis mirabiliter auferens, sicut ipsius boni lux, si modo percipienda sit nos cogit intelligentiam formulasque eius, & intellectum ipsum ideasque, & intelligibilia omnia posthabere. Proinde sicut Solem conniuentibus oculis sic ipsam boni lucem intelligentia conniuente suscipimus, vel potius veneramur. Neque enim licet, neque fas est intelligentiæ aciem in illud vnquam, quod intelligibili superius est dirigere. Id igitur quasi sub coruscamine quodam augurari, potiusquam intuiti, mox ad intellectum intelligibiliaque velut à Sole ad firmamentum, & stellas conniuendo regredimur, deinceps iterum ad rationales discursiones, atque sermones, huc autem postremò regressi quid nam de illo potissimum concipimus aut loquimur? Certè quod simillimum est statui mentis illuc vsque progressæ, eiusmodi verò status maximè vnus est, & simplex atque optimus. Ideo Deum ex hoc statu nominamus vt vnum penitus atque bonum, dum verò vnum bonumque dicimus, non duo quædam, sed idem prorsus vaticinamur. Bonum namque tanquam conseruans omnia propterea que appetibile nimirum est essentiæ omnis appetentis vnificum, sicut malum dissipans vel dissipatio quædam vnde sua cuique bonitas vnio quædam est, atque vicissim Propterea ipsum vnum, bonumque idem prorsus esse coniicimus, præsertim quia natura boni est, quasi diffundere se per omnia per processum, vicissimque per instinctum singulis appetitum ad se vnum omnia reuocare. Ideoque vniuersum summopere reddit vnitum. Sed vbi dicimus vnum, non ens vnum, imò vnum simpliciter intelligimus. Cum enim non tàm essentia vnitatem quàm vnitas conseruet essentiam propterea que aliud, & inferius essentia sit quàm vnum, non debemus primum ipsum vnum ens vnum dicere, ne fortè cum multitudine misceamus. Rursus quando pronuntiamus bonum, non est quidem bonum, sed ipsum simplex bonum significare conamur. Cum enim non ens quidem perficiat bonum, sed contra neque bonum appetat essentiam, sed vicissim, meritò alia est superiorque natura boni, quàm essentiæ, entisque natura. Quapropter si quis ipsi bono coniugium entis addiderit deterius applicans meliori, non solum reddet pro ipso bono quoddam bonum, sed etiam pro optimo

iam non optimum. Iam verò communis omnium consensus definiens bonum, cuius gratia omnia, & quod appetunt omnia, vaticinari videtur, illud nec vllius gratia esse, nec aliud prorsus appetere. Illud itaque nec ens aliquod esse, nec aliquod bonum in ente, omnis enim essentia bonum appetit, id est esse, secundum naturam, ac bene perfectéque sese habere, bonum quoque in essentia forte videri potest illius ipsius substantiæ gratia esse quæsitum, vt videlicet secundum naturam perfectè se habeat, nec est bonum simpliciter omniumúe bonum, sed alicuius duntaxat & in aliquo bonum, & propterea quiddam bonum. Ea profectò ratione quæsitum vt per hoc ad ipsum bonum propius accedatur. Itaque præter bonum quod vel ens, vel in ente, vel entis est extat bonum eminentius ente. Sicut enim quodlibet ens suum quoque bonum appetit tanquam aliud, & in suo quoque bono appetit ipsum bonum, sic ens vniuersum consequenter ipsum bonum exoptat tanquam aliud atque superius. Denique si quo pacto bonum ipsum describere licet, circumspice omnes in rebus perfectiones, quarum gratia sunt appetendæ, harum itaque fons est ipsum bonum quod intra omnia quæ appetuntur, latet tanquam centrum. Partim quidem in rebus appetibilibus perfectiones proferens appetendas, partim verò per has velut escas appetentia omnia passim alliciens ad seipsum.

Quintus ad idem discursus, & de appellatione primi.

CAPVT. XLV.

QVando nominamus primum, solemus quibusdam perfectionibus communissimis appellare, scilicet essentia, vita, mente, veritate, virtute, hæc autem accipi velut concreta possunt vel abstracta. Si concreta, scilicet ens viuens & reliqua, non conueniunt simplicitati primi. Si vt abstracta, propter simplicitatem magis conuenire videntur, vt essentia, vel vita magis quàm ens vel viuens. Sed hæc rursus abstracta si considerentur quasi formæ quædam rationesúe formales in concretis, primo non competunt, si considerentur extra. Nec essentia in se numero conducit vitam, nec vita mentem, sed & illa ad istam, & ista ad hanc appetitu contendunt. Ideonec essentia, nec vita primo competunt, sed forte magis intelligentia, nec ista quidem, quia non comperit omnibus intelligere. Et ipsa intelligentia contendit ad veritatem, & per hanc ad bonum, Bonum verò nusquam vertitur, summatim, verò inter illa superius numerata, nec præcedentia primo congruunt, quia non includunt sequentia, sed ad illa nituntur. Nec insuper sequentia sunt consentanea primò, quoniam & primorum participant, neque sunt illa, & quoniam deinceps effectus producunt angustiores, neque appellare decet primum hoc nomine, scilicet esse vel viuere, quoniam esse est actus quidam per essentiam suam in ente concreto, viuere actus in viuo per vitam, si quis autem primum bis nominibus appellare voluerit, causali quadam, (vt ita dixerim) appellatione potius quàm formali, id quidem libenter accipiemus, tanquam à Platonicis non alienum, & à Dionysio frequentius vsurpatum. Quoniam verò primum hæc habet munera, vt & vnicè perfectiones omnium complectatur, & nihil vltra petat, & omnibus suum impertiat proprium: solum verò id munus ipsum bonum ynumque possidet, meritò præcipua hæc est appellatio primi. Iam verò essentia non quidem suapte natura vitam includit, (vt diximus) neevita intelligentiam, neque hæc simpliciter veritatem. Tametsi essentia iam per bonum perfecta vitam habet, vita per bonum perfecta, similiter habet mentem, mens perfecta per bonum, veritatem, gaudium, felicitatemque iam possidet. Hæc rursus primum ipsum est ipsa veritas, vel virtus hæc aut illa, ne forte bonum quiddam definitum sit, nec bona omnia complectatur, Nisi fortè componatur ex cunctis. Quod dictu nefas, ipsum enim primum bonum, simpliciter & singulariter est omne bonum.

Sextus ad idem discursus, Et quòd non eligitur simpliciter esse, sed bene esse atque bonum.

CAPVT LXVI.

ESsentia, vita, cognitio, appetitus, actio, per quosdam oppositorum modos inter se distinguuntur, essentia quidem statui, vita verò motui similis, item vita quidem motui recto, cognitio verò reflexo. Præterea essentia pariter atque vita solam suæ formæ tenent proprietatem: cognitio autem omnibus se conformat. Rursus, cognitio res quemadmodum sunt in ipsa percipit, appetitus verò non ita petit, sed quemadmodum sunt in ipsis, denique appetitus in appetente manet, actio transit extra. Quantò hæc magis deinceps inter se differunt, tantò magis gradatim differunt ab essentia, vt non sint quidam quasi gradus essentiæ, sed formalia quædam addita, tanquam perfectiones eius, & bona quedam à bono superiore pendentia. Non enim vel hæc per seipsa sunt, cum sint in alio: vel essentia naturaliter non perfecta perficit semetipsam, sed à bono, quod super essentiam est, perficitur. Præterea sicer se habet sensus ad bonum sensibile, ita fermè se habet intellectus ad intelligibile bonum. Itaque sicut sensum boni, sequitur appetitus boni, quod bonum & à sensu, & ab appetitu differt: ita semper intelligentiam boni sequitur appetitus boni. Qui sanè appetitus inter cognitionem & bonum semper est medius. Certum verò est, appetitum boni non esse ipsum bonum, certum igitur, cognitionem quamuis exactam, non esse ipsum bonum. Certius quoque essentiam, quæ cognitione inferior est, ipsum bonum esse non posse. Iam verò cum nulla essentia qua ratione simpliciter essentia est, in seipsa quiescat, sed actionem edat, & per actionem pergat ad aliquid ratione boni, quero quidnam appetat? Non quidem esse. Iam enim est ante quam appetat, neque potest appetere nisi sit prius, neque rursus appetit magis esse vel aliud esse quam sit: quæreret enim contra naturam speciem permutare. Mitto quòd essentia vel esse non suscipit magis aut minus. Non igitur præter id quod iam est affectet, nisi bene vel melius esse, id est melius se habere, hoc verò nihil aliud est quàm appetere bonum, tanquam essentiæ condimentum. Non est autem appetibile aliquid qua ratione ens vel esse. Alioquin ens præsens appeteretur, & quod quisque habet perpetuò quæreret, & quod vtcunque maius ens apparet amaretur, & magis. Non ergo qua ens, sed qua bonum est appetibile, bonum quidem, & appetibile conuertuntur: non ita profectò ens & appetibile conuertuntur. Et sæpe absens aliquid, & futurum, quod minus entis ha-

bet magis quàm præsens nobis est appetibile, tanquam melius, non igitur est idem ens & bonum, sed bonum est eminentius, quia si bonum ad ens comparetur, & esse, rationem finis semper habet atque motoris. Habitus profectò rationem entis magis quàm priuationes habent: Sæpe verò ratione boni, ita priuationes eligimus, sicut habitus, & quandoque magis, non est igitur eadem natura entis atque boni. Nonne sicut eligimus, agere tanquam bonum, ita sæpe non agere tanquam bonum, sicut sentire iucundum, ita etiam non sentire molestum, sicut scire gratum aliquid: ita etiam si offenderit neque nosse: sicut viuere cum vsu, vel saltem cum spe bonorum, ita nec viuere quidem eligunt, omni spe bonorum penitus destituti, interim oppressi malis. Itaque & seipsos interimunt, respuentes videlicet & vitam, & essentiam absque bono, quippe cum hæc amauerint propter bonum.

Septimus ad idem discursus. Et quæ differens ratio entis atque boni.

CAPVT XLVII.

Essentia ipsa qua ratione essentia est, magis minusúe non suscipit. Bonum verò tanquam aliud, magis suscipit atque minus. Sæpè etiam quod magis essentiale est in rebus appetit, vt finem aliquem quod in his est minus essentiale, id est actionem, motumque aliquem, tanquam melius aliquid, vel tanquam per quod melius quandoque se habeat, quasi essentia, & bonum non sint idem. Præterea rem externam & fruitionem eius res appetunt tanquam bonam non quia sit, vel maximè sit, sed quia maximè congruat, propitsque, quod est esse bonam. Præterea oppositum quidem entis est non ens, oppositum verò boni malum: sed malum non idem penitus atque non ens. Malum enim dicitur non solum omnimoda, (vt ita dixerim) essendi priuatio, sed etiam defectus quidam boni, & habitus aliquis tibi contrarius, & res imprimis aduersa tibi. Quæ quantò magis habere in se videtur entis, tantò tibi mala magis. Imò verò oppositum boni est non bonum, sicut non ens, entis oppositum. Sed non bonum, non idem penitus atque non ens, nam non bonum cuique non modo est ipsa essendi priuatio, sed etiam defectus boni aliquis, atque id insuper quod est contrarium. Quod quidem quantò magis videtur ens, (vt diximus) tantò magis occurrit, vt malum. Proinde perfectio formalis vltima essentiæ est intellectualis forma, huius formæ perfectio est actualis, (vt ita loquar) intelligentiæ, hęc verò plurimùm sui entis habet, quando certissima est. Certitudo verò qua ratione certitudo est, non est intelligentię finis, sed quando certè suum bonum percipit, non quiddam vt dicitur maximè, ens, sed maximè consentaneum, atque delectabile, tanquam ita bonum, quasi ratio entis, & boni sit diuersa, nonne voluptas præ cæteris affectatur? Quasi rationem boni plurimam habeat. Non autem versatur in hoc ipso voluptas, vt certo sentias maximum ens, & vehemens, sed vt congruum tanquam tibi bonum. Atsi etiam suspiceris, quod magis essentiæ, vel entis habet, id magis expeti, equidem non putabo te magis essentiam suspicari quasi mole maiorem, vel numero plurem, vel tempore diuturniorem, vel gradibus quasi qualitatis intentiorem, essentia enim suapte natura à magnitudine, numero, tempore, qualitate, simpliciter est abstracta; & hæc quæ modo narraui nonnunquam minus eliguntur quam opposita, neque rursus substantialiorem, (vt ita loquar) eam vocas: Magis enim atque minus non pertinent ad substantiam. Reliquum est, vt illud magis ens, & optabile magis iudicaturus sis, quod ens est melius, melius autem, per ipsam bonitatem, melius esse censetur. Sed quæ bonitas est in essentia, qualitas est essentiæ, entisque conditio. Super hanc igitur extat ipsum absolutè bonum. Accedit ad hæc, quòd sicut materia ad formas contrarias est indifferens, & genus ad oppositas inuicem differentias, sed essentia ad viuum, atque non viuum, ad sentiens, atque non sentiens. Per aliud igitur ad istas producitur. Vita quidem est ad essentiam vt perfectio quædam bonumque eius, & sensus similiter ad vitam, & intellectus ad sensum, vita non magis est ens quam essentia, per quam est ipsa, sed est melius. Sensus non magis viuit quàm vita, per quam viuit ipse, sed melius, similiterque deinceps. Gradatim verò melius se habere vbique fit per bonum, non tamen fit per essentiam, quę non per se ad melius vnquam proficit, proficit ergo per bonum ente superius. Si verò dixeris, bonum ipsum esse id omnino quod maximè ens est, respondeo, primò quidem, sicut in quolibet ente alia quidem est essendi ratio, alia verò bene essendi, sic aliam esse rationem ipsius maximè entis, aliam ipsius boni. Deinde quod maximè ens appellabas, non fore simpliciter ens, sed cum additamento quodam, per quod non simpliciter quidem sit, sed sit quam maximè, id est, quam perfectissimè, id est, quam optimè, scilicet per aliquam perfectionem bonitatemque ab ipso simpliciter bono prorsus infusam. Cum verò dicimus, ipsum simpliciter bonum, dicimus omne fine limitatione, vel compositione bonum: Item perfectio bonitas ne est gemina? alia quidem formalis, alia verò finalis. Si quis ergo coniecerit, formalem, bonitatem esse quasi quoddam augmentum essentiale, non tamen de finali, quæ est potissima, & optima, idem dicere poterit, igitur bonum præter essentiam censetur existere. Idque sæpe facit, vt quod quasi accidentale est in re, vel circa rem, optabilius sit, & melius eo quod essentiale magis. Quod quidē fieri nequit absque condimento boni, siue id quidem formale sit, siue sit finale. Præsertim quia quod quasi accidentale est, ideo optabilius est quòd circa bonum ipsum agit externum, alioquin optabiliùs nunquam foret, non enim potest accidens esse sub stantiæ finis. Igitur finis eius est ipsum bonum penes quod substantia per illud accidens sese versat. Præterea essentia, vita, intellectus, differunt inter se ratione formali, differentes enim definitiones habent, nec idem hæc, inter se sunt, scilicet non ens, non viuens, non intelligens, & pluribus alia quàm alia competunt, Neque per magis minusue differunt, quasi essentia, primum gradum, & secundum habeat, atque tertium, sicut calor. Est enim substantiale; sed forte differunt sicut siccitas, & calor, & lumen. Profectò nisi aliter ens distinguamus more qualitatis, primum eius gradum, & secundum, atque tertium, latentet eò deueniemus, vt solam vnam essentiam substantiamúe fingamus, ceu calorem vnum modo remissiorem, modo vehementiorem. Tollemusque substantialium formarum gradus,

distinctionesque rerum ad prouidentiam pertinentes. Forte verò dicet aliquis, essentiam quidem non magis minusúe, qualitatis modo, suscipere, sed in quouis composito multos essendi modos esse posse, vt anima nostra primò quidem habet suum esse naturale, secundò suscipit esse tranquillitatis, tertiò sapientiæ, quartò fœlicitatis, totidemque procedere bonitatis gradus quot essendi modos. Nos id quidem libenter accipiemus, sed dicemus, insuper, vnumquemque bonitatis gradum ab ipso essendi modo quem comitatur, formali quadam ratione distingui. Nā vbiq; esse, bonū appetit potius quàm vicissim. Perficitur esse per bonū, neque contra, & illud esse respueremus, si omni prorsus bono destitueretur, bonum verò respuere nunquam possumus. Summatim verò cum anima vltra naturale suum esse appetit sapientiam, non videtur eam appetere tanquam maiorem quendam entis vel essentiæ gradum, nam vel essentia non habet eiusmodi gradus vel forte magis essentiale est esse primum, in quo tanquam substantia fundatur, secundum, atque tertium tanquam aliquid aduentitium. Non expetit, inquam, sequentem gradum, vt essentiæ magis compotem, sed vt meliorem, vt magis boni participem, vt conferentem ad ipsum bonum, propria vbique primus gradus entis ad secundum dirigitur, vt ad finem. Ens autem qua ens, non est necessariò finis, sed qua bonum, ergo dirigitur vt ad bonum, non enim primum appetit secundum, idque tertium, nisi vt inde proficiat, ex quo vt ad bonum procedere confirmatur. Denique si Platonicum dogma sectamur, conclusuri sumus vnumquodque & ex primo principio dependere, & ad illud se prorsus habere: Quantum igitur inde, velut ab effectore pendet, ens existere atque dici, quantum rursus se habet ad illud vt ad finem, esse appellarique bonum. Et hoc quidem duplici ratione, vt enim præcipuo quodam charactere refert illud, naturale secum afferre bonum, vt autem ad idem quolibet appetitu conuertitur, aduentitium cōparare bonum nonnunquam melius naturali. Sicut igitur aliud quidem est ex primo pendere, siue produci, siue præcedere, aliud autem ad ipsum se habere, vel referendo, vel remeando, sic in quolibet, aliud ens, aliud bonum similiter extra quodlibet, aliud ipsum ens, aliud ipsum bonum. Bonum verò ad ens vbique, ac semperse habet vt finis: bonum igitur ente superius. Et vbique tanto superius quanto ratio finis rationem superat effectoris. Res verò, sicut diximus, ab ipso Deo tanquam effectore sortiuntur essentiā, & tanquam fine præcipuè adipiscuntur bonum ipsum, itaque bonum, vt dicebamus, ipso ente præstantius iudicandum. Quod & Aristotelem non arbitror negaturum, si modo meminerit se descriptionem boni hanc à veteribus accepisse. Bonum est quod omnia entia appetit Cum enim aliqua quidem sint appetentia, aliud verò atque præstantius sit appetibile, certè bonum cunctis entibus expetendum, ab Aristotele concedendum est, esse tota entium vniuersitate superius. Propterea Deum, inquit, regere mouereque omnia non aliter quàm vt appetibile, & amabile, id est, vt bonum atque finem. Nec iniuria causam causarum vnà cum præceptore suo nominabit bonum, finis videlicet cognomento, si quidem finalis causa cæteras antecellit. Sicubi verò ens vni bonoque facit æquale, illi forsan vni, atque bono par iudicat, quod & ab intellectu percipi, & ab ente capi potest. Quod autem Plato suus vaticinatur excessus, id tanquam ineffabile penitus, & incognitum, non verbis quidem prosequitur, sed potius silentio veneratur.

Principium vniuersi est ipsum simpliciter vnum principium in quolibet ordine quod ibi est maximè vnum, de Sole, natura, intellectu.

CAPVT XLVIII.

Sicut pessimum omnibus est diuisio, ad existium singula trahens, sic optimum est vnio, & partium inuicem, & ad totum, & totius ad causam suam, & originem atque naturam. Vnio verò ad summa tandem fit vnitate: Quæ quidem hinc esse principium vniuersi cognoscitur, quod donum tribuit optimum, & vniendo conuertendoque singula perficit, vt pote quæ effecerit omnia producendo. Hinc efficitur vt in vnoquoque rerum genere atque ordine id profectò sit principium, quod ibi est maximè omnium vniforme, & ante omnia simplicissimum. Mitto nunc quomodo vnitas quidem sit principium numerorum, signum verò dimensionum, momentum temporis naturale minimum quodammodo sit principium corporis naturalis, vniformis ipsa seminaria virtus, origo corporis vniformis. Sed minora sumamus, lumen videmus, & à stellis quàm plurimis, & ab igne, & ab oculis multis, & à carbunculis, similibusque profluere. Hæc quidem & specie, & genere inter se valde diuersa sunt: Lumen autem ex his emanans est vbique simillimum & (vt ita dixerim) maximè vnum. Vnum ergo principium postulat non diuersa, siquidem diuersa facerent, & valde diuersum. Quid ergo? Sol vnicus est luminis omnis mundani principium. Sub hæc & si plura videntur quasi quædam participia luminis, per vnam tamen naturam & virtutem, proprietatemque Solarem tam vniforme lumen effundunt. Si præterea quæramus in Sole principium lucis potissimum, dicemus, ne ipsam Solis molem lucis esse principium? Non certe, si certam sequimur rationem, multæ namque globi illius partes lumina multa diffundunt. Erunt ergo principia multa? Nos autem requirimus vnum atque primum, lux enim quæ mundanorum omnium maximè vna est, & simplex incorporeaque, & eminens, principium exigit vnum simplex, & incorporeum & excellens. Nunquid igitur ipsa Solis anima lumen generat? Ipsa profectò, sed non animali multiplicitate sua, alioquin lumina diuersa profunderet, Procreat igitur intellectuali luce visibile lumen. Non intellectuali quidem varietate, sed vnitate potius intellectus, quæ quidem vnitas intellectuali illi animæ præest quasi character illius simpliciter vnitatis, quę est vniuersi principium. Cui & intellectus ille per vnitatem suam maximè est vnitus. Per eandem est diciturque Deus. Hæc igitur diuina Solis vnitas est vniformis luminis mundani principium, quemadmodum & ipsa simpliciter vnitas, atque bonitas est luminis intelligibilis author. Similiter si quæramus generationis vniuersæ principium, vnum tandem inuenturi sumus, quando & generationes omnes vno quodam ordine ad vnam contendunt vniuersi formam. Hoc verò principium est

est genitalis ipsa mundi vita. Cum verò in hac terum semina sint quam plurima, vnum autem oporteat esse principium, merito per principalem vnitatem suam per quam & ipsa diuina est, summoque Deo prorsus vnita, est generationis omnis mundanæ principium. Inuestigantibus præterea quid primum cognitionis omnis principium sit, perfectissima cognitio, id est, intellectus primus protinus occurret vt princeps: Veruntamen non per multas species conceptionesque suas primum erit cognoscendi principium, nam vnum tandem hoc esse debet, sed per vnitatem suam, qua Deus existit, tam sibi quàm cæteris virtutem cognoscendi largitur.

Primum rerum principium est vnitas bonitasque super intellectum, vitam, essentiam.

CAPVT XLIX.

Existimabit fortè aliquis, primum intellectum esse simpliciter primum. Tametsi oporteret eum qui sic existimat animaduertere se dum dicit primum intellectum, significare id ipsum quod dicit, non iam esse simpliciter, sed certa quadam conditione, & definito quodam ordine scilicet intellectuali primum, similiter neque quod ipsum intelligibile nominatur potest simpliciter esse primum, præsertim cum proportionem habeat quandam cum intellectu quolibet à primo principio alienam. Sed dic quæso, qui intellectum vis esse primum summumque Deum, qua nam ratione id munus habebit? Non qua intellectus est, alioquin cum omnia primi potentissimi authoris omnium debeant reportare characterem, intelligentiam, vel cognitionem quandam omnia possidebant. Intelligentia enim est prima cognitio, si per intelligentiam ipsam propriè neque præcipuè sint expressa. Præsertim si illinc intelligentia sit ipsa natura, sicut enim vita naturaliter viuentia generat, sic naturalis intelligentia, naturaliter intellectualia, vel cognoscentia facit. Præterea intellectus ille primus qua ratione est intelligens, ad intelligibilia iam existentia, & ad quæ dicuntur entia sese confert, nec aliud habet proprium nisi illa quæ iam sunt perspicuè contueri. Non igitur hac ratione rerum principium esse potest, cuius proprium est omnia facere, seruare, perficere. Quantum verò interest inter facere atque contueri, tanto intellectus interuallo saltem à primo rerum principio distat. Denique intellectus etiam sunt particulares intelligentes animæ, siue dæmones, siue Angeli, neque tamen dij sunt, nisi præterea vniuersalis prouidentiæ munus habeant. Non igitur eadem intellectus, atque principij ratio est habenda. Sed nunquid intellectus ille primus, qua ratione vita est, appellandus est princeps? minimè, nam omnia viuerent. Fortè verò qua est essentia, sunt enim omnia. Neque id quidem, perfectior enim est qua intellectus existit aut etiam vita, quàm qua essentia; si igitur non illa, neque ista ratione Deus. Item nulla essentia in seipsa quiescit, sed per actiones contendit ad bonum, neque aliquid simpliciter esse experit, sed bene esse atque cum bono. Ex quo patet & super ipsam simpliciter essentiam esse aliud, id est, ipsum bonum, præsertim quia cum ens, & essentia multiplicitatem possit admittere, quàm vnitas ipsa non potest, merito vnitas est simplicior, atque prior, sed de his alibi. Præterea non omnia esse suum habent, propriam que essentiam, sicut quę omnino, extrinsecusque coniungunt, simpliciterque fluunt, ac priuationes informisque materia. Omnia tamen manifestum principij donum præferre debent, donum, inquam, optimum, si modo principium sua proprietate facit omnia exprimitque potenter. Qua nam igitur conditione primus intellectus habet, vt sit principium aliquod atque Deus? Qua videlicet ferme cuncta sibi quodammodo similia reddit, per vnitatem bonitatemque omnibus distributam. Quodlibet enim est quodammodo vnum atque bonum. Igitur qua vnus est & bonus per vnitatem, atque bonitatem, verum hæc non sunt in intellectu, vel primo prima, est enim ibi vnitas bonitasque, non simpliciter illa quidem, sed quædam potius, id est, intellectualis, pro intellectuali natura, pro capacitate sua. Si modo alia semper atque superior vnitatis bonitatisque ratio est, atque intelligentiæ ratio, quandoquidem intelligentia neque percurrit per omnia, sicut illa, neque seipsa contenta est, sed ad ipsum bonum expetit vnionem, estque particeps multitudinis compositionisque cuiusdam, quam prima vnitas necessario refugit. Vbi verò super intellectum ipsam simpliciter vnitatem bonitatemque cogitamus, non duo quædam, sed vnicum contemplamur. Siquidem vbique vnire, & benefacere idem est, & tam vnitas quàm bonitas, superius aliquid non admittit, nihil enim vel vnitate simplicius, vel bonitate melius cogitari potest. Simplicissimum verò, atque optimum est proculdubio primum. Primum vero penitus vnicum, ad primum propriè pertinet incomparabilis ipsa simplicitas, quam ipsam dicimus vnitatem. Pertinet & communicabilitas per omnia se diffundens. Quam bonitatem ipsam cognominamus, per vnitatem quidem est maximè simplex. Ergo primum per eandem est maximè potens, si quidem vnita virtus est vbique potentior. Per eandem rursus potenter per omnia se diffundit, vnde est maximè bonum, imò verò vt est ipsa simpliciter vnitas, ita simpliciter ipsa bonitas. Denique quia omnes etiam priuationes, & fluxus, informisque materia, quodammodo vnitatis, bonitatisque participia sunt, & singula vnionem bonumque appetunt, coniectamus ipsum simpliciter vnum, bonumque primum omnium esse principium. Vtinam mirandus ille iuuenis disputationes, discursionesque superiores diligenter considerauisset, antequam tam confidenter tangeret præceptorem, ac tam secure contra Platonicorum omnium sententiam diuulgaret, & diuinum Parmenidem simpliciter esse Logicum, & Platonem vnà cum Aristotele ipsum cum ente vnum, & bonum adæquauisse.

De vnitate super essentiam, de vnitatibus inessentiis, de diis, de communi intentione Parmenidis in suppositionibus suis.

CAPVT L.

Sicut ipsa simpliciter vnitas est superens vniuersum, ita in ordine rerum sua cuiusque entis vnitas quodammodo est essentia sua superior. Ad quam essentia eamque comitantia ita se habent, vt circulus se habet ad centrum, vbique profecto vnitas essentiam sibi familiarem modo quodam coæguli continet, sibique met vniendo,

& ab alienis secernendo perficit atque firmat, tanquam essentiæ cardo quidam atque præstantior. Neque ipsa quidem vnitas adæquatur enti, sed entis vnio, latior enim ente vnitas, priuationem etiam quamlibet declarat vnam, sicut & habitum quemlibet vnum, ipsamque materiam fermè non minus vnam, quàm formam atque compositum. Quamuis materia longius ab ente, & esse, & essentia cadat: vnum ergo bonumque solum communicatum omnibus testatur, vt diximus, ipsum simpliciter vnum, bonumque omnium est principium. Siquidem ad primum pertinet proprium symbolum in singulis potenter exprimere, vbi vero ens est non verum, vt in rebus omnino caducis, vnitas non est diuina. At vbi essentia vera vt in substantiis sempiternis, scilicet in animabus rationalibus, etiam particularibus, cœlisque, vnitas iam est diuina. Sed quoniam hæc non sunt proxima Deo tanquam mobilia, & quasi composita, vnitas eorum non est Deus, sed vbi essentia verissima est, vt in mentibus separatis, vel cœlestibus animabus, vnitas earum iam est Deus, quotve essentiæ illæ sunt, totidem & excessæ earum sunt vnitates, totidem & dij vocantur. Vnitas ergo proprium est Dei nomen, vnitas omnino super essentiam Deus vnicus, atque primus, vnitates in essentiis sublimibus eminentes dij multi sunt atque secundi. Atq; propter vnitates eiusmodi, quasi expressiores vnitatis primæ characteres, essentiæ ille deorum nomina susceperunt, prouidentiamque vniuersalem sortitæ sunt diuinæ propriam bonitatis, vnitates illæ ita sunt vnitati primæ semper vnitæ, sicut radij luci, & lineæ centro coniunctæ sunt, & inuicem: cùm enim per vnitatem in cæteris fiat vnio, multo arctius inuicem vnitæ sunt vnitates, sed interim inter se distinctæ, siquidem vnitatis virtus est, naturam sibi familiarem prius sibimet vnire quàm cæteris. Ideo cum vnione communi semper vnitatem propriam seruat, distinctamq; ab aliis proprietatem. Quamobrem Parmenides dum versatur multipliciter circa vnum propter mirabilem vnitatem omnium, ad primum vnum & inuicem vnionem, aliquando, vt Platonici quamplurimi voluerunt, primum tangit vnum extra entis terminos vniuersi. Ibique omnes entium de illo negat proprietates. Aliquando de vno loquitur, quod comitem habet essentiam, ibique entis, & entium munera iam affirmat, & omnia quidem vbi de essentia prima. Alia rursus præ ceteris atque alia, vbi de essentiis tractat aliis, & vbique diuinis. Putat ergo Proclus, vt supra tetigimus, significationem ipsius vnius, quod repetitur vbique in variis suppositionibus variari quidem, sed interim ipsum suppositionis antecedens quodammodo idem videri posse, propter mirabilem illam diuinarum vnitatum inuicem vnionem. Sed multomagis passim consequentia variari, vt ostendatur interim vnitatum earundem syncera distinctio. Quandoque enim in cõsequenti ponitur ipsum totum, quandoque pars, quandoque figura. Et aliàs quidem affirmatiuum consequens est, aliàs negatiuum. Addit alibi quidem vnum super ens, vt diximus, pertractari, alibi vero vnum, & vnitates multas in ente vero, ibique per gradus entium latè procedi. Alibi vero cursim vnum in ente non vero perstingi. Vnde tamen ad diuina commodius subitò redeatur. Omnino vero Dialogi totius intentionem esse tractare aliquo posito, vel non posito, quid sequatur ipsi ad seipsum, & ad alia quodve non sequatur. Atque rursus quid sequatur, vel non sequatur aliis inuicem, & ad illud. Itaque in prima suppositione perquiri, posito quidem vno quæ non sequantur, & non consequantur. In reliquis duabus agi quæ consequantur aliis inuicem, & ad suppositum, & quæ non consequantur ad se inuicem similiter, & ad illud. In quatuor verò cæteris suppositionibus (sunt enim cunctæ nouem suppositiones) simili quodam ordine vno non posito variantur. Putat vero passim per suppositionum similitudinem, significari miram diuinarum vnitatum vnionem, primò vni radicitus inhærentium. Per dissimilitudinem verò, discretionem earundem, quatenus ab vno aliter, aliterve procedunt. Operæpretium esse, inquit, animaduertere, per priores quinque suppositiones vera concludi posito vno. Per quatuor verò posteriores ostendi quæ absurda, vno sublato, sequentur. Quoniam Parmenidi propositum sit ostendere quomodo existente vno omnes entium gradus inde procedant. Et quomodo non existente omnes auferantur, totoque tractatu id declarare, partim quidem ponendo vera, partim verò falsa interimendo. Perinde, ac si ita de prouidentia differatur. Si prouidentia fit, erunt omnia recté disposita. Si verò non fit, sine ordine omnia. Est igitur prouidentia, siquidem ordinata sunt omnia, denique in quinque suppositionibus disponi vult principia rerum in quatuor verò sequentibus non tam nouas poni substantias, quàm demonstrari interempto vno multa impossibilia sequi. Istud denique vnum, quo & posito ponuntur omnia, & sublato tolluntur, non est nomen à Logico fictum, sed ipsum vniuersi principium. Solius enim principij omnium, hoc est proprium.

Dispositio propositionum Parmenidis, apud Plutarchum.

CAPVT LI.

Dialogum hunc diuinum apud veteres indicatum, testis est Plutarchus. Qui post multos expositionum modos, ipse quem mox narrabimus introduxit, partim ex antiquorum, partim ex sententia sua componens, quem & Proclus comprobat ea forma, quam perstrinximus in Procemio. Sed ad Plutarchi sensum iam pergamus hunc imitaturi quamplurimum, nec vsquam nisi fortè circa suppositiones vltimas aliquantulum immutaturi. Prima suppositio de primo tractat Deo. Secunda, de intellectu primo, & ordine prorsus intellectuali, Tertia, de anima, suoque simili ordine. Quarta, de materiali specie. Quinta, de informi materia. Hæc enim quinque rerum principia sunt. Tertia quidem illa principia separata, duo verò sequentia intrinsecus complent opus. Parmenides interim Pythagoreorum suorum more vnum communiter appellat, propter simplicitatem, substantiam quamlibet separatam. Aliud autem & alia nominat propter fluxum diuersitatemque à diuinis longè distantem, materiam formamque corpoream. Præsertim, quia duo hæc non tam sui ipsorum sunt, quàm aliorum, nec tam causæ, quàm cõcausæ, vt in Timæo dicitur, & Phædone.

Meritò igitur, tres quidem ſuppoſitiones, quæ rentes quomodo vnum ſe habet ad ſeipſum atque ad alia, de principalibus cauſis tractare putantur. Reliquæ verò duæ inueſtigantes quò pacto alia ſe habeant inuicem,& ad vnum, ſpeciem & materiam videntur inducere. Itaque in quinque his ſuppoſitionibus principia hæc & quæ in eis vel circa ea ſunt vno poſito confirmantur, vno, inquam, ſuper ens in ente, ſub ente. In reliquis quatuor demonſtratur, ſi non eſt illud quod intra entia vnum, quot abſurda ſequantur, vt intelligamus, multo magis abſurda ſequi, ſi quis negauerit ipſum ſimpliciter vnum. Sexta igitur probat, ſi non ſit quod in entibus vnum, id eſt, intelligibile, ita vt partim quidem ſit, partim verò non ſit, ſolum fore in rerum ordine, quod eſt ſenſibile: Cum enim intelligibile non ſit, quod eſt vnum, cum ente verò, reliquum eſt ſenſibile ſolum quod eſſe quonammodo dicitur. Nullaque vlterius erit cognitio præter ſenſum. Quod quidem in ſuppoſitione ſexta abſurdum eſſe conuincitur, ſcilicet ſolum in ordine cognitionis eſſe ſenſum, ſolum quoque in ordine cognobilis eſſe ſenſibile.

Suppoſitio ſeptima probat, ſi non ſit illud in entibus vnum, ita vt nullo prorſus modo ſit, nullam omnino cognitionem fore, cognobile nullum, quod ſtultum dictu foret, ſeptima hæc ſuppoſitio docet. Tum vero alia, ſi vnum illud partim ſit, partim verò non ſit, vt ſexta ſuppoſitio modo fingebat, ſomniis & vmbris ſimilia fore. Quod tanquam abſurdum ſuppoſitio octaua redarguit. Sin autem nullo modo ſit alia, iam minus erunt quam vmbra vel ſomnium id eſt, nihilum; Quod tandem quaſi monſtrum ſuppoſitio nona conuincit. Quamobrem ſuppoſitio prima ad ſuppoſitiones reliquas ita ſe habet, quemadmodum ad cætera principium vniuerſi: Reliquæ verò quatuor mox ſequentes primam, de his quę poſt ipſum vnum principiis agunt. Quatuor autem quæ his ſubduntur, conuincunt, ſublato vno, omnia quæ in quatuor ſuperioribus oſtenſa fuerant, penitus peritura. Cum enim ſecunda demonſtret, ſi ſit vnum quod habet cum ente coniugium, omnem animæ ordinem eſſe, ſeptima declarat, ſi non ſit illud vnum, virtutem omnem cognoſcendi perire, rationem, & imaginationem atque ſenſum. Rurſus cum quarta declaret, ſi eſt illud ens vnum, præter ipſum ſimpliciter vnum quodammodo, & ſpecies materiales exiſtere, quæ ſane vnius entis quomodolibet ſint participes, octaua oſtendit, ſi non ſit illud ens vnum vmbras tantum & ſomnia fore, quæ nunc ſenſibilia nominantur, nec vllam formalem diſtinctionem vel ſubſtantiam habitura. Præterea cum quinta moneat, ſi eſt illud ens vnum fore materiam vnius quidem entis, non participem, qua ratione ens, quamuis einſdem compotem, quia ratione vnum, nona tandem explicat, ſi non ſit illud ens vnum, nec vmbram quidem rei vllius vſquam fore. Hactenus Plutarchus.

Quid ſignificent in ſuppoſitionibus negationes. Quid affirmationes. Quæ & quo ordine tractentur in eis.

CAPVT LII.

QVoniam verò ſuppoſitio prima colit ipſum ſimpliciter vnum ente ſuperius, ideo omnes ab eo entium conditiones negat, eſt enim ab omnibus abſolutum tanquam principium finale, præcipuè & eminenter efficiens. In omni verò finalium efficientiumque cauſarum ordine, illa eſt potiſſima quæ à propriis effectuum cōditionibus maximè diſtat, vt principalior cauſa hominis cælum eſt, vel idea quàm aliquis homo, principalior caloris vitalis cauſa ſol quàm ignis. At verò cum ſecunda ſuppoſitio agat iam de vno ſimpliciter, ſed vno ente, in quo præter ſimplicem & eminentem vnitatis rationem eſt, & eſſentiæ ratio à ſimplicitate degenerans, meritò iam de hoc vno ente primo omnes entium formales proprietates affirmat, Hoc enim eſt entium non tam finis quàm efficiens, neque tam efficiens quàm exemplar, & quodammodo forma, vniformis pariter atque omniformis. Quapropter negationes quidem illæ circa primum non ſunt priuationes meræ, ſignificant ipſum eſſe cauſam omnium non quomodolibet, ſed ineffabiliter eminentem, Adeo vt nedum forma quædam horum ſit in illo, ſed neq; exemplar in plura diſtinctum. neque proportio ad hæc vlla ſimilitudinis habitudo. Sed de his vnà cum Dionyſio Areopagita in commentariis in eum noſtris ſæpe tractamus. Affirmationes vero circa ſecundum non compoſitionem vel conditionem horum propriam illi adhibent, ſed exemplares horum ſpecies virtuteſque effectrices inter ſe formaliter ibi & abſolute diſtinctas, Proinde ſi Proclum ſequimur, dicemus, omne principium alicuius multitudinis ſupereminens, & maximè vnum, procreare prius multitudinem ſibi ſimile, id eſt, vnitates quaſdam eminentes ſibique ſimiliores quam multitudinem longè diſtantem, & vniones ſingulorum in multitudine proprias. Sicut igitur intellectus primus, intellectus primo puros procreat ſeparatos, deinde vires in animabus intellectuales, ipſum ſimpliciter vnum vnitates primo excellenter procreat, & diuinas, quæ & dij vocantur. Deinde vniones rebus inſitas iamque cognatas, & proprias vnitorum, differt autem ipſum vnum ab vnitatibus illis, quoniam ipſum ab omnibus proprietatibus eſt abſolutum. Illæ verò ſub proprietatibus inde variis deriuantur, quapropter varia nomina, & officia ſunt deorum. Obſeruandum præterea monet, quod equidem, vt verum fateat, difficillimum arbitror obſeruatu, quomodo in ſecunda ſuppoſitione eiuſmodi ordines diuini tradantur, deinceps que proprietates, ipſorum totidem deſignatæ, quot & concluſiones ibi ſunt, ſingulæ, ſingulis ordinibus competentes. Tertiam verò ſuppoſitionem non ſimpliciter de qualibet anima, ſed de omni diuina anima eſſe putant. Illic agi de anima Parmenides ipſe teſtatur dicens, vnum ibi temporis eſſe particeps. Primum verò, tempus in anima, Mentibus vero ſuperioribus non conuenit, erat aut erit, ſed eſſe præſens ſemper æternum.

De his quidem mentibus, & de anima, ſi qua prorſus eſt idea in ſecunda ſuppoſitione tractaui. In tertia verò de anima non idea quidem ſed diuina, ſummatim vero, vt ſæpius eadem repetam, ſuppoſitio prima tractat, ſi antiquis licet credere, quomodo primus Deus ſingulos deorum, ordines procreat, atque diſponit. Secunda vero de diuinis ordinibus, quomodo proceſſerunt ab vno, & de qualibet eſſentia vnicuique deo vnitati videlicet coniugata. Tertia, de animabus deita-

tem quidem ipsam substantialem non habentibus, sed similitudinem ad eos expressam. Quarta, de formis materialibus quomodo proficiscuntur à diis, & quæ proprie ab vnoquoque deorum ordine pendent. Quinta de materia prima, quomodo formalium vnitatum non est compos, sed desuper ab vnitate superessentiali dependet, nam vsque ad materiam vltimam vnius primi actio prouenit, interminatam illius naturam per quandam vnitatis participationem quoquomodo determinans. Suppositio prima, & quinta per negationem incedunt, sed illa quidem de primo rerum omnia negant, per negationes significat virtutem causæ ab omnibus absolutæ incomparabilemque excessum: Hæc autem de vltimo negans omnia, priuationes significat, atque defectum. Secunda & quarta suppositio affirmationibus duntaxat vtuntur, sed illa quidem exemplaria contineret, hęc imagines. Tertia tanquam media cum anima rerum media congruit, ac propter eiusmodi congruentiam ex affirmationibus negationibusque componitur, habet negationes affirmationibus quodam consortio coniugatas.

Intentio, Veritas, Ordo suppositionis primæ.

CAPVT LIII.

IN Sophista demonstratur, cum omnia participent vnum, oportere ipsum vere esse. Quandoquidem, & cætera tanto verius sunt quanto magis participant vnum. Et cum quodlibet participantium propter multitudinem aliquam sibi propriam non sit vere vnum, tamen re vera hæc existant, oportere ipsum verum vnum, id est, nullius particeps multitudinis vere in natura rerum existere. Et tanto prius esse quàm cætera quanto est & verius vnum. Vbique enim quod secundum aliquam naturalem verum est, est prius & ante illud quod ibi falsum. Denique concluditur, inde nulla entia fore, nisi sit ipsum verè vnum. Verè autem vnum esse penitus impartibile. Hoc autem quod accipimus ex Sophista à Melisso Parmenidis audiore tractatum, profectò simillimum est, suppositioni Parmenidis primæ, ipsum vnum probanti primo multitudinem, vel partes nullas habere. Ex qua quidem conclusione omnes deinceps conclusiones necessaria quadam serie contexuntur. Ex quo patet sicut nec in Sophiste, ita nec in Parmenide, de vno quodam tantum nomine ita Logicè facto, vel de ente confictō, sed de vno, & ente (vt ita dixerim) existente vel subsistente tractari. Imò & vbi de ipso vno negat essentiam, necessario asserturus est ipsum esse superessentiam summumq; esse Deum. Non enim de vno quod tanti facit, essentiam ideo negat, quia vel nihil esse putet, quod si forte non sit, nihil supeesse probat, vel quia infra essentiam esse iudicet. Infra hanc enim esse vult temporalia, & fluxum atque materiam, à quibus ipsum vnum excellentet absoluit. Sit igitur suppositionis huius fundamentum, vnum ipsum, non nomen quidem à disputante confictum, sed vnionis principium. Quod quidem præcipuè comprobat Dionysius Areopagita sedulus Parmenidis obseruator.

Quotiens enim in ipsius vnius mentionem venit quod frequenter efficit, totiens superessentiam collocat atque hoc nomine vbique significat vniuersi principium, Nonnulli Platonicorum existimauerunt suppositionem primam sub hoc vnius ipsius nomine, non modo Deum primum, sed cunctos pariter introducere, quippe cum dij omnes communiter vnitates eminentes sint atque vocentur, sed profectò non par est vnitatis ratio circa primum atque sequentes, sequentes enim dij vnitates quidem sunt superessentiales quodammodo, in essentiis tamen consistunt essentiarum omnium perfectissimis. Primus verò Deus nullam coniugatam habet essentiam, quocirca prima suppositio de vno quod introducit essentiam (vt diximus) negat & esse. Quod de cæteris vnitatibus negari non potest. Ex quo patet de vnico simpliciter vno per se hic agi, de cæteris autem non per se, sed quatenus deriuantur, & superantur à primo. Oportet et sane super omnem naturam, in alio iacentem, velut in suo quodam ordine imperfectam ascendere ad naturam eiusdem vel similis ordinis aut saltem nominis in se existentem iam perfectam, vt à specie materiali ad immaterialem. A vita quæ penitus est addicta corpori, ad vitam, id est, animam, separatam vel separabilem. Ab intellectu qui est in anima adintellectum purum atque substantialem. Sed nunquid ab intelligibili quod est in intellectu, ad intelligibile quod extra intellectum sit, more Procli ascendemus. Profectò vbicunque in aliquo intellectu est intelligibile, non omnino vniuersum, sed intelligibile quoddam, nec idem reipsa cum substantia mentis, ibi excellentius intelligibile perquiremus.

Postquam verò ad intellectum primum peruenerimus, vbi intelligibile est vniuersum, & intellectui penitissimum, vt sit ipsamet intellectus huius essentia, intelligibile nullum vltra desiderabimus. Sed quoniam vnitas hic non est ipsa simpliciter vnitas, sed essentialis, intellectualis, intelligibilis vnitas, numerumque formalem consortem habet: pergemus hinc ad ipsum simpliciter vnum. Inde verò velut ex specula diuinas vnitates, id est, deos profluentes suo quodam ordine contemplabimur. Hic nobis peropportunum, vt videtur succurit exemplum, linea quoniam primum continuum est, atque diuiduum, ideo est indiuidui particeps, id est, puncti. Quod quidem punctum etsi superlinearem conditionem est atque indiuiduum, in linea tamen est, & aliquid caputque lineæ. Item lineæ multæ in circulo per puncta quæque sua contingunt circuli centrum, similiter intelligibilis intellectualisque essentia, quoniam primum multiplicabile est, ideo excellentis vnitatis est compos, Quæ quidem vnitas, etsi non est essentiali obnoxia multitudini, tamen in essentia permanet, vel potius extat, vt apex, per quam vnaquæque intellectualis essentia Deus est, diuina videlicet perfruens vnitate: atq; sicut per formam vnumquodque in sua specie collocatur, & nos per animam sumus id quod sumus, ita vnusquisque deorum per vnitatem, idipsum quod est potissimum, id est, Deus esse censetur. Intentio deniq; primæ suppositionis erit ipsum simpliciter vnum ab omnibus passim intellectualium vnitatum, id est, deorum proprietatibus conditionibusque absoluere, & absoluendo significare omnium inde processum. Intentio verò nostra ad hæc mysteria consequenda fuerit, per Logicos rationis nostræ discursus ad simplices entium intelligentias peruenire, per has autem excitare vnum ipsum quod nobis inest, imò præest diuinum vt hoc ipsum simpliciter vnum percipiamus.

Postquam enim per discursiones, intelligentiasque conditiones omnes proprias entibus ritè de primo principio negauerimus, periculum imminebit, ne fortè imaginatione decepti post negationes rerum numerorumque quam plurimas opinemur nos, vel ad nihilum, vel ad exile, vanumque aliquid vel indeterminatum, & informe confusumque demens se, nisi quatenus negamus, eatenus diuinum vnitatis nostræ vigorem affectu quodam amatorio suscitemus, nos in ipsam supra nos vnitatem, è vestigio translaturum per vnitatem nostram fruituros vnitate diuina, quando & motum rationis, & multiplicitatem intelligentiæ dimiserimus, vnitate sola ad ipsum vnum, & ad ipsum bonum amore nitentes.

Vbi entium proprietates de vno negantur, significatur ipsum hæc omnia antecellere, atque procreare.

CAPVT LIIII.

Affirmationes circa summum Deum fallaces admodum periculosæque sunt, solemus enim in quotidianis affirmationibus nostris, certam quandam speciem proprietatemque concipere, & applicare aliquid alteri atque definire. Hoc autem agere circa primum, nefas. Negationes verò contra indefinitum semper relinquunt illud, & in sua amplitudine liberum: animam quoque aptius Deo præparant, dum hanc ab humanis conditionibus definitionibusque segregant, & quasi iam incircunscriptam Deo prorsus incircunscripto committunt. Neque verò nos latet quod & sæpe cum Dionysio dicimus, negationes circa Deum non defectum significare, sed excessum. Quando enim dicimus, Deum, non esse mentem nec vitam, nec essentiam intelligi nolumus, ipsum his omnibus esse præstantiorem, horumque principium. Iam verò negari artifici manus, defectum significat, caret enim sibi necessariis instrumentis. Negare verò naturæ manus, excellentiam naturæ declarat, non indigentis manibus ad agendum. Profectò, sicut primum illud est omnium causa, sic artificiosæ circa ipsum negationes sequentium affirmationum causæ sunt. Quamobrem quodcunque de vno prima suppositio negat, affirmat suppositio sequens. Vt videlicet declaretur ab illo omnia propterea fieri, quia illud nullum est omnium, sed super omnia pariter. Sicut enim anima vel natura, quoniam non est corpus, generat regitque corpus, & intellectus, cùm non sit anima, procreat animam: sic ipsum vnum quia non multiplicatum, non numerosum, non figuratum, multitudinem & numerum procreat, & figuram. Nullum enim eorum quæ procreat, ipsum esse potest. Neque enim alia quæuis excellens vniuersalisque causa, vel eadem est cum effectibus vel cognata. Quando igitur formam, vel figuram Deo negamus, non defectum aliquem suspicamur, qualem cùm cogitamus infiguratam, informemque materiam, sed Deum nullo circunscriptum, materiam formis atque figuris circunscribere contemplamur. Siquidem de Deo, sicut de materia, negantes omnia per similitudinem quandam dissimilem, volumus eadem de vtrisque negata. Solemus & animam naturamque dicere, quoniam nec oculos neque pedes habet, eadem conditione qua corpus, ideo hæc in corpore generare. Similiter vnum ipsum dicit neque totum esse, neque partē, neque idem, neque alterum, neque stare, neq; moueri, neque simpliciter oppositorum aliquod, neque ambo, vt possit hæc omnia pariter agere. Nec ipsum est alicui simile, ne cogatur cum aliquo in superiore quadam similitudinis causa conuenire, imò vt omnem similitudinem possit efficere. Nec vllis opponitur, ne fortè alicui oppositionis causæ sit subiectum, imò vt oppositiones omnes ab ipso dependeant.

De vno ente, de ipso simpliciter vno. De intentione Parmenidis hic & in Poëmate. Intentio, & Epilogus negationum.

CAPVT LV.

Operæpretium fortè fuerit repetere breuiter in præsentia, quod sæpè iam diximus, rationem vnitatis, à ratione entis esse diuersam. Illa enim omnem respuit multitudinē, hoc verò non tenuit. Illa rursus non minus competit informi, passiuæque potentiæ quàm cæteris. Hoc autem multominus. Est denique propter necessariam simplicitatem vnitas prior ente. Et qui negat vnum, latius negat, quàm qui negat esse. Hinc sapientes nominum conditores, integram priuationem appellauere οὐδὲν, quod non ens Græcè significaret, sed οὐδὲ ἕν, quod significat non vnum, id est penitus, nihilum non prædicant propriè de vno, est aut ens, aut essentia. Sed existit potius atque existentiam, significantes per hæc efficacem & simplicem ipsius vnius actum atque præsentiam. Quamquam neq; hanc prædicationem esse volunt, neque qua compositio fiat, sed simplicem prorsus intuitum. Proinde Melissus, Parmenidis discipulus, in Sophista ante multa entia vnum ens excogitat. In quolibet enim ordine multa talia ad vnum tale superius reducuntur. Vnum verè ens ad vnam simpliciter vnitatem refert, cuius vnum ens tanquam posterius est necessario particeps, neque contra fingendum est vnitatem, similiter entis esse participem. Alioquin non simplex iam foret vnitas. Sed multiplex aliquid atque compositum. Probat deinde hoc vnum ens esse totumquiddam atque multiplex, in quo alia sit entis ratio, alia vnitatis, idque vniuersum ens omnium quidem entium fontem existimat iudicandum, sed posterius vno. De hoc quidem vno ente propriè librum teste Melisso Parmenides, Poëtico stilo composuit, tanquam de secundo principio. Primum enim ineffabile affirmamus de ipso multa quæ hic in prima suppositione de vno negantur, in secunda de vno ente similiter affirmātur. Itaque cū Parmenides ait, se inceptur ūm ab vno, discrimen significat inter se atque Zenonem in exordio disputandi. Zeno enim à multitudine cœpit, hic ab vno. Atque cum de vno negentur hic omnia, quando Parmenides hic ait, se à suo illo vno facturum disputationis exordium, non debemus intelligere propriè ab vno ente, sed ab ipso simpliciter vno: cuius hoc vnū ens est compos, ideoque ab hoc è vestigio scādit ad illud, in illo primum omnia negaturus, in hoc deinde affirmaturus omnia, quæ & affirmauerunt in Poëmate, esse scilicet vniuersum intelligibile sphericū, atque similia. Primū quidem quoniā est ipsa simpliciter vnitas, id est, suprema simplicitas atque virtus, quod proxime generat, maximè generat vnum, & quoniam genitor ad nullū omnium habet propriam habitudinem, sed æquè se habet ad omnia, & pariter est super omnia, aut nullum facit, quod dictu nefas, aut in illo, quod modo dicebamus, vno simul efficit omnia,

Dicimus itaque cum Plotino simul atque Parmenide, primum quidem esse vnum super omnia, secundum vero vnum omnia, vt perfectissimi genitoris progenies sic omnium perfectissima, quando autem genitor genitumque sit vnum in Christiana Theologia tractamus. Plato, quem nunc interpretamur duo, putauisse videtur, sed pergamus ad reliqua, Negationes verò circa primum fiunt non tam propter imbecillitatem intelligentiæ nostræ non valentis aliter circa illud agere. Nam & neque aliter circa idem agit intellectus primus quàm quia nec aliter illud attingi potest aut debet, nec aliter intellectus attingegere, quàm sua multiplici proprietate posthabita vnitati vnitatem simpliciter offerendo. Epilogus autem & ordo negationum in prima suppositione est eiusmodi, ipsum vnum neque multitudo est neque totum, neque partem habet. Rursus nec habet principium, nec medium, neque finem aliquem aut terminum, neque figuram, nec est in alio nec in seipso, neque stat neque mouetur, nec idem est nec alterum, vel sibimet, vel aliis, neque simile, neque dissimile, nec æquale nec inæquale, neque maius neque minus. Item non senius non iunius, neque generationem participat, neque tempus, neque est particeps ipsius quod dicitur esse, nec est nominabile, nec effabile, nec opinabile, neque scibile.

De vniuerso ente, & proprietatibus eius. Et quomodo negatur de primo, & quæ multitudo negatur, & quare negatur.

CAPVT LVI.

SÆpe probauimus in commentariis in Plotinum, quem in hoc, sicut & in pluribus libentius quàm Proclum sequor, intellectum, intelligibile, ens, ptimum, essentiam, vitamque primam re ipsa vnam esse substantiam, hæc autem ibi quadam ratione differre. In qua & quinque rerum genera ideæque sunt formali inter se ratione distinctæ, essentia enim prima cum omnes perfectiones essentiæ habeat, vitam habet & intellectum, primam, inquam, vitam intellectumque primum, si perfectus intellectus est perfectam habens intelligentiam, intelligibile quoque possidet penitissimum. Quod si quis ipsū intelligibile ab hoc separet per essentiam, cogemur deinde confiteri intelligibile primum tanquam perfectum sibi ipsi intelligibile fore, igitur intelligentiam in se habere, vtrinque igitur redimus ad idem, vtrobique videlicet intellectum cum intelligibili in eadem essentia copulare coacti, in qua omnia intelligibilia atque entia intelligibiliter, & intellectualiter comprehendantur. Hunc mundum appellamus intelligibilem, vniuersam hanc sphæram intelligibilem, Parmenides in Poëmate canit vnumq; ens inscribit. Quod in Sophista esse quidem ens primum, sed non esse verè vnum, quia non sit impartibile, dicitur, itaque nec esse primum vnum, quod tanquam verè vnum est penitus impartibile, nullius particeps multitudinis, alioquin & vnius foret particeps, itaque nec esset verum primumque vnum, ad quod tandem ab vno vnius vero peruenire ratio cogit, quemadmodum & compellit supra, non veras formas, non veram vitam, non veram cognitionem, progredi ad veras formas, id est, ideas ad vitam cognitionemque veram. Si mundus intelligibilis est ens primum atque formale, principiumque entium omnium, & exemplar, forma naturaque sua omnia generans atque formans, quæcunque sibi sunt propria eadem entibus cunctis, quæ entia competunt, atque vicissim quæcunque entibus, qua ratione formaliter entia sunt, & in sua quæque specie perfecta, conueniunt hæc, sed excellentius sunt in illo Iamblicbus, & Syrianus & Proclus, oppositi naturales generum idearumque differentias in primo ente non ponunt. Quia cum proxime sit ab ipso vno, ideoque sit vnitissimum, oppositiones admittere nequit. Præsertimque in primo ente nihil sit non entis, ergo nec oppositiones illæ, per quas idem non est alterum, status non est motus, rationale non est brutum, ignis non est aqua, homo non est equus. Item quia ens simpliciter de quolibet prædicatur, nullum verò oppositorum, nulla idea de quolibet affirmatur, vt traditur in Sophista. Igitur eiusmodi differentias in sequente quadam post essentiam simplicem, intellectuali essentia collocat; in illa verò tantum originem numeralem, nos autem antiquiores secuti, dicimus, differentias illas in ente primo ponendas, sed eas non primo quidem gradu, quo simpliciter ens est, sed sequente quodam gradu, quo per vitam intelligentiamque progreditur explicari. Sic enim obiectationes quas narrauimus deuitantur, & in primo ente, entium omnium propria ranquam illud mox consequentis collocantur. Quinque sane genera in essentia iam viuente ideæ potius in viuo iam intellectuali latius explicantur, vix enim in essentia discernuntur. Insunt enim ibi propria cunctis entibus communiter nacta. Propria verò hæc generatim omnia Parmenides in prima suppositione numerat, vt in capite superiore narrauimus. In vno quidem negans, sed in vno ente affirmans, vt postquam omnia vniuersi entis propria de vno primo negauerit, demonstret inde ipsum vniuerso ente superius, quod & propè suppositionis primæ finem manifeste confirmat, negans ipsum quod dicitur esse atque ens de vno, alioquin quæcunque esse ensque ipsum comitantur, atque sequuntur competitur à primo. Quæ tamen propter diuersitatem suam simplicissimo imo ipsi simplicitati competere nequeunt, quo enim pacto multitudo vniuersitasque differentium inter se idearum, quomodo genere opposito, scilicet identitas, alteritas, status, motus, item simile, dissimile, æquale, inæquale, atque similia quæ ibi ideales inferior proprietatum rationes sunt absolutæ inter se differentes, primo consentanea sunt. Syrianus inter hæc, & Proclus omnium conclusionum capita, deos quosdam seorsum existentes ipsi putant, vt & multitudo sit Deus quidam, & ipsa pars sit Deus alius, alius quoque totum. Rursus recta figura, & sphærica, & iuuentus atque senectus, similitudo, dissimilitudo, cæteraque sint numina quædam, quæ per omnes consequentias negatiuas quidem decernantur inferiora primo, affirmatiuas autem deinceps suo quoque ordine disponantur. Sed inuentum hoc poëticum potius quàm philosophicum esse videtur. Nobis vero satis esse, hæc tanquam propria quædam entis vniuersi recipere. Quæ & in primo ente suo modo sint atque sequentibus. Meminisseque Parmenidem à proprietatibus magis vniuersalibus, vbi negat incipere deincepsq; ad minus vniuersales consequēti quadam serie progredi, sic enim negatis illis consequenter negantur & ista. Quem-

admodum si quis neget hoc esse animal, negauerit esse hominem, neque è conuerso, affirmando verò contra contingent. Nempe si affirmes hominem affirmantis animal, neque fit vicissim. Quoniam verò à notioribus vbique rite incipiendum est, vt per ea possimus facile minus nota dignoscere, merito in conclusionibus negatiuis negat primo quod ab vna manifestius est alienum, scilicet multitudinem, per hanc consequenter quæ aliena minus, post plurima negat essentiam aut esse, quod quasi videbatur idem, neque tamen idem est, ac si adhibeatur vni, compositionem vel proprietatem affert. Postremo negat ipsum vnum esse aliquid vnum, ne forte sit vel duo quędam scilicet aliquid simul, & vnum, aut certe sit in genere quodam vel ordine rerum atque definitiuum. Plato igitur in Epistolis vetat de ipso omnium primo quærere, quale sit, vel quale quid sit. Conditiones enim eiusmodi, eminentiam vbique deiiciunt atque definiunt, sicut qualis vita, qualis essentia, quale bonum, similiter quale, vel quid vnum. In conclusionibus autem affirmatiuis id prius affirmabit de vno ente, id est, de illo intelligibili mundo vnum atque ens mox præter essentiã vnitatemq; suam, quod ipsi potissimũ est cognatũ, scil. multitudinẽ, multitudinem, inquam, idealium specierum atque generum. Per hæc apprime familiaria tanquam euidentissima quædam affirmabit, quæ familiaria minus deinceps atq; minus, ideo suppositio prima non est, si vniuersum ens est vnum, quidsequatur? Alioquin semel posito quod sit ens, & vniuersum, id est, omnia, mox inferendum esset, ergo habet in se multitudinem, partes, terminos, & cætera, essentiamque postremo. Contra verò negantur hæc omnia, quia suppositio non est, si omnia sint vnum, sed si ipsum vnum sit cuius oppositum post quintam suppositionem etiam supponetur, scilicet, si vnum non sit quid in se sequatur. Sed vbi multitudinem negat vni, quam potissimum multitudinem, non rerum quidem sensibilium aut etiam seminalium rationum, aut rursus animalium cogitationum, Neque enim dicebat in his reiiciendis elaborate quæ de primo nullus assereret, sed multitudinem illam de primo negat, quam asserit de secundo, id est, intellectualem, intellectualemque multitudinem, id est, multiplicitatem talem, qualis conuenit intellectui primo, seipsum intelligenti ideatum generumque plene. Eademque sequentibus conuenit intellectibus puris atque diuinis, primo tamen omnium principio minime competit, si modo multitudo quælibet sit vnitate posterior: si etiam in ipso vere primo nihil debet esse non primum, si rursus in immensa virtute vnitas, & simplicitas vigeat infinita, si denique in illo, quod seipso perfectissime fruitur, nihil oporteat esse non ipsum, sed de mira simplicitate primi, & de formali multiplicitate secundi sæpe & multa diximus cum Plotino. Quæret forte quispiam, an multitudo vni sit opposita? Respondemus opposita versari circa subiectum idem, vt circa numerum par & impar, circa dimensionem, æquale & inæquale, circa qualitatem simile, & dissimile, circa substantiam, idem atque alterum, circa motum velox atque tardum, circa essentia, vnum atque multitudo, in qua quidem sicut multitudo non est seorsum ab vnione, ita nec vnum seorsum à multitudine. Est enim vnum hoc multitudinis vnum, quod quidem non est multitudo, quamuis in multitudine situm, neque qua ratione vnum est, esse potest multa, sed qua conditione est multitudinis vnum, hac vtique vnum multa nominari potest. Ipsum verò super essentiam & extra numerum essentialem, simpliciter vnum adeo est absolutum, vt multitudo huic non tam opposita iudicetur, quàm diuersa, sicut enim primus calor, prima lux, prima essentia, primum bonum, nihil habet frigidi vel tenebrosi, vel non ens, vel non bonum, ita primum vnum, nihil, non, vnum admittit, multitudinem omnem prorsus expellit, sibi diuersam, si enim multitudo sit in eo (vt Platonicè loquar) non vnum ipsum erit, sed vnitum, nec à seipso vnitum, sicut & quod formatum est, aliunde formatum, igitur ab ipso simpliciter vno superiore erit vnitum. Quomodo verò Platonicæ rationes multitudinem primo tollentes, Christianæ Trinitati non detrahant, in qua seruata penitus simplicitate, & vnitate naturæ, relatio quędam sola quandam distinctionem facit, compositionem verò nullam. Nicolaus Theologus Græcus Methones Episcopus euidenter ostendit, at nos in annotationibus quibusdam in eum breuiter designamus. Concludamus denique cum Platonicis, vbi Plato multitudinem negat vni, nihil aliud velle quàm & ipsum supra quàm cogitari possit, simplicissimumque secretissimumque esse, & vniuersam ab eo rerum multitudinem formæ, sicut ab vnitate numeros proficisci. Quod autem hic vnum nominat ens superius, in Republica nominat bonum similiter superessentiam, vt autem accipimus ex Phædone simulatque Parmenide, idem est proprium vnius atque boni, scilicet perficere omnia atque continere, & pariter per omnia propagari. Præterea nihil ipso bono melius, nihil ergo superius, nihil etiam simplicius vno, nihil igitur super vnum. Alioquin quod superius fingitur aut nihil est, aut multitudo vnionis expers infinite quod infinita. Cum verò duo principia esse nequeant, idem est penitus vnum atque bonum, sed vnum quidem, vt alibi diximus, propter singularitatem, & excellentem simplicitatem, bonum verò propter fœcunditatem, communicationemq; amplissimam nominamus.

Per negationem multitudinis negantur de vno partes & totum: numerus est ante essentiam, omnis multitudo particeps vnitatis: Idem est prima essentia, vita, mens.

CAPVT LVII.

VBicunque Parmenides aliquid de vno negat, memento, vt alibi monui, significari non modo Deum non esse illud, tanquam super illud, sed etiam illud à Deo fieri, Deo interim propter effectum nullo modo inclinato, vel aliter se habente. Cum ergo primum multitudo negetur, designatur & Deum nullo modo esse multiplicabilem, & primum quod fit ex Deo multitudinem esse, atque vniuersam in vno collectam, in vno scilicet intelligibili mundo, sicut ab vnitate diuinitatem, in qua omnes numeri continentur. Cum rursus secundo negetur, Deum esse totum aliquod, partesue habere designatur, præter id quod nullo modo compositus est, omnem compositionẽ, præsertim primam ab eo fieri, nempe propter ipsum simpliciter vnum, & quælibet partium

vnum aliquid est, & inuicem omnes in vnum totius formam conciliantur, prima verò compositio inde in ipso intelligibili mundo conficitur, ex infinitate & termino, tanquam ex materia quadam atque forma. Item ex essentia, vita, intelligentia. Rursus quodammodo ex generibus primis entium & ideis. Præterea, vt alibi diximus, in negatiuis conclusionibus rite à propositionibus, magis vniuersalibus debemus incipere, si non est animal, ergo nec homo, in affirmatiuis vero, contra, si est homo, ergo animal: itaque cum Parmenides per ipsam multitudinis negationem, consequenter neget totum atque partes, declarat multitudinem esse vniuersaliorem partibus atque toto. Inquit enim, si vnum est aliquid totum ideoque habet & partes, necessario erit multa. Merito dum affirmat, à rebus magis particularibus incipit, vt, si est homo, ergo est & animal, similiter, si est totum, necessario partes habens est & multa siue multitudo. Hoc enim consequens antecedente vniuersalius est, quo rursus negato scilicet vnum nõ esse multa, statim negatur, quod modo fuerat antecedens, dum infertur, si non est multa, ergo non totum est, neque partes habet. Quod autem multa vel multitudo sit vniuersalius atque prius, hinc patet, quiã quodlibet totum ex partibus conficitur multis. Partes quoque sunt vbique multæ. Et hæ referuntur ad totum, atque vicissim, non tamen omnia multa videlicet, si seiuncta sint, sunt partes alicuius, conficiuntue totum. Accedit ad hæc quod multitudo qua ratione multitudo est, nullum certum decernit sibi finem, imò suapte natura occurrere videtur deinceps multiplicabilis infinitè, Partes autem ad vnam totius formam conditione propria conspirantes, sunt sub terminata quadam totius specie terminatæ, denique multa etiamsi nunquam coëant, simpliciter multa sunt, partes verò fiunt totumque conflant, quando coierit & certa quadam ratione coierint, Multitudo igitur in ordine rerum totum antecedit & partes, Quomodo vero sicut vnum antecedit ens, sic & multitudo vel numerus in mundo intelligibili antecedat entia numerosa, & compositiones totorum quaslibet, siue ibidem siue in sequentibus subinde fiant, satis in libris de ideis, & generibus entis, & numeris diximus, cum Plotino, nisi enim in primo ente formali, entium multorum fonte, naturales quædam rationes inessent atque præcederent, ad quarum quasi normam distribueretur entium multitudo, omnis vtique turba rerum vel hic vel ibi sorte quadam absque ordine, certoque numero vel termino, vel fine contingeret. Proinde si primum quærimus causam multitudinis, eandem inueniemus huius atque vnionis originem. Quod enim res quælibet atque cunctæ quodammodo vnum sint extra controuersiam, habent ab ipso simpliciter vno, quod & sæpe vnitatem ipsam cognominamus. Quod rursus multæ sint accipiunt ab eodem, Multæ namque sunt per ipsam multitudinem, sicut vnum per vnitatem, ipsa verò multitudo, non, inquam, hæc vel illa, aut horum aut illorum, sed ipsa per se simpliciter multitudo, nihil est aliud quàm vnitates quædam ab ipsa simpliciter vnitate secundæ propagatæ, passim atque distributæ. Non recipient ergo Platonici Peripateticum illud, vnitatem multitudinemue ad ens ipsum quasi conditiones quasdam eius quodammodo sequi, sed præcedere potius, quatenus ex ipso simpliciter vno ad ens & entia deriuantur, latiusque vnum prædicari quàm ens, siquidem priuationes quælibet ita vt habitus dicuntur vnum, sicut enim visus vnus, vox vna, ita cæcitas vna, vnumque silentium, opinio vera vnum aliquid, falsitas vnum aliquid, amplius quoq; multitudinem quam ens prædicari, Quippe cum non res ipsæ solum multæ, sed rerum etiam priuationes multæ dicantur. Non solum præsentia multa, sed & futura, pariter atque præterita, multæ opiniones veræ, multæ falsæ. Vnitas igitur vnitatumque multitudo quæ & simplex primaque multitudo est, videtur ordinem entium antecedere. Quod igitur hæc entia sint non solum efficienter ab vno, sed etiam à primo ente formaliter habent. Quod autem, multa sint, ab ipso solum simpliciter vno, à quo & vnitatem numerus entibus est infusus. Si quis multitudinis entium causam assignauerit ipsam simpliciter multitudinem, à Platonicis minime dissonabit, simplicis verò multitudinis causam si aliunde quæsiuerit præterquam ab vno, nimium aberrabis. Vnde enim vis ipsam multitudinem proficisci, Nunquid ab alia multitudine, vt clam laboris in infinitum. An forsitan à nulla causa, vt ita multitudo sit causa rerum prima, Nullaque futura sit in rebus vnio, nullus ordo. Denique si multitudo quælibet est necessario particeps vnitatis, nimirum ab ipsa vnitate tanquam à causa superiore dependet, nisi verò sit vnitatis compos, nec aliqua partium erit aliquid vnum. Neque partis particula rursus vnum, sed & in infinitum deinceps pars quælibet infinita, neque rursum partes cum partibus vnionem vllam habebunt, neque cum toto cognationem, neque forma totius erit certa, sed vt ita dixerim, infinitis infinita, nec ex suis partibus copulata, cum careant vno sed vsquequaque diuulsa, Ipsum igitur vnũ multitudinis omnis cõpositionisque, & ordinis principium est, & seruatur, & finis. Gregorius Nazianzenus, Nicolausque Theologi diuinam Trinitatem ab eiusmodi conditionibus exceptam volunt, multitudinem illam esse participem vnitatis, &, post vnitatem, quę numerus quidam est, partium quarundam aliquid componentium, Trinitatem verò diuinam non esse numerum, vel multitudinem. aut accidentalem aut essentialem, sed super essentiam, neque componere ibi quicquã, præterea torum, neque extra vnitatem ipsam existere, sed esse proprietatem ipsi vnitati naturæ diuinæ naturaliter necessariam, Hæc itaque Trinitas vnitatis quidem propria est, nec tamen particeps vnitatis, nec per participationem eius vnita, sed vnitatis naturalis peritissima, naturalem vnitatem non diuidens, sed conseruans. Platonici quidem nihil aliud moliuntur, quam vt dij summi naturam asserant simplicissimam, proprietates autem personales, quæ super ingenium nostrum sunt, nunquam cogitauerunt, & simplicitate vero naturæ diuinæ, nulla est inter Christianos & Platonicos controuersia. Præterea Proclus & Syrianus Trinitatem quandam substantiarum trium extra primam introduxerunt, scilicet primam essentiam, primam vitam, intellectum primum. Et essentiam quidem illam esse rebus essendi principium, vitam verò viuendi, intellectum intelligendi, Essentiam pręposuere vitę, quoniam latius extenditur essendi quàm viuendi munus, vitam simili ratione intellectu præfecerunt. Dispositionem eiusmodi si Dionysium Plotinumque sequimur, (vt vtrobique diximus) non admittemus

quoniam cum superioris causæ donum perfe-ctius esse debeat quàm sequentis,præstantius erit esse quam viuere, viuere quam intelligere, neque verum hoc est effectu, neque igitur illa principiorum dispositio vera. Præterea vanum est plura ad hæc efficienda principia fingere, cum & sufficiat & deceat vnum, nempe cum essentia prima omnes sibi naturales perfectiones habeat, vita vero sit intimus motus vel actui essentiæ primæ intelligentia denique sit quædam vitæ reflexio in essentiam, merito in ipsa essentiæ primæ; natura, simul vita est & intelligentia prima: lat ius autem extendi esse quam virtute, rursumq; viuere quam intelligere respondebimus, non quoniam illa tria principia sint per substantiam inter se distincta, & in ordine graduum vniuerso, essentia sit superior vita, & vita superior intellectu, sed quoniam, vt vult Plotinus, in mundo intelligibili, dum ipse generatur à primo secundum quendam generationis illius ordinem, prius quodammodo sit essentia illa primi entis, mox vero viuat, mox intelligat, prius enim est quàm moueatur, prius mouetur, quam per motum in se reflectatur, summatim verò intelligibilis illa substantia, si primo sui gradu perfecta esset, per nullum appetitum conuerteretur ad principium & ad ipsum bonum. Necessarium tamen est ad illud entia cuncta conuerti. Nascitur igitur illa nondum penitus absoluta, sed vlterius à quo est effecta, perficienda. Quod ergo primum ibi genito datur, tanquam quod ad vitam referatur accipiendam, in sequentibus quoque illinc effectibus prius est communiusque quàm vita, similiterque cum vita ibi ad intelligentiam aditatur quasi perfectiorem, pluribus subinde priusquam viuere quàm intelligere est concessum. Donum verò ipsius vnius atque boni, tanquam effectoris omnium potentissimi, per cuncta procedit, & omnium optabilissimum est donorum, Quamobrem vnum ipsum bonumque omnes vniuersi gradus & ordines mirabiliter antecellit. Quod autem hoc sit supet intelligentiam, vitam, essentiam, non solum Platonici disputant, sed Dionysius etiam Areopagita sæpe confirmat, sed satis iam digressi sumus, redeamus ad institutum.

Opinio affirmans abstractorum abstracta de Deo. Item, tutiores sunt negationes relatiuæque circa Deum.

CAPVT LVIII.

ANtiquiores nonnulli Platonici absolutis quibusdam affirmationibus vtebantur circa Deum existimantes, cum Deus omnino sit omnium causa, præcipue amplissimorum, atque priorum, merito vires radicesque borum in se prorsus habere, per quas affirmari de Deo absolutissima quæque possint. Nullo quidem pacto concreta, videlicet quod Deus sit ens, aut viuens, aut intelligens, neque rursus proxima his abstracta, ceu quod Deus sit essentia, vel vita, vel intellectus, sed abstractorum potius abstractiones ipse, vt si pronuntiari possit vel extra risum audiri, essentialitas, vitalitas, intellectualitas, cæteraque similiter generatim perfectissima quæque. Esse autem hæc in Deo ratione quadam (vt aiunt) quàm vnitissima quàm secretissima nobis solido cognita. Opinabantur forsan abstracta cócretis proxima nonnullas concretorum conditiones habere, Abstracta vero remota, siue abstractorum abstractiones ab omnibus concretorum passionibus absolutissimas esse, vt affirmata de Deo nihil ibi angustiæ, nihil mutabilitatis, nihil multiplicitatis, vel diuisionis compositionisue vllius affetant, sed eminentissimam ad optima quæque perficienda significent potestatem, vt cùm essentialitatem dicunt, non formam quandam siue speciem, intelligunt à vita, vel vitalitate distinctam. Similiter, cùm vitalitatem nominant, non speciem fingunt ab essentia, vel intelligentia differentem. Rursus cum intellectualitatem aiunt, non speciem ab essentia & vita discretam. Hæc enim tria & præter hæc sapientia veritasque & virtus & similia his abstracta, ita se habent, vt vnum quodque borum distinctum sit à cæteris, neq; sit id ipsum quod sunt illa. Vnumquodque igitur definitum est, certumque bonum, non simpliciter omne bonum. Volunt ergo per illa quæ diximus abstractorum abstracta significari non bonum in hoc genere aut illo, nec rursus bonorum cumulum differentium, sed absolutè singulariter eminẽter omne bonum, quod generum omnium limitibus omnino subtractis omnique adempta multiplicitate, omnium generum bona producat, per vnicam videlicet potestatem, ad essentias, ad vitas, ad mentes, sapientias, veritates, virtutes efficiendas. Hæc inquam, antiquiores Platonici forsan meditabantur. Posteriores verò Platonici post negationes quas cum Platone præ cæteris eligunt, non absolutas quidem affirmationes admittunt, sed solum modo relatiuas, non absolutas, inquam, quia verentur ne quid penes Deum forte definiantur. Nequid interim Deo adhibeant naturæ nostræ cognatum, quod quidem in Epistola ad Dionysium Plato prouidentissime prohibet, asserens, hunc circa Deum errorem, errorum omnium originem esse. Relatiuas autem affirmationes tradunt, non significare quid vel qualis sit ipse Deus, neque nomen eius notitiamue exprimere, hæc enim nobis impossibilia Parmenides inquit, sed quo pacto, res ad Deum se habeat declarare, vt quando principium dicimus, & medium, atque finem, intelligimus res à Deo fieri, seruari, perfici. Quando bonum tanquam finem ab omnibus experi omnium perfectorem. Quid vero si etiam quando vnum vi demut affirmare, tunc vel ad ipsum nostra referimus, quasi hęc vniantur inde, vel forte negamus ipsum esse multiplicem vel aliqua ratione compositum.

Si vnum non habet partes, consequenter nec habet principium, vel finem, aut medium.

CAPVT LIX.

QVemadmodum vero per negationem multitudinis tanquam vniuersalioris, mox partes habere tanquam particularius negauit vni, ita deinceps per negationem partium negat habere principium mediumue & finem, tanquam illud quoque vniuersalius sit quàm istud: sed primo quidem affirmatiue concludit à particulari hunc in modum ad vniuersale. Si habet principium, medium, finem, consequenter habet & partes, deinde vicissim negando concludit, non habet partes, ergo non habet illa, vniuersalius quidem esse, partes habere quàm illa, patet ex eo quod prius quidem partes concipis, tanquam communius aliquid atq; facilius, quàm eo prorsus ordine discernas atque disponas, vt hanc quidem ibi obtinere principium, illam verò fi-

nem, istam inter vtrasque mediam, animaduertas. Præterea, in binario partes quidem quodammodo sunt. Discretio verò principij, finis, medij non est in binario, sed in ternario prima, & in pluribus numerorum, distinctio eiusmodi non est facilis. Denique quid prohibet, multitudinem partium in infinito innumerabilem cogitare? Non licet tamen ibi terminos, & medium machinari. Sed vbi Parmenides, inquit, hæc tria, si sint, in vno erunt, & partes vnius, linea scrupulum nobis obiicit. In hac enim duo quædam puncta, principium finemque faciunt, inter quæ punctum quoque medium designatur, neque tamen puncta sunt lineæ partes. Non enim ex iudiuiduis magnitudo conficitur. Et partes quidem lineæ non sunt infinitæ, puncta verò nihil ibi prohibent innumerabilia cogitare. Respondemus ad hæc, in linea quidem res diuersæ qualitatis esse posse, vt aliud quidem sit pars eius, aliud verò terminus. In vno verò maximè omnium sibimet conformi, si quid principij, mediiue vel finis sortem habuerit, pars quoque vnius erit: sed quis Parmenidi vetuit, partes alicuius appellare, quicquid illius est aliquid, quicquid ipsum quodammodo complet, quicquid commercium habet in ordine, sic igitur, & puncta partes lineæ poterit nuncupare: denique & si puncta non intelligantur vt lineæ partes, qua ratione simpliciter linea cogitatur, qua tamen ratione terminata supponitur, puncta eius termini quodammodo lineæ terminatæ partes esse censentur: sed hæc vtcunque libet accipito, dubitabit iterum, quomodo in legibus quidem affirmat, Deum habere principium, medium que, & finem omnium, hic verò negat. Respondemus breuiter, aut de alio quidem Deo, id est de intellectu, conditore mundi huius ibi loqui, in quo distincta sunt principiorum, mediorumque, & finium mundanorum omnium exemplaria. Hic autem de primo, simpliciter vno, in quo nullæ sunt absolutæ idearum distinctiones; sed simplicissima fœcunditate sua vniuersum mox intelligibile proceeat (vt Platonicè loquar) per ipsum verò vniuersum quoque sensibile, aut fortè sidc primo in legibus quoque tractat, non vult quidem primum illud in seipso, tanquam sui partes, habere principium, & medium, atque finem, sed suo quodam ordine principia, & fines, & media rerum omnium continere. Atque ad ipsum omnia, vt ad principium suum, & finem atque medium se habere: omnia enim inde proficiscuntur, omnia illud appetunt, omnia in illius centro, dum sua centra singunt, firmata seruantur.

Quomodo ipsum vnum dicatur infinitum, omniumque finis.

CAPVT LX.

PRobauit in superioribus vnum, quia non habeat partes, consequenter terminos non habere, probat in præsentia, quia careat terminis, interminatum, id est, infinitum esse, sed non videtur prima fronte magnum aliquid assequi, fortè enim simili ratione quis conuincet, vnitatem quoque Mathematicam, quæ est principium numerorum, item punctum quod est quasi dimensionum principium, quia partes non habeant, ideoque nec terminos esse, similiter infinitos. Parturiunt ergo mõtes, nascitur ridiculus mus. Respondemus, vnitatem hanc & punctum, in suo quodam genere infinita quodammodo dici posse, quia nec vnitas numeralis, nec punctum diminutionis partes vel terminos habet. Et vtrumque nihil prohibet, per numeros infinitos inde sequentes, vel dimensiones quaslibet inde productas, innumerabiliter se diffundere. Hinc igitur vtrunque quodammodo videbitur infinitum, sed in vniuerso rerum ordine est vtrumque finitum, partesque quodammodo suas habet, & terminos, Nec vtrũ enim simpliciter est omnino, sed est vtrumque res quædam in genere quodam, & per differentiam propriam componitur in specie quadam. Et consequenter proprietates habet & accidentia subit, terminaturque à natura vel causa superiore, & à certo quodam fine dependet, vimque ad aliquid habet determinatam. Igitur eiusmodi partes terminosque habentia merito sunt finita, similiter cætera omnia, præter primum, composita sunt atque finita. Ipsum verò simpliciter vnum nihil habet eiusmodi. Nullam enim multiplicitatem admittit, conditionem nullam. Res omnes, præter primum, quemadmodum probauimus in commentariis in Philebum, ex infinito componuntur, & termino, id est, ex potentia quadam passiua per se informi, vel deformi aliorum vergẽte vlterius, progressura aliunde formabili, atque insuper ex forma vel actu potentiam eiusmodi inclinationemq; terminante. Hoc infinitum, hic terminus, elementa rerum sunt creatarum inter se opposita, conciliabilia desuper ab ipso simpliciter vno. Quod quidem nec eiusmodi quædam infinitudo est, alioquin foret desuper terminandum, nec sequentibus infinitis terminum vllum, tanquam sibi oppositum adhibere, nec insuper est quidam eiusmodi terminus, alioquin, & cohibitum esset in rebus & infidita iam tanquam sibi opposita procreare non posset. Est igitur super hæc & omnia quomodolibet inter se opposita, vt possit omnia regere pariter atque conficere. Est itaque infinitum, quia nec terminos habet intus, nec subit exteriores per quos vel à causa vel fine, vel subiecto, vel comprehendente vel conditione quauis definiatur. Gradusque virtutis & actionis eius nullum numerũ subeunt, vel mensuram, est & terminus non aliquis, vel alicuius, vel in aliquo, sed tanquam terminorum quorumlibet auctor. Syrianus & Proclus duo illa rerum elementa, finitum & infinitum, existimant ante omnes entium gradus in seipsis infra primum abstracta & inter se separata subsistere, quoniam ante composita, atque etiam ante opposita inuicem confusa, existere simplicia debeant in seipsis, & oppositum seorsum ab opposito purum: ego vero arbitror cum Plotino, non esse duo hæc à compositione qualibet præsertim à prima aliter separata quàm ratione formali. Nam in ente prima infinitudo eius, id est, formabilitas eius, qua ratione formabilitas est, atque terminus ipse est, id est, prima & vniuersalis ipsius forma, neque eiusmodi terminum adhuc habet, neque huius termini quicquam. Rursus nec eiusmodi terminus, qua ratione terminus est formalis, est ipsa infinitudo formabilis, nec proprietates illius habet, sed oppositas. Iam verò Socrates, vt significaret duo hæc non esse substantias seorsum duas, non dixit Deum hæc duo fecisse, vel generauisse, sed ostendisse. Compositum ve;

rò ex his ens primum, inquit, ab ipso deo genitum atque factum, quasi hoc ipsum sit subsistens, illa verò nequaquam. Ex his elementis ita distinctis componuntur reliqua omnia, his inuicem iam conflatis, ideæ scilicet, & mentes, & animæ, & cælestia, & quæ sub cœlo sunt omnia. Vanum verò videtur infinitatem hanc, id est formabilitatem imperfectam, nondum formatam, nec dum finem optabilem consequutam, opinari per se, & in se seorsim posse subsistere, ceu, si quis à forma informem materiam separauerit, stultum quoque fingere terminum illum, qui intimus huius infinitatis est finis, similiter segregatum, veluti si quis materialem formam à materia fortè seiunxerit. Materiam quidem re ipsa nunquam à forma seiungere potes, at verò, si formam ab ea cogitaueris separatam: præteristi iam formam tibi prius obuiam, transcendisti genus, nec formam iam habes eiusmodi, sed idealem. Similiter si infinitatem, & terminum quæ sunt in ente, præterea infinitum tibi prorsus occurret non eiusmodi, non formabile, sed formarum omnium author, occurret, & tibi terminus non illiusmodi, non terminus additus infinitati, sed hanc supereminentes terminosque infinitati cuique suos ex alto distribuens. Infinitum igitur, atque finis quæ sunt in rebus opposita, extra res sunt ipsum simpliciter vnum.

Quomodo negatur de vno figura, & rectum atque rotundum.

CAPVT LXI.

Terminum est vniuersalius, quàm figuratum: quicquid enim figura præditum est, finibus est inclusum, neque tamen quicquid finibus est astrictum, vt linea, est etiam figuratum. Negauit ergo vnum habere terminos tanquam vniuersalius, priusquam habere figuram. Atque ex vniuersali negatione, ritè negationem adduxit particularem. Rursusque prius negauit figuram quasi generale aliquid, quàm species è medio tolleret, rectum scilicet, & rotundum. Atque vicissim dum negauit vnum rectæ figuræ esse particeps, vel rotundæ, non solùm has duas figurarum extremas è medio sustulit, sed medias etiam participes extremarum Conum, Chylindrum, Triangulum, & Quadratum. Tametsi ridiculum foret, si quasi magnum aliquid moliretur, negare, scilicet Mathematicas de vno figuras. Quod quidem certum est, super omne continui genus, imò super vniuersum ens existere, sublimiores ergo figuras quàm Mathematicas vni negat, dum has quoque euidentissimè negat. Inter hæc nota, quod monuimus alibi, Parmenidem per opposita semper versari negando, per ens vnum, & multitudinem, vni huic oppositam, per partes, atque totum, per principium atque finem, per rectum atque rotundum, per situm in seipso, vel in alio, per statum atque motum, atque similia, vt vbique significet ipsum, vnum, nec esse vtrumque oppositorum, alioquin foret multiplex, non simpliciter vnum, nec rursus alterum, oppositorum esse, alioquin non fauet alterum oppositionemque pateretur, tanquam non simpliciter absolutum. Iuuat hic cum Proclo sæpe nostro parumper inuestigare, vtrum Plato sub eadem significatione figuram hic quidem de vno negauerit, in Phædro autem de loco supercælesti, id est, de natura intelligibili. Ibi enim per locum sub cœlo, sensibilem vel ad summum animalem designat naturam, per locum verò cælestem, intellectualem, per supercælestem, intelligibilem. Quam sane naturam appellat infiguratam. Cùm verò de illa affirmet ibi multa, scilicet essentiam & intelligentiam, & alia quæ hic de vno negat, meritò, & alio quodam sensu illam infiguratam, & vnum, inquit, infiguratum. Respondeo verò, non tam cum Proclo, quàm Plotino, essentiam primæ mentis sibi mox intelligibilem, nondum habere figuram, id est exactam idearum distinctionem, quam in seipsa concipit intellectualis mentis eiusdem virtus, mox in suam substantiam se reflectens. Ipsum vero vnum, non habere figuram, significat, nullum habere, vel habiturum in se discrimen idearum, absolutis inter se proprietatibus differentium, alioquin nec foret simpliciter vnum, & iam in qualibet idea determinatum esset, atque finitum. Item, non habere figuram in se rectam, declarat processum nullum intus ab hoc in illud pati, nec aliunde pendere, neque vergere aliorsum. Denique non esse rotundum decet, non ea per intelligentiam multiplicem, reflexione vti, qua intellectus in seipsum vtitur & in causam: sed de hoc sæpius in Plotino, profectò Parmenides vbi in Poemate de vno ente, id est de mundo intelligibili loquitur, sphetæ comparat, & ipsa sphæræ definitione describit, idemque confirmat hic in suppositione secunda, de eodem, videlicet vno ente verba facturus, negat autem in prima circulare simul atque rectum de ipso simpliciter vno, quasi duo hæc intelligibilis intellectualisque naturæ sint propria, nemo vtique dubitat, orbicularem sui ipsius, vel causæ animaduersionem esse intelligentiæ propriam, rectitudo quoque præcipua eiusdem propria est: rectitudo enim processum significat, non quemlibet re vera, sed nusquam declinantem, vel obliquum, imò firmiter prorsus intentum: eiusmodi verò processu procedit intellectus à patre summo. Item, intus ab essentia sua procedit vita ab hac intelligentia, rursus à natura virtus, ab hac operatio, ab hac opus æternum. Processus quidem discretionis principium est, per hunc enim discernuntur rerum ordines, tum à causa producente, rum inuicem, quatenus hi quidem vsque ad primos vniuersi gradus: hi verò ad medios, hi autem ad infimos processerunt. Atque ita eiusmodi recto, scilicet processu, medium vtraque præcedit extrema. Siue enim descendas, præcedit vltima; siue ascendas, præcedit summa. Conuersio autem quæ per circulum designatur, conficit vnionem, per hanc enim & res quælibet sibimet vnitur, quatenus ad intimum sui centrum singula colligit, & cuncta inuicem congregantur: dum enim communi quadam auiditate boni ad ipsum bonum cuncta contendunt, inuicem quoque conspirant: sicut autem vera rectitudo est in natura intellectuali per processum indeclinabilem, qualem diximus, sic vetus est circuitus in eodem, non solùm quia hæc potissimum ad seipsam causamque conuertitur, sed etiam quia quæcunque in ea sunt, præter suum centrum quasi per circunferentiam, æquè distant à centro, æquè conuertuntur ad ipsum, perque ipsum pariter ad commune centrum atque bonum. In cæteris verò eiusmodi paritas non seruatur. In ipso denique simpliciter vno, neque processio-

nem possumus designare, per quam, vel ipsum, à causa, vel aliud ipsu ab alio procedat eiusdem. Neque rursus conuersionem, per quam vel conuertatur ad causam, aliudque bonum, vel extima sui conuertantur ad intima: alioquin, neque primum omnium foret, neque simpliciter vnum, ipsum vero vnum esse vniuersi principium, ex eo patet, quia nihil vsquam vnitate & vnione melius inueniri potest: si qua vero super ipsum causa foret, melius aliquid vnione rebus afferret.

Ipsum vnum nusquam est, quia nec est in seipso, nec in alio. Item, quomodo separata dicuntur ex seipsis existere, vel produci.

CAPVT LXII.

PArmenides in Poëmate quidem affirmauit, vnum ens in seipso, & circa se manere, hic autem negat ipsum simpliciter vnum in seipso manere, vel in alio, attribuens ei propriè nusquam esse. Neque enim in causa est, quod est causa causarum, nec in sequentibus quod nullam ad hæc inclinarionem habet vel habitudinem, in loco enim vel subiecto, vel rempore, vel genere, vel in toto tanquam partem, vel totum vt in partibus, esse quod est primum, nemo vtique suspicatur: neque est insuper in seipso simplicissimum illud, in quo non est aliud atque aliud, vt propterea alterum adhæreat alteri, vel toti partes insint, vel rotum sese complecti nitatur. Vnum vero ens, id est, intellectus primus, est vbique. Primo quidem est in causa, id est, ipso bono intelligentiæ parte, deinde etiam in seipso, penes quem est intelligentia in vita, hæc in essentiæ idea in ipsa intelligentiæ distinctione consistunt. Est insuper in sequentibus, singula prouidenter vbique disputans formasque quodammodo similes exemplari vbique disponens, sed & in hoc officio quia nusquam propriè cohibetur, ideo singulis vbique pariter adest. Proprium quidem est, intellectus ipsius dum in alio est scilicet patre suo, interim in seipso manere, id est, & ad seipsum perfecta quadam anima dnersione reflecti, & sequentibus nullis coërceri vel affici, id verò intelligentiæ proprium, id est, esse in alio, simul atque intellectualiter habitare secum non conuenir ipsi simpliciter vni, sed præstat ipsum esse nusquam. Quod quidem sufficienti diuisione probatur, si enim alicubi est, vel in se est, vel existit in alio; cum vero neque in se, neque in alio sit, consequenter dicitur esse nusquam. Proinde vbi probat vnum non esse in alio, quia videlicet circum per multas partes tangeretur ab eo, tangeretque similiter, videtur quidem negare tantum, non esse in alio tanquam loco vel vase, quod profectò leue quiddam foret, & commune rebus etiam omnibus quomodolibet indiuiduis atque incorporeis. Putandum tamen est Parmenidem hic negare sic vnum esse in alio, vt hoc proprium sit vnius, nec vllo modo sit in alio, cum multifariam esse aliquid in alio possit. Dicimus igitur vnà cum Syriano hic negari ipsum vnum in alio esse, eodem sensu quo in suppositione secunda affirmatur vnum ens in alio esse, Siquidem vnum ens, id est, prima illa intelligibilis, vel etiam intellectualis essentia est in alio vt in causa, id est, in ipso vno atque bono, quod quidem quasi circulo quodam comprehendit eam tanquam principium finisque eius medium que conseruans excedensque ipsam vndique, Quia hinc quidem eminentius est, inde verò latius ac longius operatur, Hæc verò rangit illud mulris', vt Parmenides ait, id est, per plures sui partes, vires, ideas, actus, se applicar illi, & numero quodam vtcunque potest, vnicam illius fœcunditatem imitari conatur. Est autem proprium intelligibilis huius essentiæ, esse in primis in vno, si quidem est vni quàm proxima, ipsique indistanter & indeclinanter inhæret. Est & proprium esse, in seipsa re vera penitusque se complecti propter reflexionem virtutis, intelligentiæ, voluntatis in se reflexionum omnium exactissimam, similiter ipsius vnius maxime proprium est, nec esse in alio vllo modo, præcipue sicut in causa, nec esse in seipso per vllam sui ipsius comprehensionem intellectui alicui notam. Alioquin in eo duę quędam partes, aut vires aut rationales diuersæ forent, saltem videlicet ratio quidem altera comprehensi. Quæ quidem diuersitas imò & oppositio ab ipsa ratione vnius est admodum aliena, Non enim potest aliquid per idem ac simul, & secundum se rotum opposita pati. Igitur si simul hæc admittir, quæ modo narrabam, certe secundum aliud, aliudque sui, vel saltem per aliam, & aliam rationem se continet, atque continetur, nam & quod mouetur ex se, quamuis non per duas sui partes id agat, tamen per virtutes duas expetit differenres, prætere a in seipsa esse non modo per quandam sui ipsius animaduersionem intelligibilis illa substantia dicitur, sed etiam qua ratione seipsam quoquomodo producit: sicut enim quædam mouentur ab alio, vt corporea quædam à semetipsis, vt animæ, ita quædam solum producunrur ab alio, vt corporea cuncta. Quædam non modo sunt ab alio, sed etiam cum primum inde sunt, quodammodo etiam à seipsis existunt, vt separatæ separabilesque substantiæ. Quantum igitur se sua quadam virtute producunt, se continent, quatenus producuntur à se pariter continentur. In omnibus profectò substantiis, intelligentia præditis, duæ sunt virtutes, altera quidem generatiua, altera conuersiua. Per generatiuam, atque fœcundam explicant in seipsis vlteriorem formam, & vitam atque actum, vnde videntur generare, & quasi regenerare seipsas. Explicant insuper simile nonnihil in aliud vbi videntur foras se quoque producere: per conuersiuam verò virtutem ad se & ad causam reflectuntur, vbi etiam se reformare & conformare videntur. Intellectuales ergo substantiæ hac apud Platonicos ratione ex seipsis, & in seipsis existere vel produci dicuntur. Quæ sane conditio non competit vni, penes quod præter actualem existentiam ipsam non est præterea virtus aliqua ab existentia differens, sicut in cæteris omnibus, quæ inde dici possit existere, vel per quam explicatur intus alterior forma vel actio. Nec vlla rursus conuersione opus est illi in quo nulla penitus diuersio vel diuersitas fingi potest.

Quomodo vnum, neque moueri, neque stare dicatur, & quomodo sit motus & status in omnibus, præter primum.

CAPVT LXIII.

PArmenides in Poëmate quodam de vno ente statum motumque affirmat, quemadmodum affirmabit in suppositione secunda: Hic autem in suppositione prima motum de ipso simpliciter vno statumque negat. In Poëmate profectò primo quidem, inquit, ens primum vnum immobileque

seque consistere. Deinde intelligentiam huic adhibuit, intelligibili summo coniunctam. In sequentibus addidit intelligentiam esse sine motu non posse, vbi vltra statum videtur motum quoque tribuere: Quoniam videlicet intelligentia versatur in vita, vita vero est quidam motus essentiæ, negatus videlicet actus ex essentia pullulans omnis vitæ, motusque principium. Intelligentia verò est vitalis huius motionis terminus quidam, reflexioque naturam suam animaduertens. Itaque intelligentia quatenus versatur in vita discernitque iam plurima, motus quidam esse videt, Quatenus verò quasi terminus progressum vitæ sistit centroque refigit, status etiam iudicatur. In Theologia nostra probanimus, in omni re post primum, quatuor hæc inter se differre, essentiam, & esse, & virtutem, & actionem. Hic igitur videtur essentia quidem ad suum esse perduci, virtus autem hinc protinus egredi atque ad actionem è vestigio progredi. Id totum motus quidam videri potest. Vbi & status adesse putatur, quatenus dum sequentia progrediuntur, interim prima consistunt, ac denique in suo quodam fine quiescunt. At verò penes ipsum vnum præter simplicem existentiam non licet, vt diximus, virtutem, vel actionem aliquam adhibere. Per quam progressum aliquē possumus effingere, vel quietem quandam præterea progressioni oppositam cogitare, profectò potentia, actio, motus differentem ab vno rationem habent. Non igitur applicanda sunt vni, vt per hæc vnum efficiat omnia, certum est interea non per motum facere, ne forte omnia sint mobilia. Item ne vel motum efficiat, per motum, vel ponere motum cogamur in vno. Iam verò tria hæc modo dicta ad bonum vbique contendunt, quasi non sint ipsum bonum, Ipsum itaque bonum vnumque non per aliud, sed ipsa vnitate bonitateque facit & perficit omnia. Si enim vbique quod magis vnum bonumque est magis, & maiora efficit atque plura, sequitur vt ipsa proprie vnitate bonitateque omnia fiant. Mitto nunc qua ratione Proclus vni auferat actionem, Quia videlicet sicut quęcunque sunt ab ente ens habent, sic quæcunque sunt ab vno, vnum necessario habeant. Itaque materiam ab vno procedentem vnum esse, nullam tamen actionem in se habere, alioquin habituram si per actionem aliquam vni propriam ab vno processerit. Præterea & si videtur Parmenides solos hic motus corporeos vni negare sub nomine alterationis atque lationis, meminisse tamen oportet leuem fore operam, & puerilem, si hos solos vni sustulerit. Sed profectò sub horum appellatione sustulit omnes, tam videlicet incorporeos quàm corporeos. Ait enim hos solos esse motus. Item vnum nullo motu moueri. Motus quidem alterationis in anima est quando affectum, & vitam, & formam, & actionem vel superiorum vel inferiorum subit quasi facta iam altera, Localis autem rectus tum intus rationalis à superioribus ad inferiora discursus vel vicissim, tum extra mutatio loci, & ipsa corporis vegetatio. Circuitus quoque fit in ea quando vel seipsam animaduertit vel repetit eadem. In mentibus verò puris alteratio quidem est intellectuali potentia in obiectum intelligibile transformari. Localis autem est circuitus ad seipsos pariter atque causam, fortè verò rectum quoq; motum agunt quatenus per aliam speciem aliam intuentur. His igitur motibus omnibus absolutum est ipsum simpliciter vnum. Tu verò vbi alterationem audis, intellige non de qualitate tantum inqualitatem, sed omni præter localem transmutatione, scilicet generatione, corruptione, augmento, decremento, qualitatum commutatione, atque similibus. Denique sic argumentatur, quicquid mouetur, aut alteratur, aut fertur, ipsum vnum neque alteratur neque fertur, quamobrem nullo modo mouetur. Primo quidem probat non alterari, deinde neque ferri probabit, Iam ve ro si alteratur aut transmutatur totum, aut ex parte mutatur, si totum omnino vel transit in multitudinem vnius expertem, quę quidem nusquam esse potest, vel in nihilum, vnde nihil in rebus amplius erit vno non existente, sin autem per aliquid sui mutatur, in eo iam aliud erit, & aliud, quorum alterum quidem manet, alterum verò mouetur, rursumque recipitur aliquid peregrinum, itaque non vnum est, sed multitudo quędam est, & fit quod ita mouetur. Animam verò concessimus alterari dum se rebus aliis, aliisque per affectum modumque actionis, & vitæ conformat, Intellectum quoque dum se ad intelligibile conferens, & formatur illo, & interim vel rem distinguendo, vel se applicando intelligibilibus pluribus conformatur. Sic itaque & anima & intellectus dum id ipsum quod sunt permanent, multiplicia fiunt. Quod tamen de vno cogitari nefas. Post hæc vnum neque loco ferri probat hunc in modum, Quicquid loco mouetur siue localiter (vt ita dixerim) aut circa locum eundem versatur in orbem, aut locum pro loco mutat in rectum, vel mixto quodam ex his obliquo motu mutatur. At vnum nec in orbem nec in rectum mutari vllo modo potest, Ideoque neque mixtum ex his sibi alienis subire motum, quapropter nullo motu mutatur.

Vnum: neque circulo mouetur, nec in rectum.

CAPVT LXIIII.

PRobat vnum ita circulariter nō moueri, quod circulo fertur necessario medium & extrema circa medium habet, medium que manet in eo, cæteris permutatis, itaque & partes habet & totum, hæc autem vni propter supremam simplicitatem eius competere nequeunt. Igitur circulo non mouetur. Circularem hic motum vni demens, non solum corporeum circulum adimit, sed etiam incorporeum. Nempe in anima & intellectu permanet ipsum eius centrum, & vnitas ipsa virtusque præcipua siue substantia, dum cæteræ partes, & vires, actionesque illinc effluunt atque refluunt, & quomodolibet multipliciter operantur, quod quidem, circuitum quendam referre videtur, ab ipsa vnius simplicitate penitus alienum. Probat præterea vnum non moueri in rectum hac forma. Quod mouetur in rectum ab hoc loco transit in illum, aut igitur totum simul hic est & ibi, aut totum neque hic neque ibi est, aut pars quidem eius hic est, ibi verò pars alia. Si concedatur primum, iam non mouetur, sed simul vtrobique permanet. Si secundum, nihil ad ipsum locus hic, vel ille pertinere videtur. Si tertium, iam est partibile. Vnum igitur, cum sit indiuiduum, hoc motu moueri non potest. Probatum quidem est in superioribus vnum in aliquo non existere, quoniam conditio eiusmodi sit dignitate vnius inferior. Cum verò in aliquo fieri, id est, nuper alicui

contingere, vel aliquo ferri, vel quomodolibet alterari etiam deterius sit, quàm in aliquo esse, multominus id vni competere iudicatur. Dici quidem potest aliquid simul totum in loco, & extra locum existere, vt mens & intellectualis anima, multomagis vnum, fieri vero per morum, & intro simul, & extra totum dictu ridiculum. Hic iterum te admoneo, vt dum motiones partesque corporeas vni detrahit, simul etiam incorporeas existimes esse sublatas. Anima siquidem, vel diuina multiplices formas, intelligentiasque intelligibili supremo se admouet circa æternum temporaliter mobiliterque se vertens. Et quasi recto quodam incessu modo per hanc formam actionemque suam, modo per illam transiens, illud attingit, similiter quidem non tamen temporaliter distributum. In hac ergo progressione recta anima, neque tota in illo intelligibili sit, neque est tota seorsum, sed partem quidem sit ibi, dum actu illud attingit, partim verò nondum est ibi, per actiones, videlicet, alias in posterum explicandas. Possumus, & in mente diuina processum quasi rectum auspicari, qua ratione è suo quodam centro progrediuntur multiformes ideæ. Vbi sanè pars quidem mentis, vel intelligentiæ suæ, in hac ideæ pars in illa videtur existere, quamuis tota simul essentia sit in cunctis, conditiones tandem eiusmodi non solùm corporibus, sed animabus etiam atque mentibus attributæ vni comperere nequeunt: omnia denique in quibus virtus & actio, ab essentia quomodolibet distinguuntur, quodămodo moueri videntur, quia & ab essentia virtus, & à virtute progreditur actio, sed penes ipsum vnum, quemadmodum suprà diximus, propter supremam simplicitatem non possunt duo hæc vlla ratione ab existentia fingi distincta, præsertim, quoniam si ita finxeris, interrogabimus, nunquid ipsum vnum produxerit virtutem actionemve suam per virtutem aliam actionemve procedentem, an per ipsam potius existentiam, fortè primum concesseris, mox infinito cuidam progressui aditum patefeceris. Si secundum dederis, ipsum quidem vnum sola cum existentia, pones à virtute sequente procul, & actione secretum. Quod verò penes ipsum sub quadam virtutis & actionis forma confixeras, nec ipsum erit amplius, nec aliquid eius, sed post ipsum quidam, videlicet illius affectus. Virtus quidem illius erit ipsa primi entis essentia, operatur verò vita & intelligentia essentiæ primæ propria. Hæc quidem principij primi prærogatiua est, vt circa ipsum pro virtute, & actione sit substantia, substantialisque actio, mox post ipsum in medium afferenda. Forsan verò & Aristoteles, vt diuisionem atque motum euitaret in primo, causam finalem manifestiùs quàm efficientem censuit nominandum.

Quomodo negatur de vno statu.

CAPVT LXV.

PRobaturus vnum iterum, neque stare propositionem in superioribus probatam repetit afferentem vnum, in aliquo non manere. Si igitur non manet in aliquo, consequenter neque permanet in eodem, neque stat igitur, siquidem stare, non aliter quàm in eodem permanere, definiri solet. Concesserit fortè quispiam vnum, neque dicendum mobile, neque stabile, ne fortè sic intelligatur quoquomodo compositum. Nam & stabile statu stat, & mobile motu mouetur, nihil verò prohibere putabit, quominus vnum appellemus statum ipsum aut motum. Nos autem opinionem hanc ratione quadam alibi probata respuimus, scilicet vnum esse omnibus oppositionibus rebusque inuicem quomodolibet oppositis excellentius, vt opposita quælibet, & pariter efficere, & in vnum conciliare possit, virtute enim illius quod est ab oppositis segregatis opposita copulantur. Si enim sit vtrumque simul oppositum, compositum erit à supremo quodam diuersorum conciliatore conflatum: Sin verò oppositorum alterutrum fuerit oppositum alterum, & quæ ad ipsum pertinent non efficiat. Oppositorum quidem duorum quod altero est deterius nemo vtique dixerit esse ipsum vnum vniuersi principium. Sed forte quod melius, veruntamen neque hoc esse potest, nam & sub ordine quodam cum altero opposito numerabitur, & alterum non participabit illius. Oppositum enim non fit per oppositum oppositi particeps. Quod ergo non erit vnius ac boni particeps, merito nec vllo modo erit vnum aut bonum. Denique status ipse quantumlibet perfectus, & ipse motus quomodolibet efficax certa quædam species est & perfectio definita: scincta enim sunt inuicem neq; propria alterius perfectio est in altero. Neutrum itaque perfectissimum, neutrum ergò primum. Primum namque ab omni definita perfectione seiunctum sub simplici ratione boni perfectiones omniũ tanquam perfectionem pro cunctis vnam simul, & vniuersam continet eminenter.

Quinque genera entis. Tres negationum gradus. Decem prædicamenta negata. De eodem alteroque nonnulli.

CAPVT LXVI.

QVinque genera entis in Sophista tractantur, ac nos eadem in Philebo & Timæo, atque Plotino latius pertractauimus. Hic itaque breuiter perstringemus primo quidem iterum admonentes quod & in superioribus admonuimus. Dum Parmenides de vno negat omnia genera & propria entis, totum ens negare de vno, de quo post omnia entis propria manifestè tandem negabit essentiam, dum verò negat quæcunque pertinent ad ens, de vno, tanquam illa minus digna vnum vniuerso enti præponere. Repetam iterum, sicut omnis multitudo talium, taliumue entium ad vnum ens tale reducitur, sic omnia in primis entia talia, siue talia ad vnum primum simpliciter ens postremo reduci, Idque vnum ens ab ipso simpliciter est, ab vno sortitur essentiam. Qua verò procedendo existit ab illo alteritatem nanciscitur, atque notum. Qua rursus existendo ab illo ad se conuertitur, & ad illud identitatem accipit atque statum: Per essentiam quidem hoc est secundo, quod primo illud existit. Per alteritatem vero, & ab illo, & ab ipso intra se ab aliisque distinguitur. Per motum quoque progreditur inde, progreditur intra se, progreditur & ad alia operando. Per identitatem simile est illi, congruit quoque secum. Cum cæteris quoque consentit. Per statum denique nec ab illo, nec à seipso discedit, firmiterque propria retinet, neque cum alienis se confundi permittit. Mitto nunc quomodo essentia dependens ab vno, non vnum est, &

vnum, quia non vnum sortitur infinitatem. Sed rursus, quia sit vnum terminum adipiscitur. Infinitatem quidem habet præcipuè penes vitam. Terminum verò penes intellectum, rursus per infinitatem præcipuè habet motum, atque alterum. Per terminum verò præcipuè statum atque idem. De his profecto in Philebo, & Sophista larius pertractamus. Post quinque rerum genera, quæ in primo pro sua dignitate sunt, & in sequentibus omnibus pro sua cuiusque natura, in primo emicant multiformes ideæ & in sequentibus multæ formæ. Sed antequam prosequamur quomodo Parmenides hic postquam negauit de vno statum atque motum, neget idem, atque alterum, operæ pretium fortè fuerit recensere triplicem negationum ordinem à Proclo diligenrius obseruatum. Alia sanè negatur de vno quantum sibi comperit ad seipsum, atque hic est primus apud Parmenidem negationis gradus. Alia vero quantú sibi pariter & ad alia, hic grad⁹ est 2. Alia denique quantú spectat ad alia solú, hic gradus tertius. Multitudinem enim, & totum, figuramque, & in aliquo esse, motumque, & statum de vno negat, quantum propriè spectat ad vnum. At verò idem, & alterum, simile, dissimile, æquale, inæquale, senius, innius vni aufert, & ad se, & ad alia. Neque enim sibimet est neque cæteris idem similirer, & qbæ in hac forte sequuntur. Denique opinabile, scibile, nominabile tollit vni, quantum ad alia pertinet. Omnibus enim est hac conditione prorsus incognitum, cum igitur motus & status ad primum præcipuè gradum pertineant, idem verò, & alterum potius ad secundum, merito motum, statumq; priusquam idem alterumue negauit. Præsertim quia primum ens per processum declarauit, tum se alterum, à primo tum in se alterum aliquid atque alterum, per statum verò suum in vno declarauit identitatem, prius ergo sunt illa quam illa. Animaduerte interim, quomodo negat vni prædicamenta, dum enim negat idem aut alterum, demit illi substantiam, dum simile atque dissimile, qualitatem, dum æquale, & inæquale, quantitatem. Vbi senius aut innius tollit quando, passionem verò & actionem sustulit vnà cum motu, sustulit & vbi locumque dum in aliquo esse negaret, habitum quoque & relationem passim aufert, vbi nihil habere probat, cum nullo congruere, sed vltra prædicamenta decem, ens aufert quoque transcendens, cui saltem quinque illa genera vbique conueniunt, manifestè tamen vno negato. Plerique putant prædicamenta decem rebus intelligibilibus præsertim primis esse deteriora, nihil in illis hanc esse substantiam, quæ definitur vicissim opposita capere: Multoque minus illic esse, speciem atque genus, siquidem minus substantiæ sint, quam ipsa prius definita substantia. Minimè omnium accidentia, siquidem exiliora sint speciebus atque generibus. Nihil itaque mirum est prædicamenta negari de primo, si communiter de omnibus sunt negata diuinis. Neque etiam valde mirum negare de illo species ideales, quales intellectuali etiam, & intelligibili monade inferiores existunt, In primis ergo negantur de primo prima ipsa, & amplissima entis genera ideis antiquiora, ad vitalem essentiam pertinentia. Mitto nunc quod Proclus addit, singulos deorum ordines per hæc negari de primo, tanquam cunctis excelsiore, denique Parmenides in Poëmate idem & alterum de vno primoque ente verbis manifestis affirmat. Quæ quidem & de eodem affirmabit in suppositione secunda. In hac verò suppositione prima de vno negat, declarans interea super vnum ens extare simpliciter vnum.

Vnum, nec à seipso alterum est, nec idem alteri, & ab omnibus conditionibus est absolutum.

CAPVT LXVII.

QVatuor circa idem & alterum conclusiones adducit, quoniam verò ab euidentioribus est incoboandum, merito de vno negat esse vel alterum à seipso vel aliis, idem tanquam manifestiora priusquam neger vel esse idem sibi vel ab aliis alterum, quæ quidem duo sunt difficiliora probatu. Præterea quoniam alteritas alienior est ab vno quàm identitas, prius argumentatur vnum non esse alterum à seipso, tanquam concessu facilius, quam argumentetur vnum non esse aliis idem. Probatio verò prima est eiusmodi: Si vnum esset alterum à seipso alterum, & discrepans ab vno foret, non esset igitur ipsum vnum. Secundæ verò probationis hæc est forma: Si vnum esset idem alteri, iam esset illud alterum, non igitur erit vlterius ipsum vnum, sed alterum, erit ab vno scilicet aliud quiddam præter ipsum vnum. Tu verò hic intellige vnum ipsum nullam cum aliis identitatem communionemque habere, si enim quanto altior causa est tanto remotior est à propriis effectuum suorum conditionibus, altissima certe causa causarum ab omnibus entium omnium proprietatibus est penitus segregata. Itaque cum rebus vllis neque specie, neque genere, neque ordine congruit. Alioquin non solum foret ipsum quod existit, verumetiam speciei vel generis vel ordinis illius foret particeps, neque foret amplius simpliciter vnum, nempe quod participat aliquid, non est solum idipsum quod participatur ab eo, sed præterea aliquid aliud, Alioquin non esset illius particeps, sed illud ipsum prorsus existeret, ipsum igitur vnum nullius est particeps, ne fortè desinat esse simpliciter vnum: Inferiora quidem non participat, ipsius videlicet maiestate prorsus indigna, superius autem aliquid participare non potest, quod enim superius vno: Profecto quatenus per rerum gradus ad superiorem causam gradatim superioremque conscendimus, eatenus ad magis vnum & simplicius peruenimus, ipsum ergo simpliciter vnum est cunctis excelsius. Neque fingere licet ipsum verè vnum esse geminum, scilicet hoc & illud: alioquin qua ratione vnum & vtrumque non different. Distingui tamen necesse est, si duo fuerint. Distinguetur igitur hoc ab illo per proprietatem quandam, quam præter ipsum vnum habet hoc, & suam similiter habet illud, vtrumque igitur erit mixtum, & multiplex, & vnum quiddam, nec vtrum ergo simpliciter vnum. Cum igitur ipsum vnum sit vnicum, singulare, solum, si fingatur alteri cuidam idem euadere, certe fiet idem alicui, quod non vere vnum, si hoc ipsum fieri huic idem est cum hoc aliquo modo congruere, communem ordinem iam subibit, fietque cum hoc communis naturæ particeps. Neque simplex & absolutum amplius erit. Sin autem fieri huic idem, est hoc ipsum prorsus euadere, iam illud quod ante asserebatur simpliciter vnum prorsus erit hoc quod postea ponebatur, nec verè, nec simpliciter vnum. Cætera quidem, quoniam in specie, in genere, in

ordine computantur, sic ad identitatem se habere possunt, vt inuicem eadem quodãmodo esse valeant, neque tamen penitus eadem, vt Socrates cum Platone, idem specie, neque prorsus idem, cæteraque similiter. At ipsum vnum extra omne consortium segregatum, si præterea fingatur cuipiam esse idem, cum nequeant externa quapiam conditione vel societate idem fingi necessario ipsa sua singularitate naturæ huic iam erit penitus idem.

Vnum non est ab aliis alterum.

CAPVT LXVIII.

FAcile quiuis putauerit vnum esse, & ab aliis alterum, & sibi ipsi idem, communis enim opinio recepisse videtur ad vnum pertinere vt & extra distinctum sit ab aliis, & indistinctum sit intus. Verumtamen Parmenides accuratius ista perpendens, neque alterum, neque idem de vno iudicat prædicandum, siue accipias alterum pro ipsa alteritate formali, siue pro alteritatis participe quodam. Similiter siue idem pro identitate, siue pro participante susceperis. Cum verò identitas magis ad vnum attinere communiter videatur quàm alteritas, nimirum tanquam à faciliori quodam incipiens vnum non esse ab aliis alterum prius probat, quàm non esse sibi ipsi idem, vtrumque tamen inopinabile vulgo. Memento primo quidem quod est ab aliis alterum, aut per alteritatem quam participat, esse alterum, aut seipso alterum esse, vtpote quod sit alteritas ipsa, deinde verò aliam vnius, aliam alteritatis rationem esse. Vnum enim absolutum est, alteritas autem refertur ad alterum. Præterea vnius quidem proprium est vnire, alteritatis verò diuidere. Quapropter hæc non solum alia est ab illo, sed etiam aliena. Si igitur vnum dicatur ab aliis alterum cum non qua ratione vnum est, fit & alterum, forte tanquam alteritatis cuiusdam particeps fieri alterum iudicabitur, itaque alienam admittens alteritatem, non erit vltra simpliciter vnum, neque rec̃te rursum dici potest vnum ab aliis alterum, vt alteritas ipsa. Hæc enim seipsa est altera, vnum verò non seipso. Siquidem non qua ratione vnum effici potest alterum, cum alia, & aliena ratio vnius à ratione alteritatis existat. Verum dum rationem ipsius vnius, & ab alteritate dicimus alienam, & à generibus entis vniuersoque ente penitus segregatam, periclitamur interea confiteri vnum esse ab his omnibus alterum. Sed memento alteritatem propriè dici proprietatem quandam diuisoriam, entibus insitam, identitati per conciliationem aduenienti prorsus oppositam. Absit igitur, vt per proprietatem entibus destinatam, & oppositioni subiectam ipsum vnum entium principium concedamus ab entibus segregatum. Quando enim segregatum dicimus, tunc incomparabili simplicitate sua ineffabiliter supereminens cogitamus. Aliter enim corpus separatum à corpore, scilicet per locum. Aliter anima à corpore, scilicet per substantiam separabilem. Aliter intellectus ab anima, & plures intellectus inuicem, & inter se ideæ scilicet per ipsam essentiæ vel saltem per formalem rationis alteritatem, ipsum quoque vnum aliter, scilicet per simplicissimam eminentiam ipsius propriam nulli conuenientem. Alteritas igitur entibus concedatur. In eo autem quod superesse existit, vel in nihilo ne nominetur quidem. Quis enim rite dixerit nihilum ab ente alterum esse, quasi sit aliquid præter ipsum? Similiter nemo rec̃te dixerit vnum ipsum ente superius per alteritatem, quæ entis conditio est esse ab ente semotum.

Vnum non est sibi ipsi idem.

CAPVT LXIX.

ALia vnius, alia identitatis ratio est, vnum enim est absolutum, identitas relatiua. Nam semper est aliquid alicui idem, propterea vnum tanquam absolutum est ante identitatem, vtpote relatiuam. Præterea si vnam hic ceram habeas, ibi verò quatuor, cupiasque hanc illis eandem numero fieri, diuides hanc in quatuor. Hec ergo per diuisionem atque numerum eadem illis euadet. Si rursum cupias illas ibi ceras his, hic ceris alteras numero fieri, quatuor in ceram vnam coges. Sic itaq; rursus per vnionem fit alteritas, quemadmodum modo per multitudinem efficiebatur identitas, vnde concluditur (quod proposui) rationem vnitatis & identitatis inter se differre. Si ita se res habet, non potest ipsum vnum sibimet idem existere, alioquin aut participabit identitatem per quam sibi fiat idem, alienamque naturam admittens, desinet esse simpliciter vnum, Aut forsan ipsum erit identitas ipsa, vt ex se sibi ipsi sit idem. Esse autem non potest identitas, siquidem alia huius & illius ratio esse deprehenditur. Quod ex eo iterum confirmatur. Quoniam identitas cum alteritate, & numero commercium habet. Nam in tribus saltem consistit identitas, ad quam necessario requiritur vt hoc idem sit illi, & in conditione quadam idem. Sed ipsum vnum eiusmodi coniugium subire non potest. Obiicit Proclus, Parmenidem debuisse multitudinem multitudini potius æqualem fieri aut parem, quàm eandem. Respondet hic de essentiali numero potius quam accidentali fieri mentionem. Vbi igitur numerus rebus numeratis contingit extrinsecus æqualitatem rite, vel inæqualitatem dici, vbi autem numerus est essentialis & intimus, identitatem dici posse. Siquidem identitas sit quædam in natura communio, denique vnusquisque sequentium ordo nouum aliquid secum fert, & id quidem deterius, præter id quod erat in præcedente. Regio sub Luna mutationem in substantia iam motui cœlestium adhibet non permutanti substantiam. Cœlum localem circuitum adiungit vitali cœlestis animæ motui non locali: Anima temporalem discursionẽ addit intelligentiæ non currenti. Intellectus appetitum intelligentiæ adhibet, enti non dum perse intelligentiam affectanti. Hæc tandem præter alia genera oppositaque cum identitate subit alteritatem, quæ in primo non erant, identitate quidem illius vnitatem refert, alteritate verò eiusdem eminentiam pro viribus repræsentat.

Vnum nec est simile, neque dissimile, vel sibi, vel cuiquam.

CAPVT LXX.

POstquam negauit de vno tanquam superiore identitatem atque alteritatem ad essentiam illam intelligibilem pertinentia, negat deinceps quæ post illa sequuntur, similitudinem, atque dissimilitudinem: Similitudo quidem identitatem sequitur, dissimilitudo autem alteritatem, sup-

que minora. Post hæc iterum æqualitatem, & inæqualitatem negabit, illa post similitudinem, hæc post dissimilitudinem collocatur: Illa quidem duo ad formales intelligibilis essentiæ vires pertinent, hæc verò duo ad actiones & quasi mensuras & modos, earum virium spectare videntur. Iam verò in mundo intelligibili vbi vires sunt variæ, modique multiplices inueniri quodammodo possunt, similitudo, dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas quasi generalissima quædam, sequentibus omnibus pro suo cuiusque modo distribuenda: Mox etiam in intelligentia sua emicant eadem vt ideæ, Idealis quidem similitudo, & quæ sequuntur. In ipso autem vno hæc neque vt genera vel generalissima, neque vt ideæ formaliter distingui possunt. Formabit verò Parmenides propositiones de hac materia quatuor, vnum non est tibi ipsi simile, vnum non est alteri simile, vnum non est sibi ipsi dissimile, vnum alteri cuiquam non est dissimile, vnum non esse sibi, aliisue simile, ita probat. Quicquid alicui simile est, necessario identitatis alicuius est particeps, vnum verò identitatis particeps esse non potest, non est igitur alicui, scilicet vel sibi, vel alteri simile. Profectò vnum ipsum identitatis causa est, hæc autem similitudinis est origo. Imò etiam æqualitatis ipsius. Nam æqualia dici solent, quæ quodammodo in quantitate sunt eadem, & similia rursus, quæ in eadem qualitate conueniunt, eandem videlicet speciem qualitatis adepta. Vnum verò non participare identitatem in superioribus est probatum. Quoniam identitas natura quædam differens est ab vno, est igitur numerosa, quapropter si vnum hanc admiserit, euadet iam multiplex, atque definet esse simpliciter vnum. Post hæc vnum non esse sibimet, aliisue dissimile, hac breuiter ratione demonstrat: Sicut similitudo ab identitate, ita dissimilitudo ab alteritate dependet. Illa namque dissimilia nominantur, quæ in altera specie qualitatis existunt. Cum igitur ipsum vnum alteritatem vllam, (vt supra diximus) tollerare non possit, ne aliena & multiplicia sustinens vnum iam esse desinat, meritò nec esse dissimile potest. Si quis autem cætera vni dissimilia, atque similia esse dixerit, loquetur quidem non admodum propriè, quoniam vnum simul cum aliis non potest ad ideam vel genus similitudinis, dissimilitudinisue referri. Rectè tamen sentiet si modo indicauerit cætera esse quidem dissimilia vni, quoniam nihil habeant commune cum illo, esse quoque similia; quoniam vnum quiddam habeant commune inuicem ab illo susceptum, qui inquam ratione vnitatum illo videlicet largiente participant, communique illinc, atque illuc desiderio rapiuntur. Neque tamen vicissim illud simile cæteris est dicendum, quoniam similitudinem vel identitatem participare non potest. Imagines quinetiam exemplari similes appellantur, neque vicissim. Iam verò quemadmodum ideale exemplar se habet ad formalem seriem suam per multos gradus subinde sequentem, sic fermè ipsum vnum bonumque ad omnes entium gradus tanquam vnius bonique particeps se habere videtur, ob quam sanè comparationem, Plato in Republica ipsum vnum vniuersi principium appellauit ideam boni, non quia sit species aliqua vel idea, est enim longe altius atque latius, sed quoniam (vt diximus) idea quælibet in processibus suis quodammodo imitatur vniuersalem omnium ab ipso bono processum.

Vnum nec sibi, nec aliis est æquale, vel inæquale.

CAPVT LXXI.

In mundo intelligibili vltra terminum infinitatemque, quæ alibi declarauimus, identitatem quidam ponunt etiam propter essentiam formarum omnium vnam, sempérque eandem, alteritatem verò etiam propter multiformes ideas, similitudinem quoque, quia conformes sunt, semperque in habitu simili perseuerant, dissimilitudinem verò, quoniam ratione inter se sunt differentes. Propterea & dissimilia faciunt, æqualitatem insuper, quia semper equalis virtutis & actionis est modus, & quia res singulas intra seipsas, & inuicem æqualitate proportionis adæquant. Inæqualitatem denique, quoniam partes, vires, ideæ, non penitus sunt æquales. Sunt enim formales ibi gradus nec æqualia faciunt. Commensurabiles inuicem ibi dicuntur generum idearumque gradus. Sed hæc ad ipsam essentialem intelligibilemque monadem haud similiter commensurabilia indicantur. Verum in ipso vno vnius mundi intelligibilis authore varietatem eiusmodi collocare non possumus, vbi si non est terminus & infinitas, consequenter neque sunt vel quæ terminum sequuntur, vt idem, simile, æquale, vel quæ ad infinitatem spectant vel alterum, dissimile, inæquale. Parmenides igitur postquam de vno negauit idem, atque simile, & alterum atque dissimile, tanquam origines quasdam, consequenter negat æquale, & inæquale inde dependens, & quatuor, vt supra, propositiones vult intelligi, vnum non est sibimet æquale, vnum nec aliis est æquale, vnum sibi non est inæquale, vnum nec aliis inæquale. Negat autem vbique de vno, vt monuimus alibi, sub passionum sensibilium prætextu, animales quoque, & intellectuales, intelligibilesque passiones. Itaque dum audis æquale, & inæquale, quasi corporeo ritu tractari, intellige incorpoream quoque æqualitatem, & inæqualitatemque negatam. Inter hæc ait, æqualia esse, quæ semel eadem mensura metitur, vt quando pedalis mensura, pedem hunc adæquat & illum: Inæqualia verò alia quidem vult esse commensurabilia, alia verò incommensurabilia iudicat. Si pedale quidem lignum, signo pedali est inæquale, sed propterea commensurabile, quoniam mensuram habet cum illo communem. Eadem namque mensura pedalis, quæ semel adhibita minus hoc metitur lignum, bis admota metitur, & maius. Sed diameter lateri non ita commensurabilis existimatur: Non enim est certa mensura, quæ sub certo numero repetita alterum adæquare alteri perpendatur, sed tantum hoc quidem dicitur maiorem mensuram habere, illud verò minorem. Est itaque argumentatio talis: Quod alicui est æquale, eandem cum illo mensuram habet, quocirca etiam identitatis est particeps, cum igitur vnum identitatem participare non possit, ideoque nec eandem subire mensuram, nimirum nec sibi, nec aliis fit æquale. Identitatis vis amplissima est, dicimus enim aliqua inuicem eadem specie, genere, ordine, tempore, qualitate, loco, mensura, & denique cunctis. At verò tanquam equalia inuicem comparantur in specie, quis enim dixerit lineam æqualem superficiei, vel superficiem solido, vel alterationem augmento, motusue locali? Sed dicimus potius lineam æqualem vel inæqualem li-

neæ, cæteraque similiter. Cum igitur negata sit de vno identitas, & alteritas, tanquam amplissima, consequenter tanquam augustior, & inde dependens, æqualitas inæqualitasue negatur, Sin vnum ipsum rebus passim multiplicibus ab illo manantibus est incomparabile quonam pacto est illis æquale, vel etiam per inæqualitatem oppositam inæquale: sed neque æqualitate indiget, cuius ratio est ab illo differens per quam sibi sit æquale. Habet enim, imò est ipsum vnum æqualitate melius, atque præstantius. Neque verò nominamus vnum quasi sit aliquid quantum vel ad quantitatem pertinens continuam, vel ad numerum, vel quasi sit monas quædam principium numeri proportionemue cum illis aliquam habeat, per quas vtique conditiones dici possit æquale, vel inæquale, sed sub ipso vnius nomine singularem simplicitatem penitus indiuiduam eminentissimamque & omnis ad alia comparationis expertem, vaticinamur. Quæ quidem omnibus & singulatim vnitatis causa sit, & summatim author vnionis. Quicquid enim est, aut vnitas quædam est, aut ex vnitatibus quibusdam constat. Id verò munus duntaxat ab ipso simpliciter vno omnia susceperunt, cæteras verò conditiones, quæ omnes particulariores, posterioresque sunt, ab aliis quoque causis accipere poterunt.

Confirmatio superiorum.

CAPVT LXXII.

ALia æqualitatis, alia vnius ratio est, vnum enim est absolutũ: æqualitas relatiua, æquale enim ad æquale refertur. Præterea vnius natura multitudinem prorsus excludit, æqualitatis includit, ternarium saltem: hac enim huic in hoc est æquale, vel illo. Item vnum alicubi quidem vnitatem proferẽs inæquale reddit quod prius erat æquale, alicubi verò contra addita vnitate, reddit æquale, quod antea fuerat inæquale. Vbi apparet ipsum vnum super æqualitatem inæqualitatemque existere, & vtramque pariter procreare. Prætermisimus inter hęc, si ratio qualitatis differt ab vno, nimirum & rationem inæqualitatis ab vno differre. Cum igitur ęqualitatis natura sit aliquid præter ipsum bonum: si vnum quoquomodo fiat æquale, vel sibi, vel alteri, alienam iam naturam induet, nec erit simpliciter vnum: Quicquid enim opposueris vni, mox subducta simplicitate tolles ipsum simpliciter vnum, reddesque iam vnum aliquid atque multiplex: Sin autem vnum dixeris sibi vel aliis inæquale, cum per inæqualitatem ab ipso alienam inæquale fiat, similiter esse desinet vnum. Profecto quod est inęquale, siue sit maius plures mensuras habet, siue sit minus pauciores, vtrobique verò, (vt ita dixerim) mensuratur per mensuram quandam seipsam ipsi accommodantem partibusque suis ipsius mensurati partes & particulas contingentem. Quapropter vnum si mensuretur multitudinem partium iam habebit, nec alterius erit simpliciter vnum. Neque fingere licet vnum sui ipsius esse mensuram, per quam sibiipsi sit ęquale, alioquin penes ipsum erunt rationes duæ, & hæ quidem inter se oppositæ. Ratio mensurantis ac ratio mensurati, imo & ipsa mensuræ ratio, quæ etiam alia quàm vnius ratio est: Iamque nec erit simpliciter vnum. Sed quisnam dixerit, primam causam rebus ęqualem? Quæ propter incomparabilem simplicitatem, eminentiam, potestatem, nullam cum rebus admittit communionem, Alioquin propter eiusmodi coniugium non fuerit penitus absoluta. Quis iterum inæqualem per inæqualitatem æqualitati vicissim opposita, & circa subiectum idem seversantem? Alioquin commercium cum rebus haud prorsus effugerit, imò & patietur oppositum, scilicet melius, ac deteriori erit opposito mancipata. Quonam igitur pacto iam erit mensura rerum? Quod ex Philebo & Theęteto Legibusque accipimus. Non erit certe mensura quædam rebus mensuratis adhibita, Alioquin non fuerit absoluta, nec ita rursus erit in rebus mensura rerum, quemadmodum monas in numeris numerorum: Alioquin pars quædam multitudinis rerum futura est imperfectior vniuerso, eritque vnum quiddam coniugatum cum cæteris, quorum quodlibet propter mutuam differentiam est aliquid vnum, si ita se habere impossibile est, ipsum vnum neque erit vna quædam species idealis in ipso intelligibili modo: Ne pręterea cæterarum specierum perfectionibus propriis sit orbatum. neque etiam vniuersus ille mundus, alioquin vt in Sophista probatur, vnum si totum aliquid fuerit, iam multiplex, & particeps vnius potius quàm ipsum vnum est futurum. Sit ergo mensura rerum, quoniam rebus singulis gradibusque rerum ab ipso productis suum cuique distribuit essendi, virtutisque, & bene essendi modum, singulaque vicissim, conuertuntur & accedunt ad ipsum, eatenus inde proficiunt. Neque verò putandum est, Parmenidem tanta moliri, vt rem manifestissime alienam, duntaxat neget vni ęqualitatem scilicet quantitatis. Negat enim præterea æqualitatem cum rebus simplicitatis virtutis excellentiæ causę, inæqualitatemque similiter, Comparationes enim eiusmodi inter hoc, & illud rite fieri solent, quando in vno quodam eodem congruunt, quod & pariter, & magis, atque minus vtrobique depræhendi possit. Nihil verò idem est in ipso simiter vno simul atque rebus, per quod eiusmodi fieri comparatio possit, alioquin coniugabile iam erit, & multiplex. Neque verò admittendi sunt, quicunque propria rerum munera ipsi vni tribuunt, superlatiuo quodam gradu stabilissimum appellantes, aut velocissimum, vel ęqualissimum. Cui enim superlatiuorum fundamenta non competunt, status scilicet, motus, æqualitas, quonam modo superlatiua conuenient? Est igitur omni superlatiuo longe superius.

Vnum, neque iunius, neque senius, neque coetaneum, vel ad se, vel ad alia esse potest.

CAPVT LXXIII.

TEmporis motusue particeps esse aliquid modis tribus considerare licet, Aut enim actione simul substantiaque mutatur, temporaliterue fluit, vt corpus, aut actione tantum, vt anima, aut quasi processu quodam & origine, vt intellectus. Ab his autem omnibus temporis motusue conditionibus Parmenides ipsum vnum prædicat absolutum, & interea omnium quæ quomodolibet in motu temporeque versantur, ipsum asserit etiam principium atque finem. Id enim in omnibus negationibus obseruandum monuimus à principio, aut quæcunque de vno negantur, interea intelligantur eminenter ab vno profecto tanquam incomparabiliter superante. Assumit autem in primis Parmenides quę sint propria eo-

rum quibuscumq; tempus quomodolibet competere possit: Tria verò hæc sunt, coëtaneum esse, aut iunius, aut senius, vel aliis vel seipso. Probat verò ab his propriis, ipsum vnum esse secretum, vt ab omni temporis motusue participatione secernat, etiam quæ in intellectu sublimi fingi possit. Neque verò fuisset operæpretium à corporeo vel etiam animali motu vel tempore ipsum vnum absoluere, à quo & intellectus absoluti sunt omnes, in substantia quauis intellectuali prius quidem est secundum originem atque ordinem essentia quàm vita, vita quàm intellectus, substantia quàm virtus, virtus quàm operatio. Intellectus ergo quilibet per ipsa priora sui senior est seipso, per posteriora iunior, est etiam sibimet coëtaneus. Nam quæ ad essentiam propriè pertinent pari quadam origine coniugata sunt inuicem, similiter quæ ad vitam, & cætera quæ sequuntur. Est præterea intellectus ipso intelligibili iunior, senior vero quàm anima. Coëtanei verò plerique sunt inuicem intellectus, similiter animæ multę. Ideæ similiter vniuersaliores particularioribus seniores sunt, specialissimæ inuicem coëtaneæ, & vna quæque suis propriis coëtanea. In animabus præterea vel diuinis atque beatis intelligibili mundo fruentibus, circuitus quidam fiunt per species gradatim intimas discurrentes: Hinc & iunior ætas, & senior, & coëtanea surgit, quæ enim vniuersaliores circuitus agunt, seniores sunt animabus, quæ particularibus periodis pluribus vnum illarum circuitum æquare conantur. Coëtaneę sunt quę periodos pares efficiunt, sunt & seipsis seniores atque iuniores, quatenus tum per vniuersaliores, tum per minus vniuersales formas progrediuntur. Coëtaneæ verò sibi quotiens æquales repetunt formas omnes tandem eiusmodi motus temporumque numerus, siue ad diuinas animas, siue ad intellectus & intelligibilia pertinentes. In secunda quidem suppositione de vno ente ad quod omnes quomodolibet diuinę, & intellectuales substantiæ spectant, affirmabuntur. In prima verò suppositione de ipso simpliciter vno negantur. Argumentatur autem hunc in modum: Quicquid vel coëtaneum est ęqualitatem similitudinemq; temporis accipit, vel iunius aut senius, inæqualitatem dissimilitudinemque in tempore subit: probatum est autem in superioribus ipsum vnum extra omnem æqualitatem similitudinemque & horum opposita esse. Igitur neque coëtaneum, neque iunius, aut senius est, vel ad alia, vel ad seipsum. Hæc quoque argumentatio vt cæteræ per vniuersaliora procedit, vniuersalius est enim æquale vel simile simpliciter, aut inæquale simpliciter & dissimile esse, quàm secundum tempus esse tale. Adiunxit autem equalitati similitudinem, vt ætate inuicem compararet, non hominem cani, sed hominem homini, canem cani, specie videlicet similes.

Ipsum vnum super æternitatem, & tempus, & motum est, nec vlla ratione esse in tempore dici potest.

CAPVT LXXIIII.

Ipsum vnum super æternitatem probatum est quando disputatum fuit esse super statum identitatemque & in nullo manere. Æternitas autem est ipse in eodem status & mensura quædam in æternis stabilibusque permanens. Illic igitur multo magis assertum est, ipsum vnum super æterna stabiliaque existere. Item multo magis esse super tempus, tametsi hoc propriè declaratur, vbi super motum, & alteritatem necessaria tempori esse monstratur. Igitur ipsum vnum neque etiam est ipsum tempus, in quo est necessario motus ipse pariter, & alteritas. Alioquin si ipsum vnum tempus motusue fuerit sola mutabilia fauet, meliora verò mobilibus causa quædam excellentior aget. Sed quisnam dixerit vniuersi principium esse motum, naturaliter imperfectum atque diuersum? Moueri enim est ad alind proficiendo procedere, siquidem motus suapte natura non includens statum aut terminum, tanquam sibi oppositum vagabundus ex se est & erraticus, nondum videlicet absolutus imò & infinitus infinitate quadam desuper aliunde formabili, denique si ipsum vnum non est ipse motus, ipsum nec tempus, multo minus mobile, & temporale aliquid esse potest. Proinde vnum non esse in tempore ita probat. Quod est in tempore semper seipso fit senius, cum verò senius referatur ad iunius, dum seipso senius euadit, simul seipso euadit & iunius. Hæc autem ipsi vni competere nequeunt, quemadmodum in superioribus est prolatum, igitur nec est in tempore. Propositio argumentationis huius maior difficilis admodũ expositiones tres admittit, in ea videlicet parte, vbi proponit vnà cum seniore simul effici iunius. Prima quidem expositio est, vt hoc ipsum simul non tam pertineat ad ætatem ipsam, quàm ad relationem quandam ætatis illius ad hanc ætatem: Quo enim in tempore fit senius in eodem, neque prius ad seipsum iam senius refertur, vt iunius atque vicissim. Expositio verò secunda talis: Homo decem annos natus senior est si comparetur ad nonem in quo quidem nouenario ad suum denarium iam refertur vt iunior, sed in eodem nouenario ad octonarium simul refertur vt senior, atque ita in quolibet anno vel mense, vel die, vel hora, vel momento refertur ad seipsum per idem simul tempus, vt senior, atque iunior, quatenus scilicet vel ante vel retro refertur. Tertia expositio Syriani est, diuinarum animarum accommodata periodis, vbi enim motus quasi rectus terminum petit à principio discrepantem, illic in proprio ætatis tempore motum pariter consequente. Aliud quidem est principium, aliud verò finis, itaque non potest hic aliquid ita præteriens fieri seipso senius simul atque iunius, nisi per relationem quandam à nobis modo descriptam. Sed in circulari motu perpetuo, qui animabus propriè diuinis competit atque inde cœlis, mentibus quoque, metaphorica ratione momentum quodlibet principium, pariter est & finis. Quod igitur ita mouetur, in quolibet momento senius seipso simul euadit, & iunius, senius quidem quatenus momentum illud ad quod modo discurrendo peruenit, rationem habet ad præcedentem discursionem finis atque termini: Iunius autem, quatenus momentũ idem ad discursionem continuata serie consequentem, principij rationem habet. Diuinæ igitur animæ in quouis momento seniores seipsis sunt simul atque iuniores. Similem quoque quodammodo ætatis conditionem suspicari licet in circuitu, & processibus intellectus excelsi, dummodo quod per fluxum temporalem in anima corporeque peragitur per originem quandam processumque huius ab illo subitò imminentibus expleatur. Nihil verò tale in ipso simpliciter vno fas est confingere.

Relatiuorum regula cum confirmatione quadam Superiorum.

CAPVT LXXV.

TRadit interea regulam quādam eorum,quę sub diuerso nomine tanquam relatiua inuicem opponuntur, vt iunior refertur ad seniorem, pater ad filium, seruus ad dominum. Nempè hæc quotiens inuicem referuntur, qua tunc conditione alterum accipitur, recipiendum est & alterum,si modo ritè relatina hæc oppositio fiat. Seruus igitur qua ratione nunc seruit,referendus est ad dominum, qua ratione in præsentia dominatur. Item, seruus qui olim seruiebat ad dominum, qui tunc dominabatur ei: Rursus, quandoque seruiturus ad dominum, tunc tandem dominaturum. Quando aliquis nuper fit alicuius seruus, tunc ille fit huius dominus: quamdiu alicuius est seruus, tamdiu & ille huius est dominus, atque vicissim. Neque ritè referre licet futurum seruum ad præteritum dominum, vel eum qui mox fit seruus, ad illum qui iam est dominus, similia de iuniore & seniore dicta nobis existimato.

Cùm vnum sit supra tempus, consequenter conditiones temporis, temporaliumque excedit.

CAPVT LXXVI.

POstquam negauit ipsum vnum esse in tempore vllo, scilicet vel proprio, vel metaphorico, per hæc consequenter habere negat conditiones necessarias temporalium, & quomodolibet temporalium, & quomodocunque eiusmodi conditiones accipiantur, siue vt propriè, siue etiam metaphoricè. Tempus ab æternitate dependens plurimùm quidem habet sui, æternitatis quoque nonnihil. Qua igitur ratione natum est quandam æternitatis imaginem, dicere solemus in tempore atque temporali, est, erat, fuit, erit, fuerit. Simplicia enim hæc sunt, & præsentiam quandam referunt, siue nunc instantem, siue quæ extiterit, siue quæ existet: qua verò conditione tempus ab æternitate degenerat nominare in tempore, & temporali solemus, fit, fiebat, factum fuit, factum erat, fiet, factum erit, factum fuerit. Hæc enim altera, præsertim simplicem quandolibet existentem, fluxum generationemque secum ferunt. Quorum nihil ipsi vni tempus exuperanti contingere potest. De cæteris quidem modo dictis est manifestum, de ipso quod præsentiam significat, nunc instantem scilicet est, apud nonnullos erit fortè dubium, putantes hanc ipsi præsentiam conuenire. Tametsi cùm hæc nihil aliud sit quàm momentum fugax inter præteritum & futurum, pertineatque ad tēpus fermè sicut punctum, medium, ad lineam, meritò ipsi vni, vel æternitatem excedenti conuenire non potest. Quo verò sensu exponendum sit Propheticum illud, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens, satis in commentariis in Dionysium exposuimus. Per hæc enim Deum omnipotentem esse creatorem omnium quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ erunt. Hæc ergo quæ temporalia videntur nomina, non temporalem in Deo affirmant formam, sed causam authoritatemque eius super omnes temporis partes, & temporalia omnia dominantem.

Ipsum vnum est essentiæ particeps, nec ipsa essentia, nec ipsum esse: sed longè superius.

CAPVT LXXVII.

INterrogat deinde Parmenides, nunquid alij quidam modi sint essentiæ participandæ, preter eos qui narrati sunt. Respondetur ei, non esse. Ipse verò responsionem approbat. Tu igitur cùm certo scias, Parmenidem æterna supra temporalia posuisse, atque in æternis veram constituisse essentiam, in temporalibus verò falsam, quæ & generari potius quàm esse purat, caue suspiceris eum in quæstione sua, responsioneque approbatione, introducere solas essentiæ participationes in tribus temporum differentiis, præterito, præsenti, futuro. Præter enim participationes istas tanquam falsas apud Platonicos, Pythagoreosque sunt æternæ participationes, essentiæ veræ. Interrogatio igitur illa totius esto primæ suppositionis Epilogus. Quippe cùm gradatim enarrauerit genera, propria entis omnia, in quibus varij sunt essentiæ participandæ modi, atque vnà cum generum negatione eiusmodi modus de vno iam negauerit omnes, iure tandem in hac quæstionis vniuersæ summa ipsum vnum esse negat essentiæ particeps. Si quis autem pertinacius instet, hanc interrogationē ad conditiones temporis pertinere modo narratas, meminisse debet, quemadmodum etiam in primo ente motus alteritasque asseritur, ita & tempus suo quodam pacto, vt diximus, collocari, propter processum quendam ex hoc in illud, prius posteriusque in origine quadam, & ordine proferentem, atque talia negari de vno. Sed ad reliqua iam pergamus. Profectò quemadmodum in superioribus admonuimus, vbique ab euidentioribus exordium faciendum. Ritè igitur primò negauit vni multitudinem ab ipso extra controuersiam alienam. Tandem verò per media multa, essentiam quoque negauit, tanquam vni valdè cognatam, discretuque difficillimam. Contra verò in suppositione secunda de vno ente, tanquam euidentissimè cognatam in primis affirmabit essentiam. Parmenides hic in primis ens quidem accipere videtur vt concretum, essentiam vt abstractum, esse autem vt actum entis intimum per essentiam. Sicut enim viuens viuere per vitam habet, ita ens per essentiam formaliter habet esse. Cùm ergo negauerit vnum vllo modo essentiam participare, consequenter de illo ens totum negat atque esse, ens, inquam, totum non temporale solummodo, sed æternum: Inquit enim nec vllo modo essentiam participare, nec vllo modo esse. Concedet fortè quispiam vnum non participare essentiam, atq; hac conditione de vno negabit ens, & esse, sed suspicabitur ne fortè ipsum vnum ipsa simpliciter essentia prorsus existat, non per quam sit aliquid quod ens nominetur, sed quæ sit seipsa, ideo Parmenides significanter adhibuit, vnum vllo modo est, adeò vt neque vnum sit vnum, scilicet cum essentia vnum, ne quam secum rationem vel naturam habeat aliam præter suam, sicut enim vita cū intellectu nō est simpliciter vita, sed quædā, ita ens cū vita non est simpliciter ens, sed quoddam, scilicet cum differentia quadam per quem est viuens: Similiter vnum cum essentia, non est simpliciter vnum, sed vnum quoddam cū differētia, videlicet hac assumptum,

Sæpè diximus, rationem ipsius essentiæ, rationemque ipsius vnius differentem esse: Essentia enim qua ratione simpliciter est essentia, neque mulplicabilitatem prorsus excludit, neque separationem affert. Vnum verò qua simpliciter vnum, immultiplicabile est, ab omnibusque secretum: quapropter si essentiæ adhibeas vnum, nihil essentiæ detrahes, quominus essentia sit atque perfecta, imò verò perficies. Sin autem vni essentiam admoueas, vt diximus, differentem, propriam ipsius vnius eminentiam simplicissimam è medio tolles, non igitur essentia iuuat vnum, videlicet vt inferior, sed vnum essentiam potius, vt causa finisque perficit. Vnum quidem essentiam participare non potest, alioquin non foret simpliciter vnum. Essentia verò omnis etiam prima necessariò particeps est vnius. Prima enim sicut maximè est essentia, sic & vna quàm maximè, itaque super vnum quod in essentia participatum est, est vnum imparticipabile super essentiam. Quod quidem euidentibus verbis à Speusippo Platonis nepote dictum est: testis est Proclus, vbi etiam addit, Speusippum id quoque ex antiquorum opinione confirmauisse, quando dicit eos existimauisse vnum esse melius entis, entisque principium omni habitudine ad sequentia liberum, sicut & ipsum bonum, ab omni alicuius boni conditione secretum. Appellat autem ibi Speusippus ens primum proprium entium principium, interminabilem diuinitatem ab vno superiore pendentem. Quid plura? Cur testimonium quærimus Speusippi, cum in positione secunda vnum ab ente manifestissimè discernatur, probeturque, vbi vni adhibetur essentia, diciturque esse multitudinem subito compositionemque contingere, per quam cogamur super vnum ens ipsum simpliciter vnum ponere. Denique, ipsum simpliciter vnum, neque debemus ens appellare, quod est quasi concretum, neque essentiam: quæ quasi potentia quædam ad esse refertur, velut actum, neque esse, quod in essentia est, vt actus essentiæ, neque esse aliquod quod esse non sit in essentia: neque enim licet lucere à luce, sapere à sapientia, viuere à vita, esse ab essentia, segregare. Sin autem segregaueris esse, non iam esse quidem, sed ipsum vnum potius reportabis. Præterea quæsiuimus alibi, cum aliud quidem sit ens, aliud vero vnum, tanquam ente simplicius, atque communius, an hæc duo in summo rerum fastigio quasi paria sint ponenda? An alterum superius altero? Si paria, sequetur vt duo sint principia rerum, quod in Theologia refellimus. Quæretur insuper an inuicem coniugata sint, an penitus segregata. Si coniugata inuicemque permixta, superius aliquid erit vtriusque causa, & mixtionis effector, vt est in Philebo probarum: Si segregata sint, omnino in ente nihil vnitatis erit. Itaque vel nihil, vel multitudo infinities infinita, in qua neque totum sit vnum, neque pars, vel particula vsquam sit aliquid vnum. Sin autem alterum sit eminentius altero, non licet quidem vni præferre, alioquin nec erit vnius particeps, itaque, vel nihil, vel infinitè numerus infinitus, atque vnum enti subiectum atque particeps fiet entis, nec erit vltra simpliciter vnum. Quamobrem ne inter Scyllam Charibdimque iactemur vlterius, vnum enti præferre debemus, quod quidem quatenus vnitatem vnionemque impertit, eatenus suum cuique esse distribuit atque conseruat. Pro pterea quicquid ab vnitate passim, & vnione cadit, interim ab essentia labitur. Denique probauimus alibi, super formam in materia iacentem, super vitam corpori mixtam, super intellectum infusum animæ, esse speciem in se subsistentem, vitam in se vigentem, intellectum in seipso micantem. Ac iuxta quemlibet multiplicem ordinem, ordinis ipsius summum in se subsistens, esse vnũ imparticipabile, simplex. Item, caput vbique superioris ordinis longius suum ordinem supereminer, quàm caput sequentis ordinis suum exsuperet ordinem. Cùm igitur in quolibet ente participatum vnum inueniamus, meritò super ens vniuersum extare vaticinamur imparticipabile vnum, incomparabiliter simplex, & absque proportione, & quamlibet & vniuersam essentiam antecellens.

Qua conditione negetur essentia, vel esse de vno. Item, quare cognosci vel nominari non possit.

CAPVT LXXVIII.

QVando Parmenides ipsi vni essentiam, & esse tollit, tanquam inferiora, nõ tamen ipsum vnum tollit è medio. Vt enim ipsum vnum assceuerarer, & ipse Poëma composuit, & discipulus eius Zenon multa disseruit, & hic consequentias deinceps plurimas ob hoc in primis serie longa contexit, vt à deterioribus secernat vnum, tandemque declararet, vnum ipsum entium esse principium, quo sublato, penitus nihil fore. Alió igitur sensu negatur esse de nihilo, tanquam deteriore, aliter autem de vno tanquam superiore. Quod Areopagita noster diligenter obseruat. Ergo. qui vnum negat esse, non tamen interim neget existere, sed pro essentia, quoad potest intelligat existentiam, ne forsan ente negato labi pericliretur in nihilum, significanter enim Græci veteres, vt diximus alibi, quotiens totum penitus volunt è medio tollere, haud sanè dicunt nõ ens, sciunt enim ente sublato, vnum forte relinqui, sed inquiunt μηδέν, id est, non vnum, quasi dicat, ne vnum quidem. Postquam igitur Parmenides negauit ens de vno tanquam incomparabiliter altiore, meritò negat omne cum ente cõiugium. Ait itaque primum, nullum entium est vni, aut vnius, subdit mox, vni nec esse nomen, neque sermonem. Item, vnius nullam esse cognitionem, sensus enim cum sensibili, opinio cum opinabili, scientia cum scibili coniugium habet. Cùm igitur sensus, opinio, scientia, sint proprietates quædam quorumdam entium, habeantque commercium cum obiectis, nimirùm sensibile, opinabile, scibile in quodam entium ordine computantur. Quodlibet enim horum est ens eiusmodi atque tale, ipsum igitur vnum dum propter simplicissimam eminentiam respuit omne cum ente consortium, cognitionem quoque tenuit, multoque megis nomen à cognitione dependens, sermonem quoque necessariò nominibus constitutam. Profectò, si scire est rem per causam cognoscere, ipsum vnum nullam habens causam, scientia cognosci non potest, nec insuper intelligentia percipi, scientia duce. Intelligentia enim multiformis est, per formamque formas entium intuetur, non igitur attingit vnum. Quod quidem si scientia & intelligentia non percipitur, multo minus facultate quauis inferiore, scilicet imaginaria, opinione vel sensu.

Id quidem Plato in Epistola ad Syracusanos asserit, dicens, ipsum nullo modo doceri dicique posse, sed mentibus ad ipsum vnum penitus vnitate, silentioque, id est, consuetæ actionis vacatione, conuersis, lumen vnius tandem subito coruscare. Inter hæc dum audis vnum excedere sensum, opinionem, scientiam, intelligentiam, intellige quatuor hæc non humana tantum sed dæmoniaca etiam, & diuina, sensum enim in dæmonibus etiam diuisque mundanis veteres posuerunt. Hinc Homerus summum, inquit, Iouem nec à Solari quidem sensu posse sentiri. Similiter nec opinione, nec scientia, nec intelligentia quantumlibet excessa, primum cognosci posse putato, sed vnitate solum amatoria tandem posse percipi diuinitus illustrata. Quæritur autem, si rerum principium nominari non potest, quomodo appellamus vnum? Respondetur, per hoc nomen vnum non affirmari ipsam primi naturam, sed partim quidem negari circa ipsam multitudinem, & compositionem atque commercium, partim verò declarari cuncta ab illo vnitatis, vnionisque munere effici, perfici, conseruari. Illud quoque Procli sæpè nostri valdè placet, per hoc nomen vnum non ipsum quidem in se vnum, sed intimum hoc quod ex illo nobis inest, vnum occultumque vnius conceptum exprimi, inest enim cunctis erga primum principium, tanquam omnium finem appetitus innatus, ergo & ante apertum sensus quidam, (vt ita dixerim) illius occultus. Quo quidem naturali sensu sensibus aliis prorsus occulto, graue & leue per rectam lineam locum sibi quasi eligit naturalem, respuitue contrarium, radices arborum humorem eligunt aridita te vitata, folia sagaciter vmbram fugiunt asciscuntque calorem pariter atque lumen. Hoc itaque sensu appetiruque mirabili omnia conuertuntur ad primum, etiam non cognoscentia primum, similiter anima etiam ante notitiam manifestam electionemque consilij, naturali sensu inclinationeque per vnum inde sibi impressum, desiderat ipsum vnum. Quo quidem desiderio frequenter admonita, vnum denique nominat, non tam confidens pronunciare primam, quàm enitens desiderium suum circa primum exprimere, suumque vnum quasi primi illius proferre conceptum. Accedit ad hæc quod inter omnia nomina, vnum vaticinamur esse maximè venerandum, quippe cum sit in omnibus, efficiat, perficiat, conseruet omnia, quæ diuisione vicissim debilitantur, & occidunt. Iam verò sicut ad vnum, sic ad bonum omnia pariter conuertuntur, ac diuisionem æquè fugiunt atque malum. Eadem enim vnius atque boni amplitudo est, eademque potestas. Neque duæ tamen esse naturæ possunt, altera quidem vnum, altera verò bonum, ne forte duo sint principia rerum. Neque bonum ante vnum, ne forte bonum careat vnione, vnumque sit inde compositum. Neque rursus vnum ante bonum, & quid sit ipso bono melius, ne quid res superius magisque quàm bonum appetant. Quæritur tandem nunquid vnum vllo modo cognosci possit? Respondetur, Parmenidem non putare, nullo modo cognosci posse, sed non sensu, non opinione, non scientia. Nam & Plato in Epistolis ideam quoque ipsam nedum sensu, & opinione, sed etiam, nec scientia vult cognosci, quippe cum scientia diuidendo, definiendo, demonstrando semper sit adeo multiplex, atque mobilis, vt cum ipsa ideæ simplicitate stabilitateque non congruat, sed existimat post discursionis eiusmodi ideam ipsam, simplici, stabilique quodam intelligentiæ perspicacionis intuitu percipi posse. Parmenides autem ipsum vnum, nec etiam intelligentia scientiæ duce prorsus attingi. Cum hæc, & multiformis sit & performas feratur ad entia, sed post intelligentiæ serenitatem atque fulgorem, coruscare alterum iam ex alio lumen, per quod nostra vnitas cum ipso vno mirabiliter vniatur, quemadmodum verò ideam in Epistolis ignotam, inquit, non conditione materiæ ob defectum, sed propter lucis excessum, ita & hic ipsum vnum appellat incognitum, non tanquam exile quiddam, aut varium, alioquin non tam longo studio dignum fuerat, sed tanquam vniuerso ente viribusque entia cognoscentibus longe superius. Denique summum Deum tandem quoquomodo percipi posse, testificatur Plato in Epistola ad Hermiam principem atque collegas, dicens, si recte philosophando quæramus Deum rerum omnium ducem ciusque patrem, nos tandem illum quantum beatis licet perspicuè cognituros.

De firmitate suppositionis primæ, Et quod vnum ente superius.

CAPVT LXXIX.

Parmenides in fine primæ suppositionis, Aristotelem adolescentem sic interrogat, An igitur possibile est ista circa ipsum vnum ita se habere? Responder ille. Non vt mihi videtur, tu vero caue suspiceris per eiusmodi quæstionem, responsionemque infirmari quæcunque de vno in superioribus gradatim conclusa sunt, quasi minus possibilia sint, & quasi quod cogitatur vnum ente superius, nihil sit aliud præter nomen, quia videlicet inde sequi putentur absurda, consequentiæ quidem omnes necessario ex antecedentibus sunt adductæ, ipsum quoque simpliciter vnum multitudinis expers, quod consequentiarum est omnium fundamentum, est maximè necessarium, si modo, in quolibet rerum ordine ad primum est ascendendum, quod & vnum sit, & ab alienis distinctibusq; penitus absolutum. Itaque super quodlibet vnum, quod passim est vnum aliquid & quodammodo multiplex, extare oportet ipsum simpliciter vnum, à multitudine tanquam extranea liberum. Quod & in Sophista probatur, vbi differitur ens pati vnum atque esse vnius particeps, videlicet tanquam inferius vno, item illud quod est totum, id est, ex multis, esse non posse vere vnum atque primum. Et hic in sequente suppositione probatur vnum illud quod habet cum ente coniugium, multitudinem iam subire. Vnde compellimur ipsum vere vnum superessentiam indagare. Accedit ad hæc, quod, vt Socrates disputat in Republica, Ars discernendi est ipsa Theologia, (& vt ita dixerim) Metaph. Quæ quidem vt ibi describit per totam progreditur entium latitudinem, & vnamquamque definit essentiam. Post hæc alius ascendit ad ipsum bonum vniuersi entis intelligibilis; principium atque finem. Ascensumque eiusmodi per omnes negationum modos peragit, summatim verò, vt ibi sæpius repetitur. Dialectica vis intelligibilium omnium causam contemplatur, remouens ipsam ab omnibus entibus, negatione nulla posthabita, addit ibi quoque negationes, tentans, ipsam primam causam super intellectum, & intelligibile, & veritatem essentiamque existere.

Quærimus igitur, vbinã Dialectica facultas penes Platonem, per omnes negationes gradatim ad primam causam entium intelligibiliumque ascendat? Nisi enim in hoc dialogo, certe nusquam. Cum igitur hic dialogus sit ipsa Platonis dialectica, hæc vero apud ipsum. Theologia sit, qui negabit dialogum hunc esse dogmaticum. Theologiam quoque dogmaticam esse negabit. In hoc autem libro non accedit ad primum per negationes in suppositione secunda, vbi gradatim affirmat omnia. Nec in tertia rursus, vbi non omnia negat, vbi multa confirmet, in sequentibus autem multo minus. Hic igitur, & in suppositione prima officium illud suum dialectica præstat, de vno videlicet intelligibilium principio, id est, entis vniuersi causa omnia entis propria negans, deinceps profecto nunquam infirmaturus, quæ & ipse Parmenides necessaria vbique serie comprobauit, & Aristoteles respondendo frequenter extra controuersiam confirmauit, non facile eadem omnia reuocaturus in dubium. Quamobrem plerique Platonis putauerunt hanc vltimam suppositionis huius quæstionem, responsionemque esse quasi communem quandam conclusionem, summatim negatiuas conclusiones singulas comprehendentem. Singulatim enim quæsitum fuit, an ipsum vnum possit, esse multitudo, an totum, an figuratum, & quæ sequuntur. Responsum, & probatum gradatim non esse possibile. Denique summatim sub vna conclusione omnes in iudicium reuocant, an videlicet possibile sit hæc esse circa vnum, scilicet quod sit multitudo, quod totum, quod figuratum, cæteraque deinceps. Summatim denique respondetur, non videri quidem hæc possibilia circa vnum. Qua quidem responsione præcedentes omnes semel confirmari videntur. Et merito, cum enim semel simplicem ipsam rei rationem posueris, quicquid insuper adhibueris talem aliquam aut talem naturam pro simplici reportabis, Pro vita quandam vitam, pro ideali æqualitatem quandam. Pro ipso bono, quoddam & tale bonum, & aliquid vnum pro ipso simpliciter vno. Quapropter ipsum vnum nacti, non debemus illi conditiones multitudinis vel totius, vel figurati, vel alias insuper adhibere, vt ita penitus absolutum, & simplicissimum, communissimumque sit, primumque omnium æque principium. Nam & Plato in Epistola ad Dionysium, vt exposuimus alibi, grauiter eos circa primum errare dicit, qui illic quale aliquid inuestigant. Ex quo patet, secundam suppositionem, non tractare de primo, nam cum semel vnum posuerit, adhibet mox ei ens multiplex, totum, finitum, figuratum, quibus necessario quale quid efficitur. Reliquum est, Vt de primo in prima suppositione tractetur, quæ eiusmodi omnia propulsat ab vno. Syrianus & Proclus diligenter admodum, vt cætera solent, ita rimantur, obseruantesque singula vbique Platonis verba, tradunt mysticum hic latere sensum, vbi præsertim dicitur, circa ipsum vnum, aliud enim significari volunt, vbi legitur de ipso vno aliud autem vbi legitur circa ipsum vnum. De vno siquidem tractare facile possunt ingeniosi, siue affirmando siue negando, tametsi tutius negare licet. Sed circa ipsum vnum nemo aut nullo modo affirmat quicquam aut recte negat. Si quis enim circa ipsum meditaretur, consequeretur iam & attingeret illud. Quod quidem contingit nemini. Merito igitur Plato in Epistola ad Dionysium inquit, circa ipsum regem nihil est tale, qualia nobis cognita sunt. Sed quod post ipsum est, anima dicit. Vbi sane mysterium quod in superioribus tetigimus latere videtur, animam videlicet quando pronuntiat vnum, non ipsum simpliciter vnum enuntiare, sed suum quoddam vnum, inde sibi insitum edere suumque de illo proferre conceptum, neque tamen circa ipsum agere, sed de illo. Ipsum namque à nobis nullo modo dicitur, vt & paulò ante Parmenides ait & in Epistola ad Syracusanos inquit Plato. Mundi quin etiam architectum verbis exprimi vulgo non posse, testis est. Is mæus, multo minus architecti, patrem. Postquam igitur Parmenides affirmationes nobis omnes sustulit circa vnum, negationesque vicissim tanquã probabiliores adduxit in medium, tandem ne quis fortè consideret se per eiusmodi negationes ipsum vnum exacte consecuturu. Aristotelem his verbis interrogat. An igitur putas esse possibile circa ipsum vnum hæc ita se habere. Admonens videlicet eum non ita se prorsus habere, id est, neque hac quidem negandi ratione nos ipsum penitus assequi. Hinc adolescens redditus accuratior, respondit. Non ita prorsus, vt mihi videtur. Iam verò Dionysius Areopagita libri huius summus adstipulator in mystica Theologia longo ordine gradus entium de primo negat. Et postquam affirmationes sustulit, tanquam dissonas, negationes quoque tanquam non vndique consonas tollit è medio. Indicitque rationi intelligentiæque silentium. Rationi quidem, quia mobilis, intelligentiæ verò quoniam multiformis. Quo velut in caligine lucem luminum attingamus, eiusmodi silentium nobis hic imponere Parmenides quoque videtur: Postquam dixit, primum, neque dici posse, ideoque non solum affirmare de illo quicquam prohibet. Sed negationes quoque admonet post habendas, vtrobique enim dicimus siue affirmando siue negando. Illud verò dici nullo modo potest. Præterea quicunque palam negat, interim clam affirmat. Negare enim de primo aliquid, est hoc ab illo secernere, secernere autem hoc ab illo non possumus, nisi prius hoc in seipso formauerimus, atque illud. Si igitur affirmationes tanquam infinitum definientes, reprobatæ sunt, circa primum. Negationes quoque tanquam affirmationum participes non sunt pœnitus approbandæ. Quamobrem non iniuria Parmenides admonet, non tam negationibus quam silentio tranquillo, diuino, amatorio confidendum. Quod quidem Platonici omnes vnà cum Mercurio & Apollonio Tyaneo proculdubio comprobant. Et Propheta Dauid inquit, laus tibi, ô Deus, est silentium: si quis autem pertinacius instet per interrogationemque postremam, supra dicta in ambiguitatem trahi, respondebimus multorum Platonicorum consensu, non omnia quidem hic reddi dubia. Plurima enim & necessario probata, & proculdubio sunt concessa. Sed si quod paradoxon præsertim in calce fuerit, de hoc duntaxat adolescentem à simulante & dissimulante sene in dubium prouocari, vt hac insinuatione accipiat ansas ad ludum inde sequentem. Perinde ac si senex adolescenti dicat, quandoquidem iam dicta suspicionem tibi quandam inferunt. Et quoniam de ignoto & ineffabili loqui non licet, age hac deinceps occasione, quæstionem de vno iterum resu-

mamus, loquamurque de vno quodam in poſterum, quod intelligibile nobis, & effabile ſit, ſiquidem nobiſcum in vno entium ordine congruat. Illud verò ſuper eſſentiam & intellectum atque ſermonem ſupernis contemplatoribus dimittamus pio quodam ſilentio venerantes, donec & ipſi, ſi minus facultate noſtra, ſaltem afflatu diuino quandoque ſimiliter contemplari poſſimus. Hactenus quidem per has vias, imò verò per hæc inuia duces alicubi, vel ſaltem indices habuimus, Proclum atque Syrianum. Vltra verò cùm nemo ducat, pergendum eſt iam nobis, cum duce Deo, ſolo deinceps vaticinio confidendum.

Secundæ ſuppoſitionis intentio.

CAPVT LXXX.

SOcrates in ſexto de Republica, cùm perueniſſet ad ipſum bonum vniuerſi principium, exclamauit, Patrem hunc præſenti contemplationi ignotum prorſus, & ineffabilem, in præſentia dimittamus, pergamus ad Filium. Auditores autem contemplationem quidem Filij libentiſſimè receperunt, ſperantes interim vt Patrem alibi demonſtraret. Socrates igitur palam peruenit ad ſolem ipſius boni Filium per imaginem. Clam verò progreſſus eſt ad intellectum & intelligibile primum, tanquam Dei Filium per naturam, vt aiunt Platonici, primogenitum: in quo Pater ille ſummus vniuerſum hunc mundum ab æuo condiderit per ideas. Idcirco, mundum intelligibilem vocauerunt: De hoc Patre & Filio Platonem ad Hermiam ſcripſiſſe narrauimus, de hoc itaque Filio, id eſt, intelligibili mundo, tanquam per intelligentiam cognobili aliquando & effabili, ſecunda ſuppoſitio tractat, agnoſcens iam in eo pro ſua videlicet dignitate, quæcunque tanquam entis vniuerſi, propria de primo propter eminentiſſimam ſimplicitatem. In prima ſuppoſitione negauerat. Tu verò inter hæc intellige, mundum intelligibilem non hunc tantùm intellectum, ſed omnium quoque ſublimium mentium cætum apud Platonicos nominari. Et ſi qua præterea ſit anima dea: nam cœleſtes animas, vniuerſaleſque prouidentiam agenres, vniuerſalem deos nominant ad intelligibilium cætum quodammodo pertinentes. Ad hæc igitur omnia, ſecundæ ſuppoſitionis affirmationes pertinere memento, intellectuſque omnes eiuſmodi, propter vnitatem vniuſcuiuſque ſuam mirabiliter excedentem deos cognominari. Totumque ſummatim de vno ente vniuerſo, in quo excellens vnitas cùm eſſentia coniugium habet, hic vbique tractari. Dicitur autem vnum ens, vt dicebam, totum, intelligibilium intellectiuumque genus, præcipuè verò intellectus primus cum intelligibili primo. Deinceps cætera generis eiuſdem. Meritò igitur cùm concluſio prima ſub hoc vnius entis nomine tangat, in primis intellectum ſummum concluſio tandem vltima, ſcilicet, in hac ſuppoſitione ſecunda ſub gradu intellectualium iam participe, temporis vniuerſales attingit animas, in quibus tempus eſt primum, vt continuetur ſecunda ſuppoſitio tertiæ de ordine animarum particularium tractaturæ. Veriſimile quoque eſt per concluſiones medias, medios quoſdam intelligibilium ordines deſignari, non tamen ſingulis ſingulos quaſi depingi. Hæc autem Dionyſius Areopagita quaſi confirmans in libro de Diuinis Nominibus, quem nuper interpretati ſumus, communia apud Prophetas Dei nomnia, diſputat ipſam quidem Dei naturam nequicquam ſignificare, ſed effectus quoſdam proprietateſque & dotes ad intelligibilem, intellectualemque naturam diuinitus procedentes. Itaque nomina hæc intelligibilia munera, appellationeſque intelligibiles frequenter appellat, affirmatque de excellentibus creaturis, intellectualibuſque ordinibus, de creatore verò negat, niſi quatenus ipſum eſſe horum cauſam fortè ſignificent. Ego verò deinceps ſuppoſitionis huius conſequentias breui perſtringam. Si enim intelligas qua ratione, ſignificationeque ſingula negata ſunt de primo, interim qua de ſecundo affirmata ſint intelliges. Quemadmodum & in ſingulis quæ præceſſerunt conſequentiis pro viribus admonuimus. Præterea, ſi in hac ſuppoſitione varia numina deſignantur, proprietates introductæ, & ſi communiter cunctis competunt, alio tamen ſenſu graduque aliis coaptantur, vt ante Syrianum omnes Platonici conſenſerunt. Idem ſtatus, ſimilitudo, æqualitas in ſuperioribus abundant, horum oppoſita in inferioribus quodammodo ſuperant. In mediis ſe mediocriter habent, generatio, tempus, motus, alio ſenſu primis alio ſequentibus tribuuntur. Neque verò conſilium eſt, quot concluſionum capita ſunt, numina totidem introducere. Ne cum Proclo dicamus etiam in tempore, eſt, erat, fuit fiebat, erit, fiet, factum fuerit, octo deos exiſtere.

Quomodo in vno ente alia ſit ratio vnius, alia entis ſit, totum partes habeat, & multitudinem infinitam.

CAPVT LXXXI.

QVando in ſuppoſitionis primæ principio proponebat ita, ſi vnum eſt & reliqua. Danda mox erat verbis venia. Verba enim intelligentiæ ſuppetere nequeunt. Dicendum fortè fuerat, ſi vnum exiſtit, dummodo per exiſtentiam nihil aliud intelligamus quàm merum ipſum vnius ipſius actum. Perinde ac ſi diceretur, ſi vnum, vnum & reliqua. Meritò igitur ita poſito, negatur ſtatim multitudo de vno, & quæcumque inde ſequuntur. Propoſitio verò prima in ſuppoſitione ſecunda, non adeò ſimpliciter vnum accipir, ſed cum eſſentia vnum. Magna igitur ſignificatione Parmednides hic ita loquitur. Nunc autem non eſt ſuppoſitio noſtra, ſi vnum. Sed ſi vnum, vnum eſt, his verbis admonens dum dicit, nunc autem, ſuppoſitionem quidem primam de vno ſimplici tractauiſſe, ſecundam verò de vno cum eſſentia pertractare. Aliam quidem vnius; aliam verò rationem eſſentiæ eſſe, & ibi hic manifeſtè teſtatur, ac nos probauimus alibi. Nunc quoque coniectura quadam, quamuis leui breuiter confirmamus. Poteſt forſitan rei alicuius, vel moles, vel eſſentia, vel ſubſtantia per accumulationem aliquam augeri, dum tamen non augetur, vnitas ibidem, ſed fortè minuitur. Poteſt &

conter

conteri paulatim, vnitate interim non attrita, sed magis forsitan apparente, potest & res illa quomodolibet diuidi, vnitate interim non diuisa, sed potius geminata. Cum igitur ratio vnius sit alia quàm essentiæ, ac per essentiam sic habeatur esse, sicut per vitam viuere, consequenter si vnum propriè loquendo est per essentiam certe à se differentem, atque ita quodammodo est essentiæ particeps, siue compos, similiter essentia particeps est vnius per quod est vna. Cum verò vtrunque maximè inter se cognatum sit atque fœcundum, necessarium est in vnam totius formam vtrumque coire. De quo inquam toto tanquam vno quodam supposito atque subsistente tàm vnum quam essentia prædicantur, vt partes. Quoniam verò pueriliter prædicaretur ens de ente, vel vnum de vno, Parmenides non inquit prędicari præcipuè vnum de vno ente, aut ens de ente vno, sed vnum de ente vno, atque ens de vno ente dici. Concluditur ergo, sicut de vno super ens existente negatum, fuit ab initio totum atque partes, ita nunc de vno ente vtrunque probabiliter affirmari, propterea multitudinem in se habere, quam de ipso simpliciter vno negauerat ab initio. Præterea in quolibet ex quatuor elementis vel liquoribus perfecte mixto, quicquid acceperis in se reliqua continet. Similiter & multo magis in vno ente, vbi & vnum in primis vnificum est, & ens vnibile, conditio vnius cum entis conditione ita conflatur, vt nusquam alterum re ipsa segregetur ab altero. Nusquam ergo reperies vnum scilicet solitarium. Sicut in linea ita continuitas semper cum puncto concurrit, vt quoties diuiseris, toties occurrat continuitas simul atque punctum. Continuitas quidem repręsentat ens, punctum verò refert vnum, sicut ergo linea, sic ens vnum, fingi quidem multitudo infinita potest, quamuis non actu vel effectu sit infinita. Quorsum hæc? vt intelligas cuiuslibet intelligibilis, diuinæque substantię naturam hanc esse, vt si mille millies ue mille quantumlibet differentes in ea suæ quædam partes sint, seu vires, siue rationes aut formæ in vnaquaque quodammodo sint & omnes, atque ita nec ipsi naturæ, neque contemplari alicui repugnare, innumerabiliter in se inuicem ista repetere. Mira siquidem in diuinis vnio cum mirabili fœcunditate concurrit. Et in contemplatoris mente progressio libera, memento verò, vnum hoc intelligibile, & si dicitur essentiæ particeps, esse tamen præstantius & quodammodo superius quam essentia. Similiter, & si vnum ens appellar tur totum, esse tamen indiuisibile. Item quamuis dicatur habere partes eas interim non discretas, siquidem sit in qualibet parte totum. Finge momentum alioquin forte stabile iam produci vel procedere in motum. Item, vnitatem in diuitatem, rursus punctum in lineam, denique vnum in essentiam. Cogita tempus processione momenti in motum nasci, numerum productione vel processione vnitatis in duitatem, continuum productione puncti in lineam, ens processione vnius in essentiam. Atque sicut in tempore, in numero, in continuo vbique pariter sui illa sunt elementa, sic in ente, vbique vnũ, & essentiam ęquè regnare. In ente, inquam, in qualibet scilicet intellectuali diuinaque substantia. Inter has quidem aliæ superiores sunt, inferiores aliæ, in illis atque istis, alia deinceps atque alia munera præualere memento, sed vnum cum essentia in cunctis pariter temperari. Item in ipso intellectu primo, & quouis fermè genera cuncta similiter & ideas omnes inesse. Quæ quidem etsi cuncta quodammodo sunt in singulis, alia tamen in aliis, aut aliis præcipuè vigent, vt identitas, status, alteritas, motus, atque similia. Vnum verò & essentia in quolibet genere, in quauis idea æquè conflantur. Interea memineris Parmenidem sæpe sub nomine entis essentiam intelligere. Quæ quidem essentia fermè nihil aliud est quam vnius productio, vel processio quædam, qua eus interim coalescit. Iam verò entis quasi elementa sunt essentiale vnum, pariter & essentia vna. Quibus sane duobus inuicem conflatis diuinitus rotalis quædam, (vt ita dixerim) forma consurgit. Quam & sub ratione concreti ens, & sub ratione abstracti entitatem possumus appellare, vt entitas ratio formalis entis intelligatur.

In vno ente per binarium & ternarium omnes numeri continentur, qui numeri distributionem entis vnius in entia multa præcedunt.

CAPVT LXXXII.

Sicut ratio puncti alia est, & prior quàm continui ratio, sic vnius ratio alia priorque est quàm essentiæ ratio. Itaque & rationem vnius seorsum ab essentiæ ratione, reuera contemplari licet, & rationem essentiæ seorsum ab vnius ratione saltem fingere. Quapropter alterum quidem est vnum, alterum autem est essentia. In ordine verò entium quicquid alterum est ab aliquo per alteritatem cogitur esse alterum, sicut calidum per calorem. At cum ratio alteritatis non sit eadem prorsus atque ratio essentiæ, vel vnius, necessarium est in ipso ente non solum duo, scilicet vnum atque essentiam, sed etiam tria, id est alteritatem iam existere. Consurgit & alia ratione ternarius, scilicet, ex coniugio essentiæ, vniusque coniugio essentiæ, alteritatisque coniugio vnius, alteritatisque simul. In quolibet verò coniugio cogitamus duo quædam, non quomodolibet existentia, sed sub tertia quadam forma inuicem coniugata, vnde & ambo nominare solemus. Quamobrem in ente sunt numeri, binarius, atque ternarius. In binario parium primo pares omnes. In ternario imparium primo, impares similiter omnes. Sunt omnes differentiæ numerorum par, impar, pariter par, impariter impar, impariter par, pariter impar. Par quidem binarius, impar verò ternarius. Pariter par quaternarius, Binarius enim bis multiplicatus creat illum, sed impariter impar nouenarius, Ternarius enim ter multiplicatus hunc efficit. Senarius autem quando conficitur ex ternario bis multiplicato, tunc impar pariter nominatur, quando rursus ex binario ter aucto, par impariter nuncupatur. Sed quorsum hæc? Nempe vt intelligas, per numeros eorũ differentias in primo ente præcipuè dominantes disponi in ordine vniuersi essentiales entium numeros, multitudines specierum, virtutũ quoq; in specie quauis varietatem. Ne forte suspiceris, formales entium differentias, quibus vniuersus, & vnus rerum ordo conficitur, vel ex informi materia, vel casu quodam inordinato, vel dispersa agentium diuersitate contingere. Esse verò numerum ante entia cum Plotino probauimus atque supra, & nunc ita breuiter comprobamus. In primo ente est ratio vnius, ratioq; essentiæ, ante hanc essentiam est hoc vnum. Binarius ergo simul cum principio essentiæ compleri vide-

tur. Ex hac eſſentiæ ratione, cum ratione vnius conſtat ens vel entitas quaſi forma totius. Quæ quidem forma, poſt binarium vnà cum ternario ſuſcipit complementum. Deinceps hoc vnum ens deriuatur iam intus in entia per binarij ternarijq; virtutem. In quibus ſane duobus numeris omnes ante entia numeri concluduntur. Per numeros enim eiuſmodi tanquam antecedentes entia velut ſequentia diſcernuntur atque numerantur.

Quomodo in mundo intelligibili diuidatur eſſentia ſimul & vnum, multitudoque finita, vel infinita ſit.

CAPVT LXXXIII.

DE primo intellectu intelligibilique mundo paſſim præcipuè loquitur. Vbi cum primo vnoque & vniuerſo ente primus, & vnus vniuerſuſque numerus oritur. Per hunc eſſentialem numerum ens vnum propagatur intus in entia multa, id eſt, genera & ideas. Ibi & numerus eſt eſſentiæ particeps, & viciſſim eſſentia compos numeri. Quoniam verò indefinita quædam potentia multiplicabiliſque natura, & quaſi vlterius progreſſura conditio, tùm enti, tùm numero ineſt, vtrunque propterea infinitum quodammodo, id eſt, indefinitum dici poteſt. Sed interim quoniam particeps eſt vnius atque termini, cenſetur vtrumque finitum, finitum præterea, quoniam certus eſt numerus idearum abſolutè inter ſe formaliterque differentium. Hinc & finitæ ſunt ſpecies diuinorum atque naturalium. Infinitum rurſus, quoniam intellectus ille diuinus vnamquamque ſpecialem in ſe ideam ad ſingula tandem innumerabilia refert, variis illam modis, temporibus, locis participatura, ſed quoniam multitudo illic actu quidem finita eſt, quamuis potentia, & effectibus infinita, prudenter Parmenides, & ſemel & bis poſtquam dixerat infinita illic eſſe, mox quaſi ſe corrigens noſque admonens, ſubdit, illic eſſe quam plurima. Denique vbi dicit, eſſentiam per numerum in plurima diuiſam eſſe, intellige non ſectam in multas ibi ſubſtantias, ſed vnam ibi communem eſſentiam in plures ibidem eſſentiales formas, vires, modos, propagatam mirabiliter atque deriuatam. Qua interim ratione ſic (vt diximus) multiplicatur eſſentia, eadem multiplicatur & vnum cum eſſentia coniugatum. Vnaquæque igitur idea, ſicut vna quædam eſſentia, vel ratio eſſentialis exiſtit, ſic eſt & aliquid certumque vnum. Inter hæc vbi dicitur vnum non totum quidem ineſſe ſingulis, ſed diuiſum, caue ſuſpiceris in ſubſtantia illa penitus indiuidua, vnum quod & naturaliter eſt indiuiduum, & inſtar puncti vel imaginis ſpecularis, cum videtur diuidi germinatur, caue, inquam, ſuſpiceris vnum in partes continui more ſecari, ſed intellige, multas ipſi, vel vniuerſo vni virtutes ineſſe. Quæ non cunctæ quidem ſimul in qualibet concludatur idea, ſed per ideas paſſim diſtribuantur. Denique quemadmodum illic multiplicatur eſſentia, ita multiplicatur, & vnum.

Quomodo in mundo intelligibili partium multitudo ſub gemina totius forma concluditur, Quomodo terminos mediumque habet atque figuras.

CAPVT LXXXIV.

CVm ens primum tanquã ipſi ſimpliciter vni proximum, maximè vnum ſit, qualiſcunque, & quantacunque multitudo ſit in eo, ad vnam redigitur totius formam, forma quidem totalis in rebus quæ à diuerſis cauſis componuntur ſolumque aliunde dependent partes eiuſdem rei multas ſequi ſolet. Sed in ente primo, quod ab vnico generatur, & quodammodo etiam ex ſe exiſtit, forma totalis eſt neceſſariò gemina. Prima quidem ſuam partim multitudinem antecedit. Secunda verò ſequitur, vel potius comitatur. Illa quidem appellatur ſupereſſentialis vnitas, bonitaſque mundi illius intelligibilis apex. Secunda verò pulchritudo, id eſt contextus quidam & ordo, ac ſeries idearum, ſed dum pulchritudinem hic diuinam memoro, commemorare fas eſt Franciſcum Diacetum dilectiſſimum complatonicum noſtrum de hac ipſa pulchritudine quotidie multa, pulcherrimaque ſcribentem, quem ſane virum ad Platonicam ſapientiam natura geniuſque formauiſſe videtur. Vt autem redeamus ad inſtitutum. Pulchritudo hæc idealis, ab illa quam modo diximus vnitate velut à luce per ideas quaſi per radios multos reſultat, vt ſplẽdor. Illa quidem ſummus eſt intelligibilis mundi terminus, hæc autem terminus eiuſdem vltimus, media verò ſunt eſſentiale vnum, & eſſentia vna, item finitum, & infinitum, rurſus ſubſtantia, vita, intellectus. Præterea quinque rerum genera, ſubinde ſpeciales ideæ, denique multiformes ſpecierum modi. Cuncta igitur huiuſmodi multitudo etiam, ſi quomodolibet infinita fingatur, euadit interim, & finita, quatenus intra geminam totius formam hinc, & inde concluditur. Inter hæc memento, cum in natura quauis terminos cogitamus, alterum quidem primum, alterum verò vltimum, eos interim tanquam oppoſitos, ac diſſimiles cogitare. Cum verò vltimus tandem proficiſcatur à primo, primuſque ille naturaliter agens debeat ante diſſimilia ſibi, ſimilia procreare, meritò inter hæc extrema medium collocare debemus. Natura profectò in rebus vel infimis, vnionis præ cæteris auida, vacuum nuſquam patitur, multo minus in ipſo rerum ſuperiorum ordine vacuum tollerabit. At verò niſi inter ſingula euidenter inuicem diſſimilia inſeratur ſimilius aliquid, quomodo mirifica ſimilitudine referat vnitatem, neſcio quid vacui inter gradus vniuerſi continget, quapropter in mundo diuino quantalibet multitudo ſit, eſt tamen intus principium atque finis. Si duo hæc ibi ſunt, igitur eſt & medium. Paulatim verò deinceps, quemadmodum cœpit, de hoc vno ente affirmat quæ de ipſo ſimpliciter vno in prima ſuppoſitione negauerat. Itaque poſt partes ac totum multitudinẽq; & terminos atq; medium, conſequenter affirmat figuram rectam & circularẽ atque mediã cæteraq; ſimiliter. Primo quidẽ in mundo intelligibili ſunt figuræ, rationes videlicet figurarũ. Metaphoricè verò figura triplex. Recta quidem per quendam aliorum ab aliis ibi proceſſum. Sic ab eſſentia ſecunda procedit vita, ab hac intelligentia. Inter eſſentiam intelligentiamq; vita mediũ eſt æque diſtans, Pariter enim eſt hinc quidem eſſentiæ, inde rurſus intelligentiæ vita conformis, ſimiliterque de cæteris ibi proceſſibus cogitare licet. Circularem verò figurã agit intellectus ille primus, dũ ad patrem ex quo genitus eſt conuertitur, Mediam fortè figuram, dũ ſeipſum animaduertit. Illa quidẽ ſui ipſius animaduerſio partim quidẽ ex ipſa ſui natura dependet. Atque circulum imitatur. Partim quoque pendet ex patre, itaque vbi ad

patrem nondum reuertitur, adhuc circulum non consummat, sed inde reflexa sinuosum quendam agit motum medium inter rectum atque circularem.

Quomodo vnum ens in seipso sit, & in alio.

CAPVT LXXXV.

VNum ens est tùm cunctæ simul partes suæ, tùm etiam ipsum totum, id est, (vt ita dixerim) forma totalis. Cum igitur cunctæ partes sint in toto, sequitur vt vnum ens in seipso consistat, sed alia insuper ratione sequetur, vt etiam sit in alio, nempe neque pars aliqua, neque partes quædam capiunt ipsum totum, neque partes omnes singularim sumptæ, quod est manifestum, neque simul cunctæ, quod breuiter est probandum. Mitto in præsentia naturale quoduis totum ex diuersis vel contrarius constitutum, cuius ipsa forma totalis ab efficiente idealique causa potius quàm ab elementis suis necessariò pendet. Certe forma prima entis illius primi totalis pattium quarumlibet, viriumque suarum varietatem antecedit, vt radix ramos atque surculos, vt lux radios & splendorem. Pendet autem non ex istis quidem, sed ex ipso duntaxat simpliciter vno, excellenti videlicet illinc præ partibus suis virtute donata. Quam sanè virtutem nec partes quidem cunctæ comprehendunt, inde videlicet procedentes. Quid ergo dicemus? Nunquid totalem hanc formam, excellentemque virtutem in nullo penitus esse, vt non comprehendatur, vel finiatur ab vllo? Certe non ita partibus suis cunctis inest. Neque rursus id ipsum quod est ex se existit. Cum enim totum hoc varietate sit plenum, à simplicissimo cogitur proficisci, præsertim quia qnælibet in hoc idea finitum quiddam est à cæteris distinctum. Vnde cogitur vniuersum quasi innumerabiliter fore finitum. Qua igitur ratione hoc est totū atque multiforme necessariò cōsistit in alio, id est in principio procedente simul, atque continente. Quamobrem si in vno ente partes suas omnes forte consideres dum eas in toto videbis, iudicabis ipsum in seipso manere, si modo ipsum totum sit partes cunctæ, neque sit aliud vltra partes. Forte enim non est aliud secundum numerum, vel materiam, quamuis sit aliud secundum formam, atque virtutem. Atque hac ratione, non iam à suis partibus, vel sic à seipso, sed ab authore potius continetur, quomodo mundus hic intelligibilis in se simul, & in alio sit in suppositione prima capite quinquagesimo tertio iam est tractatum.

Quomodo vnum ens stet semper, atque moueatur.

CAPVT. LXXXVI.

IN omni composito est vnitas atque multitudo. Itaque quamdiu vincit vnitas multitudinem, ideoque deuincit eam, tamdiu permanet compositum insolutum. Quapropter vbi semper vincit, atque ita deuincit, semper permanet insolubile. Eiusmodi compositum est in primis intellectualis ille mundus à cuius monade formàque totà sua omnis intrò profluit multitudo. Ideoque inhæret eidem, & ab eadem semper continentur, non solum, vt subiecto quodam, sed vt causa. Similis est præterea compositio in qualibet intellectuali natura. In hac enim omnis multitudo virium formatumque suarum ab ipsa sua monade profluit atque continetur. Sed de his alibi. Redeamus ad primum. Intellectualis ille mundus quodammodo est cunctæ suæ partes, id est, vires atque formæ, dum igitur vniuersa multitudo hæc in forma totali, m undus ille dicitur in seipso esse. Est autē multitudo hæc semper in illa, velut causa conseruante. Est igitur ita mundus ille sēper in semetipso, quapropter in suo quodā eodē semper manet, stat itaque semper. At verò si aliter contempleris, nec vltra compares multitudinem illam ad suum illud quod dixi totum, sed totum potius, id est, monadem formamque totalem ad supernum vniuersi principium, videbis mundum eiusmodi non in seipso esse, id est contineri, sed in causa superiore potius esse tanquam efficiente prorsus & conseruante. Hic ergo videbis non tàm illum quiescere quàm moueri. Quieuerint quidem illæ partes in suo toto tanquam causa, totum verò non quiescat in semetipso, sed circa superiorem causam moueatur. At quomodo? nempe qua ratione non tàm respicit intus, quàm vergit ad causam, hinc illuc pertransire videtur. Siquidem descendit vicissim atque ascendit. Descendit quidem quatenus inde procedit, ascendit autem quatenus illuc naturali quodam instinctū conuertitur. Procedit autem conuertiturque semper, semper ego mouetur. Procedit quidem quatenus inde producitur. Producitur autem non semel tantum, sed etiam quatenus conseruatur, id est proculdubio semper. Iam verò prius author ille suus hunc ex se producit quam hic in seipso sit aliquid, alioquin non secundum totam sui essentiam, existeret inde. Videtur ergo quodammodo in essentiam ex nihilo processisse, ac nisi producatur procedatque inde perpetuò, statim in nihilum relapsurus. Itaque nequando desinat esse, nunquam desinet ita moueri.

Vnum ens est sibimet idem, atque alterum, Item cæteris idem atque alterum.

CAPVT. LXXXVII.

TOtum necessariò refertur ad partem, similiterque pars ad totum. Neque sine parte totum est, reuera totum, Neque pars seorsum à totò vlterius pars existit. Itaque si inuicem compatetur vtrunque, neque idem, neque alterum reuera dici potest. Non idem, quia rotum maius est parte sua. Non alterum quiddam, quia neque totum, neque pars seorsum per se subsistit, subsistere verò seorsum posse putamus quęcunque inter se altera nominare so emus. Quicquid verò in ordine entium comparatur ad aliquid cuius ipsum neque pars, neque totum sit, dici potest, aut idem illi esse, aut alterum diuersumque ab illo. Quid ergo de vno ente dicemus, quod quidem nec pars sui ipsius est, nec totum? Dicemus profectò communiter aut idem sibi esse aut alterum. Dicemus etiam cum Parmenide idem, alterumque existere, idem proculdubio secum ipso esse. Cum enim vnum ens non sit aliud quàm ens vnum semperque in eodem habitu perseueret, meritò sibimet idem est atque semper idem, sed alia interim ratione esse alterum à se ipso fatebimur, est enim in seipso, sicut diximus, & in alio. Præterea stat, vt probauimus, atque mouetur. Eiusmodi verò rationes inter se sunt oppositæ. Esse videlicet in se, esse in alio. Itē, stare, atque moueri. Itaque si vnū ens rationibus

refertum oppositis conferatur ad semetipsum, nimirum sub hac ratione & illa alterum, videbitur atque alterum, hactenus vnum ens comparatiuus ad seipsum. Si forte cum cæteris entibus conferamus, primo quidem occurret vt alterum. Siquidem vnum primumque ens, & omne valde diuersum est à quolibet ente, quod neque primum est, neque adeò vere vnum, nec ens vniuersum. Occurret subinde forsan ratione quadam mirabili quodammodo cum aliis entibus idem, si modo probemus omnimodam alteritatem, nec vsquam esse nec vnquam. Profectò cum omnia ab ipso simpliciter vno infinita virtute prædita fiant, seruenturque & contineantur, atque conuertantur meritò regnante in rebus vnitate, regnat identitas. Omnimoda igitur alienitas nec regnare vsquam, neque quomodolibet esse potest, cum vbique cogatur eum quadam identitate misceri. Quamobrem cum nec in ente primo, nec in aliquo pura sit alteritas, meritò primum ens à cæteris penitus alterum prorsusque diuersum iudicari non potest. Igitur quodammodo idem, si non ipsa natura saltem similitudinis habitudinisque cuiusdam communione. Sed hæc inter exemplar, & imagines habitudo, & qualiscunque communio vsque ad generationes generabiliaque descendit, de quibus in præsentia non tractamus. Comparatur enim hic essentia prima non ad generationes, sed ad essentias, scilicet intellectus primus atque diuinissimus ad intellectus omnes vbique diuinos. Qui tantam fermè cum primo identitatem vnionemque putantur habere, quantam cum centro lineæ, vel stellarum lumina cum lumine Solis. Si finxeris omnimodam alteritatem vsquam esse, cogeris eam fingere per aliquod tempus esse, motus enim ac tempus mirificum habent cum alteritate præsertim præualente coniugium. Quemadmodū cum identitate status & æuum. Quapropter dum per aliquid diuisibile tempus illa durabit alteritas, certe per omnes temporis huius partes in eodem erit, scilicet in eodem tenore atque vigore suo, in eodem motu vel tempore vel subiecto, mixtam igitur secum aliquam habebit identitatem. Nec omnimoda iam erit alteritas, vt fingebas. Sæpe Parmenides, vt acrius ingenium adolescentis exerceat, per ambigua & obscura procedit. Et frequenter ex dissimilibus locis, nec non ex oppositis argumenta deducit. Sic igitur admonitus, ad sequentia perge. Quemadmodum primum vnum à nullo vsquā vno participabile est, ita ens primum à nullo ente, primus intellectus ab intellectu nullo. Siquidem in quolibet ordine supereminens imparticipabilisque natura participabilem antecedit, Participabilis autem omnia participantia perficit. Quamobrem si vnum primumque ens ad entia confectas, hæc illud non participant quidem, sed potius vnitantur. Si igitur illud ipsum vel naturale aliquid ei as in se non habent, neque etiam primum illum essentialem numerum illi proprium in se possident, sed forte consimilem. Alioquin si numerum ipsum haberent vnum pariter ens ipsum in se comprehenderent, Multo minus conferti inuicem illud ad hęc, vel vicissim vt pars, vel totum, posse videtur. In superioribus verò probatum est non esse hæc inuicem prorsus altera. Cum igitur neque vt totum vel pars inuicem referantur, neque sint penitus altera, sequitur vt sint quodammodo eadem, quemadmodum paulo ante diximus.

Vnum ens & ad seipsum, & ad alia simile est atque dissimile.

CAPVT LXXXVIII.

IN Philebo probatur in omnibus post primum esse vnum simul atque multitudinem, igitur in omnibus est idem & alterum, conuenientia atque differentia, igitur similitudo simul, & dissimilitudo quædam, qui propter quodlibet idem mixtum est cum altero, atque contrà omne simile cum dissimili quodam, atque vicissim, præsertim quoniam ipsius regnum omnia quodammodo commiscet in vnum: Iam verò eiusmodi mixturæ tanta vis est, vt vtrumque vicissim vtrimque sequantur, sed hac sanè distinctione, per alteritatem ipsam suapte naturam præcipue sequitur, vt omnia inter se sine altera propterea que dissimilia. Contingit insuper communi quadam rerum lege per alteritatem identitas quædam atque similitudo, similiter per identitatem propria ratione fit vt omnia inuicem sint eadem atque similia. Accedit & interim, conditione communi, & altera per hanc dissimiliaque videri. Esto igitur alterum hoc ab illo, certe per eadem similemque alteritatem, & eodem ferme similique modo hoc quidem ab illo, illud rursus ab hoc est alterum, dum igitur eandem quodammodo similemque sortem sustinent, tanquam eadem & similia reputantur. Esto rursus quodammodo idem hoc & illud, primo quidem logicus quidam argumentabitur, oppositam esse identitatem alteritati, & oppositam facere. Quocirca si ad alteritatis præsentiam confugit similitudo quædam similiter idenritate præsente dissimilitudinem quoque contingere. Deinde Philosophus ita forte probabit. Dum naturas duas inuicem comparas, intelliges videlicet interea esse duas atque distinctas, si propter communem quandam conditionem easdem similesque dicas, rursus alteras esse dissimilesque cognosces, si modo naturæ duæ quædam propriæ sint non vna, ac etiam si propria quæque modo identitatem similitudinemque susceperit. Sic enim propter modos eiusmodi differentes, interea forsan hęc dissimilia videbuntur, quas ob res si vnum ens ad entia, comparatum, idem est ad hæc & alterum, consequenter, simile ad hæc est atque dissimile, Per identitatem habebit, primo quidem similitudinem, deinde verò dissimilitudinem, sed per alteritatem in primis dissimilitudinem, sequenti gradu similitudinem, comparatum quoque ad se ipsum, tanquam idem atque alterum, similitudinem ad se dissimilitudinemque subibit.

Quomodo vnum ens tangit & tangitur, neque tangit, neque tangitur quantum ad se & ad alia pertinet.

CAPVT. LXXXIX.

AB ipsa similitudine Parmenides merito venit ad tactum, Anomen hoc in loco latissimum. Quæ enim inuicem similia sunt, libenter & facile se contingunt, scilicet propinquant sibi inuicem, commouent, commouentur, comparantur, percipiuntur, atque fruuntur. Hac vtique ratione vnum ens quatenus in se ipso est, atque in cæteris entibus, se ipsum cæteraque contingit, sed quoniam tangentis atque tacti est ratio differens, idcirco vnum ens & tangens se simul & tactum à se ipso dici potest, quatenus differentes in se rationes admittit: Cum enim non sit primum vniuersi principium, quodammodo multiplex esse potest. Si verò tan-

gens & tactum differre inter se, considerentur tanquam essentiæ, vel naturę duæ, nimirum prima illa vnaquaque essentia simplex tangere se, quasi sit per substantiam differens, nullo modo potest, sed nunquid alia quoquomodo rangit? Si consideremus alia tanquam in ordine entium enti primo quoquomodo conformia, procul dubio rangit ea, tangiturque ab eis tactu quodam, quemadmodum supra significauimus, meraphorico. Sin autem hinc quidem ipsam vnius entis rationem contemplemur in se ipsa secretam, inde verò rationem multitudinis in se ipsa, inde seiunctam, turbam fingemus omnino confusam, infinitatem, potentiam multiplicabilem, & aliunde formabilem, quæ quidem neque per se fit formale vnum, nec dum participationem formalis vnius habeat, neque numerum certis vniratibus definitum. Itaque ad vnum ens formam primam formaliter omnia terminantem, nondum attinent, neque tanguntur ab illo, neque rangunt. Si punctum ad lineam compares, similiter perquirere poteris, tangat ne lineam, & rangatur nec ne? Riteque negabis & affirmabis: Negabis quidem tangere simpliciter aut rangi, non enim propriè tangitur à linea punctum, vel à puncto linea, alioquin vel punctum diuisibile foret, vel linea penitus indiuidua, sed rectè forsitan affirmabis & punctum hoc abs re confictum tangere punctum lineæ, & vicissim à puncto lineæ rangi. Similiter vnum ens multitudinem entium, neque tangit, neque tangitur rursus ab illa, quatenus hoc quidem est iam vnum, hæc autem simpliciter turba nondum formale vnum, sed figmento quodam infinitis infinita, rangit autem, rangitúrque vicissim, quatenus hæc vnum aliquid formale iam euasit, vnum enim non aliter tangit, vel tangitur quàm per vnum. Parmenides hic repetit quodammodo, quod ex parte supra dixerat, multitudinem quæ non est vnum, non participare vnum, sed hic adiungit, quatenus videlicet multitudo est, & ab vno penitus aliena. Quod autem narrat de tangentium ractúúmue numero, consideranti cuique planum est: Quis enim non viderit, si duo digiti se tangunt, numerum quidem digitorum esse binarium, medium verò ractum esse vnum, si vnum digitum adiunxeris, rres quidem fore digitos, ractus verò duos si digitum addideris alium, quatuor iam digiros esse, tres verò tactus, similiterque deinceps.

Quomodo vnum ens sit æquale, vel inæquale sibi, vel aliis.

CAPVT XC.

SI elementorum moles liquorumque naturæ secerni possunt inuicem, & vnaquæque pura in natura propria reperiri, multò magis formales ipsæ rationes rerum suapte natura simpliciores, atque sublimiores inter se discerni possunt, vt & ipsæ sinceræ maneant in se ipsis, & quilibet intellectus verax vnamquanque in sua proprietate seorsum ab aliis valeat contemplari. Quia videlicet intellectus ille primus discreras intueatur ab æuo, & in ipso intelligibili ratio alia prorsus aliud sit quàm alia. Iam verò si rerum formas in mutua rerum communione confundamur, certe cum Anaxagora omnia quodammodo in omnibus contuebimur. Si rursum eas per intelligentiam exactissimam in formalibus suis eminentibusque rationibus, ranquam iam abstractissimas inspexerimus, iterum cum Anaxagora, intellectum ipsum esse discretorem omnium confitebimur. Qui autem distinctionibus eiusmodi vti nescit, nec est Platonicus, nec vnquam vtitur intellectu. Quamobrem Parmenides ad hoc ipsum exercitaturis ingenii adolescentis ingenium, passim per angustissima quæque cogit eum vel concedere falsa, vel eiusmodi abstractionibus vti. In quibus vt ille quoque, quem nosti, fatetur, non est mendacium. Prærerea quemadmodum significauimus ab initio, rotam disputationem agit vt logicam exercitationem quandam. Sub hac verò Dialectica forma, mystica quoque dogmata frequenter admiscet, non vbique prorsus continuata, sed alicubi sparsa, quatenus admittit exercitatio logica. Vbique verò affectat ardua paradoxaque tentat, ita maximè ingenium probaturus. Sed iam pergamus ad reliqua. Alia quidem ratio est ipsius vnius, alia aliorum. Alia magnitudinis, alia paruitatis, alia æqualitatis. Itaque nec vnum, nec aliqu'd aliud præter vnum, per ipsam rationem suam maius est vel minus, vel æquale. Sed per magnitudinem ipsam naturæ suæ addiram fit maius, per paruitatem verò minus, per æqualitatem euadit æquale. Sed idealis magnitudo, vel paruitas vel æqualitas non potest vlla conditione corporea rebus adesse. Alioquin multa hic enarrata sequerentur absurda. Si enim paruitas ita subiecto cuidam adsit, certe vel toti prorsus aderit vel parti: Si toti, vel intrinsecus, vel extrinsecus, si igitur intrinsecus, profectò huic æqualis erit; si extrinsecus, erit maior. Id autem est absurdum. Sic enim paruitas authoritatem sibi æqualitaris, & magnitudinis vsurparet. Rursus si in parte subiecti ponatur, aut æqualis erit, aut maior, atque eadem errata contingent etiam, vt res nulla futura sit maior; aut minor, nisi idealis magnitudo vel paruitas authoritate quadam incorporea possit adesse. Corporea certe conditione non potest, itaque nullis inieccit. Forsan verò nonnulla dici æqualia poterunt, duntaxat propter eiusmodi quandam inęqualitatis absentiam. Animaduertendum est prætere, si hinc quidem rationes magnitudinis vel paruitatis vel æqualitatis proponantur, inde verò rationes cærerorum considerentur, nec illas his naturaliter inesse, neque vicissim. Quapropter hæc in sinceris orationibus suis considerata dici posse nondum magna vel parua, vel æqualia esse. Sed postquam ideales illorum rationes ad hęc accesserint. Hæc nos clam Parmenides admonet, partim quidem artificio quodam logico ingenium adolescentis erudiens, partim verò latentia quædam passim dogmata serens. Quomodo verò vnum ens in ipso sit, alicubi diximus. Hac igitur ratione se ipso maius ac minus dici potest, qua videlicet in eo est comprehendens aliquid, & cōprehensum, est quinetiam in alio id est in causa sua tanquam effectus eius. Est insuper in aliis vt causa in effectibus, sunt & alia in illo, sicut effectus in causa. Hæc igitur qua ratione sunt in illo, sunt eo minora; virtutis videlicet gradu. Illud quoque qua sorte est in istis, est quodmodo minus istis, Minus, inquā, compositionis aceruo. Hęc enim accumulantur ex pluribus atque diuersis. Et quod illius hic inest præcipuum in primis est simplex. Attende verò quidnā sibi velit illud, quicquid est, est alicubi vel in aliquo. Hoc quidem non de illo quod ente superius, sed de omni ente dictū puta. Omne verò ens in aliquo est & quodlibet ens per communionem quandam est in quolibet, quandoquidem

ens primum est in aliquo & in cunctis, nam & penes ipsum aliud est in alio. Item ipsum est in causa, rursus est in entibus vt in imaginibus suis exemplar.

Quomodo vnum ens sit numero par, & plus, & minus ad se ipsum, atque cætera.

CAPVT XCI.

A Dimensione pergit ad numerum, nam & sæpe diuisione continua numerus editur, & continua per numeros plerumque metitur. Quamobrem quod per dimensionem cuipiam est æquale, parem quoque partium habet numerum, quod verò maius, plurem, quod autem, minus, pauciorem. Vnum igitur ens quatenus totum sibi toti est æquale, vniuersa videlicet virtute sua, per ea quoqne sibi est virtutum numero variatum. Si quæ præterea sunt illic præstantiores ideæ, illæ profectò tanquam authoritate maiores numeroque plures & ad facienda plura virtutes habent. Minores autem ideæ, pauciores & ad pauciora vires habent. Itaque vnum ens & par & plus & minus dicitur ad se ipsum, similiter & ad vniuersum. Intelligibilis enim ille mundus vniuerso huic operi suo quodammodo videtur æqualis, quatenus vnum hoc opus cum vno artifice congruit. Apparet quoque par numero, si Timæo credimus dicenti, quot ideas architectus inspicit, intellectus totidem in mundo formas effingit. Quod rursus archetypus ille mundus viuentia in se intelligibilia continet, totidem hic sensibilia complectitur animalia, præterea quatenus ille mundus, hoc est mundo potestate maior, eatenus, & plus virtutum numero iudicatur. Denique quemadmodum ille hoc mundo aceruo & accumulatione minor est, sic & numero quodam quodammodo superatur ab isto. Numerus enim accidentium quorumlibet mundanorum, & quolibet momento innumerabiliter contingentium, excedit numerum idearum idealiumque virtutum.

Quomodo vnum ens dicatur senius & iunius, atque coetaneum, ad se ipsum, atque cætera.

CAPVT XCII.

PArmenides à numero non iniuria descendit in tempus. Vbi enim primus numerus oritur, ibi motus nascitur atque tempus. Siquidem in ente primo simul cum certo formarum iuriarúmque, & actuum numero, motus quidem emicat, per quem aliud prodit, ex alio emicat simul, & tempus, per quod aliud alio origine quadam prius est atque posterius, iam verò motus & tempus necessario est in ipso ente primo & in quolibet ente: Siquidem essentia est quasi quidam processus ab vno, vbi sanè vnum in essentiam quasi signum in lineam produci videtur. Essentia rursus velut linea in superficiem prodit in esse. Item esse in vitam velut superficies in profundum, vita pergit in mentem ceu profundum, absoluitur in formam atque figuram. Mens denique sui quadam animaduersione reflectitur, sicut figura primi profundi prima consumatur, voluiturque in orbem: Sed vt summatim reuertamur ad institutum, necessario quoque motus est in ente, necessariumque tempus si modo illic tanquam elementa quædam sunt, infinitudo, motus, alteritas, si qua rursus est ibi motus ipsius temporisque idea. Semper verò memento, motum tempusque intellectu intelligibilique sub forma quadam æternitatis, implicitum prorsus & inuolutum, atque subitum, mox in animam emicare, ibique per curricula quædam iam explicari latius, & reuolui: Motúmque eiusmodi in anima quidem actionem esse, in corpore verò iam euadere passionem: Memento rursus, quemadmodum admonuimus ab initio. Parmenidem hic vltra naturam intellectualem, animalem iam assumere animámque diuinam. Vbi verò desinit esse quasi quandam participationem essentiæ vnà cum præsenti tempore, primo quidem aduerte confirmari, quod dici plerúmque solet, ipsum esse actum essentiæ, fermè sicut lucere lucis, & calere caloris est actus. Deinde præsens id tempus esse latissimum, vt non solum sit in corpore, sed etiam in anima & intellectu vel summo, similiter quod hic dicitur, & erit præteritum atque futurum, sed in vno quoque pro natura, dignitatéque sua. De motu quidem temporéque huiusmodi multa in prima suppositione tractauimus, quapropter hic breuiter percurremus, probaturi vnum ens, præsertim vbi consideratur in anima vel diuina, quantum ad se ipsum spectat, & alia, quodammodo nominari posse senius & iunius atque (vt ita dixerim,) coætaneum, sed quomodo id dicatur ad se ipsum: qualiscunque fluxus vel processus sit in eo, vel penes intellectum, vel penes animam diuinam est certe perpetuus. Dum igitur ipsam in longum productionem consideramus, gradatim senius appellamus, senius, inquam, fieri quantum spectat ad procedendum, senius quoque iam esse, quantum pertinet ad præsens aliquid nunc acceptum. Cum verò perpetuo id contingat, semper fieri esseque senius iudicatur, sed cum senius necessariò referatur ad iunius, interim iudicatur, & iunius. Quia verò dum ipsum totum summatim comparatur ad se ipsum totum, neque maiorem, neque minorem se ipso tandem habet ætatem, merito sibimet ętate iudicatur æquale. Post hæc dum comparat vnum ad multa, declarat multipliciter hoc vnum ens de quo agitur, non esse ipsum simpliciter vnum, quia confirmat quod etiam supra dixerit, partes multitudinemque habere, & fieri atque esse factum, igitur & à quodam superiore pendere. Comparat autem hic ipsum ad multitudinem entium, non tam externorum quàm intimorum, quod quidem planius patefacit, vbi partes eius in comparatione commemorat, partes inquam, scilicet vires eius, & formas, & actus. Recordare, quod etiam supra diximus, in mente vel anima diuina vnitatem, (vt ita loquar,) totálem esse geminam, quarum prima quidem internam multitudinem antecedit, secunda verò sequitur, illa igitur multis antiquior, hæc autem multis iunior iudicatur: sic igitur vnum ad multa vt antiquius existimatur & iunius: Sed dum ad multitudinem idearum intimam comparatur, videtur quodammodo ad externas etiam conferri formas, tanquam imagines idearum, vnum quidem ibi multitudinem antecedens iam latius explicatam, quoniam in genere quodam numeri simul cum hac multitudine collocatur, paucissimúmque in gradu suo primo numerum habet intimum, merito iudicatur antiquius. Præsertim quoniam explicatæ multitudinis est origo. Vnum verò ibidem resultans ex multitudine, id est, splendor idearum vniuersusque decor non iniuria iunius multitudine nominatur, pręsertim quoniam post singulorum genituram ipsum denique completur ex cunctis,

Sed interim instat puncti quod & primum, & alienum est, ad partes lineæ comparatum, & tamen est in qualibet parte lineæ, nimirum illud vnum intelligibile, non solum hoc quod primum est, inde verò vltimum idearum, sed etiam ideam quamlibet prorsus occupat. Quodlibet enim multorum necessariò vnum aliquid est, & vnius primi virtute refertum, & ad vltimum vnum conspirare videtur. Dum igitur vnum multitudinem ibi sibi prorsus adæquat, multitudini coætaneum esse censetur Comparare quoque licet intellectualem illum animalemúe mundum præcipuè in se vnum ad vniuersam mundi censibilis multitudinem: Sic vnum illud hac multitudine est antiquius, tanquam huius opifex & exemplar. Est & vnius, quoniam cum hic perpetuo fluat, quotidieque iam fluxerit, æternus interim ille mundus huic quasi superstes ferme succedit vt iunior. Similiter dum in se consistit, mundum quotidie quasi renasciturum antecedere putatur vt senior, sed quoniam quatenus agit ille, eatenus hic inde pendet, æqualem videtur agere ætatem.

Quómodo distinguitur senius, iuniusue fieri, rursumque senius vnius úe esse. Ac de vno ente conclusio.

CAPVT XCIII.

INter hæc animaduerte, quemadmodum. Parmenides inter dogmata quædam sæpe diuulsa cautum reddat adolescentem ad respondendum, & sagacem ad distinguendum. Dum igitur de seniore iunioreque mysticè disputar, distinctionem eiusmodi logicam ab adolescente desiderare videtur. Agat hodie Socrates annos ætatis decem. Impleat hodie Plato annos quinque, quæratur quanto senior Socrates sit Platone. Respondebit. Arithmetica quinario. Per numeros enim respondere solet. Respondebit geomerra, duplo. Nam proportiones considerat in mensuris. Vterque verà loquitur. Procedant ętate deinceps quinquennio Saltem, Donec socrates quidem quindecim agat annos, Plato verò decem, quæratur iterum, quanto ætatis spacio differant. Respondebit Arithmetica sicut prius quinario. Atque ità Socratem semel quidem seniorem Platone fuisse, nunc verò iuniorem illo, sed deinceps nunquam alterum altero seniorem euasisse veliuniorem. Siquidem quandiu viuunt pari quodam inter se numero differant. Respondebit interea geometra forsitan vnà cum musico. Socratem iam diu Platonis annos superauisse duplo. Proportio namque inter decem & quinque dupla, hodie verò non tanto spatio superare, sed minore, nempe inter quindecim, & decem proportione sesquialtera. Ergo quindecim minore sui parte decem superat, quàm decem excedat quinque, superat enim decem quinque dimidia sui parte, quindecim verò excedit decem tertia parte sui, similiterque deinceps minor apparebit indies excessus Socratis ad Platonem. Adeò vt qui quondam longo intervallo senior erat, minore gradatim intervallo senior videatur. Itaque comparatus ad alterum quodammodo iuuenescere, alter verò ad hunc quasi senescere dici possit. Denique concludetur & si fieri quidem iunior seniorue videtur, nunquam tamen alterum altero seniorem vel iuniorem quam semel existeret esse. Inter hęc vbi hoc ipsum de quo tractat manifeste nominat vnum ens, cætera verò entia, confirmatur quod diximus, hic non de ipso simpliciter vno, sed de vno ente tractari. Summatim verò concluditur numerus, siue in intellectu intelligibilique, siue in anima diuina consideratum, motum tempusque differentias quasdam in se habere. Vnde quodammodo fieri dici possit, id est in se, latius propagari atque aliter & aliter conformari vel agere. Tametsi eiusmodi transmutatio manifestius explicatur in anima: cum igitur ens eiusmodi non nullum habeat cum quolibet intellectu coniugium, merito cognosci nominarique potest, perque suas imagines sensu saltem sagaciore sentiri.

Summa vel Epilogus suppositione, secundæ. De distinctionibus diuinorum.

CAPVT. XCIV.

AD tertiam suppositionem mihi iam properanti succurrit, operæ pretium fore, prius summam secundę suppositionis quandam, iterum ab initio facere, seu mauis. Epilogum. Trinitatem quam sæpe diximus principiorum ordinibus nullis connumerabilem esse Platonici putant, ipsum bonum, ipsum intellectum, mundi animum. Donum quidem sępe patrem nominant. Intellectum verò Filium, animam mundi spiritum. Spiritus intus alit. Si Trinitatis huius eandem volunt esse substantiam, quasi Christiani Catholici, si tres substantias, ferme sunt Arriani. Ipsum intellectum primum mundum, vocant intelligibilem, atque inter illum, mundumque sensibilem multos deorum, id est sublimium intellectuum ordines communiter esse putant, ego verò esse multos arbitror, quemadmodum in Theologia probaui. Si forte quomodo distinguantur apud Syrianum atque Proclum tæder legere, quod & me certe narrare piget. Saltem in præsentia ita pingui Mineua distingue. Dij supermundani, seu mauis Angeli ijdem namque sunt, alij quidem propinquiores sunt intellectuali mundo. Alij verò sensibili mundo quàm proximi, sed alij medij. Illos Syrianus & Proclus vocant intelligibiles. Hos intellectuales. Medios autem intelligibiles intellectualesque simul. Nos certe superiores potius, & inferiores, & medios communiter nominamus, sed supra mundanos omnes. Mundanos quoque ternario, alios quidem superiores, alios autem inferiores, alios verò medios numeramus. In ordine primo Sphærarum ampliorum animæ sunt: in medio stellarum animæ, in vltimo inuisibilia in Sphæris numina collocantur. Reliquas autem & vltramundanorum, & mundanorú distinctiones in præsentia, præsertim quales Syrianus, & Proclus introduxerunt, Parmenidem totidem ad vnguem deorum ordines introducere, quot propositiones in prima secundaque suppositione ponit, hi quidem probare conantur. Sed hanc ego curiositatem, vt alibi dixi, non probo. Rursus neque talem diuinorum ordinum distinctionem, qualem ipsi laboriose potius quàm vtiliter prosequuntur. Placuit verò nunc, vt modo dicebam, pingui Mineruà distinguere. Placet & Parmenidem interdum ipso vnius nomine aliter, atque aliter vti. Item varios non nunquam ordines rangere diuinorum, quatenus quæ deinceps tractat, ad hunc ordinem magis pertinent quam ad illum, quamuis ad omnes interea quoquomodo pertineant. Hac itaque ratione cunctæ quidem suppositionis secun-

dæ propositiones de diuinis differunt intellectibus, qua videlicet ratione sunt dii. Dii verò sunt qua in essentiis suis superessentiale vnum habent, vt alibi diximus, Quatenus ergo de vno ente hic agit vbique eatenus & de superis agit. Et quotiens mutari placet nominis huius, id est vnius entis significatum, atque vsum, totidem attingi placeat ordines diuinorum: Sed non debes interea cum clausulis singulis deos singulos computare.

Summa huius vel Epilogi distinctiones. De vno ente, multitudine, numero infinito, ordinibusque deorum.

CAPVT XCV.

INter ipsa suppositionis secundæ principia, mundum in primis attingit intelligibilem, consequenter autem & deos omnes, vel transmundanos: In quibus duo quidem palam præcipua ponit vnum scilicet atque ens. Tertium vero clam innuit, potentiam scilicet vtriusque mediam: Quæ quidem est mutua quædam vnius ad ens habitudo, perquam, & vnum est entis, & ens vnius. Per quam superessentialis hæc vnitas, quę etiam dicitur existentia, producit essentiam sibi coniunctam. Per quam & hæc inde producitur, conuertiturque ad vnitatem & cum illa connectitur: Est autem potentia hæc quasi motus efficax, processusque vnitatis in essentiam, siquidem ex ipso simpliciter vno, nullo medio, procedit hoc vnum, mox essentiam coniugem habiturum. Hoc vnum per potentiam sibi naturaliter intimam progreditur in essentiam, quemadmodum essentia per intimam vitam procedit in mentem. Profecto qualis inter essentiam intellectumque vita est, talis inter vnum & essentiam est potentia: Hinc itaque non solum sunt in rebus potentiæ quædam quæ sequuntur essentias sed etiam sunt in diis, (vt Platonicè loquar) occultæ quædam mirificæque potentiæ quæ eorum essentias antecedunt, continuatæ penitus cum vnitatibus deitatibusque suis Per has ergo dij facere posse putantur essentias, quæ quidem per vires vllas posteriores essentiis fieri nunquam possunt. Procedit autem Parmenides ordine, communiora passim minus communibus anteponens. Multitudinem quidem introducit in primis partibus communiorem atque priorem, Partes enim omnes multitudo sunt, non omnis multitudo partes, sed cognata. Mox totum constituit ex partibus ad partes interim relatiuum: Hinc venit ad infinitum: Omne quidem infinitum est quodámmodo totum, neque contra: Post multitudinem infinitam descendit ad numerum infinitum, si quidem amplior est multitudo quàm numerus, omnis numerus multitudo, neque vicissim. Multitudo enim partium in continuo nondum reuera numerus appellatur, nisi fuerit quandoque discreta, Verus namque numerus est non multitudo quælibet, sed discreta. Hinc occasionem accipiunt Syrianici ad gradus propositionum ampliores deinceps angustioresque interea similes deorum gradus introducentes & quoniam intelligibilia ab intellectualibus, vt superiora ab inferioribus discernunt, alibi substantias, nimirum hoc ipsum quod dicitur totum, multitudinemque quasi continuam intelligibili substantiæ tribuunt, intellectuali verò discretam: Nos autem vnà cum his, prima quidem illa magis ad superiores deos, sequentia verò hæc magis ad sequentes, pertinere putamus: sed quodam modo etiam ad vtrosque natura intelligibile ab intellectuali non tàm substantia quàm ratione discernimus. Quamobrem in quolibet intellectu diuino seu primo siue sequente intelligibilem essentialemque naturam intellectuali eiusdem virtuti præponimus, multitudinemque partium, vel virium, vel formarum vtrobique locamus. Sed quoniam eiusmodi multitudo in ipso intelligibili gradu mirabiliter est implicita, aliaque penitus insunt aliis & in quolibet totum mirabili connexione comprehenditur, ideoque multitudo hęc quasi continuata videtur, merito multitudinem eiusmodi Syrianicis concedimus, nondum numerum appellare: Quoniam verò multitudo iam dicta in gradu intellectuali per intelligentiam cuncta discriminantem, iam latius & particularius explicatur, discernunturque ab aliis alia, vt aliud sine alio cerni possit, concedimus hic numerum manifestiorem originem iam habere, hinc efficitur vt numerosa passim in numeroso formarum distinctio reseratur ad mentem, ad ipsos scilicet intelligentiæ radios sincere singula discernentes. Hinc & visibile lumen tanquam intelligentiæ ipsius imago passim confusa distinguit, iam verò ipsum intelligibile per modum essentiæ, substantiæ, naturæ, lucis, motoris sese habet. In ipso igitur cuncta per modum naturæ coniugata sunt: Cognata enim sunt inuicem omnia naturaliter. Exacta verò discretio per intelligentiam aduenit, tanquam oculum radiosum, hoc iam ab illo, quamuis cognatum, exactissime secernente, quapropter Anaxagoras discretionem intellectui tribuit, eidem videlicet explicatum numerum concessurus. Si igitur multitudo rerum & in præcedente intelligibili, & intellectu suo mox sequente, sed ibi quidem sicut in centro circuli lineæ, vel in centrali solis luce radij, hic autem quemadmodum in circumferentia sphæræ lineæ, vel in solis ambitu radij, hinc efficitur vt actus intelligentiæ cuiuslibet proprius sit quasi discretio quædam intellectusque, plures frequenter penes intelligibile congrediantur in vnum. Sed quæritur inter hæc, quomodo infinita ibi sit multitudo? Etsi in superioribus id iam diximus, tamen iterum declarabimus: Non quantitate vel numero ibi ponitur infinitum, nam & quantitas non est ibi, & numero in species iam redacto ad mensuramque pertinenti infinitudo repugnat: Atque in diuinis, tanquam ipsi vni propinquis, infinita turba, quæ diuersissima est ab vno, regnare non potest, Illic enim multitudo prorsus cohibetur ab vno. Illic ergo infinitudo significat vniuersalitatem omnia comprehendentem, nec ab alia vniuersitate comprehensam: Et quæ per intelligibilia vsque adeò iam processit, vt nec ipsa possit vltra procedere, nec ab aliquo possit vltra procedi. Iam verò multitudo illa congruit infinitati primæ, sicut vnio vel terminatio in multitudine termino respondet primo. Sicut igitur infinitudo prima non dicitur infinita numero, sed potentia, non solum forte multiplicabili, sed forte etiã, vt vult Syrianus, multiplicatiua atque progressiua: ita multitudo intelligibilis quæ est multitudo prima, & intellectualis multitudo illius quasi coniunx, dicitur infinita, tum quia multitudo qua ratione multitudo est nec dum definita est, imò & infinitati respondet, tum etiam quia hæc tanquam prima primam præcipuè refert in-

finitatem, tum denique quoniam per potentiam entium omnium genitricem vnà cum alteritate explicat in se vniuersam multitudinem vnitatum, entiumque intelligibilium, vsque ad minima intelligibilia, qua ratione intelligibilia sunt, tàm particularia quàm vniuersalia, quatenus illic explicari possunt: Itaque cum sit multitudo non quædam, sed vniuersa primaque nec ab vlla multitudine comprehendatur, sed cōprehendat omnes, meritò dicitur infinita. Atque sicut primum vnum, primus est terminus, ita multitudo prima post infinitatem primam dicitur infinitum, infinitum, inquam, præcipuè nobis. Quoniam natura virtutis & amplitudo eius ne dum à nostro, sed nec ab vllo intellectu particulari penitus comprehendi potest: Hinc & in vltimis accidit vt totum numeri processum comprehendere nequeamus & ab ipsa illius infinitate perpetuo superare. Denique rectius de infinito loquemur, si dixerimus ibi multitudinē infinitam potius quam multitudinem infinitam: Esse verò in diuina mente efficaciam numerosam & suos illinc cuique naturæ numeros.

Cur hoc vnum non ens, existunt esse atque non esse, motus alteratio, interitus, atque horum opposita, Et de anima.

IN motu animæ qualem descripsimus alibi, præteritum, & futurum inuicem opponuntur, vt simul esse non possint: Præsens quoque nec amplius præteritum habet, nec dum futurum, in eiusmodi motu temporeque varios (vt supra diximus) habitus anima in seipsa commutat, qui sane habitus simul omnes esse non possunt: Et cū hic quidem est præsens, iste iam est præteritus, ille futurus. Hac igitur ratione anima vicissim est atque non est quodammodo, mutatione perpetua. Atque necesse est hoc vnum mobile, si est, atque non est successione quadam, duo hæc perpeti, ideoque moueri: Videtur etiam alia ratione moueri non posse, si quidem moueri nòn possit. Hoc enim vnum mobile, qua ratione fluitans, non est in ipso entium ordine constitutum, hæc enim omnia stabilia sunt: Nequit igitur ex ente in ens aliquod permutari ex æterno videlicet in æternum. Non igitur hoc pacto mutatur, neque hac conditione mouetur. Non solum vero eiusmodi motus quasi rectus de hoc vno negatur, sed etiam circularis: Circularis namque perfectus, qualis puro competit intellectui, in ipsa identitate versatur. Ipsa verò Identitas ad ens perfectum & stabile pertinens, fluxui huic animali non conuenit, Neque rursus huic competit alteratio tanta, vt ab ipsa natura sua, & proprietate, discedat: Per rationes quidem superiores moueri videtur: per sequentes verò quiescere, Et vtrumque suo quodam pacto est verum, Denique qua ratione permanet, scilicet in natura sua, eadem nec alteratur ab ipsa, qua verò habitus quosdam vicissim commutando mouetur, eadem alteratur in habitu: Atque ita priores quidem habitus exuens, posteriores autem induens, occidere videtur, atque renasci, sed rursum proprietatem sibi naturalem, nec nuper accipiens, nec aliquando deferens, neque fit vnquam, neque perit, si quis autem vbi fingitur vnum ens partim quidem esse, partim verò non esse, intellexerit post figmentum, reliquum fore ens non animale, quemadmodum nos, imò sensibile exponat, non mutari, neque perire, neque nasci, quia videlicet materia in rebus etiam sensibilibus est sempiterna, Reliqua nos imitatus interpretetur, nos autem interpretationem iam expositam magis consentaneam arbitrati sumus.

Septimæ suppositionis intentio, De gradibus vnius, & entis, atque non entis. Quomodo negantur omnia, de vno atque non ente.

QVando ipsum simpliciter vnum vaticinamur, infinitum prorsus auguramur, quasi negando scilicet non multiplex, non compositum, non circumscriptum, non coniugatum. Quando verò vnum ens asserimus, iam ipsum vnum sub ipsa essentię forma comprehendimus definitum, sed mera illa quidem & penitus vniuersa. Quando rursus vnum ens in essentia quodammodo mobili, sed per se mobili cogitamus, iam ens habemus quodammodo cum non ente permixtum, pro intellectu puro deinceps intellectualem animam reportantes. Quando preterea vnum in conditione quadam ab altero mobili reputamus, iam minimum quiddam entis cum quam plurimo non ente referimus. Quando denique motū omnem, mixturamque penitus auferimus, tunc omnino non ens somniare videmur, Idque forte geminum, Aut quolibet ente deterius, & insuper vno priuatum, id est nihilum, aut ente quantumlibet excelso superius, id est ipsum simpliciter vnum. Quamobrem in suppositione septima vnum ens non solum in animam per se nobilem degenerarum excogitamus, nec solum influxum ab alio dependentem præcipitatum, sed in ipsum omnino non ens denique resolutum: propriè forsan in nihilum iam prolapsum, metaphoricè verò in ipsum simpliciter vnum (vt ita dixerim) restitutum, Hoc ipsum tractare videtur suppositio septima, quatenus de hoc simpliciter non ente omnia entium propria negat, quæ quidem & de nihilo per desfectum & de ipso simpliciter vno per excessum rite negantur. Posset forsitan hic & aliquis vnum, quod nullo modo est, informem quoque materiam intelligere, quæ quidem ita nullo modo est, vt essentiam formalem per se nullam habeat: Participatione vero vnius existit vnum: sed de his si oportuerit in sequentibus. Parmenides vero non solum in his quatuor suppositionibus, sed etiam in præcedentibus frequenter argumentatur, opposita circa idem. Ego quidem singula fermè pro viribus, accomodare studeo, & probabilia facere, saltem ne vbi fingit, temere fingere videatur: Tu verò interim disce in materia qualibet, & vtrinque argumenta captare, & vtrobique distinguete sensus, ne impossibilia cogaris admittere: In his verò suppositionibus quatuor affert opposita circa idem, non solum vt se reddat argumentando versatilem, sed etiam vt deprehendat quot absurda contradictoriaque propter fictam vnius absentiam contingere compellantur.

Octauæ suppositionis intentio, Si mens auferatur, superstitque anima, hæc erit mendax & versabitur circa vmbras,

OCtaua suppositio comparat inuicem alia, qualia videlicet futura sint, si vnum ens ita fingatur non esse, vt partim quidem sit, partim verò non sit, id est si tollaturē medio intelligibilis, intellectualisque omnis substantia pura, quæ solum atque simpliciter est: Subinde verò pro illa regnet anima in qua, vt diximus, vnum ens propter fluxum cum non ente misceatur, nunc

quidem anima per intelligibilem substantiam illustrata atque roborata, verè cognoscit, & formas efficit naturales: Tunc autem ab intellectu deserta imaginaretur falsò, & pro naturalibus formis simulacra quædam & vmbras effingeret, & imaginamenta, velut somnia prorsus inania, secum ipsa confingeret, quæ quidem nullam substantiam, formalemque distinctionem & vnitatẽ habitura sint, si quando foras ex anima prosilierint: Præterea cum in anima quam conditionem iam positam deseruerit intellectualis illa substantia prorsus vnita, deinceps degenerauerit vnitas adeò, vt in ipsa anima multitudo, superatura sit vnitatem, multo magis in his quæ confingentur vel effingentur ab anima turba quælibet vnitatem penitus absorbebit, vt nihil in his agat vlterius vnitas, nisi forsan vnitate vt cunque multiplicata turba contingat: In qua tamen turba vnitas penitus superata iam nihil agendo, quæ dispersa sunt conglutinare non possit. At perinde se habent atque si nusquam adsit: fortè verò non solum non agat in his quicquam vnitas, sed nulla quidem erit, cum enim iam pridem in anima quemadmodum supposuimus, destituta ad summum fermè degenerauerit vnitas, verisimile videtur in machinamentis animæ penitus defecturam, sed numquid vnitate iam perdita, fingere liceat multitudinem: fingere fortè licet semel atque subito, si quidem aliud sit multitudo quàm vnitas, & aliud diuisio sit quàm vnio, & alteritas, quàm identitas, & fluxus aliud sit quàm status: Sed non licet in eo figmento perseuerare parumper, si quidem multitudo sit vnitatis repetitio vel processio quædam. Probabile quoque est sicut in ascẽdẽdo per ipsos rerum gradus, vltra multitudinem extat vnitas, sic deinceps descendendo per gradus infra vnitatem multitudinem contra subesse, saltem quoquomodo confictum, inanium sane vmbratiliumque rerum magis propria est turba quàm vnitas. Proinde si Parmenides finxisset, vnum nullo modo non esse, non posset deinceps vlla ratione confingere, alia quælibet esse, cum ab vno cuncta necessario pendeant. Cum verò finxerit esse quodammodo, atque non esse, licuit ei concedere alia quomodolibet esse, sed multo minus esse quàm vnum. Præterea sublato forsan intellectu puro, excogitare licet animam esse vitam & imaginantem, atque sentientem, falsò tamen: Omnis enim cognitio vera à prima cognitione intellectuali dependet, qua per concessionem adempta, nulla restat imaginatio vera: Nullus sensus alicubi verax, quid igitur erunt reliqui sensus & imaginatio mendax, sensibilia falsa: Apparebuntque fortè quemadmodum speculares quædam imagines aut vmbræ, quæ quidem non tam sint quàm existere videantur, vel potius quicquid sint non erunt hæc extra conceptus animæ, sed animæ ipsius machinamenta quædam, & hæc quidem falsa. Hæc enim Parmenides appellat apparitiones, phantasmata, somnia, quæ si foras fortè processerint, vaniora futura sint, quàm exiles vmbræ, quæ quidem vix appareant, statimque cum apparuerint, euanescant. Summatim verò dementes, & somniantes quas oculi patiuntur imagines, sæpe quæ concipiunt intus, opinantur se extra percipere, Similiter forsan afficietur anima demens, mente iam, vt finximus, ex vnione sublata.

Si sustuleris vnum, res ipsæ desinent, Vmbratiles erunt turbæ, innumerabiliter infinitæ contingent appositæ circa idem, imaginatio ambigua semper erit mendax.

PRimo quidem finguntur alia quodammodo esse. Post hæc, esse diuersa: Tertio verò à quonam hæc diuersa sint exquiritur. Non quidem ab ipso vere vno, non enim comparari possunt ad ipsum verè vnum, id est ens vnum verum, postquam finximus id non esse, quinetiam nec ad vnam animam facile comparari, Nisi enim fuerit intellectus vnus, non erit anima quædam vna. Inde enim vnio ad animam transferri debet. Comparabuntur igitur turbæ quælibet inuicem. Sed quælibet turbæ? Primo quidem vmbratiles, deinde innumerabiles. Præterea turba quælibet erit infinite penitus infinita: Neque tàm erit quàm sic occurret imaginanti. Sed quomodo inter se different? Non ita quidem, vt turba hæc sit vnum aliud. Illa verò sit aliud vnum. Postquam semel hinc ipsum vnum est ablatum: Probauimus sæpe alibi, multitudinem quamlibet. Si vnius fuerit expers, non solum totam innumerabilem esse, sed partem etiam particulamque deinceps infinite perceptam, innumerabilem pariter esse futuram. Nam si nusquam vnum aliquid indiuiduumque reperiatur innumerabiliter licebit in multa partiri. Hæc atque talia semel verò sublato consequenter eueniunt. Quam verò stultum est ista concedere tàm nefarium est, & vnitatem adimere singulis, & ipsum vnum vniuerso negare. Quælibet præterea turba imaginantibus momento succurret vt vnum. Neque deinde se præstabit vnum. Occurret vt numerus: Neque numerus inde succedet: quippe cum desit & vnitas & modus ipse, numero necessaria, apparebit vt minimum simul atque maximum: Vt minimum quidem in portione selecta: Vt vero maximum atque quàm plurimum in portiunculis illinc emergentibus, imo subito confluentibus. Videbuntur turbæ quædam quibusdam turbis æquales, siquidem turba quælibet tum minor, tum maior appareat. Et intereaforsan æqualis. Nec vlla tamen erit æqualitas, si desit vnitas æqualitatis origo. Dum plures occurrunt, ac cerui, videbitur alter extra terminos alterius esse, & ambo inuicem esse confines, nullus tameo intus terminos medium habebit: quicquid enim acceperis vt principium, cum sit perpetuo multiplex, in principium aliud resoluetur, similiter in finem semper alium. Quicquid obuium erit vt finis, quod verò æque distans, inter hæc medium cogitatur, cum perpetuo sit in plurima diuisibile, semper erit in mediũ aliud referendum. Quicquid imaginatione diuiseris, vbi vnum indiuiduumque defuerit, succurret ibi semper iterum diuidendum, & primo quidem apparebit vnum, mox autem & infinitum. Eadem igitur vt vnum & vt multa, item vt finita iterumque infinita imaginantibus, vel quomodolibet sentientibus apparebunt, atque dum summatim turbæ occurrent vt vnum, in hoc vno similes vel eædem apparebunt, Dum verò succurrent vt varietate plenæ dissimiles videbuntur, & inuicem contiguæ turbæ, nec erunt alicubi certa contiguitate confines, siquidem quæ in eis videntur extrema, semper vltra resoluuntur in aliud, itaque videbuntur etiam fore seorsum, apparebunt moueri etiam atque non moueri: Mo-

ueri quidem, quia semper de alio imaginando pertransitur in aliud. Iterum nonmoueri, siquidem infinito non patet locus alius in quem transeat: Putabis eiusmodi turbas oriri atque perire dum videris adeò diuisibiles atque dispersas, suspicaberis interim sempiternas, dum in ipso infinito, neque principium inueneris, neque finem, & virtutem iudicaueris infinitam. Inhæc itaque similiaque paradoxa imò deliramenta precipitabere, si quopacto vnum ex vniuer deieceris.

Nonæ suppositionis intentio.

Nonatandem suppositio docet, si nullo modo in rebus, & in vniuerso sit ens vnum, non modo intellectum è medio tolli, sed etiam animam, quæ partim in entibus computatur. Et hac sublata, non solum sensibilia cuncta disperdi, verumetiam vmbratilia, & sensus imaginationesq; e perire, neque super fore illam vmbratilium multitudinem, postquam defuerit vnum multitudini necessarium: Neque mareriam ipsam nudam, quę seorsum à formis subsistere nequit, nec apparere, præterea quicquam, vel vt multa vel vt vnum, non quidem apparere. Neque enim est apparitura res vlla, nec imaginatio superest, vel sensus cui apparere quomodolibet quicquam possit, atque si qua fingatur imaginatio superfore, quàm in capite superiore sub intelligentiæ nomine Parmenides occuluisse videtur, non poterit illa rite perseueranterque imaginari multitudinem sine vno, vbi vero nos cogitari multitudinem sine vnó licere diximus, licentius & ipsi finxisse videmur. Imò vero quod nullo modo est, & nullo modo vnum, neque cogitari rite potest, neque fingi: Nam quicquid & quomodocunque finxeris, ipsum saltem figmentum penes se conceptum, est aliquid ens & vnum: Et ipse ad hoc effingendum alicunde motus ab ente quopiam atque vno, atque ipse ens & vnum: Post hæc eiusmodi affere totius libri conclusionem: Si ipsum simpliciter vnum, à quo est ens vnum, ex quo tandem est vbique quodlibet vnum, ex vniuerso tollatur, nihil penitus vsquam erit. Huic autem vniuersæ conclusioni subnectuntur & aliæ per vniuersum dialogum enarratæ, partim quidem vtrinque per opposita vera secundum significata varia, partim etiam adductæ vt & ingenium audientis exercitetur vtrinque (vt sæpe iam diximus) & interim certius deprehendatur, quot impossibilia consequantur, si ipsum vnum auferatur omnibus necessariũ, tanquã effector omnium & seruator & finis.

HACTENVS COMMENTARIA IN PARMENIDEM.

SEQVVNTVR DISTINctiones capitum cum summis eorum.

Dispositio ad dialogum.

CAPVT I.

CVM dono &c. Dipositio ad dialogum, Cephalus & socij rogant Adimantum & Glauconem, Platonis fratres ex patre simul atque matre, vt persuadeant Antiphoni eorum non ex patre, fratris, sed ex matre germano, vt narret illis disputationem illam quam acceperat à Pithodoro, qui quondam erat, quando Parmenides Zenoque Pythagorici & Socrates inuicem disputabant.

Esse in entibus vnionem.

CAPVT. I.

Verum suis &c.] Parmenides integro libro probauit omne ens vnum quodammodo esse vniusque particeps. Zeno contra Parmenidis calumniatores disputauit, si in rebus sit quædam multitudo, vnio verò nulla, contingeret vt res eædem secundum idem similes inuicem forent, atque dissimiles.

Ipsis Vnitas, & ipsa multitudo non confunduntur.

CAPVT III.

Sed hoc mihi &c.] Socrates disputat supra multa similia, vel dissimilia, extare ipsam similitudinem, & dissimilitudinem idealem, & quæ sub his sunt ex ideis oppositis commisceri posse, ipsas vero ideas inuicem confundi nunquam, & omnia ex vno multitudineque componi, ipsam verò multitudinem non esse ipsum vnum, neque viciſſim.

Vtrum ideæ sint & quorum.

CAPVT IV.

Verum mihi dicas &c.] Parmenides à Socrate sciscitatur, vtrum ideas seorsum à participantibus existentes affirmet, & vtrum omnium vel vilissimorum esse putet ideis. Socrates affirmat quidem ideas separatas existere, non autem proprias quorumlibet ideas esse.

Quomodo participantur ideæ.

CAPVT V.

Ad hoc mihi &c.] Parmenides interrogat Socratem, quomodo ideę inferiora participent, probans hæc non capere ideas corporea ratione, neque capere ideam totam, neque ideæ partem conditione corporea.

Quæstio similis de ideis.

CAPVT. VI.

Aliud autem &c.] Parmenides exquirit à Socrate, an putet commune aliquid inesse ideæ cum participantibus eam? Socrates suspicatur ideas esse notiones quasdam, Parmenides verò redarguit. Post hæc Socrates, ideas extare in rerum ordine confitetur. Parmenides id quoque in controuersiam reuocat, præcipue si idea, & participantia ideam dicantur vicissim esse similia.

Quæstio similis de ideis.

CAPVT VI.

Cernis o Socrates, &c.] Parmenides Socratem in dubitationibus circa ideas rursus exercitat: si enim ponantur ideæ à nobis adeò segregatę vt nihil ideale sit in nobis, erunt nobis prorsus ignotæ. Sed hoc quoque videtur absurdum, nihil circa ideas nobis esse notum, sed quomodo ideale aliquid nobis insit cognitu difficillimum.

Ambiguitas circa ideas.

CAPVT VIII.

Considera & hoc &c.] Si ipsa scientia dominatioque idealis nullam ad nostram communicabilitatem, habitudinemque habeant, forte neque Deus ipse sciet nostra vel prouidebit, neque nos de illo quicquam intelligemus. Ingenij tandem diuini est, ideas asserere dubitationesque soluere contingentes ideis.

CAPVT IX.

Oportet ideas eſſe.

Aſſentioro Parmenides &c.] Niſi ponantur ideæ rerum naturalium ſepararæ ab his, atque æternæ, non habebimus obiecta firma ad quæ dirigamus intelligentiam, differendi ars legitima, Philoſophiaque vera peribit, verum ramen abſque dialecticis inſtrumenris nec ideas aſſequi nec dubitatioues circa illas ſoluere poſſumus.

Inductio ad dialecticam. CAPVT X.

Quis exercitationis &c.] Probat Parmenides opinionem Socratis, ſcilicet mentem à ſenſibilibus ad inrelligibilia ideaſque conuertendam, ſed moner logicam dialecticamque facultatem ante percipiendam. Quę quidem in hoc verſatur ſummopere, vt ſupponas aliquid eſſe iterumque non eſſe, atque penſites quid vtrinque ſequatur, tam ad id quod ſuppoſueris, quam ad alia.

Qualis circa dialecticam exercitatio.

CAPVT XI.

Arduum inquit &c.] Arduum grauiſſimumque ſtudium eſt dialectica, & ſi læuis quidam ludus turbæ videtur. Non decer ergo virum grauem id vulgo tractare, neque temere hoc onus à quouis ſuſcipiendum. Itaque Parmenides poſt diſſimulationes id cautiſſime ſuſcipir, mox dialectica forma tractaturus, ſiue ipſum vnum ſit, ſiue non ſit, quid vtrinque conringar, ipſum vero vnum intelligi vult, præcipue primum vniuerſi principium.

Suppoſitio prima. Ipſum vnum eſt infinitum, deinceps omnia de vno negantur, quarit, ſi ipſum vnum quod cogitatur ſuperius ente exiſtat, quid ſibi competat ad ſe ipſum atque ad alia

CAPVT XII.

Age igitur &c.] Si ipſum vnum quod ente ſuperius, & vniuerſi principium cogitatur exiſtat certe nec multitudinem in ſe vllam habet, neque partes, neque terminos. Igitur infinitum, & abs que figura.

Nuſquam eſt, neque mouetur neque ſtat.

CAPVT XIII.

Quin etiam &c.] Ex ſuperioribus ſequitur vt ipſum vnum nuſquam ſit. Quia nec in alio, neque in ſe eſſe poteſt, ſequitur etiam, vt neque moueri poſſir, neque ſtare, neque enim vel alterari vel loco mutari poteſt, ſiue in rectum ſiue in orbem. Denique cum nec in ſe, nec in alio maneat, nuſquam ſtare dicitur.

Non eſt alterum vel idem.

CAPVT. XIV.

Item nec alreri &c.] Ipſum vnum nec idem eſt, nec alterum, ſiue ad ſe, ſiue ad alia conferatur, neque ſimile, vel diſſimile, neque æquale, vel inæquale, aut ſibi, aut aliis.

Non eſt antiquius &c.

CAPVT. XV.

Anforte antiquius &c.] Ipſum vnum nec antiquius, neque in vnius, neque coætaneum eſt, ad ſe vel ad alia. Nec temporis vllius eſt particeps.

Neque eſt ens, neque totum.

CAPVT XVI.

Quid igitur ipſum &c.] Ipſum vnum nullam habet conditionem temporis ſeu veri ſiue metaphorici, non eſt igitur in ordine entium vel temporalium, vel æternorum, igirur neque cognoſci neque nominari poteſt.

Suppoſitio ſecunda omnia deinceps de vno affirmat.

CAPVT XVII.

Quærit, ſi vnum ſir in ordine entium, id eſt, ſi ſit ipſa intelligibilis intellectualiſque ſubſtantiæ vnitas, quid ſequatur & ad ſe & ad alia.

Vnum eſt eſſe, & multitudo &c.

CAPVT XVIII.

Hisne iterum &c.] Si eiuſmodi vnum eſt, certé habet eſſentiam ab ipſo quodammodo differenté, habet partes, eſt totum, eſt multitudo infinita.

Habet numerum vniuerſum.

CAPVT XIX.

Aget quæſo &c.] In eiuſmodi vno ipſum vnum alterum eſt & ipſa eſſentia alterum. Suntque inuicé altera per ipſam alteritatem ab vtriſque differentem, eſt igitur ibi binarius atque ternarius omnis differentia numeralis ac numerus vniuerſus.

Eſt infinita multitudo.

CAPVT XX.

Item ſi numerus &c.] In vno ente eſt multitudo infinita, id eſt vniuerſa & per cogitationem replicabilis infinite, & quarenus ibi per intelligibilem numerum multiplicatur eſſentia, eatenus multiplicarur & vnum, vbique enim illic vnum eſt eſſentia coniugatum, & vtrumque propagarina propagabilique virtute pariter diſtribuitur, vnde vires illic variæ multiformeſque conſurgunr.

Eſt finitum &c.

CAPVT XXI.

Quinetiam ex eo &c.] Vnum ens non modó infinirum eſt ſed & finitum, habetque principium & medium finemque atque figuram, & eſt in ſe ipſo atque in alio.

Stat & mouetur, &c.

CAPVT XXII.

Et cum, talis &c.] Vnum ens quia in ſe ipſo eſt, ſtare dicitur, quia in alio eſt, dicitur, & moueri, & propter illa quæ ſupra dicta ſunr eſt idem & a rerum ſibi met arque cæteris, rariones veró ſingulorum quære in commentariis in parmenidem noſtris.

Idem alterum ſimile diſsimile.

CAPVT XXIII.

Nunquid ſimile &c.] Vnum ens quia eſt idem & alterum ſibi & aliis, propter vtrunque eſt etiam ſibi met & aliis ſimile atque diſſimile.

Tangit et non tangit.

CAPVT XXIV.

Conſidera præterea &c.] Vnum ens quoniam eſt in ſe & in aliis, ideo ſe tangere dicitur atque alia, rurſuſque non tangere,

Aequale & inaquale &c.

CAPVT XXV.

n eſt pręterea &c.] Vnum ens & æquale eſt & inæquale, tam ibi quàm cæteris, item plus & minus atque par, rum ad ſe ipſum tum ad alia.

Particeps temporis &c,

CAPVT XXVI.

Nunquid & tempore &c.] Vnum ens temporis particeps in natura quidem intellectuali temporis ſubiti, in animali veró temporis fluentis, inde vnius dicitur, & ſenius & ęquale, ætate & quantum ad ſeipſum ſpectat, & quantum alia. Rationes autem, vt dixi, horum præcedentiúque & ſequentium in commentariis noſtris exquirito.

Senius vel innius &c.

CAPVT XXVII.

Hoc ergo modo &c.] Quomodo vnum ens dicatur eſſe, & fieri vnius atque ſenius tum ſe ipſo tum aliis, rurſuſque nec eſſe nec fieri iunius aut ſenius vel ſe ipſo vel aliis.

Est notum, &c.

CAPVT XXVIII.

Postquam vero vnum,&c.] Vnum enim quoniam temporis est quodammodo particeps,differentias,& proprietates temporales habet,& circa ipsum est scientia,opinio,sensus,nomen.

Tertia suppositio quærit,si vnum illud sic quod ad naturam pertinet animalem,quomodo se habet? Vnum oppositum omnia subit.

CAPVT XXIX.

Verum tertio,&c.]Eiusmodi vnum tum quidem est,tum non est,& tanquam temporis particeps quodammodo sit,& interit,rarescit,densatur, crescit,decrescit,fit simile,fit dissimile,cęteraque id genus.

In momento quodam, neque mouetur, neque quiescit.

CAPVT XXX

At quoties,&c.]Eiusmodi vnum scilicet,quod est in natura intellectualis animæ,quando moueri dicitur vel quiescere, intelligitur vtrumque in quodam tempore pati, sed interim intelligitur, in momento quodam subito inter motū & quietem excogitato,neque quiescere,neque moueri.

Opposita patitur, & non patitur.

CAPVT XXXI.

Nunquid eodem modo, &c.] Vnum animale cogitatur omnia fermè opposita perpeti, atque ista vicissim, & in tempore quodam: sed in quodam momento inter opposita comperto, nullum pati videtur oppositorum.

Suppositio quarta considerat, si sub ipso simpliciter vno sit vnum ens, id est intelligibile, quomodo alia, id est naturales formæ se habeant ad illud, & ad se inuicem. Omne ens est vnum,& non vnum.

CAPVT XXXII.

An non cōsideramus,&c.]Quęlibet res naturalis, cùm sit aliud quiddā, præter id quod dictum est vnum, meritò est non vnum,ergo multiplex, & cùm sit ab illo,particeps est vnius,nam & partes eius quælibet in se vnum quiddam sunt, & cunctæ simul in vna totius forma conspirant.

Multitudo infinita.

CAPVT XXXIII.

Alia verò quàm vnū,&c.] Quod præter vnum est,excogitatur vt multitudo.Multitudo verò, si quo modo fingatur, nondum vnius particeps innumerabiliter infinita nobis occurret , sed cùm primùm particeps vnius asseritur, iam & impartibilis,& in toto finita censetur.

Opposita in rebus.

CAPVT XXXIIII.

Nonne insuper, &c.] Quæ præter ens vnum sunt,id est naturalia,& sibi ipsis & inuicem similia sunt, atque dissimilia, eadem rursus & altera. Item, stant atque mouentur, cæterasque conditiones oppositas patiuntur.

Suppositio quinta perquirit, si sit illud ens vnum, id est intelligibile illud vniforme, atque omniforme, quid alia, id est materiam informem pati oporteat?

CAPVT XXXV.

Nōne præterea,&c.]Materia prima suaptè natura prorsus informis, nec vnum illud formale, nec aliquid illius intus naturaliter habet,nec igitur habet multitudinem numerumve formalem.

Non habet qualitatum conditiones.

CAPVT XXXVI.

Itaque nec similia,&c.] Materia prorsus informis cùm careat qualitate, meritò neque similitudinem habet, nec identitatem,nec alteritatem: Hæc enim sunt formalia quædam,nec habet motus vllos,quoniam ad formas attinent,neque differentias quantitatis, materia enim est quantitate prior.

Sexta suppositio contemplatur, si vnum ens, partim quidem sit,partim vero non sit,quid circa illud accidat. Si pro intellectu regnet anima, &c.

CAPVT XXXVII.

At verò si vnum,&c.]Si pro natura intelligibili animalis natura regnat,cognitio aliqua huic quidem competet,alteritas, identitas, dissimilitudo, similitudo, æqualitas, inæqualitas,& cæteræ passiones oppositæ fermè omnes.

In non ente ens.

CAPVT XXXVIII.

Præterea & essentia,&c.] Vnum dum dicitur non ens, etiam aliquo modo esse interim subintelligitur, si modo verè intelligatur, atque dicatur.

Vnum animale opposita patitur.

CAPVT XXXIX.

Num potest aliquid,&c.] Eiusmodi vnum,scilicet animale,quod aliquo modo est, aliquo modo non est, opposita patitur, nam mouetur, & non mouetur: alteratur, & non alteratur: fit, & interit: Rursusque nec fit, nec interit.

Suppositio septima inuestigat, si illud quod dicitur vnum ens, nullo modo sit quid illi contingat, si non sit vnum.

CAPVT XL.

Rursus iam, &c.] Si vnum illud intelligibile prorsus esse desierit, adeò vt neque pro ipso regnet anima, nullū oppositorum de illo prædicari poterit,non motus,non status,non æqualitas, non inequalitas,neque similiter alia,denique cognosci, neque nominari poterit.

Suppositio octaua perquirit, si illud vnum aliquo modo est, aliquo non est. quid aliis accidat, si non sit vnum.

CAPVT XLI.

Et ne iterum,&c.] Si sublato vno intelligibili, restat anima demens,reliqua non erant nisi somnia,& figmenta quædam dimissa, innumerabiliter infinita,apparebunt fortè vnum,neque tamen erunt vnum.

Si non sit vnum.

CAPVT XLII.

Quod insuper exiguum, &c.] Quodlibet primo quidem apparebit exiguum & vnicum, mox quàm maximum,& quàm plurimum,æquale, inæquale,finitum,infinitum,simile, dissimile: idem alterum,moueri,non moueri,fieri, interire, nec fieri, nec interire.

Nona suppositio perscrutatur, si vnū illud intelligibile funditus pereat, anima simul intereunte, quid aliis accidat? Si non sit vnum.

CAPVT XLIII.

Redeuntes iam iterum, &c.] Alia statim nihil penitus erunt, neque vlla erit vsquam cognitio, nulla prorsus imaginatio sensus nullus.

Finis Commentariorum in Parmenidem.



MARSILII FICINI FLORENTINI IN PHILEBVM PLATONIS, VEL DE SVMMO BONO.

ARGVMENTVM.

HVIVS libri propositum est, vel de summo animæ bono disserere, quod quidem summum bonum cum conditione quadam dicitur, cùm ipsum rerum omnium principium summum bonum absolutè dicatur. De hoc igitur quod cum conditione bonum, hoc in libro: de eo quod absolutum, in Parmenide disputatur. Ab asoluto autem hoc manat, quemadmodum lumen quoddam ab ipso luminis totius fonte dependet. Quamobrem in Phædone & Theæteto dictum est à Platone summum animæ bonum Dei similitudinem esse, Nihil verò solis sit simile, nisi quadam luminis ipsius infusione. Vnde & animæ bonum erit integra diuini luminis consecutio. Id lumen in mentem primo, in voluntatem deinde descendit. In mente veritas, in voluntate gaudium, in mente ambrosia, in voluntate nectar: à Platone hic & Phædro cognominantur. Itaque summum hominis bonum in sapientiæ voluptatisque mixtione locauit. Sed ante in sola vel sapientiæ, vel voluptatis ratione, beatitudinem consistere posse negauit, ex eo quod triplex boni summi conditio in neutro reperiatur. Ea est, vt summopere perfectum sit, & sufficiens, & expetendum. Perfectum, quia nihil sibi deest. Sufficiens, quia nihil deest illi quod ipsum capit. Expetendum, quia in illo & ex illo est, quicquid appeti potest. Vnde quia perfectum, sufficiens: quia sufficiens, expetendum. Sanè quia sibi sat est, alteri sufficit: quia sufficit alteri, desideratur ab altero. Hæc neque soli sapientiæ, neque voluptati, sed mixto cuidam extra competere demonstrantur. Vbi de voluptatis & sapientiæ genere, origine, atque natura permulta dicuntur, de infinito & termino, de composito & compositionis principio. Ac demum concluditur summum in natura bonum & absolutum, esse mensuram vniuersorum, hoc est totius naturæ principiũ. Summũ vero bonũ mentis & animæ esse illius primi possessionem, quæ mixtioni ex sapientia & voluptate per veritatem, commensurationem & pulchritudinem conuenit. Quapropter in primo bonorum omnium mensura ponitur: in secundo veritas: commensuratio, pulchritudo: in tertio mens sapientiaque: in quarto scientia ars & opinio: in quinto temperata voluptas. Beatusq; vir dicitur, qui & sapientiã diuinorum adeptus est, & humanorum peritiam scientia quadam, & arte, & opinione constantem, gaudio contemplationis totus exultat, voluptati sensuum eatenus se committit, quatenus sapientia, scientiaque & gaudium impedimentum inde nullum accipiunt. Introductio ad Dialogum eiusmodi est Cum multa de summo bono vltro citroque Socrates Philebusque contulissent, atque esset Philebus iam disputando defessus. Protarcho nuper aduenienti gratulatus est, annuitque vt prouinciam in disputando suam susciperet. Protarchus vtpote adolescens, subito est assensus. Ad quem conuersus Socrates; Considera, inquit, quam tutelam suscipias, neque temerè ad disputationem properes. Imò audi vtriusque sententiam prius, & eam rectà ratione examinanti probabilior apparet, accipe defendendam. Sed iam ad Dialogum veniamus.



IN PHILEBVM MARSILII FICINI COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Quòd aliquis finis omnium actionum sit.

CAPVT I.



VONIAM omnis Philosophiæ summa ad beatam vitam refertur, atque eam quærentes homines, se ad eius studia contulerunt. Beata autem vita in summo bono consistit, librum Platonis de Summo hominis bono ante alios exponendum aggredimur. Summum quippe bonum finis est, cuius gratia omnia omnes agimus. Finis autem vitæ in primis noscendus est, vt ad eum actiones omnes dirigere valeamus. Non minus quàm nauiganti portus ad quem deueniat ante omnia statuendus, & Sagittario signum ad quod tela dirigat primum inspiciendum. Quod quidem vaticinatus Plato in Alcibiade, in Euthydemo, in septimo de Republica, in Legibus ait: Si boni ipsius nobis cognitio desit, artes omnes alias & scientias inutiles, conatus irritos, noxias actiones fore. Iam verò in arte & consilio nihil aliud est finis quàm terminus ad quem mouetur agentis intentio potissimum, & in quo quiescit. Cùm ergo in natura motus in aliquid dirigatur, quo habito cesset, agit ad finem. Similiter se habet dispositio rerum in arte, & natura ad finem, quo sublato, non possunt causæ assignari. Quamobrem ad Philebi ipsius declarationem, qui de summo hominis bono, nostrarum omnium actionum fine disputat, nos primum parabimus, ostendemusque aliquem esse finem, ad quem actiones hominum tendant. Deinde quis iste sit, & qualis declarare conabimur: Et falsas quidem de hoc opiniones reiicere, veras astruere demum. Qua via maximè ad eum perueniatur monstrabimus. Id ergo libri huius propositum est, is ordo. Omnis actio, aut à natura corporum prouenit, aut animi impetu, aut rationis consilio atque habitu, aut mentis intelligentia. Si à natura corporum prouenit, ad certum aliquid tendit: Nam corporum inter se distinctæ substantiæ sunt: quare naturæ erunt viresque discretæ. Vnde singulis corporibus singulæ insunt, propriæque naturæ. Ex his proprij motus fiunt, proprios singulorum motus, sequuntur opera singulorum, in quæ naturæ corporum motusque nituntur, vt efficiant, & effecto opere conquiescunt. Neque enim quælibet à quolibet: sed à propriis quibusdam propria quædam fiunt, ab homine, homo; à ficu, ficus; ab igni, calor. Quis autem negabit, finem esse cuiusque naturæ effectionisque, idipsum in quod propriè semperque nititur eius impetus: & in quodcunque cessat. Præterea, omnis corporum motus, aut eò tendit, vt vitet interitum, aut quiddam sibi conueniés asciscat, aut perimat cõtrarium, aut simile gignat. Dum vitat & asciscit, ad sui ipsius conseruationem mouetur. Dum perimit atque gignit, ad similis generationem. Omnium ergo corporalium motionum conseruatio generatioque est finis. Accedit ad hæc, quod si natura corporis alicuius, dum agit ad aliquem effectum determinatum non tenderet, omnes ei effectus indifferentes essent: Quod autem æquè se habet ad multa, non magis vnum è pluribus quàm aliud efficit. Quare vnumquodque corpus, vel omnia faceret, vel nihil vtrumque impossibile est. Nam quod facit omnia primum rerum principium est: Quod agit nihil, est otiosum. Quare ad certum quendã tendit effectum, certus autem euentus actionis finis cognominatur. Item, corporis vis, aut casu, in opus incidit, aut necessaria quadam intentione naturę. Non casu, quia in quæcunque opera, quodcunque corpus incurreret, atque ita quælibet à quibuslibet fierent, neque certo res semine indigerent, & illud Lucretij eueniret. Nam si de « nihilo fierent, ex omnibus rebus omne genus « nasci posset, nihil semine egeret, è mari pri- « mum homines, è terra possit oriri squammige- « rum genus & volucres erumpere cœlo. Et pro- « fectò quod casu fit, rarò contingit, nec vno « duntaxat modo, sed variis prouenit. Videmus autem propria quædam à singulis certo semine instituto tempore solito ordine, modoque, digesta serie, iisdem mediis, eadem ratione; vt plurimum fieri. Ergo cùm necessaria quadam intentione corporea vis effectum producit, propriè

illum intendit, & quod intendit, naturali instinctu appetit, quod ab aliquo agente appetitur, actionis est finis. Omnis ergo actio corporum est ad finem. Quinetiam actio quæ animi impetum, vt iram, metum, cupidinem sequitur, finem aliquem respicit. Nam si nihil moueret extrinsecus, animi impetus nullus insurgeret. Ab aliquo ergo exteriori impetus iste dependet, quod vel bonum iudicatum est, vel malum, vel neutrum. Si neutrum, nouus ex eo impetus nullus concitaretur. Si bonum, ad consequendum pergit: sin malum, ad euitandum. Quapropter omnis actionis quæ impetum animi sequitur, vel boni consequutio, finis est, vel vitatio mali. Operatio quoque rationis consilium sequens, aliquem experit finem. Consultare enim inquirere est: quisquis inquirit, vt inueniat quærit. Neque enim quærit quod habeat, inuenire autem vult, vt in re inuenta quiescat. Quies autem in eo quod inuentum, actionis ipsius quod quærebat, finis est. Necnon & actio ex habitu rationis, id est, morali virtute & artibus pendens ad finem certum dirigitur. Si ex virtute & arte non temerè fit, sed ratione habitus ipsius sequitur, habitus ipse vel ad operationem trahit sibi conuenientem, vel ad opus conueniens. In eodem verò sistit demum quo traxit. Operatio itaque vel opus habitui congruens, motus ipsius, qui ex rationis habitu nascitur, finis existit. Restat operatio illa, quæ ex intelligentia mentis exoritur, quam ad finem certum referri necesse est. Mens enim priusquam agat, quod est per actionem paritura, concipit in seipsa, atque ex ea notione agit. Actio enim hæc, ad illud quod conceptum est inducitur: quare quod conceptum fuit, actionis est finis. Aut enim intelligendo mens agit, aut non intelligendo, si non intelligendo, non vt mens agit, sed vt vita aliqua, vel substantia. Nam proprium mentis intelligere est. Cognoscit ergo mens quod agit, agere enim ipsius cognoscere est. Vtrum etiam velit? Vult certè. Non enim coacta mens agit. Coguntur enim quæ patiuntur. Patiuntur corpora, & quæ corporibus sunt coniuncta. Mens autem à corpore libera. Vult igitur mens quod intelligit atq; agit. In eo verò quod quis appetit, vt in fine quiescit, cùm possidet. Ad finem igitur aliquem actio mentis dirigitur. Nam quod intelligit finis eius veritas, quod vult finis est bonum: quod peragit finis, pulchrum. Omnia enim mens in numero, pondere, & mensura, modo, specie, & ordine transigit. Ex his colligitur, & naturæ & animæ, & rationis, & mentis operationes artificioso & rationali quodam ordine ad finem proprium dirigi, neque materiæ necessitate duntaxat produci, vt Anaxagoras & Empedocles voluerunt, neque sine certo fine vagari, quod Democriti & Epicurei sectatores disputauere. Quos non ratio solùm, sed & sensus ipsi redarguunt. Neque enim quocunque ferri elementa videmus, sed ad loca propria semper, neque in animalibus & arboribus cuiusque partes, quibuscunque coniungi, sed singula fieri semper distincta particulis, easque inuicem ita digestas, vt vna alterius gratia videatur: semperque eundem in mundi nutibus cernimus seruari tenorem, quod & finem rebus gentis adesse certum testatur, rationemq; inesse artificiosam. Mentem vnam præesse sapientem, rerum omnium ducem, quæ & principium det cunctis, finem statuat: motus omnes debita per media, ad finem ferat, ad principium referat.

Quod finis omnium actionum sit vltimus.

CAPVT II.

CÆterum dixerit fortè quispiam, res omne ad finem semper suos motus dirigere, sed de alio fine in alium perpetuo pertransire. Quare deinceps ostendendum restat, finem dari agentibus vltimum. Profectò in omnibus quæ propter finem agunt, hunc esse finem vltimum dicimus, vltra quem quod agit, aliud nihil quærit, quemadmodum actio Medici, vsque ad sanitatem protenditur. Verum in actione agentis cuiuslibet aliquid reperitur, vltra quod agens nihil exigit: alioquin actiones in infinitum progrederentur: quod quidem impossibile est. Quia, cùm infinita transire nihil possit, nihil agere vnquam incipiet. Nihil enim ad id mouetur ad quod peruenire impossibile est. Præterea, si agentis alicuius actiones in infinitum procedant, aut has actiones aliquod opus sequitur, aut nullum, si aliquod, substantia operis post infinitas actiones emergit: quod autem ante se exigit infinita, esse nunquam potest, cùm infinita transire non possint. Quod esse non potest, nec potest fieri. Id verò quod talee est agens ipsum efficere nequit. Quapropter, impossibile est vt agens aliquid, facere incipiat aliquid, ad cuius explerionem, actiones infinitæ antea exiguntur. Sin autem opus nullum actiones eas sequatur, oportet actionum huiusmodi dispositionem esse, vel secundùm ordinem earum virium quæ in agendo versantur, sicuti cùm homo aliquis sentit vt cogitet: cogitat, vt intelligat: intelligit, vt velit. Vel secundùm obiectarum nobis rerum seriem: Velut si corpus intueor, vt animum ipsum considerem. Animum verò vt cœlestia numina, hæc autem vt Deum ipsum contempler. Procedi vero in infinitum non potest, neque in agendi virtutibus, sicut neque in formis rerum: forma enim est agẽdi principium. Neque in rebus quæ nobis obiiciuntur, neque enim res infinitæ sunt: Sed vnum omnium est principium, vt aliàs ostendimus. Quo fit vt actiones in infinitum porrigi nequeant. Oportet igitur esse aliquid, quo habito conatus agentis cuiusque desistat. Item, in his quæ propter finem agunt, omnia quæ inter agens primum & finem postremum sunt, fines quidem sunt præcedentium, principia vero sequentium. Quare si conatus agentis, ad certum aliquid non refertur, sed in infinitum abeunt actiones, oporter agendi principia in infinitum procedere, quod impossibile est. Nullo enim pacto res infinitæ sunt, neque si ad præcedentia respexeris, neque si ad sequentia. Nam si secundùm seriem subsequentem infinitæ sint, tunc omne quodcumque cœperis, infinita sub se habet. Est igitur infinitorum causa, vim itaque infinitam haber, idcirco paria omnia, infinita enim inter se paria. Sin autem secundùm præcedentem ordinem infinitæ res sunt: quicquid cœperis ab infinitis causis erit effectum: innumerabilium igitur causarum vires in seipso seruabit innumeras, & infinitum erit quodcumque, & quilibet effectus causæ par, imò infinitis par causis. Ideo cùm opera excedi à causis videamus, neque ascendendo, neque descendendo infinita possumus reperire. Hinc Aristoteles: non omnia propter aliud

exoptamus. Sic enim in infinitum foret progressus, vanaque & stulta respueret cupiditas. Ideo est aliquid quod propter se volumus, & cætera propter ipsum. Is est finis vltimus: Appetitus enim naturalis est, necessaria naturæ inclinatio ab indigentia quadam adnitens ad plenitudinem. Plenitudo ac finis vltimus idem. Si nusquam vltimus huic præscriptus est finis, sed de fine in finem absque fine progreditur, nunquam impleri potest.

Frustra igitur conatur implere, animo neque conabitur quidem vllo modo. Nulla enim rerum species ad id quod penitus impossibile, est mouebitur. Siquidem moueri est à potentia in actum progredi paulatim. Accedit ad hæc, quod duplex est in finibus ordo: Intentionis vnus, executionis alter. In vtroque autem ordine primum esse aliquid oportet. Quod enim primum est in ipso intentionis ordine, principium est, quod appetitum mouet: Subtracto autem principio, appetitus à nullo monebitur. Quod verò in exequendo principium est, id est, vnde operatio incipit, quo subtracto, operari aliquid nullus inciperet. Principium autem intentionis est finis vltimus. Executionis principium est eorum quæ ad finem sunt principium. Atque ita neutra ex parte in infinitum progredi possumus. Nam si vltimus non esset finis: nihil prorsus appeteretur: nec operationi vllus esset terminus: nec agentis alicuius intentio conquiesceret. Si autem non esset aliquid in his quæ sunt ad finem primum, operari aliquid nullus inciperet: Neque terminus esset vllus consilij, sed vlterius semper consultaretur. Adde quod appetitio finis cuiusdam in rebus, aut casu est, aut vsu, aut natura. Non casu, quia raro contingeret, non vsu tantum, quoniam ante communem vsum inest hominibus appetitus; saltem ad ea in quibus post assuescimus. Ergo natura. Etenim quod inest omnibus, & semper, à specie est atque natura. Ergo ab eo quod est naturæ & speciei principium, id est, Deus. Natura enim, vt dicit Plato in Politico, vel Dei ars est, vel artificiosum Dei organum. Ergo non frustra datus est appetitus, ergo quiescet quandoque, ergo vltimum consequitur finem. Non enim frustra percipit & mouet rex sapiens atque bonus. Deus autem per appetitum concitat omnia. Si in gradibus formarum, materiarum agentium non progredimur in infinitum, sed peruenimus ad summum, quanto magis in finibus non procedimus absque fine, sed ad summum peruenimus? Summus finis est finis vltimus: in quo fit tota ratio finis. Sic qui aufert in finibus finem vltimum, hic finibus aufert naturam finis. Quod si est in agentibus primum, est in finibus vltimum. Agentia enim sui gratia agunt. Ergo agens primum sui gratia agit omnia. Ergo illud est vltimus omnium finis. Aristoteles tertio Metaphysicorum dicit, qui auferunt finem rebus, & faciunt infinitatem, hi auferunt naturam boni. Nam & bonum habet rationem finis, & finis rationem boni. Ergo contra rationem boni & finis est, quod procedatur in infinitum. Præterea quemadmodum se habet quæque ars ad proprium sibi finem, ita & communis ars viuendi, cuius partes quodammodo artes sunt, ad communem se finem habet. Singulæ verò artes extremum quiddam habent, quo perficiuntur, & vltra quod eatum officium laborque non extenditur. Ceu medicina sanitatem, res militaris victoriam. Omnis igitur vita ad vltimum quiddam respicit commune bonum quo perficiatur. Finis vltimus est illud quod est principium motus in appetendo, ita vt quicquid mouet appetitum, eius vi & gratia moueat, etiamsi nequaquam animaduertamus. Si nusquam sit finis intentionis vltimus, nusquam erit quod moueat appetitum, quia infinita non transeuntur. Adeo influxus boni non pertingit vsque ad appetitum, si de bono in bonum adhibeatur sine fine. Item quod appetit, vel appetit tanquam finem opus aliquod, vel operationem, vtriusque gradus sunt finiti, & terminantur ad summum gradum. Summus gradus erit finis vltimus appetitus.

Finis omnium actionum est bonum.

CAPVT III.

POst quam finem esse omnium actionum, & vltimum aliquem esse finem ostendimus, quis iste finis sit monstrabimus. Est autem finis, cuius gratia omnia operantur bonum. Quod enim mouetur, (vt supra diximus,) non ad quodlibet æque, sed ad proprium aliquid fertur, sibique conueniens: neque enim ad illud nisi propter aliquam cum eo conuenientiam moueretur. Quod autem proprium cuique est, atque conueniens, id cuique bonum. Item finis est, in quo appetitio eius quod mouet, eiusque quod mouetur, quiescit. Ratio autem boni est, vt appetitum impleat. Nam bonum est quod omnia appetunt. Omnis itaque motus ad bonum ducit. Quinetiam omnis actio atque motus ad ipsum esse quodammodo ferri videntur, vel vt esse singulorum, vel speciei seruetur, vel denuo acquiratur. Hoc autem ipsum quod est esse, bonum est. Adde quod omnis actio motusque ad aliquam vergit perfectionem. Si enim ipsa actio sit finis, patet, quod secunda agentis ipsius perfectio est. Sin autem actio exterioris materiæ transmutatio est, patet quod perfectionem aliquam, in eo quod mouetur, ipsum quod mouet, inducere nititur, hoc autem dicimus esse bonum, quod est esse perfectum. Item omne agens, vt actu est, agit. Agendo autem in aliquid sibi simile tendit. Igitur aliquem in actum tendit. Actus autem omnis boni rationem habet. Nam malum nusquam reperitur, nisi in ea, cui deest actus, & potentia. Item, quod contrarium vnum fugit, necessario sequitur alterum. Omnia verò semper quoad possunt, malum fugiunt. Omnia itaque bonum sequuntur. Porrò, sicut idem motus est quo locum inferiorem fugimus, & quo superiorem petimus: Ita & idem quo à malo declinamus, bonum sequimur, malum verò fugiunt omnia. Nam quæ cognitione mouentur, quia perniciosum malumque aliquid putant, ideo fugiunt, quæve natura sine cognitione feruntur: loca sibi noxia fugiunt, conuenientia petunt, contraria vitant, similia quærunt. Eodem itaque nixu & malum horrent omnia, & bonum expetunt.

Quid bonum, quodve supra corpus anima, super animam intellectus, super hunc est ipsum vnum, atque vnum.

CAPVT IIII.

POstquam finem ad quem mouentur omnia, bonum esse diximus, quid ipsum bonum sit declarandum iam esse videtur. Vniuersa mundi machina ex multitudine constat & vnitate: quia ex multis rebus, quæ vnitæ sunt continuitate, contiguitate, similitudine, æqualitate, conuenientia, si nulla esset vnio in multis mundi partibus, neque simul starent, sed spargerentur: neque in figura, vel qualitate, vel in aliqua cum aliquibus congruerent. Ideo est in rerum numero vnitas, quæ quia in alio est, est & ab alio. Non à composito quodam, quia vnitatem dare vnius, est simplicisque officium, neque in alio est iterum, hoc est, ne in infinitum eatur. Item, omnis hæc quam cernimus multitudo rerum, vnitatis alicuius est particeps. Nam si nullius, neque vniuersum hoc rerum genus vnum esset, neq; aliqua eius pars vnum; sed ipsum ex aliquibus erit, illaque rursus ex aliis in infinitum, horumque quodlibet multitudo erit penitus infinita. Nam cùm nullo modo ipsius vnus sit particeps, neque totum ipsum, neque pars aliqua, omnino & secundum omne infinitum erit. Porrò quicquid singulorum acceperis, vel vnum erit, vel non vnum: Si non vnum, vel multa, vel nihil: verum si singula nihil, totum quoque nihil, sin multa, quodlibet ex infinitis infinitè constabit. Hæc autem impossibilia sunt, nec enim ex infinite infinitis quicquam constat. Nam nihil infinito maius. Quod verò ex omnibus constituitur, singulis maius est, neque ex nihilo quicquam conficitur. Quo concluditur omnem hunc rerum numerum vnitatis esse participem: igitur super omnẽ multitudinem vnum existit. Nam si multitudo ante vnum esset, vnum quidem multitudine participaret, neque esset vnum. Multitudo vero, quæ supra vnum est, nullo modo esset vnius particeps. Siquidem, antequam vnum ipsum sit, multitudo hæc existeret. Impossibile autem est multitudinem esse aliquam vnius expertem, non est igitur multitudo ante vnum. Sin autem simul cum vno sit, cumque illo secundùm naturam coordinata: neque vnum secundùm seipsum multa erit, neque multitudo secundùm se vnum, quippè cum contra se inuicem discreta sint, siquidem neutrum altero prius est, aut posterius. Quare multitudo nullo modo vnius erit particeps, quod impossibile est. Esset enim infinite infinita: quare necesse est vt multitudo vnum sit, & quicquid in ea est sit vnum. Sin autem ipsum secundùm se, vnũ multitudine non participat, erit vtique multitudo vno posterior: participans quidem vno, nullo modo ab vno participata. Quod si vnum est multitudinis particeps, secundùm substantiam suã vnum erit, secundùm participationem verò non vnum, eritq; multitudo quædam vnita. Quare & vnum cum multitudine, & multitudinem cum vno communicabit. Quæ verò congrediuntur, cõmunicantque vicissim si ab alio copulantur, post illud existunt. Sin autem ipsa se iungunt, nequaquam sibi inuicem opponuntur: nam quæ opposita inter se sunt, haud se inuicem expetunt. At verò si quid est ante ipsa, quod ea inuicem copulet, aut vnum est, aut non vnum: si non vnum, vel multa est, vel nihil, non tamen multa est, ne ante vnum multitudo sit: nec etiam nihil. Nam quo pacto alia iungit? Vnum itaque solùm, neq; enim & hoc vnum simul erit & multa, ne in infinitum progrediamur. Est itaq; aliquid per se vnum extra rerum multitudinem omnium: à quo omnis multitudo procedit, quod quidem principium omnium est. Neque dixerit quispiã, quod & Manichæi & Binastici dicunt, duo esse principia, quorũ quodlibet vnũ est: nam ex duobus vnis, est duitas numerus, ante omnem numerum, est vnitas. Item, vel tota quæ in vno est, est in alio, vel maior in vno quàm alio. Si tota, idem sunt, & vnum sufficit: Si maior, in quo maior illud principium est, aliud verò sub eo. Itẽ, vel tota perfectio in vtroque, vel pars in vtroq; si tota vnũ sufficit. Si pars, vtrumq; imperfectũ, supra vtrũq; igitur erit quod perfectũ. Item, vel omnino conueniunt, vel nullo modo, vel partim: si omnino, vnum sunt, si nullo modo, neque conueniunt in hæc, quod vtrumque principium sit: si conueniunt & differunt, vna communis natura est in vtroque, præter proprias vtriusque differentias: compositum igitur est vtrumque, & vnitas, quæ est in vtrisque, quia in alio est, est ab alio, vno quod super vtrumque, imò verò cùm in communi ratione principij conueniat, vna ratio est qua vtrumque est principium. Secundum verò proprias differentias, neutrum omnium est principium, cùm per illam ab alio principio differat. Qua ergo principium sunt, vnum sunt, ad vnum ergo principium reducendum, quod vnum vocamus, respectu sui & aliorum, sui quia simplicissimum. Si enim habet numerum, partium vim habet diffusam per multa. Vis autem vnitissima perfectissima: non ergo esset omni alia vi potentius, imò esset indignum: nam partibus egeret, quibus dependeat. Non ergo sufficientiss.mum, neque esset beatissimum: non enim se omnino frueretur; quia non totum in totum conuersum, respectu alterius dicitur vnum, quia in ratione principij non habet comitem. Præterea, sicut se habent singuli rerum ordines ad propria sui principia, sic vniuersus ordo ad vniuersale principium: sed omnes illi ad vnam quandam speciem reducuntur. Quare & omnis ordo naturæ ad principium vnum: Vni corporis, vna sufficit anima: vni domui, vnus dominus: ciuitatum rex vnus: vni verò mundo Deus non sufficiet vnus? Ab vno ignis calore, omnes calores: ab vna solis luce, omnia lumina: ab vno bono, omnia bona. Omnia corpora, ad vnum mundi corpus: omnes naturæ, ad naturam: omnes animæ, ad vnam animam: omnes mentes, ad vnam mentem: bonum vero & vnum, vnumquodq; istorum est: ergo omnia, & vna ad vnum bonum: sicut numeri omnes ad vnitatem: vnum ergo omnium est principium. Omnis enim ordo qui in se habet vnionem, in quantum singula eiusdem sunt ordinis, ab vno esse supra ordinem: nam vnio ordinis, non ab vno quodam ordinis est, esset illius proprium, neq; omnibus conueniret. Ergo ab vno supra ordinem quod est primo tale: ideo nihil aliud est quàm tale: vt bonorum principium sit solum bonum: quia si bonum ens vel

bona anima esset bonum, hoc non absolutum bonum, & esset bonum non integrum: sed pro socij captu: ergo non proprium principium. Primum enim absolutum est & integrum, primum ergo bonum: primum vnum, nihil aliud est quam bonum, & quam vnum. Principium sane, id est, supra quod est nihil. Ipsum verò vnum supra se nihil habet. Nam superiori participaret, essetque plura non vnum. Idem ergo est principium omnium, & ipsum per se vnum. Quod quidem corpus non est, vt Democritij dicunt, multas enim corpus habet partes. Neque corporis qualitas, vt Straton, quæ cum corporis partibus est extensa. Neque anima, vt Varro. Quippe cum & in viribus & in operationibus anima sit multitudinis particeps. Alia enim potentia cognoscit, alia facit, facit enim multa non cognoscendo, cognoscit multa non agendo. Neque mens, vt Anaxagoras, mentis enim actio est, vt seipsam intelligat. Est igitur in mente quod intelligit intellectioque & quod intelligitur. Neque vita, vt Zenon. est enim vita motus essentiæ. An ea igitur duo sunt saltem: & esse scilicet & moueri. Neque essentia ipsa, vt Dynantes. Nam vno quidem participant omnia, essentia verò non omnia. Fluxus enim priuationesque essentiam nullam habent, vnum tamen esse non negantur. Neque ipsum esse, vt Alpharabius & Auicebron. Est enim actus essentiæ, & essentiæ cum præcedenti momento participatio, vt in Parmenide dicit Plato. Quin imò si idem esset vnum atque esse, idem forsan esset multitudo atque nihil, itaque nulla forsan multitudo in rebus inueniretur. Item non minus esse competit exercitui quam domui, minus tamen illi vnum conuenit. Aliud itaque esse, aliud vnum. Aut ergo paria hæc sunt, aut esse super vnum, aut vnum super esse. Si paria sunt, esse vnius est expers, ergo & ordo rerum sub eo existentium expers erit vnius. Sin esse super vnum, Vnum quidem ipso esse participabit, eritque non vnum, sed plura. Esse autem vnius expers erit. Quare aut nihil erit, aut numerus infinitus. Supra verò omnem numerum vnitas extat, supra vnitatem nihil, non enim vnitas esset. Idem igitur primum rerum principium est, & ipsum vnum. Quod supra corpus, animam, mentem, vitam, essentiamque existit, neque aliud quicquam est quàm vnum: quod quidem ex Parmenide Platonis libro colligi potest. Præterea sic ex decimo legum colligi potest: supra corpora omnia est animæ ipsius essentia: Supra omnes animas mens. Supra mentes omnes ipsum vnum: Omne enim corpus ab alio quodam mouetur, mouere autem seipsum natura sua non potest, sed propter animæ participationem ferme seipso mouetur, viuitque per animam. Et præsente quidem anima seipsum mouet quodammodo, absente verò, ab alio duntaxat mouetur, vtpote quod hanc ex seipso naturam non habeat, & anima substantiam sese mouentem possideat. Nam cuicumque adest, vim ad seipsum mouendum impertit, quod autẽ ipso esse impertit alij, hoc ipsa multo prius, magisque existit. Est igitur supra corpora, tanquam quæ seipsam mouere potest secundum essentiam, supra illa quæ secundum participationem talia fiunt. Rursus anima quoniam à seipsa mouetur, secundum obtinet ordinem ad naturam eam cuius & essentia & operatio est immobilis. Nempe omnibus agitatis præcedir, quod seipsum mouet, omnibus autem mouentibus quod immobile est. Si igitur anima à seipsa mota, mouet alia, oportet ante ipsam esse, quod immobile mouet. Mens autem mouet immobilis, perseuerans, & semper secundum eadem operans. Etenim anima per mentem habet, quod semper intelligat, sicuti corpus propter animam, quod sese moueat. Si enim inesset animæ semper, intelligere primũ, omnibus competeret animis, quemadmodum sese mouere. Non igitur animæ hoc primum inest. Oportet itaque ante ipsam esse, quod primo est intelligens. Id totum sic ab initio confirmatur: cum corpus ex materia constet & quantitatem ratione materiæ solum capiat, & ratione quantitatis solum diuidatur, sequitur vt per hæc pati possit, non agere. Siquidem ergo agere videntur corpora per aliud agunt, forte per qualitatem, quę ex se est incorporea, cum plurimæ sint eodem in corpore qualitates. Sed neque qualitas est per se principium actionis, quod enim non est per se, per se non agit. Eundum igitur est ad incorporale aliquid, quod per se subsistat, neque cum corpore sit diuisum. Talisque erit anima, quæ quia ad se conuertitur, per se subsistit, ab ea inerit vis agendi corporibus, ergo & vis mouendi. Omnis ergo actus & motus corporum est ab anima, quæ essentia incorporalis est, vnita corpori non commixta, coniuncta, non dispersa. Supra quam est & mens & essentia incorporalis & à corpore penitus separata. Ideo nihil habet commune cum corpore: Illa stat essentia & operatione, corpus vtroque fluit. Anima essentia stat, operatione fluit illa omnino æternitate. Corpus in tempore, anima in vtroque, Illa mouet, non mouetur. Materia mouetur non mouet, corpus mouet ab alio motum. Anima mouet à se mota. Ergo & mens & materia sunt extrema: Media verò, corpus & anima, hoc ad materiam declinat magis. Anima magis ad mentem. Cum dicimus animam seipsam moueri, absolute non transitiue verbum illud proferimus, vt cum stare mentem, lucere solem, calere ignem: non enim pars animę mouet, pars mouetur, sed tota ex seipsa mouetur id est, discurrit, transigit per temporum interualla nutritionis, augmenti, generationis opera, rationis, cogitationis, discursiones, agit mens, sed cum æternitate. Agit anima, sed cum tempore. Quid motus animæ? actio cum tempore, & quia prima actio cum tempore est in anima, Ideo primus motus in anima, & est in ea ratione sui in quantum iam à statu mentis degenerat: Ideo ex sua natura inest ei motus, ergo ipsa principium motus existit. Quare animæ mens præcedit. Sed enim supra mentem vnũ ipsum existit, licet enim mens immobilis sit non tamen vnũ est. Intelligit enim seipsã, & circa seipsã operatur. Quin & vno cuncta participant, quomodocũq; sint, mente verò nõ omnia. Quibus enim participatio mentis conuenit, ea cognitione participent necesse est: quia intelligentia ipsa principium est, & causa prima noscendi. Item vis vnius vsque ad priuationes & materiam currit, vnum enim hæc sunt: mentis verò non, quia mens est species & speciebus agit. Species igitur tantum agit. Igitur supra mentem ipsum vnum est. Nec vltra aliquid est, vno superius. Idem enim vnum & ipsum bonum. Ipsum verò bonum, principium omnium.

Vnum idem est, atque bonum, atque omnium est principium.

CAPVT V.

QVod verò vnum & bonum idem sit, bonumque omnium sit principium iam ostendam. Bonum quidem omnia expetunt, quia singula suo in statu seruat, seruat autem quod partes rerum vnit in uicem, & ad totum, & totum ad causam. Vnire verò ipsius vnius est proprium, sicut caloris ipsius est calefacere. Vnum ergo & bonum idem. Vnitate porro seruantur omnia, dissolutione autem intereunt. Bonum quibuscunque adest, ea seruat, ex eo quod vnit, vnumque ea reddit, & in vno continet. Vnum verò efficere est ipsius vnius officium. Quare si cuique vnitum esse, bene esse est, cuique vnio, bonitas est & simpliciter bonum, simpliciterque vnum, idem est. Quod quidem vnitatem omnibus simul præstat & bonitatem. Ideo quæcunque à bono discedunt, ab vno quoque decidunt. Et quæ ab vno abeunt propter discordiam, abeunt & à bono. Est igitur vnitas bonitas, & bonitas, vnitas & bonum vnum, vnumque primo bonum. Quod ex eo insuper patet, quia ex bono est quod perfectum sit aliquid atque expetendum. Hoc autem vnum ipsum præstat. Nam à corporibus ad mentem ascendendo patet, quo crescit vno magis, eo perfectionem magis excrescere. Bonum igitur & vnum idem. Esse quidem ipsum rebus non sufficit, alioquin eo ipso quod sunt nihil vltra requirerent. Quærunt ergo esse cum bono & bene esse. Bene autem sunt, si vel integram naturam suam seruant, vel restituunt. Hoc fit vnione partium inter se & ad totum, & ad causam. Vnum igitur superesse expetunt omnia. Quo magis vnum est aliquid, eo sufficiens magis, perfectumque cum minus indigum sit: sitque potentius ex vnita virtute. Vnum ergo bonum ipsum est, cum sufficientiam & perfectionem præstet. Item signa præsentis boni, maximè voluptas est. Ex vnione verò cuiusque secum ipso, omnis resultat voluptas. Ex dissolutione dolor. Vnum itaque bonum, dissolutio malum. Neque vnum idem est in rebus quod esse. Ex vno enim esse habet quod integrum sit, quod sufficiens, quod potens, quod perfectum, quod gratum, quod expetendum. Ergo quod bonum. Vnum igitur & bonum idem. Atqui & ipsum bonum prima est rerum omnium causa. Nam cum omnia ab vno principio sint, principium illud vel ipsum bonum est, vel ipso bono melius. Si bono melius, aut aliquid ex ipso in naturam rerum procedit, aut nihil, si nihil, absurdum id quidem. Non enim esset rerum principium nisi aliquid ab ipso rebus tribueretur. Sin autem à principio isto rebus datur, quemadmodum & à bono rebus ipsis datum est aliqnid, quod quidem bonitas est, erit aliquid in rebus melius bonitate à causa prima tributum. Nam si super bonum sit, ipsoque melius, meliora certe rebus muneta elargitur, quam ipsum bonum. At verò quid bonitate melius? Quippe cum melius aliquid ex eo dicatur, quod bonitatis magis est particeps. Quinetiam cum omnia bonum duntaxat cupiant, si supra bonum est aliquid, vtrum & illud appetant necne: si non appetunt, absurdum est causam primam à qua quæque seruantur, fiunt & conuertuntur, non appetere: si appetunt, non bonum maxime appetent, neque sub ratione boni cuncta perquirent. Cum verò bonum sit ad quod omnia appetendo conuertuntur, bonum erit à quo omnia procreantur: quia producit omnia, principium est: quia appetitus omnium ad se rapit, finis: quia conseruat omnia, medium. Ipsum igitur vnum ipsumque bonum principium est, mediumque & finis omnium. Quod quidem vnum dicitur, vt supereminet omnia; bonum, vt se per omnia porrigit. Vt ergo vnum est, per negationes à Platone in Parmenide inuestigatur, vt bonum est, per comparationes ab eodem in libro de Republica sexto: etsi vt bonum est, se per omnia porrigit, ipsum tamen esse, omniaque præcedit, vt Plato ibi testatur, & Dionysius Areopagita in libro de Diuinis nominibus assentitur. Nam boni ipsius vis vlterius se diffundit, quàm ipsius esse potentia. Informis enim materia, priuatioque, & fluxus esse non dicunt, esse enim est per se formam, ista forma carent: bona tamen quodammodo dicuntur quantum ad actum bonumque propter aliquam vim ipsis à bono insitam tendunt. Cum ergo ipsum bonum dicis, solum bonum intelligas, non bonum corpus, vel bonum animum, aut mentem, vitam, essentiam, bonum, bonum esse. Inquinas enim boni puritatem commixtione, minuis integritatem subiecto, excludis plenitudinem additamento. Tolle igitur bonum hoc, & tolle bonum illud, vt Augustinus de Trinitate iubet, & accipe illud bonum quod est omnis boni bonum, & scies quid est Deus, ad quem, vt Dionysius de mystica Theologia dicit, affirmando ire nequimus. Quicquid enim de eo affirmamus, mente conceptum est. Ergo proprium nobis aliquod & terminatum: ergo super omnem conceptum supereminet Deus, quid ergo non sit? inuenire possumus negando, & quo ordine agat, & alia ad illum se habeant comparando perquirimus: quid verò sit latet. Atqui quo pacto ad ipsum bonum Plato per negationes ascendat, ex superioribus patere potest: quomodo verò per comparationes, ita patebit: Quicquid ex ordine rerum pulchrum est, idem & bonum: quicquid bonum, idem quodammodo pulchrum. Nam tam pulchri quàm boni proprium est appetitum allicere. Pulchritudo quidem nihil aliud est quàm summi boni splendor, fulgens præcipuè in his rebus, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur, perque illas ad ipsum bonum, visum, auditum, mentemque conuertens. Quo fit vt pulchritudo circulus quidam diuinæ lucis existat, à bono manans, in bono residens, per bonum & ad bonum sempiterne reflexus. Hoc Plato mysterium quod à Diotima Sybilla accepit, paucis reuelauit. Quid ipsum bonum? Ipsum vnum omnium rerum principium, actus purus, actus sequentia cŭcta viuificans. Quid ipsum pulchrum? Viuificus actus è primo fonte bonorum effluens, mentem primò diuinam idearum ordine decorans, numina deinde sequentia mentesque rationum serie complens, animas tertio numerosis discursibus ornans, naturas quarto seminibus, formis, quinto materiam, sol profectò, vt in republica tradit Plato, corpora visibilia & oculos videntes procreat, oculis, vt videāt, lucidum infundit spiritū, corpora vt videātur, coloribus pingit,

Neque tamen proprius oculis radius propriiue corporibus colores ad visionem perficiendam sufficiunt, nisi lumen ipsum vnum supra multa, à quo multa & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, aduenit, illustret, excitet atque roboret. Eodem modo primus ipse actus speciem actumque rebus singulis producendo largitus est. Qui sane actus cum in subiecto patiente susceptus fuerit debilis, est & ad operis executionem impotens. Sed diuini solis perpetuè inuisibilis lux vna semper omnibus adstat, fouet, viuificat, excitat, complet & roborat. De quo diuinè Orpheus: Cuncta fouens atque ipse ferens super omnia sese. Vt est actus omnium robotatque bonum dicitur. Vt viuificat, lenit, mulcet & excitat pulchrum. Vt in obiectis quæ noscenda sunt tres illas cognoscentes animæ vires allicit, gratia, pulchritudo. Vt in cognoscente potentia, eam applicat, cognitio, veritas. Vt bonum, procreat, regit & complet. Vt pulchrum, illuminat, gratiamque infundit. Præparata autem esse oportet omnia ad gratiam diuini fulgoris excipiendam. Corpora quidem proportione, quæ ordine, modo, specie constat. Vocis harmonia, quæ numeris, interuallisque conficitur, officia morum, rectitudine ad finem bonum. Disciplinam ordine ad obiectum verum, animam puritate per auersionem ab inferis, & conuersionem ad supra mentem per æternum in ipsum bonum intuitum. Per hæc omnia gradatim diuinæ bonitatis & pulchritudinis radius penetrat, circa corpus, inæqualitate numerosa refulgens, loco motuique subiecta. Circa voces, in harmonia extra certum locum, sed motu dispersa. Circa officia disciplinasque & animam, in motu quidem sed ratione vitali consistens. Circa mentem, super motum in æterna idearum serie micans. Circa ipsum bonum, actus purus vitam & gratiam omnibus inserens.

In quo consistat humanum bonum, & de comparatione voluptatis cum sapientia inter se & ad ipsum bonum.

CAPVT VI.

QVod omnia finem aliquem expetant, & ad vltimum reducantur finem, idque sit ipsum bonum, & ipsum vnum, sitque rerum omnium principium, satis est, vt arbitror, demonstratum. Ex quo Peripateticorum contra diuum Platonem cauillationes explosæ iam sunt. Verum absolutum id bonum est omnibusque commune. Nos autem summum hominis bonum expetimus. Quod vt nobis pateat, textum Platonis aggrediemur, qui summum hominis bonum, id est, hominis felicitatem beatamque vitam in ipsius absoluti boni fruitione consistere arbitratur. Quippe cum omne quod cum conditione est, ab absoluto dependeat. Declarabitque qua in re potissimum consistat ipsius boni possessio, quam felicitatem vocamus. Porro sententiæ illorum, qui bonum nostrum ad bonum primum non referunt, vtpote vanæ reiiciendæ sunt. Qualis fuit Democriti, qui sola quiete contentus fuit, quæ lapidis felicitas est. Item Aristippi, qui voluptatem corporis sectatus est, quæ semper plurimis est inquinata contrariis, bestiisque singulis est communis. Mittenda est & Epicuri tranquillitas. Neque enim propter se ista quæritur. Sed, vt à perturbationibus liberi expeditiores simus ad supremi boni (vnde & nostrum pendet bonum adeptionem. Neque Stoicorum & Cynicorum felicitas nobis sufficit. Nam supra motalem virtutem, vtpote negotiosam & humanam, contemplatio est, pacata prorsus atque diuina. Etenim, cùm bonum nostrum nihil esse aliud possit, quàm integra pro capacitate naturæ boni ipsius primi possessio, quod verò supremum est in natura, suprema præcipuè nostri parte capere valeamus, & pars suprema sit mens: quia dux partium reliquarum mente frui præcipuè ipso bono possumus. Mens autem intelligendo fruitur, & amando. Atque idcirco, menti felicitatis assequendæ Plato tribuit facultatem. Et antequam hoc exequatur, ad tria potissimum capita sententias omnes de fœlicitate reducit. Aut enim voluptas esse dicitur, aut scientia, aut tertium aliquid, sub communi voluptatis nomine, omnes eorum sententiæ comprehenduntur, qui vel ad sensuum corporis oblectamenta, vt Aristippus, Dionysiusque, vel insuper ad animi hilaritatem, vt Eudoxus, beatitudinem retulerunt. Sub nomine verò scientiæ eorum opiniones, qui vel ad morales virtutes, vt Zenon & Antisthenes, vel tranquillitatem, vt Epicurus, vel contemplatiuas, vt Solon & Anaxagoras beatitudinem censuerunt. Tertium verò quodammodo hi sequuntur, qui vtramque nolunt ad fælicitatem esse coniuncta, quod secutus est Aristoteles, & ante ipsum Heraclitus, atque Empedocles.

Proœmium libri, in quo subiectum proponitur. Item, de sapientia, voluptate, bonis.

CAPVT VII.

CVm de summo bono vltro citroque Socrates & Philebus inuicem contulissent, essetque Philebus dicendo defessus, Protarcho nuper aduenienti gratulatus est Philebus, annuitque vt prouinciam in disputando suam susciperet. Protarchus, vtpote adolescens, statim assensus est. Ad quem conuersus Socrates; Considera, inquit, qualem tutelam suscipias, neque temerè in disputationem properes. Imò audi, vtriusque sententiam priùs, & eam quæ tibi rectâ ratione examinanti probabilior apparet, accipe defendendam. Philebus quidem summum bonum animantibus omnibus lætitiam esse dicit, voluptatemque, & delectationem, & cætera generis eiusdem, vt gaudium, &c. Ego autem non hæc, sed sapere, intelligere, meminisse, rectè opinari, ratiocinari & similia, meliora, & potiora, id est, optabiliora, & præstantiora voluptate esse dico, non omnibus animalibus, vt voluptatem iste, sed his quæ horum capacia sunt, hominibus, scilicet, & dæmonibus: nec esse horum possessionem, duntaxat per se bonam expetendamque, sed & aliis, & ad aliud aliorum omnium vtilissimam, tam præsentibus, quàm posteris omnibus. Quod ostendit ista voluptati præstare, quæ nec vtilis est habenti, nec aliis, nec in posterum. Neque dicit Socrates scientiam esse summum bonum, sed præstantiorem, meliorem, vtiliorem esse quàm voluptatem: quia & præstantiori viuenti, & potentiæ magis propria est, & meliore virtute reddit habentē, & aliis prodest magis.

Quia verò bonum & vtile dixit, meminisse oportet distinctionis illius quam in legibus Plato tradidit, vbi bonum vocat quod per se petitur, vtile quod propter bonum consequendum, necessarium, quod propter malum vitandum: primum quies, victoria secundum, bellum tertium. Quod secutus in secundo de Repub. bonum, & expetibile idem esse dicit, & quod per se expetitur tantum, bonum tantum, vt honestæ & moderatæ voluptates: quod propter se & propter aliud, bonum & vtile, vt sentire & sapere, quod propter aliud tantum, vtile, vt ægrotantem curari, exercitari, laborare & cætera. Idem in Gorgia docet, quatuor ista nomina, gaudium, lætitia, delectatio, voluptas, ita se habent, quod primum mentis in veritatis contemplatione gaudium: Secundum vel rationis, vel opinionis hilaritatem, atque lætitiam: Tertium oculorum & aurium oblectamenta delectationemque. Quartum reliquorum sensuum suauitatem, id est, voluptatem significet. Sed tam Latini quàm Græci cum disputandum est, voluptatis nomine pro qualibet iucunditate vtuntur. Quod Plato hoc libro, Aristoteles in libris de moribus, & in libris de finibus Cicero perhibet. Cum intelligere dicit Plato, contemplationem diuinorum intelligit, cum sapere humanorum prudentiam. Meminisse verò cogitationes suas conseruare est. Recta opinio vera per coniecturam probabilem existimatio est. Veri rationis discursus, inductio rationis ad scientiam conferens. Sed sub sapientiæ vel scientiæ nomine omnium istorum vim comprehendit. His positis infert omnino quod verum sit de his esse determinandum. Nihil enim magis ad bene, vel male viuendum refert, quàm de fine vitæ recte, vel non recte sentire. Ambigat forte, quispiam, cur è multis quæ bona dicuntur, duo hæc potissimum, communem scilicet voluptatem, communemque sapientiam in boni ipsius discrepatione Plato proposuit? Quia omnes animi vires ad duas præcipuas referuntur: Vnam quæ cognoscit, Alteram verò quæ appetit: Illa verum quærit: ista iucundum. Aut ergo homines ad illam vitam instituunt, aut ad istam. Si ad illam, omnia ad veritatem, velut ad finem, referunt: si ad alteram, ad id quod placet omnia. Circa veritatem verò sapientia, circa id quod delectat voluptas. Atqui quemadmodum ex vna quaque re & arte, veritas quædam excutitur, ita in omnibus illis quædam sapientia est: quamquam in rebus præcipuis, præcipua veritas, sapientia præcipua est. Vnde & sapientiæ nomen, vel scientiæ hoc in libro intrinsecam omnem cognitionem complectitur. Quemadmodum voluptas, & si proprie in corpore est, quia nomen ex vsu rerum frequentiore & communiori perceptione notius est, omnem continet hac in disputatione iucunditatem. At cur non adducitur in disputationem irascibilis virtutis obiectum? Quia vel rationis vel concupiscentiæ ministra est ad illa, quæ vel eligunt audacter, exequenda, vel abhorrent per iracundiam deuitanda. Simili de causa actiuæ vitæ nulla fit mentio, qui enim laborant agendo id contendunt, quo res suas ita disponunt, vt vel sensuum affectibus vel intelligentiæ desiderio satisfaciant. Nemo enim gratia laborandi, laborat, & mouendi mouetur. Si quis autem dixerit gubernationem actiuam ad id referri, vt tam corporeæ libidini obsequatur quàm mentis contemplationi, repugnantia miscere inuicem frustra conabitur. Quod si miscebit medium, constituet inter hæc vtrisque ineptius ad bonum, vel huius, vel alterius consequendum. Quod medium in Euthydemo deterius extremis esse conuincitur. Denique in Euthydemo probatur non in possessione, sed vsu bonorum felicitatem consistere. Vtitur autem bis anima vel cognoscendo, vel gaudendo, & cum felicitas intimum bonum sit, non ad externa, vel corporea, sed ad intimos refertur actus, cognitionem scilicet & affectum. Quin etiam cum Plato sæpè aliàs sapientiam ad cætera, quæ bona dicuntur, comparauerit, ad voluptatem verò non aliàs, merito vt bonorum comparatio ad ipsum bonum comperiendum absolueretur, hoc in libro proprie ad voluptatem, sapientiam comparauit.

Distinctio bonorum. Quomodo sapientia conferat ad felicitatem, de scientia boni, quod sit omnis virtus, efficiatque beatos.

CAPVT VIII.

SVperiorem vero comparationem intelligere si quis cupit, Clitophontem, Mennonem: Alcibiadem & inprimis librum de Legibus primum legat. Vbi horum alia humana, diuina alia ponit, humana quæ ad corpus, diuina quæ ad animum pertinent. Ex humanis primum locum tenet sanitas corporis, secundum forma, tertium vires, quartum diuitię. Ex diuinis primum prudentia, id est, sapientia, secundum, moderatus animi habitus, tertium, Iustitia, fortitudo, quartum, omnia illa humana ad diuina referri vult. Externas diuitias ad corporis cultum, corporis dotes ad mores, mores denique ad prudentiam, mentemque tanquam ad ducem. In quærendo ac boni scientia est, qua scientia felices fieri homines in Euthydemo sic disputat, dum sapientiam ad alia comparat. Felicitatem definiunt omnes, rerum consequutionem ad votum: In quacunque verò arte & studio vt rerum pro desiderio potiamur, scientia præstat. Scientia militaris victoriæ, gubernatoria, portus, medicina sanitatis consequutionem. Item beatos dicimus eos qui bona habent plurima, scilicet externa & commoda corporis, animique dotes: Neque possessione horum sola beatos, nisi vtantur dicimus, nec vsu nisi recte vtantur. Nam non sunt nobis bona, nisi prosint: non prosunt nisi vtamur, & recte vtamur. Abusus enim nocet, quare melius est carere quàm abuti. Vti autem scitè rebus omnibus scientia rerum efficit. Nam in singulis artibus his instrumentis & materia, vt decet vtitur, qui scientiam artis habet. Quapropter cum felicitas ex bonorum consequutione rectoque vsu proueniat idq; scientia boni præstet, hęc vtique ad felicitatem plurimum, imò totum valet. Item hac duce bona sunt nobis reliqua omnia. Insipientia verò duce, cuncta perniciosa, diuitię, potentiæ, sanitas, forma, robur, acumen ingenij, memoria, animi magnitudo, constans & inuictus habitus, artium omnium reliquarum & scientiarum subtilitas. Quare scientia boni bona efficit omnia, quam tribus nominibus Plato significat, Eudęmonia, Eutychia, Eupraxia. Hæc apud Platonem tria nomina sunt, beatitudo, fœlicitas, bene agere. Hæc omnia boni scientiæ competunt. Nam quia bona, malaque cognoscit, eudemonia beatitudo vocatur; quia vitat mala, consequitur commoda, eutychia id est, fœlicitas; quia commodis rectè vtitur, Eu-

pragia, id est, bona actio. Vbi patet quod scientia boni, ad summum bonum potest plurimum. Atque vt ex Protagora Platonis colligitur, scientia boni ex eo maxime ad ipsum bonum confert, quoniam ipsa omnis est virtus. Sapientia namque absoluti boni scientia est. Prudentia verò, scientia malorum, bonorumque secundorum. Iustitia scientia bonorum malorumq; distribuendorum. Fortitudo, scientia circa bona & mala adsciscendi & fugiendi. Vna ergo est virtus in qua tota ratio virtutis includitur, scientia boni, in qua omnis ad ipsum bonum facultas inest. Ista enim & bonum inspicit & ad bonum omnia dirigit, & bonum consequitur. Quæ consecutio hominis est felicitas. Etsi virtus moralis & sapientia plurimum ad bonum ipsum conferunt, neque tamen virtus moralis aut sapientia ipsum bonum est, quod in sexta de Repub. patet. Non virtus moralis, plærunque enim sufficit multis vt habere eam appareant. Bonum verò habere reuera omnes volunt. Nam sapientia, quia hæc intelligentia est. Intelligentia verò ad aliquid intelligendum fertur, in quo percepto quiescit. Aliunde igitur eius perfectio pendet. Aliunde igitur ipsius bonum. Vt autem mens Platonis nobis passim clarius innotescat, duo gradus in boni scientia ponendi sunt. Vnus quo ex omnibus quæ à bono ipso sunt, esse coniectamus aliquid omnium principium quod vnum sit & bonum, ipsumque per negationem ab omnibus aliis eximentes, quid non sit cognoscimus, & deinde per comparationes referentes ad omnia, quale sit cognoscimus: quæ cognitio vespertina dicitur à Theologis, quæ est in boni splendore. Aliter gradus, quo quid sit in seipso expedire comprehendimus, quæ cognitio matutina dicitur, in boni luce. Ille gradus scientiæ & sapientiæ, proxima est ad fœlicitatem via, Iste est ipsa fœlicitas: Etsi quando dicit Plato, sapientiam esse fœlicitatem, de gradu secundo intelligitur. Si quando negat, de primo. Intelligendum tamen aliud esse bonum absolutum, aliud nostrum, illud dicitur Deus & ipsum bonum, hoc verò felicitas, felicitas profectò non est primus sapientiæ gradus, sed secundus. Ipsum bonum neque primus gradus est, neque secundus, vt ex sexto de Repub. patet. Cum verò scientiam boni & sapientiam, vocat beatitudinem, felicitatem, bene agere, de secundo eius gradu intelligit. Nam si de primo dixerit abutitur vocabulis & beatitudinem felicitatemq; capit pro via ad eam quam proxima: Profectò per eas quas attulimus rationes in cæteris dialogis Plato scientiam ipsam, sapientiamque reliquis omnibus anteponit. Voluptatis verò comparationem in hoc dialogo peragit: Vt hac comparatione inspecta, quid vtrumque ad summum bonum conferat, quidue summum sit bonum, intelligamus. Neque accipiet hoc in dialogo in principio disputandi sapientiam pro cognitione boni duntaxat, sed communiter pro cuiuscunque veritatis scientia, sicut & voluntatem non pro certa suauitate, sed pro omni communiter iucunditate vtetur.

In quo consistat humana felicitas, scilicet in fruitione Dei, & de subiecto libri.

CAPVT IX.

IN superioribus declarauit Plato quid disputationis huius propositum sit, inuenire scilicet quid summum hominis bonum sit. Illud enim disputationis cuiusque propositum & subiectum est, cuius gratia cætera omnia inferuntur. Sed vt quid bonum sit potissimum pateat, voluptatem & sapientiam in controuersiam trahit, quod & hic patet, & sæpe in sequentibus apparebit, præsertim cum præter ista tertium insuper addet. Qua in re eorum patefactus est error, qui hunc dialogum de voluptate inscripserunt Cur non de sapientia? cum non minus de illa quam de voluptate loquatur? cur non de vita & sapientia voluptateque composita? ad quam vtraque refert. Cur non de felicitate? cum felicitatis inueniendæ gratia, (vt ipse millies repetit,) hæc omnia inuestiget. Quare cum propositum libri huius præscriptum sit, iam disputationis totius ordo est tradendus. Hæc duodecim in partes distribuitur. In prima parte quod tractandum est proponit, quam iam supra exposuimus: quid scilicet bonum hominis sit, & vtrum ad id conferat magis sapientia, an voluptas? In secunda parte Plato monet vitæ voluptuosæ, necnon sapientis conditionem, vt videatur vtra magis ad felicitatem conducat. Videndumque vtrum tertius aliquis vitæ status appareat vtrisque melior, & ad felicitatem potior, qui si apparuerit, considerandum vtra illarum sit istius perfectioni cognatior, voluptas ne an sapientia? vt non solum quid sit felicitas, sed quæ via ad illam commodior cognoscamus, vbi tentabit voluptatem sapientiamque ad comparationem faciendam diuidere. In tertia parte docebit qua conretione sit disputandum, nam ante definienda esse, & diuidenda quæque monstrabit, quàm inter se comparentur, & qua ratione id fieri debeat, demonstrabit. In quarta, quæ sint boni ipsius conditiones describet: Nam tertium cognoscat oportet, qui ad illud duo quædam sit comparaturus. Vbi Plato neutrum summum esse bonum ostendit. Quæ comparatio negatiua est, ad quam communi quadam extremorum perceptione sufficit cognitio tertij. Ad affirmatiuam enim extremorum quoque distincta cognitio necessaria. Ideo antequam comparationem affirmatiuam absoluat, in qua iudicandum est, postquam neutra ipsum est bonum, vtra saltem ipsi sit propinquior, quid vtraque sit perscrutatur: Et quintam aggreditur partem in qua inuestigat vtriusque genus. Nam primo genus ad definitionem accipiendum est, addenda propemodum differentia. Qua in parte duo quædam genera rerum, quæ post Deum per omnia penetrat aperit, finitum & infinitum, ex quibus mixtum ostendit & mixtionis causam præsagit. In sexta, quia per illa genera scintilla quædam cognitionis accensa est, comparationem inchoat. In septima causam mixtionis illius explicat latius, deque mundi anima & prouidentia differit, vbi planius comparationem exequitur. In octaua principiis iam patefactis generibusque, differentias inuestigat, vbi in quo voluptas dolorque consistant, indagat, quæ proprie ex passione nascuntur, quotque partes habeant. In nona in quo proprie consistit scientia, eamque partitur, vbi comparationem iam expedit, quod scilicet tertia quædam vita sapientiæ præest, sapientia voluptati. Decima in parte docet, quo pacto hæc duo inuicem misceantur, quodue incomposito huiuscemodi nostrum est bonum. In vndecima vero inquirit, quid insit in eo composito, quidue præsit, cuius ratione felicitas sit. Vbi & bonum nostrum & bo-

num absolutum emicat. In XII. tandem postquam ad supremum bonum sensim gradatimque conscenderat, subito gradus omnes bonorum à supremo ad infimum numerat, felicemque figurat hominem atque ibi libri huius est finis.

Dispositio verborum textus, & de vita felici, & Venere, & de reuerentia deorum.

CAPVT X.

CÆterum vt ad secundam veniamus partem, conuersus ad Protarchum Socrates ait, si voluptatem tu, & ego sapientiam extollere volumus, optima hæc est ratio, vt & tu affectionem quandam animi, & ego habitum inducamus, quo maxime felix quisque reddatur, & tu quidem affectionem eam voluptatis esse dicas, ego sapientiæ habitum illum tribuam. Neque tamen vsque adeo pertinaces esse in disputando debemus, vt si quis tertius status vtrisque præstantior appareurit, eum reiiciamus: sed vtrosque illi fauere decet, & illo tanquam potiori posito, vtra cognatior illi sit inuestigare, sapientiane an voluptas. Cum enim quælibet eatenus bona sint, quatenus conducunt ad finem, considerandum est quæ animi dispositio omnino ad hunc conducat, deinde videre vtrum ad illam attineat sapientiane an voluptas: etsi appareat neutram dispositionem sufficere ad finem, quærenda est tertia ad quam conferas vtrumque & concludas melius, quod similius, sicut antea concludebas, omnino bonum quod omnino conducat. Certe si qua vita perfectior reperitur, quicquid est in voluptate vel sapientia boni ipsa in se & stabilius insuper continet, vnumquodque enim in re meliore stabilius quàm in deteriori permanet. Vnde ab ea vita longe & voluptas tua & mea sapientia superatur. Sed videndum erit vtra istarum sit illius perfectioni cognatior. Si voluptas, superabit sapientiam. Si sapientia, voluptatem superabit. Omnia namque minora bona secundum maioris normam inuicem comparantur. Tertiam verò hanc vitam, & perfectiorem eam in sequentibus esse diceret, quę iungit mirabili quodam modo cum sapientia voluptatem, qua copulatione tota vita integrior est. Quinetiam voluptas firmior, cum ex re firma, & optima moderatione sumatur, & sapientiæ quoque contemplatio assidua magis, quod enim cum delectatione fit, diutius agitur. Verum cum hoc in dialogo Socrates sit voluptati derogaturus, Philebus autem voluptatem Venerem appellauerit, Socrates in primis nomen deæ veritus, vt hominem pium decet, expiare se properat. Expiatio est sanctitatis abolitæ restitutio. Sanctitas diuinorum cultus est, vt in Euthydemo, peccauerat autem in Dei nomen. Purgat ergo se coram Protarcho, vt coram hominibus aliis eum excusset, prædicitque illis venerari se & deam & deæ nomen, atque ita se contremiscere in diuinorum nominum vsu ne quid peccet, vt nullus sit hominum pauor, ex aliis quibuscunque rebus horrendis concitus, huic horrori similis, sed maxime cuiuscunque trepidationis, hunc extremum id est, vltra quem metui vehementius nihil possit, & eo nomine vocare illam paratum se esse quod magis illi placeat, si modo vera illius audierit nomina, vt vel Cyprogeneam, vel Cithaream, vel Philomidiam. In præsentia verò diffidere se voluptatem nomen illius esse, quia Venus vtpote dea est simplex, voluptas autem variam rem multiplicemque significat non deam Venerem, vt Philebus iunior adhuc, & Eudoxi & Aristippi sectator volebat: quos Lucretius Philosophus Epicureus imitatus inquit: Eneadum genetrix, hominumdiuumque voluptas, Alma Venus cœli subter Labentia signa. Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes, concelebras: per te quoniam genus omne animantum concipitur, visitque exortum lumina solis.

De Venere atquè diis, de nominibus deorum & reuerentia circa illa.

CAPVT XI.

HIc tria quærenda sunt, quod numen apud Platonem sit Venus? vnde ortus eorum error cui Venerem voluptatem cognominarunt? cur deorum nominibus reuerentia sit habenda? Orpheus profecto, cuius Theologiam secutus est Plato, cœlum quem plerique cœlium vocat, in libro hymnorum genitorem omnium vocat, principium & finem omnium. Hunc forsan & Plato primum Deum esse vult, non cœlum, hoc quod cernitur oculis natura genitum esse disputat in Timæo, sed primum cœli omniumque principium: circa quem regem in Epistolis ait esse omnia, cuiusque gratia omnia, & ipsum bonorum omnium causam esse, & in Republica hunc mundi superioris solem vocauit. Huius filium Saturnum asserit, mentem quandam diuinam, statim à Deo genitam: quam Dei patris rationem seu verbum vocant. Hanc mentem in Timæo mundi opificem patremque deorum nominat Plato: & in libro de Regno: χρόνον, id est, Saturnum, regem ciuitatis æternæ, conuersorem animorum, resurrectionis omnium auctorem. In quarto Legum hūc continere dixit principium, & finem & media omnia rerum, rectitudine disponere singula secundum naturam circumeuntem. In Protagora quoque clementem diuinarum humanarumque legum datorem hunc esse dicit: in Epistolis patrem ac dominum. Ex hac diuina mente vniuersæ mundi machinæ viuens quidam spiritus est tributus: qui vere super aquas fertur, id est, super fluxam mundi materiam, hanc mundi animam nominat in Timæo. In sexto de Repub. necessitatem. In libro de Regno, fatū. In Legibus, legem syderum ac vitam mundi rationalem. In Epistolis rerum præteritarum, præsentium & futurarum ducem. In Phædro Iouem ducem: qui alatum in cœlo citet currum. In hoc libro dicit, hanc mundi animam, mentem esse, & sapientiam omnium gubernatricem, cœli terręque reginam, esseque Iouem: in quo regius intellectus, & regia insit anima. In hoc vtique tres vires considerantur: vna qua ipsi bono primo rerum principio semper inhæret, altera qua diuinæ mentis pulchritudinem intuetur: tertia qua rerum formas explicat in materia. Prima Iupiter dicitur, Secunda cœlestis Venus, Tertia Venus inferior. Ideoque in Symposio Plato duas inducit Veneres geminorum matres amorum: vnam cœli filiam sine matre natam, alteram ex Ioue genitam atque Dione. Ex illa generosos amores nasci: ex ista vulgares. Ratio siquidem ipsius animæ ad mentis diuinæ decorem conuersa, intuetur eam veneraturque & in ipsa admodum delectatur. Conuersio quidem agnitioque cœlestis Venus dicitur, Veneratio vero

amor diuinus, delectatio supremum gaudium, veraque voluptas. Vnde cœlestem Venerem & amor & voluptas similis comitatur. Quinetiam vis animæ istius quæ ad corpora mouenda porrigitur, speciosas rerum formas in mundi materia exprimere concupiscit: quare sicut pars illa ad pulchritudinem diuinarum specierum contemplandam nititur, ita hæc ad pulchritudinem corporalium formarum gignendam, ad superiorum exemplar se confert. Quapropter & hæc pars animæ Venus est dicta. Eius nixus ad gignendum amor, quies, in generationis expletione voluptas. Geminam itaque habes Venerem, amorem geminum, geminam voluptatem. Superior Venus quia ad materiam minime respicit, ideo fine matre esse dicitur à Platone. Venus inferior ex Ioue, id est, superiori ipsius animæ parte, quam Iouem diximus pendet, ex matre quoque Diana quia respicit in materiam. Ideo in hominibus amores duo sunt, voluptates duę, duæ quoque generationes, partim ad diuinam speciem, partim ad corpoream formam. Quod autem de Venere in Theogonia tractat Hesiodus cum dicit Saturnum castrasse cœlum, testiculosque in mare iecisse, ex quibus & spuma agitata nata sit Venus. Intelligendum est forte de fœcunditate rerum omnium procreandarum, quæ in primo rerum latet principio, quam diuina mens haurit, explicatque in se ipsa primum, deinde in animam materiamque effundit, quod mare dicitur propter motum ac tempus & generationis humorem. Anima cum primum ea fœcunditate referta est, per conuersionem ad supra intelligibilem in seipsa procreat pulchritudinem, & per conuersionem ad infra, sensibilium formarum in materia gignit decorem. Eiusmodi vero conuersione ad pulchritudinem eiusque generatione anima ipsa Venus est nuncupata. Et quia in omni tam aspectu quàm generatione pulchritudinis voluptas inserta est, & omnis generatio ab anima est, quæ Venus dicitur: plærique Venerem voluptatem ipsam esse existimauerunt. Item voluptas & in considerando actionem reddit quasi perpetuam, & in nutritione conseruat diu indiuiduum, & in generatione speciem facit sempiternam, & transformat amantem in amatum, & omnia procreat in arte & natura. Hæc diuina opera sunt, ideo appellatur dea: adde quia omnia appetunt illam quasi finem, ergo vt principium: & in ea se conuertere student. Ob hæc nominant eam deam: Venerem vero, quia comes est veneris. Socrates vero cum esset voluptatem impugnaturus, Veneris nomen veritus est: neque voluit deæ ipsius voluptatem nomen esse. Nomen sane, vt à Platone describitur in Cratylo, rei ipsius vis quædam est mente concepta primum, voce deinde expressa, literis demum significata. Rei autem diuinę diuina quoque vis est, quare Dei nomina, cum illis diuina vis insit, venerari debemus, multo etiam magis quàm delubra statuasque deorum. Expressior enim imago Dei in mentis artificio quam manuum operibus reseruatur. Nomina vero dei prima & synceriſsima in Cratylo apud mentes numinum cœlestium esse vult, A quibus expressius Deus concipitur: Secunda in dæmonibus: In animis hominum tertia. Et à priscis viris sanctissimis, fuisse prolata, siue Deo raptis, seu lumine mentis instructis. Dei itaque nomina tanquam imagines & radij ipsius Dei sunt, per cœlicolas, heroas, animos hominum penetrantes. Quisquis autem solem admiratur, veneratur & solis lumen ita & Deum colere oportet & dei radios: vires, imagines in nominum significatione latentes. Ideo in Phædro Socratem inducit Plato, eum in amorem Dei nomen peccasset, correptum à dæmone. Et in XI. Legum, eos qui mendaciis & periuriis nomina deorum inquinant, sacrilegos haberi vult, & à quolibet impune verberibus cædi: & siquis potens non punierit, legum, vt ipse iubet, proditor habeatur. In Parmenide quoque eum omnia ad vnum Deum comparet, nomina illius spernenda non censuit. Quod miratus Dionysius Areopagita, omnia Theologiæ mysteria in diuinis nominibus exquisiuit. Origenes in libro contra Celsum dicit, quibusdam nominibus sacris inesse mirificam virtutem, quæ mutatis nominibus non inesset. Ideo illa non esse mutanda. Hinc Hebræi in nomine tetragrammaton miraculosam ponebant virtutem. Paulus, dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Virgilius, quam te memorem virgo? Homerus aliter apud superos, aliter apud nos multa dicit nominata. Paulus, viuus est sermo Dei. De his etiam Plotinus, & Proclus: Paulus, quanto differentius præ illis nomen hęreditauit.

Esse viuam in nominibus virtutem, præsertim diuinis.

CAPVT XII.

Non absque magno mysterio Paulus diuino sermoni omnes viuentis actus tribuit penetrare spiritum & animam & corpus, discernere cogitationes & affectus: videre omnia & audire. Quasi Deus ipse ita sit in verbis suis, etiam per Prophetas prolatis, sicut mentis actes inconceptione nominis etiam præter mentem in ipsa imaginatione prolati. Attende vim rei naturalis per sensus ad imaginationem, per hanc ad mentem peruenire. Qua concipitur, nominque includitur quasi vita & intelligentia corpori. Vim vero diuinam per mentes superiores ad nostram, Qua concipitur similiterque nominaturnomine viuo, & tanto magis viuo quàm nomina corporum, quanto potentior à superioribus in nos prouenit motus. In nos, inquam, cum Deo similiores euadimus, id est, quando mentem ab inferioribus seuocamus. Tanta verò diuinitatis virtus his seruatur nominibus: vt etiam viri à Deo remotiores atque malefici his nominibus mirabilia operentur. Denique, si fas esset, commemorarem quanta vis insit quinque sacramenti verbis. Mitto Hæresim, fingentem Ioannem in Christum fuisse conuersum, illis videlicet verbis, mulier ecce filius tuus, & tu ecce mater tua. Per hæc confirmatur opinio, multa nomina ab ipsa rerum proprietate inuenta fuisse. Cur omnes Deum quatuor vocāt literis? Hebræi quatuor vocalibus hæ ho'hai, Ægyptij Theuth, Persæ Syre, Magi Orsi, vnde Oromasis. Græci Theos. Nos Deus. Arabes alla; Mahometh abgdi. Nos item Iesu à Gabriele accepimus, in quo nomine &c. Certè non aliter tam diuersæ Gentes in vno ignoti Dei nomine conuenissent, nisi diuinitus. Ac si acceperunt ab Adamo, diuinitus hoc potius quam alia acceperunt. Tradunt Hebræi in nomine illo omnia fieri posse miracula, si vere pronuntietur, quod omnium difficillimum & miraculo solo pronuntiatur. Deum puto adeo difficile instituisse, vt nemo pronunciaret, miraculaque per ipsum faceret, nisi Deus per ipsum quasi per tubā clamaret. Quod ostendit Iesum Deo fuisse omnium acceptissimum:

quem fatentur Iudęi per id nomen rectè pronunciatum fecisse miracula. Ipsi verò per Heloin pronunciant. Graeci per Tettagrammaton. Deus omnia disponit, scilicet per essentiam esse vim, actionem. Cœlestia, per quatuor triplicitates. Sub cœlum, per quatuor elementa. Sic quatuor voluit literis exprimi.

Vtrum fœlicitas sit in voluptate, an scientia, aut potius in quodam tertio. Item de genere, speciebusque, tum voluptatis, tum scientiæ.

CAPVT XIII.

QVoniam cupit Socrates bonum ipsum cognoscere, voluptatem & scientiam, quę maxima inter homines bona existimantur in disceptationem ttaxit, vt his inter se comparatis, vtrum horum melius sit eluceret, & nunquid istorum alterum ipsum bonum sit, vel vtrumque vel tertium? Ad hanc vero comparationem, iudicium que necesse est ante vtriusque illorum haberę scientiam. Sed vtrumq; genus aliquod est, multas sub se species, & singula sub speciebus continens infinita, quare necesse est vtrumque in species suas diuidere: vt vtrumque scientia comprehendatur. Nam vt in Sophista & in lib. de Regno docet Plato: Quisquis aliquod genus rerum perfectè est cogniturus, neque in ipsa communi generis n otione quiescere debet, neque per singula infinita vagari. Scientia siquidem perfecta est & certa cuiusque comprehensio. Sed in genere quolibet vis quædam communis & potentia ad species multas latet: & qui te ivim ignorat, rem ipsam haud perfectè comprehendit. Vim ergo generis teneat oportet, qui generis scientiam sit professurus. Vis autem seu per actionem ad aliquid dandum: siue per passionem ad accipiendum tendat, ad effectum denique nonnullum peruenit. Vis autem generis & potentia per differentias ad species terminatur. Differentias ergo & species teneat opus est, qui generis fœcundam & effectum fœcunditatis ipsius sit cogniturus. Cognitis autem speciebus vagari per singula, irritum opus est: nam cum infinita sint, dinumerari non possunt, & quia singulis momentis mutantur, nulla de his firma est in animo certaque comprehensio. Quisquis ergo aliquid rerum cognoscere cupit, neque resistat in genere, neque per singula in infinitum pererret: sed communi generis habita notione, distinctam eius & absolutam in speciebus ipsius quærat intelligentiam, in quibus tota vis generis adimpletur. Nihil enim singula speciebus addunt, quod vim generis augeat. Sed quæcunque singulis propria sunt, extraneæ quædam passiones sunt, & à specie substantia penitus alienæ. Quare & species voluptatis, scientiæque inuestigandæ sunt: cum genera quædam sint vtraque. Si quis vero admiretur, quod Plato diuisionem istorum tentet priusquam definitionem intelligat, ante omnem rei partitionem, naturalem quandam & vulgarem ipsius rei haberi descriptionem, quę posita vt definitio distinctior & certior comprehendatur, diuisio communis conceptionis in ptoprias quæritur. Ideo cum quid nomine voluptatis & scientiæ significatur, omnes intelligant, scilicet veritatis cognitio, & iucunditas vitæ, ex hac communi descriptione inuestigant quot modis compatari illa, & hæc percipi possit. Vbi diuidunt, quo inuento & communis generis vim omnem perfectè comprehendunt, & singularum partium, id est, specierum rationem tenent. Ideo Plato ex communi descriptione omnibus nota, diuidendum monet, ex hac diuisione definiendum, deni que ex definitione diuisionem distinctius iudicandam, & rei vim & qualitatem certius demonstrandam. A voluptate autem generę incipit Socrates quæ notius est quàm scientię genus. Atque ita ferme voluptatem esse genus ostendit: Genus esse id omnes putant quod de speciebus pluribus in eo quod quid est prædicatur: Voluptas autem de pluribus dicitur speciebus. Vna enim quædam videtur esse voluptatis natura, vt scilicet ea præsente quis delectetur, & propter hanc naturam vnam, vnum quoddam voluptas dicitur. Dici quoque debet & multa, quia formas, id est, species sub se varias & dissimiles continet. Nam delectari, quod ptoprie ex voluptate est, multis contingit modis, diuersisque ex rebus. Delectari dicimus intemperantem hominem lasciuia quadam, Temperantem, sobrietate. Delectari insanum, leui quadam spe temerariisque opinionibus: prudentem consulta spe, & matura sententia. Atque has quatuor species voluptatum si quis differentes & dissimiles esse negauerit, proculdubio delirabit. Quid enim aliud delectationes istæ sunt nisi vel motus quidam vel affectiones aliquæ animorum vel corporum? Motus autem affectionesque in hominibus dissimilitet affectis ex dissimilibus occasionibus ad effectus terminosque dissimiles, dissimiles certe inter se, & ipsi sunt. Huic autem Socratis rationi haud statim consensit Protarchus, sed intulit: Voluptates istæ, ó Socrates, quamquam contrariis à rebus proficiscuntur, non tamen inuicem ipsæ contrariæ. Nam qua voluptates sunt, inter se omnium simillimæ sunt. Contra eum ita Socrates: Si ex hoc voluptatis species dissimiles esse negaueris: quia vnaqueq; voluptas sit, in quolibet itidem alio genere species sub eo dissimiles negabis esse, cum generis cuiusq; natura in speciebus suis reperiatur. Dices itaq; album & nigrum simillima inuicem, quia color vtrumque sit, cum tamen non dissimilia tantum ista sunt: sed contraria. Quia maxime inter se sub coloris genere distant. Profecto a bus color & glaucus similes: albus autem & rubeus dissimiles, albus & niger contrarij. Nam qualitas quæque ad propinquam similis, ad remotiorem dissimilis, ad remotissimam vero contraria. Quod in saporibus, vocibus quodammodo & odotibus: & his quæ ad tactum pertinent intueri licet. Quinetiam in figuræ ipsius genere species inter se dissimiles & quodammodo contratiæ insunt. Nam triangulus quadrangulo satis similis, pentagono dissimilior, circulo fermè contrarius. Quamuis in omnibus his speciebus vnum figuræ genus sit inclusum, nihil tamen prohibet, quo minus dissimiles figuræ sint. Nam in quolibet genere eo ipso quod species sub eo sunt oppositas differentias, diuisum in eas genus sit oportet, ex quo & differentia, fuerit species constituta. Sicut locum superiorem & inferiorem contraria dicimus, non propter dimensiones, sed virtutes contrarias in illis constitutas, ita figuram cubicam id est, sex facierum contrariam dicimus pyramidi, secundum Pythagoticos, propterea quòd cubicam pyramidem igni propriam esse putant. Color quidem inest albo, sed lucidus color: Inest & nigro, sed opacus: inest animal homini, sed rationale: inest bruto, sed rationis expers. Quoad genus in seipso vnum, & simplex manet, & sibi vndique simile nulla nascitur species: vnde neque est genus. Cùm primum multę

nascuntur species, quod vnum in se erat genus, , variis significatur iam esse distinctum. Cumque ex partitione generis per differentias, species constituantur, quamcumque speciem generis præcedit partitio, limitatioque per differentias, quæ sicut in materia potentia, latebant in genere: in actum verò reducuntur ad speciem fabricandam. Iam igitur differens & proprium factum est genus, cùm species oritur, vnde differunt in genere species, quia sub alià, & alià sui proprietate iam in actum exeunte, aliis & aliis competit speciebus, quibus substantialibus differentiis inter se species distinguuntur. Quapropter obiectio illa Protarchi futilis est, neque illi est credendum, quia per omnia alia genera eadem ratio repetita. Vnum omnino quodcumque sub genere est, esse concludet: neque in aliquo genere vlla erunt contraria, neque oppositæ differentiæ. Ergo neque species. Quare nec in rebus genus vllum reperietur. Ratio Protarchi erat hæc. Species sub eodem genere sunt, ergo dissimiles non sunt. Huic nos addemus, ergo species inuicem per differentias non distinguuntur. Solum ergo genus exclusa omni differentia in speciebus reperietur. Genus autem sine differentiis vnum est. Vnum igitur erunt omnia quæ in genere. Ergo & contrariæ qualitates quę in eodem sunt genere idem erunt omnino. Huic argumentationi, quā confirmat Socrates, voluptatis genus dissimiles sub se species continere, addit ipse idem vlterius, metuere se ne forte voluptates quædam non modo dissimiles, sed contrariæ sibi innicem reperiantur: puta voluptas quæ in repletione percipitur ad eam quæ in euacuatione prouenit: Voluptas quæ ex calore ad eam, quæ ex frigore: Quæ ex motu ad eam quæ ex quiete: Quæ ex contemplatione ad eam quæ ex coitu, Tales enim sunt motus quales termini ad quos, qualia subiecta in quibus, quales affectiones ex quibus exeunt. Atque voluptates quas narrauimus circa contraria ista versantur, & ex oppositis appetitibus, & sese impediunt fugantque, neque inuicem congredi possunt, quæ contrariorum opera sunt. Protarchus ad hæc vtpote adolescetulus parum respondet cautè. Quippe cum dixisset Socrates, metuere se ne etiam contrarię quędam inter se voluptates reperirentur, forte respondit. At hoc opinioni meæ quomodo aduersabitur. Quasi nimis confideret: Vnde Socrates subito quodam & inopinato impetu voluptatem effulminat: at statim ad propositam diuisionem reuertitur. Inquit enim, concessio ista quod voluptates quædam inter se contrariæ sunt nihil ad id nocet quod ais voluptatum licet dissimilibus in rebus voluptates existere, nulla enim ratio prohibet, quin omnes species voluptatis voluptates sint, sed ad illud officit, quod volebas omnes voluptates bonas esse. Nos enim plærasque malas asserimus, cum multæ inuicem dissimiles sint. Tu autem fateri cogetis nonnullas & dissimiles & contrarias esse, & tamen bonas omnes appellare non dubitas. Quid ergo commune & idem in omnibus reperis voluptatibus tam bonis illis, quas esse malas constat, cuius participatione bonas omnes prædicas, quasi dicant. commune aliquid reperimus in omnibus voluptatibus, voluptatis naturam. Videmus autem aliquas esse malas, eas scilicet quæ bonis contrariæ sunt. Id autem contra illam positionem est, qua ponebas eandem esse voluptatis bonique naturam, si enim ita esset, vt communis est voluptatis omnibus voluptatibus. Vnde omnes sunt voluptates ita & boni natura omnibus esset communis. Vnde omnes essent bonę, non sunt autem omnes bonę, ergo non omnibus natura boni communis, & tamen voluptatis natura omnibus est communis. Ergo non eadem boni voluptatisque natura, non ergo voluptas ipsum est bonum, esset enim in ea tota ratio boni. Sanum per analogiam prædicatur, primo de firma habitudine: secundo de his quæ ad eam conferunt, tertio de signis quæ referunt. Potest etiam prædicari de perspicacia sensuum quę confert & refert. Similiter humanum bonum per analogiam. Primo de felicitate, secundo de moribus ad eam conducentibus, Tertio de voluptate eam repræsentante, Quarto non quidem gradu, sed modo de scientia & referente & conferente. Certe quæcunq; imo quodam nomine vere denominantur vna quadam in natura conueniunt, vt omnes delectationes communi nomine voluptatis appellas, quia omnibus conuenit voluptatis vnius affectus. Sin autem voluptas ipsum bonum esset, eadem esset & boni voluptatisque ratio. Vbicunque igitur ratio voluptatis, ibi & ratio boni inuenietur, voluptatis autem ratio omnibus voluptatis speciebus conuenit, quare & boni. Vnde & bonæ essent omnes: bonæ tandem omnes esse non possunt, cum plæraque dissimiles & contrariæ sint. Bonum vere bono neque contrarium est neque dissimile, natura quidem boni est conseruare & appetere, contrarij verò perimere atque fugare. Nullum bonum alterum bonum perdit & fugat, imo superius bonum, bonum inferius seruat & perficit. Inferius autem superius expetit. Quatenus autem vnum quod bonum dicitur, aliud bonum perderet, catenus malum esset, siquidem malum est priuatio boni. Si priuatio boni est malum, malum est & id quod bonum destruit. Neque dissimilia bona sunt inuicem, imo similia potius cum similium propriū sit sese conseruare, sese mutuo libérer adsciscere. Omnis autem conseruatio à bono est bona, & est ad bonum. Appetitio quoque omnis quæ à bono excitatur in bonum vergit. Cum igitur bona inuicem contraria & dissimilia non sint, Voluptates autem multę inuicem dissimiles atq; contrariæ, non omnes voluptates bonæ, imò malæ complurimæ, quæ bonis scilicet dissimiles sunt & contrariæ, non ergo voluptas ipsum est bonum.

Voluptates inter se dissimiles sunt, alioquin sequentur impossibilia. Item de differentia specierum sub genere.

CAPVT XIIII.

Rationem Socratis, qua volupta s prosternitur, Protarchus nequaquam admittit, sed ait illam se diuisionem reiicere qua asseritur voluptates, partim bonas esse, partim malas, ne cogatur, fateri voluptatem bonum ipsum non esse. Ad quem Socrates: At non potest partitionem hanc spernere, si admiseris voluptates inter se dissimiles & contrarias esse. Tum ille, hanc equidem non admitto. Neq; enim dissimiles & contrarię sunt, qua voluptates sunt. At hoc refutat Socrates: quasi vt vitemus dissimilitudinem contrarietatemque voluptatum, dixerimus non ex eo esse dissimiles quod voluptates sunt, dicemus etiam non differre quantum sunt volnptates, quæ vero non differunt, vnum sunt omnino, non multę igitur voluptates erunt, neq; voluptas igitur genus erit, ne,

que poterunt multi simul affici voluptaté, preſertim diuerſis ex rebus, ſeu vna duntaxat voluptas proueniet.

Hæc vero abſurda sũt omnia. Profecto voluptates non differunt, vt voluptates, ſic autem non ſunt ſpecies, neque voluprates, ſed voluprates ſcilicet ipſum genus. Nos autem de ſpeciebus quærimus non de genere. Vt autem voluprates ſunt, ſic ſpecies ſunt: & ſic etiam differunt. Præſupponunt enim genus iam per differentias eſſe diuiſum, & ſub alia & alia ratione illis incluſum. Differunt ergo in genere ſpecies, quoniam non ante accipiunt genus quam diuiſum fuerit. Differt genus in ſpeciebus quoniam ſub alia & alia ſui ratione illis competit. Differunt inter ſe per differentias, quæ ſpecies acta conſtituunt. Qui igitur differre ſpecies negat, ex eo quod idem in ſe genus babeant, negat genus illud eſſe in eis per differentias diuiſum. Tollit igitur ſpecies, genus relinquit ſolum, vnum igitur erit quodcunque. Quid ergo dicendum, quod ſpecies & conueniunt ſimul, & differunt: conueniunt quidem quantum vna quædam communis natura generis ſe illis communicat: differunt vero quantum ante quàm illis ſeſe communicet per differentias quæ in eo potentia ſunt exeuntes in actum iam diſtinctum eſt: & ſub alio ſui charactere aliis & aliis imprimitur ſpeciebus. Neq; enim omnino extrinſecus differentiæ ſed ex generis ipſius quaſi viſceribus educuntur. Exempla vero in ſuperioribus poſira, nihil perſuadebunt: quæ tamen vera eſſe conceſſa ſunt. Idque nobis eueniet, quod euenire ſolet hominibus ignauiſſimis & ad diſſerendum minime conſuetis: Solent enim ex vno errore in multos incidere, neque ſibi conſtare, neque veritatem ſequi, ſed inſequi diſputantem. Ego enim te, inquit Socrates, ſi imitari voluero, quod & tu in voluptate facis, potero & in cæteris omnibus generibus facere. In ſubſtantia enim qua ſubſtanriæ ſunt, nullas eius ſpecies inter ſe differre dicam. In quantitare ſimiliter, qualitate, relatione, actione & paſſione ac reliquis, atque ita ſupremum cuius generis nihilo ab infimo differret, neque qualitas à qualitate, quanquam multæ contrariæ ſunt ſeque inuicem fugant. Neque etiam genus vnum ab alio quantum vtraque ſunt differre dicam. Neque in rerum ordine ſupremum ab infimo quantum vtrumque aliquid eiuſdem ordinis eſſe dicitur. Atque ita omnia vnum erunt, & diſſimillimum quodq; diſſimillimo cuique idem erit atque ſimillimum. Et ſi qua duo inter ſe diſſimillima omnium eſſe dicantur, illa quoque ſimillima inuicem, tua illa ratione, eſſe monſtrabo. Nempe ſicut vnum alteri diſſimillimum eſt, ita & alterum vni eſt diſſimillimum. In eo igitur quod diſſimillima ſunt, non differunt: æque enim ſunt diſſimillima. Quæ nihilo differunt ſimilia ſunt. Quare diſſimillima quæque inuicem ſunt ſimilia. Ego igitur, inquit Socrates, ſi aſſerere hoc audebo quod diſſimilia, ſimilia ſunt, id eſt, ſi voluero per inutiles cauillationes iſtas vagari in omnibus rerum generibus idem quod & tu in voluptate efficiam, ex quo diſcurſu ſequetur diſſimillimum quodque diſſimillimo, vbique eſſe ſimillimum. Quæ quidem puerilis & inutilis inquiſitio nos ridiculos reddet, ſermonemque poſitum è medio tollet. Nam ſi in hoc ſuperſtitioſius immorabimur, quæſtio propoſita minime abſoluetur. Poſt hæc ad ſcientias ſe conuertit, dicens rurſus propoſitorum generum partitionem eſſe tentandam, & ſuperiorem orationem reuocandam eſſe, quod ſi viciſſitudine quadam fiat & in eaſdem anſas redeatur, ita vt ipſe rurſus eandem vicem ſubeat, quam ſupra Prorarchus, commodius fore ſibi inuicem conceſſuros, ait. Penè enim, inquit, me interrogatum ita abs te Protarche: Nonne ſapientia, ſcientia, mens; ô Socrates, & alia quæ ſupra dixiſti eſſe bona, interrogatus quid ipſum eſſet bonum, idem patientur quod & voluptas, Multæ ſiquidem ſcientiæ videbuntur eſſe, & aliquæ inter ſe diſſimiles. Ego aurem ſi ita rogatus ſuſpicarer, ne forte & aliquæ ſcientiæ contrariæ apparerent, vtique id declinarem, negarem protinus ſcientiam aliquam alicui diſſimilem eſſe, an præſenti diſputatione diguus eſſem? Nempe ſi tu ita circa voluptatem egeris, arque ego itidem circa ſcientiam. Neque tu in ſpecies diuidi per proprias differentias voluptatis genus permittes, neque ego ſcientiæ. Neutrum itaque perfecta & certa ſcientia comprehendetur. Quare nec inuicem vel ad aliud comparari poterunt, neque intelligi bonum ne ſit eorum alterum vel vtrumque vel aliud, vel quid eorum ſit melius: quapropter ludemus operam, & noſtra hæc oratio euaneſcet, cum propter pertinaciam vera ratio minime audiatur, & vt prouerbio fertur, fabula diſperdetur cum verba fiant mortuo. Nos aurem ſoſpites euadamus quoad rationis defectum: quia cum non poſſit intelligi, quid ex illis melius ſit, neuter erit conuictus. Id aurem defectu rationis eueniet. Nam ex eo quod nec ratiocinari ſcimus ob imperitiam, neque rationes ob pertinaciam auſcultamus. Neque tamen id tolerandum eſt, vt ſoſpites quidem nos, & integri, & incolumes euadamus, ita eſt cogitandum, vt & ratio ſimul nobiſcum & diſputatio propoſita integra conſeruetur. Nugis itaque huiuſmodi prætermiſſis, par iſtud in tua ac mea oratione ponendum ratumque habendum, vt multæ ſint, & diſſimiles voluptates: Multæ quoque differentesque ſcientiæ, contrariæ tamen ſcientiæ nullæ ſunt. Siquæ enim tales eſſent, maxime contrariorum ſcientiæ contrariæ forent, quod quidem falſum eſt. In eodem enim animo ſunt, eodem in tempore, imo oppoſitorum eadem eſt fermè diſciplina. Ergo ne differentias tui, meique boni abſcondamus Protarche, ſed in medium adducamus, vt ex recta redargutione comperiatur, vtrum voluptas ipſum bonum ſit, vel ſapientia, vel tertium aliquid. Non enim opiniones noſtras pertinaciter deſendere, mordicuſque tenere debemus: Sed veritatem inueſtigare. Peſſima namque deceptio eſt, vt in Cratylo ſcribit Plato, qua quis ſeipſum decipit, nam deceptor nunquam deceptum deſerit. Decipit autem ſe qui falſa ſibi pro veris temerè perſuadet. Quam pertinaciam diſputandi deceptionemque in Gorgia atque Phædone acerrime deteſtatur. Et in ſexto de Republica cum amicum ſuum Homerum damnaret, ait, virum non eſſe veritati anteponendum. Quod & in Epiſtolis obſeruans ait: Verum dicere nec formidabo, nec erubeſcam. Veritas enim vt in legibus ait, ſolidum eſt bonum. Et aliàs inquit, nihil eſſe ſanis auribus dulcius veritate. Imò vero in Phædro inquit: Neque apud deos, neque apud homines veritate venerabilius quicquam aut fuit vnquam, aut erit.

De mente & veritate, & mentis immortalitate. Item, unde sit virtus ad dividendum atque uniendum.

CAPVT XV.

POst hæc autem tria præcipue consideranda sunt. Primo quid mēs, sapiētia scientia sit. Est autem mens vultus ad veritatem conuersus, huius duo sunt oculi, dexter & sinister. Ille veritatem eorum, quæ in diuina mente sunt inspicit, hic eorum quæ ab illa. Ille intuitus sapientia, hic scientia. Sæpe autem vocabula hæc confundunrur, quæ quisquis quæ in mente sunt intuetur, in eis videt, quæ à mente & qui quæ post mentem, ex his quæ in mente sunt conijcit. Secundo considerandum, quod siquæ scientiæ contrariæ sunt, maximè tales essent, ea quæ de maximo ad eam quæ de minimo quodam. Hæ vero non sunt contrariæ, quia sese iuuant. Qui enim maximum nouit, in eo causam videt minimi, & qui minimum his gradibus conscendit ad maxima. Item quæ de contrariis sunt, maximè essent contrariæ, hæ verò eædem sunt. Iam verò quia mens ad maxima & minima æque se haber, & quocunque dato, maius potest nosse, dum causam quærit cuiusque, neque sistit se in aliquo, dum causam eius indagare potest, in solo eo quod sine causa est vt infinitum quiescit. Infinita ergo capacitas est, quæ æque se habet ad maxima & minima, & solo infinito repletur. Non ita sensus, maximum enim obiectum vim eius superat, minimum non percipitur, & maximum impedit minimum. Finitum est quod superatur & quod ad medium quoddam determinatur. Immortalis igitur mens, mortale autem corporis organum. Et cum corruptio à contrariis fit, anima non corrumpitur, quia non habet contraria. Imò adeo à contrarietate remota est, vt quæ in seipsis contraria sunt, in ea admodum cohærescunt. Bonum malum, verum falsum, lux tenebræ, calidum frigidum, in notionibus animæ cohærescunt. Tertio notandum, quod veritas est adæquatio rei ac mentis, & veritas mentis est eius ad res adæquatio. Veritas rerum est, rerum adæquatio menti. Duæ sunt mentes diuina, humana. Duæ res, operà diuinæ mentis, opera mentis humanæ. Vnde in Politico dicitur duæ artes sunt, duo sunt artis opera, diuina & humana. Veritas humani operis, est adæquatio eius ad hominis mentem, id est, vt tale sit vt ideæ artificis correspondeat. Veritas operis naturalis, quod est diuinæ mentis opus, adæquatio ad diuinam mentem vt in ea puritate & integritate sit qua ipsum fore idea sui in mente conatur. Veritas mentis humanæ adæquatio rebus, non operibus sui, sed diuinæ mentis operibus vt ita de his sentiat vt sunt in seipsis per scientiam & vt sunt in mente diuina per sapientiam. Mentis autem diuinæ veritas adæquatio rebus non his quæ in se sunt, sed his quæ intra, id est, seminibus rerum in sua essentia existentium, illis enim semper mens cohæret. Est autem lumen à bono, per mentes & species omnes & res penetrans. Quod omnis adæquationis causa est, & ideo veritatis omnis, quod est veritatis lumen. Ideo in Republica sexto significatur quod bonum est fons luminis, & lumen inde manens est causa veritatis. Illud bonum lumen gratia. Primum ergo bonum est, secundo gratia, tertio veritas, quarto vita, id est, gaudium in veritate, signatum est super nos lumen vultus tui. Plato assiduè circa vnum ac multa laborat. Vnum ipsum est creator, vnum & multa est creatura rationalis, multa & vnum inferior. Profectò creatura procedens à substantiæ diuinæ simplicitate per dualitatem quantum inde est creator, hinc creatura iam facta, merito intra se ab vno procedit, in duo videlicet vna res in substantiam accidensque diuiditur. Item substantia vna in duo, virtutem & actionem, hinc fit vt intellectus noster à Deo in creaturarum ordine factus, circa vnum & multa vagetur. Quoniam verò vnius magisque, multitudinis compos est, ideo primum ad vnum mouetur, quando rem primo percipit confuso quodam intuitu tanquam vnam. Sed deinde distinctius percipiendo, distribuendoque in partes, ab vno procedit in multa. Tertio partes inuicem conferendo à multitudine vergit in vnum. Quarto partes collatas iam componendo definit. In qua definitione iam restitutio facta est in vnum. In qua restitutione fit circuitus à multis in vnum atque vicissim, ptout in definitione, definitio ipsa cum definito conuertitur. Quinto demonstrat qua ratione res talis procedat ab alio, & qua aliud procedit ab ipsa. In qua demonstratione fit motus, tum ab vno in multis, id est, ab vno effectu in multas causas, tum à multis causis in effectum vnum.

Quomodo vnum deriuetur in multa atque multa colligantur in vnum. Item de dialectica diuisione, compositione, definitione, & de Ideis.

CAPVT XVI.

QVia de speciebus multis voluptatis & scientiæ mentionem fecit supra, & eam multitudinē in vno voluptatis genere & vno genere scientiæ posuit, suboritur dubitatio, nunquid multa vnum esse possunt, & vnum multa. Circa quam dubitationem conandum dicit Plato, ratam aliquam communi assertione ferre sententiā, quod eo propensius discutiendum monet, quod huiusmodi ambiguitas omnium mentes fatigat, & volentium & nolentium id est, tam eorum qui talia persequantur, quam cæterorum omnium, & quorundam & aliquando id est, eorum maxime qui cum sensus damnauerint, rationi tantum parum confidunt, tunc præsertim cum prima aggressi differendi subtilitatem, nondum ad absolutum disputationis artificium peruenerint. Accidit autem hæc in nostris animis colluctatio, quia sensus ad corporum diuersam multitudinem cogitandàm trahunt, mens verò ad incorporalium rerum simplicitatem. Vt plurimum verò sensuum visa cum Mentis iudicio commiscemus. Vnde ad vnitatis ipsius diuinæque naturæ potentiam, diffidentius quam decet conuertimur. Quales verò dubitationes istæ sint circa vnum & multa, statim aperiet. Vnum verò esse multa, tribus modis considerari potest, vel aliquid vnum opposita circa se habens. Vel totum aliquid ex pluribus suis partibus constitutum. Vel vnum aliquid simplex commune pluribus esse, & multa dispersaque diffundi. Postremum hoc quidem mirabile dictu & an fieri possit ambiguum & quodcunque istorum dicatur, siue quod vnum simplex per dispersa feratur, seu quod multa & dispersa commune quiddam vnum capiant, repugnari potest, vt paulo post patebit. De primo autem atque secundo,

am-bigere nullus debet, neque mirum quicqu m inducet circa vnum & multa, quæ Protarchum vnum eſſe & oppoſitos dicet, magnum,paruum,leuem,grauem, hoc eſt, ſi ad diuerſos aliquos comparetur. Vulgo enim notum eſt,non eſſe iſtud mirabile,neque eſſe negandum, Protarchum vnum eſſe, ex eo quod circa illum oppoſita ſint. Cauillationes huiuſmodi puetiles facileſqne cenſentur,neque ſtudio dignæ,quippe admittantur, veritatis inquiſitioni impedimento erunt. Cùm per innumerabiles ſimiliter ambages vagari liceat: imò ſi intelligatur, quod vnum contraria ſit abſolutè, id tanquam impoſſibile ſtatim reiicitur,neque inquiſitione indiget. Quinetiam ſi admittatur, non poterimus rectè diſſerere,cum liceat contraria, & vnum facere & miſcere omnibus omnia,vnde nihil redargui poterit. Sin intelligatur quod vnum contraria ſit, ſi ad diuerſa comparetur: iſtud admittitur facilè, & puerile eſſet de hoc ambigere. Sedneque de ſecundo vlla inter homines diſcrepatio eſt, quin vnum ita ſit multa, & multa vnum, vt totum quoddam ex partibus multis compoſitum,multæ ſint partes:rurſuſque partes multæ vnum illud ſint. Vt corpus noſtrum, vnum profectò eſt multis ex membtis partibuſque compoſitum. Quapropter, dicit Socrates, neque mirabilia iſta, fore circa vnum, ac multa,ſi quis corpus diuidit in membra primum, membraque in particulas: iterum in infinitum ſecans, inferatque deinde mirum iſtud monſtrumque eſſe vt vnum infinita ſit, atque ita contendat vnum è medio tollere. Profectò, in eo vno quod genitum eſt,& circa materiam eſt diffuſum,nihil mirum eſt, ſi à perfecta vnitate degeneret, oppoſitaque patiatur & multitudinem. At verò, ſi quis vnum ſimplex, ingenitumque induxerit, mirabile videbitur: primum quidem, ſi quid tale eſt. Deinde, ſi & illud in multitudine ſit diſperſum, cùm diuiſio cuiuſque à corpore fiat. Tangit hic Plato vnum quod ſub ideis eſt, cùm ponit Protarchum vnum. Item, vnum quod in ideis, ſcilicet hominem vel bouem vnum in ſpecie. Item, vnum quod ex ideis, cùm dicit pulchrum vnum. Eſt enim omnium ideatum decor. Item, vnum quod ſuper ideas, cùm dicit ipſum bonum, ſcilicet Deum primum. A quo bonitas vna, naturæ ſcilicet fœcunditas menti datur, per quam ideæ parturiuntur. Et cùm ideam boni in Republica dicit, vtrumque intelligit, bonum ipſum per modum cauſæ bonitatẽ mentis per formæ modũ, bonum enim idea, vt cauſa: bonitas idea, vt forma: iſtud idearum caput,iſtud idearum principium. Plato dicit,ſæpè,bonũ,pulchrum,iuſtum. Primum eſt diuina fœcunditas, ſecundùm ordo in eius intelligentia. Tertium,ordo in eius voluntate primi ordinis diſtributor. Quod verò ſit vnum aliquod in rebus genitis, inde ſingulis corporibus patet, nemo ambigit,quodve vnum illud ſit multa quis dubitat. Siquis verò vnum hominem æternum & incorporeum,vnum bouem,pulchrum vnum, vnum bonum induxerit, primum ſomniare videbitur,vt Ariſtophanes de Socrate obloquitur, & de Platone Timon, Alexis & Cratinus comici, huiuſque ideas videre ſe negauit Diogenes Cynicus, cui reſpondet Plato carere eum, videlicet mente, qua ideæ cernuntur. Ita enim res ſe habet, vt cũ ſiquis ſingulorũ ordines ad ſpeciem vnã communem redigat, intelligere nihil poſſe videatur,neque certũ aliquid ſcire, ſin autẽ cuiuſq; ordinis ſpeciem vnam ſeparatam induxerit, ſomniare vulgò videbitur, in quo & Ariſtoteles haud veritus eſt diuum Platonem calumniari. Oportet tamen eas eſſe, quod in Phædone probat. Atque in Timæo dicit: cùm ſint diſtinctæ vires ſenſuales & intellectuales, habere obiecta diſtincta, & obiecta mentis vniuerſalia tanto veriora eſſe debere, & magis exiſtentia quàm ſenſibilia, quanto intellectus eſt ſenſu ſuperior, obiecta intellectus ſunt regulæ, per quas inter veritatem falſitatemque ſenſibilium diſcernitur, defectuſq; exiſtendi recognoſcitur. Ergo veriùs magiſque ſunt & exiſtunt. Inter prudentiſſimos Græcorum natum eſt prouerbium, Platonem habuiſſe tres oculos: vnum quo humana, alium quo naturalia, alium quo diuina ſuſpiceret, quę in fronte eſſet, cùm alij ſub fronte fuerint. Poſitis autem ſpeciebus, ſi quis diligenter ſtudioſeque perquirat, quomodo ſe ad ſingula habeant, ſtatim circa diuiſionem ambiguitas orietur. Nam ſi non diuidatur ſpecies quæque in multa, multis conuenire non poſſe videbitur. Sin autem diuidatur, neq; vnum eſſe ſeparatum amplius, neque incorruptum æternumq; manere.

Tria circa ideas dubia, & confirmatio idearum.

CAPVT XVII.

TRes potiſſimæ contra has vnitates, dubitationes inſurgunt. Vna, vtrum veræ ſint hæ ſpecies, an potius noſtræ mentis conceptiones? Secũda, ſi vera ſint, vtræ quęque ſit, vna duntaxat, cum multis conueniat, & immutabilis, cùm ſit mutabilium ratio. Tertia, ſi ſit vna, & immobilis, quomodo multis, & mutabilibus ſe communicet, ita vt neque ipſa in eis fiat mutabilis, neque illa per eius præſentiam immobilia, & nunquid per ſingula diuidatur. An tota ſit in ſingulis? Abſurdum quidem videtur, quod diuidatur per corruptibilia, ſi res æterna eſt. Mirum quod vnum & idem totum ſit ſimul in multis inuicem ſeparatis. Nam illud quoque à ſeipſo erit ſeiunctum. Dubia hæc etiam in Parmenide monet, quæ verò hæc ſoluant, multa inde & ex Timæo, Rep. Phædone colligi poſſunt, vt in ſequentibus oſtendemus. Dicit autem Plato hæc dubia non illa ſuperiora eſſe, quæ circa vnum & multa plurimum important. Quærere enim de his vnitatibus & ſpeciebus, eſt quærere de origine ſubſtantiaque cuiuſque, in qua qui aberrat, in omnibus errat & claudicat, quam qui bene ponit, verè & facilè cuncta diiudicat. Dicit enim in Phædone, nihil habere ſe certius & firmius quam ideas, & in his totam monſtrari animi diuinitatem. Quia verò ſpecies rerum vnitates vocat Plato, ideo meminiſſe oportet, quod quotiens Plato vnum aliquid dicit, ſingula profert: cùm autem ipſum vnum dicit, primum omnium principium intelligi vult: quoties monas vel monadas, principium numeri: quando verò vnitates, rationes æternas omnium quæ ſiunt in mente diuina, mundi totius opifice, & quia ad multa efficienda vna, ad compoſita ſimplex, ad temporalia æterna, ratio ſufficit, ideo ſpecies iſtæ vnitates, ſimplices, æternæ dicuntur. Neque minus ſunt in Dei mente procreandorum ſpecies quam in artificis animo ſuorum operum exemplaria. Et in ſemine animalis & arboris, membrorum omniũ & partium rationes,

Quæ verò in materia distincta sunt, in efficiente causa sunt vnita, vbi sine separatione distinctio, sine confusione est vnio. Quod quidem in opere materiæ vnitas partium & qualitatum varietas ostendit. In quolibet elemento corporeque composito formæ insunt, quarum formæ similes in materia generantur. In arboribus & animalibus semina. In seminibus rationes & fomites. In artibus notiones. In contemplantis animo lumina & principia conclusionum omnium quæ proferuntur. Quis ergo negabit in Dei mente omnium effectrice, operum suorum inesse omnium species, semina, vires, rationes, exemplaria, motiones? Has esse ideas Plato vult, rationem, qua Deus homines singulos concipit, procreatque ipsum hominem, & hominum istorum ideam, similiterque de cæteris. Quod cum ab antiquis Theologis, Zoroastre, Mercurio, Orpheo, Æglaophemo, Pythagora, quos sequutus Plato est, diceretur ex pluribus idearum nominibus deorum plurimum vulgò vanam exoriri suspicionem. Ideas autem ita reuera accipi debere, & ita à Platone acceptas fuisse, Theologi quoque Christiani Dionysius Areopagita, & Aurelius Augustinus perhibent, atque rationes ex Platonis libris excerptæ (quas adducam postea) demonstrabunt. Itaque frustra contra Platonis maiestatem Peripatetici laborant.

De ideis, atque de formis veris, & non veris.

CAPVT XVIII.

IDeas esse Platonicis argumentationibus demonstrabimus, si prius ostenderimus, neque contra Christianorum Theologiam neque Peripateticorum opinionem à Platonicis ideas inductas fuisse, Aurelium Augustinum in libro octuaginta trium quæstionum, audi ita dicentem: Quisque fatetur omnia quæ sunt, id est, quæcunque in suo genere, propria quadam natura continentur, vt sint, autore Deo esse procreata, singulaque eius prouidentia regi. Quo concesso, quis audeat dicere, Deum irrationabilia omnia condidisse? Restat vt omnia ratione sint condita. Nec eadem ratione homo, qua equus. Hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes vbi esse arbitrandum est? nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuebatur, vt secundum id constitueretur, quod constituebat. Quod si hæ rerum omnium creandarum creatarumue rationes, diuina mente continentur, neque in diuina mente quicquam, nisi æternum & incommutabile potest esse, atque has rationes rerum principales appellat, ideas Plato, non solum sunt ideæ, sed ipsæ verè sunt quia æternæ, & semper eiusdem modi atque incommutabiles manent, quarum participatione fit vt sit quicquid quoquomodo est: Sed anima rationalis inter eas quæ sunt à Deo conditæ omnia superat, & Deo proxima est, quando pura est eique in quantum charitate cohæserit, in tantum, ab eo lumine intelligibili perfusa quodammodo & illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale quod excellit id est, per intelligentiam, suas istas rationes, qua visione fiat beatissima. Inter Christianos igitur Augustinus testis est locupletissimus. Inter Peripateticos autem testatur idem Auerrois in Metaphysicis, xi. & xij. libro, vbi dicit, quod Aristoteles dum Platonis ideas negat, ipse interim ponit ideas, dum in primo cœli motore rerum formas ponit. Idem quoque in Dionysij commentariis Albertus Magnus asserit, Aristotelem, dicens, primam rerum causam tribus modis esse causam voluisse, efficientem. Scilicet, & vt verbis ipsius vtar, finalem atque formalem Ad formalem verò causam rerum exemplaria refert, neq; nobis Simplicij desunt & Themistij, & Custratij testimonia. Quare ad Platonicos redeamus. De hoc vniuerso quæ cernitur oculis mundo, in primis quærimus, vtrum ex seipso sit, an superiore ex causa? Quod ex seipso non sit ex hoc patet, quia omne quod tale est, necessario est imparibile: omne enim quod proprie facit & gignit, incorporeum est. Nulla enim actio corporei conuenit quantum corpus. Corpus siquidem ex duobus constat, materia scilicet, & quantitate. Ex materia solum habet, vt aliunde recipiat, ex quantitate vt diuidatur. Hæc verò passiones sunt. Imò vero quantitas non modo ad agendum non iuuat, sed impedit actionem. Actio enim tunc maximè prouenit, cum & agentis virtus vnita est maximè: & agens patienti proximum. Quantitas autem efficit, vt diuersas per partes dispersa virtus fit: & vnionem rerum inuicem impedit, cum cogat propter extensionem distantiam in rebus esse locorum. Quare in quantum corpus est, nulla corpori competit actio, siquid agunt corporea, incorporea quadam efficiunt qualitate. Est autem qualitas incorporea, quia multæ eodem in corpore sunt qualitates: multa verò corpora simul eodem in loco esse non possunt. Qualitas verò cum in alio sit, ab alio est, non autem à corpore, cum nihil corpus ex se ipso agat, ab incorporeo igitur aliquo, quod neque est corpus, vt agat, neque incorpore est, ne in infinitum, progrediamur. Est ergo quædam species incorporea per se existens supra corpora. Cuius officium est vt agat tantum, non patiatur. Sicut corporis opus est vt patiatur tantum, non agat, qualitatis autem quæ in corpore, vt patiatur, quia in corpore est, nam cum eo diuiditur atque interit, & vt agat, quia ex se est incorporea. Incorporalis itaque speciei atque virtutis proprium est, vt agant, vnde & corporea incorporalibus agunt virtutibus. Ignis caliditate, nix autem frigiditate. Vnde duo sequuntur, Vnum vt supra mundi corpus eiusque naturam essentia quædam sit incorporea, quæ ipsa prima agat, & mundus quicquid agit, eius agat virtute, à natura autem mundo impressa omnes rerum proueniunt in materiam formæ, quæ formæ vi naturæ illius fiunt. Ergo in natura ipsa formarum insunt semina, & quia natura agit vi superioris essentiæ omnium seminum, quæ in natura sunt, sunt & in ea essentia rationes, quas ideas vocamus. Fœcunditate igitur diuinæ substantiæ, sit & natura fœcūda, ex qua in materiam partus varij educuntur. Ex hac itaque ratione hoc primum sequitur, ex quo ideas esse monstramus. Sequitur & alterum per quod ideas esse iterum ostendemus, scilicet vt mundus ex se esse non possit. Nam quod ex se est seipsum agit, vbi aliquid seipsum agit, idem est agens & factum, quod autem agit impartibile est: ergo ibi quod agitur impartibile est. Mundus itaque cum partibilis sit ex seipso esse non potest, quare superiorem exigit causam, item omne quod per se subsistit, ex se etiam operatur. Multo enim prius quod seipsum operari potest. Mun-

dus autem nequaquam eſt per ſe mobilis, cùm ſit corporeus. Nullum enim corpus vniuerſaliter ſimul per ſe moueri & mouere poteſt. Neq; enim ſimul totum ſeipſum calefacere, & à ſeipſo calefieri quia quod calefit, nōdum calidum eſt, quod autem calefacit, iam habet caliditatem, atq; item idem erit, & non erit calidum: & ſi totum partem, vel pars totum, vel partem calefacit, non idem ſeipſum, quod ſi idem ſeipſum, totum calefacit totum: quare idem calidum erit, & non calidum. Quemadmodum verò ſecundùm alterationem aliquod corpus mouere ſeipſum impoſſibile eſt, ita & ſecundum quemlibet motum, quem generatio & corruptio alterationem præſupponunt, & diminutio, augmentatioque ſimiliter & compenſatio. Quare quod motu alterationis mouere ſeipſum non poteſt, nullo quoque alio interiori motu, quod vero ad interiorem motum ſuum non ſufficit ex ſe in ſe producēdum, multominus ad exteriorē motum ex ſe circa locū, ad locū aliū deducendum, cùm præſertim quod ſe mutat locis, ſitu, habituſ, figura, affectione permutet. Vniuerſaliter autem omnis corporalis motus paſſioni magis quam actioni ſimilis eſſe videtur, cum corporum ſit propria paſſio, vis autem ſeſe mouendi actio eſt: ergo impartibilis cuiuſdam ſeſe moueri officium eſt. Mundus itaque ex eo quod corpus eſt, ſeſe non mouet: quare, neque per ſe ſtxiſtit, ex alia itaque cauſa pendet præſtantiori. Hæc autem cauſa aut electione indiget, conſilioque ad opus, aut ipſo eſſe ſolo effieere poteſt, ſi ipſo eſſe, poteſt, indigetque ad agendum electione, nulla reperientur omnino, quæ ſine electione quicquam agant, nam ſi ipſum eſſe diuinum non tanti eſt, vt per ſe poſſit agere, nullius certè rei eſſe per ſe operari poterit. Nunc autem vides omne quod per electionem agit, aliquid etiam ipſo eſſe facere, nam & eligere opus animi eſt, quod ſi aliam electionem à qua ſit præſupponit, & illa aliam rurſus, rurſus illa aliam in infinitum, nunquam incipiet actio, cum opus infinita præſupponat conſilia & electiones innumeras, infinita verò nunquam pertranſeuntur. Quare eſt aliqua operatio & electio quæ à ſolo eſſe, nulla alia electione & operatione interiecta procedit. Etenim hominis anima, licet multa per electionem agat, corpori tamen ſine electione ipſo eſſe, dat vitam. Et cùm primum apta materia ſit, illam mox ſine electione ſui ipſius vita viuificat; nam ſi vita hæc à noſtra electione fieret, nunquam diſcederet à corpore vita in omnibus ſemper eum corpore conuerſantibus, vel facilè & frequenter in hominibus, qui ob contemplationem animam ſeparant, vel aliis qui ob morbum corporis cōmunionem renuunt, quin etiam cognoſceret anima quæcunque in corpore facit. Nam electio indicium præſupponit. Non omne autem quod ipſo eſſe operatur, electionem habet per quam etiam operetur, vt elementa ſolo eſſe agunt, electione nihil, calore ignis, aqua humore, ſi ergo operatio quæ per eſſe expletur, ad plura ſe extendit, quàm quæ per electionem, patet quod ab alia venit cauſa digniore, præſertim cum actionem quæ ſit per electionem, ſemper actio ſecundum eſſe aliqua antecedat, puta illa quà electio producit, vel alia quadam: Nec immeritò diuinis actio quę ſit per eſſe tribuitur. Nam illaborioſa eſt actio eorum quæ ipſo eſſe arguunt. Oportet autem diuinis illaborioſam fœliccmque operationem tribuere. Nempe & nos facilius viuimus, minorique cum labore, quando diuinam ſecundùm virtutem agimus vitam. Cauſa igitur mundi ipſo ſui eſſe omnia facit: ergo & à ſui ſubſtantia, quod verò ſua agit ſubſtantia; illud primo eſt, quicquid ſecundo eſt id quod efficitur, & quod primo eſt, dat ei quod eſt ſecundo, vt ignis & alteri caliditatem dat, & ipſe eſt calidus. Anima vitam corpori, & habet ipſa viam. Cauſa itaque, mundi cum ipſo eſſe, agat mundum, primo eſt quicquid ſecundo eſt mundus. Si ergo mundus eſt omniformium ſpecierum complexio, vt Plato in Timæo & Mercurius inquit: Omnes hæ primo in mundi inerunt authore. Eadem enim cauſa ſolem procreat, lunam, equum, hominem, & cæteras in mundo formas. Hæc ergo omnia primò ſunt in opifice mundi. Alius ſol & præſtantior quàm qui videtur, homo alius, & nobilior, & reliqua omnia.

Confirmatio ſuperiorum, & quod ſuper formas non veras, ſunt veræ formæ, id eſt ideæ.

CAPVT XIX.

TEſtatur & hoc Platonis ratio, quæ ex Phædone, Rèpub. Timæo, Epiſtoliſque colligitur. Diuerſitas potentiarum diuerſitatem indicat obiectorum: ſed aliud ſenſus eſt, aliud intellectus, aliud ergo ſenſibile, intelligibile aliud, & ſicut pręſtat intellectus ſenſui, ita ſenſibili intelligibile præſtat. Eſt autem ſenſibile per ſe aliquid, quare & per ſe aliquid eſt intelligibile. Illud verò eſt vniuerſalis aliqua ſpecies, ſemper enim vniuerſalis ratio intelligitur. Extant ergo intelligibiles, communeſque rerum ſpecies, quas ideas vocamus. Adde quod formas rerum videmus in materia, contrariis quodammodo mixtas, circulum recto, æqualitatem inæqualitati, ſimilitudinem diſſimilitudini, pulchritudinem turpitudini, bonum imperfectiori potentiæ, & alias in aliis, vt in elementis apparet formas eſſe confuſas. Nullum ergo iſtorum verè eſt quod dicitur, & quæque forma in materia perfectionem ſuam amittit. Nam cùm paſſiuæ potentiæ ſit impreſſa, vim actus omnino non retinet. Corpora quinetiam ſub tempore ſunt, & in loco omnia, & ex materia conſtat ac forma, quia ſub tempore ſunt, tempore menſurantur: quare conditioni temporis, corporis cuiuſq; conditioni correſpondet. Tempus autem ita fluit iugiter, vt aliud ſemper ſine momento alteri momento ſuccedat. Semper ergo in corpore alia qualitas, alia momentis ſingulis ſubſequitur: quare in ſingulis quæq; qualitas incipit ſimul & deſinit, quod incipit nondum eſt, quod deſinit non eſt amplius, nunquam ergo verè ſunt iſtorum corporum qualitates. Ac ſiquis aliam ſtare aliquod tempus dixerit, eum ſtatim interrogabimus, nunquid par in ea vis eſt in temporis illius fine atq; principio, ſi par, ſtabit tantumdem, de ſequenti tempore quæram quoque ſimiliter. Et ſemper tantumdem ſtabit, ſi vim retinebit æqualem, ſtare autem ſemper corpora falſum eſt, quare interrogatus ille reſpondere cogetur, non parem eſſe in ea qualitatis vim in temporis illius fine. Vbi patebit non ſtetiſſe ea cùm partem virtutis amiſerit. Ergo ne minimum quidem tempus affectiones corporum permanent, Quotiens ergo aliquo demoſtrato, vt

Heraclitus & Timæus inquit, hoc est, dicit, mentiris vtique, nam te loquente mutatur. Præterea, quia in loco corpora sunt, in partes plurimas extenduntur, neque corpus aliquod aliqua pattium suarum existit, partes autem in quolibet infinitè considerari possunt. De quacumque verò dicere potest, hæc totum ipsum non est, vt hæc non est homo, neque hæc, & ita de singulis, infinitè igitur non est homo, vno tantummodo homo est. Vnde magis homo, non est quàm homo. Item, corpus quodlibet ex materia constat & forma, & secundum materiam, nec homo dicitur nec ignis, quia materia sempiterna ista nequaquam, & materia ipsa ad omnes æquè se habet formas: atque idcirco non magis per eam corpus aliquod ignis quàm aër, vel homo cognominatur. Secundum formam igitur tantum tale, vel tale dicitur, forma verò pars est: igitur secundum partem, quod verò per partem homo non homo; sed humanum, quod per partem ignis, non ignis, sed igneum: nullum ergo istorum verè est, quod dicitur. Præterea, veritas ipsa æterna est, & immobilis. Nam si quando dixeris eam non esse, aut falsò hoc dices aut verè. Si falsò, est vtque veritas, si verè, verum non est non esse veritatem; si verum est, veritate verum est, est itaque veritas. Sempiterna ergo veritas est, & immobilis: quare nulla in re mobili sustinetur, quod enim in re immutabili iacet, cum ea quoque mutatur: omnia verò corporalia permutantur: itaque in nullis est veritas, non ergo sunt vera, neque verè existunt. Si ergo formæ corporum imperfectæ sunt, primæ formæ non sunt: quod enim primum tale, est integrum tale: tota enim ratio naturæ cuiusque in primo fundatur. Sunt itaque formæ aliquæ super istas perfectæ, primæ & integræ, quæ non in subiecto sunt. Neque enim intra esse sent illas istarum rationes, ideasque vocarent. Ac si formæ corporum veræ non sunt, vbinam veræ sunt? Nusquam ne? At potentius esset falsum quàm verum, si illud quidem esset, hoc nequaquam, impossibile verò istud. Quod enim potentius, veritate potentius est, nisi enim verum sit esse potentius, non erit quod dicitur. Quinimò, sine veritatis præsentia esse illæ non possunt quæ falsæ formæ dicuntur, nisi enim verum sit illas esse, non erunt, alicubi ergo veræ sunt species: Nonne animus noster veriores habet species quàm quæ cernuntur? Quibus iudicat eas & probat, damnatque & corrigit, & quo à veris discedant, intelligit, quove congruant. Qui autem vera non videt, ad ea comparate alia minimè potest, visibilem quidem circulum animus corrigit, cum in puncto planum non tangat, neque enim quæsierit vnquam, & omnem artificiorum structuram musicæque modulos, vel probat, vel damnat, & naturalium rerum bonitatem, vel prauitatem, vtilitatem & nocumenta, pulchritudinem, turpitudinem iudicat. Veriores igitur habet formas animus, quibus de corporalibus iudicet. Perfectior enim iudex est quàm quod iudicatur. Sed neque hæ quæ sunt in animo primæ, sunt formæ, mobiles enim, & quamquam in loco non sunt, per temporis tamen interualla discurrunt, neque actu semper existunt. Non enim semper per eas animus agit, neque tota in mente sunt, sed mentis parte. Nam sicut anima tota mens non est, quoniam addit & mouendi, & sentiendi naturam. Ita mens quæ in animo, non est mens tota nec prima. Est enim mens in anima, quod verò in alio est, & ab alio est, quod enim se sustinere nequit, neque potest producere. Maius enim id opus, neque tamen hæc mens ab anima, quia in anima mentis producente ratio esset, vnde & tota anima esset mens, & mens quidem tota atque perfecta, & omnis anima mentem haberet, quia in omni anima ratio inest animæ. Quamobrem super animam & mentem, quæ pars animæ est, mens est quædam prima in seipsa integra ac penitus absoluta, in qua primæ ac verissimæ erunt rerum omnium species, quia supra locum iam & tempus motumque existunt. Quæ si primæ sunt, ad primas enim deueniendum est, in alio subiecto non sunt. Non ergo aliud ibi mentis essentia, aliud in mente species, essentia enim ibi sunt & vita, omnium rationes, & quicquid ab hac mente mundi opifice factum est in ipsa vita est. Quapropter Plato in Timæo mundi opificem intellectum contemplari ideas dicit, in viuente substantia & ad sui similitudinem mundi machinam fabricare.

Confirmatio superiorum & de naturali varietate formarum vniuersalium.

CAPVT XX.

Speciales rerum vires & formæ non solum imaginario modo sunt in mente nostra, sed etiam naturali modo in Deo, Angelis, animalibus, cœlestibus, nostrisque animis & in cœlis & natura vegetali & in materia prima. In his omnibus vniuersales sunt vires, etsi nos nihil intelligamus. Atqui & in ipsa diuinæ essentiæ fœcunditate & in Angelica fœcunditate quodammodo, etsi fingantur non intelligere, quandoquidem & illi intelligendo ad intima se conuertunt obiecta. Iam verò in natura vegetali sunt tales formæ, etiamsi cognitione non egeant. Quis enim dixerit, in vegetali vel non esse vim dentificam & pilificam, vel si sunt, non esse differentes, vel non sufficere dentificam vnam, vnamue pilificam ad omnes dentes atque pilos? Vniuersalia verò etiam naturalia esse cognoscimus ex principio, medio, fine vniuersi. Primum quidem, quia ordo mundi fit ab intellectu agente per formas, quæ quia primæ rerum rationes causæque sunt communes maxime sunt naturales. Deinde non dicimus de essentia vniuersi principaliter esse genera, quia tanquam potentiæ referuntur ad species neque indiuiduæ præcipue, quia infinita, inordinata, mutabilia, & singula singulatim dinumerando siue quolibet perfectum est vniuersum. Ergo essentia vniuersi constat ex speciebus. Præcipue ergo reales, vt ita dixerim, sunt, id est, naturales. Tertio intentio naturæ nutritiuæ est ad alimentum reale, est autem primo ad speciem alimenti: Stimulus enim famis nos etiam non imaginantes ad cibum vrget, & deinde prius imaginantes cibum communem quam hunc vel illum. Intentio quoque genitiuæ est ad speciem cuius propagandæ gratia est inserta, non autem est ad imaginem, sed ad rem eius intentio. Denique omnes in mundo inclinationes motusque per propria bona ad commune totius bonum conferunt, præcipua intentione naturæ. Est autem naturale quod mouet omnia & omnium est perfectio. Proinde attende cunctos homines sicut in apparentibus accidentibus homi-

ni ptopriis conueniunt interſe, differuntque à brutis, ſic habere in ſe vnam communemque accidentium eorumdem originem, naturam, ſcilicet, illis communem, à brutis differentem. Communis hæc natura realis eſt realium effectuum cauſa, & vera vnaque ceſſante etiam mentis diſcurſione. Neque te turbet quod diuiſa videtur poſterioribus accidentibus. Quod enim poſterius, & ſuperfluum, & mutabile eſt, non aufert priorem illam vnamque naturæ communitatem: nam cùm flammam vnam in duas diuiſeris flammulas ignitas ſicut etat vna, ita reſtat vna. Non enim ipſam attigit diuiſio, quæ dimenſionis paſſio eſt. Ignitas verò, vt Auicenna putat, antecedit dimenſionem, licet præſentia eius accidentia dimenſionem ſequantur, vel ſaltem ignitas non dimenſioni propriè hæret, ſed materiæ. Adde quod poſt diuiſionem tam idea quæ in natura eſt, quàm ſeminarium, quod eſt in materia igneitate, hic & ibi continuat. Mitto quod ſpecies de indiuiduis prædicantur prædicatione reali. Item, quòd naturalis ſcientia eſt de rebus non indiuiduis, ſed ſpeciebus. Præterea, omnia ſuam vim propagare nituntur. Ideo, quoad poſſunt eam exhauriunt generando, generantque ſeipſa in ſeipſis primum, extra ſe, deinde ſeipſa. Elementa ex virtute propriæ ſpeciei, ptoprias in ſe qualitates gignunt ex calore in virtute, actu calor in igni, ex frigiditate in virtute, actu frigus in aquæ. Quod apparet ſi quis aquam igne calefactam in aëre temperato poſuerit, aquam ad ſolitam ſeipſa redibit frigiditatem. Nec aër eam dabit, nam intenſius erit in aqua quàm in aëre illo frigus, ſed in aquæ potentia frigus remoto contrarij ſui impedimento, ſolitam ſuam in ſeipſo gignit prolem, ſcilicet, frigus in actu, & planta quæque adulta ex integra naturæ fœcunditate ſeipſam generat in ſeipſa, id eſt ſemen, in quo tota vis eius tota ratio plantæ. In animalibuſque ſimiliter ſemen, animal totum in ſeipſo producitur. Anima inſuper cum aliarum rerum diſciplinis inſtructa eſt, naturalem vim recuperans ſeipſam genetat in ſeipſa. Nam ſe cognoſcendo totam ſui naturam in ſeipſa figurat, idque mens efficit multo melius. Quia enim in qua prima cognitio eſt, in ea eſt perfectiſſima, proxima igitur cognito. Idem ergo cognoſcens, & cognitum, & cognitio, eſſentialis igitur erit in mente generatio. In prima enim eſſentia per modum eſſentiæ omnia. Generationem verò interiorem in ſingulis exterior ſequitur generatio, poſtquam enim ignis ignem fecit calidum, calidum facit & lignum: & planta ſemine in ſe concreto, extra promit, & plantam concreat, animalque ſimiliter. Anima cùm ſe nouerit, & rationes veras, rerum quę in ſe ſunt comprehendit, adſui ſimilitudinem extra ſe porrigit, leges, artificia, liberos, verba, mores ad rationum ſuarum normam educit. Omnia ergo ſe in ſeipſis generant primò, deinde etiam ſe generant extra ſeipſa. Mens igitur mundi quæ primæ eſſentiæ eſt prima fœcunditas, à qua & fœcunditas omnis, & generatio extra ſe, vt vidimus, gignit mundum. Mundus igitur propria mentis proles, mens eſt quodammodo: Nam vnumquodque ſeipſum gignit. Et quia nihil ſe extra ſe gignit, niſi ante in ſe genuerit. Ideo in ſe primò mens generat mundum, dum ſeipſam in ſe ſuam explicans fœcunditatem concipit. Generationem verò interiorem gaudium comitatur, ſicut voluptas exteriorem.

Confirmatio ſuperiorum, & de prima mente.

CAPVT XXI

ITem, ſi nulla eſt cauſa vniuerſi, ſed caſu currunt omnia, quomodo inuicem ordinati ſunt rerum gradus, diſtinctæ virts, loca diſcreta? Quomodo eundem ſemper agunt vniuerſa tenorem? & ſecundùm cuiuſque à ſingulis ſingula proficiſcuntur? Ordo huiuſmodi in oppoſitorum vnione conſiſtit. Et quia oppoſita ſe inuicem fugiunt, aliunde copulantur in vnum: vnum ergo eſſe debet, quod diuerſorum multitudini exhibet vnionem. Vnus itaque eſt extra ſingulas mundi partes omnium ordinator. Ordo autem iſte omni ordine, qui ab aliqua alia ratione fiat, mirabilior eſt, & pulchtior, & omnis ordo genitus eſt ab ordine, & genita ratio à ratione, ex quo ſequitur vt in mundi ordinatore, ordo ſit mundi ordine pulchrior, ratio omni ratione noſtra præſtantior, mens omni mente venerabilior. Hæc vtique mens multo magis ſeipſam intelligit, quàm ratio noſtra ſeipſam, ipſa verò eſt totius ordinis cauſa. Quare ſe ordinis canſam eſſe cognoſcit, omnium effectricem, omnium principium, omnium quoque finem. Neque verè ſe eſſe cauſam ordinis, effectricem, principium, finemque omnium noſſe poteſt, niſi ordinem illum & omnia nouerit: omnium itaque notiones ea in mente conſiſtunt, quas ideas vocamus. Hæc ſi prima mens eſt, eſt vtique perfectiſſima eius intelligentia. Hæc verò quæ certiſſima, certiſſima verò quæ rei cognitæ proxima, & in qua qnod intelligit, & quod intelligitur idem. Eadem ergo menris eſſentia eſt quæ intelligit, & quæ intelligitur eadem, quare & intelligentia eins multo magis cum eſſentia eadem, cùm ea medium ſit quo intelligens, aliquid intelligit quod intelligitur. Idem itaque in ea, & eſt, & intelligere eſt: ergo & eſſe & viuere. Viuere enim inter eſſe & intelligere medium eſt, ſicut motus inter ſtatum & conuerſionem medium eſt. Eadem ergo eſſentia, vita, mens, eſſe, viuere, intelligere, eſſentia vt ſtat, vita vt agit mouetur que, mens vt in ſeipſam redit. In ſe rediens, in ſe videt omnia, quæ tanquam in principio ſuo in ea eſſentia ſunt. Neque verò extrinſecus reſpicit vt intelligit omnia. Prius enim intelligit quàm extrema ſunt, quæ ſicut eius eſſe, ſic eius intelligentiam præſupponunt. Intelligentia verò ſine re intellecta eſſe non poteſt, quare antequam ſint omnia, omnia mens hæc intelligit. Neque verè intelligit omnia, vt faciat omnia. Nam internam operationem ad extremam, quæ minus perfecta eſt, referret, imò ſi vt facit omnia, contemplatut omnia, contemplatio hæc intentionem omnium præſupponeret. Qui verò intendit omnia, cogitationem omnium iam præſupponit: quare vel proceditur in infinitum, vel contemplatio omnium, omnium intentionem effectionemque præcedet.

(∴) (∴) (∴)

Confirmatio superiorum, & quomodo ideæ se habent ad Deum, atque inferiora.

CAPVT XXII.

Concepta ergo sunt omnia Dei mente, antequam in materiam deducantur, conceptiones istæ & vnum sunt multa. Vnum essentia, ne in prima essentia essentiarum compositio sit, quæ debet esse omnium simplicissima, quia quicquid primum in quolibet rerum genere, id & simplicissimum. Multæ verò sunt rationes, ne vnum penitus sint quæcunque inde efficiuntur. Vnitates verò ex eo maximè appellantur à Platone, quia quemadmodum singuli homines ad vnam communem in ipsis naturam, & singuli equi ad suam reducuntur: sic istæ communes in singulis ad communes extra singula referuntur. Nam quod est in multitudine vnum, cùm sit in alio, ab alio debet esse, non tamen ab vno multorum, quia proprium illi esset, & reliquis non competeret. Non à multis illis, qua multa sunt, quia & multa esset & illud. Ergo ab vno aliquo, & ratione vnius alicuius quod multitudinem supereminet. Quare supra naturam communem singulis hominibus, & communem naturam equis singulis, ratio vna hominis, vna equi debet esse, sicut istæ omnes in vna materia sunt, sic illæ in vna essentia omnes, sub tempore istæ fluunt. Illæ in æternitate consistunt, istæ in quantitate, diuisæ illæ, simplices ergo rationes istorum omnium, ante hæc omnia sunt mente in vna, & vnæ maximè, & incommutabiles maximè. Omnis enim interitus vel formæ conuenit à subiecto deserte, vel composito ex partium dissolutione. Illæ verò neque in subiecto sunt, neque ex partibus corporalibus sunt compositæ. Sed & si quis dixerit à contrario etiam venire corruptionem, sciat formas quæ in materia non sunt, nihil esse contrarium corruptiuum. Neque enim vnum destruit aliud, nisi vt in eius materia suam inducat formam. Nam intentio naturæ non est ad malum, vbi ergo non est communis materia, mutua contrariorum corruptio esse non potest. Ac si mens illa supra corpora est, super corporum conditiones existit. Hæ verò sunt partitio, tempus, locus: ergo mens omne supereminet tempus, omnem locum, omnem partitionem, ergo & ea complectitur ambitque: quia à mente corpora sunt, ideo omnibus vbique præsens adest mens, sua virtute conseruans quæ facit, quia super eorum conditiones existit, ideo toti adest tempori, sed æterna, toti partitioni, sed simplex, omni loco non circunscripta. Est ergo in omnibus non inclusa, super omnia non exclusa. Si ita est, & idea quoque vbique adest tota, & se communicat singulis, nulli se miscet, virtutem suam exhibet, non substantiam, similitudinem non essentiam. Et, vt verbo vno complectar, diuinæ mentis vultus in materiæ speculum intuens nullas suas exhibet partes, sed singularum partium simulachra. Neque veras res vident, qui in materiam vertunt oculos, sed verisimilia quædam, & verarum rerum inanes quasdam adumbrationes: quo fit, vt quisquis dum hæc suspicit, illa quoque non suspicit, somniare à Platone dicatur, quia falsis decipitur imaginibus, & somniantis instar; quæ imagines sunt, res esse veras existimat. Ex his omnibus dubitationes, quæ introductæ hic sunt à Platone iam satis solutæ videntur. Quare de his hæc dicta sufficiant. Proinde sicut vultus vnius imago in multis tota simul est specialis, & quolibet fracto fit ex vna multiplex. Ita tota imago cuiusque ideæ est in suis indiuiduis, & ob materiæ dimensionem diuisionemque fit multiplex. Ac etiam sui ipsius vnitatem seruat, sicut lumen solis quamuis in variis coloribus vario suscipiatur modo, vnum tamen extat. Attende materiam omnium vilissimam, tamen seruare se sub omnibus vnam. Dimensionem quoque primam, cuius passio est diuisio, similiter vnam in omni se diuisione seruare. Cum verò corporeitas nihil aliud sit quàm extensa materia, ipsa quoque vnà communisque restat in cunctis. Ergo animalitas & humanitas multo facilius in paucioribus suis retinere possunt communem vnitatem quam viliora illa in pluribus. Si corporea hæc, diuisioni motuique subiecta id possunt, magis ideæ diuinæ id poterunt. Tu verò etsi modum quo id valeant, non cognoscis, tamen negare noli quod certa tibi dictat ratio, cui firmiter inhærendum in Phædone iubet, etiamsi posteriora vacillent. Quod Galenus ad artis transtulit rationem, cum monet manendum etiamsi exitus nō succedat. Nam quis fundamentum ritè iactum mutet, ex eo quod pariesnon ex amussim fuerit superstructus? Idem in Gorgia transfertur ad mores. Vbi iubemur rationi huic stare probanti, quanto animus præstat corpori, tanto sanitatem animi quàm corporis meliorem esse, morbumque peiorem. Ipsamque animi sanitatem nunquam esse negligendam, etiamsi ob eius studium, iactura rerum omnium & corporis, & huius vitæ fuerit subeunda. Idem transfertur in Republica & legibus ad pietatem.

Postquam enim ex defectu mundi secundum Timæum iudicaueris, ipsum pendere ex alio, atque ex eius ordine, commoditate, virtute, pendere à summa potentia, bonitate, prouidentia, & opus vnum ab vno, debes in hac sententia permanere, etiamsi non videas quo id modo fiat, ne error humanus derogare prouidentiæ videatur, nemo enim sanæ mentis negat horologium factum esse à fabro, vel à præstigiatore præstigias, propterea quòd modum quo fiant non teneant, item nullus negabit, domum patris prouidentia gubernari, ob id quod puellus ibi aliquis balbutiat.

Qua cautione Dialecticen aggredi debeamus, & qua ratione diuidere vnum in multa, vel soluere multa in vnum.

CAPVT XXIII.

IN Cratylo dicitur: In principiis constituendis, summa diligentia, cum longa disputatione est adhibenda. Post hæc quæ sequuntur considerandum. Quod si in principiis cuiuslibet artis, id est faciendum, maximè circa finem vitæ, qui est actionum omnium artiumque principium. Ideo, vbi de felicitate agitur, meritò Dialectica facultas in medium adducitur, tanquam veritatis examen, ne fortè in re omnium grauissima malè infeliciterque iudicemus. Alibi enim erroris pœna est ignorantia, hic insuper pœna miseria. Sed cur tanta in principio cautio? Quia in eo, & ab eo cuncta, quo

fit vt tam scientia quàm inscientia circa ipsum, per reliqua propagetur, multiplicatisque his quæ inde sequuntur, multiplicentur errores. Positum est de voluptate & sapientia esse tractandum, vtrumque verò commune est ad species multas, & singula plurima. Igitur, vt optimè cognoscantur, habenda est ea peritia, quæ vnum commune in multa producere possit, & multa in vnum reducere. Illud quidem ne insistat in genere. Hoc verò ne per singula infinita vagetur, quæ, vt supra diximus, obseruanda sunt illi, qui certam perfectamque rei scientiam sit habiturus. Peritia autem hæc, haud quaquam leuis est, sed ardua, neque in rebus corporeis moratur diuidendis & vniendis, sed vsque ad incorporeas species vniendas & multiplicandas sese euehit. Vnde & multæ, vt dictum est, se illi vndique dubitationes opponunt, quare diligenti cautione ad hanc nos conferre debemus. Hæc hactenus ex verbis Socratis colligantur, his assentitur Protarchus, & conandum in primis, ait, ista perficere, id est, peritiam huiuscemodi consequi, ac per eam id quod in controuersiam deductum est in multa, vt decet partiri, & multa rursus in vnum colligere. Vt autem Socratem ad præsentem disputationem exhortetur, adiicit. Ego ò Socrates, atque isti mecum tibi talia facile assentimur. Ac si contentiosi huius Philebi pertinaciam vereris, mitte illum neqne cum eo verbum habeas vllum, nam vt habet prouerbium. Malum quod bene iacet non est mouendum, cui simile Pythagoræ symbolum, ignem gladio ne fodias, atque illud Heracliti, Durum est aduersus iram pugnare, nam cum in impetu est, vita emitur. Rhodi ortum hoc est prouerbium. Nam cum vastus quidam colossus, id est, statua cecidisset quo ex casu domorum plurima ruina secuta est, noluerunt Rhodij in altum rursus attolli colossum, regique de eleuando colosso deliberanti opposuerunt, Malum quod bene iacet mouendum non esse. Philebi verò pertinacia in superioribus statim apparuit. Nam prius defessus est disserendo quàm à Socrate persuasus, & paulo post addidit, Voluptas mihi sapientiæ præstare videtur, semperque videbitur, vbi indocilem se esse testatus est, vtpote qui futuris rationibus obstrueret aures, ac potius propria cum opinione errare vellet, quàm cum alienis rationibus etiamsi veræ sint, rectè sentire. Hos homines detestatur in Phædone & vbique Plato, & alios molestos esse dicit socios, sibi verò tacitos, & familiares hostes, cum seipsi passim decipiant. Cum his non esse de rebus maximis disputandum, monet, quare Philebo quodammodo prætermisso, Protarchum ad sequentem de bono disputationem adsciscat. Socrates igitur Protarcho obtemperans, eam aggreditur disciplinam, ac tria in ea obseruanda esse monet, Primum ne adolescenter ad hanc admittantur. Secundum vt qui eam tractant, sensus & phantasiæ illusiones caueant, & diuino mentis lumine ad hanc incedant. Tertium ne ab extremo ad extremum sine mediis properent.

Ad istorum intelligentiam aduertendum est, apud Platonem duo in membra artem disserendi distribui, & aliud Logicam, al ud Dialecticam dici. Illa quidem est facultas quæ de proprietatibus agit hominum & verborum, de horum compositione, quæ ratio est. De orationis variis speciebus, de orationum cum orationibus compositione, ex qua argumentationes conficiuntur. Ac postremò de variis argumentationum generibus. Hæc circa sermonem versatur, neque propria scientia est, sed scientiarum omnium instrumentum. Dialectica verò artificium diuinum est, quod non de verbis amplius, sed de rebus agit, & supra sensus pura mentis indagine, substantiam cuiusque rei perquirit, & à rebus omnibus, nullo alio supposito principio, ad vnum rerum omnium ascendit principium. Hanc in Sophista atque Politico veram Philosophiam vocat. In Republica præcipuum philosophantis officium. In Parmenide dicit, sine hac neminem vnquam veritatem rerum consequuturum. Quare, aut principium omnium ad omnia comparat, aut omnia ad principium, aut singula in seipsis considerat, aut inuicem refert singula. Quicquid istorum agat, vnit semper, ac diuidit, & vnum multaque considerat: Si Deum ad omnia comparat, vnum profert & multa: nam vnius Dei vim, per multa considerat propagatam. Si ad Deum omnia, multorum perfectionem, in finem vnum conterminantem. Si res in seipsis, totum quoddam vnum cernit ex pluribus constitutum. Quicquid enim post principium est, quia à primo vno degenerat, abit in multitudinem, & quo discedit longius, eò minus vnitatem retinet, dum maiorem suscipit multitudinem. Numinum quidem mentes ex substantia & speciebus constant: Animæ supra species vires adhibent, operationesque distinctas, corpora insuper partes in loco quantitate porrectas. In singulis itaque Dialectici mens vnitatem & multitudinem reperit, & quia singulorum debet naturam comprehendere, tenere debet, quo pacto vnitas cuiusque in multa progrediatur, & multa in vnum ducantur. Quinetiam, si singula quæ sub principio inuicem refert, quo distinguantur videt, & quo conueniant, vt conueniunt vnum sunt, multa rursus vt distinguuntur. Deus in operibus suis vbique & vnit partes rei cuiusque partibus ad ipsum totum, totumque vnit conuenienti rei, & tam partes ab alienis partibus, quàm totum ab alieno diuidit toto. Similiter, natura diuidit à subiecto alieno, vnitque propria, rem genitam vnit conuenienti, diuidit ab opposito. Demum ars similiter in vniendo & diuidendo versatur. Ergo diuina, naturalia, artificia, tam in processu fiunt, quàm in conuersione versantur, vniendo atque diuidendo, similiter & gubernatio vitæ. Cùm ergo scientiæ modus rerum sequi debeat modum, haud abs re Dialectica, magistra scientiarum, vnum semper & multa pariter contuetur, eaque vicissim, tum diuidendo, tum vniendo, decenter alternat. Sed nota, diuisionem in ascensu tendere ad rem simplicem. Diuidit enim natura à contingentibus, quibus posthabitis, redigit multa in vnius simplicis formæ virtutem. Diuisionem verò in descensu desinere in rem compositam. Diuidit enim generalem naturam per eiusdem proprietates, quas non relinquit, sed iam ipsi naturæ continuat: Vnde meritò in rem compositam desinit. Quocumque id modo fiat, diuisio nominatur, sed diuisio in naturam desinens simpliciorem, propriè dicitur resolutio,

quæ

quæ ignis instar diuidendo supposita, relinquit humi accidentia quasi terrestria atque interim ab his specialem exhalans naturam, quasi aërem in sublime resoluit. Tria dialecticus agit, dum diuidendo & vniendo per vnum ac multa res inuicem comparat. Resoluit primo, secundo definit, postremò demonstrat. In resolutione primum ita procedit, quia dissimiles singulorum hominum inspicit qualitates, multos esse homines iudicat, vnde à dissimilitudine diuidendo processit in multitudinem. Quia verò similes effectus singulorum videt hominum, hoc est hominem gignere, ratiocinari, atque ridere. Ideo vnam in singulis naturam, à qua fit vnus euentus esse reperit, atque eam vocat humanitatem, & hac ratione à similitudine veniendo ex multitudine ascendit in vnum. Idem quoque in singulis speciebus animalium & plantarum efficit sigillatim. Deinde sicut in quolibet ordine, singula multa ad vnam retulit speciem, sic & species multas ad genus vnum. Nam ex dissimilitudine ratiocinandi, latrandi & hinniendi, multas esse species hominis, canis, & equi iudicat: ex similitudine verò & gradiendi, & sentiendi vnum multorum esse genus; idque vocat animal. Quod vnum genus in has multas species per differentias diuidit & species multas, per naturam similem in vnum redigit genus. Præterea hæc animalia differre à plantis intelligit, quia ista sentiunt gradiunturque, illæ nequaquam. Quia verò tàm animalibus, quàm plantis nutritio communis est, ideo genus in vnum multa hæc redigit, illudque corpus animatum vocat, atque ita efficit quousque ad corpus, & substantiam & essentiam veniat, vbi semper cernimus dialecticum multa & vnum considerare. Postquam ita resoluit singula, mula in speciem vnam, & species multas in genus vnum, & genera multa in genus supremum. Iterum genus illud per oppositas differentias diuidit, multasque constituit species, vt substantiam per partibilem & impartibilem. Vnde corpus efficit incorporeamque substantiam. Corpus per animatum & inanimatum, inde animalia arborésque constituit, hinc reliqua corpora. Animal per rationale, latrabile &c. Hinc hominem, inde canem conficit. Vnde dialecticus dum ascēdit diuidendo & vniendo resoluit, ac etiam dum descendit diuidendo & componendo definit. Et postquam definiuit, diuidendo & componendo demonstrat. Nam posita rei definitione in qua substantia rei compræhenditur, per eam ratiocinatione composita, conclusionem aliquam infert, per quam vel adfirmando componit aliquid cum rei ipsius substantia, vt puta quæ illam sequuntur, vel negando ab ea extranea diuidit. Et vniuersaliter quisquis loquitur vel affirmat vel negat, quisquis affirmat multa ligat in vnum. Qui negat, ab vno separat aliud, & in multa procedit ex vno.

Quomodo se habeat definitio ad demonstrationem. Item de resolutione, diuisione, compositione.

CAPVT XXV.

Quæritur vtrum definitio præcedat syllogismum an contrà? Videtur illa hunc præcedere, cum nequeat ei conditio assignari per syllogismum, nisi per definitionem prius & res & conditio cognita fuerit. Forte verò licet dicere antequam definitio oriatur, duobus saltem syllogismis opus esse. Cum enim definitio constet ex genere atque differentia, definitionem præcedit diuisio generis per differentias. Item comparatio differentiæ vtriusque, deinde reiectio alterius, denique alterius assumptio, sic argumentando dum diuidis genus: Omne animal vel rationale est, vel irrationale, Homo est animal, ergo homo est rationale ad irrationale. Item, homo est animal rationale aut irrationale, non est autem irrationale, ergo est animal rationale, Hæc conclusio est hominis definitio, duos sequens syllogismos. Qua assignata, consideratur quæ eam conditio comitetur, cumque inueniam eam comitari docilitatē, concludo hominem esse docilem, tali quodam syllogismo. Homo est animal rationale, sed animal rationale est docile, ergo homo est docilis. Item animal docile non est fetum, homo est animal docile, ergo non est ferum. Vidimus iā duos syllogismos definitionem antecessisse, aliosque successisse, atque vtrobique affirmatiuum negatiuo præponi. Si quis autem dicat animal prius inse definiri quā diuidi, fatebimur, sed addemus antequam definiatur, animal, corpus esse diuisum & ante corporis definitionem diuisam esse substantiam, & ante huius definitionem ens fuisse diuisum, definitum verò nequaquam, cum & indefinita omnino sit communis entis notio ex genere differentiaque constitui nequeat. Ergo dicendum est, primo esse confusam descriptionem, secundò diuisionem, in qua syllogismi oriuntur ad definitionem conducentes. Tertiò definitionem distinctam. Quartò distinctam diuisionem, postquam definitionem sequuntur syllogismi magis demōstratiui quā primi. Visus per modum resolutionis capit imaginem coloris simplicem vnamque à colore multiplici & composito segregatam, vbi illa & à colore diuiditur & vnitur visui. Similiter imaginatio resolutionis modo, concipit puriorem imaginem ex imagine visus. Et intellectus resolutione ex particulari phantasmate solutam concipit speciem. Vnde prius vniuersale cognoscit quā particulare, scilicet per conuersionē ad phantasma, sicut imaginatio prius imaginabile, vigilans quā visibile, somniāns in visum conuersa. Sic primum vbique est resolutio ascendens ad simplex, interimque diuidens impuriora à puriori, & vniens cum anima purius. Quod ignis est proprium, & hactenus subito rationalis naturæ sit inicta resoluendo ab indiuiduis ad speciem, ab hac ad genus. Hinc verò diuidendo per differentias, & ex his species componendo, sicque definiendo, & post definitionem demonstrando, tota progressio fit discursu quodammodo naturali, magis verò artificioso. Atque dum demonstrat, resolutionem facit compositam, cum prima fuerit simplex. Resoluit ergo demonstrando, tùm sursum à causa, tùm deorsum ab effectu, tùm in latus à comitantibus, quod ignis est proprium. Dicitur resolutio quasi repetita solutio. Nam formæ rerum prius in ideis sunt solutæ, deinde in materia ligatæ, tertio resoluuntur virtute Apollinis & Saturni. Hic enim à materia separatus, ille lucens & calens. Hinc Apollon, quasi Apolyon, id est, resoluens dicitur in Cratylo. Vniuersa hæc industria, quę diuidendo & cōponendo vnum in multa producit, & multa reducit in vnū, dum verba nominaq; iungit, & orationes constituit, iungitque inuicē ad ratiocinationis structuram, negatque aliquid vel affirmat. Resoluit, definit, demonstrat, partim logica, partim dialectica nuncupatur. quæ cum percipienda sit omnino, tamē hac primū cautione tractāda, vt non adolescētulis, cā sed adultis

communicemus, vt in septimo de Repub. iubet Plato. Nam pueri hac freti perscrutandi subtilitate tedarguunt absque delecta singula, tolluntque per eam legitima & ciuilia vitæ hominum instituta, ipsi verò nondum reperiunt meliora, vnde necfastu nimio tument, vel se voluptatibus dedunt, vel male de religione sentiunt. Quod in libro de Legib. Plato conqueritur.

De arte diuisionis & vnionis, & qua obseruatione tractanda.

CAPVT XXIV.

SOcrates tanquam ad rem arduam accessurus, consultat primum vnde hanc pugnam, quæ plurima est, circa ea de quibus dubitamus, aggrediatur. Hoc est qua ratione declaret, & qua diligentia tradat facultatem illam, quę diuidendo & vniendo circa vnum ac multa versatur. In quibus tractandis, scilicet vno & multitudine, multæ subotiuntur dubitationes, siue quales prædiximus, siue quæuis aliæ. Statim verò ostendit facultatem eiusmodi non modo ad voluptatis & sapientiæ, sed ad cuiuscunque rei cognitionem esse admodum necessariam. Omnes enim ac semper, & in omnibus quæcunque vel cogitamus, vel dicimus, diuidere & vnire cogimur: Ex vnoque in multa, & contra ex multo in vnū deducere, quod sane latius in superioribus est ostensum. Eo verò quod per omnia currit, si rectè vtimur, de omnibus verè sentimus & loquimur, sin abutimur falso. Ex quo concluditur, vt ars illa quæ circa vnum & multa diuidendo & vniendo versatur, summopere sit cognitu necessaria. His addit qua sit cautione tractanda, primumque ostendit, adolescentulis non esse tradendam, quia ex hoc tria in vitia adolescentes incidunt, superbiam, lasciuiam, impietatem. Nam cum primum artificiosam hanc differendi subtilitatem gustarunt, quasi tyrannicam quandam ad cæteros refellendos & conuincendos vim nacti, inani inflantur opinione, fastu tumescunt. Se ipsi opinione pertinaciaque decipiunt, aliis sunt insolentia & procacitate sua molestiores. Quam quidem superbiam omnibus in dialogis Plato aduersus Sophistas eorumque discipulos execratur, eosque non Philosophos sed Philodoxos, id est, opinionis & gloriæ cupidos nominat. Accedit ad hæc quod vt in Phędro, & septimo de Rep. scribitur à Platone: Duo à primis annis hominibus duces præsunt: Innata voluptatum cupiditas. Et acquisita opinio ex ciuilibus & moralibus institutis, quæ ad ea nos ducit, quæ honesta & iusta ab hominibus esse censentur, cuique animæ humanæ nouem comites adsunt; Deus vnus, dæmones duo, stella scilicet sua compar, & dæmon aëreus, & humectans. Item intra animam. Auriga vnus, equi duo, albus & niger, ratio scilicet & appetitus rationalis, & appetitus sensui patens. Item impetus vnus & duces duo. Impetus quidem & bonum, cupido trahens ad bonum iucundum: Opinio ad bonum honestum. Sæpe verò adolescentes irratiocinandi studio dediti opiniones hominum de honestis ac iustis confutant, quasi humana hæc officia haud re vera bona sint, sed videantur, neque natura ipsa, sed positione & vsu constent. Quapropter ea non amplius venerantur, meliòra verò ipsi propter imperitiam repetire non possunt. Quo fit vt opinione illa legitima iam abiecta alium sui ducem sequantur, voluptatem scilicet cupiditatem, & de virtute locuti clunem agitant. Vnde lasciuia illa exorta est, quæ Cyrenaicos Philosophos, vt Plato inquit, id est, corporis amatores inuasit. Qui etiam cum argumentationum viam ingressi sint, nihil asserunt esse nisi id cuius rationem posse reddere videantur. Diuinarum verò rerum rationes nondum capiunt, ad quas ineptiores adolescentes esse in Parmenide testatur Plato. Oportet enim ad diuinorum intelligentiam, & longo rerum vsu callere, & scientiis omnibus esse fultum, & mentem ab oculorum consuetudine prorsus abducere. Cumque his omnibus adolescentes careant, rationes diuinorum nondum assequuntur. Cæterorum verò authoritati legibusque non credunt, vt pote qui omnium exigunt rationem. Quare impietatis causa de religione male sentiunt. Quoniam vel, vt Diagoras, Deum negant, vel, vt Protagoras, sit ne an non Deus dubitabant, vt Democritus, & Epicureus, Dei prouidentiam negant. Atque de hac impietate in legibus Plato conqueritur, atque infamiam aduersus legitimos Philosophos, Socratem præsertim, hinc exortam in Apologia testatur. Tria hæc incurrit vitia adolescentulus cauillator, qui vt primum captiunculas attigit, admodum congratulatur, tanquam thesaurum sapientiæ nactus, lętitiaque exultat ac gestit, & argumentatiunculas omnes prompte pertentat. Tū gyro multa retorquens in vnum, tùm in multitudinem explicans & euoluens, vbi superbia & procacitas statim exoritur. Iniicit sibi prætereà & aliis dubitationum scrupulos, tàm contra ciuiles mores, quàm contra religionis institutiones, vbi & lasciuia & impietas emergit. Et vniuersaliter molesta ad omnes eius redditur conuersatio, dum refellit quemque parcit nemini, neque iuniori, vbi clementia & humanitas perit, neque æquali, vbi amicitia moritur, neque maiori, vbi charitas & reuerentia deficit. Vtque eius insanam procacitatem exprimeret vehementius, etiam cum barbaris & bestiis litigaturus est, inquit, si ab eis percipi eius argumentatiunculæ possint. Cum hæc Socrates in adolescentum illorum corona, contra adolescentiam ipsam dixisset, Protarchus, vt eum ad planiorem instructionem iuuenum incitaret, in Socratem ita iocatus, inquit: An non metuis Socrates ne omnes cum iuuenes simus vnà cum proteruo hoc Philebo in te irruamus, si hisce nos lacessitos conuiciis irritaueris tantum vituperaueris que adolescentiam, nec nos prætereà recenti instruxeris disciplina? Sed age amabo Socrates, intelligimus enim quod ais. Credebat enim Protarchus potiorem esse aliquam ad veritatem viam præter artem illam diuidendi & vniendi per vnum ac multa, & hanc artem hic damnasse Socratem. Ideo inferre voluit: Intelligimus quod artem hanc damnas. Age ergo, si quis modus est ad hanc disputandi turbationem, confusionemque auferendam, & semitam ad rationem rectiorem repetire licet, vt quæso circumspice pro viribus, ipse sequemur. Neque enim exiguus hic est sermo. Hæc est non leui quadam de re, sed magna, òratio præsens habetur, id est de summo bono, & de via ad veritatem ducente. Hoc adiecit, quia dixerat sequemur pro viribus; atque etiam vt Socratem ad sequentia prouocaret: consentit autem Socrates, non esse rem leuem qua de agitur, atque eos vocauit pueros, cum antea iuuenes appellasset, quia continue magis eorū arguebat ruditatem, cum nequaquam animad-

aduertissent quod abusum increpauerat, non artem. Dixit autem eos à Philebo pueros appellari solitos, vt eius morderet fastum, quia adolescentes vocat pueros, negauitque aliam esse meliorem viam, aut esse posse, & iam se semper amasse, quasi natura Philosophum esse oportet: sed eam deseruisse eum sæpe iuniorem, quasi non sit in adolescentia adeunda. Vbi confirmat vitium perturbationis illius in abusu esse potius quàm in arte: & ideo vt per eam proficiamus, paulo post ad secundam cautionem quæ obseruanda est, ea in arte descendet, ante verò ne illi dissiderent verbis, facile ostendit quo pacto via illa reddatur commodior per cautiones, scilicet subsequentes. Ne tamen opibus minus confiderent, vsum eius prædicit fore difficilem. Vt autem attentiores redderet, omnia artium inuenta per eum eluxisse dicit, nam quælibet in veritatis inuentione consistit. Ea verò facultas potissima est ad veritatem via, vt supra monstrauimus. In Phædro dicit, in qualibet facultate magna opus esse & sublimitate mentis & efficacia ad operandum. Primum dari per vim resolutiuam. Secundum per diuisiuam. Totum est dialectica. In Parmenide dicitur nullum sine dialectica fore sapientem. Socrates in Phædro dicit, si reperiat hominem scientem per vnum & multa vniendo & diuidendo procedere, se illum quasi diuinum adoraturum.

Quomodo Deus mentes illuminet, & quomodo Prometheus diuinum lumen cœlitus in nos traiecit: in quo consistit ars diuidendi, vniendi, demonstrandi.

CAPVT XXVI.

PLato in sexto de Republica disputat, quemadmodum quod in mundo corporeo præstantissimum est, Sol, colores eodem lumine producit in materia, & in oculis visum, quo subtracto nec videbuntur colores, nec visus videbit quicquam, ita quòd in mundo superno primum, hoc est, ipsum bonum, & vnum rerum principium, species rerum mentesque omnes suo procreat lumine, eodemque fulgore & mentes illustrat, & species, qui sane splendor gratiam rebus omnibus præstat, & veritatem mentibus exhibet & scientiam, dum illustratas mentes cum rebus illuminatis cõiungit. Vnde & hoc apud Platonicos ratum est, lumen esse mentium ad intelligenda omnia, eundẽ ipsum Deum, à quo facta sunt omnia. Quod secutus Dionysius Areopagita, scribit in libro de Angelica Hierarchia, quemadmodum Solis radius per cœlos, ignem & aërem, descendit in oculos, ita Dei lux per supremum, medium & postremum, Angelorum exercitum, in animam penetrat. Sicut enim Sol illuminat quamlibet stellam sine medio, & rursus aliam per aliam: sic Deus quamlibet mentem, tùm absque medio, tùm aliã per aliam. Profectò ex Timæo Platonis colligitur, mentem ipsam diuinam quam Seraphin Hebræi nuncupant, tria quædam habere officia, nam & ad ipsum bonum, à quo manat, caput attollit, quod de auriga animi in Phædro scribitur à Platone, & pectus secum ipsa retinet, dum sui ipsius pulchritudinem contemplatur, quod in circumspectu suo ac sede manere in Timæo nuncupat, & ad inferiora femur præuidendo porrigit & creando, ex quo parrem nominat & opificem. Ideo Dionysius in libro de diuinis nominibus dicit, tres esse in Angelo motus, circularem, rectum, obliquum. Moueri autem circulo, quia vnà cum eius esse, & operatio eius à Deo incipiens in eum redit intelligendo. Moueri rectè, quia vim suam porrigit ad sequentia. Obliquè autem prout seipsam animaduertit. Redit enim hic actus illuc vnde venit, ideo circuli dicitur particeps, non tamen perfectus est circulus, quia ad primum sui exordium, Deum scilicet, non reflectitur. Idem in anima reperitur. Ergo ipsius boni radius, quanquam in se vnus, hac tamen in mente triplice resultat, & triplex dum ad bonum, quod Cœlium aliqui dicunt, nititur Saturnus, dum in se flectitur Iupiter, dum vertit ad inferiora, Prometheus, hoc est prouidentia. Idemque radius quot descendens in materia gignit formarum species, totidem & in animam fundit rationes, ad ea quæ producuntur, diiudicanda, atque ad artium opera fabricanda. Anima rursus quia media est inter numina corporaque, ideo triplicem est sortita potentiam, vnã qua supernis coniungitur, alterã qua ad inferiora porrigitur, mediam qua mediam suique vim propriam retinet. In suprema animi parte radius diuinæ mentis acceptus, mentis humanę lumen dicitur, & animam ad supernorum contemplationem erigit, in media fixus, rationis iudicium est, ad ciuilem instruens disciplinam. In postrema residens, phantasiæ industria est, ad artes victui suppeditantes humano, & materiam artificis exornandam. Hęc omnia in Protagora prolixiori quadam Promethei parabola Plato significat. Dum Epimetheum, quo natura significatur, dicit animalium armauisse corpora, industriam verò artium dare hominibus minime potuisse, sed eam à Prometheo fuisse traditam, hoc est ab artificiosa mentis diuinę prouidentia mundi huius artifice: vbi addit, Prometheum eam accepisse ex officina Mineruæ & Vulcani. Accepit hæc postrema mentis pars, quæ Prometheus dicitur, lumen, & vim à media quæ tres habet respectus, vnum ad superiorem sui partem, vnde est, alium ad seipsam, vt in se est, alterum ad producendam partem inferiorem. Illi duo supra dicuntur, supra maximus, optimus, & supra amicabilis, & hospitalis, & seruator. Tertius dicitur Pallas, & Vulcanus: Pallas quantum inducit ad partem inferiorem cognitionum procreandarum, Vulcanus prout inducit illi affectum ad procreandum. Ideo Pallas nascitur ex capite Iouis, quia ex prima via ad inferiorem partem. Vulcanus autem dicitur claudicare, quia in effectu, qui ex affectu est, defectus existit. Disciplinam tamen ciuilem non à Prometheo, sed ab Ioue per Mercurium ad homines descendisse. Nam Legum ciuilium institutio nobis non aliunde monstrata est quã à dispositione diuinarum legum, quam in seipsa mens intueatur diuina, dum in seipsa reflectitur. Tunc verò Iupiter nominatur. Misit autem eam ad homines per Mercurium, per radium scilicet mediũ, quẽ appellat Mercuriũ, quoniam mysteria diuinarũ legũ rationi interpretatur humanæ, ad ciuilium legum descriptionẽ. Diuinarum verò contemplationem à Saturno datam in Politico scribit Plato, quia eius mentis prout in Deum erigitur radius in nos descendens, mentem quoque nostrã in diuinum attollit intuitum. Et quarto legum dicit, Saturnum esse verum dominum eorum quæ mentẽ habent. Porro in eodẽ libro Plato mentis humanæ solertiam in tria diuidit membra, quia nec ad cõtẽplationem vergit tantum, vel ad actionẽ duntaxat, vel ad medium. In primo sapiẽtia est, in medio imperiũ, in tertio ministerium, veluti Geometria, Architectura, fabrilis opera. Omnis hæc indu-

ſtria nobis à diuina mente eſt tradita: Prima ab eius capite, ſcilicet Saturno. Secunda à pectore, id eſt, Ioue. Tertia à femore, id eſt Prometheo. Vnus itaque ſummi boni radius in mente diuina triplice, triplex effectus, & in anima itidem triplicatus, tres nobis explicauiſſe dicitur facultates, menti quidem Philoſophiam, rationi gubernandi prudentiam, phantaſiæ artium cæterarum induſtriam. Quare orationes diſciplinæ Dei inuenta ſunt, Deique munera, vt in Timæo & Politico latius & hic aſſeritur. Dixit autem hic Plato, omne donum huiuſmodi ex diis eſſe per Prometheum delibatum: Nam à Cœlio ex ſuperioribus diuinæ mentis potentiis, Saturno ſcilicet ac Ioue, per inferiorem nobis proximam, id eſt, Prometheum à nobis arcana hæc hauriuntur. Prometheus autem iſte, vt ipſe eſt largitor, artificioſam præbet ſolertiam, vt autem medius eſt & præparator, mentem & rationem noſtram ad ſapientiam conuertit, ciuilemque peritiam, præſertim cum ab artium primarum induſtria mens & ratio ad maiora excitetur in nobis atque paretur. Quapropter licet ſcientiarum omnium ab vnoquoque diuino numine ſint, Promethei potiſſimum Plato mentionem facit. Poſſumus etiam Epimetheum dicere Lunam fauentem corpori, videlicet per Venerem ad ſalutem ſpeciei, per Iouem ad ſalutem indiuidui. Prometheum verò ſolem fauentem ſpiritui præſertim rationali, per ſe quidem ad percipiendum, per mortem verò ad diuidendum, per Saturnum ad reſoluendum, per Mercurium ad definiendum: per ſe rurſus ad demonſtrandum, & quia percipiendi & diuidendi vires, partes ſunt muneris huius primæ, & præceptio fit per lumen, diuiſio per calorem, dicitur date hæc cum luciſſimo igne, ſub prima ſcilicet virtute Solis & Martis. Prima nominum poſitione Cœlius ſignificat Deum. Saturnus mentem, Iupiter animam. Secunda verò Cœlius Dei fœcunditatem, Saturnus Dei intelligentiam. Iupiter Dei voluntatem. Tertio Cœlius in quolibet numine aſpectum ad ſuperiora, vnde vranos in Cratylo ſuſpiciens dicitur. Saturnus reſpectum ad ſe putum, vnde cronos ibidem pura inuiolabiliſque mens dicitur Iupiter, proſpectus ad inferiora prouidendo. Ideo ibidem dicitur zeus, id eſt, vitalis & dia, id eſt, per quem alia viuunt. Prometheus Epimetheuſque in quolibet numine ſignificant ptouidentiam Iouialem: Sed Prometheus quatenus, ad rationalia. Epimetheus quatenuſad irrationalia pertinet. Item in dæmonibus Promethei ſunt, qui rationali fauent officio, Epimethei qui naturali. Imaginem inuiſibilis cœli refert firmamentum. Saturni Planeta primus, Iouis Planeta ſecundus. Item in Sole lux, forma, calor, de his lege in argumento Cratyli. Addit Plato dona hęc ſimul cum luciſſimo igni fuiſſe tradita. Nam diuinæ veritatis radio ſunt ſingula reuelata. Ignis radius duas habet vires, vna vrit, illuminat altera: ita & Solis radius. Ita quoque & Dei radius calore, purgat mentes & animas, ab inferioribuſque ſecernit, luce illuſtrat. Caloris feruore in ſe omnium inflammat & incitat appetitum: lucet fulgore, appetentibus omnibus veritatis exhibet claritatem. Vnde & Priſci Theologi Zoroaſter, Mercurius, Orpheus, Aeglaophemus, Pythagoras, quia ſe ſolutione animæ ad Dei radium, quã proximos reddiderunt, & eo lumine per vnum & multa vniendo & diuidendo omnia perſcrutati ſunt, veritatis compotes effecti ſunt, quæ quidem cautio adhibenda eſt omnibus qui veritatem aſſequi cupiunt, vt in primis puritate animi ſeſe comparent ad diuini ſplendoris influxum, quo ducente tecto calle, certiſque veſtigiis veritatem rerum inueſtigabunt, ſingulateſque latebras rerum diſcutient, cum videlicet non ſenſuum opinionibus, ſed rationis ac meritis examẽ, per vnum ac multa diuidendo & vniendo procedent. Senſus enim ſingula multa in vniuerſale vnum reducent nunquã, cum vllæ illis ſpecies ſint incognitæ, & vnũ multis ineſſe namque; ſine ſui diſperſione comprehendent, ſemper enim corpora intuiti ſunt, quorum nullum ſimul in multis diuiſis totum ineſſe poteſt, ſed diuidatur oportet. In quo iam ſecunda cautio patefacta eſt, quam obſeruandam in hacdialectica facultate Plato iubet. Statim verò ad tertiam properat.

Omnia præter primum, ex vno & multitudine componuntur. Item ſpecies ſunt finita.

CAPVT XXVII.

TRia hic Plato refert ab antiquis Theologis tradita. Primum, quod ex vno & multis conſtant omnia, quæ ab ipſo vno rerum principio ſunt producta. Secundum, quod in rerum ordine ſpecies finitæ ſunt, ſingula infinita. Tertiũ, quod ab extremo ad extremum ſine medio non eſt eundum. Primũ illud ſupra ſatis ſuperque eſt oſtẽſũ. Sicautẽ breuiter patet: Principium omnium, omnem habet vim debilitatis expertem. In vnitate vis conſiſtit, in diſperſione debilitas. Quare vnum ſimplex eſt multitudinis omnis expers. Quod ipſam ſequitur ſi æquè vnum eſſet, æquè eſſet potens, poſſet ergo ſeipſum facere & ſequentia, vt totidem poſſit, quot & primum, id autem nequit. Non eſt igitur æquè p otens, non igitur æquè vnũ. Quod autem minus vnum, per admixtionẽ multitudinis inquinarum minus eſt vnum, ſicut minus calidum per frigoris mixtionem; in omnibus ergo ſequentibus cum vnitate deſuper infuſa ęteme de generationis multitudo congreditur. Secundum verò ſi oſtendimus, propter diſſimiles & inæquales rerum euentus atq; effectus, diſſimiles & inæquales eſſe ſpecies cõiectamus, ſeriemque rerum ſuperioribus & inferioribus gradibus eſſe diſtinctam, quod in numeris ab vno deſcendentibus eſt perſpicuum. Hæc verò progreſſio ſpecierum neque aſcendere in infinitum poteſt, neque in infinitum deſcendere. Si ſurſum abeant infinitæ nulla erit prima, nulla ergo erit & media, quia primum eſt cauſa medij. Principio verò ſublata ſunt opera. Item in ſpeciebus alia eſt magis vna, vera, bona, alia minus: quæcunque verò magis & minus talia ſunt, propter minorem vel maiorem diſtantiam, & propinquitatem ad id quod primo & maximè tale eſt, dicuntur: Vt alba, calida, lucida, magis, & minus propter primũ lucidum atque calidum. Aut ergo ſpecies iſtæ æquè diſtant à primo, & maximè vno, vero, bono, aut non æquè pares eſſent in bonitate, ſunt tamen impares, ſic itaque, vt alia illi ſit propinquior, alia verò remotior. Non ergo ab eis infinito interuallo diſtat quod primo & maximè vnum, verum, bonum. Quia nulla ipſi eſſet propinquior alia. Primum verò & maximè vnum & bonum & verum, primũ rerum principium eſt, vt oſtendimus alias, imò verò ſi non eſſet primum, bonum, nõ eſſet aliquod maximè bonum, ſi non maximè bonum, nulla dicerentur magis minuſúe bona. Sunt tamen iſta, ergo & primum bonum, non itaque in infinitum

species rerum ascendunt, sed neque sine fine descendunt, siquidem finis principio descensus ascensui, decrementum incremento, minimú maximo, respondere debent. Quinetiam in his intermediis gradibus superior inferioris causa est, effectus autem à causa deficit, quia non par in eo v.s, cum causa producat & ipsum & quæ sub ipso, ipse verò se non producat. Non ergo vis effectus illius ad paria se extendet cum vi causæ, quia est vis impar. Sin autem infinita sub eo essent ad paria se extenderet. Item decrementum motus est ad imperfectum, imperfectio ad defectum, defectus denique ad interitum. Deficit ergo vis quę minuitur, minuitur vis causæ in effectibus paulatim. Ex his colligitur rerum species certo esse numero definitas. Singula verò sub speciebus infinita dicuntur, propterea quod species, vt de ideis probauimus, æternæ sunt: Semper ergo agunt, ne sint obtusæ: quęque verò plurimis se communicat quibus intereuntibus, noua vt Platonici volunt, sine fine succedunt. Quare in infinitum generatio & varietas singulorum progreditur. Idcirco Orpheus cum de natura loqueretur ait: ἄπλεστε τελευτὴ infinitus finis: illud quidem arbitror propter singula: hoc autem propter species definitas. Item de Saturno dixit: Qui destruis omnia iterumque resuscitas insolubilia vincula possidens per infinitum orundum Saturnæ æternitatis vniuersæ genitor Saturni multiplici consilio prędite. In his primo dicit, quod ipsa diuina mens Saturnus gignit omnia, & perimendo in noua permutat, vbi infinitatem generationis singulorum indicat, & vt terminum induceret ait: qui habes insolubilia æternitatis vincula per infinitum mundum. Nam per æternas species generationem infinitam certo sistit, continetque in termino, & quæ destructa sunt ex iisdem reficit speciebus, vt liceт in mundo intereant singula, recreando, tamen per similes species, & similia, nulla vnquam deficere videantur. Ideo in vniuersali hymno Deum vocauit ἀρχήν τε καὶ πέρας, id est, principium & finem. Nam idem terminat certis in gradibus omnia quę inchoat omnia. Restat tertium illud, nec ab extremo ad extremum sine mediis aduentemus. Verus enim ille est inuestigationis modus, qui rerum progressus sequitur. In rebus autem hic ordo conspicitur. Quælibet causa ex natura sua facit. Sequitur ergo naturam factio, effectionem verò factum sequitur: quare cuilibet causæ proximus est effectus persimilis. Dissimile verò quid habet, vt deficit. Si quid verò & iste facit, simile sibi facit, deficitque rursus & illud, ex quo gradatim ad simile peruenitur, itaque inter extrema medium est. Imò verò nisi interuallum sit, sublata distantia, extrema non essent. Itaque in Timęo duo saltem media inter extrema ponit, quorum vnum vni similius sit alteri alterum. Vt & primum sibi simile habeat proximum, & postremum à simili proximo comprehendatur. Medium quippe ex extremis constat, illa opposita sunt. Si ergo vnum esset medium in vno eodemque essent opposita, æquè vehementia, neque sese compaterentur: duo itaque sunt, vt in vno vnum præualeat oppositum, in altero alterum. Atque ita vnum oppositum alteri subiectum pareat, sitque in toto concordia. Posset forte poni medium Suè vtrumque continens, scilicet sub gradu vtrumque remisso ob quam temperiem ad tertiam redigatur formam, cui vtrumque pareat. Oportet verò medium esse diuiduum, ne extrema se contingant, ergo oportet habere principium, medium & finem. Medium, inquam, ne principium tangat finem. Vnum ipsum igitur cum sit ex vna virtute admodum efficax, mox effectum sibi simillimum vnitissimumque producit. Illud quia ab vno vnum, quia extra vnum ab vnione degenerat. Vbi vnitatis subintrat oppositum, ipsa videlicet multitudo: nam & causam respicit, & seipsum. Sed & hoc cum admodum vnitum sit vigenti & potentia præditum: fœcunda igitur vnione, & vnum gignit admodum simile, continuo degenerat illud, seque ipsum respicit. Respicit causam proximam, respicit & remotam, ergo post vnum duo eluxerunt, post duo emersit & trinitas. Idem contingit in gradibus cæteris quousque decrescendo ad dissimile, ac tandem ad infinitum descendatur. Et ex vno in multitudinem vnitam finitamque tanquam similiorem vni, ex hac in aliam, ac tandem ex finita multitudine in infinitam, vni dissimilem, veniatur. Nam & res ipsæ ab vno in mentem procedunt, à mente in animam, ab anima in naturam, ab hac in qualitatem, à qualitate in materiam quantitate extensam. Vbi multitudo ideo dicitur infinita, quia in infinitum procedit quantitatis partitio. Atque in hoc sexto annulo catenæ aureæ ab Homero inductæ cessat naturæ progressus. Ideo habet Orpheus, vt in sexta generatione ornatum cantilenæ finiamus. Proinde rerum genera sic se habent, vt genus vnum in species infinitas distinguatur, species in singula infinita descendat. Vbi rursus, vnum per finitam multitudinem mediam ad extremam infinitam est prolapsum. Quare concluditur ab extremo ad extremum esse per media transeundum. quod nisi quis seruauerit, neque extremum quod supra est intelliget, cum quanta vis eius sit ad media producenda ignoret, neque extremum quod est infra cognoscet, cum causam eius proximam, quod medium est non teneat. His propositis exequitur Plato dialecticæ facultatis traditionem, quam in Sophista atque Politico abunde descripsit. Hic autem dicit, quia in rerum ordine vnum reperitur, & multa & finis aliquis & infinitas, & cognitio de vniuersalibus rerum rationibus est: quia singula sunt incerta, quia scientiam inuestigans vnam ipsam vniuersalem plurium accipere rationem. Inest enim quoquomodo in rebus, inest & in ratione perfectius, inest & in mente præstantius. Itaque eam reperies cum eam acceperis ne in ea steteris; nam vis cuiusque in sequentis explicata apertius iudicatur. Ibis ergo ad proxima quę sequuntur, & genus illud. Nam communissimè quoque rationes accipiendæ prius, vt à simplicissimis ad composita descendantur, genus illud inquam in species diuidas, si potes duas per differẽtias. Hæc enim commodissima partitio est, quæ fit per opposita. Ea verò inter duo est, & prima diuisio in dualitate consistit, vt essentia per se alia, alia per aliud, illud substantia, hoc accidens, & substantia alia corporea, alia incorporea, vel saltem in tria partiaris, vt dicendi genus, aliud iudiciale, aliud deliberatiuum, aliud demonstratiuum. Vel in quatuor, vt elementum, aut ignis, aut aër, aut aqua, aut terra. Et vnumquodque membrum diuide rursus, vt corpus aliud animatum, inanime aliud. Incorporea verò substantia, aut à corpore semota, aut coniuncta corpori. Rursusque animatum corpus aliud arbor, aliud animal, atque ita vtrinque dispertias quousque singulas species in quolibet inclusas genere patefacies.

Quibus adnumeratis infinitam singulorum sub illis multitudinem arguas contineri, quam vni generi non prius subiicias quàm quot mediæ species sint comprætenderis. In genere quidem cognitio confusa, in singulis autem est incerta: In speciebus certa habetur atque distincta. Quare neque morandum in genere, neque est tamen per singula peruagandum, neque ab illo extremo ad hoc fine mediis transeundum.

De diuinitate & recto vsu artis diuidendi & vniendi.

CAPVT XXVIII.

Socrates, posita iam differendi arte, & tribus cautionibus declaratis, quibus tractanda sit statim, ne frustra hæc præcepta tradita sint, ad hanc artem tali obseruatione capessendam auditores hortatur, dehortaturque ab aliena quodammodo disciplina. Deinde verò per exempla dociles reddit, ad percipiendum & exequendum faciles. Hortatur autem eos magnopere cum diuinam inducit authoritatem, dicens, deos tribuisse nobis, vt hunc in modum consideremus quæque dum proprio freti ingenio inuenire quidpiam nitimur, atque etiam (vt diceremus) id est, ab aliis per disciplinam perciperemus, rursusque vt doceremus, alios scilicet quæ per nos inuenimus, & quæ ab aliis quibusdam didicimus. Quod autem dij nobis hoc dederint, in superioribus est expositum. Cum ea conditione res omnes, produxerint, vt vnum essent, & multa, & inter vnum multitudinemque infinitam, media esset multitudo finita. Cumque ipsi ex eadem luce, qua res ita discreuerant, radium nostræ menti rationique infuderunt, qui discretionis eiusdem vim habeat. Statim vero dehortatur eos ab aliena disciplina, dum monstrat quid eam sequatur vitij. Ea verò est quæ vnum & multa celerius vel tardius quam decet infert. Dicit enim, quod eorum temporum sapientes inter homines, id est, qui sensibus opinioneque humana sine lumine superiori vagantur, vtcunque contingit, id est, quo sors eos trahit, nam sensus & opinio externo iactu mouentur, partim celerius quem decet, vnum multaque ponunt, ceu Democritij, qui post vnum vacuum, mox infinita interualla, & innumerabiles atomos posuerunt, & Anaxagoras post mentem vna infinita statim, nihil enim esse vnum post illam, sed quodlibet infinitum. Omnia namque omnibus esse commixta. Partim verò tardius vnum quærunt, vt Protagoras, Pyrro atque Herillus, qui nihil magis in se tale esse quàm tale, sed innumeras esse rerum facies, pro cuiusque iudicio volunt. Vnum ergo isti nunquam inueniunt, sed tandem vnum nomen per communem loquendi vsum esse dicunt. Multi certe & illorum & istorum sectatores circa Socratis erant tempora, qui quamuis partim celerius, partim tardius vnum ponerent, tamen communi errore post vnum, siue rem vnam, siue nomen vnum, infinita protinus inferebant, neque certa media inter vnum, & infinita dinumerabant. Quibus mediis demonstratur, qui dialecticè, & qui contentiosè loquantur. Nam qui medias comprehendit species inter genera atque singula, firmam ac certam potest de omnibus reddere rationem. De genere distinctam in specie: de singulis firmam in specie, de specie, propriam rursus in speciebus. Qui verò vel species nullas habet medias, vel paucas, cum neque genus multiplicate cognoscat, neque stabiliter singula, propriam ac veram assignare rationem non valet. Ideoque ad verborum captiunculas confugit, versutiis disputantes subducit, fallit ambiguitate verborum, conuitiis, iniurgiisque superat potius quam ratione conuincat. Atque hoc est vitium, quod alienam illam sequitur disciplinam. Sequitur autem vt post exhortationem dehortationemque faciles auditores dociles que reddat. Quare exemplis rem omnem aperit. Omnis industria hominum vel in mentis cessat acumine, vel in vocem ex mente producitur, vel etiam cantum requirit, aut etiam sonum, vel præter hæc in corpus agit propium, vel externam materiam efficit. Prima scientia contemplatiua est, vt Dialectica, Geometria, & reliquæ similes. Secunda Grammatica, Tertia Musica vocum vel sonorum, quarta saltatio ludusque gymnasticus, quinta artis cuiusque fabrilis opera. Ex his omnibus tres mediæ, quia & sensibus se quodammodo efferunt, & circa corpus proprium operantur, notissimum habent euentum. Cum verò ex notioribus, vt in Republica & Sophista docet Plato, exempla trahere debeamus, in his tribus potissimum exempla Plato conficit, atque in literis primum, Patent enim cuique maximè, quæ primo quisque percipit. Vox quidem vna est nobis, id est, sonus ex ore nostro emanans: est iterum infinita, nam & omnes & singuli quotidie voces proferunt varias, atque in infinitum varietas replicatioque vocum progreditur. Siquis cognoscit hominis vocem esse vnam, id est, vnum quendam sonum ex ore hominis erumpentem, nondum grammaticus est. Id enim sciunt omnes, non tamen sunt grammatici omnes. Item qui percipit diuersitatem vocum innumerabilem audiri posse, nondum grammaticus. Nam cui hoc dubium? Sed ille grammaticus est qui tenet quot in species vox distingui possit & quales: dum ore articulatim in verba mente concepta distinguitur. Quinetiam neque musicus, qui vocem vnam esse intelligit, vel qui sine termino variam. Neque etiam qui vocem esse aliam acutam, aliam graue m, communis toni aliam noscit tantum, qui hæc scit nondum musicus, qui ignorat à musico est admodum alienus. Ille verò in eo sapiens est qui intelligit quot interualla vocum sunt in acumine & grauitate, & qualia, & terminos interuallorum considerat, & quot compositiones ex istis efficiantur. Musicum interuallum significat consonum excessum vocis vnius ad alteram. Qui sane excessus pluribus fit modis, nam aut superat vna vox in acumine, & intentione aliam octaua sui parte, tonumque efficit, aut minori parte quâ octaua, & efficit semitonium, vt scribitur in Timæo: primam Plato proportionem Epogdoum vocat. Lima verò secundam, aut superat tertia sui parte, quæ proportio epitritus dicitur, efficitque diatesseron harmoniam, aut dimidia parte excedit, quæ proportio hemiolus, harmoniam procreat diapente, aut totam se tota his æquat, quæ proportio diplasion, id est, dupla diapason harmoniam gignit. Proportio verò dupla duarumque tertiarum, diapason & diatesseron, tripla diapason & diapente. Quadrupla bis diapason. Primus excessus est nouem ad octo. Secundus ducentum quadraginta tres ad ducentum quinquagesimum sextum. Tertius quatuor ad tres. Quartus trium ad duo. Quintus duorum ad vnum. Sextus ipsius octo ad tria. Septimus nouem ad

tria, & nouem ad vigintiseptem. Octauus quatuor ad vnum, in primo tonum ponimus, in secundo semitonum, in tertio quartam vocem, in quarto quintam, in quinto octauam, in sexto vndecimam, in septimo duodecimam, In octauo quintam decimam. Veruntamen omnes interuallorum species intra octauam clauduntur. Excessus itaque interualla sunt. Termini verò interuallorũ consonantiæ quæ his excessibus cõficiuntur, quarũ species numerauimus. Cõpositiones verò interuallorũ sunt Tetrachorda, vel pẽtachorda vel octachorda, & similes chordarũ ordines sese inuter per interualla quæ diximus excedentium, induxit autem tetrachordum Orpheus. Nam in hymno Phœbi lyram Phœbo dat quatuor cum fidibus, dicitque æstatem produci cum acutam tangit, hyemem cum grauem. Cum medias duas autumnum atque ver. Quia verò dicit Plato, quod futurus musicus nosse debet, non solum quot interualla sint, sed quali a, intelligendum est in his excessibus vocis ad vocem, tribus modis potissimũ posse procedi. Nam si semitonio in tonum, ac tonum sit transitus, diatonos oritur, melodia grauis & constans si per semitonos plures eatur cromatica mollis. Sin autem per minora quodammodo, harmonica difficilis. Atque hæc sunt quæ iubet Plato circa musicam animaduerti, quæ cognoscentes maiores nostri quos sequimur, id est Pythagorici atque Orphici, harmonicam vocauerunt eam concinnitatem, quæ in vocum modulis ex eiusmodi obseruatione resultat. Rhythmũ verò vocauerunt, vt ad exemplum tertium veniamus, eam dexteritatem gratamque à spectantibus promptitudinem, quæ in saltantium Ludentiumque membris, ex arithmis, id est, numeris & mensuris musicæ consimilibus passim apparet: quod in Legibus quoque lib. secundo, & Republi. libro tertio declarauit, in qua idem est quod in grammatica & musica obseruandum. Idẽ quoque in cæteris omnibus. Quotiens enim hæc ita tractas, circa hæc sapiens euades, & cum similiter cætera, similiter & in cæteris sapiẽs, infinita autem multitudo singulorũ & in singulis, singulorũ scilicet individuorũ numero distinctorũ, & in singuli scilicet partibus corporis cuiuscunque imperitiũs te, & expertem sapientiæ passim reddet. Neque rationalem, neque numerosum atque compositum, vt potè in nullum in aliquo numero quandoque respicientem, Tria hic tangit Plato, sapientiam, rationem & numerum. Sapientia enim certa rei compræhensio est, quare prius ratione distincta fit res oportet, vt certe percipiatur. Deinde numero definita vt compræhendatur. Ratio ergo distinguit in partes, finitumque illis assignat numerum. Mox verò compræhendit. Singula vero & omnia numero & qualitatibus infinita. Et quodlibet particulis & varietate fluxus, & contingentium infinitum. Ergo nullus eorum definitus est numerus, nulla igitur illorum certa compræhensio.

Ab vno in multitudinem finitam, & vicissim ab hac ad vnam per multitudinem finitam est procedendum.

CAPVT XXIX.

Satis ex superioribus persuasi sunt Socratis auditores ad eam disserendi artem debita. diligentia prosequendam; Idcirco Protarchus ad Philebum conuersus Socratis dicta probauit. Quod ille quidem non renuit, sed quid ista ad præsentem de voluptate & sapientia quæstionem conferant, interrogauit? Quod recte quæsitum respondet Socrates. Orauit ergo Protarchus vt his propositis per hæc quæstionem propositam enodaret. Quod se facturum Socrates pollicetur, modo prius quod in exemplis restat, peragat. Siquidem ex superioribus exemplis constat non esse ab vno ad infima sine mediis festinandum. Reliquum est exemplis ostendere, non esse ab infinitis ad vnum absque debitis mediis redeundum, idque in literis aperit. Porrò autem homines aut à mentis ratione considerare quæque incipiunt, aut à sensibus. Si ratione ab vno in multa sua per media partiantur oportet. Sin à sensibus ab infinitis per media reuertantur in vnum. Primum supra constitit, alterum hic in literis declaratur. Vsus literarum sempiternus fuit, vt in septimo libro ostendit Plinius, & in Timæi principio Plato significat, & tertio Legum. Sed certi quidam literarum modi à variis sunt inuenti. Zoroaster & sacerdotes sui propriam seorsum à vulgo habent literaturam, in signorum syderumque cœlestium characteribus literas instituit, Mercur. eius in exẽplo cõmonitus suis sacerdotibus in animalium & plantarum figuris dedit literas, ne vulgus Theologiæ esset conscium. Floruit autem in Aegyptijs Naucracia, vt Plato scribit in Phædro, quidam ex his quos Aegyptij vt deos venerati sunt, cuius nomen est apud Aegyptios Theuth. Apud Græcos Hermes Trimegistus Latini hunc Mercurium vocant. Eius tempore Tamus Thebarum Aegypti rex erat, vbi Iupiter celebratur Hammonis Huius Tami familiares sunt Mercurius, Hammonis autem Dei afflatu Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam inuenit, & vsum præterea literarum induxit, tanquam sapientiæ adminiculum, memoriæque subsidium. quam quã Tamus propter scriptorum confidentiam, cogitationisque negligentiam, obliuiosos homines literarum vsum putauerit effecturum, & ad inuentionem negligentiores, vt pote non suo sed superiorum ingenio fretos. Obest plerumque memoriæ literarum vsus, nam ea quæ in scriptis reposuimus, veluti custodire desinimus, & ipsa securitate dimittimus, Hæc in Phædro. At verò Plato hic ait, cum vocis infinitatem consideraret, siue quis Deus, siue diuinus vir aliquis, Deus quia Dei lumine, Deo proximus. Diuinus quia vt in Sophista dicit, nullus hominum Deus dicendus. Diuinus verò est appellandus Philosophus, quem & dæmonem in Phædro vocat, hoc est sapientem, cum inquam diuinus ille & sapiens Philosophus Mercurius Trismegistus vocis infinitatem animaduerteret, velletque ad vnam vocem descendere, medias quasdam species vocum inuestigauit. In prima specie vocales posuit, distinxitque in septem α ε η ι ο υ ω reliqua in specie eas posuit, quę vocem quidem per se non habent, sed casum aliquem & tensionem inferunt literis aliis additæ, quas consonantes vocamus septem ac decem numero literas β γ δ ζ θ κ λ μ ν ξ π ρ σ τ φ χ ψ. Has consonantes duas in species partitus est, in semiuocales, quas hic medias vocat Plato & in mutas. Semiuocales verò octo ζ ξ ψ λ μ ν ρ σ, mutas nouem β γ δ χ π τ δ φ χ, Rursusque vocales in tres alias longas η ω alias breues ε ο alias duarum temporum α ι υ. Semiuocales autem octo in tres, in duplas & immutabiles & in tres, Duplas tres ζ ξ ψ, immutabiles quatuor λ μ ν ρ mutes in tres, tenues, densas medias, tenues tres κ π τ, densas tres θ φ χ, medias tres β γ δ. Priscianus ita diuidit, in

vocales & consonantes, Vocales a e i o u, consonantes alias omnes vocat. Ex his alias semiuocales, alias mutas, alias liquidas, Semiuocales l m n rs, mutas b c d f g l r p q t, liquidas enim m n l r. Ex Aegypto & Phœnicia literas in Græciam transtulit Cadmus, è Græcia in Latium Pelasgi, vt in septimo libro inquit Plinius. Sed ad Mercurium redeamus. Hic literas ita distinxit, vt ad singulas literas perueniret, & vnamquamque vocauit elementum, Syllabæ scilicet elementum, & cunctas etiam elementum vocauit, dictiones scilicet orationisque elementum. Cum verò cogitaret ille quod nemo vnumquiddam illorum sine cunctis cognosceret, id est quod vnius cuiusdam literæ vim, sine illarum commercio, non posset aliquis scire, & communis vnius vocis naturam distinctè non posset dignoscere sine singulis, ideo & vnam distinxit vocem multas in literas, & quamlibet literam cum aliis ita contexuit, vt vnam istius discretionis connexionisque disciplinam induceret, quæ de vna literarum communi narura mutuaque inter se habitudine cogitaret, quam grammaticam nominauit. His dictis, infert Philebus, se in hoc postremo exemplo, hanc literarum conditionem planius percepisse quàm conditionem musicæ, vel gymnasticæ, quam supra perstrinxit. Imò etiam clarius nunc tandem literarum conditionem intelligere, quam supra, cum de ijsdem literis facta mentio fuit; sed adhuc idem quod & supra requirere. Ad hæc Socrates, nunquid postulas quid hæc ad quæstionem propositam conferant? Id ipsum esse responder Philebus, quod dudum ipse & Protarchus requirerent. Atque Socrates ait: cum iam id propè assecuti sitis, quæritis tamen. Nam id sibi vult diuturna hæc inuestigatio, vt cum de voluptate & sapientia disceptandum sit, vtrum eorum potius sit vt melius eligendum, vtrumque prius scientia comprehendatur. Cum verò vtrumque vnum sit genus multas in species distributum, & in singula iterum infinita, considerandum iubet superior disciplina, quomodo vtrumque & quo ordine in species definitas sit partiendum, priusquam ad infinita singula descendatur. Ait ergo Protarchus. O Philebe, haud leuis ista quæstio est, in quam circulo quodam Socrates nos deduxit. Dixit circulo, quia à voluptate & sapientia insipiens, longiori quodam ambitu in voluptatem rursus & sapientiam rediit: ac etiam, quia per sensum à multitudine ad vnum processit in mentem, & per mentem ab vno in multitudinem descendit in sensus. Vnde igitur vter nostrum ad hæc sit responsurus. Forte verò absurdum est, vt ego tibi respondendo successor, gerere vicem tuam nō possum, tibique respondendum præcipiam. Absurdius tamen esset, si neuter nostrum respondere posset, atque ita diutius in hac inscitia commoraremur. In quo docet quoduis aliud esse ferendum potius quàm inscitiam. Vide igitur quid agamus. Videtur mihi Socrates quærere de voluptate & sapientia, vtrum plures sub se species habeant, quotue sint & quales. Confirmat hæc Socrates dicens. Vera narrās, ô Protarche Calliæ fili. Nam nisi possumus quæ supra dicta sunt obseruare, in omni eo quod vnum, simile, idem, dicitur & in contrariis, scilicet multis, dissimilibus, diuersis. Nullus nostrum quando que ad aliquod alicuius erit pretij. His verbis eos Socrates ad eam disciplinam vehementissime prouocat, dum quàm graue sit in eius priuatione detrimentum ostendit. Quia dixit, vnum, simile, idem, aduertendum est quod vnum ad omnem pertinet communionem, quæ si in qualitate est, simile efficit, si in substantia idem, si in quantitate, æquale. Oportet autem quodlibet vnum in multa deducere, siue simile quoddam in se videatur in dissimilia, si quasub eo latent, vt calidum in dissimilia calida, quantis ea inter se gradibus differunt, saporem in dissimiles saporis species. Siue idem communi in natura appareat, in diuersa si qua subter sunt, vt animal in bruta & homines, ac rursus multa in vnum. Dissimilia in simile aliquod, diuersa in aliquod idem. Omnia enim quantumcunque multa vel dissimilia, vel diuersa in vna quadam saltem conditione conueniunt, vel essendi, vel viuendi, vel agendi, vel patiendi, vel boni, vel procedendi ab vno, vel redeundi ad vnum. Cum per hęc Socrates auditores nimium astrinxisset, refugit grande hoc onus Protarchus, reiecitque in Socratem. Temperato, inquit, vito; pulchrum videtur omnia nosse, quod si fieri non possit, secunda quædam, id est, rota nauigatio illi videtur, suam ignorantiam recognoscere, ne & rem ipsam ignoret, & ignorantiam, neque dum quod ignorat tentat, aberret, neque sit indocilis, neque superbior, quod in Alcibiade Plato docet. Quasi dicat, probamus quidem omnia esse diligenter examinanda, & eam esse optimam discussionem quam narrasti, sed ipsi adhæc ineptiores sumus, adolescentuli, scilicet dialecticæ expertes, neque dum ad Philosophandum idonei. Tu verò peritia & ætate aptior, & præterea tua interest ista discutere. Nam Philebo dicenre voluptatem summum esse bonum, tu protinus negauisti, obiecistique sapientiam esse præstantiorem. Tu ergo contētionis causa: Vnde enim obiectio oritur, inde & disceptatio. Tua ergo interest explicare, quod ipse implicuisti. Quinetiam his in disceptatione positis, prædiximus tibi te nos minime dimissuros priusquàm absolueris. Ipse verò promisisti, dedistique te nobis disceptatorem. Quod verò semel iure est datum, non est auferendum. Postquā tribus rationibus ostendit hæc à Socrate esse tractanda, hic iam modum declarat quo explanari ista desiderat. Mitte igitur modum istum loquēdi Socrates, & vagum & turbulentum, neque scrupulos initias, neque à nobis exquiras, quæ declarare non possumus. Dubitationem tu mouisti, soluere ipsi non valemus, in ea resistendum mini: me est: Neque enim inquisitionis finis est dubitatio, sed inuentio. Tua ergo interest quærere, pręsertim cum promiseris. Quare ad summum bonum demonstrandum iam accede. De voluptate tu & sapienria differe, siue eas in suas species diuidendo, siue quomodocunque aliter, si aliter commode potes, ac vis ea in quibus dubitamus exponere. Quod dixit, secundam nauigationem, idem in Phœdone inquit, Tutum significat iter. Nam qui prima nauigatione errauerunt, in secunda tutius nauigant. Vnde Romanus ille Publius Mimus, Improbe ait, Neptunus accusat, qui iterum naufragium facit. Quod prætetea dixit, ô Socrates, tu huius cœtus causam nobis dedisti, teque ipsum nobis præbuisti inuestigatorum, quid in humanis rebus sit optimum. Ostendit huius libri propositum esse, non de voluptate, sed de summo bono, non absoluto sed humano differere. Quod autem dixit, mentem, scientiam, intelligentiam, artem per mentem accepit animi vim supremam, scientiam eius habitum, intelli-

gentiam verò prudentiam agendorum inde manantem, artem denique rationem faciendorum operum. Quod verò dixit, finem disputationis inuentionem esse, non dubium docet Platonis propositum esse, doctrinam tradere, non ambiguitates, quas sceptici, & Arcesilas & Carneades secuti à Platone degenerauerunt.

Quod bonum sit ente atque mente superius. Quodue ipsius boni condito est, vt sit perfectum, sufficiens, expetendum.

CAPVT XXX.

POst hæc, quartam dialogi partem aggreditur Socrates, in qua vt ipsum bonum cognoscatur, & quæ ex aliis bonis illi sint propinquiora, conditiones boni ipsius enarrat. Tertium enim hoc cognoscat oportet, qui ad ipsum duo illa voluptatem & sapientiam sit comparaturus. Comparatio vero istorum duplex est ad tertium. Vna negatiua qua neutrum illud esse monstratur, altera affirmatiua qua quætitur, vtrum duorum tertio sit propinquius? Ad primam non est opus ea diuidendi & definiendi arte quam supra descripsimus, ideo eius artis vsum ad tempus differt, quando affirmando illa inuicem, & ad tertium comparabit. Vt autem cognoscatur quòd neutrum ipsum bonum sit, non est opus vtrumque in species suas diuidere, & exactissimè definire, sufficit enim vtrorumque communis quædam intelligentia, & propria quædam illius tertij ad quod cōparatio dirigitur notio. Ideo cum Protarchus dixisset Socrati vt ad hanc comparationem seu diuidendo, siue non diuidendo quomodocunque vellet sese accingeret, libéter, hac libertate disputationem iniuit Socrates. In primis ita iocatus: Nihil graue amplius metuendum, postquam arbitratu meo loqui me finitis. Hoc obiecit adolescentibus illis, qui supra & comminati illi eamque vrgere soliti erant, qui quoniam dociles erāt, difficultate rerum perterriti, iugo Socraticæ rationis iam ceruicem subiiciebant. Imò verò nec graue illi quicquam in differendo cui prò voluntatis arbitrio, & aggredi & dimittere disputationem permittitur, & disputationis rationem ex mente diligere, quam authoritatem iuniores senioribus cōcedere debent. Qua sane authoritate fretus Socrates, comparationem negatiuam addit, scilicet quod neutrum ipsum bonum est, quia vis mentis vsque ad formas protenditur, cum ipsa species sit, & speciebus agat. Omnis enim mens agit intelligendo, ergo faciendi operis formam concipit in seipsa, ad eiusque exemplar agit formam. Item cuiusque artificis mens formam agit tantum, materiam minime. Eam enim natura gignit, vt figulus vasis formam, natura lutum. Sicut autē se habet pars ad partem in genere eodem, ita totum ad totum, quare sicut mens particulare ad particularem materiam, ita vniuersalis mens ad materiam vniuersalem, sed particularis mens particularem materiam non gignit, sed format, ergo & mens vniuersalis vniuersalem similiter materiam. Nullius ergo mentis portio ad materiam vsque portigitur. Bonum igitur supra mētem est. Est & super esse, quia vis ipsius esse, vsque ad formata tantum, quorum esse per formam est, extenditur. Vis autem boni etiam ad priuationem atq; materiam, quia in actum bonum tendunt per vim aliquam ipsis à bono insitam. Cum ergo bonum supra mentem & esse sit, est super potentiam mētis eiusque obiectum, quod primum esse est: Primum enim mentis obiectum, suum esse est. Nam primo seipsam intelligit. Mentis esse, ptim um est esse, quia prima species est, esse verò formam sequitur. Ideo primum esse vbi prima species, vbi hæc, ibi subiectum speciei, & species, subiectum seipsum in actum non educit, quia esset actus iam non potentia. Iam verò species eius quia in alio, ideò ab alio, & ab actu, ideo super omnem speciem actus est, non subiecti actus, sed actus penitus absolutus à quo omnis species est, quæ subiecti est actus, quem actum esse præsupponit in subiecto illo, hoc est essentia impressum. Bonum igitur super esse & mentem existit. Igitur supra obiectum vimque mentis ipsius extat. Quare ad eius perceptionem non propria vi, sed ipsius eiusdem boni fauore ad scendit Socrates. Solem enim non nisi Solis lumine cernimus. Ideo dicit, quod Deus aliquis in mentem sibi reduxit iam, quæ quondam Dei etiam lumine nouerat audiens, à Diotima vare Deo rapta de boni natura loquēte, quæ cum diceret Diotima. Socrates vtpote iunior ac sensibus & opinioni deditus, quasi somnians, tunc primum accepit, id est, pro ipso bono, boni est suspicatus imaginem. Bonum namque dixerat esse Diotima, quod perfectum, sufficiens, expetendumque quodquidem prima ætate iuuenes voluptuosæ vitæ tribuunt, secunda ætate vitæ ciuili. Ita forte egerar Socrates. Demum verò excitus, id est, mente vsus ad veritatis contemplationem, ipsum reuera bonum non imaginem intuitus est, cum recognosceret longo mentis examine in neutra vita sufficientiam & perfectionem inesse. Nunc quoque, ad spirante Deo, eorum recordatur quæ audiuit olim, & quæ examinauit; per quæ hic paulo post concludet, quod neque sapientia, neque voluptas ipsum bonum est, sed tertium quiddam præstantius. Quod si constiterit, voluptas ipsa Philebi non amplius bona omnia superabit, cum non idem sit ac bonum ipsum: Neque opus erit voluptatem vel sapientiam in species suas diuidere ad cognoscendum vtrum istorum summum sit bonum: nam quod neutrum istorum sit, per communem vtriusque cognitionem & propriam tertij notionem concludere pòssumus. Meminisse oportet, Socratem musicam didicisse à Conno, Ab Aspia dicendi artem, vt in Menexene scribit Plato, atque vt in Sympofio refert, amatoriam artem à vate Diotima accepisse, per quam amare didicit, cum ex ea intellexisset quod reuera amandum sit, ea siquidem docuit, quid ipsum vere pulchrum sit, quid ipsum bonū. Ideo Diotimæ dicta ad propositam de bono & appetendo quæstionem adducet. Quis autem Deus ille fuit qui & Diotimam afflauit, cum pulchrum & bonum Socrati reuelauit, & rapuit Socratem audientem, & reduxit demum post longa tempora in eandem hic Socratem contemplationem? Profecto ille fuit amor quem Dionysius Areopagita tertium in diuinis posuit. In primo si quidem potestatem posuit, pulchritudinem in secundo, in tertio locauit amorem. Potestas explicata pulchritudo fit: In pulchritudinem reuoluta fit amor. Plato insuper primo bonum posuit, secundo pulchrum, Amorem tertio. Bonum viri principio, pulchrum menti diuinę, amorem animæ in diuinæ mentis decorem conuersæ dedit. Amor itaque in pulchritudinem nixus est. Hic primum viget in cœlestibus animis, qui proximè decorem illum intuentur, inde & in nostros permanat, & quasi radius qui-

dam ſuperne deſcendens, in ſplendorem vnde deſcendit noſtros conuertit animos, in diuinæ ſcilicet mentis ornatum. Inde in lucem illam perducit, vnde pulchritudinis ſplendor in diuina emicat mente. Id autem ipſum bonum, vnde amor per pulchri imagines in ipſum pulchrum, pulchrum perducit in bonum. Ipſum enim bonum omnium principium & mentem & animam, & materiam ſpecierum, rationum & formarum pulchritudine format, materiam conuertit in animam, animam attollit in mentem. Ipſum denique ad ſe rapit omnia. Materia itaque animæ ornatum appetit, anima mentis amat decorem. Hæc omnia ipſum bonum decoris fontem ſitiũt, decore ipſo quaſi quadam boni ipſius prælibatione pellecta. Ideo amor circulus quidam eſt, à bono manans, per pulchrum progrediens, in pulchri imagines currens, perque illas ad pulchrum conuerſus, & in bonum per pulchrum denique reuolutus. Hic Deus in Phædro & Sympoſio concitauit Socratem debacchantem, idem hic diſputantem admonuit. Atque ideo ſtatim tres eſſe boni ipſius conditiones ſignificabit, vt ſufficiens ſit, vt expetendum, vt perſectum. Quod rerum omnium ſit principium, quia bonum & vnum idem ſit, vnum verò primum ſit principiũ, alias demonſtrauimus. Cuius demonſtrationis pars aliqua mox ſequens repetenda videtur: cum omnia ab vno principio ſint, principium illud vel ipſum bonum eſt, vel bono melius. Si bono melius, aut aliquid ab ipſo in naturam rerum procedit, aut nihil, ſi nihil, abſurdum id quidem, non enim eſſet rerum principium, niſi aliquid ab ipſo rebus tribueretur. Sin autẽ aliquid à principio iſto rebus datur, quemadmodum à bono rebus iſtis datum eſt aliquid, quod quidem bonitas eſt, erit aliquod in rebus melius bonitate à cauſa prima tributum. Nam ſi ſuper bonum ſit, ipſoque melius, meliora certè rebus munera elargitur quam ipſum bonum. At verò quid bonitate melius? Quippe cum melius aliquid ex eo ducatur, quod bonitatis magis eſt particeps? Quinetiam cum omnia bonum duntaxat cupiãt, ſi ſupra bonum eſt aliquid, vtrum & illud appetant nec ne? Si non appetunt, abſurdum eſt cauſam primam à qua quæque fiunt atque ſeruantur, non appeti & ab omnibus. Sin appetunt, non bonum maximè appetant, neque ſub ratione boni cuncta perquirent. Cum verò bonum ſit ad quod omnia appetendo conuertuntur, bonum erit à quo omnia procreantur, quo enim omnium eſt conuerſio, illinc & omnium eſt proceſſio. Bonum itaque primum rerum eſt principium, quia principium eſt, ideo ſufficiens dicitur, expetendum, perfectum. Sufficiens, inquam, quia in ſeipſo permanens ex fœcunditate exuberãte producit eſſentias omnium. Expetendum, quia eſſentias ſtatim productas in ſe conuertit. Perfectum, quia cõuerſas perficit atque complet. Propter primum quidem principium, & veritas & vnum dicitur. Propter ſecundum vero, medium & via. Propter tertium, finis & vita. Ideo quarto Legum dicit Plato: Deus, vt antiquus ſermo teſtatur, principium, finem & media, rerum omnium continens, rectitudine, ſecundum naturam peragit omnia atque circuit. Antiquus autem ille ſermo eſt Orphicus. Inquit enim, Iupiter principium, Iupiter medium, ex Ioue nata ſunt omnia, Iupiter fundamentum terræ cœlique ſtelliferi. Propter omnia bonum dicitur. Primum ſic oſtenditur, quod ſcilicet immobile, permanens creat. Nam ſi per motum, aut motus ille in eo eſt, aut extra, ſi in eo, ipſum mutatum eſſet ab vno & bono, ergo quodammodo ab vno & bono diſcederet, debilitaretur igitur. Maximè vero potens apparet aliquid cum aliud efficit. Hoc autem tunc debilius appareret cum maximè vis eius eluceret, ſin extra ſit, ergo motus ab eo productus, vtrum per motum, an ſine motu? Si primum, in infinitum ibitur. Si ſecundum, conſtat quod manens immobiles generat. Imo vero cum omnis motus impetus ſit ad aliquid quod deeſt. Deeſt aliquid primo ſi mouetur. Item vel aliquid melius mouetur, vel deterius, vel æquum. Ad melius quidem non nihil enim bono melius: ad deterius quoque non. Non enim ignorans eſt, aut cogitur, cum nihil ſupra ſit. Ad æquum vero ſtatum priori cur mouetur? habet enim iam, Cur quærit ergo? Quare cum nulla ſui tranſmutatione producat, ſtans in ſeipſo creat. Non ergo defectu proprio extrinſecus aliquid quærens ad agendum exit, ſed exuberante fœcunditate ſe propagat. Atque vt Dionyſius ait, infinita Dei bonitas non permiſit eum ſine germine in ſeipſo manere. Quod in Timæo innuit Plato dicens, bonitatem Dei liuore carentem generandis rebus dediſſe cauſam. Atqui immobile manere principium in ſecundo de Repub. Plato vult. Ex immobili igitur fœcunditate ſufficiens. Ipſum bonum dicitur, id eſt quod & ſibi vnà & aliis ſufficit: Dum ſe non exhauriens irrigat alia. Quod expetendum patet primo Dionyſij Areopagitæ authoritate dicentis, omnia modo ſuo Dei ſimilitudinem petere, quæ sũt tantum ſecundum eſſe, quæ viuunt ſecundum vitam, quæ ſentiunt ſecundum ſenſum, quæ intelligunt ſecundum intelligentiam. Deinde ratione ſit, quia conuertit in ſe ſtatim naſcentium appetitus: Vnumquodque enim bene eſſe deſiderat. Bene eſſe habet vnde eſſe. Ad cauſam ergo conuertitur. Etenim ſuo ineſſe ſeruari quodcunque appetit. Conſeruat eſſe quod eſſe dat. Nam & conſeruatio eſſendi, continuatio eſt, quæ quidem eſt tanquam iugis perennisque productio, vt imago in aquis & ſpeculis obiecta, & à Sole lumen. Eiuſdem igitur conſeruare eſt, cuius & generare. Effectus igitur cauſam appetit conſeruantem. Ipſum ergo bonum cum ſit omnium cauſa eſt omnibus expetendum. Item ad agentium ordinem ordo in finibus ſequitur: Nam quemadmodum agens ſupremum omnia agentia ſecunda mouet, ita ad agentis ſupremi finem, oportet fines ſecundorum agentium ordinari. Quicquid enim agit primum ipſum agens, propter finem ſuum agit. Agit autem primum ſecundorum omnium agentium actiones omnes, ad actionem ſuam mouendo, atque ita ad ſuos fines. Vnde ſequitur omnes poſteriorum agentium fines à primo agente ad finem ſuum propriũ dirigi. Agens autem primum omnium Deus eſt. Volũtatis autem ipſius nihil aliud finis eſt quàm ſua bonitas, In Deum igitur omnia reflectuntur. Præterea finis vltimus facientis cuiuſlibet in quantũ faciens eſt, eſt ipſemet. Rebus enim à nobis factis propter nos vtimur, & ſi quis quandoque aliquid propter alium efficit in ſuum denique bonum refert, vel iucundum, vel vtile, vel honeſtum. Deus eſt omnium author, quorundam proximè, aliorum per media. Eſt itaque finis omnium: Accedit quod finis inter alias

causas principatum tenet, atque ab ipso cæteræ omnes causæ habent quod actu causæ sint. Agens enim causa, non nisi propter finem agit. Ab agente verò ex materia in actum formæ deducitur. Vnde materia actu fit huius rei materia, forma quoque huius rei forma fit, propter agentis ipsius affectionem, atque idcirco propter finem ipsum. Finis quinetiam vltimus prior causa est, per quam præcedens finis intendatur vt finis. Nemo enim in proximum mouetur finem, nisi fine vltimo prouocatus, finis igitur vltimus prima est omnium causa. Illa & ipsum bonum idem. Bonum igitur omnibus expetendum, perfectum quoque dicitur, quia complet naturas omnium, & implet omnium appetitus. Perficere illius est, cuius est & facere, complere cuius inchoare, implere illius quod exuberans est, quia super omnia est & omnia. Facit, inchoat, conuertit omnia causa prima omnium. Imò cum implere sit appetitum sistere, & illius sit in seipso sistere, quod ad se mouit, ipsum bonum quod ad se mouet appetitionem omnem, omnem quoque in seipso sistit & implet, in quo quicquid apperi potest, appetitio repetit, quod quia appetentis supereminet capacitatem, comprehendens eam sistit, ac firmat. Ipsum igitur bonum qui Deus est, sufficiens, expetendum, perfectumque dicitur.

Quomodo ipsum bonum sit admirandum, amandum, iucundum, & quid potißimum in vnoquoque sit vniuscuiusque bonum.

CAPVT XXXI.

PLato in Cratylo dicit ἀγαθόν quasi ἀγαστὸν ἀπὸ τοῦ ἄγωμαι. Quod tria significat, admirari, amare, delectari. Bonum enim admirandum est cum ad illud accedimus, amandum cum hæremus, iucundum cum eo implemur. In primo ab aliis conuertit ad se per cognitionem pulchritudinis suæ. In secundo, trahit ad se per amorem eiusdem. In tertio transfert in se diffunditque per voluptatem, circumfunditque seipsi, & implet per bonitatem. Interrogabit igitur forte aliquis, bonum ipsum principium rerum esse dicis, idque esse sufficiens, expetendum atque perfectum, id verò ipsum in se bonum est, neque est alicuius, nec in aliquo, quid ergo in rebus aliis bonum? Huius, inquam, pro captu cuiusque imago. Omnia sequentia lumina primi luminis imagines sunt à primo lumine dependentes. Habitus ergo cuiusque rei quo ad eius natura patitur, sufficiens, expetendus, perfectus, supremum eius est bonum. Hic à bono absoluto dependet, vt color à lumine, calidum à calore. Quid vnum istud est tandem, quo & principium bonum dicimus, & alia bona? Actus. Quid vt malum, fugiunt omnia? Priuationem: ergo vt bonum sequuntur omnia: actum priuationis oppositum. Materia quidem ab ipsa informitate discedens perpetuo ad formam suscipiendam inhiat, seque formanti exponit obedientem, animaliumque corporibus dolor innascitur cum ab illis animæ forma disiungitur, voluptas cum adhæret. Forma verò actus quidem est, quoniam est agendi principium, forma item in motum actionemque prorumpit, nec ab operatione cessat vnquam, quod & cœli & elementorum motus generationesque demonstrant. Et animæ per vim nutriendi gignendique, sentiendi, intelligendi semper in actum feruntur, ergo sicut materia & corpora primũ semper expetunt actũ, ita formæ animæque secundum. Primus actus forma est. Secundus est operatio. Idem & mentes quærunt, siquidem pars mentis quæ nobis inest in operatione tanquam bono admodum delectatur. Et quisquis animus scientias & virtutes appetit, speciem animi actusque appetit. Quisquis fortunæ aut corporis commoda, vt per illa & circa illa vtendo vel fruendo aliquid agat. Imò verò & etiam esse & viuere appetunt, vt vtroque vtantur. Vtuntur autem secundum eorum vires agendo. Actus igitur est quod omnibus expetendum est etiam sufficiens: Actus enim primus cum aduenit, subiectum significat, sufficienter iam præparatum, & compositum, ipsum ad agendum est sufficiens. Actus secundus rem sufficienti vigore ad vitam declarat. Quod enim enim vel mouet vel gignit aliud integrum ipsum iam & adultum est, est & perfectum. Primus actus implet materiæ desiderium, eius terminat infinitatem, ornat deformitatem. Secundus actus formarum nixum complet, & externum perficit opus. Sic est igitur colligendum, tres illæ boni ipsius conditiones sunt propriæ, sunt & actus ipsius proprij: ergo bonum & actus idem. Quisque actus illa tria habet quodammodo, quisque ergo quodammodo bonum est. Actus purior habet ea magis, ergo & magis bonum, actus purissimus habet omnino, ergo & summum bonum. Neque habet hæc actus extrinsecus, quia non alia ratione quã ea ipsa qua actus est. Nam quod ea minus habeat vnus actus quã alius, subiecti & impedimenti, & priuationis admixtione contingit. Nihil ergo actui est addendum, vt magis bonum sit, sed additamenti inquinatio remouenda. Statim purus emicat, statim cum sua hæc naturalis puritas emicat, ad puritatem suam tria crescũt illa, & bonitas demonstratur. Quinetiam in vnitate bonum consistit (vt supra dictum est). Vnitas in actu, ergo in actu bonum. Materia enim tota vna dicitur, quia à primo actu, & quia sub vna iacet forma mundi, quælibet materia vna ex vna quadam forma. Indifferens enim materia quæ vis ad multa opera. Data forma vnum quiddam est facta, & omnes partes compositæ rei per naturam, vel per artem, vel domus, partes vnum ex certa totius forma sunt. Forma verò cum maximè suam seruat, restituit augetque vnitatem, tunc in secundum actum, operationem scilicet optime sese comparat. Qui vnus actus, vnum in forma testatur esse vigore, & vnum opus determinat, & tunc maximè in vnum dirigitur agens cum agit, & agit maximè cum vna intentione in opus suas omnes vnit particulas. Primũ ergo cum bonum sit & vnum, actus est, & quia summum bonum, actus est purissimus. Est enim actus sui iuris, nullis subiecti limitibus coarctatus, cumque nullius propriè actus sit, actus est omnium, eumque in nullo sit inclusus, omnibus adest. Est ergo bonũ super omnia, & in omnibus. Quemadmodũ solis lumen cum nullius oculi proprium lumen sit, omnium est lumen & in omnibus. Radius autem qui alicuius est oculi proprius, illius solius est & in solo. Ideo Plato in sexto de Republica, bonũ ipsum per Solis imaginem figurauit, dicens: quod Sol & corpora visibilia, & oculos videntes procreat. Oculis vt videant, lucidum infundit spiritũ: corpora vt videantur coloribus pingit, neque tamen proprius oculis radius, proprijque corporibus colores ad visionem perficiendam, nisi lumen ipsum supra

multa, à quo multa & propria lumina oculis corporibus diſtributa ſunt, adueniat, illuſtret, excitet, atque roboret. Eodẽ modo primus ipſe actus ſpeciem actumque rebus ſingulis producendo largitus eſt. Qui ſane actus cum in ſubiecto patiente ſuſceptus fuerit, debilis eſt & ad operis executionem impotens. Sed diuini Solis perpetua & inuiſibilis lux vnà ſemper omnibus adſtat, fouet, viuificat, excitat, complet & robotat. De quo diuinè Orpheus: cuncta fouens atque ipſe ferens ſuper omnia ſeſe. Mercutius quoque ait, Deum eſſe omnium actuum potentiam, & omnium potentiarum actum, quia omnes primi actus ab eo creantur, potentia efficax omnium actuum Deus dicitur, quia omnes actus ſecundi ab eo excitantur & robotantur, potentiarum omnium dicitur actus, id eſt omnes potentias in actum reducens. Actus quiſque tam primus quàm ſecũdus à Deo datus, cuiuſque bonum dicitur, & dicitur cuiuſque ſummum bonum, quandoque ſine vllo impedimento integram agendi ſecundum ſui naturam vim exercet, expeditiſſime operatur. Hoc autem fauore primi actus aſſequitur, quando ad ipſum conuertitur: quod non alicuius, ſed æquè omnium bonum dicitur. Primus igitur actus complet cuiuſque actum, & expedit vt compleat & roboret ipſum bonum, vt expedit gratum reddit & agilem, ipſum pulchrum dicitur. Actus autem rei ipſius vt roboratus, optimus, vt expeditus, iucundus & pulcher. Totus autem hic actus roboratus in ſe, & quo ad impedimenta alia expeditus, ſummum cuiuſque eſt bonum, quia ſummus cuiuſque eſt actus. Quod primo actus ſit, à primo actu habuit. Quod deinde robuſtus ſit & expeditus à primo quoque actu, & à ſua in eum conuerſione. Dat ergo bonum Deus rebus in procedendo: Dat bonum ſummum in conuertendo. Ad primum munus ſola Dei magnificentia ſufficit, ad ſecundum conuerſio rei ipſius ſuſcepturæ requiritur. Producit quidem ipſum vnũ omnia, mentem ſcilicet, animam, materiam. Cum verò cuiuſque cauſæ character in opere ſuo ſeruetur, in hotum ſingulis vna quædam ſua vnitas eſt, à primo impreſſa vno. Actus quidam rei productæ ab abſoluto productoris actu. Nam quæque res principale aliquid ſui in ſe habet, vel vim vnam, vel ſubſiſtentiam vnam, vel conditionem vnam, quod vnum quaſi eius cẽtrum eſt ad quod, & à quo cætera, quę in eo ſunt, exiſtunt, vt ad centrum, & à centro omnes ad circumferẽtiam lineę. Omnia vero per hunc actum vnum centrumque ad primum actum vnumque vertuntur. Neque vero attingere vnum niſi vno quodam poſſunt. Nam ſi illud pluribus tangeretur, diuiſibile eſſet, atque non vnum. Omnia igitur in ſuum vnum actum ſe colligunt, vt vno hoc centro ſui, centro omnium hæreant. Ipſum bonum centrum eſt omnium, quia ab illo omnia & ad illud. Et ſicut lineæ omnes à centri puncto manantes, punctum in ſe habent, & in centrum terminantes puncto ſuo, pũctum circuli tangunt, ſic omnia à Deo vno actu pendentia, vnum actum retinent, quo vno redeunt in vnum primum, illudque attingunt. Mens igitur ab vno producta, quia extra vnum & circa nihil manauit, ab vno degenerat actu, & vltra actum vnum hypoſtaſi primus ille actus, & vnum boni inchoatio eſt. Per quem actum vnum eſſentia mentis in vnum ſupremum actum conuertitur. Conuerſio hæc actus ſecundus eſt, & boni incrementum, Conuerſa formãtur producendorum omnium ſpeciebus. Qui tertius actus boni eſt complementũ ac ſplendor. Quare ſummum mentis bonum, eſt actus eius naturæ completus: Id eſt vt per vnum actum conuerſa ad actum vnum omnis fiat actus, omniaque actu fiant. Item anima in ſuam vnitatem, id eſt principalem vim, apicemque ipſius collectá, & ſenſibus reiectis vnum effecta, vni bono hæret ab eoque per mentem illuminatur, rerumque omnium rationibus ſpeciebuſque completur. Summum igitur animæ bonum, eius vnius actuſque completio eſt, id eſt, vt per vnum ſuum actum ad vnum mentis omniumque vnum cõuerſa actum, omnes actus efficiantur, id eſt ſpecierum omniũ plenitudo. Materia quoque per hypoſtaſim vnam ad vna conuerſa animam, actuſque animæ perque animam ad mentem, perque mentem ad bonum ipſum formis omnibus exornatur. Bonum ergo ſummum materiæ naturalis eius conuerſionis, quæ conuerſio actus quidam eſt expletio, id eſt vt per actum vnum ad vnum reflexa, omnis actus fiat, formis omnibus inſignita. Ipſum igitur abſolutum bonum vnum eſt ſuper omnia, actus vnus. Bonum ſummum mentis, Animæ, materiæ, vnum omnia. Actus omnes. Vnum enim ſimpliciter, quæ poſt primum ſunt, eſſe non poſſunt. Vnum ergo multa ſint oportet, melius autem eſt eſſe vnum omnia, quam vnum aliqua: dummodo in vno omnia poſſideantur. Summum enim mentis bonum, non illa multiplicitas ſpecierum eſt propriè, ſed vna vnius ſummi in ſpeciebus intellectio, in omnibus actibus actus vnus ad purũ actum. Ita quoque animæ bonum non varij per rationes multipliceſque diſcurſus, ſed vnus in rationibus omnibus Dei vnius intuitus. Materiæ inſuper bonum, non ipſa quantitatum qualitatumque diſcretio eſt, ſed vnus ex omnibus decor, ex vnius animæ vnione vita vna. Vnum ergo ſufficit ſingulis, vnus ſcilicet vnius fruitio, vnus luminis, vnius intuitus, vnus actus ad actum vnum. Vnum ergo hoc & in ſe & in aliis bonum eſt. Sed ad fœcundiſſimam ipſius vnius præſentiam omnium actuum paſſim ſequitur multitudo, quæ quidem pulchritudo eſt, quare boni ſplendor eſt pulchritudo. In mente ipſius vnius intuitum idearum omnium pulchra ſeries comitatur: In anima vnius inſpectum rationum decor omnium. In materia vnius animæ fruitionem formarum ſequitur ornamentum. Comes ergo boni pulchrũ eſt: Comes itaque fruitienis ipſius eſt gaudium. Quid tandem bonum, quod ſufficiens, expetendum. Perfectum imò non ſufficientia expetibilis atque perfecta, imò ſufficiens actus expetibilis vita, perfectum vnum, imò vita ſufficiẽs, perfecta vnitas, actus integer, imo vnus vitæ actus vnius in vno. Quod tale abſolute, abſolute eſt ſummum bonum, quod tale pro cuiuſque capacitate naturæ, ſummum cuique bonum. Ideo hic in textu dicit, conditionem ipſius boni eſſe, vt ſit omnium perfectiſſimum, quia ſcilicet perficit omnia. Item quod omnibus quæ ſunt præſtet ſufficiẽtia, quippe cum ſuper eſſe exiſtat, & quicquid eſſe agit, per vnitatem & actum agat. Neceſſarium quoque eſt aſſerere, quod experibile eſt. Naturales enim inſtinctus neceſſarij ſunt, quia à ſuperiori mouente inſunt, & electionem iudiciumque præcedunt. Bonum verò naturali inſtinctu appetitur, quia & cognitione carent bonum quærunt, & hominis ſtatim nati bonum appetunt. Pulchrum vero appetunt quæ cognoſcunt, & poſtquam cognouerunt. Ideo appetitus boni antiquior eſt, quàm pul-

chri-

pulchri. Vnde & bonum pulchro antiquius:Imò quod pulchritudinem videatur habere sufficit multis,quod bonum videatur,non sufficit. Ideo appetitus boni principalior est quàm pulchri, & sicut intellectus necessario intelligit principia contemplandi superiori lumine, sic voluntas necessario vult bonum agendi principium instinctu superiori. Trahit enim ad se omnia principium rerum,id autem bonum est. Necessario igitur omnia bonum appetunt. Quo instinctu vaticinantur,vt in Republica inquit Plato,aliquid esse bonum. Quid verò illud sit ignorant. Esse tamen sufficiens quiddam & perfectum diuinant, ideo quicquid sufficientiæ & perfectionis speciem habere videtur, vt bonum eligunt, diuerso igitur homines calle procedunt: nituntur tamen ad vnum finem,id est, vitæ sufficientiam peruenire: Alij in voluptuosa vita,in militari alij,in ciuili alij, alij in contemplatiua inesse sufficientiam arbitrantur. Quatuor igitur effectiones hominum per quatuor vitæ genera vnam & idem, id est,sufficientiam expetunt. Soli autem contemplantes adipiscuntur. Nam vita hęc ipsi bono qui Deus est,est propinquior. Nihil quærit extrinsecus, interioribus contenta est, minimis indiget: Per corporis fugam,mala vitat quæ corpus affligant. Cum omnia bonum appetant, cur dixit hic Socrates, omne quod cognoscit, venatur bonum & appetit, non quia quæ non cognoscunt non appetant, sed quia non venantur; nec eligunt. Omnia enim corpora in bonum,id est, actum perfectum,vno semper eodemque calle procedunt, Imò feruntur vt sagitta ad signum solo iaculatoris impetu, quæ verò cognoscunt vltra mouentis impetum, ipsa quoque sagacitatem propriam & solertiam ad vestigia boni inuenienda adhibent, & machinamenta ad consequendum moliuntur, & ex pluribus quæ bona videntur vt eligant alterum,sæpe consultant. Tria hic ponit,appetit,vult, venatur. Primum commune omnibus,secundum & tertium hominibus cognitione vtentibus proprium. Volunt finem bonum scilicet ipsum, Venantur, id est, consultando perquirunt quid propriè id sit,in quo lateat,quomodo capiatur,quęrunt, vt verè comprehendant, non vt videantur habere,comprehendere volunt,vt illud firme stabiliterque possideant, nec aliud quærunt quàm bonum,& quicquid eligunt, quia ad bonum conducere putant,eligunt. Nam sub ratione boni appetibilis primi omnia appetuntur,quæ dicuntur vnà cum bonis perfici, quia eatenus perfectione participant,quatenus ad bonum conferunt. Dicit enim circa bonum possidere. Quia quæcucque possidere cupimus;quantum ad bonum attinent, cupimus possidere,quinetiam ipsum bonum possidere volumus, id est, firmiter & perpetuo frui, ideo quod fert satietatem non est bonum.

Neque voluptas,neque sapientia est ipsum bonum.

CAPVT XXXII.

POsitis ipsius boni conditionibus,iam ostendit neque sapientiam neque voluptatem ipsam esse bonum, dicitque,consideremus iam & iudicemus,consideremus scilicet propriam vtriusque vitã,& qualis sit iudicemus,deinde vtrum sit ipsum bonum, certe ipsum bonum sufficiens est, nullo igitur indiget. Quod ergo bonum ipsum habet nihil vltra requirit. Ponamus voluptatis vitam, sapientiæ totius expertem, videamusque vtrum ipsa nobis sola sufficiat:Si non sufficit, non est ipsum bonum, quod ipsum per se sufficit possidenti. Atque similiter à voluptate sapientiam secernamus, vtrumuis illorum bonum ipsum sit absque altero nobis sufficiet. Sin neutrum per se sufficiet, neutrum per se bonum. Hac norma iudicij data ad exempla recurrit, & iudicium secundum Protarchi ipsius electionem peragit. Ex voluntate enim & electione boni iudicatur natura. Argumentatur itaque Socrates hunc in modum: Voluptatem ipsum bonum vocas, ergo per se sufficiens. Vita igitur semper voluptate perfusa, omni sapientiæ parte nudata, tibi sufficiet,quam si possederis nec sapientiam nec aliud quicquam vltra requires: Non igitur opus erit sapere quicquam vel intelligere, vel de oportunis ratiocinari, nec alia id genus habere, neque etiam videre quicquam. Dixit videre,quia visus cum momento fiat, & ad incorpoream lucem tendat quandam, intellectus incorporalis habet imaginem. Consensit Protarchus, quia si voluptatem habeat, omnia habeat bona. Hic infert Socrates ex casu posito,perpetuæ inerit tuæ vitæ voluptas, sapientia aberit omnis. Mens igitur, id est, intelligendi facultas, principiorumque cognitio, & scientia, id est, ex principiis conclusionum certa præceptio aberit. Aberit & ratiocinatio, id est, à principiis ad conclusiones,à causis ad effectus artificiosa discursio. Opinio quoque deerit, id est, incidentium rerum per coniecturam existimatio, memoria insuper, id est, eorum quæ contigerunt stabilis conseruatio. Sapere autem commune vocabulum est ad hæc omnia, quia deerit mens & scientia, vtrum liteteris necne ignorabilis, quia memoria quod lætatus quandoque fueris non recordaberis, & voluptatis præsentis perceptionem ne momentum quidem seruabis. Quia opinio vera, dum lætaberis, lætari te nequaquam existimabis, quia ratiocinatione, quod in futurum lætaturus sis nunquam præsagies. Agesque vitam non hominis,sed Pleumonis cuiusdam insensati & stupidi animalis,& ostreæ marinæ persimilem,quæ animalia tactum habent solum,gustus parum,sensus alios minimè. Pleumon animal est maritimum albissimum,quod videtur ex spuma compactum, habet pulmonis formam & motum, semper enim & aperitur & clauditur, intus habet villos, totum est niuis instar tenerrimum,& mollissimum,& vndique digito perforatur. Defertur maris vndis sæpè ad littus. Progressum habet nullum, aut organi distinctionem. Hæc vtique voluptatis sine sapientia vita est, quam nemo vnquam vt sufficientem eligeret. Primo quia vilissima existimatur,& morti proxima, minimum quiddam habens vitæ. Deinde quia ita adesset animæ voluptas, vt minima ex parte anima voluptate frueretur: neque enim ex præterito, neque ex futuro, neque per aliquam temporis moram. Imò perinde esset, ac si non adesset, cum adesse ignoraretur, & cum animus non adesse opinaretur. Aduertendum est quod anima natura sua cum media sit inter mentes & corpora, vt corpus respicit in eo nutritionis, augmenti, generationis opus exercet, & per illud sentit. Nutrit ergo corpus in corpore, sentit per corpus corpora. Vt autem mentem respicit à corpore absolutam, atque inde pendet, ita agit iam, vt nec in corpore agat, neque per corpus. Ideo quantum supernæ mentis vim sortita est si-

ne sensuum instrumentis secum ipsa res cogitat. Vel per opinionem singulorum imagines atqne naturas, vel per intellectum & rationem, communes æternasque rationes. Ac per ratiocinationem secum ipsa de imagine in imaginem, vel de ratione discurrit in rationem. Per memoriam verò hęc omnia seruat. Omnia hæc sine corpore transigit. Ergo vt à mente dependet, quæ omnia sine corpore operatur. Quælibet verò operatio mentis naturam sequens, communi nomine sapientia nuncupatur. Quare si sapientia omnino priuata sit anima, nullam mentis vim retinebit. Ergo sine memoria, opinione, ratiocinatione, scientia, intellectu esse dicetur. Adsit ergo sensibus eius exterioribus corporeisque voluptas: soli erit corpori præsens, in meram animam non transibit. Anima enim ipsa in se per interiorem cogitationem, quæ opinio dicitur, & mente & memoria & ratione & intellectu fruitur. Hæc autem animæ mentis experti deficiunt. Non ergo fruetur voluptatibus, cum non interiori vi capiat, & in se transfundat. Eritque fortè conueniens aliqua in corporis instrumentis affectio, in anima verò vel nulla vel minime inerit delectatio, quia non ad eam secundum corpus illa affectio pertinebit, quia non apprehendet cominus sed eminus, & in alio suspicabitur, quia latebit eam percipiaturne voluptas, necne. Sensus enim exteriores corporis mutationes percipiunt, suas verò perceptiones non percipiunt, necue reseruant. Id enim interioris est cogitationis officium, quę non solum ad imagines corporum, sed & ad corporales conceptus se confert. Quare si exterior sensus sine interiori sit, læui quadam gustatione, & subita, affectio aliquis corporis voluptaria sentiri paululum poterit. Latebit tamen animam sentiatur necne: quemadmodum sæpè in nobis accidit videntibus & audientibus aliqua externis sensibus, quæ tamen vtrum videamus & audiamus non percipimus, quia interiori cogitatione ad aliud intendente, externas mutationes illas nequaquam aduertimus. Ideoque nulla animi ex figuris illis vocibusque iucunditas prouenit, sola est in organis transmutatio, in animo non cogitante nulla iucunditas. Quinetiam cum mentis nulla insit communio, verum deerit opinionis iudicium. Ideo dum conueniens corpori res offeretur, adesse non existimabitur. Erit ergo animo perinde ac si non adsit. Vita itaque ista persimilis erit animalium istorum quæ spongiæ, purpuræ, conchæ, ostreæ appellantur, quæ sensum interiorem habent nullum, exteriores duos duntaxat. Si quis quærat, cur animalia hæc vsque adeo manca natura producit? intelligat his gradibus rerum series esse distinctas, vt quod in superiori ordine infimum est, ei quod in sequenti ordine est primum, sit proximum, alioquin res inuicem minimè necterentur, nec vnum esset Dei vnius opus. Supremus Angelus Deo propinquus, Infimus dęmoni igneo proximus. Dæmon infimus, id est, aqueus, homini præstantissimo est cognatus. Homo stupidus sagaci bruto persimilis. Brutum iners, arbori pulcherrimæ proximum, Planta vilissima, vt ruber, inanimato corpori fermè est idem. Ideo infimum in animalium genere cum proximum arbori esse debeat. Arbor autem nutritionem habeat sine sensibus, conueniens est nonnulla animalia reperiri, quæ fermè nullum habeat sensum. Habeant scilicet eos qui maximè necessarij, & quia per omne corpus funduntur, Tactum scilicet atque gustum. Hi enim ad sui conseruationem, & alterius generationem necessarij sunt, hi sufficiunt. Per gustum conueniens adsciscitur nutrimentum, qnod conueniens non est reiicitur. Per tactum calor, frigus, & reliqua quæ vel seruare possunt vel perimere, sentiuntur. Sufficiunt autem hi in his quæ narrauimus animalibus, quoniam instar arborum affixa lapidibus aut terræ, procul alimenta non quærunt, sed cominus alimoniam sugunt, & quæ fugiendo vel currendo vitare, & capessere nequeunt, retractatione sui, & protractione declinant, quoad possunt & capiunt. Horum autem vitam nemo eligeret. Ex his igitur rationibus patet voluptatis vitam, ipsum bonum non esse, quia ipsa per se non est sufficiens: nec eam quisquam à sapientia separatam eligeret. Quinetiam quód neque sapientiæ vita ipsum bonum sit ex eo patet, quia non est per se sufficiens. Separetur enim ab omni penitus voluptate, dolore, ac voluptate vt videamus, nunquid per se sufficiat? Dolore, ne quod per se fortè appeteretur mali admixtione, vitetur, vt eo vitato malum quod admixtum est, declinetur. Certè, intelligentiam ipsam omnis voluptatis expertem, vt sufficiens bonum non experimus. Ita enim appetimus intelligere, vt & sentire. Nam, sicut se habet sensus ad sentiendum, sic intellectus ad intelligendum. Cùm verò non quomodocunque sentire concupiscamus, sed cum suauitate sentire, id enim per omnes sensus quærimus, neque etiam quomodocunque intelligere & sapere & meminisse, opinarique, sed cum gaudio cupimus. Nempè intelligere, agere, & operari est. At verò cum dolore agere tanquam malum fugimus: Agere autem cum neutro, nec dolore, nec voluptate, vt indifferens non asciscimus, & si cœperimus, cito satietate affecti dimittimus. Quod ergo potissimum petimus, est cum voluptate agere. Non ergo intelligentiæ actus sine voluptate optabilissimum. Non itaque per se sufficiens, non igitur ipsum bonum. In superioribus ipsum bonum, actum ipsum esse monstrauimus, & bonum esse maximè, actum eum qui actus est maximè. Illa verò actio maximè actio est, quæ passioni & impedimento mixta non est, & quia ad obiectum optimum, id est, quod maximè actu sit, fertur. Aliquid mouet sensum, sensus illud sentit, mox illud si bonum conuenit naturæ. Prius enim occurrit, vt aliquid sensui quàm vt conueniens statim persentit conuenientiam, mox affectus consentit tum persensioni, tum conuenientiæ. Conuenientia est quasi cæca voluptas, similiter affectus ipsius consensio. Voluptas verò videns est in ipso sensu, dum hinc persentit naturalem motionis conuenientiam, cum natura. Inde verò consensionem affectus, tum secum, id est, cum ipsa persensione conuenientiæ, tum cum ipsa conuenientia. Hic triplex est bonum, scilicet bonum naturæ, vt motionis conuenientia cum natura. Item bonum affectus, scilicet dicta consensio, & bonum sensus, scilicet persensio vtraque. Nota consensionem affectus esse quietem, non priuatiuam solum stimuli, scilicet diffusionem & nixum in bonum naturæ sensusque, Sicut leuitas & mouet & sistit applicatque vehementer, quod mouit atque firmauit.

De his in Olympiodoro, scilicet, quod voluptas, licet etiam in parte cognitiua, similiter dolor, licet opposita ratione. Sit ergo sensus, potentia passionis expers optimè ad sentiendum affecta remota sint impedimenta externa, hæreat obiecto cuidam optimo & consentaneo, quod & perfectum & actus maximè sit, vt figuræ vel harmoniæ perfectæ, vel sapori suauissimo, statim ipsius sensus actus tanquam merus & expeditus actus, liberè & integertimè aget, auidè agere incipiet, sensus libenter perseuerabit, indissolubili ei adhærebit, Hæc ipsa meri & expediti actus integritas, idem est quod actus ipse completus & maximè actus. Et quia potentiam auidè operantem, libenti perseuerantia in se sistit, voluptas dicitur. Idem igitur integritas actus atque voluptas. Integritas autem actus nihil aliud quàm maximè actus est. Quare motus idem & actio est & voluptas, quamquam differunt ratione. Actio enim est, vt per eum potentia aliquid agit, voluptas vt in eo motu circa tale obiectū libenter potentia, sic operans, conquiescit. Quod in sensu diximus, in intellectum quoque intellige dictum. Integritas in actione sensus, & actus maxime est voluptas. Et hanc integritatem quisque sensus, vt summum sui bonum affectat. Integritas in intellectus actione, & actus maximè est, & voluptas, & hanc integritatem, vt suum bonum mens expetit. Non ergo sapientiæ operatio quomodocunque se habeat suum bonum est: imò, si cum voluptate sit, est cum voluptate, si integra sit, talis est cum non impedita, non mixta, & cum obiecto optimo, qui summus actus est, coniungitur: tunc verò est actus maximè: cùm itaq; maximè actus est, tunc est voluptas. Hoc igitur quod reipsa vnum est, varia quadam ratione ex duobus quodammodo sapientia & voluptate mixtum, summum mentis est bonum: ergo & hominis qui mête, & mentis capite suprema sui parte vtitur. Quod & Plato in Phædro, & Phœdone, & Theæteto vult, & Aristoteles in decimo Ethicorum libenter accipit. Verùm voluptas duplex esse dicitur: Vna, in ipso cognitionis actu, quæ cognitionis integritas est, & est in cognoscente potentia: Altera cognitionis comes, quæ in appetitus potentia est, illa idem est quod merus & expeditus actus: ista est appetitionis assensio. Illa eiusdem generis cuius cognitio, quia in genere termini ponitur, cùm sit expeditæ cognitionis terminus. Ista in genere infiniti, quia est inclinatio & diffusio appetitus, in id quod cognitione iudicatum est bonum. Illam Plato in disceptationem non trahit, vt cum mente eam compatet, idem enim est. Imò secundam voluptatem, quæ est in appetendi potentia, & aliud quiddā est quàm cognitio ad cognitionem confert, quam non esse per se sufficientem, infra monstrabimus. Atq; de hac ipse hic intelligit, & nos cum sufficientem esse negamus. Nam quæ in cognitiuæ potentiæ actu inest, sufficiens est, quia cùm primùm hæc integritas est, sapientia coniuncta est cum alia voluptate, quæ est appetitus assensio. Vbi ergo hæc est ex sapientia mentis & appetitus voluptate facta est mixtio. Quapropter dicit hic Socrates, vitam ex voluptate & sapientia mixtam, magis quàm vtrumlibet illorum expeti, quia sufficientior & cuique expetibilis est, quia contemplatiui homines ratione sapientiæ eam quærunt, voluptuosi quoque voluptate pellecti eam cupiunt, medij quoque eandem vtriusque studio tracti. Ex superioribus colligit quod neutram vitam, vt sufficientem, animalia, si optio detur, eligerent. Homines quidem sapientiam sine voluptate vt sufficientem non putant: Bruta quoque si id persentiant, & optio detur, exteriorem corporis voluptatem, siue sensuum interiorum iucunditate, quæ ad sapientiam quodammodo pertinet, vt sufficientem minimè iudicabunt. Hoc de brutis ob id maximè dicitur, quia etiam homines qui vt bruta duntaxat viuunt, id est sensibus mancipati, voluptatem extimam & leuissimam illam sine cogitatione interioris continuata iucunditate, sufficere non arbitrantur. Per hæc concludit, quod neutra vita ipsum bonum est, quia neutra sufficiens & perfecta.

Si enim sufficiens esset, præ cæteris eligenda & præponenda esset ab omnibus qui ratione de eligendis consultant atq; diiudicant, imò etiam à brutis perfectioribus: vt cambis, equis, elephantibus, quę præter sensus exteriora phantasiæ exanimæ res ascifcunt. Hæc enim vtriusque aliquid quærunt, & sensus iucunditate perfrui, & interiori phantasia & memoria delectari. Quod in simiis & iocosis canibus, musicis auibus, & ambitiosis equis, atrificiosis apibus, formicisque appatet; imò etiam plantis, quarum natura quasi exteriorum sensuum voluptatis auida, gustu quasi quodam humorem salubrem radicibus sugit, atque ad illum radices passim protendit, & quasi quodam tactu a dsolis calorem vertit folia, ramusculis & viminibus proximum amplectitur sustentaculum, geminaque gignendo producit, & quasi sapienri quadam phantasiæ interioris actio artificiosis figuris colorum varietate, numerosa specie, corpus suum pingit ac format. Vides ergo in omnibus esse innarum aliquem vtriusque affectum, imò verò homines omnes vtrumque mixtum quærunt, & qui somno & ventri dediti stupidi per inertiam vitam agunt, & qui luxuriæ & auaritiæ, & qui iracundiæ, & qui rationi negotiosæ, & qui tranquillæ contemplationi. Primos plantas vocamus, secundos porcos & asinos, tertios leones, quartos homines, quintos denique deos. Omnes enim hi vtrumque apperunt, quoad possunt, & quamdiu possunt, per omnem vitam cupiunt possidere. Si quis verò aliud quam hoc, id est, vel mortem vel vitam animam elegerit, non sponte istud, scilicet vel per ignorantiam, puta quæ ad studium aliquod vitæ se confert, putans iocundum esse, quod tandem est anxium, vel necessitate & vi coactus, vt qui à tyranno iubetur vel mori, vel mercenarium viuere, eligit mercenariam vitam, vel qui moriturus iubetur, vel crucem eligere, vel securim, securim eligit. Verumtamen quisquis eligit, semper vel melius, vel minus malum eligit. Minus verò malum ad maius, bonum est. Meritò Plato electionis nomine vsus est. Volumus enim finem, eligimus quæ ad finem sunt: volumus semper bonum, eligimus sæpè quod minus malum, vt in Gorgia & Protagota Plato disputat. Electionem mali à necessitate infelici esse dicit, quæ contra felicitatem est, quæ in bono consistit.

Ipsum bonum est mente superius, Neque sapientia, neque voluptas est summum bonum, sed potius commune quiddam. Potissimum vero superius aliquid, cui tamen sapientia est cognatior quam voluptas.

CAPVT XXXIII.

EX superiori disputatione concludit Socrates, quod Dea illa Philebi, id est voluptas, non idem est ac bonum. Non dixit Deam, vt affirmaret esse Deam. Nam Deum spernetet, imò vt illuderet Philebum potius, qui Deam dixerat voluptatem, quæ Dea esse hic negatur à Socrate, cùm beata non sit. Cùm autem vellet in eadem conclusione inferre, quod neque etiā mens, id est, sapientia per seipsam sit bonum, id à Philebo aduersario pronuntiari voluit, quia mens diuinum est nomen, quod non erat à Socrate temerandum. Intulit ergo Philebus: Neque tua illa mens quam tutaris, ô Socrates, ipsum est bonum. Nam easdem quas & voluptas, vt supra monstrauimus, obiectiones patitur, quod neque sufficiens sit, neque perfecta, neque sola præ cætetis expetenda. Vt autem superioribus aliqua adderetur conclusio, consensit Socrates, mentem & sapientiam, id est, quasi dicat humanam & imperfectam, bonum non esse. Namneque integram habet intelligentiam, neque voluptatem illam quæ voluntatis suprema est requies & consensio: ideoque ipsa per se sufficiens non est. Sed vt non modo quid non sit bonum concluderet, verumetiam nonnulla vestigia ad inueniendum quid bonum sit iudicaret, dum negauit mentem imperfectam ipsum bonū esse, adiicit quod mens perfecta aliter se habet, scilicet quam imperfecta, quia scilicet beata est. Neque tamen dixit eam ipsum esse bonum, quia omnia bonum appetunt, mentem verò non omnia. Neque enim assequi mentem & sapientiam omnia possunt: ideo multa eam frustra appeterent. Et ea quæ mente carent, non omnia mentem adipisci student, quæ verò mentem habent, nondum cessant, sed adhuc bonum quærunt. Mentis enim proprium est intelligere: Intelligere motus quidam est. Ant post hunc motum melius se mens habet, aut deterius, aut æquè: Non deterius, quia actio perfectio est, & ad deterius nihil, nisi aut vi aut inscitia labitur. Non æquè frustra enim mouetur quod nihil perficit, & nihil ad id quod habet mouetur: ergo vt melius se habeat mouetur. Non igitur ipsum bonum est. Nihil enim bono melius: Quinetiam sapientiam mentemque ex se rationis impulsu petimus, bonum autem etiam ante omne rationis incitamentum: Iisdem rationibus patet bonum esse supra mentem. Primo sic omnia appetendo conuertuntur ad bonum, non ad mentem omnia. Quo verò conuersio est, illinc & processio. Omnia ergo à bono procedunt, non à mente omnia. Quare non mens, sed bonum est causa prima omnium. Secundo sic, Appetitus hominum naturalis omnis & semper ad bonum, non omnis & semper ad mentem, Pluris ergo facit bonum quam mentem. Igitur naturali instinctu bonum mente preciosius, & idcirco eminentius iudicatur. Tertio sic. Mens intelligendo haurit bonitatem, cum sese melius habeat: Aliunde autem haurit, Si enim in se haberet, non esset motu opus vt agendo proficeret. Illud vnde haurit bonitatem, ipsum bonum est, quod & supra eam est, cum in eam perfectionis suæ liquorem infundat. Quare mentem licet perfectam ipsum bonum esse non dixit, cum & aliud quiddam sit bonum & ante mentem, sed beatam esse eam innuit, dum dixit, melius se habere quàm suam. Ipsum quidem bonum mentem proxime creat. Hæc mens, quia prima est mens, tota mens est, Ideo vera est mens, quia pura & integra: est & diuina, quia semper à Deo formata. Mens ista nostram gignit animam, quæ prout à mente nascitur mentis habet partem, quia verò à mente degenerat & ad materiam vertitur, non tota & pura mens est, sed mens in anima atque pars animæ habentis vltra mentem, opinionem, sensum & gignendi naturam. Idcirco intentio animæ non omnis semperque ad mentem, sed ad corpora plurimum. Cum verò mentis natura, quia proximè à bono creata, proximum sit & proprium boni & beatitudinis receptaculum, beatitudinem integram anima non prius accipiet, quàm reliquis potentiis & officiis prætermissis: Tota sui intentione in mentem sui caput conuersa fuerit, tota & sola quodammodo mens effecta. Tunc anima vera erit mens & diuina, vt mens prima statim ex Deo nata, bonique hauriet copiam, eritque beata. In hac vtique vera & diuina mente plenissima beatitudo inest, quia sapientiæ actus integer, cui est innata voluptas. Ideoque sapientia huiuscemodi sufficiens bonum est. Nec opus est voluptatem aliam exteriorem sibi comitem adhibere, quia quicquid ibi mens est, nec est ibi alia volendi potentia, intelligendi alia, vt necesse sit sufficientiam consequendam, voluntatem intelligentiæ assentiri, atque ita voluptatem appetitus cum intelligentiæ voluptate coniungi. Quod autem volendi potentia ibi diuersa non sit, patet, quia voluntas quæ ab intellectu differt, stimulus est ad bonum intelligentia consequendum. Ibi autem boni est adimpleta possessio, ibi tota ac sola mens est, quæ boni est proximum receptaculum. Talis quidem est beatitudo primæ mentis, & beatitudo animæ, cum tota erit in mentem intentione transfusa. Quo in loco sphærarum animæ sunt, quatum tota in mentem est intentio. Neque enim intentione negotiosa cœlos mouent, sed supereminenti essentiæ & feminum potestate. Beatitudo autem animæ quantum anima est humana, composita est, intelligentia eatenus integra quatenus animæ regendo corpori occupatæ competere potest, & voluntas appetitusque omnis consensione, quæ exterior est voluptas, quæ consensio ad humanam sufficientiam necessaria est, vt nulla interior sit seditio, sed omnes partes quoquomodo in vnum concurrant, ad munus vnum beatitudinis possidendum. De hac humanę animę felicitate, vt plurimum hoc in lib. loquitur, quæ est in primo illo sapientiæ gradu, in boni scilicet visione vespertina, in boni ipsius splendore. Diuina vero illa mentis felicitas in secundo sapientiæ gradu, matutina boni visio est in boni luce, quæ nonnunquam hoc in dialogo clam significat. De alia verò latissime disputat, palam igitur. Iam verò cum ostenderit neutrum ipsum esse bonum, concludit Socrates, quod communis vita præstantior est quā istorum alterum, quia sufficientior, dicit

minimè se pugnaturum, quo palmam communi vitę auferat, eique solam sapientiam antepónat. De voluptate verò subticuit, quia ad Philebum & Protarchū ea concessio pertinet, ac etiam quia liquidius demonstratum fuit in superioribus eam nequaquam sufficere. Mox verò ad secundam comparationem illam se præparabit, in qua cùm pateat neutrum esse summum, vtrum illam summo propinquius, secundamque obtineat sortem, est inquirendum. Mouet autem quæstiones, pollicetur, exhortatur, & præparat. Exequetur demum cōparationem propositam in quinta libri particula. In ea, inquit, forsan comparatione quæ partem meriis tuabitur, vt eam summo propinquiorem ostendat, asseuerauit mentem potissimum causam esse, vt commune id bonū sit, quò verò voluptatis voluptatem. Neque tamen in his partibus insistendum, vnius enim perfectio ab vno tandem, & compositum à simplici manat. Atque ideo aliquod vnum supra compositam hanc viram est ponendum, à quo vitæ huic datum vt vnum aliquid partibus commune sit, quo & bonæ partes & totum sit bonum. Ad quod vnum certè sapientiam & voluptatem comparare decet. Atque ita videbimus quid ex his melius sit, quod enim vni causæ cognatius id melius atque hic erit rectus comparandi modus. Certe ergo, inquit Socrates aduersus Philebum, pugnarem affirmaturus mentem esse illi vni cognatiorem, & similiorem quam voluptatem, quicquid illud sit quo vita hęc mixta, bona & eligenda existit. Bonam dixit, quod ad seipsam, quasi perfectam. Eligendam, quoad appetitum, quasi maxime expetendam. Mentem dixit cognatiorem bono, id est, eius generi propinquiorem, & similiorem, id est, eius proprietati magis conuenientem, quod in sequentibus ostenditur, quod sic constiterit. Primo loco ponemus illud, quod compositæ vitæ perfectionem tribuit. Secundo compositam vitā. Tertio mentem. Quarto mentis participationem in discursibus animæ. Quinto denique voluptatem, vt in fine huius libri patebit. Addit Socrates, ita esse de his iudicandum, si quid suæ, id est humanæ menti credendum est. In præsentia, id est, antequam ratione quid propositum est demonstret, quasi dicat, fortè mihi nunc non crederis priusquam afferam rationem, afferām certè loco suo. Interim ita esse ponite vaticinatione mentis confisi, mentis eius quam Philebus spreuerat, quæ certe voluptati præstat, ex eo quod, vt nunc cernitis mentis ipsius via lumine, & de mente & de voluptate consultamus, lumine autem voluptatis quæ ipsa cæca est, nam & appetitio cæca est, neque de voluptate, neque de sapientia quærimus. Quis igitur dubitet, quin mens voluptati excellat, quæ ita eam iudicat, vt ab ea minimè iudicetur? Acceptauit post hæc Protarchus conclusionem Socratis primam, prima illa ex comparatione inductam, scilicet, quod neque voluptas ipsum bonum est, neque mens, dicens quod voluptas Socratis iaculis, id est rationibus percussa condit, & protracta est vsque adeò, vt de palma prima bonorum non vltra contendat. Succumbit enim & iacet, sed neque mens eorum iudicio, qui sapiunt sibi primam victoriam vendicabit, quia si id tentet, eadem sibi obiicientur, quæ voluptari, scilicet quod insufficiens per se sit & imperfecta. Mentem humanam dico quæ pars animæ est. His acceptis Socratem ad comparationem alteram exhortatur, scilicet, in qua ostendit quid ex his melius sit, præsertim cùm ostensurus sit voluptatem esse inferiorem, proderit sanè hoc omnium vitæ. Nam quia voluptatem plurimi faciunt, ab eo capiuntur, tanquam pisces ab hamo, & in vitia delabuntur. Nam latet anguis in herba. Quam si ostenderis in bonis, locum infimum obtinere, contemnent, temperatioresque & iustiores viuent. Ideo dixit, Si etiam secūdis priuetur honoribus, homines qui nunc eam amant, quia rē præclaram existimant, & contēnent, quia esse ignobilem recognoscent. Socrates verò antequā hanc discussionem ingrediatur, admonet nos quā modesti in victoria esse debeamus, vt vincere studeamus aduersarium, potius quam extinguere. Humanitatis bonum summum, sine alterius interitu quærere. Ideoq; dissimulauit, quasi suspicaretur Protarchum ea dixisse, vt eum pugna absterreret, ne multos voluptatis sectatores ostenderet. Præstat ne, inquit, eam dimittere, neque exacta redargutione affligere? Id quidem Protarchus renuit. Dissimulauit rursus more suo Socrates, quasi non intelligeret. Atergo, reprehendis me fortè quod affligi voluptatem dixi, quod impossibile est, contraria enim se inuicem non recipiunt. Vno enim accedente, statim alterum vel interit, vel discedit, vbi ergo afflictio est, voluptas abest, ego verò non affligi voluptatem, sed eius sectatores intelligebam. Cur hæc dissimulat Socrates? vt mitior his appareat, vt ad extremum certamen inuitus descendere videatur, vt inuidiam vitet, captet beneuolentiam: ita certe nos facere monet. Reuocauit ergo Protarchus Socratem quodammodo fugientem, dicens, non ob id tantùm te nihil dicere asserebam, sed etiam quia ignorare videris nos, te non antea dimissuros, quàm ista ratione non fide declaras. Vbi iuuenes admonentur, quanto oporter affectu, doctrinam seniorum exquirant, exorent, extorqueant. Accedit ergo Socrates ad eam pugnam, non sponte, sed, vt decet, quodammodo lacessitus, exoratus enim primò, deinde coactus: Non coactus docet, sed coactus offendit. Captat ergo veniam in primis, & attentos reddit, dum dicit: Confertissimam esse sequentem disputationem, & noua quadam via peragendam, quia non facilè sit per præsentem ratiōnem eam transigere: sed aliis opus sit rationibus, & iaculis ad victoriam secundam menti & sapientiæ vendicandam, quia, scilicet, ad comparationem sapientiæ & voluptatis inter se faciendam opus est definisse vtrumque prius, & genus vtriusque & differentiam inuenisse, in partes quinetiam distribuisse suas vtrumque, quæ quidem cognitio, quo distinctior est quàm prima, eò diligentiori examine indiget. Ideo dicit nouis opus machinamentis, quanquam inter ea, quæ iam diximus, nonnulla sunt, quæ ad futura conducant, vt quod dictum est, mentem similiorem: & finitum & infinitum quæ in superioribus tetigit, quæ & in sequentibus ad genus sapientiæ & voluptatis inuestigandum discutienda sunt. Statim ergo petita venia, ex rerum difficultate, capta attentione ex nouitate & varietate sermonis, & docilitate incœpta per hoc maxime quod ait: Aliqua ex præsentibus & præteritis ad futura conferre, adiecit, nonne ergo iam pugnandum? Nihil prohibet, ait ille.

Monuit Socrates illico quanta ſit cuiuſque rei principiis diligentia adhibenda, cum ex iis omnium ſequentium trahatur conditio, & quæ minima in exiguo & anguſto principio videntur eſſe delicta in plurimis & latis mediis propagentur, vt error in biuio paruo diſtat interuallo, eo deinde diſtat magis quo vltra procedirur. Ideo, dum ſermonis huius fundamenta iaciemus, omni ſtudio annitamur, vt bene accipiamus & maxima cautione quod inducimus, diſcernamus, & plane admodum diſtinguamus.

Finis vltimus vnum aliquid & ſimplex eſſe debet, & quomodo ponatur in compoſito quodam, ex intelligentia & voluptate, & quæ conditiones compoſitum hoc beatum faciant. Item qua ratione intelligentia ſuperat voluptatem.

CAPVT XXXIII.

ANtequam ad quintam libri partem veniamus, quædam ex ſuperiotibus diſcutienda cenſemus. Plato finem vitæ vltimum ſapientiam & volnptatem ſimul ponere videtur, vt ex ſuperioribus ſignificare & ſequentibus videtur concludere. Finis autem vnum quiddam eſſe debet non plura, ſint duo: aut æque appetitum mouet vtrumque, aut non æque, ſi non æque, illnd vnum quod magis mouet finis eſt, aliud eſt ad finem; Si æque ſimiliter pariterque ad vtrumque afficitur appetitus. Affectus iſte par & ſimilis à pari & ſimili natura eſt appetitus ipſius, par autem ſimiliſque ad par & ſimile rapit. Non igitur quantum diuerſa ſunt appetûtur æque, ſed quantum vna quædam natura communis eſt in vtriſque, per quam paria & ſimilia ſunt, & pariter ſimiliterque petuntur. Vnum ergo eſt quod quæritur, vnus itaque finis. Præterea vnumquodque vt finem petit, quod totum ſuum continet bonum. Si ergo duo petit, oportet in eius toto illius contineri bonum. Aut ergo quoduis illorum totum habet, aut quoduis partem, ſi quoduis totum, vnum ſat eſt: & quia omnis primus motus ad vnum primo incipit, cum ad vnum peruenerit, nihil quæret vlterius. Si quoduis partem, non duo fines erunt ſed vnum quod ex vtriſque reſultat. Item aut æque bona illa duo iudicat, quæ appetit, aut non æque. Si non quod melius iudicat, vehementius appetit. Illud autem erit finis. Si æque aut quantum differunt indicat æque bona, aut quantum conueniunt. Non quantum differunt, differentia enim æqualitatem tollit, conuenientia in natura & poreſtate præſtat ęqualitatem: Ergo quantum conueniunt æque iudicat bona. Si conueniunt, in vna quadam natura & poteſtate conueniunt. Per quam vtraque æque ſunt bona. Vnum igitur quiddam appetitio quærit. Nam ſicut cuiuſque rei, quanquam ex pluribus conſtitutæ, vna pars eſt præcipua, & vnum eſſe, ita vis vna præcipua, vna quoque præcipua appetitio, vnum opus præcipuum, vnus ergo finis præcipuus, quo vnius eſſe & naturæ motus dirigitur vnus, Præterea vnumquodque vt finem ſui ipſius perfectionem expetit, vnius autem eſſe vna quædam perfectio eſt. Vnum igitur appetit finem. Nam & ſi multa quærit alia, ad vnam hanc reducit perfectionem. Hæc itaque cæterorum vnus eſt finis. Cum igitur cuiuſque rei finis vnus eſſe debeat, ſicut & principium vnum, neceſſe eſt vt hominis vnus ſit finis, quo pacto igitur duo? Voluptas & ſapientia. Non duo hæc finis ſunt, ſi ſeiuncta ſunt, quia neutrum ſufficit, ſed cum coniuncta vnum faciunt. Vnum ex vtriſque compoſitum finis eſt, quia ſufficiens. Merito autem animæ vnum compoſitum finis eſt, quia & ipſa vnum quiddam compoſitum eſt, ex ea quæ cognoſcit potentia atque ea quæ appetit. Ex illa ſapientiam poſtular, ex alia voluptatem, ſed ex his vnum fit, vt ex vtraque potentia vnum, imò vero quemadmodum duæ potentiæ ad vnam animæ eſſentiam reducuntur vtriſque communem, ita ſapientia & voluptas inuicem iuncta vnum quiddam habent commune, ratione cuius vtrumque bonum eſt, & ambo ipſum bonum hominis atque finis vnum, itaque compoſitum finis gratia vnus quod in compoſito eſt. Imò illud vnum in compoſito potius per quod compoſitum dicitur finis & bonum & ſufficiens finis, præcipuus eſt & hominis bonum. Quid vnum hoc? Non ſapientia, quaſi ratione eius totum hoc eſſet bonum, tota vis in ea bonitatioque conſiſteret. Ipſa ergo ſola ſufficeret, non etiam voluptas, hac eadem ratione. Non vtrunque ſimul, quia velque que totum præſtant bonum, vel ſingula boni partem, ſi quæque rotum vnum ſat eſt. Si ſingula partem boni atque ita ad vnum conducant bonum, aut, inquam, differunt, ad id vnum conferunt, aur quantum couueniunt. In quantum differunt non ad vnum, ſed ad diuerſa conducerent. Ad vnum ergo conferunt vt in vno conueniant. Vnum igitur quiddam eſt in vtriſque, cuius vnius vi ad vnum hominis bonum perducunt. Vnum illud cuius vi iſtud efficitur præſtantius eſt vtriſque, præſtantius eſt ambobus, vnuſque eſt animæ vnius finis; Sed & ſuper hoc vnum quod in compoſito eſt & in alio, eſt vnum quod ſimpliciſſimum eſt & ſuper omnia. A quo & vnum hoc quod eſt in compoſito manat, vnum quod ſuper omnia, & vnum ipſum & ipſe actus dicitur, vt aliàs diſputauimus. Vnum igitur actum huic compoſito præberà primo bono, ſecundum bonum. Hoc vnum Dei munus bonum noſtrum eſt, habitaculum & templum in quo id recipimus & ſeruamus mixtum ex ſapientia & voluprate, fundamenta huius templi intellectus & voluntas. Supremum enim bonum capere niſi ſuprema noſtri parte non poſſumus. Suprema pars eſt vnita quædam apex animæ, quod animæ caput duabus alis ad vnum ipſum inſtigatur & aduolat. Nam intellectu explorat arque circumſpicit, voluntate petit, intellectu rapit, retinet voluntate. Raptus intellectus ſapientia, id eſt, intelligentia eſt. Adhæſio voluntatis eſt voluptas. Semper primo mouenti vltimus reſpondet finis, quia quod mouet ſui gratia mouet. Duci enim reſpondet victoria, aliis agentibus media, quæ inter ducem & victoriam ſunt, vnicuique enim ſequentium certum opus finis eſt, principij vltimum, qnod per opera illa perficitur, primum autem quod ad bonum vnum mouet animam, Vnitas illa caput eſt. Nam in Phædro dicitur, animæ quæ beatę futuræ ſunt, ſupra cœlum extulerunt caput. Quem etiam autigam vocat cum dicit: Autiga ad præſepe ſiſtens equos obiicit illis Ambroſiam & ſuper ipſam nectar potandum. Nam apex animæ qui primo ad bonum intellectum inſtigauit calcaribus & voluntatem eo accepto intellectus indaginem ſiſtit, & voluntatis ardorem, id eſt, non mouet amplius, ſed retinet, ne inde diſcedit. Leuitas enim ignem

sursum traxit & ignem in superioribus detinet, & obiicit intellectui Ambrosiam, id est, visionem, voluntati nectar, id est, gaudium. Non quia vnitas illa primo videat aut gaudeat, est enim super intelligentiam & voluntatem, sed quia primo mouit & quæ mouit firmat & cohibet. Quid huius vnitatis bonum? vt primo vno formetur, vt aër lumine, igne ferrum. Formatur autem vno, cum ipsa intellectum voluntatemque formauerit, hæcque ad inferiora, diuersa, ad superna conuerterit & ea secum vniuerit. Qua quidem conuersione, quoad homini possibile est, peracta, intellectus visione formatur, voluptate voluntas, quibus formatis tandem vnitas vtpote non amplius impedita in vnum primum se prorsus immerget, eritque huius vnitatis bonum vnum ipsum fieri. Intellectus autem & voluntatis bonum vnus actus ad vnum. Hic tres fines beatitudinesque elucent. Primus est quando anima aurigæ ipsius instinctu mente & voluntate conuersa ad supera, quatenus dum regendo corpori occupatur, assequi potest, sapientia & voluptate fruitur. Secundus cum relicto corpore omnem intentionem in mentem direxerit, vbi intelligentia illa integra est, cuius integritas interior est voluptas. Tertius post hanc e vestigio sequitur, vnitatis ipsius ab vno formatio. Prima humana est & animæ quantum anima est. Secunda diuina & mentis est, & animæ, cum mens erit effecta. Tertia Deus quidam est, vbi enim Deiforma ibi est Deus. Has duas in Phædro exponit Plato. Hoc in libro primam illam atque humanam, quę quoniam humana est, in composito quodam ex intelligentia & voluptate intellectu & voluntate consistit. Neque in hoc est priusquam optime iuncta fuerit. Neque enim bonum est in congerie male disposita.

Quomodo ad felicem sapientiæ voluptatisque mixturam tria necessaria sint, veritas, commensuratio, pulchritudo.

CAPVT XXXV.

Vt autem duo aliqua bene inuicem misceantur, tria maxime exiguntur, vt gratia quadam naturæ mutuo sese appetant, vt calor & pinguis humor, nam calor & frigus sese inuicem fugiunt, quia grata sibi inuicem non sunt. Neque sufficit vt sese libenter petant, nisi adeo expedita sint, vt sese inuicem valeant penetrare. Calor enim in ferro & humor in auro inuicem non miscentur. Tenuia sint hæc oportet & pura, vt in vnum conflentur. Neque satis est puritas hæc & gratia illa naturæ, nisi quantitate moderata, sibique vicissim consona sint. Nam si intensissimum caloris æstum exiguæ pinguis humoris guttæ miscere volueris, mixtio nulla fiet, subito namque æstus humorem resoluet. Sin contra protinus calorem humor extinguet. Sin ergo competenti vi, & pondere moderata oportet, vt quæ per gratiam sese adsciuerunt, & per puritatem expedite & facile congressa sunt. Per moderationem sese penitus æquent, atque vna procul à dissolutione permaneant. Naturæ gratia interior pulchritudo est, qua sese alliciũt omnia, cuius vim magicæ, opera exerceri Zoroaster voluit, & Plato probauit. Puritas cuiusque, cuiusque est veritas. Mera enim & integra sui natura, cuiusque veritas est. Ideo in quinto Legum dicit Plato: Veritas tum diis, tum hominibus bonorum omnium dux. Itaque in Phædro: Veritate nihil venerabilius est apud deos & apud homines. Vbi appatet minus amor Platonis in veritatem, quod vtrobique eam expressit carmine. Idem autem merum est & integrum, nempe mera qualitas, nullo impedimento detenta totam vim suam exercet. Moderatio autem rerum inter se mutua, commensuratio nuncupatur. Merito igitur in fine huius dialogi tria ad optimam mixtionem Plato requirit, Veritatem, commensurationem, Pulchritudinem. Puræ enim res moderate inuicem & amicè & se auidè petunt, congrediuntur facile, firmiterque cohærent. Quibus iunctis, quia veræ partes sunt, verum est & totum, quia moderate consonum & concinnum, quia consonum, decorum & pulchrum. Tunc igitur in mixtione & sapientia, id est, intelligentia & voluptate, bonum nostrum consistet, cum optime mixta tunc erunt optime iuncta, cum vera erunt, commensurata, pulchra, eorumque commixtio vera, commensurata, pulchraque existet. Ratione igitur veritatis, commensurationis & pulchritudinis compositum illud bonum est, veritas itaque, commensuratio, pulchritudo hominis est bonum. Iungenda enim sapientia vera, id est, certa, integra, vniuersa, cum voluptate vera, id est, pura, contrariis non permixta, commensurata sint etiam necesse est, vt illæ duntaxat voluptates accipiantur quæ commercium habere cum sapientia possunt, & sapientia & voluptas illæ inuicem vinciendæ, quæ sui vicissim auidæ sunt & gratæ, vbi & per veritatem vera existit mixtio, & per commensurationem congrua & decora per pulchritudinem. Hoc mixtum non proprie bonum, sed boni domum Plato nuncupat. Tria illa quoque in mixto non bonum, sed boni vestibulum, bonum verò nostrum vocat proprie vim vnam, actum vnum ab ipso summo bono his tributum, per quem primo vera sunt commensurata. Pulchra deinde congrediuntur, & in congressu rursus veritas, commensuratio, pulchritudoque elucet, vnus ergo finis est, non plures.

Quomodo Deus appellatur mensura moderans, opportunum.

CAPVT XXXVI.

Ipsum quidem summum bonum, & vnum rerum principium, tribus nominibus Plato significat, mensura, moderans, opportunum, vt mensura rebus omnibus tribuit veritatem, vt moderans commensurationem, vt opportunum pulchritudinem. Dicitur mensura ipsum vnum, vt in quarto Legum etiam dicitur, quod Deus nobis sit rerum omnium maximè mensura, quia scilicet ascensum rerum omnium & descensum metitur. Vsque enim ad ipsum ascẽditur, supra nequaquam, & quatenus se porrigit vis eius ad exteriora diffusa, eatenus gradum naturæ descensus, infra autem minime. Item vim cuiusque rei, pretiumque metitur. Tanti enim est quodcunque quanti est quod ipsum impertit. Est mensura adęquans omnia prout præsentia sua implet omnia, Est mensura complens omnia, vt omnia supereminet. Item motum singulorum ipsum metitur, processum quidem, quia non altius quàm ab eo procedunt, conuersionem autem, quia non vlterius quàm ad ipsum conuertuntur. Est & comparationis mensura, vt enim ad primum calidum & primum lu-

cidam respicientes, de secundis calidis lucidisque sententiam ferimus: sic ad primum bonum bona omnia comparantes, eo ita metimur omnia, vt quo propinquiora illi sunt, eo meliora dicãtur, & quo remotiora ab illo, eo deteriora. Est & replicationis mensura. Quod enim compositum est, & partibile ad quod est simplex & impartibile, non metitur. Nam si inuicem admoueantur, aut compositum se toto adæquat simplex totum, aut puncto sui. Si se toto, compositum esset & id quod simplex dicimus, sin puncto sui. Puncto enim punctum adæquamus, impartibile est quod metitur, ergo & simplex est mensura. Ideo compositum simplicis mensuræ esse non potest. Simplex autem compositi potest replicatione sui esse mensura. Punctum quidem magnitudinis corporum, Nam & exterius corpora circumscribit & per omnia penetrat. Momentum autem temporis, præteritum quidem terminat, futurum inchoat, præsens ostendit & sui replicatione totum efficit tempus, quemadmodum punctum replicatione sui totam corporis molem adæquat, æternitas omnium temporum momentorum: Nam vnicum æternitatis punctum permanens, omnia temporis momenta currentia præsens aspicit, vt centrum stans lineę currentis. Monas insuper omnium numerorum, nihil enim aliud numerus quàm monadis replicatio. Quid decem? Monas decies replicata. Omnis ergo monas computat numeros, cum ergo ipsum vnum sit omnium simplicissimum sitque permanens & supremum, quia supremum omnia circumscribit, quia permanens motus omnium, inchoat, sistit & iudicat. Nam ad stabile aliquid comparatus omnis motus discernitur. Quia vnum omnium diuersarum rerum multitudinem implet & continet, quia simplicissimum metitur alia, nec ab aliis mensuratur. Et replicatione sua naturam explet compositorum. Tot enim partes totq; vires possidet vnumquodque, quot modis Dei ipsius vnius est particeps. Mensura igitur Deus est omnium à nihilo mensurata. Mensura nec huius nec illius, propria, vt omnium æque mensura sit, quod est super omnia. Mensura nec parua, nec magna, si parua est. magna non implet, si magna paruis non congruit. Est & limitationis mensura Deus, Ipse enim singulis certa lege substantiæ, potentiæ, actionis, & dignitatis & vitæ statuit limites, quos transgredi impossibile est. Omnia distinctis gradibus certo in numero, ordinata serie digerit, & cuique pro naturæ capacitate, vel meriti dignitate impertit. Terminat materiam forma, naturam seminibus, Animam rationibus, Mentem ideis, seipso denique omnia. Quomodo igitur Deus mensura sit satis dictum est. Est & moderans mensuræ quidem opus absolutum, magis moderationis opus in collatione constitit. Prout enim cuique certam, propriam, determinatamque naturam & vim tribuit, mensura est. Possent autem ita propriè singulis inesse naturæ, vt nulla esset inter illa communio. Ideoque quodcunque vnum esset ex singulis, vnum opus nequaquam efficeretur. Dei autem vnius opus vnum esse debet, Moderatione igitur opus est, quia singula cum singulis connectuntur. Propria natura menti per mensuram inest, qua differt ab animo. Sed per moderationem vis ad veritatem percipiendam communis vtrisque, Item propria per mensuram animæ inest natura, qua à natura corporis est seiuncta. Per moderationem verò ita comparata sunt inuicem, vt motus & vita sit vtrique communis. In elementis quinetiam vis propria cuiusque conspicitur, & mutua insuper consonantia, qua ignis in calore cum aëre conuenit, siccitate distinguitur. Aër cũ aqua in humore consentit, aqua ab illo frigiditate dissentit. Aqua terræ in frigore conuenit, liquiditate discrepat. Metiri igitur est vnumquodque in seipso determinare. Moderari autem ita res inuicem comparare, vt & in aliquo conueniant, nec tanta vis insit in aliquo, vt reliqua assumat omnia. Sed inuicem simul sint, moueantur, agant, vicissimque resistant. Facere autem vt singula inter se conueniant, illius est qui singula facit vnum, & vnum omnia. Deus ergo & mensura est & moderans, est insuper oportunum. Oportunitas gratiam quandam & commoditatem rerum significat, qua sibi inuicem mutuo placent seque vicissim asciscunt. Quod autem grata sibi sint & optanda, ex eo est quod inuicem ex communi natura & temperata qualitate congruunt. Id autem ille facit qui per moderationem librauit inuicem omnia. Statim enim oportuna & grata ea inuicem reddidit, ex quo dicitur oportunum: Vt ergo mensura veritatem rebus omnibus tribuit, quæ est propria cuiusque mera & determinata natura, vt moderans commensurationem, quæ est concinnitas & mutua omnium consonantia, vt oportunum pulchritudinem, quæ est gratia & rebus singulis ad singulas res innata, & gratia decoris illius comes, qui ex congruit...rerum omnium mutua nascitur. Imò vero vt est omnium, est illa tria, & hæc tria facit. Vt vnum super omnia, producens omnia, singula certis limitibus circumscribit, ab extraneis purgat singula, sistitque in propria puritate naturæ, sic verò singula vnum sunt in seipsis, vt vno limite circumscripta, vt ab extraneis defæcata, vt in vna naturæ proprietate retenta. Vt ergo vnum est super omnia, vnum dat eo modo quo diximus, eo autem modo, vt apparet, mensura est, & veritatem exhibet. Vt autem est vnum in omnibus conseruans omnia indissolubili modo inuicem vincit omnia, ex quo cuncta vnum sunt, eo autem modo moderans est, commensurationemq; largitur. Vt est vnum ad quod omnia, citans omnia singula, per gratiam quam tribuit singulis, in se inuicem concitat, & per gratiam quę resultat in cunctis ad seipsum rapit cuncta, vbi & singula vnit singulis & vniuersa vni. Hoc autem modo oportunum est, & pulchritudinem exhibet. Ergo vt est vnum & mensura est & moderans & oportunum. Quare & singula vt vno quodam participant, vera sunt, commensurata, pulchra. Quamobrem mixtum ex sapientia & voluptate humani boni est habitaculum. In hoc enim bonum capitur. Illa tria vestibulum boni sunt. Per illa enim bonum excipitur & intromittitur. Vnitas autem data ab vno, per quam & illa tria insunt composito, & ipsa illis præsentibus completa relucet, hominis bonum est à bono totius naturæ dependens. Vnum autem illud & vnitas ista actus sunt. Vnum actus agens omnia, quo agunt omnia, ad quem agunt omnia. Vnitas actus à primo actu rebus impressus, agens ad primum actum omnia. Idem igitur actus & vnum. Summum itaque bonum hominis est vnius vitę actus, vnus ad vnum atque in vno: vnus igitur finis est, actus vnus, vitæ mixtæ, bene mixtæ, & in vnum ipsum directæ. Nam & intelligendo & gaudendo ipsi bono penitus sese vnit, vnitio hæc, actus quidam est vehementissimus in bonum sese mer-

gens, in bonum se transformans, in hac scilicet vita, in alia verò transformatus actus, Actus, inquam, vnus totius vnius animæ quoad homini licet, qui tunc demum adest, cum & actus intellectus per intelligentiã, & actus voluntatis per voluptatẽ in vnum ipsum bonũ fuerint directi. Directi verò sunt, cum secundum tria illa congrediuntur. Tria illa vnius vi adsunt. Vnus ergo animæ vnius actus ex vno ad vnum, atque in vno summum est hominis bonum. Cum ergo mixtæ illius vitæ actus vnus sit summum, & voluptate certe & sapientia præstantius est.

Felicitas pertinere videtur ad sapientiam potius quàm ad voluptatem & intellectu magis accipi quàm voluntate.

CAPVT XXXVII.

SI quis verò quæsiuerit, vtrum istorum melius, sapientiane an voluptas? respondendum, meliorem esse sapientiam, quia conditionibus vitæ illius perfectæ est propinquior. Veritati procul dubio magis consonat mens & sapientia quam voluptas. Illa enim veritatis capax & perceptio est, hæc veritatis impedimentum. Commensurationi quinetiam, tranquilla enim & pacata mens & sapientia est. Voluptas admodum furiosa pulchritudini quoque sapientiam quippe vt rem pulchram atque decoratam in lucem educunt homines atque ostentant voluptatis vsum tenebris dedicant, tanquam obscœnam rem lumineque in dignam, vbi certe eorum patefactus est error qui voluntatis quietem, quæ voluptatem vocant ipsam, bonum asseruerunt. Etenim summum bonum in potentia capitur superiori potius quã inferiori. Intellectus autem præstantior est quam voluntas. Primo quia dux est, illa ministra. Cognoscimus enim & iudicamus priusquã velimus, & tantum & eatenus & id volumus quod & quatenus intellectu iudicamus esse volendum. Secundo, quia intellectus nunquam decipitur, opinio enim est non intellectus vbi est deceptio, voluntas decipitur opinione & specie boni. Tertio ille semper proficit, siue bonum siue malum intelligat, fit semper in omnibus clarior. Ista in volendis malis mala. Quarto ille res ad se trahit, ista à rebus trahitur. Nam ille non vt res in seipsis sunt eas concipit, sed modo suo multa in vna specie mobilia stabiliter, singula vniuersaliter & cætera, & quæ claudicant in rebus, formulis suis dirigit. Hæc autem inclinatur ad res ita possidendas vt in seipsis sunt rapiturque ad eas notione concepta; nec mutat eas, sed mutatur è statu in motum: Item cum omnis motus ad bonum fit, & eadem natura quæ ad bonum futurum mouetur, in præsenti bono quiescat sicut se habet motus ad futurum bonum, ita ad præsens bonum requies. Non autem quia natura moueatur ad aliquid, illud bonum est, quia non obiectum & finis & motor à potentia quæ mouetur, sed contra potentiam ab illo dependet: Igitur quia bonum ad illud est motus similiter, non quia in illo requies bonum illud est, sed quia bonum requies. Non igitur ipsa quies ipsum est bonum, sed aliud quiddam ad quod motus fuit in quo est requies: quia superior locus igni bonus est, ideo ad illũ mouetur ignis & quiescit in illo, nõ quia mouetur & quiescit bonũ. Nã si fortè lapis cogeretur, & ascenderet illuc & maneret; non tamen illi id bonũ. Item felicitas est finis vltimi consecutio. Consecutio verò hæc non in actu voluntatis, sed magis intellectu actu consistit. Voluntas enim in finem fertur, & absentem, cum ipsum desiderat, & præsentem, cum in ipso quiescens delectatur. Constat autem desiderium finis, non esse finis consequutionem, sed motum ad consequendum. Voluptate verò voluptas afficitur, ex eo quod præsens finis est, non contrà quòd præsens sit ex eo quo ipso voluntas gaudet. Oportet igitur aliquid esse aliud quæ voluntatis actum, per quod finis præsens volenti fiat. Quod in finibus circa res externas intueri licet. Si enim pecuniæ consequutio per voluntatis actum fieret, cum primum quis eam vult, consequeretur. Nunc autem abest primum, deinde operando paratur, parata exoritur delectatio. Voluptas siquidem in quadam voluntatis quiete consistit. Quod autem in aliquo voluntas quiescit non aliunde est quã ex illius bonitate in quo quiescit. Quare si voluntas in aliqua operatione quiescat, ex operationis bonitate quies voluntatis procedit. Nec voluntas propter quietem bonum quærit: Sic enim voluntatis actus finis esset, quod falsum est, vt patebit, sed ideo quærit vt in operatione quiescat, quia sibi est illa operatio bonum. Vnde colligitur præstantiorem esse mentis operationem, in qua quiescit voluntas, quã voluntatis ipsius quietem. Intellectus indagando rationem rei concipit, deinde iudicat vel bonum vel neutram vel malam, ad tria hæc se extendit. Voluntas ex solo boni iudicio ad volendum excitatur. Ideo latior est intellectus quam voluntas. Dicit intellectus, hoc bonum meum est. Hoc careo, hoc ergo est comparandum. Huc vsque iacuerat voluntas, sed lata huiusmodi sententia excitatur, vnde trahit originem hic intellectus actus? ex eius claritate. Vnde voluntatis incitamentum? ex indigentia. Perfectior ergo origo est intelligendi quã volendi. Quis primo gustauit bonum? intellectus, qui rationem concipit boni dormiente etiam voluntate. Qui autem primo gustauit, vtpote sagacior, prior inueniet. Illius enim est potatio cnius & prælibatio & quæ in venatione prius inuestigans ad inuestigandam conuocauit voluntatem. Prius inueniens & consequens ad consequutionem similiter conuocabit, reddetque ex propria plenitudine participem socium, qui sicut inferior fuit venando, erit in consequendo inferior. Primum propositum est in intellectu atque est einsmodi bonum quo caremus comparandum. Hoc dato insurgit voluntas, quæ nihil est aliud nisi quidam animi stimulus, quæ non ante sedabitur quã compareturbonum, non est finis vltimus sedatio stimuli, sed consequutio eius quo acquisito, stimulus ipse sedatur. Finis vltimus, primo proposito respondet, stimuli incitamentum non fuit propositum primum, sed illud sequutum est è vestigio: quare sedatio stimuli quę est voluptas, non vltimus erit finis, sed finis vltimi comes. Primum ergo propositum bonum comparandum. Vltimus finis boni comparatio in intellectu, illud ergo in intellectu & istud stimuli incitamentum secutum illud est stimuli sedatio istud. In voluntate autem est vtrumque. Item cum felicitas hominis superne descẽdat, ea animi vi capitur potius quæ animæ cum superis est cõmunis, quam ea quæ illi cum brutis communis existit, Mens cum supernis communis est, cum inferioribus apperitio. Item in omnibus viribus quæ à suis obiectis mouentur, obiecta secundum naturam priora sunt, quàm virium illarum actus. Quemadmo-

dum id quod mouet natura prius est quàm motio passioque in id quod mouetur illata. Eiuscemodi vis voluntas est, res enim expetenda appetitum rapit, obiectum igitur voluntatis actum ipsius præcedit, Primum igitur obiectum eius, actum eius omnem præcedit. Non potest igitur voluntatis actus primum quod voluntate petitur esse. Id autem finis est vltimus. Actus igitur voluntatis vltimus esse finis non potest, præterea in viribus omnibus quæ suos in actus reflecti possunt, ante oportet potentiæ ipsius actum in obiectum aliud dirigi, postea suum in actum reflecti. Si enim intellectus intelligere se intelligit, prius rem aliam intelligat necesse est, post eam se intelligere recognoscit. Nempe intelligere ipsum quod in se intellectus intelligit, alicuius obiecti intelligentia est. Quare oportet vt vel in infinitum eatur, vel si ad primum quod intellectum est, venire licet, hoc non ipsum intelligere erit, sed res intelligibilis aliqua. Eadem quoque ratione primum quod voluntas exigit non ipsum velle est, sed aliud quoddam bonum. Primum autem quod vult natura mentis particeps, eius felicitas est. Quinetiam vnum quodque secundum ea quę substantiam eius constituunt, habet naturæ suæ virtutem. Differt enim à picto homine verus homo, per ea quæ hominis substantiam complent. Vera autem beatitudo à falsa per actum voluntatis non differt. Æque enim voluntas in amando aut gaudendo sese habet, quicquid illud sit, quod sibi vt bonum & vt summum bonum proponitur, siue reuera tale id sit, seu falso. Vtrum autem reuera sit summum bonum quod tale proponitur aut falso, ratione intellectus hoc differt. Beatitudinis ergo substantia ad intellectum magis pertinet quam voluntatem. Irem natura voluptatem vt finem non posuit: Imò ad operationes explendas eam induxit. Cernimus enim, quod natura eis animalium operationibus voluptatem dedit, quæ sunt ad fines necessarios ordinatæ, quod in vsu cibi & Veneris est perspicuum. A quibus animalia penirus abstinerent, nisi voluprate allicerentur. Ita & qui naturam ducem sequuntur, voluptatem sibi finem non statuent. Adde quod voluptas nihil aliud est quàm quies voluntatis in aliquo conuenienti bono, sicut desiderium est eiusdem inclinatio inconueniens bonum, Sicut autem homo per voluntatem in finem fertur, sic in eo quiescit, sicut & naturales ipsæ res quæque, naturales habent in finem inclinationes, quæ cum peruenerunt ad finem cessant. Ridiculum autem dictu est, quod finis motus ipsius corporis ponderosi non sit proprio in loco, sed quies & cessatio inclinationis in hoc in quod tēdebat. Si enim hoc principaliter intenderet vt inclinatio ipsa quiesceret & cessaret, autor corporum eam non daret. Dat autem eam vt per hanc proprium ad locum deueniat, quo quasi fine iam acquisito inclinationis sequitur requies, atque ita requies hæc & cessatio nō finis est, sed finem potius comitatur. Item si alicuius rei est aliqua res exterior finis, illa eius operatio etiam finis vltimus esse dicitur per quam primo rem illam assequitur. Ceu in his quibus finis pecunia est, dicitur quoque possidere pecuniam, finis esse, non amare neque cupere, finis autem substantiæ rationalis est Deus: Illa ergo hominis operatio ad felicitatem potior est, per quam primo ad Deum attingit. Hæc autem intelligentia est. Nam velle non possumus, nisi quod intelligimus. Præterea primo mouēdi vltimus respondet finis, vt duci victoria, subiectis propria ministeria. Intellectus autem sua notione voluntatem ex se cæcam mouet. Illi ergo potius quàm isti vltimus respondet finis. Nam si vnum quodque suiipsius gratia operatur, ad sui bonum voluntatem intellectus mouet, quæ quia seruilis est & cæca, intellectui subest. Quapropter voluptas, vt Plotinus ait, sufficiens non est, non enim quærit idem. Neque etiam si voluptatem quærat, idem quæret. Semper enim aliud est in quo delectatur quis, sicut aliud quod appetit. Atqui oportet bonum ipsum quod esse sibi quis expetit, non esse passionem & affectionem aliquam in eo qui consequitur. Vnde & vacuus manet, qui hoc bonum existimat, habens passionem solam quam quis à bono haberet. Quapropter non satis sibi esse affectionem quis putat, dum reipsa caret, neque enim dicitur quisquam, non præsentibus filiis ita lætari ac si adessent: aut non comedendo ita lætari, ac si comederet, aut veneriis non putando ira gestire ac si potiretur, sed habere exoptat. Plotinus de felicitate quod non in voluptate sit ita probat, quia sicut appetitus est ad aliud bonum, sic eius quies in bono alio. Irem voluptas porest esse imaginaria & decepta. Omnino verò bonum non consistit in passione consequentis bonum, quæ porest esse similis per fallaciam etiam in non consecuto. Nemo verò talem eligeret affectionem. Superiores quidem rationes intellectus actum actui voluntatis in beato præposuerunt. Quibus verò rationibus oppositum probabiliter existimari possit in Epistola quadam de felicitare tractauimus. Denique si consideretur non tam voluntas ab intellectu discreta, quàm quod in ipso intellectu est quasi voluntas & voluptas, erit fortè tentatio tutior. Ex superioribus colligere possumus finem hominis esse vnum, Vnum scilicet, actum vitæ ipsius ex sapientia & voluptate mixta, ad vnum bonum atque in vno. Sapientiamque ad finem magis quàm voluptatem conducere. In quo certe soluta est tua illa quæstio, vir doctissime Minicitensis Michaëleonphilosophe noster, plurimumque dilecte. Sæpè enim mecum, vt frequenter à primis annis consueuisti, disputans, vnum & simplicem hominis esse debere finem, rationibus multis confirmasti. Ideoque mirari cur Plato mixtum finem posuerit dicebas. Illis ergo rationibus tuis iam ita respondi, vt eas libenter admiserim & tanquam verissimas approbauerim, & Platonis nostri defenderim mixtionem: Reliquis tuis circa Platonem subtilissimis quæstionibus aliàs respondebimus.

Collectaneorum Marsilij Ficini Florentini in Platonis Philebum de summo hominis bono primi libri finis.

COLLECTANEORVM

MARSILII FICINI FLORENTINI IN PHILEBVM,

LIBER SECVNDVS.

De vno rerum principio, & quomodo post ipsum omnia ex infinito quodam ac termino componuntur, atque de primis rerum generibus.

CAPVT I.



OMnia quæ nunc in vniuerso sunt, postquam in prima libri parte quod tractandum erat proposuit Plato: & in secunda tradidit modum quendam & ingressum tractandi. In tertia, qua cautione differendum sit, docuit. In quarta, tractare cœpit de bono. Et quoniã collocaturus erat ad ipsam voluptatem & sapientiam, vt inspiceretur, nunquid istorum alterum ipsum sit bonum, quid bonum sit explicauit, & ad ipsum vtraque conferens, neutrum esse ipsum bonum ostendit. Hæc hactenus: deinceps inuestigandum restat, vtrum istorum magis ad bonum conferat? Quod inueniri non potest, nisi & definiatur & diuidatur in partes vtrumque. Definitio autem genus requirit, primò, postmodum differentiam. Ideo quinta hac in parte genera vtriusque perquirit, & infiniti quoddam genus, necnon termini genus inducit. Ad finitum voluptatem, ad terminum mentem & sapientiam refert. Ideoque eò præstare vult mentem & sapientiam voluptati, quo præstat terminus infinito. Vbi ante omnia intelligendum est, quod duplex esse dicitur infinitum: Vnum, quod excludit terminum: Alterum, quod termino caret. Infinitum enim est quod non habet terminum: quod autem aliquid non habeat terminum, duobus modis contingere potest. Aut quia tam simplex natura est & supereminens & absolutum, vt neque interiorem partium habeat terminum; scilicet, primam partem, mediam, atque vltimam, cùm impartibile sit, neque supra se quicquam habeat, cuius limitibus circunscribatur, neque in aliquo iaceat, cuius coarctetur capacitate. Aut quia informe vagumque, & errans ex se est & termini indigum, & suapte natura præstare sibi optatum terminum impotens, infinitum vtrumque dicitur. Sed primum infinitum excludens terminum: secundum infinitum termino carens. Primum infinitum cùm ipsum nec terminum habeat supra, nec intra, nec infra, sitque super omnia, & extra omnia, omnium est terminus, omnia limitans, omnia formans, omnia sistens, omnia circunscribens. Idem igitur est infinitum excludens terminum, & terminus omnium sine termino, neque terminus terminatur. Nam ab alio terminaretur, illudque ab alio, atque ita in infinitum procederetur. Primus ergo terminus terminum excludit. Est igitur infinitum; infinitum igitur excludens terminum, & terminus omnium, inuicem conuertuntur. Talis Deus est, ipsum scilicet vnum, cuius infinitatem in Parmenide laudat Plato, & ibi infinitum pronunciauit, hoc autem libro primo terminum omnium. Deinde omnium mensuram, adiecit mensuram omnium, vt ostenderet Deum non esse terminum, rebus impressum, sed extrinsecus omnia limitantem, & interioris termini impressione omnia in natura propria distinguentem. Secundum infinitum ita indiget termino, vt nullius sit terminus, sed ab omnibus terminetur. Igitur infinitum primum excludens terminum, infinitum est aliud terminans. Secundum infinitum est ab alio terminatum: ibi quidem melius infinitas quàm terminus, quia ex eo est terminus omnium, quia ipsum non terminatur. Hic autem terminus infinitate melior, quia terminus ab infinitate quæsitus de ipso vno Deo, scilicet vt infinitum in Parmenide. Vt autem terminus omnium & mensura hic agitur. Vt enim infinitum nulli bonum præter quam sibi. Vt autem mensura & terminus omnibus bonum, quia omnium substantia, salus atque perfectio: Ideo cum hoc in libro de hominis agatur bono, Deum ea significat appellatione qua se rebus communicat atque prodest, non qua omnia fugit. Quotiens igitur terminum omnium dicit, & mensuram hoc in libro intellige Deum. Quotiens termino carentem infinitum, vel hic, vel in Timæo significat materiam, intellige communissimam quæ in mente formatur terminaturque ideis, in anima rationibus, incorporibus denique formis. Hæc vt infinita materies à Deo est, infinitũ vt à Dei infinitate materiæ sit infinitas. A Deo vt terminus & mensura materiæ profluit limitatio. Ac licet Deus, vt infinitum in seipso præstantius sit quàm vt terminus, tamen non præstantior materia illinc pendens, quàm hinc ema-

nans term inatio: illa euim præstantia quid ad sequentium excellentiam? Deserit enim quodam modo reliqua exempta illa & impatiens circun scriptionis sublimitas, ideo communis materies velut vmbra quædam fugientem sequitur Deum. For ma verò in materia, velut in speculo ex quodam beneficio diuini vultus aspectu resultat. Necessitatem diuinæ præstantiæ necessario materia comitatur, bonitatem aspectus forma: Ideo necessitatem in Timæo materiam vocat, formam verò mentem. Materia vt primum, inde primum super nihilum. Paruo igitur interuallo distat à nihilo forma vt secundum inde primum super aliquid. Ideo ibi potentia, hic actus, ibi essentia, hic esse, inchoatio ibi, hic est perfectio. Materia quidem vt à Deo processus, forma vt in Deum conuersio, melior conuersio in Deum, quàm à Deo processio: illa enim disiungit à bono, degenerareque compellit. Hæc bono coniungit, detrimentum restaurat, reformat in bonum. A Deo materia, ab actu puro, potentia pura, ab actu agente omnia, potentia suscipiens omnia. Materiam intellige, primum à Dei supereminentia iactum super ipsius nihil infinitatem. Formam intellige, secundum Dei donum, super primum inde porrectum. Hæc duo per omnes rerum gradus à Deo permanant infinitum, termini indignum voca materiam, terminum materiæ formam, ab infinitate terminum excludente, infinitatem deducas termini indigam. Nam eo ipso signo quo illa excludit terminum, nascitur ista sine termino, à termino infinitatis illius comite, terminum infinitatis istius comitem. Nec duo in Deo sunt, infinitas & terminus, nam infinitas ipsa sua est, aliorum aspectus est terminus: in rebus autem duo quædam necessario sunt, sicut necessario & manant & reflectuntur, mitte ad præsens Dei ipsius infinitatem. Nam de hac in Parmenide, accipe in Dialogo de bono beneficium terminum: accipe secundo infinitatem rerum omnium, à Deo manantium: accipe tertio in hac infinitate terminum datum à termino: quartò, quod ex vtroque est mixtum. De his quatuor hic duntaxat agendum: quia verò de superno ipso termino aliàs & dictum, & dicetur. Nunc de termino secundo & infinitate, sed de hac primam, quia prima procedit materia: quod ista sit, & quod sit accipe. Semper Deus æquè potens est, semper ergo nullo æqua faciendi potestas; semper igitur æqua exterius fiendi potentia.

Neque enim facere semper omnia potest, nisi fieri semper omnia possunt: æterna igitur omnium factiua potentia æterna, & omnium potentia susceptiua. Hæc (vt ita dixerim) fiendi potentia, aut nihil, aut aliquid, aut omnia, non nihil. Nihil enim ipsum ipsi esse oppositum, & esse fugat, potentia verò fiendi esse appetit. Non aliquid, esset enim iam, neque esset ad fieri potentia, imò & si esset aliquod, vnum esset distinctum: ergo non omnia æquè respiceret, imò verò iam factum actu aliquid esset, non fiendi potentia. Est igitur omne, non actu omne, quia non opus esset aliquid fieri. Est igitur omnium præparatio, quare ad singula est indifferens: est igitur ad quælibet indeterminata potentia. Quod si quis dixerit, hanc potentiam à Deo esse semper, ergo Deum semper eam facere posse, & semper eam posse fieri, quæratque de alia fiendi potentia.

Respondendum, formas & composita, actiuam & passiuam potentiam præsupponere, materiam verò, quia ipsa est omnis passiua potentia, actiuam duntaxat exigere, & sola faciendi potentiam, fiendi potentiam sequi, hæc fiendi potentia omnia antecedens quæ inter nihil & esse media ponitur, aut esse sibi ipsa determinat aut non esse, aut ad vtrumque est indifferens. Si esse superioris actione ad formam & esse non indigeret, cum ratione propria hæc includeret. Esset ergo non possibile, sed necessarium. Si non esset ratio sua cum nihilo eadem. Nihil igitur esset. Imo cum ratio sua non esse exigat sibi, contra rationem suam erit esse: Impossibile igitur erit vt sit quandoque, est ergo indifferens. Vnde Deus necessarium, materia possibile, nihil impossibile, quocirca & necessitatem Orpheus Deum vocat, cum ait, fortis necessitas omnia continet. Et in decimo de Republica Plato. Est itaque materia ad esse & non esse si interminata potentia, & ad omnes formas indifferens inchoatio, est igitur indiga termini, est itaque infinita. Atque vt est omnibus vnus communis actus, non vnus numero, specie aut genere, sed quia ab vno ad vnum, ita omnibus vna est, communis materies, quæ ideo dicitur vna, quia vnius Dei supereminentiam sequitur, & vni actui est subiecta, neq; ex eo quod incorporeis hæc materia conuenit in eisque incorporea, ideo à corporeis dissentit formis. Nam & in his quoque est incorporea. Antecedit siquidem quantitatem cuius dimensionibus corpora constant. Imò quæ hic qualitatibus & virtutibus incorporeis sufficit, illic quoque ideis sufficiet. Illic quidem corporale aliquid quodammodo sistinet, corporum scilicet rationes. Hic nonnihil incorporale impartibiles qualitates. Quod autem omnibus post Deum rebus hæc subsit materies, iterum sic ostenditur. Quæ à principio illo fiunt à seipsis non fiunt, neque enim principio indigerent. Inde igitur esse actumque accipiunt, esse enim præsentem actum in rerum natura significat. Aut ergo præter hunc essendi actum aliud quippiam in se continent, aut nihil si nihil aliud. Actus hic purus est sine omni priuatione. Liber ab omni circumscriptione subiecti. Vnus penitus infinitus vigor atque exuberans, omnem excludens terminum, per se subsistens, & quia in seipso existens, ideo ab seipso, id autem soli primo Deo conuenit. Ergo actus ille aliquid aliud habet annexum, ne sit primum, ne infinitum, ne seipso subsistens, & in alio est vt subiecto, ne sit vt primum vigore plenissimum. Est ergo in sequentibus omnibus & actus simul & potentia, actus ipsius subiectum. Præterea essentiam rei rationem cuiusque substantiæ intelligimus. Esse verò actum essentiæ ipsius in rerum natura præsentem, vt ex Parmenide discitur. Igitur aliud essentia est, aliud esse. Quicquid enim in ratione intelligentiaque essentiæ non includitur, extrinsecus aduenit, & illi additum compositionem efficit. Quoniam essentia nulla sine his quæ partes eius sunt intelligi potest. Omnis autem essentia potest sine esse intelligi. Intelligere enim possumus, quid phœnix, quid homo. Ignorare simul quod in natura rerum existant. Ex quo patet quod esse aliud quam essentia est, nisi fortè res aliqua sit, cuius essentia ipsum suum esse sit, quæ quidem res nisi vna & prima, esse non potest. Impossibile enim est aliquid in plura diuidi nisi vel per alicuius differentiæ additamentum, sicut generis natura multiplicatur

in species, vel propter id quod forma in materiis diuersis recipitur, sicuti natura speciei in diuersis indiuiduis multiplex redditur. Vel ex hoc quod vnum absolutum est, aliud autem in alio iacens. Sicut si esset color aliquis à materia separatus, alius à coniuncto ex ipsa sua separatione differens. Si autem aliqua res ponatur, quæ sit esse tantum, ita vt ipsum esse sit subsistens, hoc esse additionem differentiæ non recipiet. Esset enim vbi aliquid loco generis communisque potentiæ, aliud loco differentiæ atque actus. Non ergo posset actus purus, esse autem per se subsistens purus est actus. Esse enim actum dicit solum, quare vbi solum ponitur esse, solus ponitur actus, neque etiam esse illud additamentum materiæ suscipit, neque enim per se subsisteret. Quare res talis, quæ suum esse est, vna est tantum. Certè primum tale est, vt pura existentia sit, quod per esse significamus. Ideoque oportet vt in omnibus id sequentibus aliud essentia sit, aliud esse. Omne autem quod alicui conuenit, vel ex naturæ suæ principiis est eductum, vt ridendi facultas homini, vel ab externo principio aduenit, vt aër à Sole lumen. Fieri autem nequit, vt ipsum esse in rebus quod absentia est distinctum, ab ipsa rei essentia & natura sit effectum, tanquam ab effectrice causa, Nam sic aliquid suiipsius esset causa seque ipsum in esse produceret. Omne itaq; quod tale est, vt aliud in eo essentia sua sit, aliud esse, se haber ab alio, & quia omne quod per aliud est, ad id quod per se est reducitur, vt ad causam primam, & ab illo esse recipit, ad illud se vt potentia recipiens habet. Huic autem potentiæ susceptus essendi actus respondet. Ex potentia igitur atque actu essentia, scilicet & esse post Deum omnia componuntur. Quod prætetea ostendendum est, Primo, ex naturæ creatæ, (vt ita dicam) possibilitate, secundo ex ipsius limitatione, tertio, eiusdem compositione, Primum sic patet; Nempe ex eo quod res producta ab alio, ex se non est. Est quidem ab alio & ab illo destituta non esset, ideo & esse potest, & non esse, & suum esse non est, sed adesse ipsum potentia est. Nihil enim ad seipsum potentia est, nihilque seipsum suscipit, & nihil suscipiendo seipsum gignitur. Semper enim agens cum agit quod potentia tale est, actu efficit tale, fit ergo productio quæque, non quia potentiæ potentia imprimatur, quia si ita fieret adhuc producta res, in potentia esset. Neque dum esset, nec etiam actus infunditur actui, vel idem sibiipsi, quia res producta esset antequam foret, sed potentiæ infunditur actus. Quoniam verò actus & potentia quodammodo opponuntur, neque vnum idem est quod est & aliud, ideo in creatione ipsum esse quod essentiæ datur rationem actus haber, essentia verò quæ suscipit habet potentiæ rationem, Ex limitatione sic apparet. Profectò cum essentia animorum & mentium in materia non sit, non est pro materiæ capacitate contracta. Ideo si ad inferiorem partem comparetur, infinita est, excludens terminum. Quare si esse non, suscipit à se differens, sed ipsum suum esse est, iam esse id in alio non est receptum, itaque per se existit. Omne tale purum est, & penitus infinitum, omnem excludens terminum. Neque sursum finitur esse, quia in alio non est. Neque deorsum essentia, quia non in alio. Vndique igitur omnem excludit terminum. Id soli primo competit, nulli verò secundo, nam omnia ab eo superata eius limitibus coërcentur. Quapropter aliud in superis substantiis essentia est, aliud esse. Quoniam verò quæcunque compositio in supernis substantiis inuenitur, in rebus quoque corporeis insit necesse est, tam corporea omnia quàm incorporea essentiam habent ab esse distinctam. Ex compositione sic ostenditur: Si natura creata esse suum existeret, omnino simplex esset, quoniam ipsum esse nullo modo aliquo participat. Est enim substantialis actus, imò totus rei totius actus. Participatio verò ratione potentiæ fit. Siquid ergo creatum solum esse est, alio nullo participare potest. Omnino igitur simplex existit, ergo omnino immutabilis per naturam quod creatæ rei conuenire nullo modo potest. Quare in omnibus Deum ipsum sequentibus potentia reperitur & actus, essentiaque & esse. Potentiam ipsam communem omnibus seipsa adesse & non esse indifferentem, mediamque inter nihil & esse: informem & æquè ad formas singulas præparatam materiam voco; primam ipsam termini indigā infinitatem. Quia ad esse & non esse indifferens, ideo ad quoduis illorum indeterminata est, & indefinita dicitur, & ab alio terminatur, quia inter nihil & aliquid media, ideo infinitum tenet spatium. Nulla enim distantia maior quàm quæ inter nihil & esse, quia informis termino formarum caret, quia ad omnes æquè se habet, indefinita est ad formas, & innumeris formis per infinitum tempus susceptaculum se exponit, quibuscunque formatum motibus æquè se patitque accommodat. Locis quinetiam ad quæ formarum motus ducunt æquè congruit omnibus. Nihil igitur habet proprium, nihil certum, nullum itaque terminum, prorsus igitur infinita. Quid materia? Potentia omnium, infinitum inter esse & nihilum interuallum, infinita formarum capacitas, indeterminata motuum inchoatio.

Hæc prima est omnium, & in omnibus infinitas, ex qua & termino constant omnia, vt Philolaus inquit Pythagoreus. Mercurius infinitum vocat malignitatem tenebrasque, Terminum benignitatem Deique splendorem, Orpheus infinitum vocat Chaos, terminum ornatum. Zoroaster duo principia induxit, id est, elemēta prima, ex quibus constituuntur omnia, bonum & malum, loco termini bonum, loco mali infinitum.

Firmatio superiorum, graduus principiorum, elementorumque entis.

CAPVT II.

PLato hęc duo accepit principia: & merito post vnum solum duo induxit, vnum super omnia, duo ex quibus omnia. Post duo tria connumerauit, id est, infinitum cum termino, terminum infinito mixtum, ex vtrisque tertium. Statim verò intulit quatuor, cum mixtionis causam nominauit. Quinque verò in Sophista posuit elementa, eius quod ens dicitur. Ens intelligit compositum ex essentia atque esse: Quanquam nomen ens illius compositi magis exprimit esse quam essentiam: Ideo non dixit quod ens constet ex esse, essentia, statu, motu & cætera. Essent enim sex. Posuit autem quinque & esse prætermisit, quia in expressione entis esse præualet. Significat ergo ens præcipuè ipsum esse à termino, qui super infinitatem est infinitati datus. Huc adiecit quinque, essentiam scilicet, infinitatem ipsam, quàm esse id presupponit statum, motum, idem, alterum: In vno-

quoque enim quod est ipsi esse quinque sunt annexa, essentia primo, scilicet ratio cuiusque rei formalis. Idem quia essentia omnis sibi ipsi penitus similis est & idem, & cum aliis etiam semper in aliquo conuenit, statim oritur alterum, quia & esse, & essentia alterum, & sæpè ex pluribus constituitur, & ab aliis quæ extra se sunt differt. Est & status quantum in sui natura aliquandiu moratur, & sua in vnitate persistit. Oritur & motus, qui nihil est aliud quam exitus de essentia, id est, operatio quædam. Omnia enim aliquid operantur. Sicut in omnibus post Deum sunt duo illa, terminus & infinitum. Ita & ista quinque in omnibus ratione termini esse habet vnum quodque, termini scilicet superioris, quod quidem esse non auget numerum, quia in ipsa entis denominatione exprimitur. Ratione verò infiniti illud primum scilicet ens habet essentiam. Ratione rursus termini est illic. Idem & status, Infiniti alterum atque motus. Potest & numerus senarius addi, ita vt dicatur constare ens omne ex esse, essentia, eodem, altero, statu, ac motu. Quod fieri posse significauit Plato cum dixit, in sexta generatione secundum Orphœum, ornatum cantilenæ finiri. Is autem numerus perfectissimus est, quia propriè ex partibus suis constat, Vno, Duobus, Tribus. Ac licet sex sint, illud primum quod est esse in Sophista sicut Plato in numerando, quia cum ens diceret, significauit, in eo enim esse alia prævalet. Ideo cum quinque dixit, intellexit quinque vltra vnum, quod esse est, quod per ens præcipuè significauerat. Sex itaque sunt genera rerum, merito post vnum duo, hoc enim proximè sequitur vnum, post duo tria, ex quibus sex complentur. Est primo Deus, Secundo terminus & infinitum. Sub termino tria, esse, idem, status. Sub infinito tria, essentia, alterum, motus, ergo vnum in duo, duo in tria. Ex quo post duo, dum tria oriuntur, sex quoque pariter oriuntur. Nam sub vnoquoque duorum tria pendentia sex conficiunt. Neque fortè potest vltra procedi. Nam quoduis duorum per tria sua, vt ab vno est, ita redit in vnum, dum & est in eo & procedit & redit. Imò verò septem sunt, nam Deus supra sex, Septenarius autem naturæ est terminus. Imò & nouem. Deus infinitum, terminus, esse, essentia, status, motus, idem & alterum. In hoc numero finiuntur omnia. Vnum quippe dum stat, mouet, reditque in seipsum, tria efficit. Tria pariter in se redeuntia nouem. Neque vltra proceditur, quia tres quæ sunt in nouenario Trinitates omnem vnius entis vim explent. Nam & stat, mouetur, redit, est, viuit, intelligit. Vbi tria sunt. Item in essentia est vita, & intellectus per modum essentiæ. In vita essentia, intellectus per modum vitæ. In intellectu essentia vita per intellectus modum. Quare in nouenario omnis progressio est, omnis reflexio terminatur, quia ex hac trina adæquatione in quolibet vno per Trinitates maximè quoad fieri potest fit in vnum conuersio.

Quæ conditiones competant omnibus ratione infiniti, & quæ ratione termini.

CAPVT III.

SEd redeamus illuc vnde digressi fumus. Videamus quid communiter omnibus rebus competat ex termini & infiniti natura, deinde quid propriè singulis ex iisdem conueniat. Quia in rebus terminus est, id est, actus à Deo datus, inest vnitas quædam vnum imitans primum, quia infinitas, id est, potentia ab vno descendens, inest multitudo ab vno degenerans. Item ex eo esse, ex hac essentia, ex eo idem, ex hac alterum, ex eo status, ex hac motus, quia vnumquodque in actu & termino suo libenter permanet; mouetur autem ad aliquid ex indigentia, quam passiua præbet potentia, & idem secum est quod non mouetur, alterum verò quod digreditur. Si solus esset terminus, solus actus, status, identitas. Si sola infinitas, sola potentia, motus, atque diuersitas. Hæc autem in rebus mixta sunt, mixta igitur sunt & illa, ex illo bonum, ex hac malum, siue decrementum boni, quia ex illo actus, ex hoc priuatio; ex illo pulchritudo, ex hac deformitas siue informitas, ex illo actio, ex hac passio: nam quæque per actum agunt, per potentiam capiunt. Ista omnibus sunt communia, ex illo in mente æterna essentia & operatio est, & certa idearum series. Ex hac idearum multitudo, perque eas incessabilis replicatio ex infinito anima per temporis interualla operando progreditur, & supra specierum numerum, operationum & temporis adhibet numerum, ex termino stat essentia, & operationes easdem certis replicat interuallis. Mundus vniuersus ex termino continuus est partibusque connexus, & finitas rerum continet species. Ex infinito progressus efficit varios & singula generat infinita, sed & progressus per terminum metiendo certis restitit interuallis. Item qualitates & quantitates inferorum corporum ex termino habent vt materiæ quoquomodo sistant capacitatem & fluxum terminans. Ex infinito quantitas habet vt diuidi possit semper & augeri. Proprium enim quantitatis est quæ est in materia diuidi & extendi. Quæcunque verò quantitatis pars quantitas est, igitur quæque pars diuidi & extendi potest, neque enim quantitas ex non quantis constat, ex partibus autem suis constat, & nisi habeat partem non est quantitas. Quare in infinitum diuiditur Quæque pars quantitatis est quantitas. Omnis quantitas habet partes, ergo omnis diuiditur: Quod diuidi potest in infinitum, & in infinitum augeri; eo enim ipso quod descendit in infinitum, supra relinquit gradus in infinitum Ergo post tergum fit ascensus infinitus; non enim descensus est infinitus nisi infiniti sint gradus, per quos descenditur, quot gradus ante capiuntur, tot retro relinquuntur, Ante in infinitum capiuntur, retro ergo relinquuntur in infinitum, ergo tela retro conuoluitur infinita, dum ante infinita reuoluitur. Quod autem in infinitum extendatur, nequaquam sibi repugnat. Repugnat autem speciei, quæ ita certam quantitatem postulat, vt propriá exigat qualitatem. Id autem quantitati contingit, quia in materia est. Si enim sit supra materiam, erit itaque ipsa ratio quantitatis, quæ nec magna est, vt paruis congruat, nec parua vt congruat magnis. Ab infinitate igitur materiæ quantitas habet, vt ad quamlibet extensionem & diuisionem sit indifferens. Item qualitas vt termini est particeps, materiam format, vnamque habet suæ naturæ proprietatem; vt autem in materiæ infinitate degenerat & remitti in infinitum potest & in infinitum gradibus semper intendi. Proprium enim qualitatis est quæ inest materiæ, vt intendatur & remittatur, quæque pars qualitatis est qualitas, semper igitur quæque pars intendi potest atque remitti. At

si extra materiam sit qualitas nihil aliud est quàm ipsa ratio qualitatis. Ipsa vero nec intensa est, vt remisse congruat; neque remissa vt competat & intense. Item quæ in materia est pro captu materiæ ipsius suscipitur, conditio materiæ forma deterior est. Quare oon tota sine plenitudine in materia suscipitur qualitas, ideo minui potest cum sit debilis & augeri, cum tota oon sit, & pro subiecti varia præparatione magis magisque, vel etiam minus ac minus accipi à subiecto. Quæ verò absoluta est à subiecti limitibus totam sui vigoris integritatem voo habet momento, cum tempus supergrediatur, & vno habet in puncto, cum sit supra locum. Non ergo degradu in gradum protenditor, neque ex parte in partem extenditur. Quinetiam ratione materiæ in eadem specie rei cuiusque & qualitatis infinita sunt indiuidua. Nam cum nusquam materia totam formæ habeat plenitudinem, & vbique ad recipiendum parata sit, adhuc quod superest appetit, potestque accipere, & in diuersis accipere partibus. Igitur & temporum & locorum interuallis diuersis, diuersis modis suscipit eandem formæ naturam. Quod ex eo patet quia in his quæ in eadem specie esse dicimus, communis vna omnium proprietas, & actus vnus. Vnam esse iudicat formam. Est distinctio tamen ex quibusdam materiæ ipsius conditiooibus, tempore, situ, figura. His ergo subtractis à forma, vnum remaoet. Hanc verò diuersitatem indiuiduorum io specie eadem, in corporibus materia quanta facit, in animis rationis distinctio quæ io animorum idea est. Vbi distinctiooem idea quæque in se suscipit aliquam ex infinitatis participatione, quam diximus. Collige infinitum in mente iuratiooum multitudioe duntaxat ostendi. In anima rationum, & momentorum, in corporibus rationum, momentorum atque punctorum. Crescit ergo in corporibus infinitas, quia materia illa communis vt subest corporalium rerum formis, prius accipit quaotitatem. Est quædam conditio termini ab ipso vno omnibus insita, qua singula in se vnum sunt, & vnum cuncta. Est & à meote quędam superioris vnius vigore descendens, qua voos & stabilis omnium specierum, rationum & formarum ordo: certa & cootioua serie in vnum denique primum reflectitur. Est & ab animamentis & vnius vigore quædam materiæ conditio data, ipsa videlicet forma, quantitas & qualitas: Quantitatis insuper dimensionibus certa & mensurata mutuaque proportio. Qualitatis gradibus numeri alicuius species, & qualitatum mutua inter se moderatio. Quibus datis vagus cessat motus, simul omnia vinciuntur, & aliis aliisque quantitatum proportionibus, & qualitatum moderationibus, aliæ quoque corporum substantiæ naturæque consurgunt. Vnde singula, vt Platonicus inquit Philon, ex termini ipsius conditiooe in pondere, mensura ac numero sunt constituta. Poodus certam dicit rei substaotiamq; naturam. Mensura quantitatis proportionem determinatam, numerus finitos & consonantes qualitatis gradus significat.

Iterum quomodo sub Deo infinitum atque terminus inde dependens, & quomodo duo hæc inuicem misceantur.

CAPVT IIII.

Omnia quæ nunc in vniuerso sunt. Dicit igitur Socrates: Omnia quæ sunt in vniuerso ordine rerum ab vno totius ordinis ptincipe descendentium, in duo elementa partiamur, scilicet in terminum & in finitam materiam videlicet illam communem & communem formam, & conditiooes quæ illas sequuntur. Dicit nunc, vt ostendat terminum scilicet formam non ex materiæ visceribus, vigore materiæ natam, sed à Deo exhibitam, quasi dicat, oon semper forma fuit, non æqua materiæ ipsius pedissequa: Imò verò antequam materia in Deum conuerteretur, & diuinus in eam vultus, vt in speculum reluceret, erat informis, erat chaos, coogeries indigesta, vt ait Orpheus, inanis vacuaque potentia, tenebræ super abyssi, id est, infinitatis, faciem, vt Mercurius inquit: Nunc autem, id est, postquam in materiam aspexit Deus, & Dei spiritus, vt idem ait Mercurius, super fluxam mũdi materiam est delatus, terminus, ornatusque omnis eluxit, vt dicitur in Timæo. Neque verò infinitum hoc tempore, sed origine processit terminum. Quod & Aurelius Augustinus dum exponit Moysem confitetur, & Origenes antea non negauit. His insuper duobus adiungit tertium, quod scilicet ex vtrisque compositum. Ex duobus enim inuicem bene mixtis tertia quædam natura resultat. Dixit accipiamus aliquot ex superioribus sermones. Nam & supra quoque dixerat, Deum in omnibus rebus vnum & multitudinem, finitum & infinitum immiscuisse, quod loco suo exposuimus. Et dixit ea Priscis Theologis ac oobis, Deum ipsum per Prometheum, id est, prouidentiam suam, & lumen ostendisse. Ostendisse, id est, nobis declarauisse. Quinetiam per ostensionis modum creasse. Est enim creatio, effectio, generatio: Creatio quidem ad Deum attinet, qui & sine idea & ex nulla præcedente materia operatur. Ipse enim ea producit. Effectio ad mentem quæ per ideam ex materia quadam stabiliter efficit. Generatio ad animam quæ per semina & rationes ex materia corporali cum motu agit ac tempore. Ostendit ergo Deus, id est, oulla præcedente materia, infinitum iecit omnium fundamentum & oulla præexistente idea terminum applicuit infinito. Dicit eorum quæ sunt, alterum infinitum, alterum terminum: Non quia vbi infinitum quidem apparet, illic seorsum termious. Sed quia eorum quæ sunt, elementum vnum infinitum, alterum verò terminus. Harum itaque trium specierum, id est, graduum rerum, duas quasdam primo ponamus istas, infinitum & terminum. Tertiam verò quod ex his constat, quod voum quiddam est, quia bene ista inuicem mixta sunt. Quæ enim ab vno ipso miscentur quanquam duo sunt seorsum, tamen inuicem iuncta vnius ipsius vi, vnum ipsum imitantia autorem in vnum esse ducuntur. Nam & materiæ & formæ inuicem coniunctarum non duo sunt esse, sed vnum, sicut operatio emicat vna. Materia enim ipso formæ esse existit. Post hæc volens quartum inducere, quod non in numeroso est vt tria illa, sed super vniuersum, ait, ridiculus sum, id est, deridendus, vt videtur, si asseuerem me sufficienter omnia diuisisse atque numerasse. Inquit vt videtur quia sufficienter numerauit, quia sola quæ in vniuerso sunt se dinumeraturum est pollicitus. Illa verò tria sunt tantum, & tamen ridiculus est nisi super vniuersum causam induxerit. Imò eam induxit, cum dixit, Deum ostendisse, Neque tamen satis fecit dum diceret, quod Deus duo diuersa & seorsum ostendit. Ab vno enim vnum esse debet; Ideo adiungendum erat, quod Deus vnus ea in voum esse

coniunxit, vt non ſolum producendi ſed vniendi videtur officium. Primo igitur Deum productorem fecerat diuerſorum, nunc etiam conductorem facit, vt pateat, ſicut partes mundi ex ſe non ſunt, ita neque per ſe vnà conſtare, ſed & conducente indigere, quicquid indiguit producente. Oppoſita enim ſeſe fugiunt. Vnius ergo ſuperioris vi coëunt. Ideo præter hæc tria vide & quartum, cauſam ſcilicet qua hæc vnà miſcentur. Neque vnius vi vnita ſunt omnia. Dixit, vide vt aperiret cauſam iſtam, non eſſe quartam gradu, eſt enim gradu prima, ſed inuentu quarta. Quia enim videmus oppoſita in vnum congredi, vnum eſſe vnionis, ſuper illa coniicimus autorē. Quo certè in loco Democritij primo redarguuntur, & poſt modū Epicurei, qui fortuito cōcurſu hęc omnia putauerunt inuicē cohęrere. bi meminiſſe oportet, quod prima vnionis cauſa primus ipſe eſt Deus, cuius vi mens & anima in vnum omnia vinciunt. Mens enim vt mens eſt formas duntaxat producit. Anima rurſus vt anima formarum motum. Vnionem verò dant, vt primi, vnius vnitate participant. Interrogauit Protarchus, num quinta & ſuprema cauſa opus ſit, quæ diſcernere poſſit à deterioribus meliora ad meliorum integritatem, ſicut quarta vnit meliora deterioribus, ad deteriorum perfectionem. Non negauit Socrates, ſed dixit, in præſenti diſputatione illa opus non eſſe. Etenim Deus ſupereminet omnia & ſe communicat omnibus: illa Dei ſublimitas, hic Dei vultus dicitur, illa ſolitariam producit materiam, hic illi vnit formam. Atque vt ſequentia vultum imitantur diuinum, ſemper ſeſe iungunt inferioribus ad illorum perfectionem, & paria congrediuntur, & omnia in tenorem vnicum rediguntur, Vt Dei appetunt ſublimitatem, omnes formæ & eſſentiæ quæ ſine deterioribus eſſe poſſunt, ſe eximunt ad ſuiipſius integritatem, peiorumq; relinquunt commercium. Semper ergo Deus vnitatis eſt cauſa, Dei illius vnitatis quæ in coniunctione reſultat. Dei ſublimitas vnitatis cuiuſque propriam tutantis ſimplicitatem. Sed ibi quidem commiſcendo diſcreta vnit inuicem. Hic autem diſcernendo ſibimet ipſi vnit quodcunque. Ideo dicitur mixtionis, hic autem diſcretionis cauſa. Super igitur cauſam mixtionis, eſt & diſcretionis cauſa. Hoc in libro de mixta agitur vita, quia de humani animi beatitudine, quæ & intellectum & voluntatem perficit. Ideo cauſa mixtionis ſufficit. De diſcretionis cauſa differere ihil opus eſt, nam ad eius imitationem ea pertinet beatitudo quæ ſolius mentis eſt, & animi tunc demum, cum mentem ab aliis partibus ſuis ſecreuit. Vbi nulla eſt appetitus potentia, vbi integer intelligentiæ actus felicitas eſt, quam hac in vita guſtat quiſquis à Deo rapitur, vt ait in Phædro. In alia verò fruitur animus qui mundus corpore egreditur, vt in Phædone. Hæc vita quinta dicitur, quoniam ad quinti illius imitationem, & quoniam prima vita concupiſcibilis eſt, ſecunda iraſcibilis, tertia actiua, quarta contemplatiua animæ propria, quinta contemplatiua propria mentis, quam vitam libenter ſequetur Socrates, cum data oportunitate, eam & nouerit & aſſequi poterit, quod libenter illi concedit Protarchus, quamquam mixtam hic tutantur vitam, Semper enim ei quod eſt veriſſimum fauere debemus, nec opiniones noſtras mordicus tenere, ſed quod melius ſemper apparet capeſcere. Sed de hac alias. Nunc de humana felicitate, hæc enim ad illam via. Quinto ergo dimiſſo, quatuor tractanda proponit, quæ ad diſputationis propoſitum pertinent, modumque tractandi ante omnia ſtatuit. Quod videlicet, cum quatuor ſint, primo tria conſideremus, poſtea quartum, ſcilicet cauſam mixtionis, Nam per hæc illam cognoſcimus. Inter hæc autem tria, prius de duobus, ſcilicet infinito & termino quàm de mixto. Hoc enim ex illis, & inter hæc duo prius de infinito: Hoc enim terminum antecedit. & ad voluptatem præcipuè confert, de qua primo eſt agendum. Tam verò de infinito quam de termino hunc in modum tractandum præcepit, vt cum vtrumque videamus per multa diuiſum atque diſperſum, conemur in vnam communem naturam ſingulis competentem vtrumque colligere, atque ita conſiderare, quo pacto vtrumque vnum eſt & multa. Hæc ſolida illa Platonis præceptio eſt & multis in dialogis repetita, vt cum omnia poſt Deum & vnum & multa ſint, vnitatem illorum & multitudinem inueſtigemus, hocque faciamus in ſingulis. In cunctis autem, indiuidua multa cum præter ſcientiam ſint, in vna ſpecie conſideremus, ſpecies multas vt earum intelligatur principium vno in genere contemplemur. Petit Protarchus planiorem orationem, Socrates ita ſe aperit. Duo primo inueſtiganda, inquam, infinitum atque finitum, & cum ſupra dixiſſet terminum, hic in modo tractandi proponit terminum habens, concretum enim notius quam abſolutum. Et ab infinito incipit, vbi multitudinem in ſe vtpóte notiorem prius reperit, deinde in vnum redigit. Hæc ergo tractanda ſunt, hic etiam tractandi modus.

SEQVVNTVR DIVVLSAE QVÆDAM ANNOTATIONVM RELIQVIÆ

ex iisdem Marsilij lectionibus collectæ. Commentaria verò Marsilij ordine disposita breuiter sunt in ipso Philebi textu.

De intelligentia & voluptate, eorumque mixtura.



Orphyrius inquit, fœlicitatem posse dici simplex bonum: quoniam voluptas intelligentiæ vix ab ipsa distinguitur. Cùm enim intelligentia est in summo gradu penitus expedito, ipsa sua expedita summitas est voluptas intima, vt etiam Plotinus inquit. Tunc verò maximè est simplex atq; vnum. Gaudet vero seipsa tanquam superiori lumine iam formata. Atque sicut summitas luminis in speculo concauo iam est calor, ita summitas essendi iam est vita, & viuendi sensus, sentiendi imaginatio, imaginandi ratio, rationis intelligentia, intelligentiæ gaudium, gaudij bonum. Iam vero ad supremum gradum euntes, non ad diuisionem peruenimus, sed vnionem. Atque sicut elementa eodem naturæ nixu petunt conueniens, & fruuntur: ita mens pura eodem sui actu vergit in obiectum tanquam verum, & fruitur obiecto tanquam bono. Profectò in cognitione sua quædam est voluptas, quatenus cognitio, naturæ appetentis est particeps. Nam in ipsa cognoscendi potentia inquisitio est & inuentio. In potentia similiter appetendi est appetitio atque consequutio. Inquisitio quidem appetitioni similis est, inuentio verò consequutioni similis. Sicut igitur consequuti, sic & meritò voluptaria. Neque tamen est, est idem penitus virtus appetens atque cognoscens, apud nos præsertim; nam multa cognoscimus quæ volumus, & quæ cognouisse nollemus atque viciſsim. Item certiſsimè cognoscimus, quæ minimè volumus, & viciſsim affectamus valdè, quæ non valdè cognoscimus.

Quod neque intelligentia, neque voluptas est finis, minimè verò voluptas.

NEque intelligentia, neque voluptas est ipsum bonum. Possumus enim neque hanc neque illam appetere, & alterutrum interdum quoquomodo respuere vel negligere. Bonum vero qua ratione bonum, neque possumus non appetere, neque respuere, neque negligere licet. Voluptas non est finis, ipsumve bonum, semper enim comitatur vel adeptionem boni, vel motum ad bonum. Iam verò sicut appetimus bonum tanquam aliud, ita gaudemus bono tãquam alio: neque vel appetimus appetitu, vel gaudemus gaudio. Atque sicut dolor aliud est quàm malum, dolemus enim malo, nec omne malum dolor, ita voluptas aliud quàm bonum atque viciſsim. Intelligentia etiam aliud quàm bonum, spectat enim bonum, atque vias ad ipsum bonum, neque seipsa contenta est. Profectò voluptas est affectio quædam, diffusioque gaudentis. Ipsum vero bonum non potest esse velut alicuius passio, vel affectio, sed est in seipso pot us idipsum quod existit. Aliorum vero effector & perfector est finis. Præterea bonum omnibus oppositis inter se qualitatibus esse commune, neutra igitur oppositarum est ipsum bonum, igitur ipsum bonum, sicut non est dolor, ita nec est voluptas. Item, si bonum participant omnia, non tamen omnia voluptatem, meritò non est voluptas ipsum bonum. Et si ipsum bonum est voluntarium, id est, suaue atque delectans, tamen non est ipsa voluntas, & fortè segregatum à voluptate formali. Quodenim delectationem affert, sic ab ea forsan est absolutum, sicut quod motum infert à motu. Si bonum à voluptario compleretur, certè quibuscunque per bonum adest vtile atque conferens, ita etiam voluptatum: At verò multa bonorum non simul cum voluptate proueniunt. Si proprium boni est seruare, salus vtrique satis est ad boni præsentiam, seruatus autem etiam quod nulla voluptate perfunditur. Si voluptarium complet bonum, cur non & molestum complet malum? Paſsim vero malum est sine dolore: si omnis actio est ad finem, multo magis paſsio. Voluptas autem est paſsio quædam ab ipso delectante procedens, si vero est ad finem, non est finis. Artes sane voluptate vtuntur ad vtilitatem consequendam, sicut medicina atque disciplina, vbi vtilitas finis est voluptatis, iam vero naturam ars imitatur, quasi natura ad finem instituerit voluptatem. Si voluptatis intentio est, attingere atque condire actionem propriè quæ tendit ad bonum, vt finem, constat voluptatem esse in eorum genere quæ sunt ad finem. Sed hæc, sine in sensu, siue in ratione ita familiariter comitatur perceptionem boni, & quodammodo spem boni, vt confundat sæpè iudicium, appareatque ipsa voluptas esse ipsum bonum. Cùm tamen ita distinguatur à bono omnino præsente, vel sperato quasi præsente, sicut appetito distinguitur ab absente.

Quomodo essentia componatur ex vno, multitudine, termino, infinito. Item generibus entis.

PLato essentiam componit ex quatuor elementis, scilicet vno multitudine, item ex

termino & infinito. Mihi quidē videtur ad essentiam componendam prius esse vnum termino, & multicudo prius infinitate. Ptius est enim vnum in se quam terminet aliquid, vel sit terminus alicuius. Irem multitudo ptius consideratut, vt simpliciter multitudo, quam vt infinita. Si considerentut hæc respectu creatoris, vnum atque tetminus præcedunt opposita. Si autem respectu creaturæ, sit fortè vicissim vt multitudo & infinitum opposita præcedere videantur. Si denique simul conspiciantur creator atque creatura, fortè procedit vnum quidem simul cum multitudine, Terminus autem simul cum infinito ad essentiam componendam, mox in essentia iam quasi composita nascitur motus & alteritas propter multitudinem atque infinitum. Status autem identitasque propter vnum atque terminum. Profluit autem ab essentia, vt modo supta dixi, composira motus, quasi ante statum. Agit enim statum nata fitque in ipsa ab alio processus in aliud, quamuis subitus. Irem cum motu status ipse lucet, Non enim rectè mouetur, nisi & virtus ipsa consistat. At verò post motum qui alteritatis est principium, alteritas ipsa sequitur. Nam per processum palam apparet alterum atque alterum inter se differens, sed cum alteritate simul identitas æquè seruatur.

Quomodo dialecticæ officium artificiumque sit Dei manus, diuinitatemque imitetur.

ARs diuisiua refert processum terum, resolutiua conuersionem, definitiua existentiam independentem, demonstratiua existentiam dependentem. Omnes verò ad coniunctiuam vel disiunctiuam rediguntur, nam diuidere & resoluere est disiungere, definire verò & demonstrare est coniungere. Illud partes toti, hoc tota quædam totis. Plato dicit artem diuidendi & resoluendi à Deo datam, id est, totam dialecticam. Nam in diuidendo subintelligit processum rerum, in resoluendo verò conuersionem. At definitiua conuersionem includit partium ad totum, demōstratiua processionem effectus à causa, Dialectica dicitur data diuinitus, quoniam est virtus resoluens à materia in diuinam formam, atque diuidendo deducens diuinæ vniuersalisque formæ imagines in materiam, discernens aliena ab alienis, componens propria cum propriis. Totum ho cofficium est diuinum, præsertim cum resoluendo referat conuersionem rerum, diuidendo processum, definiendo existentiam, inter processum conuersionémque mediam. Demonstrando verò tum à causa processum refert, rum ab effectu conuetsionem, tum à comitantibus existentiam. Datur verò cum igni, id est, cum tali virtute qualis est ignis, Qui resoluit eleuando subtilia, diuidit demittendo crassa, definit in se reducendo, demonstrat lumine, illuminat intellectum, calefacit voluntatem, eleuat vtrunque in diuina. In Timæo & Protagora & hic, facultatem diuinæ veritatis comparatticem, donum Dei nominat, ab ipso enim trahimur & ad ipsum. Donum, inquit, vt agnoscens te non abs te, sed à Deo, gratosque accepisse, & Deo sis gratus, & des gratis. In Politico & Protagora scribitur, in ipso mundi principio, seu primo siue post illuuiones, Dei prouidentia hominum genus rudissimum, omnium egenum diuinis pastoribus mandasse, per quos viri quidam inter alios genitura feliciores quasi Dei filij illustrarentur ad artium inuenta, præsertim diuinorum. Quod Origenes cōtra Celsum necessarium ptobat in sæculo tudiori fuisse. Idemque Auicenna disputans de Prophetis. Itaque sicut puellus quamdiu propter infirmitatem ducitur à parente atque instruitur, neque pede labitur, neque errat in respondendo. Deinde verò per se deambulans, atque respondens, sæpè cadit & errat, sic ipsi primi artium inuentores à Deo recti non errauerunt; Eos ergo quasi adoptiuos Dei filios posteriores qui à Deo sibi ipsis relicti errare possunt, venerari debent. Et sicut Deus animalibus quæ aliter seruari non possunt, quam vel ad sublime confugiendo vel penetrando terram, largitus est, partim alas quibus eleuarentur, partim aculeos quibus terram diuiderent, sic animo ad veritatem diuinam creato largitus est Dialecticam, per quam tum resoluendo ad superna reuolaret, tum diuidendo superiorum efficaciam producentem emularetur. Diuidit autem ita genus in species, sicut Deus materiam in formas, Neque enim genus efficit species, cum ad eas se habeat quasi materia, indifferensque sit ad oppositas. Vnde per se vel nullas, vel vbique omnes efficeret. Imò si facturum sit actu babere debet oppositas, quod creata determinaraque natura neque habere potest neque facere. Ergo generalem naturam in speciales intellectus diuinos, & intra se deducit & extra se producit, dum materiam distinguit in formas elementales, primum quasi communes, deinde alias quasi proprias. Et in generatione animalium prius corpus fit quam animal, animalque quam homo, similiter artifex prius formam operis facit pronuntiatque communiorem, deinde distinctiorem. Cum verò cognitio per formam fiat & per talem talis. Cognitio pet marerialem generis formam est confusa: per actualem speciei formam est distincta, Dialectica circa vnum & multa vniendo diuidendoque versatur. Diuisio duplex est, vel diuidit specialem naturam ab indiuiduis, vnitque ideæ, resoluendo, vel diuidit generalem naturam in species, specialemque in indiuidua, vnitque communius cum minus communi, componendo, atque definiendo. Hactenus est simplicium cum simplicibus compositio. Post hæc componit composita cum compositis, vnde facit demonstrationem; Aut causæ supponendo effectum, aut effectui causam præponendo, aut paria paribus apponendo. In primo gradu est demonstratio à priori perfecta: in secundo à posteriori imperfecta: in tertio à pari imperfectissima, scilicet inductio. Quæ quamuis nobis sit manifestior, in se tamen est imperfectior, cum idem declaret quasi per idem. Nos quidem ab hac incipimus per sensum, concipiendo opinionem, & per vtriusque frequentiam, congregando experientiam, per quam & artem. Vnde conclusio inductionis principium nobis porrigit syllogismi.

HACTENVS COLLECTA EX MARSILIANIS LECTIONIBVS IN priores Philębi partes. Expositiones autem reliquas in totum Philæbum legito. Sequuntur ergo deinceps distinctiones capitum in Philæbo, capitumque summæ pro Commentariis.

Introductio ad Dialogum.

CAPVT I.

Vide ô Protarche quem nunc à Philebo &c.] Proponitur tractandum, quid sit hominis bonum, & vtrum ad illud magis conferat voluptas an sapientia.

Dispositio Dialogi.

CAPVT II.

Age igitur præter hæc, &c.] Primo quidem inuenienda ipsa summi boni conditio. Deinde perpendendum, vtra magis accedat ad illam, voluptasne an sapientia.

Dispositio Dialogi.

CAPVT III.

At nunc expiationis gratia, &c.] Summopere cauendum ne contra diuina nomina delinquamus, vt voluptas & sapientia cognoscantur iudicenturque, diuidendum vtriusque genus in species. Si voluptas ipsa esset ipsum bonum, omnis voluptas esset bona, sunt tamen aliquæ malæ, quæ, videlicet, sunt contrariæ bonis. Bonum verò bono contrarium esse non potest.

Ambigitur quomodo vnum multa.

CAPVT IV.

Hoc autem multo magis mutua confessione asseueremus, &c.] Vetus & difficilis dubitatio est, quomodo vnum multa sit atque vicissim, facilè quidem cognitu est, quomodo vnum hoc vel illud genitum & caducum, vnà cum vnitate substantiæ, habeat etiam multitudinem, & valdè quidem diuersam. Difficultas igitur non versatur circa eiusmodi vnum, sed circa vnum sempiternum.

Ambigitur quomodo vnum multa.

CAPVT V.

Quando quispiam, ô puer.] Si quis introduxerit vnam cuiusque naturalium specierum ideam, separatam, dubia multa nascentur. Primum, vtrum existant vnitates eiusmodi ideales. Secundum, quales sint. Tertium, quomodo insint mortalibus, aut insint.

Artificium circa vnum & multa, & abusus Logicæ.

CAPVT VI.

At, vnde potissimum exordiemur, &c.] Animæ rationali naturaliter insita est quædam disserendi facultas, quæ communiter ab vno in multa, vicissimque discurrit, ingeniosissimi quique ad eiusmodi artificium propensiores existunt. Si concedatur absque delectu, insolentes euadunt, Logicaque abutentes, non fiunt Philosophi, sed Sophistæ.

Diuinitas ingenij, circa vnum & multa.

CAPVT VII.

Donum profectò, &c.] Animus noster, quatenus diuinitatis est particeps: eatenus ad Dialecticam, id est, Metaphysicam facultatem est propensus. Itaque Philosophi diuini, præcipuè Pythagorici dixerunt, omnia entia ex vno multitudineque constare, & in vno habere terminum, in multitudine infinitum. Atque in hoc mysterio fundauerunt nobis. Dialecticam facultatem, non in conceptibus cogitationis nostræ, sed in ideis, speciebusque naturalibus, vt in quolibet idearum spherarumque ordine genus vnum inueniamus generalissimum, diuidamusque ipsum per differentias suas in species gradatim, vsque ad species vltimas, neque prætermittamus medias differentiarum gradus, sub speciebus autem multis singula tanquam innumerabilia negligamus.

Quomodo considerandum vnum & multitudo.

CAPVT VIII.

Quæ modo dixisti, &c.] Vox humana vnum genus est, multiplicari quoque singulatim possunt infinitæ voces. Scientia vocum, vel Musica, vel Grammatica, non habetur ex eo quod aliquis vel genus illud cogitet, vel infinitas voces imaginetur, sed quod speciales gradatim vocum differentias distinctè comprehendat. Similiter de literis atque de omnibus est putandum.

Distinctio circa vnum & multa, ad scientiam necessaria.

CAPVT IX.

An non de sapientia, &c.] Neque sapientia, neque voluptas, neque res vlla perfectè iudicari potest, nisi genus ipsius in suas species diuidatur, subiectum huius disputationis est summum ho-

minis bonum. Vtrum sit sapientia, an voluptas, an tertium.

Tres ipsius boni conditiones.

CAPVT X.

Nihil iam graue, &c.] Promittit se probaturum, ipsum bonum non esse sapientiam, vel voluptatem, vel vtrumque simul, sed tertium quiddam, quod aliud est quàm vtrumque, & melius est ambobus. Tres ipsius boni conditiones ponit, scilicet esse perfectum, sufficiens, omnibus expetendum.

Quomodo voluptas vel sapientia se habeat ad bonum.

CAPVT XI.

Consideremus igitur, &c.] Si sapientia separatur à voluptate, vel voluptas à sapientia & ab his quæ sapientiæ similia sunt, scilicet opinione vera, præuisione, memoria, neutrum erit ipsum bonum, quia neutrius ipsius boni conditiones habebit. Id tamen sapientia præstantius habet, quod delectationem secum affert, & hanc quidem mirificam atque intimam, si intelligentia fuerit expedita. Voluptas autem sapientiam non introducit secum sæpiusque excludit. Adde quod voluptas omnis plenitudine habet à sapientia. Animaduersio enim cum sit motio circularis vbicunque fiat, fit intelligentiæ munere. Voluptas autem animaduersione perficitur. Nam vbi sensus corporeus congruum voluptariumque attingit, nisi animaduertatur sentiendi motus, vel nulla, vel stupida fit voluptas. Intelligentia denique ad vitam mixtam atque sufficientem propius accedit quàm voluptas, siquidem hæc voluptatem propriam secum affert, neque vicissim voluptas propriam affert sapientiam.

Quomodo bonum in mixto.

CAPVT XII.

Quid autem, &c.] Cum neque sapientia neque voluptas sola sit ipsum bonum, quia non sufficit appetitui, reliquum est vt summum nobis honum consistat in quodam ex vtrisque mixto. Bonum quidem humanæ mentis in quodam mixto consistit. Quoniam in hac aliud quidem est intellectus, aliud verò voluntas. Puræ verò diuinæque mentis bonum, in simplici quodam, quoniam vnum ibi magis est intellectus atque voluntas, gaudiumque ibi est ipsemet actus intelligentiæ videlicet expeditus.

Quomodo bonum in mixto.

CAPVT XIII.

Palmam igitur, &c.] Summum homini bonum est vnum quiddam occultum atque diuinum, quod desuper in ipsa sapientiæ voluptatisque certa mixtione suscipitur. Huic autem diuino similior est sapientia quam voluptas, ergo melior. Suscipitur autem illud in ipsa vnitate, quæ est caput animæ, intellectu & voluntate superius, diciturque illud bonum capi à mixto. Quoniam vnitas est verius quam radix. Nec ipsa bona fruitur nisi vel prius interim satis vtrique fiat. Per visionem quidem intellectui, per lætitiam verò voluntati. Quod verò bonum quasi per modum gustus tactusque efficitur atque est ineffabile.

De infinito, & termino, & mixto, & horum causa.

CAPVT XIIII.

Omnia quæ nunc, &c.] Sub ipso vno rerum principio statim duo sunt amplissima rerum omnium elementa, scilicet infinitudo atque terminus. Deus ex his duobus tertium quiddam, id est, vniuersum ens commiscet. Vtrumque verò genus est amplissimum, multas species in se comprehendens. Ipsemet Deus vt communicabilis est, causa mixtionis existit, vt autem supereminens, causa discretionis apparet. Item per terminum vnit, per infinitatem vero discernit. Ipsa quinetiam alteritas in mundo intelligibili causa discretionis existit.

Quæ sint in genere infiniti.

CAPVT XV.

Attende igitur &c.] Qualitati materiali suapte natura non repugnat remitti intensiue per gradus absque fine. Similiter neque id repugnat motui actionique ipsius. Similiter dimensioni non repugnat minui vel augeri absque fine. Certus autem modus his ab autore specierum desuper adhibetur. Vbi enim destinat humanam speciem vel equinam, simul certum qualitatis & quantitatis motionisque modum terminumue decernit. Infinita igitur per se desuper finiuntur.

Conditiones generis infiniti.

CAPVT XVI.

Bene dicis, &c.] Progressio hinc inde per quoslibet gradus indifferens, est proprium infinitæ naturæ, hæc autem fit aliter alibi: In materia quidem per formas, in dimensione verò per maius, & minus, in numero per plus & paucius, in qualitate & actione per remissionem & intensionem, in motu per velocius atque tardius, in tempore per longius atque breuius. Præterea in rebus incorporeis est aliquid suo quodam pacto infinitæ naturæ persimile. Sed intellectus author specierum in virtute ipsius vnius, atque per animam, vt instrumentum, speciebus omnibus addit terminos, tum vnicuique tum inuicem imponens, super æqualitatem, proportionemque numeratam ad terminum pertinentem.

Mixta ex infinito & termino.

CAPVT XVII.

Age dum, &c.] Mixta ex infinito & termino sunt formæ rerum recta ratione compositæ. Vbi quæ per se quodammodo infinita sunt, vel etiam inuicem opposita, certum suscipiunt modum & mutua proportione conciliantur in vnum. In parte quinetiam animæ sensuali affectus per se infiniti & oppositi, modum terminumque accipiunt, ab illa idea quæ est causa mixtionis, ac terminos amat, id est, ab ipsa mente.

(∴) (∴) (∴)

Mixtum fit ab alio.

CAPVT XVIII.

Cæterum quid &c.]Mixtum ex infinito & termino inuicem oppositis, neque per se coëuntibus factum est ab alio, non enim efficitur à seipso, Alioquin qua ratione faceret, iam esset, quà verò ratione fieret nondum existeret. Causa verò à qua fit si dominatur operi, non est pars operis aliqua. Partes enim non ipsæ qui sunt, sed ipsi causæ seruiunt. Vera causa supereminet atque efficiens est, & exemplar & quodammodo finis.

De vita mixta, de voluptate & intellectu, de causa terminante.

CAPVT XIX.

Agendum deinceps &c.] Vita quæ ex voluptate & sapientia constat, species quædam est in genere mixtorum, voluptas in genere infinitorum. Est enim quasi motus quidam ad magis minusue indifferens. Atque multiplicabilis, infinitudo hæc voluptatem non efficit bonam, alioquin dolorem quoque faceret bonum. Mens scilicet intellectus, aliquando Deus dicitur, aliquando dea: Deus quidem si ad inferius, dea verò si ad superius referatur. Est autem intellectus & sapientia in genere terminorum. Intellectus mundi rex alter quidem est in anima mundi, alter vero mundo superior. Mentem esse in genere termini confirmatur, quia dum in se conuertitur profectò terminat ordinatque seipsam. Item spem modumque & ordinem sequentibus adhibet, tum mens mundana, mundanis, tum humana humanis præsertim affectibus per se infinitis. Affectus enim cum inferatur aliunde ducendi munus nullum habet. Mentis verò iudicium habet imperium. Hinc illud Platonicum, atque Orphicum, iudicium Iouis rex est vniuersi. Quoniam verò intellectus manifestus est rerum definitor, ipsum vero bonum definitor occultus atque superior, ideo intellectus nominatur à Platone Propheta quasi superioris Interpres.

Corpus nostrum dependet ex vniuerso.

CAPVT XX.

Vtrum ô Protarche &c.] Antiquiorum sententia est ex ipso mirabili mundanorum ordine confirmata, mundum non fortuna, sed intelligentia regi, elementa quæ nobis insunt, nec integra sunt nec pura. Dependet igitur ab integris purisque elementis, quibus constat mundus. Ex toto igitur mundi corpore, corpus nostrum conficitur, & alitur atque regitur.

Mundus est animal intellectuale.

CAPVT XXI.

Quid hoc &c.]Mundanum corpus quanto perfectius est quam nostrum, tanto magis est animatum, neque nostram susciperet intellectualem animam ab intellectu artifice mundi, nisi mundus suam inde animam suscepisset. Vitam verò irrationalem habemus etiam à vita mundi, per quam præparamur ad intellectualem animam capiendam. Reliqua sic expone, si in nobis sunt, terminus, infinitum, mixtum, atque ex his ipsa causa hominem rationalem efficit, cur non & mundum, ex iisdem melioribus constitutum, effecerit sapientem? Atque si nostrum hoc sapientia gubernatur & arte, cur non etiam vniuersum? causa ipsa his ordinem præbens est intellectus, hic autem corpori non aliter quam per mediam animam inesse potest. Igitur in Ioue, id est, in viuente mundo est mens & anima regia per virtutem causæ mundanæ, & à virtute causæ supermundanæ, mentis vmbra est anima, animæ vmbra est vita corporis.

Mens, voluptas, vita mixta, bonum.

CAPVT XXII.

Præcedentem, &c.]Mens illa vigens in mundi anima, est causa mundanorum, & progenies supermundanę mentis, quæ est causa mundi totius. Mens supermundana progenies est ipsius boni, quod est omnium causa. Nostra mens est progenies supermundanę mentis est, cognata quodammodo causis modo dictis. Igitur in genere termini, terminus enim proprietatem habet causæ, potius quam infinitum, est ergo melior voluptate. Vita enim mixta ex sapientia & voluptate, ideo summopere est eligenda, quoniam à diuina causa eam constituente munus habet. Mens igitur & sapientia, quia cognatior causæ quam voluptas, ideo melior.

Quomodo fiat in composito voluptas atque dolor.

CAPVT XXIII.

Oportet itaque &c.]Voluptas dolorque ad corporeum sensum præcipuè pertinentes, fiunt in composito quodam ex infinito & termino, ex materia atque forma. Dolor quidem quotiens harmonia soluitur naturalis, voluptas autem quotiens restituitur.

Voluptates ad animum pertinentes vel ad corpus.

CAPVT XXIIII.

Pone deinceps: &c.] Sunt aliæ species voluptatis atque doloris ad solam animam pertinentes, quando expectans bonum malumue futurum, lętatur aut mœret. Tunc verò si velis de voluptatis dolorisque conditione diiudicare, inuicem omnino secernes cognoscesque, vtrum omnis voluptas & semper sit eligenda; Aut dolor similiter respuendus? An potius aliquando & certa quadam conditione? Si enim voluptas non simpliciter eligenda, neque dolor simpliciter respuendus, certè neque voluptas idem erit atque ipsum bonum, neque dolor idem atque malum.

De indolentia & voluptate animi.

CAPVT XXV.

Primùm igitur, &c.] Si naturalis harmonia nec soluitur, nec restituitur, non fit dolor in sensu vel voluptas. Item, merus contemplationis status absque motu lætitiæ vel molestiæ esse potest. Status eiusmodi fortè maximè diuinus est, siquidem talis habitus sit deorum. Deinque sicut est inania sola per expectationem futurorum dolor atque voluptas, ita per memoriam præteritorum.

De motu, & sensu, & passione.

CAPVT XXVI.

Primum quid, &c.] Leuissimæ corporis passiones latent animum, grauiores innotescunt. Sensus est perceptio corporeæ passionis in anima. Motus igitur factus in corpore, per quem sensus excitatur corpori simul & animæ quodammodo videtur esse communis. Quamuis hic motus aliter sit in corpore quàm in anima. In illo quidem passio, in hac verò iudicium atque actio.

De memoria & reminiscentia.

CAPVT XXVII.

Sensus præterea, &c.] Meminisse est simpliciter conseruare vestigium, vel imaginem quandam motionis. quæ sentiendo facta fuit in sensu. Meminisse propriè non includit in se præsentem horum animaduersionem. Reminiscentia verò animaduersionem præsentem habet, & fit in anima sine corporis passione. Est autem duplex: Vna quidem in parte sensuali, quando recolimus præteritas sensuum passiones. Altera in parte rationali, quando post obliuionem quandam resumit quæ senserat, vel quæ didicerat. Agere verò potest non solùm sine passione corporis, sed etiam sine communione cum corpore.

Quomodo voluptas quædam animi propria.

CAPVT XXVIII.

Multa considerare, &c.] Cùm primùm ex obiecto quodam proportionali nobis fit restitutio in naturam, voluptas fit statim hoc præsente, seruatur deinceps hoc in memoria, post hæc indigentia corporis ad idem vel simile nos incitante, appetimus illud rursus adesse. Eiusmodi appetitus non solum per indigentiam corporis, sed etiam per ipsam animæ memoriam incitatus ad consequendum id quod a nobis abest, non est in corpore, sed in anima. Corpus enim agit vel patitur solummodo per cōtactum. In hoc autem gradu, nihil adhuc attingitur. Præterea in corpore quidem nunc indigentia est, appetitus interim ad repletionem mouet huic oppositam, quasi sit alibi quam in corpore. In corpore quidem passio est, excitans appetitum. Appetitus autem in anmo est non tam passio quam motio quædam similis actioni. Non autem hic de naturali vel quolibet appetitu loquimur, sed sensuali.

Voluptas corporis impura est.

CAPVT XXIX.

Hoc præterea, &c.] Vita voluptuosa seruilis est, seruit enim indigentię corporali, est & autia, mixtas enim voluptates cum doloribus habet, vt quando quis propter famem dolet, sed interim propter spem mensæ statim futuræ lætatur.

Voluptas corporis falsa est.

CAPVT XXX.

Hae talium, &c.] Sicut opinio, spes, formido, sic & voluptas partim quidem vera, partim verò falsa esse potest. Opinio rursus quando circa iudicium boni maliue fallitur, voluptatem & molestiam reddit vanam.

Voluptas corporis falsa est.

CAPVT XXXI.

Distinguamus igitur, &c.] Opinio alia quidem vera est, alia verò falsa, quamuis verum sit, tunc hominem opinari, etiamsi opinione fallitur. Similiter voluptas quædam potest esse falsa, quamuis interea verum sit, sic affectum hominem delectari. Item sicut ex opinione praua sequitur voluptas praua, sic ex falsa opinione voluptas falsa.

Voluptas corporis falsa est. Item de imaginatione.

CAPVT XXXII.

Nihil ne ô amice &c.] Hic quidem somniat se dulce bibere: hic verò vigilans dulce bibit, vtrobique voluptas est, sed in vigilante, sic vera voluptas, sicut verum vinum: In somniante sic falsa, sicut falsum. Item tanto maior voluptas in vigilante quanto vinum ipsam imaginem vini superat. Opinio ex sensu memoriaque proficiscitur, quando iterum sentimus aliquid memoriterque iudicare de illo nonnihil pergimus, scilicet quod sit homo vel equus, amicus vel inimicus, bonus aut malus. Hac ipsa quasi confutatione opinionem concipimus veram aut falsam, quæ quidem opinio sermoni vel scripturæ similis esse videtur. Præterea, est in nobis imaginatio quæ actiones, sensus, opinionesque imaginibus secum ipsa consignat, profundiusque imprimit, & latius exprimit. Sæpè verò ex opinione vera vel falsa, sequitur imaginatio vera similiter aut falsa. Potest vtique imaginatio, præter id quod nunc existit, quodque iam possidet, alia fingere multifariam, & optare.

Voluptates quædam animi propriæ.

CAPVT XXXIII.

Si modo rectè, &c.] Opinio & imaginatio non solùm ad præsentia, sed ad futura & præterita pertinet: Voluptates autem & molestiæ de præteritis futurisve susceptæ, ipsius animæ propriæ sunt.

Bonus vir tanquam Deo similis, veras habet imaginationes atque voluptates, malus vero contra.

CAPVT XXXIIII.

Age ad hoc, &c.] Bonus vir à Platone censetur, qui in se quidem temperatus, ad Deum autem pius est, ad homines verò iustus. Animus eiusmodi propter similitudinem, Deo purè cæteris est amicus: Malus autem propter dissimilitudinem inimicus. Itaque cùm Deus exmoueat intrinsecus, & vbique prouideat, nimirum opiniones, & imaginationes, spesque bonorum virorum verè frequenter euadunt: malorum verò falsæ. Vtrique gaudia quædam excogitant, optant, sperant. Hæc bonis tanquam diuinis, at veridicis vera frequenter euadunt, malis vero falsa. Malis enim tanquam sibimet mendaces, sicut frequenter quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, fingunt, optant; ita falsa sæpius oblectamenta confingunt. Denique, si prauis, tanquam Deo dis-

cordibus, succedere spes non debent, sæpè tamen in externis succedere videntur, saltem sequitur vt intrinsecus non succedant. Semper igitur sollicitantur intrinsecus atque languent, voluptatesque eorum similes sunt falsis voluptatibus ægrotantium, somniantium, insanorum.

Vnde voluptas vera sit, vel falsa. Item, bona vel mala.

CAPVT XXXV.

Num opiniones, &c.] Quæritur an sicut opinio propter falsitatem parua est, sic & voluptas, quia falsa sit, etiam sit & parua? An etiam propter aliam quoque causam iudicanda sit praua voluptas. Voluptas cognitionem appetitumque requirit: Illinc igitur habet, vt sit vera vel falsa, hinc autem vt bona vel mala.

Confirmatio superiorum, & quomodo voluptas appareat maior quam sit.

CAPVT XXXVI.

Agrediamur iterum, &c.] Voluptates conferendæ sunt ad obiectum quod delectat. Si hoc re vera bonum voluptas bona, contra mala. Si hoc revera adest quodammodo vera voluptas, sin minus falsa. Dicuntur quoque veræ voluptates, tum propter obiectum verè bonum, tum propter veram obiecti præsentiam: falsæ quinetiam, tum propter malum, tum propter absentiam. Iam vero vbi voluptas apparet maior quàm sit, aut minor, est falsa voluptas, præsertim ea parte qua fallimur. Apparet autem maior, voluptas præsens, præterita, velfutura, sicut visibile commuuis quidem maius, eminus vero minus esse videtur. Item, voluptas apparet maior, quæ post molestiam sequitur, vel quam appetitus actior comitatur. Item, maior sæpè videtur quàm sit, quæ post nullas vel minimas voluptates noua denique venit, modis quoque quamplurimis. Præterea contingit ex comparatione fallacia.

Vtrum voluptas omnis fiat ex indigentia.

CAPVT XXXVII.

Post hæc igitur, &c.] Dictum est, quando soluitur harmonia corporis naturalis dolorem fieri, quando restituitur, voluptatem, scilicet corporalem. Voluptates enim molestiæque animo propriæ alia quadam ratione contingunt. Voluptates insuper quædam leuissime fiunt in sensu corporeo, etiam si tunc non fiat necessaria restitutio in naturam, vt dulce bibere sine siti. Denique, nisi fiat necessaria restitutio, vel solutio noxia, neque voluptas vehemens sequitur, neque molestia. Quæritur interea, vtrum corpus aliquo tempore sine mutationibus sic oppositis esse possit? Quæstio in Theæteto Theologiaque soluitur; sed quantum ad voluptatis corporeæ naturam spectat, qualitas quidem eius in quadam congruentia rei ad sensum spiritumque consistit: Quantitas autem in ipsa corporis & spiritus indigentia.

Quæ voluptates in statu, quæ in motu.

CAPVT XXXVIII.

Ista sanè fit, &c.] Si non quilibet motus in corpore, sed qui manifestè sensum mouet, voluptatem efficit, vel dolorem, sequitur vt muneribus sensum latentibus neutrum fiat: affectio eiusmodi ueque voluptas est, neq; molestia vera. Quamuis si conferatur ad manifestum vehementemque dolorem, voluptas quædam appareat, sin ad similem voluptatem molestia videatur. Si quis autem dixerit, affectionem mediam esse optabilem, naturæque gratam. Quoniam & ad vitam confert & actionem possidet expeditam, hic iam se confetet ad lætitiam quandam, animo quidem propriam, nec satis ad sensum corporeum pertinentem. Voluptas quidem sensus in motu versatur potius quam in statu, mentis gaudium consistit in statu. Quamuis status eiusmodi possit sua quadam ratione motus cognominari, quatenus voluntas ad ipsum intelligentiæ actum obiectumque quodammodo se confundit. Si qua verò sit mens diuinior, in qua voluntas ab intellectu non discrepet, ibique aliquid nominetur gaudium, vel etiam si in quolibet intellectu iam absoluto gaudium appelletur, in ipsomet intelligentiæ actu stabili, tunc eiusmodi voluptas ad statum terminumque pertinere videbitur. Neque de hac ipsa in hoc dialogo vlla sit disceptatio.

Quam inanis voluptas corporis.

CAPVT XXXIX.

Quomodo id ô Socrates: &c.] Democritij Epicureique voluptatem ab iis electam in corpore quidem indolentiam, in animo verò tranquillitatem vocant. Pythagoras, Heraclitus, Empedocles tanquam seueri morum vitæque censores, corporeas voluptates in contemptum trahere studuerunt, dicentes corpoream voluptatem non habere essentiam alicubi propriam, sed in ipsa doloris fuga, illam aliquid apparere, fortè verò putant multa sensuum oblectamenta esse quædam inferiorum dæmonum veneficia, vt huiusmodi esca in rebus mortalibus nos illaqueant.

Voluptas corporis quàm impura, falsa, procul ab ipso bono.

CAPVT XL.

Postquam hæc autem, &c.] Tunc voluptas apparet in corpore vehementior quando indigentia maior, molestiorque acriorem incitat appetitum. Eiusmodi est in corpore ęgrotante, vel similiter se habente potius quam insano. Eiusmodi quinetiam in animo propter intempetantiam ægro, potius quam in animo temperato. Igitur vehementia voluptatis cum habitu prauo & imperfecto concurrit. Nam in habitu meliore, siue corporis siue animi voluptas purior stabiliorque existit. Aliud ergo est vehementia voluptatis, aliud vero eiusdem puritas, atque veritas: & vbi voluptas apparet maior, ibi minus vera, quia sincera minus. Siquidem cum stimulo indigentiæ appetitusque molesto miscetur, quo cessante desinit simul & vehementia voluptatis. Quis ergo dixerit voluptatem habere rationem finis, & boni atque perfecti? Siquidem magnitudinem suam cum falsitate coniungat, & in habitu corporis adhuc imperfecto ad perfectum tendente maior appareat quam in habitu iam perfecto, imò apparente perfectione dispareat.

Quomodo misceatur dolor cum voluptate.

CAPVT XLI.

An non aliquas,&c-] Voluptas quæ percipitur in perfricando pruritum, vel calefaciendo frigidum corpus,vel refrigerando calefactum, sæpè cum dolore miscetur. Eiusmodi mixtura fit in corpore propter mixtionem differentium qualitatum, vel accidentium. Miscetur quoque in anima voluptas aliquando cum dolore, ptoptet mixtionem imaginationemque motuum,vel respectuum differentium. In ipsa verò voluptatis cum dolore confusione aliquando voluptas superat, sæpius dolor, nonnunquam simul æquantur. Sæpè etiam non in anima vel in corpore seorsum, sed in communi contingit voluptatis cum dolore concursus. Quando corpore sitibundo, delectatur animus interim spe vini iam ptoximi: Vel quando dum sensus oblectatur potu, animus cura mœret.

Quomodo misceatur dolor cum voluptate.

CAPVT XLII.

Dic igitur, &c.] In scabie, similique apostemate, bilis vel sanguis feruidus, vel etiam salsa pituita petit cutem. Pars quidem crassa residens citra cutem, tumefactione dolorem creat. Pars autem media infusa cuti pruritum mouet, qui pertinet ad dolorem, sed pars subtilior perfrictionem foras euolat, atque propter euacuationem superflui, quæ naturæ conuenit, voluptatem affert,sed dolorem iterum frictio durior cutis continuitatem corrumpens. Si ad cutem, sic infectam calentem pannum admoneamus, dolor iterum sequitur & voluptas. Dolor quidem dum pungit cutem iam infectam, voluptas autem dum quod ibi superfluum est dissoluit. Sin abluamus mediocriter aqua rosacea, doloré iterū voluptatemq; reportabimus,voluptaté sanè dum temperatur æstus. Dolorem quoque dum humor includitur intus, & tumefacit,stimulatque inclusus, hactenus dolor quidem plurimum intus est, voluptas verò foris, ac dolor superat voluptatem. Quandoque verò in hac vel simili quadam corporis affectione agitationeque nostri spiritus quidam qui hactenus torpuerat,excitati per meatus neruorum vsquequaque percurrunt, labentesque diliniunt, præsertim quia spiritibus diffusio,motusque congruit,vnde voluptas quædam intima & occulta sequitur. Sed hanc interim comitatur exterior molestia quædam, quatenus ad pulsus spirituum mouentur vapores humorum mali, cutisque exteriores neruos tendunt aut grauant. Hic verò ambiguum est, in vtram partem declinatio fiat, ad internam ne magis, an externam? Rursus ad condemnationem vel rarefactionem atque diffusionem? item ad dolorem an voluptatem? Nonnunquam verò in hoc, vel simili corporis habitu voluptas ita dolorem superat, vt non tam molestia,vel punctio videatur quam titillatio quædam, qualis re vera fit quando spiritus genitalis exundans palpat,tenditque neruos. Sed enim ibi voluptas vehementior oritur,vbi & titillatio crescit, videlicet in effectu venereo,in quo voluptas quanto vehementior est, tanto periculosior. Hæc enim & occultum quendam tumorem repentinæ mortis incutit animo, & discrimen interitus infert corpori, tam neruorum concussione, quàm exhalatione spirituum prouenturi. Itaque voluptas hæc etsi videtur magna, tamen cum dolore miscetur.

Mixtura doloris cum voluptate.

CAPVT XLIII.

De voluptatibus,ô Protarche,&c.] Miscentur quoque voluptates in anima cum doloribus, sicut in corpore, sed quandoque conditione contraria, quando videlicet in anima quidem voluptas quædam est,in corpore verò dolor, aut contra. Item anima, quando repletionem cupit, tunc mouetur in oppositum præsenti corporis passioni,id est euacuationi,& interdum corporeo sensu dolente propter indigentiam,simul animus aliqua spe lætatur. Multis præterea modis animus in affectibus à corpore discrepat. Sed iam demonstrandum est, quomodo non in communi duntaxat, sed in ipso etiam animo fiat quædam voluptatis cum dolore permixtio. Iā vero in appetitu vindictæ vnà cum iniuriæ dolore inest lætitia quædam in effectu, vel spe vindictæ victoriæque fundata. Sæpè etiam in rumore, desiderio, quærimonia, amor, spes quædam inest: vel expurgatio quædam atræbilis pertinens ad lætitiam in æmulatione cum fortitudine miscetur, spes victoriæ. In lamentationibus & tragœdiis re quidem ipsa dolemus,sed harmonia & ordine delectamur. In comicis similibusque spectaculis apparatus & artificium nos delectat. Mollior autem vox vel habitus, aut gestus liquefacit spiritum & eneruat. Lachrymæ quinetiam, sicut in mœsta contractione spirituum exprimuntur, sic in dilatatione ob lætitiam nimiam, videlicet humore roscido,foras sparso funduntur.

Confirmantur superiora.

CAPVT XLIIII.

Inuidiæ nomen,&c.] In inuidia præcipuè, dolor cum voluptate proculdubio miscetur. Præterea,sicut optimum est seipsum cognoscere, ita pessimum ignorare seipsum. Multi quidem ignorant, quomodo ad bona externa se habeant plures. Item, qua conditione ad corporis sui dotem, quàm plurimi, quàm ad animi bona, quæ quidem est ignorantia pessima, se videlicet, æstimare scientem aut bonum,cùm non sit talis.

Ignorantia,& confidentia.

CAPVT XLV.

Hoc iterum,&c.] Ignorantia & confidentia sui, nacta quidem potentiam terribilis est, si verò sit impotens,sit ridicula.

Mixtura quædam doloris cum voluptate.

CAPVT XLVI.

Tristitia quædam,&c.] Quando videmus homines quosdam nobis amicos, vel saltem non inimicos,seipsos adeò ignorare,vt se pulchriores, sapientiores ve quàm sint existiment: sintque etiam inualidi ; solemus eiusmodi habitum irridere. Igitur & lætamur, lætamur autem illorum malo, id est, ignorantia simul & arrogantia: liuore igitur affecti sumus, vnde tristamur. Tristitiam itaque clam cum lætitia commiscemus. Hæc vtique mixtionis & inuidiæ species aliis forsan occulta, deprehenditur à Platone.

Qui

Quæ voluptates indigentiæ minus, puritatis plus habeant.

CAPVT XLVII.

Secundum naturam, &c.] Resolutiua ratio nos docet, mixtum resoluere in simplicia, formasque tandem ab oppositis segregare. Itaque post obiectamenta mixta mœroribus, ad pura gaudia progredi: Dictat præterea ratio inter opposita quod præstantius est habere potius habitus rationem: quod vero deterius condtionem potius priuationis habere, sicut calor atque frigus, albú atque nigrum. Hac igitur ratione consideratione neque simplici, dolor ad voluptatem comparatus, priuatio quædam esse videtur potius quam vicissim. Quapropter etsi aliquo modo, tamen non omnino, credendum est dicentibus voluptatem priuationem quandam vel sedationem doloris existere. Præsertim quia voluptates puræ haud p alam sunt eiusmodi. Proinde voluptatem gustus & tactus præcedit, vel etiam comitatur indigentia ad essentiam necessaria, scilicet ad naturam singularem vel specialem. Adeoque vehemens hæc indigentia est & sensu manifesta. Hinc stimulat & affligit. Voluptates autem circa illa quæ spectantur vel audiuntur, vel operantur, non eiusmodi indigentiam stimulumúe habent. Hi namque sensus quando bene naturaliterque se habent, attinguntque suum aliquod obiectū congruutate delectans impleri videntur qualitate quadam, (vt ita dicam) peregrina quamuis grata iam & amica, sed ad aliud quoddam præter essentiam attinente. Quapropter absque molestia esse possunt hæ voluptates atque puræ. Appellat autem visum auditumque sensus diuinos, nō solum quoniam ad sapientiam præcipue nos perducunt, sed etiam quia cœlestibus insunt. Hinc Orpheus & Homerus solem dicunt spectare omnia & audire. Appellat iterum hæc pulchra, scilicet figuras, calores, voces, non ab aliquem corporeum vsum qui speretur ex illis, nec tanquam ad aliud cōporata, sed propter quandam ipsis propriam qualitatem atque proportionem, quæ puram se cum delectationem sensibus quasi speculantibus affert. Quæ quidem voluptas à voluptatibus discrepat, quæ in motibus passionibusque circa gustum tactumque versantur. Denique voluptates omnes eiusmodi quæ non necessariò cū dolore miscentur ad vnum genus redigit oppositum in puram generum voluptatem.

Voluptates disciplinarum puræ.

CAPVT XLVIII.

Istis item, &c.] Voluptas disciplinarum pura censetur, quia non necessario dolore habet admixtum. Stimulus autē discendi vel reminiscēdi, non in natura, sed in opinione consistit. Tanta est animæ excellentia vt re prorsus nulla indigeat ad essentiam.

Quæ voluptates minus vehementes, sed puriores.

CAPVT XLIX

Postquam voluptates, &c.] Voluptates plurimum corporales scilicet gustus & præcipuè tactus sunt vehementes, id est, acres, acutæ, concitatæ, & quasi violentæ. Neque propter aliquam perfectionem suam tales sunt, sed propter necessariam corporis indigentiam. Voluptates aliæ non sunt vehementes, quia nulla necessitate compulsæ. Illæ quidem nullum per se modum habent, hæ vero modum habere videntur. Illæ igitur infiniti plurimum habent, hæ autem infiniti minus, sed vtræque quoniam magis minusúe suscipiunt, & ad corpus animamúe pertinent, vbi infinitum per magis minúsue appatet, in genere infiniti proculdubio continentur. Lætitia verò intelligentiæ puræ, siquidem non habeat conditiones eiusmodi, præsertim manifestas, omnino vel maxima ex parte est in genere termini.

Non quæ acrior, sed quæ purior voluptas, ea est verior atque præstantior.

CAPVT L.

Socrates post hæc, &c.] Non dimensio vel numerus, vel impetus aut passio vehemens efficit, vt substantia vel qualitas aliqua sit vera censenda, sed puritas & synceritas, per quam ipsa qualitas vel substantia, reuera sit hoc ipsum quod esse debet in specie sua, sitque ab alienis qualitatibus vel passionibus segregata. Voluptas igitur, quanto purior, tanto verior. Hinc efficitur vt corporeæ voluptates tanquam mixtæ molestiis, voluptates veræ iudicandæ non sint, sed illæ dumtaxat veræ quæ à molestiis segregatæ, eiusmodi quidem sunt delectationes animi propriæ, nec non visus auditusque, videlicet quasi contemplatiuæ. Est autem in primis eiusmodi puræ intelligentiæ gaudium. Præterea qualitatis puritas atque veritas indicat eam esse in suo genere summam. Quoniam & quę summa est sola videtur in naturali puritate sua & veritate consistere. Aliud igitur est in voluptatibus vehementia, aliud verò summitas. Siquidem vehementia in voluptatibus non veris, id est, mixtis atque corporeis, potius quam in ipsis puris animi mentisque gaudiis esse solet. Itaque si summitas cum puritate veritateque concurrit, vehementia verò contra cum impuritate confluit atque falsitate, hic necessariò concluditur vehementiam voluptatum à veritate summitateque longe distare, voluptatemque puriorem, & suauiorem existere atque magis optabilem. Tametsi vebementia ex indigentia stimulante contingens, sæpe iudicium fallit, vt suspicari vel somniare quis possit, vehementiorem voluptatem esse potius eligendam, vtpote qui stimulo quodam interim vrgeatur, & vehementiam, imò violentiam impetumque procetitate suauitateque accipere compellatur.

Voluptas corporea propter motum remotior est à ratione boni, intellectualis contra.

CAPVT LI.

Socrates, quid vero ad hæc, &c.] Quando voluptatem appellat generationem, de voluptatibus corporeis & mixtis, similibusque præcipuè loquitur. Generationem vero nominat, quasi motionem tendentem ad instaurandum habitum naturalem. Voluptas enim corporea præsertim motionem eiusmodi comitatur, est igitur semper alterius gratia, scilicet habitus naturalis, qui dicitur essentia quædam Ratio quidem boni atque finis est eadem. Bonum igitur est non propriè quidem quod alicuius gratia fit, sed ipsum potius, cuius gratia fiunt alia: Voluptas igitur corporea aliena videatur à ratione boni, & si qua in animo huic assētitur, vel est quodāmodo similis, siquidem talis sit delectatio quę indiscendo, vel reminiscendo percipitur. In motu videlicet quodam ad habium acquirendum Gaudium vero quod in habitu statuque percipitur, similius essentiæ quam generationi videtur, sed habet interim nonnihil simile motioni,

quatenus versatur in voluntate seipsam in obiectus actumque cognitionis suauiter diffundēte. In mente quadam diuina voluptas statui simillima iudicetur. Siquidem ibi sit idem intellectus atque voluntas, ibique voluptas, sit ipsemet subitus intelligentiæ actus, expeditus & gratus, firmus simulque totus. In ratione vero intelligentiaque humana, voluptas omnis imitatur motū. Quippe cum sit quasi actio quædam temporaliter se expediens, & à minore proficiens in maiorem, idque quasi stabiliter & tanquille. Hanc imitantur nonnullæ in viuendo audiendoque voluptates, & illa insuper quando quis sine impedimento viuit & agit percipitque se bene naturaliterque habere.

Voluptas corporea remotior est à ratione boni.

CAPVT LII.

Q Vinetiam, &c.] Voluptas præsertim corporea non est ipsum nobis bonum, quia cogit deterioribus nos seruire, scilicet corporis euacuationi, repletionique & alterationi inter oppositas qualitates. Item quia non in corporibus, sed in anima bonum est æstimatione dignum, id est, diuinum. Voluptas quidem animam deflectit ad corpus, virtutes autem cum diuinitate coniungunt: Virtus igitur bonum nobis potius quam voluptas. Præterea per ipsum quod nobis bonū est, appellamur boni, si vero desit, mali, per voluptatis vero præsentiam solam, bonus nemo dicitur, neque per absentiam voluptatis malus. Rursus cum alia multa præter voluptatem bona in nobis nostra & circa nos existant, non est voluptas ipsum nobis bonum: nec igitur ipsum vniuersale bonum, præsertim quia non est in omnibus. Si cui vero voluptati sit indulgendum, certe contemplationis voluptati potius incūbendum. Voluptas enim corporis à maiori mouetur frequenter in minus, deficitque in habitu. Delectatio vero mentis à minori procedit in maius & in habitu proficit.

Quam necessaria sit artibus Mathematica.

CAPVT LIII.

N E tamen, &c.] Inter voluptates scientiasq; eligenda est vtrobique purissima, vt hæ ad iudicium faciendum tam inuicem quam ad ipsū bonum rectius comparentur, scientiæ quæ vtuntur manibus, dicantur artes: Hæ perspicaciam perfectionemque suam habent, in primis Mathematica facultate, scilicet numerandi, metiendi, librandi, quæ maxime omnium Mercurialis & rationalis existit. Absque huius munere artes omnes titubant, fallaci videlicet sensu, vel imaginatione, experientia, coniecturaque confisæ. Architectura igitur omnisque consimilis, quia maximè omnium artium ingenio vtitur Mathematico, perspicacissima est Musica consimilisq; diligentia secundum tenet in artificio & perspicacia gradum, quia gradu secundo Mathematica nititur. Reliquæ artes rationes tertium quartūque deinceps gradum sortitæ videntur. Memento vero hic de facultatibus rationalibus agi, quæ mediæ sunt & quodammodo mixtæ. Non autē de supremis in præsentia, scilicet de intellectualibus, qualis est dialectica, id est, Mathaphysica, neque de infimis, id est sensualibus atq; seruilibus.

Vsus Mathematicæ varius in artibus.

CAPVT LIIII.

P Rorsus sed num, &c.] Aliter Mathematica industria vtitur contemplator, aliter vero practicus. Ille quidem vnitates & numeros considerat per se formaliter existentes: Itaque apud illū Vnum, non differt ab vno, binarius vero non discrepat à binario. Hic autem numeros in rebus resque considerat numeratas. Quapropter apud hanc, hoc vnum ab illo vno diuersum, scilicet lignum magnum à ligno paruo, vel lignum à ferro. Similiter duo exercitus bouesque duo, ille rursus quæ sit proportionum virtus & proprietas cōtemplatur. Quæ virtus in proportione æquali vel dupla, vel sesquialtera. Hic autem vtrum ædificij longitudo pluta ad latitudinem esse debeat. Alio quoque tendit contemplatoris, alio practici computatio.

Quæ scientia sit purior aliis.

CAPVT LV.

P Robo sed num, &c.] Quæritur in præsentia partitio quædam scientiarum, partitioni voluptatum æqua, proportione respondens. Est igitur alia scientia, vel ars purior alia. Quemadmodum voluptas voluptate purior: & quæ facultas magis speculatiua est, adest facultati magis practicæ, tanquam obscuriori clarior. Iam vero Mathematica disciplina, etiam quæ practicis inest, artes omnes eiusmodi superat; quæ vero Mathematice, lucet apud Philosophum, reliquam Mathematicam splendore præcellit.

Excellentia Mathematicæ atque Metaphysicæ.

CAPVT LVI.

S Vnto igitur, &c.] Sicut Mathematica speculatiua practicam, atque hæc rursum practicas omnes excedit, ita dialectica id est Metaphysica non solum istas, sed etiam speculatiuas omnes excellit. Ipsa quidem scientiarū artiumque omnium iudex, circa ipsum simpliciter ens versatur. Atque ad ipsum ens verissimum & æternum præcipuo se studio confert: ideoque facultates omnes sinceritate, veritate, perspicacia, lumine supereminet.

Res & disciplina humana naturalesque & Mathematice, & diuinæ.

CAPVT LVII.

N Vnquid tale, &c.] Cognitio quidem humanorum naturaliumque opinio nominatur, Incerta sane & instabilis, sicut & illa incerta & instabilia sunt: Cognitio vero Mathematicorum atque diuinorum scientia nuncupatur, certa stabilisque sicut & illa certa stabiliaque semper existunt. Sed diuinorum quidem scientia intellectualis dici solet: Mathematicorum vero sciētia rationalis potius appellatur, Intelligentia deniq; sapientiaque præstantissima proprie pertinet ad diuina. Inter hæc nota, mundum esse factum quomodocunque sit factus. Item mundum cœlumque semper fieri, nec vnquam idem prorsus existere. Denique humana ad naturalia, hæc ad Mathematica, hęc ad diuina tanquam ad superiora referri debere.

Indagandum quomodo sapientia misceatur rite cum voluptate.

CAPVT LVIII

C Æterum si quis, &c.] Proponit indagandum quomodo voluptas cum sapientia misceatur ad beatitudinem consequendam. Repetūtur à principio dicta, ipsius boni proprietatem esse, vt sit perfectum & sufficiens, ac omnibus expetendum. Cum vero neque sapientia seorsum à voluptate, neque volnptas ab illa seorsum, hanc boni proprietatem habeat, sequitur vt neutrum sit ipsum bonum, sapientia verò magis ipsius boni participem esse constat.

Quomodo bonum adsit mixtis. Item de Dionysio atque Vulcano.

CAPVT LIX

AVr igitur, &c.] Ipsum nobis bonum habitat in vita quadam ex sapientia & voluptate bene commixta. Hæc igitur neque sapientia est, neque voluptas, neque vita mixta. Siquidem mixta vita boni habitaculum est, non ipsum bonum. Mixtum quidem hic accipitur non simplex hoc & illud, sed aliquid ambobus additum, vtrisque cognatum. Hic autem cognato diuinitus adest ineffabile bonum. Illius verò cognari præparatio ad bonum non potest vnico nomine designari. Explicabitur ergo deinceps per veritatem & commensurationem atque pulchritudinem. Voluptas quomodo melli similis, quia sicut dulcedine blanditur, ita nocet, facileque in bilem desinit amarissimam. Sapientia verò non vino similis, propter ebrietatem aduersam intelligentiæ, sed aquæ potius similis appellatur, neque tamen cuilibet aquæ, sed salubertimæ. Sed cur nam austeræ? vt ostendatur contemplationis fructum ex austero dulcem denique fieri. Sicut voluptatis exitus ex dulci contingit amarus. Dionysius atque Vulcanus mixturæ passim harmonicæ præsunt. Hæc quatenus in mentibus & animis inest, ad Dionysium præcipuè pertinet. Quatenus autem in naturis atque corporib. potius ad Vulcanum. Duo vero hæc numina in diis super cœlum, at cœlestib. sunt eiusmodi proprietates duæ, sed infra deos duo quædam genera dæmonum hæc officia maximè confetentium.

Quomodo misceatur bene voluptas cum sapientia.

CAPVT LX.

DIc age primum, &c.] Vt per mixturam scientiæ cum voluptate beatissimus, non quomodolibet sunt miscenda, sed bene: Vt autem misceantur bene in primis necessarium est eligere purissimam verissimamque scientiam, scilicet Theologicam similemque voluptatem. Hæc autē est in primis quæ ex ipsa cōtemplatione percipitur. Non enim video quomodo voluptates quæ à contemplatione distrahunt, conflari cum contemplatione possint. Conceditur in præsentia, si hic beati futuri simus necessariam nobis fore sapientiam diuinorum, scientiam quoque sequentium & prudentiam humanorum & cognitionem cum speculatiua practicam.

Qualis mixtio conducat ad felicitatem.

CAPVT LXI

RVrsus ad voluptatum, &c.] Si hinc quidem voluptati, illinc autem intelligentiæ detur optio, voluptas omnem cognitionem, & hanc quidem exactissimam eliget. Cognitio enim circa rem congruam perspicacior exactiorem exhibet voluptatem, intelligentia vero non omnem voluptatem prorsus admittet. Respuet enim corpoream atque furiosam vt inimicam. Delectationem vero ex contemplatione perceptam volet, vt necessariam ac sibi naturalem, oblectamenta visus auditusque harmonica eliget, tanquam cōsona. Necessarias denique voluptates, si quæ mentem nullo modo perturbant, recipiet, vt non dissonas. Ex intelligentia quidem ipsiusque gaudio mixtio perfecta conflatur Ex his duobus atque insuper delectationibus auditus & visus, quæ etiam putæ dicuntur, fit compositio quædam congrua, etsi mixtio non perfecta. Necessariæ vero corporis voluptates etiam temperatæ in cōpositionem cum intelligentia non conueniunt, etsi non dissonant. Si omnem cognitionem artēque cum omni voluptate non peruersa coniunxeris, ciuilem efficies vitam, Vulcaniamque mixturam. Sin autem contemplationem cum familiaribus gaudiis copulaueris, contemplatiuam reportabis vitam mixturamque ad Dionysium potius pertinentem. Proinde vbi admixtionem petueneris in qua veritas & commensuratio pulchritudoque vigeat te iam ad splendorem boni peruenisse putato. Cuiusmodi quidem splendor boni in vniuerso est mundus intelligibilis ex ipso bono tanquam patre natus. Huiusmodi quoque splendor nostri iam aduenientis boni, erit in mente nostra mixtio intelligētiæ cum gradu per veritatem, cōmensurationem, pulchritudinē absoluta.

Quomodo veritas, commensuratio, pulchritudo ad felicem mixturam pertineant.

CAPVT LXII.

ATqui & hoc, &c.] Sicut in qualibet mixtione perfecta, sic in eiusmodi mixtura voluptatis cum sapientia. Primo quidem est necessaria puritas atque veritas, perquam vtrumque sit in seipso sincerum atque ex ambobus veris compositum fiat verum. Deinde necessaria commensuratio est, in qua comprehenditur tum vtriusque certa in seipso mensura mundusq; virtutis actionisque definitus, tum etiam alterius ad alterum sociabilis, & amica proportio, ex his continuo nascitur pulchritudo, id est consummatio, & absolutio formæ. Quæ quidem formarum forma est, diciturque formositas. Quando igitur coniunctio voluptatis cum sapiētia tria hæc possidet, & consequitur, statim per hæc suum assequitur bonum. Sed vnde nam ab ipso videlicet quod est omnium in vniuerso bonum, à quo sane cum prius accepit acceperit veritatem, & commensurationem atque pulchritudinem, per quæ perfecta sit mixtio, statim suum accipit bonum. Quod quidem, & vniuersi boni simulachrum est, atque munus, & in mixtione per tria quę diximus absoluta, tanquam in æde dicitur habitare. Inter hæc memento, commensurationem quidem ad mixturam conferte quam maxime. Pulchritudinem vero ita repræsentare bonum, vt facile appareat ipsum bonum: sicut splendor lucem perspicue refert, Neque tamen est ipsum bonū. Quippe cum nec semper nec ab omnibus appetatur, sed quoniam in compositione vltimum exactissimūque prouenit, ideo artificem expressissime refert. est etiam pulchritudo quædam quamuis non perfecta, ex qualibet mixti parte. Denique bonum ipsum mixti causa per vnum in se continet, atq; excellentius, quod per tria in mixto suscipitur, atque distribuitur, similiterque à nobis exprimitur, non potentibus exprimere manifeste per vnum, nisi forte sub nube dicamus vnum aut bonum aut causam: illud vero si nominamus veritatem, intelligimus ab omnibus segregatum: si commensurationem, cogitamus amicum, & propitium atque congruum: si pulchritudinem, consideramus Deum ad se omnia prouocantem, eiusmodi, trinitas videtur, qua si quidā ornatus, incorporeus id est intelligibilis erit atque diuinus. Sed cuius est hic ornatus? corporis videlicet animati mixti, in quo voluptas quidem est quasi corpus, intelligentia vero, velut anima.

Sapientia est melior quàm voluptas.

CAPVT LXIII.

Quisquis iam, &c.] Cum trinitas illa, scilicet veritas, cōmensuratio, pulchritudo, electo, mixto

data diuinitus sit causa, per mixtum fiat bonum atque beatum, profectò sapientia quæ huic trinitati est cognatior quam voluptas, est melior voluptate. Est enim sapientia veritati, mensuræ, pulchritudini longe propinquior quam voluptas. Imo vero voluptas quo vehementior, eo remotior; veritas est boni lumen, in mente ita cognatum menti sicut solis lumen stellis, luna superioribus. Animæ vero rationali ita congruum sicut lumen solis & lunæ.

Multi bonorum gradus.

CAPVT LXIIII.

CVnctis igitur &c.] In primo bonorum gradu numeratur ipsum vniuersi principium, qua videlicet ratione effector omnium est, & perfector & finis. Hac ratione Pythagorici mensuram modumque, & opportunitatem, & persimilia nominant. In secundo gradu ponitur mixtum illud ex intelligentia, & voluptate, iam harmonicum veritatis, commensurationis, pulchritudinis beneficio videlicet tributo diuinitus. In tertio intelligentia quælibet sed in primis segregatæ mentis propria. Consequenter autem intelligentiæ munus inde communicatum animæ, in quarto discursiones animæ propriæ, scientiæ, artes, opiniones. In quinto numerantur voluptates puræ, quas non antecedit vel comitatur indigentia, ita naturæ necessaria, vt dolorem cum voluptate confundat. Quæ quidem & si quandoque accipiant occasiones à sensibus, sunt tamen simplices perceptiones animi, si præterea introducantur necessariæ, aut vehementes corporis voluptates, gradus erit sextus, sed hæ dimittuntur, quia vel non consonant in vnam cum intelligentia compositionem, vel ab illa dissonant.

Epilogus. Iupiter conseruator gradus sextus.

CAPVT LXV.

TErtio iam orationem, &c.] Epilogum totius dialogi facit, eandemque summam iam tertio repetens, inquit eam sacrificare se Ioui conseruatori. Huic sacerdores antiqui ter libare pateram consueuerant, declarantes egere conseruatore Deo, non solum in rerum nostrarum vitæque principio, sed medio etiam atque fine. Tu vero singularem huius dialogi proprietatem considera, neque enim certum habet principium, neque finem. Imitatur sane bonum ipsum, de quo quodammodo disputat. Hoc enim cum principium sit & finis omnium, merito neque principium habet neque finem, atque hac quidem ratione qua immensum in se est, & penitus absolutum, præmisit ipsum in superioribus, nec in illa distributione graduum numerauit. Etenim prorsus incognita si forte quis suspicetur, significatam fuisse per generationem sextam, in qua Orpheus hymnos finiri iubet, quasi sit ineffabile. Vbi senarium celebrari ab Orpheo tanquam finem sicut à Moyse videmus, quoniam sit perfectus intra decem quippe cum suis partibus, vno scilicet, & duobus atque tribus deinceps dispositis, componantur.

FINIS.



IN HIPPIAM, VEL DE PVLCHRO, SEV HONESTO.

Ad Petrum Medicem Patriæ patrem,

EPITOME.



E pulchro, in Phædro, Sympoſio, & Hippia diſputatur. In Hippia, quia Socrates agit aduerſus Hippiã ſophiſtã, qui cum ignoraret, ſe ſcire putabat, quæ ignorantia animum reddit indocilem, quid pulchrum ſit nõ ſatis docet, ſed quid non ſit oſtendit, & opiniones falſas redarguit. Sophiſtam vocat eum qui ſe ſapiẽtem videri magis, quàm eſſe ſtudet, pecuniarũ honoriſque gratia. Talem vero Hippiam eſſe in procemio declaratur, & in fine procemij. Sumpta occaſione ab oratione, quadam Hippiæ quæ de pulchris officiis diſſerebat, interrogat Socrates quid ipſum per ſe pulchrum quo reliqua omnia pulchra fiũt. Oportet enim particularia ad vniuerſale, quod in particularibus: & vniuerſale, quod in particularibus, ad ipſum quod ſupra ſingula eſt vniuerſale referre. Nam ſinguli homines pulchri, per formam quandam ſingulis communem pulchri redduntur, forma vero communis pluribus à diuina ſpecie velut à ſigillo character imprimitur, quoniam omnis multitudo ab vno quòd in multitudine, & ad vnum quod ſupra multitudinem eſt, reducitur. Quare cum multa ſint pulchra, oportet ſingula per pulchritudinem communem omnibus, & omnibus inſitam eſſe pulchra: & pulchritudinem quæ in omnib⁹ eſt, ſicut in alio eſt, non in ſeipſa, ſic ab alio, non à ſeipſa pendere. Vnumquodque è ſingulis pulchris, pulchrum hoc Plato vocat, formã in omnibus pulchritudinem, ſpeciem, & ideam ſupra omnia, ipſum pulchrum. Primũ ſenſus attingit opinioque. Secundum ratio cogitat. Tertium mens intuetur. Interrogatus Hippias, ter ſecundum ſenſum opinionemque definit. Quibus confutatis, Socrates ter quoque definit. Bis quidem ſecundum rationem, poſtremo ſecundum mentem. Sophiſta enim ſenſu opinioneque incedit. Philoſophus ratione potius, atque mente. In primis Hippias pulchrã virginẽ, ipſum pulchrum eſſe reſpondet. Quod eſſe falſum ex eo conſtat, quod non omnia quæ pulchra ſunt, per virginem puchra ſunt. Et virgo, ſi cum brutis comparetur, pulchra, ſi cum diis, deformis apparet. Quare non magis pulchra quàm turpis eſſe videtur. Tũ Hippias aliud quiddã ſimiliter è ſingulis pulchris, non commune reſpondet. Aurum quippe ipſum pulchrum, quo omnia pulchra fiũt. Quod ea ratione reſpuit Socrates quoniam aurum quibuſcunque conuenit, pulchra illa facit, alia vera deformat. Ergo non, ſimpliciter pulchra facit, ſed cũ decet Quocirca nõ ſui magis quã alterius ratione res ornat. nec aurum ſolum eſt, quo cuncta ornatur, ſed argenrũ quoque, & ebur cæteraque huiuſmodi. Tertio loco aliud quiddã infert, quod etiam proprium eſt potius quã commune. Pulchrum, inquit, corpore bene valere, diuitem eſſe, & honoratum, ſeu emori, ſepelliri à filiis, ſepeliſſe parentes Falſum hoc eſſe patet, quia non res omnes pręter hominem hoc ipſo pulchræ redduntur; præterea hoc inter homines forte pulchrum inter Deos deorumq; filios turpe, vbi parẽtes non moriuntur. His redargutis quæ circa ſingula corporea per ſenſum, & opinionẽ Hippias adducebat, Socrates iam ad altiora tẽdens, non quod ſenſus opinioni, ſed quod opinioni ratio porrigit, infert. Primo enim decorum pulchrum dicit. Quod quidem incorporeũ eſt magis, pulchribuſque commune. Id tamen hac diuiſione refellit. Decorum aut videri ſolum pulchro, aut tã videri quàm eſſe præſtat. Si primum, deceptio quædam circa pulchrum, potius quàm ipſum pulchrum, decorum exiſtit. Vera enim pulchritudo pulchra eſſe facit, quem-

admodum vera magnitudo, magna etiam si non videatur. Si secundum dixeris, falso dixeris. Nam si ipsum pulchrũ quoties esse dat pulchra, videri quoque pariter largiretur, quæcũque pulchra sunt, vt sunt ita omnibus apparerent. Id esse falsum, contentiones de rebus pulchris & controuersię nobis ostendunt. Secundo aliquid quiddam etiã, quod ratio opinioni offert, adducit. Vtile porrò pulchrum vocat. Vtilitas incorporeũ quiddam multisque commune. Nec mirũ est cogitationem circa decens, & vtile decipi. Illud quippe ordinem partis ad partem, partiumque ad totum, hæc autem ordinem totius cuiusdam ad totum aliud habet, ordo verò pulchritudinẽ repræsentare videtur. Quapropter decens vel vtile, facile quis pro pulchro accipit. Quod decens pulchrum non sit, constititi quod nec vtile, sic ostendit. Vtile est quod potentiam ad aliquid faciendum habet. Potentia igitur, & vtilitas idem. Quicquid agimus potẽtia quadam agimus, sed mala vt plurimum facimus, potentia itaque & vtilitas malum vt plurimum inferunt, pulchrum autem nunquã mali causa. Ergo non simpliciter quæcunque vtilitas pulchrum. At saltem quæ ad bonum confert, respondebit quispiam, aduersus quem sic argumentatur: quod ad bonum tendit, conducibile bonum efficit, quod aliquid efficit, aliud est quàm id quod efficitur, quapropter aliud cõducibile, aliud bonum. Conducibile, & pulchrum, idem. Ergo pulchrum, & bonum aliud. Neque pulchrum igitur bonum, neque bonum pulchrum, quod prorsus absurdum. Tandem sensus opinionis, cogitationisque conuictis erroribus mẽs rationi dictat, pulchrum esse gratiam quantam, quæ animam, per mentem, visum, & auditum mouet, & allicit. Quod sanè partim ex huius dialogi calce, partim ex Phædro, & Symposio Platonis elicitur. Qua ratione gratia hæc insit, & quo nomine nũcupanda, inquirit Socrates, nec tamẽ ambitioso sophistæ declarat, quæ Phædro reuelauit, & Agathoni, qui quamuis ignorarent, suam tamen ignorantiam agnoscens, dociles erant. Gratia profectò pulchritudo est, non ratione sensus, quia menti non conueniret, & cæteris sensibus æque vt auditui visuique competeret. Non ratione mentis, quia oculos auresque effugeret. Non voluptatis etiam ratione, quia hæc non in auditu, & visu duntaxat, sed in omnibus sensibus reperitur. Non ratione auditus solum, non enim menti visuique congrueret. Non ratione visus, auditui namque mentique deesset. Non ratione auditus visusque simul, quia in visu audituque vnà coniunctis pulchritudo inesset. In vnoquoque verò illorum seorsum ab altero agente, pulchritudo nulla. Volumus autem gratiam illam tribus animi viribus communiter percipi, tribus quoque obiectis earum inesse communiter. Quapropter addit voluptates mentis, visus, auditusque, ex eo pulchras esse, quod maxime omnium voluptatum innoxiæ sunt, & optimæ. Si optimas idem quod conducibiles intellexeris, redibit superior ambiguitas. Conducibile bonum facit, ergo boni causa. Causa & effectum aliud. Ergo aliud conducibile, aliud bonum. Quo sequitur, aliud pulchrũ, aliud bonum esse. Ideo neque pulchrum bonum, neque bonũ pulchrum. Sin autem optimas, id est, innoxias, faciles, spiritales, lucentes, vitalesque, vt ita dixerim, exposueris, veri compos efficies. Nam pulchritudo nihil aliud est quàm summi boni splendor, fulgens in iis quæ oculis, auribus, mente, percipiũtur, perque illa ad ipsum bonũ, visum, auditum, mentemque conuertens. Quo fit vt pulchritudo circulus quidam diuinæ lucis existat, à bono manans, in bono residẽs, per bonum & ad bonum sempiterne reflexus. Hoc Socrates mysterium quod à Diotima sibylla didicisse se asseruit, non sophistis sed discipulis reuelauit. Quid ipsum bonum, ipsum vnum rerum omnium principium, actus purus, actus sequentia cuncta viuificans, quid ipsum pulchrum. Viuificus actus è primo fonte bonorum effluens. Mẽtem primo diuinam idearum ordine infinite decorans. Numina deinde sequentia mentes que rationum serie complens. Animas tertio numerosis discursibus ornãs. Naturas quarto seminibus, formis, quinto materiam. Sed profectò corpora visibilia, & oculos videntes procreat. Oculis, vt videant, lucidum infundit spiritum. Corpora vt videantur, coloribus pingit. Neque tamen proprius oculis radius, proprij ve corporibꝰ colores, ad visionem perficiendam sufficiũt, nisi lumen ipsum vnum supra multa, à quo multa, & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, adueniat, illustret, excitet, atque roboret. Eodem modo primus ipse actus, id est, Deus speciem actumq; rebus singulis producendo largitus est. Qui sane actus cum in subiecto patiente susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens. Sed diuini solis perpetua & inuisibilis sub vna, semper omnibus adstat, fouet, viuificat, excitat, complet, & roborat. De qua diuina Orpheus, cũcta fouens atq; ipse ferens super omnia sese. Vt est actus omnium roboratque, bonum dicitur. Vt viuificat, lenit, mulcet, & excitat pulchrũ. Vt in obiectis quæ noscenda sunt, tres illas cognoscentis animæ vires allicit, pulchritu-

do. Vt in cognoſcente potentia eam applicat cognitio, veritas. Vt bonũ eſt, procreat, regit, & complet. Vt pulchrũ, illuminat, gratiamque infundit, præparatã autem eſſe oportet omnia ad gratiã diuini fulgoris excipiendam. Corpora quidem proportione, quæ ordine modo, & ſpecie conſtat Voces harmonia, quæ numeris interuallíſque cõficitur. Officia, morum rectitudine ad finem bonum. Diſciplinas ordine ad obiectum verum. Animam puritate per auerſionem ab inferis, & conuerſionem ad ſupera. Mentem, per æternum in ipſum bonum, intuitum. Per hæc omnia gradatim diuinæ pulchritudinis radius penetrat. Circa corpus in æqualitate numeroſa refulget, loco motuique ſubiecta. Circa voces, in harmonia, extra certum locum, ſed motu diſperſa. Circa officia diſciplinaſque, & animam, in motu quidem, ſed ratione vitali conſiſtens. Circa mentem ſupra motum, in æterna idearum ſerie micans. Circa ipſum bonum, actus purus, vitam, & gratiam omnium inſerens, Hæc precor Petre Medices vir omnium præclariſſime, ſolita diligentia legas, Nam, & tuę mentis mirã pulchritudinem prorſus agnoſces, & quam proxime ad ipſum pulchrum, de quo hic diſputatur, accedas, animaduertes.

In Platonis Lyſidem, vel de amicitia, ad Petrum Medicem patriæ patrem. Epitome.

VBi Socrates cum ſophiſtis eorumque ſectatoribus diſputat, opiniones falſas redarguit, veras ſignificat potius, quã doceat. Nam acuta ingenia redargutis falſis exiguo deinde veſtigio verã venantur, quod in Euthydemo, Prothagora, Menone, Hippia, Euthyphrone, & Lyſide patet. Vbi verò cum diſcipulis, & ſtudioſis ſui ſermonem habet, oſtendit ac docet, quod quidem ex multis dialogis intelligitur. In Lyſide igitur cum de amicitia, inter ſophiſtarum diſcipulos diſputetur, confutandis falſis potius quam monſtrandis veris, Socrates ſtudet. Quæ vero ſit de amicitia, & amore Platonis ſententia, ex hoc libro conijcere, ſed ex libris de Legibus aliiſque multis comprehendere poſſumus. Amicitiam eſſe vult honeſtam perpetuæ voluntatis communionem. Huius finem eſſe, vitam vnam principium eius, cognationẽ, medium autem amorem. Vt honeſtam dicit, excludit improborum hominum contubernia, laſciuorumque congreſſus. Vt perpetua, leues adoleſcentulorum beneuolentias, etiam ſi honeſtæ ſint, nondum amicitias appellandas monet. Vt voluntatis, ſignificat non ſimilitudinem opinionis cuiuſdam vel artis ad amicitiam ſufficien-dam ſufficere. Vt communionem, beneuolentię viciſſitudinem indicat. Huius finis eſt, vt è duobus animis vnus voluntate fiat, ex vna voluntate vita vna, ac demum ex vna vita, numinis vnius eiuſdemque ideæ fruitio. Principium quo communionis huius deſiderium excitatur, cognatio eſt. Cognatio conuenientiam in idea, ſidere, genio, & quandam animæ corporiſque affectionẽ ſignificat. Nam qui ex vno pendent, in vnum, per vnum, atque ad vnum reuerti nituntur. Medium, & quaſi quidam ad amicitiam trames, amor exiſtit. Cum autem amor pulchri deſiderium ſit, & amicitia ab amore, & ducatur pariter, & dicatur, neceſſe eſt eos qui amici futuri ſunt, pulchros eſſe. Pulchros, inquam, quorum animi pulchri. Homo enim animus eſt. Corpus hominis inſtrumentum, & quiſquis pulchrum amat corpus, non hominẽ, ſed ea quæ ſunt hominis amat. quamobrẽ quotiens cognatio illa adeſt, & animorum pulchritudo concurrit, perfecta naſcitur amicitia. Si corporis forma huic animorum pulchritudini adiuncta eſt, citius amare incipiunt, & breui amicitiæ habitum aſſequũtur. Quod in Platonis Dioniſque mutua beneuolentia contigit. Sin autem forma corporis cum animi deformitate coniungitur, non honeſtæ communionis, ſed turpis congreſſus cupido exoritur. Vnde non amicitia, imò petulantia primum, deinde diſcordia proficiſcitur. Quare ſi cognatio deeſt, amicitia nũquam. Si adeſt cognatio, deeſt omnis pulchritudo, interdum beneuoli potius, quam amici. Sin autem cognationi pulchritudo corporis, non animi eſt adiuncta, pro amicitiæ deſiderio obſceni congreſſus ardor exoritur. Cum vnus animo pulcher, turpis alter, admonitionis & increpationis ſtudium cognatio illa parit. Quod ſi pulcher vnius animus, alterius nec pulcher eſt, nec turpis, docendi diſcendique inuicem voluntas ex cognatione prouenit. Tandem ex increpatione illa, & hac doctrina, amicitia naſcitur. Quod quidem in Phædrum, & Alcibiadem Socratis amor oſtendit. At verò cognatio pulchritudinem vtrinque nacta, cito indiſſolubilem procreat amicitiam. Idque in Platonis Aſteriſque beneuolentia conſtitit. Atque hæc, vt è multis colligitur, de amicitia Platonis noſtri ſẽtentia eſt. In hoc autem dialogo primo eos qui amore abutuntur, & ſub amicitiæ ſpecie turpi libidini ſeruiunt, increpat. Deinde eos qui ex ſola corporis forma, amari ſe dignos exiſtimant, admonet. Tertio illos, qui minus vere de amicitia ſentiebant, refellit. Poſtremo callem quendam ſagaci-

bus animis ad venandam amicitiam indicat. Singula membra suis in locis legentibus patent. Nam dum Hippothalem & Ctesippum ironia iocisque deridet Socrates, quod turpi amore capti essent significat. Et dum coram illis adolescentes ad mores instruit, amatores admonet quo pacto amandum & quomodo vnà viuendum sit. Cumque amatores instituisset, secundam dialogi partem ad amatos instituendos aggreditur. Vbi longa inductionis serie docet, non vmbratili huius corpusculi forma sed vera animi pulchritudine, sapientia scilicet & prudentia amicos aucupari decere. Tertio loco confutat, & primo Solonis sententiam, qui amatos inquit amicos esse. Qui tamen sæpe amãtes oderunt Addit etiam nec amantes duntaxat, amicos esse, quia sæpe odio habentur qui amant. Vbi concludit reciprocam beneuolentiã, amicitiam esse vocandam. Deinde Empedoclem reprehendit, qui quamlibet simpliciter similitudinem ad amicitiam sufficere voluit. Quod falsum esse artium multarum similitudo declarat, quæ inuigiam & odium sæpius quàm amicitiam gignit. Accedit postmodum Hesiodi Heraclitique opinio, quod dissimilia sint amica. Idque falsum esse ex eo constat, quod odiũ & amor cum dissimilia sint, amica non sint, nec iustus vir & iniustus, & de aliis eodem pacto. Quod si quid aliquando dissimile sui appetere videatur, vt aridum quod est, humorem, caloréme quod frigidum, dicendum est non amare contrarium, sed sui ipsius restitutionem ex contrario quærere. Quod enim calore nimio præter naturam suam vtitur, per frigus temperiem naturalem reducitur. Quare non frigus, sed temperiem per frigus amat. Idem est de cæteris contrariis iudicandum. His confutatis opinionem quandam, vt suam quasi vaticinans Socrates infert. Vbi trifariam affectiones animi diuidit, bonum animum, malum, neutrum. Malum bono propter diuersitatem amicum esse nunquam. Malum à malo propter iniustitiam lædi. Ergo nec hos inuicem amicos esse. Neutrum quoque amare malum impossibile, malum enim cum obsit, suapte natura odio semper habetur. Restat vt amicitia sit inter bonum & malum, & neutrum atque bonum. Et illa quidem in gaudio, in desiderio hæc consistit. Ex quibus duæ quædam amicitiæ species ortæ sunt. Sed insurgunt obiectiones quædam, quæ id turbare videntur, quas Socrates palàm infert, solutiones verò clàm innuit. Prima, quia bonus bono similis, similia verò non esse amica contra Empedoclem dictum fuit. Vbi intelligendum, non dictum esse similia nullo modo amica fieri, imo negatum quod simpliciter qualibet similitudo ad amicitiam procreandam sufficiat. Item cum secundo obiicitur: bonus seipso sufficit, ergo non desiderat alterum vnde non amat, quare nec boni amicus est: Exponendum est quod hæc absurditas non ex Platonis mente sequitur, sed ex Empedoclis & Heracliti dictis, in quibus amoris desiderium ab amicitia non distinguunt, quare vna cum amicitia cupiditas perpetua sit necesse est. Plato verò amicitiam habitum quẽdam esse vult ex amore diuturno contractum. quo fit vt amor sit exoriens amicitia. Amicitia vero inueteratus amor, in quo multo plus voluptatis quàm desiderii restat. Ex quo sequitur, vt qui cupierat, iam delectetur. Itaque amicitiæ habitus non necessario desiderio præsentis ardorem, sed delectationem exigit. Ergo si bonus bonum minus desiderat, non tamen minus, bonus bono gaudet quod ad seruandam amicitiæ rationem plurimũ valet. Atque hæc vna est amicitiæ species, inter bonum videlicet atque bonum, in gaudio potius quàm in desiderio constituta. Est & altera, quæ desiderii plus quàm voluptatis includit, inter neutrum bonumque exoriens. Quæ quidem qua ratione fiat, & cuius gratia, & propter quid, in textu satis patet. Describit illam primo vt opinio porrigit, deinde paulatim emendat. Nam cum dixisset, neutrum propter malum inimicum amare bonum amicum boni amicique gratia, statim dictis obiiciendo corrigit. Vbi primum docet, amicitias omnes quæ ad homines diriguntur, imperfectas esse, & imagines amicitiæ quæ ad ipsum primum bonum rerumque omnium respicit authorem, quod primo amatur, & causa est vt amentur hæc omnia. Et quisquis aliquid amat, ipsum primum tanquam finẽ amoris habet. Nam à primo bono bonum omnibus inest: à primo pulchro, gratia singulis adest, bonitas verò trahit nos, allicit pulchritudo. Non ergo ista nos inferiora mouent, sed primum illud in istis trahit & allicit. Illud itaque in istis simul atque ex istis non ista amamus. In quo Platonis nostri pietas in Deum, summaque religio mitifice fulget. Ostendit præterea nõ semper nos alterius gratia amicos esse. Neque enim primum bonum, boni alterius gratia exoptamus. Item non propter malum, bonum cuperes. quia etiam omni malo è rerum natura sublato restaret bonum suapte natura gratum, & appetitus in eo quod minus bonum, ad bonum maius consequendum traheret. Non enim ma-

lum est, quod summi boni excitat appetitum, sed ipsius minus boni egestas ad sui repletionem in summum bonum conuertit: quæ quidem non malum, quia nunquam malum ad bonum, & contrarium ad contrarium, sed inchoatio boni potius nuncupanda. His ad emendationem illatis principium quoddam inducit amicitiæ perfectius instigandæ: Inquit enim cognationem & naturæ conuenientiam amicitiam parere, de qua satis in principio diximus. Postremo iuuenes illos adolescentesque mordet, quod ignorent quid merito amandum sit: quæ amicitia vera, quo pacto honeste stabiliteturque conflctur, & antequam hæc discant, temere, procaciter, & petulanter amicitiam inire contendant. Sed ne illos infestos sibi redderet, clàm ista significauit, & seipsum vnà cum illis reprehendit. Hæc de argumento satis. Ad Lysidem veniamus.

In Theætetum Platonis, vel de scientia ad Petrum Medicem patriæ Patrem. Epitome.

Dialogus de scientia, Petre Medices insurgit altius, & dignas mito ingenii tui acumine quæstiones mouet, quarum capita solutionesque in hoc compendio summatim animaduertes. Vbi quid scientia non sit, quid sit, & vnde, & quomodo, disputatum reperies. Socrates quidem quid scientia sit, interrogat. Theætetus autem respondet scientiam esse Geometriam, Arithmeticam, cæterasque huius generis disciplinas, & artes singulas. Hanc Socrates responsionem tanquam interrogationi minus congruam respuit. Quia cum interrogaretur quid scientia sit, non quid, sed quod scientiæ sunt, enumerat, & cuius scientiæ sunt, exponit. Qui enim Arithmeticam dicit, non scientiam ipsam, sed numerandi scientiam & qui Geometriam, metiendi scientiam dicit: Deinde ridicula responsio est, cum per ignota reddatur. Nemo enim potest quid hæc scientia numerorum vel figuram sit, nosse, nisi quid est scientia, nouerit. Præterea superflua responsio est. Nam cum posset paucis complecti ipsius scientiæ rationem, dinumerandis singulis infinitum iter ingreditur. Affert post hæc Protagoræ definitionem, scientiam sensum esse dicentis. Hominem quippe Protagoras rerum omnium mensuram esse censet, existentium quidem vt sunt; non existentium autem, vt non sunt, & qualibet cuique talia esse, qualia cuique videntur. Quales enim res quæque sunt, tales sentiri. Quales sentiuntur, tales phantasiæ, id est, sensui interiori videri. quo effici vult, vt sensus scientia sit. In hoc sanè Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus, Protagoras consentiunt. Nam cum inquit Thales aquam omnium esse principium, & Homerus Patrem omnium Oceanum, matrem Thetydem esse, omnia ostendunt in fluxu versari, hos reliqui quos memorauimus, imitati, nihil in se nunquam, sed fieri semper vnumquodque dixerunt. Vnde nihil in se absolutè tale potius esse quam tale, sed per motum mixtionem, relationemque vnius ad aliud, huic quidem tale, illi tale, & fieri, & videri. Quòd omnia in motu sint, ex eo constare putant, quod à motu omnia fiant: quod autem à motu omnia, ex eo coniiciunt, quod à quo quidque fit, per illud & conseruatur. Sed tam illa quæ ad animam, quàm quæ ad corpus pertinent motu & exercitatione seruantur, ocio torporeque pereunt. A motu igitur omnia. Præterea quamdiu cælorum sphæræ mouentur, miscentur quatuor elementa. Quatenus ista miscentur, eatenus inferiora gignuntur, quæ postquam genita sunt, exercitatione seruantur. Hæc igitur omnia motus efficit. Addunt quod ex calore generatio, calor ex motu Solis vel collisione corporũ prouenit; quod autem nihil secundum seipsum vnum aliquid sit, sic exemplo inducunt: albedo, & quisque calor. nec oculorum aspectus est, neque corporum motus, sed ex aspectu motuque medium quiddam resultat, id est, talis circa oculos passio. Et ex diuersa aspicientis dispositione varioque intuendi modo, colores varii, aliàs alii & videntur, & fiunt. Præterea radiorũ motus varius corpora pulsans, oculosque feriens, diuersas & omniformes imagines offert. Quinetiam sæpe diuersis hominibus animalibusque circa idem diuersus color apparet & est: sæpe quoque eidem, & circa idem, quamquam non eodem, sed alio tempore, ob naturæ ipsius mutationem. Opinatur igitur quicquid est, esse motum. Motus autem species duas, vnam in agendo, in patiendo alteram, horum motuum commixtione, omnia vt ipsi aiunt, conficiuntur. Euentus specie gemini, numero infiniti sunt, sensibile videlicet, atque sensus, qui cum sensibili fit semper atque congreditur. Quotiens enim sentiendi vis aliqua, & aliquid illi consonum vnà cohærent, eorum concursu duo quædam proueniunt: circa id quod obiectum est, species sentienda, color, sapor, odor, cæteraque huiusmodi: circa vim animæ, sensus. Quibus disiunctis, ista non fiunt, quo fit, vt ex iisque quinque sensibus offeruntur, nihil tale suapte natura vel ta-

lesit, sed cum sensu congrediens aliàs aliud fia. Nihil enim agens vel patiens secundum seipsum est, sed in alterno congressu vtrumque. Quare nihil seipso vnum aliquid est, sed ad aliud & alicui semper fit, nec est vnquam, verùm fit, fluitque semper. Hæc autem ex eo redarguit Socrates, quod ebrii, & hi qui Phrenesim patiuntur, & insani & dormientes cum somniant, nec non qui sensus alio quodam morbo corruptos habent, vera sentire se, & cogitare affirmant, cum omnia tamen illorum visa falsa esse dicamus. Quo efficitur, vt non omnia quæ videntur, vera sint. In eandem dubitationem cadunt, quæcunque vigilantes sobrijque sentire dicimur. Nam æquum ferme tempus somno, & vigiliæ vicissim damus. Idcirco dubium est, vtrum hæc an illa potius somnia falsaque sint. Qui verò apparentia omnia vera esse opinanti volunt, sic vtique responderent, quod variæ agentium patientiumue affectiones diuersa producunt, & obiecta quæ sentiuntur, agunt secundum patientis sensus effectionem. Hæc in vigilante, & dormiente, ægrotante, & benevalente alia est. Quapropter & alia iudicia fiunt, omnia tamen vera, quia omnia cuique talia sunt, qualia iudicantur. Meminisse enim oportet quod supra dictum, nil sui natura absolute vnum aliquid esse, sed ad alterum, & alteri, & alterius esse, quicquid aliquid est. Imò fieri quicquid fit aliquid, esse verò nihil. Hæc itaque sibi inuicem consonant, secundum Homerum & Heraclitum, omnia fluere: secundum Protagoram rerum omnium mensuram esse hominem: secundum Thæetetum, scientiam esse sensum. Aduersus eos ita Socrates argumentatur. Si sensus scientia est, bruta quæ magis quàm homo sensibus valent, scientia præstabunt. Item si vera sunt quæcunque videntur, cuiuslibet hominis cogitationes æque rectæ sunt, nec vllus alio sapientior, nec homine Deus. Accedit ad hæc quod inanis esset docendi, disputandi, redarguendi facultas, cum nihil discere oporteat eos, qui vete de singulis iudicant, neque inquirenda sint quæ quisque possidet, neque redarguendum aliquid sit, quandoquidem cogitationes quælibet veræ sunt. Præterea si idem est sentire ac scire, vt videre atque audire, cum primum literas inspiciunt pueri nondũ eruditi, vidēt eas, sciunt igitur: aut si nescire dicantur, dicātur etiam non videre. Et cum primum barbaros sua pronunciantes audimus, nondum illius linguæ periti, sicut audire sic & scire quæ proferunt affirmabimus, quod si quis intelligere neget, neget similiter & audire. Respondebit ad vltimum hoc Protagoras, quod videmus audimusue, scire, quod ignoramus, nec sentire quidem, vt in literis figuram, situs partium, & colorem pueri vident, & videntes sciunt. Voces barbaras audientes, mox acutum, & graue vt audiunt ita, sciunt: literarum verò vocumque significata cum non sentiāt, prorsus ignorant. Contra illum sic infertur. Ex hoc ô Protagora sequitur, vt cum significata sciunt, alio quodam quàm sensu sciant. Sciētia itaque aliud quiddam est quàm sensus. Item si videre scire est, non videre nescire erit. quod autem quis vidit didicitque & meminit, scit. Sæpe vero id non videt, ergo & nescit, quapropter idem simul & scit & nescit. Præterea si vno oculo aliquid videas, alio clauso nihil cernas, illud vides pariter & non vides. quare litigiosus quispiam dixerit: si videre scire est, & non videre nescire, idem scis simul & nescis. Adde quod cum quid eminus & confuse prospicis, vides quidem, nescis tamen, cum dubites. Non igitur scientia sensus est. Responderet fortè Protagoras, primo quidem de memoria & scientia distinguendo. Nam cum primum sentiendo quis patitur, memoriter tenere incipit, deinde etiam non patiendo meminit, cum iterum idem sentit patiturque, reminiscitur: in primo quidem scit actu non habitu, in secundo, habitu non actu, in tertio, & actu simul & habitu: quare interdum & scit & nescit. Neque tamen hæc contraria. Nam non eodem modo quo scit ignorat. Ergo cum non videt, meminit tamē, scit habitu, actu nescit. Hæc verò contraria non sunt. Et cum à Socrate dicitur alius alio sapientior, respondet Protagoras non ex eo sapientes quosdam, insipientes alios esse vocandos, quod alii vera, alii falsa opinentur. Nam opinari vnumquemque illa quæ quisque patitur, pati ea à quibus mouetur, moueri ab his quæ agunt, agere illa quæ sunt, quæ sunt vera esse. Ex quo omnes opinari vera concludit, non tamen omnes bona atque decora. Sapientes asserit eos, qui bene affecti quæcunque offeruntur vt bona suscipiunt, bonaque sibi putant, & vt putant, sunt. Insipientes illos, qui male affecti, mala iudicant, & mala sibi sunt quæ iudicant. Contra id quod dicitur, omnes vera opinari, sic Socrates. Accidit in omni vita & singulis facultatibus, vt existimemus in quibusdam nosmetipsos vere iudicare, in nonnullis alios, quisque enim facultatem aliquam profitetur, alteri in aliena arte concedit. Aut existimatio hæc vera, aut falsa est. Vtrinque sequitur, non omnes homines

vere putare. Nam si verà existimatio illa, verum erit quod quidam in multis vere iudicat, in quibus nos falsa opinamur, non omnes igitur vera opinantur. Sin falsa, ergo in hoc saltem sæpe decipimur, quare non omnis opinio vera. Quinetiam sæpe contingit, vt quæ vnus vt vera cogitat, ab omnium aliorum opinione abhorreant, illa igitur illis vera, falsa aliis videbuntur. Erunt igitur falsa, tamen plus quàm vera, quo plures sunt, quibus falsa quàm quibus vera putantur. Non ergo mensura rerum ille, sed alii. Quare non omnes mensura rerum omnium sunt. Item Protagoræ sententia, quod omnis opinio vera sit, Paradoxon est, & præter omnium fermè sententiam, ex quo omne penè genus hominum falsam eius opinionem censet: quod si vera est omnis opinio, verùm & hoc vniuersale iudicium, ergo vt falsa putatur, ita & est Protagoræ ipsius positio, qua dicitur omnem opinionem esse veram. Nam seipsam, ita dicendo, falsam esse concedit. Et si dixerit falso putare illos, qui ab eius dictis abhorrent, hinc quoque idem sequitur, non omnem scilicet opinionem esse veram. Præterea qui ignorat, mensura eius quod ignorat, esse nequit. Qui dubitat, ignorat, omnes homines dubitant, multa ergo ignorant. Non omnes itaque omnium mensura sunt. Cumque dicit, qualia cuique singula videntur, talia sunt, aberrat. Quę namque medicinæ artis ignaris salubria corpori noxiàue videntur, non semper talia sunt, sæpe illos opinio fallit, & quæ vtilia vel noxia in Reipublicæ administratione ciues deliberando decernunt, non semper reipub. talia sunt. Obsunt enim multa, quæ profutura sperabant, & quæ nocitura, prosunt. Quod si ipsum salubre, & vtile non sola opinione hominumque consuetudine constant, sed aliquam sua pte natura substantiam habent, multo magis honestum ipsum atque bonum, quippe vtilium principium est, & finis. Quapropter nec in his quæ ad corporis curam, nec in illis quæ ad animã & reipublicæ gubernationem spectant, qualia cuique singula videntur, talia sunt. Etenim si quæcunque videntur, talia essent, quotiens quis futura prædiceret, vere nimirum præsagiret, quod quidem falsum est. Raro enim futura talia veniunt, qualia cogitantur. Etsi quis de futuris iudicat, non quiuis id agit, sed artifex de his quæ ad eius artẽ spectant. Vt futuram febrem medicus potius quam musicus, futuram consonantiam musicus melius quàm medicus præuidet. His denique confutatis occasionem sumẽs Socrates à libertate vel seruitute loquendi, de libertate Philosophantium, & seruitute ciuilium ac rethorum disputat, qualis sit vtrorumque vita: quod Philosophi finis est, ab humanis malis ad superna bona conscendere, de præmiis eorum qui cœlestia petunt, pœnis eorum qui terrenis inhiant. Qua digressione peracta ad propositam quæstionem reuertitur. Eius fundamentum erat Heracliti sententia, quod omnia moueantur. Cuius contrarium Parmenides, & Melissus, & Eleates Zeno senserunt. Omne enim vnum & immobile posuere, quorum dogma Plato in libro de vno rerum omnium principio, quem traduximus, exponit & approbat. Contra verò Heraclitum & Protagoram à motus diuisione disserere incipit. Motus duo sunt genera. Vnus secundum locum motus, secundum rei naturam alter. Latio illa alteratio hæc dicitur. Lationis species duæ, transitus, circulatio. Quia vel de loco ad locum fit transitus, vel circa locum vnum eundemque circuitus. Motus verò in ipsa rei motæ natura, aut secundum substantiam, aut circa quantitatem vel quantitatem efficitur. Si secundum substantiam ad ipsum esse quid mouetur, generatio: si ad non esse, corruptio. Secundum quantitatem ad maius, incrementum, ad minus, decrementum dicitur. Motus qui de qualitate in qualitatem, affectio nominatur. Sortitur deinde varia ex variis qualitatibus nomina. Nam qui ad calorem calefactio: ad frigus, frigefactio, ad colorem, coloratio, similiterque de cæteris. Distinctione præmissa quærit Socrates, si mouentur omnia, vtrum duobus illis motus generibus singula, an vno quodam multa, duobus alia moueantur. Si vno quodam multa, sequitur non magis illa moueri quàm stare. Nam si modo quodam mouentur, quodammodo & quiescunt. Opinio verò illorum non id vult, sed omnia omnino sine vllo statu moueri, quo fit vt omnibus motibus agitentur. Ergo dum res è loco ad locum feruntur, ex affectione interim in affectionem iugiter transeunt, vt ex calore in frigus, albedine in nigredinem, vel contrà. Quæritur, vtrum sub vna quadam harum forma aliquantulum maneant nec ne, si manent, sequitur, vt non omnis status sit expulsus. Si non permanent, dum quid calidum aut album pronunciatur, desinit calidum esse vel album. Imò prius quàm pronunciatio incepta desinat, desinit esse forma. Vndè nihil vnquam vere pronunciatur aut percipitur, nec magis calidum illud quàm non calidum, album quàm non album est prædicandum, cum in nullo consistat, & sit & non sit pariter dum profertur. Quam ob

causam rerum formæ nobis ignotæ sunt. Idem de sensu dicendum. Nam nec visus in visione, nec in audiendo auditus momentum permanet. Quocirca non magis videre aut audire, quàm non videre,& non audire contingit, etiam dum videre & audire nos profitemur. Ex quo sequitur, vt sublatis sensibus sublata sit & sensuum veritas, qua sublata, nullo modo dicendum, sensuum scientiam esse. Addit & aliam rationem,ad cuius intelligentiam aduertendum est, quod Plato nullam corpori cognitionem tribuit, quemadmodum nullam vitam. Quod viuit, id sentit: viuit anima, & anima sentit. In corpore autem nec vita nec sensus, sed vitæ sensusque opera declarantur. Ideo quos sensus quinque alij vocant, ipse organa quinque sensus appellari vult, nihilque his instrumentis sentire, sed per hos quasi meatus ab vna quadam animæ vi sentiri singula putat, quem sensum communem vocat, in quem vndique è singulis corporis organis, vt ad centrum circuli è circumferentia lineæ variæ passiones influunt, colores quidem per oculos, per aures soni, per nares odores, saporesque per linguam, denique per totum corpus calor, frigus, humidum, siccum, graue, leue, molle, durum, asperum, rarum, densum, acutum similiter, & obtusum. quod anima ista non multis, sed vna vi sentiat, patet: quia sentiendo colorem, dicimus non esse vocem: & saporem sentiendo, non esse odorem pronunciamus. Non potest aliud ab alio distinguere, qui non vtrumque cognoscit. Nullum organum eadem quæ & aliud organum porrigit: & si eadem. non eodem modo. Idcirco eorum quæ sentiuntur distinctio, non in organis est, sed in vna quadam vi animæ percipiente singula, & singula simul à singulis distinguente. quæ cum ipsa hæc omnia sola possit, quod nec etiam Peripatetici negant, quid multis sensibus opus est? Hic sensus quem communem vocant, omnibus animalibus statim natis inest. Præter quem est & alia vis, quam Phantasiam, opinionem, cogitationemque nominat. Cuius officium est, de his quæ communis sensus per organa quinque sensit, iudicare, non quale solum, sed quid sunt, quod eorũ vnum quodque idem est secum, ab alio aliud, vnum seorsum, iuncta verò simul duo vel tria, similia item & dissimilia, bona, vel mala, pulchra, turpia, vtilia, noxia, & ab vno in aliud ratiocinando percurrere, aliud applicare cum alio, & præterita & futura cum præsentibus comparare. Itaque hac vi essentiam, vnitatem, numerũ, idem, alterum, similitudinem, dissimilitudinem, pulchrum, turpe, bonum, malum, vtile, inutile iudicamus. Quod equidem iudicium cum non statim natis adsit, sed longo post tempore, nec omnibus animalibus, sed quibusdam, patet, quod alia quadam vi præter communem sensum hęc percipimus. Hanc Phantasiam perfectam, & opinionem nuncupat. Quæ tamen ipsa non sufficit. Nam hæc omnia proprio quodã, & particulari modo, certo sub tempore locoque & conditione iudicat. Scimus autem nos de iisdem in genere, & vniuersali modo etiã iudicare, non quid nunc homo hic, vel vbi hoc vtile, verum quid ipsa semper humanitas, quid passim vtilitas ipsa sit. Ideoque alia vi opus est, quæ vniuersales rationes rerum generatim percipiẽs, de vna discurrat in aliam, discurrendoque argumentetur. Quod quidem in nobis fieri, dum syllogismos nectimus, nemo dubitat. Hanc rationem vel cogitationem dicimus vniuersalem: cum opinionem ipsam, particularem rationem cogitationẽque nuncupamus. Ad hanc denique mens accedit, quæ omnes rationes rerum non discursu, sed simplici stabilique intuitu percipit, nam supra motum ac tempus, status & ęternitas esse debet. Motus quidem & tempus in ratione, in mente status est, & æternitas. Non enim aliud post aliud discit, sed simul omnia tenet. Supra mentem ipsa animæ vnitas est, summi boni character, qua non rerum rationibus ideisque, sed primo rerum omnium principio, quod ipsum vnum est, iungitur. Cum omnes animæ vires quæ in cognitione versantur, enumeratæ sint, & scientia in cognitione consistat, in qua potissimum vi scientia sit, videndum. Sensui quidem non conuenit, vt multis iam rationibus constitit, & hac præcipue, quia sensus ille communes essentias rerum non iudicat, sed passiones quasdam corporum solummodo percipit. Quisquis ignorat essentiam, ignorat & veritatem Qui veritatis est expers, à scientia nimium alienus. Non ergo in sensu scientia, vbi anima non per se sed corpus percipit, atque ideo sæpe decipitur. Sed in Phantasia forsitan, & opinione consistit, vbi essentias iam percipimus, & anima per seipsa sine corporis ministerio iudicat. Atque hæc sentẽtia secundo loco Theæteto placet, quod scientia sit opinio, non quælibet tamen, sed opinio vera, falsa autem opinio, ignorantia. Cum verò Theætetus opinionem in duo distinxisset, veram, & falsam, quæsiuit ilico Socrates quomodo falsa opinio esse possit. Vnumque supponit, quod quisquis opinatur, aut ea quæ nouit, aut quæ nouit opinatur. Vnde in hunc modũ ratiocinatur

ratiocinatur. Qui opinatur falsa, nunquam ex eo falsa opinatur, quod putet aliqua quæ nouit, alia quædam esse quæ etiam nouit. Nam qui vtraque noscit, aliud pro alio nunquam accipit. Neque quæ non nouit, alia quædam quæ non nouit. Nihil enim de illis quis iudicat, quæ nunquam in cogitationem venerunt. Neq; quod nouit, id quod nunquam nouit, aut contra quod non nouit, id quod nouit esse. Quis enim pro ignoto notum, vel pro noto ignotum accipiat? His igitur modis opinari falsa nullus posse videtur. Fortè verò alio quodam pacto falsa homines opinantur, cum ea quæ non sunt, opinantur. Ex quo falsa opinio erit ea quæ non sunt opinari. Sed neque id fieri potest. Quisquis enim videt, vnum aliquid videt: qui vnum aliquid videt, existens quoddam videt: qui verò non existens videt, nec vnum aliquid. Qui non vnum aliquid, nihil: qui nihil videt nec videt quidem. Ergo aut non videt, aut quod est videt. Similiter de audiru ac cæteris sensibus affirmare possumus. Quamobrem cũ opinio sensũ sequatur, quicũque opinatur, vnũ aliquid opinatur: qui vnũ aliquid opinatur, existẽs aliquid opinatur, ergo quod est opinatur, qui verò nõ existẽs, etiam nec vnũ aliquid. Si nõ vnũ aliquid, nihil igitur. Si nihil opinatur, nec opinatur quidem. Itaque aut non opinatur omnino, aut quod est opinatur. Quapropter neque hoc modo falsa aliquis opinabitur, quod quæ non sunt opinetur. Accedit modus alius quo commutatio fit, ita vt aliud pro alio accipiamus: vt pro pulchro, turpe, & pro vtili, inutile, quod quidem Socrates ita refellit. Opinari, secum ipso loqui est, dum nobiscummet interrogamus, respondemus, affirmamus atque negamus. Nec est locutio hæc intrinseca extrinseco sermone deterior. In extrinseco verò sermone nullus vnquam dicit quod turpe est, esse pulchrum: & quod homo, bouem esse, quod par, impar, aut huiusmodi aliquid. Quare multo minus cogitando asseret, horum vnum aliud esse. Nam aut noscit vtraque, aut alterum solum; si vtraque; nunquam vtique commutaret: si alterum, neque sic etiam, quod enim cognoscit, nunquam pro illo quod nondum in cogitationem venit, acciperet, quò fit vt nondum inuentum esse videatur, quomodo falsa opinio nobis insit. Vtitur hic Plato, & in Philebo, Sophista, atque Menone, sex nominibus ad eandem vim animæ pertinentibus, ad sex illius officia significanda Nam cum post sensum communem anima eadem, quæ & communes sensus apprehendit, opinante potentia percipit, prima Ipsa perceptio, imaginatio dicitur. Vt apprehensa conseruat memoria. Vt iterum quæ seruauit, in seipsa resumit reminiscẽtia. Et cum resumendo de alio in aliud quasi quadam ratiocinatione discurrit, cogitatio. Postquàm verò discursu peracto affirmatur aliquid vel negatur, opinio At verò cum opinione percepta per sensum atque memoriam anima cogitatione refingens ita in hæc respicit velut in illa à quibus ista manarunt & quæ imagines sunt res veras esse putat, picturam quandam, & Phantasiam Plato nominat. Et cum ceream inducit effigiem, cerebri naturam nequaquam intelligit. Non enim dixit in corpore, sed in animo ceream effigiem esse. Cum verò in incorporeo nihil sit corporale, per translationem quandam operumque similitudinem potius, quam ita vt verba sonant, hæc intelligenda sunt. Neque in corpore figi vult rerum imagines, neque in animo ab externis obiectis effingi, sed vel ex natura sua habere illas animum, vel occasione ab extremis motibus corporisque passionibus sumpta in seipsum suaui formas rationesque concipere. Qui de his dubitat, Plotini summi interpretis commentaria legat. His expositis ad opinionis falsæ modos redeundum est. Inducit plurimos Socrates, & multos respuit, & vt sophistarum fastum reprimat, sæpe quæ concessa ab illis sunt, iterum atque iterum confutat. Tandem ex Platonis mente colligendum est, quod quando sensibile quoddam primo nobis occurrit, eiusque occursu sensus in nobis efficitur, & à sensu memoria, ac deinde rursus idem nobis obiicitur, memoriam præcedentem cum sequente sensu componimus, & in his iam dicitis Socrates, equus, ignis, cæteraque huiusmodi Atque hæc opinio quædam nuncupatur, componentibus nobis præcedentem memoriam cum recente sensu. Et quotiens hæc quæ colligantur, inuicem consonant, opinio vera existit, si dissonant, opinio falsa Nam si quis dũ Socratis speciẽ in memoria seruat, Platonem ipsũ offẽdat, putetque se ob quandam similitudinẽ Socrati rursus occurrere, postmodũ Platonis sensum velut à Socrate hauriens, memoriæ Socratis ipsum accommodet, opinio falsa resultat. Atque hoc pacto opinio falsa fit ex collatione sensus ad cogitationem. Fit & alio modo, collatione commutatio neq; cogitationis vnius ad alterius, cuiusdã cogitationem: potest enim quis numerorum quorundam species, quæ in memoria latent, etiam absque præsente sensu, cogitãdo inuicem permutare, ita vt XII. pro XI. & contra XI. pro XII. capiat. Verũ dubitatio

quædam suboritur. Nam quicunque species seruat, scit ea quorum species habet. Hos ergo scit numerus. Sin commutat, ignorat. Quare simul eadem & scit, & ignorat. Respondendum, non esse absurdum vt is qui vno modo scit, ignoret alio. Nam is habitu quidem scit, actu ignorat. Quo circa his nihil impedientibus quæ falsæ opinionis species inuentæ sunt, & paulo ante expositæ. Oritur & alia dubitatio. Quasi quis dum scientias duorum quorundam habet, commutando falso opinetur, & alterum pro altero capiat, videtur rem ipsam cuius habet scientiam, ignorare, & quod deterius est, scientia ipsa, non ignorantia ignorare, cum ipsa scientia commutationis causa sit, ignorantiæ commutatio. Quod si ita est, cum scientia ignorare nos faciat, nihil prohibet quin ignorantia scire efficiat. Respondet adhæc Theætetus ponendam in animo inscitiæ sicut & scientiæ speciem, & qui alterum pro altera capit, falli, atque ita per ignorantiam potius quàm per scientiam ignorari. Responsio hæc minime sufficit, quin eodem modo quo & supra, quæretur, si commutat eas inuicem species, vtrum cognoscat vtraque, aut ignoret, aut alteram norit, alteram ignorauerit. Vnde superior controuersia omnis redibit. Item si ponenda species quasi scientia noscitur, & qua inscitia, iterum species aliæ quibus species hæ noscuntur, ponendæ sunt, & aliæ rursus quibus illæ, atque ita in infinitum progrediamur. Quocirca non ita, sed aliter respondendum Non dicendum erat, vt Socrates supra tetigerat, quod non rerum notiones permutationis causæ sunt, sed confusio notionum, negligentia diuturna, externa, similitudo haud exacte discussa. Non ergo scientia, imo confusione, negligentia, deceptionéque ignorare videmur, quanquam hæc haud absolute iudicari prius possunt, quàm quid est scientia, fuerit declaratum Nam per lucem tenebras, per sonum silentium, per bonum malum, per verum falsum dignoscimus. Ante igitur quid scientia est, definiendum videtur, quàm falsa opinio declaranda, si perfecte illam comprehendere cupimus. Hinc Theætetus, scientiam esse veram opinionem asserit. Quod quidem ex eo confutat Socrates, quod oratoria facultas persuadet, non docet: qui persuadet, opinionem inducit, & opinionem veram, cum vera refert, neque tamen scientiam. Nam de his quæ in motu sunt semper, & alias se aliter habent, certa nusquam scientia est. Talia verò sunt humana negotia de quibus oratores agunt, præsertim cum sæpe ad ea credenda auditores inducant, de quibus ipsi dubitant, & quibus nunquam interfuerunt. Addit post hæc Theætetus Leucippi, & Cyrenæi Theodori definitionem. Scientia est opinio vera cum ratione, & idcirco quæ rationem habent, sciri possunt: quæ ratione carent, minime. Et Prodicus Chius Leucippum imitatus, elementa rerum, quia simplicia sunt, proptereaque sine ratione, ignota esse asseruit: composita verò cum rationem habere possint, nota. Rationem quidem definitionem, & orationem quandam declarantem rei substantiam proprietatémque intelligunt. Quæ quia plura includit, subiectum & prædicatum, interdum etiam copulam, id est verbum, & nomina, compositum quoddam significat. Elementum verò simplex, ideoque rationis expers, & ignotum relinquitur. Duæ quæ dicta sunt, Socrates confutat, prius quidem posterius hoc, quo dicitur. Elementa, quia simplicia, ignota, quæ ex his effecta sunt, quia composita, nota. Deinde prius illud, quod scientia sit cum ratione opinio vera. Et exempli causa pro elementis literas accipit, pro composito syllabam. Verum quæ de his tradit, de rebus omnibus intelligi vult. Prima contra illos ratio est. Quia quemadmodum composita ab elementis dependent, ita compositorum cognitio ab elementorũ cognitione perficitur. Neq; enim sine causa, quæ à causa sunt cognosci possũt. quapropter impossibile est, ignoratis elementis scire cõposita. Itẽ sume compositum quoddam, vt ecce So, primam nominis Socratici syllabam. Vtrum syllaba hæc vtraque elementa est? An vna quædam species ex elementis congredientibus nata? Si vtraque ergo quisquis syllabam hanc, so, nouit, vtraque elementa nouit. Interrogatusque quid est so, s, & o, respondebit. Etsi s, & o ignorabit, so, numquam cognoscet. Nam qui vtrunque nescit, nescit & ambo. Impossibile igitur est ignoratis elementis composita nosse. Sed dicet fortè aliquis, syllabam, & vnam quanque speciem, non elementa, sed vnũ quiddam præter illa existere. Quem Socrates sic interrogat. Vtrum species hæc, & syllaba partes habeat nec ne. Si habet, totum quoddam est, & omne. Totum verò, & omne, nihil aliud est quàm partes omnes, quod in numeris patet, etenim totus numerus, nihil aliud est quàm omnes quas continet vnitates, atque ita species hæc constabit ex partibus, & partes eo ipso quod erunt totius erunt. Sicut ergo nota species, ita & elemẽta cognita. Nã si speciẽ noscit, totũ & omne noscit. Si totũ & om-

ne, nullam ipsi ex partibus eius deesse cognoscit. Ergo singulas scit partes habere, singulas itaque noscit, quas si ignorarit, vtrum omnes adsint, nec ne, Scire non poterit. Impossibile igitur ignoratis elementis speciem noscere. At si quis dixerit speciem ipsam vnam partes nullas habere, ex eo quod elementa quibus constat, partes eius non sunt, sequitur vt simplex, & impartibilis sit. Quare sicut elementum quia simplex, ignotum dictum fuit, ita & species ipsa quia simplex, ignota esse dicetur. Ideoque nullo modo fieri potest, vt ignoratis elementis, species, quæ ex his fiunt, noscantur. Quod ex eo quoque perspicue patet, quod in singulis artibus fundamentum cuiusque artis intelligendum est, elementa rerum ipsarum, de quibus ars ipsa agit, comprehendere. Alioquin labor omnis est irritus. Hoc denique confutato, Socrates iam principalem propositionis partem refellere incipit, vbi dicebatur, Scientiam esse opinionem veram cum ratione. Tria enim rationis nomine significari possunt, aut oratio, aut per elementa rei discursus, aut definitio. Si primum, omnis opinio scientia erit. Siue enim vera seu falsa opinetur, quod sentimus sermone proferre valemus, ergo ratione opinabitur, etiam qui falsa opinabitur. Si secundum, quotiens quis per elementa discurret, scire dicetur. Id verò idcirco falsum est, quia elementa discurrendo transponere potest, ordinemque peruertere, & elementum vnius rei in aliam quandam referre, & vni elementum alterius accommodare. Qui verò ista confudit, scire non est dicendus. Si tertium, id est, definitionem intelligit, & scientiam vocat opinionem veram cum definitione, sic contra illam argumentamur. Definitio interpretatio differentiæ est: ideo quicunque definit, præter rei cõmunia, differentiam propriam assignat. Sed qui Socratem vere, & Theætetum opinatur, vtrum differentias opinando Socratis, & Theæteti percipit, nec ne? Si nõ percipit, nec vere opinatur. Nuuquam enim alterum ab altero vere distinguerem, nisi differentias vtriusque dignoscerẽ. Ergo eo ipso quo vere opinatur, differentias callet. Quare nihil opus est præter opinionem veram, addere rationem, id est, differentiæ rationem. Verum dicet fortè quispiam, in ipsa opinione sensum quendam imaginationemque differentię includi, potius quàm certam differentiæ naturalis intelligentiam: ideoque addendum in scientiæ definitione, differentiæ intelligentiam. Contra hunc ita Socrates argumentatur. Absurda profecto definitio est, qua idem per idem describitur. Cum verò dicimus scientiam esse opinionem veram cum ratione, id est, cum differentia intelligentia, scientiam per scientiam definimus. Nam intelligentia differentiæ, differentiæ, sciẽtio est, vnde scientia erit opinio vera cum scientia differentiæ, quod dictu ridiculum est. Ex his omnibus iam falsæ sophistarum definitiones redargutæ sunt. Prima, quæ dicebat scientiam esse singulas quæ discũrur facultates: secunda, quæ scientiam esse sensum: tertia, scientiam esse opinionẽ veram: quarta, scientiam esse opinionem veram cum sermonis prolatione: quinta, opinionem veram cum discursu per elemẽta: sexta, opinionem veram cum differentiæ imaginatione: septima, opinionem veram cum scientia differentiæ. His denique redargutis videndum est quid Plato doceat, quippe in sexto lib. de repub. Brontinum, & Archytam Pythogoricos imitatus, duo rerum genera ponit, intelligibile scilicet, & sensibile. Illud stabile & incorporeum, hoc mobile corporeumque. Viam ad illud noscendum rationem vocat, viam ad hoc sensuum notionem communem illius, intelligentiam, huius, opinionem. Sed vtrunque genus bifariam diuidit. Vult enim esse intelligibile primũ & secundum, in eo ideas, id est diuinæ mentis species motionesque, & mentes alias, & animas contineri, in hoc numeros, & figuras. Numeri quippe & figuræ quamuis incorporalia sint, tamen quia diuisionem aliquam suscipiunt, non pari dignitate qua impartibiles substantiæ censenda sunt. Illorum cognitionem proprio nomine intellectum, horum cogitationem intellectualem vocat. Sẽsibile quoque pari diuisione partitur, in primum scilicet, & secundum. In primo locat corpora omnia corporeaque. In secundo vmbras, & imagines corporum, siue in aqua, siue in speculis appareant. Et eas ita se habere ad corpora, vt mathematica ad diuina existimat. Perceptionem corporum, credulitatem proprie nominat, vmbram, imaginationem. Deinde circa vmbras corporum, vel corpora, vel mathematica, scientiam esse negat, sed in solo intellectu diuinorum eam locat. Quod & in hoc dialogo significauit in principio, cum scientiam & sapientiam idem esse proponeret. Nam sapientiam esse diuinorum contemplationem vbique testatur. Quod verò differat intellectus ipse, id est scientia ab opinione, in libro de natura his verbis ostendit. Si intellectus veraque opinio duæ res sunt, necesse est ideas per semet intellectu potius quã sensu cõprehendi. Sin verò vt quibusdam videtur, vera opinio ab intel-

lectu nihil differt, omnia quæ corporea sentimus, certa habenda sunt. Sed opinor duo esse dicenda, propterea quod vtraque magna differentia distant, quippe quorum alterum doctrina nobis insinuat, alterum persuasionis assumptio. Alterum quidem semper cum ratione vera, porro sine vlla ratione alterum eorum. Alterū nulla ratione traducibile, alterum nutans incertumque Quid quod rectæ opinionis omnis homo particeps? Intellectus autem Dei proprius, & paucorum admodum electorum hominum? Eadem fermè in Menone Philebōq; testatur. Quid ergo scientia est? diuinorū rerum certa ratione comprehensio. Hæc intellectu, primo ac semper. In ratione secundo, nec semper. Nam ratio cum inter intellectum opinionemque media sit, quoties ad inferiora porrigitur, opinionis repletur erroribus, & diuina cogitare desistit. Cum verò ad mentem sui ducem cōuertitur, diuinorum cognitionem haurit, quam proprio nomine in mente sapientiā, in ratione reminiscentiam Plato nuncupat. Et ideo de obstetricia facultate per quam reminiscimur, hoc in dialogo disputauit, vt non modo quid scientia sit, verum etiam quomodo acquiratur intelligeremus. Imò & vnde sit & per quem, explicauit dum diceret Socratem Dei iussu obstetricio munere fungi. Est ergo scientia, diuinorum certa ratione comprehensio, in mente residens, in rationem profluens, à Deo menti inserta, à dialectico præceptore in rationem Deo aspirante reducta, rationem in mentem dirigens, mentem cum diuinitate coniungens.

In Platonis Ionem, vel de furore poëtico, ad Laurentium Medicem virum magnanimum Epitome.

Plato noster, optime Laurenti, furorem in Phædro, mentis alienationem definit. Alienationis autem duo genera tradit. Vnam ab humanis morbis, alteram à Deo prouenientem. Insaniam illam, hāc diuinum furorem nuncupat. Insania infra hominis speciem homo deiicitur, & ex homine brutum quodammodo redditur. Diuino furore supra hominis naturam erigitur, & in Deum transit. Est autem furor diuinus, illustratio rationalis animæ, per quā Deus animam à superis delapsam ad inferas, ab inferis ad superas retrahit. Lapsus animæ ab ipso vno rerum omnium principio ad corpora, per quatuor gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionem, atque naturam. Nam cum in omni rerum ordine sex gradus existant, quorum summum tenet ipsum vnum infimum corpus, media verò sint quatuor quæ produximus, necesse est quicquid a primo ad vltimum labitur, quatuor per media cadere. Ipsum vnum rerum omnium terminus, & mensura, infinitatis & multitudinis. Mens multitudo quidem, sed stabilis & æterna. Ratio, multitudo mobilis, sed finita. Opinio, multitudo mobilis infinita, sed substantia punctisque vnita. Natura similiter, nisi quod per corporis puncta diffunditur. Corpus autem infinita multitudo subiecta motui, & substantia punctis momentisque diuisa. Hæc omnia respicit anima nostra, per hæc descendit, per hæc & ascendit. Vt enim ab ipso vno quod omnium principiū est, producitur, vnitatem quandam sortita est, quæ omnem essentiam eius, vires, actionesque vnit, à qua, & ad quam, ita cætera quæ in anima sunt, se habent, sicut à centro, & ad centrum circuli lineæ. Vnit verò non modo animæ partes inuicem, & ad totam animam, sed animam totam ad ipsum vnum, rerum omnium causam. Vt autem à mente diuina dependet, rerum omnium ideas per mentem actu stabili contemplatur. Vt seipsam respicit, rationes rerū vniuersales cogitat, & à principiis ad conclusiones ratione discurrit. Vt corpus respicit, particulares rerum mobilium formas opinione concipit, easque percurrit. Vt materiam attingit, natura velut instrumento vtitur, quo vnit materiam, mouet, & format, vnde penetrationes, augmenta, eorūque contraria proficiscuntur. Cernis igitur quod ab vno quod super æternitatem, in æternam multitudinem labitur, ab æternitate in tempus, à tempore in locum atq; materiam. quare sicut per quatuor descendit gradus, per quatuor ascendat necesse est. Furor autem diuinus est qui ad superna conuertit, vt in eius definitione consistit. Quatuor ergo species diuini furoris existunt, primus quidem poëticus furor, alter mysterialis, tertius vaticinium, quartus amatorius affectus. Est autem poësis à Musis, mysterium à Dionysio, vaticinium ab Apolline, amor à Venere. Redire quippe ad vnum animus nequit, nisi vt ipse vnum efficiatur. Multa verò effectus, est lapsus in corpus, in operationes varias distributus, respiciensq; ad singula. Ex quo partes eius superiores penè obdormiūt, inferiores aliis dominātur, illę corpore, hæ perturbatione afficiuntur, totus verò animus discordia & incōcinnitate repletur. Poëtico ergo furore in primis opus est, qui per Musicos tonos quæ torpent suscitet, per harmoniacam suauitatem quæ turbantur, mulceat, per diuersorum denique consonantiam dissonantem pellat discordiā, variasq; par-

tes animi temperet, neque satis hoc est. Multitudo enim adhuc in animo restat. Accedit ergo mysterium quod expiationibus sacrisque, & omni deorum cultu, omnium partium intentionem, in mentem, qua Deus colitur, dirigit. Vnde cum singulæ animi partes ad vnam mentem redactæ sint, iam totum quoddam vnum ex pluribus factus est animus. Tertiò verò adhuc opus est furore, qui mentem ad vnitatem ipsam animæ caput reducat. Hoc Apollo per vaticinium efficit. Nam cum anima supra mentem in vnitatem surgit, futura præsagit. Demum cum anima vnum facta est, vnum inquam quod in ipsa essentia animæ inest, restat vt illico in vnum quod est super essentiam, conuertatur. Hoc cœlestis ipsa Venus per amorem, hoc est, diuinæ pulchritudinis desiderium, bonique ardorem explet. Primus itaque furor inconcinna & dissonantia temperat, secundus temperata, vnum totum ex partibus efficit, tertius vnum totum supra partes, quartus in vnum quod super essentiam & totum est, ducit. Primus bonum equum, id est rationem opinionemque, à malo equo, id est à Phantasia confusa & natura, distinguit. Secundus malum equũ bono, bonum aurigæ, id est menti subiicit. Tertius aurigam in caput suum, id est in vnitatem mentis apicem dirigit. Postremus caput aurigæ, in caput rerum omnium vertit, vbi auriga beatus est, & ad præsepe, id est diuinam pulchritudinem sistens equos, obiicit illis ambrosiam, & super ipsam nectar potandum, id est visionem pulchritudinis, & ex visione lætitiam. Hæc quatuor furorum opera sunt, de quibus generatim in Phædro Plato disputat, propriè verò de furore postremo, id est amore, in Sympoſio, de primo, hoc est furore poëtico, in præsenti dialogo qui Io inscribitur, quem in Phædro ita definit, Poëticus furor est occupatio quædam à Musis, quæ sortita lenem & insuperabilem animam, exuscitat eam atque exagitat per cantilenas aliamque poësim, ad genus hominum instruendum. Occupatio significat raptum animæ & conuersionem in Musarum numina. Lenem dicit quasi agilem à Musisque formabilem, nisi enim præparata sit, non occupatur. Insuperabilem, quia postquàm rapta est, superat omnia, & à nulla rerum inferiorum inquinari, vel superari potest. Exuscitat è somno corporis ad vigiliam mẽtis, ex ignorantiæ tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex obliuione lethæa ad diuinorum reminiscentiam reuocat, exagitat, stimulat, & inflammat ad ea quæ contemplatur & præsagit carminibus exprimenda. Post definitionem addit, eũ qui sine furore Musarum poëticas ad fores accedit, inanem esse ipsum atque eius poësim, quasi tanti sit poësis, vt absque summo Dei fauore comparari nequeat. Eadem in Ione hoc tradit, & vnde sit hic furor, & per quod descendat gradus edocet. Inquit autem in libro quarto de legibus Plato, Deum, fortunam, & artem, humanè omnia gubernare. quo fit vt poesis vel Dei donum sit, vel fortunæ sors, vel artis opus. quid istorum potissimum verum sit, Socrates cũ Ione Rhapsodo perquirit. Rhapsodus autem hoc in libro significat recitatorem, interpretemque & cantorem carminum. Interpretabatur Io Homeri carmina, & coram populo ad lyram canebat, atque ita erat affectus, vt alium poëtam nullum præter Homerum exponeret, etiamsi eadem qua Homerus facilitate referret. Homeri autem omnia celeriter explicabat. Vnde sic argumentatus est. Aut casu profert io quæ scribit Homerus, aut arte, aut afflatu diuino. Non casu, quia non omnia, sed pauca quædã, & absque continuatione ordineq; interpretaretur. Nõ arte, quia quisquis artẽ integrã habet, quicquid eidẽ arti subiectũ est, iudicat. idẽ verò studio poetico subiecta sunt Hesiodi aliorumque poëmata, cui Homeri, præsertim quæ de eisdem tractãt, quæ tamen Io non percipit, cum Homerũ perfecte exponat. Ergo non arte iudicat. Restat vt inspiratione diuina. Ex qua patet, quod interpres poëtæ io, & alii multi qui similiter affecti sunt, diuino instinctu alienam pœsim interpretantur. Quod si ad percipiendã pœsim iam traditam, humanũ ingenium non sufficit, multo minus ad inuentionem sufficiet. Quare nec Homerus, nec alius quiuis reuera poeta, absq; cœlesti afflatu poesim consecuti sunt. quod & aliis modis Socrates hic ostẽdit. Primo sic. Omnes artes & scientias poetę tradunt, sed omnes didicisse humano studio impossibile est, cum vnicam ex parte percipere sit difficilimum. Non igitur arte humana, sed diuina quadam infusione proferunt. Cuius rei argumentum est, quod plerique vates postquam furoris remissus est impetus, quæ scripserunt, non statim intelligunt, cum tamen recte de singulis artib. in furore tractauerint, quod singuli illarum opifices legendo diiudicant. Præterea sæpe videmus rudem hominem, & ineptũ subito in poetam bonum euadere, & aliquid magnificũ diuinumque cantare. Magna verò in momento assequi, non humani ingenii est, sed diuinitus inspirati. Qua in re perspicuo Deus ostendit, nutu suo intelligentiam

hanc infundi. Vtque ita esse demonstret, sæpe ineptos quosdam potius quàm vrbanos, insanos potius, quàm prudentes rapit, ne si acutis prudentibusque viris ad hæc vteretur, humana subtilitate & industria fieri hæc existimarentur. Cum ergo non sit à fortuna, nec ab arte poesis, Deo, & Musis tribuitur. Cum Deum dicit, Apollinem significat, cum Musas, sphærarum mundi animas. Iupiter quidem mens Dei est, ab hac Apollo, mens animæ mundi, & anima totius mundi, octoque sphærarum cœlestium animæ, quæ nouem Musæ vocantur, quia dum cœlos harmonice mouent, musicam pariunt melodiam, quæ in nouem distributa sonos, octo scilicet sphærarum tonos, & vnum omnium concentũ, nouem Sirenes Deo canentes producit. Quamobrem ab Ioue Apollo, & Musæ ab Apolline, id est, mente animæ mundi, chorus Musarum ducitur, quia mens illa sicut ab Ioue illustratur, sic animas mundi sphærarũque illustrat. Gradus autẽ quibus furor ille descendit, hi sunt, Iupiter rapit Apollinẽ, Apollo illuminat Musas. Musæ suscitant & exagitant lenes & insuperabiles vatum animas. Vates inspirati interpretes suos inspirant. Interpretes auditores mouent. Ab aliis verò Musis aliæ animæ rapiuntur, quia & aliis sphæris sideribusque aliæ attributæ sunt animæ, vt in Timæo traditur. Calliope Musa vox est, ex omnibus sultans sphærarum vocibus. Vrania, cœli stelliferi, per dignitatem sic dicta. Polymnia Saturni, propter memoriam rerum antiquarum quam Saturnia exhibet, & siccam frigidamque complexionem. Terpsichore, Iouis, salutifer enim choro hominum. Clio Martis, propter gloriæ cupiditatem. Melpomene Solis, quia totius mundi temperatio est. Erato Veneris, propter amorem. Euterpe Mercurii, propter honestam in grauibus rebus delectationem. Thalia Lunæ, propter viriditatem eius humore rebus exhibitam. Apollo item est anima, lyra eius solis corpus, nerui quatuor, motus eius quatuor, annus, menstruus, diurnus, obliquus, quatuor voces, Neates, hypates, doriones, gemini, quatuor sunt signorũ triplicitates, ex quibus quatuor qualitates temporum producuntur. Orpheum quidem afflauit Calliope, Musæum Vrania, Homerum Clio, Polymnia Pindarum, Erato Sapphon, Melpomene Thamyram, Terpsichore Hesiodum, Thalia Maronẽ, Nasonem Euterpe. Linum rapuit idem qui & te iam nunc exagitat Phœbus, optime Laurenti, Phœbus inquam qui auo tuo Cosmo vaticinium dedit, parenti autem Petro arcum atque medelas; tibi denique lyram & carmina.



PRAEFATIO IN PLATONIS
Sophistam secundum Proclum à Marsilio Ficino translata.



OPHISTAM Plato vocat non hominem quendam solum, sed etiam amorem, Plutonem, Iouem, & artem sophisticam præclarissimam dicit, ex quibus intelligimus quod nobilius subiectum quàm appareat hic dialogus respicit. Est enim intentio secundum magnum Iamblichum de sublunari opifice tractare. Nam est idolorum fictor, purificator animarum, à contrariis rationibus semper separans, transmutator, & iuuenum diuitum mercenarius venator. Dum animas suscipit plenas rationibus à superis venientes, mercedem ab illis accipit, ipsam animalium fabricam, qua fit secundum mortalium rationem. Hic ei quod non est incumbit, quia qua sunt in materia gignit. Et quod reuera falsum est, diligit, id materiam. Simul autem in id quod verum reuera est, respicit. Est & multiceps, quoniam sibi essentias vitasque, multas vendicauit, per quas varietatem generationis ipse disponit. Idem quoque magus est generatione, dum animas naturalibus rationibus mulcet, & allicit, adeo vt ægre à generatione amoueantur. Quinetiam & amor magus, & natura maga à nonnullis dicitur, propter reciprocos attractus atque illecebras qua secundum naturam procedunt. Hunc igitur omnifariam Sophistam declarare vult. Etenim Philosophus Sophista est, quippe cum cælestem opificem, & generationis opificem imitetur. Et distinctiua facultas progressum rerum ab vno imitatur, & generationis opifex cœlestem opificem, quare Sophista est. Atqui & ipse homo Sophista, quia magna imitatur, Sophista dicitur. Et idcirco Sophistam multiplicem appellauit. Eleates hospes repræsentat Patrem opificum, supercælestem & absolutum. Auditores autem opificis intelligentias. Ille quidem Iouis, hic naturæ Angelicæ tanquam interpretator ac geometricus. Et quoniam opificium ab imperfecto incipiens in perfectum desinit, hospes ille primum cum Theodoro, deinde per conuersionem cum proprio Socrate versatur. Hactenus Procli, deinceps Marsilij.



MARSILII FICINI
COMMENTARIA ET ARGVMENTA in Platonis Sophistam.

Argumentum Marsilij.

POST Theætetum de scientia, legendus est Sophista de ipso ente, quod scientiæ est obiectum. Dum vero in Sophista de ente differitur circa quod versatur Philosophus, tractatur interim de non ente, ad quod sophista declinat. Apud Pythagoram & Platonem sophus, id est sapiens, solus est Deus. Philosophus autem verus imitator Dei. Sophista ambitiosus & fallax Philosophi æmulator. Sex Plato Sophistæ definitiones adducit. Quoniam vero definitio haberi absque diuisione non potest, per quam ab ipsa re definienda quæ ipsius non sunt separentur, genusque ipsius per differentias diuidatur, ex quibus tandem simul & genere componantur species atque definiatur, idcirco Plato Sophistam definiturus, exactissimas primum partitiones excogitat, admonens, neminem omnino latentem rei cuiusque naturam discernere posse, nisi eam penitus ab aliena qualitate secreuerit. Proinde entis atque non entis descriptiones pro viribus effert, atque ens, quemadmodum & in Parmenide, subiicit vni. Entis quinque numerat genera, essentiam, idem, & alterum, statumque & motum. Docet veram quidem essentiam rebus incorporeis conuenire, imaginariam verò corporeis. Eos præterea qui incorporea negant, admodum detestatur, eos insuper qui vel omnia moueri solum, vel solum manere putant. Item de scientia atque de opinione & oratione vera vel falsa, de verbo & nomine disputat, quatenus ad entis ipsius disputationem pertinere videtur. Demum postquam de Sophista simul ac Philosopho disputauit, diuina quadam librum concludit sententia, videlicet res naturales, opera esse Dei. Siquidem omnia naturæ opera à diuina quadam sapientia mundo infusa, probauerat proficisci. Res autem vmbratiles & fallaces, ait dæmonicas esse præstigias. Ibidem & sophistam nobis occultum esse inquit, tanquam non entis, id est, tenebris inuolutum, & Philosophum pariter occultum esse, quamuis alia ratione, quia videlicet entis ipsius, id est diuinæ veritatis splendore vndique circumfusus, vulgarium intuitum animorum prorsus ex superet.

MARSILII FICINI
FLORENTINI
distinctiones & summmæ capitum in Sophista.

Introductio ad Dialogum.

CAPVT I.

VEnimus ô Socrates, &c.] Theodorus, Theætetusque ad Socratem ducunt Melissum Eleatem, Pythagoricum Philosophum, Philosophorum genus esse diuinum asseritur, & id quidem ignotum vulgo. Quæritur præterea, vtrum & quomodo Philosophus & Sophista ciuilisque distinguantur.

Dispositio Dialogi.
CAPVT II.

Probe loquaris, &c.] Melissus recipit se tractaturum de vera illorum trium distinctione, sed in primis de ipsa definitione Sophistæ: Admonet inter ea magna difficiliaque ex quadam minorum faciliorumque comparatione diligenter inuestiganda.

Prima artium diuisio.
CAPVT III.

Age hinc, &c.] Cum comparauisset Sophistam piscatori præsertim, per hamum artes iam diuidit, ipsumque artium genus in artem efficienté, & acquirentem. Acquirens diuiditur in commutationem, & mancipationem. Mancipatio altera patens, scilicet certatoria, altera latens, scilicet venatoria.

Secunda artium diuisio.
CAPVT IIII.

Venatoriam quoque, &c.] Venatoria, est duplex: Altera inanimata captat, altera animata, quæ rursus est gemina, altera venatur gressibilia, altera agilia, agilium venatio duplex, aucupium & piscatio, piscatio vel retinaculis, vel percussione capit. Quæ percutit, aut quasi tridente, vel simili quodam vtitur, aut hamo.

Diuisio tertia.
CAPVT V.

At qui secundum, &c.] Sophista similis est illi qui piscatur hamo. Item venatio fit vel terra, vel aqua, quæ terra, vel agrestia venatur, vel domestica: Sophista inter domestica hominem captat non vi, sed persuasione dum virtutem mercede promittit. Iuuenesque, diuites eiusmodi pollicitationibus suis illaqueat.

Descriptio Sophistæ.
CAPVT VI.

Præterea hoc modo, &c.] Sophista est mercator quidam, qui disputationes, disciplinasque morum, eo consilio passim accumulat, vt mercede quædam commutet, atque vendat.

Sophistæ descriptio.
CAPVT VII.

Videamus iterum, &c.] Sophista est auarus quidam artifex, qui quæstus gratia priuata litigia tractat, & docet, artemque contradictoriam profitetur.

Quarta artium diuisio.
CAPVT VIII.

Cernis verum, &c.] Sophista est animal variũ, difficile que comprehenditur, ars discretoria duplex, vna quidem secernit à simili, altera deterius à meliore. Hæc igitur altera purgatio nominatur, est autem duplex, vna quidem purgat corpus, altera animam: Quæ corpus, rursus vel inanimatum, vel animatum, si animatum gymnastica, & medicina balneatrixque vocatur. Si inanimatum, fullonia similisque, si animam, disciplina rationalis,

Ignorantia similis deformitati, prauitas morbo.
CAPVT IX.

Egregie loqueris, &c.] Sicut in corpore malum est duplex, deformitas scilicet in membris externis, morbusque in humoribus, sic enim in anima duæ sunt species prauitatis, in parte quidem cogitatiua est ignorantia, quæ est turpitudo deformitati persimilis, in parte autem affectiua est improbitas quasi morbus quidam: & sicut circa corpus aduersus deformitatem est gymnastica, contra morbum medicina, ita circa animum, aduersus ignorantiam est doctrina, aduersus improbitatem iudicialis animaduersio.

Ignorantia duplex.
CAPVT X.

Doctrinam vero vtrum, &c.] Ignorantia est gemina, altera quidem simplex, altera vero duplex. quando scilicet aliquis quæ nescit scire se putat, nominatur inscitia. Illi quidem opponitur artium doctrina, huic autem redargutoria disciplina. Disciplina enim duplex, altera quidem educatio, & admonitio lenis, altera seuerior castigatio atque redargutio, aduersus eos scilicet qui nescire se nesciunt. Redargutori autem eiusmodi similis est Sophista, sed à similitudine cauendum, nam maxˢ mè fallit.

Sex Sophistæ definitiones.
CAPVT XI.

Lubricum porro, &c.] Prima Sophistæ definitio, venator iuuenum diuitum, mercenarius. Secunda, mercator quidam circa animi doctrinas. Tertia, circa easdem caupo. Quarta, venditor suorum circa doctrinas inuentorum. Quinta, certator quidam circa sermones, artificiosusque litigator. Sexta, purgator quidam apparet animæ dum videntur opiniones, quæ doctrinis impedimento sint, extirpatæ.

Professio Sophistæ.
CAPVT XII.

Nunquid aduertis, &c.] Sophista profitetur in primis artem contradictoriam exercere, atque docere, per quam omnia trahantur in controuersiam.

Sophista opinione nititur non scientia.
CAPVT XIII.

Tum vero, &c.] Sophista cum in omnibus strenue contradicat, atque passim doceat, videtur quidem scire omnia. Cum vero omnia scire non possit, opinionem habet circa omnia potius quam scientiam.

Descriptio Sophistæ.
CAPVT XIIII.

Ponamus ergo, &c.] Sophista est præstigiator quidam & imitator, qui omnium verorum fallaces imagines quasdam sermonibus fingens, ita ferme decipit imperitorum aures, sicut pictor, aut sculptor summus animalia quædam imitans, eminus fallit oculos puerorum, periti vero tanquam cominus inspicientes, fallacias vtriusque deprehendunt.

Imitationis species duæ.
CAPVT XV.

Deinceps cauendum, &c.] Duæ sunt imitationis species, altera quidem rem veram spectans atque hanc ipsam velut exemplar sibi proponens, similitudines efficit, vt pictor atque similes: Altera vero rem ipsam veram nondum intuita, conatur eius imagines fabricare: Machinatur vero phantasmata, quæ apparent fortè similia veris, neque sunt reuera similia: hac in parte Sophista ponendus.

Vtrum quicquid imaginamur, sit verum.
CAPVT XVI.

Nunquid ipsum, &c.] Qui opinatur vel loquitur aliquid, videtur aliquod quodammodo ens opinari, vel loqui, Ergo & aliquod quodammodo verum. Dubium est igitur, an rectè dicatur aliquem opinari, vel loqui falsum atque non ens. Præsertim quia quod apparet nobis, & quasi imaginationi se obijcit, videtur vim

aliquam essentiamque habere, ipsum vero simpliciter nihilum, (vt inquit Parmenides,) nullo modo vllam habet essentiam.

Ens aliquid, vnum aliquid, simpliciter vnum.

CAPVT XVII.

Ita prorsus, &c.] Hoc nomen non ens non potest significare ens. Ergo nec aliquid, & aliquid vnum. Hoc enim nomen aliquid significat ens aliquid, & aliquid vnum. Nota has tres dictiones, aliquid, & vnum aliquid, idem significare inuicemque conuerti. Itaque vnum aliquid conuerti cum ente. Non tamen ipsum simpliciter vnum. Vbi ergo dicitur, hoc ipsum aliquid esse signum vnius, ne intelligas ipsius simpliciter vnius, sed alicuius vnius, scilicet vnius entis. Nam ens vnum est aliquid vnum: Sed de his atque sequentibus in commentariis in Parmenidem diligentius agimus.

Ens non ens, numerus, imaginatio non entis ambigua.

CAPVT XVIII.

Non dum, &c.] Neque ipsum simpliciter non ens, debet dici esse. Neque quod quodammodo quidem ens, quodammodo vero non ens dicitur, dici debet ens eadem ratione qua non ens. Cum vero simul cum primo ente primus numerus oriatur, maximeque ad essentiam, numerus ipse pertineat, in genere vero numeri sit & eius vnum, & multitudo eius, sequitur vt non enti non conueniat vel vnum numerale, vel multitudo, sicut nec essentia competit. Non possumus igitur de non ente rectè cogitare, vel loqui, siquidem cogimur ei præter rationem vel vnum, vel multitudinem applicare. Item siue dixeris non ens esse opinabile, vel dicibile interea confiteberis esse, siue dixeris incogitabile, & ineffabile esse, interim esse similiter cõfiteberis. Siue dixerimus, hoc ipsum non ens, vnam sibi certam speciem assignabimus. Quod dicitur ridiculum. Sed reuera, quando dicimus, si non ens est opinabile, ergo est, intelligere debemus aliquo modo esse, scilicet in ipsa opinione duntaxat, sed non propterea simpliciter est, quoniam opinio non fingit, non ens esse sed non esse iudicat. Denique sicut priuationem non possumus absque habitu cogitare, ita neque non ens absque ente considerare vel loqui.

Sermo de non ente ambiguus.

CAPVT XIX.

De me igitur, &c.] Sophista circa non ens versatur in tenebris, & arte quadam phantastica ponens, non res quidem ipsas veras inspicit, sed simulachra quædam earum apparentia fingit. De his autem difficillimũ est rectè, & absque repugnantia loqui, quoniam ens, atque verum inuicem conuertuntur, & ens cum non ente miris modis videtur implicitum. Si ergo dixerimus, simulachrum simile, quiddam est vero, & enti, neque tamen est verum, aut ens, cogemur ex modo loquendi, quasi contraria dicere. Dum enim dicimus esse simile vero, & esse aliud quiddam præter illud, interim dicimus esse; ergo & esse aliquid verum, id est imaginem veram atque vere imaginem esse. Dum vero dicimus, non esse verũ, cõfitemur quoque non esse, siquidem & verũ cum ente, & falsum cum non ente conuertitur.

Opinio de non ente ambigua.

CAPVT XX.

Qua ratione eius, &c.] Sophista est versutus falsarum opinionum disseminator. Falsa vero opinari putatur, qui vel ea quæ sunt, non esse, vel quæ non sunt, esse putat. Ambigitur autem vtrũ possit quispiam opinari omnino non ens, penitusque falsum: Quippe cum in ipsa eius opinione comprehendatur aliquid, quod antea sensus nouerat, & præterea vnum quiddam concipiatur inuentum, quod forsan non prorsus ab ente cadit, atque vero, denique nescio quomodo semper cogimur nonnihil entis cum non ente miscere, alioquin excogitare non licet.

Quomodo ens, cum non ente misceatur.

CAPVT XXI.

Rectè in memoriam, &c.] Melissus dum Sophistam detinere, & improbare contendit, in dubitationes plurimas incidit, cogiturque Parmenidis diuini præceptoris dictum examinare: Cuius sensum quidem non redarguit, sed clam verba declarat, Parmenides, prohibuit ens cum non ente miscere, id est, cum puro nihilo, prohibuit etiam affirmare aliquid eadem ratione ens atq; non ens: Ipse tamen apud Platonem de vno disputans affirmat aliquid, aliquo modo non esse, ratione diuersa. Id quidem Melissus accipit: Cogitur enim ita ens cum non ente miscere, siquidem confiteatur esse opiniones falsas, atque phantasmata, quod quidem Parmenidis sui sententiæ non repugnat.

Opiniones de ente atque principiis.

CAPVT XXII.

Facili disputatione, &c.] Antiqui materiam de ente leuiter attigere, poëticisque figmentis adumbrauerunt, alij, vt forsan Tales, tria entia prima posuerunt, Calidum, frigidumque extrema, medium vero humidum; quod quandoque extrema conciliat, quandoque minime, siccum vero in ordine principij non locauerunt: contingere enim putabant, vel humoris priuatione, vel eiusdem concretione. Anaxagorici autem elementa quatuor affirmabant, duo quidem, scilicet calorem, & frigus vt agentia, vno vero siccitatem, & humorem, vt patientia, alij horum duo tantum Heraclitus, & Empedocles vnã vniuersi materiam posuerunt, qualitates vero diuersas, quibus aliquando consonet, aliquando dissonet: Sed Heraclitus hunc mundi habitum vnà cum discordi quadam concordia fermè semper esse consimilem, quamuis non prorsus eundem. Omnia enim iugiter fluitare: Empedocles autem eandem permanere substantiam, sed alio quidem seculo propter summam discordiam in Chaos omnia solui, alio propter concordiam exordinari. Hactenus Physici, Metaphysici vero, vt Pythagorici, hæc quidem dimiserunt, vt non vere entia. Primum vero ens, vt vnum cætera comprehendens considerauerunt. Denique non ens naturaliter est ignotum, ens quoque hactenus fermè pariter est incognitum.

De ente & vno rationis ente.

CAPVT XXIII.

De multis quidem, &c.] Inter elementa vel genera superius enarrata, ens est amplissimum atque primum. Non tamen propter primum rerũ principium, quod nec elementum nec genus est, videtur ens appellandum. Siquidem in primo ente oppositiones generum collocat, & differentias idearum, Quæ à primo, id est, ab ipso vno, segregat in Parmenide, præsertim quia hic ens vel primum cum non ente commiscet. Ipsum vero vnum in Parmenide misceri prohibet cum

non vno, vnum ergo iudicat primo ente simplicius atque superius: Præterea supponit quasi concessum ab illis vnam esse rationem entis in entibus. Itaque sic argumentatur. Calorem dicitis esse & frigus esse, quid igitur est hoc esse commune. Si quid tertium præter illa, sequitur vt plura genera sint quam duo. Sin alterum è duobus, pura calor, iam ratio essendi, atque calendi eadem, igitur frigori non competit esse. Similiter si dicatur rationem entis eandem esse atque frigoris rationem, calori non conueniet esse, si denique dixerint ambo sic ens esse vt vtriusque ratio sit ipsa ratio entis: siquidem hæc vbique sit vnum, non duo iam erunt illa, sed vnum.

Entia plura præter ens vnum.

CAPVT XXIIII.

Quid ad eos, &c.] Dictum illud Pythagoricum, præcipueque Parmenidis, scilicet ens omne vnum esse, quidam sic acceperunt, vt quicquid vsquam entis est, sit penitus vnum numero absque vlla entis multiplicitate. Contra peruersam interpretationem eiusmodi Melissus argumentatur: Siue ens, & vnum sit prorsus idem siue diuersum, omnino duo hæc nomina sunt, scilicet ens & vnum: Nomina vero sunt entia quædam. Igitur sunt entia plura, præsertim quia nomen est ab ipsa re diuersum, & vtraque sunt entia. Nisi enim nomen sit ab ipsa re diuersum, sequetur, vt nomen sit nominis nomen, vnicumque sit nomen sui ipsius nomen, resque ipsa non sit nisi nominetur alicubi.

De primo ente vno, & de superiore vno.

CAPVT XXV.

Quid porro, &c.] Verum nunc Parmenidis sensum tangit, excogitaunt ille ex hac sensibili sphæra sphæram intelligibilem, mundi huius exemplar. Illudque appellauit ens primum atque omne, quomodo vero ipsum circulare sit, & multiplex simileque sibimet, & æquale: & quod ibi centrum, quidue circunferentia, diximus in Parmenide: Melissus ita ratiocinatur, hoc ipsum ens intelligibile, & si vnum est essentia, essentialibus tamen viribus atque formis est multiplex. Igitur super hoc vnum multitudini mixtum, vnumque participatione factum, extat ipsum simpliciter vnum nullius particeps multitudinis, penes quod nec est multitudo formarum, nec æqualitas, neque similitudo, nec potentia nitens ad actionem, neque actio potentiam exigens. Quemadmodum, & Parmenides ipse de vno disputat. Igitur etsi nihil est primo ente æqualius, nec maius, neque potentius est, tamen excelsius illud quod excogitamus simpliciter vnum.

Ens, & totum idest, superius autem ipsum vnum.

CAPVT XXVI.

Vtrum totum ipsum, &c.] Oportet super quælibet particularia tota ascendere, ad ipsum vniuersale totum. Cum vero quodlibet ens sit aliquid totum, constans saltem ex finito, & infinito, cæterisque consequentibus, merito ipsum simpliciter ens primum est ipsum simpliciter, primumque totum. Origo quidem formatum, ac penitus omniforme. Quoniam igitur ex omniforme, & pariter omni forme nimirum est participatione vnum: Non est ergo ipsum simpliciter vnum, quoniam ipsum simpliciter vnum non potest esse totum, siquidem totum necessario partes habet atque plura quæ ipsum simpliciter vnum habere non potest. Itaque cum ens primum sit totum atque multiplex, patiaturque vnitatem desuper venientem, merito entis atque vnius ratio est diuersa. Vnde concluditur, ens primum esse entia multa. Si quis autem ipsi ens ex eo quod participationem vnius acceperit, dicat non amplius esse totum & vniuersum, sed penitus vnum, etsi hoc iam est confutatum, tamen ita Melissus vlterius instat: Quæro vtrum ipsum totum, & vniuersum extet in rerum natura nec ne? Si extat quidem, sed vt fingitur ab ente seorsum, tunc ipsum ens non habebit in se totalitatem, (vt ita dixerimus) atque vniuersitatem. Igitur ideales formas nullas habebit, quæ primo enti necessariæ iudicantur. Itaque cum seipso, id est, conditione sibi necessaria careat, sequetur, vt quod ipsum ens dicebatur, iam non ens euadat, aut saltem vt plura sint entia prorsusque diuulsa. Cum hic quidem ens, ibi vero totum seorsum esse fingatur, sin autem ipsum totum, & vniuersum nusquam extet, nusquam similiter erit ens ipsum, quod idem est, atque totum & vniuersum: Non solum vero non esset ens, scilicet æternum, sed neque etiam fuisse posset: Quicquid enim efficitur aliunde, habetque & authoris bonum, & proprietatem suam inde degenerantem, est itaque multiplex & totum quiddam. Præsertim quia non esset aliquando factum, nisi fieri potuisset. Ex qua quidem origine potentiam simul cum actu coniungit, & quæ sequuntur. Factum vero iam esse dicitur quando totum iam est absolutum. Itaque quod factum est, necessario est aliquod totum. Quapropter ipso toto sublato, non potest fieri aliquid, vel esse factum. Cessabit igitur æterna simul essentia, ac res qualibet temporalis, quæ dicitur generatio, nisi ipsum totum extat, ac nisi extet ipsum simpliciter vnum, cuius virtute quicquid est, vel sit totum, conficitur ex pluribus vnum. Ex qua quidem conflatione nascitur, vt re vera sit totum. Præterea nisi sit ipsum totum, non erit quantitas vlla, vel in dimensionibus, vel in numeris, vel in aliquibus potentiæ gradibus. Atque si ipsum totum extat, vniuersitas illa intelligibilis, & omniformis atque fœcunda merito & illic essentialium rationum multitudo quam plurima viget, & ab ea velut prægnante entia, passim plurima pariunt. Non debet igitur ens, aut vnum, aut duo tantum poni. Ipsum nanque primum ens est formaliter omnia. Denique cum ad essentiam pertineat, vt sit vnum atque totum, ipsum vero vnum nequeat esse totum, merito vnum est aliud quam ens & simplicius, atque superius.

Qui vere de ente tractauerit, qui non.

CAPVT XXVII.

Sermones quidem, &c.] Pythagorici quidem de ipso ente vero, id est, æterna substantia, omnes ratione vera, & quidem poëtica figura tractabant. Alij autem Philosophi de non vero, id est, de te generabili, tractauerunt: Pythagorici igitur de ente non falsa quidem locuti sunt, sed eorum nonnulli pauca quædam & obscura dixere. Quapropter magnum Parmenidem, & quemlibet Pythagoricum hic explicatum, & absolutum intellige, non confutatum: Physicos confutandos, qui videlicet solum corpoream molem esse essentiam putauerunt, rem nullam in-

corpoream cogitantes quorum qui aduersarij Pythagorici similesque necessaria ratione concludunt, solumque est incorporeum propriumq; intellectus obiectum verum ens existere, quod maxime de ideis disputando confirmant, vt in nostra Theologia paret. Rem vero corpoream, quæ in minima sine fine diuiditur solubilisque est, & continue fluens, non essentiam, sed generationem vocat: Rationem diuinæque qui essentiæ veram ab his solis accipere possumus.

Sola incorporea sunt entia vera.

CAPVT XXVIII.

PRæstare illos, &c.] Contra illos qui solam molem corpoream esse putant, ita Melissus argumentatur: Corpus quod animatum dicitur, atque viuum non per ipsam corpoream molem animatum est, & viuit, Alioquin corpus quodlibet foret viuum, ergo per naturam aliquam incorpoream, per ipsam videlicet animam: Quæ cum sit vbique motrix corporis & alicubi domina, ideoque longe præstantior, merito substantia quædam incorporea iudicatur; Præsertim rationalis anima, quæ conuertatur in se ipsam, quasi per se existens à corpore separabilis atque fit sapientiæ capax: Sapientia vero corporea esse nequit, si quidem ad incorporea surgit, verum de his in Theologia nostra latissime. Isti præterea postquam coacti fuerint præter corpus suspicari aliquid incorporeum, saltem vitam corporis & qualitates animæ, interrogati quid nam sit vtrisque commune, per quod vtraque dicuntur esse, respondebunt ens, scilicet & essentia accipientque vname andemque rationem entis ambobus inesse scilicet incorporeis eiusmodi atque corporibus. Si ab istis iterum perquiratur, quæ nam sit entis vel essetiæ ratio, nihil forte poterunt in præsentia melius respondere, quam essentiam esse primam ipsam agendi quomodolibet, vel patiendi potétiã. Hoc enim necessario inesse videtur solis & cunctis apud eos quomodolibet entibus.

Vera entis ratio in æterno.

CAPVT XXIX.

Ad speciem amicos, &c.] Pythagorici idearum assertores similiter & Platonici non putant, vnam rationem entis inesse rebus æternis pariter atque fluentibus. Quandoquidem nec essentiam quidẽ in his fluentibus nominant, sed generationem, alteram extra controuersiam ab altero secernentes, ideo ens apud illos non procedit vsque ad infima, vnũ vero procedit, vnum igitur ente superius, sed de hoe alibi. Ens summatim sic æ quinoce de stabili instabili dicitur, sicut homo de te tuaq; imagine speculatori. Anima quidem intellectualis communionem habet cum essentia, scilicet æterna substantia, per quam cognoscit eam, sed hæc communio non est potentia vlla inuicem agendi vel patiendi. Neque enim essentia illa mouetur ab anima eam cognoscẽte, neque rursus, anima propriè mouetur ab illa, sed anima nonnunquam ad rationes illius essentiæ ideales sibi congenitas se conuertit, conuersione quadam, & illustratione cognoscit. Omnino vero in substantiis separatis non est potentia quædam procliuis ad actum vlteriorem temporaliter acquirendum, sed actu semper existunt, idcirco definitionem illam essentiæ quæ per potentiam, & agendi & patiendi dabatur in illis suscipere non debemus.

In ratione veri entis, est viuidus quidam motus atque status.

CAPVT XXX.

Quid vero, &c.] Omnis vera, id est, indiuisibilis æternaque essentia habet perfectiones omnes ad perfectam essentiam necessarias: Hæ vero sunt vt non solum sit, sed viuat etiam & intelligat, vita enim est prima essentiæ perfectio, intelligẽtia vero, id est, cognitio prima quidem perfectio est vitæ, secunda vero essentiæ: Siquidem essentia naturaliter contendit ad vitam, vita ad intelligentiam proficiscitur, per quam in se & essentiam reflectatur, omnis igitur essentia vera animam & motum, id est vigorem actũque vitalem habet, & insuper sapientiam, id est, intelligendi, vel cognoscendi virtutem, nec habere intelligẽtiam potest, nisi per animam, id est per vitam quodammodo præcedẽtem. Quando vero dicimus essentiam veram, primo quidem intelligimus essentiam primã, scilicet intellectum, & intelligibile primum, deinde vero, & quamlibet inuiduam stabilemque substantiam, perfectiones igitur, proprietatesque omnes ad veram essentiam pertinẽtes, primo quidem, & aliter sunt in essentia prima, secundo vero, & aliter in sequentibus. Sed nunc de prima præcipuè disputatur. In qua quidem cum sit idea virtusq; omnis animæ, vitæ, intelligentiæ, ibidẽ formaliter est omnis vigor ad motum: Motus enim quasi rectus tribuitur animæ, sed intelligentiæ circulari Nulli autem rei prorsus immobili, id est, inerti & inefficaci, & ad vitã prorsus ineptæ adesse potest intelligentia: Motus autem illic intelligitur non distractus & imperfectus, qualis est in corporibus, sed viuidus, & efficax subitusque processus ad hoc in illud, de quibus agimus in Parmenide. Nõ solum vero rationisque motionis est ibi, sed etiam perseuerantiæ stabilis atque status: si modo idem ibi tenor essendi, viuendi, intelligendi viget. Non enim est seorsum ab identitate status: Omnis igitur intelligibilis intellectualisque substantia, quæ sola dicitur essentia vera, excellentem quendam motum habet, & statum, Præcipue vero hæc sunt in prima. Hinc alicui forte videri poterit, rationem entis in excellenti quodam ad motum, statumque vigore consistere.

De ratione entis, & motus atque status.

CAPVT XXXI.

PApe, &c.] Pythagorica simul, & Platonina sẽtentia est, scientiam quidem superioris conuenire, nobis autem opinionem communiter veram, paucissimis vero scientiam. Ideo semper apud Platonem simulatur dubitatio, doctrina vero dissimulatur: Deinceps ergo Melissus passim dubitando docet, paulatimque consequentibus antecedentia corrigit, & absoluit. Quamobrem, & si vere quodammodo dictum fuerat, rationem entis in vigore quodam ad motum statumque consistere, non tamen putandum iudicat rationem entis eandem esse atque rationem, aut motus, aut status, aut vtriusque simul. Ens enim de vtrisque & seorsum dicitur atque simul. Neutrum autem vel de altero vero, vel de vtroque prædicari potest, Nec etiam de ambobus prædicatur alterutrum. Ens igitur est aliud, & simplicius & communius, quàm aut motus, aut status, Rationi enim entis motus & status quasi posteriores accedunt. Neque concludendum si ens nondum stat, ergo mouetur, vel si nondum mouetur, ergo stat, eiusmodi enim consequentia in rebus ipso statu motuque inferioribus vim habere potest sed in ipso simpliciter vno, quod est superius ente vel in ipso simpliciter ente,

quod his superius est vim non habet. Nam & vnum, & ens, ipsum neque stat, neque mouetur, sicut nec status ipse stat vel mouetur, neque motus ipse mouetur aut stat. Sed de his diligentius in Parmenide. Ens igitur in primo sui gradu quodammodo est ab oppositis absolutum fermè sicut genus à differentiis, in secundo gradu oppositiones videtur admittere.

Quæ communio in generibus entis, quæ distinctio.

CAPVT XXXII.

Dicamus plane, &c.] Deinceps significat omne ens vnum multaque esse: Cum vero ipsum vnum non possit esse multa: Interim intelligitur, ipsum vnum esse simplicius, & superius ente, Sed prosequamur inceptum. Tractatum est in Parmenide, nec ipsam vnitatem esse multitudinem, neque contrà: Similiter identitatem non esse alteritatem, statum non esse motum, neque vicissim, nec vllam idearum oppositarum vel aliarum esse alteram, communionem tamen participationis aliquam idealia inuicem illic habere, & quicquid singulatim apud nos vni præcipue subest ideæ simul participare multas: denique quod vnum est substantia, esse multiplex qualitatibus: Probandum est & hic entia etiam idealia mutuam quādam habere communionem, nisi enim ipse status, atque ipse motus cum ipsa essentia commercium aliquod habeat, neque status neque motus ens aliquid erit, peribuntque sectæ omnes, tumque dicit entia omnia moueri, tumque vult omne ens cum sit vnum stare, rum entiam quæ asserit ideas omnium, stabilisque putat, rum denique quæ opinatur ex vno quodam omnia effluere, in vnumque refluere, siue hæc sint infinita, vt apud Democritum, siue finita, vt apud Anaxagoram, & Empedoclem, siue alio seculo confluant, alio diffluant, siue vtrumque quasi semper efficiant. Hæc sine mixtione quadam fieri nequeunt. Præterea si nulla sit communio rerum, sermones omnes tollentur è medio, siue enim affirmemus, semper aliquid cum aliquo copulamus, siue negemus, interim quodammodo coniungere cogimur, dum enim dicimus, ignis non est aqua, significamus vtrumque aliquid esse, vnde in ente conueniunt: item in alteritate, in separatione, in existentia propria. Has enim conditiones similiter habet vtrumque. Commemorauit Euriclem, quem ferunt intimo vexatum dæmonio sibimet aduersari solitum, & aduersa sibimet aliis prædicere.

Quæ communio in generibus entis, quæ distinctio.

CAPVT XXXIII.

Quid vero? Si &, &c.] Neque dicendum est, nulla prorsus rerum genera inuicem commisceri, vt est supra probatum, neque rursus omnia omnibus pariter commisceri. Quod ita probatur. Si misceatur status omnino cum motu, vel vicissim, aut status erit motus, atque contra, aut status mouebitur, atque contra, vtrumque falsum. Miscentur igitur ambo cum essentia, sed inuicem minime confunduntur, scire autem quæ genera, quibus congruant, vel non congruant, atque rite distinguere & vnire, ad maximam scientiam pertinet, ad dialecticam, quæ quidem est Philosophia ptima, quam nominant Metaphysicam. Philosophus primus latet multorum oculos propter exuberantem ipsius entis lucem. Sophista quoque latet propter non entis tenebras. Dialectica hic indiuiduis prætermissis sensibilibusque posthabitis, distinguit ens ipsum scilicet intelligibile in ideales rationes generum atque specierum, & primo quidem in præsentia species tangit specialissimas, reducitque ad ipsum propinquum genus, vt ideas hominis, & leonis ad ipsam animalis Ideam. Deinde ideas animalis & Plantæ ad ipsam animatam corporis idearum. Denique per media competentia ad ipsam entis ideam, & in ipso vno fundatam vnam in cunctis intelligibilibus entibus, vnam, inquam, ratione communissima, sed vniuoca, neque ratione vniuocam esse prohibet, quod aliis quidem entibus prius aut magis inest, aliis autem posterius, aut minus. Nam & ratio numeri in omnibus numeris vniuoca est quamuis prius adsit, atque posterius, & albedinis ràtio vniuoca est in niue atque calce, & si magis competit atque minus. Denique cum ens ipsum sit ipsi simpliciter vni, quam maximum atque etiam sit, primus post vnitatem ipsius animas affectus, merito & vna est in cunctis entibus, scilicet intelligibilibus essentiæ ratio. Sensibilia vero sicut speculares imagines ad corpora, ita se habent ad entia, æquiuoca videlicet, vel analogica conditione entis cognomine nuncupata. Inquit autem Melissus, vniuersaliorem ideam minus vniuersales extrinsecus continere, non quia alicubi seorsum illa existat ab istis, sed quoniam ipsa formalis ideæ vniuersalis ratio seorsum ab istis concipitur, vt simpliciter absoluta, quamuis ista seorsum ab illa minimè, significat etiam supra naturam communem multis sensibilibus insitum extare naturam huius exemplarem, & effectricem, extra cuncta. Significat præterea supra conceptum vniuersalem, quem ratio nostra post multa singularia fabricat, extare penes intellectum primum vniuersaliorem ideam supra multis minus vniuersales ante, ante istas excogitatam. Potentia enim per quam quod est vniuersalius, potest absque minus vniuersalibus ratio nabiliter cogitari, non aliunde prouenit, nisi quia illud his, & simplicius est, & prius, & si non apud inuentionem nostram saltem apud naturam, & intellectum primum in quo rationes ipsæ rerum formales, sicut intellectuales, & intelligibiles sunt, sicut intelligibiles, ita etiam naturales.

De quinque generibus entis, atque horum comparatione.

CAPVT XXXIIII.

Postquam ergo &, &c.] Quæ ad Architæ PoetaPythagorico in prædicamenta decem, à Peripateticis celebrata, distribuuntur, hæc à Melisso in amplissima quinque genera solis nota Platonicis colliguntur. Essentiam videlicet, motum, statum, idem, alterum, siue identitatem, atque alteritatem, de quibus in Philebo, Parmenide, Plotino tractamus. Appellantur hæc elementa vniuersi entis atque genera. Elemēta quidē, quoniam ens primum, & quodliber ens ex his conflatur. Genera vero quoniam generatim de omnibus prædicantur. Ens quidem videtur aliquid quasi concretum significare, essentia vero abstractū, sæpe tamē sermonis

ſermonis gratia aliud pro alio ponitur. Eſſentiam Plato in Philebo ex quatuor quaſi elementis conſtare videtur, ex vno ſcilicet & multitudine. Item ex fine, atque infinito, eſſentiam illinc ita quaſi compoſitam, Meliſſus hic accipit, quaſi vnum entis elementum, atque primum, huic addit quatuor elementa quodammodo reſpondentia primis, ratione quidem vnius termini, identitatem atque ſtatum, ratione verò multitudinis, & infiniti alteritatem atque motum. Tria primum poſita ſint in ente vero, ſcilicet eſſentia, motus, ſtatus; præter hæc ponenda ſunt duo, ſcilicet identitas atq; alteritas. Quodlibet enim horum trium, eſt ſibi idem, & ab his alterum: Idem verò per identitatem, alterum quoque per alteritatem. Eſſe quidem quodlibet horum ſibimet idem non dubitatur, eſſe verò hæc inuicem alia eſt ita probandum: Status, & motus inuicem non miſcentur, cum eſſentia vero miſcentur, ambo enim ſunt, igitur duo hæc, & alia inter ſe ſunt, & aliud quam eſſentia. Item duo hæc aliud quiddam ſunt quàm alteritas, vel identitas. Primo quidem, quia ſtatus & motus abſoluta ſunt. Idem verò & alterum relatiua. Rurſus per identitatem propriè alia dicuntur duntaxat eadem, per alteritatem altera ſolum, ſed propter motum aliqua fiunt inuicem quodammodo eadem; fiuntque quandoque altera: Nam mobile propter motum fit quaſi mobilibus idem. & alterum à ſtabilibus. Similiter propter ſtatum ſtabile fit, & ſtabilibus idem, & mobilibus alterum. Sed quis ignoret, non omnia quæ dicuntur eadem vel altera, per ſtatum aut motum talia dici. Oportet tamen per identitatem omnia quæ eadem dicuntur, dici eadem, omnia rurſus altera, per alteritatem altera. Præterea ſi tam motus quàm ſtatus ſit identitas, erit vtrumque penitus vnum atque idem. Ergo & ſtatus moueretur, & motus ſtaret. Denique ſi vel ſtatus vel motus tranſeat in alteritatem, per hanc protinus alteritatem in ſuum contrarium pertranſibit. Ergo & ſtatus in motum, & motus tranſibit in ſtatum: Aut ſaltem ſtatus quidem mouebitur, motus autem ſtabit, Sed comparemus hæc duo cum ente. Primo quidem conſtat, ens nec eſſe idem atque motum, omnia ſiquidem pariter mouerentur, nec eſſe idem atque ſtatum, alioquin pariter omnia conquieſcerent, nec eſſe primo atque ſimpliciter, & formaliter ambo. Ne forte contraria, ſint penitus vnum: Probandum itaq; nunc ens eſſe aliud quàm idem, atque alterum, & primo eſſe identitate diuerſum. Nam ſi vna ſit ratio formalis, entis atque identitatis, certè quando dicimus tam motum, quàm ſtatum eſſe ens, dicimus ea inuicem penitus idem, quod eſt falſum. Deinde probandum eſt ens ab alteritate differre, alioquin ſicut per alteritatem, ſingula duntaxat inter ſe altera nominantur, ita per eſſentiam, & ens & eſſe cuncta ſine vlla concordia diſſonarent, quod dictu nefas. Item quidem ens commune eſt ad abſoluta pariter atque relatiua. Alterum verò dicitur ſemper ad alterum. Denique & ſi alteritas eſt aliud quàm illa quatuor, omnia tamen alteritate participant. Non enim per ſe, ſed per hanc inuicem altera iudicantur.

De mutua comparatione, quinque generum entis.

CAPVT XXXV.

Sic autem &c.] Ideales formæ, ſiue genera ſint, ſiue ſpecies, formaliter inuicem confundi non poſſunt. Idque commune eſt non ſolum oppoſitis, ſed quibuſlibet, certum quidem eſt motum non eſſe ſtatum, identitatem non eſſe alteritatem, ſimiliter identitatem non eſſe ſtatum, alteritatem non eſſe motum, hominem non eſſe bouem, denique rationem cuiuſlibet dictorum, non eſſe rationem entis. Denominatiue autem vel prædicatiue, quædam inuicem commiſcentur, quædam minimè ea ſanè omnibus, quod de omnibus prędicatur. Identitas quoque & alteritas omnibus: Singula enim per identitatem ſibimet ſunt eadem. Per alteritatem ab aliis altera. Sed nunquid identitas per denominationem vel prædicationem miſcetur alteritati atque viciſſim? Certè nam identitas per alteritatem eſt ab aliis alterum, non, inquam, formaliter, & per ſe, ſed per alteritatis participationē, & alteritas ſimiliter per identitatem ſibiipſi idem. Alia vero ratio eſt de motu atque ſtatu, non enim vel ſtatus per participationem motus ſit mobilis, vel motus per participationem ſtatus, ſit aliquando ſtabilis. Motus enim per efficaciam actionis vehementius repugnat ſtatui, quam identitas alteritati. Præterea idem & alterum, relatiue autem oppoſita facilè miſceri ſolent. Vt quod idem eſt huic, ſimul illi ſit alterum. Et dextrum ad alios atque ſiniſtrum. Status autem & motus ſunt abſoluta, vt non facilè vel formaliter vel denominatiuè miſceri queant,

De alteritate, & quomodo per ipſam ſit mixtio non entis cum ente.

CAPVT XXXVI.

Sequitur itaque & &c.] Vis alteritatis ipſius idealibus formis inſerta negationem facit, atque non ens cum ente confundit. Profectò quoniam motus alterum quiddam eſt quàm ſtatus, idcirco non eſt ſtatus, ſimili ratione nec eſt identitas nec alteritas, denique neque ens. Siquidem altera eſt ratio entis, altera motus, eſt tamen ens, quoniam eſſentiæ particeps, ſimiliter vnum quodque generum aliorum, & qualibet idearum per alteritatem, nec eſt cætera nec ens ipſum. Itaque dum dicuntur entia, dicuntur quoque non entia. Videtur autem circa quodlibet eorum ens quidem finitum, quia ſemel aut certo quodam numero eſt hoc vel illud. Innumerabiliter autem non eſt cætera, quæ innumerabilia ſunt: denique cum ratio entis vna quidem in ſeipſa ſit, differatque à cæteris idealium omnium rationibus quæ innumerabiles ſunt, ſemel licet dicere, hoc eſt ens ipſum, illa ipſa entis ratio deſignata. Innumerabiliter etiam dicere non eſt ens. Quoniam circa vnumquodque illorum innumerabilium dici poteſt, neque ratio entis eſt hoc, neque viciſſim hoc eſt entis ratio. Videtur ergo non ens infinitum in ente primo, ex quo confirmatur, ens primum, non eſſe ipſum ſimpliciter primum. In quo nulla eiuſmodi diſcrepantia vel quaſi priuatio eſſe poteſt.

De alteritate, & de mixtione non entis cum ente.

CAPVT XXXVII.

Videamus & &c.] Alteritas ipſa ſignificare videtur diuiſibilitatem ipſam, ſiue duitatem differentiæ omnis, & diſtinctionis originem, ad quam ſanè perueniendum eſt, abſtractam, & ab omnibus particularibus differentibus & differētiis abſolutam. Hæc vtiq; quoniam omnis diſtinctionis etiam formalis origo eſt, nimirum eſt & aliquid atq; aliquid ens. Quoniam verò, & aliud eſt quam ipſum ſimpliciter ens, & vbique negationis priuationiſque cuiuſdam & quodammodo non eſſendi eſt origo, merito etiam non ens appellatur, diciturque ſi dici poteſt ipſa eſſentia vel natura, vel

vis, vel origo non entis, entibus cunctis inserta. Hæc in mundo intelligibili, quasi quædam materia est, ibique defectus alicuius ac differentiæ causa, sicut in mundo, sensibili materia sua simul cum dimensione causa est defectus, & discrepantiæ passim atque distantiæ. Materia quidem hæc initium est non solum non essendi, hoc autem illud, sed etiam simpliciter non essendi. Alteritas autem illa causa solum est non essendi. Hoc autem illud. Per illam enim species hæc, cum aliud sit quam ista vel aliæ, merito species hæc per alteritatem non est ista vel illa similemque nec aliæ. Cettum est apud Logicos, cum dicimus magnum non est, vel ipsum magnum simpliciter è medio tollere. Quando verò dicimus non magnum in medium posse producere quicquid est vsquam aliud præter ipsum magnum, similiter si dixeris ens, non est, & tollis ens & significas nihilum enti contrarium: Sin dixeris non ens, designare potes quicquid præter formalem rationem entis ipsius excogitari potest, nec est enti contrarium. Si pulchrum per alteritatem est alterum quam non pulchrum, atque viciffim, merito alteritas ipsa partim est in pulchro, partim in non pulchro illi iam opposito. Suntque hæc opposita similiter entia, similiterque cætera eiusmodi inter se conditio est opposita. In omnibus autem alteritas ipsa est aliquid, & partes eius vbique aliquid. Si enim ipsa est aliquid ens, necessario partes eius sunt entia quædam, est autem pars eius ita in opposito negatiuo, sicut in affirmatiuo. Relatiua enim est. Itaque igitur est aliquid, & aliquod ens in non ente, sicut in ente, igitur in non ente, non repugnat enti quasi contraria, sed introducit vltra ens ipsum vnum entia multa.

De alteritate & mixtura non entis cum ente.

CAPVT XXXVIII.

Aduertis ne? & &c.] Et si alteritas ipsa in quolibet dici potest non ens cum ente confusum, atque confundens, tamen in opposito negatiuo præcipuè nòn ens appellatur, interim enti permixtum. Hæc autem opinio videtur quidem prima fronte Parmenidi contradicere, prohibenti coniungere entia cum non ente. Neque contradicit Parmenidi, sed exponit, admonens videlicet nos. Vbi Parmenides dicit non ens, ne intelligamus aliquid quoquomodo non ens, sed simpliciter nihilum, alioquin coniungi posse, sed distinctionem eiusmodi dicet in sequentibus leue quiddam esse, facileque inuentu, significans interea non putandum, exigua hæc magnum Parmenidem latuisse. Proinde vbi dicit, ens alterum esse quam singula vel cuncta genera, intelligas ratione abstracta, id est, essentiam. Nam ens conctetum quasi constat ex cunctis.

Communio, & distinctio generum.

CAPVT XXXIX.

Siquis contrariis & &c.] Facilè quidem intellectu est, ens cum non ente conditione prædicta confundi, prædictamque communionem viciffim in generibus esse. Interea magnum est, & necessarium affirmare, alteritatem ipsam, nec esse ipsam indentitatem, nec qua ratione alteritas est fieri quoquomodo eandem, similiterque identitate ipsam necesse alteritatem, nec qua ratione identitas est, euadere posse alteram, sed per alteritatem. Quam etiam per Identitatis Participationem fieri sibimet eandem. Atque identitatem tanquam alteritatis participem, effici ab aliis alteram. Eadem est de cæteris præpositis generibus speciebusque ratio.

Communio, & distinctio generum.

CAPVT XL.

Cæterum ô, adolescens & &c.] Nisi aliqua generum specierumque mutua sit communio, merito nec erit vera apud nos notionum verborumque coniunctio, cessabit igitur intelligentiæ orationisque veritas, fortè verò nec erit opinio vlla nec oratio falsa, nisi non ens cum ente quodammodo misceatur, nisi enim liceat opinari vel loqui non entia, atque ita hæc entibus admiscere, non dabitur opinari, vel loqui falsa, neque locus vsquam supererit simulachris atque Phantasmatis. Nam & ad opinionem, orationemque falsam & ad Phantasmatum apparitionem necessaria videtur quædam entis cum ente coniunctio.

De oratione vera, & falsa.

CAPVT XLI.

Sophistam vtique & &c.] Sophista iam diu dixerat, omnem opinionem orationemque esse veram, quoniam semper concipit, exprimituraliquid & aliquod ens, ergo verum. Contra Melissus obiecit in ipso aliquo ente opinionis, & orationis cuiusmodi sæpè non ens aliquod admisceri, vnde falsitas contingere potest. Ideo de opinione & oratione tractandum.

De oratione vera, & falsa.

CAPVT XLII.

Accipe, & hoc &c.] Omnis oratio est alicuius oratio. Item aut vera est, aut falsa. Oratio vera est, quæ de aliquo prædicat ea quæ sunt, atque ita vt sunt falsa, vel ea quæ non sunt, vel aliter quàm sint.

De cogitatione, opinione, Phantasia.

CAPVT XLIII.

Quid autem & &c.] Cogitatio est quædam agitatio rationis, & interior collocutio, huius autem imago est oratio, Opinio verò est, cogitationis conclusio quędam, in ratione concepta. Phantasia denique est passio vel apparitio quædam fermè similis circa hæc in sensu contingens. Primo quidē & semper in sensu intimo quāquam etiam in externo. Potest autem Phantastica passio vel apparitio præcedere opinionem, vel sequi, vel comitari. Præcedit quidem, quando incitatur ab externis obiectis, vel passione corporea. Sequitur autem vel comitatur quando à cogitatione opinioneque fit, atque mouetur. Sicut igitur est oratio quædam vera, quædam falsa, & affirmatiua, atque negatiua, sic & opinio.

Quomodo sophista fingit simulachra non existentium.

CAPVT XLIIII.

Imaginariam artem & &c.] Ars Imaginaria est duplex, Altera quidem assimilatiua, quæ ad rei

alicuius existentis exemplar, aliquid exprimit. Altera verò Phantastica simulachra fingens non existentium. In genere phantastico sophista versatur & fallit. Est etiam mercator quidam subdolus atque caupo.

Quomodo Sophista fingat. Item de operibus Dei naturæ, & Artis.

CAPVT LXV.

Hunc verò & &c.] Sophista est effector quidam simulachrorum falsus, & imitator. Effectricis autē facultatis duo sunt genera, diuinū scilicet, & humanum. Mortalia sub Luna siue animata, ab artifice Deo proficiscuntur, scilicet ab ipsa rationis & artis, scientiæque diuinæ virtute infusa vniuersæ naturæ, effici aut hæc non casu, sed arte diuina, potest, & ratione, & necessaria persuasione monstrari. Quæcunque igitur natura generari dicuntur, arte diuina fiunt. Cætera verò ad horum imitationem precedentia, arte efficiuntur humana.

De operibus artis diuinæ atque humanæ, & dæmonibus & imaginibus atque vmbris.

CAPVT XLVI.

Cum verò &c.] Ars effectrix diuiditur per longitudinem. Vbi diuiditur in diuinam & humanam, & diuina in effectionem rerum atque effectionem imaginum. Humana quoque similiter, vbi alterum ab altero descendit, & quasi procedit in longum. Nam & humana facultas à diuina descendit, & imagines à rebus quoquomodo dependent. Postquam dixit, corpora eorumque imagines simul, & vmbras esse, opera diuina, id est, non per artem humanam duntaxat affecta. Iterum repetens imagines atque vmbras appellat opera dæmonica, quia cum dæmones pedissequæ sint deorum, merito similitudines rerum quam pedissequæ suos primorum operum diuinorum quasi dæmonica machinamenta videtur. Præterea sicut natura dæmonum inter superos, atque inferos media est, ita lumen inter corporea & incorporea mediam, & in lumine potestas quędam est dæmonica, effectrix videlicet imaginum, & vmbrarum, quemadmodum, & dæmones solent mira quædam visa non solum dormientibus, & abstractis, sed etiam vigilantibus ostentare, imaginamenta quoque nostra quodammodo etiam dæmonica virtute fiunt. Non solum quia dæmones efficacibus imaginationibus, artificiisque suis nobis imaginationes suscitant, verumetiam quoniam in nobis imaginatur est quodammodo dæmon. Dæmonum tres præcipuè gradus Platonica secta disponit, Primi quidem igne i solum, id est, cœlestibus corporibus inuoluuntur. Secundi igneis quibusdam cum aëre quàm plurimo temperatis. Tertij corporibus quadrupli elementorum vapore coactis. Si quando nostram animam introspexeris quasi vestitam spiritu, putabis fortè dæmonem te videre trinumq; demonem: Nam & vehiculum cœleste videbis, igneo cuidam aërioque velamini prorsus infusum, eiusmodique velamen spiritu circunfusum, spiritu, inquam, ex quatuor humorum vaporibus constituto, cognosces animam primo quidem efficaciterque imaginationem in cœlesti vehiculo exercere; sensumque prorsus omnem per totum vehiculum expedire. Perque vehiculum hoc quasi per sigillum secundo velamini imaginationes frequenter imprimere: Per secundum similiter tertium conformare: Postremo concludes imagines nobis intimas dum à spiritali dæmonicoq; animali fiunt, machinatione quadam dæmonica proficisci. Inquit Melissus vmbras fieri, quando in igne fit, (vt ita dicam) tenebra, id est, quando in lumine, quod tandem procedit ab igne cœlesti opacum, aliquod est obstaculum, cuius obiectu radij quodammodo impediti, circum inde prosiliunt tenebrosa quadam figura mox è conspectu signata; expressiores autem imagines, inquit, fieri lumine duplici, id est, ex communi extrinsecus corporibus circunfuso, atque insuper ex proprio, id est, indole colore, figuraque faciei iam lumine circunfusæ, vtrumque lumen in corpus speculare concurrens imaginem ibi conficit. Interea præter modum communiter solitum fit inspectio. Præter enim id quod more consueto speculum recto quodam ictu, & simul imaginem contueris, prospicis simul, quæ à tergo tibi sunt, visuali videlicet radio ex speculo protinus repercusso, sed de hoc opportunius in Timæo. Nonnulli imagines eiusmodi sustulerunt, falli putantes oculum, putantē dum rem ipsam intuetur, imaginem quandam se videre. Plato verò cum suis imagines esse vult aliquid; Non enim res integras in speculis aliter apparere posse, igitur & hic, & in Timæo existere imagines asserit. Hic certè dum inquit, idola non esse eadem atque corpora, significat, naturam quidem suam habere, sed non habere materiam. Quod plurimum in sexto de Republica comprobat, vbi ait: sicut Mathematicæ formæ ad diuinas sese habent, sic ad corpora imagines speculares, quasi actum suum modumque proprium habeant, sicut Mathematica suum. Eandemque fuisse Theophrasti sententiam, Iamblicus, Priscianusque confirmant, vbi in librum eius de anima commentantur, cui & nos interpretationes quoque nostras adiunximus. Asserit idem Proclus in libro de Republica sexto: Imò vero & vmbras vitā quandam, & quasi naturam habere suam asseuerare contendit, narrans Hyenam calcantem canis in alto sedentis vmbram, illum ex alto præcipitare atque deuorare, scribit quoque Solinus canem intra Hyenæ vmbram latrare non posse. Adiungit Proclus, solere magos miris modis afficere rerum imagines atque vmbras, hisque affectis similiter res ipsas afficere, quasi imagines atque vmbræ naturam aliquam habeant suam ad res attinentem, per quam mutua quædam fieri compassio valeat. Ego verò & si hos effectus asserere minus audeo, magis tamen opinari auderem posse contingere, Si præter radiales spiritalesque imagines, quæ duntaxat resultant ex lumine, Lucretiana illa simulachra ponantur, quæ etiam lumine sublato procedant, secumque materiam corporum trahant atque naturam. Hæc vtique Proclus clam significauisse videsur, Synesius autem Platonicus noster in libro de somnis apertius expressisse, vult enim in corpore sensibilem speciem esse, cum materia; simul extentam, acidam vt dum materia quædam vaporalis per meatus exhalat, interim cum hac, & species mixta procedat. Hinc igitur effectum esse vt sicut species ipsa Græcè dicitur εἶδος sic, & effluxus è corpore speciali idolon appelletur, quasi ex specie specimen, speciesue renuis. Quæ quidem cum exprimatur ex toto corpore figurato, illinc, vt putant, exprimitur cum figura, quam ad certum spatium tempusque conseruet. Probabile verò videtur vlterius quidem materiam procedere

quàm figuram, materię mixtam, sed vicissim quoque speciem quandam, (vt ita dicam) immaterialem, & spiritalem figuræ modum longius procedere quàm materiam, quemadmodum Peripatetici tradunt, intentionem quandam odoris, atque soni vltra materialem effluxum longissimè propagari. Proinde sicut radiales imagines alibi quidem quasi vanæ sunt, in speculis autem instaurantur, ita eiusmodi simulachra alibi quidem quasi diuulsa, in spiritu animali, atque phantastico, quasi suo quodam speculo, colligi reformarique putant: fortè quemadmodum characteres in fronte clausi voluminis designati, aperto mox libro disparuerunt, iterum clauso statim comparuerunt. Mitto nunc quomodo per effluxum, confluxumque idolorum alia afficiantur ab aliis, & qua ratione imaginationes per hæc ab absentibus propemodum propinquantibus moueantur in somniaque contingant. Verisimile quidem est, si quid valeant, quatenus effluxus materiales durant, afficere spiritum naturaliter, quatenus autem spiritales euadunt, afficere animum cognobiliter, atque ita cum imaginatione congruere, quemadmodum radiales imagines cum oculo congruunt.

Quomodo Sophista fingat falsa.

CAPVT XLVII.

Reminiscamur, &c.] Genus phantasticum in duo diuiditur, falsi enim fingunt imitanturve aliquid per instrumenta, vt per corpora specularia. Alij per suam personam, atque hi partim cognoscunt, quod imitantur, vt mimi, partim minimè, vt Sophistæ, qui cùm res & virtutes ignorent, tamen pro opinione sua res ipsas fingunt, virtutesque simulant.

CAPVT XLVIII.

Descriptio, distinctioque Sophistæ.

Harum quidem, &c.] Imitatores alij quidem simplices sunt, vt artifices, atque mimi, alij verò ironici, Sophista est imitator ironicus, multamque in se duplicitatem habet, sed inter Sophistas alij sunt prorsus ignaui, subitoque deprehenduntur, alij sunt versuti plurimum, & versatiles, Ironici præterea vel publicas orationes ad persuasionem componunt, vel priuatim artificiosè & ambitiosè redarguunt, primi quidem & quamuis appareant viri ciuiles, non sunt tamen, sed oratores, quos hic Plato clam tãgit, in Gorgia verò palam, secundi quoque cum appareant sapientes, sunt Sophistæ; Sophista denique est ignorans, phantasmatum victor, & præsignator, auarus ambitiosusque redargutor.

(∴) (∴) (∴)





IN LIBRVM PLATONIS DE REGNO.

AD FEDERICVM VRBINI DVCEM, SEMPER INVICTVM.

APOLOGVS.



VPITER optimus maximus, cùm optaret tale in terris, quandoque regnum prospicere, in cœlo semper apud se conspicit, iamdiu per ipsam diuini regis ideam, regium quendam diuinumque animum demisit in terras. Conuocatisque Cœlicolis imperauit, vt omnes futuro huic regi suffragarentur, quem superi quidem & à fide regia Fideregum, & ab orbis imperio Orbinatem Ducem iam nominarent, homines vero mutatis literis Federicum Vrbinatem Ducem essent appellaturi. Assensere omnia Ioui, præter Iunonem numina. Sola enim Iuno crassioris aëris ambitiosa regina cœleste terris regnum hactenus inuidet. Verùm Pallas, Mercuriusque fauentibus aliis, & teste veritate coronam sceptrumque regium iampridem vero eidem, cui & Iupiter, libentissimè contulerunt. Cùm verò Academiæ passim Palladem, Mercuriumque colat atque sectetur, ipsa quoque regum orbisque totius Monarchiam, qualem diuinus Plato describit, Fedirtco Vrbinati Duci, tum ex Iouis sententia, tum ex testimonio Veritatis optimè meritò fœlicissime tribuit.

IN LIBRVM PLATONIS DE REGNO, vel ciuilem, Epitome.



CVM Deus natura hominem agendo producit, eum certè producit, vt agat, agat, inquam, gratia diuinorum. Quemadmodū verò alius finis est, cuius gratia natura efficit pollicem, alius cuius gratia manum, siue pedem, aliusque rursum ad quem totum efficit hominem: sic alius finis est ad quem hominem dirigit singularem, alius quoque ad quem familiam, itemque alius ad quem ciuitatem atque regnum. Ac denique finis ille existimandus est optimus, cuius gratia Deus totum genus humanum procreauit. Nemo verò existimet, cum proprij cuiusq; cœtus certus sit finis, nullū esse totius: cumque humanæ vitæ partibus insit ordo, in vniuerso tamen vitæ genere esse confusionem, denique cum partes ob finis vnius intentionem inter se habeant vnionem, totum ipsum esse dispersum. Quamobrem necesse est certum esse humani generis finem, eúmque in actione quadam circa perfectoria consistere, per quam & superiora pro viribus imitetur, & diligenter inferiora gubernet, scientia quidem naturalia perscrutetur, prudentia verò disponat humana, pietate autem diuina colat atque veneretur. Eiusmodi ergo finis vitam exigit geminam, & in actione & in contemplatione similiter constitutam, eo tamen pacto, vt actio contemplationis, tanquam diuinioris gratia sit instituta. Cæterum absoluta vtriusque vitæ perfectio, tot tantisque & tam variis adminiculis indiget, vt

neque à paucis quibusdam, neque etiam à multis hominibus, sed abvniuerso simul hominum genere duntaxat possit expleri. Fieri verò non potest, vt tam diuersæ Gentes per media tam diuersa ad vnum omnium communemque finem perducantur, nisi ab vno per vnam quandam legem cunctos in vnum pariter cõducente. Quemadmodum neque fabri ministriq; genere simul atque ingenio longè inter se discrepantes, materias admodum varias ad formam vnam ædificij conferentes, in vnum vnquam commodè congregabũt & construent opportunè, nisi ab vna quadam architecti vnius legeregantur. Quapropter non iniuria Plato cum regem quæreret mũdi monarchum, principio architectum produxit in medium, scientiamque in tria tandem distinxit genera. Quorum primum in cognoscendo, secundum in agendo, tertium in faciendo versatur. In primo Arithmetam Geometramque, in secundo architectum, in tertio fabrum ministrumque collocauit, probans architecti facultatem inter speculationem solam solumque ministerium mediam esse ponendam, magis tamen speculationis quàm ministerij esse participem, neque iudicare solum Geometrarum more, verumetiam facientibus imperare, opificioque semper adesse. Qualem fermè vult regem esse debere, qui videlicet & contemplantium more vera diiudicet, & iura non aliena quidem, sed sua mandet agenda Proinde Plato exactissima vsus diuisione, quæ definitioni scientiæque admodum necessaria est, Regem Homerico, more nominat generis humani Pastorem atque curatorem, quem totius humani generis vnius quasi ouilis vnum esse Pastorem deberedesignat, vbi Deum inquit quondam humani generis fuisse Pastorem, sub quo & regnum illud Saturni aut eum extitisse. Gubernatorem quoque regem humanæ vitæ quasi nauis iudicat appellandum. Significat autem in vnum esse imperium omnium conferendum, vt humana gubernatio diuinæ quàm simillima sit, siquidem & Deus vnus mundi totius est rector. Quod quidem his quoque breuiter rationibus confirmatur. Principio si tres mundi partes in Asiam, Africam, Europam, regibus distributas tribus subegeris, facilè admodum continget, vt vel vnus duobus, vel duo vni quãdoque inferant bellum, aut saltem de finibus, aut alia quapiam de re disceptare cogantur. Itaque vel inter eos ad vnum trium erit litis iudicium deferendum; vel ad quartum quendam præter tres iudicem constitutum. Quacunque tandem id ratione fiat, necesse erit iudicem, si modo sententiæ sit illius acquiescendum, imperium in eos inter quos iudicatur, habere, alioquin nullius momenti erit iudicium, frustraque iudicabitur, quod videri possit regibus, vel magis, vel saltem æquè potentibus dissoluendum. Vnum igitur oportet esse regem omnium iudicem, omnibus proculdubio venerandum. Præterea virtutum exemplar subiectis oportet esse regem. Maximè verò talis erit, si vnus fuerit ante omnes, in quem oculos cuncti coniiciant. Qui si orbem totum possederit, nec regnum vlterius affectabit, nec aliis inuidebit. Quæ duo, scilicet cupiditas & inuidia, solent rapinas & bella potissimum procreare. Et cum sua cuiq; charissima sint, maximè diliget omnes tanquam suos, pariterque omnes diliget nationes, pariterque curabit. Optabit pacem summopere, cupiet tranquillitatem, bonorumque omnium copiam, qualis vtique Monarchiæ vmbra quædam apparuit imperante Octauiano. Subditi verò & iustissimè viuent, cũ iniustis nullus vsquã pateat fugæ aditus sub monarcha & quãuis in minima peccãdi licẽtia, tamen in sũma libertatẽ viuẽt, non tyrannis, paucisve potentibus, vel insanientis populi subiectis furoribus, sed à sapiente & iusto pioque regi sic ad commune bonum perducti, tanquam naucæ à prudentia iusti gubernatoris ad portum. Qua quidem in re, & qui reguntur obtemperando regi sibiipsi consuleut, & rex ipse non tam sibimet quàm cunctis qui suæ curæ à Deo commissi sunt, viuet. Recta enim gubernatio, quemadmodum in libris de Repub. disputatur, gubernatorem quidem eorum qui gubernantur gratia, non gubernatos gratia gubernatoris instituit. Comparat præterea regem medico, monens vt medicorũ more & opportunè & si opus fuerit importunè, & volentibus, & quandoque nolentibus imponat leges, remediaque afferat salutaria. Eiusmodi verò gubernatorem atque curatorem sæpius ciuilem vocat virum quàm regem significans adeo humanum, ac fieri possit, mitem esse debere, vt inter ciues videatur esse conciuis, prudentia, iustitia, cura, potius quàm alio quouis excessu superior. Quod si quis longissimo quodam interuallo prudentia & iustitia manifestè cunctos exuperet, hunc etiamsi priuatus vixerit, esse regem omnium à Deo creatum absq; controuersia iudicat. Sin autem inter aliquos quantum ad hæc spectat, patum admodum intersit, illis quodammodo redactis ad vnum authoritatem regiam tribuendã, multis verò nequaquam. Quippe cum multi nequeant tanta authoritate digni alicubi reperiri. Tradi verò authoritatem regiam

ex aliis eius libris coniectare licet, vult à senioribus atque probatissimis, quorum senatus deinde sit collega regis, quasi quædam respub. optimatum. Rex autem vnà cum senatu leges condat, quas non liceat vel cuiquam priuato transgredi, vel vulgo mutare, liceat tamen regi senatuique simul pro tẽporum opportunitate quatenus expedit, diligenti cum æquitate & rebus ipsis accommodare atque temporibus, & si oportuerit permutare. Regem ipsum Epistolis sacrum haberi censet, sacerdotemque more Ægyptiorum constitui, sacrorum mysteriorum antistitem: & vtpote sacrum, nequando contaminetur, non permittit iudiciis vbi de cæde exilio, carcere agitur, interesse. Proinde in hoc ipso libro eiusmodi regiam dignitatem gubernationũ omnium optimam esse probat, vt diximus: pessimam verò tyrannidem, quæ neque lege, neque mente legitima imperat, sed impetu potius atque libidine. Secundo loco laudat optimates, pariterq; vituperat potentiam paucorum. Tertio loco multorum laudat gubernationem, scilicet popularem, si lege gubernent, similiterque vituperat, si non lege. Post hæc autem quid regium sit officium disputat, videlicet vt quotcunque hominum generi necessaria sint prouideat, præsertimq; ad bene beateque viuendum. Iudicetque prudenter quot artes & quales ad hoc ipsum conferant, siue in pace, siue in bello, seu agendo, vel publicè, vel priuatim, habeatque vnà cum senatu summum in omnes imperium. Præcipuè verò animos omnium decentissima quadam fortitudinis temperantiæque mixtione componat, musicos imitatus, qui acuta grauibus ritè miscentes, concentus suauissimos modulantur. Demonstrat enim, & id quidem diuinæ, non esse tutum animos vel fortitudinem versus quasi acutum supra modum intendere, vel temperantiam versus quasi in graue nimis remittere. Illinc enim efferatos, hinc effœminatos tandem euadere: & illi quidem ciues & patriam velut hostes inuadunt: hi verò neq; se neque patriam tuentur ab hostibus. Quamobrem optimum censet ex concinna virtutis vtriusque copula, ingeniorum consonantiam vbique conflari. Sed hactenus de libri ordine, satis sit dictum. Quæ verò de sphærarum motu, prouidentiaque & fato disputat, in Theologia nostra satis exposuimus. In his certè nos allegoricè docet, non habere nos verum legitimumque regem, nisi vel in ipso cœlo vel in terris eum quem velut Pastorem cœli rex nobis ipse præfecerit, Pastorem inquam, non nomine solum, sed vitæ similitudine, ipsum cœli regem pro viribus referentem. Commemorat & duo regna, Iouis scilicet & Saturni, regnumque Saturni regno Iouis tanquam felicius anteponit. Siquidem sub Ioue actio vitaque humana, sub Saturno autem contemplatio diuinorum significatur. Saturnus enim Græco nomine Cronos, vt Plato in Cratylo docet, puritatem integritatemque mentis inuiolabilem comprehendit. Quod autem ait Saturno regnante beatos homines viuere, ostendit diuina quadam viri mente regnante, quo actiones gratia contemplationis instituat, humanum genus fore beatum. Ego autem finem mox argumento faciam, si breuem prius allegoriam mysterij huius adduxero. Ait enim præsentem mundi circuitum ab oriente ad occidentem esse Iouium atque fatalem: verum fore quandoque alterum huic oppositum sub Saturno ab occidente vicissim ad orientem. In quo sponte nascentur homines atque à senio procedent in iuuentutem, alimentaque illis vltro æterno sub vere ad votum suppeditabuntur. Iouem, vt arbitror, animam mundi vocat, cuius lege fatali manifestus hic manifesti mũdi ordo disponitur. Præterea vitam animorum in corporibus elementalibus, Iouiam esse vult sensibus actionique deditam. Saturnum verò supremum inter Angelos intellectum, cuius radiis illustrentur inter Angelos animæ accendanturque, & ad intellectualem vitam continue pro viribus erigantur: quæ quoties ad vitam eiusmodi conuertuntur, eatenus sub regno Saturni dicuntur viuere, quatenus intelligentia viuunt. Proinde in ea vita ideo sponte dicuntur regenerari, quia electione propria in melius reformantur. Rursus in dies reiuuenescere, id est, in dies si modo ibi dies dinumerantur, magis magisque florescere. Hoc illud Apostoli Pauli. Homo interior renouatur in dies. Denique illis alimenta sponte affatim sub perpetuo vere suppeditari, quia non per sensus operosamque disciplinam, sed per lumen intimum, summaque cum vitæ tranquillitate atque voluptate miris veritatis ipsius spectaculis perfruuntur.

IN PROTAGORAM. *Epitome.*

Extat apud Græcos verissimum de Platone dictum; Phœbum, videlicet, duos præcipuè filios genuisse; Æsculapium & Platonem. Æsculapium quidem qui corporibus, Platonem verò, qui animis mederetur. Socratem quoque Socratici omnes purgandorum gratia animorum à Deo missum fuisse testantur. Morbus autem animi in falsis opinionibus malisque moribus videtur consistere. Tantùm verò malum ingenuis animis, haud tam facilè ab aliis, quàm à Sophistis solet inferri. Profectò Philosophi sunt, qui veritatem studiosè quærunt, veritatis duntaxat ipsius amore. Sophistæ verò, opinionem affectant, similiter opinionis amore. Hi enim quasi disciplinarum mercatores & caupones, vndique opiniones absque delectu varias congregant, tum ad excogitandum, tum ad dicendum, vtcunque libuerit pertinentes, quas deinde, quasi venales diuitibus vendant adolescentibus, diuitiarum & inanis gloriæ gratia. Itaque nihil vnquam habent pensi, vtrum vera, vel bona, an contra, aut ipsi discant, aut alios doceāt, sed & confundunt, & passim errores effundunt quotidie plurimos, nulla prorsus rectæ elationis habita ratione, modo & diuitias cumulent, & vulgarem gloriam consequantur. Quamobrem, necesse est adolescentes atque viros, qui Sophistas ob sapientiæ opinionem, & eloquentiæ fucum plurimi faciunt, quotidie ab illis falsarum opinionum; pessimorumque morum venena combibere. Siquidem, mali mores & falsas sequuntur opiniones, & facile ab auaris ambitiosisque præceptoribus, qui nihilominus plurimi existimantur, in discipulos transfunduntur. Plato igitur animorum misertus tam prone, tam grauiter periclitātium frequentissimè sub Socratis sui persona maleficosque Sophistas pro viribus detestatur, quo videlicet, homines discendi cupidi, cautè fallaces deuitent Sirenum cantus, & noxia pocula Circes. Neque tamen inuectiuis eos manifestis effulminat, ne vel ipse perturbatione vlla odioque in illos videatur adductus, vel ipsi ipsorumque sectatores, venenosa in eum impudentissimæ inguæ tela retorqueant. Ergo partim Ironia, partim risu, sæpè ioco; & ludo, sæpius honesta quadam redargutione immeritam sophistis authoritatem conatur adimere. Id quidem in Sophista acutissimè perficit. Idem in Gorgia elegantissimè. Facete admodum & vrbane in Hippia. Scite & argute in Euthydemo. Artificiosè etiam in Protagora, sæpeque similiter. Vbique verò Sophistas omnia profitentes inducit iactabundos, & gloriosos, temerarios insuper, & auaros, in principio quidem disputationis satis aptos, paulatim verò ineptiores, postremo omnium ineptissimos, qui nulla de re præcipuè grauiori, vel quid sit, vel quanta, vel qualis, intelligant, cumque profiteantur omnia, nihil eos omnino scire conuincit. Hactenus in omnes Platonis dialogos in quibus Sophistarum commemoratio fit, præfatos esse sufficiat. Pergamus iam ad Protagoram. Socrates à Diotima fatidica artem amatoriā didicit, per quam sciebat per corporum pulchritudinē quasi per vestigia quædā sagaciter venari, tum animi, tū mentis Angelicæ, Deique pulchritudinem, eandemque artem vbique docebat. De hac eius arte Plato, & sæpè alibi, & in symposio ac Phædro præcipuè pertractauit. Eandem in principio huius libri significauit. Idcirco subiunxit eum non minus amare virum quàm adolescentem. Ac paulo post seniores quoque amare ardentius, modo sapientiores appareant. Post hæc Socrates dum Hippocratem adolescentem disciplinarum auidissimè artificiosissimè monet ne temere cuiuslibet se disciplinæ committat, non solum illum, sed & nos commonefacit, vt curam animi longè magis quàm corporis habeamus, caueamusque diligenter ne disciplinis ipsum noxiis imbuamus. Eas enim magis obesse animo, quàm corpori nostro venenum. Mox quasi pictor Sophistarum fastum, vnitatemque ante oculos ponit. Demonstratquoq; quantum iuuentus credula eorum tum pompam admiretur, tum lenociniis capiatur. Deinde ad ea descendit quæ maximi ad vitam momenti sunt, & quibus sophistæ plurimum gloriantur, quærens de virtute quidem omni, præcipuè verò de præcipua, id est, ciuili, per quam & propria cuiusque, & familiaris, & publica res ad summum bonum recta ratione disponitur, quam veluti præcæteris necessariam Plato in omnibus penè quærit dialogis: intereaque ostendit hanc nullo modo à Sophistis esse petendam, sed quodammodo à Philosophis: qui cum verum intelligant colantque bonum, nimirum recto ad ipsum tramite Deo duce perducere possunt. Sed redeamus nunc ad Sophistam, quem non posse virtutem eiusmodi, vel exemplo tradere, vel disputatione docere, ex hoc planè perspicitur, quod & ipse virtutis est expers & rectum disputandi ordinem non obseruat. Cum enim interrogetur Protagoras hic à Socrate, vtrum virtus doce-

ceri possit necne, vtpote qui veræ differendi artis sit ignarus, recipit statim se ostensurum virtutē posse doceri, antequam quid ipsa sit, quotue in partes diuidatur, aperiat. Socrates autem tentandi Sophistæ gratia argumentatur eam doceri non posse; his penè verbis. Quando publicè de aliquo eius artis opificio consultatur quæ à certis præceptoribus doceri potest, nullus admittitur ad consilium præter illos qui artem eiusmodi ab ipsis præceptoribus didicerunt ipsique exercuerunt. Quando verò de publicis rebus quæ ad virtutem ciuilem spectant deliberatur, omnes fermè similiter admittuntur, neque ab vllo quæritur vtrum, & à quo, & quando peritiam ciuilem acceperit, quasi omnes intelligant eam certis in scholis disci non posse. Præterea si ab altero alteri traderetur, præcipuè viri in ea clarissimi rem hanc tam preciosam sæpe suis hæreditario quodam iure relinquerent. Ad hæc Protagoras longis probat ambagibus doceri posse virtutem. In quibus notanda quædam priscorum refert mysteria. Decet enim quamuis Sophista sit, nonnulla etiam legisse bona, & cum prolixè loquatur apud Platonem, vtilia quædam adducere. Tradunt Theologi veteres sub terra quondam animalia latuisse, idest, in prima mundi materia rerum semina præfuisse. Præterea Iouem, id est, Deum mundi opificem per sequentes Deos, hoc est per stellas animalia ex elementis composuisse. Deos autem ministerio dæmonum animalia instrumentis adminiculisque ad vitam necessariis armauisse, ea videlicet ratione, ac Prometheus, qui dæmonum sublimium ordinem significat, armaret homines. Epimetheus autem qui inferiorum dæmonum refert exercitum, bruta fulciret, neque id quidem iniuria, siquidem altiores dæmones, naturæ incorporeæ atque rationali, humiliores autem corporeæ irrationaliq; potius fauent. Quantum verò Epimetheus inferiorque natura in his quæ ad corpus pertinent fauit brutis, tantum Prometheus prouidentiaque superior in iis quæ ad animum spectant hominibus consuluisse videtur. Cum enim artis tribuit rationem, artificiosum omnium quæ natura bestiis dederat, exhibuit fabrum. Accepit autem artem ipsam vnà cum igne ab officina Mineruæ, atque Vulcani. Minerua quidem in arte ingenium, Vulcanus autem efficaciam continet, ignis denique instrumentum. Gemina verò hæc numina, Minerua Vulcanusque, primò quidem, in ipsis artium ideis excogitantur. Deinde, in Mercurii Martisque virtutibus. Postremo in Dæmonibus gubernatoribus artium. Ab his igitur omnibus Prometheus, rationalis animæ gubernator, in hominem traiecit artis industriam. Quoniam verò, diuinum id extitit donum, statim ob ipsam cum superis cognationem, homo veneratus est Deum antequam loqueretur, vel artes aliquas exerceret: quippè cùm diuinum munus ob mirificam eius potentiam prius erigat in diuina quam porrigat per humana. Prometheum verò ob id munus dolore affectum, significat dæmonicum ipsum curatorem nostrum, in quo & affectus esse possunt, misericordia quadam erga nos affici, considerantem nos ob ipsum rationis munus ab eo vel datum, vel potius excitatum, tanto miserabiliorem vitam in interris quam bestias agere, quanto magis sollicitam atque inexplicabilem. Quod quidem Pythagoras animaduertens, Epimetheum quantum ad hoc ipsum spectat, Prometheo anteposuit. Id autem illi quodammodo simile videtur esse. Pœnitet me fecisse hominem. Proinde memento hominem hic quemadmodum & apud Moysen ex terra, & postremo creatum. Item more quasi Mosaico mundum initium habuisse. Sed de his aliàs. Per eundem Prometheum in Philebo dicitur datam esse nobis à diis differendi artem vnà cum igne. Ars enim differendi, vbi vniuersalia in particularia diuidit, processum rerum à superioribus repræsentat: vbi particularia vicissim in vniuersalia ritè resoluit, controuersiam rerum ad superiora designat: vbi definit, & vbi demonstrat, existentiā rerum ostendit, ibi quidem in seipsis, hic autem ab aliis dependentium. Ideò differendi facultas diuinum est donum, cum diuinum vniuersi ordinem referat. Cum igne verò data dicitur, quia ignis similiter diuidit, resoluit, definit atque demonstrat. Item quia rationalis facultas ignis instar illuminat intellectum, accendit voluntatem, & vtrumque eleuat ad sublimia. Quod autem traditur Prometheum ciuilem virtutem saluti hominum penitus necessariam, largiri non potuisse, propterea quod virtus eiusmodi penes Iouem sit, quo Prometheo non licet ascendere; ea ratione intelligendum est, quia ciuilis virtutis officium est non solum rebus humanis, sed etiam artibus imperare, singulasque cum singulis ordinare, cunctas denique in communem omnium formam dirigere. Idem verò officium Iouis ipsius est in vniuerso, quod in hominum genere apparet scientiæ ciuilis officium. Quamobrem non iniuria ad Iouem ipsum spectat hanc nobis ex alto largiri. Vniuersalis enim virtus ad vniuersalem Iouis pertinet prouidentiam. Prouidentia verò dæmonum particularis

est & angusta, ideoque in Iouis arcem nequit ascendere, cũ angustior humilior que prouidentia amplissimã eminẽtissimamq; æquare non valeat. Iupiter igitur per Mercurium, id est, per Angelum diuinæ voluntatis interpretem, ciuilis scientiæ leges, id est, voluntatis suæ decreta ad humanæ societatis generisq; salutem spectantia mentibus nostris inscribit: inscribit inquam, & ab initio, quod Timæus apertè docet, & quotidie per Angelos diuinam nobis voluntatem interpretantes. Vnde intimus in nobis præsidet iudex, inextinguibile rationis lumen, rectum veri falsique & boni malique examen, ineuitabilis conscientiæ stimulus. Per hanc Deus infusam omnibus legem omnes ita fermè ad commune dirigit bonum, vt omnes flammas leuitate erigat ad superna. Ab hac vtiq; ingenita lege lex deinde scripta ducit originem. Quod quidem in ipso libri legum exordio Plato aperuit, dicens: non ab homine, sed ipso Deo leges initium habuisse. Sed vt ad præsentem dialogum redeamus, subiungit Iouem per Mercurium condidisse legem, qua iubeantur omnes ciuilitatis esse participes, quippe cum hæc sola sit vinculum ciuitatis, ipsamque ciuitatem iustitia & pudore constantem ait ad omnes cœlitus demisisse, eo videlicet pacto, vt quicunque post hac virtutis huius omnino expers deprehensus fuerit, tanquam ciuitatis pestis vltimo afficiatur supplicio. Quem verò primo appellauit pudorem, deinde temperantiam nominauit. Est enim pudor ingenitus temperantiæ fundamentum. Temperantia quidem in ciuibus proprios cuiusque moderatur affectus, gestusque componit. Iustitia verò actus cuiusque conducentes ad alios dirigit. Memento verò ciuilitatem in persona priuata his ferè duobus esse contentam, sed in publica ex Platonis mente his adhibendam esse prudentiam. Atque id quidem penè satis in pace fuerit: in bello autem fortitudinem adhibeto, atque ita ciuilitatis erit absoluta descriptio. Post hæc autem confirmat Protagoras à communi hominum sententia virtutis huius participes omnes esse debere, propterea quod, si quis iniustitiam suam palam fatetur, vulgo insanus habebitur: quasi omnes existiment tam necessariam communem ciuitati iustitiam, vt etiamsi quis non habeat, saltem habere eam debeat simulare. Cum verò ostenderit hactenus ciuilem virtutem esse omnibus maximè omnium necessariam, eiusque affectum quendam siue fomitem semenque ab initio diuinitus nobis infusum, demonstrare deinceps aggreditur virtutem ciuilem, imò & alias (omnes enim illa complectitur) neque natura neque casu absolutum firmumque habitum sortiri posse, sed doctrina duntaxat & consuetudine eius habitum comparari. Ad id verò primo rationem affert ostendentem homines non solere aliquem ob ea quæ vel natura, vel casu fiunt probare vnquam, vel improbare, actiones autem virtutis aut vitij, laudare semper aut vituperare. Deinde pueritiæ adolescentiæque educationem sub domesticis, Grammaticis, Musicis, Gymnasticis, Legibus, ordine quodam longo disponit, ostendens totã vitæ institutionem ad id obnixè contendere, vt declinentur vitia virtutes possideantur, quasi neque vitia, neque virtutes, vel fortuna, vel fato, sed arbitrio, & exercitatione proueniant. Interea priscorum perstringit sententiam de vitiis puniendis cõsideratione dignam, videlicet neminem quia deliquerit, sed ne vel ipse vlterius, vel alius eius exemplo delinquat, puniendum esse, respondetque ad illa quæ obiecerat Socrates. Nos autem omnibus quæ hactenus disputata sunt auream illam priscorum sententiam tenebimus alta mente repostam. Primo quidem Deum ipsum vitæ salutique nostræ omnibus vndique modis prouidere atque consulere. Deinde ciuilem virtutem donum esse diuinum, ne quis fortè confidat seabsque diuina gratia, remp. rectè feliciterque gubernaturum. Id enim in Legibus, & alibi Plato confirmans ait: quemadmodum bestiæ multæ ab vna nisi sub humano Pastore rectè duci non possunt, ita neque homines multi feliciter ab vno quodam rege nisi & vnus regatur à Deo. Ideoque regendi facultatem non aliunde quam à Deo haberi in Theage & Menone probat. Pythagoras verò sophista quid velit ipse viderit. Denique quam necessaria sit inuiolata iustitia missa cœlitus meminerimus, si aures assiduè nostras priscorum voces illæ circumsonent: Mortales quondam misceri antequam ciuilitas cœlitus mitteretur, neq; segregati viuere poterant, quin passim laniarentur à feris, neque iterum congregati, quin à se inuicem lacerarentur. Itaque salutem nobis quam cunctæ simul artes præstare non potuerunt, sola tandem iustitia præstitit. Post hæc Socrates ne Sophista propter nonnulla quæ ab aliis accepta narrauerat bona, admirationi sit audientibus, ironica quadam, & vrbana, & artificiosa redarguendi ratione reddit illum præsentibus deridendum. Interrogat enim postquam de virtute tam magnifice fuerat elocutus, vtrum vna sit tantum virtus an plures. Præterea si plures, vtrum sint partes vnius, necne. Rursus si partes, nunquid simi-

les sibi inuicem atque toti, an vtrinque dissimiles. Adhæc Protagoras neq; rectè scit respondete, neque definire aut partiri virtutes, neque distinguere qua ratione similes sint, & qua dissimiles, neque quod in disputando turpissimum est euitare, quin ad id facile deducatur, vt sæpe sibiipsi repugnet. Tandem verò cum ob ignorantiam respondendi inciperet Protagoras tergiuersari, ideoque Socrates abiturum se simularet, ab auditoribus Sophista ad differendum est reuocatus. In qua quidem altercatione Prodici primum Sophistæ superstitiosa circa vocabula curiositas demôstratur, deinde Hippiæ quoq; Sophistæ ostentatio in concionando tumidior. Postremo Protagoras reuocatus ad disputandum, importune nimium, & inepte in carmina poësinque digreditur, interrogans Socratem de quadam Simonidis poëtæ sententia, quam & ipse minime intelligere à Socrate mox conuincitur, mentem Simonidis exponente, quasi dixerit, virum bonum fieri quidem esse difficile, perseuerare autem impossibile. Hic audies priscorum sapientiam verbis quàm paucissimis fuisse contentam, atque posse breuibus multa complecti, viro absolute docto opus esse. Item neminem mala turpiaq; sponte committere, sed ignorantia. Denique vbi dialectico more disseritur, poëtica respuenda. His actis, iterum Sophista tergiuersatur, atque vix à præsentibus reuocatur. Tunc Socrates ad priorem de virtute disputationem regreditur, vtrum multæ sint virtutis vnius partes, & qua inuicem ratione se habeant. Protagoras autem iterum labitur, affirmans alias inter se virtutes esse simillimas, quod in superioribus non admiserat, item fortitudinē ab aliis lōgissime separans, consentiensque homines absque prudentia cæterisque virtutibus fortes esse posse. Qua in re sibimet repugnare deinde compellitur, confiterique non solum fortitudinem, sed neque etiam virtutes vllas absque prudentia posse consistere. Tum verò de bono, & malo multa tractantur. Siquidem prudentia est scientia eligendi boni, malique vitandi. Ambigitur autem vtrum bonum malumque idem sit penitus quod & voluptas atque dolor. Neque affirmatur id quidem omnino, neq; manifeste omnino negatur. De hoc enim in Gorgia, Philebo que, & alibi. Omnino verò probatur prudentiam ipsam, in qua & finis vitæ, cognitio, & vitam ad hunc conferentium consistit electio, moralium virtutum esse principem atque ducem, idque vsque adeo asseritur vt virtutes quasi scientiæ, id est, prudentiæ quædam videantur esse, vitia verò inscitiæ, scilicet imprudentiæ quædam. Additur deinde peccata omnia ab ignorantia proficisci, neque illum aliquando electurum mala, nisi deceptum imagine boni, neque fugiturum bona, nisi imagine quadam mali perterritum. Siquis verò dixerit hominem bona discernentem atque mala, ab illis tamen diuerti, adhæc contra conuerti, propterea quod à voluptate vel affectu sensuum alio superetur, Socrates id negabit, assereus idipsum quod ab effectu superari dicitur, nihil esse aliud quàm inscitiam. Scientiam verò omnium quæ in nobis, & circa nos sunt, potentissimum esse, neque ab vlla re vnquam superari posse. Denique concludit scientiam plurimum, imò totum ad virtutem, beatitudinemque conferre, ignorantiam verò pariter ad contraria. Iterumque Protagoram corripit, quod & sibimet contradixerit, & ordine vsus præpostero fuerit. Siquidem antequam quid sit virtus definiat, partiri eam aggreditur, & vtrum doceri valeat, disputat. Simulat quinetiam Socrates se quoq; in repugnantiam esse deductum, ex eo duntaxat, quod Sophistam secutus fuerit aberrantem, admonetque vt Promethei prouidentiam potius quàm Epimethei properantiam in omni vita pro viribus imitemur.

In Euthydemum. Epitome.

Plato insignis charitate vir in Euthydemo, quemadmodum & sæpe alibi, studet animos ad seria natos à vanis Sophistarū nugis auertere, ostendens eos vel vbi de rebus grauissimis agitur, ludere, spēque audientium vbique deludere. Hos autem & alibi aliter, & hic ita describit, curiosos & vanos in verborū altercatione certatores, promptos ad quoduis dictum, seu verum, siue falsum sit, refellendum. Primo quidem ostendit, quàm auarum sit ingenium Sophistarum, cum Euthydemus Dionysodorusque fratres Sophistæ, artem militarem, qua glorìantur, parati sint mercede docere, quàm nullus vnquam vendidit. Deinde quam ambitiosum. quippe cum iudicialem peritiam vnà cum militari, & vtramque vnà cum sophistica, quæ longissime inter se discrepant, simul profiteantur. Tertia quàm vanum, nempe iam senes à rebus ad verba, à veritatis studio ad mendacia sese conferunt. Quarto quàm contemnendum. Breui enim & ad summum biennio quilibet cauillatoriam hanc assequitur facultatem. Quinto quàm periculosum. Nam cui mirum videri debet, simplices adolescentes fucatis sophistarum argutiis facile irretiri, falsisque inde opinionibus perniciosisque moribus imbui, quandoquidem & Socra-

tes ipse senex, sapientissimusq; fingitur eadē esca illaqueatus, admirabundusq; ad sophistarū gymnasia properare? Adde quod & Socratic⁹ ille dæmō, qui à nullo decipi posse videtur, à sophisticis horum nebulonum præstigiis fingitur esse decept⁹. Interea Socrates etiā in senectute scholas puerorū, & ludos musicæ, verborumq; rudimenta frequentans, nos admonet, primò quidem ne quid ad disciplinarū perfectionē vel minimū contēnam⁹. Deinde ne, vt sæpè accidit, subrustico quodā verecundiæ rubore à disciplinæ studiis arceamur. 3. vt Solonis more tamdiu discendum nobis esse censeamus, quamdiu viuendum. Proinde quod Sophistæ Socraticam aduersus eos ironiam nunquam animaduertunt, imò vero nihil tam magnificum in eorum laudes adducitur, quin facillime credant palamq; recipiant, duo nobis declarat præcipue: alterum quidem, nihil vanius hic nebulonibus reperiri posse: alterum vero, eos qui ad alios fallendos impensius student, nimirum sua ipsorum fallacia facillime falli. Præterea quod præstigiatores eiusmodi virtutē quem pollicentur, neque præstant vnquam, neque ad ipsam alicubi exhortantur, sed ad consuetas verborum cauillationes vbique refugiunt, easq; quasi res serias studiis aliis quasi ludis proculdubio anteponunt, tria potissimum nobis significat. Primum eos qui virtute ipsi ornati non sunt, eam nunquam vel ratione, vel exemplo posse docere. 2. homines verborum nimium curiosos, res bonas nunquam vel consequi vel afferre. 3. eos qui facillime plurima pollicentur, minime omnium promissa seruare. Accedit ad hæc quod Socrates Sophistas ad docendam virtutem allicit discipulorum diuitum plurimorumque turba tanquam ambitiosos nimium, & auaros. Sed ibi sub persona Critonis admonemur, ne temere cuilibet curandum animum committamus. Quod vero Socrates sophistas dum virtutem promittunt, interim quasi Deos obsecrat, aperte declarat ab ipso Deo virtutem esse petendam, hominesque virtute præditos quasi diuinos habendos esse. Item quod illos ob virtutis studium regibus beatiores existimat: plane significat virum virtute præditum, primo quidem suiipsius, deinde, & regum esse regem. Docet præterea Socrates in Clinia curando quantam cum charitate, quantā curandæ iuuentuti adhibere diligentiam debeamus. Mox verò sub insolentissimorum sophistarum pollicitationibus parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Sed, & notanda est ibi hyperbolica quædam ad vanos homines deridendos Socratis ironia. Deinde incomparabilis vanitas nebulonum pro rebus verba, & illa quidem ineptissima vbiq; præstantium, quumque exhortationem ad sapientiam promiserint, ad pueriles ineptias relabentium. Tum Socrates vniuersum sophistarū gymnasium ait, ludum esse verborum, eosq; rerum naturam omnino latere, atque artificiosas illorum telas, sola verborum expositione significationisque distinctione posse dissolui. Obsecrat deinde facetissima quadam ironia sophistas, vt post ludos ad seria veniant: proponitque formulam quandam, ad cuius exemplar exhortationem ad philosophiam ab illis exoptet. In eiusmodi formula felicitatem primo quidem communi notione describit, bene viuere. Deinde hoc ipsum bene viuere vel in ipsa rerum ad votum consecutione, vel in recto rerum ipsarum vsu probat consistere. Atque vtrinque per inductiones concludit: sapientiam, cum sola, & consequatur res ad votum, & vtatur recte, solam beatos efficere. Ibique talis in inductionibus ordo conspicitur, vt si per singulas vitæ partes sapientia tum ad votum consequitur, tum recte vtitur, consequentem in vniuersa vita finem vitæ communem summumque bonum sapientia eadem afferat in consecutione prospera rectoque vsu consistens. Inter argumentandum verò præclara fulget sententia sectæ Stoicæ fundamētum, externa videlicet, & corporea esse indifferentia potius, & communia, quàm aut bona: aut mala dicenda. Proprie verò bonam esse sapientiam, malam verò insipientiam. Siquidem per illam bona omnia, per hanc omnia mala nobis euadunt. Ideoque sapientiam solam beatos facere posse. Quod vero in scientia potestas ad felicitatem tota cōsistat, tria ipsa felicitatis nomina à priscis Græcorum auctoribus instituta declarant, scilicet Eudæmonia, Eutychia, Eupragia. Primum significat cognitionem boni, secundum consecutionem, tertium verò vsum, quæ omnia scientia nobis perficit. Quam boni scientiam Plato, & hic, & alibi dicit quodammodo omnem esse virtutem. Sapientiam quidem esse absoluti diuinique boni scientiam. Prudentiam vero, scientiam bonorum malorumq; proprie ad hominem pertinentium. Iustitiam quoq; scientiam bonorum malorumque pro meritis distribuendorum. Fortitudinem autem scientiam circa bona & mala audendi atque metuendi. Temperantiam denique scientiam circa bona malaque similiter asciscendi atq; fugiendi. Meminisse præcæteris hic oportet, Platonem, & hic & sæpe alibi innuere sapientiam non tam humano studio comparari, quàm purgatis mentibus diuinitus infundi solere.

Quippe

Quippè cùm animus huic coniunctus corpori, ad res penitus à corpore separatas reddatur ineptus, & quasi noctua sub nimio diuinorum splendore caliget. Quapropter Socratica ad sapientiam adhortatio non tam ad speculationem pertinet, quàm ad mores. Quibus tandem purgatus animus sapientiam à Deo, & scientiam prudentiamque consequitur. Per hæc Socrates dum à sophistis exhortationem ad Philosophiam, quæ est sapientiæ studium, exposcere simulat, ipse interim aptissima quadam dissimulatione ad philosophandum mirabiliter adhortatur.

Verumtamen nondum sophistæ exhortationem vel pro seipsis vel pro aliis saltem accipiunt, sed per solitas iterum ineptias reuoluuntur. Vbi apparet quàm pertinax vel in vitiis vel in nugis semper sit ingenium, vel inique natum vel perperam educatum. Inter hæc aduerte diligentissime diuinam Platonis sententiam, qua iubemur virtutis sapientiæ consequendæ gratia perpeti non solum incommoda, iacturas, labores, & seruitutem: verumetiam si speremus ex ipsa dissolutione nostri meliores deni que euasuros, permittere nos illi qui hoc ipsum promiserit, excoriandos, liquefaciendosque ac penitus dissoluendos. Vbi apparet quantum animi bonum rebus præstet corporeis: & quantum probandi sint veteres illi fortissimi martyres Christianorum. Huic illud simile: Qui animam amat suam in hoc, mundo, perdet eam: qui verò hic eam perdiderit, eandem in æterna vita recipiet. Proinde Socrates Sophistarum captiunculas confutans, demonstrat contra Sophistas facillime posse sophismata retorqueri, præsertim quia cogit eos, & sibimet repugnare & absurdissima confiteri. His actis rursus similem superiori formulam simulando, declarat nihil boni auditores à Sophistis accipere, sophistasque ipsos veluti ditissimos ad bonam frugam reuocari non posse. Quoniam vero tria hæc nomina inter disputandum, sapientiam, scientiam, prudentiam, sæpe repetit, animaduertendum est, vbi obseruantius loquitur sapientiam definire diuinorum cognitionem, scientiam naturalium, prudentiam humanorum. Vbi vero minus obseruanter, scientiæ nomine ad tria hæc significanda vti solere. Sed vbi liberius, singulis pariter pro, omnibus vti. Præterea duo ad ducit artium genera, earum scilicet quæ efficiant opera, & earum quæ factis vtantur. Et quoniam ars quæ vtitur alterius, artis opere, tum finem illi fabricandi præscribit, tum exemplar adhibet operis absoluendi, non iniuria vtentem artem facienti dignitate præponimus. Attende hic Platonem tam paruifacere facientem artem, tam magnificare vtentem, vt apertissime velit, si quis vel materias omnes in aurum pro arbitrio possit conuertere, imò, & immortalitatem ipsam inter homines comparare, nihil sibi vel tantam auri molem vel immortalitatem nisi vti sciuerit profuturam.

Attende iterum, communem hic oratoriæ artis abusum sophisticæ similem prorsus vituperari, tanquam fascinationis maleficæ speciem, vbique ad inficiendos perturbationibus animos venefice contendentem. Simili quadam ratione communem poësis abusum alibi detestatur. Sed quia hic in artibus numerandis nominat dialecticam, ne quorundam more dixerim dialecticen, nam dialectica mihi latinius sonat, meminisse oporter Logicam apud Platonem significare artem regulas nominum, orationum, argumentationumque disponentem; dialecticam vero sagacem Philosophantis indaginem, regulis his vtentem ad rationes rerum inuestigandas, diuinarum præsertim, à quibus rerum quoque sequentium summæ rationes accipiunt, ideoque dialecticam plerumque apud Platonem Theologiam nobis significare. Nominat ibidem artem regiam atq; ciuilem, scilicet prudentiam humani generis feliciter gubernandi. Quæ quidem siue in persona priuata siue publica sit, vel vna vel multis, æque ab ipso tam ciuilis quam regia nuncupatur. Huic profecto tanquam reginæ omnes subiicit facultates, quæ in agendo faciendoque versantur, quibus ipsa dat leges, ac tanquam instrumentis vtitur, & ancillis.

Subiicit similiter Theologiæ scientias omnes quæ versantur in speculando, ad quam hæ ita se habeant, quemadmodum priuatæ artes ad regiam. Quamobrem Socrates dum in ipsa formula superiori formulæ rursus continuata facultatem quærit ad felicitatem potissimum conducentem, merito dimissis aliis ad regiam Theologiamque confugit, præsertim cum felicitas in optimo rerum vsu consistat: hæc verò rectissimum, tum speculandi, tum agendi & faciendi vsum afferre omnibus per omnia studeant. Idem tradidit in Philebo; idem in vltimo Legum, idem in libris de Republica; vbi ad generis humani felicitatem futurum gubernatorem in Theologia primum, deinde in ciuili instruit disciplina, asserens diuinam ipsam boni ideam, vix tandem à solo legitimo Theologo percipi, ac nisi percepta fuerit, non posse quicquam

vel priuatim vel publicè rectè agi feliciterque disponi.

Quamuis autem ita sit, Socrates tamen hic inter adolescentes atque sophistas mysteria hæc reuelanda non censet. Mos enim Socraticus adolescentes exhortatur solùm, sophistas solùm confutat, viros denique legitimos docet. Hic ergo sub ironia atque dissimulatione, eiusmodi tangit mysteria, seque simulat hæsitare, & quasi inter sophistas vertiginosos pati vertiginem. Fortè verò ambigere propterea simulat, vtrum Theologia Ciuilisque præstet felicitatem, quia neque Theologiæ, neque ciuilis disciplinæ, absolutam perfectionem humana quadam via, sed diuina potius inspiratione haberi posse sæpè confirmat. Quapropter non iniuria humanis diffisus viribus, felicitatem in diuinam refert munificentiam, in quam & Theologiæ sapientiam, & Ciuilis prudentiam, proculdubio retulit.

Eò denique pacto, hæc omnia nobis accipienda sunt, vt humana quidem officia mentes ad felicitatem præparent, præcipuè sub Theologica Ciuilique disciplina, rectissimè gubernata: Dei verò ipsius clementissima bonitas, summum hominis bonum per hæc quasi media ad ipsum conuersis denique largiatur. Statueram hic satis honestum argumento, imò verò commentario finem imponere, verùm detinet me adhuc necessaria quæstio, ad quid conducat frequens Socratis ironia, quæ quidem semper Socratis bona dissimulat, sæpè verò bona simulat superborum: & quantum semper Socrati derogat, tantùm sæpè superbis arrogat: atque id quidem iocis facetiisque frequentibus efficit, & sæpius vltra fidem, vt in se quidem deprimendo audientes reddat modestiores: in superbis verò supra fidei modum extollendis, superbiam reddat omnibus deridendam. Profectò, qui præter modum laudantur à Socrate, si non omnino perditi sunt, rubore confusi seipsos emendat: sin verò iam perditissimi, non ipsi iam, sed præsentes correptionis eius exemplo tam ridiculam superbiæ vanitatem cautissimè vitant. Est autem Socratica ironia, res admodum artificiosa, vrbana, faceta, venusta. Tutius veritati adstipulatur, od iumque declinat, dum & professionem aptè dissimulat, & prius sibi derogat manifestè, quàm vel clam derogare alteri deprehendatur: & quod maximum est in vitiis corrigendis, fugit maledici notam.

Per hanc vtique propè huius Dialogi finem, Sophisticæ cauillationis vituperationem in tria colligit capita. Primum, quod probatissimi quique nugas eiusmodi aspernantur. Secundum, quod sophismata seipsa confundunt. Tertium, quod vel pueri hæc tanquam leuissima biduo assequuntur. Mox à sophista descendit ad Rhetorem. Vterq; enim ciuilem virtutem falsò profitetur, vt scribitur in Gorgia: & sophista quidem Philosophi speculationem, Rhetor autem moralem Philosophi disciplinam simulat procul à vero. Ostendit autem Rhetores atque Oratores, dum se & Philosophos & Ciuiles simul profitentur, esse ad vtrumque prorsus inutiles. Concludit postremò Dialogum gemina optimaque sententia. Altera quidem, curandum magis esse vt bene sint filij, quàm vt sint: atq; vt illos relinquas bonos, potius quàm illis relinquas bona. Altera verò, omnino esse philosophandum: quandoquidem Philosophia ipsa res est diuina, neque vel ob falsos eius professores, vel ob mendaces calumniatores dimittendam esse possessionem adeò pretiosam.

IN HIPPIAM MINOREM, Epitome.

Mirifica Socratis, Platonisque nostri bonitas, cùm diligentissimè multis vbique modis prouideat, ne iuuentus credula subdolis sophistarum aucupiis capiatur, captaque perdatur, non iniuria Hippiam Eliensem sophistarum insolentissimum atque fallacissimum duobus Dialogis agitat, maiore, videlicet, atque minore. In maiore quidem demonstrat Hippiam rerum professorem, pulcherrimarum omnino quid ipsa pulchritudo sit ignorare. In minore verò, eundem se iactantem, quod ante alios mendacem à verace discernat, ostendit in vtriusque definitione prorsus errare: vt pateat Hippiam, vt omnium arrogantissimus est, ita & ignorantissimum esse, atque ineptissimum apparere. Mitto nunc quod eum, vt mos est sophistarum, iactabundum, & temerarium, auarumque depingit: & cùm promittat omnia, in omnibus dantem verba, nihil verò præstantem, cumque maximis glorietur, vel in minimis claudicantem.

Sed, vt ad mendacis veracisque definitionem redeamus, mendax ritè describendus erat, qui maximè velit, vtcunque possit, sciatque mentiri. Verax autem contra, qui maximè velit, vtcunque possit, & sciat, vera loqui.

At Hippias inertissimus artium magister omnium, confusissimusque veracis, mendacisq; discretor, ordine definit opposito, dicitque mendacē qui maximè possit, sciatque mentiri quotiescunque voluerit: veracem verò, qui quandocunque voluerit queat, & sciat vera loqui. Vnde cogitur primū fateri mēdaces esse potentes, scientes, prudentes, sapientes. Deinde & bonos ad illa ad quæ potentes sint, atque sapientes. 3. Per artes singulas deducendo compellitur in qualibet tam re quàm arte fateri eundem esse veracem atque mendacem, quod negauerat ab initio: siquidem in qualibet ille qui optimè callet, idem maximè potest, & scit pro arbitrio vera loqui, pariter atque mentiri. 4 Ad concedendum inducitur veracem nihilo meliorē esse mendace: quandoquidem quàm sufficiens bonusque est verax ad loquendum vera, tam sufficiens bonusque appareat mendax ad mentiendum. Post hæc Socrates sophistam in ambiguitatem adducit, vter delinquat grauius, num qui mentitur volens, an qui nolens.

Id verò Sophista nescit soluere, neque Socrates quidem soluere vult sophistæ: est autem ita soluendum. In his quidem quæ ad intelligentiam pertinent minus errare qui mentiuntur sponte: in his autem quæ ad mores spectant, errare magis. Eum verò qui nolens, dicit mendacium, contra se habere. Deinde, ambigitur vtri magis errent, num qui dedita opera, an qui infirmitate vel ignorantia peccant, probaturque longis inductionis ambagibus, in his quæ ad naturā & artem, illarumque instrumenta pertinent, grauius esse vitium, vel impotentia, vel ignoratione commissum, quàm malitia perpetratum. Siquidem naturæ bonum in ipsa potentia, bonum vero artis in hac ipsa, atque insuper in cognitione consistit, malum igitur in oppositis.

Ex his autem extra propositum Socrates Hippiam ad mores transfert, concludens idem in genere. Quod quidem & si intelligit Socrates fieri non debere, studet tamen declarare sophistam id nequaquam animaduertere. Profectò in his quæ ad voluntatem moresq; pertinent, grauius delinquitur malitia, id est, quadam voluntate peccandi, quàm si vel per impotentiam, vel per ignorantiam delinquatur. Postremò, Socrates iustitiam esse dicit, vel potentiam, vel scientiam, vel vtrumq;. Addere sciebat, sed nolebat tertium, scilicet vel voluntatem. Iustitia enim maximè in voluntate consistit, id verò declarare noluit latere sophistam: sed iam argumentum superioribus præceptis his concludamus. Docendum sine inuidia; absque rubore discendum, gratiæ semper habendæ docenti. Aliena inuenta sibi non vsurpanda.

In Charmidem, vel de Temperantia, Epitome.

STudium Socratis in hoc Dialogo est, omnes quidem ad temperantiam cohortari. Tres verò præcipuè, scilicet, adolescentes, & nobiles, atque pulchros. Adolescentes quidem propterea, quod citò morbis adhibenda est medicina. Principiis obsta, sero medicina paratur, cùm mala per longas inualuere moras. Nobiles quoque, tum vt ostendat veram in virtute nobilitatem esse ponendam, tum quia nobiles plerumque cæteris exemplo sunt, & quotidie ad Rempublicam admittuntur, grauissimo si mali sint, humani generis detrimento. Formosos denique: nam hi potissimum flagitiosorum consuetudine deprauantur: quo fit, vt magis egeant medicina. Præterea, formosi studere debent, vt quemadmodum natura corpori breuem tradidit pulchritudinem, sic ipsi vicissim Deo naturæ authori, sempiternam animi restituant pulchritudinem. Neque verò permittendum est, vt cum exteriora nostra multis sua pulchritudine placeant, interiora interim sua deformitate displiceant.

Etsi omnia in hoc Dialogo mirificam habeant allegoriam, amatoria maximè, non aliter quàm Cantica Salomonis: mutaui tamen nonnihil, nonnihil etiam prætermisi. Quæ enim consonabant castigatissimis auribus Atticorum, rudioribus fortè auribus minimè consonarent. Ideoque Aristarchus quidem Homericus, imò verò Platonicus, quæ minus consonant, diceret non Platonis esse, sed Chroni. Tria verò in ipso Exordio notanda sunt in primis, quæ amorem ab hac forma corporis, ad incorpoream transferunt pulchritudinem. Primùm, quod inquit Socrates, se inter pulchrum hunc, & pulchrum illum, nihil discernere, sed pulchros sibi cunctos æquè placere: quasi dicat, non in vnius corporis forma sistendum esse pedem, sed ad ipsam communem speciei totius pulchritudinem ascendendum. Quam cum vna sit in multis, ideam pulchritudinis vnam refert super multa. Quemadmodum igitur ab indiuiduo ad speciem, & à specie ad ideam cogitando transcēdimus, ita & ab amore formæ huius, ad amorem

communis formæ primo, deinde ad formæ idealis, amorem pergere admonemur. His addidit Socrates corporis pulchritudinem non propter se amandam, sed tanquam diuinæ pulchritudinis imaginem nobis existimandam. Iubet postremo nudare animum, corporisque forma posthabita, decorem animi tum naturalem inspicere, tum studio comparandum diligentius adhibere. Et interea corripit Chærephontem, qui nescio quid de nudando quasi in palæstra corpore dixerat. Neque iniuria exhortationem ad temperantiam à pulchritudine corporis exorditur. Hæc enim temperantia quædam est linearum atque colorum Sed ab hac proxime transit ad corporis sanitatem, quæ etiam est temperantia quædam, humorum scilicet atque membrorum. Tertio ab hac ad animi ipsius ornatum, qui & in affectu temperantia est, ipsa motionum scilicet moderatio: & in cogitatione quædam similiter est temperantia, in quadam intelligentiæ cum rebus quæ intelliguntur concinna congruitate consistens, vt non immerito Pythagoras temperantiam virtutem omnium esse dixerit saluberrimam, tam publice quàm priuatim humanæ societatis conseruatricem, præsertim cum & iustitia temperantia quædam sit, id est, conueniens in commutando distribuendoque moderatio.

Profectò, quamuis temperantia propriè circa cohibendas vehementes libidines voluptatesque versetur, tamen similitudine quadam transfertur & ad cupiditates omnes amputandas, & ad actum quemlibet moderandum, vt etiam officium fortitudinis in audaciæ timorisque moderatione versetur, similiter iustitiæ in præmiorum pœnarumque modo, liberalitatis quoque in erogandi modo, denique totius vitæ salus, vt ne quid nimis. Hinc Pythagoricum illud, Mensura omnium optima. Sed memento illos in Phædone negari temperatos esse, qui corporeæ voluptatis gratia à voluptatibus abstinent. Iubet enim actiones mortales ad purgandam mentem referri, consequendæ sapientiæ diuinæque similitudinis gratia. Tanta vero est excellentia temperantiæ, vt & eam omnes in operibus suis obseruent artifices elegantes, & ipsius virtute non solum corpus sub luna quodlibet, verumetiam cælum ipsum vniuersumque setuetur, quod in Gorgia sapientum testimonio confirmatur. Huic illud simile, Disponit Deus cuncta suauiter. Item in numero, pondere, mensura, cuncta disponit.

Sed iam ad dialogum reuertamur. Socrates dum ex sententia magorum vetat curari corpus antequam curetur animus, manifeste eos improbat, qui minima curantes, maxima negligunt, velut qui equis & canibus ægrotantibus remedia quæritant, in sui vero corporis & animi morbis medicos minime consulunt. Minima quæque supellectilia rite componunt, ipsi interim & animo & corpore incompositi. Intemperato animo citharam temperant. Quotidie aliena curiose tractant, propria deserunt. Omnia vero præter animum ipsum nobis sunt aliena. Ideo corporis medicinam solum appellauit, rem leuem, fragilem, & omnino mutabilem, ac penitus contemnendam. Significat etiam multa nobis incommoda tum corporis, tum fortunæ ob intemperantiam frequenter accidere: atque contrà complurima bona per temperantiam prouenire. Item animo perfecte composito, quæcunque accidunt, tam & prudenter disponi, & æque tolerari, vt nihil tandem euadat in malum. Incomposito vero animo nihil bene vel in corpore, vel extra posse componi. Exponit autem in Cratylo nomen intemperantiæ Græcum Sophrosynen, quasi salutem quandam conseruationemque prudentiæ. Putat enim animo verorum lumina omnium innata fuisse, ideoque si in seipsum prorsus inspiciat, vera in se omnia conspecturum. At vero quò minus inspiciat, in causa est immoderatus ad corpus corporeaque affectus: quo fit vt temperantia opus sit in primis, per quam expulsa perturbationum caligine mens facta serenior, diuini solis lumine abunde circumfundatur, vnde sapientiam primo recuperet, deinde prudentiam adipiscatur. Quoniam igitur temperantiam sapientia prudentiaque comitatur, ideo Plato sæpe alibi, & in hoc dialogo subipso temperantiæ nomine sapientiam quoq; vult & prudentiam contineri. Monet autem Socrates Charmenidem, vt respiciat in seipsum de temperantia verba facturus, nam hæc ipsa in seipsum conuersio, est huius virtutis officium: & quisquis in seipsum penitus conuersus fuerit, tum per ipsam temperantiæ ideam innatam menti, humanam intelligit temperantiam, tum moderationem ipsam agnoscens, qua Deus animæ partes ab initio inuicem temperauit, cognoscet qua ratione sit affectus animi temperandus. Accedit ad hæc, quod in hoc præcepto significat neminem nisi temperatū de temperantia loqui ad persuadendū vel deberevel posse. Preterea traditur in

Timæo, ex consonanti quadam animæ, ram ad seipsam, quàm ad corpus modulatione, nobis prospera cuncta contingere. Quinetiam Pythagoræi, quos Romanus in hoc sequitur Cēsorinus, si animus prudēter motiones singulas tũ sui, tũ corporis moderetur, perpetuã vtriusq; sanitatē, & diuturnã vitã corpori pollicentur. Quod quidem plerisq; sapient. sãctisq; viris prouenisse cõpertũ & Censor. & nos habem⁹. Ad eãdem quoq; causã aut similē diuturnas priscorũ vitas nonulli referrent: sed additur his aliquid mirabilius: Magos carminib. suis immortalitatē corporib. polliceri. Magicem Zoroastris Plato in Alcibiade, nihil aliud quã diuinũ cultũ esse dicit. hic insuper addidit, nõ magicis tantũ carminib verũetiã philosoph. rationib. & tēperari animum, & corp⁹, vel sēper, vel diu saltē procul à morte seruari Profectò oratio illa quæ tēperantiã audientibus omnino sit persuasura, atq; insuper effectura, duo potissimũ exigit, & vim à Deo infusã, & rationes à Philosoph. cõparatas. Atq; orationē his cõpositã Plato incantationē nominat magicã, qua Phœb⁹ primò deinde Pythagorici morbos ab animo & corpore mirabiliter expellebãt. Neque vero falsũ putari debet, corpus anima penitus tēperata immortale effici posse, & sub intēperata in morbos, & mala labi. Id enim Mosaicũ de primi parentis statu atq; lapsu mysterium continet; atq; Auicenna sequutus Platonic. & Hippocr. probat animum ex ipsa sui natura adeò materiã omnem exuperare, vt cùm primũ in seipsum fuerit restitutus, possit elementa mundi mira quadã virtute mouere, atque habere in corpora quæuis imperium. quo fit, vt multo magis possit in propriũ. Quod quidē & ab initio Adã poterat experiri, & quidam putant Enoch & Eliã, & nonnulli suspicantur Euangelistã adhuc ratione quadã simili viuere: sed de his omnibus in Theol. nostra latissimè disputamus. Deniq;, vt summatim dicam, mira in hoc virtus temperantiæ declaratur, quod animũ infeliciter in deteriora prolapsum, feliciter sibi ipsi restituit: declaratur & mira potestas animi, à quo omnia, tã bona quã mala in corpus defluant, & quo volente corpus seruari valeat incorruptum, quod quidem Mosaicis mysteriis ferè vndiq; cõsonat Post hæc sæpius quid sit temperantia quæritur, quod quidem neque Charmides, neq; Critias vnquam absoluit. Ille enim nõ temperantiam propriè, sed quæ comitantur eam, adducit in medium, hic autem quę ad prudentiam magis pertinent: & id quidem semper ineptè, videl. vt declaretur non esse cuiuslibet de virtute tam præclara disserere. Interea, nota priscos sacerd. cõsueuisse in sacris tertiã libationis paterã Ioui seruatori præcipuè cõsecrare, vt declararent principia, media, fines omniũ, vt in Legibus Plato refert, sub Iouis prouidentia disponi atq; seruari: sed ad Critiæ ineptias redeamus, dicentis esse scientiam quandam, quæ tã se, quã scientias oēs sciat: res verò ipsas quarum sunt sciētiæ, nesciat. Quod quidem ideo est absurdum, quia veritas ipsã, ratioq; sciētiæ in ipso eorũ quæ sciuntur, quasi quodam cõtactu congruentiaq; cõsistit. Præterea, neque perfectè sciri potest scientia, nisi quæ scientia sit discernatur: id verò nisi rei cuius sit habeatur, haberi non potest. Item, confitetur Critias posse aliquem quæ nullo modo cognoscit, interim cognoscere se nõ nosse. Id autem Socrates idcirco non recipit, quoniã quæ nullo modo sciuntur, non possunt interim quodammodo sciri. Quisquis enim animaduertit se aliquid ignorare, eò ipso agnoscit & se carere: si ita iudicat, ergo iam notionem ipsius quandam in seipso descripsit, per quam iudicet & se carere, & quo præcipuè careat, quo fit, vt quicumque rem aliquam se ignorare cognoscit: interea, rem ipsam nõ prorsus ignoret, imò generali quadam adumbratione describat: generali, inquã, propterea quod in speciali rerum distinctione scientia perfecta consistit, quam in omnibus disputationib. suis Plato perquirit. Vbi verò Socratem inducit agnoscentem se nihil scire, indicat eum, & si non speciales, generales tamen rerum descriptiones habere, alioquin ignorantiam suam non posset agnoscere: ideoque dũ sciebat nihil, sciebat quodammodo cuncta Quoniam verò Critias sermonem de Temperantia, traduxerat ad Prudentiã, & id quidem licentia quadam Platonica, Socrates prudentiam asserit, id est, boni malique scientiam, authoritatem, summã ad beatitudinem obtinere, tũ quia & bonum finem, & bona ad ipsum media ipsa demonstrat: tum quia omnes, tam res quam artes quatenus ad ipsa reguntur, nobis conducunt ad bonum, contra verò nequaquam. Postremò, docet Socrates nihil difficilius, vel definiri, vel comparari quàm temperantiam. Difficultas verò definitionis inde procedit, quod vix à cæteris virtutibus, quarum ipsa consonantia quædam est, discerni potest. Adde quod tanto difficilius intelligitur, verbisque exprimitur, quanto difficilius intrinsecus possidetur. Profectò cùm ex ipso corporis commercio maximè ad voluptatem temperantiamque procliues simus, in eaque ab infantia nutriamur, difficillimè temperantiam adipiscimur.

Præterea primi sensus affectus videntur nonnihil interdum vel ad fortitudinem per iram audaciamq; conferre, vel ad prudentiam per timorem, vel ad patientiam per dolorem, vel ad iustitiam liberalitatemque per amorem. Temperantiæ verò semper impetus omnis opponitur, cum enim in summa quadam tranquillitate solum collocari possit, à quouis affectu vndique impeditur Auget quoque difficultatem, quod sicut in corpore consonantem omnino humorum membrorumque temperiem, sic in animo harmonicam suorum omnium temperantiam reperire omnium est difficillimum. Quamobrem non iniuria Socrates tam in Epilogo quàm in exordio ad temperantiam cœlesti harmoniç persimilem consequendam opus esse ait cœlesti virtute atque diuina, tum animo, tum rationibus, & verbis infusa. Vbique verò admonet contendendum esse potius, vt sub legitimis institutis temperati efficiamur, quàm vt sub dialecticis rationibus de temperantia disputemus: quandoquidem summa quadam difficultate cognoscitur, & cognita sine vsu non modo nihil prodest, sed & obest quàm plurimum, atque id quod maius est, nisi re ipsa possideatur, perfecte cognosci non potest. Impuro enim rem omnium purissimam non licet attingere.

In Lachetem, vel, De fortitudine, Epitome.

PLato sæpe numero magistratus optimos legib⁹ anteponit, quod leges absque illis omnino videãtur inutiles: eas enim seruabit nullus: Magistratus autem optimi ipsi sint leges. Sed ait magistratus non posse optimos fieri, nisi ciues viri optimi, neque viros fore tales nisi adolescentes quoque puerique sint tales. Quapropter in omnibus pene dialogis parentes in primis ad recte educandos filios adhortatur, sciens non posse genus humanum absque gubernatoribus optimis vel honeste viuere, vel feliciter gubernari. Præterea nunquam fore bonos in Rep. principes, nisi viri sint probatissimi, statim videlicet à tenera ætate diligenter exculti. Cum autem pueritia plerumque sub domesticorum prouidentia satis ferme regat, adolescentia vero licentiam nacta solutior passim absque frenis oberret, merito Plato noster plurimum de adolescentibus corrigendis frenandisque pertractat, grauiter conqueritur eam ætatem, quæ cum molitie lasciuiaque petulantiam superbiamque coniungit, ideoque in summo discrimine posita est, tum à domesticis parum obseruari, tum à legibus magistratibusque infeliciter negligi, præsertim cum adolescentes tam se inuicem coinquinent, quàm à grandioribus passim inficiantur. Itaque in Legibus & Repub. magistratum inter cæteros proprium adolescentiæ præfecit. Qui tanquam, vt ita loquar, Episcopus exploratores quotidie tam nocte quàm die per totam mittat vrbem, singulos singulorum adolescentium mores, verba, gestus obseruaturos, singula que eorum tum facta tum dicta ad magistratum velut ad Pastorem patremque fideliter delaturos. Nec tamen necessaria adolescentiæ diligentia soli ex omnibus Platoni fuit curæ, qua quidem in re nec Aristoteles ipse Platonem potuit non summopere comprobare. Sed ad dialogum veniamus. Lysimachus & Melesias de filiis cogitant educandis, de suis conquesti parentibus, quod publica curiosius pertractantes, domestica filiosque neglexerint, cum tamen prima reip. cura in curanda iuuentute consistat: & quamuis iam senes, tamen vt rectius ea de re deliberent, Niciam Lachetemque etiam senes quibus, & filij sunt, ad consultandum similiter conuocant, ac ne quid minus prospectum sit Socratem consilio adhibent, non modo socium, sed, & iudicem, Socratem inquam nihil aliud in omni eius vita tractantem, quam tum de omni ætate, tum maxime de adolescentia rite curanda. Tu verò considerabis interea miras Socraticæ vitæ laudes, itẽ veras esse laudes quæ à viro laude digno proficiscuntur. At verò quoniam in aliis ciuitatibus institutio legum ad mansuetudinem magis declinat quàm ad audaciam, in aliis vero contra: Plato vtrumque arbitratus periculosum, & mansuetudinem audaciæ, & vicissim audaciam mansuetudini iubet in Politico pariter commisceri. Si quis vero Charmenidem Lacheti coniunxerit, exhortationemque tum ibi ad temperantiam, tum hic ad fortitudinem inuicem copulauerit, adolescentum animos rite contemperabit. Mitto quod in hac præsentis dialogi ad fortitudinem exhortatione, tam Nicias quàm Laches militarem fortitudinem vltra quàm deceat admirantur, & Nicias prçter armorum ludos quasi ad militiam prælúdia summopere necessaria, laudibus supra modum extollit. Sed hunc non iniuria Laches emendat. Post hæc sententia transfertur ad Socratem. Vbi animaduerte nullã consonantiam delectare magis, quã quæ in sapiente fit ex ipsa animi sermonisq; cócordia: atq; contra nullam dissonantiam: deinde, hominem perditum, etiamsi belle loquatur, audiendum non esse, neque licere de moribus loqui nisi morato. Præterea, Socratem semper consueuisse de quacũq; re disputaretur, disputationis sociũ eò per-

ducere, vt totius vitæ suę redderet rationē: quasi aliena frustra cognoscas, nisi teipsum noris. Additur necesse in primis esse seipsum alicui examinanti subiicere, cui sæpe rationes anteactæ vitæ reddant. quod quidem confessionem annuam à Christianis institutam valde confirmat. Addit, & tamdiu discendum quamdiu viuendum. Socrates autem omnium cautissimus iudicium sibi iniunctum ait traducendum in seniores. Sed interea obsecratus à cunctis rem ipsam agreditur, ante omnia quidem diligentiam in filiis educandis probans, improbans negligentiam. Adiungit non posse fieri vt quis ad fortitudinem aliquem exhortetur, nisi sciat quid ipsa fortitudo sit exprimere. Mox interrogatus Laches, quid fortitudo sit, confidentius respondet esse virtutem per quam quis non deserens ordinem, expugnat hostem. Quod quidem ideo confutat, quia potest aliquis Scytharum more nō minus fugiendo quā permanēdo hostē vincere, atq; æque fortis esse. Ideoq; Homerus eū appellat fortē qui opportune dere scit atque timere. Paulo post ad quamlibet materiam fortitudinis victoria trahitur, quasi fortem virum deceat non modo formidines, verumetiam dolores, libidines, voluptates exsuperare Hinc quæritur communis ad hæc omnia fortitudinis definitio. Ad hæc respondet Laches, hanc esse quandam animi tollerantiam. At quoniam minus sufficienter est definitum, Socrates addere cogit, tolerantiam ipsam oportere honestam esse atque conferentem: eiusmodi veró non erit, nisi prudenter id fiat, Ideoq; compellit Lachetem dicere, fortitudinem proprie tolerantiam prudentem esse. Siquidem fortitudo pulchrum quiddam est atq; bonum. Deinde quæritur quænam tolerantia, & ad quid prudens, id est, circa quam materiam, quodue officium. Labitur autem Laches quando generatim interrogatur, vtrum vbi audacia maior est, ibidem fortitudo sit maior, idque concedit: rursusque admittit necessario audaciam in eo esse maiorem, qui absque rei ipsius peritia, cognoscens tamen periculum, rem ipsam aggreditur, quàm in eo qui peritia incedit instructus. Cautius enim tutiusque is agit. Laches denique recipit, vbi plus audaciæ minusve peritiæ prudētiæq; est, fortitudinem esse maiorem. In qua quidem concessione, & sibiipsi repugnat & admittit falsum. Nam fortitudo quidem pulchrum quiddam est, & conferens, audacia verò imprudens est, turpis, & noxia. Inter hæc nota tritam Socratis Platonisque sententiam A d illa quisque bonus est, ad quæ est sapiens, ad illa malus ad quæ ignorans. Profecto quemadmodum errores omnes, tum manus in apprehendendo, tum pedis in gradiendo ab ipso videndi defectu, procedunt, sic errata hominum omnia, tum intelligendo, tum in agendo ex defectu intelligentiæ proficisci Socrates arbitratur. Nam vbi dux ipse cæcus est vel cæcutiens, omnia labūtur in præceps. Post Lachetem definit Nicias fortitudinem, metuendarum rerum, & non metuendarum scientiam, qua videlicet ratione, & quatenus metuenda inuadendaque sunt. Vocat vtique fortitudinem habitum quendam cum prudentia circa metuenda, & inuadenda constantem. Audaciam verò sine prudentia temerariam vocat ferocitatem. Socrates contra Niciam sic argumentatur. Quorumcumque aliqua scientia est, non alia præteritorum est vt facta sunt, alia præsentium vt fiunt, alia futurorum vt optime fieri possunt, sed eiusdem scientiæ est hæc omnia intelligere. Si ergo fortitudo scientia est audendi & metuendi circa bona atque mala, videlicet vt futura sunt, nimirum est etiam scientia eorundem vt præsentia sunt atque præterita, omnium ergo simpliciter. Est igitur vniuersa virtus. Nos autem fortitudinem ab initio tanquam virtutis partem aliquam quærebamus. Obiectio hæc non tam refellendi, quàm tentandi Niciæ gratia facta est. At Nicias definitionem suam nesciuit defendere, Socrates autem inter seniores propter modestiam doctorem agere nolens, simulat se definitionem similiter ignorare: hortaturque eos vt vnà secum virtutum præceptores sibi ante perquirant, quàm facultatem erudiendę iuuentutis profiteantur, ostendens in omni ætate moralem disciplinam esse magnopere necessariam, ac sine rubore verecundiæ semper esse discendum. Definitiones vero quas vel hic de fortitudine, vel in Charmenide de temperantia quærit, non hic, aut ibi, vbi exhortari, & admonere duntaxat consilium est, sed in Repub. & Legibus absoluuntur. Sed vt de fortitudine simul, & temperantia quasi germanis summatim dicam, Plato in Phædro Symposioque vitam hanc nostram itineri cuidam comparat. In quo quidem dirigendo ratio referat aurigam: affectus verò partim superiores, partim inferiores, geminos referant equos, album videlicet atque nigrum Atq; vt, quantum ad propositam pertinet quæstionem, commodius distinguamus: Diuinam, inquit, prouidentiam statuisse nos à turpibus reuocare: ad honesta continuo prouocare. Ideoque pudorem magnanimitatemque nobis ingenuisse: vt auriga noster pudore quodam quasi freno, affectus nostros velut equos à turpibus, licet suauibus, cohiberet:

magnanimitatis vero calcaribus ad honesta quamuis ardua stimularet. Siquidem malus quidam dæmon ad turpia lenociniis allicit voluptates: ab honestis amaritudine doloris absterret. Quamobrem, & temperantia pudoris vsa frenis, efficit vt à turpibus inuita voluptate semper abstineamus, & fortitudo magnanimitatis freta calcaribus dat operam vt ad honesta viriliter contendamus, spreta difficultatis dolorisq; formidine. Et quanto difficilius est dolores superare, quàm à voluptatibus abstinere: tanto forsitan alicui videri posset fortitudinem temperantiæ anteponendā. Denique temperātia quidem facit ne ex homine præcipitemur in bruta: fortitudo vero præter id, vt etiam quodammodo transferamus in Deum omnia superantem. Ob hanc præcipue virtutem omnis antiquitas Herculem in deorum retulit numerum: Herculem, inquam, dum terræ victor cœlestes scanderet gradus, ita clamantem. Ite nunc fortes vbi celsa magni Ducit exempli via: cur inertes Terga nudatis? superata tellus Sidera donat.

In Cratylum, vel de recta nominum ratione. Epitome.

SApientia Platonica semper quidem suspicit excelsa, nec vnquam humilia despicit, quanquam verorum scientia nominum non est humilis, imò excelsa præcipue diuinorum. Hanc sapientes Hebræi tanti fecerunt, vt eam non modo scientiis omnibus, verumetiam legi scriptæ prætulerint, affirmantes ipsam à Deo Patriarchis, & Moysi fuisse tributam: Moysi, inquam, eam non literis, sed sanctorum mentibus inscripturo: Mentibus, inquam, succedentium Prophetarum, deinceps diuinorum nominum sapientiam in mentes eorum qui succederent longa quadam serie propagantium. Horum ergo virtute nominum maiores suos opera miranda fecisse. Præterea nonnulla ex his nominibus scriptis suis inseruisse, sed plerunque vel sparsa, vel inuoluta: quæ si quis cognoscat, & colligat, & perfecte eadem que mentis puritate, qua, & cui sunt tributa, pronunciet, mirabilia similiter effecturum: præsertim in primo Dei nomine, quod cum quatuor duntaxat, & his quidem vocalibus literis mirabiliter componatur, nimirum à nullo nisi diuinitus inspirato recte pronunciari potest. Vnde fateri coguntur Iesum, quem ipsi Nazarenum vocant, fuisse diuinum. Quippe cum eum nominis huius Tetragrammaton intelligentia vera, & pronunciatione perfecta fecisse miracula fateantur. Verum de his in libro De religione à nobis satis est dictum.

Origenes quoque cum diuinorum nominum orationumq; virtutem mirificam considerasset, in libris contra Celsum, inquit, in quibusdam sacris nominibus mirandam latere virtutem, ideoque hæc ipsa non esse ex Hebræa lingua in aliam transferenda, sed in suis ipsis characteribus conseruanda. Forte enim quemadmodū in corpore certa ratione cōposito vita permanet, in quo vel aliter composito, vel permutato non permanet: sic vitalem quandam putant diuinis nominibus certo diuinitus modo cōpositis, inesse virtutem. Et quemadmodum ab initio docuit Mercurius Trismegistus, ac diu postea Plotinus, & Iamblichus, statuis quibusdam ordine certo compositis dæmones quodammodo includuntur. Verbis autem ad cœlestem quandam similitudinem temperatis diuinæ quædam dotes distribuuntur, & id quidem prouidente Deo, vt quotiens res ipsas postulat, rite possemus diuinum auxilium inuocare. quod quidem ab ipso Phœbo atque Pythagora obseruatum fuisse traduut, quos ferunt diuinis quibusdam duntaxat verbis tam animi quàm corporis morbos mirifice curauisse. Qua quidem in re compertum habemus totam Zoroastris sapientiam constitisse, quam Plato in Alcib. diuinam appellat, & in Charmide morborū animi, & corporis curatricem. Mitto quod omnes Gentes atque linguæ præcipuum Dei nomen quatuor solum pronunciant literis. De hoc enim latius tractatur à nobis in commentariis in Philebum, vbi probatur non potuisse in hoc vno Gentes omnes nisi diuinitus conuenire. Hinc Ægyptum quem nos Deum, Theut nominant: Persæ, Syræ, Magi Orsi: vnde Oromasis: Hebræi illud quatuor vocalium ineffabile nomen vtcunq, possunt exprimunt per Adonai, Græci Theos: Arabes, Alla: Mahomet Abdi: nos accepimus ab Angelo Iesum. Sed cur voluit Deus quatuor vbique literis inuocari? Forsitan quia, & ipse per quatuor gradus cuncta disponit, scilicet essentia, esse, virtute, actione componēs. Item cœlestia triplicitatibus signorum quatuor, ignea, aërea, aquea, terrea, & quæ sub cœlo sunt, quatuor similiter elementis. Nemo verò mirabitur tantam in veris nominibus vim latere si modo considerauerimus ipsam rei vim naturalē, quando vere cognoscimus, peruenire ab obiectis ad sensus, ab his ad imaginationem, ab hac quodammodo, & ad mentem. Deinde à mente concipi quidem primum, deinde per vocem exprimi quasi partum. Atque in hac ipsa voce suis quibusdam articulis constituta vim ipsam rei sub significationis forma quasi vitam latere: vitam, inquam, ab

ipsa mente per semina rerum conceptam primo, deinde per voces editam, postremo per scripta seruatam. Quod si cæterorum nomina vim rerum quodammodo seruant, ideoque per illa quasi rerum imagines ipsæ res cognoscuntur, multo magis diuina nomina ab ipso Deo tradita vim suam perpetuo seruant. Nec immerito. Nomen enim verum vt Platoni placet, nihil aliud est quam rei ipsius vis quædam mente primum, vt dixi, concepta, voce deinde expressa, literis demum significata. Rei autem diuinæ necesse est virtutem esse diuinam. Quamobrem Dei nomina cum illis diuina vis insit, Plato, & hic, & in Philebo venerari iubet, atque vt significat in Legibus, multo etiam magis quam delubra statuasque diuinas. Expressior enim imago Dei in artificio mentis, præsertim afflatæ diuinitus, quàm in manuum operibus reseruatur. Nomina vero Dei prima atque syncerissima apud mentes supernas cœlestesque esse iudicat, à quibus, expressius Deus, vt ita dixerim, ipse concipitur. Secunda vero in dæmonibus purioribus. Tertia in animis hominum eaque per priscos viros Deo afflatos quasi Dei tubas fuisse prolata. Dei itaque nomina nobis per antiquos sanctosque tradita, tanquam imagines radij Dei ipsius esse videntur, per superiora numina, perq; sanctiores hominũ animos penetrantes. Quisquis autem solem, vt par est, admiratur, merito veneratur & solis lumen, ita, & Deum colere oportet in primis, simulque Dei radios, vires, imagines in sacrorum nominum significatione latentes. Audiamus ergo Socratem in Philebo ita clamantem. Reuerentia mihi semper erga deorum nomina, non humana quædam formido est, sed maximum quemque timorem exuperat. Audiamus eundem rursus in Phædro se expiantem, quod in Amorem Dei nomen forte disputando deliquerit. Audiamus Platonem in vndecimo Legum eos qui deorum nomina mendacie & periuriis inquinauerint, sacrilegos omnino censentem, iubentemque illos à quolibet impune cædi, eum verò qui præsens non punierit, tanquam proditorem legum rigide condemnantem. Neque verò nos turbet quod plures sæpe nominat Deos. Vnicum enim per seipsum in Parmenide, atque Timæo probat esse Deum, cæteros vero Angelicos, cœlestesque Dei ministros cum Deos nominat, non tam Deos quàm diuinos intelligit. Postquam verò in Parmenide ad vnum Deum omnia comparauit, nomina quoque illius spernenda non censuit, in quibus cum mira Dei munera lateant, non iniuria diuinus ille Theologus Dionysius Areopagita omnia Theologiæ mysteria in diuinis nominibus exquisiuit. Ac cur silentio prætermisimus splendorem illum veritatis Apostolum Paulum dicentem, Sermonem Dei esse viuum atq; efficacem, vehementius omni gladio ancipiti penetrantem? Item illud eiusdem. Donauit Deus illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, ac infernorũ? sed iam ad dialogum redeamus. Hermogenes Parmenidis discipulus, & sectator, atque Cratylus sectator Heracliti, de rectitudine nominum diffidentes, dum ille quidem nomina solum arbitrio, hic vero naturali quadam ratione habere vim putat, denique Socratis se iudicio subigunt. Principio quam belle tres hic Platonis cõueniunt præceptores. Hic enim à Socrate moralia, à Cratylo Physica, ab Hermogene potissimum Metaphysica, præter illa quæ ipse inuenit, dicitur accepisse. Cratylus quidem sectator est Heracliti, cæterorumq; priscorum, qui multis ante Heraclitum seculis philosophati sunt, putaueruntque nihil vsquam stabile, sed omnia in perpetuo motu versari, vnde & nomina rebus ab ipso motu plurimum, posuerunt. Hermogenes verò Parmenidis Pythagoræorumque cultor contra putantium omnia permanere. Eiusmodi controuersiam inter Hermogenem & Cratylum, Socrates & Plato ita componunt, vt Heracliti quidem sententia in Physicis, Parmenidis verò in Metaphysicis sit probanda: si quis autem vel statum rerum ad naturalia, vel motum transferat in diuina, sit penitus improbandus. Sed his omissis, quantum ad nomina pertinet, Socrates in Cratyli sententiam magis declinare videtur, eam hoc pacto confirmans.

Orationum alia verã est, alia falsa: & orationis veræ partes veræ sunt: orationis falsæ, partes quæque sunt falsæ. Partes autem orationis sunt nomina: quo fit vt nominum alia vera sint, alia falsa. Oratio quidem vera est quæ res ipsas vt sunt ita dicit: falsa vero, quæ contra. Quapropter & nomina vera sunt illa quæ res ita vt sunt potius, quàm vt placet arbitrio, proferunt. Quoniam vero Protagoras putat qualia cuique videntur quæque, talia esse, adeo vt res nullæ essentiam habeant proptiam, sed humana opinio omnium sit mensura: ideo Socrates contra Protagoram infert, alios quidem homines esse optimos, scilicet prudentissimos, alios vero pessimos scilicet à prudentia remotissimos. Atsi, vt putat Protagoras, vnicuique vera illa sint quæ quilibet opinatur, nullum certe erit inter prudentem imprudentem-

que discrimen. Sed Protagoras subtilissime in libro de scientia confutatur: oportuit tamen & hic breuiter confutari, vt facilius Hermogenis opinio de nominibus illius quodammodo similis refelli posset. Profecto Hermogenes haudquaquam Protagoræ de rebus differenti credit: sed dum nomina rerum veritatem ex hominum arbitrio habere fatetur, clam in Protagoricam de rebus declinat sententiam. Latenter quoque in opinionem Euthydemi, dicentis omnia omnibus similiter semper adesse, qui ex eo breuiter reprobatur, quod non alij quidem boni essent, alij vero mali, si æque omnibus adesset virtus & vitium. Tu vero inter hæc nota tritissimam Platonis nostri sententiam, totam virtutis vim in ipsa prudentia, totam vitij in imprudentia collocari. Postquam constituta est Protagoræ & Euthydemi sententia, concluditur res ipsas non pro opinione nostra, sed pro ipsa natura sua in ipso ordine rerum tales, aut tales existere. quod si naturaliter sese habent essentiæ, naturales quoque sunt actiones atque passiones. Itaque si diuidere vel comburere rem quampiam studeamus, non tam pro arbitrio nostro quàm pro natura rei id faciemus, vt eo modo & instrumento quo diuidi possit aptius, diuidamus, similiterque comburamus. At dicere & nominare actio quædam esse videtur, ideoq; propriam debet habere naturam, vt non ita sicut placet nobis, sed vt rei modus exigit nominemus. Est enim nomen instrumentum quoddam, quo rem nominatam ab aliis discernimus atque diuidimus. Eiusmodi verò instrumentum vt patet in cæteris, ad proprium id officium non casu, non pro libidine, sed arte accommodari ita debet, vt ea sit forma dispositum per ipsam artis ideam quæ velut ad finem discernendum aptissime diuidendumque conducat. Instrumentum vero huiusmodi, id est, nomen, tum ad res discernendas, tum ad docendos audientes accommodatum, non cuiuslibet est fabricare, sed artificis cuiusdam nominum conditoris, qui omnium est rarissimus. Hic autem ea ratione fabricat, qua artifex vsurus nominibus exigit atque instruit. Talem vero esse Plato vult dialecticum. At ille qui fabricat, ad ipsam rei ideam mente conceptam in qua vera consistit ratio nominis, componit nomen, certa quadam significatione præditum. Atque hæc ipsa idealis ratio significatioque verum est nomen, manetq; idem circa rem eandem in quacunque literarum materia fiat, apud quascunque Gentes, modo quid res ipsa sit doceat discernendo. Conclude nomina, si modo vera futura sint recteque ponenda, constitui debere à sapienté nominum conditore atque id quidem dialecto admonente, vt ea forma consentur qua rerum proprietates pro viribus imitentur & explicent. Post hæc diligenter inquirens, à quibus discenda sit nominum rectitudo, id est, propria qua constituta sint ratio, Sophistas deridet, traducitque nos potius ad poëtas: non quoslibet, sed diuidos, quasi qui vera rerum nomina à diis acceperint, apud quos vera sunt nomina. Inter hæc ostendit Homeri poësim allegoricam esse, etiam vbi historiam narrare videtur, quemadmodum in nominibus allegorice fictis apparet. Refert autem multa apud Homerum herorum nomina certa allegoriæ ratione cōposita, deinde ad deorum ascendit nomina, quorum rationes ab augustioribus Theologis accepit. Prima quidem nominum positione, Cœlius significat animam sphæræ stelliferæ, Saturnus sequentis sphæræ animam. Iupiter vero tertiæ. Secunda vero positione Cœlius significat Deum, Saturnus Angelicam mentem, Iupiter mundi animam atque cœlestem. Tertia Cœlius Dei ipsius significat fœcunditatem, Saturnus eius intelligentiam, Iupiter beneficam voluntatem omnibus prouidentem. Quarta Cœlius in quolibet numine aspectum ad superiora designat, Saturnus respectum ad semetipsum, Iupiter prospectum inferioribus prouidétem. Prolixior fore cogar, si singulos hic Deos Theologicè interpretari voluero, atque id quidem latius in libro de amore, & Theologia tractauimus. Quoniam vero de diuinis tractare non est eius qui semper dicat se nihil scire, conuenienter Socrates vbi de diuinis altius agit dicit eam sapientiam nuper vnde nesciat, illuxisse, significans inspiratione opus esse ad veram diuinorum perceptionem. quod & in Timæo, Conuiuioque & Phædro confirmat, probat idem & in Epistolis. quod autem diuinorum contemplationem ab Euthyphrone accepisse sedicit, ironicum est, deridetque illum & similes diuini iuris professores ambitiosos. quo fit vt non immerito, quæ ab illo se fingit audiuisse, asserat fore paulo post dimittenda, admonens confidendum non esse doctrinis ambitiosorum, præsertim vbi iudicant de diuinis, de quibus etiam probatissimus homo, nunquam vt homo loqui possit sed aliquando potius vt tuba Dei. Hinc illud quodammodo simile, quod Plutarchus ait, legem extare apud Græcos per quam iubetur libros scelestorum hominum etiam bonos è medio tolli, vt auctorum memoria deleretur. Significat præterea antiquos consueuisse eum qui inter sacra corripiebatur à dæmone, ne diutius ab eo fatigaretur,

paulò post quibusdam precibus sacrificiisque à dæmone soluere. Docet etiam non esse longum tempus in nominibus conterendum. Proinde reprehendit illos qui solas mundi sphæras stellasque putent esse diuinas: quippe cum ab his tanquam aspectui nostro natura propinquioribus atque mobilibus ad altiora numina ob maiorem excellentiam sensibus nostris ignota stabiliaque sit ascendendum. Narrat præterea deorum nomina non casu: sed partim humana ratione, partim inspiratione diuina inuenta fuisse. Nomina vero heroica & humana sæpe vel ex maiorum cognomentis, vel ex voto fuisse posita, ideoque certam nominum rationem in diuinis nominibus potius quàm in aliis esse quærendam. Descendit post hæc ad dæmones, asseritque Hesiodi priscorumque sententia probatissimorum virorum animas in aëreos dæmones ascendere, qui & rerum sapientia polleant, & generi humano prouideant. Tu vero hic animaduerte omnem bonum esse sapientem, atque vicissim bonum quidem ideo sapientem euadere, quia purgatam serenamque boni hominis mentem Deus sapientiæ suæ lumine implet. Sapientem quoque idcirco bonum esse, quia neque aberrat à fine, neque in his quæ ad finem conferunt, fallitur eligendis. Animaduerte heroes semideosque eosdem existimari, atque ex mutuo inter Deum hominemque amore nasci Hinc illud, sed ex Deo nati sunt. Qua in re ostenditur inter genus humanum diuinumque cognatio. Attende mox officium hominis esse non sentire, sed ea quæ sensit considerare. Deinde statum animæ in corpore esse, non contineri, sed naturam corporis continere: Corpus tamen apud Orpheum carcerem animæ dici atque sepulchrum, vtpote quæ in corpore tanquam mortua iudicetur.

Memento & Anaxagoram putauisse mundi machinæ vnam ante alias esse animam, vnam quoque præesse mentem. Hinc illud: Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem. Deinde considera piam Platonis modestiam dicentis: Quicunq; sapit agnoscit se deos deorumque inter se nomina ignorare. Addit orandum esse Deum, vt nobis nomen sui proprium patefaciat: existimandum quoque esse nomina quæ nos Deo tribuimus, non ipsam Dei naturam, sed notionem affectionemque circa Deum nostram significare. Idcirco obsecrandum esse Deum ne ipsi in eo nominando displiceamus. Idem in Philebo, & Parmenide: & Phædro, atque Timæo. Interpretatur deinde deorum nomina narrans primo illorum opinionem qui fluere omnia putauerunt, quam denique improbabit. Sed in his reuera memento deam Vestam significare essentiam formarum separatarum, diuinorumque stabile fundamentum, ideoque Vestæ ante alios deos sacrificare priscos consueuisse. Item nomina quæ in diuinis statum significant, ad illorum referri substantiam: quæ vero motum, ad actionem: improprie quidem ad actionem intellectualem, proprie vero ad animalem. Rursus nomina deorum masculina significare in diuinis actum efficientem, fœminina vero potentiam capientem. Præterea quod cœlum suo motu generet tempus consumens, continueque consumat, imago quædam est referens Deum Cœlium, & Rheam, atque Saturnum filios deuorantem. In his autem Cœlius est essentia ipsa diuina, Rhea eiusdem vita: Saturnus mens eiusdem. Saturni filij ideæ sunt rerum, intelligentia diuina intra se genitæ, quæ sicut producuntur à mente, ita & reducuntur in mentem, eas in se, vt ita dixerim, absorbentem. Multitudo vero deorum circa diuersas mundi partes distributorum, & in ipsis earundem partium continetur ideis, & in Angelicis mentibus ideas multifariam contemplantibus, & in animabus sphæras mundi stellasque regentibus. Animaduerte præcæteris Plutonem hic significare præcipue prouidentiam diuinam ad separatas animas pertinentem, quæ puras animas bonorum suorum perpetuis illecebris adeo rapit & detinet, vt nolint ad nos vltra reuerti. Quod quidem infinitis Plotini Proclique animarum periodis non consentit. Probatq; animas penes Plutonem ideo vinculo quodam arctissimo & insolubili detineri, quoniam amatorio teneantur affectu. Vbi confirmatur Platonicum illud in conuiuio, Legibusque, & sæpe alibi, amatorium voluntariumque nodum cæteris omnibus esse potentiorem, neque id quidem iniuria: nempe qui trahit quempiam per appetitum, tum potentius trahit, tum retinet firmius, quàm qui per vim aliam conatur attrahere, quia non ab extrinseco tantum rapit, sed ab intrinseco.

Præterea quod ita raptum est, non modo non contendit solui, verumetiam innititur ligatori, eodemque vinculo sese arctius implicat. Mitto quod raptor alius tanquam superior alienusque occurrit. Amatorius verò raptor, tanquam æqualem domesticumque, & palam & clam se nobis insinuat. Hinc Boëtius probat ex mente Plotini, Deum ad seipsum omnia potentissime

simul & suauissime rapere, sui videlicet amore boni, quasi esca trahentem. Quod etiam Platonicus confirmat Philo. Deus à principio ad finem omnia potenter attingit, suauiterque disponit. Id verò totum ex quarto Legum acceptum esse aliàs ostendemus. De Phœbo autem qui apud Orpheum lumen vitale significat, multa atque præclara sunt in Orphico Apollinis hymno: in sexto de Republica & in oratione Platonici Iuliani: & in opusculo nostro de lumine. Hic verò breuiter exponitur nomen Apollo. Quod triplicem significat solem, diuinum, Angelicum, & cœlestem. In primo quidem, lumen est super intellectu. In secundo intellectuale lumen super visum. In tertio visibile lumen. Secundus appellatur à Platonicis primi filius. Tertius imago dicitur vtriusque. Sed, vt summatim dicam, Apollo significat Primo diuinæ angelicæque substantiæ simplicitatem: Secundo vim per quam Deus & Angelus lauant animas, ab inferioribusque purgant affectibus: Tertio beneficium quo à deterioribus soluunt, melioribusque coniungunt: Quarto virtutem vt ita dixerim sagittariam, qua per omnia procul sua munera iaculantur, & aculeis suis iniustos affligunt: Quinto efficaciam omnia temperantem, musicisque modulis conuertentem. In his apparet Apollinis vaticinium, vbi simplex dicitur, & purgando lauans atque soluens. Ibidem apparet & Medicina, item & sagittandi canendique peritia, vbi vires suas potenter extendit per omnia, & suauiter eisdem cuncta contemperat inuicem, & ad seipsum feliciter contemperando conuertit. Similes quoque dotes atque affectus videntur in sole & ad solem tertio atque cœlesti. Inter hæc Socrates ait se in exponendis deorum nominibus iocari, videlicet cognoscens se diuinam substantiam his nominibus non attingere, sed vel affectus nostros circa illos pro viribus explicare.

Addit & Deos interdum iocari ac ludere: Iocamur quidem nos circa diuina, iocantur & dij circa nostra: quatenus videlicet nostra hæc & illis collata quam minima sunt, & illi hæc nullo labore, sed inæstimabili facilitate gubernant. Mitto in præsentia Platonicum illud, Homo iocus est ludusque Deorum. Id enim vbi res exiget exponemus. Post hæc tertio iam apprime religiosus homo dicit se vereri de diis vlterius disputare. Nempe & in ipso disputationis initio timendum est, ne fortè de Deo loquamur sine Deo: & in media disputatione rursus, ne temere metiamur immensos: & circa finem rursus, ne vlterius sermonem de nominibus producamus, quàm eorundem voluntas nobis aspiret. Mox nota totam Mercurij vim versari circa sermonem, vt intelligentiæ vim ad Saturnum potius intelligas pertinere. Item quod addit, Pana Mercurij filium esse biformem, videlicet ob geminum sermonem, verum scilicet atque falsum: nota vbi Pan vt homo pingitur, sermonem verum significare: vbi verò vt brutum, falsum: vt hoc admonitus verearis falsa loqui, ne falsa loquendo sis falsus homo, verumque brutum Proinde vbi deridet antiquorum multos, quod dum ipsi paterentur vertiginem putabant omnia verti, admonet ne pro natura præsertim temporali, metiamur æterna. Item vbi dicit temperantiam esse salutem conuersationemque prudentiæ, ostendit animam corporis perturbationibus ebriam non posse rerum ipsarum præsertim incorporalium percipere veritatem. Mox vbi boni nomen interpreratur, ostendit tria ad ipsum bonum pertinere: scilicet vt admirandum sit, vt amandum, vt suaue. Admirandum est quando nos excitat, diuertit ab aliis, ad se conuertit. Amandum: cum accedimus ad ipsum atque hæremus. Suaue cum eo implemur. Paulo post exponens iustitiæ nomen, docet diuinum iudicium omnia penetrare. Quod & cecinit Orpheus. Deinde significat iustitiam esse apud Anaxagoricos diuinam mentem omnium ordinatricem. quod quidem Socrates nec affirmare audet, neque negare. Non negat quidem, quoniam ad Deum iustitia pertinet. Non affirmat, quoniam accommodatius diceretur iustitiam esse diuinam voluntatem, singula pro meritis vel naturæ, vel voluntatis distribuentem. Aduerte rationem boni ad naturam quandam pertinere sese per omnia diffundentem. Rationem verò pulchri ad sapientiam ordinemque manantem ab ipsa, & ad ferè liqua prouocantem. Denique vim amoris ad influxum quendam spectare ab oculis per oculos penetrantem. Post hæc multa de nominibus affert, quæ per superiora satis intelliguntur. Tangit opinionem de nominum origine triplicem, vel quòd à diis quondam accepta fuerint, vel quod à barbaris, vel quod à longitudine temporis adeo à prima origine permutata, vt primæ nominum positiones minime discernantur. Mox deridet illos qui sequentium scientiam profitentur, cum antecedentia nesciant. Tu verò in sequentibus auream animaduerte sententiam, Grauissimam omnium deceptionem esse illam qua homo seipsum decipit. In ea enim deceptor à de-

cepto

cepto abest nunquam. Quoniam verò Cratylus ad sectam Euthydemi declinat, quæ putat nullum dicere falsa, quia quisquis dicit, quod est dicat, itaque dicat & verum: Socrates id hoc pacto redarguit. Sæpe dicimus adesse alicui quædam quæ procul absunt, atque vicissim abesse quæ adsunt, quod nihil aliud est quàm falsa dicere. Similiterque conuenienter possumus nominare exprimentes per nomen literarumque sonos quodammodo naturam actionemque rei vel passionem, atque contra congrue nominare. Posthæc vbi de numeris & qualitatibus mentionem facit, dicit in ordine numerorum semper vnitate vel addita vel subtracta numeri speciem permutari, quod in qualitate non accidat. Id autem hac ratione arbitror euenire, quia tota numeri ratio in vnitate eiusque replicatione consistit: In qualitate verò, cum præter vnitatem eiusque replicationem, alia quædam sit natura, merito vno gradu addito vel subtracto, aut etiam pluribus, qualitatis species non mutatur. Similiter in imagine eatenus enim imago est, quatenus repræsentat: potest autem magis minusve referre. Idem fermè nominibus accidit. Nam quædam rerum ipsarum sunt imagines.

Præterea cum nominis finis sit rem ipsam referre, præstat ipsum similitudine quadam rei, quàm hominum conuentione referre. Rursum cum nomen constet ex literis, rem apte non potest exprimere nisi ex syllabis literisque proprie ipsam exprimentibus componatur. Et quoniam operosa res est literas, syllabas, nomina rebus singulis prorsus accommodare, imò etiam fieri nequit in numeris, idcirco miscenda est consuetudo naturæ, vt quatenus fieri potest, natura rerum authoritatem habeat nominum. Vbi verò vel nullo modo vel difficillime per naturæ proprietatem id fieri potest, fiat per consuetudinem conuentionemque humanam, siue solam, siue naturæ coniunctam. Animaduerte post hæc maximam diligentiam principiis adhibendam, in eisque constituendis plurimum disputandum. Rursus fallacissima quadam ad scientiam ire via, quisquis vt monet Cratylus, per nominum proprietates rerum proprietates aucupatur, quandoquidem author nominum non talia nomina quales ipsæ res sunt, instituit, sed quales ipse putauit, qui decipi potuit. Adde quod nomina eadem alij aliter possunt interpretari, & ad opposita significanda pari probabilitate traducere. Profecto multa sunt nomina ita posita quasi res fluant, multa quoque ita quasi maneant. Est igitur fallacissimum, per nomina res iudicare. Paulo post considera: primum qui res nominauit cognouisse prius eas quàm nominaret: Item priscam opinionem, qua asseritur diuinam quandam virtutem ab initio hominem instruxisse rerumque nomina docuisse. Quod iis quæ in Protagora & Politico dicuntur, est consentaneum, Fieri enim non potest, vt humanum genus, vel ab initio mundi, vel post ingentes illuuiones aliter quàm diuinitus sit instructum. Quod autem Socrates dicit circa ideas se somniare, declarat tum de hoc ipso Socratem & vulgo, & à comicis solitum irrideri, tum idearum cognitionem per separationem mentis haberi somnij vaticinio similem. Mox probat ideas esse, quia super imperfectas formas oporteat esse perfectas Item immutabiles ideas esse, siquidem speciales rerum rationes atque definitiones semper eodem modo se habeant Addit, si status à rebus omnis auferatur, sequi vt res nulla vere sit aut hoc aliquid, aut tale aliquid, neque cognoscatur, cum quolibet momento deceptura sit iudicantem, necessario mentientem. Subdit neque fore cognitionem, ipsam videlicet specialem cognitionis ideam, quæ semper eodem modo se habet. Concludit rerum scientiam non à nominibus, sed ab ideis esse quærendam, quarum notiones insitæ nobis prima veraque sunt nomina rerum. Denique iuuenes admonet, ne de rebus grauibus facile sententiam ferant, imò discant diu, expectentque ætatem maturiorem antequam iudicent.

IN GORGIAM, Epitome.

CVm duo quædam in animo potissima sint, cognitio & affectus, cognitionem quidem Sophistæ sub veritatis specie ad falsa detorquent, affectum verò populares poëtæ sub concinnæ voluptatis esca in dissonas perturbationes sæpe præcipitant. Oratores denique populares tum cognitionem falsis decipiunt coniecturis, tum affectum in motus varios concitant Quapropter cum horum opera mentes hominum, tum falsis opinionibus, tum perniciosis affectibus ægrotare cogantur, Plato humanorum medicus animorum nos à sophistis quidem omnino, ab oratoribus quoque atque poëtis quodammodo procul abducit, profecto Sophistas & vndique & omnes exterminat, poëtas autem neque omnes, sed illos qui vel turpia de diis & fingunt, vel perturbationes animos acrius imitantur & referunt, neque vn-

diqueſed ex vrbe, id eſt, ex iuuenum ignorantiumq; turba, qui in perturbationes admodũ ſunt procliues, & allegoricũ Poëtarum non penetrant ſenſũ. Quamobrem in libris De Republica poëtas iubet vel expelli, vel cogi de Deo honeſte loqui, neque perturbationibus audientes aſſuefacere, ſed & diuinos hymnos canere, & leges patrias magnorumque geſta virorum grauiterq; recenſere. Sed vt reuertamur ad Oratores, hos quoque non omnes Plato vituperat, ſed eos duntaxat, qui ad id incumbunt aſſidue, vt quicquid libuerit, quacunque valeant ratione audientibus perſuadeant abſque delectu, ſiue malum id eſt, ſiue bonum, ſeu falſa ſit ratio ſeu vera, vel commiſeratio, vel concitatio, vel coniectura. Quale fuerat Lyſiæ Thebani, atque Tiſiæ, nec non Gorgiæ Leontini propoſitum. Anteponit vero aliis Periclem in Phædro atque Iſocratem, propterea quod eloquentiam cum Philoſophia coniunxerint. Additque legitimum oratorem oportere rerum intelligere rationes, morum leges, verborum vires, naturas ingeniorum, verbaque certa quadam ratione componere ingeniis audientium quod fieri poteſt, accommodata, communis boni perſuadendi gratia, neque tam ad id incumbere, vt ea quæ dicis hominibus grata ſint, quam vt accepta Deo. Eum verò qui Tiſiæ Gorgiæque more non veritatem ipſam atque iuſtitiam, ſed coniecturam turbæ duntaxat veriſimilem probabilemque ſequitur, tanquam hominem ciuitati ante alios noxium deteſtatur, quaſi eloquentia ſine ſapientia ſit enſis acutus in manibus furioſi. Duos autem exagitat ante alios, Lyſiam quidem in Phædro, hic verò Gorgiam. Nam quanto maioris authoritatis erant, tanto periculoſiores erant. Adducitur hic in medium & Polus orator Gorgiæ ſectator, & Callicles eorum aſtipulator. Socrates autem primo per Chærephontem agit familiarem ſuum, & id quidem aduerſus Polum. Deinde ipſe per ſe contra Gorgiam. Quoniam verò hi in aliarum rerum rationibus aſſignandis apud populum mirum in modum gloriari ſolebant, oſtenditur eos, vt ipſis omnis adimatur fides, nec ſcire ſuæ profeſſionis rationes afferre. Interrogatus enim Polus quæ ſit ars Gorgiæ, cum debuiſſet eam ſolum per neceſſaria definire, & quæ ſit explicare, per ſuperflua circumſcripſit & qualis, & id quidem affectato nimium ſtylo, quo vti conſueuiſſe, in Phædro vbi de oratorum ſtylis agitur, confirmatur. Deinde interrogatus ipſe Gorgias quæ ſit ars eius, inepta quadam iactantia reſpondit eſſe Rhetoricam. Rogatur deinceps quid ſit Rhetorica definire. Meminiſſe verò debemus rem quamlibet in eo quod ipſa eſt, partim quidem cum rebus aliis conuenire, partim verò differre, atque id per quod conuenit nominari genus, per quod diſcrepat, differentiam, hinc fit, vt definitio quæ id ipſum quod res eſt comprehendit, per genus eiuſmodi, differentiamque debeat aſſignari.

Gorgias ergo vtpote qui artem ſuam neſciat definire, genus ipſius & id quidem inepte profert. Differentiam verò quam mox in eadem reſponſione vnà cum genere debeat adducere, vix tandem poſt multas interrogationes extorquente Socrate in medium afferre compellitur. Principio reſpondet Rhetoricam eſſe artem circa ſermones. Et quoniam aliæ quoque ſunt ſimiles, interrogatur circa quos qualeſve ſermones, vt qua in re ab aliis artibus differat, diſcernatur. Reſpondet autem circa ſermones qui dicendi vim præſtant. Iterum id aliis artibus eſt commune, vnde rurſus adiungere cogitur, Rhetoricam verſari quàm plurimum circa ſermones, vimque dicendi. Sed quoniam id quoque commune cum multis, vrgetur iterum addere circa ſermones, ſcilicet de rebus maximis. Cum verò & id commune, iam neſcio quid diſtinctius afferre compellitur, id eſt, per oratoriam nos conſequi vt nulli ſeruiamus, ſed aliis dominetur, atque eſſe oratoriam artem perſuaſionis pro arbitrio effectricem. Interea Socrates admonet, vt in diſputando non tam ad perſonam qua cum diſputatur, quàm ad rem ipſam & ſermonem & animum intendamus. Deinde verò quoniam omnis ars aliqua de re perſuadet, quæritur qua de re, & qualis ſit Rhetoris perſuaſio.

Mox in duo diſtinguitur perſuaſio. In eam ſcilicet quæ ſcientiam, & in eam quæ facit fidem. Concluditurque oratoriam perſuaſionem non ſcientiam afferre, ſed fidem, non circa quælibet propriè, ſed circa iuſta, non vbique, ſed in turba potiſſimum, ac de rebus quæ præcipue ad rempublicam pertinent. Additur quinetiam oratorem de rebus inſuper ad artes alias proprie pertinentibus ſuadentem quàm artifices ipſos poſſe loqui, non quidem inter artium ipſarum peritos, ſed imperitos. Inter hæc admonemur ne potentia vnquam arteque abutamur. Item ne in diſputando vbi ad veritatem percipiendam neceſſaria eſt tranquillitas, perturbemur. Rurſus æquo animo atque libentiſſimo redargutionem eſſe recipiendam, præſertim in moribus corrigendis. Nihil deterius

enim esse, quàm de moribus falsa sentire. Post hæc concedit Gorgias, non pertinere ad orationem scire qua ratione res ipsæ se habeant, sed machinationem quandam sic ad persuadendum excogitare, vt ipse quamuis ignorans, tamen apud ignorantes magis intelligere, quàm ipsi scientes appareat, officium eius esse, de quolibet in turba strenue loqui non docendo. Concedit quoque Oratorem scire id debere & posse quod sit verisimile, etiamsi id quod verum est nesciat, quod quidem fieri nullo modo potest. Nisi enim rem ipsam cognoueris, nunquam quid illius simile sit, agnosces.

Proinde quæritur, vtrum sicut ad Oratorem alia scire non attinet, ita neque etiam quid bonum, honestum, iustum sit intelligere. Gorgias vero cùm aliàs dixerit, Oratorem ad hæc atque illa similiter se habere, hic sibi repugnans, scire hæc saltem oportere consensit. Hinc Socrates argumentatur. Si Orator scit iusta, ergo est iustus, tentans videlicet Gorgiam nunquid vim consequentiæ teneat. Ille vero admittit statim, cùm propriè in scientiis artibusque ad intelligentiam pertinentibus id sequatur, scit Astrologica vel Fabrilia, ergo Astrologus est vel Faber, in iis tamen quæ ad voluntatem moresque pertinent non sequatur, scit iusta ergo iustus. Opus enim ad iustitiam est voluntate: Verumtamen si quis diuinam quandam de iustitia scientiam habeat, quod quidem spirante Deo fieri quadoque posse Plato vult, rectè sequetur. Quisquis enim certissimè sciuerit quantum bonum iustitia sit, quantumve præmium maneat, atque contrà quantum iniustitia malum, quantùue huic supplicium debeatur, is proculdubio iniustitiam fugiens, iustitiam complectetur. Quacunque vero ratione sese res habeant, Gorgias sibimet cogitur contradicere. Quippe cum in superioribus oratorem iniustum esse aliquando posse concessisset, hic verò neget. Post hæc Socrates ex arrogantia Poli sub quadam ironia & iuniores improbat, siquando seniores corripiant arroganter, & præcipit omnibus vt emandari à quolibet facile patiantur. Cæterum vt quæ sequuntur plane intelligantur, aduertendum est, oratoriam vel in genere vel in speciebus, posse considerari, atque in genere quidem definiri, industriam ad persuadendum in materia ciuili promptissimam, tum quadam probationis facultate, tum vel maxime eloquij gratia. Ideoque inter artem quandam disserendi poëticamque esse quodammodo constitutam. Hactenus oratoria intellectui quidem bonum est; voluntati verò neque bonum est, neque malum. Huius autem duæ sunt species, Philosophica, & popularis siue adulatoria, illa bonum, hæc verò malum. Illius quidem finis est, certis rerum, verborum, morum rationibus, audientes ad commune bonum perducere. Quam maxime laudat in Phædro ex Philosophia poëticque grauiori compositam. Alterius autem finis est, per coniecturas turbæ verisimiles, concitationesque animorum, quodcunque libuerit impetrare. Hanc inter sophisticam vulgaremque poësim ponimus ex vtrisque permixtam, quam in hoc Dialogo detestatur. Diuidit autem artes ipsius hominis proprie curatrices in duo præcipue genera. Quorum primum curat animum, secundum verò corpus. In animo legalem facultatem ait legum conditricem morumq; moderatricem, animum ipsum in habitu quodam naturæ consentaneo formare atque stabilire, artem verò iudicialem animum, siquando hinc lapsus fuerit, restituere. In corpore quoque geminas ponit artes, similiter corporis curatrices, gymnasticã quidem huius exercitandi magistram in bona ipsũ habitudine proviribus confirmãtem. Medicinã verò corpori amissam sanitatem restituentem. Quapropter qualis est legalis in animo, talis in corpore videtur esse gymnastica. Item, qualis iudicialis in animo, talis in corpore medicina. Has omnes appellat artes, quia certa ratione perducant ad bonum. Subdit naturam quandam, siue peritiam, adulatoriam, seruilem, atque fallacem, quæ falso has quatuor æmulatur. Per sophisticam quidem simulat legalem, per oratoriam, scilicet vulgarem, fingit iudicialem, per fucatoriam, præ se fert gymnasticam: per coquinatoriam medicum repræsentat. Totum verò hoc adulandi genus negat esse artem, quia non ratione certa ad verum bonum, sed lenociniis contendit ad gratiam. Sed ne quis existimet Platonem longè omnium eloquentissimum legitimam eloquentiam coquinariæ comparare, legat Phędrum, in quo & eã probat, & finem, officiumque, & præcepta eius subtilissimè tradit, asseritque ipsam esse similem medicinæ. Quoniã verò Polus oratoriam vim extollens, oratores ait ex eo maximam habere potentiam, quod pro arbitrio valeant aduersarios carceri mortique damnare, vel expoliare bonis, vel vrbe priuare.

Socrates duobus potissimum argumentis probat iniustos non esse potentes. Primo quidem quoniam potentia exoptanda est vnicuique tanquam bonum: constat

verò licentiam quodcunq; libuerit faciendi, iniustis hominibus veluti mente captis non modo non bonam esse, sed malam, atque tandem perniciosam. Deinde maxima potestas est posse idipsum quod velis efficere.

Patet autem omnes verum velle bonum. At, malos verum bonum vel agere vel consequi vnquam. Adde quod mala mens eo ipso quod mala est, discors in seipsa & insana censetur, iamque ab his quæ afferuntur sensibus superata. Quis ergo dixerit mentem & languidam & more mancipij suis seruientem mancipiis, esse potentem? Interea humana omnia distinguuntur in tria, scilicet in bona, malaque, & media. Bonorum primum est sapientia. Secundum, optanda corporis habitudo. Tertium, fortunæ commoditas. Sed hæc duo eatenus iudicantur bona, quatenus commodum menti exhibent ministerium. Horum verò opposita dicuntur mala, sed horum media tanquam indifferentia sunt, quæ non magis ad bonum declinant quàm ad malum, vt ire, sedere, atque similia. Additur neminem velle aut mala aut media, aut ea quæ agit proprie, imo duntaxat ea quorum gratia mouetur, & agit. Non ergo qui iniurias, sed bonum cuius gratia faciunt. Bonum verò non consequuntur, non assequuntur ergo quod volunt: Non ergo potentes. Deinceps verò Socrates ex errore Poli communi cum multis nactus occasionem sancta nobis tradit præcepta. Cui peccare grauiter licet, prope miser est: qui peccat grauiter iam est miser: qui peccati non luit pœnas, est miserior. Iniurias pati eligendum est potius quàm inferre. Licentia quodcunque libuerit faciendi non est potentia, nisi id nobis sit denique conducturum. Conducet autem iuste duntaxat vtentibus. Iniusti etiãsi totius orbis imperio potiantur, infelices sunt, imo infelicissimi. Quo enim magis peccare licet, & quo minus peccati datur pœna, eo infeliciores habentur. Felicitas in sapientia iustitiaque consistit, infelicitas in contrariis. Quoniam verò Polus veritatis iudicium quod ad iudicis qualitatem potius quàm ad iudicantium numerum referri debet, in quorumlibet testium multitudine collocat, ideo Socrates optimum probandi modum esse responder, si vnicum in causa testem adduxeris, aduersarium scilicet ratione conuictum: alioquin coaceruatam vndique testium multitudinem, parui ad veritatem esse momenti. Præterea quia Polus ait iniuriam quidem facere turpius esse, pati verò peius: Socrates id arguit, asserens idem in rebus humanis morıbusque bonum esse atque pulchrum siue honestum: idem malum atque turpe. Deinde idipsum pulchrum vel propter voluptatem, vel vtrunque puta existimari, turpe verò contrà. Hinc argumentatur: si facere iniuriam turpius est quam pati, non ex eo quidem quod sit molestius, ex eo igitur quod sit damnosius. Si ita, ergo deterius iudicatur.

Mox adiungit oportere seipsum rationi tanquam medico curandum committere. Affirmat quoque iustam peccatorum punitionem, ei qui punitur prodesse plurimum. Hæc enim si iusta, est ergo pulchra atque honesta. Si ita, ergo bona: si bona, confert animo, videlicet tanquam Medicina corpori, multoque magis, à morbo enim animi liberat, qui grauissimus est morborum omnium, atque malorum. Inter hæc animaduerte Theologorum sententiam, nihil magis necessarium esse vtiliusque peccatoribus quàm confiteri peccata, affici pœnitentia: pœnas à iudice petere, æquo animo ferre vt purgetur animus, antequam insanabilis morbus eius euadat. Posthæc audies facillimum esse nobis affectum illi nostrum significare qui simili laborat affectu. Item Socratem Philosophiæ amore captum illi semper obtemperare. Præterea eligendum potius esse vt cætera nobis dissonent omnia, quàm vt animus intra se dissonet. Proinde vbi Callicles Socratem corrigit quasi argutiarum nimium studiosum, intellige sub persona Socratis Sophistas à Platone redargui. Tangit postea Callicles Trasymachi multorumque prophanam opinionem, dicentium mores & leges non naturæ ordine, sed sola hominum vel opinione vel fictione consistere. Quod libris De Republica & in sequentibus confutatur. Quod verò afferre videtur Callicles contra Philosophos, intellige non contra legitimos Philosophos esse dicta, sed partim aduersus ignauissimos Sophistarum, partim aduersus eos qui Philosophiæ studio abutuntur, dum vel ita solam Logicam sectantur, vt partes speculationis alias deserant, vel ita solam speculationem capessunt, vt Philosophica morum præcepta institutaque ciuilia negligant. Nonnulla verò in ipsa Calliclis inuectiua falsa dicuntur, quæ in sequentibus refellentur. Post hæc autem præcipitur omnem in animæ nostræ examine atque probatione esse diligentiam adhibendam, atque ad id tanquam iudicem vnum eligendum esse: in quo sapientia sit rei ipsius qua de agitur, & beneuolentia qua libentius consulat, & audacia insuper, per quam quod profuturum putet, non

vereatur. Deinde nos admonet Socrates, cùm rationales natura simus, ne irrationali casu & fortuna viuamus, sed certum vitæ finem diligentissimè præscribamus, viasque ad ipsum eligamus commodiores. Denique, dum sæpius obsecrat Calliclem vt ipsum liberè audacterque redarguat, admonet nos nihil inquirere impensius oportere quàm animi medicinam.

His actis Callicles concedit idem esse natura potentius, validiusque & melius, atque naturalem iustitiam velle, eum qui potentior est habere quæcunque inferiorum sunt, eisque dominari, legemque illius naturaliter esse iustam. Ad hæc Socrates ita infert. Si idem est potentius, validius, melius, atque multitudo validior est quàm vnus, ergo & potentior atque melior. Multitudinis ergo leges cùm potentiores melioresque sint, iustæ naturaliter erunt. At, huius leges statuunt esse iustam seruari inter omnes æqualitatem, atque esse turpius iniuriam inferre quàm pati. Quamobrem non solum lege turpius est facere iniuriam quàm pati, atque iustum est æquitatem seruare, vt superioribus dixerat Callicles, sed etiam ipsa natura. Præterea, quia Callicles in superioribus potentiores illos esse putauerat, qui astutia, audacia, violentia, cæteros anteirent. Socrates paulatim hunc emendat, cogitque fateri potentiorem esse, qui prudentior fortiorque sit ad Rempublicam gubernandam. Significat quoque inter hæc se eadem semper eisdem de rebus adducere, probans, videlicet, constantiam, improbans leuitatem. Iam verò Calliclem conatur vltra prudentiam, fortitudinemque ad temperantiam quoque perducere.

At hic, quemadmodum supra Trasymachum imitatus circa iustitiam potentiamque errauerat, ita nunc sequutus Aristippum circa temperantiam similiter errat, eam appellans stupidam ingenij seruilis ignauiam, atque in fouendis explendisque sensuum libidinibus virtutem asserens felicitatemque consistere. Socrates autem mox ad demonstrandum sese accingit, temperantiam non opinione humana, sed ordine naturæ constare. Profectò naturalis ordo requirit vt inferiores animæ partes superioribus pateant; totusque animus consonans vndique sit & pulcher, neque agat frustra, sed finem propositum consequatur, qualis est habitus vitaque temperati. Contrà verò in homine intemperato ratio regina hominis seruili seruit concupiscentiæ, dissonat quoque & languet, opúsque inexplebile molitur, incomparabilique molestia volantem sequitur voluptatem. Id totum Socrates Pythagoræorum præsertim Philolai & Empedoclis sententiis explicat, duplici præcipue via, scilicet per fabulam & exemplum, in quibus ipse considera, animam in hoc corpore omnem quidem esse mortuam, intemperantem prætereа inferis deputari, irrito assiduoque labore miserabiliter agitatam, dum quodam perforato vase, id est, deprauato fallacique iudicio continue machinatur perforatum quoque vas alterum, id est, concupiscentiam inexplebilem fluentibus oblectamentis implere. Post hæc quia Callicles non solum virtutem, sed etiam felicitatem in assidua libidinum expletione constituit, affirmatque idem esse voluptatem atque ipsum bonum, dolorem quoque idem atq; malum, idcirco Socrates id pluribus rationibus confutat.

Prima, constat voluptatem non esse ipsum bonum, cum sæpè & turpissima sit, & turpissimis hominibus adsit. Secunda, bonum & malum, vtpote, contraria in eodem simul esse non possunt. At, voluptas & dolor in eodem sunt simul, quando, videlicet, quis sitiens bibit: tunc enim sitiendi molestia, cum bibendi voluptate concurrit. Tertia, bonum & malum sicuti cætera contraria solent, non simul abeunt ab eodem. Voluptas autem dolorque tunc ab eodem simul abeunt; quando quis eodem in tempore dum bibit, cessat simul & sitire pariter & delectari bibendo. Quarta, vnusquisque præsentia quidem boni fit bonus, mali verò præsentia fit malus. At, neque præsente voluptate boni fiunt homines dissoluti, neque dolore probi homines mali fiunt. quinimò, cùm sæpè æquè gaudeant, aut doleant boni atque mali, & aliquando magis mali gaudeant, & boni magis doleant: certè si voluptas quidem bonum esset, dolor verò malum. Sequeretur, vt frequenter tam boni quàm mali pariter boni forent aut mali, ac nonnunquam boni magis mali, quàm ipsi mali, atque conuersò. Inter hæc animaduerte præceptum Socratis obseruandum, scilicet, non esse ad grauissima festinandum, nisi leuiora prius fueris consequutus. Afferuntur deinde nonnulla ex quibus confirmare quis possit, voluptatem non esse ipsum per se bonum: propterea quod multæ reperiantur voluptates malæ, noxiæ, videlicet, & animo simul & corpori, nosq; à rebus optimis diuertentes: quod si voluptas ipsum per se bonum esset, nulla esset mala voluptas: proinde distinguun-

tur iterum facultates, & quæ velut artes ad bonum vtileque certa ratione procedunt, & quæ tanquam adulationes, nulla veti boni adhibita ratione voluptatem solam aucupantur, quarum in numero poësim & musicam, communemque oratoriam collocat. Tu verò inter disserendum hanc nota sententiam. Virtutem corporis sanitatemque in ordine quodam & ornatu consistere, similiterque in ornatu suo animi virtutem atque sanitatem. Ex quo fit, vt quemadmodum virtus corporis vitiumque non in opinione, sed in re ipsa vel naturæ consentanea vel opposita reperitur, sic virtus vitiumque animi non ad humanam opinionem, sed ad naturæ legem diiudicetur. Conclude tandem, quantum naturaliter præstat corpus habere sanum quàm ægrotum, tantum præstare similiter temperatum quàm intemperatum animum possidere. Præterea confirmatur in sequentibus sententia Pythagorica: omnibus in rebus esse optimam temperantiam. Quæ quidem prima omnium adolescentibus est tradenda, per quam præcedens pueritiæ intemperantia corrigatur, totusque animus temperetur, quam mox sequi cæteras virtutes existimat. Siquidem temperatus erga Deum atque homines agit decentia, pius est iustusque & fortis.

Deinde concluditur in sola virtute felicitatem, in sola improbitate esse miseriam, omniaque humana ad virtutem velut ad signum certissime referenda. Præterea sicut ad beatitudinem necessaria virtus est, sic & vitiorum castigationem punitionemq; necessariam esse, quasi morborum animi medicinam. Denique intemperatum neque hominibus, neque Deo, neque sibimet amicum esse posse. Vt autem naturalem temperantiæ excellentiam nobis ostendat, ex Pythagoræorum Orphicorumque mente subiungit, vniuersum temperantia atque etiam concordia & iustitia, quæ continentur in ipsa temperantia, contineri: ideoque, quod & Pythagoras inquit, intemperantiam in omnibus tanquam perniciosissimam esse totis viribus fugiendam. Quoniam verò ad hanc simul atque iustitiam æqualitas præcipue pertinet, æqualitatem in primis præcipit obseruari, quam asserit in diis & hominibus valere quam plurimum. Æqualitatem, inquam, geometricam, per quam vnicuique æqualis ita sit distributio, vt pro capacitate meritisque cuiusque æqualiter distribuatur, æqualiter, inquam, id est, neque magis neque minus quàm vel capacitas vel meritum exigere iudicetur.

Æqualitas quidem geometrica in quadam congrua portione consistit. Arithmetica verò in numero vtrinque pari. Neque verò eadem est hæc & illa. Sane excessus sex ad quatuor, itemque excessus quatuor ad duo, apud Arithmeticum numeros considerantem, est æqualis: per duo enim vterque perficitur. Verum apud geometram portionis iudicem est inæqualis. Nam senarius numerus quaternarium proportione sesquialtera superat, in qua maior numerus minorem & semel continet totum & insuper eius dimidium. Quaternarius verò binarium proportione superat dupla. Eiusmodi verò æqualitate quæ non numerantis more tantum ponderis vni tribuit quantum alteri, sed metientes risu, neque magis neque minus quàm cuique congruat tribuit vnicuique, ait cuncta seruari, in hac etenim & iustitia Dei in operibus suis, & hominis ad homines continetur. Vtrobique enim pro mensura capacitatis & meriti cuique distribuitur. His dictis asserit Theologica fundamenta morum firmissimis esse rationibus confirmata, præcipuè peius esse iniuriam facere quàm pati, omnium verò pessimum cum iniuriam feceris, non dare pœnas, quibus quasi medicamentis ab omnium maximo iniustitiæ morbo animus liberetur. Nullum enim detrimentum maius cogitari posse quam quod animo infertur à vitio, adeo vt quemadmodum homini cum omnino ægroto corpore non expedit viuere, ita neque cum animo vitiis ægro. Item non multifaciendam esse vitam in corpore, sed virtutem, peiusque esse seipsum flagitiosis hominibus ob morum similitudinem præstare persimilem, quàm ab illis interfici. Inter hæc monet ne res vllas quarum ignari simus, tractandas aggrediamur, præsertim grauiores, maximè publicas. Omnino verò oratoriam paruifacit, si nullam possit vel priuatim vel publice salutem afferre animo, sed corpori duntaxat rebusque ad ipsum pertinentibus consulat. Deridet & eos, qui cum diu Reipub. tenuerint gubernacula, semper quidem ciuitatem externis bonis auxerint, animos verò ciuium temperantia & iustitia formare neglexerint: quod quidem solum sit legitimi gubernatoris officium. Conclud itq; non modo non prodesse, sed obesse plurimum ciuitati gubernatores, qui fortunæ potius quàm animi bonis prospiciant. Præterea potentiam omnem sapientiamque viri in eo consistere, vt animam à peccatis erga Deum & homines conseruet intemeratam Nam huius quidem vitæ iacturam leuissimam esse, æternæ verò salutis esse grauissimam.

Cæterum, vt quæ de futuris, vel virtutum præmiis vel vitiorum supplicijs Plato affirmat, intelligas, scito Saturnum apud Platonem intelligi supernā intelligentiam, in qua fit vniuersalis omniū lex atque prouidentia circa omnium essentias & vias ordinesque formarum. Huic autem subesse ordines tres præcipuos numinum, in quibus Saturnina prouidentia in tria potissimum officia distribuitur. Ex his quæ numina ad distribuendas essentias propriè subministrant, communi quodam Iouis nomine nuncupatur. Quæ verò ad vitas suggerendas conferunt, appellatione Neptuni. Quæ ad formarum ordines disponendos, nomine Plutonis appellat. Prometheum verò numinum gradum his aliquanto inferiorem, qui formalem ordinem naturæ duntaxat rationali præsertim in hac vita distribuit. Denique tres Iouis filios, Asiæ, Europæ, Africæ iudices, tria vult intelligi numina ad id maxima ministra Iouis atque Plutonis, vt formalis ordo iustitiæ in separatis à corporibus animis expleatur. His autem animaduerte diuinam legem delebiles vitiorum maculas certis temporibus puniendo diluere, indelebiles verò pœnis sempiternis affligere. Quod quidem transmigrationem animarum per corpora sempiternam impr obare videtur. quod autem dicit quondam errauisse iudices in viuentibus iudicandis, duo nobis significat. Primum quidem non diuinum, sed humanum circa virtutes & vitia iudicium decipi. Secundum verò, diuinam prouidentiam in seipsa præuidisse iudicia fore falsa si à viuentibus in hoc corpore viui iudicarentur. Ideoque non ex quodam tempore, vt verba sonant, sed ab æterno, iudicium post hanc vitam fieri statuisse. Interea memento animam vitiorum virtutumque abiectiones & habitus secum ferre.

Denique, Socratem hæc penitus affirmare, nihilque aliud expauescere, nisi eiusmodi animæ detrimentum, iudicisque diuini conspectum. Propterea concludit in nullo certamine nobis acrius quàm in hoc contendendum, vt purissimam iudici cuncta inspicienti animam offerre possimus: cæteraque omnia quæ homines admirantur, esse penitus contemnenda, solaque ex omnibus honoranda, quæ ad salutem animæ conferant sempiternam.



IN CONVIVIVM PLATONIS, DE AMORE. COMMENTARIVS.

CAPVT I.



Plato Philosophorum pater, annos vnum & octoginta ætatis natu, septimo Nouembris die, quo ortus fuerat, discumbens in conuiuio remotis dapibus expirauit. Hoc autem conuiuium, quo & natalitia, & anniuersaria Platonis pariter continentur, prisci omnes Platonici, vsque ad Plotini & Porphyrij tempora, quotannis instaurabant. Post verò Porphyrium mille ac ducentos annos, solemnes hæ dapes prætermissæ fuerunt. Tandem, nostris temporibus, vir clarissimus Laurentius Medices Platonicum conuiuium innouaturus, Franciscum Bandinum Architriclinum constituit. Cùm igitur septimum Nouembris diem colere Bandinus instituisset, regio apparatu in agro Caregio nouem Platonicos accepit conuiuas: Antonium Allium Episcopum Fesulanum. Ficinum Medicum, Christophorum Landinum Poëtam, Bernardum Nutium Rhetorem, Thomam Bencium, Ioannem Caualcantem familiarem nostrum, quem propter virtutem animi, & egregiam indolem Heroem conuiuæ nuncupauerunt. Marsupinos duos, Christophorum Carolumque Caroli Poëtæ filios. Me denique nonum Bandinus esse noluit, vt Marsilio Ficino superioribus addito Musarum numerus impleretur. Remotis dapibus Bernardus Nutius Platonis accepit librum, qui conuiuium de Amore inscribitur: legitque omnes Symposij huius orationes, quibus lectis reliquos conuiuas orauit, vt singuli singulas orationes exponerent. Assensere omnes: iactisque sortibus, prima illa Phædri oratio, Ioanni Caualcanti obtigit exponenda. Pausaniæ oratio, Antonio Theologo, Eryximachi Medici, Ficino Medico. Poëtæ Aristophanis, Christophoro Poëtæ, Agathonis adolescentis, Carolo Marsupino. Thomæ Bencio data est Socratis disputatio. Alcibiadis verò Christophoro Marsupino. Sortem huiusmodi probauere omnes. Verum Episcopus ac Medicus, alter ad animorum, alter ad corporum curam abire coacti, partes in dicendo suas Ioanni Caualcanti reliquerunt. Cæteri ad hunc conuersi sunt, paratique ad audiendum conticuere. Tunc heros ille in hunc modum est exorsus.

(∴) (∴) (∴)

Quæ regula laudandus sit amor. Quæ sit eius dignitas & magnitudo.

CAPVT II.

Gratissima mihi optimi conuiuæ sors ista hodie obtigit, qua effectum est, vt personam Phædri Myrrhinusij gererem. Phædri illius, inquam, cuius familiaritatem tanti fecit Lysias Thebanus summus Orator, vt oratione lucubrationibus multis composita, cum sibi conciliare contenderit: cuius indolem Socrates vsque adeò admiratus est, vt eius splendore quandoque iuxta Ilyssum fluuium concitus altiusque sublatus mysteria diuina cecinerit: qui antea non solùm cœlestium, sed inferiorum quoque omnium se inscium prædicauerat. Cuius ingenio adeò delectatus est Plato, vt primitias studiorum suorum Phædro dicauerit. Ad hunc Epigrammata, ad hunc Elegiæ Platonis, ad hunc primus eius de Pulchritudine liber, qui Phædrus inscribitur. Cùm igitur huius Phædri me similem, non ego quidem, non enim tantùm mihi arrogo: sed fortis casus primò, & vester deinde applausus iudicauerit, his felicibus auspiciis eius in primis orationem libenter interpretabor. Deinde, Antonij & Ficini partes pro ingenij viribus exequar. Tria in omni re viri optimi Philosophus quisque Platonis imitator considerat, quæ antecedunt, quæ comitantur, & quæ sequuntur. Hæc si bona sint, rem ipsam laudat; sin mala, vituperat. Ea igitur perfecta laudatio est, quæ præcedentem rei recenset originem, præsentem formam narrat, sequentes ostendit euentus. Ab antecedentibus res quæque laudatur, vt nobilis: à præsentibus, vt magna: à sequentibus, vt vtilis. Quare ex tribus illis tria hæc in laudibus concluduntur: Nobilitas, magnitudo, atque vtilitas. Ideo Phædrus noster in primis præsentem Amoris excellentiam contemplatus, Magnum Deum vocauit: adiunxit, Diis hominibusque mirandum. Nec iniuria. Nam ea propriè quæ magna sunt admiramur. Magnus ille quidem, cuius imperio homines & dij, vt aiunt, omnes subiiciuntur. Nam tam dij apud veteres quàm homines amant, quod Orpheus Hesiodusque significant, dicentes mortalium mentes amore domari. Admirandus præterea dicitur, quoniam illud quisque amat, cuius pulchritudinem admiratur. Dij quidem siue vt nostri dicunt, Angeli, diuinam pulchritudinem: Homines corporum species admirantur, & amant. Atque hæc quidem laus Amoris est à præsenti excellentia quæ ipsum comitatur deducta. Laudat deinde ab antecedentibus Phædrus, cum deorum omnium esse asserit antiquissimum. In

quo nobilitas amoris effulget, cum prisca eius origo narratur. Laudabit & tertio à sequentibus, vbi mirifica eius ab euentu apparebit vtilitas. Sed de prisca & nobili eius origine primum: deinde de futura vtilitate tractabimus. Orpheus in Argonautica, cum de rerum principiis coram Chirone heroibusque cantaret, Mercurij Trismegisti Theologiam sequutus: Chaos ante mundum posuit. & ante Saturnium, Iouem, cæterosque deos, Amorem in ipsius Chaos sinu locauit, laudauitque his verbis.

Origo amoris ex Chaos.

CAPVT III.

Antiquissimum, seipso perfectum, consultissimumque Amorem, Hesiodus in Theogonia: & in libro De natura Parmenides Pythagoricus, Acusileusque poeta, cum Orpheo & Mercurio consenserunt. Plato in Timæo chaos describit similiter: & in eo locat amorem. Atque idem in conuiuio Phædrus recensuit. Chaos Platonici informem mundum vocant: Mundum verò formatum chaos. Tres apud eos mundi sunt, tria itidem Chaos erunt. Primum omnium est Deus vniuersorum autor, quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem primo creat Angelicam: deinde mundi huius animam, vt Plato vult: Postremo mundi corpus. Summum illum Deum, non mundum dicimus: quia mundus ornamentum significat ex multis compositum, ille verò penitus simplex esse debet: sed mundorum omnium principium atque finem ipsum asserimus. Mens Angelica primus mundus est à Deo factus. Secundus vniuersi corporis anima. Tertius tota hæc quam cernimus machina. In iis itaque mundis tribus, tria & chaos considerantur. Principio Deus mentis illius creat substantiam: quam etiam essentiam nominamus. Hæc in primo illo creationis suæ momento informis est, & obscura. Quoniam verò à Deo nata est, ad Deum sui principium ingenito quodam appetitu conuertitur. Conuersa in Deum, ipsius radio illustratur. Radij illius fulgore ille suus appetitus accenditur. Accensus appetitus Deo totus inhæret: inhærendo formatur. Nam Deus qui potest omnia, in mente sibi inhærente creandarum rerum naturas effingit. In ea igitur spiritali quodammodo pinguntur, vt ita loquar, omnia quæ in corporibus istis sentimus. Illis cœlorum elementorumque globi, sydera, vaporum naturæ, lapidum, metallorum, plantarum, animalium formæ gignuntur. Huiusmodi rerum omnium species Dei fomento quodam in suprema illa mente conceptas, Ideas esse non dubitamus: & formam illam ideamque cœlorum, sæpe Deum Cœlum vocamus. Formam planetæ primi Saturnum Deum: secundi Iouem, atque in sequentibus planetis compacto. Ignis quoque huius ideam illam, Vulcanum Deum: Aëris Iouem atque Iunonem: Aquæ Neptunum: Terræ Plutonem. Quare dij omnes certis inferioris mundi partibus assignati, Ideæ illarum partium sunt in suprema illa mente collectæ. Sed eam idearum conceptionem à formante Deo perfectam præcessit illa mentis ad Deum appropinquatio. Hanc præcessit appetitus incendium, hoc infuso radij, hanc prima illa appetitus conuersio, hanc informis mentis essentia. Porrò essentiam istam nondum formatam chaos esse volumus. Primam ipsius in Deum conuersionem, amoris ortum: radij infusionem, amoris pabulum: incendium sequens, amoris dicimus incrementum: appropinquationem, amoris impetum: formationem, amoris perfectionem. Formatum omnium, idearumque complexionem, Mundum Latinè, Græcè κόσμον, id est, ornamentum vocamus. Huius ornamenti gratia pulchritudo est. Ad quam amor ille statim natus traxit mentem: atque perduxit mentem ante deformem, ad mentem eandem deinde formosam. Ideo amoris conditio est: vt ad pulchritudinem rapiat, ac deformem formoso coniungat. Quis igitur dubitabit, quin amor statim chaos sequatur, præcedatque mundum: & deos omnes, qui mundi partibus distributi sunt? Cum mentis ille appetitus ante sui formationem sit, & in mente formata dij mundusque nascantur. Merito igitur antiquissimum hunc Orpheus nominauit. Præterea seipso perfectum: quasi dicat seipsum perficientem. Quoniam primus ille mentis instinctus suapte natura à Deo perfectionem suam haurire videtur: atque eam menti, quæ inde gignuntur, præbere. Consultissimum insuper nominauit, nec iniuria. Nam omnis sapientia cuius proprium est consilium, ideo menti data est: quia amore in Deum conuersa, ipsius fulgore refulsit. Eodemque modo mens ad Deum, quoad lumen solis dirigitur oculus. Hic enim aspicit primo, videt deinde solis lumen: tertio in solis lumine rerum colores figurasque comprehendit. Quare oculus obscurus primo, & chaos instar informis, lumen amat dum aspicit, irradiatur aspiciendo, radium accipiendo rerum coloribus figurisque formatur. Quemadmodum verò in Deum mens illa statim nata & informis amore conuertitur & formatur: sic mundi anima in mentem, deumque illinc genita se reflectit. Et cum primo informis sit, & chaos amore in mentem directa acceptis ab ea formis fit mundus. Non aliter & mundi huius materia, cum principio sine formarum ornamento informe chaos iaceret: illico amore sibi ingenito, in animam se direxit, seque illi obedientem præbuit: atque hoc amore conciliante, ab anima formarum omnium quæ in mundo videntur nacta ornamentum, mundus ex chaos effecta est. Tres igitur mundi, tria & chaos. In omnibus denique amor chaos comitatur, præcedit mundum, torpentia suscitat, obscura illuminat, viuificat mortuos, format informia, perficit imperfecta. Quibus laudibus nullæ ferme maiores aut dici, aut excogitari possunt.

De vtilitate amoris.

CAPVT IIII.

Sed de origine eius, & nobilitate hactenus. De vtilitate iam arbitror differendum. Singula quidem amoris beneficia generi humano collata referre superuacuum est: præsertim cum summatim comprehendi omnia possint. Omnia enim in eo consistunt, vt vitatis malis bona sequamur. Mala hominis & turpia eadem sunt. Bona itidem eadem atque honesta. Profecto nihil aliud leges & doctrinæ omnes contendunt; quàm ita homines instituere, vt declinent à turpibus, agant honesta. Hoc autem ipsum, quod innumerabiles penè leges & artes vix tandem longo tempore assequuntur, Amor ipse vnus breui tempore perficit. Nam à turpibus pudor absterret: ad honesta excellendi studium prouocat. Duo hæc nihil aliud

facilius, ac citius quàm amor hominibus exhibet. Cum amorem dicimus, pulchritudinis desiderium intellige. Hæc enim apud omnes Philosophos amoris definitio est. Pulchritudo verò gratia quædam est, quæ vt plurimum in concinnitate plurium maxime nascitur. Ea triplex est: siquidem ex plurium virtutum concinnitate in animis gratia est. Ex plurium colorum linearumque concordia in corporibus gratia nascitur. Gratia item in sonis maxima ex vocum plurium colorum, linearumque concordia in corporibus gratia nascitur. Gratia item in sonis maxima ex vocum plurium consonantia.

Triplex igitur pulchritudo, animorum, corporum atque vocum. Animorum mente cognoscitur, Corporum oculis, Vocum auribus solis percipitur. Cum ergo mens, visus, auditus, sint quibus solis frui pulchritudine possumus: Amor verò sit fruendę pulchritudinis desiderium: Amor semper Mente, Oculis, Auribus est contentus. Quid olfactu? quid gustu? quid tactu opus est? Odores, Sapores, Calorem, Frigus, Mollitiem & duritiem, horumque similia sensus isti percipiunt. Istorum nullum humana pulchritudo est, cum formæ simplices sint: humani autem corporis pulchritudo membrorum requirat diuersorum concordiam. Amor tanquam eius finem fruitionem respicit pulchritudinis: ista ad mentem, visum, auditum pertinet solum. Amor ergo in tribus iis terminatur. Appetitio verò, quæ reliquos sequitur sensus, non amor sed libido rabiesque vocatur.

Præterea, si amor erga hominem pulchritudinem ipsam desiderat: humani autem corporis pulchritudo in quadam concinnitate consistit: concinnitas temperantia est: sola quæ temperata, modesta, decora sunt, exigit amor. Voluptas itaque gustus & tactus, quæ vsque adeò vehementes furiosæque sunt, vt mentem è suo statu dimoueant, hominemque perturbent: amor non modo non cupit, sed abominatur, & fugit, vtpote quæ propter intemperantiam pulchritudini sunt contrariæ. Rabies venerea, ad intemperantiam trahit, ideoque ad inconcinnitatem: quare ad deformitatem similiter videtur allicere, Amor autem ad pulchritudinem; deformitas & pulchritudo contraria sunt. Motus igitur huiusmodi, qui ad ea rapiunt, inter se videntur esse contrarij. Quapropter libido coitus, & amor non modo non iidem motus, sed & contrarij esse monstrantur. Testantur hoc & Theologi veteres, qui amoris nomen Deo tribuerunt. Quod etiam posteriores Theologi summopere confirmarunt, nullum verò Deo congruum nomen cum rebus turpibus est commune. Ideo sanæ mentis quisque cauere debet, ne amorem, diuinum nomen, ad insanas perturbationes temerè transferat.

Erubescat Dicæarchus, & si quis alius Platonicam maiestatem quod amori nimium indulserit, carpere non veretur. Nam decoris, honestis, diuinis affectibus, nec nimium, nec satis vnquam possumus indulgere. Hinc efficitur, vt omnis amor honestus sit, & omnis amator iustus. Pulcher enim est omnis atque decorus, & decorum proprie diligit. Turbulentus autem ardor, quoad lasciuiam rapimur, cum ad deformitatem trahat, amori contrarius iudicatur. Vt igitur ad amoris vtilitatem aliquando redeamus: pudor qui à turpibus nos absterret, & studium quod ardentes efficit ad honesta, ab amore facile, citoque proficiscuntur. Primo quoniam amor, qui pulchra petit, decora semper appetit atque magnifica, & qui odit desormia, necessaria turpio obscœnaque fugit. Deinde si duo aliqui se mutuo diligunt, alterutrum se obseruant & placere sibi inuicem cupiunt. Prout alter ab altero obseruatur, vtpote qui teste nunquam careant, à turpibus abstinent, prout sibi inuicem placere conantur, magnifica semper ardenti studio aggrediuntur, ne contempti amato sint, sed amoris vicissitudine digni putentur.

Sed hanc rationem copiosissime explicat Phædrus: vbi exempla ponit amorum tria. Vnum amoris fœminæ ad masculum: vbi de Alceste Admeti vxore loquitur, quæ pro marito mori voluit. Alterum amoris masculi ad fœminam, vt Orphei ad Eurydicen. Tertium amoris masculi ad masculum, vt Patrocli ad Achillem: vbi ostendit nihil fortiores homines reddere, quam amorem. Allegoriam verò, vel Alcestis, vel Orphei, in præsentia perscrutari non est consilium. Vehementius enim ista vim amoris & imperium exprimunt, si tanquam historia gesta narrentur, quam si per allegoriam dicta putentur. Ergo amorem esse Deum magnum atque mirandum, nobilem præterea & maxime vtilem, sine controuersia fateamur: atque ita amori indulgeamus vt fine suo, qui pulchritudo ipsa est, contenti simus. At nos ea parte fruimur, qua cognoscimus Mente, visuque & auditu. His itaque fruimur, cæteris sensibus non pulchritudine, quam desiderat amor, sed quouis alio potius quo corpus indiget, vtimur. Igitur his tribus venabimur pulchritudinem: & per eam quæ in vocibus corporibusque elucet, tanquam per vestigia quædam, animi decorem inuestigabimus. Illam laudabimus quidem, istum probabimus: ac semper id obseruare conabimur, vt tantus amor sit, quanta fuerit pulchritudo. Et vbi corpus quidem pulchrum, animus minime, tanquam vmbratilem & fluxam imaginem pulchritudinis vix & leuiter diligamus. Vbi solus animus pulcher, stabilem hunc decorem animi ardenter amemus. Vbi verò vtraque pulchritudo concurrit, vehementius admiremur: atque ita ex Platonica familia reuera nos esse testabimur: ea quippe nihil nouit nisi festum, lætum, cœleste, supremum. Sed hæc iam de Phædri oratione sufficiant. Ad Pausaniam veniamus.

Deus bonitas, pulchritudo, iustitia, principium, medium, finis.

CAPVT I.

SECVNDA ORATIO.



TRinitatem Pythagorici Philosophi rerum omnium mensuram esse voluerunt, ob eam arbitror rationem, quòd Deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipsæ ternario numero terminantur. Hinc Maronis illud, Numero Deus impare gaudet. Nempè summus ille author, Primò, singula creat: secundò rapit, tertiò perficit. Singula quoque in primis ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur, deinde in eundem refluunt, dum suam illam originem repetunt, postremò perficiuntur, postquam in suum principium redierunt. Hoc vaticinatus Orpheus, Iouem principium, medium, & finem vniuersi vocauit. Principium, vt producit: Medium, vt producta retrahit ad seipsum: Finem, prout redeuntia perficit. Hinc regem illum vniuersorum, Bonum, Pulchrum, Iustum, quod sæpè apud Platonem dicitur, possumus nuncupare. Bonum, inquam, vbi creat; vbi allicit, pulchrum: vbi pro cuiusque merito perficit, iustum. Pulchritudo igitur, cuius allicere proprium est, inter bonitatem iustitiamque locatur: à bonitate quidem effluit, profluit ad iustitiam.

Quo pacto diuina pulchritudo amorem parit.

CAPVT II.

DIuina verò hæc species in omnibus amorem, hoc est, sui desiderium procreauit. Quoniam si Deus ad se rapit mundum, mundusque rapitur: vnus quidem continuus attractus est à Deo incipiens, transiens in mundum, in Deum denique desinens: qui quasi circulo quodam in idem vnde manauit iterum remeat. Circulus itaque vnus & idem à Deo in mundum, à mundo in Deum tribus nominibus nuncupatur. Prout in Deo incipit & allicit, pulchritudo: prout in mundum transiens ipsum rapit, amor: prout in auctorem remeans ipsi suum opus coniungit, voluptas. Amor igitur in voluptatem à pulchritudine desinit. Id sibi voluit Hierothei, & Dionysij Areopagitæ hymnus ille præclarus: vbi sic hi Theologi cecinerunt. Amor circulus est bonus, à bono in bonum perpetuò reuolutus. Necessariò enim bonus est amor, cùm à bono natus reuertatur in bonum. Idem enim Deus est: cuius speciem desiderant omnia: in cuius possessione omnia requiescunt. Inde igitur desiderium nostrum accenditur, ibi amantium ardor quiescit, nec extinguitur, sed impletur. Nec iniuria soli Deum comparat Dionysius: quia quemadmodum sol illuminat corpus & calefacit: ita Deus animis veritatis claritatem præbet, & charitatis ardorem.

Hanc vtrique comparationem ex Platonis libro de Republica sexto, hoc quo dicam, modo colligimus. Sol profectò corpora visibilia, & oculos videntes procreat, oculis vt videant lucidum infundit spiritum: corpora vt videantur, coloribus pingit. Neque tamen proprius oculis radius, propriive corporibus colores ad visionem perficiendam sufficiunt, nisi lumen ipsum vnum supra multa, à quo multa & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, adueniat, illustret, excitet atque roboret. Eodem modo primus ille actus omnium, qui Deus dicitur, speciem, actumque rebus singulis producendo largitus est. Qui sane actus cùm in re creata, & in subiecto patiente susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens. Sed diuini solis perpetua & inuisibilis lux vna semper omnibus adstat, fouet, viuificat, excitat, complet, & roborat. De quo diuine Orpheus, cuncta fouens, atque ipse ferens super omnia sese. Vt est actus omnium, roboratque, bonum dicitur. Vt viuificat, lenit, mulcet & excitat, pulchrum. Vt in obiectis quæ noscenda sunt, tres illas cognoscentes animæ vires, Mentem, Visum, Auditum allicit pulchritudo. Vt in cognoscente potentia eam applicat cognitio, veritas. Denique vt bonum, procreat, regit & complet. Vt pulchrum, illuminat, gratiamque infundit.

Pulchritudo est splendor diuinæ bonitatis & Deus est centrum quatuor circulorum.

CAPVT III.

NEque ab re Theologi veteres, Bonitatem in centro, Pulchritudinem in circulo posuerunt. Bonitatem, inquam, in centro vno: In circulis autem quatuor, Pulchritudinem. Centrum vnum omnium Deus est. Circuli quatuor circa id assiduè reuoluti; Mens, Anima, Natura, Materia. Mens, stabilis circulus: Anima, per se mobilis: Natura, mobilis in alio, non alio: Materia, ab alio, & in alio mobilis. Cæterùm, cur Deum quidem centrum, quatuor illa cur circulos appellemus exponam. Centrum circuli punctum est, vnum, indiuisibile, stabile. Inde lineæ multæ diuiduæ, mobiles ad earum similem circumferentiam deducuntur: quæ sanè circumferentia diuisibilis circa centrum quasi cardinem voluitur: atque ea est centri natura, vt licet vnum indiuiduum, immobile sit, in multis tamen, imò in omnibus lineis diuiduis & mobilibus, vbique reperiatur. Vbique enim est in linea punctum. Quoniam verò à dissimili suo attingi nihil potest, lineæ à circumferentia ad centrum vsque deductæ, medium huiusmodi punctum singulæ sui quodam puncto vno simplici & immobili coguntur attingere. Quis negat Deum centrum omnium meritò nominari: cùm omnibus insit vnus penitus, simplex atque immobilis: cuncta verò ab ipso producta, multa, composita & mobilia sint, atque vt ab eo manant, ita in eum instar linearum & circunferentiæ refluant? Ita Mens, Anima, Natura, Materia procedentes à Deo, in eundem redire nituntur: seque vndique pro viribus in illum circumferunt. Atque, vt centrum punctum vbique in lineis, & in toto circulo reperitur, perque punctum suum sin-

gulæ lineæ medium circuli tangunt punctum: ita Deus omnium centrum, qui vnitas simplicissima est, actusque purissimus, sese inserit vniuersis: non ob id solum, quia cunctis est præsens, verumetiam quia omnibus à se creatis partem aliquam, vel potentiam intimam, simplicissimam, præstantissimam indidit, quæ rerum vnitas nominatur: à qua & ad quam tanquam à centro, & ad centrum suum rei cuiusque partes & potentiæ reliquæ pendent. Ad hoc plane suum centrum, ad hanc propriam vnitatem se colligant creata prius oportet, quàm suo hæreant creatori: vt per proprium centrum, quod iam sæpè repetimus, centro omnium hæreant. In apicem suum caputque mens Angeli ante consurgit, quàm ascendat in Deum. Anima quoque & reliqua eodem pacto. Atque illorum inuisibilium circulorum, mentis scilicet, animæ, naturæ, visibilis mundi circulus est imago. Corpora enim animarum mentiumque vmbræ & vestigia sunt. Vmbra vero & vestigium figura eius, cuius vmbra est, & vestigium refert. Quapropter quatuor illa, non iniuria circuli quatuor appellantur. Sed mens immobilis orbis propterea, quod tam operatio eius quàm substantia semper eadem permanet, & similiter operatur: intelligit semper eodem modo, vultque similiter. Mobilis autem quandoq; mens ex eo solum dici potest, quòd quemadmodum cætera omnia à Deo procedens in eundem se vertit. Anima mundi, & alia quæuis, circulus mobilis. Hæc enim sua natura discurrendo cognoscit, & temporum curriculis operatur. Discursio autem ab alio in aliud, & operatio temporalis, motus proculdubio nominatur. Si qua verò in animæ cognitione stabilitas est, mentis constat potius quàm animæ beneficio. Natura etiam mobilis est circuitus. Cum animam dicimus, priscorum more Theologorum vim in ratione & sensu positam intelligimus; cum naturam, vim animæ in generando locatam. Vim illam in nobis hominem proprie vocauerunt: istam hominis idolum & simulachrum. Hæc sanè generandi facultas ideo mobilis dicitur: quia temporis spaciis suum opus exequitur. Verum in hoc ab illa animæ proprietate discrepat: quod anima per se, & in se mouetur. Per se, inquam, quia principium motus existit, In se etiam, quia in ipsa animæ substantia rationis & sensus remanet operatio. Ex iis opus nullum necessario resultat in corpore. Generandi verò vis illa quam vocamus naturam, per se quidem mouetur: cum animæ per se motæ vis quædam sit. Moueri autem in alio dicitur: quia in mole corporis omnis eius operatio terminatur. Corpus enim nutrit, augetque & generat. Materia verò & corporis moles, orbis est ab alio, & in alio mobilis. Ab alio quidem, quoniam ab anima necessario agitatur, In alio autem, quia in loci spacio motus corporis agitatur. Iam igitur quam ob causam bonitatem in centro, in circulo pulchritudinem, Theologi collocent, aperte intelligere possumus. Bonitas siquidem rerum omnium vnus ipse est Deus, per quem cuncta sunt bona. Pulchritudo autem Dei radius, quatuor illis infitus circulis circa Deum quodammodo reuolutis, huiusmodi radius omnes rerum omnium species in quatuor illis effingit: species illas in mente ideas, in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellare solemus. Idcirco quatuor in circulis, quatuor splendores esse videntur. Idearum splendor in primo: Rationum in secundo: in tertio seminum: formarum in vltimo.

Quomodo Plato de reb. diuinis exponatur. Cap. 4.

Hoc mysterium in Epistola ad Dionysium regem Plato significauit: cum Deum affirmauit pulchrorum omnium causam: quasi totius pulchritudinis principium & originem. Circa omnium, inquit, regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse causa est pulchrorum omnium: Secunda circa secundum, Tertia circa tertium. Humanus autem animus affectat qualia illa sint intelligere: aspiciens in ea quæ sibi cognata sunt: quorum nihil sufficienter se habet. Circa verò ipsum regem & ea quæ dixi, nihil est tale: quod autem post hoc est, animus dicit. Circa regem, non intra regem, sed extra significat. In Deo enim nulla est compositio: Quid verò dictio illa circa significat, exponit Plato, cum addit: Eius gratia omnia: ipse causa est pulchrorum omnium, Quasi dicat, ideo circa regem omnia sunt, quia ad illum tanquam ad finem pro natura sua omnia reuoluuntur, quemadmodum ab illo tanquam principio producta sunt omnia. Pulchrorum omnium, idest, totius pulchritudinis; quæ supradictis in circulis emicat. Formæ enim corporum persemina: hæc per rationes, hæ per ideas reducuntur in Deum, & iisdem à Deo gradibus producuntur. Proprie verò cum dicit Cuncta, ideas intelligit: nam in his reliqua includuntur. Secunda circa secundum: Tertia circa tertium. Tres mundi principes posuit Zoroastes, trium ordinum dominos; Oromasin, mithrin, arimanin. Hos Plato, Deum, mentem, animam nuncupat. Tres autem, ordines in diuinis posuit speciebus, ideas, rationes & semina. Prima igitur, id est, ideæ, circa primum, id est, circa Deum, quoniam à Deo menti tributæ sunt, & in eandem mentem cui sunt datæ reducunt. Secunda circa secundum, id est, rationes circa mentem: quandoquidem per mentem in animam transeunt, & in mentem animam dirigunt. Tertia circa tertium, id est, semina rerum circa animam: nam per animam transeunt in naturam, in illam scilicet generandi potentiam, rursusque naturam animæ copulant. Eodem ordine à natura in materiam formæ descendunt. Sed eas Plato in ordine posito non connumerat, quia de diuinis à Dionysio interrogatus tres ordines ad incorporales species pertinentes tanquam diuinos induxit: Formas autem corporum prætermisit. Noluit autem Deum regem primum vocare, sed omnium regem: ne si primum diceret, cum vnà cum sequentibus ducibus in aliqua numeri specie, condicionisq; paritate collocare forsitan videretur. Neq; dixit prima circa illum, sed cuncta: ne crederemus eum ordinis alicuius potius quàm cunctorum gubernatorem. Humanus animus affectat qualia illa sint intelligere. Scitè post illos tres diuinæ pulchritudinis splendores tribus in circulis emicantes amorem animi ad illos adiecit. Illinc enim animi ardor accenditur. Quippe par est vt diuinus diuina desideret: aspiciens in ea, quæ sibi cognata sunt. Quoniam humana cognitio à sensibus oritur: per ea quæ in corporibus præstantiora videmus, diuina iudicare sæpenumero consueuimus: per corporalium rerum vires, Dei potentiam: per ordinem, sapientiam: per vtilitatem, Dei bonitatem inuestigamus. Vocat autem formas corporum animæ cognatas, quasi proxime natas. Sequenti enim gradu post animam formæ corporum disponuntur. Quorum nihil sufficienter se habet. Formæ huiusmodi neque sufficientes sunt, neque sufficienter nobis diuina ostendunt.

Veræ

Veræ namque res, ideæ, rationes, & semina sunt: Corporum vero formæ, vmbræ rerum potius quàm veræ res esse videntur. Quemadmodum vero corporis vmbra exactam atque distinctam corporis figuram non indicat, ita corpora diuinorum naturam propriam non demonstrant. Circa ipsum regem & ea quæ dixi, nihil est tale. Quo enim pacto mortalia immortalibus, & falsa veris similia sunt? Quod autem post hoc est, animus dicit: id est, animus de diuina per mortalia iudicat, falso de diuinis loquitur: neque diuina pronunciat, sed mortalia.

Pulchritudo diuina, per omnia splendet; & amatur in omnibus.

CAPVT V.

Cæterum vt paucis multa comprehendamus, bonum quidem ipsa supereminens Dei existentia dicitur. Pulchritudo actus quidam siue radius inde per omnia penetrans: Primo in Angelicam mentem: Secundo in animam totius & reliquos animos: Tertio in naturam: Quarto in materiam corporum. Mentem idearum ordine decorat: animam rationum serie complet: naturam fulcit seminibus: Materiam formis exornat. Quemadmodum vero solis radius vnus corpora quatuor, ignem, aerem, aquam, terramque illustrat: sic vnus Dei radius mentem, animam, naturam, materiamque illuminat. Atque in his quatuor elementis quicunque lumen inspicit, solis ipsius aspicit radium: perque ipsum ad supernam solis lucem intuendam conuertitur. Ita quisquis decorem in quatuor istis, mente, anima, materia contemplatur, amatque, Dei fulgorem in his, perque fulgorem huiusmodi Deum ipsum intuetur & amat.

Passiones amantium.

CAPVT VI.

Hinc efficitur vt corporis nullius aspectu vel tactu amatoris impetus extinguatur Non enim corpus hoc aut illud desiderat: sed superni luminis splendorem per corpora refulgentem admiratur, affectat & stupet. Quapropter quid cupiant, aut quærant amantes ignorant. Deum náque ipsum ignorant: cuius sapor occultus odorē quendam sui dulcissimum operibus suis inseruit. Quo quidem ardore quotidie excitamur. Odorem quidem sentimus: Saporem procul dubio ignoramus. Cum igitur odore manifesto illecti saporem latenter desideremus, merito quod cupiamus, patiamurque nescimus. Hinc etiam semper accidit: vt amantes amati aspectum timeant quodammodo atque venerentur. Quod etiam fortes, dicam equidem, & si vereor ne quis vestrum hæc audiens erubescat, & sapientes inquã viri, coram inferiore quouis amato pati consueuerunt. Nempe non humanũ est quod eos terret, quod frangit, quod occupat. Humana enim vis in fortioribusque semper est excellentior. Sed diuinitatis fulgor ille ille in formosis emicãs quasi Dei simulachrum amantes obstupescere, contremiscere, & venerari compellit. Eadem ratione propter amati præsentiam amator diuitias & honores contemnit, & pro nihilo habet. Par enim est, vt diuina humanis anteponantur. Illud quoque quod euenire sæpe numero solet, vt se in amati personam quisque transferre cupiat, Nec immerito. Deus namque pro homine fieri cupit, atque conatur. Quis autem pro Deo hominem non commutet? Fit etiam vt amore illaqueati vicissim suspirent & gaudeant. Suspirant quod seipsos amittunt, quod perdunt, quod perimunt. Gaudent quod in melius quiddam se transferunt: Calent quoque vicissim & frigent: instar eorum, quos tertiana febris inuadit. Merito frigent, quia calore proprio deseruntur: necnon & calent, cum superni radij fulgoribus accendantur. Frigiditatem timiditas: caliditatem audacia sequitur. Ideo timidi quoque vicissim & audaces apparent. Hebetissimi præterea quique acutiores amando redduntur. Quis enim cœlesti radio aspirante, non acutissime videat? Verum de amore ipso, & pulchritudine, eiusque origine, amantium affectibus ista sufficiant.

De duobus amoris generibus, ac de duplici Venere.

CAPVT VII.

Deinceps de duobus Amorũ generibus breuiter disputandum. Cupidinem Veneris comitem esse apud Platonem Pausanias asserit: Totidemque esse Cupidines quot sint & Veneres, necessarium arbitratur. Veneres autem duas commemorat: quas itidem gemini Cupidines comitentur. Venerem alteram quidem cœlestem ponit: alteram vero vulgarem. Cœlestem illam Cœlo sine matre natam: Vulgarem ex Ioue & Dione genitam. Cœlum Platonici summum Deum ideo vocant, quia sicut cœlum istud sublime corpus omnia corpora regit & continet, sic summus ille Deus omnes spiritus supereminet. Mentem vero plurimis nominibus nuncupant. Saturnum enim modo, modo Iouem, modo Venerem vocant. Est namque mens illa, viuit, intelligit. Essentiam suam Saturnum, Vitam Iouem, Intelligentiam Venerem appellare consueuerũt. Animam præterea mundi, Saturnum similiter & Iouem vocamus & Venerem. Prout superna intelligit, Saturnum. Prout cœlestia mouet, Iouem. Vt inferiora generat, Venerem. Venus prima, quæ in mente est, Cœlo nata sine matre dicitur: quoniam mater apud Physicos materia est. Mens autem illa à materiæ corporalis consortio est aliena. Secunda Venus, quæ in mundi anima ponitur, ex Ioue & Dione genita. Ex Ioue, id est, ex ea virtute ipsius animæ, quæ cœlestia mouet. Ea siquidem istam creauit potentiam, quæ inferiora hæc generat. Matrem quoque illi Deo tribuunt: quia materiæ mundi infusa cum materia commercium habere putatur. Denique vt summatim dicam, duplex est Venus. Vna sane est intelligentia illa quam in mente Angelica posuimus. Altera vis generandi animæ mundi tributa. Vtraque sui similem comitem habet amorem. Illa enim amore ingenito ad intelligendam Dei pulchritudinem rapitur. Hæc item amore suo ad eandem pulchritudinem in corporibus procreandam. Illa diuinitatis fulgorem in se primum complectitur: deinde hunc in Venerem secundam traducit. Hæc fulgoris illius scintillas in materiam mundi transfundit. Scintillarũ huiusmodi præsentia singula mũdi corpora, pro captu naturæ, speciosa videtur. Horum speciem corporũ humanus animus per oculos percipit. Qui tursus vires geminas possidet. Quippe intelligendi vim habet. Habet & generãdi potentiam. Hæ geminæ vires duæ in nobis

ſunt Veneres, quas & gemini comitantur amores. Cum primum humani corporis ſpecies oculis noſtris offertur, mens noſtra quæ prima in nobis Venus eſt, eam tanquam diuini decoris imaginem, veneratur & diligit: perque hanc ad illum ſæpe numero incitatur. Vis autẽ generãdi, ſecũda Venus, formam generare huic ſimilem concupiſcit. Vtrobique igitur amor eſt. Ibi contemplandæ, hic generandæ pulchritudinis deſiderium. Amor vterque honeſtus atque probandus. Vterque enim diuinam imaginem ſequitur. Quid igitur in amore Pauſanias improbat? Dicam equidem. Si quis generationis auidior contemplationem deſerat, aut generationem præter modum cum fœminis, vel contra naturæ ordinem cum maſculis proſequatur, aut formam corporis pulchritudini animi præferat, is vtique dignitate amoris abutitur, hunc amoris abuſum vituperat Pauſanias. Quo qui recte vtitur, corporis quidem formam laudat: ſed per illam, excellentiorem animi mentiſque & Dei ſpeciem cogitat, eáque vehementius admiratur, & amat. Generationis autẽ & congreſſus officio ea tenus vtitur, quatenus naturalis ordo legeſq; ciuiles à prudentibus ſtatutæ præſcribunt. De his diffuſius Pauſanias.

Exhortatio ad amorẽ. De amore ſimplici, ac de mutuo.

CAPVT VIII.

VOs autem amici hortor & obſecro, vt amorem rem profecto diuinam totis viribus cõplectamini, neque vos illud deterreat quod de amante quodam Platonẽ dixiſſe ferũt. Ille, inquit, amator animus eſt proprio in corpore mortuus: in alieno corpore viuens. Neque vos etiam turbet quod de amara miſeraque amantium ſorte cecinit Orpheus. Hæc enim quomodo accipienda ſunt, & qua via his ſuccurrendum, quæſo deinde ſi placet diligenter attendite. Amorem Plato rem amaram vocat: nec iniuria, quia moritur quiſquis amat. Hunc & Orpheus γλυκύπικρον, id eſt dulce-amarum nominat. Quippe cum amor mors voluntaria ſit. Vt mors eſt. Vt voluntaria, dulcis. Moritur autem quiſquis amat. Eius enim cogitatio, ſui oblita ſemper in amato ſe verſat. Si de ſe non cogitat, in ſe certe non cogitat. Ideo nec in ſeipſo ſic affectus animus operatur: cum præcipua operatio animi ipſa cogitatio ſit. Qui non in ſe operatur, nec in ſe ipſo eſt. Aequa enim inter ſeſe hæc duo, eſſe, & operatio ſunt: nec eſſe ſine operatione eſt, nec operatio eſſe ipſum excedit: nec operatur quiſquam vbi non eſt: & vbicunque eſt operatur. Non ergo in ſe amantis eſt animus: quia in ſe ipſo non agit. Si in ſe ipſo non eſt, nec viuit etiam in ſeipſo: qui non viuit, mortuus eſt. Quare in ſe mortuus eſt quicunque amat. Num viuit ſaltem in alio? Profecto. Amoris illæ duæ ſunt ſpecies: amor vnus ſimplex, mutuus alter. Simplex amor vbi amatus non amat amantem. Ibi omnino mortuus eſt amator: nam nec viuit in ſe, vt ſatis iam demonſtrauimus, nec in amato etiam cum ab eo reiiciatur. Vbi ergo viuit? numquid in aere, vel aqua, vel igne, vel terra, aut aliquo bruti corpore? Nequaquam. Animus enim humanus, non in alio viuit corpore quam humano. An fortè in alio quodam corpore hominis non amati vitam ducet? Nec iſtud quidem. Nam ſi in eo non viuit vbi viuere vehementiſsime concupiſcit, quonam pacto viuet in alio? Nuſquam ergo viuit qui amat alium ab alio non amatus. Propterea omninò mortuus eſt non amatus amator. Nec reuiuiſcet vnquam niſi indignatio ſuſcitet. Vbi vero amatus in amore reſpondet, in eo ſaltem vitam agit amator. Hic certe mira res fit: quoties duó aliqui mutua ſe beneuolentia complectuntur, hic in illo, ille in hoc viuit. Viciſsim huiuſmodi homines ſe commutant, & ſeipſum vterque vtrique tribuit, vt accipiant alterum. Quomodo ſeipſos tribuant dum ſui obliuiſcuntur, video. At quomodo accipiant alterum, non intelligo. nam qui ſeipſum non habet, multo minus alium poſſidebit. Immo vero habet ſeipſum vterque: & habet alterum. Hic quidem ſe habet, ſed in illo. Ille quoque ſe poſſidet, ſed in hoc. Equidem dum te amo me amantem, in te de me cogitante me reperio, & me à me ipſo negligentia mea perditum in te conſeruante recupero. Idem in me tu facis. Mirum rurſus & hoc apparet. Nam ego poſtquam meipſum amiſi, ſi per te me redimo, per te me habeo: ſi per te habeo, te prius ac magis habeo quàm me ipſum: tibi propinquior, quàm mihi ſum. Quippe cum mihi non aliter quàm per te medium inhæreſcam. In hoc vtique vis Cupidinis à Martis diſcrepat violentia. Nempe imperium ſic, amorque differunt. Imperator per ſe alios poſſidet, amator per alium ſe complectitur: & vterque amantium longior à ſeipſo, fit propinquior alteri: ac in ſe mortuus, in alio reuiuiſcit. Vna vero duntaxat in amore mutuó mors eſt, reuiuiſcentia duplex. Moritur enim qui amat, in ſeipſo ſemel cum ſe negligit. Reuiuiſcit in amato ſtatim cum amatus eum ardenti cogitatione complectitur. Reuiuiſcit iterum, cum in amato ſe denique recognoſcit, & amatum ſe eſſe non dubitat. O felicem mortem quam duæ vitæ ſequuntur. O mirum commercium: quo quis ſeipſum tradit pro alio, nec habet, nec habere ſe deſinit. O ineſtimabile lucrum, quando duo ita vnum fiunt, vt quiſque duorum pro vno ſolo, duo fiat: & tanquam geminatus qui vnam habuerat vitam vna interueniente morte duas iam habeat. Nam qui ſemel mortuus bis reuiuiſcit, pro vna vita geminam, pro ſe vno, ſe duos eſt conſequutus. Iuſtiſsima certe eſt in mutuo amore vindicta. Homicida morte plectendus. Quis enim homicidam eſſe neget qui amatur, cum animam ab amante ſeiungat? Quis iterum mori ſimiliter eundum neget: cum ſimiliter amat amantem? Debita nimium hæc reſtitutio eſt: quando hic illi, & ille huic reddit animam quã accepit. Vterque amando ſuam tradit: & redamando per ſuam, reſtituit alienam. Quapropter iure ipſo amare debet quiſquis amatur. Qui vero non amat amantem, homicidij reus eſt habendus. Immo vero fur, homicida, ſacrilegus. Pecunia à corpore poſſidetur, corpus ab animo. Qui ergo animum arripuerit, à quo tam corpus quàm pecuniæ poſſidentur, animum ſimul corpuſque & pecunias arripit, à quo tam corpus quam pecuniæ poſſidentur. Quo fit vt tanquam fur, homicida, ſacrilegus, triplici morti ſit obnoxius: ac velut infamis penitus atque prophanus impune à quolibet interfici poſsit: niſi ipſemet ſponte ſua legem illam impleat, amet videlicet amatorem. Vbi cum ſemel moriente, ſemel ipſe ſimiliter moritur: cum bis reuiuiſcente, bis itidem reuiuiſcit. Superioribus rationibus oſtenſum eſt, amatum viciſsim amatorem amare debere: non ſolum vero debere, ſed cogi, ſic oſtẽditur. Amorẽ

procreat similitudo, natura quædam est in pluribus eadem. Nam si ego tibi similis sum, tu quoque mihi es necessario similis. Eadem ergo similitudo, quæ me vt te amem compellit, te quoque amare me cogit. Præterea amator se sibi anfert, deditque amato. Hunc ergo amatus tanquam rem suam curat, charissima enim sua cuique sunt. Accedit quod amans amati figuram suo sculpit in animo. Fit itaque amantis animus speculum: in quo amati relucet imago. Idcirco amatus cum in amante se recognoscat, amare illum compellitur. Vicissitudinem amoris inter illos præcipuam esse Astrologi arbitrantur, in quorum genesi luminum, id est Solis & Lunæ commutatio fuerit. Videlicet si me nascente sol in ariete, luna in libra. Te nascente sol in libra, luna in ariete. Aut quibus signum idem simile ve, idemque planeta similisve ascenderit: aut benigni planetæ similiter angulum orientis aspexerint, aut Venus in eadem natiuitatis domo, eodemque gradu fuerit constituta. Addunt Platonici, quotum vitam dæmon idem, aut certe similis ducat. Physici vero moralesque, Complexionis, Nutritionis, Eruditionis, Consuetudinis, Consilij similitudinem similis affectus causam esse volunt. Denique vbi causæ plures concurrunt, ibi vicissitudo vehementior reperitur. Vbi omnes, illic Pythiæ & Damonis, Pyladis & Orestis, resurgunt affectus.

Quid quærant amantes.

CAPVT IX.

CÆterum quid isti querunt cum se mutuo diligunt? Pulchritudinem quærunt. Amor enim fruendæ pulchritudinis desiderium est. Pulchritudo autem splendor quidam est humanum ad se sapiens animum. Nempe corporis pulchritudo nihil aliud est, quàm splendor ipse in colorum linearumque decore. Animi quoque pulchritudo fulgor in doctrinæ & morum concinnitate. Lucem illam corporis, non aures, non olfactus, nō gustus, non tactus, sed oculus percipit. Si oculus solus agnoscit, solus fruitur. Solus igitur oculus corporis pulchritudine fruitur. Cum vero amor nihil aliud sit, nisi fruendæ pulchritudinis desiderium, hæc autē solis oculis comprehendatur: solo aspectu amator corporis est contentus. Tangendi vero cupido, non amoris pars est, nec amantis affectus, sed petulantiæ species, & seruilis hominis perturbatio. Lucem præterea illa & pulchritudinem animi sola mente comprehendimus. Quare solo mentis intuitu contentus est, qui animi pulchritudinem expetit. Pulchritudo denique inter amantes pro pulchritudine commutatur. Iunioris amati pulchritudine vir oculis fruitur. Viri pulchritudinem iunior mente consequitur: & qui solo corpore formosus est, hac consuetudine fit & animo speciosus: qui solo animo est decorus, corporis oculos expler corporis pulchritudine. Mirifica plane commutatio est, vtrique honesta, vtilis & iucunda. Honesta, siquidem par in vtroque: æque enim honestum est & discere, & docere. Iucunditas in seniore maior, qui aspectu & intelligentia delectatur. In iuniore vero maior vtilitas: quo enim præstantior est animus corpore, eo preciosior est pulchritudinis animi, quàm corporis consecutio. Pausaniæ hactenus, nunc Eryximachi orationem interpretemur.

Amor in omnibus, per omnia, creator omnium, magister omnium.

CAPVT I.

ORATIO TERTIA.

TRia nobis deinceps ex nostri Eryximachi mente tractanda videntur. Primum quod amor omnibus insitus per cuncta porrigitur. Alterum quod omnium quæ secundum naturam sunt operum, effector est atque seruator. Tertium quod artium singularum est magister & dominus. Tres profecto rerum gradus in natura considerantur, Superiora, Inferiora, Aequalia. Quæ supra sunt, inferiorum sunt causæ. Quæ infra, superiorum opera. Quæ æqualia, eadem inter se natura sunt prædita. Causæ vero opera sua tanquam sui partes & imagines diligunt. Opera quinetiam causas tanquam sui conseruatrices expetunt. Quæ autem in eo ordine locata sunt, ad sese inuicem quasi vnius & eiusdem similia membra mutua charitate afficiuntur. Ideo Deus Angelos, & Angeli cum Deo simul animas, anima cum illis vna corpora beneuolentia quadam regunt atque gubernant. In quo superiorum ad inferiora dilectio plane conspicitur. Rursus corpora animis suis & iunguntur auidissime, & ab eis molestissime se iunguntur. Animi nostri cœlestium beatitudinem cupiunt: cœlestes superni numinis maiestatem feliciter venerantur, atque hic inferiorum ad superna est amoris affectus. Item omnes ignis partes libenter inuicem cohærescunt. Terræ rursus, aquæ, & aeris partes inuicem: & in qualibet animalium specie, eiusdem speciei animalia sese mutua consuetudine semper adsciscunt. Vbi amor ad æqualia similiaque conspicitur. Cuinam igitur dubium erit, quia amor omnibus ad omnia sit ingenitus? Atque, id est quod Dionysius Areopagita in lib. De diuinis nominibus ex Hierothei mente iis verbis significauit. Amorem siue diuinum, siue Angelicum, siue spiritualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, insitiuam quandam intelligimus commiscentemque virtutem: quæ superiora quidem ad inferiorum prouidentiam mouet: æqualia rursus ad socialem sui inuicem communionem conciliat: ac postremo inferiora quæque admonet, vt ad potiora sublimioraque conuertantur. Hæc ille.

Amor est autor omnium & seruator.

CAPVT II.

SEcundum vero illud nostræ orationis membrum, quo amor effector omnium & seruator est dictus, ita probatur. Cupiditatis perfectionis propriæ propagandæ amor quidam est. Absoluta perfectio, in summa Dei est potentia. Eam diuina intelligentia contemplatur, atque inde voluntas eadem cupit extra se propagare, ex quo propagandi amore creata ab eo sunt omnia. Idcirco Dionysius noster, Diuinus, inquit amor non permisit regem omnium sine germine in seipso manere. Idem propagationis instinctus omnibus ab illo primo autore est inditus. Per hunc sancti illius spiritus cœlos mouent, & sequentibus omnibus sua munera largiuntur.

Per hunc sydera lumen suum in elementa diffundunt. Per hunc ignis sui caloris communione aerem mouet, aer aquam, aqua terram: ac versa vice terra ad se trahit aquam, hæc aerem, ille ignē. Herbæ quoque ac arbores cupidæ sui similis propagandi sui similia gignunt. Animalia quoque bruta & homines eiusdem cupiditatis illecebris ad procreandam sobolem rapiuntur, Quod si amor omnia facit, seruat etiam omnia. Eiusdem enim semper est affectionis & conseruationis officium. Nempe si similia similibus conseruantur. Amor autem simile ad simile trahit. Terræ partes singulæ amore mutuo copulante, ad partes alias terræ sui similes sese conferunt. Tota etiam terra ad simile sibi mundi centrum illius auiditate descendit. Aquæ partes ad sese inuicem similiter & ad locum sibi conuenientem cum toto aquæ corpore perferuntur. Idem partes aeris ignisque faciunt, ac etiam duo hæc elementa ad supernam regionem sibi congruam & similem regionis illius amore trahuntur. Cœlum etiam, vt Plato in lib. De regno inquit, innato mouetur amore. Anima enim cœli tota simul est in quibuslibet cœli punctis. Cœlum ergo animæ fruendæ cupidum ideo currit, vt per omnes sui partes vbique tota anima perfruatur. Aduolat autem rapidissime, vt quoad fieri potest, totum sit simul vbique, vbicunque tota simul est anima. Præterea sphæræ maioris concaua superficies minoris sphæræ locus est naturalis. Et quia quælibet huius sphæræ particula æque cum qualibet illius particula conuenit, quælibet omnes appetit particulas illius attingere. Si quiescat, singulæ rangent singulas, non quælibet cunctas. Currendo fermè assequitur quod assequi quiescendo non posset. Currit autem velocissime, vt quælibet pars eodem pene tempore pro viribus cunctas attingat. Quinetiam vnitate partium suarum cuncta seruantur, dispersione partium pereunt. Vnitatem vero partium mutuus earundem efficit amor. Quod in humoribus nostrorum corporum & mundi elementis intueri licet, quorum concordia, vt ait Empedocles Pythagoreus, & mundus & corpus nostrum constat, discordia dissipatur. Concordiam vero illis pacis atque amoris præstat vicissitudo. Hinc Orpheus μῶνος τὸρ τέτων πάντων οἴηκα κρατύνεις, id est, Solus horum omnium tu regis habenas.

Quod sit Magister Artium & gubernator.

CAPVT III.

Restat post hæc vt quo pacto Magister artiū omnium & gubernator sit exponamus. Magistrum quidem artium esse intelligamus: si modo considerabimus neminem vnquam artem aliquam aut inuenire, aut discere posse, nisi inuestigationis oblectatio, & inueniendi desiderium incitet: & qui docet, discipulos diligat, ac discipuli eam doctrinam auidissime sitiant. Gubernator præterea merito nominatur. Artis enim opera diligenter exequitur, atque exacte consumit, quicunque & artificia ipsa & personas quibus illa fiunt, maximè diligit. Accedit quod artifices in artibus singulis nihil aliud quàm amorem inquirunt & curant. Eas in præsentia nos artes breuiter percurremus, quas Eryximachus apud Platonem commemorat. Quid enim aliud Medicina considerat, quàm quomodo humores quatuor corporis amici inuicem fiant, atque permaneant? quos cibos ac potus, cæterosque viuendi, aut medendi vsus amat natura atque requirat: Duos illos hic quoque amores, Cœlestem & vulgarem, quos Pausanias supra distinxerat per similitudinem quandam Eryximachus adinuenit. Temperata enim affectio corporis moderatum, atque ad res moderatas, conuenientesque habet amorem. Intemperata contrarium, & ad contraria continet. Illi quidem indulgendum, huic nunquam obtemperandum. In gymnastica etiam exercitatione inuestigandum, qui corporis habitus, quos exercendi modos, quos gestus amet & expostulet. In agricultura, quod solum, quæ semina, quæ lemue culturam exigat: quis ve colendi modus à singulis arboribus diligatur. Idem in musica obseruatur, cuius artifices, qui numeri, quos numeros, aut magis, aut minus diligant, inuestigant. Ii inter vnum ac duo, atque vnum & septem minimum amorem inueniunt. Inter vnum vero, tria, quatuor, quinque, sex, amorem vehementiorem reperiunt. Inter vnum & octo vehementissimum. Ii voces acutas, & graues natura diuersas certis interuallis & modulis sibi inuicem magis amicas fallunt. Ex quo harmoniæ compositio & suauitas nascitur. Tardiores etiam motus & velociores ita inuicem temperant, vt amici potissimum fiant, & rhythmum concinnitatemque exhibeant. Musicæ autem melodiæ genera duo traduntur. Est enim graue quoddam & constans: est & aliud molle atque lasciuum. Illud vtentibus vtile: hoc noxium & libris. De repub. & legibus Plato iudicat. Illi in conuiuio Vraniam musam, huic Polymniam præfecit. Alij primum illud genus, alij secundum amant. Illorum amori obtemperandum, adhibendique soni sunt, quos expetunt: horum appetitui obsistendum. Illorum namque amor cœlestis est: horum vero vulgaris. Inest syderibus & elementis quatuor amicitia quædam, quam Astronomia considerat. In his duo illi quodammodo amores reperiuntur. Est enim his moderatus amor quando inuicem mutuis viribus temperatissime consonant. Est & amor immoderatus, quando vnum aliquid illorum seipsum amat nimium, alia quodammodo derelinquit. Ex illo aëris temperies, aquæ tranquillitas, terrarum fertilitas, animalium sanitas: ex hoc contraria proficiscuntur. Vatum postremo, Sacerdotumque facultas in hoc potissimum versari videtur, vt quæ hominum officia Deo amica sint, qua ratione homines Deo amici fiant, nos doceant: qui amoris, charitatisque modus ad Deum, ad patriam, ad parentes, ad alios tam ad viuos, quàm ad defunctos sit adhibendus. Idem in cæteris artibus coniectari licet, atque summatim concludere amorem in omnibus ad omnia esse omnium authorem, seruatoremque existere, & artium vniuersarum dominum & magistrū. Hunc merito diuus Orpheus appellauit Solertem bigenium, omnium claues habentem. Quomodo enim geminæ naturæ sit à Pausania primum: deinde ab Eryximacho audiuistis. Qua etiam ratione claues mundi tenere dicatur ab Orpheo, ex superioribus satis comprehendere possumus: quippe sicut ostendimus desiderium hoc perfectionis propriæ propagandæ cunctis ingenitum, latentem

implicatam cuiusque fœcunditatem explicat: dum semina in germen pullulare compellit, & vires cuiusque eius educit sinu fœtusque concipit, & quasi clauibus quibusdam conceptus aperiendo producit in lucem: quamobrem omnes mundi partes, quia vnius artificis opera sunt, eiusdem machinæ membra inter se in essendo & viuendo similia, mutua quadam charitate sibi inuicem vinciuntur, vt meritò dicit possit amor nodus perpetuus & copula mundi, partiumque & eius immobile sustentaculum, ac firmum totius machinæ fundamentum.

Nullum mundi membrum odit aliud membrum.

CAPVT IIII.

QVod si ita est: nulla operis huius membra inimica esse inter se vllo pacto possunt. Nō enim ignis aquam, aquæ odio fugit: sed suipsius amore: ne ab aquæ frigore extinguatur. Neque ignem aqua odio ignis extinguit: sed quoniam amplificandi proprij frigoris appetitu trahitur ad aquam sibi similem ex ignis corpore procreandam. Nam cum omnis appetitio naturalis ad bonum nullaque ad malum tendat: aquæ propositum est, non ignem extinguere, quod est malum: sed aquam sui similem, quod bonum est, generare. Quod si absque ignis interitu expleri posset, ignem vtique non consumeret. Eadem de cæteris quæ contraria & inimica videntur, ratio assignatur. Porro agnus lupi vitam, figuramque non odit, sed sui pemiciem quæ à lupo infertur, exhortet, neque lupus agni odio, sed amore sui eum lacerat, atque deuorat. Neque homo hominem sed vitia hominis horret, neque potentioribus, aut acutioribus dotes suas illorum odio, sed nostri beneuolentia inuidemus, metuentes ne illis penitus succumbamus. Quapropter nihil obstat quin amor in omnibus sit perque omnia penetret. Hunc igitur tantum Deum, quia vbique est, omnium insidet penetralibus, tanquam potentem dominum cuius imperium effugere non valemus, tanquam sapientissimum iudicem, quem cogitationes nostræ latere non possunt, proculdubio metuamus: hunc quia creator est omnium atque seruator, tanquam patrem veneremur, tanquam tutorem, præsidiumque colamus: hunc, quia artes singulas edocet, tanquam præceptorem sequamur: quo authore sumus & viuimus: quo seruatore perpetui permanemus: quo præside & indice gubernamur, quo præceptore ad bene beateque viuendum instruimur, & formamur.

NARRATVR TEXTVS PLATONIS
De antiqua hominum natura.

Oratio quarta.

CAPVT I.

HIs dictis familiaris noster verbis finem imposuit. Eum Christophorus Lādinus vir doctrina excellens, quem potissimū cognouimus nostris temporibus Orphicum Platonicumque Poëtam, sequutus est in hūc modum, obscuram & implicatam Aristophanis sententiam explicaturus. Quanquam Ioannes Caualcantes sua nos diligentia longis disputationum ambagibus liberauit Aristophanis tamen sententia verbis obscurissimis inuoluta enodationem adhuc aliquam lucemque requirit. Est, inquit Aristophanes, amor præ cæteris diis summopere generi humano beneficus, curator & tutor hominum, atque medicus. Oportet primum qualis hominum quōdam fuerit natura: quæ ve illius passiones animaduertere. Neque enim q ralis nūc est, olim erat, sed longe diuersa. Principio tria hominum erant genera: non solum quæ nunc duo, mas & fœmina, verum etiam tertium quoddam aderat ex vtrisque compositum. Præterea integra erat cuiusque hominis species, atque rotunda, dorsum & latera circum habens: manus quatuor, & paria manibus crura. Vultus item duos tereti ceruice connexos & omnino cōsimiles: Masculinum genus sole genitum erat: Fœmininum terra: Luna promiscuum. Vnde elato erant animo robustoque corpore: quare cum diis pugnare tentabant, & in cœlum ascendere. Ideo Iupiter singulos in longum secuit: duosque fecit ex vno, instar eorum qui oua in longum capillo secant: atque iterum si fastu in deos insanire videantur minatus est eos rursus se similiter partiturum. Postquam natura hominum ita diuisa fuit, quisque sui dimidium cupiebat. Igitur concurrebant, iactisque circum brachiis sese inuicem complectebantur, redigi in priorem habitū affectantes, propterea fame & corpore defecissent, nisi Deus congressui modum imposuisset. Hinc vtique mutuus hominibus innatus est amor priscæ naturæ conciliator, annitens vnum ex duobus efficere, hominumque naturæ mederi. Est enim quisque nostrum dimidium hominis vt pote sectus, quemadmodum pisciculi qui psettæ & auratæ vocātur, scissi ex vno duo efficiuntur, quærit autem sui quisque dimidium. Quoties itaque dimidium suum alicui, cuiuscunque sexus auidus sit, occurrit, vehementissime concitatur, ardenti inhæret amore, neque momentum quidem ab illo patiatur se iungi. Totius itaque reficiendi cupido, nixus amoris nomen accepit. Qui nos præsenti in tempore summopere iuuat, dum in sui dimidium olim amicissimum quemque conducit: & in posterum spem summam inicit nobis Deum pie colentibus in veterem figuram restituendo medendoque se nos beatissimos effecturum.

Exponitur opinio Platonis de antiqua hominis figura.

CAPVT II.

HÆc Aristophanes & alia narrat per multa, monstris portentisque similia: sub quibus quasi velaminibus quibusdam diuina mysteria latere putandum. Mos enim erat veterum Theologorum sacra ipsorum puraque arcana ne à prophanis & impuris polluerentur figurarum vmbraculis tegere. Nos autem quæ in figuris superiorum, & aliis describuntur, singula exactè ad sensum pertinere non arbitramur. Nam Aurelius Augustinus, non omnia inquit, quæ in figuris finguntur significare aliquid putanda sunt. Multa enim propter illa quæ significant ordinis & connexionis gratia sunt adiuncta. Solo vomere terra proscinditur. Sed vt hoc fieri possit, cætera quoque huic atatri, membra iunguntur. Quæ igitur nobis exponenda

proponitur, hæc est summa. Homines quondam tres sexus habebant, Masculinum, Fœmininum, Promiscuum, Solis, Terræ, Lunæque filios: erant & integri. Sed propter superbiam cum Deo æquare se vellent scissi in duo sunt: iterum si superbiant, bifariam discindendi. Sectione facta, dimidium amore ad dimidium trahitur, vt integritatis restitutio fiat, qua completa beatum genus hominum est futurum. Summa vero nostræ interpretationis erit huiusmodi. Homines, id est hominum animæ quondam, id est, quando à Deo creantur, integræ sunt, duobus sunt exornatæ luminibus, ingenito & infuso: vt ingenito æqualia & inferiora, infuso superiora conspicerent. Deo æquare se voluerunt, ad vnicum lumen ingenitum se reflexerunt. Hic diuisæ sunt. Splendorem infusum amiserunt, quando ad solum ingenitum sunt conuersæ: statimque in corpora cecidere. Superbiores factæ iterum diuidentur, id est, si naturali nimium confidant ingenio, lumen illud ingenitum & naturale, quod restitit, quodammodo extinguetur. Tres sexus habebant, Mares sole, Fœminæ terra, Promiscuæ luna genitæ. Dei fulgorem aliæ secundum fortitudinem, quæ mascula est, aliæ secundum temperantiam, quæ fœminina, aliæ secundum iustitiam quæ promiscua, susceperunt. Hæ tres. in nobis virtutes aliarum trium quas Deus habet, sunt filiæ. Sed in Deo tres illæ, Sol, Luna, Terra: in nobis Mas, Fœmina, Promiscuum nuncupantur. Sectione facta dimidium amore ad dimidium trahitur. Animæ iam diuisæ & immersæ corporibus, cum primum ad annos adolescentiæ venerint, naturali & ingenito lumine, quod seruarunt, ceu sui quodam dimidio excitantur ad infusum illud diuinumque lumen, olim ipsarum dimidium, quod cadentes amisere, studio veritatis recipiendum. Quo recepto iam integræ erunt, & Dei visione beatæ. Hoc igitur erit interpretationis.

Homo est ipsa anima, & anima est immortalis.

CAPVT III.

Corpus cum ex materia constet & quantitate, & ad materiam suscipere, ad quantitatem diuidi solum extendique pertineat, atque ita susceptio & diuisio passiones sint, consequens est, vt suapte natura passioni tantum sit & corruptioni subiectum. Siqua vero actio corpori competere videatur, non in quantum corpus est agit, sed in quantum illi vis quædam quodammodo incorporea & qualitas inest, vt in ignis mole caliditas, in aqua materia frigus, in corpore nostro complexio. Ex quibus certe qualitatibus operationes corporum proficiscuntur. Non enim quia longus, aut latus, aut profundus est ignis, sed quia calidus, calefacit. Neque qui extensior ignis, calefacit magis, imò propter dispensionem minus, sed qui callidior. Cum igitur virium, & qualitatum beneficio operationes proueniant, ac vires ipsæ & qualitates ex materia & quantitate non constent, licet in materia quantitateque sint, sequitur vt parti ad corpus, agere ad aliquid incorporale pertineat. Vires vtrique hæ instrumenta quidem sunt operandi. Ipsæ vero per se neque ad operandum sufficiunt ad operandum, quia non sufficiunt ad existendum. Quod enim in alio iacet, seque ipsum sustentare non potest, ab alio certe dependet. Quo fit, vt qualitates, quia à corpore necessario sustinentur, ab aliqua superiori substantia, quæ neque corpus sit, neque in corpore iacet, fiant atque regantur. Huiusmodi anima est, quam corporibus præsens & insidens ipsa se sustinet, & qualitatem vimque complexionis corporibus tribuit, per quæ tanquam instrumenta in corpore, & per corpus varias operationes exercet. Hinc generare, nutrire, augere, currere, stare, sedere, loqui, artis opera fabricare, sentire, intelligere, homo asseritur. Omnia vero hæc anima ipsa facit, ideoque anima erit homo. Si generare, augere, nutrire hominem dicimus, anima tanquam pater & artifex corporis, ipsum gignit, auget, atque nutrit. Si stare, sedere, loqui, anima corporis membra sustinet, flectit, & vibrat. Si fabricare, currere, anima manus porrigit, & pro arbitrio torquet, pedes agitat. Si sentire, anima per sensuum instrumenta, quasi fenestras, & foramina exteriora corpora percipit. Si intelligere, anima per se ipsam sine aliquo corporis instrumento veritatem assequitur. Omnia igitur quæcunque homo facere dicitur, animus ipse facit, corpus patitur. Quapropter homo solus est animus, corpus autem hominis opus & instrumentum. Eo maxime, quod animus operationem eius potissimam, intelligentiam scilicet, sine vllo corporis instrumento exercet, cum res perillam corporales intelligat, per corpus vero sola corporalia cognoscantur. Itaque si animus per se agit quicquam, per se certe est, & viuit. Viuit autem sine corpore quod sine corpore operatur. Si per se est, esse sibi quiddam proprium conuenit corpori non commune, propterea potest proprium sibi seorsum à corporis mole sortiri hominis cognomentum. Quod sane nomen quia de vnoquoque nostrum per omnem vitam dicitur, quisque enim in omni ætate vocatur homo, ideo aliquid significare videtur quod stabile permanet. Corpus igitur fluit, crescendo, decrescendo, resolutione continua, liquefactione, calore vicissim, & frigore permutatum. Anima semper eadem permanet, quod liquido nobis ostendit veritatis inquisitio, boni que voluntas semper eadem, & firma memoriæ conseruatio. Quis ergo vsque adeo demens erit, vt hominis appellationem in nobis firmissimam corpori fluenti semper & vndique permutato potius, quam animo stabilissimo tribuat? Ex his perspicuum esse potest, cum homines Aristophanes nominauit, more Platonico animas nostras significauisse.

Quod anima est duobus ornata luminibus, & quare in corpus descendit creatio animæ cum duobus luminibus.

CAPVT IIII.

Porro anima statim ex Deo nata naturali quodam instinctu in Deum parentem suum conuertitur, quemadmodum ignis in terra superiorum vi genitus confestim naturæ impetu ad superiora dirigitur, conuersa in eum eius radiis illustratur. Sed primus hic fulgor in animæ substantia per se prius informi receptus, fit obscurior, atque ad illius tractus capacitatem proprius ipsi & naturalis euadit. Ideoque per eum vtpote sibi æqualem, seipsam & quæ infra se sunt,

id est, corpora omnia anima videt quidem: Deum verò & alia superiora non videt. Sed enim per primam hanc scintillam Deo facta propinquior aliud iterum clarius accipit lumen, quo etiam superna cognoscat. Lumen igitur habet geminum: Naturale alterum, siue ingenitum: Diuinum alterum & infusum: quibus vnà coniunctis ceu duabus alis per sublimem peruolare valeat regionē. At si diuino illo semper vteretur, semper diuinis hæreret: Terra rationalibus esset animalibus vacua. Cæterum diuina prouidentia decretum est, vt anima sui ipsius sit domina, possitque tum vtroque simul lumine vti, tum altero. Hinc fit vt natura duce ad proprium sui lumen conuersa prætermisso diuinō, seipsum viresque suas quę ad fabricam corporis spectant, animaduertat: cupiatque vires huiusmodi in fabricandis corporibus exequi. Hac vt aiunt, cupiditate grauata, descendit in corpus: vbi generandi, mouendi & sentiendi vires exercet: suaque præsentia terram infimam mundi sedem exornat: quæ ideò ratione carere non debuit, nequa pars mundi esset rationalium viuentium præsentia destituta: quemadmodùm & illius author, ad cuius similitudinem mundus factus est totus, est ratio. Cecidit autem animus noster in corpus, cum prætermisso diuino, solo suo vsus est lumine: ac se ipso cœpit esse contentus. Solus Deus cui deest nihil, supra quem nihil, seipso contentus permanet, sibi sufficiens, quapropter Deo se parem fecit tunc animus, cum se solo voluit esse contentus, quasi non minus quàm Deus sibi ipse sufficeret.

Quot viis anima ad Deum redit.

CAPVT V.

HAnc planè superbiam causam fuisse Aristophanes ait, vt animus qui natus est integer, secaretur, id est, ex geminis luminibus altero post hac vteretur, alterum verò negligeret. Hic in corporis barathrum ceu letheum flumen immersus, suique met ad tempus oblitus, sensibus & libidine, quasi satellitibus & tyranno raptatur. Verùm adulto corpore, purgatis sensuum instrumentis conferente doctrina pabulum, resipiscit: vbi naturalis emicat fulgor, naturaliumque rerum ordinem indagat: qua inuestigatione architectum ingentis huius machinæ aliquem esse persentit: eam & videre cupit & possidere. Ille solo diuino splendore conspicitur Ideò mens propriæ lucis indagine ad diuinam lucem recuperandam vehementissime instigatur. Instigatio vero, appetitioque huiusmodi verus est amor: quo duce dimidium hominis alterum, alterum eiusdem dimidium concupiscit, quia naturale lumen, quod animi dimidium est, lumen illud diuinum quod alterum eiusdem dimidium dicitur, olim neglectum accendere rursus in animo nititur: atque id est, quod in epistola ad Dionysium, inquit Plato. Humanus animus affectat qualia diuina sint intelligere, aspiciens in ea, quæ sibi cognata sunt. Verum cum Deus lucem suam infudit in animū, ad id potissimum eam accommodauit, vt homines ad beatitudinem, quæ in ipsius possessione consistit, perduceret. Ad hanc quatuor virtutibus perducimur, Prudentia, Fortitudine, Iustitia, Temperantia. Prudentia primo beatitudinem nobis ostendit. Tres illæ virtutes reliquæ, quasi viæ tres ad beatitudinem ducunt. Scintillam itaque suam in variis animis Deus ad finem huiusmodi variè temperat, ita vt prudentia duce, alij per fortitudinis, alij per temperantiæ officia suū repetant autorem. Nempe alij huius muneris gratia, pro Dei cultu, pro honesto, pro patria pericula mortemque forti animo subeunt. Alij sic vitam iustè instituunt, vt ne iniuriam cuique inferant, neque inferri pro viribus sinant. Alij vigilia, inedia, labore libidines domant. Hi tribus quidem procedunt callibus: sed ad, eundem beatitudinis finem prudentia hunc illis monstrante peruenire conatur, proinde tres hæ virtutes in Dei quoque ipsius prudentia continentur. Harum desiderio accensi hominum animi, per earum officia ad eas cupiunt peruenire: illis hærere, perpetuoque potiri. Fortitudinem hominum masculam robur & audaciam nuncupamus. Temperantiam fœminam propter remissum quendam & frigidiorem desiderij habitum, miteque ingeniū. Iustitiam promiscuam: fœminam quidem prout innocentia sua iniuriam infert nemini: masculam verò prout alij inferri non sinit, & seueriori censura in homines iniquos animaduertit. Quia verò maris dare, fœminæ suscipere proprium est, idcirco solem qui lumen à nullo accipiens exhibet omnibus, marem vocamus: luna quę accipiens à sole dat elementis, à dando & accipiendo promiscuam: terram cum accipiat quidem ab omnibus, tribuat nulli, fœminam nuncupamus. Quamobrem, Sol, Luna, Terra, Fortitudo, Iustitia, Temperantia, merito maris, promiscui, fœminæ signantur cognomine: atque, vt excellentiorem Deo appellationem exhibeamus, has virtutes in illo, Solem, Lunam, Terram: in nobis masculinum sexum dicimus, promiscuum, fœmininum. Quibus autem lux illa diuina à Dei sole cum fortitudinis affectu in sui ortu fuit infusa, his masculam dicimus lucem fuisse concessam. Quibus à Dei luna cum affectu Iustitiæ, promiscuam. quibus à Dei terra cum affectu temperantiæ, fœminam. Lucem illam infusam, atque diuinam statim ad naturalem reflexi neglex imus. Altera ergo posthabita seruauimus alteram: vbi dimidium nostri tenemus, dimidium prætermisimus. Certo verò ætatis tempore à naturali lumine ducti, diuinum affectamus quidem omnes, sed diuerso modo diuersi ad eius adeptionem procedimus. Per fortitudinem, qui à Dei fortitudine illud olim cum affectu fortitudinis acceperunt: per iustitiam alij, temperantiamúe similiter. Denique suum illud dimidium quisque vt acceperat quærit. Et alii per masculam quidem Dei lucem amissam olim, iam recuperatam, Dei volunt mascula fortitudine perfrui: alii per promiscuam lucem similiter virtute promiscua: alii per fœminam eodem pacto. Munus profectò tantum hi consequuntur, qui postquam adulta ætate scintilla in ipsis naturalis eluxit, eam non esse ad diuina iudicanda sufficientem existimant, ne scintillæ naturalis iudicio, aut animarum aut corporum affectus diuinæ tribuant maiestati, putentque illam non esse corporibus animisue præstantiorem. In quo sane plerique errasse traduntur: qui in diuinorum inuestigatione ingenio naturali confisi, aut Deum non esse dixerunt, vt Diagoras: aut dubitauerunt, vt Protagoras: aut corpus iudicauerunt: vt Epicurei, Stoici, Cyrenaici, aliique permulti: aut animam quandam, vt Marcus Varro, Marcus Manilius, aliique nonnulli. Hi tanquam impii non modo diuinum lumen olim ne-

glectű non recuperauerunt, sed & naturale propterius abusum deprauauere: quod depratuatum est, fractum non iniuria scissumque putatur. Ideo illorum animi, qui tanquam superbi & fastu tumidi suis confidunt viribus, secantur, vt ait Aristophanes, iterum: cum etiam naturale lumen, quod illis erat reliquum, opinionibus falsis obscurant, & motibus iniquis extinguunt. Itaque naturali lumine recte vtuntur, quicunque mancum illud, & mutilatum esse recognoscentes ad naturalia iudicanda satisfacere quodammodo arbitrantur: ad ea verò, quæ supra naturam sunt, sublimiori lumine opus esse putantes exactissima quadam animi purgatione ita se præparant, vt diuina lux iterum illis effulgeat: cuius radiis recte de Deo sentient, & in pristinam illam integritatem restituentur.

Amor animas reducit in cœlum, Beatitudinis distribuit gradus, gaudium largitur æternum.

CAPVT VI.

HVnc vos conuiuæ præstantissimi Deum, quem præ cæteris diis generi humano beneficum esse Aristophanes ait, omni sacrificiorum genere vobis propitium facite: hunc piis precibus inuocate: hunc toto corde capessite. Hic animos sua beneficentia primum ad cœlestem ducit mensam, ambrosia & nectare abundantem: deinde singulos singulis accommodat sedibus: postremo suauiter detinet in æternum. Nulli enim cœlum reperiunt, nisi qui cœlorum regi placuerunt, placent illi, qui eum summopere diligunt. Cognoscere quidem illum vere, omnino præsenti in tempore impossibile est. Vere autem amare quoquomodo cognitum, & possibile est, & facile. Qui Deum cognoscunt, nondum illi placent nisi cognitum diligant: qui cognoscunt diligunt, non quia cognoscunt, sed quia qui diligunt, amantur à Deo. Nos enim non eos qui nouerint, sed qui nos amauerint, charitate complectimur. Multos namque qui nos cognoscunt, hostes habemus. Quod ergo nos cœlo restituit, non Dei cognitio est, sed amor. Discumbentium præterea ordo, in mensa cœlesti diuersos sequitur gradus amantium. Nam qui Deum excellentius dilexerunt, dapibus excellentioribus ibi vescuntur. Nempe qui per opera fortitudinis Dei fortitudinem coluerunt, ea ipsa fruuntur. Qui iustitiam verò, iustitia: temperantia similiter, qui temperantiam: atque ita variis diuinę mentis ideis & rationibus varii animi pro vario amoris raptu fruuntur. Toto autem Deo fruuntur omnes, quia totus in singulis est ideis. Sed Deum totum præstantius possident, qui eum in præstantiori idea conspiciunt. Quisque verò ea Dei virtute potitur, quam dilexit. Ideò liuor, vt Plato inquit in Phædro, abest à diuino choro. Cum enim omnium iucundissimum sit, te amata potiri: quilibet in eo potiundo quod amat contentus plenusque viuit. Quippe si amatores duo delitiarum suarum compotes fiant, vterque in amata sui possessione quiescit: neque curam quidem vllam habebit, ne aliter pulchriori potiatur amato. Quapropter amoris beneficio factum est, vt in diuersis felicitatis gradibus portione sua quilibet sine vlla inuidia sit contentus. Fit etiam vt sine vlla satietate animi iisdem vescatur dapibus in æternum. Vt enim oblectentur conuiuæ, non epulæ, non vina sufficiunt, nisi fames, sitisque ad vescendum alliciant: ac tandiu oblectatio quandiu & auiditas permanet. Auiditatem verò quis amorem quendam esse negauerit? Aeternus igitur amor quo semper in Deum afficitur animus, efficit vt Deo semper tanquam nouo spectaculo gaudeat. Amorem hunc eadem Dei bonitas semper accendit in animo: quæ & beatum facit amantem. Tria igitur, vt breui complectar, amoris beneficia collaudabimus, quod nos olim diuisos in integrum restituendo, reducit in cœlum: quod suis quemque collocat sedibus, facitque omnes in illa distributione quietos: quod omni expulso fastidio suo quodam ardore oblectamentum quasi nouum iugiter accendit in animo, redditque illum blanda & dulci fruitione beatum.

Amor est beatissimus quia pulcher est & bonus, Oratio quinta.

CAPVT I.

CArolus Marsupinus, musarum dulcis alumnus, Landinum Poëtam secutus, Agathonis orationē sic aggreditur. Amorem Deū noster Agatho beatissimū, quia pulcherrimus sit & optimus arbitratur. Quæ ad hoc vt sit pulcherrimus, quæ item vt optimus, exiguntur, diligenter enumerat: in quibus enumerandis amorem ipsum effingit. Postremo postquam qualis est enarrauit, beneficia ab eo generi humano tributa connumerat, atque hæc disputarionis illius est summa. Nostra interest in primis inquirere, quam ob causam vt beatum ostenderet, pulchrum valde esse dixit & bonum: quodue sit inter bonitatem, pulchritudinemque discrimen. Beatum in Philebo Plato vult esse, cui nihil deest: idque esse illud quod sit ab omni parte perfectum. Est autem perfectio interior quædam, est & exterior. Interiorum bonitatem, exteriorem, pulchritudinem dicimus. Propterea quod bonum penitus est pulchrum, id tanquam ab omni parte perfectum, beatissimum nuncupamus. Hanc vtique differentiam omnibus in rebus animaduertimus. Nempe in lapillis vt physici volunt temperatissima quatuor elementorum permixtio quædam interior, nitorem parit exteriorem. Herbas prætetea & arbores innata radicibus medullisque fœcunditas, florum & foliorum gratissima vestit varietate. In animalibus autem salubris humorum complexio iucundam lineamentorum, & colorum speciem procreat. Virtus etiam animi decorem quendam præ se ferre videtur in verbis, gestibus, operibus, honestissimum. Cœlos quoque sublimis eorum substantia clarissimo lumine circunfundit. In his omnibus interna perfectio producit externam. Illam bonitatem, hanc pulchritudinem possumus appellare. Quocirca bonitatis florem quendam esse pulchritudinem volumus: cuius floris illecebris, quasi esca quadam, latens interius bonitas allicit intuentes. Quoniam verò nostrę mentis cognitio à sensibus ducit originem, bonitatem ipsam in rerum penetralibus insitam nec intelligeremus vnquam, neque appeteremus, nisi ad eam speciei exterioris indiciis manifestis proueheremur. Qua in re mirabilis admodum formæ huius, comitisque ipsius apparet vtilitas. Per hæc satis ostensum arbitror, tantum inter bonitatem & speciem, quantum inter semen & flosculum interesse, atque vt flores arborum seminibus orti

fœmina ipsi quoque producunt: ita speciem hanc bonitatis florem vt ex bono pullulat, sic & ad bonum amantes producere: quod quidem noster hic heros abunde in superioribus demonstrauit.

Quomodo pingitur amor, & quibus animæ partibus pulchritudo cognoscitur, & generatur amor.

CAPUT II.

POst hæc diffusius enumerat Agatho quod ad eius Dei formosam speciem requiruntur. Iuuenis inquit est, tener, agilis, concinnus, & nitidus. Nobis autem primo quætendum quid hæc ad pulchritudinem conferant. Deinde cum Deo huic attribuuntur, quo pacto intelligi debeant. Rationem homines habent & sensum. Ratio per seipsam rationes rerum omnium incorporeas cõprehendit. Sensus per quinque sui corporis instrumenta corporum imagines & qualitates attingit: Colores per oculos, per aures voces, odores per nares, per linguam sapores, per neruos qualitates simplices elementorum, calorem videlicet, frigusque & reliqua. Propterea sex ad cognitionem pertinentes, quantum ad propositam attinet quæstionem, vires animi numerantur: Ratio, Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus. Ratio numini summo, Visus igni, Aëri auditus, Vaporum odori Olfactus, aquæ gustus, Tactus terræ tribuitur, Ratio siquidem cœlestia indagat nec propriam in membro corporis aliquo sedem habet, quemadmodum neque certam habet sedem in vlla mundi parte diuinitas. Visus in sublimi parte corporis velut ignis in suprema mundi regione locatur, & lumen natura sua percipit, quod ignis est proprium. Auditus visum non aliter quàm purus aër ignem secutus voces haurit: quæ & in aëre fracto gignuntur & per aëris interuallum aures illabuntur. Olfactus, caliginoso aëri, vaporibusque ex aëre & aqua mixtis omnino assignatur: quia inter aures & linguam, quasi aërem & aquam, positus, vapores eos apprehendit facile & diligit maxime, qui ex aëris & aquæ mixtione proueniunt: quales sunt herbarum, florum, pomorum odores, naribus suauissimi. Quis dubitet gustum aquæ liquoribus comparare, qui olfactui tanquam aëri crassiori succedit, & iugi saliuę liquore perfusus, potu vehementissime delectatur, humidisque saporibus? Quis item ambigat terræ tactum ascribere: cum per omnes terreni corporis partes fiat: in neruis qui terreni maxime sunt, expleatur: facillime tangat quæ soliditatem habent & pondus, quod terra corporibus tribuit? Hinc etiam accidit vt tactus, gustus, olfactus, solum proxime ipsis apposita sentiant, & patiantur admodum sentiendo: licet olfactus remotiora, quàm gustus & tactus apprehendere videatur. Auditus autem remotiora cognoscit, neque ita offenditur. Quo etiam longius prospicit visus, & momento facit, quod aures tempore: prius enim coruscatio cernitur, quàm tonitrus auditur. Ratio remotissima capit: neque enim quæ in mundo sunt solum, & quæ præsentia, vt sensus: sed etiam quæ supra cœlum, & quæ fuerunt aut futura sunt, percipit. Ex his patere cuique potest, sex illarum animæ virium, tres ad corpus & materiam potius, Tactum scilicet & Gustum, & Odoratum: tres autem alias, rationem videlicet & Visum & Auditum ad spiritum pertinere. Ideo tres illæ ad corpus potius declinantes, corpori magis quàm animo congruunt: & ea quæ ab illis percipiuntur, cum corpus sibi congruum moueant, vix ad animam vsque perueniunt, minimeque illi tanquam minime similia placent. Tres vero superiores à materia remotissimæ, animæ multo magis conueniunt: resque eas capiunt, quę corpus quidem parum admodum, animum verò vehementissime moneant. Quippe odores, sapores, calor, atque similia, corpori aut nocent plurimum, aut prosunt paulum, quod ad animi aut admirationem, aut iudicium conferunt, ac modice ab illo desiderantur. Ratio incorporeę veritatis, colores, figuræque & voces, corpus aut nihil, aut vix & minimum mouent: Animi vero aciem ad indagandum potissimum acuunt: atque eius ad se desiderium rapiunt. Animi cibus est veritas. Ad eam inueniendam oculi, ad discendam aures magnopere conferunt. Igitur quæ ad rationem, visum, auditum pertinent, gratia sui ipsius affectat, quasi proprium alimentum. Quæ verò sensus tres alios mouent, corpori vel nutriendo, vel fouendo, vel generando magis necessaria sunt. Ea itaque animus, non sui, sed alterius, id est corporis causa quærit. Amare autem ea dicimus, quæ propter nosmetipsos desideramus, quæ autem propter aliud quiddam cupimus, minime. Merito igitur amorem ad scientias, figuras, & voces duntaxat volumus pertinere: atque idcirco gratia illa solum, quæ in tribus his reperitur, animi virtute, figura, voce: quia maxime animum prouocat, ἀπὸ τοῦ καλεῖν· quod voco significat, πρόσκλησις, id est prouocatio nominatur, κάλλος verò grecè pulchritudinem latinè significat. Gratus quidem nobis est mos verus & optimus animi: grata corporis speciosi figura: grata vocum concinnitas, cumque tria hæc animus, vt pote sibi cognata, & quodammodo incorporea pluris admodum quàm tria reliqua faciat, consentaneum est, vt auidius asciscat, ardentius complectatur, vehementius admiretur, atque hæc ipsa, seu virtutis, seu figuræ, siue vocum gratia, quæ animum per rationem vel visum vel auditum ad se vocat, & rapit, pulchritudo rectissime dicitur. Atque hæc tres illæ gratiæ sunt, de quib. sic Orpheus: ἀγλαΐη, θάλεια καὶ εὐφροσύνη πολύολβε. Splendor, virilitas, lętitiaque vberrima. Splendorem quidem vocat gratiam illam & pulchritudinem animi, quæ in veritatis & virtutis claritate consistit. Viriditatem verò, figuræ, colorisque suauitatem. Hæc enim summopere in iuuentutis viriditate florescit: Lætitiam denique sincerum illud & salubre, & perpetuum, quod in Musica sentimus, oblectamentum.

Pulchritudo est aliquid incorporeum.

CAPUT. III.

CVm hæc ita se habeant, necessarium est pulchritudinem esse aliquid virtuti, figuræ, vocibusque commune. Non enim quodlibet istorum trium pulchrum similiter vocaremus, nisi vnà his tribus inesset pulchritudinis definitio. Quo fit vt ipsa pulchritudinis ratio corpus esse non possit: quoniam virtutibus animi quæ incorporeę sunt, pulchritudo si esset corporea, minime conueniret. Atqui tantum abest vt corpus sit pulchritudo, vt non modo quæ virtutibus animi, sed etiam quæ corporibus, & vocibus inest, nequeat esse corporea. Quamuis enim corpora

quædam speciosa dicamus, non tamen sunt ex ipsa sui materia speciosa. Siquidem corpus hominis vnum atque idem hodie formosum; cras autem casu aliquo fœdante deforme: quasi aliud sit esse corpus, aliud esse formosum. Neque etiam sunt ex ipsa quantitate formosa: quandoquidem grandia nonnulla atque item breuia quædam formosa videntur: ac sæpe magna deformia, parua formosa: & contrà parua turpia, magna gratissima. Nonnunquam etiam accidit, vt similis sit in quibusdam, & paruis corporibus pulchritudo. Si itaque stante sæpe numero eadem quantitate casu quodam pulchritudo mutatur, & mutata aliquando quantitate permanet pulchritudo, ac similis in magnis paruisque, videtur, certe duo hæc pulchritudo, & quantitas, debent esse omnino diuersa. Quinetiam si corporis cuiusque formositas in ea ipsa sui corporis crassitudine quodammodo corporea esset, non tamen vt corporalis esset, intuenti placeret. Placet animo personę alicuius species, non prout in exteriori iacet materia, sed prout eius imago per visum ab animo capitur vel concipitur. Imago illa in visu & animo, cum isti sint incorporei, corpus esse non potest. Quo enim pacto cœlum, vt ita loquar, totum parua oculi pupilla caperetur, si modo corporali reciperet? Nullo profecto. Sed enim Spiritus in puncto omnem corporis amplitudinem spiritali modo & incorporea imagine suscipit. Placet vtique animo ea duntaxat species, quæ ab illo suscipitur. Hæc autem licet exterioris corporis simulacrum sit in eo, tamen est incorporea. Ergo species incorporea placet. Quod placet, id cuique gratum: quod gratum, hoc denique pulchrum, quo efficitur vt amor ad incorporeum aliquid referatur: atque ipsa pulchritudo spiritale quoddam potius rei simulacrum sit, quàm corporea species. Sunt autem nonnulli qui certam membrorum omnium positionem, siue, vt eorum verbis vtamur, commensurationem & proportionem cum quadam colorum suauitate, esse pulchritudinem opinentur. quorum nos opinionem propterea non admittimus, quia cum huiusmodi partium dispositio in solis sit rebus compositis, nulla essent simplicia speciosa. Nunc autem puros colores, lumina, vocem vnam, fulgorem auri, & argenti candorem, scientiam, animam, quæ omnia simplicia sunt, pulchra vocamus: nosque ista mirifice tanquam reuera sint pulchra, delectant. Accedit ad hæc quod proportio illa cuncta includit corporis composita membra, neque est in singulis, sed in cunctis. Singula itaque mēbra per se pulchra non erunt. Ex singulis autem particulis totius compositi proportio nascitur. Vnde non nihil sequitur absurdissimum: vt quæ suapte natura speciosa non sunt, pulchritudinem pariant. Sæpe numero etiam accidit, vt manente eadem membrorum proportione, atque mensura, corpus æque vt ante non placeat. Eadem porro hodie, quæ anno superiori corporis vestri figura, gratia verò non eadem. Nihil tardius quàm figura, nihil citius senescit quàm gratia. Ex quo liquido constat, non idem esse pulchritudinem & figuram. Sæpe quoque videmus rectiorem in vno quodam quàm in alio dispositionem partium mensuramque membrorum: alius tamē, nescimus qua de causa, nobis formosior iudicatus amatur ardentius, quo satis admoneri videmur, vt aliud quiddam formositatem quàm dispositionem partium censeamus. Eadem nos ratione admonet ne formam suspicemur esse colorum suauitatem. Plerumque enim color in seniore clarior, in iuniore gratia maior. Et in æqualibus fit nonnunquam, vt qui colore superat alterum, gratia tamen ab illo & pulchritudine superetur. Neque tamen audeat quispiam mixtionem quandam ex figura coloribusque pulchritudinem affirmare sic enim neque scientiæ, neque voces quæ colore & figura carent, neque colores & lumina quæ certam nullam figuram habent, amore digna iudicarentur. Præterea cuiusque cupiditas, eo habito quod volebat, expletur. Neque fames & sitis, cibo potúque sedantur: amor nullo impletur aspectu corporis vel amplexu. Nullam igitur naturam corporis ardet: pulchritudinem certe sectatur. Quo fit vt ea corporeum aliquid esse non possit. Ex omnibus his colligitur, eos qui amore accensi pulchritudinem sitiunt, si modo velint liquore hoc hausto ardentissimam sitim extinguere, alibi quàm in materiæ fluuio, aut quantitatis aut figurę, aut colorum quorūlibet riuulis, dulcissimum pulchritudinis huius humorem, quo sitis eorum accenditur, quærere oportere. Quo vos tandem miseri vertetis amantes? Quis vestri cordis flammas extinguet acerrimas? quis tantum sedabit incendium? Hoc opus, hic labor. Dicam protinus. Sed attendite.

Pulchritudo est splendor diuini vultus.

CAPVT IV.

Diuina potestas omnia supereminens statim à se natis Angelis, atque animis suum illum radium in quo fœcunda vis inest omnium creandorum, tanquam filiis clementer infundit. Hic in eis vt pote sibi propinquioribus totius mundi dispositionem, & ordinem multo pingit exactius, quàm in mundi materia. Quamobrem hæc mundi pictura quam cernimus vniuersa, in Angelis & animis lucet expressior. In illis enim sphæræ cuiusque figura, solis, lunæ, & syderum reliquorū, elementorum quoque, lapidum, arborum, animalium singulorum. Picturæ huiusmodi in Angelis exemplaria & ideæ: in animis rationes, & notiones: in orbis materia, formæ atque imagines à Platonicis nominantur: claræ quidem in orbe: clariores in animo, in Angeli mēte clarissimæ. Vnus igitur Dei vultus tribus deinceps per ordinem positis lucet in speculis, Angelo, Animo, Corpore mundi: In illo tanquam propinquiore clarissime: in hoc remotiore, obscurius: in hoc remotissimo, si ad cętera compares obscurissime. Proinde sancta mens Angeli nullo impedita corporis ministerio in seipsam reflectitur, vbi Dei vultum illum sinu suo insculptum introspicit: inspectum illico admiratur: auidissime illi semper inhæret. Vultus illius diuini gratiam, pulchritudinem dicimus Auiditatem Angeli: Dei vultui penitus inhærentem, vocamus amorem. ô vtinam nobis idem contingeret! Sed enim animus noster ea conditione genitus, vt terreno corpore circumdetur, ad officium generandi declinat. Qua inclinatione grauatus thesaurum penetralibus suis absconditum negligit. Deinde terreno corpore inuolutus diutissime seruit corporis vsui: ad hoc opus sensum quidem semper, rationem quoque diutius quàm decet, accommodat. Hinc efficitur vt diuini vultus illius candorem in se perpetuo enitentem, non prius animaduertat, quàm

adulto iam corpore, & ratione expergefacta Dei vultum in Dei machina refulgentem, & oculis manifestum cogitatione consideret. qua quidem consideratione prouehitur ad eum qui intus emicat, intuendum. Quoniam verò parentis vultus gratus est filiis, necesse est animis Dei Patris vultum esse gratissimum. Vultus huius, vt idem sæpius repetam, nitor, & gratia, siue in Angelo siue in animo, siue in mundi materia, pulchritudo vniuersalis est appellanda, impetusque ad illam vniuersalis dicendus est amor. Vtique incorpoream esse hanc pulchritudinem non ambigimus. In Angelo enim & in animo eam corpus aliquod non esse nemini dubium. In corporibus etiam esse incorporalem, & supra monstrauimus, & ad præsens ex eo potissimum intelligimus, quod oculus nihil aliud, nisi solis aspicit lumen. Figuræ namque, & colores corporum nunquam nisi lumine illustrata perspiciuntur, neque ipsa cum materia sua ad oculos veniunt. Necessarium tamen esse videtur ea in oculis esse, vt ab oculis videantur. Vnum itaque solis lumen corporum omnium ab eo illustratorum coloribus figurisque depictum sese oculis offert. Sic affectum lumen oculi suo quodam radio adiuuante percipiunt: perceptum ipsum, & quæ in eo sunt omnia vident. Quare totus hic mundi qui conspicitur ordo, non eo modo quo in materia corporum, sed quo in luce oculis infusa est, cernitur. In ea luce cum à materia secretus sit, necessario est corporis expers. Quod ex hoc etiam euidenter apparet, quod lumen ipsum corpus esse non potest, cum momento ab oriente in occidentem totum ferme impleat orbem: aëris & aquæ corpus sine vlla offensione vndique penetret: sordibusque immixtum nusquam inficiatur. Hæc vero corporum naturæ nullo modo conueniunt. Corpus siquidē non momento mouetur sed tempore: neque alterum absque sui, vel alterius, aut vtriusque offensione penetrat alterum, ac duo inuicem corpora mixta mutua se contagione inficiunt. Quod in aquæ & vini, ignis & terræ confusione conspicitur. Cum igitur solis lumen incorporeum sit, quicquid suscipit, naturæ suæ suscipit modo. Propterea colores, & figuras corporum modo suscipit spiritali: eodemque pacto ipsum ab oculis susceptum inspicitur. Quo factum est, vt totus hic mundi decor, qui tertius est Dei vultus, per incorpoream solis lucem incorporeum sese oculis offerat.

Quomodo nascitur amor & odium, quodue pulchritudo est incorporea.

CAPVT V.

Ex his omnibus sequitur, vt omnis diuini vultus gratia, quæ vniuersalis dicitur pulchritudo, non in Angelo solum, & animo incorporea sit, sed in aspectu etiam oculorum. Neque faciem simul totam solummodo, verumetiā partes eius admiratione commoti diligimus. Vbi particularis amor ad particularem pulchritudinem nascitur. Sic & ad hominem aliquem ordinis mundani membrum afficimur: præsertim cum in illo perspicue diuini decoris scintilla refulget. Affectus huiusmodi duabus ex causis nascitur: tum quia paterni vultus nobis placet imago: tum etiam quia hominis apte compositi species, & figura, cum ea humani generis ratione, quam animus noster ab omnium autore suscipit, & retinet, aptissime congruit. Vnde hominis exterioris imago per sensus accepta, transiensque in animum, si hominis figuræ quam possidet animus, dissonat, e vestigio displicet, & odio tanquam deformis habetur. Si consonat, illico placet, & tanquam formosa diligitur. Quo fit, vt nonnulli nobis obuii continuo placeant, vel displiceant: nosque affectus huiusmodi causam nesciamus. Quippe cum animus corporis ministerio impeditus intimas illas sui formas nequaquam respiciat. Verum natura, & occulta quadam incongruitate, vel congruitate fit: vt forma rei exterior imagine sua eiusdem rei formam in animo pictam pulsans dissonet aut consonet: atque occulta hac offensione vel blanditie motus animus, rem ipsam, aut oderit, aut amet. Integram sane creandi hominis cōfigurationem vis illa diuina, in agendo animoque ingenuit, in mundi verò materia, vt pote ab illo opifice remotissima, hominis constitutio ab integra illa sui figura degenerat. In materia tamen melius affecta similior: in alia dissimilior prouenit. Quæ similior prouenit, vt Dei vi, Angelique ideæ, sic animi ratione quadrat & congruit. Animus hanc probat congruitatem. In ipsa profectò congruitate pulchritudo: in ea probatione, amoris consistit affectus. Quoniam verò idea, & ratio sunt à materia corporis aliena, hominis constitutio illis non ex materia, vel quantitate, sed ex aliquo potius incorporeo similis iudicatur. Vt similis, illis congruit, pulchra est. Idcirco diuersa sunt corpus, & pulchritudo. Quod si quis quæsierit quonam pacto corporis forma, animæ mentisque formæ, & rationi similis esse queat: is porro consideret ædificium architecti. Principio architectus ædificij rationem, & quasi ideam animo concipit. Deinde qualem excogitauit domum, talem pro viribus fabricat. Quis neget domum corpus existere: eamque ideæ artificis incorporeæ, ad cuius similitudinem effecta est, esse persimilem? Porro propter incorporalem ordinem quendam potius, quàm propter materiam est architecto similis iudicanda. Age igitur materiam subtrahe si potes: potes autem cogitatione subtrahere: ordinem verò relinque: nil tibi restabit corporis, nihil materiæ. Imò vero idem erit penitus, qui ab opifice prouenit ordo, & qui remanet in opifice. Idem in quouis hominis corpore facias. Reperies illius formam animi rationi quadrantem, simplicem esse, materiæque expertem.

Quot requiruntur vt res pulchra sit, & quod pulchritudo est spiritale donum.

CAPVT VI.

Quid tādem est corporis pulchritudo? Actus viuacitas, & gratia quædam ideæ suæ influxu, in ipso refulgens. Fulgor huiusmodi in materiam non prius quàm aptissime sit præparata, descendit. His verò tribus, ordine, modo, specie, constat viuentis corporis præparatio. Ordo partium interualla. modus, quantitatem, species, lineamenta, coloremque significat. In primis enim oportet vt membra quæque corporis naturalem situm habeant: suo aures loco sint, oculique, & nares, & cætera: ac paribus interuallis oculi naso sint proximi: paribus item aures vtræque distent ab oculis. Neque hęc interuallorum

ad ordinem pertinens parilitas sufficit, nisi partium modus accedat, qui mediocrem debita totius corporis proportione seruata, membris singulis tribuat magnitudinem, vt nasi tres in longum dispositi, vultus vnius impleant longitudinem: aurium vtrarúque semicirculi vnà coniuncti, oris aperti circulum faciant. Idem quoque coniunctio superciliorum efficiat. Longitudo nasi, longitudinem labij compleat: aurisque similiter. Gemini oculorum orbes vnum æquent oris hiatum. Capita octo proceritatem corporis comprehendant. Eandem quoque monstret brachiorum in latus extensio, crurumque similiter atque pedum. Necessariam præterea speciem ducimus, vt linearum attractus artificiosi, rugæque, & oculorum splendor, ordinem illum modumque partium decorent. Atqui tria hæc licet in materia sint, pars vlla corporis esse non possunt. Ordo membrorum, membrum quidem est nullum. Ordo enim membris omnibus inest: nullum verò membrum in membris omnibus reperitur. Accedit quod ordo nihil est aliud quàm decens partium interuallum. Interuallum verò, quid aliud dicemus quàm distantiam partium? Distantia denique, aut nihil est, aut vacuum prorsus inane, aut tractus aliquis linearum. Lineas autem quæ latitudine profunditateque carent, quæ corpori necessaria sunt, quis corpora dixerit? Modus item non quantitas, sed terminus quantitatis. Termini verò superficies sunt lineæque, & puncta: quæ cum profunditatis crassitudine careant, corpora non putantur. Speciem quoque in luminum, vmbrarum, linearum iucunda concordia, non in materia collocamus. Ex his omnibus patet pulchritudinem vsque adeo esse à mole corporis alienam, vt nunquam ipsi materiæ se communicet, nisi tribus illis incorporalibus præparationibus, quas narrauimus, sit affecta. Harum verò fundamentum est elementorum quatuor temperata complexio: vt corpus nostrum cœlo, cuius est temperata substantia, sit simillimum, neque aliquo humorum excessu ab animi formatione desciscat. Sic enim & cœlestis fulgor facile lucebit in corpore cœlo persimili: & forma hominis illa perfecta, quam babet animus in pacatam obedientemque materiam, resultabit expressior. Ad pulchritudinem præterea suam accipiédam, voces ferme similiter disponuntur. Ordo namque illarum est à graui voce ad octauam ascensus, atque inde descensus: Modus, debita per tertias, quartas, & quintas, & sextas voces, tonos item & semitonos, progressio, species canora claræ vocis intensio. His vtique tribus ceu quibusdam elementis corpora ex membris multis composita, & arbores, & animalia, ac vocum plurium congregatio ad suscipiendam pulchritudinē disponuntur. Corpora verò simpliciora, vt elementa quatuor, lapides & metalla, itemque voces singulæ, interiori quadam naturæ suæ temperie, fœcunditate & claritate, ad eandem sufficienter aptantur. Animus autem eo potissimum ad illam est natura sua accommodatus, quod & Spiritus est, & quasi speculum Deo proximum, in quo quemadmodum in superioribus diximus diuini vultus elucet imago. Igitur quemadmodum auro, vt appareat speciosum, nihil prorsus addendum: sed si terræ sordes inhæserint, secernendæ: ita nullis adiunctionibus indiget animus, vt formosus appareat: sed deponenda corporis cura, & sollicitudo tàm anxia: cupiditatis & timoris perturbatio depellenda, confestim naturalis animi species emicabit. Cæterum ne longius digrediatur oratio, ex supradictis breuiter concludamus, pulchritudinem esse gratiam quandam viuacem & spiritalem, Dei radio illustrante Angelo primum infusam: inde & animis hominum, corporumque figuris, & vocibus: quæ per rationem, visum, auditum, animos nostros mouet atque delectat, oblectando rapit, rapiendo ardenti inflammat amore.

De amoris pictura.

CAPVT VII.

Agatho verò Poëta veterum Poëtarum more Deum istum humana vestit imagine: pingitque ipsum hominem instar formosum, iuuenem, tenerum, flexibilem sine agilem, apte compositum atque nitidum. Quorsum hæ? præparationes hæ quidem sunt ad formosam indolem potius quàm formositas. Nam ex quinque his partibus tres primæ complexionem corporis temperatam, quod primum est fundamentum, significant: duæ reliquæ ordinem, modum & speciem indicant. Physici temperatæ corporationis indicium teneræ carnis lenem & firmam æqualitatem demonstrauere. Vbi calor excedit nimium, aridum, & hirsutum corpus: vbi frigus, rigidum: vbi siccitas, durum & asperum: vbi humiditas, fluxum, lapsum, inæquale, contortum. Aequalis igitur, & forma corporis teneritudo, affectionem eius indicat in quatuor humoribus moderatam. Hanc ob causam Agatho mollem, delicatum & tenerum appellauit. Cur iuuenem? Quia non solum naturæ, sed ętatis etiam beneficio temperies hæc habetur. Temporis enim diuturnitate partibus humorum subtilioribus resolutis partes restant admodum crassiores. Igneque & aëre exhalato, aquæ & terræ regnat excessus. At curagilem & flexibilem? Vt aptum ad motus omnes promptumque intelligat: ne forte putes cum mollem diceret, aquæ mollitiem, muliebrem, languidam, & ineptam dicere voluisse. Ea siquidem est moderate complexionis contraria. Post hæc adicit, apte compositum, id est ordine & modo partium honestissime figuratum. Adiecit & nitidum, id est suaui colorum specie refulgentem. Præparationibus his præpositis, quod reliquum erat reticuit Agatho. Nostrum est enim post hæc aduentum gratiæ sub intelligere. Hæ quinque partes in hominis figura ita vt diximus, in amoris autem potentia aliter intelligendæ videntur: cius enim vim & qualitatem ostendunt. Iuuenis ideo dicitur: quia iuuenes vt plurimum amore irretiuntur, eiusque insidiis irretiti ætatem appetunt iuuenilem. Mollis, quia mitia ingenia facilius capiuntur: & qui capti sunt licet ante feroces, mansueti redduntur. Agilis & flexibilis, quia & influit clàm, & similiter effluit. Concinnus atque compositus: quoniam formosa & ordinata desiderat, fugitque contraria. Nitidus, quoniam in florida & nitente ætate hominis aspirat ingenio, & florida concupiscit. Hæc quoniam copiosissime excquitur Agatho, breuiter perstrinxisse sufficiat.

De amoris virtute.

CAPVT VIII.

EA etiam quæ de quatuor virtutibus ab Agathone dicuntur ad amoris bonitatem significandam,

randam, sic accipienda sunt, vt iustus Deo affirmetur: quia vbi integer ac verus est amor, ibi & beneuolentiæ vicissitudo, quæ nullam admittit contumeliam vel iniuriam. Huius charitatis tanta vis est, vt ea sola humanum genus tranquilla possit in pace seruare, quod neque prudentia, neque fortitudo, neque vis armorum legum, & eloquentiæ siue beneuolentia potest efficere. Vocat præterea Temperatum, qui turpes domat cupiditates. Amor enim cum pulchritudinem quærat, quæ in ordine quodam, temperantiaque consistit, viles & immoderatas concupiscentias aspernatur: à turpibus gestibus semper abhorret: quod à principio satis ab heroë audiuistis: atque vbi huiusregnat affectus, omnes cupiditates aliæ cōtemnuntur. Subiunxit, fortissimum. Quid enim audacia fortius? Quis item audentius quàm amator pro amato pugnat? Diis aliis, id est planetis aliis, Mars fortitudine præstat: quia fortiores homines efficit. Venus hunc domat. Quando enim Mars in angulis cœli, vel secunda natiuitatis domo, vel octaua constitutus nascenti mala portendit, Venus sæpe coniunctione sua vel oppositione, vel receptione, aut aspectu sextili, aut trino, Martis, vt ita dicamus, compescit malignitatem. Rursus quando Mars in ortu hominis dominatur, magnitudinem animi iracundiamque largitur. Si proxime Venus accesserit, virtutem illam magni animi à Marte datam non impedit: sed vitium iracundiæ reprimit: Vbi clementiorem facere Martem & domare videtur. Mars autem Venerem nunquam domat. Illa siquidem si dux fuerit, amoris præstat affectum. Si Mars proxime duxerit, suo calore Venereis impetum reddit ardentiorem: ita vt si nascente aliquo Mars in Veneris domo, Libra, vel Tauro fuerit, propter Martis præsentiam qui tunc natus est, acerrimis vratur amoribus. Mars iterum sequitur Venerem: Venus Martem non sequitur, quoniam audacia amoris pedisse qua est, non amor audaciæ. Non enim ex eo quod audaces sunt, amore homines illaqueantur, sed ex eo plerumque quod amore faucij sunt, audacissimi fiunt ad quæque pericula propter amatum intrepide subeunda. Denique fortitudinis eius omnibus excellentis euidentissimum illud est argumentum, quòd amori omnia parent, ille nulli. Nempe cœlestes amant, & animalia, & corpora omnia. Fortes item & sapientes. Diuites viri regesque maximi colla subdunt amoris imperio. Amor autē nullis istorum subijcitur. Neque enim diuitum munera amorem emunt, neque potentum minæ violentiæque, vt amemus, vel desistamus amare, nos cogere possunt. Amor enim liber est, ac sua sponte in libera oritur voluntate: quam neque Deus etiam coget, qui ab initio liberam fore decreuit. Quo fit, vt amor, qui vim omnibus infert, omnium effugiat violentiam. Huius tanta libertas est, vt cæteræ animi affectiones vel artes operationesque præmium aliquod, vt plurimum, à se diuersum exoptent: Amor seipso tanquam sui ipsius præmio sit contentus, quasi non sit præmium aliud præter amorem quoda more sit dignum. Nam qui amat, amorem amat præcipue. Id enim vult ab amato potissimum, vt vicissim amet amantem. Est etiam sapientissimus. Qua ratione amor rerum omnium creator sit atque seruator, & artium singularum magister & dominus, satis in Eryximachi oratione arbitror disputatum, in quibus sapientia amoris ostenditur. Ex omnibus his concluditur amorem id circo & beatissimum esse, quia pulcherrimus sit, & optimus. Esse verò pulcherrimū ex eo constat, quia pulcherrimis tanquam sui similibus delectatur. Optimum propterea, quod optimos facit amantes. Optimum verò esse illum necesse est, qui alios optimos efficit.

De donis amoris.

CAPVT IX.

Qvid amor sit ex nostra illa discursione apparuit. Qualis sit, ex verbis superioribus Agathonis. Quæ munera largiatur, facile ex dictis discitur. Est enim amor alter simplex: mutuus alter. Simplex ille quemcunque comprehenderit prudentem reddit ad prouidendum: acutum ad differendum, facundum ad eloquendum: ad res gerendas magnanimum: ad iocos facetum: ad ludos promptum, ad seria quæque fortissimum. Mutuus periculis pulsis securitatem: submota dissensione concordiam: vitata miseria præstat felicitatem. Vbi enim mutua charitas, ibi nullæ insidiæ, ibi communia omnia: ibi lites & furta, homicidia cessant, & prælia. Tranquillitatem huiusmodi non animalibus solum sed cœlis etiam, elementisque ab amore mutuo tribui, & hic tangit Agatho, & supra in Eryximachi oratione diffusius est ostensum. In oratione huius clare dicitur amor cantu suo mentes deorum hominumque mulcere. Quod plane intelliget quisquis meminerit in superioribus demonstratum fuisse amorem in omnibus esse, atque ad omnia porrigi.

Amor cæteris diis & antiquior est, & iunior.

CAPVT X.

SEd antequam finem faciam optimi viri, tres pro ingenij viribus quæstiones: quæ in Agathonis disputatione suboriuntur, absoluam. Primo enim quæritur cur Phædrus seniorem Saturno & Ioue amorem: Agatho verò dixerit iuniorem. Secundo quid apud Platonem regnum necessitatis significat: quid amoris imperium. Tertio qui dii quas artes regnante amore repererint. Pater omnium Deus mentes illas sui ministras, quæ Saturnum, Iouem, cæterosque planetas mouent, amore quodam sui seminis propagandi, & benignitate prouidentiæ genuit. Mentes iterum e uestigio natæ parentem suum recognitum diligunt. Amorem illum quo creantur cœlestes, seniorem illis: eum verò quo creatori suo afficiuntur, dicimus iuniorem. Præterea Saturni planetæ, & aliorum ideas Angelica mens à Patre suo non prius accipit quàm ad eius faciem amore ingenito flecteretur. Ea rursus postquam accepit, flagrantius parentis munus amauit. Sic ergo Angeli illius in Deum dilectio, partim antiquior est ideis, quæ dij dicuntur: partim etiam iunior. Igitur amor principium est & finis, deorum primus atque nouissimus.

Amor ante necessitatem regnat.

CAPVT XI.

VErum vt quæstio secunda soluatur, hic ante necessitatem ideo regnare dicendus: quoniam diuinus amor omnibus ex se natis dedit originem; in quo nulla necessitatis violentia poni-

tur. Nam cum nihil supra se habeat; non coactus, sed sponte quodlibet operatur. Mens autem quæ illum sequitur, ferente illo necessario pullulat. Ille igitur amore producit: hæc necessitate producitur. Ibi amoris, hic necessitatis incipit dominatio. Hæc licet à summa Dei bonitate nascatur, ideoque sit bona: tamen quia extra Deum processit, necessario ab infinita parentis perfectione degenerat. Nunquam enim effectus totam suscipit causæ bonitatem. In hac vtique necessaria effectus tum processione, tum etiam degeneratione, necessitatis consisteret imperium. Sed enim mens euestigio genita suum, vt diximus, diligit autorem: vbi regnum resurgit amoris. Nam & illa amore in Deum erigitur, & Deus amorem eum ad se conuersam illuminat. Verum hic rursus necessitatis potentia surrepit. Quippe cum lumen illud à Deo descendens non tanta claritate recipiatur à mente natura sua obscura, quanta à Deo tribuitur. Cogitur enim pro naturæ capacitate recipere. Ideo violentia naturę suscipientis fit lumen obscurius. Huic necessitati, amoris succedit iterum principatus. Illa siquidem primo hoc Dei fulgore accensa, ardentius in eum reflectitur, & hac re quasi scintilla luminis instigata totam expetit luminis plenitudinem. Hinc & Deus prouidentiæ suæ benignitate vltra primum illud naturale lumen diuinum quoque largitur, atque ita sibi inuicem alterne succedit amoris necessitatisque potentia. Quæ quidem successio, in diuinis naturæ origine fit: in aliis, temporis interuallis: ita tamen, vt amor primus sit omnium atque nouissimus. De animo quoque & cæteris quæ à Deo fiunt, quo ad duo hæc imperia similiter iudicandum. Idcirco si absolute loquatur, antiquius est amoris quàm necessitatis imperium: cum in Deo illius, huius in rebus creatis potestas incipiat. Si de rebus à Deo creatis intelligamus, necessitatis tyrannis regnum antecedit amoris: cum res ipsæ prius necessitate procedant atque degenerent procedendo, quàm ad Patrem suum amore se vertant. Duo hæc imperia, duobus hymnis cecinit Orpheus. Necessitatis imperiũ ita in noctis hymno. δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατύνει, id est Grauis necessitas omnibus dominatur. Amoris autẽ regnũ, ita in Veneris hymno. καὶ κρατέεις τρισσῶν μοιρῶν, γεννᾷς δὲ τὰ πάντα ὅσσα τ' ἐν οὐρανῷ ἐστι καὶ ἐν γαίῃ πολυκάρπῳ. Tribus fatis imperas, & generas omnia, quæ in cœlo sunt, & quę in terra, & quæ in mari, Diuine Orpheus duo regna posuit, & ea inuicem comparauit, præposuitque amorem necessitati, cum dixit illum tribus fatis, in quibus consistit necessitas, imperare.

Quo pacto regnante necessitate Saturnus castrauit Cœlum: Iupiter verò ligauit Saturnum.

CAPVT XII.

QVo autem pacto dominante necessitate sequentes dij parentes suos aut castrare aut ligare hic ab Agathone dicantur, ex dictis facile intelligimus. Non enim hæc ita accipienda sunt, vt mens Angeli Deum ipsum, sed minus sibi à Deo tributum in seipsa diuidat & discerpat. Satis paulo ante monstrauimus munera Dei in recipiente spiritu necessario à summa Dei perfectione decidere. Quo fit, vt fœcunditas illa naturæ in Deo quidem integra, sed in Angelo comminuta, & quodammodo mutilata, merito castrata fuisse dicatur. Quod quidem regnante necessitate contingere dicitur, quia neque dantis, neque accipientis voluntate, sed necessitate qua affectus causæ suæ æquari non potest, necessario accidit. Si enim Saturnus, id est Angelus, Cœlium, id est summum Deum castrare videtur: Iupiter quoque id est anima mundi ligare Saturnum, id est vim ab Angelo acceptam in seipso naturæ suæ defectu angustioribus limitibus coarctare. Amplior est enim illius quã huius potentia. Ideo potentia, quę in illo expedita propter amplitudinẽ, & soluta, in hoc propter angustiam ligata & iam & coarctata censetur. Omitto quod astrologi opinantur: Planetæ Saturni malignitate Iouis coniunctione, vel receptione, vel oppositione, aut aspectu sextili, aut trino sæpissimè cœrceri. Sed de his hactenus. Ad quæstionem tertiam descendamus.

Qui dii, quas artes hominibus largiuntur.

CAPVT XIII.

ARtes à diis propter amorem humano generi traditas Agathon arbitratur. Regnandi ab Ioue. Sagittandi, diuinandi, medendi artem ab Apolline: Fabricam ærariam à Vulcano: Texendi artificium à Minerua: à Musis denique musicam. Duodecim Zodiaci signis numina præsunt duodecim. Arieti Pallas: Tauro Venus: Apollo Geminis: Cancro Mercurius: Leoni Iupiter: Virgini Ceres: Libræ Vulcanus: Scorpio Mars: Diana Sagittario: Vesta Capricorno: Aquario Iuno: Piscibus verò Neptunus. Ab his artes omnes generi nostro traduntur. Signa illa in corpus: Numina quæ illis præsunt in animam vires suas ad singulas artes infundit. Ita Iupiter per Leonem hominem ad gubernationem deorum & hominum, id est ad res tàm diuinas quàm humanas præclare gerendas reddit aptissimum. Apollo per Geminos vaticinium, medicinam, & arcus industriam exhibet. Pallas per Arietem texendi peritiam. Vulcanus per Libram ærariam fabricam, & artes reliquas alij. Quia verò prouidentiæ benignitate sua nobis munera magnifice largiuntur, amore instigante dicimus elargiri. Pretereà velocissima illa & ordinatissima cœlorum conuersione musicam nasci consonantiam arbitramur, atque octo circulorum motibus tonos octo, ex cunctis autem nonum quendam produci concentum. Nouem itaque cœlorum sonos, à musica concordia musas nouem cognominamus. Huius musicæ ratione noster olim donatus est animus. Cui enim est origo cœlestis, meritò cœlestis innata dicitur harmonia. Quam deinde variis instrumentis & cãtibus imitatur. Idque munus similiter diuinæ prouidentiæ nobis est amore concessum. Hunc ergo nos viri clarissimi Deum, quia pulcherrimus est amemus, quia optimus imitemur, quia beatissimus veneremur, vt sua nobis clementia & largitate concedat pulchritudinis, bonitatis, beatitudinis suæ possessionem.

INTRODVCTIO AD DISPVTA-
tionem de amore.

ORATIO SEXTA.

CAPVT. I.

HActenus Carolus Marsupinus. Thomas autem Bencius Socratis diligens imitator ad Socraticorum verborum commentationem liben-

ti animo, & hilari vultu se contulit. Socrates inquit noster Græcorum omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus amandi artem præ cæteris profiteri solebat, quasi ob artis huius peritiam potissimum & Socrates & alius quiuis esset sapientissimus indicandus. Artem huiusmodi non ab Anaxagora, Damone, Archelao physicis, non à Prodico Chio, & Aspasia rhetoricæ professoribus, non à Cono musico, à quibus multa didicerat, sed à Diotima fatidica muliere diuino afflata spiritu se accepisse dicebat. Mea quidem sententia, vt ostenderet sola diuinitatis inspiratione, quid vera pulchritudo sit, quid legitimus amor, qua ratione amandum homines intelligere posse. Tanta est amatoriæ facultatis potentia, tanta sublimitas. Ergo procul ab his cœlestibus epulis abeste, procul inquam abeste prophani, qui terrenis obruti sordibus & Baccho Priapoq; prorsus mancipati, amore cœleste munus, in terram porcorum ritu cœnumque prosternitis. Vos autem conuiuę castissimi, & alii omnes Dianæ, & Palladi consecrati, qui animi purissimi libertate perpetuoque mentis gaudio exultatis, adeste feliciter, diuinaque mysteria Socrati à Diotima reuelata diligenter audite. Sed antequam Diotimam audiatis solnenda est controuersia quædam, inter eos qui de amore in superioribus tractauerunt, & eos qui tractaturi sunt, orta. Superiores namque amorem pulchrum, bonum, beatum, deum, vocauerunt. Socrates & Diotima negant, atque illum inter pulchrum & turpe, bonum & malum, beatum & miserum, Deum & hominem medium collocant. Nos vtrasque sententiam, licet alia ratione, veram existimamus.

Amor est medius inter pulchritudinem & turpitudinem: atque inter Deum & hominem.

CAPVT II.

FErto magnes lapis suam quandam inserit qualitatem, qua ferrum magneti factum persimile ad hunc lapidem inclinatur. Inclinatio huiusmodi prout à lapide orta vergit in lapidem, lapidea certe inclinatio dicitur, prout in ferro est, & ferrea est pariter, & lapidea. Est enim in ferri materia non pura illa quidem, sed per qualitatem lapidis iam formata. Ideo vtriusque retinet proprietatem. Ignis etiam, vt loquamur apertius, qualitate sua, id est calore linum accendit. Linum caloris qualitate suspensum ad supernam ignis euolat regionem. Volatum huiusmodi prout ab igne excitus vergit ad ignem, igneum plane cognominamus, prout in lino est non mero quidem, sed iam ignito, ab vtriusque tàm lini quàm ignis natura, lineum æquè ac igneum dicimus. Figura hominis sæpe numero propter bonitatem interiorem felicitet à Deo concessam, aspectu pulcherrimum, splendoris sui radium per oculos intuentium transfundit in animam, vtique scintilla tanquam hamo quodam tractus animus properat ad trahentem. Hunc nos tractum qui & amor est, quoniam à pulchro bono felici dependens in idẽ reflectitur: pulchrum, bonum, beatum, Deum Agathonis cęterorumque superiorum sententia non dubitamus. Quoniam verò in animo est per radii illius pulchri præsentiam iam accenso, affectum inter pulchrum & non pulchrum medium cogimur nominare. Quandoquidem animus, qui nullam adhuc pulchræ rei suscipit imaginem, rem illam tanquam incognitam nondum amat, & qui totam possidet pulchritudinem; amoris stimulis non vexatur. Quis enim quæ habet affectat? Restat, vt tunc ardenti flagret amore, quando speciosum aliquod rei pulchræ simulachrum nactus, ea prægustatione ad plenam possessionem pulchritudinis instigatur. Cum igitur amantis animus rem ipsam pulchram partim habeat quidem, partim verò non habeat: non iniuria partim pulcher est, partim non pulcher. Atque ita amorem ex huiusmodi mixtione medium quendam affectum esse volumus inter pulchrum & non pulchrum, vtriusque participem. Ob hanc vtique rationem Diotima vt ad eam iam veniamus, amorem dæmonem appellauit: quia sicut dæmones inter cœlestia & terrena sunt medij: sic amor inter informitatem & formam medium obtinet. Mediam hanc eius regionem inter informem formosamque naturam Ioannes in prima & secunda eius oratione satis aperuit.

De sphærarum animis & dæmonibus.

CAPVT III.

SEd quomodo mediam plagam cœlum inter & terram dæmones habitent, ex verbis Diotimæ in conuiuio, Socratis in Phædro atque in Philebo, Athenìensis hospitis in legibus & Epinomi, ita cognoscite. Vniuersam huius mundi machinam anima quadam regi, atque moueri Plato existimat. Siquidem mundi corpus totum quoddam corpus est, ex totis quatuor elementis compositum, cuius particulæ sunt omnium animantium corpora. Nam animalis cuiusque corpusculum mundani corporis particula est. Neque ex toto ignis, aëris, aquæ, terrę elemento: sed horum elementorum partibus quibusdam componitur. Quanto igitur totum parte perfectius est, tanto mundi corpus perfectius est singulorum animantium corpore. Absurdum esset imperfectum quidem corpus habere animam, perfectum verò neque habere animam, neque viuere. Quis enim adeo mente captus est, vt partem viuere dicat, totum neget? Viuit igitur totum mundi corpus, cum animalium corpora quæ partes illius sunt, viuant. Vnam esse oportet totius animam, sicut & vna est materia, vna constructio. Cum ergo duodecim sint mundi sphæræ, vt Platoni placet: octo cœli, & elementa sub cœlo quatuor atque duodecim hæ sphæræ discretæ inuicem sint, specie, motibus, & proprietate diuersæ, duodecim necesse est illis adesse animas, specie & virtute diuersas. Vna igitur erit vnius primæ materię anima. Duodecim circulorum, animæ duo decim. Quis terram, aut aquam neget viuere quæ vitam animalibus ex se genitis tribuunt? Quod si feces hæ mundi viuunt, viuentiumque sunt plenæ: cur non aër, & ignis excellentiores mundi partes viuant, viuentiaque in se similiter habeant, cœlique similiter? Sed animalia illa cœlestia, quæ sydera sunt, & terrena, aquatilia videmus quidem, ignea verò & aërea non videmus. Quippe cum neque purum ignis, aut aëris elemẽtum perspiciamus. Hoc autem interest, quod in terra duo sunt animantium genera: bruta & rationalia, similiterque in aqua, cum aqua corpore terræ præstantior, non minus quàm terra compos esse debeat rationis. Globi verò decem superiores propter eorum sublimitatem Solis sunt rationalibus exornari. Animam mundi, id est materię primæ, & duodecim sphærarum, & syderum animas deos Platonici nominant, tanquam

Angelicæ mentis summique Dei pedissequas. Animalia, quæ ignis ætherei sub Luna locati, aut puri aëris, aut nebulosi aëris aquæ proximi regionem habitant, dæmones. Quæ terram incolunt rationalia, homines. Dij etiam immortales, & impatibiles sunt: homines patibiles, atque mortales sunt. Dæmones immortales sunt quidem, sed patibiles. Neque passiones dæmonibus corporis, sed animi affectus quosdam attribuunt: quibus bonos homines amant quodammodo, malos oderunt: seque ipsos propius & ardentius rebus inferioribus præcipuè humanis gubernandis immiscent, ij omnes ex hoc officio boni videntur. Esse verò alios quosdam malos dæmones Platonici nonnulli, & Christiani Theologi voluerunt. Sed de malis dæmonibus nulla ad præsens nobis est disputatio. Bonos autem nostri custodes proprio nomine Angelos inferiores mundi gubernatores, Dionysius Areopagita, quod à Platonis mente minime discrepat, vocare solet. Quinetiam quos deos & sphærarum syderúmque animos Plato nuncupat, Angelos Dei ministros Dionysii more possumus appellare, quod etiam à Platone ob eam causam non dissentit: quia huiusmodi animos, vt decimo legum apparet, sphærarũ claustris haud quaquam perinde illigat, vt in corporibus animas terrenorum. Sed tanta virtute Deo summo donatos affirmat, vt Dei visione gaudere simul valeant, & sine vllo labore, & solicitudine globos mundi pro Patris sui voluntate regere & mouere, hisque mouendis inferiora facile gubernare. Quare inter Platonem & Dionysium verborum potius est, quàm sententiæ discrepatio.

De septem donis quæ à Deo hominibus per medios spiritus tribuuntur.

CAPVT IV.

Rerum omnium ideis, quas diuina mens continet, sequentes dii, deorum muneribus dæmones subseruire dicuntur. Asummo namque ad imum omnia per media transeunt: ita vt ideæ illæ diuinæ mentis conceptiones, per deos, & dæmones, sua hominibus munera largiantur. Horũ sunt præcipua septem. Contemplationis acumen. Gubernandi potestas. Animositas, Claritas sensuum Amoris ardor. Interpretandi subtilitas. Fœcunditas generandi. Horum vim Deus primo in se continet. Deinde septem diis, qui Planetas septem mouent, Angelique à nobis vocantur, horum potentiam tribuit, ita vt singula præ cæteris capiant. Illi septem dæmonum ordinibus eis sub seruientibus singulis præcipuè singula exhibent. Isti tradunt hominibus. Profectò Deus hæc animis statim à se natis infundit. Hi ex orbe lacteo per cancrum labentes in corpus, cœlesti quodam lucidoque corpore inuoluuntur, quo circumdati terrenis corporibus includuntur. Ordo enim naturæ requirit, vt purissimus animus in corpus hoc impurissimum, non prius quàm medium quoddam & purum tegmen accepit, decidere valeat. Quod cum animo crassius sit, hoc autem corpore purius & subtilius, commodissima à Platonicis iudicatur animæ cum terreno corpore copula. Hinc itaque fit, vt Planetarum animæ nostris animis, corpora verò corporibus nostris septem illorum munerum vires à Deo datas statim ab initio, atque assiduè confirment & roborent. Eidem officio præsunt naturæ dæmonum totidem, inter cœlestes & homines mediæ. Contemplationis donum Saturnus per Saturnios dæmones roborat. Gubernandi & imperandi potentiam Iupiter Iouialium dæmonum ministerio. Magnitudinem animi Mars per dæmones Martiales. Sensuum; opinionisque claritatem, vnde vaticinium sequitur, Sol dæmon solarium adiumento: Amorem per Venereos Venus inspirat. Pronunciandi & interpretandi solertiam Mercurialibus intercedentibus Mercurius adiuuat. Luna postremo lunaribus dæmonibus conferentibus fouet generationis officium. Horum facultatem licet hominibus cunctis impertiant: illis tamen præcipuè, in quorum conceptione, & ortu ex cœli dispositione possunt plurimum. Quæ quidem licet infusa diuinitus honesta sint, possunt tamen in nobis quandoque propter abusum videri deformia. Quod & in gubernationis, animositatis, amoris generationis vsu perspicuum. Amoris instinctum ne longius digrediamur, à Deo summo, & à Venere, quæ dea dicitur, & à dæmonibus Venereis habemus. Quoniam à Deo descendit, Deus, quoniam à dæmonibus confirmatur, dæmon est appellandus. Quapropter iure apud Agathonem Deus, apud Diotimam dæmon est dictus. Dæmon, inquam Venereus.

De ordine dæmonum Venereorum, & quomodo iaculantur amorem.

CAPVT V.

Daemon autem Venereus, triplex est amor. Primus in Venere cœlesti à Platonicis ponitur. In ipsa scilicet Angelicæ mentis intelligentia. Secundus, in vulgari Venere, in ea videlicet potentia, quam habet mundi anima generandi. Qui duo propterea dæmones appellantur, quia inter informitatem & formam sunt medij, vt suprà tetigimus, & paulo post latius explicabimus. Tertius ordo dæmonum Planetam Veneris comitantium. Horum quoque scilicet dæmonum Venereorum, triplicem ordinem ponimus. Alij purissimi aëris elemento sunt assignati, omnesque à græco vocabulo ἔρως, quod amorem significat, Heroes, id est amatorii nominantur. Primi in eos homines amoris aculeos iaculantur, in quibus bilis, humor cholericus & igneus dominatur. Secundi in eos in quibus sanguis, humor aëreus. Tertii verò in eos in quibus pituita, & atrabilis, aqueus, & terreus imperat humor. Cupidinis autem sagittis cum omnes homines, tùm quatuor maximè illorum vulnerantur. Nam animas Iouis, Phœbi, Martis, Iunonis, id est, Veneris pedissequas vulnerari potissimum Plato in Phædro significauit, easque ab ipsis generationis primordiis ad amorem pronas, eosque summopere homines amare solere, qui sub iisdem sint ortis syderibus: Hinc Iouiales Iouialibus, Martialibus Martiales, atque aliis similiter alii vehementer afficiuntur.

Quomodo capiamur amore.

CAPVT VI.

Quod de vno dicam exemplo, de tribus aliis intelligite. Quicunque animus sub Iouis imperio in terrenum corpus delabitur, certam quandam in ipso descensu sibi concipit hominis fabricandi figuram Iouis astro conuenientem.

Hanc in æthereo sui corpore tanquam optime affecto exprimit exactissimam. Si nactus in terris semen fuerit similiter temperatum, in eo quoque tertiam figuram pingit primæ secundæque simillimam. Sin contrà, non ita persimilem. Sæpe numero accidit, vt duo quidem animi licet diuersis temporum interuallis, Ioue tamen regnante descenderint: alterque illorum semen in terra nactus idoneum corpus secundum priores ideas illas rectissimè figurauerit: alter verò propter materiæ ineptitudinem, idem opus inchoauerit quidem, sed non tanta ad sui exemplar fuerit similitudine executus. Corpus illud isto formosius. Ambo sibi propter quandam naturæ similitudinem mutuo placent. Sed placet magis, qui inter eos formosior iudicatur. Quo fit vt non formosissimos quosque, sed suos, id est similiter natos etiam si minus quàm alij multi formosi sint, quilibet maximè diligant. Proinde qui, vt diximus, eodem sub astro sunt orti, ita se habent, vt pulchrioris eorum simulachrum, per oculos in alterius animum manans, consimili cuidam simulachro, tàm in corpore æthereo, quàm in animi penetralibus ab ipsa generatione formato quadret, & vndique consonet. Ita pulsatus animus obuium illud simulachrum tanquam suum aliquid recognoscit. Quod quidem si tale est pro viribus quale & ipse iam olim intra se possidet & suo in corpore cum vellet effingere, minime potuit, illud suo interiori prorinus admouet, & si quid illi deest ad perfectam corporis Iouialis effigiem, instaurat reformando: ipsum deinde reformatum simulachrum tanquam opus proprium diligit. Hinc accidit, vt amantes ita decipiantur: vt formosiorem quàm sit, existiment. Nam procedente tempore amatum non in mera eius imagine per sensus accepta perspiciunt: sed in simulachro iam ab anima ad ideę suæ similitudine reformato, quod ipso corpore pulchrius est, intuentur. Desiderant insuper corpus illud vnde primo manauit simulachrum inrueri quotidie. Quamuis enim animus absente corpore illius apud se consetuet imaginem, idque sibi fermè fit satis, Spiritus tamen animæ instrumentum oculusque non seruant. Tria profectò in nobis esse videntur: Anima, Spiritus, atque Corpus. Anima & corpus natura longe inter se diuersa Spiritu medio copulantur, qui vapor quidam est tenuissimus & perlucidus, per cordis calorem ex subtilissima parte sanguinis genitus. Inde per omnia membra diffusus animæ vires accipit & transfundit in corpus: Accipit iterum per organa sensuum, corporum externorum imagines, quæ in anima propterea figi non possunt, quia incorporea substantia, quæ corporibus præstantior est, formari ab illis per imaginem susceptionum non potest. Sed enim anima vtique spiritui præsens imagines corporum in eo tanquam in speculo relucentes facile inspicit, perque illas corpora iudicat: atque hæc cognitio sensus à Platonicis dicitur, dum eas inspicit, similes illis imagines multo etiam puriores sua vi concipit in seipsa. Huiusmodi conceptionem, imaginationem, Phantasiamque vocamus. Hic conceptę memoriter seruantur imagines. Per has animi acies sæpe numero incitatur ad vniuersales rerum ideas quas in se continet intuendas. Idemque vnum quendam hominem & sensu cernit & imaginatione concipit. Intellectu rationem, definitionemque hominibus omnibus communem per innatam illi humanitatis ideam communiter contemplatur, & quæ fuerint contemplata conseruat. Animo igitur formosi hominis simulachrum conceptum semel apud se reformatumque memoriter conseruanti satis esset amatum quandoque vidisse. Oculo tamen & spiritui, quæ veluti specula præsente corpore imagines capiunt, absente dimittunt, perpetua formosi corporis præsentia opus est, vt eius illustratione continue luceseant, foueantur & oblectentur. Igitur & isti propter indigentiam suam præsentiam corporis exigunt, & animus iis, vt plurimum, obsequutus eandem cogitur affectare.

De amoris ortu.

CAPVT VII.

SEd iam ad Diotimam redeamus. Hæc igitur cum amorem in dæmonum numerum ob eas quas enarrauimus causas retulisset, eius hunc in modum originem Socrati demonstrauit. In Veneris natalibus discumbentibus diis Consilij filius Porus potu nectaris ebrius, cum Penia in Iouis horto se miscuit. Ex eo congressu natus est amor. In Veneris natalibus, id est, quando mens Angeli, & mundi anima, quas Veneres ea ratione quam aliàs diximus, nominauimus, ex summa Dei maiestate oriebantur: Dij discumbebant, id est Cœlius & Saturnus & Iupiter bonis propriis vescebantur. Nam cum in Angelo intelligentia, & in mundi anima vis generandi, quas propriè Veneres geminas appellamus, prodibant in lucem: iam erat summus ille Deus quem vocat cœlum: Essentia præterea, & vita in Angelo, quos Saturnum vocamus & Iouem, atque etiam in mundi anima inerat supernorum cognitio, & cœlestium corporum agitatio: quos iterum Saturnum Iouemque vocamus. Porus & Penia, affluentiam & egestatem significant. Porus Consilii filius, id est, summi Dei scintilla. Deus nempe Consilium, & Consilii fons appellatur, quia veritas omnium est & bonitas. Cuius splendore omne Consilium verum efficitur. Ad cuius bonitatem omne tendit Consilium. Iouis hortum, Angelicæ vitæ fœcunditatem intelligit: in quam cum descendit Porus, id est ille Dei scilicet radius, Penię, id est, priori huius indigentiæ mixtus creat amorem. Principio Angelus per Deum est & viuit, quo ad hæc duo essentiam & vitam, Saturnus & Iupiter nominatur. Habet insuper intelligendi potentiam, quam esse arbitramur. Potentia huiusmodi sua natura informis est & obscura, nisi à Deo illuminetur: quemadmodum oculi vis ante Solis aduentum. Hanc obscuritatem Peniam scilicet quasi inopiam & luminis defectum esse putamus. Cæterum vis ea intelligendi naturali quodam instinctu ad suum reflexa parentem, diuinum ab eo radium, qui Porus est & affluentia, suscipit. In quo veluti semine quodam, rationes rerum omnium includuntur. Huius radii flammis naturalis ille instinctus accenditur, hoc incendium, hic ardor ex obscuritate priori, & accedente scintilla exoriens, amor est ex inopia natus & affluentia, in horto Iouis, id est vmbra vitæ progenitus. Quippe cum post vitæ vigorem statim ardor ad intelligendum exoriatur. Sed cur ebrium nectare Porum inducunt? quia ratione diuinæ viuacitatis exuberat. Cur partim dives, partim egenus est amor? Quia neque quod perfecte possidemus, neque quo caremus omnino ardere solemus. Cum enim id quærat quisque, quo caret: qui totam rem possidet, quid vltra perquirat? quin etiam cum incognita nemo

deſideret, neceſſe eſt vt aliquo modo cognitum nobis ante fuerit quod amemus: neque cognitum ſolum: multa enim nota nobis odiſſe ſolemus: ſed vt tanquam bonum nobis & iucundum fuerit iudicatum. Neque id ad flagrantem beneuolentiam ſatis eſſe videtur: niſi facile conſequi poſſe quod iucundum fore cenſuimus, iudicemus. Quiſquis igitur aliquid amat, illud quidem re ipſa nondum integerrime poſſidet. Animi tamen cogitatione id ipſum cognoſcit, iucundum iudicat, conſequi poſſe confidit. Hęc ipſa cogitatio, iudicatio, ſpes, quaſi præſens aliqua abſentis boni anticipatio eſt. Non enim arderet niſi idipſum placeret, niſi eſſet quodammodo prægustatum. Ergo cum amantes partim quod optant habeant quidem, partim verò non habeant, haud ab re ex indigentia quadam, & affluentia mixtus eſt amor. Hac vtique ratione Venus illa ſuperna per primam ipſius diuini radij guſtationem accenſa, amore fertur ad integram totius luminis plenitudinem: hoc nixu parenti efficacius hęrens pleniſſimo ſtatim illius fulgore coruſcat, rerumque rationes illæ confuſæ, quæ in radio, quem Potum dicimus, ante fuerant implicatæ, explicantur, iam impotentia illa Veneris inhærente, & clarius diſtinctæ luceſcunt. quemadmodum verò ſe habet ad Deum Angelus, ita ad Angelum Deumque anima mundi. Ea enim ad ſuperna ſe flectens ab illis ſimiliter & radium accipit, & accenditur, gignitque amorem affluentiæ inopięque participem. Hinc formis rerum omnium exornata ad earum exemplar cœlos mouet, perque potentiam generandi ſimiles illis formas in elementorum materia generat. Venerem hic geminam turſus aſpicimus. Alteram ſanè vim animæ, huius ad ſuperna cognoſcenda. Alteram verò vim eiuſdem inferiorem procreatricem. Illa quidem non eſt animæ propria: ſed contemplationis Angelicæ imitatio: hæc autem naturæ animæ propria. Ideo quoties vnam in anima Venerem ponimus, vim eius peculiarem Venerem eius propriam intelligimus. Quoties duas, alteram communem cum Angelo, alteram ipſius animæ propriam. Sint igitur duæ in animo Veneres: prima cœleſtis, ſecunda verò vulgaris. Amorem habeant ambæ: Cœleſtis ad diuinam pulchritudinem cogitandam: Vulgaris ad candē in mundi materia generandam. Qualem enim videt illa decorem, talem vult hæc pro viribus mundi machina tradere. Imò verò vtraque fertur ad pulchritudinem generandam, ſed ſuo vtraque modo. Cœleſtis Venus intelligentia ſua affingere in ſeipſa exactiſſimam ſupernorum pulchritudinem nititur. Vulgaris diuinorum ſeminum vbertate conceptam apud ſe diuinitus pulchritudinem in mundi materia parere. Amorem illum quandoque Deum idcirco vocamus, quoniam ad diuina dirigitur. Vt plurimum dæmonem, quoniam inter inopiam copiamque eſt medius. Amorem alterum ſemper dęmonem, quoniam affectum aliquem ad corpus habere videtur, & ad inferiorem mundi plagam eſſe procliuior. Quod quidem à Deo alienum eſt, dæmonum naturæ conueniens.

In omnibus animis duo ſunt amores, in noſtris verò quinque.

CAPVT VIII.

GEminæ autem Veneres hæ geminique amores non ſolum in anima mundi, verumetiam in ſphærarum, ſiderum, dæmonum, hominumque animis inſunt. Cumque animæ omnes ad primam illam competenti naturalis ordinis ſerie referantur, neceſſe eſt amores quoque omnium ad illius amorem ita referri, vt aliquo modo ab illo dependeant. Propterea hos quidem ſimpliciter dæmones: illum verò magnum dæmonem appellare Diotima conſueuit. Qui per vniuerſum mundum omnibus imminens torpere corda non ſinit: ſed paſſim ſuſcitat ad amandum. In nobis autem non duo tantum, ſed quinque amores reperiuntur. Duo quidem extremi dæmones, medij tres, non dæmones ſolummodo, ſed effectus. Profectò in hominis mente ęternus eſt amor ad diuinam pulchritudinem peruidendam: cuius gratia, Philoſophiæ ſtudia, & Iuſtitiæ, pietatiſque officia ſequimur. Eſt etiam in generandi potentia occultus quidam ſtimulus ad ſobolem procreandam, iſque amor perpetuus eſt, quo aſſiduè incitamur, vt ſupernę pulchritudinis illius ſimilitudinem in procreatæ prolis effigie effingamus. Hi duo amores in nobis perpetui, duo ſunt dæmones illi, quos Plato noſtris animis ſemper adeſſe vaticinatur: quorum alter ad ſuperna erigat, alter deprimat ad inferna, alter calodæmon, id eſt, bonus dæmon ſit, alter cacodæmon, id eſt, malus ſit dæmon. Reuera vtrique ſunt boni, quoniam tàm ſobolis procreatio, quàm indagatio veritatis neceſſaria & honeſta cenſetur. Verum ſecundus ideo dictus eſt malus, quia propter abuſum noſtrum ſæpe nos turbat, & animum à præcipuo eius bono, quod in veritatis ſpeculatione conſiſtit, auertit maximè, & ad myſteria viliora detorquet. Horum medium amores in nobis tres obtinent: qui cum non ſint in animo æquè vt illi firmiſſimi: ſed incipiant, creſcant, decreſcant & deſinant: rectius motus atque affectus quàm dæmones vocabuntur. Horum vnus æquis interuallis ab vtriſque diſtat extremis. Reliqui duo in partem alterutram inclinantur. Porrò corporis alicuius figura propter materiæ præparationem talis eſt maximè, qualem in eius, idea diuina mens continet tunc oculis obuia: perque oculos in ſpiritum penetrans, animo eueſtigio placet, cum illis conſonet rationibus, quas veluti rei ipſius exemplaria tùm noſtra mens, tùm generādi potentia olim diuinitus accepta conſeruat. Hinc triplex, vt diximus, ſubrepit amor: aut enim ad contemplatiuam, aut actiuam, aut voluptuoſam vitam prompti, & procliues geniti educatiue ſumus. Si ad contemplatiuam, ſtatim à formę corporalis aſpectu ad ſpiritualis atque diuinę conſiderationem erigimur. Si ad voluptuoſam, ſubito à viſu ad concupiſcentiam tangendi deſcendimus. Si ad actiuam atque moralem in ſola illa videndi atque conuerſandi oblectatione perſeueramus. Illi tàm ingenioſi ſunt vt altiſſimè prouehantur: iſti tàm hebetes vt deprimantur ad infima: hi tanquam medij in media remanent regione. Amor itaque omnis incipit ab aſpectu. Sed contemplatiui hominis amor ab aſpectu aſcendit in mentem. Voluptuoſi ab aſpectu deſcendit in tactum. Actiui remanet in aſpectu. Illius amor ad ſupremum dæmonem magis quàm ad infimū ſe conuertit: iſtius ad infimum potius quàm ad ſupremum deflectitur: huius ab vtroque interuallis diſtat æqualibus, Tres iſti amores tria nomina ſortiuntur. Contemplatiui hominis amor, diuinus: Actiui, humanus: Voluptuoſi ferinus cognominatur.

Quæ passiones amantibus insunt, propter amoris matrem.

CAPVT IX.

Amorem esse dæmonem ex copia & inopia genitum, & quinque in species diuidi, hactenus declarauimus: quales autem in amantibus affectus ex huiusmodi amoris natura nascantur, deinceps ex Diotimæ verbis tractabimus. Quoniam inquit amor in natalibus Veneris progenitus est, Venerem sectatur & colit, ac pulchri desiderio capitur: cum Venus ipsa pulcherrima sit. Quia inopiæ filius est, aridus est & macilentus & squalidus, nudis pedibus, humilis, sine domicilio, sine stramentis & tegmine vllo, ad fores in via sub dio dormiens, ac denique semper egenus. Quia copiæ filius est, pulchris ac bonis insidiatur. Virilis est, audax, feroxque, vehemens, callidus, sagaxque venator, noua semper machinamenta contexens, prudentiæ studiosus, facundus, per omnem vitam Philosophans, incantator, fascinatorque potens, veneficus, atque Sophista. Neque immortalis omnino secundum naturam, neque mortalis. Sed interdum eadem die pullulat atque viuit quoties exuberat: interdum deficit atque iterum reuiuiscit ob patris naturam: quod vero acquisitum est subterfugit: quocirca neque mendicus est amor vnquam, neque etiam opulentus. Quinetiam in medio sapientiæ & inscitiæ constituitur. Hæc Diotima. Nos ea quàm breuissime poterimus, explanabimus. Hæc licet omnibus insint amorum generibus: in tribus tamen mediis tanquam nobis manifestioribus clariora videntur. In Veneris natalibus genitus Venerem sequitur, id est cum supernis illis spiritibus, quos vocauimus Veneres, genitus, hominum animos ad supema reducit: ac pulchri desiderio capitur, cum Venus ipsa pulcherrima sit, id est animas accendit summæ diuinæque pulchritudinis desiderio: cum ipse fit in illis spiritibus ortus, qui Deo proximi Dei decore summopere illustrantur, atque ad eosdem nos radios erigunt. Præterea cum vita omnium animantium atque arborum, & terræ fertilitas in humore & calore consistat, ad demonstrandam amoris inopiam vtrumque deesse illi tam humorem, quàm calorem Diotima innuit, cum aridum & macilentum dixit & squalidum. Quis enim ignoret arida & sicca esse illa, quæ deserit humor? Quis item pallorem dicat & squalorem aliunde quàm sanguinei caloris defectu venire? Quinetiam diuturno amore pallidi, & macilenti mortales efficiuntur. Quippe ad duo simul opera vis naturæ fermè non sufficit. Animi amantis intentio in assidua amati cogitatione tota se versat. Illic & naturalis complexionis vis omnis intenta est. Ideo neque cibus in stomacho perfecte coquitur. Quo fit vt maior pars in superfluas reliquias emittatur, minor & ea quidem crudâ trahatur ad iecur. Illic etiam eadem ratione male concoquitur. Ideo sanguis paucus crudusque inde per venas diffunditur: quare membra omnia inopia cruditateque alimenti extenuantur & pallent. Præterea quocunque animi assidua fertur intentio, illuc & spiritus qui animæ siue currus, siue instrumenta sunt, aduolant. Spiritus in corde ex subtilissima sanguinis parte creantur. In amati imaginem phantasiæ infixam ipsumque amatum amantis animus rapitur. Eodem trahuntur & spiritus. Illuc euolantes assiduè resoluuntur. Quapropter frequentissimo puri sanguinis fomite opus est ad consumptos spiritus recreandos: vbi subtiliores quæque & lucidiores partes sanguinis quotidie in reficiendis spiritibus exhalantur: propterea puro & claro sanguine resoluto, maculosus, crassus, aridus restat & ater. Hinc exiccatur corpus & squalet: hic & melancholici amantes euadunt. Ex sicco enim, crasso atroque sanguine melancholia, id est atra bilis efficitur: quæ suis caput vaporibus opplet, cerebrum siccat, animam tetris horrendisque imaginibus diu noctuque sollicitare non cessat: quod Lucretio Philosopho Epicureo propter amorem legimus accidisse. Qui amore primum, insania deinde vexatus, sibi tandem ipsi manus iniecit. Hæc illis accidere consueuerunt, qui amore abusi quod contemplationis est ad amplexus concupiscentiam transtulerunt. Videndi enim desideria facilius quàm & viuendi & attrectandi cupidinem toleramus. Quæ cum medici veteres obseruassent, amorem esse dixerunt passionem morbo melancholico proximam, eamque Rasis medicus coitu, ieiunio, ebrietate, deambulatione curari præcepit. Neque solum tales amor homines reddit, verum etiam quicunque natura sunt tales ad amorem procliuiores existunt. Tales autem sunt ij in quibus bilis, quam choleram vocant, vel atra bilis, quam melancholiam, cæteris humoribus præualet. Bilis calida & sicca est. Atra bilis sicca & frigida. Illa ignis, hæc terræ locum in animantium corpore tenet. Aridi ergo melancholici & sicci ad terræ similitudinem: Squalidi & pallentes cholerici ad similitudinem ignis intelliguntur. Cholerici propter ignei humoris impetum in amorem præcipites perferuntur: melancholici ob terrei humoris pigritiam tardius amant. Verum propter humoris ipsius stabilitatem, postquam illaqueati sunt diutissime perseuerant. Meritò igitur aridus & squalens fingitur amor, cum homines qui tales sunt, præ cæteris amori soleant indulgere. Quod ex eo potissimum fieri arbitramur, quia cholerici bilis incendio exuruntur. Melancholici atræ bilis corroduntur asperitate: quod Aristoteles in septimo libro de moribus affirmauit. Molestus itaque humor semper angit vtrosque, cogitque solamen aliquod maximum atque continuum, contra continuam humorum molestiam quærere. Huiusmodi sunt musicæ, amorisque delitiæ. Nullis enim aliis oblectamentis tam assiduè operam intendere possumus quàm musicæ vocumque delinimentis, pulchritudinisque illecebris. Reliqui enim sensus replentur. Visus autem aut auditus diutius voculis & pictura pascitur inani. Neque solum horum sensuum firmiores sunt voluptates: verumetiam humanæ complexioni cognatiores. Quid enim humani corporis spiritibus conuenientius est, quàm voces hominum & figuræ? eorum præsertim qui non modo naturæ similitudine, sed etiam pulchritudinis gratia placent. Quamobrem cholerici & melancholici homines tanquam vnicum remedium & solamen molestissimæ ipsorum complexionis, cantus & formæ oblectamenta sectantur. Ideoque sunt ad Veneris illecebras proniores. Et Socrates, quem Aristoteles melancholicum iudicauit, ad amandi artem, vt ipsemet profitebatur, erat omnium propensissimus. Idemque de Sap-

pho melancholica, vt ipsa restatur, possum iudicare. Necnon & Maro noster quem cholericum fuisse eius effigies indicat, quamuis pudicus, fuit tamen procliuior ad amandum. Nudis pedibus. Talem propterea Diotima pinxit amorem, quoniam amator adeo in rebus amatoriis occupatus est, vt in cæteris vitæ officiis tam priuatis quàm publicis non cautus quidem incedat vt decet, sed absque vlla discriminum prouidentia temerarius quocunque feratur. Ideo in suis progressibus frequentia incurrit pericula, non aliter quam qui pedes suos corio non suffulciunt: vnde crebris sentibus & calculis offenduntur. Humilis. Græcum Platonis vocabulum humi, & per infima volans significat. Vidit enim sæpe numero propter amoris abusum sine sensu viuere amantes, & leuibus curis magna perire bona: hi sanè amaris seipsos vsque adeo dedunt vt in eos penitus transire nitantur, eosque ram verbis quã gestibus in seipsis effingant. Frequentissima vero puerorum & puellarum imitatione, quis non effœminaretur? quis non puer, fœminave euaserit? Sine domicilio. Humanæ cogitationis domicilium anima ipsa est. Animæ domicilium spiritus. Domicilium spiritus huius est corpus. Tres habitatores sunt: Tria sunt domicilia. Quisque horum naturali amisso exulat domicilio. Nã cogitatio omnis non ad animi sui disciplinam & tranquillitatem, sed ad dilecti hominis se vertit obsequia: & anima corporis sui deserit ministerium, in amati corpus nititur transilire. Spiritus animæ currus, dum alio properat animus, alio quoque euolat exhalando. Propterea itaq; domo exit cogitatio, exit anima, exit & spiritus. Primum exitum insania & inquietudo: Secundum debilitas mortisque formido. Tertium trepidatio, pauor & suspirium comitatur. Quocirca propriis laribus, naturali sede, optata quiete, priuatus est amor. Sine stramentis & tegmine vllo. Vbi enim quiescat, & quo tegatur, non haber. Cum enim res quæque suam originem repetant, amoris igniculus à formosi corporis obiectu in appetitu amantis accensus, in corpus idem reuolare conatur. Quo quidem impetu, & appetitum, & appetentem secum euehit euolando. O crudelem amantium sortẽ! O vitam omni morte miseriorem! nisi forsitan vester animus hac amoris violentia proprio ex corpore raptus, negligat insuper amati figuram, atque in diuini splendoris æde, vbi tandem quiescet, vbi explebitur, se recipiat. Quis item neget amorem sine tegmine nudumque vagari? Quis enim celer amorem, quem toruus, taurinus, affixus prodit intuitus: quem interceptus sermo declarat? rubor, pallorque vultus, crebra suspiria, iactatio membrorum, perpetua querimonia, importunæ laudationes, subita indignatio, iactantia, procacitas, petulantia, vana suspicio, & vilissima indicant ministeria? Sicut in Sole & igne calorem lux radij comitatur: sic intimum amoris incendium externa sequuntur indicia. Ad fores dormit, fores animi oculi & aures esse videntur: hinc enim multa in animum inuehuntur, & animi affectus, & mores clarissimè per oculos emicant. In figuris spectandis & vocibus audiendis amantes vt plurimum immorantur. Raro illorum mens in seipsam se colligit. Sæpius per oculos, aurésque vagatur. Idcirco ad fores dicuntur procumbere. Dicuntur & in via iacere. Nam corporis species, via quædam esse debet, per quam ad speciem incipiamus altiorem ascendere. Qui autem turpibus libidinibus se prosternunt, aut etiam in aspectu vltra quàm decet versantur, in via ipsa restare videntur, ad eius terminum minime proficisci. Sub dio. Merito. Vna enim in re penitus occupati, nihil in rebus agendis considerant. Itaque casu vitam agentes, omnibus fortunæ periculis, tanquam qui nudi sub dio vitam ducunt, omnibus tempestatibus sunt expositi. Propter matris naturam semper egenus. Sane cum prima origo amoris ab indigentia fuerit, & quod naturale est penitus extirpari non possit, semper egenus, semper sitibundus est amor. Quamdiu enim deest ad consequendum aliquid, flagrat æstus amoris. Cum totum vndique possidetur, cessante indigentia porius desinit ardor, quàm sine egestate perduret.

Quæ dotes amantium propter amoris patrem.

CAPVT X.

HÆc inopiam amoris matrem sequuntur, copiam vero patrem eius contraria. Quæ vero contraria sint intellectis superioribus, quiuis agnoscet. Supra descriptus est simplex, incautus, vilis, inermis: horum hic contraria inducuntur. Callidus enim dicitur, venator sagax, Machinator, Insidiator, prudentiæ studiosus, Philosophus, virilis & audax, vehemens, facundus, Magus atque Sophista. Idem amor, qui in cæteris negotiis incuriosum & inertem facit amantem: in rebus amatoriis astutum reddit & callidum, qui miris modis amati gratiam aucupetur, seu dolis implicet, seu capiet obsequiis: siue eloquio mulceat, siue cantu deliniat. Idem furor, qui obsequio blandum fecerat, idem inquam furor arma ministrat. Indignantibus aduersus amatum ferocitatem, pro eo pugnantibus securitatem roburque inuictum. Amor, vt diximus, ab aspectu ducit originem. Aspectus inter mentem & tactum est medius: hinc semper amantis distrahitur animus, sursum vicissim deorsumque iactatur. Interdum amplexus cupido suboritur. Interdum vero pudicum cœlestis pulchritudinis desiderium, & modo illa, modo hoc peruincit & ducit. In his qui honestissime educati sunt, & ingenii pollent acumine, hoc in aliis, illa sæpius superat. Quicunque in fæces corporis se prosternunt, merito aridi, nudi, humiles, inermes & inertes esse censentur. Aridi, quia semper esuriunt, implentur nunquam. Nudi, quia tanquam temerarii omnibus subiecti periculis, tanquam impudentissimi & inculti infames habentur. Humiles, quia nihil altum, nihil magnificum cogitant. Inermes, quia flagitiosæ succumbunt cupiditati. Inertes, quoniam adeo hebetes sunt, vt quo amor eos trahat, ignorent, & in via restent, ad terminum non perueniãt. Contrarii vero contra videntur affecti: nam solidis animi bonis vescentes implentur magis, & tranquillius diligunt, pudorem seruant, vmbratilem corporis speciem negligunt, atque altius eleuantur: ac velut armis muniti, inanes à se libidines fugant, & sensus rationi subiiciunt. Hi tanquam solertissimi omnium, & prudentissimi ita Philosophantur, vt per corporum figuras quasi quædam vestigia, siue odores prouidentissime gradiantur: ex factum animi nominum-

que decorem sagaciter inuestigent: atque ita prudenter venando, quod cupiunt feliciter assequantur. Tantum profectò munus amoris à patre ipsius copia proficiscitur: quoniam pulchritudinis radius qui & copia est & pater amoris, hanc habet vim, vt illuc vnde venerat reflectatur, secumque trahat amantem. Descendit autem à Deo primum: inque Angelum & animam quasi vitreas materias transiens, & ab anima in corpus eius susceptioni paratum facile dimanans, ab eo ipso iunioris hominis corpore, præsertim per oculos animi fenestras lucidissimas emicat: aduolat per aërem protinus & senioris oculos penetrans transfigit animam, appetitum accendit, sauciam animam, appetitumque accensum in medelam eius & refrigerium ducit, dum eodem rapit secum vnde ipse descendat, gradatim quidem in corpus amati primum, in animam secundo, tertio in Angelum, postremo in Deum, primam splendoris huius originem. Hæc vtilis venatio, hoc felix amantium aucupium. Hanc vtique venationem apud Platonem in Protagora Socrati nostro familiaris quidam eius attribuit. Vndenam inquit ô Socrates? Arbitror equidem à venatione illa tedire te ad quam honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet. Præterea Sophistam Plato in Sophistæ dialogo ambitiosum & subdolum definit disputatorem, qui captiunculatum versutiis falsum pro vero nobis ostendit, cogitque eos qui secum disputant sibimet in sermonibus contradicere. Hoc tam amãtes, quàm amati quandoque perpetiuntur. Siquidem amãtes amoris nebulis occæcati falsa sæpe pro veris accipiunt, dum dilectos suos formosiores, acutiores, meliores quàm sint arbitrantur. Sibimetipsi propter amoris violentiam contradicunt. Aliud enim ratio consulit, aliud concupiscentia sequitur. Consilia sua ad amati imperium mutant: sibiipsi, vt morem genent aliis, aduersantur. Sæpe etiam formosi amatorum astutia irretiuntur, & faciles fiunt qui antea fuerant pertinaces. Sed cur magnum putamus amorem? quia tota vis magiæ in amore consistit. Magiæ opus est, attractio rei vnius ab alia ex quadam cognatione naturæ. Mundi autem huius partes, ceu animalis vnius membra, omnes ab vno autore pendentes, vnius naturæ communione inuicem copulantur. Ideo sicut in nobis cerebrum, pulmones, cor, iecur, & reliqua membra à se inuicem trahunt aliquid, seque mutuo iuuant, & vno illorum aliquo patiente compatiuntur: ita ingentis huius animalis membra, id est, omnia mundi corpora connexa similiter mutuant inuicem naturas & mutuantur: ex communi cognatione communis innascitur amor, ex amore communis attractio. Hæc autem vera magia est. Sic ab orbis Lunæ concauitate propter naturæ congruitatem sursum trahitur ignis: ab ignis concauitate aër, à mundi centro terra ad infima trahitur: à loco etiam suo rapitur aqua. Hinc & magnes ferrum, & electrum paleas, ignem sulphur, Sol flores multos ad se vertit & folia: Luna aquas, Mars ventos ciere solet, & herbæ variæ varia quoque ad se inuitant animantium genera. In rebus etiam humanis trahit sua quemque voluptas. Magiæ igitur opera, naturæ opera sunt: Ars vero ministra. Ars enim vbi naturali cognationi deest aliquid, per vapores, numeros, figuras, qualitates opportunis supplet temporibus: quemadmodum in agricultura natura segetes parit, ars præparat. Hanc artem veteres dæmonibus attribuerunt: qualia intelligunt qualis sit rerum naturalium societas, quid cuique congruat, quomodò concordia rerum, sicubi desit, instauretur. His nonnulli vel naturæ similitudine quadam amici, vt Zoroaster & Socrates: vel cultu dilecti, vt Apollonius Tyaneus, & Porphyrius, fuisse traduntur. Ideo vel vigilantibus signa, voces atque portenta, vel dormientibus oracula, & simulachra à dæmonibus contigisse narrantur. Qui amicitia dæmonum magi euasisse videntur: quemadmodum dæmones magi sunt rerum ipsarum amicitiam cognoscentes: & natura omnis ex amore mutuo magna cognominatur. Quinetiam formosus quisque teneris nos fascinat oculis. Viri eos eloquentiæ viribus, & carminum modulis quasi quibusdam incantationibus deliniunt, sibique conciliant: cultu præterea & muneribus non aliter quàm veneficiis placant & capiunt. Quapropter nemini dubium est, quin amor sit magus, cum & tota vis magiæ in amore consistat, & amoris opus fascinationibus, incantationibus, veneficiis expleatur. Neque mortalis est omnino, neque etiam immortalis. Non mortalis, quoniam duo amores in nobis, duo illi quos dicimus dæmones, insunt perpetui. Non immortalis, quoniam tres horum medij mutantur quotidie, crescunt atque decrescunt. Præterea in hominum appetitu à vitæ primordiis inextinguibilis innatus est feruor, qui animum quiescere non permittit, ac semper impellit, vt ad certum aliquid studiose se applicet. Diuersa hominum ingenia sunt, nec voto viuitur vno. Vnde continuus ille concupiscentiæ feruor, qui naturalis est amor, alios ad studia litterarum: ad musicam alios vel figuras: alios ad honestatem morum seu vitam religiosam: alios ad honores: nonnullos ad pecunias cumulandas, plerosque ad ventris luxuriam, alios impellit ad alia: necnon eundem hominem in diuersis ætatibus ad diuersa. Idem itaque feruor & immortalis dicitur & mortalis. Immortalis, quia nunquam extinguitur, mutatque materiam potius quàm euanescat: mortalis, quia non ad idem semper incumbit: sed aut ex naturæ mutatione, aut ex diuturna rei eiusdem frequentatione orta satietate noua requirit oblectamenta: & qui in re vna fermè defecit, in alia quodammodo reuiuiscit. Dicitur etiam ob eam causam immortalis: quod dilecta semel figura semper amatur, quamdiu enim eadem in eodem homine permanet. in eo ipso diligitur: cum vero ab eo defluxerit, non amplius eadem in illo figura est, quam prius amabas. Nouam hanc non ardes quidem, quia nec arseras ante, priorem vero illam amare non desinis: hoc tamen interest, quod illam prius prospiciebas in alio: iam vero in teipso inspicis solum, eademque memoria semper infixa, semper & amas, & quoties animi oculis occurrit, toties te vrit amantem. Ideo quoties illum nobis olim charissimum habemus obuium, toties commouemur, vel saliunt, trepidantue præcordia, vel liquescit iecur, vel tremunt oculi, variosque trahit vultus aduerso illo colores. Eius enim præsentia latentem mente figuram animi suggerit oculis, ac velut sopitos sub cineribus flando suscitat ignes. Hac de causa amor dicitur immortalis. Sed hic etiam immortalis habetur, quia licet maneant semper infixi pectore vultus, non tamen æquè se mentis oculis offerunt, quocirca

feruere vicissim beneuolentia atque referuere videtur. Accedit ad hæc quod & ferinus & humanus amor sine indignatione esse nunquam potest. Quis illi nō indignetur, qui ipsi abstulerit animū? Vt enim præ cæteris grata libertas, ita seruitus onerosa. Itaque formosos odis simul & amas: odis tanquam fures & homicidas: tanquam specula cœlesti fulgore micantia mirari cogeris, & amare. Quid agas miser? Quo te vertas, nescis heu perdite nescis. Cum tui homicida esse nolles, nolles etiam sine beato spectaculo viuere. Cum hoc esse non potes, qui te perdit, qui necat: sine hoc non potes viuere qui tam miris illecebris te tibi surripit, qui totum te sibi vendicat. Hinc fugere cupis, qui suis te flammis adurit: huic etiam cupis hærere, vt ipsi te possidenti proximus tibi quoque cohæreas. Teipsum miser extra te quæris, hæresque raptori, vt captum quandoque te redimas. Amare quidem nolles insane, quia emori nolles: nolles etiam non amare quippe qui cœlestium simulachro iudicas seruiendum. Quapropter hac alteratione fit, vt singulis (vt ita dicam) momentis arescat amor & reuirescat. Ponitur etiam à Diotima inter sapientiam & ignorantiam medius. Porro amor, quæ pulchra sunt sequitur. Omnium pulcherrima sapientia est. Appetit igitur sapientiā. Qui sapientiam appetit, eam omnino non possidet. Quis enim præsentia quærat? Neque etiam caret omnino. In eo enim vno saltem est sapiens, quod suam inscitiam recognoscit: qui vero ignorare se nescit, tam res ipsas, quàm suam ignoret inscitiam, neque scientiam expetit, cuius esse se nescit expertem. Amor igitur sapientiæ, quia partim sapientia priuatus est, partim est sapiens, inter sapientiam ignorantiamque locatur. Hæc inquit Diotima, est amoris conditio, ipsius autem pulchri, id est supremæ pulchritudinis natura est, vt delicatum sit, perfectum atque beatum. Delicatum, inquantum sua quadam suauitate ad se allicit omnium appetitum: Perfectum, inquantum quæ illexit accedentia illustrat radiis suis & perficit: Beatum, inquantum illustrata bonis implet æternis.

Quæ vtilitas amoris ex eius definitione.

CAPVT XI.

POstquam vero quæ sit amoris origo, & qualis ipse sit, Diotima enarrauit, iam quorsum tendat, & ad quid conducat hominibus, aperit. Omnes quidem bona habere cupimus: nec habere solum, sed semper habere. Singula vero mortalium bona mutantur atque deficiunt, ac cito cuncta vanescerent, nisi abeūtium loco noua quotidie fierent. Vt ergo bona semper nobis quoquomodo perdurēt, pereuntia cupimus recreare. Generando recreatio fit. Hinc innatus est omnibus generationis instinctus. Generatio autem cum mortalia diuinis continuatione similia reddat, munus est profectò diuinum. Diuinis vtpote pulchris, deformia contraria sunt: formosa similia & amica. Idcirco generatio diuinum opus in eo quod pulchrum est perfectè & facilè consummatur, in contrario contra. Quapropter generationis ille conatus formosa poscit, contraria refugit. Quid hominum amor sit postulatis? ad quid conducat? Cupido generationis in pulchro obseruandam vitam mortalibus in rebus perpetuam: hic hominum in terra viuentium amor est, hic nostri finis amoris. Enim vero ipso in tempore quo animalium vnumquodque viuere dicitur, idemque esse, vt à pueritia ad senectutem, quamuis idem dicatur, nunquam tamen in se eadem continet, sed nouum semper efficitur, vt Plato inquit, & vetera exuit secundum pilos, carnem, ossa, & sanguinem, & corpus penitus vniuersum. Neque in corpore solum, sed etiam in anima id contingit. Mores, consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atque timores iugiter permutantur, nec aliquid ex istis idem & simile perseuerat, priora quidem abolentur, noua succedunt atque adolescunt. Quinetiam quod mirabilius est, scientiæ quoque non solum aliæ euanescunt, aliæ surgunt, neque semper secundum scientias iidem sumus, verumetiam vna quæuis scientiarum fermè idem patitur. Meditatio enim & reminiscentia, quasi præterceuntis scientiæ resumptio est. Obliuio namque scientiæ exitus esse videtur. Meditatio vero nouam semper memoriam abeuntis loco restituens, scientiam seruat, vt esse eadem videatur. Hoc vtique pacto quæcunque in animo vel corpore mutabilia sunt, seruantur, non quia semper omnino eadem sint, hoc enim diuinorum est proprium, sed quoniam quod tabescit & abit, & nouum & simile sibi relinquit. Hoc certe remedio mortalia immortalibus redduntur similia. Est igitur in vtraque animæ parte, tum ea quæ ad cognitionem spectat, tum ea qua regitur corpus, amor generationis innatus ad vitam perpetuo conseruandam. Amor qui in hac parte est ad corpus regendum accommodatus, statim ab initio nos impellit ad cibum potumque sumendum, vt his alimentis generentur humores, quibus quod à corpore iugiter defluit, resumatur. Qua generatione nutritur corpus & crescit. Adulto corpore semen ipsum lacessit, & procreandæ sobolis libidinem prouocat, vt quod in seipso semper manere non potest, reseruatum in prole sibi maneat sempiternum. Amor etiam generationis parti animæ cognoscenti tributus, efficit vt anima veritatem, alimoniam propriam concupiscat, per quam suo modo nutriatur & crescat: ac si quid per obliuionem animo excidit, aut torquet propter desidiam & incuriam, recordationis & meditationis studio quasi regenerat, reuocatque in mentem quod per obliuionem perierat, vel topuerat per ignauiam. Adultum vero iam animum flagrantissima docendi atque scribendi stimulat cupiditate, vt scientia vel in scriptis, vel in discipulorum animis generata, præceptoris intelligentia, & veritas inter homines æterna permaneat. Atque ita amoris beneficio cuiusque hominis tam corpus quam anima in rebus humanis post mortem semper superesse posse videatur. Amor vterque pulchra sectatur. Nempe qui corpus regit atque gubernat, corpus proprium ex epulis quàm delicatissimis, iucundissimis, & pulcherrimis alere concupiscit, & prolem formosam cum speciosa fœmina generare: & qui ad animum pertinet, cum ornatissimis grauissimisque disciplinis studet imbuere, ac scientiam suæ simillimam scribendo ornato pulchroque in stylo edere, & docendo in animo quodam pulcherrimo generare: puro inquam animo, acuto & optimo. Animum quidem ipsum non cernimus: ideo neque eius inspicimus pulchritudinem. Corpus autem vmbram animi,

imaginemque videmus: itaque ex eius imagine suspicantes in corpore formoso speciosum esse animum coniectamur. Quamobrem formosos homines libentius erudimus.

De duobus amoribus, & quod anima nascitur prædita veritate.

CAPVT XII.

DE amoris definitione satis iam diximus: nūc autem quæ ad Platonem sit ex animi corporisue fœcunditate de amore distinctio, declaremus. Omnium, inquit, hominum prægnans & grauidum corpus est, prægnans & animus. Corpori semina suorum omnium ab initio sunt inserta. Hinc statutis curriculis temporum dentes erumpunt, prodeunt pili, barba profunditur, procreationis semina defluunt. Si fœcundum corpus est, grauidumque seminibus, multo magis animus præstantior corpore vberrimus est, atque suorum omnium ab initio semina possidet. Igitur morum, artium, disciplinarum rationes iamdiu sortitus est animus, suosque fœtus inde, si rectè colatur, statutis temporibus promit in lucem. Quod autem rationes suorum omnium ingenitas habeat, ex appetitu eius, inquisitione, inuentione, iudicio, comparatione cognoscimus. Quis neget animum statim à tenera ætate, vera bona, honesta, vtilia exoptare? optat autem nullus incognita. Ergo insunt istorum aliquæ etiam antequam appetat, in animo notiones: per quas eu formas rationesue ipsorum, ea iudicat appetenda. Idem ab inquisitione & inuentione probatur: si in turba hominum quærat Socrates Alcibiadem, sitque illum aliquando reperturus, necesse est Socratis menti aliquam Alcibiadis inesse figuram, vt sciat quem hominem quærat præ cæteris, ac repertum in cœtu multorum, Alcibiadem ab aliis discernere valeat. Ita neque indagaret ea quatuor animus, neque aliquando inueniret, nisi haberet illorum, id est Veritatis, Bonitatis, Honestatis, Vtilitatis, aliquam notionem, per quam illa quæreret inuenturus, vt quoties reperit quæ inuestigauerat, recognoscat, atque ab eorum discernat contrariis. Neque solum ab appetitu, indagatione, inuentione, sed etiam à iudicio id probamus. Quicunque enim aliquem sibi amicum iudicat, vel inimicum, quid amicitia, quidue maleuolentia sit, non ignorat. Quonam igitur pacto multa vera vel falsa, bona vel mala, vt solemus, quotidie iudicaremus, & rectè iudicaremus, nisi esset nobis veritas quodammodo bonitasque præcognita? Quomodo rursus structuræ, musicæ, picturæ & artium cæterarum opera, necnon inuenta Philosophorum, multi etiam in bis artibus non versati probarent sæpissimè rectè & reprobarent, nisi illarum rerum forma quædam esset, & ratio illis à natura tributa? Comparatio quoque idem nobis ostendit. Quicunque enim mel vino comparans alterum altero pronunciat dulcius, quis dulcis sit sapor agnoscit: & qui Speusippum & Xenocratem conferens ad Platonem, Xenocratem censet Platonis similiorem, quem Speusippum, Platonis figuram proculdubio nouit. Eodem modo cum è multis bonis aliud alio melius rectè existimemus, & maiori minoriue bonitatis participatione aliud alio melius deteriusue appareat; necesse est bonitatem non nos ignorare. Præterea cum è multis diuersis Philosophorum, aut etiam aliorum opinionibus, quæ veri sit simillior & probalilior, sæpe optime iudicemus, oportet non esse nobis aliquem veritatis intuitum, vt quæ sint illius similiora non nesciamus. Quapropter nonnulli in adolescentia, aliqui etiam sine præceptore, plerique ex paucissimis doctrinæ rudimentis à præceptoribus demonstratis doctissimi euasisse traduntur: quod nunquam nisi multum, vt diximus, iuuante natura, fieri potuisset. Hoc abūde Socrates Phædoni, Theæteto, Menoni, pueris demonstrauit: docuitque posse pueros rectè in singulis artibus respondere, si quis prudenter eos interroget: quippe cum à natura sint artium disciplinarumque omnium rationibus præditi.

In anima est veritatis lumen.

CAPVT XIII.

QVo autem modo huiusmodi sint in animo rationes, apud Platonem videtur ambiguū. Si quis eos libros sequatur, quos iunior scripsit Plato, Phædrum, Menonem & Phædonem, putabit fortsitan ita fermè illas esse in animi substantia pictas tanquam in pariete figuras: quod in superioribus sæpè & à me & à vobis est tactum: sic enim ibi videtur innuere. In sexto autem de Republica libro, diuinus ille vir totam rem aperit, dicitque lumen esse mentis ad intelligenda omnia, eundem ipsum Deum, à quo facta sunt omnia, Solem namque & Deum ita inuicem cōparat, vt quemadmodum se habet Sol ad oculos, ita ad mentes se Deus habeat. Sol oculos generat, vimque illis præstat videndi. Quæ frustra esset, & sempiternis obruta tenebris, nisi Solis lumen adesset corporum pictum coloribus & figuris: in quo oculus corporum colores videt atque figuras. Neque aliud quicquam nisi lumen, oculus intuetur. Videtur tamen varia intueri, quia lumen ipsi infusum variis externorum corporum formulis est ornatum. Hoc quidem lumen in corporibus reflexum, oculus percipit: ipsam vero in fonte suo lucem minime sustinet. Eodem pacto Deus animam procreat, eique mentem, vim ad intelligendum largitur: quæ vacua esset atque obscura, nisi Dei sibi lumen adesset: in quo rerum omnium inspiciat rationes. Vnde per Dei lumen intelligit, atque ipsum diuinum duntaxat lumen agnoscit. Diuersa tamen videtur agnoscere, quia sub diuersis rerum ideis & rationibus ipsum intelligit. Quando quis oculis videns hominē, in phantasia hominis imaginem fabricat, diutiusque in ea iudicanda reuoluitur, mentis suę aciem tollit ad hominis rationem in diuino lumine existentem suspiciendam: inde scintilla in mēte protinus emicat: ac reuera natura ipsa hominis intelligitur, atque de cæteris omnibus eodem pacto. Itaque per Dei lumen omnia intelligimus, ipsum vero purum lumen eiusque fontem hac in vita videre non possumus. In hoc plane tota animæ consistit fœcunditas, quod in eius penetralibus lux illa Dei fulget æterna, rerum omnium rationibus ideisque plenissima, ad quam anima quoties vult, vitæ puritate, & summa studij intentione conuertitur, conuersa scintillis emicat idearum.

Vnde amor erga masculos, vnde erga fœminas.

CAPVT XIIII.

ITa prægnans hominum corpus, vt Plato vult, prægnans & animus, & ambo amoris incitamentis stimulantur ad partum. Cæterum alij vel propter naturam, vel propter educationem ad animi fœtus sunt quàm corporis aptiores: alij & quidem plurimi, contrà. Illi cœlestem sequuntur amorem, hi vulgarem. Illi natura idcirco mares, & illos quidem iam pene adultos potius quàm fœminas, aut pueros amant: quoniam in his magis admodum viget mentis acumen, quod ad disciplinam, quam illi generaturi sunt, propter excellentiorem sui pulchritudinem est aptissimum. Alij contra, propter congressus Venerei voluptatem, & corporalis generationis effectum. Quoniam vero genitalis illa vis animi, vtpote cognitionis expers, sexuum nullum habet discrimen: natura tamen sua toties incitatur ad generandum, quoties formosum corpus aliquod iudicamus: contingit plerumque vt qui cum masculis conuersantur, quo genitalis partis stimulos sedent, illis se misceant: Hi præsertim in quorum genesi Venus in signo masculino & cum Saturno fuerit, vel in Saturni finibus, vel Saturno opposita. Oportebat autem animaduertere genitalis partis illius incitamenta, non irritum hoc iacturæ opus, sed serendi & procreandi officium affectare, atque à masculis ad fœminas eam traducere. Huiusmodi quodam errore nefarium scelus illud exortum puramus: quod in legibus suis Plato tanquam homicidij speciem acerrime detestatur. Quippe non minus homicida censendus est, qui hominem præcipit nasciturum, quàm qui natum tollit è medio. Audacior quidem qui præsentem abrumpit vitam, crudelior autem, qui lucem inuidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat.

Supra corpus est anima, super animam Angelus, super Angelum Deus.

CAPVT XV.

VErum de gemina vbertate animæ, geminisque amoribus hactenus. Deinceps quibus gradibus Diotima Socratem ab infimis ad superna euehit, disseramus: à corpore in animam, ab anima in Angelum, ab Angelo reducit in Deum. Hos quatuor rerum gradus in natura esse debere ita licet argumentari. Omne corpus ab alio quidem mouetur, mouere autem seipsum natura sua non potest, quum nec agere per se quicquam valeat. Sed propter animæ præsentiam seipso moueri videtur: & propter animam viuere. Et præsente quidem anima seipsum mouet quodammodo: absente vero, ab alio duntaxat mouetur, vtpote quod hanc ex seipso naturam non habeat, sed anima propriè vim seipsam mouendi possideat. Nam cuicunque adest, vim ad seipsum mouendum impertit: quod autem ipsa sui præsentia impertit aliis, hoc ipsa multo prius magisque debet habere. Est igitur anima supra corpora: vtpote quæ seipsam secundum essentiam suam mouere queat: atque idcirco super illa debeat esse, quæ non ex seipsis, sed aliorum præsentia vt se moueat assequuntur. Cum dicimus seipsa moueri animam, non transitiue, vt ita dixerim, quemadmodum à Platone accipi voluit Aristoteles, sed absolute verbum illud proferimus, vt cum stare per se Deum, lucere Solem per se, calere ignem asseueramus. Non enim pars animæ mouet, pars agitatur: sed tota ex se, id est sua natura mouetur: hoc est ab alio in aliud ratione discurrit, ac nutritionis, augmenti, generationis opera per interualla temporum transigit. Temporalis ista discursio ex seipsa competit animæ: quia quod super eam est, non aliis momentis alia, sed vno æternitatis puncto simul intelligit omnia. Quapropter recte primus à Platone motus, & primum temporis interuallum in anima ponitur: vnde & motus & tempus in corpora transeunt. Quoniam vero ante motum statum esse necessarium est, cum status sit ratione perfectior, supra motionem animæ mobilem oportet stabilem aliquam intelligentiam reperiri, quæ secundum se totam intelligentia sit, & actu semper intelligentia. Anima enim non se tota, neque semper, sed ex quadam sui parte, & quandoque intelligit: neque certam habet, sed ambiguam intelligendi virtutem. Vt ergo quod perfectius est, illud quod est imperfectius antecedat, supra mentem animæ, quæ mobilis est, quæ pars, quæ intermissa, quæ dubia, ponenda est Angeli mens stabilis tota, continua, atque certissima: vt quemadmodum corpori ab alio agitato, anima per se mota præcedit, ita animæ per se agitatæ mens stabilis per se præcedat. Et quemadmodum corpus per animam habet vt sese moueat: atque ideo non omnia corpora, sed animata sponte sua moueri videntur, ita anima per mentem habet quod semper intelligat. Si enim suapte natura animæ intellectus inesset, omnibus etiam bestiarum competeret animabus, quemadmodum sui ipsius agitandi potestas. Non igitur animæ intellectus per se, primoque competit, quare eam antecedat oportet, quod per se primoque mentis est compos, huiusmodi Angelus est, animis excellentior. Sed enim Angeli mentem, rerum illud principium, summumque bonum, quod in Parmenide Plato ipsum vnum vocat, necessario supereminet. Quippe super omnem rei compositæ multitudinem vnum ipsum simplex debet esse natura, ab vno enim numerus, & à simplicibus compositio tota conflatur. Mens autem illa licet immobilis sit, non tamen vnum ipsum purum simplex existit. Intelligit enim seipsam, vbi diuersa inter sese quoquomodo videntur hæc tria, quod intelligit, quod intelligitur, intellectio. Alia enim ipsius ratio est, prout intelligit, prout intelligitur alia, alia item prout intellectio est. Habet præterea cognoscendi potentiam ante cognitionis actum per se prorsus informem: cognoscendo formatur, quæ intelligendo veritatis lumen cupit & capit: quo videtur antequam intelligeret caruisse. Habet quoque in se idearum omnium multitudinem. Cernit quanta sit, quàm varia in Angelo multitudo atque compositio. Itaque ipsi purum vnum & simplex præponere cogimur. Ipsi autē vni Deo nihil possumus anteponere, quia verū vnū omnis multitudinis, omnis compositionis est expers. Quod si supra se quicquam haberet, ab illo vtique fieret: quare ab eo dependens in hoc ipso ab eodem degeneraret, vt à causa omnis solet effectus. Ideoque non vnum iam esset & simplex, sed

saltem

ſaltem ex duobus compoſitum, ſcilicet ex cauſæ ſuæ munere, proprioue defectu. Ipſum itaq; vnum, vt Plato vult, & Dionyſius Areopagita confirmat, omnia ſupereminet: excellentiſſimumque Dei nomen, vnum ipſum ab vtroque cenſetur. Huius ſublimitatem ratio quoque illa nobis oſtendit, quod eminentiſſimæ cauſæ donum eſſe debet ampliſſimum, virtutiſque ſuæ præſtantia ſe ad cuncta protendere. Vnius munus per vniuerſa ſe propagat. Nam non mens ſolum vna eſt, & anima quælibet vna, corpus quodlibet vnum, ſed etiam informis ipſa materies, rerumque priuatio vna quodammodo dicitur. Nam vnum ſilentium dicimus, vnam obſcuritatem: mortem vnam. Mentis tamen & animæ munera ad eam vſque non extenduntur. Mens enim ſpeciem artificioſam ordinemque largitur: Anima vitam præſtat & motum, informis vero & prima mundi materia, rerumque priuatio ſpeciei & vitæ eſt expers. Ita ipſum vnum mentem & animam antecedit: cum munus eius latius diffunditur. Eadem ratione mens animam videtur excedere: quia vita, munus animæ, non omnibus datur corporibus. Omnibus tamen his ſpeciem ordinemque mens tribuit.

Quæ comparatio inter Deum, Angelum, animam, corpus.

CAPVT XVI.

Ergo à corpore in animam, ab hac in Angelum, ab hoc in Deum aſcendimus. Deus ſuper æternitatem eſt: Angelus in æternitate eſt totus. Sanè tam eius operatio quàm eſſentia, ſtabilis permanet. Status autem æternitatis eſt proprius. Anima partim in æternitate eſt, partim in tempore. Eius enim ſubſtantia eadem ſemper abſque vlla incrementi aut detrimenti mutatione perdurat. Operatio autem, vt paulo ante monſtrauimus, per temporis interualla diſcurrit. Corpus tempori omnino ſubijcitur. Nam & ſubſtantia eius mutatur, & operatio eius omnis temporis ſpacium exigit. Igitur ipſum vnum, ſupra ſtatum motumue exiſtit: Angelus, in ſtatu: Anima, in ſtatu pariter atque motu: Corpus ſolo in motu locatur. Vnum rurſus ſuper numerum, motum locumque manet: Angelus in numero ſuper motum & locum ponitur: Anima in numero motuque, ſed ſuper locum: Corpus numero, motui, loco ſubijcitur. Siquidem ipſum vnum, neque numerum vllum, aut compoſitionem partium habet, neque vllo pacto ab eo quod eſt, mutatur: neque loco clauditur vllo. Angelus numerum quidem habet partium vel formarum, ſed à motu locoque eſt liber. Anima partium habet & affectuum multitudinem, & ratiocinationis progreſſione, perturbationumque varietate mutatur: ſed à loci limitibus eſt exempta. Corpus autem his omnibus eſt obnoxium.

Quæ comparatio inter pulchritudines Dei, Angeli, Animæ, corporis.

CAPVT XVII.

Eadem vero inter quatuor hæc, & eorum formas eſt comparatio. Nempe corporis forma in multarum partium compoſitione conſiſtit, loco aſtringitur, tempore labitur. Species animi, corporis quidem viciſſitudines patitur, & partium continet multitudinem, ſed à loci terminis eſt abſoluta. Angeli vero ſpecies, numerum habet ſolum, à duobus aliis immunis exiſtit. Dei autem, nihil iſtorum perpetitur. Corporis vtique formam vides. Vis ne animi quoque ſpeciem intueri? Detrahe corporali formæ ipſius naturæ pondus, limiteſque locorum, relinque cætera: animi iam ſpeciem habes. Vis & Angeli? De me obſecro non loci ſpacia ſolum, ſed temporis quoque progreſſum, compoſitionem multiplicem retine, eam protinus nanſciceris. Cupis etiam Dei pulchritudinem cernere? Auferas inſuper multiplicem illam formarum compoſitionem: ſimplicem prorſus relinque formam, confeſtim Dei ſpeciem fueris conſecutus. Verum quid mihi tandem ſubtractis iſtis reliquum ſupererit? An tu eſſe aliud quàm lucem, pulchritudinem ducis? Porro corporum omnium pulchritudo lumen iſtud eſt Solis quod vides, tribus illis infectum: formarum multitudine. (Nam multis id aſpicis figuris coloribuſque depictum) loci ſpacio, temporali mutatione. Tolle ſedem eius in materia, vt præter locum reliqua duo retineat: huiuſmodi prorſus eſt animi pulchritudo. Tolle hinc temporis, ſi lubet, mutationem, mitte reliquum: lumen reſtat ſine loco, ſine motu clariſsimum: ſed omnibus inſculptum rerum omnium rationibus. Id Angelus eſt, id Angeli pulchritudo. Tolle poſtremo diuerſarum illum numerum idearum, vnam ſimplicem ac meram relinque lucem: inſtar lucis eius, quæ in globo Solis ipſo permanet, per aërem non diſpergitur, iam Dei pulchritudinem quodammodo comprehendis, quæ tantum ſaltem formas reliquas antecellit, quantum lux illa Solis in ſeipſa mera, inuiolata, ſplendorem Solis per nubiloſum aëra diſſectum, diuiſum, infectum, obſcuratum exuperat. Fons itaque totius pulchritudinis Deus eſt. Fons itaque totius amoris eſt Deus. Lumen præterea Solis in aqua vmbra quædam eſt ad clarius eiuſdem lumen in aëre. Splendor in aëre, vmbra ſimiliter ad eiuſdem in igne fulorem. Fulgor in igne, vmbra ad lucem Solis eodem ipſo in Sole fulgentem. Eadem eſt inter quatuor illas, corporis, animi, Angeli Dei, pulchritudines comparatio. Deus nunquam ita decipitur, vt ſuæ ſpeciei vmbram in Angelo amet quidem, propriam ſui ac veram negligat pulchritudinem. Neque Angelus vſque adeo capitur animæ ſpecie quæ ipſius eſt vmbra, vt ſui vmbra detentus figuram propriam deſerat. Anima tamen noſtra, quod ſummopere dolendum eſt, hæc enim eſt totius noſtræ infelicitatis origo. Anima, inquam ſola ita corporalis formæ blanditiis delinitur: vt propriam poſthabeat ſpeciem, corporis vero formam, quæ ſuæ vmbra eſt, ſui ipſius oblita ſectetur. Hinc crudeliſsimum illud apud Orpheum Narciſsi fatum. Hinc hominum miſeranda calamitas. Narciſſus quidem adoleſcens, id eſt, temerarij & imperiti hominis animus, ſui vultum non aſpicit, propriam ſuam ſubſtantiam, & virtutem nequaquam animaduertit, ſed eius vmbram in aqua proſequitur, & amplecti conatur, id eſt, pulchritudinem in fragili corpore, & in aqua fluenti, quæ ipſius animi vmbra eſt: admiratur. Suam quidem figuram deſerit, vmbram nunquam aſſequitur, quoniam animus corpus ſectando ſe negligit, & vſu corporis non impletur. Non enim ipſum reuera

appetit corpus, sed suiipsius speciem, à corporali forma, quæ speciei suæ imago est, illectus, quemadmodum Narcissus affectat, cumque id minime aduertat, dum aliud quidem cupit, aliud sequitur, desiderium suum explere non potest. Ideo in lachrymas resolutus consumitur, id est, animus ita extra se positus & delapsus in corpus perniciosis perturbationibus cruciatur corporisque infectus sordibus quasi moritur, cum iam corpus esse potius quàm animus videatur. Quam vtique mortem vt Socrates deuitaret, Diotima ipsum à corpore ad animum, ab hoc in Angelum, ab eo reduxit in Deum.

Quomodo anima à corporis pulchritudine ad Dei pulchritudinem eleuetur.

CAPVT XVIII.

Agite conuiuæ, charissimi, Diotimam fingite ita Socratem alloquentem. Nullum corpus, ô Socrates, vndique pulchrum. Nam aut in hac parte formosum, illa deforme: aut hodie formosum, alias minime: aut ab alio pulchrum, ab alio turpe censetur. Ergo corporis pulchritudo turpitudinis contagione coinquinata, pura, vera & prima pulchritudo esse non potest. Quinetiam pulchritudinem turpem esse nemo aliquando suspicatur: quemadmodum neque sapientiam esse insipientem, Corporum vero dispositionem quandoque speciosam, quandoque turpem putamus, eodemque tempore de illa alij aliter sentiunt. Non igitur prima & vera est in corporibus pulchritudo. Adde quod multa corpora, vno pulchritudinis vocantur cognomine. Vna igitur est in corporibus multis pulchritudinis natura communis, per quam similiter pulchra denominantur. Vnam vero naturam huiusmodi, sicut in alio est, id est in materia, sic ab alio dependere putato. Quod enim in seipso sustentari non potest, multo minus à seipso dependere. Nunquid à materia dependebit? minime. Nihil enim deforme & imperfectum seipsum ornare potest atque perficere. Quod autem vnum est, ab vno debet oriri. Quapropter vna multorum corporum pulchritudo ab vno aliquo incorporali pendet artifice. Artifex vnus omnium Deus est, qui per Angelos atque animas pulchram quotidie reddit omnem mundi materiam. Propterea veram illam pulchritudinis rationem in Deo eiusque ministris potius, quàm in mundi corpore reperiri putandum. Ad eam rursus his gradibus facilè, vt arbitror, ascendes ô Socrates. Si oculos tibi lynceos natura dedisset, mi Socrates, vt aspectu quælibet occurrentia penetrares: formosissimum illud extrinsecus Alcibiadis tui corpus tibi turpissimum videretur. Quantum est quod amas amice? Superficies duntaxat, imo color te rapit: imo quædam reflexio luminum, & vmbra leuissima. Seu te vana imaginatio decipit: ita quod somnias potius quàm quod vides, amas. Cæterum ne tibi videar penitus aduersari, sit sane Alcibiades iste formosus. At enim quota parte formosus? omnibus profecto membris præterquam naso simo, & elatioribus quàm deceat superciliis. Hæc tamen in Phædro speciosa sunt. Sed crurum in eo crassitudo non placet. Decora hæc apud Charmidem, nisi gracile te collum offenderet. Ita si homines singulos obseruabis, nullum ex omni parte laudabis. Quicquid vbique rectum est, colliges: figuram apud te integram ex obseruatione omnium fabricabis: vt absoluta humani generis pulchritudo, quæ in multis reperitur sparsa corporibus, in animo tuo sit vnius imaginis cogitatione collecta. Cuiusque hominis figuram paruipendes, ô Socrates, si ad istam contuleris. Istam vero non tam corporum, quàm animi tui beneficio possides. Itaque istam potius quam tuus animus fabricauit, & animum ipsum eius artificem, quam exteriorem illam mancam dispersamque amato. Quid autem in animo amare te iubeo? animi pulchritudinem. Lux autem est pulchritudo corporum: lux est animi pulchritudo: lux animi veritas: quam solam amicus tuus Plato in votis suis à Deo postulare videtur. Da mihi, inquit, Deus, vt meus animus pulcher efficiatur: & quæ ad corpus attinent, animi pulchritudinem non impediant: solum sapientem diuitem putem. In his Plato declarat pulchritudinem animæ in veritate sapientiaque consistere: eam à Deo hominibus tribui. Veritas vna est, & eadem nobis à Deo tributa: in variis eius affectibus variarum virtutum cognomenta sortitur, prout diuina demonstrat sapientia, quam à Deo præ ceteris Plato poposcit: prout naturalir, scientia: vt humana, prudentia: vt æquos facit, iustitia: vt inuictos, fortitudo: vt tranquillos, dicitur temperantia. Ex his duo virtutum genera numerantur. Morales, inquam, virtutes, & intellectiuæ illis præstantiores. Intellectiuæ sunt, Sapientia, Scientia, Prudentia: Morales, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Morales propter operationes earum ciuiliaque officia notiores sunt: Intellectiuæ propter reconditam veritatem occultiores. Præterea qui honestis moribus educatur, vtpote purior aliis facile ad intellectiuas virtutes erigitur. Ideo pulchritudinem animi quæ consistit in moribus primam considerare te iubeo, vt intelligas vnam esse morum omnium rationem: per quam similiter honesti vocantur. Vnam scilicet vitæ purissimæ veritatem, quæ Iustitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ actionibus, ad veram nos perducit felicitatem. Vnam igitur hanc veritatẽ morum, lucemque animi speciosissimam primam diligito. Scito quinetiam supra mores ad sapientiæ, scientiæ, prudentiæ lucidissimam veritatem te protinus ascensurum: si considerabis hæc animo optimis moribus educato concedi, atque in eis normam moralis vitæ rectissimam contineri. Quamuis autem varias Sapientiæ, Scientiæ, Prudentiæque doctrinas contuearis: in cunctis tamen vnicam esse veritatis lucem existimato: per quam omnes pulchræ similiter appellantur. Eam tibi vtpote supremam animi pulchritudinem summopere amare præcipio. Sed enim vna hæc in doctrinis plurimis veritas, primo omnium veritas ideo esse nequit, quoniam in alio est, quum sit in multis distributa doctrinis. Quicquid autem iacet in alio, ab alio certe dependet. Neque tamen veritas vna à doctrinarum multitudine nascitur. Quod enim vnum est, ab vno debet oriri. Quare oportet vnam quandam esse super animam hominis sapientiam, quæ nõ per diuersas sit diuisa doctrinas, sed vna sapientia sit: à cuius vnica veritate veritas hominum multiplex oriatur. Illam ô Socrates, vnicam vnicæ sapientiæ lucem, Angeli pulchritudi-

nem esse memento, quæ tibi super animi speciem sit colenda. Ea vt in superioribus demonstrauimus, corporum speciem antecellit: quia neque loco astringitur, neque secundum materiæ partes diuiditur, neque corrumpitur. Antecellit & animi speciem, quia æterna est penitus, neque temporali discursione mouetur. Quoniam vero Angeli lux in idearum complurium serie micat, ac supra multitudinem omnem vnitas fit oportet, quæ est numeri totius origo: necesse est eam ab vno rerum omnium principio, quod ipsum vnum vocamus, effluere. Ipsius itaque vnius lux penitus simplicissima infinita pulchritudo est, quia nec materiæ sordibus inquinatur, vt corporis species, neque vt animi forma temporali progressione mutatur, neque vt Angeli species multitudine dissipatur. Omnis autem qualitas ab extraneo additamento secreta, dicitur apud Physicos infinita. Si in seipso sit calor, frigore & humore non impeditus, materiæ pondere non grauatus, calor dicitur infinitus, quia vis eius libera est, neque vllis additionis limitibus coarctatur. Similiter lumen ab omni corpore liberum infinitum, nam si modo ac termino lucet, quod natura lucet sua, quando ab illo minime terminatur. Itaque Dei lux & pulchritudo, quæ meta est, prorsus ab aliis omnibus absoluta, absque dubio infinita dicitur pulchritudo, infinita vero pulchritudo immensum quoque requirit amorem. Quapropter te obsecro Socrates, vt certo quodam modo & termino cætera diligas, Deum vero amore diligas infinito, neque vllus diuino modus adsit amori.

Quomodo Deus amandus.

CAPVT XXI.

HÆc Diotima Socrati. Nos autem viri clarissimi non solum sine modo Deum, vt iubere Diotima fingitur, sed Deum solum amabimus. Ita enim mens ad Deum, vt ad solem acies oculorum. Oculus autem non modo lumen præ cæteris, sed solum appetit lumen. Si corpora, si animos, si Angelos diligemus, non hæc quidem, sed Deum in his amabimus. In corporibus quidē Dei vmbram, in animis Dei similitudinem, in Angelis eiusdem imaginem. Ita Deum ad præsens in omnibus diligemus, vt in Deo tandem omnia diligamus: Nam ita viuentes eo proficiscemur, vt & Deum & in Deo omnia videamus, amemusque & ipsum, & quæ in ipso sunt omnia. Et quisquis hoc in tempore sese Deo charitate deuouerit, se denique recuperabit in Deo. Nempe ad suam, per quam creatus est, redibit ideam: ibi rursus, si quid ipsi defuerit, reformabitur: ideæ suæ perpetuo cohærebit, Verus autem homo & idea hominis, idem. Ideo quisque nostrum in terris à Deo separatus, non verus est homo, cum à sui idea sit formaque disiunctus: ad eam nos diuinus amor, pietasque perducit: cum hic discerpti simus & mutilati. Ideæ tunc nostræ amando coniunctæ, integri homines euademus: vt Deum primo in rebus coluisse videamur, quo res deinde in Deo colamus, resque in Deo ideo venerari, vt nos ipsos præ cæteris amplectamur, & amando Deum nos ipsos videamur amauisse.

Conclusio supradictorum, & opinio Guidonis Caualcantis Philosophi.

CAPVT I.

ORATIO SEPTIMA.

POstremo Christophorus Marsupinus vir humanissimus, Alcibiadis personam gesturus, his ad me verbis conuertitur. Gratulor equidem Marsili Ioannis tui familiæ plurimum: quæ inter multos & doctrina, & rebus gestis clarissimos equites Guidonem Philosophum peperit de Repub. benemeritum, & aculeis dialecticæ cunctis suo sæculo præcellentem: qui hunc amorem Socraticum tam moribus quàm carminibus imitatus, breui quæcunque à vobis sunt dicta, perstrinxit. Phædrus enim amoris originem tetigit ex chaos visceribus emanantem. Pausanias iam natum amorem geminam diuisit in speciem, cœlestem, scilicet & vulgarem. Eryximachus eius aperuit amplitudinem, dum cunctis in rebus eum sic inesse monstraret in partes geminas distributum, Aristophanes quid agat in singulis tam amplissimi Dei præsentia, declarauit, ostendens per hunc fractos homines resarciri. Agatho quanta sit eius virtus, potentiaque tractauit, cum ab eo solo beatos fieri homines disputaret. Socrates tandem à Diotima edoctus, summatim quid sit amor, & qualis, & vnde ortus, quot habeat partes, quorsum tendat, & quantum valeat explicauit. Guido Caualcantes Philosophus, omnia hæc artificiosissime videtur carminibus suis inseruisse. Quemadmodum Solis radio speculum modo quodam percussum, splendet iterum, & proximè sibi appositam lanam reflexione illa splendoris inflammat: ita ille partem animæ, quam obscuram phentasiam vocant, atque memoriam ceu speculum, pulchritudinis ipsius Solis locum habentis simulachro tanquam radio quondam per oculos hausto censet ita pulsari, vt ipsa sibi ex illo alterum effingat simulachrum, quasi simulacri primi splendorem: quo appetendi vis non aliter quàm lana accendatur & amet. Addit amorem huic primum in appetitu sensus accensum à forma corporis per oculos inspecta creari: sed eam ipsam formam non eo modo, quo in corporis materia est, in phantasiam imprimi, sed sine materia: ita tamen vt certi cuiusdam hominis signato in loco & tempore positi sit imago. Rursus imagines huiusmodi speciem aliquam statim in mente lucere: quæ non amplius vnius cuiusdam, humani corporis vt erat in phantasia, videatur esse similitudo: sed totius æque generis humani ratio communis & definitio. Itaque sicut ex phantasiæ imagine à corpore sumpta, in appetitu sensus corpori dedito amor ad sensum procliuis exoritur: ita ex hac mentis specie rationeque communi, tanquam à corpore remotissima, amor alius in voluntate nascitur à commercio corporis alienissimus. Illum in voluptate, hunc in contemplatione locauit. Illum circa particularem corporis vnius formam reuoluti putat, hunc circa vniuersalem totius humani generis pulchritudinem. Hos vtique amores sibiipsius in homine repugnare, & illum deorsum ad ferinam & voluptuosam depellere, hunc sursum ad Angelicam vitam contem-

platiuamque vlla attollere: hunc absque perturbatione vult esse, & in paucis reperiri: illum multis passionibus anxium, ac plurimos occupare. Ideo istum paucis verbis absoluit, in alterius passionibus enarrandis prolixior. Quoniam vero eadem apertissime, quæ & vos in superioribus narrauistis, hic explicat: ea in præsentia recensere opus esse non censui. Verum cognouisse sufficiat Philosophum hunc aliquam chaos informitatem, qualem supra vos posuistis, in amoris procreatione miscuisse, dum diceret obscuram phantasiam illuminari: atque ex illis obscuritatis & huius luminis mixtione, amorem originem ducere. Amorem præterea geminum illum cœlestem atque vulgarem quis in eius verbis non videat? Originem quinetiam illius primam in diuinorum, secundam in corporum collocat pulchritudine. Solem namque, Dei lucem: radium, corporum formam intelligit. Finem postremo suum vult eiusdem principiis respondere: dum alios vsque ad formam corporis, alios vsque ad Dei speciem amoris prouehit instigatio.

Socrates fuit verus amator & cupidini similis.

CAPVT II.

De amore hactenus. Ad Alcibiadem & Socratem veniamus. Postquam conuiuæ satis amantium Deum laudauerant, reliquum erat vt Dei huius cultores legitimi laudarentur. Maxime omnium legitime amasse Socrates ab omnibus perhibetur. Is cum per omnem vitam palam sine vlla prorsus dissimulatione in castris Cupidinis militasset, à nullis vnquam notatus est quasi minus honeste quemquam dilexerit. Huic vitæ seueritas & alienorum scelerum correptio frequens, multos & magnos viros, vt solet veritas, infensos reddiderat, Anytum, Melitum, Lyconem præsertim ciues in repub. potentissimos: Thrasymachum, Polium & Calliam oratores. Aristophanem præterea comicum acerrimum habuit insectatorem. Sed neque ciues illi in accusatione, qua Socratem in iudicium traxere, inhonestos amores inscripserunt: neq; oratores eius hostes tale quicquam Socrati obiecere: neque Aristophanes comicus, licet alia multa & absurda in Dionysiis colligat in Socratem maledicta. An censetis eum si tam fœda se labe conquinasset, imo nisi fuisset ab huius criminis suspicione remotissimus, venenosas talium detrectatorum linguas euasurum fuisse? Nunquid opimi viri illud in superioribus animaduertistis, quod dum Plato ipsum fingit Amorem, Socrates omnem pingit effigiem, ac nominis illius figuram ex Socratis persona describit, quasi verus amor, ac Socrates simillimi sint, atque ideo ille præ cæteris verus sit legitimusque amator? Agite iam amoris picturam in animum reuocare. Videbitis in ea Socratem figuratum. Socratis personam ante oculos ponite. Macilentum, aridum, squalidumque videbitis: hominem scilicet natura melancholicum vt fertur, atque hirsutum. Extenuatum inedia. Incuria sordidum. Nundum præterea, id est, simplici & veteri opertum palliolo. Sine calceis incedentem. Ita semper solitum cædere Socratem apud Platonem Phædrus ostendit. Humilem perque infima volantem. Humi semper Socratis defixus erat aspectus, vt ait Phædo. Loca insuper vilia frequentabat: aut enim in Simonis coriarij, aut in sculptorum officinis obseruabatur. Rusticis & incomptis vtebatur vocabulis: quod illi obiicit Callicles in Gorgia. Adeo præterea mitis, vt multis lacessitus iniuriis, sæpe etiam pulsatus, ne commotus quidem animo fuisse traditur. Sine domicilio. Interrogatus Socrates cuias esset: Mundanus, inquit. Ibi enim patria, vbi bonum. Sed neque huic proprij lares, neque mollis lectus, neque delicatus victus, neque speciosa suppellex. Ad fores in via sub dio dormiens. Hæc apertum pectus & cor patens omnibus in Socrate nostro significat. Præterea quod & visu delectabatur atq; auditu, quæ fores animi sunt: quod etiam securus & intrepidus incedebat, iacebatque etiam si oportuisset pallio obuolut⁹ vbique. Semper egenus. Quis nesciat Socratem sculptoris & obstetricis fuisse filium? & vsque ad senectutem in sculpendis lapidibus manu propria victum q æsisse, nec habuisse vnquam vnde se satis & filios aleret? Hic inopiam suæ mẽtis passim confirebatur, interrogans omnes, nihil scire se prædicans. Virilis: erat enim constantis animi, inuictæque sententiæ, qui etiam Archelaum Macedonẽ & Scopam Cranonium, Eurilochumque Larissæum aspernatus est alto animo: cum ab eis missas pecunias non acceperit: neque ipse ad eos voluit proficisci. Audax, feroxque. Quanta eius fuerit in rebus bellicis fortitudo, Alcibiades in conuiuio explicat copiosissime: cui Socrates cum in Potidea vicisset, victoriam sponte dicitur concessisse. Vebemens: erat quippe vt recte Zopyrus Physionomus iudicauerat, concitatissimus. Sæpe vero inter loquendum agente id orationis vehementia iactare digitos solebat, & crines vellere, Facundus. Huic rationes in vtramque partem ferme pares dum dissereret, suppetebant. Hic licet incompris verbis vteretur, vt in conuiuio Alcibiades ait, magis tamen quàm Themistocles & Pericles, omnesque cæteri oratores audiẽtium animos commouebat. Pulchris & bonis insidiatur. Insidiatum sibi semper fuisse Socratem Alcibades inquit, eorum quippe qui honesta indole præditi videbantur, amore capus, eosdem rationibus suis ad Philosophiæ studia Socrates capiebat. Callidus sagaxque Venator, Socratem venari solitum ex corporis forma diuinam speciem, in superioribus satis est dictum: & in Protagora Plato testatur. Machinator. Multis modis, vt indicant Platonis dialogi, sophistas confutabat: adolescentes exhortabatur, modestos viros erudiebat Prudentiæ studiosus. Fuit enim tanta prudentia, & in præsagiendo tam perspicax, vt quisquis contra eius consilium quicquam auderet, perderetur, quod in Theage à Platone narratur. Per omnem vitam Philosophans. Hic in sua illa apud iudices defensione iudicibus edixit, si ea conditione eum morte absoluerent, vt nunquam postea philosophetur, se mori malle quàm philosophari desinere. Incantator, fascinator, veneficus atque sophista. Nam Alcibiades ait se magis Socratis verbis quàm Marsiæ Olympique excellentium Musicorum melodia mulceri. Dæmonem vero illi fuisse familiarem, & accusatores sui & amici testantur. Sophistam quoque Socratem Aristophanes comicus appellauit, atque etiam sui accusatores. Quippe cui æqua esset hortandi, & deportandi facultas inter sapientiam & inscitiam medius. Cum omnes

homines ignorantes sint, inquit Socrates, hoc ego tantum à cæteris differo, quod meam ignorantiam non ignoro: cum alii prorsus ignorent. Ita erit inter sapientiam & ignorantiam medius: quia licet res ipsas nesciret, suam tamen ignorantiam cognoscebat. Quas ob res Socratem amori simillimum ideoque verissimum amatorem post amorem ipsum laudandum Alcibiades iudicauit, vt in eius laude intelligamus omnes qui similiter amant, esse laudatos. Quæ Socratis laudes sint hic audistis, & in Platonis verbis Alcibiadis ore patent clarissimè: quo etiam pacto amabat Socrates cognoscere potest qui Diotimæ doctrinæ meminerit. Ita enim amauit Socrates, vt suprà Diotima docuit.

De amore ferino, quod insaniæ species est.

CAPVT III.

Verum interroget forte quispiam: Quid hominum generi Socraticus amor iste conducat: cur tantis sit laudibus celebrandus, quid obsit contrarius. Dicam equidem altius aliquãto exorsus. Plato noster furorem in Phædro mentis alienationem definit. Alienationis autem duo genera tradit. Alteram ab humanis morbis, alteram à Deo prouenire existimat. Insaniam illam: hanc diuinum furorem nuncupat. Insaniæ morbo infra hominis speciem homo deiicitur: & ex homine brutum quodammodo redditur. Insaniæ duo sunt genera. Vnum cerebri, alterum cordis vitio nascitur. Cerebrum sæpe adusta bili, sæpe sanguine adusto, nonnunquam atra bili nimium occupatur, hinc dementes homines quandoque redduntur. Qui adusta bili vexantur: vel à nemine lacessiti vehementissime irascuntur: alte vociferantur: in obuios irruunt: seipsos & alios cædunt. Qui sanguine adusto laborãt, effusos nimium in risus protumpunt: præter omnium consuetudinem se iactant: mirabilia de se pollicentur: cantu gestiunt, exultantque tripudio. Qui bili premuntur atra, mœrent perpetuo: ipsi sibi somnia fingunt, quæ vel præsentia expauescant, vel futura formident. Atque hæ quidem tres insaniæ species cerebri fiunt defectu. Quando enim humores illi retinentur in corde, angustiam & solicitudinem pariunt, non dementiam: tunc vero amentiam, quando caput oppresserint, ideo cerebri vitio dicuntur contingere. Cordis autem morbo eam proprie insaniam fieri arbitramur, qua affliguntur hi qui perditè amant. His falso sacratissimum nomen amoris tribuitur. Verum ne forte nimis contra multos sapere videamus, dispositionis gratia nos etiam nomine ad istos vtamur.

Amor vulgaris est fascinatio quædam.

CAPVT IIII.

Vos autem aurium, ac mentis intentionẽ dicendis accommodate. Sanguis in adolescentia subtilis est, clarus, calidus atque dulcis. Procedente enim ætate subtilioribus partibus resolutis, fit crassior: propterea fit & obscurior. Nempe quod tenue rarumque est, purum est atque perlucidum: contrarium vero contra. Cur calidus atque dulcis? quia vita, & viuendi initium, ipsa scilicet generatio, in calore & humore consistit, ac semen prima viuentium genitura calidum est & humidum: natura talis in pueritia & adolescentia viget. In sequentibus ætatibus paulatim in contrarias qualitates siccitatem & frigiditatem necessario permutatur. Ideo sanguis in adolescente subtilis est, clarus, calidus atque dulcis: quia subtilis, clarus: quia recens, calidus atque humidus: quia calidus & humidus est, ideo dulcis esse videtur. Dulcedo enim fit in calidi & humidi mixtione. Quorsum hæc? nempe vt intelligatis spiritus in hac ætate subtiles & claros, esse calidos atque dulces. Hi enim cum à cordis calore ex puriori sanguine generentur, tales in nobis sunt semper, qualis est & sanguinis humor. Quemadmodum vero spirituum vapor huiusmodi creatur ex sanguine: ita & ipse similes sibi radios per oculos quasi vitreas fenestras emittit. Atque etiam sicut cor mundi sol suo circuitu lumen, perque lumen virtutes suas ad inferiora demittit: sic corporis nostri cor, motu suo quodam perpetuo proximum sibi sanguinem agitans ex eo spiritus in totum corpus, perq; illos luminum scintillas, per membra diffundit quidẽ singula, per oculos autem maximè. Ad altissimas quippe corporis partes spiritus maximè cum sit leuissimus euolat: eiusque lumen per oculos cum ipsi perspicui sint atque omnium partium nitidissimi, vberius emicat. Inesse vero oculis & cerebro lumen aliquod licet exiguum, animalia multa quæ noctu vident testimonio esse possunt; quorum in tenebris coruscant oculi. At etiam si quis certo quodammodo oculi angulum digito presserit, contorseritque circulum quendam videtur intra se lucidum intueri. Fertur & diuus Augustus oculos adeo claros & nitidos habuisse, vt cum acrius quemquam intueretur, cogere eum quasi ad solis fulgorem vultum submittere. Tiberius quoque prægrandibus fuisse oculis traditur, & qui quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent: sed ad breue, & cum primo è somno patuissent, deinde rursus hebescebant. Quod autem radius emissus ab oculis vaporem secum spiritualem trahat, & vaporis sanguinem, ex eo perspicimus quod lippi & tubentes oculi spectantis proxime oculos radij sui emissione cogunt morbo simili laborare. Vbi apparet & radium vsque ad obuium illum protendi, & cum radio vna vaporem corrupti sanguinis emanare, cuius contagione oculus spectantis inficitur. Scribit Aristoteles mulieres quando sanguis menstruus defluit, intuitu suo speculum sanguineis gutis sæpe fœdare. Quod ex eo fieri arbitror, quia spiritus qui vapor sanguinis est, sanguis quidam tenuissimus videtur esse, adeo vt aspectum effugiat oculorum: sed in speculi superficie factus crassior, clare perspicitur. Hinc si in rariorem materiam aliquam ceu pannum, aut linum incidat, ideo non videtur, quia in superficie rei illius non restat, sed penetrat. Si in densam quidem, sed asperam, sicut saxa, lateres, & similia, corporis illius inæqualitate dissipatur & frãgitur. Speculũ autem propter duritiẽ sistit in superficie spiritum, propter æqualitatẽ, lenitatemque seruat infractum: propter nitorem, spiritus ipsius radium iuuat & auget: propter æqualitatem, lenitatemque seruat infractum. propter nitorem, spiritus ipsius radium iuuat & auget: propter frigiditatem rarissimam illius nebulam cogit in guttulas. Eadẽ ferme ratione quoties hiãtibus faucib. obnixe anhelamus in vitrum, eius faciem tenuissima

quodam saluæ rore conspergimus: siquidem halitus à saliua euolans, in ea materia compressus relabitur in saliuam. Ergo quid mirum si patefactus oculus & intentus in aliquem, radiorum suorum aculeos in adstantis oculos iaculatur? atque etiam cum aculeis istis, qui spirituum vehicula sunt, sanguineum voporem illum, quem spiritum nuncupamus, intendit? Hinc virulentus aculeus transuerberat oculos: cumque à corde percutientis mittatur, hominis percussi præcordia, quasi regionem propriam repetit: cor vulnerat: inque eius duriori dorso hebescit, reditque in sanguinem. Peregrinus hic sanguis à saucij hominis natura quodammodo alienus, sanguinem eius proprium inficit: infectus sanguis ægrotat. Hinc duplex, sequitur fascinatio. Aspectus fœtidi senis, & mulieris menstrua patientis, puerum fascinat. Aspectus adolescentis fascinat seniorem. Quoniam vero senioris humor frigidus est atque tardissimus, vix dorsum cordis attingit in puero: & ineptus ad transitum, cor nisi propter infantiam sit mollissimum, parum admodum commouet. Hæc ideo leuis fascinatio est: illa vero grauissima, per quam iunior transfigit præcordia senioris. Hoc illud est amici optimi de quo Platonicus Apuleius conqueritur. Causa, inquit, omnis & origo præsentis huius doloris, etiam medela ipsa, & salus vnica mihi tute ipse es. Isti enim oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commouent incendium. Ergo miserere rua causa pereuntis. Ponite obsecro ante oculos Phædrum Myrrhinusium, & Thebanum illum eius amore captum Lysiam oratorem. Lysias in Phædri vultum inhiat: Phædrus in oculos Lysiæ scintillas suorum defigit oculorum, cumque scintillis vnà transmittit & spiritum, Radius Phædri radio Lysiæ facile copulatur: spiritui quoque facile iungitur spiritus. Vapor huiusmodi à Phædri corde genitus Lysiæ statim perit præcordia: quorum hebetudine fit compactior, & in priorem Phædri relabitur sanguinem: ita vt Phædri sanguis, quod mirum est, iam in corde sit Lysiæ. Hinc ad clamorem confestim prorumpit vterque: Lysias ad Phędrum: Cor meum Phædre, charissima viscera: Phædrus ad Lysiam: O spiritus meus, ô meus sanguis Lysia. Sequitur Phædrus Lysiam, quia cor suum poscit humorem. Sectatur Phædrum Lysias, quia sanguineus humor vas proprium postulat, suam exigit sedem. Verum Lysias Phædrum sectatur ardentius. Facilius enim cor sine minima humoris sui particula quàm humor ipse sine corde proprio viuit. Riuus fonte magis quàm fons riuulo indiget. Igitur vt ferrum qualitate magnetis accepta, ad lapidem hunc trahitur quidem, lapidem vero non attrahit: ita Lysias Phædrum magis quàm Phædrus Lysiam sequitur.

Quam facile amore irretiamur.

CAPVT V.

AN potest, dixerit quispiam, tenuis radius, leuissimus spiritus, pauculus sāguis Phædri, tam cito, tam vehementer, tam perniciose totum Lysiam inquinare? Hoc vtique mirum non videbitur si cæteros morbos, qui contagione nascuntur, consideratis, si pruritum, si scabiem, si lepram, pleurefim, phtisim, dysenteriam, lippitudinem, epidimiam. Amatoria vero contagio facile, fit & grauissima omniū pestis euadit. Quippe spiritualis vapor ille sanguisque ab adolescente seniore prorsus iniectus, quatuor habet vt supra diximus qualitates. Clarus est, subtilis, calidus atque dulcis. Quia clarus, oculorum & spirituum charitati in seniore maximè consonat, blanditur & allicit: quo fit vt auide ab illis hauriatur. Quia subtilis, celeberrime conuolat in præcordia: inde facillime per venas & arterias in corpus permanat vniuersum. Quia calidus, vehementer agit & mouet, & fortius senioris sanguinem inficit, eumque in suam conuertit naturam, quod Lucretius ita tetigit:

Hinc in te primum Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta: & succeßit frigida cura.

Præterea quia dulcis, fouet viscera quodámodo, pascit atque oblectat, hinc fit vt totus viri sanguis in iuuenilis sanguinis naturam mutatus, iunioris illius appetat corpus, quo suas venas inhabitet, & recentis sanguinis humor, venas quoque recentes & teneras illabatur. Fit etiam vt voluptate simul & dolore æger hic tangatur. Voluptate propter vaporis illius, & sanguinis charitatem atque dulcedinem. Illa siquidem allicit, hæc oblectat. Dolore propter eius subtilitatem atque calorem, illa quippe viscera diuidit & discerpit: hic homini quod suum est aufert, & in alterius mutat naturā, per quam sane mutationem eum in se quiescere non permittit: sed ad eum semper à quo infectus est trahit. Hoc ita Lucretius innuit.

Idque petit corpus mens vnde est saucia amore.
Naque omnes plerumque cadunt in vulnus: illam
Emicat in partem sanguis vnde ijcimur ictu.
Et si communis est hostem ruber occupat humor.

In his carminibus Lucretius non aliter vult sanguinem hominis oculorum radio vulnerati in vulnerantem prolabi, quam hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cædentem. Huius, vt ita dicam, miraculi si rationem requiritis afferā. Vulnerat Hector Patroclum, ac perimit. Patroclus Hectorem inspicit vulnerantem. Vnde eius cogitatio iudicat vlciscendum, confestim ad vindictam bilis accenditur, ab ea sanguis inflammatur, & ad vulnus euestigio properat, tum vt partem illam corporis foueat, tum etiam ad vindictam, eodem concurrunt & spiritus: ii quia leues sunt, ad Hectorem vsque volantes in eum migrant, eius calore seruantur ad tempus, puta ad horas septem: eo ipso in tempore si Hector cadaueris vulnus cominus intentus inspiciat, vulnus cruorem versus Hectorem eiicit: potest enim cruor versus hostem quodammodo effluere, tum quia nondum calor omnis extinctus est, nondum agitatio quieuit interior, tum quia pauloante in eum concitus fuerat, tum denique quia sanguis spiritus reperit suos, atque etiam spiritus suum attrahant sanguinem. Simili quodam pacto hominis amore saucii sanguinem festinare inferientem & Lucretius innuit, & nos summopere comprobamus.

De miro quodam effectu vulgaris amoris.

CAPVT VI.

DIcamne viri castissimi, quod sequitur, an potius prætermittam? Dicā certe postquā res ipsa postulat, & si dictu videtur absurdum. At

quis turpia non turpiter dixerit. Tanta permutatio senioris hominis vrgens ad iunioris similitudinem facit, vt hic totum suum corpus in illum transferre & totum illius in se transfundere studeat, vt vel recens humor vasa recentia, vel vasa teneriora teneriorem consequantur humorem. Hinc multa inter se turpissime facere compelluntur. Cum enim genitale semen à toto corpore defluat, solo huius iactu, vel tractu totum corpus tradere se posse confidunt, & totum accipere. Id in seipso Philosophus Epicureus ille persensit Lucretius amantium omnium infelicissimus.

Sic igitur Veneris qui telis accipit ictus,
Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur,
Seu mulier toto iactans de corpore amorem,
Vnde feritur, eò tendit gestitque coire:
Et iacere humorem in corpus de corpore ductum.
Affingunt auide corpus iunguntque saliuas
Oris, & inspirant pressantes dentibus ora
Nequicquam: quoniam nil inde abradere possunt
Nec penetrare & abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum velle & certare videntur.
Vsque adeo cupide Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dũ vi labefacta liquescunt.

Hæc Lucretius Epicureus. Quod etiam totum in se capere amatum amantes cupiant, Artemisia Mausoli regis Cariæ vxor ostendit: quę supra affectionis humanæ fidem virum suum amauisse dicitur: eiusque defuncti corpus redegisse in puluerem, & aquæ inditum ebibisse.

Vulgaris amor est sanguinis perturbatio.

CAPVT VII.

Esse verò hanc in sanguine passionem illud argumento est, quod æstus huiusmodi alterna requie caret. Continua verò febris à physicis in sanguine ponitur, quæ autem horas sex quieti relinquit, in pituita: quæ diem vnum, in bile: quę duos, in atrabilis humore. In sanguine igitur illam meritò collocamus. In sanguine videlicet melancholico: vt in oratione Socratis audiuistis, hunc sanguinem contagionis semper affixio comitatur.

Quomodo amantes fiunt amati similes.

CAPVT VIII.

Ideo nemo vestrum miretur si quem amantem audiuerit amati sui similitudinem aliquam vel figuram suo in corpore contraxisse. Prægnantes sępe mulieres vinum quod auidissime cupiunt, vehementer excogitant: vehemens cogitatio spiritus mouet interiores, atque in his excogitatæ rei pingit imaginem. Isti sanguinem mouent similiter, & in mollissima fœtus materia, vini imaginem exprimunt. Amator autem ardẽtius quàm prægnantes, suas cupit delicias: vehementius quoque & firmius cogitat. Quid mirum si vsque adeo hærentes & infixi pectore vultus ab ipsa cogitatione purgantur in spiritu: à spiritu statim in sanguine insigantur? præsertim cum in Lysiæ venis iam mollissimus sanguis Phædri sit genitus, vt facillime possit Phædri vultus in sui ipsius sanguine relucere. Quoniam verò membra corporis singula vt quotidie arescunt, ita sumpto alimoniæ rore quotidie reuiuiscunt: sequitur vt in dies corpus cuiusque hominis, quod sensim exaruit, paulatim reficiatur. Reficiuntur autem mẽbra à sanguine ex venarum riuulis emanante. Ergo miraheris si certa similitudine p̃dictus sanguis eandem membris impresserit: vt Lysias tandem Phædro in nonnullis vel coloribus vel lineamentis, aut affectibus, aut gestibus euasisse similis videatur.

A quibus præcipue irretiamur.

CAPVT IX.

Quæret forsitan aliquis: à quibus præcipue & quo pacto illaqueantur, & quomodo soluantur amantes. Fœminæ profectò viros facile capiunt: facilius autem illæ, quæ masculum quãdam indolem præ se ferunt, & tanto facilius masculi, quanto similiores sunt viris quàm fœminæ, & sanguinem spiritumque habent lucidiorem, & subtiliorem: qua in re amatoria cõsistit illaqueatio. Ex maribus autem illi viros, seu meliores velocissime fascinant, qui sanguinei sunt potissimum, & quadam ex parte cholerici, oculos amplos habent, glaucos atque nitentes: præcipue verò si casti viuant, neque per coitum claro humorum succo exhausto serenos vultus fœdauerint. Hęc enim ad ipsas sagittas proprie emittẽdas quæ cor vulnerant, vt supra tetigimus, requiruntur. Irretiuntur prætera cito quibus nascentibus Venus fuerit in Leone, vel Luna Venetem vehementer aspexerit, & qui eadem complexione sunt prædıti. Phlegmatici in quibus dominatur pituita, nunquam: Melancholici, in quibus atrabilis, vix quidem capiuntur: sed capti, nunquam postea liberantur. Quando sanguineus deuincit sanguineum, leue iugum est, suaue vinculum, similis namque complexio vnum creat amorem. Huius præterea humoris suauitas spem & fiduciam præstat amanti. Quando cholericus cholericum, intollerabilior seruitus. Vicissitudinem quidem nonnullam beneuolentiæ in his facit complexionis similitudo: sed igneus ille bilis humor crebra illos iracundia turbat. Quando sanguineus cholericum, aut contra, propter suauis simul & acris humoris commixtionem alteratio quædam prouenit iracundiæ & gratię, voluptatis atque doloris. Cum sanguineus melancholicum ligat, nodus perpetuus non miserrimus. Sanguinis quippe dulcedo melancholiæ amaritudinem temperat. Cum verò cholericus illaqueat melancholicum, pestis omnium perniciosissima. Acutissimus adolescentis humor senioris viscera passim illabitur. Est mollis flamma medullas. Vritur infelix amator. Cholera ad iracundiam cædesque prouocat. Melancholia ad mœrorem & perpetuam querimoniam. Iis sæpe idem qui Phyllidi, Didoni, Lucretio, amoris est exitus. Phlegmaticus autem seu melancholicus adolescens propter sanguinis & spirituum crassitudinem capit neminem.

Modus illaqueationis.

CAPVT X.

Qvo autem pacto fascinentur amantes, satis supra dixisse videmur, si modo illud addamus, mortales tunc summopere fascinari, quando frequentissimo intuitu aciem visus ad aciem dirigentes, lumina iungunt luminibus, & longum miseri combibunt amorem. Huius profectò morbi, vt Museo placet, causa omnis & origo est oculus. Ideo si quis nitore polleat oculorum, licet

minus in reliquis membris compositus sit, sæpius intuentes ea ratione qua diximus, insanire compellit. Qui contra dispositus sit, ad moderatam quandam beneuolentiam inuitat potius quàm ardorem. Reliquorum præter oculos membrorum concinnitas non causæ vim ad ægrotationem huiusmodi, sed occasionis impulsam videtur habere. Talis quippe compositio eminus prospicientem vt propius accedat, hortatur: deinde cernentem cominus in ipsa sui consideratione diutissime derinet: immorantem verò solus ipse ferit intuitus. Ad moderatum autem amorem illum diuinitatis participem, de quo in hoc conuiuio vt plurimum disputatur, non oculus solus: vt causa: sed partium cunctarum concordia iucunditasque concurrit.

Curatio amoris.

CAPVT XI.

HActenus quomodo & à quibus irretiamur, tractauimus: restat vt quomodo soluamur, paucis doceamus. Solutio verò duplex, altera quidem naturæ: altera diligentiæ. Naturalis est, quæ certis temporis interuallis perficitur. quæ non ad hunc solum, sed ad omnes attinet morbos, siquidem in cute pruritus eatenus permanet, quatenus tabidi sanguinis fex in venis, aut salsedo pituitæ viget in membris. Defecato sanguine & pituita demolita pruritus desinit: & fœdæ cutis maculæ abolentur. Euacuationis tamen matura diligentia confert plurimum. Repentina euacuatio, vel vnctio periculosissima iudicatur. Inquietudo quoque amantium tandiu necessario perseuerat, quandiu infectio illa sanguinis per fascinationem iniecta visceribus permanens graui cor premit cura. Vulnus alit venis, cæcis membra flammis adurit: à corde siquidem in venas, à venis in membra fit transitus: hac denique expurgata amantium, imò vero amentium cessat inquietudo. Id longum in omnibus requirit temporis spatiū: in melancholicis verò longissimum: præsertim si Saturni influxu fuerint irretiti, adde & amarissimum, si Saturno retrogrado, vel Marti coniuncto, vel Soli opposito mancipati sint. Aegrotant & illi diutissime: in quorum natiuitate Venus in domo Saturni fuerit: vel Saturnum Lunamque vehementer aspexerit. Addenda est naturali huic purgationi diligentissimę artis industria. Cauendum in primis ne immatura euellere, vel amputare tentemus: neque summo cum periculo discindamus, quæ tutius dissuere possumus, consuetudinis intermissio facienda. Summopere verò cauendum ne lumina oculorum luminibus coniungantur. Si quid in amati animo vel corpore vitij est: diligenter animo reuoluendum. Plurimis, variis, grauibus negotiis animus applicandus: sæpe minuendus sanguis est: vino vtendum claro, nonnunquam etiam ebrietate, vt veteri sanguine euacuato, nouus sanguis accedat, nouus & spiritus. Exercitatione sæpe ad sudorem vsque vti præstat: per quam corporis meatus ad expurgationem faciendam aperiantur. Ea insuper omnia quæ Physici ad cordis præsidium adhibent & cerebri alimentum, prosunt quam plurimum. Sæpe etiam coëundum Lucretius præcipit.

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris.
Absterrere sibi atque aliò conuertere mentem.
Et iacere humorem coniectum in corpora quæque,
Nec retinere semen conuersum vnius amore.

Quam noxius vulgaris amor.

CAPVT XII.

SEd ne diutius de insania loquentes insaniamus, sic breuibus concludamus. Insaniæ species quædam est anxia illa solicitudo, qua vulgares amantes diu noctęque vexantur: qui amore durante bilis incendio primum, deinde atræ bilis adustione afflicti, in furias, ignemque ruunt, & quasi cæci quò præcipitentur ignorant. Quam perniciosus adulterinus hic amor tàm amatis quā amantibus sit, Lysias Thebanus & Socrates apud Platonem in Phædro demonstrant. Hoc itaque furore homo in bestiæ naturam deuoluitur.

Quam vtilis diuinus amor, & de quatuor eius speciebus.

CAPVT XIII.

DIuino autem furore super hominis naturam erigitur, & in Deum transit. Est autem furor diuinus illustratio rationalis animę: per quam Deus animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit. Lapsus animæ ab ipso vno rerum omnium principio ad corpora, per quatuor gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionem atque naturam. Nam cum in omni rerum ordine sex gradus existant, quotum summum tenet ipsum vnum, infimum corpus, media verò sunt quatuor quæ prędiximus, necesse est quicquid à primo ad vltimum labitur, quatuor per media cadere. Ipsum vnum rerum omnium terminus & mensura, confusionis & multitudinis expers. Mens Angelica multitudo quidem idearum, sed stabilis & æterna. Ratio animæ multitudo notionum argumentationumque mobilis, sed ordinata. Opinio autem inordinata, & mobilis imaginum multitudo, sed substantia punctisque vnita: cum anima ipsa in qua est opinio, vna substantia sit nullum occupans locum. Natura, id est nutriendi vis ab anima, & animalis complexio similiter, nisi quod per corporis puncta diffunditur. Corpus autem indeterminata partium & accidentium multitudo subiecta motui, & substantia punctis momentisque diuisa. Hæc omnia respicit anima nostra, per hæc descendit, per hæc & ascendit. Vt enim ab ipso vno quod omnium principium est, producitur, vnitatem quandam sortita est: quæ omnem essentiam eius vires operationesque vnit: à qua & ad quam ita cætera quę in anima sunt, se habent, sicut à centro & ad centrum circuli lineæ. Vnit verò non modo animæ partes inuicem & ad totam animam: sed animam totam ad ipsum vnum rerum omnium causam. Vt autem diuinæ mentis radio claret, rerum omnium per ideas mentem actu stabili contemplatur. Vt seipsam respicit, rationes rerum vniuersales cogitat, & à principiis ad conclusiones ratiocinatione discurrit. Vt corpora respicit, particulares rerum mobilium formas atque imagines per sensus acceptas opinione volutat. Vt materiam attingit, natura velut instrumento vritur, quo vnit materiam, mouet & format. Vnde generationes, augmenta, & eorum contraria proficiscuntur. Cernitis igitur ab vno quòd super æternitatem in æternam multitudinem labitur: ab æternitate in tempus, à tempore in locum atque

materiam, labitur inquam, quando ab ea puritate, qua nata est, longius corpus amplectendo discedit.

Quibus gradibus diuini furores animam extollunt.

CAPVT XIV.

QVapropter sicut per quatuor descendit gradus, per quatuor ascendat necesse est. Furor autem diuinus est, qui ad supera tollit, vt in eius definitione constitit. Quatuor ergo diuini furoris sunt species. Primus quidem poëticus furor. Alter mysterialis. Tertius vaticinium. Amatorius affectus est quartus. Est autem Poësis à Musis, Mysterium à Dionysio, Vaticinium ab Apolline, Amor à Venere. Redire quippe ad vnum animus nequit, nisi ipse vnum efficiatur. Multa verò effectus est: quia est lapsus in corpus in operationes varias distributus, & ad corporalium rerum multitudinem respicit infinitam. Ex quo partes eius superiores pene obdormiunt, inferiores aliis dominantur. Illæ torpore, hæ perturbatione afficiuntur. Totus autem animus discordia & incocinnitate repletur. Poëtico ergo furore primum opus est, qui per musicos tonos qui torpent suscitet: per harmonicam suauitatemque turbantur, mulceat: per diuersorum denique consonantiam, dissonantem pellat discordiam, & varias partes animi temperet. Neque satis hoc est. Multitudo enim adhuc & diuersitas restat in animo. Accedit ergo mysterium ad Dionysium pertinens: quod expiationibus, sacrisque, omni cultu diuino partium omnium intentionem in mentem, qua Deus colitur, dirigit. Vnde cum singulæ animi partes ad vnam mentem redactæ sint, iam totum quoddam vnum ex pluribus factus est animus. Tertio verò ad hoc opus est furore, qui mentem ad vnitatem ipsam animæ caput reducat, hoc Apollo per vaticinium efficit. Nam cum anima supra mentem in vnitatem assurgit, futura præsagit. Demum cum anima facta est vnum, vnum inquam quod in ipsa natura & essentia animæ est, restat vt illico in vnum quod est super essentiam, id est Deum, se reuocet, Hoc cœlestis illa Venus per amorem, id est diuinæ pulchritudinis desiderium, bonique arborem expler. Primus itaque furor inconcinna & dissonantia temperat. Secundus temperata vnum totum ex partibus efficitur. Tertius vnum totum supra partes. Quartus in vnum quod super essentiam, & super totum est ducit. Plato in Phædro, mentem diuinis deditam, ita anima hominis aurigam vocat: Vnitatem animæ, aurigæ caput: Rationem, opinionemque per naturalia discurrentem, equũ bonum: Phantasiam confusam appetitumque sensuum, malum equum: Animæ totius naturam, currum, quia motus suus tanquam orbicularis à se incipiens in se denique redit, dum sui ipsius naturam animaduertit. Vbi consideratio eius ab anima profecta in eandem reuertitur. Alas verò tribuit, per quas in sublime feratur: quarum alteram putamus indagationem illam esse, qua mens assidue ad veritatem annititur: Alteram boni desiderium, quo nostra voluntas semper afficitur. Hæ partes animæ suum amittunt ordinem, quando perturbante corpore confunduntur. Primus itaque furor bonum equum, id est rationem opinionemque, à malo equo, id est à fantasia confusa & sensuum appetitu distinguit. Secundus malum equum bono, bonum aurigæ, id est menti subiicit. Tertius aurigam in caput suum, id est in vnitatem mentis apicem dirigit. Postremus caput rerum omnium vertit. Vbi auriga beatus est, & ad præsepe, id est ad diuinam pulchritudinem sistens equos, id est accommodans omnes sibi subiectæ animæ partes, obiicit illis Ambrosiam, & super ipsam nectar potandum, id est visionem pulchritudinis, & ex visione lætitiam. Hæc quatuor furorum opera sunt. De quibus generatim in Phædro disputat, proprie de poëtico furore in Ione, de amatorio, in Conuiuio. Omnibus his furoribus occupatum fuisse Orpheum libri eius testimonio esse possunt. Amatorio maxime Sappho, Anacreontem & Socratem fuisse correptos accepimus.

Omnibus his furoribus amor præstantior est.

CAPVT XV.

OMnium potentissimus & præstantissimus est amatorius. Potentissimus inquam, propterea quod omnes alij ipso necessario indigent, neque enim poësim, neque mysteria, neque vaticinium sine ingenti studio, flagranti pietate, & sedulo diuinitatis cultu consequimur. Studium verò, pietatem, cultum quid aliud dicimus quàm amorem? Igitur omnes amoris potentia constãt. Est etiam præstantissimus, quoniam ad hunc tanquam ad finem alij referuntur. Hic autem proxime Deo, qui nos copulat. Hos vtique furores quatuor, totidem adulterini affectus falso imitari videntur. Poëticum quidem musica ista vulgaris, quæ auribus duntaxat blanditur. Mysterialem, vana multorum hominum superstitio. Fatidicum, fallax peritiæ humanæ coniectio. Amatorium, libidinis impetus. Verus enim amor nihil est aliud quàm nixus quidam ad diuinam pulchritudinem euolandi ab aspectu corporalis pulchritudinis excitatus. Adulterinus autem, ab aspectu in actum præcipitatio.

Quàm vtilis amor Socraticus.

CAPVT XVI.

QVæritis quid amor Socraticus conferat? Primo quidem ipsi Socrati plurimum ad alas recuperandas, quibus in patriam reuolet. Deinde ciuitati suæ magnoperè ad honeste feliciterque viuendum. Ciuitatem profecto non lapides sed homines faciunt. Homines verò à tenera ætate quemadmodum arbores à tenerioribus curandi sunt, & ad frugem optimam dirigendi. Puerorum curam parentes habent & pedagogi. Adolescentes autem limites parentum & pædagogorum non prius transgrediuntur, quàm iniqua vulgi consuetudine deprauentur. Superiorem quippe viuendi normam domi inhibitam sequerentur, nisi ab ea improborum hominum, eorum præsertim qui illis blandiuntur, vsu, consuetudineque deflecterentur. Quid ergo Socrates faciet? Num permittet vt flagitiosorum contagione adolescẽtia, quæ futuræ reipublicæ semen est corrũpatur? At vbi patriæ charitas? Succurret itaque patriæ Socrates, filiosque illius, suos autem fratres hac pernicie liberabit. Leges fortasse conscribet, quibus lasciuos viros ab adolescentum consuetudine segregabit. Sed non omnes Lycurgi, aut Solones esse possumus. Paucis legum condendarum datur autoritas, paucissimi legibus latis obtemperant. Quid ergo? vim inferet, & manu iniecta seniores à iuuentute depellet. At solus Hercules cum mõstris dicitur decertasse, cæteris periculosissima est

huiusmodi violentia. Forsan sceleſtos homines monebit, corripiet, obiurgabit: Cæterum perturbatus animus monentis verba contemnit, & quod deterius eſt, ſæuit in monitorem. Qua de cauſa ab alio pugno, ab alio calce, dum id tentaret, percuſſus eſt Socrates. Vnica reſtat iuuentuti via ſalutis, Socratis conſuetudo. Huic ergo Græcorum ille ſapientiſſimus charitate deuinctus ſeſe miſcet vbique & magna incedit adoleſcentum comitante caterua. Ita verus amator, vt pote paſtor, agnorum gregem à falſorum amantium, ceu luporum voragine, ac peſte tutatur. Quoniam verò pares cum paribus facillime congregantur, parem ſe facit iunioribus puritate vitæ, verborum ſimplicitate, iucundis, iocis ac facetiis. Seque ex ſene puerum facit, in primis vt pueros quandoque reddat domeſtica & iucunda familiaritate ſeniles. Ad voluptatem prona iuuentus ſola voluptate tenetur, rigidos effugit præceptores, hinc noſtræ adoleſcentiæ tutor ad patriæ ſuæ ſalutem rerum ſuarum adminiſtratione neglecta iuniorum ſuſcipit curam, eoſque primum iucundæ conſuetudinis captat ſuauitate. Ita illaqueatos, monet deinde ſeuerius. Poſtremo cenſura rigidiori caſtigat. Hoc pacto Phædonem adoleſcentulum lupanari publico proſtitutum ab ea calamitate redemit, fecitque Philoſophum. Platonem Poëſi deditum coegit tragœdias igni tradere, & ſtudia precioſiora capeſſere. Xenophontem à vulgari luxu ad ſapientum traduxit ſobrietatem. Aeſchinem & Ariſtippum ex pauperibus diuites, Phædrum ex oratore Philoſophum, Alcibiadem ex ignorante doctiſſimum reddidit, Charmidem grauem fecit & verecundum, Theagem iuſtum, fortemque in republica ciuem. Euthydemum ac Menonem à Sophiſtarum captiunculis ad veram tranſtulit ſapientiam. Quo factum eſt, vt non tàm iucunda quàm vtilis fuerit Socratis conſuetudo, ac multo ardentius ab adoleſcentibus, vt Alcibiades ait, dilectus fuerit Socrates quàm dilexerit.

Quomodo agendæ ſunt gratiæ Spiritui ſancto, qui nos ad hanc diſputationem illuminauit atque accendit.

CAPVT. XVII.

Iam igitur conuiuæ optimi quid amor ſit, quis verus amator, quæue amantis vtilitas ex veſtra primum, ex mea deinde diſputatione feliciter cõperiſſe videmur. Huius autem inuentionis feliciſſimæ cauſam & magiſtrum eundem ipſum amorem, qui & compertus eſt, fuiſſe proculdubio exiſtimare. Amore namque, vt ita dixerim, inueniendi amoris accenſi, amorem quæſiuimus & inueniemus, vt eidem inquiſitionis & inuentionis pariter habenda ſit gratia! O miram numinis huius magnificentiam. O incomparabilem amoris benignitatem! Cætera ſiquidem numina vix tandem poſtquam diu quæſieris ſe parumper oſtendunt, Amor etiam quæſituris occurrit. Quapropter huic multo magis quàm cæteris homines ſe debere fatentur. Sunt autem qui diuinam potentiam ſępe audeant execrari, ſcelerum noſtrorum fulminatricem. Nonnulli etiam ſapientiam oderunt noſtrorum omnium exploratricem flagitiorum. Amorem verò diuinorum bonorum omnium largitorem non amare non poſſumus. Nos autem amorem hunc adeo nobis proprium ea mente colemus vt veneremur ſapientiam & potentiam admiremur, vt amore duce totum, vt ita loquar, Deum habeamus propitium, ac totum amoris flagrantia diligentes, toto etiam Deo amore perpetuo fruamur.

IN PHÆDRVM COMMENTARIA ET Argumenta.

Dipoſitio libri, Allegoria, præcepta moralia. Duo in nobis duces atque dæmones.

CAPVT I.



LATO noſter Poëticæ Muſæ, quam à tenera ætate, imò ab Apollinea genitura ſectatus eſt, furore grauidus, primùm pepetit librum totũ pene Poëticum, & candidiſſimum candidiſſimus, & de pulchritudine ſimul atque amore vir pulcherrimus omniumque amore digniſſimus. Vt meritò cæteros quoque libros deinceps ediderit venuſtatis, & gratiæ plenos, à Venerea Muſa exordium felix auſpicatus: ſoluſque omnium venuſtatem vbique cum dignitate cõiunxerit. Quoniam verò plurima huius libri myſteria in Theologia, & libro de amore expoſuimus, argumentum huius breuiter perſtringemus. Sympoſium de Amore quidem præcipue tractat, conſequenter verò de pulchritudine. At Phædrus gratia pulchritudinis diſputat de amore: Neque ab re omnino inſerta eſt oratio Lyſiæ atque oratoria diſputatio. Pulchritudo enim, & ad mentem & ad viſum, auditumque pertinet. Quo fit vt vbi de animorum numinumque pulchritudine agitur, Itemque de pulchritudine corporis, meritò de orationis pulchritudine diſputetur. Statim verò in ipſo exordio Socrates inter iocandum ſeria nimium tradit præcepta. Omnia ob ſapientiæ ſtudium penitus contemnenda: Potiſſimum ſapientiæ ſtudium conſiderare ſeipſum. Inter hæc artificioſiſſima loci deſcriptio allegorice ſignat Academiam, Platanus Platonem, Caſtum arbuſtum amoris Platonici & Socratici caſtitatem, fons in communicanda ſapientia largitatem: Ornamenta cætera, oratorioſque flores quibus academia Platonis abundat. Reprehenditur iure Lyſias, quòd qualis ſit amoris affectus inquirat: neque prius amorem ipſum definierit, neque diſtinxerit. Conſidera inter hæc amoris Socratici pudicitiam, nonnulla enim minus honeſta pronuntiaturus, obuoluto capite exorditur. Mox inuocat muſas, vt rem minus honeſtam ipſe ſuo ſaltem ſplendore

elocutionis honestent. Sed ante quam turpem vituperet amatorem, ne in eodem sit quo & Lysias crimine, turpem amorem definit, esse cupiditatem quandam, siue libidinem à ratione rebellem, quæ superat amorem ad recta, honestaque rendentem, & ad deformem rapiat voluptatem. Sed dum ad definiendum pergit, duos nobis tribuit duces, vnum quidem appetitum voluptati ingenitum: alterum verò legitimam quandam opinionem acquisitam paulatim per disciplinam, & ad honesta ducentem, Verum hos nobis intrinsecos duces extrinseci duo monent, Dæmon quidem aëreus opinionem, Aqueus verò libidinem. Postquam verò definiuit multis rationibus, adolescentes à turpibus amatoribus segregat. Tum verò interea mirabile nota mysterium Mosayco mystero simile. Malorum plurimis in ipso statim principio dæmon aliquis immiscuit voluptatem. Quoniam verò non tàm Philosophicam quàm Poëticam agit personam, subdit se correptum à dæmone quod amorem Dei nomen vituperauerit. Idque facit vt distincturus amorem Poëtico potiusquã dialectico more distinguat. In his animaduertes grauissimum peccatum esse, in Dei nomen delinquere, rursus in animo esse præsagium.

Distinctio furorum, amorumque, ordines deorum, dæmonum animarum, casus animarum dæmonumque. Allegoria de viribus animæ.

CAPVT II.

Deinde Poëticis quibusdam ambagibus artem à furore secernit. Furorem in diuinum diuidit & humanum: Diuinum in quatuor scilicet, in vaticinium, mysterium, Poësim atque amorem. Prouidentiam religionemque cõfirmat. Sapientiam diuino furore infusam, humanæ sapientię longissime anteponit. Antequam peragat animarum tractatum, particularium animas in medium communes adducit, scilicet mundi animam, quam nominat Ionem. Atque sub ea duodecim animas sphærarum, duodecim mundanarum, quibus subdit totidem ordines dæmonum, totidemque particularium animarum. Singulis verò currus accommodat, id est cœlestia corpora atque sempiterna. De rationalibus animabus disputat, diuinis atque humanis, de circuitu vtrarumque. Et qua ratione hominum animæ tàm in cœlo animarum cœlestium cõtemplationem comitentur, quam super cœlum angelicum sequantur, intuitum. Quid verò in anima currus, vehiculum, alæ, auriga, equi, fatum, casusque in corpus, quid iterum Iupiter in cælo magnus, coëterique dij sequentes, in Theologia, exponimus. Satis verò tibi fuerit in præsentia intelligere geminas alas esse geminum instinctum, menti ingenitum ad superna animum eleuantem. In intellectu quidem instinctum ad diuinum verum. In voluntate verò instinctum ad diuinum bonum, pro viribus conuertentem. quando verò hi quidem remittuntur, inclinatio autem vegetalis naturę intenditur ad corporea gubernanda, animas fractis iam alis in elementa descendere, Pythagorici putant. Post hæc cadentem de cœlo animam in nouem distribuit gradus, in his omnibus & Poëtica licentia vtitur, & Pythagorica potius quàm propria narrat. Inter hęc animaduerte similem animarum describi casum à Pythagoricis atque dęmonum à prophetis. Nnmerum quoque nouenarium tàm choris Angelicis, quàm lapsis inde dæmonibus conuenire. Mitto nunc quòd similem quendam casum Pherecides Syrus narrat dęmonibus accidisse: Additque Ophinoeum, id est serpentem dæmonicum fuisse caput exercitus rebellantis à mente diuina. Huic est simile, quod in mysteriis diuinis continetur, Iouem scilicet inferiores dæmones ad inferos detrubasse. Sed ad dialogum redeamus. Denique virum purgata mente Deo debitum, omnibus inde bonis impleri, solumque sapientem esse, quamuis quasi extra se positus vulgò derideatur, velut insanus. Post hęc descendit ad diuinum legitimi amoris furorem, quem accendi putat in animo, quando pulchram aspiciens corporis formam, diuinæ pulchritudinis, quam quondam contemplatus fuerat, facile recordatur, illiusque recuperandæ desiderio inflammatus fuerit. Sed contrarium huic describit furorem, quasi ferinum ad formam corporis, non ad diuinum intuitum ascendentem, sed ad venereum congressum turpiter descendentem, Describit rursus humanum quendam furorem inter diuinum atque ferinum in eius accessum animo, qui admiratione formæ corpore occupatus, neque obliuioni diuinam tradit omnino, neque penitus recordatur. Quo fit vt neque intemperatus sit omnino, neque etiam temperatus, sed modo quasi incontinens, modo continens videatur querens postea causas ob quas alii alios magis minusue ament, confugit ad Sydera, quorum ab initio sint comites animę. Tot enim animarum ordines humanarum in Timæo disponit, quot in cœlo sunt stellæ. Hinc reuertitur item ad vires animæ diuidendas, & rationem quidem aurigam vocat, Geminos verò appetitus equos geminos, appetitum rationalem, equum bonum, appetitum irrationalem, equum malum: Sed in hoc genere appetitum vergentem ad iracundiam minus malum, declinantem verò ad concupiscentiam, magis malum; sed de his in sequentibus diligentius. Deinde passiones amantium tàm continentium quàm incontinentium mutuumque amorem quasi Poëta depingit. Quo fit vt non aliter his allegorice indulgendum sit, quàm canticis Salomonis.

De oratione, & oratore, & dialectica, vsque literarum.

CAPVT III.

His actis, cum de pulchritudine, quæ ad mentem, & quæ ad visum pertinet, tractauerit, iam ad examinandam orationem Lysiæ pergit, atque oratoris officium demonstrandum, vt pateat qualis orationis pulchritudo sit, quæ pertinet ad auditum. Pulchritudinem orationis in ordine collocat, videlicet vt caput habeat à fine differens, habeat ad media, capiti & fini, & inuicem necessario copulata. Huiusmodi ordinem in primis ab oratore præcipit obseruari. Probat autem neminem oratorem verum esse posse, nisi rerum præsertim humanarum, diuinarumque scientiam habeat. Quo autem orator id assequi possit, præcipit, vt à dialectico facultatem discat, diuidendi atque componendi quod esse vult præcipuum veritatis indagandæ, inueniendæque instrumentum, & in Philebo, Dei nuncupat donum, propterea quod sicut in mundo perpetuum Dei officium est diuidere, atque componere, ita & dialectici est in arte, ideoque consum-

matum dialecticum, id est Metaphysicum, iudicat tanquam Deum esse colendum. Comparat post hæc inuicem oratores, vituperatque eos qui verisimile vero anteponentes, populum fallunt atque seipsos, stulteque confidunt, quid veri potissimum simile sit, etiam absque veri ipsius notitia posse cognoscere, mox optima quædam nota præcepta. Tria primum oratori necessaria sunt. Ingenium, doctrina, exercitatio. Philosophia opus est ad ipsam maximè cuiusque artis perfectionem. Ab exercitatione dialectica, retumque contemplatione sublimium, tandem mentis sublimitas visque ad agendum efficax comparatur, quæ quidem duo in artium maximarum perfectione magnopere necessaria sunt. Deinde comparat oratorem non legitimum coquis, adulatoribusque, quemadmodum in Gorgia: legitimum verò medico. Proinde regulam tradit, qua tàm animi, quam corporis, imò rei cuiusque natura sit cognoscenda, Statimque redit ad oratoris officium. Subdit ob ipsum scribendi officium, literas in Aegypto à dæmone quodam Theurhe vnà cum cæteris disciplinis inuentas fuisse. Deridet præterea scribendi studium, in eo videlicet qui per literas indubitatam posteris confidat patefacere veritatem. Atque Pythagoreorum more probat cõtemplationem traditionemque veritatis in animos potiusquàm in libros: quod in Epistolis quoque confirmat. Denique solum oratorem laudat qui ingenio sit studioque Philosophus. Concludit verò dialogum oratione votisque pulchritudinem animi à Deo petentibus. In qua considera Socratem cęteris omninò spretis sola pulchritudine animi, id est sapientia esse contentum. Verumtamen iudicate hanc ipsam non tàm humano studio, quam diuino munere comparari. Hæc fuerit hactenus totius dialogi summa.

De furore Poëtico, cæterisque furoribus, & eorum ordine, connectione, vtilitate.

CAPVT IV.

Operæpretium vèrò post hæc fore videtur, mysteria quædam huius libri præcipua paulo latius explicare. Ac primo quæ de Poesi cæterisque furoribus hic & in Phedro prætermisi, nec alibi declaraui. Oportet ad furorem poëticum consequendum, quo & homines diuinis moribus instruantur mysteria que diuina canantur, animum futuri poetæ sic affectum esse, vt sit quasi tener atque mollis. Preterea vt sit intactus. Amplissima enim est poëtæ prouincia omniformisq; materiæ. Animus igitur se ipsum formatu facillimum, formatori Deo subiicere debet. Quod quidem per mollem teneritudinem est expressum. At verò si ob eiusmodi facilitatẽ, alienas iam formas malasue susceperit, certe diuinis interim formari non potetit, propterea subiunctum est à Socrate, intactum, id est immaculatum vacuumque prorsus esse debere. Sed cur nam poësim gradu furorum tertio numerauit? Primo enim vaticinium, secundo mysterium, tertio poësim, quarto amorem commemorauit. Quoniam vaticinium quidem, ad cognitionem præcipuè pertinet. Mysterium ad affectum. Mysterium igitur sequitur vaticinium. Poësis autem ad auditum, pretetea iam declinat. Neque prius antiqui poëtæ diuinos hymnos composuerunt, quam per vates, sacerdotesque admoniti, celebrare deos, precari, deprecari, gratias agere cogitárent. Quartus verò gradus furori dabitur amatorio, hic enim per visum incitari solet, quo naturaliter vtimur post auditum. Præterea per vaticinium mysteriaque Deum agnoscimus tanquam bonum. Itaque mox diuina colimus, & poëticæ canimus. Furorem verò nondum concepimus amatorium, sed postquam attentius sensibilem pulchritudinem spectauetimus, agnouerimusque diuinam, Deum tandem amamus vt pulchtum, quem iampridem dilexeramus, vt bonum. In conuiuio quidem & Ione furorum quatuor ordinem, quantum pertinet ad reductionem animæ disposuimus. Hic autem quantum spectat ad ipsam furoris originem. Sed iuuat poëtis paulo vlterius indulgere, quicunque numine quomodolibet occupatur, profecto propter ipsam impulsus diuini vehementiam, virtutisque plenitudinem, exuberat, concitatur, exultat, finesque & mores humanos excedit. Itaque occupatio hæc siue raptus, furor quidam, & alienatio non iniuria nominatur. Furens autem nullus est simplici sermone contentus, sed in clamorem prorumpit, & cantus & carmina. Quamobrem furor quilibet, siue fatidicus, siue mysterialis, seu amatorius, dum in cantus procedit & carmina, merito in furorem poëticum videtur absolui. Quoniam verò poëticus cantus, atque versus exigit concentus harmonicos, harmonia verò omnis intra nouenarium prorsus includitur, quod in Timæi musica declaramus, merito nouenarium Musis numerum consecrauisse videntur. Denique Socrates tribus furoris speciebus iam narratis, addidit plura se habere diuini furoris præclara opera, id est miros amatorij furoris affectus. Amor enim erat reliquus. Solus certe nos amor patriæ cœlesti restituit, copulatque cum Deo, quemadmodum in sequentibus apparebit. Quod quidem per Paulum Apostolum summopere confirmatur, vbi charitatem donis omnibus quantumlibet diuinis extra controuersiam anteponit. Sed Socrates antequam affirmet, nos per amorem cœlo reddi, cogitur de cõdirione animæ, tum diuinæ, tum humanæ multa disserere. Primoque demonstrare rationalem animam, sempiternam, vt probare possit, hanc olim cum cælicolis diuinam pulchritudinem inspexisse, eiusque hic per sensibilem pulchritudinem reminisci. Atque hinc amore concitam ad sublimia reuocari, efficique beatam.

Animam ex se moueri, ergo motus esse principium, igitur moueri semper, esse igitur immortalem.

CAPVT V.

CVm probatum in Thelogia fuerit animam in vniuersi gradibus esse primum quod mouetur, ideoque ex se moueri alia que mouere, constat eam motus esse principium, motumque ipsius tanquam primum maximeque naturalem esse in suo genere perfectissimum; propterea vniuersalem absolutumque & circularem atque sempiternum. Motus autem animæ consistit in vita, vicissimque vita eius versatur in perpetuo motu. Est igitur immortalis. Quod quidem hinc præterea cõfirmatur, quia si illud quod mouetur ab alio, tam diu mouetur quamdiu hæret motori, profecto quod ex se mouetur sempet versatur in motu, videlicet semper vitalem motum naturaliter sibi suppeditans, nec vnquam deserens semet ipsum. Sed hoc paulò latius explicemus. Sicut in substantia

substantia ignis tres præcipuè vires sunt, calor, & lux, leuisque subtilitas, sic tres in ipsa animæ essentia similes. Prima quidem vis ipsa vitalis: Secunda verò cognoscendi virtus: Tertia est appetendi potentia. Sicut igitur in igne prius est intus calere, lucere, ascendere, quàm exterior calefactio, vel illuminatio, vel eleuatio: sic & in anima cognoscendi, & appetendi vires, actus suos interiores edunt, antequam in externa producant. Multomagis virtus vitalis, quæ & propagatrix est, & intima essentiæ suæ, priusquam affectus viuificandi producat in corpus, vitalem actum exercet intrinsecus, eumq; temporaliter, alia videlicet, semina, alias intus magis, minusve proferens. Temporalem eiusmodi motionem imitatur, tum in cognitione discursio notionum, tum in appetitu varietas eligendi. Hac igitur ratione circa tres animæ vires, tres quoque sunt intimi motus. Atque sicut ipsa cognoscendi virtus liberum à corpore principatum in seipsa declarat quando cogitat incorporea: sic & appetendi potentia liberum demonstrat arbitrium, vbi vult incorporea, multaque el'git contra, quam incitet conditio corporalis, similiter in virtute vitali, quæ harum quasi fundamentum est, viget aliquis principatus, videlicet ex seipso actum quendam viuidum, motumque proferens efficacem. His itaque modis anima rationalis ex seipsa mouetur, principiumque sui motus existit. Quod quidem planè confirmat, quando proficit in vita simul, & disciplina, & pro arbitrio se efficit meliorem: Dum enim sibimet exhibet bene viuere indicat, & viuere sibi prius quodammodo præbuisse, & cùm nunquam se deserat, viuere quoque semper. Præsertim, quia quatenus ad seipsam, & ad diuina se conuertit, ostenditque proprios se motus habere, qui conditionem superent corporalem, eatenus quoque restatur se à corpore non pendere, cumque diuinis congruere. Idcirco posse separatam à corpore viuere, diuinitati coniunctam. Quod autem oporteat super corpora omnia quæ mouentur ab alio, antequam perueniamus ad intellectualia, quæ omnino stabilia sunt, procedere per naturam animam, quæ sit mobilis ex seipsa, & cætera ad eiusmodi materiam pertinentia, satis in Theologia, & decimo Legum libro tractauimus. Probauimus etiam irrationalem vitam corpori mancipatam, necesse veram animæ substantiam, nec ex seipsa libere moueri vel agere, sed partim ab anima rationali, siue particulari, siue vniuersali pendere, sicut à vultu imaginem specularem. Partim animalibus influxibus agitari, partim ab extetnis obiectis impelli. Soli verò rationalis animæ substantiam conuenire, vt ex se libere, & absolutè suo quodam pacto moueatur, & moueat, atque agat. Itaque omnis rationalis anima tam humana quàm diuina motus principium dici potest, omnisque talis anima immortalis à Socrate iudicatur, de hac enim sola dictum se esse permisit. Si quis autem obiiciat animam irrationalem videri principium motus, quatenus ipsa ex se vegetalis actus, vitalesque qualitates edit in corpus. Respondebimus non habere veram principij rationem sed instrumenti. In hoc enim opere sic ab anima mundi atque sphæræ suæ moueri, sicut Platonici putant, elementa sursum deorsumque ab anima suæ sphæræ trahi, imò & qualitates elementales in actionibus quoque suis esse naturæ vniuersalis organa, quemadmodum in Theologia tractamus. Profectò cum in anima irrationali vis præstantior, quæ ad cognitionem appetitumq; pertinet non tam agat quàm agatur, trahaturque instinctu naturæ, externorumque impulsu, merito vis inferior ad vegetationem motumque spectans non quidem agit vt principium, sed agitur vt instrumentum.

Quæ sit anima omnis atque tota, & quomodo principium motus, Item, quomodo principium motus sit sempiternum, de principio primo, cæterisque principiis.

CAPVT VI.

Animaduersione dignum est, Socratem non dixisse, omnis anima est immortalis, sed anima omnis est immortalis, id est, illa quidem anima dntaxat immortalis est omnis totaque anima. Non inquam, anima mundi sola, ipse enim Socrates multas proculdubio numerat immortales. Sed quæcunque anima integra est, & in se quasi omnes animas habet. Cum omnes animæ vires in se possideat, & quasi est vniuersum, cum formas omnes ingenitas habeat, quælibet rationalis anima est eiusmodi. Hac enim vniuersitate conuenit cum anima mundi, similisque immortalitatis est compos, atque eadem immortalitatis demonstratione comprehenditur. Eadem ratione quælibet rationalis anima, (vt supra diximus,) motus principium dici potest. Etsi non omnis anima primum motionis & vniuersale principium, hoc enim animæ mundanæ munus. Sed reliquæ rationales animæ sphærarum, stellatum, dæmonum, hominum principia sunt mouendi circa seipsas, & corpora propria, & vitas prouinciasque suas. Tanta quoque potestas est cuiuslibet rationalis animæ, vt quælibet quodammodo sit vniuersum, & si quando in suam amplitudinem se receperit, omniformes in se notiones & vires explicatura sit, prouidentiamque vniuersalem prosequutura, quasi collega cœlestis cuiuslibet animæ atque mundanæ. Hac igitur ratione munera quæ tangit Socrates in primis mundanæ animæ propria, mox etiam cœlestibus competentia nimirum, & rationalibus omnibus quodammodo vel iam sunt, vel saltem quandoque possunt esse communia. Idcirco rationes pro immortalitate animæ mundanæ, reliquarum quoque rationalium animarum immortalitatem confirmare videntur. Meminisse verò oportet, Socratem hic non de omni principio loqui, sed proprie de principio motus, quod sane omnes motionum species efficit. Profectò si species ipsa motus, quemadmodum & cæteræ species sempiterna est, multò magis sempiterna est ipsa causa motus, id est, anima quæ motionum fons, & principium appellatur: Fons quidem, quoniam ex ipsa in ipsam, & in alia iugiter motus profluit vniuersus: Principium verò, quia mobilibus efficaciter dominatur.

Iam verò, cum omnes species motus agat, ideoque generationis sit origo, necessario est esse ingenitum. Alioquin cum ad motum generatio quoque pertineat, ab alio moueretur, neque principium motus existeret. Omnino verò principium quoduis, secundum naturam

illam vel proprietatem, in qua primum est, & cuius est principium, effici non potest ab alio. Sol lucentium primum est: ita igitur ex se formaliter, sensibiliterque lucet, vt non illustretur ab alio. Vt autem est substantia quædam, & corpus, & sol, id totum à principio superiore sortitur. Qua verò ratione sol iam existit, eadem naturaliter per se lucet, & qua lucet, illustrat: Hac enim conditione institutus est sol, vt suaptè natura luceret. Similiter intellectus primus intellectualium numerum & intelligentiæ multiformis est principium, naturaliter intelligens ex seipso, & aliunde quidem nactus est, vt sit ens vnum, & viuum, atque perfectum, eminentissimeque cognoscens. Intellectualem verò proprietatem eiusmodi atque multiformem, naturaliter peperit in seipso, & in sequentia protulit, quemadmodum varia nubes accepto solis radio, colores in se varios procreat. Nubes igitur, vt simpliciter luceat, efficienter habet à sole, vt autem tali quodam colore refulgeat, habet saltem formaliter ex seipsa. Anima vt moueatur, & moueat, possidet suaptè natura, atque in hac ipsa motionis proprietate, non aliunde dependet. Hoc itaque principium motus, dum non mouetur ab alio, meritò, neque generatur, neque interit: Generatio enim, & interitus motu quodam accidunt. Non negauit Socrates, hoc ab alio existere vel intelligere. Existit enim ex ipso bono, Intelligit quoque multiformiter ex intellectu primo, sed negauit fieri, nasci, interire, hæc enim ad motum pertinent.

Principium verò motus cum non moueatur ab alio, merito neque fit, neque interit. Ex seipso verò generari, ne fingi quidem potest, alioquin esset, priusquam esset. Quod si interire fingatur, mox desinet omnis motus, desinet & omne mobile. Vtrumque dependet ex principio motus. Id quidem futurum summatim certum est, si forsan interierit anima mundi. Item si omnis communiter anima, certum etiam singulatim, Si hæc anima seorsum perierit aut illa. Nempe si desinat anima nostra simul tota, hominum generatio, speciesque peribit. Sin anima huius globi cœlestis, vel illius tollatur è medio, tota simul generatio sibi subiecta per prouinciam suam auferetur. Denique si vnam quandam rationalium animarum disperdi cogites, simili ratione perire cæteras cogitabis, Omnes enim ab eodem æterno patre, similibus proportionibus sunt absque medio procreatæ. Sic igitur ad animæ cuiusuis interitum quodammodo videtur consequenter machina ruitura. Corporalis, inquam, machina, rerum namque stabilium ordo non ab anima mobili, sed ab altiore quodam principio proficiscitur. Denique quantum ad rationem principij pertinet, aliud quidem est propria quædam principia ad suos ordines comparate, aliud autem principia cuncta ad ipsum principiorum principium quoquomodo referre. Vt enim diximus in Parmenide, hoc illa longiore admodum supereminet interuallo, quàm illa sibi subditos ordines: Nam & principia illa & ordines finitam conditionem habent, & vtraque sunt ab vno inuicem cuncta conciliante. Principium verò principiorum infinitum est, vt nulli subest vnà cum illis, per cuius legem possit vllo pacto cum principiis coniungi. Quamobrem & si possumus inter ipsos rerum ordines propriaque ordinum principia quasi simile aliquid inuenire, eiusdemque saltem nominis, si non rationis eiusdem compos, tamen nihil vel in ordinibus vel in principiis ordinum simile ad ipsum principiorum principium cogitari potest. Itaque & si quicquid vsquam optimi principiis atque rebus inest, à primo tandem prouenit, nihilominus asserere possumus multa intus ex ipsis quasi propria quædam emanare. Quandoquidem, vt inquit Plato, nihil tale reperitur in primo, à quo tanquam efficiente prorsus atque fine cuncta dependent. Quæ formaliter interim peculiaria secum multa ferunt, digna quidem ipsis, sed non digna primo.

Idea animæ, Genera entis, Auriga, Equi, Alæ, Rotæ, Currus.

CAPVT VII.

VBi Socrates ideam animæ aggreditur effingendam, tu ideam animæ hic intellige, non supernum eius exemplar, sed formam ipsius intimam, dispositionemque virium suarum, & quasi figuram. Quæ quidem tanquam diuina, solis nota est diuinis. Nos autem cum hanc per comparationes excogitamus, accipe sex terminos, Primo quidem vnitatem, quæ apex quidam est essentiæ, deinde essentiam, cum quatuor reliquis generibus entis, motu, statu, alteritate, identitate. Auriga quidem est intellectus congruens cum essentia, Caput autem aurigæ est vnifica virtus ad ipsum vniuersi principium, intellectui præsidens, cum vnitate conueniens. Melior equus est virtus ipsa rationalis, siue per vniuersalia discurrat, siue per singula. Dicitur equus etiam appetitus eius comes. Est autem equus eiusmodi, sicut & auriga, tam in nobis, quàm in diis identitatis magis quam alteritatis particeps, statusq; magis quam motus. Equus verò deterior est imaginatio vnà cum natura, id est, vegetali potentia, appetitus vtriusque comes. Eiusmodi in nobis quidem motus alteritatisque magis quàm oppositorum compos existimatur. In diis autem adæquat opposita, Ideo equus deterior, id est, minus bonus, dicitur in nobis contrarius, non quia malus, vel turpis, sed quia opposita potius sequitur elementa. Dicitur ergo contrarius, quoniam ex contrariis, scilicet ex oppositis elementis, est potius constitutus.

Ambæ vires nominantur equi propter motum. Ala verò est potentia sursum ducens, per quam animæ quidem diuinæ dicuntur alatæ, quoniam semper sunt eleuatæ, nostræ verò subalatæ, quoniam saltem eleuari possunt. Alæ potissimum sunt aurigæ, mox meliores equi, consequenter verò deteriores; quoniam per meliorem attolli potest, atque cum ipso beatitudinis cuiusdam esse particeps. Equi vtriusque potentia est connata, vterque enim simul est ab opifice mundi genitus atque sempiternus, Ideo dicuntur, & coniugati, & quasi bigas vel vt ita dixerim, bigam conficere iudicantur, quem ego coniugij appellatione interpretatus sum. Currum verò propriè corpus cœleste vocamus, cum immortali qualibet anima sempiternum, sphæricumque natura, motumue celerrimum. Animam quoque currum appellare possumus propter motum. Rotas autem duas conuersionem animæ ad seipsam, con-

uersionemque iterum ad superna. Sed redeundum parumper arbitror ad illud Aurigæ caput. Est enim geminum vnum quidem, quod satis expressi, vnificum cum principio, Alterum verò huic subinde contiguum vniens maximè cum intelligibili mundo, summus videlicet actus intelligentiæ intuitusque subitus, cui mox succedit circuitus intelligentiæ velocissimus, huic subinde rationis circuitus quasi tardior, huic imaginationis, huic verò naturæ, duo quidem capita duobus sphæræ polis similia sunt, circuitus autem intelligentiæ velocissimus similis diurno firmamenti rotiusque cœlestis machinæ motui, circuitus rationis tardior similis est motibus Planetarum, vniuersalior quidem magisque contemplatiuus, Saturno, Ioui, Soli. Particularior verò magisque practicus Marti, Veneri, Mercurio, Lunæ, Imaginationis Periodus reuolutioni ætheris sub cœlo similis, Periodus verò naturæ reuolutioni Aëris atque aquæ.

Quomodo anima omnis totius inanimati curam habeat. De statu animæ sublimi. De casu animæ. De corpore plano atque de solido. De animali mortali atque immortali.

CAPVT VIII.

QVando dicit, animà omnis rotius nanimati curam habet, forte non vult ita hanc illam curare mundum totum, quemadmodum anima mundi, sed omnes mundi partes ab aliqua animarum coli adeo vt omne tandem colatur ab omnibus. Forte etiam vult quod per sequentia significatur, quamlibet animam rationalem posse tum per omnes mundi sphæras gradatim se conferre, tum etiam in cœlo habitantem ad vniuersalem ibi prudentiam quandoque recipi. Inquit autem, alias in aliis speciebus constitutam id efficere. Id quidem pro anima particulari vel hominis, vel inferioris dæmonis dicum puta, quæ pluribus peragit interuallis, & vicibus, quod cœlestis anima eosdem efficit habitus. Quapropter anima nostra nunc quidem in hac specie corporis, atque vitæ colit terram, alias autem in corpore, vitaque puriore gradatim sphæras sublimiores habitat. Denique cum cœlesti corpore suo. cœlestia repetens, non solum ad suam quandoque stellam reuertitur, sed penès quam libet stellam potest vitam agere stellæ conformem. Planeta quilibet gubernat totum, sed proprietate sua Iupiter quidem dat omnibus aliquid Iouiale, Sol omnibus quoque solare, cæterique similiter. Sola prouidentia prorsus vniuersalis dat omnibus omnia. Nostra igitur anima se Ioui accommodans, aut soli similem quodammodo rotius prouidentiam sortiri videtur, similem quoque cum anima mundi, quando videlicet in amplitudinem rationum, & virium, notionumque suarum penitus restitura fuerit. Quamobrem merito non dixit Socrates, omnis anima, sed anima omnis totam colit machinam, id est, anima rationalis, quæ in se habet omnes animæ vires, rerumque formas. Hæc quidem dum suam actu, & affectu consentat vniuersitatem cœlum habitat, cum vniuersalibus cœlestium animabus, potestquam interim & intellectu speculatiuo totum mundum intelligibilem contueri, & practico simul totum sensibilem circumspicere, siue id vniuersalis prouidentiæ munus agat vniuersali simpliciter ratione, sicut anima mundi, siue vniuersali quidem ratione, sed more Saturni, vel Iouis, aut Solis, vel aliorum. Eatenus igitur alas dicitur retinere, dum, videlicet, sublimia hæc eminenter attingit, si quando verò alas, id est, vires ad sublimia reuocantes minus habeat expeditas, id est, quando vniuersali mundi forma quasi iam neglecta, particularem quandam mundi prouinciam diligentius intueatur, & eiusmodi vitam amet ardentius, alliciente videlicet ad eandem imaginationem similiter potentiaque vitali, mox animus quodammodo fit angustior corpusque præterea sub cœlo quodam adsciscit angustius, id est, aërium, donec etiam factus angustior in angustissimum descendat atque terrenum vbique verò in primis nominatur homo, sed in cœlo quidem homo cœlestis, in aëre, aërius, in terra terrenus. Vbi verò Socrates nominat corpus solidum, Hermias materiale sub cœlo vult intelligi, cœlumque non habere materiam, ideo cœleste corpus dici planum, elementale verò solidum, hinc præceptum illud Platonicum. Noli addere plano profundum. Hinc & magicum illud à Zoroastre dictum, Noli grauare spiritum, vel quod planum est reddere quandoque profundum, quasi cœleste corpus animæ semper familiare saltem propter puritatem nominetur spiritus atque planum, sed propter inclinationem animi ad elementa iam addito materiali, id est, crassiore quodam corpore mox profundum fieri videatur. Humanum hoc animal & immortale dici potest atque mortale. Immortale quidem quantum ex anima rationali & cœlesti suo corpore constat: Mortale verò quantum elementale corpus est adiunctum, Deus autem qu libet mundanus est animal simpliciter immortale. Admonet ergo Socrates, ne forte de compositione animalis immortalis cogitantes decipiamur. Fingimus quidem mundanum Deum esse quoddam animal habens animam, & corpus naturaliter perpetuoque copulata, & vere quidem hactenus, sed id nulla ratione certa comprehendimus, Præsertim si quando de hac copula sentiamus, quemadmodum de commercio animæ cum corpore mortali atque terreno. Hoc enim non omnino aptum est ad vitam, nec tam hoc accedit ad animam quàm anima præcipiti quodam lapsu defertur ad ipsum, & labore sustinet curaque gubernat, Nec tamen ita contingit circa cœleste corpus & animam, Hoc enim sic ad eam mira quadam præparatione quasi se confert, sicut hæc ad ipsum. Quod sæpe Plotinus inquit, corpus quidem elementale non tantam habet potentiam, vt vitam accipiat, quantam anima vt præstet vitam, ideo non semper viuit, neque totum penitus, neque perfecte. Cœleste verò corpus habet æqualem, quamobrem totum æque totam rapit vitam, semperque conseruat. Profecto cœlum est adeo propinquum animæ atque vicissim. vt quod est motus vitalis in anima, in cœlo euadat dimensio atque circuitus, quod rursus in anima intellectus est, idem in cœlo lumen. Cœlum itaque si nullam habet materiam, vt multi putant, sola dimensione subducta, fit anima. Atque hæc in solam porrecta dimensionem, quam facile fingitur subitura, quia semper est in motu, fit è vestigio cœlum. Quanta igitur potentia est in anima ad formandum cœlum, tanta est in cœlo facilitas vt formetur.

Omne itaque cœleste vehiculum sub anima sua, mira vitam facilitate suscipit, retinerque semper, atque est quasi vita quædam ex anima porrecta foras. Itaque quod apud Mathematicos est vnitas, punctum, linea, planum, solidum, id in vniuerso primum vnum, mens, anima, cœlum, regioque sub cœlo. Sicut enim punctum simplici positione quasi ex vnitate resultat, sic intellectus positione quadam essentiæ prouenire videtur ex vno. Item sicut ex puncto per motum producto fit linea, sic menti quasi addito motu fit anima. Rursus quemadmodum linea in lineam velut extensa facit planum, sic anima quasi tumens euadit cœlum. Denique sicut planum commotum per profunda fit solidum. Ita cœlum quasi descensu quodam subiens, vel materiam, vel conditionem materiæ similem elementale corpus videtur euadere.

Quomodo diuinum omne sit bonum, & sapiens atque pulchrum. Item de pulchritudine & amore.

CAPVT IX.

Est in anima potentia deorsum nd sensibilia trahens, scilicet imaginalis simul atque vegetalis, est item hac superior virtus eleuans ad diuina. Si potentia deterior meliorem potest quandoque deducere, multo magis melior deteriorem reducere potest, sicut & solis virtus humorem sursum attollit, alioquin naturaliter descendentem. Virtus autem eleuans in intellectu vel ratione animæ nominatur ala, erigit hæc animam ad diuinum amandum, & contemplandum atque venerandum. Ipsum vero diuinum quod per hanc attingitur, appellatur bonum, & sapiens atque pulchrum. Cuius sane per intelligentia animus fieri dicitur posse particeps. Id autem non ipsum simpliciter bonum, sed essentiale, & intelligibile bonum, illud enim super sapientiam pulchritudinemque existit.

Hoc autem bonum est simul & sapiens, atque pulchrum, eiusmodi bonum sapiensque, & pulchrum, omnibus sub primo Deo diis inest supramundanis atque mundanis, cuius contemplatione alitur intellectus quilibet contemplator. Quidnam est in diis bonum? quid sapiens? quid pulchrum? Nempe in Deo quoliber intellectus, intelligentia, intelligibilem, intelligibile quidem tanquam bonum extat, quia videlicet perfectum illic est, & sufficiens, atque appetendum. Quæ quidem tria Philebus docet esse munera boni, circa hoc intelligentia sese versans sapiens appellatur. Hinc intellectus ipse formarum splendore refulgens appellatus est pulchrum. Quamobrem bonum in quolibet Deo vnitum est præ cæteris & occultum, essentialis videlicet ipsa, vitalisque perfectio, fœcunda potestas intelligibilisque facultas, occultas in se continens species intelligibiles omnes intelligibili lumine cõprehensas. Sapientia verò illic intelligentia est, quæ lumen intelligibile parturit, speciesque intelligibiles intrinsecus explicat. Denique pulchritudo est consummata luminis intelligibilis, specierumque intelligibilium explicatio, Quæ quidem & si illic quasi prouenit vltima, prima tamen ascendentibus illuc occurrit, & quoniam se maximè offert, apparetque prima, atque ex cunctis luminibus illis resultat vt splendor, idcirco sæpe Plato pulchritudinem appellat clarissimam, atque diuinorum omnium potentissimam. Præterea lumen ex ipso bono per intellectus, & intelligibilia profluens appellat in Republica veritatem. Hoc lumen naturamque boni, non possumus, (vt Philebus inquit,) intuitu simplici contueri, sed apud nos ipsi nostra quadam conditione partimur. Dicimus ergo bonum quantum ab ipso bono prouenit expetendum, redigitq; mentes ad bonum. Dicimus, & sapiens, qua ratione causa est vt alia cognoscantur atque cognoscant, Dicimus denique pulchrum, quia cognoscentes, & cognita splendore mirifico repler, & gratia condit. Pulchrum hoc Plato, ea quam diximus ratione, hic nominat lucidissimum. Addit in Conuiuio, mulcens, & delicatum, atque blandum, quia miris modis contemplatores oblectat, subiungit ibi, & hic amabile, quoniam causa est amoris, & contemplatores ad se gratia prorsus admirationeque tam efficacissime, quàm blandissimè prouocat.

Quomodo dij quatuor modis multiplicentur.

CAPVT X.

Voniam verò Plato hic deos quam plurimos introducit, operæpretium forte fuerit, nonnihil de numero deorum confabulari, Sicut Christiani Theologi in diuinis eloquiis quatuor sensus obseruant, literalem, moralem, allegoricum, anagogicum, & alibi quidem hunc, alibi verò illum præcipuè prosequuntur, ita Platonici quatuor habent multiplicandorum deorum, numerumque modos, aliumque multiplicandi modum alibi pro opportunitate sectantur. Ego quoque similiter in commentariis meis, alibi aliter quatenus locus exigit interperari, & distinguere numina consueui. Primus igitur multiplicandi modus est deos per substantias varias distribuere, vt quando primum nominamus ipsum bonum, vel ipsum vnum. Secundum verò Saturnum, id est, intellectum, boni filium, qui sicut est intellectus primus sic intelligibile primum, intelligibilisque mundus. Tertium autem, id est, mundi animum, Saturno genitum, Iouem magnum in cœlo ducem. Sic primum in Republica principium dicitur ipsum bonum, intellectus ante primus boni filius, qui nominatur in Cratylo Saturnus. Ilic enim Saturnus asseritur intellectus purus, atque Satur, Iupiter autem magnæ intelligentiæ filius. Sed inter intellectum primum animamque mundi tres supra mundanorum deorum ordines Platonici collocant, alios quidem illi mundo intelligibili, alios autem huic sensibili mundo proximos, alios verò medios, & supremos quidem præcipue vocant intelligibiles, extremos illorum intellectuales, medios verò mixtos. Fortè verò sicut in machina mundi corporea prima sphæra vocatur simpliciter cœlum, secunda Saturnus, tertia Iupiter, similiterque illatum animæ, sic in hoc intellectuum genere, quod est sub intelligibili mundo primus intellectus nominari potest cœlius, secundus Saturnus, tertius Iupiter, & reliqua deinceps Planetatum nomina, animarumque elementis præsidentium, quas nominamus in Theologia. Hæc, inquam, nomina, diis duodecim supermundanorum deorum ducibus comperunt,, Et sic hoc duodenario primus appellatus est cœlius, totum tamen id genus nominatur cœlum, scilicet intellectuale cœlum.

Hos dij mundani sequuntur, quorum princeps ipse quoque mundanus est anima mundi, quam in Philebo Iouem Plato nominat intelligentiæ summæ progeniem, in cuius natura sit regius intellectus, & anima regia, id est virtus gemina, intellectualis, scilicet, atque vitalis, & vtraque regia, id est principatum in mundo tenens vniuersalem mundanis diis omnibus præsidentem. Hunc Iouem sequuntur proximè duces mundani duodecim animæ, scilicet sphærarum, si modo sint sphæræ duodecim: sicut enim Aristoteles tot esse mundi rectores voluit, quot & motus, numerum verò motuum, sphærarumque certum sapientiori concessit: sic & Plato semel amisso duodenario sphærarum numero, duodecim mox rectores adhibet sphærarum anima numerum, videlicet alium quemlibet sapientioribus facilè concessurus, his vtique succedunt stellarum animæ, distinctaque per duodecim sphæras inuisibila numina. Quæ quidem numina duces particulares cognominantur, diique & dæmones atque heroës. Hactenus deos per substantiarum differentias, more Platonico disposuimus: secundus autem distribuendi modus est potissimum per ideas, Vt quot speciales ideæ, mundo intelligibili continentur, dij illic totidem numerentur. Quo quidem vsu fas erat quondam etiam per animalia, & arbores inferioraque iurare, modo nominibus his horum ideæ cogitarentur. Itaque multo magis deos nominare decet ideas sphærarum omnium & stellarum. Tertius autem multiplicandi modus est, per generaliores, amplioresque proprietates incedere quàm species.

Quo quidem pacto deos per mundum intelligibilem primo distinguimus: Prima enim per formalia distinctio est in eo. Vnitas igitur illa caputque diuinæ mentis cognomento primi Dei quandoque forsan poterit appellari, siue bonum siue dæmogorgon, siue aliter, præcipue quidem ipsum simpliciter primum, consequenter autem, quod in secundo, vel tertio primum nominare placuerit. Sequitur intellectus in ipso intelligibili mundo. In hoc autem intellectu proprietates duæ considerantur. Prima quidem contemplatrix, & segregata, quasi solis contenta veris, hanc vt suspicit ipsum bonum Platonici vocant cœlium, Plato enim in Cratylo οὐρανὸν, id est, cœlum interpretatur aspectum ad superiora, Eam deinde intelligentiam quatenus ad essentiam propriam se conuertit, proculdubio nomine Saturnum. Secunda verò intelligentia est quasi practica, & architecti, patrisque more cuncta dispensans, hæc præcipue Iouem non simpliciter magnum, imò maximum, atque primum. Hinc Plotinus cum in libro de dubiis animæ tertio, Intellectum primum appellauisset Iouem, post in libro de tribus principiis Saturnum cognominauit, aliter videlicet & aliter ipsum, quemadmodum diximus, contemplatus. Manifestis autem verbis in libro de dubiis animæ Iouem geminum introducit. Primum quidem Iouem mundi architectum quodammodo separatum. Secundum verò mundi ducem, id est, animam, quem Plato Iouem ducem appellat in Phædro. In Epistola quin etiam ad Hermiam appellat ducem rerum omnium præsentium atque futurarum, Cum clam intellectum præponit vt causam. Ipsum verò bonum vtriusque præficit vt Dominum atque patrem. Sed de his ibi. Hic iam institutum modo nobis distinctionis ordinem prosequamur. Rhea forsan in mundo intelligibili est virtus illa vitalis, cui incubat intellectus Saturnius, atque Iouius, primus quidem vt maritus, secundus vt filius, Iuno viuifica virtus quæ comitatur, vel sequitur intellectum, primæ quidem intelligentiæ filia, secunda verò soror atque coniunx, Neptunus autem agilis, motrixque virtus ad opificium peragendum, similemque proprietatem effectibus quoque distribuens. Pluto Vestaque firma proprietas atque firmans. Neptunum comitantur numina sua, sua quoque Plutonem. Redeo parumper ad virtutem vitalem, atque viuificam, cui respondet potissimum anima mundi, Venus etiam illa vocari potest. Vnde forsan Plotinus Venerem mundi animam esse dicit, & fortè quod huic est in ipso intelligibili mundo proportionale. Nominatur autem Venus quatenus per vtrumque cui subest. Intellectum ad pulchritudinem semper afficit per contemplatiuum ad intuendam, per actiuum ad imitandam. Affectus autem ille sit amor atque cupido. Interea cogitanti mihi vsum loquendi latinum, qui pulchritudinem, sæpè nominat venustatem, & hanc deducit à Venere, succurrit, posse etiam pulchritudinem quandoque Venerem appellari, Tametsi pulchritudo ad amorem, atque cupidinem non tam vt maternum quàm vt paternum principium esse videtur. Pulchritudinem ibi, quod alibi sæpè diximus, ad ipsam idearum seriem pœnitus explicatam pertinere putamus, in hac tria potissimum cogitantes, gratiam, & splendorem, atque virtutem: Illam quidem Venerem, Istud verò Apollinem, hanc denique Palladem, possumus nominare. Sed cur nam in symposio Venus gemina nuncupatur, ad Saturnum videlicet attinens atque Iouem? Fortè quoniam Venus siue virtus sit vitalis ad Saturnum, vt diximus, Iouemque pertinet siue Idealis hæc ipsa, vt spectabilis est, ad Saturnum magis, vt effecta potius imitabilis, magis ad Iouem spectare videtur. Proinde quando Apollinem & Mineruam Iouis filios appellamus amplissimam illam Iouis prouidentiam, omnia tam sensibilia pariter distribuimus. Et partem quidem sensibilibus prouidentem, præter cætera nomina, Martem atque Vulcanum nominare solemus. Partem verò intelligibilia tribuentem atque regentem, Mineruam Apollinemque, & Dionysium, & Mercurium atque Musam. Vt enim est Mercurius, mentibus ingeniisque motum quasi quendam præstat, (vt ita dixerim,) ad quærendū. Vt Apollo lumen ad inueniendum, & perspicaciter intuendum. Vt Minerua cum lumine vim præstat ad consequendum: Vt Musa ordinem Harmonicum monstrat, vel dat inuentis, inuenteremque concinnat, vt denique Dionysius efficit, vt quasi fines suos tum videndo, tum etiam amando mentes excedere videantur. Sed reuertamur parumper ad illam quasi partem sensibilibus prouidentem. Hæc quidem vt Mars morum affert, vt Vulcanus effectum, vt hic etiam Dionysius excessum. Inter hæc verò memento qua ratione deos intellectu primo per formales quasdam proprietates multiplicauimus, tandem ratione & appellatione mox in anima mundi numerare posse, Atque deinceps in anima sphærarum, atque stellarum, in qualibet, inquam, æque numina cuncta connumerare. Hinc Orpheus non solum deos omnes in vno collocat Ioue tam opificem mundi, quàm animo mundi, verum etiam in

quolibet Deo sæpe numina cuncta commemorat, quem nos in libro de Sole libenter imitari sumus. Multa præterea de diuinis nominibus in nostris in Cratylum expositionibus declarauimus, vbi etiam dicitur in quolibet Deo cœlium appellari aspectum ad superiora, siue per intelligentiam proprie fiat, siue per vnitatem, intellectu superiorem. Saturnum verò aspectum ad seipsum, Iouem autem aspectum ad sequentia dispensanda, Hinc apparet cœlium apud Platonem non esse primum vniuersi principium, quippe cum non solum aspiciat, sed suspiciat etiam superius aliquid: Vtrumque summatim, si Platoni credidimus, alienum est à primo. Sic vbi verò fortè primum dixerim nominare cœlium alio quodam potius more quam Platonico sum locutus. Post hæc autem sequuntur particularia numina, in quibuslibet mundi sphæris plurima, quæ communiter Dæmonia nominantur, quamuis apud Iamblichum, & Syrianum atque Proclum in quosdam ordines digerantur, scilicet in deos, Archangelos, Angelos, Dæmones, principatus, heroës, hæc, inquam, omnia particularia numina communiter dæmonico nomine nuncupata, deos illos sequuntur vniuersales, prouidentiamque penes illos amplam ipsi iam dæmones apud se sortiti sunt distributam, aliique dæmones diis aliis subministrant, vel si eisdem multi seruiunt, varij tamen ad varia Dei eiusmodi officia conferuntur, sic igitur inter dæmones Saturnus est, & Iupiter, Neptunus & Pluto, & similiter quisque deorum, atque hic est quartus quem promiserat ab initio multiplicandi modus, videlicet per pedissequos deorum dæmones, Inter quos sanè dæmones non solum est Saturnus, vel Iupiter vnus, sed multi in qualibet sphæra Saturni, multi Ioues, videlicet Saturni, vel Iouis officiis ministrantes, cæterique cæteris similiter seruientes,

De quatuor mundis, de loco supercœlesti, de Diis duodecim.

CAPVT XI.

Quatuor Mundi sunt, sicut enim in Timæo dicitur, mundus siue cœlum est vniuersitas ipsa formarum, Vniuersitas eiusmodi non solum est in machina mundi corporea, qui mundus corporeus appellatur, sed etiam in anima mundana, vniuersoque genere animarum, qui mundus dicitur animalis, super animalem mundum est intellectualis mundus in intellectibus supra cœlum puris, Qui tertius mundus est, siue cœlum tertium intellectualium omnium plenitudo formarum, tertium videlicet in ascensu. Quartus est in intellectu primo, Vbi est intelligibilium primum, in quo formarum intelligibilium vniuersitas, mundus intelligibilis appellatur. Quoniam in hoc primæ intelligibiles idealesque species exrant, mentium omnium intellectualibus oculis obiecta præcipua. Videntur quoque in anima esse mundi quatuor. Nam in natura animæ vegetali, & in imaginatione, ratione que, & intellectu animæ quodammodo formæ sunt vniuersæ. Proinde quanta est inter quatuor elementa connexio, tanta saltem est inter quatuor mundos copula. Mundus ergo corporeus per summitatem suam, cum mundi animalis infimo est summopere copulatus, similiter animalis mundus cum intellectuali, similiterque intellectualis cum intelligibili mundo. Mundus intelligibilis in Phædro, & Symposio contemplationis summum tenet, siquidem vtrobique, eatenus ascenditur, quatenus per amorem pulchritudinis ad pulchritudinem peruenitur, Summa verò pulchritudo formaliter est in illo. Quapropter vbi Socrates inquit, mundanos deos cœlum scandere, intelligi vult intellectuale cœlum scilicet, intellectuale purum: Sunt enim ipsi iam per animas suas corporali mundo superiores atque in animali mundo semper. Ascendunt verò primum, atque facillime ad intellectuale cœlum, habent enim intellectus, & ipsi. Progrediuntur deinde ad intelligibile cœlum, ipso scilicet intellectu proportionem cum intellectuali possidente. Mundus corporeus sensu, & imaginatione percipitur, Animalis autem ratione, cum intellectu, intellectualis verò intellectu cum ratione, intelligibilis autem intellectu solo, quemadmodum declaratur in Phædro. Nã ipsum quidem bonum intelligibili mundo superius, nullo capitur intellectu. Vt in Parmenide patet, nec ritè mundus aut cœlum appellari potest. Cœlum igitur mundanis diis deorumque pedissequis est in ascensu ipsum purissimum intellectuum genus, & vniuersitas illa formalis, & intellectualis in eo. Vbi summus intellectualium ordo, in Phædro dicitur connexum cœli, medius verò cœli profundum, Tertius denique concauum. Verum ipsa mundi intelligibilis vniuersitas extat mundanis diis pedissequisque deorum quodammodo supra cœlum, diciturque illis locus ille supercœlestis. Quoniam verò nominatur locus, essentia, ens, scientia, veritas, verum, series idearum, certum est eiusmodi gradum non esse ipsum simpliciter primum vniuersi principium. Illud enim est ab his & similibus absolutum, vt in Parmenide latissimè declaramus, Platone multis passim testimoniis confirmante. Primum vniuersi principium est, & simpliciter vnum, & simpliciter super omnia. Intellectus igitur intelligibilis inde proximè genitus, est & maxime vnum, & vniuersaliter vniuersum, Ideo ipse vnus numero sufficienter est, & dicitur vniuersum. Non tamen quælibet mens sub ipso vel anima, aut sphæra, ita est vniuersaliter vniuersum, Sed suo quodam pacto, & proprietate quadam. Ideo non quælibet nominatur propriè mundus, sicut singulariter ille primus, sed intellectum eiusmodi genus mundus intellectualis cognominatur. Genus animarum animalis mundus, Genus corporum, mundus similiter corporalis. Sed ad mundum illum intelligibilem, qui primum vniuersum est, & ideo vniuersaliter vniuersum, locusque supercœlestis dicitur, redeamus. Iam verò de hoc intelligibili supra cœlum loco quædam negantur, quædam etiam affirmantur. Negatur quidem tactus, id est, omnis conditio, passioque mundo corporeo propria. Negatur figura, id est, animalis mundi qualitas, quæ per figuras & numeros describitur in Timæo. Negatur color intellectuali mundo conueniens, scilicet lumen quoddam participatum, Est enim ille superior locus lumen purum, quale non in colore aspicitur, sed in diaphano. Ipsum denique bonum intelligibili loco superius per lucem Solis intimam, indicante Platone, designare solemus. Quæ verò de intelligibili affirmantur, satis in textu patent. Quoniam verò Plato hic, & in legibus, & Republica duodenario gaudet numero, & plerique Platoni-

nici diis non solum mundanis, sed etiam superioribus duodenarium dicauerunt, probabile forsan videri potest, deos illos intellectuales quos inter intelligibilem animalemque mundum disponebam, esse numero duodecim, principes intellectualium ibi deorum, & habere quatuor Trinitates. Primam intelligibili mundo proximam, vltimam animali contiguam, duas autem medias illinc atque illinc conuenienti proportione vtgentes, fermè quemadmodum inter ignem atque terram aër atque aqua. Huius igitur duodenarij, & reliquorum, illic intellectuum intelligibilis, ille mundus intellectus scilicet primus caput esto, quemadmodum duodenarij quoque mundani, anima duce mundana. Fortè verò duodecim principes super animalem mundum. Intellectus animabus sphærarum duodecim hoc ordine præsunt, vt intellectus aliis animabus sphærisque aliis imperent, atque prouideant, ac similiter nominentur.

Animæ quoque aliæ alias forte mentes, videlicet sibi præfectas præ cæteris specnlantur, & colunt, & pro viribus imitantur. Forsan verò & duodecim illæ mentes ita primum intelligibile speculantnr exemplar, vt quælibet earum illic potissimum exemplaria contempletur, præcipuè pertinentia, tum ad se, rum etiam ad animam sphæramque sibi maximè subditam: tum denique ad omnia quæ in hac ipsa sphæra consistunt, vel ab ipsa proficiscuntur. Reliqua de numeris, nominibusque deorum in Theologiæ quarto tractamus. Quidam existimauerunt duodenarium in Phædro, cum suo Ioue duce, celebratum esse supra mundanum. Ego verò cum Plotino probabiliter arbitror esse mundanum: Nam Socrates mundanos in Phædro deos præcipuè tractat: Appellat enim animalia diuina, ex anima & cœlesti corpore constituta. Tribuit eis aurigas, & equos, atque currus, discursiones intimas: agitationes sphærarum, ascensiones ad altiora, societatem Vestæ, quæ procul dubio est animæ terræ, comitatum dæmonum, & animarum etiam humanarum. Ipsum quoque Iouem vocabulo motionis effingit, ducentem, scilicet, & incedentem, agentemque hæc in cœlo, quasi corpore suo, quasi sit mundi anima, Deusque mundanus. Neque verò putandum est cœlum illud, cuius contemplatione Iupiter magnus, duceesque mundi reliqui, beati sunt, cultores suos beatos efficiunt, esse hoc nobis sensibile cœlum, quando neque nos sola huius inspectione felices efficeremur. Dij profectò mundani animæque diuinæ hoc cœlo præstantiores sunt, neque conuertuntur ad hoc præcipuè contemplandum, quasi ex imperfectiore spectaculo, perfectiores sint quandoque futuri. Cognoscunt verò cælestia hæc oculis manifesta in causis rationibusque suis, non qnidem ad hæc, sed ad seipsos, vel ad superius mente conuersi. Neque vnquam sub huius cœli circunferentia sunt mundi rectores. Neque consideratione subcœlestium puras animas beatas efficiunt, quippè cùm Socrates animas ad ista distractas appellet alis mancas, atque claudas. Ridiculum dictu foret, diuinas animas, quæ apud Platonem eminetiores cœlo sunt, & cælestia sua mouent, motu videlicet, intimo in dorso cœli positas circunferri, ideasque intelligibiles ita suspicere, quæ per intellectuales intelliguntur. Ridiculum quoque diuinarum intelligentiarum gradus ita tripliciter distribuere, vt per ascensum, vel intuitum circa molis concauum, vel profundum, vel conuexum distribuantur. Plato denique in Cratylo docet quid reuera sit istud cœlum, cùm ὀυρανὸν, id est cœlum, interpretatur, visionem superna spectantem. Vranos igitur est intellectuale deorum genus, intelligibilia sursum spectans. Præcipuè verò intellectualium primus cœlius nominatur, siue cœlum. Mundani denique dij pedissequique deorum probabiliter per intellectualem ad intelligibile peruenire dicuntur.

FINIS COMMENTARII IN PHÆDRVM.

SEQVITVR COMMENTVM, cum summis Capitulorum.

CAPVT I.

O Amice, &c.] Phædrus à Lysia profectus, rogatur à Socrate, vt sermonem, & orationem Lysiæ referat. Dissimulat nolle, tandem concedit.

CAPVT II.

Peropportunè, &c.] Descriptio loci amœni. Allegoria pro Academia & Platone, fabula Erithaciæ à Borea raptæ, non est fabulis incumbendum, qui seruit sensibus, est animal brutum, & ferum atque multiplex. Qui ratione vtitur, est animal simplex, mire, diuinum discendi studium omnibus præponendum.

CAPVT III.

Mearum quidem, &c.] Oratio Lysiæ, amatus debet amatoris sui consuetudinem fugere, tanquam infamem, noxiamque, & molestam, instabilemque beneuolentiam, quam perniciosus amor.

CAPVT IIII.

Quid tibi videtur, &c.] Laus orationis est, vt non solùm bona, sed etiam benedicantur. Improbat Lysiam, quod sæpius eadem repetat. Veteres de Amore scriptores huic anteponit.

CAPVT V.

Socr. amicissimus es, &c.] Cauendum in oratione, ne prioribus prætermissis ad posteriora temerè transeatur. In necessariis laudanda magis dispositio est, in aliis inuentio. Ironicum Socratem Phædrus iuramento compellit loqui, tanquam religiosum obsecrat ipsum per numen arboribus prouidens, locoque præfectum. Socrates vltra religionem pudorem quoque suum manifestè declarat.

Inuocatio Musarum; amatores duo in nobis duces.

CAPVT VI.

Socr. Agite, ô Musæ, &c.] Socrates tractaturus de Amore, Musas inuocat, quæ propter harmoniam ad gratiam, & beneuolentiam conferunt: Quarum vna Erato, id est, amabilis nominatur, vituperat amorem incontinentem, quem vituperauit & Lysias, sed definit ipsum prius: Non enim quale sit vnum, quodque cognosci potest, nisi prius quid sit definitione sit cognitum: Socrates dum tangit Lysiam, clam sub Lysiæ persona tangit & suam. Vterque enim amat Phædrum, quamuis non similiter vterque persuadet non indulgendum incontinenter amanti. Duo in nobis duces; cupiditas voluptatum, & legalis opinio. Amor incontinens definitur ita: Irrationalis cupiditas trahens ad voluptatem formæ.

Nymphæ, Dionysius Musæ.

CAPVT VII.

Num tibi, ô amice, &c.] Nymphæ sunt numina, quæ generationi præsunt. Ideo dicuntur aquas inhabitare, vel syluas, quoniam generatio, & per humorem expletur, & descendit ad syluam, id est, materiam primam: Dionysius his est præfectus. Est enim Deus generationi regenerationique præsidens. Ideo forte bis natus fingitur, huic conueniunt hymni, Dithyrambi inflati, obliqui, multiplices. Quoniam verò animus, aliter & aliter affectus, aliis quoque, aliisque afflatur numinibus: ideo Socrates attentissimè tractans de Amore, qui in generatione versatur, mox tractaturus de Amore regenerante, nimirum à Dionysio, Nymphisque corripitur. Silentio, id est, vacatione ab alienis moribus opus est ad diuinum afflatum. Locus autem ille diuinus est, qui præstantioribus subest influxibus, atque numinibus. Socrates apud Platonem ibi solùm diuinitus concitatur, vbi de amore & pulchritudine loquitur. Ad hæc enim & ipse propensior est, & pulchritudo visibilis in memoriam reuocat inuisibilem: Cuius amor copulat nos cum Deo. Incessit autem hic à pacatoribus, id est, à Musis, definit in Bacchanalia, Contemplationes enim perueniunt in furores.

CAPVT VIII.

Age igitur, &c.] Quot malorum causæ sint amato, consuetudo amatoris incontinentis quantum obsit bonis animi, & corporis, & fortunæ.

Dæmones locales, quomodo dæmones & eleuent animas & deducant.

CAPVT IX.

Sunt alia quoque, &c.] Quantum amatoris incontinentis consuetudo non solis sit noxia, sed molesta. Multi sunt dæmones per prouincias distributi. Alij illic alia sortiri rerum animalium vitarum genera. Hi animas qui talia iam elegerunt, in talibus quoque detinent. Hinc in Republica, Plato describit dæmones electarum vitarum, & fati, sortisque ductores. Mouent igitur imaginationibus, & viribus machinisque suis imaginationes nostras ad opinionem, spemque voluptatis in eiusmodi rebus quandoque futuræ. Idque faciunt etiam ab initio electionis, ætatisque humanæ, vnde videntur iucundam escam malis, id est, inclinationibus ad inferiora, miscere: vt in hac ipsorum prouincia diutius demorentur. Si boni dę-

mones id quodammodo faciunt, vt vniuersalis oratio expleatur efficiunt: Sin dæmones improbi vt efficiant. In dæmonibus quidem bonis, id est mundi rectoribus, sunt vires, quibus ad certum modum iustè detineant, & quibus quandoque soluant, ac reuocent ad supera, vt probat Iamblichus, qui eiusmodi dæmones, inquir, partim quidem alligare nos fato, partim verò soluere. Hinc Orpheus sæpè numina claues tenere, canit, quibus videlicet, claudant pariter, & aperiaut. Potest itaque Socrates raptus à Nymphis adolescentem à libidinibus vindicare.

Nymphæ, Bacchus, Dæmon, Phœbus.

CAPVT X.

Cur ergo, &c.] Afflatus est Baccho ad Dithyrambos præcipuè: à Nymphis ad carmina. Per Nymphas vituperat amatorem incontinentem. Per Bacchum probat continentem, vt adolescentem, quasi regeneret. Denique, quoniam per Bacchum fit excessus, mox dæmon forte Phœbeus. Phœbus enim Baccho proximus corripit, vt etiam mores humanos excedat. Tractatque post hæc de amore diuino per furorem aliquem excitante.

Quomodo dæmon moneat imaginationem atque sensum.

CAPVT XI.

Socr. cùm flumen, &c.] Dæmon profectò cum imaginatione sæpius imaginationem moueat, quæ sensus est vniuersus: ideoque possit ita mouere per visum, vt per auditum. Socratem tamen disciplinæ studiosissimum, & auditui deditum quasi per auditum mouet. Sed quomodo? Sanè vel conceptum imaginabilem efficaciter ad intimum propagat auditum, vel formas ipse dæmon in suo corpore spiritali vocat motu quodam miro eodemque motu pulsat corpus Socratis spiritale, quasi voce quadam, quo quidem vibrato excitatur ad idem, & auditus Socratis intimus. Sed præter dæmonicam admonitionem inesse præsagium animo, Socrates hic planè declarat.

Quomodo Amor sit Deus aut diuinus, qualis amor in Deo, qualis in aliis.

CAPVT XII.

Socr. Grauem, ô Phædre, &c.] Periculosissimum est peccare non solùm contra Deum, sed etiam contra diuinum nomen. Crimen per pœnitentiam expiatur, sed periculosa est pœnitentia fera. Amor autem Deus est, aut diuinum quiddam. Profectò diuinum quidam est amor ille, qui est desiderium diuinæ pulchritudinis contemplandæ, vel etiam imitandæ, siue hoc desiderium fit in mente diuina, siue in anima cœlesti, siue particulari quadam atque nostra. Eiusmodi amor vbique est filius Veneris, id est, vitalis & effectiuæ potentiæ ad formas intelligibiles annitentis. Conflaturque ex copia quadam pariter, & inopia: Quemadmodum exponimus in conuiuio. Est quoque Deus amor, id est, ille Deus penes quem viget amor, imò & Deus ipse summus. Ille enim sicut apud Plotinum appellari pulchritudo potest, tanquam fons pulchritudinis, sic & amor tanquam autor amoris pulchritudinem consequentis. Vbi enim Plotinus in primo voluntatem ponit, non negabit amorem, sed inopem certè negabit.

Species amorum, furorum, oraculorum.

CAPVT XIII.

Socr. Sic ergo ô egregie, &c.] Triplex amor est, incontinens, continens, diuinus: Primus ad formam corporis præcipit animum, secundum conuertit ad pulchritudinem animi: Morem scilicet atque sapientiam. Tertius ad intelligibilem idealemque reuocat pulchritudinem. Primum Socrates Lysiasque palam vituperauere, secundum Socrates clam laudauit, deinceps iam tertius laudaturus, erret necesse est quisquis amorem simpliciter probauerit, Erret quoque quisquis amorem incontinentem hac propria ratione damnauerit, quia sit furor quidam, id est, alienatio mentis. Est enim propterea & furor aliquis per quem animus alienatur, Deo raptus, super hominem eleuatus, hic venerandus est, quoniam est à Deo facitque diuinum: atque est maximorum, tum malorum Medicina, tum bonorum causa. Est ergo præstantior quam humana temperantia, vel prudentia, quæ non tam ingen um, vel malorum remedia sunt, vel bonorum causæ. De furoris definitione, ac de quatuor furorum ordine satis in Ioue, & conuiuio loquimur, de vaticiniis & oraculis sacrificiorumque virtute vnà cum Iamblicho, & in Theologia satis egimus. Satis esto nunc intelligere vaticinia, & oracula, & miracula, expiationesque criminum palam à Platone & Platonicis affirmari. Diuinumque furorem humanæ sapientiæ, quod & Paulus Apostolus ait: longe præponi, vaticiniumque diuinum artificiosis hominum præsagiis summopere præferendum, Dodoneum oraculum ab Ioue, Delphicum ab Apolline, per dæmones videlicet Ionios, & Phœbæos hominesque fortè consimiles, & instrumenta conformia. Ibi quidem fœminæ quercus frondibus coronatæ responsa dabant, hic in tripode respondebant: connumerauit vtraque Socrates quasi cognata. Iupiter enim, & Sol in cœlo virtute occulta maximè consonant, & Sol opificis Iouis præcipuus est magister. Et virtus illustratoria virtutem opificiam comitatur.

Quomodo quatuor diuini furores sunt inuicem copulati, dij mundani, animæ diuinæ atque humanæ.

CAPVT XIIII.

Tertia verò à Musis, &c.] Non immeritò, in furore quoliber describendo, furorem quemlibet quodam pacto commemorauit: Sunt enim inuicem coniugati. Nam in mundo intelligibili illuminatoria Phœbi virtus coniugatam habet prouocantem, & quasi calefactoriam, Bacchi virtutem: in virtute quidem illuminatrice viget virtus ad præsagium, & poësim, in prouocatrice verò ad amorem atque vota. Simile quoddam in cœlo coniugium est in Sole, penesque Solem, Lumen enim colorque Apollinem referunt, sapor Bacchum. Solaris præterea virtus per Mercurium quidem ad Musas, per Venerē verò prouocat ad amorem. Sed quomodo vaticinium sacerdotiumque significet, nunc Astrologis concedatur. In nobis denique intelligentia voluntasque sunt germanæ. Ad illam quidem vaticinium cum poesi, ad hanc autem mysteria votum pertinet cum amore. Quamobrem ex vaticinio sæpe ad vota confugimus, ex votis sæpe consequimur vaticinium,

& vtrobique diuinus cum Musa canimus Hymnos, vtrobique ad diuinotum incitamur amorem, atque vicissim diuina semper ardentes amando ; multa vaticinamur, mysteria efficaciter superamus, hymnos canimus admirandos. Eiusmodi poësim diuinitus nobis infusam, Plato etiam Philosophiæ præponit, humanam verò procul ex vrbe propulsat, Futura disputatio non solum de anima, sed etiam de diuinis ferme omnibus, quamuis contentionis forte incredibilis videatur, diuinis tamen, id est, sapientibus, est credibilis. Disputatur de anima diuina, & humana potissimum. Animæ diuinæ sunt vel ipsi dij mundani, scilicet sphærarum stellarumque animæ. Vel animæ quæ semper sequuntur hos deos scilicet sublimes, animi in Sphæris mundi rectores, Angeli, dæmones, heroes, hæc equidem animalia summatim dæmonica libenter appello. Posthæc sunt animæ nostræ, quæ aliquando sequuntur deos, aliquãdo non sequuntur, & si qui inferiores dæmones sunt eiusmodi. Patet verò maxime natura animarum diuinarum per opera, nostrarum verò per affectus, tum ad temporalia, tum etiam ad æterna.

Syllogismi duo de immortalitate animæ.

CAPVT XV.

Anima omnis immortalis, &c.] Anima omnis est immortalis, omnis, inquam, paulò ante præmissa, scilicet, rationalis, tam humana, quàm diuina. Quoniam verò Socrates, tanquam furore concitus, syllogismorum partes non omnino disponit in ordinem, nos ita breuiter componemus. Cùm per ipsam animæ præsentiam corporea consequantur, vt appareant quodammodo per se moueri, constat animam naturaliter hoc habere, vt ex seipsa, & per seipsam moueatur, & agat, hinc syllogismi duo præcipuè ex eodem capite contextantur: Primus, Anima per se mobilis est. Quod per se mobile, semper mouetur, quia nunquam seipsum destituit, nec vnquam à virtute motrice deseritur. Si semper mouetur, scilicet motu quodam intimo, semper viuit. Anima igitur immortalis. Secundus verò syllogismus: Anima per se mobilis est, igitur principium motus existit. Principinm motus ingenitum : Qnod ingenitum immortale, Anima igitur immortalis.

Qualitas aurigarum, & equorum in animabus diuinis vel humanis.

CAPVT XVI.

De immortalitate animæ, &c.] Auriga in animabus diuinis & equi dicuntur omnes boni, id est, semper boni, qui nunquam deprauantur, & ex bonis, id est, constant ex melioribus generibus entis, imò ex eisdem communiter quinque generibus, sed præstantius se habentibus : nostri verò permixtam habent manifestam contrarietatem, cùm euadere quandoque possint ex bonis mali, præsertim quoniam equus noster inferior ad deteriora entium genera, id est, motum alteritatemque declinat. Dicitur autem aurigatio nostra difficilis, quoniam motus quidem superioris equi, ad intelligibilia, inferioris autem ad sensibilia vergit, ad genituramque declinat : neque potius est anima nostra in hac vita contemplari pariter atque prouidere. Anima verò diuina potest, & nostra tandem in patriam restituta.

Immortale animal, & mortale.

CAPVT XVII.

Qua verò ratione, &c.] Immortale animal est ex anima corporeque cœlesti compositum. Mortale verò ex corpore insuper elementali. Hoc mortale animal, scilicet homo, prouenit ex lapsu animæ ab vniuersali vitæ ratione ad particularem, è cœlo ad terram, quàm verò mirabiliter animal immortale sit conflatum difficile cognitu.

Expeditio vel impedimentum alarum animæ.

CAPVT XVIII.

Per quam verò, &c.] Ala, id est, virtus eleuans, intellectui rationique diuinitus ingenita quatenus expedita viget, efficaciter eleuat ad diuinum. Omne verò diuinum est bonum, sapiens pulchrum. Eleuatio igitur ad diuinum in hac vita participem animum donorum eiusmodi reddit, præparatque vt in alia vita his perfecte fruatur: Si autem animus in hac vita se transferat ad contraria, id est, ad malum, quod est affectus ad sensibilia, item ad ignorans, quod est sensus, item ad turpe, quod est materia, ligat alam, vt nequeant post hanc vitam mox ad sublimia reuolare.

Iupiter magnus in cœlo duodecim sub eo duces, atque exercitus diuinorum.

CAPVT XIX.

Magnus vtique, &c.] Iupiter dux in cœlo magnus, id est, anima mundi, quæ in cœlestes animas principatum tenet, citans alatum currum, id est, exercens in se geminum conuersionis motum, in Timæo descriptum, incedit primus. Est enim mobile primum, atque ita per interiores motus mouet currum exteriorem, id est, machinam vniuersi, per currum interiorem, qui alatus dicitur: Quoniam dum regit mundum, nihilominus diuinis incumbit : Sic igitur feliciter exornat vniuersaliter cuncta simulque facillime prouidet. Hunc sequunrur, id est, per motum imitantur, duces mundani, duodecim sphærarum videlicet animæ. Deinde animę stellarum sublimiumque dæmonum. Imitantur, inquam, per similes motus intimos exteriora mouendo, & diuina interim contemplando, Socrates dum pronunciat, incedere, ducere, citare, sequi, quæ quasi progressionem significant, interim licentia quadam poëtica Vestam, id est, terræ animam, excipit. Huic enim molem regenti stabilem cognomenta eiusmodi minus conuenire videntur. Cæteris autem in duodenario ducibus probabilius conuenire. Agit tamen motus ipsa suos suæque molis occultiores, eosque certo quodam ordine, id est, proprietate quadam, & prouidentia propria sibi iniuncto diuinitus suaque, similiter cæteræ sphærarum animæ similesque diuinæ, sed manifestiore motu. Dum verò suas ita machinas moderantur, ea facilitate, qua Iupiter diuina interim feliciter speculatur in cœlo intellectuali superna licentia, vbi profectò spectacula nominantur, quæ ad stabilẽ intuitum magis attinẽt, discursiones verò quæ ad mobilẽ circũspectum,

Quisque verò deorum institutum sibi diuinitus officium peragit, partim quidem contemplandi, partim etiam prouidendi neutro neutrum impediente. Cùm natura deorum beneficia bonis in omnia semper exuberet, meritò quicumque particularis animus, siue hominis, siue inferioris dæmonis alicuius vult, atque potest, subitò deos sequitur, id est, sursum reuocatur ab illis, similisque felicitatis compos euadit.

Conuiuium in patria, modus atque gradus contemplandi.

CAPVT XX.

Cùm verò ad mensam, &c.] Dij mundani, comitesque eorum animi, accedunt ad mensam, epulumque summum, id est, ad contemplationem diis supermundanis conuenientem. Mensa quidem dicitur, quantum pro suo modo suscipiunt; epulum verò, quantum pro largitate donantium. In hoc autem accessu, primò quidem concauam intellectualis cœli circunferentiam, id est, vltimos intellectualium attingunt ordines: deinde, ascendunt per medios ad supernos. In hoc autem ascensu omnes deorum diuinorumque animorum currus aurigæ obedientes, æqualiterque librati facilè gradiuntur. Currus, id est, intimæ discursiuæ vires omnes, quæ & omnium sequuntur intelligentiam, & simul possint æqualiter contemplari atque prouidere: Currus autem particularium nostrarum animarum difficilius illud iter agunt. In quibus deterior equus ad generationẽ inclinatur, & trahit secum etiam aurigam, qui non bene hunc educauerit atque domuerit. Animi verò diuinj assidui deorum pedissequi cum ad summum intellectualis cœli contemplando peruenerint, in eo summo consistunt, id est, vsquam declinant. Ibi circumferentia, id est, intellectualis discursio velocissima illi summo conueniens illis competit, per quam supercœlestia, id est, cœlum intelligibile contemplantur. Tum verò cum andis temporales discursiones, intellige putos quidem intellectus stabiliter intelligere, deos verò mundanos animosque diuinos discursione perpetua circa intelligibilia se versare, nostro salutem autem per quædam temporum interualla.

Locus supercœlestis, intelligibile primum, modus contemplationis.

CAPVT XXI.

Locum verò supercœlestem, &c.] Socrates de mundo intelligibili loquuturus inquit, se de veritate dicturum, quoniam veritas, vt dicitur in Republica, est lumen ex ipso bono per intellectus intelligibiliaque diffusum: In primis autem in intellectum, & intelligibile primum, vbi splendor huiusmodi est pulchritudo prima. Illic locus dicitur supercœlestis, locus, inquam, id est, prima complexio ideatum. Hæc prima & vniuersa, perfectaque essentia est, nec sensu tangibilis, nec imaginatione figurabilis, sed intellectu solo perspicienda. In primis quidem in intellectu supermundano, deinde in intellectu mundano animæ suæ duce, per quem solum cœlestis anima mundum attingit intelligibilem, Deum verò superiorem per vnitatem. Sed cur nam hoc intelligibile dicitur, intellectu contemplare vti potius quàm apprehendi? Quoniam hoc illo vtitur vt instrumento. Suoque illi lumine se patefacit. Genus autem veræ scientiæ circa animam hunc habet locum. Quoniam, & si animæ diuinæ insitas idearum formulas habent, ad quas sese conuertunt scientiam adepturæ, nondum tamen scientiam consummatam per eiusmodi conuersionem adipiscuntur, nisi per formulas insitas se transferat in Ideas. Proinde cogitatio Dei, id est, discutiens illa cognitio, in mundano quouis Deo principe à supermundanis nutritur intellectu scientiaque inuiolabili. Nam discursio & ab intelligentia incipit, velut principio, & ad scientiam peruenit, velut finem. Cogitatio quoque diuinæ cuiuslibet animæ deos perpetuo comitantis similiter à supermundanis mundanisque diis illustratur atque nutritur.

Cogitatio eiusmodi quæ conuenientem sibi contemplationis, & felicitatis, & prouidentiæ modum à superioribus acceptura est. Semper eorum munere ens ipsum intelligibile suscipit, primoque aspectu hoc amat vt pulchrum, mox idem attentius contemplatur vt verum; imo tanquam vera: In vno enim ente entium omnium contuetur ideas, contuendo nutritur atque perficitur, hinc bene se habet atque gaudet, vt bono hic Socrates, vt in Philebo felicitatem in mixtione quadam ex visione, & gaudio collocat. Dicuntur autem animæ diuinæ ideas videre per tempus, non quia quandoque desinant intueri, sed quoniam ideas alias ex aliis temporali quodam circuitu contemplatur. Et postquam à quodam ideatum capite cœperunt persequentia progredi, nunquam desinunt, donec ad idem caput iisdem radibus reuertantur. Nunc in anima circulum regit circunferentia illa cœlestis superuisibile cœlum. Nam intelligentiæ circulus atque summitas in intellectu supermundano circuitus animarum ad supercœlestia scilicet intelligibilia ducit. Sed quod intellectualis circulus momento complectitur, id tempore peragit animalis, donec etiam ad idem caput vnà cum intellectuali circuitu referatur. Memento intellectuales animas qua ratione animæ sunt per omnes vires suas mobiliter agere. Siquidem motus est proprietas animæ naturalis necessario pertinens ad essentiam, veruntamen qua proprietate intellectuales sunt, habent in intellectu vltra mobilem intelligentiam intuitum quendam stabilem superioribus competentem.

Obiecta, & gradus contemplationum in patria.

CAPVT XXII.

In hoc autem circuitu, &c.] Etsi anima diuina intellectuali circuitu per omnes discurrit ideas, tamen de tribus potissimum Socrates mentionem facit, Iustitia, Temperantia, Scientia. Hæc enim præcipue ad fœlicitatem conferunt, & ad pulchritudinem maximè pertinent. Scientia quidem illa non est ita ex notionibus genita, sicut quæ est in anima. Nec est vt aliud in alio sicut quasi formalis ratio quædam in intellectu, nec eorum quæ communiter entia nominamus. Non enim res naturales aspicit vt obiecta, sed est inge-

nita, & simplex, & essentialis virtus, ipsaque essentia, essentiamque suam aspicit, vt obiectum, atque est in ipso ente primo scientia vera scientiarum omnium exemplar & causa. Diuina igitur anima, non has solum tres ideas, sed etiam cæteras quæ vera sunt entia speculatur, & speculatione nutritur. Non enim est illic visio tenuis, aut sola, sed naturalis affectio per modum gustandi non minus quàm videndi. Dum illa videt mox ex illis, quæ in supercœlesti loco sunt, velut à principiis exemplaribusque, cœlum subit iterum procedens scilicet ad intellectualia contemplanda, ex intellectualibus autem ad seipsum, & quæ propriæ ad animæ naturam pertinent contuenda, idque est redire domum. Neque verò putandum diuinas animas cum à loco supercœlesti ad cœlestem, & ab hoc domum proficiscuntur, superiorem gradum pro inferiore relinquere, sed supremis viribus suis super cœlum agere, mediis in cœlo, infimis vero domi, simul quidem tria hęc efficere, & vbique circuitu. Quoniam anima diuina ex contemplatione superiorum accedit domum ad suam proprietatem considerandam, atque exercendam, vnde mundanis prouidet, ideo auriga, id est, intellectus, ad præsepe sistit equos, id est, vires inferiores, per quas peragitur prouidentia, bonis contemplatione profectis implet. Ad præsepe, id est, ad memoriam conseruationemque diuinorum nutrit Ambrosia, solido nutrimento, quatenus eos sistit in causis suis atque bonis. Item nectare aliquando, quatenus roborat & prouocat, vt prouidendo foras exuberent. Atque hæc est vita deorum, id est, cœlestium dæmonicarumque sublimium animarum, quarum in numero clam computantur & nostra, quatenus attentione summa affectuque pari intelligibilia contemplatur.

Causæ descensus animarum.

CAPVT XXIII.

Cæterarum verò animarum, &c.] Anima nostra vires habet quibus contemplari diuina potest, & quibus inferioribus prouidere, si vtrumque semper vniuerso bonum, & sibi denique bonum explere potest, ergo debet. Quoniam verò & ipsa est vltimum diuinorum, & hæc in terris nostri corporis gubernatio difficillima, ideoque vtrunque simul prorsus implere non potest: probabiliter per vices implet, tum quidem cœlestem vitam agens, tum verò terrenam. Sed cum in hunc diuinitus compelli non debeat, naturali quadam potius conditione descendit, siquidem intelligentiæ suæ circuitus mensuras habet suas, certis temporum curriculis duraturas, Mensuras quoque suas actio vegetalis. Remittitur igitur paulatim actus intelligentiæ suæ quodam tempore, similiter & affectus: Intentionis autem remissio futuræ mox intermissionis est origo: Intermissio verò futuræ tandem dimissionis est causa. Interea quatenus actus & affectus ille remittitur, eatenus actus, affectusque potentiæ genitalis consimilisque imaginationis, necnon cogitationis intenditur. Id totum erit amittere pennas, & labi deorsum ad corpus iam inferius vegetandum, ac terrenam prouinciam gubernandum. Tres igitur illos scilicet remissionis, intermissionis, dimissionis effectus, Socrates ordine tetigit, vbi auriga non prius perturbatur ab equis quàm contemplationem iam remittat, neque cogitur ab eisdem, nisi iam intermittat, neque superatur nisi dimittat. Vbi verò mutua animarum certamina, poëtica licentia, finguntur in cœlo, significatur supercœlestium contemplatione dimissa, in ipsa etiam consideratione cœlestium vim non solum concupiscibilem circa subcœlestia, sed irascibilem etiam pugnacemque superbiam excitari, atque ita denique perturbatas pro scientia diuinorum opinionem denique reportare. At quoniam animus latentem quandam beatitudinis illius memoriam retinet, quando illius quodammodo reminiscitur, optat summopere illam recuperare, quam denique ex ipso veritatis prato, id est, intelligibili mundo, idearum plenitudine recepturus, merito ad ipsam rerum omnium scientiam semper afficitur, & si quando fuerit expeditus studiose ostendit.

Status animæ in patria, discessus, reditus vite nouem.

CAPVT XXIIII.

Regulaque Adrastiæ, &c.] Quæritur vtrum prius sit, remissione intelligentiæ, an naturæ deterioris intentio? Plato alicubi quidem prius illud, alicubi verò prius hoc indicare videtur, similiterque Platonici, Omnibus igitur pensitatis, probabile forte fuerit simul vtrunque concurrere, neque enim fas est virtutem superiorem quàm diu in patria sua viget, à deteriore potentia inde distrahi, neque credibile præstantiorem illam facile è tanto bono diuerti, nisi & vis eius, siue actus naturaliter remittatur, & vis interim potentiæ declinantis ad oppositum intendatur. Itaque pariter vtrumque concurrir, harmonia scilicet vniuersi similiter concinente, quæ quidem vniuersa regitur ab Adrastia, id est, ineuitabili quadam prouidentiæ diuinæ lege, quæ non mundanis solum, sed etiam supermundanis leges sancit, ordinesque distribuit. Sub hac igitur lege noster animus dum in illo contemplationis supernæ gradu suum comitatus Deum, idea maliquam, quæ sit circuitus alicuius caput, attentissime contemplatur. Integrum illum circuitum, per consequentes ideas inde continuatum ab impedimento procul peragit: Hoc quoque peracto, sicut caput alterius exorditur studio pari, pariter quoque prosequitur. Si quando verò circa periodi alicuius caput paulo negligentius agat, scilicet propter impotentiam suam, quia iam vis superior aliquantulum remittatur, simulque intendatur inferior ex illo statu delabitur, ad gradum aliquanto deteriorem, fortè ab intelligibili ad intellectualem, ab hoc deinceps ad rationalem, ab hoc subinde ad imaginalem, atque sensualem, à sphæra quadam superiore ad inferiorem, ac tandem ad elementa. Id postremo contingit, quando alas, id est, vires ad diuina tollentes iam coëgerit in angustum, vnde obliuiscitur diuinorum, præsertim si cum quodam in dæmones inciderit, ad sensibilia diuertentes. Neque tamen potest anima nuper cœlitus descendens in brutum præcipitari, siquidem aliqua brutorum commercia tanquam ad purgatorium animæ transmittitur, postquam à cœlesti proprietate longius iam digressæ, humanos etiam mores exuerunt, & induere ferinos. Quàm diu verò animæ in patria solo intellectu vtentes, vnà cum mundanis supermundanisque diis mundum intelligibilem sedulo contemplantur, illic cunctæ pariter omnia vident, & si aliter & aliter omnia.

Postquam verò intellectu simul, & ratione vnà cum diis mundanis circa cœlestia corpora eorumque animas considerandas vti cœperunt, iam non omnes omnia contuentur, sed hæ quidem plura, illæ verò pauciora. Hic iam ex nouem differentiis visionum, nouem vitæ futuræ auspicantur initia. Quinetiam cum nouem sint præcipue cœlestium animæ, scilicet anima mundi, simul & octo sphærarum cœlestium animæ. Quibus animæ nostræ aliis aliæ potissimum illic habitantes accommodatæ sunt, merito dum dimissis superioribus ad cœlestia potius se conuertunt, differentias nouem subire videntur ad ingenia nouem hic afferenda circa facultates nouem expediendas, nouem communiter gradibus distributas. Vbi verò dicitur, hanc animam plura vidisse quam illam, intelligendum est, non solum numero plura, sed quodcunque viderint pluribus rationibus, & ardentiori studio comprehendisse. Quæ igitur ita plura perspexit, ingenium attulit Philosophicum, ad omnia perscrutanda natum: Ingenium eiusmodi cum sit veritatis, & sapientiæ studiosum, in his autem prima sit pulchritudo, merito studium pulchritudinis secum attulit. Ideo Plato vbicunque nominat ipsum sapiens, ferme semper adiungere solet ipsum pulchrum: Pulchritudinis illius imaginē visu percipimus & auditu. Quemadmodum, & hic Hermias, & Plotinus in libro de pulchro testatur. Merito igitur postquam nominauit Philosophum statim nominauit pulchri cupidum, cui subdit, amatorem atque Musicum: Illum quidem propter visibilem, hunc vero propter audibilem pulchritudinem: Anima verò quæ aliquando pauciora negligentiusve conspexit, cum regio descendit ingenio. Rex enim vniuersalem quidem apud homines prouidentiam gerit, sed Philosophus ampliora etiam contemplatur, Regem comitatur, belli dux atque perpetuus magistratus. Sed quæ anima rursus pauciora vidit, in virum ciuilem & œconomicum mercatoremque descendit. Horum enim prudentia angustior est, quam prouidentia regia. Sequitur gradu quarto gymnasticum ingenium atque Medicum, quorum prouidentia insuper angustioribus limitibus coërcetur.

Sed quidnam sibi vult quinto gradu ingenium sacerdotis, atque fatidici? Non diuinum hic sacerdotem, sed Mercenarium; Plebeiumque intellige, anguriis extisque & vulgaribus ceremoniis occupatum, qui neque scientia neque arte qua superiores illi, sed consuetudine quadam nititur atque sorte, Sexto gradu à contemplationis liberalitate discedit facultas imitatoria, quasi seruilis, quæ non diuino poëtæ competit, sed humano similiterque minimo Septimo quiuis artifex, & agricola externæ materiæ seruiens, & angustiorem prouinciam habens quam imitator. Octauo iam longius distant simulatores, qui falso quodam prætextu rationis incedunt, Sophista Philosophum simulans, declamator vero ciuilem. Longissime denique tyrannicum distat ingenium, non tam quia regem simulet, quàm quoniam pro ratione introducit arbitrium. Qualibet autem ingeniorum specie ad aliquid bonum vti possumus atque malum. Ideo subdit Socrates, quicunque in aliqua vitæ speciæ iuste se gesserit, meliorem postea sortem reportaturum, qui autem iniuste deteriorem.

Tempora transmigrationis restitutionisque animarum. Animam nostram non fieri brutam.

CAPVT XXV.

In idem enim vnde, &c.] Numerus ternarius & denarius perfecti dicuntur: quoniam ille quidem primus numerus est completus, hic autem quoniam est quodammodo numerus vniuersus. Denarius in se quidem ductus centenarium facit planum, reductus autem millenarium facit solidum. Rursus adhibemus ternarium ad mille, hinc tria millia constituimus, denarium rursus ad mille, hinc conficimus decem millia. Eiusmodi numeris propter perfectionem suam ad purgationem restitutionemque animæ, quoniam perfecta tandem euadere debet, Socrates vtitur, non quia tot propriè anni sint, sed vt intelligamus quotcunque anni contigerint, eam perfecta ratione consumari debere, conuenit & alia ratione millenarius transmigrationi à generatione in generationem facta, à corpore scilicet terreno in terrenum, vel hinc in aërium, vel vicissim. Numerus enim solidus significat terram, quæ in Timæo figuratur cubo, significat etiam materiale corpus, scilicet elementum. Conuenit termillenarius Philosopho sursum restituendo, non tam quia per tres in hoc terreno corpore vitas deinceps sit sedulo Philosophiæ studio confirmandus, quàm quoniam oporteat animum in hoc corpore philosophatum, quando hinc migrauerit etiam in aërio corpore mixto philosophari. Quod quidem efficit, si in vita priore ad finem vsque philosophando perseuerauerit. Et quoniam oporteat insuper exutum corpore mixto, deinceps in aërio puro meditationem philosophicam ad summam continuare. Hoc est igitur ter mille annis philosophatum esse: Vnde mox cœlo redditur, sapientiam pro philosophica tandem reportaturus. Oportet autem philosophari sine dolo, id est, non humanæ sapientiæ gratia, sed diuinæ. Celerius autem redibit, & melius, si vnà cum sapientiæ diuinæ studio non modo diuinam dilexerit bonitatem, sed etiam pulchritudinem eius mirabilem agnouerit ab initio, & ardenter amauerit. Præterea numerus decem millia aliorum accommodatur ingeniis, qui non statim in prima post discessum vita Philosophiæ studium capesserunt vel in hac inceptum, in sequente minus retinuerunt. Hi enim in patriam tardissime reuertuntur. Quæ sane tarditas per hunc numerum designatur. Iam vero cum nouem vitæ genera disposita fuerint, si finxeris aliquem iam nouem peregisse eiusmodi vitas, cum inceptum quondam Philosophiæ studium nequaquam continuauerit, cognoscere eum post vitas omnes nouem cogi rursus ad Philosophiam reuerti, quasi iam decimam, modo sit in patriam reuersurus. Id igitur per numerum decem millia significatum fuerit. His itaque gradibus ad idem animi reuertuntur, sed ad quidnam idem? Primo quidem ad eandem sphæram atque stellam cui ab initio accommodati fuerint, & hoc forte citius: Secundo rursus ad eandem ideam ad eundemque omnino contemplationis beatitudinisque gradum, quo aliquando fruebantur, atque id forte serius.

Proinde, contemplatiuæ Philosophiæ expertes animæ, hoc deposito corpore, si iuste vixerint, iudicio diuino mittuntur in quendam cœli locum, id est, in aërem cum aërio corpore: Ac

enim cœlum nobis est primum, si iniuste, sub terram. Terram exponere possumus, terrenum corpus hominis, quasi de homine terreno rursus transeat in terrenum, loca etiam subterranea suppliciis deputata. Iudicium verò diuinum sic varias animas per ipsas animarum inclinationes, iam contractas ad conuenientia loca perducit, sicut vegetalis natura, alia quidem sursum per leuitatem, alia verò deorsum per grauitatem. Non transit in bestiam animæ rationalis, vt fiat anima bruti corporis, sed cum in ferinum se affectum, & habitum commutauerit post hac in bestiarum commercia, vt Proclus, Hermiasque volunt, cadit, forte etiam bestiarum animal desuper applicat, diuino similiter iudicio decernente: Nonnulli sunt, qui putent rationalem animam atque irrationalem in eadem specie computandam, quasi irrationales animæ nihil aliud sint quam ipsæ, quæ rationales fuerant, sed iam prolapsæ. Hoc Socrates manifeste confutat, dicens animá ex bestia in hominem non venire, nisi illam met animam, quæ quondam fuerat hominis, illam, inquam, quæ ipsam prius inspexerat veritatem, quasi anima hominis in alia specie sit quàm anima bruti, & si quando in brutorum commercium venerit, non fuerit corpori ferino pro vita, qnoniam neque figura ferini corporis animæ rationali conueniat, sicut neque irrationali competit hæc corporis humani figura. Quod autem irrationalis anima illa bruti propria, quippe quæ nunquam inspexerit veritatem, non veniat in hanc corporis nostri figuram, ostendit Socrates, dum proprium animæ nostræ describit officium, id est, vt conspectis particularibus, colligere conceptum vnum de illis possit vniuersalem, qui conceptus communiter species dicitur; per quem ad vniuersalem formulam animæ naturaliter insitam quandoque perueniat, per quæ banc ad ideam, quæ non solum dicitur species, sed existit. Id verò, nequit anima bruti, quippe cum nullas idearum formulas insitas habeat. Peruenire autem hoc pacto per formulas ad ideas, quod est animæ rationalis officium, nihil est aliud quàm reminisci intelligibilium illorum quæ quondam viderat in cœlis animus, suum ibi mundanum Deum secutus, & quia Philosophus etiam in terris eisdem incumbit, quibus & mundanus Deus scilicet ille cœlestis, merito recipit alas quibus in cœlum reuolet, vbi diuinus euadat, non tam cœlestium, quàm intelligibilium contemplatione, quemadmodum & cœlestis ille Deus suus, intelligibilium intuitu summopere diuinis existit, diuinitate, scilicet, quadam supercœlesti.

QVOMODO CONTEMPLATOR fiat diuinus, diuinæ que pulchritudinis euadat amator.

CAPVT XXVI.

Talibus antem commentationibns, &c.] Legitimus Philosophus dum rationes rerum omnium perscrutatur, frequenter ex communibus naturis quas deprehendit in singulis, communes in se concipit notiones, pet quas ad formulas sibi insitas peruenit, per has tandem attingit ideas, per ideas excogitat sapientiá ac bonitatem diuinam. His meditationibus rectè vtitur, si sapientiam bonitatemque diuinam, cum primum inuenerit summopere veneratur, & colit; hinc diuinitate prorsus impletur, & quasi sacerdos, (est enim Theologus,) ad summum dicitur expiatus, mysterialique & Dionysiaco furore correptus.

Hic itaque solus ad furorem amatoriam est propensus, cum enim per sensibilia consueuerit intelligibilium reminisci, sapientiamque per hæc & bonitatem diuinam colere, merito si quando visibilium pulchritudinem intueatur attentius, facile admodum per hanc diuinæ pulchritudinis recordabitur, quæ diuinæ bonitatis, & sapientiæ splendor existit, eamque ardenter amabit. Furor hic amatorius tribus aliis præstantior est, tum quia fit ex optimis, id est, excitatur ipsa pulchritudine, sapientia, bonitate, & impletur vnitate nostra, tum quia nos cum Deo efficacius firmiusque coniungit.

QVOD INGENIVM SIT ad reminiscentiam aptius, & quomodo pulchritudo maxime luceat.

CAPVT XXVII.

Vt enim dictum est &c.] Animæ nostræ in cœlo pro differentiis earum ducumque suorum, aliæ breuius viderunt quàm aliæ, breuius, id est, pauciota, vel breuiori tempore vel negligentius. Animæ igitur ita breuius contemplatæ ingenium, huc afferunt neque Philosophicum, neque reminiscentiæ diuinorum aptum, præsertim si educationem consuetudinemque hic alienam à Philosophia sortitæ fuerint. Animæ verò ampliora illic & amplius contemplata Philosophicum huc ingenium attulerunt, quæ si Philosophicè insuper educantur, facile per imagines diuinorum reminiscuntur, eorum præcipue diuinorum, quæ similitudines suas ad sensus vsque protulerint: Ideæ quidem sapientiæ, Iustitiæ, temperantiæ, similitudines suas animis indidere, corporibus verò nequaquam, propterea vix recordamur illarum, & sero quidem per instrumenta quędam occulta, scilicet syllogismos. Pulchritudo verò diuina, quoniam est splendor ipsius boni in ipsa idearum serie micans, imagines suas non solum ad animas, sed etiam vsque ad formas sensibiles manifeste propagat. Hinc nos per interna, & per externa reuocat ad seipsam, & quanto plus habet luminis quam ideæ, tanto magis mouet animos, & inflammat. Plus autem luminis hábet, non solum quoniam circa magis pateat, præsertim per visum sensuum acutissimum. Sed quoniam illic est non pars quædam, sed vniuersus in cunctis splendor, & is quidem consummatissimus, sicut & pulchritudo corporis non pars quædam est, sed vniuersale specimen & exactum, & sicut hæc nobis apparet, priot in corpote, sic splendor ille. Primus ascendentibus illuc o ccurrit, maximeque hic & ibi tapit, atque delectat, sicut venerea voluptas, quia totius corporis delectatio est, atque manifestissima præ cæteris voluptatibus maxime concitat.

(∴) (∴) (∴)

Quomodo Philosophi sunt à Ioue Saturnus, Iupiter, qualis contemplatio in patria de luce illa, & quomodo pulchritudo pateat.

CAPVT XXVIII.

At pulchritudidem tunc, &c.] Solæ Philosophorum animæ in cœlo contemplari dicuntur cum Ioue, quia quæ illic cum Ioue speculantur, vtpote quæ plurima viderint, veniunt in Philosophos cum Ioue, id est cum anima mundi, nam & illam, & ad Philosophum, amplissima contemplatio, & prouidentia pertinet. Philosophus dum sequitur Iouem, qui est anima mundi, sequitur etiam Iouem Planetam, sic enim Planeta Iupiter respondet intellectui animali, scilicet, animæ mundi. Sicut Saturnus Planeta Saturno superiori, id est, intellectui duro atque separato. Plato verò Philosophum probat, non Saturnium, & penitus segregatum, sed Iouialem, qui contempletur atque prouideat. Animæ dum illic contemplantur ideas, quæ beata spectacula nominantur, dicuntur sacris imbutæ mysteriis, sacraque operari, quoniam & per illas superiora suspiciunt, atque capiunt, & contemplatio illa non visio sola est, sed etiam affectio quædam optabilis, pertinens ad naturam, & amor, gaudium, veneratio, prouidentia: sed, vt Socratis verba declarant, hæc munera ad futurum Philosophum summopere pertinebant in luce pura, scilicet, in luce summi boni, quæ intellectum copulat cum ideis, emicat autem per hanc lucem in ideis, atque ex ideis pulchritudo simul cunctis, emicat, inquam, quasi procedens: quoniam hæc diuinorum sola per omnia manifestè procedit, & ibi similiter atque hic in aspectum tam vehementer, quàm liquidò prodit. Ferreum corpus dicitur, quasi ostreæ testudo, quia quasi claustrum, & quoniam corpus primò vereque viuens est cœleste, scilicet, aërium.

Quod ingenium aptum ad reminiscentiam, pulchritudinis influxus, amor alatus.

CAPVT XXIX.

Qui ergo non est mysteriis, &c.] Nuper sacris initiatus, vel imbutus mysteriis dicitur animus, qui & in cœlo plurima vidit, & in terris est philosophicè educatus, hic solus ex corporis pulchritudine peruenit ad diuinam, sed gradatim pulchritudinis influxum per oculos accipit, non humanæ solius, sed diuinæ. Hæc enim resplendet in ista. Influxus dicitur, quia non solùm mouet visum, sed naturam penitus afficit, calore, scilicet, atque motu, excitat ad sublimia, & reformat. Cætera satis vel hic, vel in libro de Amore patent, ingenioso præsertim, & amatori. Denique, concludit amorem alatum esse, quoniam amor, vel solus, vel maximè omnium nos eleuat ad sublimia quæ quidem eleuatio animis inde perfectis, necessaria est ad salutem. Quapropter amorem necessitatem alatam vocat, vel natura volatilem. Fortè etiam necessariò nobis illabitur.

Ordines animarum, dæmonumque secundum stellas, Venus, Planeta, siue Iuno, quomodo soror Iouis atque coniux, quales animæ huius pedisseque, Deus vel dæmon cuiusque agnitio, vultusque proprij dæmonis atque Dei.

CAPVT XXX.

Quodcunque igitur, &c.] Quot in sphæris stellæ, tot ordines sunt particularium animarum, siue dæmoniacarum, siue etiam humanarum. Planetæ autem hic inter stellas connumerantur. Et quia vnus est planeta in vna sphæra dux manifestus, appellati sunt mundi rectores. Ideo animæ planetis attributæ, magis ad principatum aptæ videntur, quàm quæ fixis, sed aliæ aliter aliisque in rebus, circa eandem stellam multæ sunt animæ, variæ videlicet, variis eiusdem stellæ viribus, & effectibus distributæ. Venus planeta est soror Iouis, quia & ipsa sicut ille fortuna cœli est, sed quoniam est inferior, eiusque simul valdè capax, dicitur quoque coniunx. Hæc ergo Iuno est ita fermè Iupiter alter, quamuis minor, sicut Luna Sol alter. Dicitur autem Iuno non tam propter naturam propriam, quàm propter Iouiale munus abundè susceptum. Per naturam quidem propriam Venus dicitur, & amorem genituramq; significat, propter Iouiale munus Iuno dicitur, & regna significat, neque tamen cum Philosophia, sicut Iupiter, sed cum clementia. Animæ huius planetæ comites, si primam virtutem sequuntur, Iunonem sequi dicuntur, suntque Iunoniæ, quæ secundùm, potius sequi Venerem atque Venereæ. Deus cuiusque non modo est ipse cœlestis, sed etiam dæmon cœlestis, vel aërius illius Dei comes, eodem nomine nuncupatus. Anima nunquam mutat ipsum Deum, sed potest mutare dæmonē, quādo ipsa nimium permutatur, fortè verò, neque dæmonum genus mittat, sicut enim semper Iouialis est hæc anima, licet aliter, ita fortè semper ducem habet dæmonum genere Ionium, quamuis non eundem numero. Siquidem, circa multas Iouis proprietates multi sunt Iouij dæmones, animæ quoque multæ. Procedunt autem ordines dæmonica Iouialis, neque ad vltimos nobis proximos, cæterisq; similiter. In qualibet ergo sphæra mundi Saturni sunt, & Ioues, & Apollines, & Iunones, scilicet dæmones eiusmodi Deo subditi. Potest tamen anima, dum sub Iouio dæmone viuit, propter actionum diuersitatem à martiis quoque dæmonibus influxum quoquomodo percipere. Apollineus autem animus est, qui solem solaremque dæmonem vbique præfectum habet. Cùm verò finis vitæ naturaliter desideratus sit patriam cœlestem ad proprium Deum ire, meritò ad finem hunc maximè confert in terris, secundùm proprium Deum, & dæmonem eiusmodi viuere. Iam verò, nisi ingenium penitus peruertatur ad hoc ipsum suo nos instinctu quodammodo mouet, sed inuestigatio & experientia promouet, atque perducit ad cognoscendum prorsus & imitandum, & denique consequendum. Propositum est igitur naturaliter vnicuique cognoscere, imitari, consequi studium, & officium, Deo proprio cognatissimum, atque eiusmodi professione cum Deo tandem duce proprio copulari, fortunati admodum, qui statim ab initio eiusmodi studium

fœliciter sunt ingressi. Alioquin diligenter inuestigare coguntur. Sed prius quidem quis ille sit tuus Deus cognoscendum est quam actiones imiteris. Id autem inuestigatur externis quasi fortunis, quæ nobis extra contingunt. Inuenitur verò melius intra nos ex affectibus cogitationibusque nostris. Vtrum enim hæc Iouialia sint, scilicet Philosophica, Ciuilia, Iusta, an Martialia, scilicet vehementia, an Apollinea, scilicet ad Præsagium, & Poësim, & Musicam, Medicinamque pertinentia, an Iunonia, scilicet regia clementia, sed non admodum Philosophica. Amor ingens talia summopere declarare solet, qualia enim præ cæteris amas, & qualibus natura potissimum delectaris, talis fermè est Genius Deusque tuus: nihil autem ardentius amas, quàm in homine pulchritudinem corporis, scilicet atque animi, ex hac ergo maximè Deum tuum perpendere potes. Si enim præ cæteris Iouialis formas, animas, amas, Iouiali genio, & commendatum existimato, & si sperare potes hoc ipso, quod Iouia hæc ardenter amas, te insuper multomagis hinc effice Ionium, sunt enim hæc tibi studia perquirenda. Scis autem quæ ad Iouem studia pertinent, talia deinde summopere cole similiter, quod amatum instrue: Ambo sic ad Iouem conuersi Iouiales potissimum euadetis, communicantes inuicem quicquid per conuersionem illam haurire licuerit. Hic est finis amoris, proprium Deum simul cognitum colere, cumque illo communitet copulari.

Auriga & equi, quomodo quis capiatur amore, quomodo afficiatur amator.

CAPVT XXXI.

Comprehenditur autem quisquis, &c.] Qua significatione aurigam & equos in anima nostra, etiam separata, & in animabus diuinis, Plato ponit, supra narrauimus: in anima verò coniuncta, passionibus corporeis agitata, pro auriga rationem intelligentiæ participem esse vult, pro èquis irascibilem concupiscibilemque potentiam: Illa quidem est equus melior, hæc verò deterior. Et quoniam significatum illud prius hic iam quodammodo mutat, non dicit simpliciter, vt illic aurigam, atque equos, sed aurigalem speciem, & formas equorum. Describit verò per qualitates equi boni animalis, conditiones irascibilis, magnanimeque virtutis: per qualitates autem equi mali, animalis conditiones concupiscibilis ignauiorisque naturæ. Inter hæc Plato, tanquam iuuenis figuras poëticas, & affectata quadam equorum, amorumque descriptione gaudet atque ludit.

Plato rationem in capite collocat, vt principem in arce: Iracundiæ vim in corde, tanquam ordinem militarem pro ratione propugnaturum: Concupiscendi potentiam in iecore, tanquam opificum, agricultorumque turbam. Irascibilem concupiscibili præstantiorem putat, & rationi propinquiorem: ac sæpè pro ratione insurgentem contra concupiscentiam. Ideo illam elata ceruice describit magnanimam, & audentem, aquilinam, id est regiam, participem pudoris, rationi magis obtemperantem. Concupiscendi verò vim opposita ratione designat, obliquam, scilicet, à ratione longè deuiam, ad infima declinantem, multiplicem, quia libido se circa plurima versat, abiectam, & ignauem, impudentemque, & rationi minus obedientem. Ratio sæpè pulcritudinem nuper inspectam secum reputans, allicitur ad amandum. Natura enim pulchritudinis est amabilis, sicut bonitas simpliciter appetibilis. Interea, vis irascibilis, circa quam est cum audacia indignatio, pudor atque timor, gloriæque cupiditas, iam exortum rationis instinctum prosequitur circa pulchrum, quasi quiddam gloria dignum, neque rationem ad viliora deflectit, sed concupiscendi natura trahit interim ad coitum, atque genituram, huic sæpè irascibilis indagata pro ratione repugnat, quoniam appetit gloriam, timet infamiam, odit mollia. In hac pugna concupiscibilis sæpè impetrat, vt ad pulchritudinem sensibilem, saltem consuetudine quadam propius accedatur. Sed in hac propinquatione, ratio scilicet, penes ingenium philosophicum ex sensibili pulchritudine intelligibilis quodammodo recordata, & ipsa ad illam properat, & equos retrahit pro viribus ab instituto circa sensibilem contubernio. Facilè quidem retrahit irascibilem, concupiscibilem verò difficilè: hæc enim rursus increpat, quod propter subrusticum pudorem abstineat: Cohibet hanc ratio, rursus saltem differe commercium cogens, hæc iterum ad contubernium incitat: Ratio tandem, scilicet in Philosopho, domat concupiscentiam. Eiusmodi pugna continentis est, qui postea temperatus euadit, tandemque diuinus, scilicet à pulchritudine sensibili ad intelligibilem profectus diuinitusque afflatus.

Quomodo amatus redamet amantem.

CAPVT XXXII.

Vtpote igitur omni cultu, &c.] Amatus autem animaduertens se à tanto viro coli, vicissim colit, & amat, & veneratur. Eius consuetudine tandem adducitur, vt fermè, tam vehementer amet, quàm ardenter amatur. Hac igitur ratione diuinæ pulchritudinis occultus influxus, qui per sensibilem pulchritudinem in Philosophicum influxerat amatorem, vicissim refluit in amatum, diuinamque conficit amicitiam.

Quomodo amando, & redamando, fiat reditus ad sublimia, vel contra.

CAPVT XXXIII.

Quare si secundum, &c.] Si amator & amatus, moraliter & philosophicè fuerint educati, atque ita semper in amore amicitiaque perseuerauerint: Alas denique recuperant ad astrum suum reuolaturas, postquam, scilicet, tria certamina expediuerint cum victoria, quorum vnum, scilicet vltimum, est maximum animæ bonum. Nominantur certamina verè Olympica, non quia ab Olympo monte, sed ab Olympo cœlo. Tribus verò certaminibus vincit, qui ter Philosophatus fuerit, quemadmodum in superioribus est expositum, vel qui primò quidem inferiores animæ vires omnino intelligentiæ subdidit. Secundò, sapientiam cum furore diuino fuerit

consequutus. Tertiò, resumptis alis ad cælestia reuolauerit. Rursus, qui primo quidem à corporea pulchritudine, ad moralem animæ pulchritudinem se conuertit. Secundò, ab hac ad intellectualem eiusdem animæ pulchritudinem. Tertiò, ab hac ad intelligibilem in intellectu primo lucentem, quemadmodum in Conuiuio declaratur. Si quis autem natura quidem propter generositatem sit propensior ad amandum, sed neque Philosophicè ab initio neque moraliter institutus, postquam illaqueatus est amore, nonnunquam ad venereum coitum forte delabitur, & si propter eiusmodi lapsum integras alas recipere prohibetur, tamen propter mirificam vim amoris naturaliter attollentis, præparatur ad alas. Id quidem Socrates tetigit vt sublimitatem amoris exprimeret; qui etiã affectui cuidam deteriori permistus, animum interim quantum in re est illæsum non deriuat. Itaque si quemadmodum probabile est, tempore procedente, tamque generosus libidinem quidem amputet, amoris autem sublimitatem retinens efficiat amicitiam. Hac vita defunctus nõ præcipitatur ad imum, sed in aëre quantum sic est purgatur, donec ad summum Philosophetur. Qui autem neque per Philosophiam neque per amoris instinctum, vtpote qui nunquam Philosophatus fuerit, vel amauerit, ad sublimia est erectus, nouem annorum millibus indigere dicitur, vt purgetur alasque resumat. Si enim per nouem vitarum gradus processerit, nondum cœlo dignus erit, nisi ad habitum peruenerit Philosophicum.

Vtrum liceat declamationes conscribere.

CAPVT XXXIIII.

Hanc tibi ô dilecte amor &c.] Socrates ab amore Deo amatoriam artem Philosophiamque petit. Quæritur vtrum præstantem virum deceat orationes Sophistarum more conscribere. Probatur omnes id optare, vt ex scriptis apud posteros celebratur. Concluditur non esse turpe scribere, sed male scribere. An cum Ægypti locus asperrimus per antiphrasin prouerbio dictus est dulcis. Similiter qui orationum conscriptionem verbis damnant, tanquam rem leuem aut ambitiosam, contraria loquuntur atque sentiunt, ipsi enim interim tanquam re præclara mirifice delectantur.

Allegoria fabulæ de Cicadis, Musis, Dæmonibus.

CAPVT XXXV.

Soc. Quæ nam igitur &c.] Fabula cicadarum poscit allegoriam, siquidem superiora quoque tanquam poëtica ferme omnia sunt allegorica. Quid mirum dæmones per cicadas significari? Cum diuiniora dæmonibus per equos fuerint designata. Ita Platonicis visum, non Hermiæ solum, sed etiam Iamblicho, Horum ego vestigia partim quidem sequor, partim verò probabili ratione præuaricor. Ipse quinetiam Socrates allegoriam hic quoque manifeste desiderat, vbi ait non decere Musarum studiosum virum rerum eiusmodi ignarum esse. Denique cicadis introduci dæmonia negare non poterit, quisquis earum officium hic audiuerit, quod Plato sæpe alibi, præsertim in Conuiuio, dæmonibus proculdubio tribuit, astant nobis supra caput, disputant inuicem, nostrã interim conuerunt, improbant malefacta, benefacta probant, tanquam humanarum rerum obseruatores, quod dæmonibus Hesiodus quoque dedit. Suscipiunt diuina munera, ad nos traducunt, diis officia nostra renunciant, ad Musas accedunt. Hæc & similia hic verba Socratis, dæmones aëreos per cicadas accipi volunt. Sicut enim hæc animalia cantu, id est, sono quodam, perque sonum eiusmodi aëris haustu viuunt, denique postquam videntur mortua, intrinsecus reformantur: Sic aërei dæmones boni, inquam, cantu, id est, contemplatione diuinorumque laude viuunt, contenti aëre, & quàm facile dissoluendi videntur, tam facile perpetuo aëris haustu intrinsecus recreantur. Videntur autem hic homines in dæmones quandoque renasci, non in dæmones naturales, sed aduentitios, quando sublimes hominum animæ ad horum dæmonum commercia transferuntur. Sed quonam pacto finguntur homines ante Musas? Quia videlicet ante Musarum influxum rudes habentur. Proinde sub bonis dæmonibus sunt & mali, quorum insidiis, & illecebris animæ quasi cantu Syrenum in oblectamentis corporeis detinentur, quo minus ad portum cœlestis patriæ reuertantur. Videntur animæ bonorum quoque dæmonum influxu quodam in corpore quodammodo detineri, seorsum tamen ab iniustitia. Nam boni dæmones intereà reuocant etiam ad diuina. Musæ contemplationes harmonicas nobis afferunt, quicumque has attentius auscultant atque hæc studia prosequuntur, humanorum obliti mundo mori videntur, quemadmodum de Philosopho scribitur in Phædone. Quoniam verò sola mentis alimonia vixisse videntur, Musis videlicet persuadentibus, nimirum hos ita mundo mortuos, Musæ in dæmones illos transferunt, qui per cicadas significati fuere, qui sane dæmones ad Musas tandem ipsas peruenire dicuntur: Si quidem animæ iamdiu Philosophatæ ad cœlestia reuocantur, Musæ verò ad cœlestes sphæras pertinere putantur. Si modo, Calliope quidem sit anima mundi, Vrania verò cœlum primum quod Socrates ibi significat, vbi Calliopem, Musarum antiquissimam iudicat, Vraniam verò secundam. Sed de his in quarto Theologiæ satis, Calliope & Vrania pulcherrimam vocem dicuntur emittere? Siquidem concentus ipsi cœlestes, quos Pythagoras etiam audiuisse fertur, potissimum sunt ab illis. Philosophia duobus maximè vtitur, auditu scilicet disciplinarum, & aspectu cœlestium. Auditus quidem & disputatio Philosophica pertinent ad Calliopem, Aspectus autem attinet ad Vraniam. Antiquior autem videtur auditus quàm aspectus, quippe cum antiquiora doceat, & denique plura, tametsi vno quodam actu plura videre quam audire videmur. Concluditur in meridie sub æstu sub alto sole non dormitandum, non abutendum diuini solis lumine & calore nostris mentibus aspirante.

Officium Oratoris.

CAPVT XXXVI.

Soc. Igitur quomodo, &c.] Orator rectè dere aliqua dicturus in primis rei scientiam habere debet, Si enim populo de bonis, iustisve persuasurus sit, hæc verò ignoret ipse pariter atque populus, sed nosse putet, tandem populo sibique no-

cebit; veluti si audiuerit vterque equum esse bellis aptissimũ, opinetur autem asinum esse equum. Sed iactura ex hac ignorantia proficiscens forte leuior futura est atque ridicula. Damnum verò ex ignorantia bonorum atque iustorum perniciosissimum. Non enim hic, vt prouerbio fertur, de asini vmbra, id est, de leuissima re tractatur, sed de ipso vitæ fine, vitaque tota deliberatur.

Officium Oratoris.

CAPVT XXXVII.

Soc. Num ô bone vir rusticus, &c.] Communis illa facultas quæ dicitur oratoria, non est ars vera, quoniam non ad verum bonum spectat, sed apparens, neque tam certa ratione quàm vsu vtitur. Præterea neque perfectè persuadere dissuadereque potest, nisi coniunctam Philosophiam habeat. Oratoria profectò non solum circa conciones publicas versatur, sed etiam in priuatis disputationibus suam vim exercet, nec vsquam poterit assequi similia vero, nisi teneat ipsum verum. Non ergo valebit per verisimilia facile quenquam fallere, nisi nouerit veritatem, neque deducere aliquem à contrario in contrarium, nisi per media multa minus deinceps, minusue similia clam subducat: Id verò consequi sine Philosophia nequit.

Locales dij, ingeniorum differentia, pro differentia locorum.

CAPVT XXXVIII.

Soc. An vis in oratione Lysiæ, &c.] Localium deorum hic, & sæpè alibi mentionem facit: locales autem nominat non solùm, quia superior prouidentia alios aliis præfecerit regionibus atque rebus; sed etiam, quia regiones, resque aliæ magis, quàm aliæ huius, vel illius mundani Dei participes esse possunt, quatenus ad diuinum affectum suscipiendum paratiores existunt. Sicut etiam aliæ Solares dicuntur, aliæ verò Lunares. Tametsi deos sub Luna locales præcipuè nominat: Hi enim minus vniuersalem, quàm cœlestes prouidentiam sortiri putantur. Sub diis localibus locales quoque sunt dæmones, sub vno quòque plures, magis etiam particularem nacti curam. Quos paulo ante sub nomine cicadarum, & hic sub appellatione cantorum interpretatumque expressit. Ex differentiis localium deorum atque dæmonum differentiæ multæ occultæque, & maximè locis variisque rebus contingunt, præsertim ad ingenia, mores, leges, fortunas, imperia pertinentes. Socrates igitur infirmitatis humanæ conscius, non solùm intentionis, sed etiam eloquutionis exactę munus, tanquam gratus atque pius se illinc accepisse fatetur: ita videlicet, superiori prouidentia disponente, cui bonorum omnium gratiæ in primis sunt habendæ.

Officium scriptoris, Dionysius, Musæ, Pan, Nymphæ.

CAPVT XXXIX.

Soc. Age itaque Proœmium, &c.] Reprehendit Lysiam, cùm genus amoris, non in suas partes diuiserit, quarum altera quidem vituperabilis sit, altera verò laudabilis, sed amorem simpliciter ipsum absque distinctione vituperauerit. Præceperat amorem primo definiendum: Ait verò nunc, non recordari, an definierit, & merito, nam diuino furore concitus definiuit, nunc verò tanquam alter quidam non recordatur. Quod autem rectè definierit, atq; in hoc Lisiam superauerit, attribuit mirifico localium numinum beneficio, vbi Pana Mercurialem commemorat, Nymphis ingeniosis Mercurialibusque præfectum, Dionysius, Musæ, Pan, Nymphe Socratem afflauerunt: Dionysius præstitit mentis excessum, Musæ Poesim, Pan facundiam, Nymphæ varietatem.

Rectæ orationis ordo.

CAPVT XL.

Pausanias, aliter Phædrus mearum quidem rerum status, &c.] Præcipuum in oratione est ordo, vt à prioribus ordinatur. Caput habeat à sequentibus differens quidem, sed natura conueniens, habeat & media membra capiti, & pedibus, & inuicem necessariò quodam ordine copulata, tanquam animal bene compositum. Necnon habet oratio Lysiæ.

Recta scribendi ratio, cupido.

CAPVT XLI.

Soc. Hanc ergo ne nobis, &c.] Dimissa nunc oratione Lysiæ, duas de amore orationes suas iterum adducit in medium, vnam quidem vituperantem, alteram verò laudantem: Earumque exemplis artem dicendi docet, vt quemadmodum ipse tractaturus de amore, definiuit, atq; diuisit, ita cæteri faciant. Dictum est quid furor; diuisus furor in humanum atque diuinum: Diuinus in quatuor species, Inter hæc nota, vbi dicit amatorium furorem esse Veneris, exponi ab Hermia Venerem esse pulchritudinem: Ideo amorem sequi Venerem, dum sequitur pulchritudinem. Quicquid alij Platonici sentiant alibi, Amorem vocat pulchrorum præsidem puerorum. Nam pueros tenerosque dicit animos precipuè nuper è cœlo profectos, Preterea necessariam omni arti dicendi probat diuidendi, definiendique peritiam. Diuisio quidem ex vno communi in particularia multa procedit, sed pedetentim procedere debet. Peritia verò quę ex multis contendit ad vnum, vel definitiua est, quę ex genere differentiisque speciem vnam conficit, vel resolutiua, siue à particularibus ad vniuersale consurgens, siue à compositis ad simplicia sese conferens.

Quod & quam necessarium officium Dialectici.

CAPVT XLII.

Soc. Harum ego diuisionum &c.] Artem ab vno ad multa, vel à multis ad vnum se tmè modo quo diximus, ritè procedentem, tanquam munus diuinum colit, non hic solùm, sed etiam in Philebo, Republica, Parmenide, Sophista, Politico, eamque non Logicam esse vult verba tractantem, aduentitiosque conceptus, sed Metaphysicam, ideales species contemplantem, communissimas in minus communes ordine diuidentem, vicissimque particulares in vniuersales debitis gradibus colligentem. Subiungit eos, qui communiter Oratores ha-

bentur artificio diuidendi & componendi non recte vti,eorumque facultatem absque hoc artificio non esse artem,narrat orationis partes,& oratores, & qui in quauis orationis parte præcellere videantur.

CAPVT XLIII.

Socratis mittamus exigua, &c.] Possidere artem, non est solùm habere necessaria rudimenta, quæ quasi partes & materiæ sunt, sed ipsam quoque conuenientem cunctorum formam, vsumque rationalem ad finem artis præcipuè conducentem.

CAPVT XLIIII.

Tria omnibus artibus necessaria.

Talis profectò, ô Socrates, &c.] Tria omnibus artibus necessaria, ingenium, doctrina, exercitatio, Philosophia necessaria est ad maximam cuiusque artis perfectionem. Ad perfectionem artium maximarum duo potissimum requiruntur, mentis sublimitas, & vis ad agendum efficax. Hæc duo Philosophia præstat. Vt Medico necessarium est cognoscere naturam, & corporis, & rerum adhibendarum: sic Oratori naturas animorum atque sermonum, imò & vniuersi, ignorata enim vniuersi natura, non potest natura, vel corporis, vel animi perfectè cognosci.

Necessaria Oratori.

CAPVT XLV.

Socr. de natura igitur, &c.] Perfectus Orator scire debet, animam quamlibet humanam, intrinsecus esse suapte natura multiplicem. Habere enim rationem, imaginationem, sensum irascendi, atque concupiscendi vires. Item, alias animas aliis suis viribus vti quàm plurimum, & aliter inter se, aliterque affectas esse. Rursus, ex corporum differentiis nonnullas differentias reportare. Nosse præterea debet qualibus sermonibus qualia moueantur ingenia, & suos cuique sermones accommodare: quemadmodum Musicus, alios aliis adhibere concentus.

Necessaria Oratori.

CAPVT XLVI.

Socr. verba quidem ipsa, &c.] Orator communes, quas dixi, regulas consequutus, cùm prodiit in forum, mox oraturus, sagaciter explorare, & persentire debet, quo plurimum ingenio sint auditores, si modo suos cuique sermones adhibiturus. Prætetea, opportunitatem in singulis obseruare, vt pro loco, tempore, persona, loqui sciat, atque silere, & qualibet orationis parte decenter vti.

Oratoria dicitur verisimili contenta.

CAPVT XLVII.

Cæterùm scriptor ita, &c.] Fabula fingit, lupum cum videret oues tum à Pastoribus, tum à canibus deuorari, exclamauisse, ô si ego id fecissem, quantus rumor, &c. Similiter popularis orator, vbi aduertit oratoriam à Socrate adeo extolli idque multis verbis, vt ipsam cum Philosophia veritatem rerum teneat, prorsus obiiciet: Si nos ô ratoriam tantùm extulissemus tanque prolixè, ô quantus inter Philosophos rumor contra nos esset exortus. Oratoria siquidem apud nos non adeo superba est; vt verum sibi arroget, verisimili contenta est, quod non sapienti quidem probabile sit, sed vulgo.

Necessarium Oratori verum.

CAPVT XLVIII.

Soc. ô quam callidè abstrusam, &c.] Affirmatur iterum verisimile cognosci non posse, nisi cognoscatur ipsum verum. Idque haberi non posse absque dialectico artificio rectè procedente ab vno ad multa, & à multis ad vnum. Oratoriæ finem esse, ea ad persuasionem dicere quæ non solum quomodolibet moueant auditores, sed etiam quæ sapientiores & meliores efficiant, præsertim circa diuinum cultum. Præterea compositis laudibus celebrare deos, id Pythagorici Orphicique fecerunt atque docuerunt. Non enim hominum serui sumus, sed deorum.

Allegoria de Mercurio, & Ioue, & vsu literarum.

CAPVT XLIX.

Soc. de arte hactenus & insititia, &c.] Genus disciplinarum in primis pertinens ad Mercurium, continet Arithmeticam, Astronomiam, loquendi scribendique artificium, artificiosissimos quosque ludos. Mercurij verò numen primo quidem cogitamus in Ioue mundi opifice, ad hæc potissimum & talia pertinens. Secundo in quodam intellectuali supra mundum Deo. Tertio in facultate quadam animæ mundanæ tali. Quarto, in Planeta, Mercurio. Quinto in Mercuriali dæmonum ordine. Sexto in animabus humanis, Mercurij Mercurialiumq; pedissequis. Septimo tandem gradu locamus animalia cæterasque Mercurialibus quibusdam proprietatibus insignita, vt Ibim & simias, canesque sagaces. Narratio Socratis allegorica, & anagogica est. Nancratim Ægypti locum esse summopere Mercurio subditum: Tametsi Mercurio Ægyptus quoque tota subigitur. Item in hac vrbe quondam hominem floruisse, Mercuriali numine plenum. Vtpote cuius animus olim Mercurialis extitisset in cœlo. Hic primo Theut, id est, Mercurius Deusque nominatur, hoc videlicet Deo plenus, Deinde dæmon, vt declaretur ab ipso Mercurio Deo per Mercurialem dæmonem, ad animum Mercurialem eiusmodi dona traduci. Mercurialis animus simulque dæmon inuēta sua in regem Thamum referunt. Etsi regnauit homo Thamus in Ægypto, anagogicè tamen Thamus est nomen in cœlo, vel supra cœlum Mercuriale. Ammon autem superior ille. Iupiter magnus. Mercuriale comprehendens, non iniuria inferiores in iudicio inuentorum à superioribus dependere dicuntur. Concluditur denique; nos disciplina scribendi, & qualibet alia rectè vti posse pariter, & abuti, atque ita scribendi peritiam recordationi, sapientiæque seruituram; nonnunquam etiam posse propter humanam negligentiam, vel confidentiam ad opposita labi. Inuentio quidem ad instinctum conceptumque naturalem pertinet. Iudicium autem atque discretio ad rationem intelligentiamque perfectam, hoc ergo præstantius est. Vtrumque simul refertur in Iouem Ammonem, Seorsum verò inuentio quidem & quasi materialis quædam artis forma

in Mercurium dæmonicum vel humanum. Iudicium verò & vsus & finem ducens ad Thamum Mercurio humano vel dæmonico superiorem. Et si narratio videtur sub eadem Thamum Ammonemque comprehendere, ratio tamen exacta distinguit. Ibim autem Ægyptiam ferunt quasi ciconiæ similem. Quæ figuram cordis habet, passibus incedit æqualibus, Oua parit gutture, sicut suos fœtus Mercurius. Hæc & alia quasi Mercurialia symbola, sapientiam, geometriamque; & eloquium interpretationemque significant.

Venerabilem verum vsum scribendi.

CAPVT L.

Phæ. Facile tu ô Socrates &c.] Phædrus obiicit Socrati, quod inuenta sua frequenter attribuat Ægyptiis, atque cæteris: Quod autem diis attribuat, non audet obiicere. Respondet Socrates, non attendendum quis dicat, sed quid dicatur. Atque verum bonumque etiam ex quercu si loquatur suscipiendum. Sermonem viuum à docente discentis animo impressum, multis rationibus anteponit scriptis. Scribere quidem non vetat, sed confidentiam damnat in scriptis. Damnat, inquam, ipso Iouis Ammonis oraculo. Quod in superioribus Thami regis consilio est expositum.

Vsus scribendi.

CAPVT LI.

Soc. Omnino sed hoc quoq; &c.] Adonis horti sunt qui non fructuum, frugumue, sed florum gratia coluntur. Quicunq; literis doctrinas mandat, hortos eiusmodi se colere putet quasi ludentem, Qui sane ludus ludorum omnium est pulcherrimus. Meliorem verò agriculturam, seriamque & summo studio dignam exercet, qui disciplinas dignis mentibus inserit. Confirmantur eadem in Epistolis. Sequitur conclusio rursus de recta ratione dicendi.

Vsus scribendi.

CAPVT LII.


Soc. Quod autem de illa &c.] Paruifacienda sunt eorum scriptorum ingenia, qui scribendi ministerium summo studio dignum, æstimant, confiduntque disciplinam in scriptis perspicuam, tutamque fore, neque quicquam altius secretiusque contemplantur, quam quod calamo scriptisque comprehenditur. Contra verò venerandi sunt, qui altiora cogitant quàm loquantur, legitimosque intelligentiæ fœtus non chartis sperant commendare, sed animis; & his quidem mysterio dignis. Scribendi verò vsum existimant quasi ludum: hi sanè cognominari rectè Philosophi possunt. Sapientes autem solus Deus est iudicandus.

Oratio ad Pana, localesque deos, & quid optandum.

CAPVT LIII.

Phæ: Tu verò quid facis? &c.] Isocratis ingenium, quoniam valde Philosophicum esset, omnibus oratorum ingeniis anteponit. Socrates iterum insignis pietate vir, quemadmodum ab initio passimque per dialogum similiter, & in fine omnem inuentionis elocutionisq; virtutem deorum beneficio tribuit, & quoniam Deus ille supernus sæpe per medios agit nobisque propinquos locales sæpe deos commemorat. Ad quos & orationem nunc suam postremo conuertit. Sicut in superioribus iterum, iterumque seruauit. Petit autem id præcipue bonum, de quo plurimum est in hoc dialogo disputatum, pulchritudinem scilicet intimam, quam in sapientia declarat existere. Cætera quidem ad orationem hanc attinentia in Alcibiade minore tractaui. Quid verò sit Pan, cæterique hoc in loco dij, breuiter audi. Certum est & hunc & illos esse locales sub Luna deos, sed Pan nominatur velut omne, quoniam in ordine localium gradum tenet amplissimum: Sicut enim supercœlestes dij ad intellectum primum, cœlestes autem ad mundi animam, sic ad Pana passim sub Luna regnantes sublunares dij, dæmonesque omnes, locales, inquam, denique referuntur. Sicubi verò summum Deum Pana Platonica ratione, hic sed alia sum locutus.

FINIS.



IN APOLOGIAM SOCRATIS, EPITOME.

ANtiqui Gentium Theologi, in tres diuisi sunt sectas: alij quidem dæmonibus solùm sacrificabant, diffidentes, vt arbitror, vota hominum ad cœlestia peruenire. Alij vero cœlestia quoque colebant, putantes illa non viuere solùm, atque intelligere, sed etiam radiis suis circumspicere cuncta atque audire, ideoque tam sacrificiorum ritus ab eis prospici, quàm supplicium laudes precesque exaudiri: veruntamen animorum in corporibus his viuentium vota, ad deos illos qui nullum cum corporibus commercium habeant, peruenire non posse. Alij denique hos ipsos deos in primis venerabantur iudicantes à summis rerum causis effectus omnes etiam humanos tam cognitione quam virtute perfectissime contineri. Deos vero vocabant, tum visibiles, id est, cœlestes, tum inuisibiles, id est, supercœlestes, quos nostri vocant Angelos, & ipsi deos quasi proximos summi Dei contemplatores atque ministros. Præterea triplicem hi prouidentiam esse putant. Vniuersalem quidem in Deo, per quam omnibus omnia prospiciat atque præbeat. Minus vero in diis vniuersalem, per quam omnibus quidem consulant, non omnia tamen munera, sed quædam omnibus exhibentes. Particularem denique in dæmonibus, qua videlicet quædam quibusdam iam largiantur. Et dæmones quidem in totidem distribuunt ordines, quor in cœlo sunt stellæ, vt alij Saturnij sint, alij Iouiales, aliique similiter. Cunctos autem ordines & in igne collocant, sed ignea ratione, & in aëre puro, sed ratione aërea crasso, ratione videlicet aquea. Hos aqueos arbitrantur alios aliis speciebus viuentium præsidere, sensualique & vegetali vbique naturæ fauere. Quos Plato inquit, statim ab initio malorum plurimis voluptatem immiscuisse. Aëreos autem dæmones rationali potius fauere potentiæ, eamque à vegetali sensualique natura quodammodo segregare. Igneos tandem discursum rationis ad sublimiora contemplanda conuertere. Atque hoc pacto voluptuosæ vitæ dæmones aqueos, actiuæ aëreos, contemplatiuæ igneos dominari. Cum vero deos immortales atque impartibiles arbitrentur, homines vero mortales atque patibiles, dæmones omnes quidem affectu patibiles, superiores vero mediosque etiam immortales, infimos vero longæuos.

Præterea in omnibus affectus erga corporea collocant: sed in primis secundum quendam tranquillæ prouidentiæ morem: in secundis humanos quidem, sed moderatos: in tertiis ad perturbationes nostras iam declinantes. Item dæmones alios naturales ab initio constitutos, alios peregrinos, scilicet hominum animos in aërea translatos corpora, hominesque ea qua antea consueuerant ratione curantes. Præterea alios dæmones plagis terræ maioribus, alios angustioribus vrbibusque præesse. Quosdam etiam homines singulos gubernare, quos animæ labentes in corpus fuerint pro vitæ electione sortitæ, deinceps electæ vitæ duces & exploratores & iudices. Proinde animas hominum alias Saturniorum dæmonum, alias Iouialium, alias aliorum tum siderum, tum dæmonũ naturis accommodari. Corporum quoque nostrorum complexiones simili quadam ratione distingui. Animalia item & plantas, metallaque & lapides ad siderum similiter dæmonumque varietatem inter se natura discerni, vt alia inter hæc solaria sint, alia vero lunaria, cæteraque similiter. In his quæ diximus, Platonici omnem sacrificiorum, oraculorum, diuinationum vim consistere arbitrantur. Profecto & ipse Plato antiquiores Theologos imitatus, & Platonici omnes oraculorum historiam vbique tanquam veram accipiunt, rationibusque confirmant. Mitto quantam his in Phædro adhibeat fidem, quantam & in Timæo, in Phædro quidem humanam sapientiam præ illa quæ ab oraculis furoribusque diuinis habetur nihili pendens: in Timæo autem dicens eatenus à philosopho de rebus diuinis affirmandum esse, quatenus di-

uinis Oraculis confirmetur. Mitto quàm plurima apud Platonem similia. Certè in Apologia totam Socratis sui defensionem ab Oraculis vaticiniisque auspicatur: imò verò, quod maximum est, totam Socratis & sapientissimi, & iustissimi vitam asserit, tum ad Apollinis Oraculum, tum ad sui cuiusdam dæmonis vaticinium institutam. Si quæras qualis Socratis dæmon fuerit, respondebitur igneus, quoniam ad contemplationem sublimium erigebat. Item Saturnius, quoniam intentionem mentis quotidie mirum in modum abstrahebat à corpore. Attributus quoque ab initio, non acquisitus. Nam sibi à puero dicit aspirauisse. Non prouocabat vnquam, quia non Martius: sed sæpè ab actionibus reuocabat, quia Saturnius. Item, non adhibebat calcaria viro satis per se ad honesta propenso, sed cohibebat freno, vbi in eligendis ad finem viis ob coniecturarum fallaciam posse decipi videretur. Aspirabat menti ostenta oculis, voces auribus suggerebat. Sed quibus oculis, atque auribus? visui, videlicet, atque auditui, qui per omne eduntur corpus æthereum sub manifesto hoc corpore latens. Poterat autem Socrates per æthereos sentire sensus, ab elementalibus sensibus se facilè seuocans. Ostensa cernebat per eosdem sensus & somnians pariter atque vigilans.

Similiter Auicenna probat Prophetas Angelorum & species cernere, & voces audire. At cur Socrates paucique similes dæmonem suum animaduertunt? Quoniam pauci vel genitura, vel disciplina dæmonici sunt, plures humani, pleríque ferini. Cur item aliàs dæmonem, aliàs Deum vocat? Quia sublimis dæmon Socratem quasi Dei interpres nunciusque afflabat. Sed nunquid ipsum Socratis intellectum possumus dæmonem nuncupare? Possumus certè. Nam Timæus, inquit, Deum nobis supremam animi partem, tanquam dæmonem tribuisse. Rursus in Symposio ipse mentis amor ad diuinam pulchritudinem contemplandam, dæmon cognominatur. Verùm præter hæc necesse est superiorem nobis substantiam dæmonis præsidere, propterea quod vt in Symposio Legibusque probatur, humanum genus vtpote à diuinis maximè distans, media quadam natura indiget, qualis est dæmonica, quasi conciliatrice. Neque iniuria diuina prouidentia, vt in Politico Protagoraque probatur, dæmones nobis præfecit propinquiores, quasi pastores, siue vt in Critia dicit, gubernatores.

Homo siquidem in hac ignorantiæ caligine constitutus, innumerisque fortunæ vel malis agitatus, vel distractus illecebris, ad constitutum sibi à Deo finem absque perpetuo Dei auxilio peruenire non potest. Hinc probat Deum nos dæmonibus purioribus quasi rectoribus commendasse, qui vaticiniis, auguriis, somniis, oraculis, vocibus, sacrificiis, inspirationibus adiuuarent. Horum verò ex numero esse vult familiarem Socratis dæmonem, à mente Socratica differentem. Hæc enim Socratem sæpè prouocat nunquam. Item hæc, nisi loquatur aut scribat, docere non potest. Ille verò, vt in Theage probatur, multos etiam silendo docebat. Præterea, quod & voce, & signis Socratem corrigat, significat dæmonem hunc aliquid esse præter mentem. At si minus tibi placet & familiarem hominis ducem dæmonem appellare, saltem, vt placet nostris, bonum Angelum appello. Post hęc Apologia nos cogit nonnihil de oraculis statuisque tractare. Principio si quæras quam ob causam dæmones solita illa quondam miracula nostris seculis non efficiant: respondebitur, Christum & dæmones malos sub illo imperio priuauisse, & hominibus tum omnem dæmonum cultum, tum artem dæmonicam sustulisse. Si rursus interroges, qua ratione vel in statuas, vel in homines dæmonum trahantur influxus, diligenter attende. Trahitur quotidie aliquid naturale per artem, ceu quotiens lignum quod propter densissimam crassitudinem accendi à tenui quadam flamma non poterat, vel oleo illiniunt, vel inficiunt sulphure, radiuntque in fomite flammam. Trahitur & quotidie diuinum aliquid per naturam, quando fœtus tenet in aluo certo affectus figuratusque modo sic per naturam à Deo humanam haurit animam, vt per magicam statua à mundo accipit dæmonem. Vnde Ægyptij naturam quoque magam appellauerunt, vim ipsam magicam in attractu quodam similium per similia, vel conuenientium saltem per conuenientia collocantes.

Emittis quotidie vocem, emittis & tui vultus imaginem. At non vbique vox in te tua & imago remittitur. Paries duritaxat, ita dispositus, sic oppositus vocem per echo reflectit, & speculare corpus tuam tibi reddit imaginem. Esto igitur specularis & ille paries, subito totus, vt ita dixerim, eris in illo. Ibi enim videberis, audieris, intelligeris, fermè vt in statua dæmon. Si Trismegistum consulueris, disces ex propriis mundi materiis certo

cuidam dæmoni congruentibus compositam ritè statuam confestim per dæmonem congruum animari: vel per dæmonem, inquit, vel per Angelum: Intellige, vel per impuriorem, vel per puriorem spiritum affari solere. Audies quoque Mercurium hunc veteres plerosque damnantem, quod diffidentes vel esse numina super cœlum, vel terrenorum vota ad cælestia superioraque peruenire, fabricauere statuas habitacula dæmonum, quos quasi familiares colerent deos. Putabat sane, quamuis interdum in delubra dæmones salutares aduocarentur, sæpe tamen descendere noxios. Audisti paucis tractum dæmonum in corpora statuarum. Audi quoque paucis raptum in corpora hominum. Quando vel per atram bilem vel aliquid simile aut vitium totus in imaginationem conuertitur animus, facile fit inferiorum dæmonum domicilium, quorum præsentia & insaniat, & animo simul vexetur & corpore quando per philosophicam purgationem transfertur totus in rationem, euadit ædes dæmonum medio rum, à quibus humanum rerum sæpius, quandoq; etiam naturalium miras accipiat rationes. Quãdo per pietate erigitur totus in mentẽ, sublimium dẹmonum fit spiraculum, seu potius Angelorum, quibus vtique ducibus mirum in modum arcana penetret diuinorum. Optas video intelligere, quibus potissimum oraculis, siue per statuas, siue per homines editis, Plato confidat. Scito his duntaxat, quæ certa ratione compertum sit non per fallaces dæmones, sed per veridicos, siue per Angelos potius promisisse. Nam & ab ipsis Ægyptiorum mysteriis acceperat: Iouem impuriores dæmones ad inferos deturbasse, qui & homines similiter pro viribus ad ima detorqueant: & à Pherecyde Syro, multos ab Ioue dæmones rebellasse, quorum exercitus Ophioneus duxerit serpentinus. Ab his ergo maleficis cauendum esse diligentissime iudicabat. Socrates autem propriis rationibus atque singulis adductus, & oraculo cuidam, & suo cuidam dæmoni se committebat pro arbitrio perducendum.

Denique, vtcunque sit, ita suam ad hęc instituit vitam, vt æterna semper temporalibus anteponeret: iniustitiam magis timeret, quàm mortem, pro veritate, pro pietate, pro charitate, non dubitaret labores, penuriam, contumelias, iniurias, verbera, mortemque subire. Huic apud homines veritas falsas calumnias peperit, charitas odium, pietas accusationem impiam, atque mortem. Sed hæc omnia parui, imò nihili pendit, sperans apud diuinum iudicem pro bonis bona mereri. Ergo hac spe & fiducia fretus, & libenter accessit ad iudices, neque excusauit se, sed iudices accusauit: atque tanquam Vates, quod venire ait his qui sunt propè mortem, pœnitentiam illis, pœnamque prædixit post falsum iudicium sequuturum, & ipse interim mira mentis lætitia & vultus alacritate ad iudicem migrauit æternum.

Statueram hic satis honestum argumento, seu potius commentariolo finem imponere. Sed duo paramper me dubia remorantur. Primum Socraticum illud & hic & sæpe alibi repetitum: Hoc equidem vnum scio, quod nihil scio. Multa tamen & hic & alibi affirmat quasi sciens. Sed hoc illi simile est: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Ait itaque Socrates: Ego abstractus à corpore, raptus à dæmone, illustratus à Deo, scio equidem in diuino lumine hoc vnum, videlicet quod alioquin coniunctus corpori nihil in lumine naturali scio Nescio, inquam, in naturali lumine res ipsas per ipsum affirmationis modum. Eiusmodi enim scientia, Dei propria est, qui & naturas ipsas, & naturarum causas comprehendit, quum ipsemet fecerit. Scio tamen multa per quendam negationis modum. Veluti quod Deus non sit corpus, potius quàm quid sit. Item quod anima nõ sit mortalis, magis quàm quid sit. Rursus quod bonum absolutum non hoc est, aut illud bonum, potius quàm quid sit. Atque hoc pacto Socrates & scit, & docet multa. Hoc illud insuper quod dæmon eum reuocat, non prouocat, id est, ad negaudum illuminat eum potius quàm affirmandum. Nonnunquam vero affirmat quædam, & illa, quidem magna tanquam videlicet non à dæmone tantum raptus, sed Deo iam plenus. Affirmat quoq; vbi sanctorum adducit veterum testimonia, vel animas hominum à mortuis resurgentium citat in testimonium. Sequitur altera dubitatio: quam ob causam Socrates, cum nunquam soleat dubitare, quin animus sit immortalis, in fine tamen Apologiæ hac vtitur disiunctione: Aut nullus post mortem superest sensus, aut superest aliquis. Respõde primo quidem, non de omni sensu, id est, de omni cognitione, sed de nostrarum rerum sensu, vel nostro simili dubitare. Quod quidem significatur per illa quæ in parte disiunctionis altera deinde subduntur, vbi idem quod & in Republica dicit, separatas videlicet animas eodem pacto sese illic, quo & hic solebant agnoscere. Vbi considera dictum contra illos qui dicunt animas de corporibus in corpora transmigrare.

Deinde tutius quoque ita responde. Socratem hac in præsenti disiunctione non vti, quia de illo censeat dubitandum, quod vbique tum per scientiam negatiuam, tum per diuinam inspirationem approbationemque constantissime tenet, sed aduersariorum suorum personas in præsenti respicere, qui cum obesse illi omnino studerent. inferebant ei mortem tanquam proculdubio malam. Socrates ergo contrà infert, nullo modo esse malam, siue sic, siue aliter se nostræ res habeant. Vbi illud quod de mortalitate apparet ambiguum, propter illos est adiunctum, qui tanquam tyranni Epicureo more deridere Socratem potuissent, quasi facile posset decipi, si ex eo solo affirmauisset mortem non esse malam, quod post hanc vitam alia supersint bona. Quæ quidem æterna bona, & si constabant Socrati, illis tamen nullo modo constabant, neque in angusta illa temporis breuitate poterant demonstrari, quæ in Phædone & sæpe alibi demonstrantur. Tu verò nota certam Socratis nostri fiduciam, amicis prope finem Apologiæ dicentis: Bene de morte sperare debetis. Nihil enim mali bono viro vel viuenti vel defuncto potest accidere. Res enim hominis quodammodo Deo similis à Deo non negliguntur. Quod autem extrema ad iudices voce clamauit: Ego quidem hinc abeo moriturus, vos vero victuri: vtri vero nostrum in melius eant, soli Deo est certum: intellige non dubitare illum quod paulo ante affirmabat, sed dicere soli Deo, certum esse per seipsum affirmationisque rationem: posse tamen homini certum fieri per ipsum Deum negationisque rationem. Adde quod affirmare non audet se tam purgato tunc animo emigrare, vt præsentem migrationem affirmet omnino animum suum statim cœlesti patriæ reddituram.

In Critonem, ad Laurentium Medicem, virum magnanimum, Epitome.

Quemadmodum, Apologiæ, ita Critonis quoque tam ordinata, tam plana dispositio est vt argumento non egeat. Aduerte tamen in primis Socratem, sicut in Apologia vigilans vaticinatus est, sic in Critone dormienti semper adesse. Ex omnibus autem collige Euangelicæ Doctrinæ confirmationem. Approbationem martyrum. Exemplar iustitiæ. Incomparabilem fortitudinem. Contemptum mortalium. Desiderium æternorum. Religionis denique fundamentum. Quid memorem vulgi opinionem contemnendam esse, sapientis duntaxat sententiam, imo veritatem ipsam esse colendam? quid rursus, non viuere quidem, sed bene viuere exoptandum? Item inimicis malefaciendum esse nunquam, neque iniurias vlciscendum? Rursus & periculum mortis interitumq; subeundum potius quàm peccandum? Quid referam obseruantiam legum singularem? & inextimabilem patriæ charitatem? quam & parentibus & vitæ proculdubio anteponit, ob hanc, vt ipse inquit, rationem, quo in alteram profectus vitam, valeat æterno iudici æquam anteactæ vitæ reddere rationem, neque leges quæ illic imperant humanarum legum sorores expauescere compellatur. Conncludit denique rationes iustitiæ fauentis mentis suæ auribus vsque adeo insonare, vt alia audire non possit, frustraque conaturum, quicunque pergat dissuadere. Addit ea solum via esse pergendum, qua Deus, id est, ratio diuinitus infusa, perducit.

In Phædonem, Epitome.

Noster de religione liberrem satis per se notam probat, Christi vitam esse virtutis totius ideam. Octauus autem Epist. nostrarum liber, Socratis vitam, vitæ Christianæ imaginem quandam, aut saltem vmbram esse demonstrat: & testamentum quidem Vetus per Platonem confirmat, nouum vero per Socratem. Quod autem ad Socraticam hanc spectat similitudinem, si quis dubitat, Xenophontem atque Platonem legat, & cæteros qui dicta simul actaque Socratis conscripserunt, præcipue Platonis Gorgiam, & Apologiam, Critonem atque Phædonem. Huius ergo Phædonis deinceps argumentum passu, imo saltu celeri percurremus. Eius enim mysteria satis in Theologia exposuisse videmur. Vnum hoc in primis admonebimus, ne quis admiretur Socratem inter argumentationes ad immortalitatem animæ pertinentes, prætermisisse hic illam, qua sola cõfidit in Phædro, Animam scilicet esse principium motionis, vnde sequatur eam per se perpetuoque moueri, semperq; viuere. Id enim ideo factum est à Socrate, quoniam eiusmodi ratio non solũ nostris, sed cœlestibus etiã, atque dæmonicis animis est communis. In Phædone vero rationes nobis magis propriç requiruntur. Sed iam ad dispositionem dialogi breuissimam veniamus. Principio obseruandum est, quàm mitifice Socrates consoletur amicos, qui eo præcipue die quo venenum bibiturus erat, in carcere quasi consolaturi eum salutauerunt. Deinde quàm religiose obseruet vel somniorum præcepta quasi quædam oracula: & quàm in eo apprime cautus sit, ne minimum quid circà diuina mandata delinquat. Tertio memoriæ mandandum est, homines sub assidua Dei esse custodia, neque licere nisi quando Deus voluerit, hinc emigrare.

Quartò, aduertendum est diligenter quid sibi velit, vbi ait sperare quidem se suo obitu ad bonos viros, deosque alios bonos iturum: sed magis affirmare ad bonos deos quàm ad bonos viros iturum. Primo quidem quod dicit deos alios atque valde bonos, intelligit præter sphærarum animas esse mentes Angelicas sphæris sublimiores. In quarum familiaritatem animas quoque nostras quandoque admitti posse sperat: neque tamen audet asserere, propterea quod plerisque sapientibus videbatur satis fore animæ factum, si id ad consortium animarum cœlestium quandoq; recipiatur. Imò vero dubitatio proprie super eam partem cadit, quæ bonos appellat viros. Non enim audet deinde hominum animos affirmare eadem ratione bonos, qua deos dixerat bonos. Post hæc seipsum simul amicosque sub persona philosophantis consolaturus, ait: Quum totum philosophantis studium sit quædam à corpore separatio, per eamque perficiatur quotidie, nimirum separationem à corpore quæ fit per mortem, non modo non timere debet, sed optima cum spe lætitiaque expectare. Mox duobus modis ostendit Philosophum à corpore animum separare. Primo quidem à perturbationibus per moralis disciplinæ purgationem, deinde à sensibus atq; ipsa imaginatione, per contemplationis ipsius intentionē. Medici sapientes duplici vtuntur purgatione Prima quidem leniendo. Secunda verò soluendo: scientes neque satis esse lenire, neque tutum soluere antequam lenias. Similiter apud Philosophos moralis antecedit purgatio, quasi leniens. Non enim interiores imaginationis morbos, id est, deceptiones extirpat. Sequitur purgatio speculatrix imaginationis, quandoque pro viribus discutiens nebulas. Ante vero moralem purgationem aggredi speculationis officium non est tutum, ne quis vitiorum morbis infectus ipso speculationis acumine abutatur ad iniustitiam impietatemque defendendam. Ex his concludit Philosophum mentis aciem quatenus à corporeis segregat, eatenus incorporeis rationibus ideisque coniungere. Sed cum multa quæ à corpore animo inferuntur in commoda numerasset, subiunxit extremum maximumque malorum esse fallaciam illam, qua imaginatio mentem ad incorporea se eleuantem, interim ad imagines quasdam corporum sæpissime distrahit, cogitque ipsa modo quodam corporeo cogitare. Post hæc, & ex eo quod animus ipsam separatarum rerum veritatem quàm naturaliter appetit, corpori coniunctus assequi nequit, per disiunctionem infert, aut nunquam assequi, aut post mortem. Nunquam verò assequi non est consentaneum: quippe quum ab omni mente perpetuo appetatur. Proinde improbat illos qui temperantiam esse putant abstinere à minoribus corporis voluptatibus, vt maiores deinde voluptates corporis consequantur. Rursus qui fortitudinem definiunt, superare timores quosdam eorum timorum gratia qui nos iam superaturi erint. Vult enim omne moralis virtutis officium in quadam animi purgatione versari sapientiæ gratia. Alioquin nullam esse virtutem. Imo vero humanam quoque sapientiam nominat purificationem quandam, perinde quasi existimet nihil aliud sapientiæ nostræ meditatione nos consequi, quàm puritatem quandam, quam mox illuminatio diuina sequatur, quæ proprie sapientia sit Significat præterea non tam habitum aliquem nostris laboribus acquisitum, quàm purificationem ipsam nos Deo coniungere. His actis immortalitatem animæ probaturus ait, ex vno contrariorum genere in alterum progressionem fieri atque vicissim regressionem. Ideoque sicut ex viuentibus fiunt mortui, sic ex mortuis viuentes quandoque resurgere. Vbi videtur mortuorū resurrectionem vaticinari, quam, & in Politico comprobat. Præterea per longas ambages innuere, sicut, & substantia cœli elementorum materia infinite de dispositione alia vicissim pertransit in aliam: sic, & animam rationalem, quę principium motus, & vitæ generationisque est, posse infinite coniungi corpori, vicissimque separari. Siquidem & multæ naturæ substantiæ diuturna vicissitudine qualitates mutant, & vbique virtute animæ fit circuitus sempiternus. In sequentibus tandem ingenti quadam fiducia resurrectionem quàm innuerat, asserit Aggreditur deinde rationem de reminiscentia, idem quod, & paulo antę probantem, animam, & ante corpus viuere, & post corpus. Tu verò eiusmodi rationes esse intellige Pythagoricas. Atque ex illis quod ad veritatem magis conducat, eligito. Ait ergo: si disciplina reminiscentia est, vixerunt animæ ante corpus. Reminiscentiam verò esse, duobus præcipue probat modis. Primo, quia recte interroganti, sæpe vera de his quæ nunquam didicimus, respondemus. Deinde quoniam ex notitia eorum quæ sentiuntur, subita quadam abstractione ad notitiam ascendimus idearum, ceu cognoscendo hæc æqualia in ipsius æqualitatis cognitionem. Vbi cognoscimus deficere hæc ab illis atq; anniti similia fieri: rursus quantum accedant, & quæ magis, quæue minus. Quumque id per omnem agamus vitam, necesse est ideam ipsam

ante ortum non habuisse. Non enim perfectę tei notitiam subito ex imperfectis accepimus.

Ostendit autem duobus modis ideas esse. Primo. Quodlibet subiectum quod appellatur æquale, potest etiam dum per substantiam manet idem, inæquale & fieri & videri. Aequalitas autem nequit vnquam inæqualitas vel fieri vel videri. Præterea æqualia hæc velut imperfecta inæqualitatem participant, æqualitas verò ipsa nequaquā, In sequentibus nota quanta asseueratione affirmet ideas, atque addatq; idearum essentiam esse nostram. Atque cum animus noster singula referat ad ideas, ipsum ostendere se vnā cum idearum essentia sempiternum esse, atq; eam agnoscere tanquam suam. Nota insuper nulla in re magis elaborandum esse, quàm vt per immortalitatis demonstrationem mortis metum, quasi morbum grauissimum, expellamus. Confestim aliam aggreditur rationem à proportione intellectus ad intelligibile ductam. Intelligibile verò ipsum, ideam ipsam incorpoream sempiternamque appellat. Cumque intellectus cum ipso velut obiecto proprio congruat, concludit hunc incorporeum sempiternumque esse, præcipue quum dominetur corpori, mortalibusque repugnet. Proportionem verò mentis cum idea confirmat, ex eoquod quotiens nōn impeditur, ad eam sese cōfert, eiusq; commercio gaudet, atq; perficitur. Quod autē postquam dixit animam esse omnino indissolubilem, subiūxit, vel rei omnino indissolubili propinquam, hoc additum intellige, quoniam in Timæo probatur. Deum solum omnino indissolubilem esse: cætera verò si comparentur ad Deum, dissolubilia quodammodo iudicari, quia quodammodo & composita, quamuis illa quæ optime composita sunt, id est, seorsum ab elementali materia, nō dissoluantur vnquam. Animæ igitur tā nostrę quàm diuinæ indissolubili Deo propinquæ sunt, ipsæ quodāmodo solubiles, sed dissoluendę nunquam. Præterea vocat id omnino indissolubile, in quo neq; essentiæ, neq; actionis partes vllę sparguntur. Anima igitur & si secundum essentię partes no spargitur, tamen per actionis partes diffunditur. Tempore enim & mobiliter agit. Proinde subdit puram animam post obitum ad pura & ęterna redire, impuram verò terrenisq; infectam ad similia retrahi atq; terrena, sæpe videri. Profecto affectio erga corpora in anima remanens, non per se proprie facit vt anima videatur, cum affectio non sit visibilis: efficit tamen vt anima nōnihil visibile secum trahat, id est, inuolucrū quoddam, vel aëreum, vel ex spiritib. vaporibusq; corporis sui conflatum, vt vult Procl. vel nuper ex circumfuso aëre congregatum. Certe hic Plato significat, quod vult Proclus, scilicet inter corpus æthereum, quod & immateriale est & simplex, & sempiternum, atque corpus terrenum, quod est materiale compositumque, & ad breue perdurans, esse corpus aëreum, materiale quidem, sed quodammodo simplex, & longioris æui, in quo animæ diutius habitent etiam post discessum, quod hoc dissoluto, corpus iterum compositum induantur, videlicet si purgatę non sint: si verò purgatæ, cum solo æthereo cœlum petant. Quod animarum transitus narrat in bestias, Pythagoricum est. Idque intellige, videlicet animas nostras non tam viuificare corpora bestiarum, quàm purgatorij gratia per brutam imaginationem suam quodammodo brutorum imaginationi misceri, quemadmodum impuros aiunt dæmones insanorum imaginationi sæpe permixtos. Sic vtique excepto Plotino plerique exponunt Platonicorum. Quod quidem patet ex eo, quod non dicit animam fieri bestiam, sed induere, subire, transire. Concludit solos in Deum recipi, qui per veram Philosophiam purgati decesserint. Audi præter hæc vinculū animæ cum corpore nihil esse aliud quàm amorem, scilicet naturaliter prouidentem. Item quoties anima per instrumentum agit circa formas in subiecto iacentes, nihil syncere cognoscere, sed solum quando per seipsum conuertitur ad formas in seipsis simpliciter existentes. Disce hic quoque animam ex eo quod rebus corporeis oblectatur & pascitur, euadere corporalem: atque hinc vsque adeo falli, vt sola corporea iudicet esse vera, quum omnino sit contrà: fallaciam eiusmodi malorum omnium esse grauissimam. Accedit quod anima iam facta corporea, post obitum quoque ab incorporeis seorsum circa corporea labitur. Conclude animum suæ puritati penitus restitutum, nullo modo suæ immortalitati diffidere. Cygni fabula Pythagorica est, atque allegorica. Pythagorica quidem, vbi dicit cygni animam superuiuere. Allegoricè verò intelligitur cygnū in numero solarium animalium contineri, & Socratem solarem esse, tum quia Phœbi oraculo approbatus est, tum quia mentibus hominum medebatur. Adde vaticinium esse quadruplex, diuinum, dæmonicum, humanum, naturale. Idque vltimum in bestiis fieri quodam instinctu naturæ. Intellige etiam cygnos innocentes sine Philosophia homines, qui quum mortem sæpe minime timeant significant Philosophos absolutos timere eam nullo pacto debere.

Animaduerte deinde, difficillimum esse in hac vita substantiam animæ intelligere, quoniam, videlicet, sub corporea eam specie intuemur. Ideoque tutissimam rationem ad animam comprehendendam esse, tum Moralem purgationem, tum Metaphysicam abstractionem. Vbi verò minus id sufficiat, opus esse diuino quodam verbo, id est reuelationibus diuinitus factis atque miraculis. Nos verò hic diuini Verbi mysterium à Platone significatum considerare debemus. Tradit deinde duo in disputando præcepta. Primum, ne rationibus vllis absque longa examinatione credamus. Postquam verò rationi cuidam sufficienti examine crediderimus, ne facilè inde ob quaslibet obiectiones similitudinesque amoueamur. Secundum, ne aut propriam, aut alienam in disputando personam, sed rationem duntaxat, veritati consonam cogitemus. Sequuntur dubia contra animam, ne fortè consonantia quædam sit humorum, atque vel prius corpore, vel vnà cum ipso, vel inde ad id tēpus aliquod dissoluatur. Quæ quidem dubia Socrates ita soluit. Si disciplina reminiscentia est, ideoque antè corpus vixit anima, nequit anima esse corporis consonantia. Quippè cùm consonantia partes ex quarum concursu fit, non antecedat, sed consequatur. Si eadem est consonantiæ ratio, atque animæ, sicut altera anima, non magis anima est quàm altera, ita neque consonantior erit. Temperans igitur anima nihilo plus consonabit quàm intemperans. Si consonantia necessario ea sequitur, ab eisque dicitur ex quibus ipsa conflatur, non potest anima corporis consonantia esse, quod quotidie ducit, cui sæpè repugnat. Cæterum, antequam dubitationes absoluat, rationesq; immortalitatis omnino perficiat, longo discursu damnat illos qui rerum causis assignandis ad materias quasdam; & instrumenta confugiunt, asserens totam historiā naturalem insufficienter per eadem naturalia confirmari: quippè cùm hæc omnia omniumq; motus à diuinis causis efficiētibus, finalibus, idealibusque omnino dependeant. Optat in primis finalem cuiusque rei causam atque vniuersi, id est bonum cuiusque, & vniuersi bonum, cuius quidem boni potestatem causam esse dicit efficientem. Quoniā verò ipsam amplitudinem comprehendere nequit: secundò eligit loco ideales diuinæ intelligentiæ rationes, ad quarum similitudines in mundi materiā expressa sunt omnia. Inter hæc nota Mosaici mysterij confirmationē, sicut & in Timæo. Vidit Deus singula esse bona, etiā cuncta valdè bona. Ita omnia ipso bono connecti. Rursus, animum corporea intuentem, interim ad incorporeum obtuitum obcæcari. Neq; posse veritatem rerum haberi, nisi ad ideas confugiamus. Præterea formulas idearum inesse mentibus nostris ad quarum congruitatem, vel contrà singula vera esse, vel contrà censentur. Socratem nunquam certam idearum contemplationem intermittere consueuisse, solasque affirmare solere. Certam rerum causam in ideis esse sitam, immortalitatem quoque animæ ab ideis potissimū demonstrari. Processum inter ideas à minus communi per medias ad communissimam fieri. Atque descensum ab ideis ad effectum earum. Demum rationem disponit immortalitatis, ex eo quod rationalis anima corpori præstat vitam, non vt accidentalis forma inhærens corpori, sed vt substantialis in seipsa permanens, ex se formaliter viuens quasi quædam vitæ corporalis idea, atque per se efficienter corpus viuificans. Ideoque concludit animam non posse suscipere mortem, cum mors vitæ opposita sit, anima vero, & vitam propriam habeat, & maneat in seipsa, adeo vt neque per se proprie, neque per subiectum aliud mortem suscipere valeat. Post hæc ex eo, quod anima sit immortalis, cohortatur omnes ad moralem speculatiuamque disciplinam, vt animus & per voluntatem, & per intellectum purgatus atque perfectus, bis quasi duabus alis in cœlestem patriam reuolet.

Confirmat interim animam esse immortalem, quia neque virtus tandem obesse, neque vitium prodesse debeat. Obesset autem laboriosa virtutis via bonis, atque contrà prodesset voluptuosa malis vita, nisi foret animus immortalis. Ac nequis fortasse neget posse post hanc vitam vel vitium obesse, vel prodesse virtutem, subiungit animam affectiones, & habitus tam voluntatis quam intelligentiæ comparatos, siue bonos, siue malos secum ferre, subito vel læsuros, vel profuturos. Dæmonem namque ducem omnes ad diuinum iudicem vitæ repente perducere in locum communi iudicio deputatum, in aërem scilicet minus puros, & in æthere m puriores, ibique iudicatos ab alio rursus dæmone per triuium ab sua, id est, similia singulos trahi. Per triuium, inquam, quia alij mittuntur in cœlum, alij in tartarum, alij vero in medias regiones. Ducit autem eos dæmon, in bonis quidem intelligentiam mouens, in malis autem imaginationem affectumque perturbans. Quod autem dicit iniquos absque duce errare, absque beneficio intellige duce. Adde quod neque quo trahantur, agno-

scunt, & violentia rapiuntur. Cæterum antequam animarum distribuat sortes, orbem terræ describit, dicens esse quasdam terræ plagas, atque illas quidem amplissimas, & vsque adeo altas, vt ventis & imbribus non pulsentur. Vbi temperatissimus aër sit, sub quo preciosissima quæque nascuntur, homines acutissimi sensibus, vitaque longæui Sunt qui velint, & homines, & alia, illic nascentia quam plurimum ex æthere aëreque componi, quam minimum verò ex crassioribus elementis: vt hominum corpora quasi aërea sint, fructibusque maxime aëreis nutriantur. Quodne quis tanquam impossibile neget, Olympiodorus Aristotelis adducit historiam, in qua Aristoteles vidisse se inquit hominem qui solo aëre nutriebatur, & sole. Quod autem terræ sublimis faciem in duodecim diuidit plagas, inde prouenit, quia duodecim congruit Zodiaci signis, duodecim sphærarum regitur animabus, & duodecima est mundi sphæra, atque veluti totius fundamentum dodecaedram illam sibi vsurpati figuram, quam Timæus attribuit mundo. Sed de hac ipsa figura, deque aliis terræ propriis quæstionibus, in Timæo dicemus. Tu verò terræ huiusmodi habitationem terrestri Moysi paradiso similem esse memento. Proinde flumina sub terra describit, quibus animæ nutriuntur. Quæ quisquis secundum nostri corporis humores animique perturbationes in hac vita nos affligentes exponit, nonnihil adducit simile vero, veruntamen veritatem integram nō assequitur. Plato enim, & hic, & in Republica significat præmia virtutum, & supplicia vitiorum ad alteram vitam potissimum pertinere. Acheron igitur sub terra flumen, locus est purgatorius, atque ad curam pertinet, & mœrorem. Respondet quoque aëri, partique mundi meridianæ. Phlegeton igni respondet atque orienti, vimque puniendi continet per calorem, & iræ cupiditatisq; feruorem punit. Styx Cocytusque respondet terræ, atque occasui, odiumque per luctum fletumque puniunt. Differunt verò hoc inter se solum, quòd Styx exoriens appellatur. Cocytus verò progrediens. Tartarum infimum tenere vult inferni locum, in quo scelestissimi non Medicinæ, sed exempli gratia affligantur, quemadmodum hic, & in Republica legitur, & in Gorgia. Addunt quidam ad hæc flumina Oceanum quoque quodammodo pertinere, aquæ septentrionique respondentem, in quo distinguendi definiendique virt⁹ intelligatur. Tu verò quod de fluminibus dicitur, potissimū de dæmonib⁹ numinibusque intellige, flagitiosos tali quodam ordine punientibus. Profectò peccata facile sanabilia sunt, quæ nondum in habitum sunt conuersa. Difficile verò sanantur quæ iam habitum genuerunt: veruntamen vnà cum quadam rationis repugnantia committunt, & committentes afficiunt pœnitentia. Insanabilia verò sunt omnino, quorum habitus, & repugnantiam & pœnitentiam procul fugat. Prima purgantur in Acheronte Secunda, si ad prima vergant, puniuntur in Phlegetonte: si ad tertia, in Styge, atque Cocyto. Tertia affliguntur in Tartaro, ex quo, vt Plato inquit, nunquam egrediuntur. Quo verò pacto alij aliter id exponant, in præsentia libentius prætermitto. Affligi verò possunt animæ non tantum per imaginationem infeliciter à dæmonibus agitatam, sed per aërea quædam corpora, quæ vehiculi & cymbæ nomine designantur. Præmia verò sic Plato distinguit.

Animæ quæ iustè & sanctè sine Philosophia vixerūt, sublimia terræ, qualia supra descripsimus, ascendentes, in tenuissimis spiritalibusq; ibi corporibus habitant. Quæ verò ciuiliter propterea Philosophatæ sunt, cū splendidis cœlestibusq; corporibus cœlum colunt. Sed quæ per exactam Philosophiam perfectè purgatæ sunt, in locum supercœlestem euolant, vbi absque corporibus omnino, vt Plato hic inquit, totum per tempus viuunt. Qua verò id ratione exponant nonnulli, consulto non recenseo. Porphyrius certe atque Iamblichus tradunt animos Deo perfectissime restitutos nunquam cadere. Quod quidem congrue respondet oppositis, quæ ex Tartaro nunquam emergere iudicantur. Quod quidem si ita sit, circuitus iam infiniti tollentur: Temporales vero circuitus exhiberi purgationis cuiusdam gratia videbuntur. Socrates tandem gallum Æsculapio sacrum se debere fatetur, reddique diligentissime iubet. Prisci Æsculapio Medico Phœbi filio gallum sacrificabant diei solisque vnicum, id est, diuinæ beneficentiæ morborum omnium curatrici, quæ diuinæ prouidentiæ filia nominatur, diem, id est, vitæ lumen debere se fatebantur. Eiusmodi medicum in superioribus perquirere iusserat morborum animi curatorem. Et quasi iam omni dubitationis metusque morbo liberati sint, gratiam victimamque Deo referri iubet. Præterea oracula priscorum tradunt, animas remeantes in cœlum, pæana, id est, triumphalem cantilenam canere Phœbo. Reddit ergo Deo votum, vt alacer pæana canens, cœlestem patriam repetat.

In Menexenum, ad Laurentium Medicem virum magnanimum.

Epitome.

Consilium Platonis in Menexeno est, cohortari omnes ad summam patriæ charitatem, idemque facit, quamuis aliter in Critone, & Legibus, atque Republica. Hic verò duobus præcipuè id efficit modis. Primò quidem, dum laudat illos, qui pro salute patriæ pericula mortemque intrepide subeunt. Deinde, dum ipse patriæ suæ antiquitatem virtutesque laudibus extollit. Tu verò statim ab initio nota. Philosophiam, scilicet Moralem viro Rempublicam gubernaturo esse summopere necessariam. Mox præclarum esse in bello occumbere, scilicet pro salute patriæ, idque confirmari ex eo, quod hoc apud omnes gentes maximè omnium honoretur. Deinde, occasione sumpta ex laudibus Oratoriis, animaduerte quàm perniciosa sit adulatio. Communem siquidem oratoriam in Gorgia, adulationis speciem esse iudicat. In Phædro autem adulatorem appellat bestiam humano generi pestilentem. Similemque affirmat impuro dæmoni, incautos animos sub noxiæ voluptatis esca continuè corporis sordibus inquinanti. Hic prætereа præstigiatoribus veneficisque adulatorem, tam priuatum quàm publicum iudicat esse persimilem: quippè qui tanquam fure & homicida deterior, & iniquior, non pecunias, non ipsam corporis vitam duntaxat, nobis auferat, imò verò tanquam sacrilegus rem sacram, iudicium, scilicet rationis, sub boni specie surripiat atque subducat. Et vide quàm valdè decipiat. Non enim in rebus solùm occultis, sed id quod mirum est, in manifestissimis artificiosissimè fallit. Cui enim non euidentissima sit auita paternaque origo? Item ipsa sui corporis magnitudo atque forma? Veruntamen in his quoque adulatores venefici nos circumueniunt, tantò Circe crudeliores, quanto grauius inferunt detrimentum. Illa enim suis poculis exteriora hominis fertur in bestias transformasse: hi verò lenociniis suis interiora transformant. Proinde deridet Socrates oratores, quod gratiam popularem omnibus machinamẽtis aucupentur, laudentq; alios supra modum quo ipsi laudentur, remque adeo leuem graui quodam studio & diuturna præmeditatione pertractent. Aggreditur prætereа quod statuerat ab initio, omnes videlicet ad defendẽdam patriam cohortari, laudando videlicet eos qui pro patria occubuerunt. Hinc enim erat mos vetus Atheniensium, publica concione illos laudare quotannis, atque insuper inferias celebrare. Verum ne supra quàm par est oratoriæ tribuat facultati, asserit se orationem eiusmodi ab alio, & quidem à muliere Aspasia, accepisse: præsertim cùm Socratici ingenij non sit Oratorum more concionari. Quo potissimum ordine laudandum sit, præsertim in oratione funebri, manifestè declarat. Quod autem homines ait ab initio in Attica regione solum atque solos ex terra sponte progenitos: ex aliis verò regionibus, è terra similiter solum bruta: vtcunque placet, accipito, siue tanquam à Philosopho, siue potius oratore. Scito tamen Platonicam esse sententiam, post vastas terræ illuuiones, ex abundanti humore atque calore sequenti post diluuium, terram adeo fœcundam reddi, vt ex ea non animalia tantum pusilla, qualia nunc, sed grandia etiam, atque ipsi in super homines vltro nascantur. Quod quidem, & hic, & alibi sæpe confirmat. Idque plerique senserunt Ægyptiorum atque Græcorum, & Arabes multi, denique confirmarunt præcipue Algazeles atque Auicenna. Qua quidem sententia Aristoteles in quæstionibus naturalibus vsus ex antiquorum mente inquit: Quemadmodum in paruis temporum mutationibus parua quædam ex terra pullulant animalia, ita in maioribus quoque maiora, in maximis denique maxima atque perfectissima. Plato autem vbicunque ex ipsis terræ visceribus eruit animantes, Deos artifices adhibet mundani architecti ministros. Deos, inquam, id est, ideas specialesque rationes in ipsa mundi vita diuinaque intelligentia consistentes: per quas, & statim post diluuia, & quotidie animantium formentur species, vbicunque corporeum speciei eiusdem semen abesse videretur. Quod quidem fieri oportere satis in Theologia probauimus. Vbi vero nascitur homo, non solum sicut cæteris deorum adhibet manus, sed etiam quoddam Dei summi spiraculum expressiorem que imaginem. Deinde statim natis deos ipsos saltem in primis sæculis tanquam duces præficit, atque præceptores. Tu verò ex his omnibus quæ Mosaicæ sapientiæ magis consonant: prudenter eligito. Profectò id Moysi maxime congruit, quod hic, & in Protagora, & in Politico, atque Critia vult hominem aliquando ex terra auctore Deo ad Dei ipsius similitudinem fuisse progenitum. Quales autem illuuiones sint, & quando, & quam ob causam docebimus in Timæo. Posthæc insignis pietate vir patriæ suæ laudes mirifica quadam tum charitate, tum arte prosequitur, ab origine prima, ab ipsa reipublicæ forma, à disciplina quotidiana, à rebus

egregie gestis, quæ & hinc & aliunde ex aliis scriptoribus manifestissimæ sunt. quamobrem argumentum nostrum paucis concludamus, eiusmodi sententias annotantes. Virtuti omnia parent. Prosperitas primo æmulationem parit, deinde inuidiam, demum dissensiones, & prælia. Omnis possessio absque morali virtute, non solum inutilis est, sed noxia. Scientia seorsum à virtute morali, non sapientia, sed calliditas quædam est iudicanda. Maiorum splendor in filiis obscurus euadit, quando per ipsorum ignauiam in posteros non transfunditur. Non est optandum, vt omnia succedant ad votum. Obseruandum est in omnibus prouerbium vetus, Nihil nimis. Qui ita se comparauit vt ex seipso pendeant omnia quæ ad beatitudinem conferunt, vel quam proxime ad hoc accedit, hic optime vitam instituit. Noli vel lætitia exultare, vel dolore deiici. Parentes iudicare debent se genuisse filios, non vt immortales, sed vt boni forent. Lugubres lamentationes domesticorum molestæ sunt defunctis, siquidem illas audiant. Perpetuo quodam solenni honore prosequi decet eos, qui pro salute patriæ strenue se in bello gesserunt: eorum filij cura publica educandi, colendi quoque parentes. Ne res ipsæ nobis iniquæ sint, æquo sunt animo perferendæ.

In dialogum primum de Republica, vel de Iusto, ad Laurentium Medicem virum magnanimum, Epitome.

QVando oculus præstat manibus, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis omnibus quæ diriguntur ad finem, status motui, æternitas tempori, tanto contemplatiua vita actiuæ præstare videtur. Contemplatio enim actionis, & principium est, & finis, ducitque illam pro arbitrio atque sistit, iubens denique inferiores motus, externamque desinere actionem, vt intrinseca stabilisque actio liberior tandem possideatur. Sic vtique ab ipsa contemplatione Dei cœlestes naturalesque motus, & actiones omnes tanquam à principio ducuntur veluti ad finem. Quamobrem Plato noster eo saltem cæteris ciuitatum legumque conditoribus est excellentior, quo cæteri quidem velut humani ad actionem magis ciuitatem instituerunt, ipse vero quasi diuinus actionem ciuitatis omnem tam publicam quàm priuatam potissimum perducit ad contemplandum, ciuitatemque constituit suiipsius antequam orbis dominam, neque tam multis timendam, quàm cunctis gentibus venerandam, cœlestem quasi Hierusalem pro viribus in terris expressam, in qua sublatis propriæ possessionis gratia contentionibus communia sint pro ipso iure naturæ omnibus omnia, communis sit copia, firma concordia, cunctorum vna voluntas, ideoque ad contemplandum semper expedita tranquillitas. Componit autem integram absolutæ Reipublicæ formam denario librorum numero numerorum omnium integerrimo numeros tum intra se numeratos continente, tum ex se innumeros replicante. Atque, vt sæpe, his in libris, præcipue in secundo, declarat, totam disputationem de iustitia à nobis inscribi mauult, quàm de Republica: docens vt arbitror, rem omnem actionemque & publicam & priuatam, non ad copiam, non ad potentiam, non ad victoriam esse, sed ad ipsam iustitiam penitus referendam. Quæ quidem iustitia omni sublata perturbatione, expulsisque contentionum impedimentis ciues tandem reddit expeditissimos ad verum inuestigandum, Deumque colendum.

Eiusmodi verò contemplationem atque cultum, Plato noster iudicat præcipuum Reipublicæ: vt quod neque vnus, si solus vixerit, neque plures, si simul habitauerint, sine lege efficere possint: multi saltem ciues communi lege in vnum ciuitatis cœtum congregati perficiant. Præterea docet nos Timæus & Critias, ante ingentem terrarum inundationem Athenas aliàs extitisse, & apud Græcos, & apud Ægyptios, similibus inter se legibus gubernatas, quas Dea Pallas condidit, educauit, & docuit, eamque illis tradidit Reipublicæ formam, quam in his libris Plato conscribit. In libris verò de Legibus, Rempublicam ex gubernatione Cretensi, ex Lacedæmonia, & Attica noua componit, ipsamque compositionem à Deo inchoat legum omnium authore. Verùm, vt ad præsentia redeamus, hanc quoque Rempublicam felicibus auspiciis exorditur ab ipsis diuinæ sapientiæ sacris, à seniorum consuetudine atque consilio, à religiosa iustitia atque sanctitate. Ex eo enim quod & vota Deo, & sua cuique reddenda dixerat, incipit iam de priuata quadam iustitia disputare, per quam ad publicam opportunè suo loco transibit. Tu verò memento in his à Platone significari, absque diuina humanaque iustitia, seniorumque consilio, ac sapientiæ diuinæ fauore, non posse ciuitatem vel ab initio constitui prosperè, vel constitutam feliciter gubernari. Deinceps argumentum primi libri perstringens, ex plurimis grauibusque præceptis necessaria quædam excerpam. Moderata iuuentus facilem efficit senectutem, immoderata difficilem. Qui corporis obse-

quitur libidinibus, proculdubio insanis seruit tyrannis. Animus in senectute sedatis perturbationibus quas secum affert iuuentus, segregatus à corpore, diuina propius & apertius inspicit. Innocentia sola optimam in posterum spem animo præbet, vnicum vitæ solamen. Vir sanæ mentis ad id in primis pecunias esse vtiles iudicabit, vt quicquid vel Deo vouerit, vel homini promiserit, aliterque debuerit, impleat, neque ob paupertatem adducatur aut mentiri cuiquam, aut vlla re defraudare. Pecuniæ namque referendæ sunt ad iustitiam, iustitia verò ad vitæ alterius præmium. Sed antequam disputationem de Iustitia prosequamur, considerandum moneo singula sub allegoria quadam à Platone disponi. Primò quidem Cephalus senex, id est caput, præbet disputationi caput. Deinde Polemarchus, quod & nomen eius significat, princeps, id est primus moderate pugnam aggreditur. Denique Thrasymachus, id est pugnator ferox agit asperius. Socrates autem, id est seruator potens, vbique ab errore omnes, & iniustitia seruat. Sed allegoriam commentariis relinquentes, ad definitionem iustitiæ iam pergamus. Simonidem, Pittacum, Biantem, dixisse ferunt iustitiam esse vera fateri, ac debitum vnicuique reddere. Quod quidem ita nonnulli interpretantur: simpliciter verum cuilibet aperire, & quod acceperis, restituere. Id autem ideo Socrates improbat, quoniam insano neque omne verum patefaciendum est, neque arma reddenda sunt, quæ sanus dum erat apud te deposuerat. Alij sic exponūt: Dare vnicuique quod sibi conuenit, ceu amicis emolumentum, inimicis vero damnum, prodesse quidem bonis, malos autem lædere. Id iterum improbatur, propterea quod neminem vnquam lædere deceat. Quicunque enim aliquid lædit, idipsum ad opus suum, propriamque virtutem deterius efficit, & ineptius, vt qui canem lædit, ad propriam canis virtutem reddit ineptum. Iustitia verò hominis virtus est. Quisquis ergo lædit hominem, ad iustitiam facit deteriorem. At iustitia, iustitiam nunquam minuit, sicut neque musica opus musicæ struit. Quamobrem nōn est iustum aliquem lædere. Inter hæc Trasymachus, quod & alij multi aliàs, obiicit Socrati, quod respondere nunquam velit, semper autem interrogare. Te verò latere non debet multis de causis Socratem quærere solitum semper potius quàm docere. Prima, vt arrogantes admoneret in omni ætate discendum esse potius quàm docendum. Secunda vt significaret veritatem mentibus per opportunam inquisitionem segregatis à corpore atque erroribus, statim infundi diuinitus. Quod & Auicenna magnopere comprobat. Tertia vt ostenderet rerum formas esse animis nostris ingenitas, per quas ipsa rerum veritas animis per interrogationem ad eos conuersis quandoque subrutilet. Quarta, quo declararet humanam scientiam in negatione quadam falsi potius quam in veri affirmatione consistere. Adducitur deinde definitio iustitiæ à Trasymacho, qualis & à Callicle in Gorgia, iustum esse quod est potentioribus vtile. Semper enim potentiores dominari, atque ad vtilitatem suam ferre leges, ac subditos gubernare. Tunc vere subditos iuste agere, cum illis parent legibus, quæ sunt ad vtilitatem gubernantium constitutæ. Socrates hunc ad contradictionē trahit Quomodo possit princeps per ignorantiam mandare quæ sibimet sint detrimento futura. quæsi obseruet priuatus, tum iustus erit, quia dominanti pareat: tum iniustus quoniam agat contra dominantis vtilitatem. Addit artem quamlibet absolutam, ideoque minime indigam, in tractandis materiis, & hominibus, non suæ, sed rerum sibi commendatarum vtilitati consulere, quasi pupillis tutor, medicus ægris, nautis gubernator: similiterque magistratum legitimum subditorum vtilitati prospicere.

Si qua verò ars ceu medicina mercedem exigit, non quatenus medicina est, cuius finis est morbi curatio, quæstum facit, sed quatenus cum mercenaria quadam & quęstuaria commiscetur. Artem ergo ciuilem omnium perfectissimam, ideoque minime indigentem atque seruilem constat multo minus vtilitatis gratia gubernare. Mitto quæ Trasymachus temere, & cum quadam sumet repugnantia adducit contra iustitiam. Tu verò nota non decere quenquam, petere principatum, & magistratus ambire. Item, si quando bonorum virorum existet ciuitas, non aliter pugnaturos gratia non imperandi, quàm nunc certent imperandi cupiditate. Tria verò nunc aduerte. Primum, malos non esse admittendos ad magistratum. Secundum: Ciues non malos, quo libenter graue onus gubernandi suscipiant inuitandos, imposito quodam præmio stipendij atque honoris. Tertium, probos homines qui neque auaritia, neque ambitione mouentur, eo duntaxat discrimine metuque prouocari ad rempublicam oportere, ne videlicet ipsi deteriorum iniustæ gubernationi subiiciantur. Plato diuinus intelligit, si quis vnquam alius, officium gubernandæ patriæ, si iustum sit, voluntarium esse debere. Sed probatissimi ciuis ex-

templo vult iniquam illorum arrogantiam improbare, qui qualibet via semper ambiunt magistratus, dignitatesque aucupantur. Qua verò ratione dignitatibus ipsi digni fiant, omninomon curant. Vult ergo id officium voluntarium esse simul atque necessarium, vt vir probatissimus libentissime patriæ suæ suscipiat gubernacula, sed tunc solum id faciat, quando necessitas postulat, interea verò contemplationem præferat actioni: verum rebus quandoque vrgentibus actionem circa publicum bonum ad tempus contemplationi propriæ anteponat. Id totum ex Epistola Platonis ad Archytam Tarentinum comprehendi planissime potest. Confutatur deinceps tyrannicum Trasymachi dictum, iustitiam quidem in genere insipientiæ malique, iniustitiam verò in genere sapientiæ bonique collocans, quod quidem ideo falsum esse monstratur, quia quælibet ars, sapientia quædam est, atque circa quæ sapiens eadem est & bona. Vir autem in quauis arte doctus non plus alio docto in actione artificiosa quærit, imò pariter actionem exequi atque similiter. Et quamuis doctum adæquare tantum velit, indoctum tamen vult superare. At indoctus temere nonnunquam plus sibi assumere tentat quàm doctus simul atque indoctus. Illi simillimus est vir iustus, nihil plus habere cupiens alio iusto, sed aliquid tamen, id est, virtutis plus iniusto. Iniustus autem indocto similis tam iusto quàm iniquo plus habere contendit. Conclude contra Trasymachum, iustitiam quidem ad sapientiæ bonique genus, iniustitiam verò ad insipientiæ malique referendum. Adde iniustitiam esse infirmitatis omnium causam. Nam in quolibet cœtu odium & discordiam pariens, infirmissimum, primo cœtum reddit, deinde dissoluit. Eatenus verò consistere cœtus potest, quatenus nonnihil distributionis iustæ seruatur. Per iustitiam ergo consistit, per iniustitiam verò dissoluitur. Per illam & sibi inuicem, & aliis est amicus, per hanc vndique inimicus. Quod autem in qualibet congregatione, idem & in quolibet animo iustitia & iniustitia facit: vt iustus quidem secum ipse consentiat, amicusque sibi sit, & hominibus, atque superis Illi enim iustissimi sunt, vt non mirum sit iustum illis similem etiam amicum esse. Iniustus autem in his omnibus omnino cōtra se habet. Præterea res quælibet proprium quoddam habet opus. Requirit quoque virtutem propriam, quandam scilicet facultatem per quam aptissime proprium perficiat opus, sine qua id efficere nequit. Cum igitur anima proprium quoddam habet, ceu consulere atque gubernare, multoque prius & viuere, propriam quoque virtutem exigit, per quam hæc commodissime peragat, qua sublata laborat. Virtus autem animæ iustitia est, iniustitia verò vitium. Quapropter per iustitiam perfecte consulit, & gubernat, viuitque feliciter. Sublata verò iustitia, contrà. His dictis primus liber cum quadam correptione concluditur. Nempe cum prius dicendum esset quid iustitia sit quàm qualis, factum est hactenus è conuerso, dum Socrates partim disputantes sequeretur, partim per notiora principia disputans, audientium tum ingenio indulgeret, tum facultati consuleret.

In secundum Dialogum de Iusto, Epitome.

SEcundus Dialogus à trina exorditur diuisione bonorum. Bonum profectò idem est atque expetendum. Expetimus autem aliquid sui ipsius gratia tantùm, vt voluptates & gaudium. Aliquid alterius solùm gratia, qualia quæcunque laboriosa sunt. Aliquid & gratia sui, & aliorum quæ inde sequuntur, ceu cognitionem, ac prosperam valetudinem. Iustitiam verò dicit, cùm aliorum ex ea sequentium, tum vel maximè suiipsius gratia expetendam. Sed antequam de Iustitia perfectè quicquam definiatur, Glauco, quæ prætermissa sunt à Trasymacho, pro iniustitiæ patrocinio copiosius elegantiusque prosequitur: adde & modestius. Ait enim, non quia ita sentiat, sed vt prouocet Socratem ad iustitiam acrius defendendam, iniustitiam se laudaturum. Similia quædam habemus & in Gorgia. Post eum Adimantus, & primum pro iustitia verba facit, præmia illi & humana tribuens & diuina. Vbi notabis religiosa quædam mysteria Poëtarum. Deinde nonnulla pro iniustitia adducit in medium personam, videlicet, & Socratis, & Trasymachi referens, addens etiam se non iustitiam vituperare velle, sed quodammodo Socratem irritare.

Optat autem laudes audire iustitiæ, quæ non ab externis, sed ab intrinseca iustitiæ natura ducantur, quales afferri ab aliis non consueuerint. Tu verò animaduerte non temerè Platonem multa hic rursus ad Poëtas sacerdotesque pertinentia posuisse. Ostendit enim in his sæpè à Poëtis, sæpius à malis sacerdotibus, peccandi licentiam prouenire. Vbi Gentium superstitiones irridet. Præterea, haud abs re in his libris omnium sibi charissimis, charissimas sibi personas inseruisse, Glauconem Adimantumque fratres eius, patremq; Aristonem. Rursus Socratem nihil in omni eius vita propensius contemplatum, quàm seclusis

externis affectibus, quidnam sit, quidve faciat virtus ipsa, vitiumque in animo. Quod quidem & sponte & prouocatus deinceps de iustitia & iniustitia demonstrabit. Sed ego hic iniuste nimium prætermisi mirum illud iustitiæ præmium ex Musæi mente adductum, perpetuam inquit ebrietatem. Quod quidem Musæus accepit ab Orpheo, idipsum per Dionysii sacra significante. Hoc illi prophetico simile: Inebriabor ab vbertate domus tuæ. Ebrietas ergo sit duplex. Altera quidem sub Luna, Letheo inducta potu: per quam anima extra se posita, & infra se posita obliuiscitur diuinorum circa terrena delirans. Altera verò super lunam nectarea proueniens potione, per quam animus extra se positus, supra se positus, morborum mortalium obliuiscitur: suspiciensque diuina quasi primo illorum splendore caligat: siue potius saporem gustans nouo quodam calore è priori habitu permutatur. Mox verò perspicue cernit gustatque salubriter, imò verò nutritur. Profectò idea diuina per quam factus est animus, redeunti illabitur animo, ceu gustui sapor. Ab eo primum suauiter si quid alienum est diluit. Deinde penitus implet, magisque implendo delectat. Tertio redigit in seipsam inæstimabili voluptate perfundens. Vbi animus ex anima primum factus est intellectus, ex intellectu denique Deus. Neq; vlterius sicut prius sapit, neque quæ prius, sed sapit aliter atque alia.

Et quemadmodum apud nos imaginatio vehemens mouet formatque corpus, ita & ibi corpus subiectum animæ sensusque eius à potentissima cogitatione mentis mouetur protinus & formatur, adeo vt ineffabili dulcedine mentis mirabiliter & sensus dulcescat & corpus. Sed iam ad iustitiam reuertamur. Hanc Socrates tanquam disputationis suæ finem atque obiectum, per singula quærens, quia difficile inueniretur in animo, prius quærit in ciuitate, tanquam in ea manifestiorem futuram, vt per hanc demum animi iustitiam manifeste definiat. Vt autem iustitiam in ciuitate considerare queat, constituit ab initio ciuitatem, dicens primo quæ sit eius origo, scilicet indigentia mutua. Deinde quæ materia, scilicet res artesque necessariæ. Postremo quæ forma, videlicet regula victus, legitimaque gubernatio. Et videto quantum laudet vitam sobriam, quantum vituperet delicatam atque luxuriosam. Illa quidem sana atque sufficiens, hæc autem insana & indigens plurimorum. Denique quum ob hanc nascatur bellum, opus est in eiusmodi ciuitate militibus. Quapropter ob diligentem militaris artis institutionem descendens, quot necessaria sint militi streno & custodi patriæ, accuratè prosequitur. In omnibus verò memento, neminem ad diuersa aptissimum nasci posse. Ideoque nullum diuersas artes exercere debere. Præsertim cum ex alterius opere, opus impediatur alterius. Oportere & vnumquemque artem suam statim à puero & per omnem vitam continue exercere. Præterea militem patriæ custodem talem & nasci & educari debere, vt canum instar & erga notos sit mitis, & aduersus ignotos ferox, semperque vigil & sagax. Proinde asserit Socrates principium cuiuslibet operis maximum quiddam esse, in tenera præsertim ætate facile vtrinque formabili. Idcirco futuros milites à teneris vnguiculis & secundum animum primo per musicam, & secundum corpus deinde per gymnasticam rite format, sub musica comprehendens fabulas quoque poëticas. Quas præcipit assidue puerorum auribus adhibere. Sed tales solum, quales ad militare studium quasi præludia quædam & prouocent & erudiant. Similiterque cæteros his à pueritia fabulis iubet assuefieri quæ studio potissimum futuro conducant. Contrarias verò longius arcer. Id verò maximum est præceptum. Detestatur mox poëticam impietatem turpia de diis fingentem. Atque eiusmodi audiri fabulas prohibet. Subiungit geminas Theologiæ figuras. Primam, Deum omnino bonum esse, bonorumque duntaxat causam. Mali verò nullius causam esse Deum. Item siquem Deus punit, punire gratia boni. Secundam verò, Deum esse penitus immutabilem, ex eo quod simplicissimus, potentissimus, optimus, sapientissimus. Quo fit, vt neget Deum aliquando quenquam fallere, vel fictis simulachris, vel signis atque verbis. Neque enim in varias mutatur formas, neque cum non mutetur, simulat permutari. Conclude librum aurea quadam sententia. Mendacium maxime omnium & diis & hominibus est odiosum. quod si mendacium in sermone odiosum est; idque simulachrum est mendacii ipsius quod est in animo, nimirum mendacium quod in animo est; & diis & hominibus est admodum odiosum. Eiusmodi verò mendacium est ignorantia, per quam circa rerum veritatem sibimet animus ipse mentitur. Quoniam verò veritas ad id quod esse dicitur, spectat, ideoque falsum ad non esse declinat, merito mendax quatenus in falsum labitur, eatenus in nihilum quoque prolabitur.

In Dialogum tertium de Iusto, Epitome.

Dialogus tertius custodum educationem in secundo inchoatam prosequitur. Atque sicut in secundo prohibuit eos audire falsa turpiaque de diis, ita hic vetat tragica audire de inferis, quæ reddere illos possint timidiores. Item & comica, quæ effusiorem concitant risum. Tam enim mollis euadit qui quotidie in lachrymas risu profusiore resoluitur, quàm qui dolore lachrymari compellitur. Quoniam verò non solum procul à timiditate custodes arcendi sunt, verumetiam ab intemperantia & auaritia, atque iniustitia, ideo rursus audiri vetat carmina poëtarum, quibus vel deorum, vel heroum magnorumque virorum libidines, rapinæ, iniquitatesque finguntur. Hæc autem educatio militaris omnibus fere ciuibus est æque communis. Inter hæc quæ de mendacio dicit attende. Mendacium ciuitatis calamitas est, videlicet quando priuati inter se mentiuntur, maxime vero si magistratibus mētiantur. Perinde ac si ægroti medico vel nautæ mentiantur gubernatori. Licet autem gubernatoribus interdum vti mendacio salutis publicæ gratia, & priuato quandoque erga priuatum, solum gratia mali cuiusdam grauissimi deuitandi. Licet & confabulari moderate de rebus antiquis quarum veritas ignoratur, & quasi per imagines quasdam res illas quarum certam formam vix habemus effingere. Proinde orationem in species tres distinguit. Aut enim simplex narratio est, aut imitatio simplex, aut ex vtrisque permixta. Omnem verò sermonem reprobat, qui vilissima quæque refert absque delectu, & agit hominem perturbatum. Quisquis enim diu studiose aliquid imitatur, in eius transit naturam. Quocirca poëtam perturbatos animos acrius imitantem, tanquam iuuentuti noxium iubet vel mutato stylo constantem habitum imitari, vel ex vrbe procul abire. Dicit quoque eum qui plura, vel imitando, vel faciendo pertractat, in singulis tandem ita deficere, vt in nullo euadat egregius. Pergit verò deinceps ex prima musica, id est, poësi, ad sequentem, eamque in tres distribuit species, Orationem, harmoniam, atq; Rhythmum. Principio Phthongum Musici vocem vocant harmonicam, id est, consonantiæ aptam, quę neque adeo grauis sit vt nequeat ab eodem cantore grauior fieri, neque tam acuta vt edi non possit acutior. Harmoniam deinde ex Phthongis constituit, congruam videlicet mensuram in excessu atque defectu grauium vocum, & acutarum atq; mediarum. Sunt hic voces, quatuor, grauis atque acuta, & surgens in acutam, & declinans ad grauem. Item primo proportiones quatuor, dupla inter duo atque vnum. Sesquialtera inter tria atque duo. Sesquitertia inter quatuor atque tria. Sesquioctaua inter nouem atque octo. Proportionem duplam sequitur consonantia vocis octauæ: Sesquialteram, quintæ: Sesquitertiam, quartæ: Sesquioctauam denique tonus. Sed de his alibi diligentius. Accedit tertio locò rhythmus, id est, ordo quidam motionis, & tempor is, vt ex secundo Legum percipitur. Postquam enim voces harmonica quadam excessus defectusque mensura per intensionem remissionemq; conciliasti, opus est rhythmo per quem vocum acutarum, grauium, mediarum motus ac tempora metiaris, & in singulis, & inter singulas. Motus dico blandiores, seueriores, & medios. Tempora dico, longiora, breuiora, ęqualia, per accentus longos, breuesque. & medios. In his nota basem vocabulum esse diuersum: nam vt res exigit significat, fundamentum, sedem, pondus, progressumque, & terminum. Præter hæc consideranda sunt nouem consonantiæ, & dissonantiæ communissimæ gradus. Primus in ratione, id est, opinio cum ipsa rei veritate consentiens. Cuius contraria est opinio falsa à veritate dissentiens. Secundus in imaginatione. Cuius consonantia est cōsecutio rationis: Dissonantia vero prosecutio externorum. Tertius in affectu, vel temperanter rationem sequente, vel imaginationem intemperanter. Quartus in sermone decoro, quatenus vel rectam rationem, vel imaginationem tumultuariam sequitur. Quintus in cantu. Cuius consonantia est, decorum imitari sermonem, dissonantia indecorum. Sextus in sono cantum aliter vel aliter imitante. Septimus in saltu concinno, vel inconcinno ad choream pertinente. Octauus in quadam membrorum corporisque totius compositione, tam spectaculo grata, quàm exercitio gymnastico prompta. Nonus in artificiosis cuiuslibet artis operibus, musica quadam proportione compositis. Hi nouem gradus Musas tibi referant nouem. Memēto verò optimam omnium harmoniam esse animi temperantiam. Quam, & sequentes cæteræ imitantur, & vicissim cum frequentantur, augent. Quapropter iubet eas duntaxat consonantias exerceri, audiri, spectari, quæ habitum mentis constantem referant, non superbia elatum, non iracundia efferatum, non voluptate mollitum atque resolutum, non fractum dolore, non misericordia, vel indigentia quærulum. Probat ergo concentum grauem atque constantem, improbat autem extremos, id est, concitum atque mollem: dam-

nat quoque multiplicem, laudat præcæteris simplicem. Plurimum vero in animum posse iudicat harmoniam. Siquidem harmonia quædam diuina sit animus, cœlestique harmoniæ aliquando, vt Platonicè dixerim, assuetus. Rursus harmonia quadam consistit corpus, conflatur, & spiritus. Præterea consonantia vocum aërea aëreum spiritum motu penetrans, affectumque canentis, & animum secum transferens, audientis affectum mouet affectu, & animum afficit animo, sensimque mores infundit. In omnibus animaduerte quàm non ciuili solum, sed etiam religiosa admodum obseruantia Plato suam erudiat ciuitatem, semperque, quod, & præcipit in Politico, temperantiam cum fortitudine misceat. Denique quàm turpem, quàm dissonantem esse censeat veneream voluptatem, ideoque ab amore legitimo procul eam segreget, pulchra semper, & consona solum desiderante. Plurima vero de Musica tractat, atque gymnastica, maximi enim momenti erant: omnes enim his incumbebant, debentque incumbere. Illa enim animum spiritumque, hæc corpus animi gratia mirificè firmat atque componit. Addit, non ex corpore bono bonum animum, sed ex animo bono corpus fieri bonum. Subiungit simplicem Musicam animi victumque simplicem corporis sanitati prodesse, multiplicem vero vtrisque nocere, hominesque dum sobrij viuerent, non indiguisse Medicorum auxilio Physicorum Damnat superstitiosas corporis obseruationes circa victum, atque medelas. Signumque præcipuum ciuitatis male institutæ dicit, esse, si diligenti Medicorum iudicumque indigeat opera. Describit Medici iudicisque officium, & iudicem eligit ingenio bonum, prudentem, senem, multos homines, & bonos, & malos expertum. Asserit prauitatem quasi priuationem quandam, neque se neque virtutem cognoscere. Virtutem vero quasi habitum, per se solam cognoscere se, per se quoque addito rerum vsu de vitiis iudicare. Meminisse vero semper oportet, Platonem non solum hic, sed etiam in Legibus, & Politico, & Protagora confirmare nihil magis necessarium esse omni quidem viro, præcipue vero ciuili atque Philosophico, quàm copulam ex fortitudine pariter temperantiaque conflatam: vt per illam alta petantur, per hanc non spernantur humilia, & vtrinque nihil vnquã nimis, aut audeas, aut metuas. Per illam rursus priuatas publicasque propulses iniurias, per hanc abstineas ab iniuria. Per illam ad honesta voceris, per hanc cohibearis à turpibus. Quo fit, vt gymnasticam simul, & Musicam ad duo hæc denique referat, vt per illam fortitudo, non tam corporis quàm animi, per hanc temperantia comparetur. Iubet autem ambo rite inuicem commisceri. Siquidem sola gymnastica parit ferocitatem, Musica sola mollitiem; ambo vero fortitudinem atque temperantiam. Ex eorum denique numero qui sic educati sunt, eligit & custodes, id est, magistratus, & defensores, id est, milites. Ad magistratum vero assumi vult senes prudentes, fortes, publici amatores boni, atque in hoc ipso per experientiam comprobatos. Probari item præcipit iuuenes in mediis voluptatibus, & doloribus, quo discernatur vtrum temperati fortesque sint, an contra: atque vtrum sententiam boni publici conseruandi propter fallacias, aut minas, aut illecebras, sint aliquando facile mutaturi. Denique ingenia hominum metallis similia esse dicit, & aptum quidem ad gubernandum auro, aptum vero ad militiam argento, ad opificium vero, & agriculturam ferro, & æri. Iubet singula ingenia ad illa quibus apta sunt conuerti: itaque gubernatorum filios interdum pro ingenio ad viliora, atque vicissim inferiorum filios ad munera nobiliora similiter. Prohibet quoque milites proprium aliquid possidere, ne per auaritiam ex canibus conuertantur in lupos.

In Dialogum quartum De Iusto. Epitome.

Traditur in quarto libro modus possessionis atque ciuitatis, vt neque diuites nimium ciues sint, neque pauperes. Putat enim tam ex nimia copia quàm inopia seditiones oriri, ciuitatemque dissipari. Iudicat præterea ciuitatem illam non esse vnam, sed plures, in qua alij quidem pauperes sint, alij vero diuites: atque vt fieri solet, diuites contemnant pauperes: hi vero erga illos, & inuidia afficiantur & odio. Vnde sensim descendit ad mysterium suum, vt omnia videlicet sint communia ne alij minus, alij vero plus habeant, & inde inuidiæ, mendacia, furta, & hinc luxuria, superbia, pigritiaque nascantur. Adde quod possessio rerum tam excedens quàm deficiens, non solum moribus, & concordiæ, sed ingenio etiam, & artibus obest. Docet non diuitiis, sed virtute seruari ciuitatem, magnaque gerere. Item quamlibet ciuitatis partem non ita disponendam esse vt in seipsa quam optimè habere se videatur, sed vt cunctis conferat, communique ciuitatis totius conducat bono. Alioquin neque ciuitatem ipsam, neque partes vllas posse consistere. Addit præterea ciuitatis augendæ modum, quatenus scilicet ciuitas vna permaneat. At cum primum perdi vnitas posse

videtur, non esse vlterius augendam. Præcipit ergo, vt neque exigua neque vasta sit ciuitas, sed mediocris æqualisque, & concors, quo eius vnitas cō seruetur. Quoniam vero messem frustra sperat qui negligens fuit in seminando, idcirco totum studium circa pueritiam adolescentiamque adhibendum esse iudicat, quasi circa messis vrbanæ sementem, adeò vt etiam verborum, ludorum, gestuumque singulorum ratio diligens circa pueros adolescentesq; habeatur. Alioquin si negligatur hæc ætas non aliter circa leges quotidianas frustra laboratum iri, quàm si quis pharmacis eum quotidie curare contenderit, qui nullum seruare velit in victu temperantiæ modum. Inter hæc considera ludos in studia sensim, moresque conuerti: item sicut homini, & natura robusto, & victu prudenti atque temperato nullis pene vnquam opus est medicinis: ita ciuitati, & optime ab initio constitutæ, & in ea forma perseueranti, neque multis ab initio legibus, neque quotidianis deinceps constitutionibus opus esse. Malas vero respublicas, in quotidiana quidem per nouas leges curatione versari, nūquam vero bene valere. Quapropter in hac Republica tanquam optima, Plato nullum circa leges adhibuit studium, sperans prudentes bonosque viros leges esse viuentes. De legibus vero sacris quid? Multo certe minus in his censuit laborandum. Nemo enim qua ratione colendus sit Deus intelligit vnquam, nisi prius intelligat Deum. Diuinum vero solem nisi ipso diuino sole se monstrare, videre non possumus. Petendas ergo religionis leges ab Apolline, id est, diuino lumine, iudicat: petendas inquam non lingua, sed purgata mente atque serena. Mitto quid hic de historia tangat oraculorum. Hæc enim notissima sunt. Allegorice vero significat Apollinem, id est, diuinum lumen: sedere, id est, firmiter adesse: mediæ terræ, id est, vbique rerum omnium penetralibus. In vmbilico conquiescere, id est, mente à sensibus segregata, atque instar figuræ motionisque sphæricæ in se reflexa. Præterea Apollinē omnibus esse patrium, id est, præsentem, & familiarem, atque proprium: patrem quidem nascentibus, patriam denique reuertentibus. Constituta vero Republica deinceps quatuor in ea virtutes agnoscit. Prudentiam in principibus, id est, recte custodiendi consulendiq; scientiam. Fortitudinem in militibus, id est, firmam sententiā inuitis tam illecebris quàm minis audendi pro patria in periculis, quatenus leges magistratusq; præcipiunt. Temperantiam in principibus simul, & militibus atque artificibus, id est, consensionem quandam qua libenter cuncti conueniunt, vt alij quidem imperent, alij pareant: & inter eos qui parent, alij quidem in bello, alij in opificio pareant: neque ob voluptates vllas consensio talis impediatur, imò cupiditates inferiorum, superiorum imperio consilioque obtemperent. Iustitiam quoque in omnibus, per quam suum quisque, id est, ad quod, & natura, & studio est aptissimus, opus munusq; exequitur tam publice quàm priuatim communis commodi gratia, neque quisquam sibi vendicat alienum. Quod autem temperantiam appellauit Diapason harmoniam, intellige Diapason consonantiam resultantem ex dupla tensionis, velocitatis, vehementiæ proportione ad id quod duplo remissius est, tardiusque, & lenius. Ex qua quidem proportione dupla consurgit acutæ, id est, octauæ vocis excessus ad grauem, nec immerito. Prima enim proportio dupla inter duo & vnum. In qua quidem proportione binarius numerus dum superare videtur, vnum recreat, & geminat vnum. Binarius deinde dum mouetur ac reuoluitur in seipsum, octo producit numerum solidum. Bis enim duo bis, octo conficiunt. Dicitur autem diapason, id est, per omnia. Consonantia enim eiusmodi, & omnes intra se continet, & replicatur in omnibus. Nec ab re Plato inquit, temperantiam, quasi diapason extendi per summos ciues infimosque, & medios. In octaua enim, & grauis vox, & acutissima est, sunt, & mediæ. Sed vt ad iustitiam redeamus, quemadmodum in diapason consonantia vox octaua cum graui adeo consonat, vt quæ vox gemina est appareat vna, sic in bene composita ciuitate temperantiæ grauitas cum iustitiæ robore tam apte congruit, vt duæ hæ virtutes vix inuicem discernantur. Et vide quàm opportune ex diapason consonantia vocis octauæ Socrates se conferat ad iustitiam apud Pythagoricos octonario numero designatam. Cum enim iustitia sit æqualis omnino pro cuiusque meritis distributio, ciuitatisque solidum fundamentum, iuste per octonarium describitur numerum. Hic enim numerus & solidorum primus est, primusque omnium in numeros ita soluitur pariter pares, hoc est in bis quaternos, vt nihilo minus in numeros æque pariter pares diuisio quoque ipsa soluatur, id est, in bis binos, rursusque qua æqualitate resoluitur, eadem quoque contexitur. Nam bis bini bis, octonarium vt dixi, constituunt æqualitatis iustæ simulachrum. Quapropter Orpheus vbicunque diuinam iustitiam obtestari volebat, per numina octo iurabat, ignem, aquam, terram, cœlum, lunam, solem, planetamque, & noctem. In Ægyptia quoque

quoque columna in signum iustitiæ posita numina octo notabantur inscripta, quemadmodum testatur Euander, Saturnus, Rhea, Osiris, spiritus, cœlum, terra, nox, dies. Deniq; cœlestis iustitię ordinem sphęris octo digestum esse omnis arbitratur antiquitas. Socrates post hæc ostendit iniustitiam esse subitum ciuitatis exitium, quando aliena singuli vsurpantes omnia perturbant atque confundunt. Iustitiam vero ciuitatis ordinem esse atque salutem. Proinde ex manifestiori hac ciuitatis iustitia, ad occultiorum transit in animo quasi latentem. Diuiditque trifariam animi vires, in rationem loco principis, & vim irascendi vice militum, naturamque concupiscendi opifici similem. Probatque vnam in nobis esse animam, cuius, & in qua hę tres sint vires, non loco inter se, sed proprietate distinctæ. Quod quidem & Peripateticos quosdam latratores refellit, & cuilibet diligenter legenti potest fieri manifestum. Hanc verò distinctionem adducit, vt pateat quomodo inter se anima atque ciuitas, & illius, & huius iustitia sunt persimiles. Inquit ergo. Cùm nequeat anima per eamdem sui vim circa idem simul opposita facere, necesse est eam tres saltem vires habere. Quippè cùm eodem in tempore per libidinem rapiatur ad voluptatem, & per rationem interim reuocetur. Item per libidinem retrahatur à prælio, per iracundiam prouocetur ad pugnam. Ex quibus patet rationem esse à libidine differentem, & ab eadem differre etiam irascendi vigorem. Differre quoque hinc à ratione patet, tum in pueris nondum vtentibus ratione, iracundia tamen valde feruentibus, tum in aliis multa per iram præter rationis legem agentibus. Propinquiorem verò irascendi vigorem rationi ex eo esse probat, quod indignatio sæpe rationi opitulatur contra libidinem. Concludit deinceps iustitiam vnà cum temperantia esse legitimam quādam consensionem, tum in cuiuslibet animo trium quas diximus partium, tum in ciuitate trium his partibus consimilium. Consensionem inquam in gubernando, exequendo, obediendo, atque in propriis muneribus peragendis, & alienis non vsurpaudis. Nec immerito hic iustitiam temperantiæ germanam, nominat harmoniam, ex acutis vocibus, & grauibus mediisque constantem, vocibus inquam principes & quęstuarios mediosque horum milites referentibus. Deinde vt quæstioni iamdiu adductę respondeat, quærenti quidnam iustitia iniustitiaque in animo pariant, dicit virtutem esse animi sanitatem pulchritudinemque, & robur: vitium vero morbum, turpitudinem, imbecillitatem. Siquidem virtus cunctas animæ partes, vt statuit natura, disponit, & seruat: vitium verò contra, naturæ ordinem confundit atque perturbat. Quoniam verò quando deprauata omnino corporis est natura, præstat mori quàm viuere, etiamsi externa nobis abunde suppeditentur idcirco concludit illius vitam tanquam miseram esse ab omnibus fugiendam, in quo anima per quam viuimus per vitium est deprauata. Postremo in ipso libri huius calce asserit eiusmodi animam ciuitatemque quam descripsit, optimam esse atque felicissimam. Animam ciuitatemque regiam, à regina videlicet hominis ratione dispositam. Addit eiusmodi gubernationem tum regnum appellari, quando inter multos bonos excellat quidam manifeste omnium præstantissimus: tum rempub. optimatum, quando plures pariter videantur excellere, Omnino vero eamdem esse gubernationem existimandam. Annuit quoque se in sequenti libro quatuor reliquas, tum animorum, tum rerum publicarum affectiones ordine distincturum.

In Dialogum quintum de Iusto. Epitome.

NOn sum nescius fore nonnullos qui Apologiam à nobis expectent, qua quintum hunc Dialogum communionem omnium in ciuitate ponentem, defendamus contra calumnias, tum maledicorum, tum etiam ignorantium. Verum legant Platonem ipsum, precor, legant diligenter, ac sine inuidia iudicent, Apologiam (scio quid loquar) nullam desiderabunt. Plato igitur Phœbeus humani generis Medicus, quum animaduerteret, & singulos homines, & familias, & ciuitates semper, & vbique grauiter ægrotare: neque vllis hactenus ciuilium Medicorum medicamentis tot sæcula iam frustra curantium, vel liberari morbo, vel saltem leuari paululum, atque minimum conualescere, tam prudenter quampie ad legem illam se contulit pręcipuam apud Medicos, qua Medicina sanciunt authores, si quis medicamentis talibus, puta frigidis, diu adhibitis minime conualescat, esse tandem rite ad calida transeundum.

Cognoscens ergo genus humanum per leges distribuentes propria tot sæculis nihil proficere, imò verò in deterius quotidie labi, non iniuria ad amicitiæ se transtulit leges communia inter amicos omnia fore iubentes vt diuisione diuisionisque, & miserię sublata causa, concordiam, vnionem, felicitatem consequeremur. Sed aliter rursus exordiamur. Socrates in principio, quarti dis-

ciplinam educandæ iuuentutis cunctis legibus anteponens, taptim attigit, videri optimam disciplinam fore, si vxorum, filiorum, rerum communio fiat. At quoniam res est, & noua quamplurimis, & plurimis inaudita, reuocatur ad eam statim in principio quinti declarandam apertius, & firmius comprobandam. Iam verò, & si à Critia, & Timæo didiceris disciplinam similem extitisse quondam apud Græcas Ægyptiasque Athenas, neque nimium admiraberis tanquam nouam, neque diffidenter audies tanquam penitus arduam, neque inuitus admittes quasi non bonam. Mitto quod multi tradunt apud Boëmos Placam vrbem aliquando similiter gubernatam. Atqui Diodorus insulam in Oceano meridiem versus describit, in qua præter cętera communes etiam fiut vxores, virique Philosophiæ plurimum Astrologiæq; studiosi Pomponius quoq; Mela testis est Garamantes in extremis Aphricæ partibus communia habere in Republica omnia. Similem præterea bonorum fuisse communionem inter Philosophos Brachmanas, Gymnosophistas, Essæos, Pythagoricos, & denique inter sanctos quondam Christianæ Reipublicæ fundatores, compertum habemus. Videmus quoque sæculis nostris illos duntaxat religiosos ad virtutem felicitatemque accedere, inter quos nihil est proprium. At enim si vxorum te communio turbat, primo quidem permittito apud Platonem rite ex lege fieri quod apud adulterinos sacerdores in commune fit sacrilegio. Deinde Platonem ipsum audito prius quàm iudices, altius in sua causa declamantem. In sequentibus nota primo quidem Socraticam prouidentiam, peius esse censentem in legibus constituendis errare, quàm hominem interficere. Eiusmodi namque error multos per multa sæcula interficit animos simul, & corpora. Deinde modestiam difficilia diffidenter aggredientem, & quasi inuitam atque compulsam. Tertio pietatem diuinum auxilium pro suo more in rebus grauibus inuocantem.

Ac ne in legibus erret condendis, ab Adrastia dea petit opem, cuius mentionem quoque fecit in Phædro. Adrastia hæc apud priscos Theologos est potentissima ineuitabilium regina legum, legum inquam tam Saturniarum ad mentes pertinentium, quàm Iouialium pertinentium ad naturas. Adrasticam dico diuinam prouidentiam, quatenus nihil vel oculos eius subterfugere, vel manus potest effugere. Nec ab re vbi optat firmissimas leges condere, quas neque obliuio deleat, neque defraudet astutia, neque violentia frangat, & omnino nullus deuitet, Adrasticam obsecrat incuitabilia sancientem quæ nullus queat effugere, Deinceps paulatim ad communem progreditur disciplinam, à virorum videlicet institutione ad institutionem similiter mulierum, mandans omnia priuata publicaque, tum pacis; tum belli studia, mulieribus cum viris communia fieri, ne mancum sit genus humanum, eo tamen pacto vt in singulis grauiora viris, leuiora mulieribus committantur.

Similiter, & alibi docet brachia quoque sic assuefacienda, vt singuli vtrinque sint dexteri, quos nominat amphidextetos, ostendit autem id fore vtile atque possibile, & quo pacto fieri debeat. Deinde aliam adducit communionem, videlicet vxorum atque filiorum. Et ibi aduerte quanta ordinis prouidentia constituat Magistratus, præsides nuptiarum, & sacra, & tempora, & ætates, cauens nequid intemperate fiat, vel inutile ciuitati. Ac post generationem quàm diligenter de natis cogitet nutriendis, ita tamen vt neque vir neque mulier proprium agnoscat filium, neque filius proprios genitores, neque alios alij, sed seniores opinari cogantur, omnes pene iuniores esse filios vel nepotes, iuniores vicissim suspicari omnes seniores esse progenitores, æqualesque similiter esse fratres. Inter hæc vbi nutritionem eius spernit, qui vel præter legem, vel ex vtili natus fuerit, vel inutili, intellige non esse perdendum, sed in loco occultiori, vel in suburbiis vilius nutriendum, extra exactissimam regulam illam qua nutriuntur hi qui assumendi ad custodiam iudicantur. Illum vero inferiori addendum, regula ad minutiora vrbis vel agri ministeria suo tempore transmittendum vel forte ad vrbes alias transferendum statim natum. Mox agnosce communis charitatis inuentum, vbi sic disponit singula, vt singuli eadem vel re, vel persona oculis demonstrata, æque iudicent, dicantque hoc est meum. Quumque sua cuique charissima sint, singuli cuncta curabunt, præcipue quum ad eiusmodi curam legibus quoque magistratibusque adducantur. Hinc ergo incuria, & negligentia nostra, qualis in omnibus est circa plurima, quasi, à nobis sint aliena, tolletur. Tolletur, & quotidiana fallacia qua iudicium nostrum in eo colendo quod proprium esse censemus, stulte decipitur.

Tolletur denique extrema perturbatio, sollicitudo, miseria quæ ex insano propriorum amore nos angit. Mitto quod adempta discordiæ causa, & communis erit, & integra charitas. Proinde attende quàm diligentes, quàm iustas, quàm mites statuat

belli leges, quæ præmia victores maneant, diuinitas scilicet quædam. Transferri enim hos, inquit, in beatos dæmones hominum curatores, & quasi deos charos rite colendos. Quod verò de puerorum osculis dicitur, iocosum quiddam est Glauconis, & leuandi tædij gratia dictum. Adde, & triumphale quiddam atque festiuum. Restabat probandum, communionem hanc fieri posse, postquam fore optimam fuerat affirmatum.

Primò igitur etiamsi nequeat fieri, ostendit se non frustra hanc in medium adduxisse, videlicet tanquam exemplar in formandis ciuitatibus pro viribus imitandum. Deinde demonstrat tunc demum posse fieri quando Philosophi gubernabunt neq; prius requiem vllam fore malorum. quamobrem ad formandos Philosophos tanquam futuros ciuitatis gubernatores opportune descendit, docens quale sit Philosophi ciuilis ingenium qualis affectus atque disciplina. Principio quantum plebei circa percipienda sensibilia hæc inferiora auidi curiosique sunt, tantum ingenium Philosophicum ad inueniendas ideales horum omnium rationes, auidum, & propensum est, & sagax ipsius veri venator.

Quoniam verò veræ quidem res ideæ sunt, naturales autem formæ sunt, & imagines idearum, non iniuria plebeios, inquit, somniare, putantes quæ imagines sunt, esse res veras. Philosophũ verò solum inter alios vigilare Et quoniam inter ens atque non ens medium ponit, memento quinque gradibus omnia cogitari. Et non ens quidem purum dici quicquid fingitur infra materiam. Ens vero purum, puram mentem, ideamque existere. Animam cœlumque ens dici simul atque non ens, videlicet propter motum, magis tamen esse quàm non esse. Materiam contra magis quodammodo non esse quàm esse. Sed quæ natura composita sunt sub luna, esse pariter atque non esse. Circa ea quæ vere sunt cognitio ipsa versatur. Circa ea quæ verè non sunt, ignorantia. Circa ea quæ pariter & sunt, & non sunt, sereuoluit opinio. Ignorantiam quidem, & opinionem tum plebeis tribuit, tum sophistis. Cognitionem verò, id est, scientiam duntaxat Philosophis. Quod autem scientiam opinionemque potentiam quandam nominat, intellige potentiam non informem, sed partim naturali forma, partim habitu præditam.

Præterea vbi de ideis agit, ad quas Philosophi refertur scientia, more suo inquit bonum, pulchrum, iustum Ternarius hic numerus, modis tribus exponitur. Primo bonum sit Deus, Pulchrum mens Angelica multiformis. Iustum cœlestis anima mundana iuste distribuens, Secundo bonum, forma ipsa actusque diuinæ naturæ. Pulchrum eiusdem intelligentia. Iustum voluntas eiusdem. Tertio bonum inter ideas est exemplar formæ actusque cuiusque atque naturæ. Pulchrum exemplar ordinis qui ex qualibet forma in seipsa resultat. Iustum, exemplar ordinis qui à qualibet forma atque re refertur ad alias. Quando vero ipsi bono subdit malum, pulchro turpe, iusto iniustum, caue tria hæc opposite colloces in ideis. Pone verò hæc tum in ipsa informitate, & deformitate materiæ, quam in libro de scientia vocat exemplar diuinitatis expers, & in Politico dissimilitudinis locum, tum etiam in anima iam deprauata, & ad materiam omnino conuersa. Denique quod eunuchi ænigma puerlia tangit, est eiusmodi. Vir non vir, videns non videns, percussit, non percussit, lapide non lapide, auem non auem, super arbore non arbore, id est, eunuchus luscus percussit pumice alam vespertilionis super Sambuco. Sed id ridebis scio. Quod, & ridiculi gratia est appositum.

IN DIALOGVM SEXTVM DE Iusto. Epitome.

CVm leges omnes vel optimæ absque probatissimis magistratibus mortuæ sint, magistratus autem optimi vel absque legibus scriptis ipsi sint viuæ leges, merito Plato noster, quemadmodum aliàs exposuimus, in excellenti Republica non in condendis legibus, sed in formandis magistratibus omni diligentia elaborat, atque id quidem non solum à tenera ætate, verumetiam ab ipso fœtu studiose contendit, quo ex electis seminibus, continuaque cultura ad optimam frugem perueniat. Quoniam vero hos appellat custodes, custodum autem maxime proprium est prospicere atque circunspicere, idcirco ingenium præcipue Philosophicum, omnium sine controuersia perspicacissimum eligit ad humanum gregem custodiendum. Quippe cum soli huius oculo pateat boni ipsius iustitiæque exemplar, ad cuius imaginem benè, iustè, beatè pingenda sit ciuitas.

Præterea pertinet ad custodem esse veridicum, liberalem, temperatum, fortem, iustum, magnanimum, mansuetum. Eadem quoque probabit propria esse Philosophi, vt denique concludatur cũstodiendi officium præcæteris Philosopho committendum. Quamobrem eiusmodi esse naturam Philosophi, primo probabit, deinde quia generosa natura absque recta cultura, &

ſemper inutilis ſit, & ſæpiſſime noxia, traderet excolendi huius ingenij diſciplinam.

Interea vero de ſpurio, & adulterino tractat Philoſopho, legitimum Philoſophum ſimulante. Item, de abuſu quodam philoſophandi. Rurſus, de philoſophandi forma ad illum præ cæteris pertinente, qui Rempublicam ſit quandoque recturus. Docet autem Philoſophi maximè proprium eſſe, perpetuum veritatis, ipſius circa res æternas amorem Ideoque & amorem temporalium, & mendacium à Philoſopho maximè omnium alienum. Oſtendit Præterea Philoſophi mentem in ipſa veritatis indagatione ſeiungi à corpore, atque ex quadam ſui cognatione diuinæ menti coniungi, ac per inſitas ſibi ab initio formulas idearum, ideas ipſas attingere, ab eiſque ipſo contactu lumen excurere, quo mox facta fœcundior concipiat, imò facta validior pariat veritatem, id eſt, per ipſas ſuas conceptiones ideis vndique congruat.

Tu verò hic aduerte intelligendi actum, quemadmodum in Sympoſio, generationem partumque vocari. Quod quidem cum Chriſtiana conſentit Theologia, oſtenditque non imaginariam tantùm, verumetiam naturalem quãdam ineſſe menti formam atque veritatem. Proinde ingenium eiuſmodi, & raro admodu, & in paucis naſci putat, & tunc quidem multis, tum conditionibus indigere, tum obſtaculis impediri. Præcipuè verò deprauari ſermone & opinione vulgi, multoque magis vulgi eiuſdem opera. Rurſus à vulgaribus præceptoribus, qui & ipſi vitam orationemq; ſuam vulgo quaſi adulatores accõmodant, ſimilemque tradunt auditoribus diſciplinam. Et vide quam congruè Plato vulgus vaſto comparat bruto. Item ciuitates omnes nauibus caſu quodam rectis à nautis gubernandi prorſus ignaris, virumque peritia gubernatoria præditum deridentibus.

Nota optima quæque ſiue naturæ, ſiue fortunæ munera, ſi vel negligenter culta fuerint, in mala; vel male culta, in peſſima tandem euadere. Præterea, quod interdum, quamuis admodum raro, aliquis in ciuitate male diſpoſita, quales eſſe omnes iudicat, vir magnus, probatiſſimuſque appareat id non arti, non naturæ, ſed diuinitati, duntaxat, attribui. Vbi vero de Momo reprehenſionis Deo mentionem facit, intellige Momum eſſe diuinam curam proſpicientem, quid reprehendi potuiſſet in ſingulis, ſi aliter quàm ſunt, facta fuiſſent: idcoque ita ſingula diſponentem, vt iure reprehendi non poſſint. Aſſignat proinde cauſas quibus ortæ in Philoſophos ſint calumniæ, quaſi vel mali ſint, vel inutiles Reipublicæ.

Primò quidem, multi quotidie ad Philoſophiæ ſtudium ineptiſſimi, tam prauo ingenio, quàm paruo iudicio, non parua tamen ambitione vel auaritia Philoſophiam inuadunt, ac prebenſant, ex eiuſque commercio opiniones procreant adulterinas atque deridendas: malis præterea moribus facultatem dedecorant Philoſophicam. Deinde, ſi qui ad id ſtudium nati ſunt, vel ſtatim educatione, conſuetudineque improba deprauantur, vel ſi moribus integri perſeuerant, non tamen conuenientibus diſciplinarum gradibus inſtruuntur: vel inſtructi quidem, ad Rempublicam non admittuntur, vel ipſi potius publicis ſe fluctibus immergere nolunt, certa timentes pericula, deſperanteſque ſe poſſe inter homines paſſim corruptos, ſanis conſiliis ciuitati prodeſſe. Inter hæc animaduerte actiuæ vitæ procellas, contemplatiuæ tranquillitatem, excelſam Philoſophi mentem, mortalium contemptum, ſtudium diuinorum, formulam quandam pro ætatis gradibus doctrinarum.

Omnino autem, ſimili ratione erudit Philoſophum atque ciuem, neque id quidem iniuria. Aſſerit enim in Politico & Sophiſta eumdem eſſe virum regium, & ciuilem atque Philoſophum. Oportere verò probat in hoc concurrere duo quædam genera rariſſimè in hominibus concurrentia: Naturam videlicet, ingenio acutam, contemplationi aptam, veritatis auiditate flagrantem, vnà cum natura graui, ad agendum ſtrenua, boni publici prouida. Ingenium eiuſmodi per omnes diſciplinarum gradus perducit, vt patebit in ſeptimo. Iubet quoque exerceri ciuilibus actionibus, atque inter voluptates, dolores, labores, pericula, velut aurum igne diligenter examinari atque probari, prius quàm ciuitatis gubernacula ſibi credantur. In primis autem ipſius boni ſcientiam omnium præſtantiſſimam huic iudicat neceſſariam, affirmans quemadmodum res omnes abſque boni poſſeſſione inutiliter poſſidentur, ſic rerum quoque omnium, artiumque cognitionem abſque ipſius boni intelligentia eſſe prorſus inutilem, neque poſſe ciuem vel priuata, vel publica, ad bonum ritè redigere, niſi quid bonum ſit, ratione cognouerit.

Et si diuini huius boni scientia, videri Aristotelico potest superflua, ad Rempublicam humanis moribus gubernandam, necessaria tamen est ad hanc ipsam gubernationem, per quam Plato in superioribus inquit, conandum esse, ciues Deo similes amicosque reddere. Subiunxit praeterea, gubernatorem circa singula bona ad bonum ipsum disponenda, & caecutire, & casu quodam ferri, nisi primam ipsam boni perspexit formam, omnium exemplar causamque bonorum. Vt autem animaduertas Aristotelem in Ethicis circa ideam boni aduersus Platonem ludere, lege Platonis verba diligentissimè, ac planè perspicies ideam boni non esse speciem hanc, aut illã, hic aut ibi, sed ipsam eminentissimè diuinitatis foecunditatem, per omnia sese potentet, suauiter, salubriter propagantem. Cuius imaginem quandam in mundo visibili solem vult esse visibilem, vires suas similiter per omnia diffundentem. Verùm ante hunc quem videmus solem, Plato alterum in mundo cogitat inuisibili, imaginem Dei patris primam, verumque filium. Ideo filios dixit boni, vt super visibilem hunc imaginariumque filium, posses & Archetypum contemplari. De hoc patet atque filio in Epistola ad Hermiam legimus. De hoc Platonicus Philo in libro de Causis, inquit. Conandum est inprimis ad ipsum ens, id est, de quo dicitur; Ego sum qui sum, ascendere. Aut saltem ad ipsius imaginem sacratissimamque rationem, Verbumque primogenitum. Per eiusmodi rationem atque Verbum fieri omnia secundùm Heraclitum & Platonem, Amelius Platonicus asserit, vtiturq; testimonio Ioãnis Euangelistae. Item in Epinomide testatur & Plato. Et quamuis Platonicorũ nonnulli Dei Patris Filium Deum per substantiam à Patre, Arianorum more distinguant, praesertim Iulianus in libro de Sole: Iuliani tamen, praeceptor Iamblichus, Ægyptiorum adducit mysteria, in quibus Patris & Filij diuersa quidem ratio, sed eadem videtur esse substantia. Sed audi mysterium. Primus Deus & vnus primi Pater est Dei, quẽ gignit in solitaria suiipsius permanens vnitate. Est autem exemplar Filij, qui nominatur suimet Filius, sui Pater, atque vnipater, Deus verè bonus. Ille enim fons est idearum: à quo vtique vno, Deus per se sufficiens, seipsum explicauit in lucem. Propterea sufficiens per se nominatur suique pater.

Est enim hic principium, Deus deorum, vnus ex vno, super essentiam omnem, principiumque essentiae. Mysterium hoc Iamblichus testatur esse Mercurij. quemadmodum vero ipsum bonum sit super voluptatem, & mores & sapientiam, Plato hic significat breuiter. Super voluptatem quidem, quia si voluptas ipsa bonum ipsum esset, vlla voluptas mala esset & noxia. Item, super mores, quoniam multi satis circa mores habere se putant, si mores honestos videantur habere. Quod autem iudicant verum esse bonum, nõ opinione quaerunt, sed re ipsa prorsus habere. praeterea super sciẽtiam, quia neque quolibet modo, neque quaelibet scire praecipuè optas, sed bene potius atque bona. Alioquin scientiam aut respuis, aut negligis: neque dicas ipsum bonum esse boni scientiam, neper idem stultè definias idem. Rursus super intellectum, hic enim assiduè bonum quaerit ipsum vero bonum, non quaerit bonum. Adde & super veritatem. Quod enim magis iudicas bonum, magis & eligis. Morbum verò damnumque minus verum eligis potius quàm magis verum, Denique super ens. Nam vt bene sis, esse desideras. Sed & de his, & quemadmodum boni ipsius lumine omnia vera intellectus intelligat, in Theologia latius disputamus. Sequitur distinctio rerum in genera duo, visibile & inuisibile, & vtriusque in duo, scilicet antecedens atq; sequens similisq; perceptionis humanae distinctio. In quibus Brentinum sequitur, & Achytam, sed elegantius simul & latius explicat.

In Dialogum septimum de Iusto. Epitome.

SApientes Diuino ingenio praediti omnem mentis studium à terrenis ad coelestia, à mobilibus ad immobilia, ab his quae sentiuntur, ad illa quae superant sensum, pro viribus conuerterunt. Considerauerūtque mundi machinam & vnam esse, & mirabiliter ordinatam, neque tamen ex seipsa posse consistere, cum ex diuersis componatur atque mutetur, merito cognouerunt ab alio dependere, ab alio inquam vno atque sapientissimo, qui & vnum conficiat opus ex multis, & id vnum vbique ordinet sapienter, regat praeterea & potenter, opus videlicet ingens atque multiplex, motu quidem perpetuo, atque rapidissimo, non tamen aberrante reuolutum: ducat quoque benignissime singula ad bonum mirifica-tum commoditate tum facilitate currentia. Quamobrem communi quadam conceptione Deum esse pariter consenserint, vnum vniuersi regem potentem & sapientem atque clementem, quem & terreni reges, rerumque publicarum gubernatores pro viribus debeant imitari. Post communem hanc de Deo conceptionem gemina rursus via ad Deum coeperunt planius atq;

propius proficisci: per alteram quidem negando, per alteram referendo, Nam illa quid ipsum bonum, id est, quid Deus non sit argumentantes, probauerunt neque esse quicquam ex his quæ capiuntur sensibus, neque ex his quæ mente comprehenduntur. In hac autem & creaturas ad creatorem, & vicissim creatorem referentes ad creaturas, excogitauerunt qua ratione & creator singula faciat atque perficiat, & creaturæ ad ipsum sese vel habeant, vel imitari, vel consequi possint. Hactenus procedere Philosophantis ingenium Plato noster & in Parmenide monstrat, & libro superiore confirmat, Quod Dionysius quoque Areopagita maxime comprobat. Procedere inquam hucusq; tum radio quodam ab initio menti semel infuso, tum accedente lumine diuinitus mentes assidue collustrante. At verò quid ipsum in se bonum sit, id est, diuina substantia, quemadmodum & in Parmenide, & hic ostendit, nemo per eiusmodi vias assequi potest, solum verò per has illuc denique peruenire, vbi diuinum bonum ob solam benignitatem suam amatorem suum propius accedentem & propria luce format, & calore souet, & potestate transformat mentem, tum demum cognoscentem Deum cum ipsa iam facta sit Deus. Quod quidem in Epistolis quoque significat. Postquam verò Deum Philosophus contemplatus fuerit cœlestia gubernantem, tunc solum, & solus poterit terrena diuinitus gubernare. Qua quidem in re Plato Minoem laudat ab Ioue prius contemplando petentem leges quàm ad homines promulgaret. Mitto quantum multi laudent Scipionem, quod Ioue magistro ad rempub. accedebat. Quid de Numa Pompilio dicam, ciuitatem religiosis legibus gubernante? Nonne & Mosaicæ leges quibus Dei populus diuine gubernaretur, Deo ipso docente ad homines peruenerunt? Hinc Aristoxenus narrat Philosophorum Indorum mysteria, quibus continetur, absque diuina regula & hac quidem à Deo demonstrata, non posse quicquam vel priuatim vel publice recte feliciterque vnquam administrari. quoniam verò idem Aegyptij compertum habebant, solis Philosophis, & his quidem absolutis atque insuper sacris regni gubernacula concedebant. Atque vsque adeo putabant nihil absque diuino auxilio posse feliciter agi, vt omnia publica à sacris votisque auspicarentur. Nihil rursus absque diuina quadam inspiratione intelligi posse adeo asserebant, quemadmodum refert Iamblichus, vt omnes apud illos philosophantium libri Mercurij Dei nomini sint ascripti, quasi non hominum sit inuentura, sed Dei. Quod Timæus quoque significat dicens philosophiam donum esse diuinum. Ciuilem quoque peritiam esse diuinum munus in Protagora & Politico docet. Atque vt ad hunc septimum redeamus, nō admittit quenquam ad hāc suam Rempubl. gubernandam, nisi quem constiterit diuina quadam tam indole quàm educatione vtrunque donum diuinitus accepisse: quem solum vbique legitimum ciuem philosophumque appellat. Sed cur diuino ad id munere opus esse dicit? Mitto nunc alias rationes. quia videlicet cum difficillimum cuique sit seipsum feliciter gubernare, certe impossibile est ciuitatem, ex tam multis diuersisque compositam, cui & quotidie innumerabiles incertique imminent casus, beatè vnquam absque Deo beatitudinis authore componere. Hinc factum est vt quælibet ciuitas proprium quoddam numen agnouerit, quasi patronum; huius verò numinis vicarium & interpretem esse Plato vult ciuitatis gubernatorem, qui instar numinis & diuina contempletur, & humanis inde prouideat. Quamobrem malos homines quasi diuini muneris omnino expertes à repub procul expellit. Solos autem accipit bonos. Neque tamen omnes. Nam ignatos Theologiæ appellat cæcos atque somniantes, vtpote qui rerum imagines pro rebus accipiant: stultum verò censet ciuitatis custodiam cæcis somniantibusque commendare. At verò Theologos, qui nullum adhuc humanarum rerum vsum teneant, nō prius ad publicas res gerendas admittit, quam priuatis leuioribusque tractandis assuefecerit.

Concludit interea nulli magistratum esse dandum, nisi cuius vita sit melior magistratu, ipsumque magistratum neque petat neque etiam appetat. Tu verò vbi Plato in erudiendo ciuili philosopho imaginem proponit speluncæ, & vinculorum, & luminis cuiusdam, vmbrarūq; & aquæ, speluncam intellige hunc quē videmus mundū, si ad mūdum inuisibilem cōparetur. Vinculum verò corpus humanum, siue potius perturbationem animum corpori allegantem. Vmbras autem res omnes quæ sensus mouent. Sunt enim hæ verarum rerum, id est, idearum vmbræ. Quod autem dicit animum non absque offensione repente tum ab inuisibili mundo descendere ad visibilem, tum vicissim ascendere, duobus more Platonico modis potes accipere: tum in hac vita, quando videlicet absque medio ab hoc humanorum studio, ad ipsum supremum diuinorū studium, atq; cōtra transitur: tum inter hanc vitam atq; alteram. Quādo scilicet anima vel impura à corporis tenebris

ad diuinum migrat lumen, sub quo caligat prorsus & cruciatur: vel à diuino lumine in corpus elementale descendens diu cæcutit atque turbatur. Memento verò luminis proprium esse omnia facere atque demonstrare: idque est triplex, diuinum, intellectuale, visibile. Diuinum appellari solis vtriusque solem. Intellectuale, solem Angelicum nominari, solis mundani solem. Visibile denique lumen, esse cœlestem solem eiusque fulgorem. quemadmodum verò fulgor à cœlesti sole per omnia se diffundens, est imago actusque solis: ita & lux quæ inest soli, imago est actusque mentis Angelicæ. Lumen deinde in Angelo diuini luminis actus est & imago. Et quemadmodum visibile lumen in natura perspicua duntaxat recipitur, sic inuisibile in perspicaci natura. Tres eiusmodi soles Iulianus Platonicus in libro de Sole describens, addit ex Phœnicum Theologia, visibile lumen esse diuinæ angelicæque intelligentiæ actum quendam perennem per solarem fenestram ad oculos emicantem, atque inde per materias passim perspicuas quasi conuenientes sibi diffusum. Cæterum ne diffidas lumen hoc apparens esse luminis non apparentis imaginem, scito id lumen non esse corpus. Corpora enim absque offensione infectioneque penetrat. Item non fieri propriam compositi corporis qualitatem. Alioquin & propriam requireret qualitatem elementorum calidam siue frigidam in eo præcedentem, quod ipsum sit susceptorum, & recedente sole ad tempus in perspicuo remaneret. Item dimensioni propriæ non astringi. Non enim tempore peruenit, vel partem nunc illuminat, & post partem. Adde quod amplum absque sui dissipatione implet, vicissimque in angustum sine vel sui vel vasis confractione momento se colligit. Neque proprie corporeum est, sed inter incorporea & corporea medium, & profecto propria cœli qualitas, cuius natura incorporeis est quàm proxima. Communicatur quoque elementis duntaxat perspicuis, in hac ipsa perspicuitate cœlo similibus: perspicuis inquam primo lumen, deinde calor: opacis autem calor primo, lumen verò non prius quàm per calorem ad naturam perspicuam redigantur. Corporibus autem opacis, in quibus natura terrea dominatur, non infunditur. Non quia penetrare non possit, quandoquidem & crystallum penetrat opacis multis solidius: sed quia natura terrea à natura cœlesti alienissima cœlestis qualitatis capax esse non potest. Communicat tamen opacis calorem vt dixi, non tam proprium cœlo quàm lumen. Cœlum enim quia lucet, ideo calet.

Quod autem lumen à cœlo in perspicua nostra diffusum, solis imago rursus debeat appellari, hinc apparet, quòd ipsum est imaginum omnium communis propriaque origo. Imagines enim rerum sub ipsius fulgore resultant, ipsumque est imago tam potens, vt appareat non solum quando à speculari corpore resilit, sed etiam quando à sole prosilit: quod cæteris imaginibus minime conuenit: omnes tamen incorporeæ sunt: siquidem per totum momento se fundunt, eodemque in puncto absque mutua confusione sunt multæ. Incorporeum ergo est & lumen, cuius id virtute perficitur. Proinde momento solis radium secum ferre actum lucis vimque caloris. Ac per lucem quidem referre diuinæ & Angelicæ intelligentiæ claritatem. Per calorem verò vtriusque voluntatis charitatisque affectum. Cum verò superi, quemadmodum & artifices, opera per voluntatem potius quam per intelligentiam agant, merito visibilis hic radius ex inuisibili illorum radio profluens, per calorem agit singula quæ gignuntur, potius quàm per lucem. Imò verò per lucem agit, sed rerum imagines spiritales, per calorem verò corporeas qualitates. Calorque hic ita dependet à luce, quemadmodum in diuinis per intellectum idealiter repræsentantur omnia, per affectum inde surgentem omnia generantur. Nos verò hinc admoniti si natura terrea lumen cœleste non recipit, terrenos à nobis affectus longius expellamus, vt diuino lumine impleamur. Ac si vltimum corpus non accipit primi lumen, nisi caleat inde prius simileque reddatur, eia nos quoque mentium vltimi flagremus prius amore primæ, vt amore purgati factique similes luceamus deinde diuinitus, ac plenoque iam lumine gaudeamus. Sed reliqua iam huius septimi perstringamus. Quoniam igitur triplex lumen est, vt diximus, visibile scilicet, & intellectuale super visum, & diuinum super intellectum, ideo Plato in tribus gradibus mentionem hic facit de lumine, scilicet in cauerna, in nocte, in die: tria videlicet lumina illa significans, Ter quoque mentionem facit de aqua, in cauerna, in nocte, in die, sicut enim lumen & facit & demonstrat omnia, sic aqua lauat omnia atque repræsentat, per primum quidem significat mores, per secundum verò contemplationem. Et vtrumque tribus gradibus peragit. Nempe per moralem ter lauat & purgat, primo quidem amputando secundos motus per virtutes ciuiles, deinde eosdem per virtutes purgatorias extirpando, tertio per virtutes animi iam purgati motus primos absolutissime moderando, vnde iam ad exemplares quæ in Deo sunt,

virtutes perueniatur, præsertim per contemplationem. Cuius quidem tres sunt gradus, quos refert aqua ter nominata, quatenus ipsæ imagines repræsentando, refert intelligentiam. Diuina siquidem in tribus, vt ita dixerim, aquis repræsentari videntur. Primo quidem licet confusius, in rationibus Physicis: Secundo distinctius in Mathematicis: Tertio clarissime in Metaphysicis penitus absolutis. Formas quidem Physicas Plato omnino materiales appellat, quia & communi & propria materia indigent, & absque illa cogitari non possunt. Mathematicus verò formas non adeo materiales, quia & propria non egent materia, sed aut communi tantum vt dimensiones, aut nulla, vt numeri: atque hæc sine materia licet excogitare. Diuinas deniq; formas omnino immateriales existimat, resque veras, quarum imagines quidem sint Mathematicæ formæ, vmbræ verò res naturales, mysterium verò hoc est Pythagoricum. Cum ergo animaduerteret Thaletem, Democritum, Anaxagoram, tam negligentes in rebus diuinis fuisse, quàm diligentes in naturalibus, Pherecydem contra & Pythag. Pythagoreosq; omnes Mathematicorum principes, pariter summos extitisse Theologos, moribusque diuinos, merito partim ratione, partim experientia conclusit curiosum naturalium studium animam sæpissime à diuinis auertere. Quam & Salomon propterea occupationem pessimam iudicauit, & miseros qui nimium occuparentur in ea. Eosdem in Phædone Socrates detestatur, eos inquam qui naturalium effectuum causas, duntaxat ad qualitates quasdam elementales curiosius referentes, in eiusmodi principio & fine quiescunt, neq; summum vniuersi principium finemque perquirunt. Quamobrē septimus hic liber vbi animam ad summum bonum solemq; id est, Deum, ideasque diuinas quasi stellas conuenientibus perducit gradibus, nullam in ipso ascensu naturalis peritiæ efficit mentionem. Sed Mathematicos quosdam gradus ad diuina commodius perducentes adducit in mediū: inter quos duo sunt puri. Arithmetica enim circa puros versatur numeros, & Geometria circa puras dimensiones. Tres verò gradus sunt mixti. Nam Musica numeris addit voces motusque ad auditum præcipue pertinentes. Stereometria verò dimensionibus addit pondera. Astronomia numeris dimensionibusque cœlestes sphæras motusque metitur. Vtitur autem Plato naturali peritia in descensu potius quàm ascensu, quemadmodum in Timæo & Philebo atque Parmenide, & alibi sæpe docet. In descensu enim per diuinas naturalium causas, naturalia vult principalia demonstrari. In ascensu vero per anxiam naturalium curam, tanquam à diuinis valde remotam, diuertere ab illis animam putat potius quàm conuertere. Omnino autem & actiones omnes etiamsi honestissime videantur, nihili pendit, nisi ad diuini boni imitationem consecutionemque conducant: & speculationes similiter omnes vel negligit, nisi ad diuinum bonum inueniendum conferant, vel etiam detestatur, si quo pacto nos inde diuertant. Proinde totum Philosophiæ studium esse vult à sensibilibus conuertere ad intelligibilia, ad ipsumque bonum, quod intelligibilium lumen est supremum, ascendere. Atque quemadmodum se habet visus ad visibilium summum, id est, solē, sic intellectum ad summum intelligibilium lumen, scilicet Deum se habere. Ergo sicut Sol generat oculum, & generando vim videndi largitur, & genito actum videndi continue præstat: sic Deus & intellectū creat, creandoque intelligendi vim præbet, & creato continue actum intelligendi Rursus quemadmodum circa oculum nihil opus est ab arte fieri, nisi purgare ipsum atq; conuertere: ita circa intellectum duo duntaxat præstat Philosophia, purgando scilicet ipsum tum à perturbationibus, tum à falsis opinionibus, atque conuertendo per rationes exhortationesq; à sensibilibus formis ad intellectuales nobis insitas formas, perq; has ad formas intelligibiles, id est, ideas. Rursus per ideas ad diuinam mentem, qua comprehenduntur ideæ, ab hac denique ad diuinum bonum, idearum principium atque lumen. Cum ergo dicit animam à lucerna ad lunam, à luna ad solem attolli, significari à formis naturalibus ad Mathematicas, ab his ad diuinas denique eleuari, non docendo quidem, diuina enim vt tradit in Epistolis, doceri non possunt, sed purgando potius atque conuertendo. Nam his peractis, sicut Sol qui est visibilium lumen, monstrat oculo visibilia, ita vt ipsum bonum quod intelligibilium lumen est, intelligenda intellectui patefacit. Sed de his in Theologia nostra latissime. Itaque nemo mirari debet Platonem, doctrinali scribendi ordine vti rarius, purgatorio verò atque exhortatorio, id est, conuersorio semper. Post hæc nota ex eorum numero quæ sentiuntur, illa potissimum intelligentiam excitare, quæ haud plane per sensum à suis oppositis discernuntur, ideoque intelligentia indigent discernente. Item numeros non esse corporeos. Siquidem nihil aliud numerus est quàm vnitas repetita. Vnitas autem non est corpus: non enim in partes diuiditur quæ si fingatur diuidi, non secatur, sed potius mul-

tiplicatur:multiplicatur inquam in seipsam non in partes vllas.pars enim quælibet toto solet esse minor. Nulla verò vnitas vel maior vel minor est vnitate.atqui hęc ipsa vnitas numerusq; ad incorporeā nos esse etiam erigunt: similiter quoque figuræ quarum ratio vera in mente reperitur potius quàm in corpore. Similiter astronomia ex ordine cœli motoris rationem indagare videtur. Eum Plato astronomum negat superna suspicere, qui ab ipso cœlo non prospexerit super cœlum,præsertim quia cœlestia cum integrum non impleant ordinem,nimirum à superiore quodam & integro ordine pendent. Deridet & Musicum nisi à consonantia vocis ad intellectualem se recipiat consonantiæ rationem. Denique dialecticam, id est,Metaphysicam siue Theologiam omnibus facultatibus anteponit, & ducentem omnes, & ad suum officium vtentem ministerio singularum Officium verò eius esse, per totam ipsius quod dicitur ens,progredi latitudinem,atque ad ipsum bonum totius entis cau am se conferre, & in ipso entium ordine quid vnumquodque sit definire,rationem cuiusque essentiæ assignando, quidue quamlibet sequatur essentiam demonstrare. Cæteras autem facultates præ huius nobilitate iudicat esse seruiles. Aut enim ad opiniones hominum declinant, vel ad generationes compositionesque inferiorum,vel ad cultum eorum quę gignuntur: aut saltem etsi ad incorporea sese pro viribus erigunt,nihilominus circa illa quodammodo somniant. Quales esse inquit Mathematicas disciplinas. Mox verò duo subiungit genera, essentiam scilicet, atque generationem. Ad illam quidem intelligentiam, ad hanc autem opinionem existimat pertinere. Rursus intelligentia scientiam quidem dicit essentiam consequi ad dialecticum pertinentem,cognitionem verò sequi essentiam, & ad Mathematicum attinere. In opinione similiter fidem imaginationem que connumerat: & per illam quidem corpora percipi, per hanc verò imagines corporum atque vmbras. Deinde concludit cæteras facultates absque dialectica esse cæcas. Atque eas simul & dialecticam insuper vanas esse, nisi ipsam boni ideam perspicue nouerint, perque ipsam in singulis sciant à falsis vera bona discernere Eum verò qui boni ignoraueritrationem,& insomniis hic illusum turbari, & ad inferos descendentem illud magis atq; vexari. Subdit eum hominem esse claudum qui ad alterutrum siue ad agendum siue ad speculandum ineptus sit atque imperitus. Quapropter ad gubernandum eligit illos, qui ad vtrumque & apti natura sint,& disciplina sufficienter instructi. Interea nota mendacem quasi mancum & mutilatum à repub. excludendum. Mendacem verò nominat,& qui dedita opera mentitur aliis,& qui per ignorantiam mentitur ipse sibi. Memēto & labores animi grauiores esse quam corporis,ideoque in iuuentute discendum, liberalesque disciplinas procul à seruitute docendas. Neque tamen dialecticam adolescentibus esse tradendam. Quod Philebus quoque nos docet. Nam vt Phædrus quoque distinguit, duo nobis omnium insunt duces,innata videlicet cupiditas voluptatum,& acquisita quædam per educationem opinio, dictans honesta & iusta nobis à legibus definita in omnibus esset seruanda. Duo verò hi duces sæpissime in contraria distrahunt.

Quoniam verò differendi facultas si tradatur adolescentibus, opinionem honesti debilitat, vnde euadunt intemperantes, imò & superbi & impij, vt in Philebo quoque & Legibus legitur, idcirco ante trigesimum ætatis annum in Mathematicis erudiendi sunt, atque in publicis negotiis per interualla pariter exercendi. Cum verò ad trigesimum peruenerint, ad dialecticam admittendi, ita tamen vt rur us per interualla reuocentur ad publicas actiones Tu verò differendi industriam à forma quidem sua Dialecticam nomina,ab exordio Logicam, à fine Metaphysicam atque Theologiam. Scito & ad eiusmodi dialecticę finem quasi diuinum homines in quinquagesimo ætatis anno vocari, propterea quod ad diuinorum intuitum purgata mente opus est atq; serena. Interea hic animaduerte quod & hic & in Theologia sæpius vsurpamus, à Platone notari tria quædam, radium scilicet, lumenque & lucem. Radium quidem esse singulis mentibus sicut & oculis proprium & naturaliter insitum. Lumen verò cunctis oculis esse commune. Lucem denique diuinam præesse lumini mentium omnium communi, quemadmodum lux in sole præest lumini oculorum æque communi. Concludit ciuem postquam boni ipsius lucem & per radium inde sibi naturaliter insitum & per lumen eiusdem rursus infusum fuerit contemplatus, oportere ciuitatem ad boni ipsius exemplar pro viribus gubernare.



IN DIALOGVM OCTAVVM DE IVSTO.

ARGVMENTVM.



OCRATES perfectam Reipublicæ formam, septem iam Dialogis absoluit septenario Palladis numero consecratam. Eamque tum regiam, tum optimatum appellat gubernationem. Optimatum quidem, quoniam in ea plures virtute praeclari publicis funguntur muneribus, Senatumque constituunt. Regiam verò, quoniam & vna omnium ad publicum bonum est voluntas, vna mens quasi regina, & si quis inter eos probitate est singularis, singulariter honoretur. Neque tamen huic tantùm tribuitur, vt absque Senatu, id est, probatorum omnium numero possit publica permutare. Reliquum erat post optimam & beatam Reipublicæ forma, in mediu a inferiores adducere, has autem numerat quatuor. Primam quidem esse vult eam, in quam optima mox degenerat, quam nominat ambitiosam. Secundam verò potentiam paucorum ex ambitiosa nascentem. Tertiam popularem ab hac procedentem. Quartam postremò tyrannidem, ex populari præcipuè pullulantem. Quoniam verò rerum publicarum formæ à formis praueniunt animorum, quinque deinceps animorum affectus & habitus, totidemque ciuitatum & similes esse similiter nominatos mira quadam arte describit. Summatimque regium animum optimum esse concludit atque beatissimum, & similem similiter ciuitatem. Tyrannicum verò pessimum atque miserrimum. Medios autem animos gubernationesque medias modo quodam medio se habere concludit. Ex omnibus his apparet quàm perniciosa tam in ciuitate, quàm in animo sit in iustitia, & vtrobique institia quã salutaris. Vbique autem permutationes tam animorũ quàm ciuitatum ex aliis formis in alias mirabili explicat diligentia. Præcipuè verò mutationem beatæ Reipub. & vt ita dixerim, aureæ in ambitiosam siue argenteam, siue ferream, ab altiori ducit exordio, fingitque Musas id tanquam oraculum effundentes, siue potius confundentes. Profectò si beata Respub. proprio defectu in deteriorem labi non potest, & tamen quandoque labitur, communi quodam defectu & causa labitur. Qua quidem in re Aristotelicas ridere licet calumnias. Neque enim debuit Aristot. in 5. Politicorum à Platone suo, imo nusquam suo, propriam beatæ Reipublicæ permutandæ exigere causam, cùm nulla sit propria, sed communi debuit esse contentus. Quemadmodum enim homo & validissimus & temperatissimus, sic & eiusmodi ciuitas non tam propria quam communi causa morbi laborat, id est, fatali quodam ordine, ita per cœlestes circuitus qui intra lunam sunt, perpetuo se reuoluẽte, vt quæ certis sphærarum configurationibus temporumq; curriculis composita sunt, quandoque dissoluantur aduersis. Quoniam vero eiusmodi causæ assignatio præsentis ciuilisque facultatis terminos procul excedit: ideo Socrates vaticinio Musarum vtitur, & profectò ita vtitur, vt & nobis ad hæc interpretanda opus sit Apollinis vaticinio. Nec immeritò Tullius vbi rem esse obscurissimam breuiter vult exprimere: id inquit, numero Platonis obscurius. Neque miror Theonam Smyrnaum Mathematica, in primis Platonica professorem eiusmodi mysterium, tanquam inexplicabile astute prætermisisse. Quod quidem Iamblichus Chalcideus dum explicare voluit, implicuisse videtur. Quid vero si in eiusmodi verbis plus difficultatis sit quàm ponderis? Quippe cum & ipse fingat Musas tragica quadam tumiditate nugantes perterrentesque animum puerilem atq; simplicem, stuporemque adducentes. Denique qualecunque id sit opportunius ex Commentariis in Timæum expositionem nostram accipies. Cæterum, moralia hæc præcepta considera. Impossibile est diuitias honorari in ciuitate simul atque virtutem. Item, tradere diuitioribus Reipub. gubernacula perinde est, ac si nauis non peritiori in nauigando, sed locupletiori gubernanda tradatur. Nempe & hæc & illa periclitabitur. Rursus, custos contra omnia vitia tutissimus est scientia. Præterea, contrarij vnius summum, alterius est principium; itaque extrema libertatis licentia, extrema seruitutis est principium. Sicut in qualibet qualitate, rerumque & temporum excessus omnis verti protinus in contrarium consueuit. Idem in Epistolis ai i: Moderatam probans ante omnia libertatem.

COMMENTARIVS IN LOCVM PLATONIS EX OCTAVO LIBRO de Republica, de Mutatione Reipublicæ per numerum fatalem.

PLATONIS TEXTVS.

DIFFICILE quidem est ita constitutam ciuitatem suo statu moueri. Verùm cum omne quod genitum est, corruptioni sit obnoxium, talis etiam constitutio semper manere non poterit, sed soluetur. Solutio verò hæc est: Non solùm circa plantas, sed terrena etiam animalia fertilitas, & sterilitas animæ corporumque continget. Quando conuersiones singulis circulorum coniunxerint ambitus, his quidem quæ breues sunt cui ambitus breuiores, contrariis verò contrarios. Illi verò quos ad ciuitatis gubernationem, educauistis: quamuis sapientes fuerint, nihilo magis vestri generis secundam generationem, vel sterilem ratione vnà cum sensu comprehendent. Sed larebit eos opportunitas generandi, & plerumque cum non opportunum fuerit gignendis filiis operam dabunt. Est autem ei quod diuinitus generandum est circuitus, quem numerus continet perfectus. Humanæ verò geniture his vtique in quo primo augmentationes superantes, & superatæ tres distantias atque quatuor terminos accipientes simulantium, & dissimulantium, & crescentium, & decrescentium & cuncta correspondentia, & comparabilia inuicem effecerunt. Quorum sesquitertia radix quinitati coniuncta duas harmonias præbet ter aucta. Vnam quidem æqualem, æqualiter centum centies. Alteram verò æqualis quidem longitudinis, sed oblongiore centum quidem numerorum à diametris comparabilibus quinitatis singulis indigentibus vno, duobus verò qui non sunt comparabiles, centum verò cuborum trinitatis ipsius: vniuersus autem iste numerus geometricus talem authoritatem habens ad potiorem deterioremque generationem vim habet. quod si ciuitatis vestræ custodes ignorauerint, nec opportuno in tempore sponsas sponsis coniunxerint, haudquaquam ingeniosi felicesve pueri inde nascentur.

EXPOSITIO CIRCA NVMERVM Nuptialem, in octauo de Republica.

AEnigmata in capite praecedenti prodigiosa, iamdiu ab explicationis studio nos & Platonicos alios absterruerunt, Sed quae diu cogitanti mihi certiora succurrunt, in primis adducam, denique probabilia subdam, inexplicabilia praetermittam. Nam & ipse Plato quaedam noluit explicari, sermonem vero hominibus inexplicabilem merito Musis attribuit, sed ludentibus quia latet aliquid fabulosum.

De circulis, conuersionibus, reuolutionibus, & qua opportunitate à superioribus inferiora ducantur.

CAPVT I.

PRincipio ciclos, id est, circos vel circulos, nominat substantias ipsas mundanarum sphaerarum, praecipuè verò coelestium. Appellat deinde peritropas, id est, conuersiones, motus simpliciter circulares, quos sphaerae coelestes & stellae quaelibet, quasi fixae peragunt circa propria centra, vocat praeterea peripteforas, id est reuolutiones, vel ambitus, ipsos circuitus quos Planetae omnes insupet agunt ab ortu ad occasum, rursusque ad ortum vel vicissim. Item à meridie ad septenerionem, atque contra, rursus ante & tetro, sursum atque deorsum, siue vicissim. Reuolutiones ambitusve eiusmodi à conuersionibus illis reguntur quidem ac rebus terrenis accommodantur. Ipsae reuolutiones terrenis conuersiones accommodant atque coaptant. Vita igitur, & fertilitas, & opposita in rebus terrenis per coelestia mensurantur: sed ea lege, vt aliae species Planetarum, vel animalium, aliis subiiciantur mensuris atque ducantur, aliis enim pro ipsa naturae suae, vel specialis, vel singularis proprietare conuenit: vna Saturni teuolutio, vel insuper dimidia, duae, vel tres, vel quatuor. Aliis autem vna Iouis aut plures, similiterque Martis, aut Solis, Venerisque atque Mercurij, aut Lunae. Aliis certè dicitur vel dies vna, vel horae, sunt & quae mensurentur conuersione alicuius stellae circa centrum vna vel pluribus, sed nobis incognitis: Incognitum quoque nobis est tempus ad effectum aliquem penitus opportunum, quo, scilicet, conuersiones ad hunc necessariò concurrunt, cum reuolutionibus necessariis ad eumdem, ac denique cum ipsa terrenorum praeparatione conueniunt, atq; coaptantur.

Tunc enim fatum congruens cum natura effectum peragit, vel prosperum, vel aduersum, ad fertilitatem, vel sterilitatem, vel ad alia pertinentem. Ac solùm verò dispositiones corporum omnino, sed quodammodo etiam affectuum, ingeniorumque & morum varietates, fatali hac & naturali quadam lege ducuntur. Proueniunt verò quibusdam saeculis, diuina quaedam ingenia, potius quàm humana, producta, videlicet, à conuersionibus reuolutionibusque, soli Deo certis atque destinatis. Quas sanè nnmerus metitur perfectus: numerus, inquam, vel saeculorum, vel annorum, vel mensium, atque dierum. Similiter soli Deo notus, sed de hoc numero aliàs aliquid. Humanorum verò ingeniorum conditio conuersionibus, reuolutionibusque aliis per alias quoque numeros computatis subiecta putatur.

Quomodo rerum durationes variae.

CAPVT II.

MVltiplicat verò Plato numerum eiusmodi, quasi ad innumerabile, vt toto eiusmodi numero metiri possit totam mundi vitam, vel reformationem eius à diluuiis, ad diluuia, vel annum magnum. Partibus verò numeri durationis quoque minores ad priuatam formam, vel publicam pertinentes, sicut etiam septenarius multa metitur per annos quidem mutationes in vita, per dies autem mutationes in morbis maiores, per horas verò minores, tum in bonum, tum in malum. Iam verò quando numerus peruenit ad sex, qui perfectus est, designat perfectum habitum: quando ad octo, qui deficit partibus, fortè deficientem, nisi res soliditate numeri vel ratione alia compensetur, quando decim, qui abundat fertilitatem. Quando ad numeros in aequilateros inaequalitatem, quando ad aequilateros aequalitatem: quando ad solidos firmitatem atque plenitudinem. Sed de his in bono dicetnr. Proinde quando in diametralibus peruenit ad proportionem duplo minorem, sterilitatem, quando verò in eisdem ad proportionem dupla maiorem, fertilitatem. Sed de his paulò post agetur.

De primis

De primis solidis numeris & de duodenario, quomodo & intra se continet consonantias, & ter multiplicatus explicat eas in amplum.

CAPVT III.

Redeamus ad numeralem ordinem primò positum à Platone. Affirmat Plato se loqui de ordine numerali in quo primo sint termini quatuor & interualla tria, Manifestum verò est ex Timæo hunc ordinem esse inter solida prima, scilicet inter 8. atque 27. quorum sunt media proportionalia duo, scilicet 12. & 18. Hactenus sunt termini quatuor, inter quos necessario interualla sunt tria. Primum ab. 8. ad 12. Secundum à. 12. ad 18. ad 17. Inter hos verò terminos similis est vtrinque proportio, Nam ab ipso. 27. ad 18. Sesquialtera proportio est. Continet enim totum insuperque dimidium, Similis ab hoc ad. 22. similis à 12. ad 8. proportio. Inter prima verò solida scilicet, 8. atque 27. sunt plana æquilatera duo, scilicet. 9. atque 16. Hæc planum quoddam inæquilaterum, scilicet 12. inter se conuinciunt. Nam sicut ab ipso 16. ad 12. sesquitertia proportio est, continet enim totum tertiamq; insuper eius partem, sic ab ipso 12. ad 9. sesquitertia proportio reperitur. Cum igitur in ordine numerali in primis adsumpto solida quidem per media duo plana sesquialteris proportionibus colligentur, Plana verò vno duntaxat medio proportionibusque sesquitertiis vinciantur, merito Plato hinc nactus occasionem, prima fundamenta proportionum eiusmodi adducit in medium, septem videlicet atque quinque. Prima enim sexquialtera inter tria nascitur atque duo. Vnde quinarius primus dicitur proportionis eiusmodi radix. Prima quoque sesquitertia inter quatuor prouenit atque tria. Quocirca septenarius radix, vel fundamentum dicitur sexquitertiæ. Plato verò proportiones eiusmodi magnifacit, Quoniam & sesquialtera consonantiam generat diapente, & sesquitertia consonãtiam procreat diatessaron. Quas ideo plurimi facit, quoniam ex his conflatur vniuersalis consonantia illa in dupla proportione consistens, quam diapasson harmoniam vocant summopere celebratam. Hinc igitur Plato colit magnopere duodenarium, ceu primum inter solida medium: Quoniam ex duabus radicibus illis proportionum consonantiarumq; eiusmodi constituitur, quinario videlicet atque septenario per modum compositionis, (vt diximus.) Item quodam mutuæ commixtionis modo videlicet inter partes. Resolue quinarium in. 3. scilicet, atque 2. bis 3. sex. Item bis. 3. bis. 12. vel bis sex 12. Resolue 7. in 4. atque. 3. Ter 4. 12. non solum ergo 7. & 5. composita faciunt. 12. sed in vtroque partes inuicem mixtæ scilicet multiplicatæ. 22. quoque conficiunt, fit etiam, 22. ex primis numeris in se inuicem multiplicatis, scilicet, ter quatuor 12. Si enim duo non sit determinatus numerus, sed multitudo confusa primi numeri sunt 1. atque 4. Elementa duodenarij, ob hoc etiam celebrandi. Non solum verò clam hic, sed etiam palam in Legibus, Phædone, Timæo, Phædro, Critia, duodenarium veneratur. In Phædone quidem duodenario formarum numero describit orbem. In Critia verò plagis duodecim antiqua ante diluuium regna describit, in Legibus eodem numero ciuitatem agrosque disponit. In Phædro duodecim adducit ordines diuinorum. In Timæo duodecim faciebus formae mundum, etiam propter sphæras mundi 12. signaque & numina in Zodiaco, 12. item partes elementorum, duodecim siquidem quodlibet in tria diuiditur, in plagam videlicet superiorem, inferioremque, & mediam. Sed de his quidem satis in commentariis in Timæum, & argumentis Legum, & Theologia, iam à nobis est dictum. Quapropter Plato numerum hunc vniuersalis formæ mundanæ, vel humanæ atque ciuilis gubernatorem esse iudicat; plurimumque rerum propagationi vel mutationi congruere, quoniam, vt in sequentibus ostendemus, primus est crescentium, abundantiumque numerorum, Fit ex geminato senario numero, vt dicemus, perfecto videlicet ipse plusquam perfectus, neque mysterio caret quod in eius compositione. 7. elegit atque, 5. nam septem Planetis 7. competit quinarius quinque mundi plagis, scilicet quatuor elementis & cœlo, item quinque origo prima est perfecti numeri circularis. Siue enim per planum in se ducas efficit. 25. siue per solidum in se reducas facit 125. vterque verò circularis existit, incipiens videlicet à quinario desinens in quinarium: hinc duodenarius orbi maximè congruit, Præcæteris verò cum Sole, Venere, sunt, Luna, vitæ fontibus, Sol Venusque duodecim percurrit mensibus, Iupiter annis duodecim, Luna quotidie gradus peragit duodecim motu medio suasque duodecim graduum mansiones habet, ipsaque cum sole menses agit duodecim. Hæc sine graui causa hic numerus est à Propheris sacrisque eloquiis obseruaturus. Mitto nunc quod duodecim geminatus implet diem multaque similia. Cum verò Plato in primo illo ordine numerali quatuor præcipuè terminos posuisset. 8. 12, 18. 27. velletque illinc ad fatalem magnumque numerum prouenire, non poterat minorem eligere quam 12. Nam in minori non continetur decem, qui quodammodo vniuersus est numerus, numerorumque vniuersalium est origo, quatenus ex eo pullulant centum mille, decem milia, mille millia, oportebat quoque sub hoc in primis fatali numero comprehendi, fatalem illum aliquanto minorem scilicet. 729. in nono de Republica celebratũ à nouenario ter aucto procrearam, continetur autem. 9. sub. 12. non solum quasi sub maiore, verumetiam proportione quadam scilicet, sesquitertia. Numerus verò. 12. ipsum decem non solum amplitudine, sed etiam proportione complectitur. Nam proportionem sesquiquintam habet ad decem, atque dum diuidere videntur ipsum in partes quinque, binariumque quintam denarij proportionem denario superaddere, tum maximè reficit ipsum decem. Si enim binarium duxeris in quinarium, decem profecto conficies, Itaque. 12. dum numerum vniuersum proportione complectitur, atque reficit, ad vniuersum maximè pertinere videtur.

Præterea, duodenarius sicut intra se duas illas continet harmonias ipsius diapasson elementa, ita quando bis augetur scilicet duodecies duodecim, secum profert easdem explicatque in amplum sub numero plano equilateroque scilicet. 169. Rursus quando ter augetur scilicet duodecies duodecim duodecies, easdem harmonias secum latius quoque diffundit sub nume-

ro solido, atque æquilatero, qui eiusmodi multiplicatione creatur scilicet 1728. Qui sanè numerus maximè conuenit vniuerso. Nam mille quidem congruit firmamento, Septies verò centum Planetis 7. additum verò est 28. ad lunarem circuitum exprimendum, Hic enim circuitus factum expedit, atque perficit. Reditus quidem lunæ ad idem, Zodiaci punctum 28. numero designatur: Reditus autem eiusdem ad solem 29. prorsus exprimitur, quod in nono de Republica declaratur. Conuenit numerus 28. Lunæ alia etiam ratione, quoniam Luna 28. mansiones habet insignes, senarius quidem primus numerus est perfectus, secundus vero perfectus est 28. quia suis partibus constat, vt ille. Ille igitur conuenit cum superioribus sex Planetis, hic verò cum superioribus sex Planetis, hic verò cum Luna, quæ post primam illinc perfectionem ipsa secundam fatalibus adhiber. Accipit verò Plato numeros potissimum qui cum vniuerso conueniant, consonantiasque complectantur, vt ostendat inferiorum euentus per certos numeros atque mensuras ab vniuerso pendere, præcipuè quando consonant ista cum illis. Producit autem numeros fatales ad solidum velut ad summum, vt hinc ostendat vbi ad summum iam perpetuum est, paulatim in oppositum omnia relabi, Quippe cum in eodem vel simili habitu diutius permanere mobilis naturæ conditio minime patiatur.

De numeris crescentibus & decrescentibus, similibus atque dissimilibus.

CAPVT IIII.

IN primo autem illo ordine numerali ab 8. solido, vsque ad 27. solidum procedentes, similiterque in numeris inde productis quot sunt augmentationes superantes, totidem superatæ, vt Plato inquit: Vbique enim duplæ respondet sub tripla, triplæ quoque sub tripla. Item quot sunt proportiones ipsæ multiplices, quasi superantes, totidem subinde sunt partientes quodammodo superatæ, sed penitus congruentes, Nam duplæ respondet sesquialtera, sicut enim dupla minorem numerum geminat, vt quatuor geminat duo, ita duo, ita sesquialtera diuidendo minorem quasi partitur in duo, vt sex ad quatuor, Præter enim id quod totum semel continet, videtur quodammodo distribuere, dimidiumque addere super totum: Similiter sesquitertia quidem triplæ, sesquiquarta verò quadruplæ respondere videtur, atque deinceps sine fine multiplices quidem augent quasi numerum. Partientes verò minuunt quasi continuum. Præterea nominantur hic à Platone numeri crescentes atque decrescentes. Aliquis enim numerus dicitur perfectus, quoniam ex suis partibus scilicet aliquoties deinceps ordine positis constat ad vnguem, vt senarius ex vno duobus, tribus, hæ sanè re vera sunt senarij partes, quælibet enim earum aliquotiens sumpta senatium complet, itemque dispositæ, (vt dixi) deinceps. 1. 2. 3. ad vnguem. 6. efficiunt. Hinc senarius numerus perfectus appellari solet. Est etiam alia ratione perfectus, quia constat ad vnguem proportione dupla, quam intra se proxime continet. Hæc autem est quaternarij ad binarium scilicet quatuor simulque duo sex, id in aliis numetis vix inuenias. Perfectio verò senarij velut dimidij refertur ad 12. tanquam totum, Aliquis verò numerus nominari deficiens consueuit, quia partes aliquotæ simpliciter ita dispositæ non implent totum, vt 8. Nempè partes eius sunt 4. 8. 1. Hæc verò digestæ septem faciunt, similiterque 9. se habet ad partes. Aliquis verò numerus iudicatur abundans, quia partes eius ita compositæ in maiorem excrescunt vt 12. Partes huius sunt dimidia quidem 6. Tertia verò 4. sed quarta 3. septa 2. duodecima 2. Partes autem hæ congestæ 16. postremo conficiunt, Crescunt verò feliciter. Nam ab in equilatero ad æquilaterum tectè procedunt proportione seruata. Quoniam 16. ad duodecim, sesquitertiam proportionem habet, sicut 12. ad 9. etiam æquilateram habuit sesquitertiam. Itaque maximè conuenit vniuerso, & fertilitate m incrementumque significat, præsertim quia primus est & princeps abundantium numerorum. Præterea Pythagorici 6. sponsalem numerum vocauerunt, quoniam in eius conceptu mas cum fœmina coit, scilicet impar cum pari. bis 3. 6. est autem sponsalium primus, secundus verò 12. in cuius conceptu 3. cum 4. se commiscet, ter 4. 12. vbi verò par, & impar per media distant congredi non videntur. Introducit hic insuper Plato numeros quosdam similes, atque dissimiles, similes quidem inter se dicuntur æquilateri plurimum æquilateris, Cubi cubis, In æquilateri verò inuicem illi sunt consimiles quorum latera proportionalia sunt vt 6. atque 24. latitudo senarij est 2. longitudo 3. nempe bis 3. 6. numeri verò 24. latitudo 4. longitudo 6. quater enim 6. 24. Quemadmodum verò se habet 4. ad 2. ita 6. ad 3. Itaque sicut se habet latitudo numeri 24. ad senarij latitudinem, ita longitudo illius ad senarij longitudinem, qua quidem ratione similes appellantur. Qui verò proportionibus eiusmodi non conueniunt, dissimiles iudicantur.

De numeris lateralibus, atque diametralibus.

CAPVT V.

VNitas ipsa sicut numerorum figurarumque principium est, ita lateris, & diametri atque ad vtrumque potentiam habet. Expone igitur hic quidem hanc vnitatem A. ibi verò vnitatem illam 6. A. quidem dum sola manet nullam efficit lineam, igitur neque latus, neque diametrum, si ad geminum A. processerit lineam iam efficiet, quæ possit latus fieri futuri quadrati, si rursus adeò processura sit vt faciat diametrum, Quoniam diameter necessario est latere maior, saltem processura est in tria: Quapropter sicut vnitatem A. ad binarium produxisti, sic vnitatem 6. producturus es ad ternarium, vt A quidem significet quadrati futuri latus, 6. verò diametrum, quadratum quidem quod ex A. binario procreatur in se ducto est proculdubio quaternarius, Quadratum verò quod ex B. ternario similiter in se ducto fit nouenarius. Itaque quadratum hoc ex diametro factum ad quadratum illud ex latere procreatum vnitate maius est quàm duplum. Si cupis quadrata rursus maiora producere ex lateribus, similiter atque diametris adde lateri quidem illi binario, Diametrum illum ternarium habebis quinarium iam pro latere. Adde etiam illi diametro scilicet ternario bis latus illud binatium habebis iam septenarium pro diametro. Fac ergo quadratum ex quinario latere in se ducto erit quadratum viginti quinq;

Fac similiter ex 7. diametro erit quadratum 49. quadratum hoc diametrale erit ad illud laterale vnitate, minus quàm duplum. ita enim 49. ad 25. se habet. Iterum, vt ampliora quadrata conficias, adde lateri quod erat v. diametrum, quod fuit 7. babebis pro latere 12. vicissimque diametro, quod erat 7. bis latus illud, scilicet 5: erit diameter 17. ex illo quidem latere, scilicet 12. in se ducto reportatis quadratum 144. ex diametro autem hoc 17. in se ducto habebis quadratum 289. quod est vnitate maius quàm duplum, ad quadratum ex latere factum: sed curnam oportet in augendis quadratis priori quidem lateri addere diametrum primum vnum, diametro verò latera priora duo: quia, videlicet, quantum latus bis valet, tantum diameter potest semel. Omnis verò compensatio facienda. Si in augendis quadratis ad centum, & vltra processeris, tandem adæquatio fiet, tum vitate deficiente, tum excedente vicissim, vt summatim resultet proportio dupla. Ideo Plato inquit, eiusmodi numeros indigere vno, scilicet æquatore, & in commensurabiles quidem singulatim, commensurabiles verò summatim. Sed de commensuratione in sequentibus. Inquit verò duos incomparabiles, fortè quoniam in prima quidem horum constitutione 3. ad duo, proportionem habuit, in secunda verò 7. ad 5. non habuit, similiter in tertia 97. ad 12. proportione carebat. Appellat autem diametrales numeros quinitates, quia in primo latus quidem fuit 2. diameter verò 3. solidos nominat trinitatis, quia trina replicatio numeros facit solidos, & trina dimensio corpus solidum: sed præcipuè illos solidos vocant trinitatis, quos producit ex nouenario, qui resoluitur in ternarium.

Numeri plani & solidi, item æquilateri & inæquilateri, pares, impares, fœminæ, masculi.

CAPVT VI.

NVmeros appellat planos, qui prima multiplicatione numeri procreantur, vt bis 2. 4. vel ter 3. 9. similiterq; deinceps. Solidos autē, qui non solùm multiplicatione, sed etiam terna replicatione nascuntur, ceu bis 2. bis 8. ter tria ter 27. deincepsque similiter. Vtrobique verò, vel æquilateri vel inæquilateri sunt, æquilateri quidem ex numero quolibet per se in seipsum multiplicato creantur, quales sunt quos modo narrauimus. Inæquilateri verò ex multiplicatione numeri alterius per alterum oriuntur, velut planis quidem bis 3. 6. ter 4. 12. similiterque deinceps. In solidis autem bis 3. bis 12. vel bis 3. ter 18. Proinde inæquilaterali, vel altera parte longiores, vel oblongi dicuntur. Altera quidem parte longiores, quos breuitatis causa sæpius appellabo longos, illi sunt qui ex ductu numeri alicuius in proximum procreantur, vt bis 3. 6. ter 4. 12. in quibus maior numerus in quem minor ducitur: hoc ipso minore vnitate duntaxat est maior, oblongi verò ex ductu numeri in remotiorem numerum generantur, vt bis 4. 8. ter 5. 15. Hic enim maior numerus minorem longiore spatio quàm vnitate superat. Hactenus hi numeri plani, vel solidi æquilateri vel inæquilateri, longi vel oblongi, multiplicatione fiunt, vel numeri alicuius per seipsum, vel numeri alterius per alterum, vtrobique quadam commixtionis generationisque ratione. Confici præterea possunt quodam compositionis modo, quando, videlicet, ad eorum constitutionem vnitati deinceps vel numero numerus additur. Æquilateri quidem, quando impares imparibus vnitate duce numeri adhibentur. Inæquilateri verò quando pares, paribus, duce duitate, subduntur, sed ab æquilateris ordiamur, sunt autem consequenter impares 1. 3. 5. 7. 9. 11. Vnum quidem quasi primum æquilaterum quadratum est, semel enim vnum existit vnum, huic tanquam impari si addideris 3. quadratum facies æquilaterum, scilicet, quaternarium, quod & latitudine & longitudine pariter erit bipes. Consequens impar 5. hunc si præcedenti quadrato addideris, ceu normam reportabis 9. quadratum similiter æquilaterum, cuius latus quolibet erit triplex, consequens impar 7. Nunc si admoueris nouenario conficies 16. longitudine pariter & latitudine quadruplos. Quatet enim 4. 16. similiterque deinceps, in his planè semper impar subditur præcedenti, velim pari numero, vel saltem ex duobus imparibus constituto, semper vnitate duce. Hæc enim ita dux est imparium æquilaterorumque numerorum, sicut duitas parium quidem numerorum, figuram verò velut inæquilateram componentium. Est enim duitas quasi primū inæquilaterū si primus quidē est discessus ab vnitate omnium æqualissima: itaque bis vnum existit duo, hæc sanè duitas latitudine quidem vnum est, longitudine verò duo. Re autem vera Pythagorici duitatem indeterminatum aliquid esse volunt, nullius figuræ principium. Nam circularis quidem figuræ principium esse putant vnum, quia conuertitur in seipsum. Semel enim vnum, vel etiam semel vnum, semel duntaxat existit vnum. Trinitatem verò rectilinearum principium figuratum, Est enim primus trigonus ipse ternarius. Et triangulus rectilinearum figurarum prima, trianguli verò quadrata, reliquaque componunt. Sed hæc alias, redeamus ad institutum. Exponantur ergo pares quilibet deinceps numeri 2. 4. 6. 8. 10. 12. cæterique similiter. Compone cum 2. 4. efficies inde 6. item cum hoc senario compone senarium, inde 12. & 1. reportabis. Item 12. & 8. compone, facies inde 20. Erunt igitur consequenter longi numeri 6. 12. 20. eadem quoque ratio in sequentibus. Æquilateriq uidem numeri consequente pares erant, & impares. Quatuor 9. 16. 25. Inæquilateri verò scilicet longi sunt vbique pares numeri 6. 12. 20. cæterique similiter, quia in eis creandis proximum in parem vel è conuerso multiplicat. Quod autem hi numeri constituti vel pares sint qui dicuntur, & fœminæ vel impares qui & masculi iudicantur, id ex radice quadam sua velut semine prouenit. Nam quaternarius in ratione pari fœminaque sequitur binarium parem, similiter atque fœmininum, qui & semen est quaternarij, nam geminans in seipso scilicet bis 2. generat quaternarium, similiter nouenarius & impar, & masculus propter ternarium semen eius atque radicem. Quinetiam si in radice fit par multiplicans, imparem vel è conuerso facit parem, vt bis 3. 6. ter 4. 12. Item ter 6. 18. qui, est oblongus. Hac itaque ratione omnes inæquilateri longi & fœminæ sunt & pares, ex paribus videlicet fœminis constituti, oblongi verò sunt pares, & impares, sed nimium inæquales. Simpliciter autem impares numeri præstant paribus, pares enim rebus corporeis atque diuiduis, impares autem incorporeis

indiuiduisque similes esse videntur. Item par primus scilicet duitas est diuisio diuersitasque prima, casusque primus ab vno, primus autem impar, id est, ternarius est quasi reditus ad vnum atque principium, Atque vltra partem abundat vno, ob quam planè copiam masculus appellatur. Par autem ob inopiam, partitionem, casum quasi fœmininus apparet. Parium quidem numerorum humana laus est, atque moralis, quatenus in eorum partitione iusta vtrinque fit distributio. Imparium verò sacratior laus est atque diuina. Si quidem iustitia in ipso pari quasi dissoluta est, nec vllum habet cardinem, quo nitatur, sed in ipso impari semper ipsum vnum inter pares numeri vtrinque pares est medium quasi centrum atque numen quo æqua distributio regitur, & ad quod refertur quasi finem. Inter omnes verò impares 3. 7. 9. eminere videntur, Nam in 3. circa medium eius, id est, vnum vtrinque extat pariter vnum quasi simplicia & diuina circa diuinū siue Deum: Ideo Deus ternário gaudet. In 7. circa numen vnum vtrinque ternarius existit numeri consecratus: denique in nouenario ipsum vnum quasi numen iustitiæ, id est, octonario se medium inserit. Nam octo propter æqualem ad vltimum distributionem à Pythagoricis iustitia nominatur. Summatim verò impar & propter medium sui ipsius vinculum in se possidet, & propter centrum circularis existit, & propter comparationem extremorum ad medium vniuersi ordinis, est principium.

Numeri Trigoni qui ex paribus deinceps, & imparibus componuntur, & quomodo ex Trigonis fiat quadratum.

CAPVT VII.

Numeros verò trigonos nuncupant qui ex imparibus simul atque paribus consequenter dispositis componuntur. Itaque si vnitati velut impari virtutemque in se trigonicam possidenti, subdas duitatem parem velut normam, efficies trigonum, id est, triangulum ipsum scilicet ternarium, si deinde Trinitatem subieceris, consequentem mox senarium trigonum reportabis. Rursus addito quaternario denarius, & ipse trigonus generabitur. Hi sunt igitur deinceps trigoni consequentes 3. 6. 10. similiterque deinceps. Quemadmodum verò in figuris trianguli duo quadratum vnum efficiunt, sic & in numeris, duo trigoni numerum quadratum faciunt: Itaque vnitas quasi quidam virtute trigonus simulque ternarius, & ipse trigonus quadratum conficiunt quaternarium, similiter 3. & 6. ambo trigoni quadratum procreant nouenarium eodem pacto 6. & 10. trigoni quadratum 16. simul faciunt. Enim vero si diligenter exploraueris, comperies vbique numerorum vires proprietatesque in planis figurisque conseruari, quid ergo mirum? easdem per plana gradatim in solida peruenire, atque ita corpora suis quæque fieri numeris atque moueri. Quapropter Plato hic, & vbique numeris omnia tribuit. Et Plotinus, Proclusque subtilissimè probant, numeros in ipso ente primo tanquam primos distinctores entium illic idearumque existere. Vt non mirum sit per numeros inferiora quoque distingui, atque sicut & rerum, sic & numerorum species omnes suis quibusdam viribus quasi prerogatiuis, priui legiisque pollere.

Vnitas, impares, paresque numeri, æquilateri, & inæquilateri.

CAPVT VIII.

Ipsum vnum numerorum dimensionumque principium, videtur principio vniuersi simillimum, Quoniam dum sua omnia procreat eminentissimum interea permanet, atque simplicissimum, Ab hoc autem, & dimensiones quasi quadam puncti punctorumque positione procedunt, & numeri quasi suo quodam motu profluunt, tametsi pares quidem potius processione quadam, impares autem conuersione potissimum, Interea vnitas ab vno dependens est & substantia numerorum, quatenus vnusquisque numerus fortè nihil aliud est quam vnitas totiens repetita. Est insuper & numerorum vnitas ipsa mensura. Semel enim duo est ipsa duitas, semel tria similiter est ipsa Trinitas, cæterique similiter deinceps numeri. Præterea sicut ab vno rerum principio incorporea fiunt atque corporea, sic ab vnitate impares atque pares. Item sicut ab illo simplicia compositaque, ita, & ab hac numeri simplices & compositi, simplices qui vnitate simpliciter constant atque mensurantur, vt 3. 5. 7. atque similes, compositi verò qui insuper quodam minori numero mensurantur vt 4. binario 6. binario atque ternario. Vnitas quidem similis est opifici mundi, duitas verò materiæ indeterminatæ, vt inquit Archytas, Qui vnitatem imparium ideam esse vult, duitatem verò partium, & hanc non tam numerum quàm primum ab vno casum, numerum verò primum esse ternarium. Mysterium Christianæ Trinitati simile. Iam verò vnitas & propter simplicissimam eminentiam nullus est numerorum, & propter virtutem omnium efficacem, est omnes numeri. Qua igitur ratione nullas habet partes, nec par est, nec impar, Qua verò se adhibet numero pari iam nato imparemque reddit, videtur impar. Qua rursus impari genito se accommodans facit parem, par rursus apparet. Id quidem Aristoteles inquit in Pythagorico, quanquam Pythagorici vnum libentius impar appellauerunt. Quia paris proprium sit non mutare numerum cui additur, nempè si addatur pari, parem seruat, si impari imparem, Vnum verò contra obuium quidem pari, facit imparem, obuium autem impari, reddit parem, similiter & numerus impar tanquam mas, & efficax numerum accessu mutat. Ex pari quidem facit imparem, ex impari verò parem. Numerus verò par ceu fœmina non mutatur, sed permutatur, & patitur.

Numeri ergo impares maiorem cum vnitate cognationem habere videntur, quia & quodammodo sunt indiuidui, nihilominusque abundant & vnum ipsum semper habent in se medium atque centrum, & ab initio in vnum desinunt atque conuertuntur. Denique postquam numerum parem diuiseris, videtur omnino diuulsus nec inter eius partes eius aliquid extat, Cum verò imparem distribuere studes inter partes eius digestas existit vnum eius insolubile vinculum, vt explicatus potius videatur quam diuisus, vnum verò est prorsus indiuisibile. Quod enim diuiditur in minora secatur, vnum verò in aliquid vno minus secari non potest. Imò verò cum videtur diuidi, potius geminatur.

Est autem vnum identitatis, & æqualitatis similitudinisque principium, in quibus Deo simile videri non iniuria potest. Quapropter quadrata semper æquilatera similiora sunt vni, quàm inæquilatera propter æqualitatem, & rectitudinem vni quam proximam, in his enim & lineæ & anguli omnes æqualitatem & similitudinem inuicem habent, atque rectitudinem, est & alia æquilateris excellentia, ipsius videlicet vnitatis munere quo inæquilatera superant. Nempe semen æquilateri vnum est, ac dum in sua permanet vel geminat vnitate, pullulat inde quadratum, ita duitas per se duplicata facit quatuor, Trinitas per se multiplicata creat nouem, ipseque nouenarius tanto est excellentior quaternario, quantò ternarius eius semen præstantius est binario. Inæquilateri verò semen diuisum est in duo neque permanet, sed alterum migrat in alterum ita 2. in 3. multiplicatum vel conuerso senarium quadratum efficit. Denique ipsum vnum mirabilem hac quoque ratione similitudinem habet ad Deum simplicitet simplicissimum, quia quantumcumque multiplicare contenderis, dicens semel vnum, item semel vnum, nunquam vel diuidis vel minuis vel auges ipsum vnum.

Est etiam in numeris similitudo quædam ad ipsum Deum, quilibet enim numerus agens secum ipso generat numerum, vt bis 2. 4. ter tria nouem, & postquam genuit per genitum numerum generat alium, vt bis quatuor octo, ter. 9. 27. Potest quinetiam ille numerus author sine hoc instrumento eundem per se numerum producere, quem hoc instrumento produxerat vt bis duo. bis octo ter. 3. ter. 27. ex his apparet Deum secum ipso agentem alia procreare, nec non si creatura prima vtatur vt media ad affectus alios producendos posse nihilominus eosdem sine hoc medio procreare, agendo similiter secum ipso. Sunt & aliæ multæ similitudines, sed hæ nobis in præsenti sufficiant, si retulero videlicet Pythagoricum illud, quemadmodum post Deum omnia ex quadam ipsius Dei proprietate vnà cum quadam illinc degeneratione constant, atque ex eodem simul, & altero & vnitate atque multitudine, ita numeri se habent ad vnum, quapropter ternarius tanquam primus numerus, non, inquam, multitudo prima, sed numerus primus, ex vnitate fit atque duitate quadam vnitatis degeneratione atque alteritate, confusaque multitudine, similiter cæteri numeri, hanc numeri primi sortem sequi videntur.

Impares numeri comprehendunt pares. Item æquilateri inæquilateros continent.

CAPVT IX.

IMpares numeri non compræhenduntur à paribus, sed compræhendunt, Vt ternarius binarium in se continet. Si quidem in ternario vnitas quidem media quasi caput & vinculum binarium circa se continet, Tres planè in ternario termini sunt vel gradus, interualla duo contenta ternario, similiter in quinario quaternarius. Nam, & circa medium eius vnum geminus est hinc, & inde binarius, & inter quinque terminos, interualla sunt quatuor. Similiter in septenario senarius continetur. Et par quilibet ordine præcedens imparem in proximo impari tanquam toto vel fine compræhendit. Iam verò nullus vsquam apparet ordo nisi per terminos impares. In quibus vnus sit medius quasi cardo, & vtrinque pares termini, & interualla sint paria. Quemadmodum verò impares numeri pares continent, sic æquilateri qui omnes ex imparibus componuntur compræhendunt inæquilateros, qui omnes procreantur ex paribus. Primus quidem æquilaterus compositus est 4. secundus verò 9. proportionale inter istos med um est senarius inæquilaterus, Nam ab ipso. 9. ad 6. sesquilatera proportio est. Similis quoque proportio à 6. existit ad 4. Tertius æquilaterus est 16. fit enim, ex 4. in se ducto, sicut 9. ex tribus, & 4. ex duobus inter 16. atque 9. proportionale medium est 12. qui inæquilaterus est, fit enim ex tribus ductis in 4. Sicut verò proportio inter 16. atque 12. sesquitertia est, ita inter 12. & 9. est sesquitertia. In his igitur apparet inæquilateros contineri, neque verò fit vicissim. Nempe 6. & 12. inæquilateri sunt. Inter hos æquilaterus medius est 9. neque tamen est hic ad extrema proportio similis. Nam 12. ad 9. proportionem sesquitertiam habet, sed 9. ad 6. sesquialteram. Ipse igitur 9. non deuincitur ab illis. In sequentibus quoq; ratio similis. Dixi paulo superius compositos æquilateros. Præterea vnum apud Pythagoricos est æquilaterũ, licet simplex, semel enim vnum. Vnũ inter hoc & 4. æquilaterum inæquilaterus est binarius. Sicut autem à 4. ad 2. proportio dupla est, sic à duobus ad vnum. Sic igitur æquilateri inæquilaterum continent atque deuinciunt. Quomodo verò proportio dupla, sesquialtera, sesquitertia, perfectioni & perseuerantiæ rerum conueniant, diximus in argumentis legum & Epinomide.

Quomodo diameter sit lateri commensurabilis, vel non commensurabilis.

CAPVT X.

PLato in quadratis ait, diametrum esse commensurabilem lateri, rursusque non esse. Esse quidem virtute; nam virtus diametri ad virtutem lateris dupla censetur. Si enim æquilaterum ex diametro quadratum duxeris, duplum er t ad quadratum iam ex latere constitutum, non tamen actu, vel certa radice commensurabilis lateri diameter esse videtur. Si enim quadratum ex latere bipede factum sit. 4. quadratum ex diametro productum erit. 8. qua quidem virtute videtur, (vt dixi,) diameter lateri proportionalis, sed altera quoque ratione proportionalis non iudicarut, quatenus radix quidem quaternarij nota est, scilicet duo. Radix autem octonarij, vt numeri plani & æquilateri est incerta. Nullus enim numerus semel in se ductus facit 8. similiter si quadratum ex latere tripede constitutum sit 9. scilicet, ter tria 9. mox quadratum ex huius diametro ductum erit 18. potentia enim diametri, ad lateris potentiam dupla est, qua quidem conditione commensurabilia hæc videntur, vt modo dicebam. Non tamen commensurabilia sunt actu, radice, linea. Radix enim nouenarij nota est, scilicet ternarius in se ductus. Radix autem ipsius 18. est ignota, nullus enim numerus in se ductus 18. constituit. Item si illud sit 16. hoc erit 32. semen illius certum est, scilicet quatuor, Huius autem est ignotum. Radix autem seme que numeri ille propriè numerus appellatur qui per seipsum multiplica-

tus, quasi coalescens atque geminans, numerum generat ampliorem.

De mutua multiplicatione parium, inuicem & imparium, æquilaterorum, inæquilaterorum solidorum.

CAPVT XI.

Si par numerus parem multiplicet aut seipsum aut alium, par semper exoritur, bis duo quatuor, bis quatuor octo, rursus si impar imparem multiplicet vel se vel alium imparem vbique generat 3.9. ter 5.15. sin autem par imparem, aut impar parem, gignit vtrobique parem, bis 3.6. ter quatuor duodecim. Hac vtique ratione vbi æquilaterus multiplicat æquilaterum vel se vel alium, nascitur æquilaterus. Quater quatuor sexdecim ter quater nouem. 36. Vbi autem inæquilaterus inæquilaterum, semper inæquilaterus oritur bis 6. 12. Sexies decem 60. Sed quando æquilaterus inæquilaterum vel vicissim semper inæquilaterus oritur, vt 4. sex 24. Item sexies nouem 54. Præterea si solidus solidum multiplicauerit, siue se, siue alium, solidum quoque creabit, octies octo 64 octies 27. 216. Si verò inæquilaterus solidum vel conuerso, nunquam solidus procreabitur. Bis octo, sexdecim. Item, octies sex 24.

De proportionibus in viribus animæ & spiritibus, & influxibus cœlestibus, & de causis ingentium mutationum.

CAPVT XII.

Plato sæpè iubet alias quidem animæ vires extenuandas, alias augendas, omnesque significat inuicem proportione Musica componendas. Eiusmodi vires sunt rationalis, irascibilis, concupiscibilis. Sed ratio duplex, speculatiua, vel practica, Intellectus illa, hæc propriè ratio nominantur. Sic igitur ab initio per disciplinam instituendi sunt homines, si aureum genus optamus, vt intelligentiæ ad orationem quasi quatuor ad tria sit proportio sesquitertia. Rationis autem irascibilem, velut 3. ad 2. sit sesquialtera, irascibilis ad concupiscibilem vt duo ad vnum dupla. Si autem genus optamus argumentum, rationis proportio ad intelligentiam sesquitertia quidem sit, sed conuerso, vt ratio quidem sit vt 4. intelligentia verò sit vt tria, in his proportionibus consonantiæ Musicæ continentur, Diatesseron, Diapente, Diapason. Similiter per nutritionem omnemque dietam, spiritus qui fit ex sanguine componendus, vt in eo aër, ignem sesquitertia superet, ignis, aquam, sesquialtera: Aqua terram dupla. Præterea, si præcipua membra consideremus, cor calidum est, & siccum: iecur calidum humidumque: cerebrum frigidum atque humidum: calor & humor vitæ sunt elementa. Hæc igitur frigidum siccumque non parum superare debent, magis verò frigus quàm siccum; frigus enim calori opponitur, humori siccum, calor sanè ad vitam præstantior est humore, tanquam artifex vel forma quædam (vt ita dixerim) ad humorem. Itaque omnibus computatis calor in nobis virtute summatim superare forte debet frigus, proportione dupla, humor siccitatem sesquialter, calor humorum sesquitertia. Nisi enim enim calor aliquanto excedat humorem, neque aget ipse vitaliter circa humidum, neque quotidie à nobis assumpta concoquet, nec resistit externis. Præterea in loco, aëre, anno salubri, omnibus summatim partibus computatis calor forte debet dupla frigus excedere, humorem sesquitertia, humor siccum sesquialtera. His adde quæ quoque de huiusmodi proportionibus in argumento Epinomidis circa sphærarum interualla, rerumque generationem, & humores corporis nostri, tractauimus, eandem quoque temperiem in planetis inuenire licet. Sed de his in libro de Vita tertio.

Si proportionem eiusmodi in nobis aut in aëre dissoluantur, breui res solutio sequitur, vel suffocatio imminet repentina: Si propter multiplices coniunctiones in cœlo dissideat, incendia mira, illuuionesque sequuntur. Quas ob res eadem ratione fauor cœlestium pro viribus est captandus, vt influxus Iouis ad Venerem, ceu 4. ad 3. sit in nobis, Veneris ad Solem, velut 3. ad 2. Solis ad Lunam, sicut duo ad vnum. Sol enim & Luna simpliciter vitam præstant, Iupiter, Venusque prosperitatem & incrementum vitæ, bonorumque affluentiam largiuntur. Obseruanda igitur in electionibus, Luna est vt vnum, dirigenda, deinde ad Iouem gradibus, si fieri potest quatuor, ad Venerem tribus, ad Solem verò duobus, quandiu proportiones harmoniæque omnes huiusmodi in genere hominum plurimum perseuerant, permanet in corporibus spiritibus animis, ciuitatibus bonus habitus: His autem deficientibus, ille quoque satisfacit, tandemque deterius Respublica permutatur. Prodest quidem disciplina multum, sed fatalis ordo destinare videtur, vt quando numerus 12. in quo primo proportio harmoniæque huiusmodi explicantur, & qui destinatus est vniuerso in suum planum fuerit permutatus 144. magna quædam in hominibus permutatio fiat: Et hæc quidem disciplina perseuerante fit in melius. Quando verò peruenerit ad solidum, velut summum finemque suum 1728. Res publica & ipsa ciuitas illuc vsque disciplina durante, summum suum finemque consequatur, deinde sensim in peius fatali lege labatur, disciplina quoque interim eodem fato paulatim degenerante. At verò si ante hos terminos per negligentiam nostram infelicitatemve disciplina defuerit, longè etiam prius forma publica non solum fato quodam, verumetiam imprudentia nostra labascit: Eiusmodi mutationis causam Aristoteles in quinto Politicorum ita breuiter enarrauit, nec omnino negauit Plato, mutationum causam esse, ait, quod nihil maneat, sed omnia in quodam circuitu permutentur, principium verò mutationum esse penes illa, quorum sesquiquitertia radix coniuncta quinario, duas exhibet harmonias, dicens, videlicet, quando numeri huius descriptio fiat solida. Quippè, cùm natura quandoque deteriores vel meliores disciplina producat. Hoc ipsum quidem fortè non malè dictum. Hæc Aristoteles, penes illa, scilicet, vel genera numerorum, vel composita rerum: Quorum tres, id est, in quibus proportiones illæ, quæ duodenatio continentur duas, quales diximus, harmonias constituunt ipsius diapason elementa, dicens, videlicet quando, id est, exordia mutationum fiunt, quando duodenarius multiplicatione

sua primo quidem ad æquilaterum suum planum, deinde ad solidum vsque peruenerit. Hæc & reliqua in superioribus sunt exposita.

De stirpe bona vel mala per obseruantiam numerorum atque figurarum.

CAPVT XIII.

PYthagorica, & Platonica sententia est, ex duobus bonis nasci prolem omnino bonam; ex duobus malis prorsus malam. Ex malo simul, & bono non omnino quidem malam, nunquam verò bonam. Item numeros impares esse in ordine boni, vocando sque masculos, & sponsos atque patres, præsertim propter robur, quod in nodo sui medio scilicet vno possident. Pares autem in genere mali, si cum imparibus comparentur, nuncupandasque fœminas & sponsas, atque matres, videlicet si cum imparibus conferantur. Nam etiam in vtroque genere sponsi quidam, vel sponsæ quodammodo nominari possunt, siquidem par præstantior ad deteriorem partem sponsus dici potest, atque deterior impar ad potiorem sponsa. Cum igitur ex imparibus vnitate duce æquilateri fiant, ex paribus autem duce binario nascuntur inæquilateri, nimirum illi quidem filij boni, hi verò mali censentur. Trigoni autem quoniam ex paribus simul imparibusque compositis oriuntur, proles quidem non pessimæ neque tamen bonæ putantur. Similiter ex æquilateris, vel per se vel inuicem multiplicatis tanquam sponsis iam bonis proles bonæ nascuntur, inæquilateris autem malæ: Ex solidis proculdubio bonæ, ex mixtura inæquilaterorum cum solidis nunquam bonæ. His vtique translationibus Pythagoras & Plato in propagatione hominum vti videntur, quod Iamblichus Boëtiusque significant. Optat Plato electissimos vtrinque in generatione parentes, qui instar vnitatis vim habeant prorsus vnitam, & more imparium indissolubiles sint, robusti, ordinati, fœcundi.

Æquilaterorum quoque conditione æqualem, & rectam complexionem habeant, vt generosissima inde progenies oriatur: Nam ex aliis qui opposita conditione se habeant, prauam oriri stirpem putant, ex mixtis autem pullulare non probant: Cum igitur magnum hic Plato numerum adduxisset, in quo impares sint, & pares, æquilateri, inæquilateri, oblongi, plani, solidi, laterales, diametrales, consonantiæ quoque potiores atque deteriores; si diapente ad diatessaron comparetur. Item harmoniæ potissimæ, si eum his diapason conferatur, merito subiunxit, vniuersum hunc numerum Geometricum, id est, proportionalem, magnam in se vim habere ad prolem bonam atq; non bonam: vltra verò translationes eiusmodi obseruare oportet numerorum similitudinem in temporibus mundi ætatibusque humanis. Nempe vt alibi significaui, quando in bis ad laudatum peruenitur numerum, vel ad oppositum, aut opportunitas est ad bonum aut occasio fit ad malum, & illinc quidem fœcunditas, & propagatio bona, hinc autem sterilitas, vel successio mala.

(∴) (∴) (∴)

Quomodo numeri hic à Platone assignati conueniant firmamento, & planetis, atque elementis.

CAPVT XIIII.

PLato in nono de Republica ternarium colit, quasi diuinum: Item quadratum ab eo factum, scilicet 9. rursus solidum ab ipso conceptum scilicet 27. Denique magnum illum numerum, & fatalem scilicet septingenta 29. quia primam radicem habet tria, secundam verò nouem, tertiam denique 27. fit enim partim quidem ex 9. per se ter aucto, partim etiam ex 27. bis per se aucto, qui in ternarium resoluuntur, & solidus est atque circularis, cœlestibusque conueniens, vt dicemus: sed in hoc octauo ampliora facta significaturus, numerum accipit ampliorem 1728. ex duodenario ter aucto procreatum, in quo quidem ipsum millenarium latenter inclusum fortè vult firmamentum ipsum in stellis quodammodo latens significare, mox verò ex magno illo numero multiplicato per duodenarium ter auctum, scilicet ex numero illo 1728. palam seligit in primis centenarium vnum. In decimo de Republica celebratum, quoniam ex denario, quasi vniuerso numero in seipsum ducto æquilaterus procreatur, ipsumque centenarium ducit similiter in seipsum, multiplicans videlicet centum centies, Vnde conficitur quadratus numerus æquilaterus decem millia; celebratus in Phædro. Sic enim ex amplo æquilatero, æquilaterus amplior procreatur. Quadratus vterque stellis propriè fixis, quæ sunt in firmamento respondet, vt non immeritò selectus principio fuerit. Restat igitur ex magno numero prius accepto 728. qui inæquilaterus est, nec solum propterea longus, sed insuper est oblongus. Nam septies centum extra controuersiam est oblongus, & quidem maxime, quippe cum latitudo quidem eius sit septem, longitudo verò centum. Si huic oblongo addideris viginti octo, nihilominus oblongus erit: Sed cum elegisset hunc oblongum, mox ex illo centum excerpsit geminum vnum quidem diametralem, alterum verò solidum, cuilibet enim licet excogitare numeros ordine centum diametrale, & æquilateros centum quoque alios ordine solidos: Sed interim in turbam innumerabilium numerus hic excrescit ratione, quam ab initio diximus, habita, Diametrales quidem ad innumerabilem proculdubio, solidi similiter si ex solidis crescentibus solidos deinceps efficias, sin autem in successione numerorum ex quolibet solidum suum facias, postquam perueneris ad solidum factum ex ipso centum mille millia reportabis: Siquidem planum ex ipso centum fuerat decem millia. Sed ad priora iam reuertamur: Numerus ille 700. planetis septem conuenit sequentibus firmamentum, sed 28. præcipuè congruit Lunæ sequenti Planetas: Firmamentum enim vix proportionem habet cum Luna vel vicissim: Ideò non tam obseruatur aspectus Lunæ ad stellas sublimes quàm ad Planetas: Aspectus autem Planetarum ad stellas altissimas diligentius obseruandus: Sic enim illi ad illas proportionem habent sicut ad illos Luna atque elementalium humor ad Lunam, & calor ad Solem. Præcipuè verò sublimium stellarum munera fortitus est Saturnus. Numeri quidem æquilateri & æquales per centies centum significati; præcipuè conueniunt firmamento pro-

pter motum eius æqualem, simplicem, simpliciter circularem: Inæquilateri verò, & inæquales Planetis & elementis propter inæqualem multiplicemque motum: Oblongi autem inter Planetas, Marti, Mercurio, Lunæ mutationum authoribus plurimarum atque maximarum inter elementa igni ob tandem causam potissimum, atque aquæ. Inæqualitatem in Planetis posui, si comparentur ad firmamentum, & in elementis si ad Planetas, alioquin æquales numeri sphætis magnis competunt Planetarum & soli, atque æther propter motus æqualitatem. Ioui quoque & Veneri, aërique medio obtemperantiam qualitatum. Designantur hic insuper in Planetis plani quidam numeri atque solidi, solidi quidem Planetæ dicuntur, qui plenitudinem sui generis habent atque in hoc ad aliud minimè referuntur, vt Sol & Saturnus, & Iupiter, Sol igitur summam vitæ fertilitatem simpliciter habet, Saturnus autem tenet eandem, sed in vita quadam incorporea separata diuina, eandem quoque Iupiter, sed in vita, & actione corporea potius & humana. De vtraque fertilitate Plato loquitur in præsentia, corporum scilicet atque animorum. Iam verò in Cratylo Iouem appellat humanæ vitæ fontem, Saturnum verò intelligentiam puram atque plenam, quem in legibus etiam verum Dominum iudicat eorum qui mentem habent. Quatuor verò sunt inter Planetas quasi plani, quatenus referuntur ad solidos. Mars quidem atque Luna Solis soliditati ministrant, Lunæ lumini, Mars calori, Mercurius ingeniosum Saturni munus mouet, vel sequitur vel exequitur: Venus cum Ioue in officio conuenit. Sunt etiam inter Planetas planos aliqui laterales diametralesve nominati. Diameter proportionem cum latere consummatam quidem non habet, sed lateris duplicat potestatem. Sic vtique Luna quidem se habet ad Venerem: Nam Venus partum inchoat atque stimulat, Lucina verò fert opem. Mars similiter ad Mercurium, nempe motum eius acuit & accendit. Eiusmodi verò translationibus indulgere Platonicis non est nouum, imo & necessarium esse Timæus, Phædrusque dicent. Eiusmodi autem influxus in iudiciis, & electionibus obseruandos Plato monet, & nos in tertio de vita docuimus.

Obseruantia certorum numerorum, in numero magno.

CAPVT XV.

Conditione dignum est cur Plato ex illorum numero magno 1728. ter eligat centum, primo quidem centenarium æquilateri productorem, quatenus videlicet in se ducitur: Secundo post numerum inæquilaterum & oblongum scilicet 728. acceperit centum diametrale & primo paritet & secundo planum. Tertio verò solidum nomine cubum. Cur etiam significet mille atque decem millia: & quare in fatali numero describendo terminos tres voluerit: Primū quidem mille: secundum verò septingenta, tertium viginti octo, profectò tertius voluit parens significare, principia rerum ac fines, & Medici destinantes: Gaudet quidem ternario fortè tanquam primo, certè velut omnium sacratissimo: Gaudet insuper centenario quasi fœtu vniuersi numeri, id est, denarij. Decies enim decem facit centum. Introducit etiam hunc numerum, scilicet centum, in decimo de Republica quasi queudam vitæ finem & iudicij terminum: Delectatus quinetiam millenario præsertim in Phædro tanquam denarij corpore, decies mille solidum suum efficit. Delectatur rursus palam in Phædro, & hic clam decem millibus, quoniam & ex decem atque mille resultat, sed inæqualem dignitatem, interim vtrinque reportans. Item fit ex centum in se ducto, velut equale, gaudet hic clam ipso numero millies mille, tanquam corpore centenatij, qui & centesimus cubus existit, ex ordine numerorum, & Trinitatis cubus dici potest. Postquam enim decem vt lineam accepisti, deinde centum vt superficiem ex eo factam, postremo mille ceu corpus inde productā, statim ex his tribus terminis medium scilicet centum excipere potes, tanquam lineam quam producas in superficiem decem millia, postremo in solidum mille millia. Sic enim Plato in prima centenarij denominatione ad superficiem vsque peruenerat, vbi dixit, cēties centū: In tertia verò vbi dixit centum cuborū peruenit ad solidū ex illa superficie factū: In secūda verò nominatione scilic. diametralium per innumerabilia plana vagatus: Miscet autem æqualia inæqualibus, cum quia ipsarum qualitatum concordia discors omnia mouet, & generat, tum etiam quia non solum geniturum hic rerum inuestigat, sed & interitum, fertilitatem pariter sterilitatemque indagat, miscet & plana solidis, quoniam solida resoluuntur in plana, atque hæc referuntur ad solida, & quoniam, vt supra dicebam, hæc omnia sua quadam proprietate in cœlestibus, elementisque reperire licet, quorum viribus motibusque singula infra Lunam cōposita ad melius deteriusve feruntur: Nec sine mysterio fatale rerum significans incrementum ex numero 12. crescentium primo produxit: Optansque principium exitumque perfectum à numero perfectorum primo deduxit exordium, scilicet ex geminato senario, peruenit insuper ad perfectum postremo secundum 28. fatalis huius numeri terminum: denique vltra magnum illum numerum multiplicatum ex duodenario ducto in seipsum atque reducto, scilicet 1728. Plato numerum hinc innumerabilem clam multiplicat, scilicet per centum centies. Item per numeros centum laterales diametralesque deinceps dispositos atque crescentes, quadratos videlicet, ex quadratis, rursus per centum cubos, id est solidos, ex cubis crescentibus semper in amplum, vtamplissimo numero quasi sæculo sæculorum. Non res publicæ solæ, sed etiam omnia sæcula mensurentur: fitque terminus, quem composita præterire non possint, sed interea per certas tanti numeri partes singula suis quæque mensuris clausa distinguantur.

De habitu corporis, ætate, tempore ad generandum accommodatis.

CAPVT XVI.

Quod autem Plato iubet felicis geniture gratia, ex vtrisque bonis coniugia facienda, sic accipiendum moneo, vt bona quidem vtriusque parentis sit ingenia, sed non in eadem conditione boni nec æqualia prorsus atque simillima. Sed ita inuicem bona quatenus ad bonam stirpem necessarium iudicatur. Id autem est, quemadmodum in Politico legibusque disputatur, vt actiora ingenia mitioribus copulentur, vehementiora

missionibus temperentur, ne alioquin ferocissima, vel ignauissima progenies oriatur: sed pro viribus æqualissima. Vtraque verò ingenia in suo genere esse debent pro viribus clectissima, talia in Zodiaco signa tanquam masculina fœminis signis deinceps coniugata videntur: Tale Lunæ cum Sole coniugium est, Venerisque cum Marte: Tale sub cœlo humoris quidem sublimis cum calore quodam æthereo, inferioris autem humoris cum frigore consortium esse videtur. Talis in composito corpore resultat concordia discors: tale apud Musicos grauium vbique vocum, cum acutis temperies obseruatur. Quæ quidem & si sunt impares, vterque tamen accipiendæ sunt canore. Sic etiam ex proportionibus dissimilibus, scilicet diatesseron, atque diapente, diapason, omnium æqualissima procreatur. Sic insuper velut in quadratis numeris æqualis quidem habitus ex imparibus, inæquales autem ex paribus generantur, Tempus autem publicis connubiis opportunum exigit æqualitatem in aëre, & in ipso cuiusque habitu corporis & affectus, ætateque, & in cunctis soliditatem: Item potestatem Solis, qui solidus est, & Veneris, quæ æqualis, & Iouis qui valet vtroque, Lunæ quoque competentem, ad hæc aspectum; Obseruanda verò hæc magistratibus Plato mandat in Republica sua, vbi publicè singula dispensantur, sponsæque multæ, cum sponsis simul in sacris publicis copulantur. Sed in sexto Legum non modo vehementiores affectiones cum mitioribus coniugio temperat, & vtrasque in ipsa congressionis hora sobrias atque constantes conceptus Inde, vt eius verbis vtar, æqualis, stabilisque & solidus generetur, quæ verba Mathematica sunt, verumetiam potentiores in Republica cum minus potentibus, & diuites cum egenis connubio copulat, vt tota ciuitas ex imparibus fiat æqualis, atque, vt vtar eius exemplo, ex validiore quodam mero, simul & aqua, potus quidam temperatus euadat. Eligit autem virum ad matrimonium ineundum ab annis 25. ad 35. obseruans videlicet æquilaterum scilicet 25. ex quinario in se ducto creatum, & circularem à quinario videlicet in quinarium definentem. Item mox sperans, & approbans 27. solidum ex ternario procreatum, denique vbi inducit 35. longum, palam intelligit, & oblongum subintelligit autem 36. ad quem velut terminum superior 25. peruenire videtur, tanquam ad æquilaterum ex senario in se ducto productum atque etiam circularem: nam incipiens à senario desinit in senarium. Talia quidem in commentariis obseruanda sunt, & si videntur læuia, vbi semel Mathematicus esse cœperis.

Proinde in quinto de Republica tempus totum procreandis liberis indulgendum, in viro quidem metitur ab annis triginta ad annos quinquaginta quinque, in mulieribus autem à viginti ad quadraginta, existimans in hoc præcipuè tempore homines ad hoc officium tam animo, quàm corpore vegetos, validosque existere. Sed cur nam in legibus in viro incipit ab anno vigesimoquinto, in Republica verò à trigesimo? Quoniam in Republica perfectissimum vbique desideratur. In anno verò trigesimo perfectior est, & pacatior animus. Tribuit autem in Republica viro spacium generandi annos viginti quinque, quoniam hic numerus æquilaterus est atque circularis. Mulieris autem ætas ab æquilatero incipit, similiter, & concipiendi spatium per inæquilaterum scilicet 20. producitur. Fœmina enim, & deterior ipsa est, & in officio generandi censetur inferior. Melioribus verò figuris & signis apud Platonem meliora ritè significantur.

De numero perfecto, & generatione diuina, & obseruatione cœlestium.


CAPVT XVII.

HActenus de genitura quæ nominatur humana, nunc verò de diuina generatione nonnihil est dicendum, huius circuitum numerus, (vt inquit Plato,) perfectus continet, perfectus, inquam, vel soli Deo notus, vt ab initio diximus, vel fortè senarius, atque similes, qui partibus suis constant. Sed 6. primus est perfectus rationibus quas in superioribus assignauimus: accedunt hæc insuper ad senarii laudes, quod in seductus circulum facit planum, scilicet triginta sex in se reductus, circulum agit solidum, scilicet 216. dicuntur verò circulares, quoniam incipientes à senario desinunt in senarium: Continent insuper infra se circulos quoque geminos, alterum quidem ex quinario, sed ex quaternario alterum, nam quinquies quinque 25. Item quinquies quinque quinquies 125. item quater quatuor quater 64. sed circulus qui producendus est ex 4. interceptus est in plano, nam quater quatuor non desinit in eundem. Circulus igitur ex ipso 6. propter perfectionem refert firmamenti circuitum, qui autem ex 5. periodum Planetarum: Est enim hæc super elementa quinta quædam regio. Sed qui ex 4. reuolutionem, vel commutationem quatuor elementorum quodammodo interruptam. Scis vt arbitror, Platonicum ordinem Planetarum, Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius, Venus, Sol, Luna, peruenieris igitur in Senarium plurimum in bonum viuificumque perueneris: Si à firmamento incœperis in Venerem, si à Saturno in Solem, si à Luna in Iouem, si ab ipso conceptionis exordio exorsus fueris à Saturno, sexto mense perduceris ad Solem. Si à natiuitate annos numerès incipiens à Luna, anno sexto consequeris Iouem. Similiterque deinceps, vt non absque mysterio Moses senario dierum numero mundum velit fuisse perfectum. Memento præterea perfectum numerum infra 10. quidem sex existere; infra centum verò 28. Sed infra mille, 496. at verò intra decem millia vnumquoque perfectum existere 8128. vbi vicissitudo mirabilis obseruanda, per quam perfecti numeri à senario incipientes, & mox infra centum peruenientes ad 8. iterum intra mille ad Senarium reuertuntur, rursusq; intra decem millia ad 8. remeant; similiterque deinceps, sed de hoc satis. Quæ verò nunc de senario dicam, de cæteris subinde perfectis dictum existimato: Peruenitur autem ad senarium, vel per partes suas, vel per totum, Partes eius sunt, id est. 1. 2. 1. per vnum acceditur, quando dicimus semel sex, vel sexies vnum, per duo quando bis sex: Per tria verò quando ter 6. per totum autem quando computamus sexies sex, vel sexies 6. sexies: Omnes igitur eiusmodi numeri fermè perinde atque senarius ipse obseruandi videntur, vbi dicitur à Platone, perfectus numerus ipsum diuinæ geniture circuitum continet: similiter quoque 28. atque circa 496. item circa 8128. atque cæteros simili ratione perfectos, qui profectò rarissimi sunt: sicut enim vnicus infra decem

sic vnicus deinceps infra centum: Vnus infra mille, deinde vnicus intra quodlibet decem millia, tam rara progenies diuina prodit, sed ad senarium reuertamur. Quonam pacto vel ipsum 6. vel huiusmodi multiplicariones eius obseruare debemus? vt breuiter respondeam, in annis sæculi, vel in sæculis annorum, in ætate hominis, atque hinc in opportunitate connubij, conceptionisque, in educationis, & eruditionis exordio, in captandis operum auspiciis, atque similibus. Difficile quidem est hæc circa senarium explorare, impossibile verò circa perfectos alios senario ampliores, præsertim ~~vltra 28.~~ perfectione secundum. Allegoricè verò senarius, & quisque perfectus ad diuinum genus pertinere videtur, cui sicut senario similique, per sua membra digesto, neque deest, neque superest, nec deficit, nec excedir quicquam, nec effluit, nec influit aliquid, nec alienis indiget adminiculis, sed æquale temperatumque est, & suis partibus, viribusque nititur atque consistit. Hinc igitur occasionem nactus parumper cum Astrologis confabulari licet. Perfectus numerus constantiam, æqualitatem temperantiam, significare videtur, ideoq; complexionem quandam hominis temperatam, sibique sufficientem, atque firmam, quæ quidem sicut ille numerus carissima est: Item Iouem inter cœlestia maximè talem. Rursus totam cœlestium harmoniam, quando nobiscum ita consonat, hęc igitur ad connubij, conceptionisque opportunitatem sunt optanda: Omnino verò Iupiter per senarium designatur tum propter ea, quæ modo diximus, tum etiam quia nobis est inter cœlestia sextus. Neque prætermittendæ sunt Iouis cum Saturno coniunctiones illæ in quibus feliciter affectus Iupiter, Saturnum alioquin nobis dissonum, quadam familiaritate conciliat. Tradunt verò fœderis illius influxum annos viginti vigere, donec iterũm alibi coniugantur, fortè & anno de hinc primo Saturnus agit, secundo Iupiter, tertio Saturnus, iterum quarto Iupiter, vicissimque deinceps. Eligenda igitur est ad opportunitates nostras illa coniunctio; necnon annus ille in quo Iupiter operatur, præsertim sextus annus, & duodecimus, decimusque octauus: Nam hi duo cum sexto conueniunt.

Optandus est interea sextilis aspectus Iouis ad Saturnum, aut trinus ex gemino sextili compositus. Hæc enim singula senarij, perfectique numeri affectionem habent, vel repræsenrant, prærerea Luna qualiratem suam cum Solis qualirate rectè commiscens, senariam Iouis temperanriam, & qualiratem agit, atque infirmitatem, primo si in centro Solis sit. Quod quidem est breuissimum, secundo si in aspectu ad Solem sextili vel trino, sic enim maximè Iouiam conficit qualitatem, senatio similem. Et quia duodenarius primus est crescentium, memento lunam lumine crescentem religendam esse ad prolem felicius propagandam, Fortè etiam Luna cum Sole eam in dies agendi vicissitudinem agit, quam Iupiter cum Saturno per annos: Itaque Luna à coitu Solis secundum obtinet diem, primas enim inde Sol tenet, atque ita deinceps, donec rursus congrediantur. Luna igitur sequenti quoque die Solem nobis temperans eligenda viderur. Obseruandus quoque Iupiter ascendens: Aliterue potens, aut Venus quasi minor Iupiter. Item dies vel hora Iouis, aut Veneris. Hæc inuestiganda sunt omnia, & pro viribus comparanda, vt temperantiam, firmamque prosperiratem adepti, spiritibus & corporibus inde vim contemplationis aptam à Saturno intelligentiæ fauere per Mercurium ad hoc Saturni ministrum adipiscamur, vt quandoque sæcula nobis Saturnia reuertantur, atque, vt Plato hic vehementer optat, ingenia ex ferreis in argentea, & aurea transformentur. Plato denique quasi vaticinatus videatur, in his sæculis, & temporibus, quæ ad numerum perfectum veniunt, vel referunt, diuinos quosdam homines exoriri in quos fines sæculorum peruenerunt. Huc tendit forsitan illud: Vltima Cumei iam venit carminis ætas. Magnus ab integro seclorum nascirur ordo, Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Sed hæc illo quidem dispensatore proueniunt, qui omnia numero, & pondere, mensuraque disponit: Nos autem vnà cum Platone Musisque in re seria, inextricabilique ludentibus satis confabulati sumus.

FINIS



MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS, PAVLO ORLANDINO in Angelorum æde Monacho, compholosopho suo, SALVTEM.

POstquam heri multa mecum de Diuinis, vt soles, subtiliter disputasti: quæsisti denique cùm ego in Philæbo, tanquam ex Platonis sententia intellectum voluntati prefecerim, cur in Epistola de Felicitate, præferam voluntatem? Equidem respondere possem, in Philebo quidem sententiam ferri Platonicam, in Epistola verò meam, sed nolim Marsilianam sententiam à Platonica dissentire. Itaque respondebo summatim, duplicem esse mentis nostræ processum: Alterum quidem naturalem, alterum verò supra naturam, quem propriè nominamus excessum. In illo quidem prorsus intellectus lûce quadam naturaliter insita voluntatem ducit, quasi comitem, ac denique rectè ductam implet, ideoque præfertur. In hoc autem excessu noua lux, virtusque infusa diuinitus, non prius intellectum diuino splendore complet, quàm amore mirifico accenderit voluntatem: quę quidem ex accensa, per ipsam translatoriam caloris, amorisque efficaciam mentem traducit in Deum. Vbi amor ipse cuius est in vniuerso generationis officium, regenerat animum, efficitque diuinum. Naturalem quidem mentis incessum vnà cum Platone tractauimus in Philæbo: Excessum vero naturali motu superiorem attingimus in Epistola, atque vnà cum Platone in Phædro Symposioque tetigimus, & qua ratione diuinus amor, qui in voluntate accenditur, intellectum in vnitatem summam transferat, qua pręcipuè Deo fruimur, in Commentariis in Dionysium declarauimus. Sed hęc pro Epistolæ modo satis: Tu verò in Theologicis commemorationibus tuis perge feliciter, & venerabili patri nostro, imò & nostro Guidoni Laurentio Angelicæ ædis instauratori nos sępè commenda: Florentiæ xiij. Nouembr. M. CCCC. XCVJ.

IN DIALOGVM NONVM de Iusto, Epitome.

SOcrates quamplurima de regia optimatum vita tractauit, multa etiam de contraria eius tyrannide disputat, vt & illam tanquam beatissimam comprobemus, & reprobemus quasi miserrimam. Quod non solùm agitur in octauo, sed nono insuper agitur de tyrannide, qua scilicet, ratione potissimum fiat ex populari, qualis quoque sit, quàm noxia, quàm infelix: quo videlicet, primam quæ in animo fit tyrannidem, totis viribus deuitemus, vicissimque regnum animo intimum complectamur. Per hæc statim ad primum redibit disputationis vniuersæ propositum. Quo vtique statuit demonstrare iustitiam, non opinione duntaxat, humana esse laudabilem, sed etiam ipsa sui natura & honesta mirum in modnm & salutari esse ante omnia venerandam. Iniustitiam quoque non ob metum, vel legum, vel infimæ solùm vituperanda esse, sed etiam propter ipsum maleficæ naturæ suæ venenum procul effugiendam. Iustitiam verò, cùm nominat, aliàs legalem communemque designat iustitiam, virtutem, scilicet, vniuersam, sub legum prouidentia institutam, aliàs iustitiam magis propriam siue distributam, per quam & in ciuitate pro meritis honores, præmia, pœnæ distribuuntur, & in anima partibus animæ pro dignitate naturæ actiones & munera tribuuntur: siue commutatiuam, per quam & in ciuitate æquo & legitimo pretio, res, vel rebus, vel pecuniis commutantur, & in animo ita quasi similiter commutantur officia, vt quantum ratio inferioribus consuluit, tantumdem vires inferiores pro rationis imperio necessaria subministrent. Inter hæc nota tyrannicum animum ita perturbatum esse, vt propriè iudicetur libidine perditus, & temulentus, & furiosus, atque immanis. Quippè, cùm quasi fera immanibus iis libidinibus rapiatur, quarum feritatem cæteri solùm somniantes interdum experiuntur. Quæ verò hic ad falsitatem & veritatem, & vaticinium somniorum pertinent, in Theologia abundè tractamus.

Considera quàm diligenter mala connumerat omnia, quibus ciuitas oppressa

yrannide præmitur, quamue aptè totidem mala, ac etiam plura in tyranni animo numerat, adeòvt nihil miserabilius possit effingi. Mox disputationem totam huc tendentem, vt sapiens iustaque vita, vitæ contrariæ præferatur, in tria redigit capita. Primum esse vult, quod hactenus est tractatum, ex comparatione, videlicet, insipientis iniustique hominis ad ciuitatem quandam, nulla sapientia & iustitia gubernatam. Vbi profectò apparet & ciuitatem, & hominem æqua ratione pessimè & infelicissimè se habere. Secundum verò caput nunc aggreditur, distinctionem illam partium animæ repetens in ratiocinandi, & irascendi, & concupiscendi naturas: quibus tres quoque vitas accommodat, Philosophicam, ambitiosamque, & cupidam. Cupidam, inquam, pecuniarum gratia voluptatum, ideoque auara etiam nominatur. Tres similiter disponit partes in ciuitate, magistratus, milites, quæstuarios. Probat deinde vitam virtute præditam magis eligendam esse, quàm vitiosam: præterea, quod sit reuera suauior. Nempè, cùm trium illorum quilibet vitæ suæ voluptatem cæteris præferat, solus id Philosophus potest rectè diiudicare. Opus enim est ad iudicium experientia, prudentia, ratione. Principio quantum ad experientiam pertinet, Philosophus quidem & sui propriam, & aliorum voluptates est expertus: quo fit vt facilè quæ sit præferenda, cognoscere possit. Cæteri verò philosophantis gaudia nunquam degustauere: ideoque voluptates suas cum philosophantis gaudio comparare non possunt. Præterea solus Philosophus perfecta pollet prudentia, & assignandarum industria rationum, quæ quidem duo reliqua sunt ad iudicium necessaria. Cùm ergo Philosophus sapientis, iustæque vitæ gaudia, ambitiosæ libidinosæque vitæ anteponat oblectamentis, iure ex ipsius iudicis veri sententia, vitam virtute rectam vitæ vitio dissolutæ anteferre debemus. Tertium denique caput inde potissimum exorditur, quod in solo sapiente iustoque viro voluptas vera reperiri potest. In cæteris autem voluptatem falsam & vmbratilem esse constat. Quod quidem ita probatur, voluptates vt plurimum vehementes repletionis quædam sunt indigentiæ. Atque vbi & quod impletur, & quod implet verius perfectiusque est, impletionis modus purior atque efficacior: vbi verior est voluptas, & perfectior, & ingentior. Cùm igitur intellectus veritasque intelligenda veriorem perfectioremq; naturam habeant, quàm sensus atque sensibile, ac veritas interius penetret intellectum, quàm sensibile sensum, & sine mixtione doloris accedat, sequitur voluptatem intelligentiæ, veriorem esse atque perfectiorem. Inter hæc casu quodam nescio quid interserit Mathematici, cuius declarationem ex Commentariis in Timæum accipies opportunius. Attende deinceps ad illam animæ naturæ figuram. In qua sub multiplicis, bestiæ nomine intellige concupiscendi naturam: sub figura leonis, irascendi vigorem: sub forma hominis rationem. Et vide quàm expressè depingat ambitiosi, iniusti, libidinosi hominis vitam, imò miseram seruitutem. Item ibidem accipe formulam, qua possit transitum animarum in bestias interpretari, vt in bestiarum affectus & habitus, potius quàm in corpora migrare dicantur. Præterea memento, quemadmodum in corpore perspicacia sensus, sanitas, robur, pulchritudo, non opinione, sed natura sunt bona, eorumque contraria mala similiter: sic in anima prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam naturaliter esse bona, naturaliter quoque horum contraria mala. Denique accipe totius vitæ formam, per quam ita corporea cuncta disponas, vt animi temperantiæ cõsonent. Atque eatenus eligas singula, quatenus conferant ad animi sanitatem: & contra quæ hanc impediunt, procul effugias, habites semper mentis arcem, atque ab ea nullis aut illecebris, aut minis te præcipitari permittas. Cùm verò & teipsum, & alios ita formare volueris, suscipe perspicuum Reipublicæ huius exemplar in cœlo: in cœlo, inquam, id est, ordine cœlestium motionum, atque altius in mente diuina: vt inde tandem ad ipsius imaginem, teipsum primò, deinde familiam, tertiò ciuitatem iustè feliciterque componas.

In decimum Dialogum de Iusto, Epitome.

HActenus Socr. diligẽtissimus humani generis Pædagogus ad legalẽ iustitiã id est, vniuersã virtutẽ per ipsã iustitiæ pulchritudinẽ genus hominum prouocauit, ab iniustitia verò per iustitiæ turpitudinẽ similiter reuocauit. Deinceps autem & ad illam per sempiternum eius fructum præmiumque cohortabitur, & ab hac per sempiternum detrimentum eius & supplicium absterrebit, atque id est potissimum decimi huius officium. Sed antequam præcipuo hoc fungatur officio, Procemio quodã vtitur, in quo diligẽter absoluit quod & in prioribus Dialogis attigerat, & in fine non reliquerat, admodũ saluti publicę necessariũ.

Profecto noster hic morborum medicus humanorum in ea morbi specie curanda est diligentior, quam cæteri non solum negligenter curant, sed ne curant quidem vnquam, imò verò quod deterius est, quasi rem saluberrimam diligunt, & omni studio complectuntur: imitationem inquam poëticam, qua ingeniosi poëtæ dum perturbatos animos acrius exprimunt, interim audientium legentiumque animis perturbationes similes vehementius & profundius imprimunt. Ac tanto magis omnes inficiunt, quanto laudantur & placent. Procemium verò eiusmodi finem noni congrue sequitur: ibi enim anima in rationem distribuitur, & in partes inferiores perturbationibus agitatas, quarum imperium in anima primum, deinde in ciuitate tyrannicum appellatur. At quoniam poëtica imitatio partes eiusmodi suscitat: fouetque & auget, irritans iram, titillans libidinem, soluens risum, effundens lacrymas & querelas, idcirco rationis quidem regnum labefactare, perturbationis verò tyrannidem videtur adducere. Quamobrem Socrates pestem eiusmodi alioquin iucundam, sed maxime venenosam perdit, ne ipsa nos perdat. Ac vide quanta charitate Plato noster vbique humano generi consulat, ea videlicet disquirens circumspiciensque pericula, quæ alius omnino nullus suspicaretur: adde insuper & naturæ educationique propriæ, id est poëticæ valde repugnans, modo strenue pro publica salute propugnet. Quamobrem nemini mirum videri debet Platonem hic ob veritatis amorem vel Homero suo non parcere, quandoquidem ob iustitiæ cultum, neque ingenio quidem indulget suo. Homero autem præcipue derogat, vt per ipsum imitatorum principem, cæteros multomagis damnatos existimemus. Et quoniã dicit ab Homero neque diuina, neque humana doceri, intellige laudes in Philebo à Platone tributas Homero, non ex Platonis sententia, sed ex communi opinione deductas. Probat autem imitandi peritiam esse, vt narrauimus, valde periculosam, præterea seruilem atque vilissimam. Siquidem imitatores, neque res ipsas intelligunt, neque faciunt, sed apparentes sensibus rerum formas sequuti, vulgaresque de his opiniones aucupati, & imagines quasdam referunt, & sensibus perturbationibusque obsequuntur, nulla rationis habita ratione. Quantũ verò poëtas improbat vbi perturbant, tantum probat si ad virtutem & pietatem per honestas heroum laudes diuinosque hymnus hortentur. Verum vt quàm vilis sit omnis imitatio exprimat, artiũ genus in tres diuidit species vtentem, fabricantem, imitantem. Et vtentem quidem lyra, id est Musicam, ait superare artem lyræ fabricatricem, quoniam certo sibi præscripto fine, formam illi proponit operis fabricandi. Fabricantem verò superare pictorem, lyrã coloribus imitantem. Qualem iudicat & poëtam, sic ad aures rerum imagines, sicut pictor ad oculos, referentem. Sed inter hæc Theologica quædam de ideis mysteria inseruntur, quæ quoniam in Theologia latius aperuimus, raptim in præsentia perstringemus. Ascende age Platonice cõtemplator ab iis formis quas in mundi materia sentis, ad naturam formarum eiusmodi genitricem. Quam & si non sentis, cogita tamen infusam mundi materiæ ceu vitalem spiritum & plenum seminum, & per semina artificiose singula disponentẽ. Naturam hanc in mundo talem esse scito, qualem in te scis esse potentiam vegetalem. Ergo quemadmodum in te vegetali naturæ intelligis præesse sentiendi virtutẽ: ita & in mundo naturam similem sed communissimam, in fontem redige sentiendi quasi similem, sed communissimam. Deinde & in te sensum in rationẽ, rationem in intellectum, & in mundo similiter sentiendi genus in rationalem naturam, atque hanc in genus intellectuale reducas. Præterea cum percipias in te ipso intellectum id quod intelligibile est appetere quasi perfectius, ab eoque formari velut potentiore, præpone tàm in mundo quàm in te naturam intelligibilem intellectuali naturæ. Intelligibile verò idem omnino atque ipsum ens appella. Huic denique quod & intelligibile & ens appellasti, ipsum præpone bonum. Nam & vt bene sis esse cupis, & intelligibile gratia ipsius boni desideras. Postquam huc ascenderis, percipies vniuersum sacro quodam septenario designatum, ab infimaque materia surgens per sensibiles qualitates, per naturam, per sensum, rationem, intellectum, intelligibile, ad ipsum bonum. Præterea spiritum bonum cuncta sub senario numero quasi die sexto perfecisse, & in gradu septimo, velut septimo die, id est in seipso conquieuisse Aliorũ nãq; omnium finis est ipsum bonum. Boni igitur nullus extra se finis, vel potest esse, vel fingi. Si bonum quo perficiantur appetunt omnia, conclude à bono effici omnia. Item si intrinseca propriaque virtute omnia facit, intellige ipsũ vniuersum in seipso cõplecti. At quoniam prima ideoq; simplicissima natura est, iccirco formas in eo omniũ, formã ipsius vnã esse meměto, quã Plato boni ipsius vocat ideam, in qua dixit Timæus deum mundi opificem cũ creauiſ-

ſet mundũ requieuiſſe, dicens mũdi opificẽ in circũſpectum ſuum ſe recepiſſe. Proinde ipſa idea boni, ideas, id eſt, ſpeciales omnium formas, ſpecie duntaxat inter ſe diſtinctas, in natura intelligibili generat, qua ensvniuerſũ modo quodã intelligibili cõprehenditur, intelligẽtiam quoque omnis mira quadã ſuper intelligẽtiam ratione. In hanc naturã intelligibilẽ omnes ſuſpiciunt intellectus, ab eaque ſuſcipiunt ſtabiles formulas idearum Suſcipiunt & rationes animæ, vnde & formulas licet quodammodo mobiles acceperunt. Poſt has rationalium formulas animarum, virtutem quoque ſenſualem, idearum deſcendunt imagines. Deinceps in vegetalem quoque naturam ſemina, perque qualitates denique in materiam. Quando igitur Plato inquit, Deum ideas facere in natura, intellige in natura mundoque intelligibili Angelicarum capite mentium. Quod autem lectum dixit & menſam, exempli gratia dictum ſit, vt per hæc artificia intelligas naturalia, id eſt per lectum & menſam, cum qui his vtitur hominem. Præterea exemplum in arte propoſitæ quæſtioni accommodatius videbatur. Forte verò & formas regulis artium neceſſarias ab ideis abeſſe non putat. Neque mirum videri debet hominem artium formas habere diuinitus, quum imaginationes artium beſtiis quoque non deſint. Ac ſi eiuſmodi formæ diuinitus in anima fiant, idcirco dicentur fieri in natura; quia naturaliter inferantur. Quod ſi quis ad artificia quædam videatur ineptior, dicent eum Platonici vel per varia diſtractum fuiſſe, vel ſe totum ad oppoſita conuertiſſe. Nota Platonis verba dicentis, Deum non intelligere ſolum ſed & velle, ſignificantiſque Deum intra ſe intelligendo concipere, & extra ſe fabricare volendo. Nota turſus Deum naturalis vnius ſpeciei vnam tantum ſpecie expreſſiſſe ideam in ipſo intelligibili mundo, puta ſpeciei humanæ idealem humanitatem vnã: ſi enim in materia vlli innumerabilis mobiliſque varietas eſt, in ſingulis hominibus vnio quædam communis naturæ ſeruatur, multo magis in ſimplici ſtabilique natura, pro vna ſpecie naturali idea vnica ſufficit. Imò verò diuerſa hæc & inſtabilia vnam in ſe naturæ communionem non aliunde haberẽ poſſunt, quam ab ipſius ſublimis vnitate naturæ, Rurſus ſi ponantur humanitates duæ, certe qua ratione vtraque humanitas eſt, inter ſe differunt, imò ſunt vnum. Ergo ſi differant, profectò per additamenta quædam vtriſque ſubiuncta, inuicem diſcrepabunt. Itaque neutra erit abſoluta humanitas ipſa, ſed humanitas quædam atque talis, & humanum quiddam potius quàm humanitas. Et vtrunque tanquam eiuſdem humanitatis particeps, humanum ſimiliter appellabitur: atque præter hæc erit humanitas in ſeipſa prius vna quàm à ſubiectis pluribus capiatur. Merito Deus cum ſit ſimpliciter cauſa, non eſt dicendus autor quidam hominis, vel equi cuiuſdam, ſed autor hominis atque equi. Ideo vnam abſolutamque pro qualibet rerum ſpecie procreauit ideam. At quando apud nos hic homo generat illum, haudquaquam homo hic hominis ſimpliciter dicendus eſt author, ſed quidam hominis cuiuſdam autor. Neque enim ſolus homo cauſa eſt, ſed eſt in cauſa, in numero videlicet cauſarum, neque totum facit: non enim materiam primam, aut animam, neque ipſi homini dat principium: ante hunc enim paſſim erat homo, & ſine huius opera fit vbique fietque homo Vbi verò Plato dicit Deum ideam vnam prægenuiſſe, quia videlicet, vel nolebat plures fore vel aliqua neceſſitas inerat non fore plures, intellige in Deo ita neceſſitatem cum voluntate conuerti, ideo vt neceſſarium ſit ita eſſe, quia Deus vult ita eſſe. Siquidem in ſumma diuinitatis ſimplicitate non aliud eſt neceſſitas quàm voluntas. Ergo ſi dixeris, neceſſe eſt Deum ita velle vel facere, conuertam ſimiliter, vult Deus ita neceſſarium eſſe. Merito vbi ſumma bonitas cum ſumma poteſtate concurrit, ibidem ſumma libertas cum ſumma neceſſitate conſpirat. Conſideranda ſunt inter hæc diuulſa quædam, valde tamen vtilia: Quale illud. Lectio vel doctrina niſi ad optimam rationem vitæ conducat, eſt inutilis. Qua quidem in re admiranda fuit vita & diſciplina Pythagoræ, ac iure maximæ apud omnes autoritatis, Platonis etiam tempore. Item poemata, ſi harmonica verborum compoſitio adimatur, momenti nullius euadunt. Præterea virtus, aut hominis, aut rei, in facultate quadã conſiſtit ad finem illum præcipue conferente, cuius gratia & res ipſa facta eſt, & homo natus. Apparet interea quædã inter ſenſum rationẽq; diſtinctio, quod ſenſus plerumq; circa magnitudinẽ & figurã numerũque falluntur & pondus, interim tamen ratio per ipſam metiendi & numerandi librandique facultatem iudiciũ ſẽſus emendat. Conſtat autem animam non poſſe eodẽ in tẽpore per eandem ſui potẽtiam eadem de re modo cõtrario iudicare. Apparet etiam vires appetendi nobis ineſſe diuerſas, Quippe cũ rem eandem ſimul appetamus atque reſpuamus. Aduerte nõ eſſe exigendum à probo ciue, vt omnino nihil doleat, ſed vt naſcentem dolorẽ eiuſmodi

rationibus consolatur. Vbi apparet aliam esse animi partem quæ velut ægra indiget Medicina, aliam quæ tanquam sana medetur. Hæ verò rationes aduersus dolorem sunt præcipue quatuor. Prima, quia incertum est, bonum ne id sit quod accidit, aut malum. Secunda, quod qualecunque sit, certe paruipendendum est. Nihil enim inter somnia humana magnipendendum. Tertia, quod nihil omnino dolendo proficiamus. Quarta, quia dolor id semper, quod subito nobis præsidio esse potest, impediat. Confirmat hæc, ex eo quod & superari turpissimum est, superare pulcherrimum. Qui verò dolore vel alia quauis perturbatione premitur, iam est turpissime superatus. Ideo præcipit vt id aduersis atque perturbantibus maxime Medici duntaxat vtamur officio, qui dolentibus non condolet, sed medetur. Comparat talorum iactibus quotidianas vitæ sortes, quas ita vult rationibus emendari, quemadmodum iactus talorum artificio quodam ludi emendari videntur. Sed superiora præcepta ad ea quæ sequuntur, quasi quædam preludia sint. Maximum quidem omnium id nobis in vita propositum vt certamen, quo superemus vitium, virtutemque consequamur, cunctaque omnino quæ inter homines habentur bona vt ipsi boni simus, pro nihilo habeamus. Siquidem proprium iustitiæ præmium maius est quam cuncta quæ inter homines possunt præmia reportari: quippe cum, & ipse iustitiæ splendor supra modum hæc omnia superet, & in rebus mobilibus, breuibus, vmbratilibus reperiri nequeat præmium iustitiæ immobili, sempiternæ, verissimæ conueniens. Ex his concluditur immobilem iustitiæ habitũ propter immobile præmium exoptari debete. quod quidē post præsentis vitæ curricula laboribus iustitiæ manet. Alioquin iustitia ipsa, quæ excellentissimum iudicatur bonum, iustis hominibus foret mala ob amores iustitiæ continue laborantibus, sæpeque affectis iniuria, neque iniuriã vlciscentibus, adde, & bona præsentia æternorum desiderio contēnentibus, neq; præmiũ apud homines iustitiæ, imò verò pro iustitia iniustum sæpe supplicium reportantibus. Quã obrem ne bonum noceat, & iustitia careat præmio, & Deus vel minus prouideat, vel pro meritis non rependat, iudicandum est fore animos immortales. Præsertim vt tàm iniusti, qui viuentes pœnas iniustitiæ non dederunt, saltem defuncti persoluant, quàm iusti inter mortales omnino spreti, apud superos coronentur. Hinc nobile tradit præceptum: Animus immortalis non debet pro breui hoc, sed pro vniuerso tempore esse sollicitus. Immortalitatem animæ Plato in Phædro, & Phædone, alibique ostēdit. Eiusmodi que ratione esse certas, demōstrationes ostēdit in libro de Scientia, dicens verba eorum qui contraria sentiunt, examinanti ridicula tandem euadere. Item in Gorgia, affirmans mysteria hæc adamantinis rationibus esse probata. Præterea in hoc decimo, vbi post argumentationem subdit, tum per talem argumentationem, tum per alias multas cogi nos ad id confitendum. Arbitror equidem in Platonis verbis vim quandam latere mirabilem à paucissimis intellectam, vt non mirum sit, si per argumentationes Platonicas alij quidem demonstratum id existiment, alij verò nondum demonstratum. Demostheni certe auditori Platonis tanta efficacia per viuam vocem persuasum fuit, vt dixerit malle se honeste mori quàm turpiter viuere, postquam Platonem atque Xenocratem de animorum immortalitate differentes audiuerat. Eandem quoque in scriptis Platonicis vim percepit Cleombrotus, & apud Cyrenē multi Egesiæ auditores, qui sese è corporis carcere ob desiderium alterius vitæ liberauerunt. Eandem Platonicus percepit Boetius Philosophia teste concedens, hoc sibi certis rationibus demonstratum. Eandem Aurelius Augustinus persensisse videtur, vbi ait hac de re se nunquam dubitasse. Confirmatur hæc ab Auicenna, rationes quasdam ad hæc demonstrationes esse dicente. Neque solum demonstrari posse Plato hic inquit, sed etiam facile demonstrari; apud illos vt arbitror, qui cum ipsi purgatam segregatamque à corpore mentem habeant, merito non diffidunt, posse quandoque animam segregatam à corpore viuere. Quandoquidem experiuntur ipsi mentem suam seiunctam à sensibus viuere melius quàm coniunctam. Compertum etiam habent aliorum animas immersas corporibus atque ideo vitiosas, vitio tamen morboque proprio non interimi, & idcirco multo minus alieno id est corporeo morbo posse corrumpi. Siquidem, & corpus ipsum externo malo non prius perimitur, quam intrinsecum inde inferatur malum, quo proxime perimatur. Cæterum ne quis de animæ suæ diuinitate diffidat, iuber illam à contractis ex amore corporeo sordibus penitus expurgare, purgatamque perspicere, quàm pura, quàm simplex, quàm diuinorum auida, tanquã diuinitati cognata, quàm cito, quã benelumi nis diuini sit capax. Quod autem dicit animas indies non fieri numero plures, intellige nō ita fieri vt ex corporibus otiatur,

& componantur. quod quidem sequens ratio manifestat, dicens: si diuina de corporibus componantur, tandem cum diuina nunquam resoluantur corpora, fore vt nihil reliquum sit corporũ in natura. Rursus aduerte quod subdit animam non esse compositam, alioquin indissolubilem fore non posse. Atque intellige essentiam ad hoc vt dissolui non possit, oportere vel nullis compositam esse, vel si sit composita, non tamen ex materiis illis componi, atque ita rursus conflari, vt in eius compositione multitudo non vnitatem, imò verò vnitas per harmonicam vnionem superet multitudinem, statusque motum. Conclude mysterium, partim ad prouidentiam, partim ad immortalitatem præmiumque iustitiæ pertinens. Iustus quidem Deo euadit similis, iniustus verò dissimilis. Cumque non lateat Deum hunc sibi esse similem, illum verò dissimilem, rationi consentaneum est iustum Deo charum esse atque amicum, iniustum contra. Propterea Deum iustos tanquam amicos nullo pacto negligere, sed illis semper ita prospicere, vt eis singula quamuis videantur aduersa, tandem euadant prospera, vel viuentibus, vel defunctis. Verum curnam hic historico quodam exemplo potius quàm argumentationum diligentia mysterium immortalitatis asseruit? Quoniam ciues ad iustitiam non tàm verborum artificio, quàm, & exemplo, & opere sunt prouocandi. Præterea cur ad id confirmandum producit in medium hominem à mortuis resurgentem? Quia, & si rationibus immortalitas constet, & communis quædam iustitiæ executio, tamen locum, formam, dispositionem vel præmij, vel supplicij ab illo qui interfuerit, oportet accipere; quod nobis prope Phædonis finem significatur. Neque abre resurrexisse testatur Herum Pamphylium, pro salute patriæ in prælio mortuum, vt significet eos qui pro publico moriuntur bono, ad veram vitam resurrecturos, quanquam ex multis vnus resurrexit ad nostrã. Sed nunquid Historia hæc, est, an fabula? Historiam esse vult Iustinus Platonicus, Martyrque Christianus. quod equidẽ non refellam. Vbi verò Plato apologum fabulamque nominat, exponi poterit Historiam dici posse fabulam, quoties vltra res gestas augustiorem habet, allegoriam: Quam ob causam Olympiodorus quoque ait Platonem Historias, & rationes sæpe fabulas appellasse. Et quoniam manes, & iustitiæ loca figurasque aliter in Phædro, aliter in Gorgia, aliter in Phædone, & hîc alibique disponit, perspicue patet hæc præter loci formam sensum quoque allegoricum continere. Vtitur autem hic circa resurrectionem duodenario numero, qui sphararum mundanarum apud priscos est numerus, putantes octo super quatuor elementa esse cœlos, quasi dicat opus esse virtute diuina vniuersi domina ad mortuum suscitandum, idque interdum ad hominum doctrinam diuina prouidentia, fieri. Sunt, & qui dicant annum magnum quo hominis anima suum explet circuitum per quem in idem redeat, duodecim annorum millibus comprehendi, tribusque annis eiusmodi annum mundi exæquari magnum, quo mundi anima per firmamenti motum, suũ peragit ambitum, trigintasex annorum millibus peragendum. Circuitum verò animæ nostræ per duodecim agi annorum millia inde volunt, quia oporteat per omnes discurrere sphæras, chorosque dæmonum, & deorum qui in Phædro per duodecim ordines digeruntur. Sed quidnam sibi volunt hiatus in terra duo, totidemque in cœlo? vt intelligas animas alia quidem via ad terrena descendere, scilicet habitu quodã corporeo, alia verò è terris ascendere, scilicet habitus illius purgatione. E cœlo similiter labi in elementa corporis elementalis amore ac vicissim resurgere in cœlestia amore hoc restincto, cœlestique accenso. Hinc ait Orpheus, amorem omnium tàm supernorum quàm inferorũ claues habere. Iudices animarum in aere, & æthere collocat Angelos, prouidentiæ diuinæ ministros. Post sententiam, iusti cœlum petunt coram se, & opera, & iudicia præferentes: quia videlicet & seipsos nouerunt, tàm sibimet quàm aliis lucent. Iniusti contrà descendunt, sua ferentes à tergo. Neque enim cognouere seipsos, neque profuere sibi, sed cæteris exemplo sunt potius quàm sibimet auxilio.

Pratum in quo, & ascendentes, & descendentes ad tempus animæ requiescunt, media quædam regio est inter inferos & cœlestes, ac dispositio inter bonum habitum atque malum, & status beatitudinem inter atque miseriam, limbo similis in aëre designatus. Hic aduerte animas quæ in superiori vita mutuam notitiam habuerunt, in altera inuicem se agnoscere. Item in eiusmodi prato diutissime residere animas secundum Platonicos, eorum qui in infantia decesserunt: de quibus Herus quædam memoria parum digna recensuit.

Quia cũ in neutram partẽ declinauerint eligendo, neque obduxerint habitum, Platonici eas in lumine tantum naturali relinquunt. At verò beatos quidem super naturale lumen, miseros autem infra id lumẽ

positos esse putant. Agitur hic prætetea de suppliciis purgatoriis. Sed curnam culpa doloribus aboletur? quia videlicet voluptatibus inoleuit. Nonne, & medici morbos plurimum à contrario curant? Animaduerte Platonem non temere ad delendam culpam numero vti denario, & centenario insuper, atque milenario. Sane pro quolibet voluptatis gradu decem adhibet supplicij gradus. Primo quidem quæritur quam ob causam plures penduntur gradus pœnæ quàm percepti fuerint voluptatis. Respondetur ob læsæ maiestastatis diuinæ crimen ita deberi. Præterea sicut beatitudinis gaudia iustitiæ humanæ dolores exuperant, sic miseriæ cruciatus iniustitiæ voluptates. Denique neque tàm facile delentur notæ, quàm facile imprimuntur: neque qui peccati habitum confirmauit, si vixisset vltrà delinquere desiuisset. Quæritur deinde cur gradus decem. quid si Plato Mosaicum decalogum est imitatus? cumque arbitratus sit eum quodammodo contra præcepta diuinæ legis decem agere, qui aliquod ex decem omnino neglexerit, iure decies iudicat cruciandum? Proinde denarius numerus dicitur vniuersus, omnes enim numeros, vel infra se implicat, vel per se suosq; explicabit replicando. Vniuersus autem numerus opportune animis purgandis accommodatur, vt per hunc significetur vniuersā corporis labē deponendā esse potius quàm ad vniuersi peruenias principē, penes quē nihil potest esse corporeū Quæritur post hæc, cur præter gradus pœnarū decē, annos centū affligantur iniusti. Respondeo quasi ad cētum vsque vixissent annos, quo termino vita hominum quodāmodo designatur, continue peccauissent. Attribuitur autem cuilibet decem graduū numerus centenarius, vnde numerus cōficitur millenarius. Hinc illud: Centū errant annos. Item & illud: Mille torā voluere per annos. Præterea centum pro vno accipietis. Nā his Plato numeris, non solū in supplicio, sed etiam in quibusdam præmiis vritur. Profectò si denatius in se ducatur multiplicando decies decem, ex eo nascitur centenarius. Deinde si reducatur in semetipsum, computando decies decem decies, millenarius procreatur Itaque & denatius vniuersus est numerus, & centenarius millenariusque vniuersales sūt numeri. Item si ab vno procedas in decem, numerus nascitur linearis. Si à decem in centum, superficialis fit numerus. Si à decem in mille, fit solidus. Vt ergo allegorice exponamus, iniusti hominis anima à seipsa discessit in corpus, labeque est infecta corporea. Hanc vtique labem per denarium qui vniuersus est numerus, expurgatam esse vniuersam. Quod verò denarium oporteat in se duci centenarium procreando, significat animam à corpore ad se per rationem emergere oportere. Deinde quod opus sit denarium in seipsum teducere millenarium generando, allegoricè docer animam non solum erga se verti debere per rationem, sed per intelligentiam quoque in se conuerti, atque ita in vnitatem reduci propriam, qua denique possit Deo frui summa omnium vnitate. Linearis autem numerus & superficialis & solidus, mysticè docent ad mentem purificandam, non solum extrinsecam operum, verborum, cogitationum superficiem, sed etiam profundissima quæque penetralia diligentissime perquirenda. Post limbum & purgatorium descendit ad inferos. Sed Platonicos velle scito, non solum in purgatorio temporales esse pœnas, verumetiam in cœlesti quadam regione temporalia gaudia, vt vtrinque par pari respondeat. Sic enim distinguunt. Aut sensus in vita omnino paruit rationi, aut omnino ratio sensui aut semper inuicem pugnauerunt: atque in ea pugna vel sensus plurimum vel ratio superabat. Animæ igitur in quibus sēsus rationi per habitum confirmatum prorsus obtemperauit, sempiternum præmium consequuntur. Contrà verò affectæ, sempiternis suppliciis condemnantur. Mediæ verò, si superauit ratio ad temporalia præmia, sin verò sensus, ad temporalia supplicia transferuntur. Quibus verò nullum consultandi datum est tempus, Limbus apud Platonicos seruatur eligendi locus, hic sub prati nomine designatus. Et si prata interdum Platonici cœlestia præsertim suprema nominant, hic tamen prata aeream significant regionem. Quo enim pacto hic per prata significaret sublime cœlum, cum dicat ad hæc animas à cœlis alias descendere, alias è terræ visceribus subito peruenire? Sint ergo eiusmodi prata sublimes quædam aeris plagæ, contiguæ sublimibus illis terræ plagis quas in Phædone describit in paradisi terreni formam, felices sub vere perpetuo habere cultores. Ibidē cāpos quoque ponunt Elysios, terrenos inquam.

Nam cœlestes Elysios cœlum habet octauū Hinc illud. Astra tenent cœleste solum, formæque deorum. Mitto in præsentia Proclum & Plotinum, qui vbi plato sempiternum dicit, exponunt vniuersum anni amplissimi tempus, quo singulorum temporū curricula peraguntur. Porphyriū quadam ex parte in hoc, & Iamblichum magis probi, vt hinc intelligantur æterna.

Tibi enim Plato insanabilem dicit animum, & talem qui purgari possit nunquã, satis indicat æterna supplicia, atq; vicissim gaudia infinita. Quo verò pacto alij quidam hæc exponant, memoria dignum esse non censui. Præterea si Platonis verba consideraueris, agnosces Euangelicum illud, Ligatis manibus, & pedibus, in exteriores tenebras eum mittite. Sed addit hic, ligato capite. Vinculum quidem capitis significat rationis impedimentum, & luminis orbitatem. Nodus verò manum actionis profectusque priuationem. Denique ligati pedes, non ducunt, non progrediuntur, non perueniunt, sed vi illata raptantur. Cognosces quoque sub igneorum hominum figura vltores dæmones, pœnasque corporeas, idemque ex multis percipies coniecturis. Notabis, & proprium exterioris vocabulum. Præterea tenebras, vbi clauduntur hiatus. Sub nomine quoque mugitus, stridorem dentium atque fletum. Postquam vero loca, & pœnarum disposuit, & gaudiorum per oppositam formam significauit, & media tetigit, ad illas iam reuertitur animas, quæ in prata partim è cœlo post præmium temporale, partim è terra post temporale supplicium confluxerunt. Quas in elementalem rursus generationem dicit oportere reuerti, perque illam eatenus progredi, quoad firmiorem statum, siue firmissimum quandoque promereantur. Has inquit, septem in prato dies conquieuisse. Hunc tu septenarium, si per septem planetas interpreteris, item per septem dierũ septenarios quibus ante morum fœtus in aluo quiescit, ac etiam per septem quosque dies in quibus gradatim in vtero formæ mutantur, forte nonnihil afferre videberis. Sed quid istud ad animas? quæ neque amplius in planetis sunt, descenderunt enim, & nondum aluo clauduntur, descensuræ enim sunt in vterum postquam ad tria fata peruenerint: Interea aereo corpore aereã incolunt regionem, Verum esto si placet. Forte etiam quia interim quodammodo viuunt steriles, sterili quodam numero deputantur, & quoniam septenarius neque ex aliquo numero gignitur aliquoties repetito, neque gignit aliquẽ intra decẽ, aptissime conuenit animabus adhuc vtrinque à generatione vacantibus. Attribũt Pythagorici eundẽ numerũ Palladi, quia neque ex matre genita sit, neque genuerit. Conuenire volunt, & animis è terrena adhuc matre semotis, & vniuersũ sub Palladis sapientia contẽplantibus, At quum primum ab eiusmodi vacatione consurgunt, subeunt octonarium, qui & gignitur, & primus est inter numeros solidus. Ideo cum anima congruit propemodum ad corpus solidum accessurum. Solidum vero octonarium appellamus, quoniam ex binario per seipsum ter repetito, & in se redeunte creatur, dimensionem trinam significante. Nã ex bis duo bis, octo complentur. Adde si colis Musicã vocem, septimã esse penitus dissonã, octauã vero omnium maxime consonantẽ. Consonare autem oportet tàm corpus animæ quàm vtrunque fato, vt cœlestis animã ineat cum corpore terreno cõmerciũ. Cuius quidem consonantiæ tandẽ expletis numeris, animæ iã ipsi, & terra dissonet, & cõsonet cœlum, si modo futura sit felix. Proinde quod quatuor dies ad generationis progressum, octo diebus Plato subiungit, intellige innatura anima vegetali vim, & effectum quendã quodammodo iam regnare ad formandum corpus ex elementis quatuor cõstitutum. Item sub octaua consonantia opus est quarta quodammodo ad cõsonantiam accedente, & quinta vera iam consonantia. Quinque verò fiunt, si sequentes quatuor vnà cum præcedente computare volueris. Quinetiam videbis hic duodenarium assignatum, quo animæ ad exordia generationis accedunt. Duodecim enim ad id opus est sphærarum, & diuinorũ dæmoniorumque ordinum adiumẽto. Vox insuper, & consonantia duodecima perfectissima est ex diapason & diapente, ex octaua & quinta resultans, sua quadam gratia rebus congruens amatoriis conueniens quoque nuptiis. Eiusmodi verò animæ iam amore quodam, vt ita dixeris, venereo duce, terrenis cõciliandæ sunt nuptiis. Sed cur Plato cum duodenarium computaturus esset, ac post septem, residuum esset subiuncturus, non subito dixit quinque? vt videlicet per octo & per quatuor innueret mysteria quæ audisti: rursusque per diei vnius iter additũ ad cõplendũ duodenariũ, animaduerteres corpus ex quatuor cõpositũ elementis non prius ad animã præparari posse, quàm, & ipsum in vnã quintamque formã quasi cœlo similem, fuerit temperatum, & anima vnũ ex se vitalem actum corpori facile imprimat figurato. Quoniã verò animæ ad composita declinantes corpora, fatilegibus magna ex parte subduntur, & vicissim fato duce illalabuntur, idcirco inquit, has animas in conspectum fati procedere. Principio igitur naturam ipsam sub lumine columnari depingit, quod sit vinculum vniuersi. Naturam intellige vitalem seminariamque virtutem ab ipsa mundi anima infusam materiæ mundi. Quæ propterea lumen dicitur, quoniam penetrans & vitalis. Item recta nuncupa-

tur columna, quia quasi per longum totam vbique materiam penetrat, multosque formarum gradus producit deinceps specie & genere differentes. Dicitur etiam per omnem extendi partem, & cœlum vndique alligare, quia tota vbique adest & continet, multaque tanquam per latera quædam inter se æqualia & similia propagat: ita tamẽ, vt ex longitudine perueniatur ad latitudinem: quoniam penetrando diffunditur, & quatenus diffunditur, implet, regitque implendo. Hinc illud: Spiritus intus alit. Varietas verò colorum, seminalium virtutum declarat varietatem. In hac vtique natura, fatalis latet fusus: secundum imaginationẽ quidem, ipse sphærarum axis geminis polis centroque decorus: secundum vero rationem quoddam animæ mundanæ simulachrum, vegetalisque virtus eius naturæ præsidens, eamque velut instrumentum mouens ad naturalia non solum artificiose, sed etiam ineuitabiliter fabricanda: vt non solum ordo à natura fit in mundo, sed etiam à fato ineuitabilis ordo. Hinc illud in Politico: Mundus à naturali cupiditate fatoque dicitur. Sed tanta naturæ cum fato cognatio est, vt vix inter se à Philosophis discernantur. Vt autem immutabilem fati naturam exprimet, fusum eius esse dixit ex Adamante. Vertigium autem, id est, cœlum ex Adamante rursus, aliisque materiis, scilicet astris nõ solũ fixis, sed & mobilibus atque communibus, multiplicique formarum varietate. Euidenter deinde octo depingit sphæras, quæ à natura quidem agitantur, sed à fato naturæ præside immutabiliter agitantur, & instrumenta fati esse dicuntur. Inculcantur inter hæc multa ad mensuras, profunditates, interualla, motiones, harmonias, formas, virtutes, sphærarum cœlestium pertinentia, quæ in Timæi commentariis opportunius explicabimus. Sũmatim vero ex velocissimo & ordinatissimo cœlorum motu, potentissimoque contactu melodiam ingentem & variam & suauissimam cogita procreari, grauiores quidem voces ex motibus tardioribus, acutiores autem ex velocioribus, ex mediis verò medias. At quoniam elementalis auditus ad cœlestem melodiam caret proportione, sonus eiusmodi non auditur. Hic nouem Musas atque Sirenes esse cogitamus, octo sphærarum tonos, concentumque ex tonis harmonicum. Proinde fatalem fusum, id est tractum, inquit, inter genua deę Necessitatis verti. Cui ttes sint filiæ, Lachesis, Clotho, Atropos, quæ vna cum matre cœlestia voluãt. Mitto quid de his sentiat Proclus, non solum ponens Iouem vnum vniuersalem mundi totius opificem, sed tres insuper sub eo Ioues particulares opifices. Deinceps pari proportione deam vnam esse Necessitatem in ordine illo custodientem omnia, in quo communis Iupiter cuncta composuit. Præterea tria fata, id est tres deas huius Necessitatis filias, quarum aliæ sub matris imperio procul à transgressione conseruent. Et necessitatem quidem deam omnino collocat super mundum, filias autem partim quidem à mundo semotas, partim etiam declinantes ad mundum. Mihi vero sicut & plerique aliis Platonicorum, magis placet, Necessitatem esse mundi animam. Filias autem tres esse ttes huius animæ vites ad fatalia pertinentes. Vocat autem Necessitatem, nõ quia vel naturæ, vel rationi inferat violentiam, sed quia omnia in suo quodam ordine ab opifice rerum instituto cõseruat, neque permittit quicquam leges illius adeo transgredi, quin mox regrediatur in leges. Cœlos voluit genibus, id est, infima parte sui, tanta videlicet facilitate, vt expeditissime interim contẽplationis gaudio perfruatur. Sed hanc ipsam vegetalem eius partem tribus appellat nominibus. Lachesim quidem, quia rerum seminibus grauida est, & vitarum sortibus atque formis, quas descensuris inserit animabus. Clotho deinde, quoniam insitas vitæ sortes ordine suo euoluit in actum viuendi, & explicat in effectum. Postremo Atropon, quoniam vitas iam euolutas in actum progressu quodam indeclinabili, ad ineuitabilem vsque terminum conseruat atque custodit. Nonnulli primi nominant Vestam. Secundam Mineruam. Tertiam verò Martem siue Martiam. Deinde quod dicit Parcas ad Sirenũ motus harmonicos canere, accipe: fatales vitas ad effectum per cœlestes motiones influxusque procedere. Sedes necessitatis filiarumque eius ostendunt fatalis ordinis firmitatem, quasi oporteat mobilium progressionem ab ipsa motoris immobilitate regi atque ordinari. Sedium vero paria interualla iustam, tum inter fata, tum per fata distributionem fieri euidenter ostendunt. Vestes albæ tum fatorum naturam inuiolatam ostendunt, tum innocentem. Non enim agit vniuerso malum, quod ab optimo vniuersi duce dependet. Corona describit imperium. Cantare est per temporum interualla ea congruitate digerere singula, qua diuina mens momento quidem intuẽs temporibus dirigenda præscribit. Hinc fit vt Parcæ omnes temporanea cantent. Et cur Lachesis præterita, Clotho præsentia, Atropos verò futura? Respondeat Proclus, in præterito quidem tria tempora cogitari. Nam & præterisse iam dicitur, & quandoque fuisse præsens & antequã præsens esset,

fuisse futurum. In præsenti vero ipsum cogitari præsens, quod prius fuerat & futurum. In futuro denique futurum dűtaxat agnosci. Post hæc vero declarari præcipuam esse Lachesim. Secundo dignitatis loco Clotho. Tertio Atropon. Verum cur nam Parcæ globos tractant manibus, mater vero nequaquam? quoniam infimæ illius animæ vires cognatiores globis sunt quam animæ ipsius substantia Cur item Lachesis gemina tangit manu? quia in exordio & medium continetur & finis. Cur deinde Clotho ampliorem, & ab extrinseco tangit ambitum atque dextra? Atropos autem angustiorem ab intrinseco atque sinistra? Quia euolutio vitæ per media, & ab extrinseca exorditur causa, & amplior est, contingit quoque prosperior. Ineuitabilis autem terminus, & ab intrinseca iam prouenit proprietate concepta, & desinit in angustum. Adde quòd clam surrepit, & vt plurimum contra votũ. Quod autem Parcas inquit, cœlum intermissione quadam temporis tangere, ne putes fatales mundanæ animæ vires modo regere mundana, modo non regere. Si enim mutabilitas sit in fato, cuius propria immutabilitas ipsa est, nihil fingi poterit non immutabile. Plato igitur humano quodam more atque sermone diuina pingens officia, inuenire vult, fata partim res ipsas tractare, partim verò nequaquam: tum quia mundana virtus ipsa suæ integritatis dignitate consistens, actionem suam rebus gubernandis accommodat, ac vicissim dum accommodat non miscetur: tum quia temporalē in operibus vicissitudinem exhibent, & quam intermissionem in operatione sua dicuntur habere, non in se quidem, sed in effectu demonstrant: tum quia naturalia quidem tractat, supernaturalia non attingit. Quæ enim ad rationem puram liberāque, vel ad diuinam intelligentiam fato superiorem pertinent, minime tangit. Talia enim ad sublimem Dei prouidentiam cœlesti fato superiorem miro quodā ordine reducuntur. Similiter in Politico scribitur, mundanas alias à fato, alias à prouidentia regi: non quia intermissa quadam vicissitudine temporum fiat eiusmodi commutatio: sed quia quotidie quædam sub fato fiant, quædam per prouidentiæ leges super fatalem seriem disponantur. Accedit ad hæc quòd animæ nostræ aliàs in prouidentia sunt omnino, aliàs protsus in fato, aliàs in vtroque simul. Cum enim expedita tantum mente contemplatrice viuunt, in prouidentia solum, penitusque libere viuunt. Cum verò in vegetali parte ad corpus hoc inclinatio inualescit, atque ad imaginationem vsque talis inclinatio propagatur, ad fatum iam declinantes, pariter à libertate degenerant. At dum composito corpori coniunguntur, iam in ipsum corporis sui fatum sese mergunt, minusque admodum pristinæ retinent libertatis. Denique postquā affectus corporeos in habitum contraxerunt, fato iam funditus obruuntur, omni libertate priuatæ. Quæritur quam ob causam hic animæ naturali quodam instinctu ad Lachesin videantur accedere. Profecto in genetali natura corporeæ machinæ omnium sunt semina specierum, certis non solum formis & modis, sed tēporibus quoque pullulatura Quinetiam in propria qualibet & cuiuslibet speciei natura similis quidam est seminalis ordo, sed ad speciem propriam pertinens propagandam atque seruandam. Similis & in quolibet sub specie indiuiduo fomes procliuitasque ad singula modis temporibusque propriis producēda. Tres hæ naturæ deinceps ita dispositæ sunt, vt indiuidualis sequatur specialem, specialis simul & generalem, adeo vt plurimum quod ex vnius natura est, pariter fit ex aliis, & particularis natura cum vniuersa consentiat. Eadem fermè ratione se habet fatum, id est præfiguratio quædam rerum explicādarum, tum in ipsa mundi anima, tum in duodecim sphærarum & siderum animabus, tum etiam in animabus iam quasi particularibus: quarum in numero sunt humanæ. In vegetali ergo virtute animæ nostræ proprium quoddam inest fatum, & inuoluta series futurorum, consentiens in forma modoque, & tempore vna cum fatis cœlestium animarum, animæque mundanæ. Quemadmodum igitur plantæ cuiuslibet germen propriis quibusdam figuris, & suo tempore pullulans, sponte videtur vna cum vniuersali temporis verni natura ad idem prouocante concurrere: sic, & animæ suapte natura suoque fato opportune proprias quasdam tunc promunt vitas, quādo ad easdem similiter vniuersale conuocat fatum, ita vt animarum chorus suis quibusdam saltandi figuris variorumque simul diuersitare saltantium, fatalem imitetur cantum atque sonum. Cantum quidem intelligi malim in cœlestibus animabus, in sphæris vero sonum, in nobis denique saltum. Tali quodam instinctu ad Lachesim animæ, in auspiciis vitæ perueniunt ad sortes suas per sortes Lachesis confirmandas. Confirmantur igitur per prophetam quendam. Propheta hic duo quædam significat, tum vniuersalem primumque prouidentiæ influxum in animam, tum opportunitatem, sub qua eiusmodi fit concursus, vt animæ ad id ferantur, quo, & fatum perfert vniuersale. Quod ergo dicit Prophetam disponere in

ordinem animas, sortesque à Lachesi in eas transferre: significat hæc omnia confirmari, tum per prouidentiæ diuinæ fauorem, tum per concursus illius opportunitatem. Neque ab re dictum est Parcas vniuersum quidem manibus gubernare, sortes verò animarum è genibus Lachesis accipi. Nam cũ vniuersi gubernatio prçstantior sit quàm dispositio animarum, merito illa quidem manibus, hæc autem genibus perfici iudicatur. Sedere autem in tribunali, authoritatem exprimit & iudicium. Inter sortes vero vitarum atque exempla, talis quædam videtur esse distinctio quod sortes quidem ad vires pertinent vegetales, exempla verò ad imaginationes, superiores quidem vegetali potentia, sed propinquas. Nempe cum primum in hac potentia talia quædam futuræ vitæ semina præ cæteris inualescunt, simul in imaginationem quoq; vitæ similis, figuræ, & machinamenta consurgunt, affectusque ferueseunt: perinde vt apud nos sanguineam corporis affectionẽ hilaris imaginatio sequitur, cholericam iracunda, melancholicam verò tristis, fœcundam luxuriosa. Hactenus fatalis procedit necessitas. At enim ratio imaginatione superior, cuius est racionatio, consilium & electio, ideoque motus ad vtrumque liber, percipiens imaginationis figuras atque affectus, potest eiusmodi vitæ descriptionẽ probare pariter atque reprobare. Quam ob causam dicit virtutem esse à fato liberam, culpamque in vitæ deterioris electione, eligentes esse, non fati. Nam, & si ex fato est tam in communi quam proprio nouam iam vitam & nunc vt prius eligere: ex consilio tamen est talem proprie eligere aut talem. Quippe si primam viuendi formam ab imaginatione oculis rationis oblatam, ratio examinando reiecerit, non deerit statim alia melior, rursusque alia. Hinc illa prouidentiæ inspiratio Propheta cognominatur. Præmonstrat enim rationi quodam iudicij lumine, eam habere liberam consultandi eligendique facultatem, quidue potissimum ex temeraria electione sequatur. Dicitur, & Propheta sortes fundere, exempla viuendi proponere: non solum quia prouidentię diuinæ influxus quodãmodo fatalia sancit, sed quia fatales sortes & exempla fatalia producit in orationis examen atque iudicium. Quod autem in præconio dicat animas esse diurnas, exprimit eas, & ibi esse in perpetuo die, & vitam quam tanti faciunt, vnum esse diem atque nocturnum. Addit initium alterius fore circuitus, vt aperiat mysterium animarum à cœlo in terram vicissimque remeantium. Appellat humanum genus non mortale solum, sed vt animæ sua mala præsagiant, addit mortiferum, quasi dicat corporis vitam esse animæ mortem Pronunciat deinde, & si ratio à principio in eligenda vita sit libera, postquam tamen elegerit, in hac quidẽ reijciẽda non amplius fore liberam, licet quandoque libera futura sit in ea, qualiscunque sit, aliter cõponenda vel temperanda. Si quæras quare aliæ hominum animæ alias vitas eligaut, respondebunt alij speciales quasdã in animarum naturis differentias esse, alii indiuiduales quidem atque proprias, addẽtque differentias illi multas ex superioris vitæ diuersitate deductas. Quod, & Plotinus valde confirmat, & sequentibus maxime consonat. Proinde animæ eligentes vitam, simul dæmonem sortiuntur electæ vitæ ducem. De hoc alibi multa diximus. Hic ita distingue. Deos Platonici alios cogitant extra mundum mentes, scilicet seiũctas à corpore tanquam intellectuales sphæras, colentes Deum vnum tanquam ipsarum centrum firmissimum, & stabilissimam vnitatem. Alios mundanos appellant, videlicet vltra diuinum cultum voluẽdis mũdi sphæris accõmodatos. His dęmones subdunt, quasi ministros ad ea quæ vel in specie, vel in sphæris, vel ex sphæris fiunt, disponenda atque componenda. Totidem igitur numerant genera dæmonum, quot in diis mundanis dæmonum ducibus vires inueniuntur. At vero in quolibet mundano Deo vnitas ipsa suprema est substantiæ suę, qua diuinam referat vnitatem. Post eam est intellectus, simul omnia contuens, per quẽ mentes repræsentet Angelicas. Item ratio per formas quadam progressione discurrẽs, talium propria animarum. Præterea imaginatio quædam eatenus per particulares congrediens formas, quatenus per vniuersales ratio ipsa progreditur. Deinceps natura sequitur vegetalis sphæræ viuifica simul, & motrix. Secundum has quinque vires genera quinque dæmonum computantur. Quorum ex numero cœlestes quidem dæmones Deorum mundanorum vnitatem accõmodate sequuntur: ætherei verò dæmones, id est ignei deorum eorundem intelligentiam: aërei dæmones rationem: aquæi imaginationem: terreni vero naturã, quam in diis appellauimus vegetalem. Sub his Orphici, dęmones collocant subterraneos mundanorum deorum corpora infimo quodam ordine referentes, scelerumque vltores. Quorum hic Plato mentionẽ fecisse videtur. Si quęras quales potissimum dæmones duces sint animarum in corpora descendentium, respondebitur non cœlestes, non ignei. Hi enim tanquam sublimiores reducunt animas, non deducunt.

Item nec aquæi neque terreni. Hi enim tanquam infimæ generationis artifices, nō tam ducunt in fatali itinere animam, quàm in præcipitia fati præcipitant. Aerei ergo restant dæmones medii per media duces, qui rationis diuinæ comites humanam rationem in hoc itinere ducunt. Ex horum vero genere dæmonum alii alias dicunt animas, Saturnij quidem Saturnias, Martij verò Martias, aliique similiter alias, accōmodati potissimum singuli singulis, tum ex affectione animi propria, tum ex prouidētia fatoque communi, maxime verò secundum electæ vitæ formam. Hoc deinceps vitæ duce subeunt iam animæ tria fata, quę solum ante conspexerant, videlicet, & ita statuēte dæmone ordinis totius executore, iam affectu corporeo gradatim præponderaute. Dum post tres Parcas ad Parcarum transeunt matrem: Necessitatem ipsam scilicet, cuius iam experiuntur impulsus. Deinde sub vehementi æstu ire animas, tria significare potest: scilicet corporei amoris ardorem crescere, simulque curam, & sollicitudinem augeri. Item per ignis sphæram è cœlo descendere. Preterea caloris naturalis ministerium ad terrenum corpus viuificādum. At quoniam nimia terrenorum cura, cœlestia obliuioni mandantur, atque per obliuionem ex fertilitate sterilitas accidit, idcirco mox in Letheum, id est obliuiosum descendunt campum penitus sterilem. Et quia ob diligentem mortalium curam, negliguntur æterna, vnde, & obliuio nascitur, & iactura, & reminiscentiæ difficultas, inquit animas in campo Lethęo ad flumen Amelitam, id est negligentiæ fundum vsque descendere, ibique sub nocte recumbere, id est sub diuini luminis priuatione prosterni. Verū quid significat Amelitæ aquam nullo vnquam vase contineri posse? Poetica hæc quidem metaphora est, significans inferiorem materiam, quæ flumen dicitur, fluitare per formas iugiter atque fluctuare. Item obliuionis vitium, quod est retinere nihil, sed statim effundere. Adde quod nullum extrinsecum sustentaculum seruat animam propria negligentia pereuntem. Quod præterea necesse sit ex obliuionis fluuio bibere patet, quoniam ita fieri ex natura propria, & communi fato, & prouidentia est institutum Bibere autem aut plus aquæ aut minus, ex affectu ad corpus prouenit magis minusue procliue: ideq; maioris minorisue obliuionis est causa, siue potius maioris aut minoris ad reminiscētiā facultatis. Has vtiq; passiones quodāmodo experitur anima in corpore quodā ex aëre crassiori composito insuperiori campo, antequam terrenæ matris vtero concludatur. A cœlestibus enim corporibus ad terrena, non solum per elementum, sed per corpus aereum fit descensus. Subiungit animas in hoc aereo corpore ad mediam vsque noctē dormire, ostendens mox sub terreno corpore non dimidiam iam, sed integram ignorantiæ noctem fore. Somnus testatur, & rationis impedimentum & iudicij falsitatē. Postremo animas, inquit, fœtui terreno insinuari sub tonitru quodam atque terræ motu, duabus vt puto de causis: tum indicans infelicibus auspiciis hunc carcerem ingredi, tum ostendens tam cœlestē quàm terenum motum, & quidem vehementem, ad diuinam animam tam tetro carcere coercendam concurrere oportere. Prosilite verò ad generationem animas stellarum instar, vltra figuram Poëticam subinsinuat animas stellares esse quodammodo, & ad stellas denique redituras. Quod autem Plato de migratione animarum in corpora bestiarum tam ridiculam affert fabellam, ab anicularum fabulis nihilo discrepantem, profecto nos admonet, totum allegorice exponendum: videlicet rationales animas, non in vitam bruti, sed brutam, id est quodammodo bruto similem vicissimque demigrare. Quod quidem omnibus pene Platonicis excepto Plotino maxime placuit. Idemque Origenes in libris contra Celsum confirmare videtur. Tu verò negligas morale præceptum, electionis rectæ peritiam cūctis rebus & artibus præponendam. Praeterea tam multa de sphærarum pulchritudine atque potentia hic adducta fuisse, vt cogiremus iustitiam & præmium in cœlo ingens consequuturam, & ad optimam viuendi electionem magnopere conductură. Verum dicis iam magnanime Laurenti, te hic à Marsilio Ficino commentarium accepisse potius quàm argumentum. Esto sane, operæpretium fuisse arbitror atque fore, si argumentum quidem promiserim, commentarium verò præstiterim.

COMMENTARIVM IN TIMÆVM.

De subiecto Libri.

CAPVT I.



QVemadmodum in Parmenide cuncta diuinorum genera pro viribus comprehendit, sic omnia in Timæo complectitur naturalia, & vtrobique plurimum Pythagoricus est, sub persona Pythagorica disputans. Atque in Parmenide quidem, Parmenidem & Zenonem Eleates Pythagoricos, qui de diuinis scripserant, imitatur. In Timęo autem, Timæum Locrum, Pythagoricum, qui librum de vniuersi natura composuit, sequitur. Ita tamen, vt his non eloquentiam solum adiungat, sed mysteria. Quoniam vero diuina quidem naturalium principia & exemplaria sunt, naturalia diuinorum effectus atque imagines: idcirco & in Parmenide dum de diuinis agit, interim descendit ad naturalia: & in Timæo naturam tractans, surgit sæpius in diuina. Neque iniuria diuinitatem simul naturamque copulat. Natura enim diuinitatis est instrumentum. Atque ita vel de naturalibus agit diuine, quemadmodum Aristoteles, vel de diuinis naturaliter agit. Interserit quoque mathematica tanquam vtrotumq; media, diuinorum scilicet atque naturalium. Quæ videlicet, per numeros quidem diuina, per mensuras vero significent naturalia. Sit ergo huius libri subiectum ipsa vniuersa natura, id est, seminaria quædam & viuifica virtus toti infusa mundo, animo quidem mundanæ subdita, materiæ vero præsidens, eodemque ordine singula pariens, quo & anima ipsa concepit, tam diuinam suscipiens mentem, quàm appetens bonum.

De ordine Libri & partibus eius.

CAPVT II.

PAtebit autem naturam vniuersi ipsumque vniuersum non ex se quidem consistere, sed ex superiori diuinaque causa dependere. Patebit insuper quot in gradus natura distribuatur, cœlestes, elementales, simplices, compositos, rationales, ratione carentes. Patebit totam sub luna generationem ad animal rationale quasi finem dominumque referri. Multa præterea de hoc ipso animali, tum ad animam, tum ad corpus spectantia tractabuntur. Multa quoque de rebus quæ à natura infra rationale animal componuntur. Et vt summatim dicam, de triplici mundo tractabitur, scilicet de diuino cœlestique & humano. Ostendetur quoque omnium quæ in mundo componuntur ipsiusque mundi, duo quædam præcipua intrinsecus elementa esse, scilicet materiam atque formam: tria vero extrinsecus esse principia, scilicet efficientem mundi causam, & exemplarem atque finalem. Et efficientem quidem esse diuinam potentiam, & intelligentiam atque voluntatem: Exemplarem vero ideas intelligentia diuina conceptas: Finalem denique bonum.

De introductione ad Dialogum.

CAPVT III.

CÆterum vt ad ipsam dispositionem dialogi veniamus, Plato quinque continuos disputationibus destinauerat dies. In primo quidem Socrates in Piræo vna cum Polemarcho, Glaucone, Adimanto, Trasimacho Sophista de repub. disputauit. Secundo vero die in vrbe recensuit eadem Timæo & Critiæ atque Hermocrati, & quarto cuidam absque nomine peregrino, forsan Timæi comiti. Tertio die horum epilogum faciunt. Quo quasi exordio mox facto Timæus disputauit de natura, præsentibus tribus, Socrate, Critia, Hermocrate. Quartus enim qui absque nomine secundæ interfuit narrationi, iam abest à tertia: non enim cuiuslibet est, secretioribus interesse. Quarto autem die orationem habuit Critias. Quintus denique nondum dies illuxit. Commode admodum post diuinæ apud homines republicæ tum dispositionem, tum epilogum ad cœlestem rem publicam huius exemplar in Timæo accessit ab ipso Deo compositam: deinde ad mundi generisque humani antiquitatem, & res miras à veteribus strenue gestas.

Allegoria Historiæ quæ narratur in Prologo.

CAPVT IIII.

NArrat autem inter dialogi huius exordia historiam de bello quodam inter Atheniēses Atlanticosque commisso. Hanc itaque Crantor tempore primus Platonis interpres nudam absque allegoria historiam accipit. Quidam vero contra, tanquam solam allegoriam. Sed hos redarguunt probatissimi quique Platonicorum: affirmantes quidem historiam, quia Plato dixerit. Sermo futurus est valde mirabilis, sed omnino verus. Sensum præterea Platoni nihil vsquam temere molienti allegoricum existimant exhibendum. Bellum igitur inter Athenienses atque Atlanticos imaginem præ se ferre putant oppositionum quæ in vniuerso sunt omnium.

Bellum enim, id est, oppositionem apud Heraclitum esse omnium patrem. Amelius quidem oppositionem adducit inter firmamentum, atque planetas: præsertim quoniam in Critia dicitur Atlanticam insulam in septem circulos fuisse diuisam. Origenes vero oppositionem superiorum dæmonum ad inferiores, atque victoriam: illis potentia, his numero excedentibus. Numenius autem dissensionem excellentium animarum sequentium Palladem, aduersus alias animas generationem sub Neptuno sequentes. Porphyrius pugnam inter dæmones deducentes in generationem, & animas ad supera contendentes. Distinguit tripliciter dæmones: alios esse diuinos: alios esse secundum habitudinem quandam, quorum numerorum particulares impleant animæ, sortem nactæ dæmonicam: alios esse malos & noxios animabus. Hos igitur dæmones infimos cōflictari cum animabus in ascensu semper atque descensu: præsertim occidentales dæmones, nam eam ab Ægyptiis plagam noxiis accommodari dæmonibus. Proinde Iamblichus, Syrianus, Proclus, his addunt oppositionem ipsam in vniuersis vigentem perpetuo, inter vnum & multitudinem, terminum & infinitatem, idem & alterum, statum & motum: ex quibus sub primo omnia componuntur. Item ens, aut per se, aut non per se. Rursus essentia vel incorporea vel corporea. Incorporea quidem vel non declinat ad corporea, vel declinat. Corporea vero vel non caduca vt cœlestis: vel caduca vt elementalis. Denique in cœlo quidem oppositi inter se motus, & diuersæ virtutes. Sub cœlo autem repugnantes inter se qualitates. Summatim vero horum omnium discrepantia per antiquum illud bellum significatur: & vbique superiora præstantioraque per Athenienses, alia per occidentales significantur. Eiusmodi vero allegoria disputationi Timæi non mediocriter conuenit. Confirmatur etiam per ea quæ in Critiam commentamur.

Casus Phaetontis. Diluuia. Incendia. Mineruæ descriptio.

CAPVT V.

Hic iterum te admoneo, vt memineris nouem annorum milia ab Eudoxo milia mensium computari. Item Phaëtontem Solis filium fulminatum excussisse terram, significare apud quosdam vastam cometam natura solarem tandem dissolutam intolerabiles æstus concitauisse. Fortè etiam incendia quæ narrat Moyses missa diuinitus. Vbi vero ad diluuia peruenit, memento ignem quidem omnium efficacissimum esse: aquam vero efficaciorem esse terra, & paribilem minus aëre. Item ignem diuidere potenter atq; penetrare: aquam vndique valde percutere. Ideo per duo hæc elementa vastiores calamitates accidere. Adde & finalem causam: quia videlicet per exitium factum ab his duobus, sequitur maius bonum, id est, fœcundior terrum regeneratio quam per aëris pestes terræque hiatus. Ideo prouidentiam ad amplissimum exitium his duobus præcipuè vti. Cui sic rotæ cœlestes inde rectè obtemperant: vt quibus temporum interuallis exitium imo reformationem fore Deus instituit, iisdem planetæ omnes ad astra vel ignea, vel aquea stellis quoque fixis ad idem conducentibus rite concurrant. Memineris præterea Neptunum quidem prouidentiam naturalem, Palladem vero prouidentiam intellectualem significare, atque hanc ipsam Palladem à Platonicis describi, diuinitatem sapienter simul atque potenter tum cœlestia exornantem, tum quæ sub cœlo fiunt ædificantem: inter astra Arieti præcipuè præsidentem, & æquinoctialis circuli ducem: vbi potissimum vigere putant motricem vniuersi virtutem. Mandabis memoriæ aureum epigramma, quod Proculus in Ægyptiorum historiis legit Mineruæ templis inscriptum. Ego sum quæ sunt, quæ erunt, & quæ fuerunt. Velum meum reuelauit nemo. Quem ego fructum peperi sol est natus.

Præcepta de votis & precibus electissima.

CAPVT VI.

Vbi vero Plato ad Deum peruenit supliciter adorandum, audi Porphyrium diuinas supplicationes ita probantem. Cum Deus nobis prouideat, ac res nostræ possint aliter se habere, certe pro rerum nostrarum vsu vtiliter adoramus: videlicet si boni simus, sic enim vtpote similes facti Deo propius coniungemur. In qua quidem coniunctione adorationis vis tota consistit. Nempe cum Dei filij simus: sed ab eo quasi in exilio & carcere segregati: suppliciter adorare decet, quo hinc liberati reuertamur ad patrem. Alioquin similes eorum erimus, qui parentum patrocinio sunt orbati. Profectò cum vniuersi partes simus, vniuerso proculdubio indigemus. Ipsa enim ad totum conuersio partibus salutem præstat. Siue igitur virtutem sectaris, adorandus est tibi qui totam virtutem continet. Ipsum namque amare bonum, causa erit & tibi eius quod tibi expedit boni. Siue corporeum optas bonum, extat in vniuerso virtus omnia continens corpora. Inde igitur prouenire necesse est partibus quibuscunque salutem. Compertum vero habemus excellentissimos quosque apud omnes gentes sapientia viros diuinis potissimum votis incubuisse: præcipuè Indorum Brachmanas: Persarum Magos: Græcorum Theologos. Chaldæos autem, & aliud quiddam adorauisse. Ipsam enim superorum virtutem appellantes Deum, vno hoc nomine venerati sunt. Hæc Porphyrius. Post hunc discipulum eius diuinum Iamblichum audiamus, hac in re in primis à Proculo comprobatum. Omnia ex Deo ita sunt, vt nusquam vel minima quæque deserantur à Deo. Vbique enim diuina viget vnitas: per quam res quæque consistunt, ac perpetuo quodam intimoque circulo ad Deum ipsum à quo & in quo sunt mirabiliter reuoluuntur, alioquin in nihilum repente prorueerent. Ab vnitate diuina omnia prodeunt: prodeuntiaque vnitatem quandam ipsis impressam retinent diuinæ vnitatis imaginem: qua reuocantur in illam, & reuocata perficiuntur. Hæc ipsa animas rapit ad vota, quibus vnio cum Deo nobis penitus imploratur. Quod si natura ex Deo manans quasdam rebus quibusdā conuenientes cum superis proprietates inseruit, per quas quodammodo ad superos sese vertant, ceu ad Solem Solaria, ad Lunam vero Lunaria:

Lunaria: multo magis animarum pater rapientes ad se vires eis impressit: Quæ quidem in primis in diuina quadam vnitate intellectu superiore, necnon in ipsa intellectuali reflexione sitæ videntur. Ipsam vero nostram in Deum restitutionem adoratio supplex hinc orta absolute consummat: diuinam in nos beneficentiam naturali trahens congruitate, copulans adoratores cum adorato, coaptans superiorum intelligentiæ vouentium preces: mouens voluntatem eorum qui bona in se omnia complectuntur, ad bona nobis ad votum impartienda, diuinæ persuasionis effectrix, nostra omnia in superiorum stabiliens firmitate. Ad voti vero profectionem quinque præcipua pertinent. Primum quidem est notio quædam eius quod adorandum est, & qua ratione colendum. Secundum vero assimilatio quædam vitæ nostræ ad diuinam vitam, puritate, castitate, sanctimonia, disciplina, ordine proficiscens, diuinamque captans beneuolentiã, & animas diuinæ largitioni subiiciens. Tertium est contactus aliquis: per quem essentiam diuinam fermè iam attingimus: & in ipsam summitate quadam animæ vergimus. Quartum ingressio quædam in luminis diuini vestibulum. Quintum denique vnio, vnitatem animæ propriam diuinæ vnitati insinuans penitus & connectens, vnamque iam actionem eandem animæ Deique consians: adeo vt nec vltra nostri iuris, sed Dei simus, splendore obruti & circunfusi diuino. Huius autem adorationis quæ absque intermissione agenda est, supremus est finis, vt videlicet conuersionem animæ cum ipsa permansione coniungat: & quicquid à diuina vnitate processit, rursus idem firmiter restituat vnitati: lumenque nostrum superno lumine circunfundat. Sola igitur adoratio recta animas beatæ reddit patriæ. Sola sanctimonia est plena virtus. Solus vir bonus, vt Plato scribit in legibus, Deum decenter feliciterque precatur. Sola cum superis consuetudo beatos facit. Ab hac flagitiosi omnino sunt alieni: & tanquam profani à votis & sacrificiis segregandi. Puri vero decenter ad supplicandum accedunt, ducentes videlicet secum tres præcipuè comites, fidem, veritatem, & charitatem, quibus stipati spem bonorum concipiant firmam, atque extra cætera seque ipsos positi diuinæ se ipsos luci prorsus immergant. Frustra enim Deum quæritat, qui non adhibet se solum soli, immobilemque stabili, & simplicem simplicissimo. Quemadmodum enim non possumus enti per non ens coniungi: sic neque vnitati per multitudinem: & stabilitati per motum, & simplicitatem per mixtionem: sed relamur potius in oppositum. Hæc Iamblichus atque Proculus. His addit magnus Theodorus: Si quis naturas rerum diligentius explorauerit, inuentum non animas tantum atque mentes, sed quodammodo omnia excepto primo adorare atque fouere.

Mundum habere supra se tres causas: ac dependere à causa incorporea.

CAPVT VII.

Post hæc antem actis precibus Timæus, quia mundum existimat esse factum, ideoque ab alio factum, tripliciter eius causam perscrutatur, primò quidem efficientem, id est diuinam mentem: secundo exemplarem, id est idearum seriem in diuina mente conceptam: tertio finalem, id est, bonum. Mundum vero esse ab alio ex eo indicat, quod & si pro natura corporea perfectissimus est, tamen pro absoluta natura non est omnino perfectus: cum propter materiam patiatur informia vel deformia: propter dimensionem subeat virtutis defectum, diuisionemque expectet, si diuisor accesserit: propter compositionem dissolutioni sit obnoxius: ob partium repugnantiam machinetur malum: ob motum indigentiam præ se ferat, & priuationem patiatur admixtam: denique ob ipsum ex diuersis congressum vno quodam superiore indigeat connectente: qui perfectissime sit, quoniam ex seipso sit: quemadmodum mundus, quia non est perfectissimè, cognoscitur ex seipso non esse. Omnino autem omnium rerum compositarum genera reducuntur ad aliud quod in eo genere non est compositum: sicut dimensiones ad signum, quod ex dimensionibus non componitur: numeri ad vnitatem, quæ non fit ex numeris, elementa ad id quod elementis non miscetur: ergo & entium vniuersus ordo ad ens, quod non constat ex entibus. Id autem erit substantia accidentibus nullis admixta. Igitur neque quanta erit neque qualis: sed tota impartibilisque substantia. Neque ex eo quod vnicum & simplicissimum erit solum, minus habebit, quàm quæ præter substantiam subeunt accidentia. Quæ enim in sequentibus accidentia sunt, in supremo debent esse substantia: & illa quidem optima. Quo vero plura addideris optimo: eo coges longius ab ipsa optimitate discedere. Si quidem ex admixtione noua illic resultat qualitas, atque degenerans. Non solum ergo hic mundus quia omnino compositus est, sed etiam si quis est superior, & tamen aliquo pacto compositus, à superiori simplicitate dependet. Quæ etiam super æternitatem extat, à qua in diuinis mentibus integra fit æternitas: & in animalibus rationalibus æternitas mixta tempori: & in mundi sphæris sempiternitas tẽporalis. In his autem quæ sphærarum motu virtuteque fiunt, quædam portio temporis. Quæ igitur super animam cogitantur, semper quidem sunt, & nunquam fiunt. Ipsa vero & est & fit semper. Mundus est quidem nũquam, sed fit semper. Quæ in mundo gignuntur, sunt quoque nunquam, sed aliquando fiunt. Fieri quidem dicimus tempore transigi. Quoniam vero perpetuo motu temporeque peragitur mundus, ideo semper fieri iudicatur. Quatenus vero fit, nondum est, itaque dicitur esse nunquam, perinde ac si in torrente iugiter fiat restituaturque imago montis, semper quidem in ipso fieri ducta, nunquam in esse consistens. Id vero inter animam & mundum differre, Platonici putant, quod cœlum non modo per actionem: sed etiam per essentiam continue fiat. Anima vero per actionem quidem fiat, per essentiam vero sit potius à Deo, quam fiat à Deo: & quoniam essentia impartibilis est, habeat vim quandam suiipsius quodammodo productricem, per quam edat in seipsa vitam propriam atque motum. Cœlum vero vndique pendeat aliunde. Summatim quemadmodum eodem scopulo, inter stagnum torrentemque sito, assidue in stagno quidem est, in torrente vero fit imago, & euanescens iugiter recreatur: sic à Deo semper pendet vtrumque, sed aliter atque aliter. Nam ab

ipso anima quidem semper est, mundus vero fit semper. Sed ab alio principio rursus exordiamur.

Ipsum bonum est omnium causa magis quam sequentes causa, nec ullam habet cum cæteris proportionem.

CAPVT VIII.

VNiuersum hoc à summo Deo habere omnia, & actionem & virtutem pariter, & essentiam Platonici omnes absque controuersia confitentur. Id enim à Platone ex omnibus eius libris accipiunt. Audiunt & idem in Epistolis confirmantem. Vbi profectò ingenti cum mysterio tertios effectus in causam tertiam, secundos retulit in secundã: cunctos vero in vnam omnium causam. Neque dixit primos effectus in primam causam reducendos: ne pronunciando duntaxat primos, suspicaremur eos solos à Deo pendere, neue Deum nominando causam primã, suspicaremur ipsum & cum cæteris causis in quodam genere conuenire, & cum effectibus in quadam dominationis proprietate congruere. Itaq; cuncta ab ipso procedere simul ostendit: & ipsum interea ab omni procedentium communione esse penitus absolutum. Idque ob absolutam simplicitatem nominat ipsum vnum: ob exuberantem vero beneficentiam, per quam & tanquam principium producendo efficit omnia, & tanquam finis eadem perficit reducendo, nominat ipsum bonum. Putat autem quæcunque fiunt, magis ab ipso quàm à cæteris causis dependere. Siquidem ipsum in quouis opere & prius agit, & diutius, & vehementius quàm reliquæ causæ: & reliquæ quicquid sunt, eo faciente sunt: & quicquid agunt, eo ducente agunt. Vt tantem ostenderet singula ab ipso magis quàm ab aliis causis emanare, ter replicauit ipsum omnium esse principium. Inquit enim. Circa omnium regem omnia. Item eius gratia omnia. Rursus ipse omnium causa, vt intelligeremus & cuncta maximè inde oriri: & Deum esse cunctorum effectorem & exemplar & finem. Proinde vnum ipsum, atque bonum esse super essentiam omnem & intellectum, atque esse causam vtriusque, in sexto Reipub. atque in Parmenide & Sophista euidenter ostendit. Constat autem idem esse vnum atque bonum: ne si diuersa sint, duo cogantur esse principia summa. Principium profectò & simplicissimum esse debet & optimum. Nihil autem vel vnitate simplicius, vel melius bonitate. Neque etiam vnitas melior bonitate, neque bonitas vnitate simplicior. Vnum ergo sunt ambo summusque Deus. Idque totum super essentiam esse atque mentem, satis in Theologia & alibi confirmauimus.

De dependentia materiæ ab ipso bono: Et de actione mentis & animæ in materiam: & de mundo intelligibili.

CAPVT IX.

AB hoc vtique vno bonoque super omnem essentiam eminente Plato in Parmenide & Sophista omnes entium deducit gradus; tum eorum quæ vere sunt, id est, formarum separatarum: tum eorum quæ non vere sunt, id est, formarum materiæ inhærentiũ: tum infimum materiæ graduum. Qui vsque adeo non vere est, vt proximus ei sit, quod fingitur iam vere non esse. Hanc vtique materiam in Parmenide ab ipso bono in vltimo rerum gradu deductam, accipit in Timæo quasi iam geniram: & architecto mundi ad effectum mundani operis subditam. Sed nunquid Deus mundi author, idem & materiæ est effector? Respondebit hic Ammonij & Origenis schola, eundem esse. Et in Parmenide quidem tractari, quemadmodum materia esse à Deo accipit: in Timæo vero, qua ratione ab eodem accipit bene esse, prius autem quodammodo esse quàm bene esse excogitari. Respondebit aliter communis Platonicorũ schola, non eundem esse Deum, qui materiam facit: & qui format proxime. Imo materiam à summo quidem bono esse: ab intellectu vero formari: ab anima postremo moueri. Imo vero omnia hæc à primo: sed esse à primo tantum. Formarià primo per intellectum: moueri, & mouendo formari mobiliter, à primo per intellectum simul & animam. Perinde ac si fingamus figulum quendam, qui manu propria lutum faciat, factum per totam formet: formando ligneo quodam distinguat pectine atque figuret. Nemo vtique dixerit vas à pectine atque rota magis fieri quàm à figulo: quamuis à figulo per rotam fiat & pectinem. Vniuersum hoc similiter ab ipso bono iudicant per intellectum quendam diuinum animamque vniuersi procedere: Merito ab ipso mundum proximè fieri maxime vnum, ab ipso bono maximè bonum. At quoniam visibilis hic mundus ob multiplicem partium distantiam, qualitatum repugnantiam, effectuum diuersitatem, materialium deformitatem, neque maximè vnus est, neque maximè bonus, ideo ante hunc existimant ab ipsa vnitate bonitateque diuina mundum alterum proxime emanare, & prout natura patitur quam simillimum, non visibilem quidem, sed intelligibilem, intellectualemque, exẽplaria omnium quæ in hoc gignuntur habentem. Quem quidem diuinum intellectum, nominant non ipsum bonum, sed optimum boni filium. Quem si vnius cum primo substantiæ esse intelligamus, Platonem Christianæ Theologiæ magis conciliabimus, sed cæteri Platonis interpretes reclamabunt.

Sol, lux, lumen, splendor, calor, generatio, similiter vnitas, bonitas, intellectus, anima, natura, corpus mundi, imago mundorum superiorum.

CAPVT X.

MAnet ergo Christiana & Mosaica veritas. Ac interim, sicut pluribus placet interpretum, forsan fuerit hæc vel Platonis opinio, vel Pythagoræ: intelligibilem mundum inter visibilem atque ipsum bonum esse medium, imaginem quidem boni, exemplar vero corporei mundi: ita à bono pendentem, sicut lumen extra Solem, à luce intra Solem. Præterea producentem ex se proxime mundi animam, sicut & lumen fundit ex se splendorem: perque animam

singula quotidie generantem, sicut splendor per calorem corpora gignit. Quemadmodum igitur sex hi gradus ordine disponuntur: Primo quidem ipsa Solis substantia, deinde lux substantialis & intima: Tertio lumen inde manans: Quarto splendor resultans ex lumine: Quinto calor splendore succensus: Sexto generatio caloris flagrantia coalescens: ita sex alij digerantur. Primo quidem vnitas, deinde bonitas: neque tamen re ipsa duo hæc, sed ratione quodammodo distinguantur, eadem namque diuinitas: & quia omnia supereminet: vnitas: & quia per omnia rursus exuberat, bonitas appelletur. Hanc vtique exuberandi virtutem Plato in sexto de Repub. ideam appellat boni. In Epistolis verò bonorum, boni quidem, id est, sui ipsius, bonorum quoque quæ ab ipsa proficiscuntur. Tertio in gradu ponatur diuina quædam mens quasi lumen de luce manans, multiformesque, vt ita loquar, ideas in se concipiens duplici quodam supernæ lucis, ideæque vnius diuinæ fomento: non aliter quàm in lumine multi iam radij ex vno lucis radio deriuantur. Non solum vero in hac mente rerum cõprehenduntur ideæ quasi fonte: sed & ad hanc multi mentium reducuntur exercitus quasi duce: ab eadem videlicet diuina luce à qua & ipsa æque prosilientes. Totum vero id genus mundus superior nominatur: sed quantum ad mentes spectat sequentes, intellectualis mundus: quantum vero ad dulcem, intelligibilis. Sed ipsa quoque mens dux mentium, partim quidem intellectus, partim intelligibile nominatur. Intellectus quidem qua rationibus rerum discernendis incumbit. Intelligibile vero, qua rationes eiusmodi in suis continentur ideis. Idea denique boni non modo super intellectum, sed etiam super intelligibile regnat. Post archetypum hunc mundum quarto gradu sequatur corporei mundi anima: Mundus iam rationalis ex intellectuali mundo progenitus, quasi splendor ex lumine. Et sicut splendor iam motui permiscetur, sic anima immobilium idearum rationes mobili quodam pacto attingit atque percurrit. Quintus huic succedat gradus, ipsa videlicet natura rerum, mundus iam seminarius, ex rationali animæ mundo, quasi calor splendore resultans. Sexto tandem gradu mundus hic corporeus collocetur, ex seminario ita proxime ductus, sicut rerum generatio ex calore. At si cæteris omissis aptius comparare volueris, cogitabis in architecto quodam sapientissimo vim primo bonitatemque naturalem. Deinde Geometricum contemplatoremque intellectum, communes rationes mensurarum habentem. Tertio rationem, vt aiunt, practicam iam per rationes ipsas de artificio consultantẽ. Quarto imaginationem figuras iam & modos conducentes operi effingentem. Quinto effectũ. Sexto mouendi virtutem. In eiusmodi vero comparationibus videbis effectus multo magis ab antecedentibus fieri quam sequentibus.

Singuli ordines ad singula capita reducuntur, vniuersus ordo ad vniuersale caput, à quo omnia componuntur ex actu & potentia.

CAPVT XI.

NEque vero latere nos debet propria rerum genera ad capita propria, vniuersum genus ad vniuersum caput oportere referri. Cuncta enim mundi corpora ad corpus vnum: Naturæ omnes ad vnam quoque naturam: Animæ ad animam: Mentes ad mentem: ad bonum denique bona, & quia bona, ideo cuncta. Sed vtique omnia conuersione quadam naturali bonum appetunt tanquam finem: quoniam ab ipso bono, communi quadam processione tanquam principio prouenerunt: atque adeo cuncta ipsum appetunt, vt materia infima appetat appetitu non infimo. Perpetuo siquidem in omnibus generandis ad ipsam boni vergit similitudinem: vt appareat hanc à bono pendere. A bono inquam potius, quàm à mente. Quippe cum mentis actio per quæ formas fit ideales, terminetur ad formas. Actio vero boni vtpote amplissima, vltra formas descendat etiam in materiam, efficiatque bonorum auidam & capacem. Sed quam nunc voco materiam, Plato in Philebo latiori nomine infinitudinem nuncupat, dicens ipsum bonum proxime infinitudinem ac terminum peperisse, statimque inuicem miscuisse, atque ex hac mixtione cuncta composuisse, id est, ex potentia quadam formabili & accedente forma. Potentiam enim formabilem quasi ex se nondum definitam nec perfectam vocat infinitudinem. Formam vero huic adhibitam nominat terminum: quod videlicet indefinitam potentiam definiat, & in specie iam optata perficiat. Ex his ergo duobus & intelligibilem mundum proximè à Deo volunt esse confla[tum]: & sensibilem deinde ab intelligibili ex eisdem vel similibus constitutum. Ita vt intellectus ille proximus mundi visibilis architectus, materiam acceperit ab ipso bono quodammodo spiritalem: sed iamiam sub se in dimensionem molis degenerantem informemque & vacuam: ac si forsan ex se moueatur absque ordine mutaturam: sed per idearum ordinem ab eodem bono susceptum, formauerit eam, redegeritque in ordinem, antequam extra ordinem vagaretur. Præsertim cum animam ipsi rationalem in primis infuderit, motionis ordinatissimæ dominam. Non solum vero materiam per se informem fore, sed animam quoque fore informem inquit, nisi Deus vtramque formet. Quod vero est in materia corporalis species, id ratio est intelligentiaque in anima: qua si caruerit, materiam inordinate mouebit. Quo autem id exprimeret, materiam considerauit in formam & animam rationalem: viditque motum inde sine ordine processurum.

Materiam non fuisse inordinatam ante mundi tempora, sed quadam ordinis ratione.

CAPVT XII.

EX his omnibus colligere possumus materiam non esse æqualem mundi fabro: non esse ante mundum vllo temporis interuallo, licet origine quadam & ordine: non iactari inordinate ante ordinem, sed erraturam fuisse procul ab ordine, quantum in se est, nisi statim desuper ordinata fuisset. At ne quis hunc loquendi modum improbet in Platone fingente materiam ante mundum inordinate iactatam, audiat & Mosen ante mundi distinctionem dicentem terram fuisse inanem & incompositam, & super faciem abyssi tenebras extitisse. Mitto in præ-

sentia Poeticum chaos. Adducere iuuat in medium Philonem Iudæum similibus verbis Moysis Genesim exponentem. Si quis causam quare vniuersum hoc creatum sit, velit exquirere, non errabit meo iudicio, si id existimabit quod quidam ex veteribus protulit: bonum esse creatorem ipsum & genitorem, & autorem vniuersi: & bonitatis suæ gratia nulli substantiæ inuidisse, quæ sua natura nihil boni haberet, & tamen fieri omnia posset. Erat enim sua ipsius natura inordinata, informis, inanimata, omnino varia, incongrua, inconcinna, inconstans, apta quæ in contrarium mutaretur, & optimarum rerum rationem susciperet, formæ videlicet, animationis, similitudinis, congruitatis, concinnitatis: omnium denique rerum ideæ melioris. Item in secundo eiusdem libri volumine. Cum, inquit, creator substantiam inordinatam & natura sua confusam in ordinem ex inordinatione, & in discretionem ex confusione traductam formare cœpisset: Terram atque aquam medio loco firmauit. Hæc Philo. Proinde si gradus rerum sex in superioribus adductos consideraueris, perspicies fortè quàm similis sit, Plato Moysi, sex diebus mundi Genesim absoluenti: quàm similis & Pythagoras, probans senarium numerum Genesi nuptiisque prorsus accommodatum, vnde & Gamon appellat: propterea quod partes suæ iuxta positæ ipsum gignant: similemque reddant genitum genitori.

Duplex opinio de origine mundi.

CAPVT XIII.

SI quis interroget nunquid apud Platonem mundus fuerit sempiternus: Respondeo equidem interpretibus Seuero & Attico, & Plutarcho, aliisque vt Proclus narrat multis non fuisse semper. Sed interpretantibus Crantore, Plotino, Porphyrio, Iamblicho, Proculo & plerisque aliis, semper quidem fuisse semper à Deo, imo fluxisse. Deum enim semper esse aiunt. Mundum vero fieri semper, & fluere. Ac si initio temporis carentem consideraueris, ingenitum dici mundum: sin autem perpetuum à Deo eius effluxum, assidue genitum: neque minus ex Deo pendere, si dependerit pendeatque semper quàm si aliquando cœperit dependere, vel definat. Quemadmodum lumen non minus à sole ducit originem, neque minus seruit soli, si semper quàm si aliquando profluxerit, effluatque à sole.

Triplex coniectura Platonicæ opinionis de mundo, & quæ sit certitudo sententiæ Platonicæ de mundo.

CAPVT XIV.

CÆterum in rebus Platonicis, vel coniectura incedimus, vel scientia. Quantum ad coniecturam spectat, ita & ipse loquitur, & sui disputant, vt opinionem eius de origine mundi in tria capita colligere liceat. Aut enim putauit materiam aliquando ex nihilo à Deo certam, simulque formatam tempore. Quamuis in hoc opere quod componitur ex materia, secundum quendam productionis ordinem materia ipsa prius cogitetur fieri quàm formari: & esse materiam prius quàm esse formatam: atque ante opus ex materia factum quæri soleat ex qua fuerat opus conficiendum. Aut Deum materiam non aliquando nouam petiisse, sed ab æterno, similiterque ornasse: quamuis inornata prius quà ornata fingatur, siquidem natura sua caret ordine: quem expectat ab alio. Cumque res quælibet prius cogitetur secundum quod est, quàm secundum id quod accipit, merito seorsum ab ordine potest ipsa in se ordinis expers excogitari. Aut vt dixi materiam semper à Deo fuisse, atque continue ordinatam, imo per temporum interualla: ita Dei sit stabiliter ordinare: materiæ vero ordinari mobiliter: accipiatque temporalē ordinis sui temperationem non aliter quam à fabro accipit horologium: peractisque pro natura sua certis temporum interuallis, amittat ordinem paulatim ac denique totum, redeatque in Chaos, sed Deus subito extremam confusionem minimè tolerans, in priorem dispurationem vnico nutu retemperet, idque fiat infinite vicissim nunquā mutato Deo, infinite reformata materia Hactenus humana in Platonicis processetit coniectura. Quantum vero habemas scientia, affirmamus Platonem nostrum affirmauisse Mundum nō ex se existere, sed ex causa: non ex causa fortuita, sed ex certa: non ex naturali duntaxat causa, sed intellectuali: non ex intellectu per modum naturæ determinato, sed potius voluntario: non voluntate ex naturali quodam instinctu cōpulsa, sed libera. Nihil enim magis liberum quàm quod per se est, & per se agit omnino: neque tamen contingente aliqua voluntate. Nihil enim magis contingens, vbi idem est voluntas atque necessitas. Nihil iterum violentum, vbi idem est vicissim necessitas & voluntas. Vt autem id aperiret, non minus replicauit in fabricando mundo voluntatis diuinæ quàm intelligentiæ nomen. Atque addidit ipsam voluntatem boni esse summam causam, & certissimam causarum. Quam ex eo ostendit liberam esse, quod sæpe ait Deum architectū timore cōsultauisse: atque liberauisse de opere construēdo, quibus in verbis non ambigentem intelligi Deum vult, sed libere eligentem. Proinde mundanum opus non semel tantum processisse inquit, à Deo, sed procedere seruarique assidue. Quinetiam suprema mundi numina vna cum mūdo ex seipsis dissolubilia fore, nisi diuina voluntate regantur. Satis ergo fuerit & id quidem quàm maximum, talia de affirmāte Philosopho affirmasse, his enim concessis facile poteris Deū dicere quādo prouidente & libera efficit voluntate, mundū absque nouitate sui nouum composuisse. Ac si audieris non aliquando nouum, sed ab æuo potius edidisse: poteris maiestatem simul suam seruare Deo, cuius voluntate, & hac quidem libera, mundus non minus eget & pendet, si eget pendetque semper, quam si quādoque processerit. Quoniam vero Plato sæpe ait, eatenus de diuinis asseuerandum, quatenus diuinis oraculis comprobetur: & nos sacris literis potius quam coniecturis nostris assentire debemus.

Mundus boni gratia procreatus ad diuinæ rationis verbique diuini similitudinem.

CAPVT XV.

MVndum ergo fecit voluntate, id est, bonitate sua, tam voluntarie quàm naturaliter

ob immensam facunditatem exberante, quæ primum quidem seipsa gaudet: ob idque deinde sua hac delectatur imagine: ita tamen, vt non in hac imagine, sed in ipso exemplari, atque principio delectationis huius constituat finem. Quoniam igitur bonitate fecit mundum: idcirco boni gratia fecit ipsum, non enim vt esset viueret, intelligeret simpliciter, procreauit: sed vt & bene esset, viueret, & bonum intelligeret atque compararet. Id illi Mosaico valde consonat. Vidit Deus hoc & illud esse bonum: & cuncta valde bona. Et quia pulchritudo splendor est bonitatis, ideo subdit ab optimo Deo mundum esse pulcherrimum procreatum: temporalem quidem, sed ad æterni exemplaris imaginem. Dicet & sæpe, quod species sunt in archetypo, id est, principali mundo, intelligibiles atque imitabiles, totidem rerum formas in hoc mundo disposuisse, atque ita sibi similem effecisse: vtpote qui intelligat ideas rerum non inter nubes, vt maledici quidam calumniantur: sed in mundani architecti mente consistere. Vbi vero ait in ipsa vita ideas esse, vaticinari videtur Euangelicum illud: Quod factum est in ipso vita erat, & vbi ait repetitque sæpe mundum diuina prouidentia constitutum, totam confirmat religionem. Quod quidem cum obseruasset Theophrastus tanquam in Philosopho mirum, ait, Plato solus, vel certe maxime omnium, à diuina prouidentia rerum causas assignauit. Sed ô Theophraste quacunque id mente de Platone dicat, proculdubio confiteberis, Platonem solum vel omnium maxime prouidentem atque diuinum.

Cur mundus sit vnus, & sphæricus, & moueatur in sphæram.

CAPVT XVI.

Ostendit vero deinceps diuinum ipsum mundi exemplar, quod Euangelista, sed diuiniore sensu diuinum appellat verbum, esse vnicum: quia quod contineat omnia, nihil relinquat extra seipsum: ideoque sit necessario vnicum. Sed de hoc ipso in Theologia diffusius. Cum autem mundus hic in cæteris quoad fieri potuit, mundum intellectumque diuinum referat: adeo vt qui formas in hac materia conspicit, quasi diuinum vultum contueatur in speculo: certe in ipsa etiam vnitate omnium effectrice atque seruatrice repræsentat illum, vt architecti vnius vnum sit opus. Vnus igitur Dei vnius est mundus. Profecto si posset architectus humanus dominari materiæ, postquam plura ædificia effecisset, quorum quodlibet in se sit vnum, cuncta vno quodam tandem circumuallaret: Deus autem potest omnino, cum sit materiæ dominus. Neque somniare licet mundos plures quasi pilas, alios extra alios. Sic enim diuinum opus dissipatum foret: atque inter mundos spacia vacua forent. Probabilius existimabis, si quot orbes fingis per vacuum sparsos, tot excogites sphæras potius intra sphæras, vt quælibet sphæra sit mundus in mundo: vniuersumque opus vnum sit, atque inuicem ordinatum, nihilque vel vacuum vel ordinis vnionisque expers reperiatur. Sit autem figura mundi sphærica, sic enim est maxime vniformis, capax, indissipabilis, agilis: atque ita nec aliter potest moles in mole, & sine vacuo collocari, & sine offensione moueri, id est, si non quadrata quadratis, aut circulis, sed orbes orbibus inserantur. Denique præcipua mundanæ huius sphæræ causa est, quod & orbicularis est diuini mundi natura: quæ in seipsam intelligendo & amando reflectitur. Motionis vero sphæricæ ratio est tum figura ipsa quæ motum recipit: tum mundanæ ipsius animæ quæ mouet, intima per intellectuales species reuolutio.

Cur mundus diuidatur, vel in quinque, vel in sex plagas: & quomodo ei conueniat septenarius, & numerus circularis: & quomodo distribuatur ad intelligibilis mundi similitudinem.

CAPVT XVII.

Qvamobrem mundanæ diuisioni non iniuria accommodantur numeri: in quibus radices primæ sunt circularium numerorum: Quinarius videlicet ex imparibus: ex paribus vero senarius: Dicimus autem numerum vigintiquinque ex quinario in curculi morem multiplicari: quoniam ac eodem quodam modo redeatur in idem: dum quinquies quinque computantur vigintiquinque. Item simili circulo numerum centum vigintiquinque. Quinquies enim viginti quinque tot conficiunt. Eadem est ad triginta sex, itemque ad ducentos sexdecim, circularis senarij ratio. Sexies enim sex implet sex atque triginta. Item sexies triginta sex ducentos implet & sexdecim. Etsi superiores numeros ratione ortus sui alios quadratos, alios oblongos nominant: tamen ratione casus atque finis nuncupant circulares. Itaque per quinarium & senarium radices primas circularium numerorum, mundi corpus circulare diuidimus. Primo quidem in partes quinque, scilicet ignem cœlestem, ignem æthereum, sub luna, aerem, aquam, terram. Quæ quidem diuisio in Epinomide comprobatur. Deinde distribuimus per senarium: vbi cœlestem ignem in non erraticum diuidimus & erraticum. Quæ partitio à Platone frequentius vsurpatur. Verum sensibilis mundi distributionem ab ipsa exemplaris sui distributione commodius hunc in modum more Platonico deducemus. Excogitat quidem Deus in mundo penes ipsum intelligibili alteram quidem vim formabilem, alteram formatricem. Illam vt dixi, infinitudinem: hanc terminum Pythagorici & Platonici nominant. Excogitat & mutuam harum virium mixtionem: intelligitque tertiam quandam ex hac mixtione formam protinus coalescere. Sed & hanc ipsam formam quasi triplicem animaduertit: habere enim nonnihil infinitudinis, nonnihil & termini, nonnihil & proprii. Quo fit, vt post binarium numerum, infinitatis scilicet atque termini, ternarius euestigio surgat, addita his tertia forma. Surgat quoque quinarius, eiusmodi forma tripliciter distributa. Senarius denique nascitur, vbi mundi illius munus ad inferiora producenda porrigitur. Nascitur & septenarius, vbi mundus ille velut imago refertur ad partem. In quo quidem gradu septimo quasi die septimo conquiescat. Si vero reddideris singula singulis: animaduertes corporeum hunc mundum ab ipso superni

mundi termino ceu formam habere ignem: ab infinitudine vero ceu materiam habere terram. A media vero illius forma humorem ignis terræque conciliatorem: qui & conglutinet terram, natura propria dissipabilem: & nutriat ignem ex se facile resolubilem: & tria quædam in seipso possideat: hinc quidem igneum: inde vero terreum: sed nonnihil in medio proprium purumque aëtem, cum aliunde per sublime vergat ad ignem: aliunde per infimum vergat ad terram. Post hunc mundi quinarium fit senarius: si communem cunctorum excogitaueris formam. Fit iterum septenarius: si banc ipsam mundi formam reformaueris exemplari: in quo quidem die septimo conquiescat.

Quare sint in mundo partes distincta, & quare contrariæ, & de quatuor elementis.

CAPVT XVIII.

NOn solum vero distinctionem formarum, sed etiam repugnantiam videmus in mundo, procedit enim à primo, & procedendo degenerat. Processio quidem distinctionem facit: degeneratio repugnantiam. Quinimo diuisionis ipsius origo est fœcunditas causæ foras exuberantis, seque propagantis in amplum, procedenre vero per gradus multos diuisione, in repugnantiam denique peruenitur: præsertim quum mundi materia ob imbecillitatem nequeat ita inuicem cunctas formas conciliare: vt mundus ille superior in seipso concilîat. Quo factum est vt Deus materiam dimensione protenderit, vt repugnaturas inter se formas hospitiis diuersis exciperet. Denique quum & illa dicamus inter se contraria, quæ in eodem genere maxime distant, & illa diuersa, quæ inter se generibus separantur, ex eo quidem quod contraria sunt in mundo, apparet genus quodlibet species habere quam plurimas: ex eo autem quod diuersa, constat vniuersum genera possidere permulta. Quoniam vero & species omnes ad genera, & genera ad vniuersum, communemque eius formam denique reducuntur, concluditur, sicut superior mundus vniformis est atque omniformis, ita hunc omniformem esse atque vniformem. Conducit autem contraria elementorum cœlorumque qualitas & figura, ad nouas figuras quotidie generandas, conferente videlicet motione. Siue enim vnicum fuerit elementum, nihil vbique generabitur: quod & Hippocrates asserit. Siue plura inter se similia, nouit nihil efficitur: quod probat Heraclitus. Oportet tamen hunc mundum perpetua nouatum generatione formarum æternam superioris omniformisque mundi actionem pro viribus imitari. Esto itaque, vt Poësis canit Empedoclis, contraria inter se elementa. Esto & inter contraria medium: quando contraria & maxime distant, & absque medio minime congruunt. At medium hoc indiuisibile esse nequit, alioquin per ipsum contraria non distabunt, haber ergo dimensionem. Sed qua parte alterum tangit, non tangit alterum. Et habet insuper partem necessario mediam, per quam æque discrepet ab extremis. Propterea Plato inter contraria semper media saltem interserit duo: quemadmodum ex verbis eius euidenter apparet: Interserit & tertium: vbi ait, medium vim habere per quam non solum extremorum, sed suam quoque custodiat vnionem. Sed ponat manifeste duo, neque enim nunc id contendimus: ceu inter ignem & terram, duo quædam, aerem scilicet atque aquam. Opus autem esse duobus saltem mediis inter contraria omnino corpora: ostendit ex numeris atque dimensionibus, quæ naturalia corpora quodammodo antecedunt.

Numeri lineares, plani, & quare inter planos vnum sufficit medium: sed inter solidos non satisfacit. Et quomodo mathematicæ rationes ad Physicas referantur.

CAPVT XIX.

TRiplices esse numeros apud Pythagoricos alibi declarauimus, Lineares, Planos, Solidos: Lineares quidem quos sola metitur vnitas quasi punctum: vt Binarius, Ternarius, Quinarius, Septenarius atque similes. Planos autem qui multiplicantur ex numeris quasi lateribus. Ceu senarius ex bis tribus fit rerue duobus. At qui ex planorum numero eos quadrangulos, & æquilateros appellamus, qui ex numeri alicuius in seipsum ductu conficiuntur. Ceu quaternarius ex bis duobus, & nouenarius ex ter tribus: & sedecim ex quater quatuor. In æquilateres autem, qui ex ductu minoris numeri in maiorem: qualis fit senarius ex duorum ex tria deductione. Dicimus & oblongos: qui ex ductu numeri admodum minoris, in numerum longe maiorem conficiuntur: qualis est denarius ex deductione duorum in quinque resultans. Siquidem ex his quinque fit decem. Hunc si in decimo de Repub. appellauimus quodammodo linearem, intelligi volebamus oblongum. Præter hos autem, eos solidos dicebamus: qui ex deductione atque reductione numeri alicuius in seipsum efficiuntur, instar molis solidæ in trinam quasi producti dimensionem: vt bis duo bis, octo. Ter tria ter, viginti septem. Quater quatuor quater, sexaginta quatuor. Accipe duos planorum primos: qui videlicet à primis linearibus procreatur: vt puta hinc quidem quartenarium à binario: inde vero nouenarium à ternario procreatum. Hos sane planos duos, nouenarium scilicet atque quaternarium, poteris vnico competenti medio inuicem deuincere: hoc est senario. Quæ enim proprio est nouem ad sex, eadem sex erit ad quatuor, vtrobique enim est proportio sesquialtera, siquidem nouem continet sex: & insuper alteram eius partem, id est ternarium. Similiter sex comprehendit quatuor, atque insuper binarium, alteram, id est dimidiam quaternarij partem. Senarium vero esse competens medium inde patet, quod ex vtrisque componitur. Laus enim quaternarij quidem est binarius: nouenarij vero ternarius. Ex multiplicatione autem binarij in ternarium fit senarius. Similiter si acceperis vltra nouem alium quadratum, scilicet sedecim: medius erit duodecim: qui ex lateribus horum nascitur. Latus enim nouenarii quidem tria: sedecim vero quatuor. At si tria ducas in quatuor, duodecim reportabis: qui horum medius pari vtrumque ratione connectit, sesquialtera videlicet ratione. Nam sexdecim comprehendit duodecim: ac tertiã insuper

eius partem. Similiter duodecim vltra nouem includit tertiã nouenarii portionem. Cernis itaque quod inquit Plato: planos numeros vnico posse medio colligari. Accipe prẽterea numeros solidorum primos: eos inquam qui primi ex primis efficiuntur linearibus in se ductis atque reductis: hinc quidem octo à binario: inde verò viginti septem à ternatio procreatum. Hos vtique non poteris vnico inuicem medio copulare: sed cogeris duo saltem accipere media, scilicet duodecim, atque decem & octo. Accipies enim duodecim ex bis duoter, decem verò & octo ex ter tria bis, perque hos numeros conciliabis extremos sesquialtera ratione. Nempe viginti septem numerus, decem & octo complectitur, & alteram rursus eius partem, id est, nouem, similiter decem & octo exuperat duodecim. Item duodecim æqualiter excedit octo. Per hæc perspicuũ est, solidos numeros pluribus semper quibus congruere copulentur, mediis indigere. Quod autem exposuimus in numeris, idem possumus in dimensionibus, tum planis, tum solidis demonstrare, ostendentes inter plana compatabilia inuicem vnum sæpe sufficere medium: inter solida verò cõpatabilia: plura vera media esse ponenda. quod quidem & prolixum nimis foret, & satis iam à Iamblicho, & Proculo, & Chalcidio est ostensum. Quoniam verò Plato Mathematica hæc non propter seipsa quidem, sed propter naturalia hic accepit: his prætermissis consideremus breuiter quæ potissimum naturæ mysteria per Mathematicas imagines subintelligat. Principio quod in sacris literis legitur: Deum omnia in numero, mensura, pondere perfecisse, manifeste tangitur à Platone, numeros, mensuras, solida in medium ad ducente. Per solida enim comprehendit & pondera, quæ etiam significat vbi post dimensiones commemorat vires inclinationum quasi ponderum causas. Per numeros quidem intelligi vult ipsas rerum naturalium species formasque substantiales: quas etiam Aristoteles numeris comparauit. Per mensuras autem certas instrumentalesque figuras, vel magnitudines speciebus certis accommodatas. Per solida denique atque vires, significat qualitates, & quę cum motibus penitus protenduntur, & prẽstant motionibus actionibusque momentum. Indicat autem omnes in vniuerso, tum rerum species, tum specierum figuras magnitudinesque, tum qualitates, geometrica inuicem & Musica proportione compositas: vt qua ratione infimæ à mediis, eadem medię à superioribus excedantur. Item per numeros designat medium arithmeticum, quod numerorum paritate consistit. Per dimensiones atque mensuras medium geometricum, quod in rationis proportionisque identitate locatur. Per pondera & vires, medium Musicum: quod in portionis æqualitate vel similitudine situm, velocitatem, tarditatemque motionum, & acumen grauitatemque vocum virtute comprehendit.

Prima discussio, quare quaternarius elementorum numerus mundo conueniat.

CAPVT XX.

SEd de his alibi latius. Iam verò ad partitionem mundanorum partium reuertamur, quo harmonicam ipsarum compositionem conspicere valeamus. In superioribus quidem quinarium, & senarium circulari mundi figuræ congruere dicebamus. Nunc insuper quaternarium eiusdem plenitudini dicimus conuenire. Profectò quaternarius primus implet omnem differentiam numerorum, primum parem ac primum imparem in se complectens. Implet & simplicem numerorum progressionem, quando terminis quatuor explet denarium, vno duobus, tribus, quatuor denarium perfecte consummans. Implet processum quoque dimensionum, terminis videlicet quatuor assequens, signo longitudine, latitudine atque profundo. Implet Musicam consonantiam. Nempe intra quaternarij limites dupla, tripla, quadrupla, sesquialtera, sesquitertia, diapason, disdiapason, diapente, diatessaron, concerentur. Implet naturam ad quatuor vsque terminos procedentem, substantia, quantitate, motu. Implet denique vniuersum, siue quod in natura, siue quod supra naturam, essentia, esse virtute atque actione. Meritò igitur Pythagorici qua Trinitate plenitudinem mundani, tum corporis tum animi designabant, eamque iureiurando testabantur naturæ perpetuo fluenris fontem esse quadruplicem. Ex hoc nimitum fonte manat quaternarius elementorum numerus. Hinc quadruplicitas in cœlo quadruplex. Hinc sub cœlo tempora quatuor. Hinc sub tempore, quatuor humores, complexiones, affectus. Hinc super tempus quatuor virtutes surgunt. Hinc in æternitate quatuor exempla virtutum.

Secunda ad idem probandum discussio.

CAPVT XXI.

PRæterea nisi vererer partim prolixitatem, partim etiam nouitatem, recenserem mira quædam Iamblichi & Syriani Proculique commenta, gradus quatuor super mundum supernum constituentium, scilicet vnum, terminum, infinitudinem, mixtionem. Proinde supernum mundum, id est primam intelligibilemque mentem, post eam ponentium mentem mundumque partim intelligibilem, partim quoque intellectualem: post hanc intellectualem simpliciter mentem atque mundum. Quarto verò loco mentem mundumque animalem, sensibilis mundi ducem. Item supremam mentem & suscipere quatuor illa, vnum scilicet terminumque, & infinitatem atque mixtionem, & habere suapte natura quatuor: videlicet hinc quidem vnitatem, inde vero essentiam. Rursus vnitatem essentialem, & essentiam vniformem, atque omnes omnino rerum ideas quadruplicis similiter naturæ participes. Item mentem ipsam intellectualem iouialemque mundi opificem in fabricando mundo suscipere in mentem intelligibilem atque supremam velut exemplar, & in bonum veluti finem. Et qua ratione in mundo intelligibili, quod & ipsum ens ipsumque viuens nominant: principia & ideas suscipit naturæ quadruplicis, in quatuor similiter plagas dirigere mundum. Quarum prima à primo cœlo, postque cœlum per ignis sphæram vsque ad aëris principium protendatur: Secunda inde ad aerem vsque medium: Tertia inde ad terram, quarta verò sit terra: atque huiusmodi partitioni quatuor in qualiber plaga respondeant exercitus rationalium habitantium, deorum scilicet mundanorum, item Angelorum, deinde dæmonum, postremo particularium animarum. Sed his omissis ad institutum nostrum regrediamur.

Tertia ad idem confirmandum discussio.

CAPVT XXII.

QVatuor apud Methaphysicum sunt elementa, essentia, esse, virtus & actio. Quatuor apud Mathematicum, signum, linea, planum atque profundum. Quatuor apud physicum, seminaria naturæ virtus, pullulatio naturalis, & adulta forma atque compositum. Redde verò singula singulis. Essentiæ quidem signum atque semen, ipsi verò esse lineam, pullulationemque, virtuti planum atque formam, actioni profundum atque compositum, & vbique extrema velut solida duobus conciliat mediis, Manifeste verò quod in Mathematicis signum est, Plato in Physicis virtutem seminariam indiuiduamque & stabilem esse putat. Quod autem in Mathematicis linearis in longum productio, id in Physicis germinantis formæ pullulationem, vt ita loquar, existimat. Item quod ibi planum, hic propriè formam: vt enim planicies corpus terminat, ita forma materiam, denique quod ibi profundum, hic est compositum: compositum inquam duplex, tum formale, id est ex pluribus formis complexio quædã sphæræ solidæ similis: tum materiale, id est, ex forma atque materia, cubo similior. Quod ergo ait inter duo plana vnum sufficere medium, intellige inter duas formas medium vnicum satisfacere, id est formale. Formæ enim cum formis deinceps vbi per extrema sui sese contingunt, vno quodam formali medio congruunt, vtrinque partim quidem conueniente, partim etiam differente. At verò quod inquit solida solidis medio duplici copulari, significat inter composita naturalia duo diuisæ naturæ gemina media interponi. Quorum alterum quidem formale sit, alterum verò materiale. In quolibet enim composito, hinc principalis forma, inde accommodatum formæ subiectum consideratur. Hinc efficitur, vt inter diuersa composita consurgat discrepantia duplex: altera quidem magis ratione formę, altera verò magis ratione subiecti.

Quarta ad idem discussio, & de viribus proportionibusque elementorum.

CAPVT XXIII.

EAdem hæc alia insuper ratione corroborantur, si à quatrinitatibus modo descriptis, ad quatrinitatem sphæræ descendas. In hac vtique consideratur & natura medij, consideratur & natura circumferentiæ longissime inter se distantes tàm proprietate quàm situ. Consideratur insuperhinc quidem spatium, quatenus propria virtus centri porrigitur: inde verò spatium, quatenus propria magis circumferentiæ vis protenditur, Hinc quatuor computantur plagæ mundi, & quatuor similiter element.

	A substantia,	A virtute,	Ab actione
Ignis,	subtilis,	acutus,	mobilis.
Aër,	subtilis,	obtusus,	mobilis.
Aqua,	crassa,	obtusa,	mobilis.
Terra,	crassa,	obtusa,	immobilis.

Alia positio earundem.

Ignis,	acutus,	subtilis,	mobilis.
Aër,	obtusus,	subtilis,	mobilis.
Aqua,	obtusa,	crassa,	mobilis.
Terra,	obtusa,	crassa,	immobilis.

Quorum quod in circumferentia ponitur naturam eius sequens, amplissimum est, ideoque omnium subtilissimum per substantiam, per virtutem verò acutissimum, penetrationique aptissimum, per actionem denique promptissimum est ad motum. Quod autem situm est in medio, naturam quoque sequens medij, angustissimum est, & densissimum per substantiam, per virtutem verò obtusum, per actionem denique ad motum est ineptissimum. Media verò duo medio in his modo se habent. Proinde sicut maxime distant in sphæra ambitus atque centrum, ita per situm & naturam ignis terraque plurimum discrepant. Ille enim ita petit ambitum, vt nunquam naturaliter medium: hæc ita centrum, vt nunquam naturaliter ambitum. Aer vero interdum descendit, si videlicet in sublimi ignis regione ponatur. Aqua etiam ascendit, si sub terram cohibeatur. Quemadmodum verò in igne & terra tria considerantur, scilicet substantia. virtus, actio: sic & tres potissimum proprietates, videlicet in igne quidem per substantiam crassitudo, per virtutem acumen, per actionem mobilitas. In terra verò opposita, per substantiam crassitudo, per virtutem obtusitas, per actionem immobilitas. Dicuntur autem horum naturæ apud Platonē solidæ, quia instar dimensionis trinæ, trinas possident qualitates, quòd si duntaxat haberent planorum instar, vnum sufficeret medium: quod videlicet in qualitate quidem vnà congrueret cum extremis, in altera verò differret. At quoniam tres inuicem oppositas habent, duobus vt vinciantur opus est mediis: quorum vtrumque cum proximo quidem, tum extremo, tum medio duplici conueniat qualitate, in vnica discrepet: cum remoto verò extremo, in vna quidem congruat, sed differat in duabus. Sic vtique ignem sequitur aër, in subtilitate & mobilitate igni persimilis: sed quadam virtutis obtusitate dissimilis: in qua etiam vnica quodammodo cum terra consentit: cum aqua verò duabus, scilicet obtusitate atque mobilitate. Aqua sequitur aërem in duabus his aëri similis: sed vna similis igni, scilicet mobilitate duntaxat, at dissimilis igni duabus, crassitudine obtusitateque simul: dissimilis terræ mobilitate quadam, sed crassitudine obtusitateque similis Profecto quod ignis ad terram analogia quadam, id est rationis similitudine atque proportione comparabilis sit, apparet. Quemadmodum enim se habet subtilitas ignis ad terream crassitudinem: sic ignis acumen ad obtusitatem terræ: sic iterum ad immobilitatem terræ mobilitas ignis. Quod etiam comparabilis sit, sed potiori aliqua ratione, ignis ad aërem: aer ad aquam: aqua ad terram ex consensione qualitatum est manifestum. Videtur autem elementi proximi quidem ad proximum conuenientia ad discrepantiam esse dupla: ad remotum verò contra, dupla esse ad conuenientiam discrepantia. Videtur ignis aëre duplo subtilior, triplo mobilior, quadruplo vero acutior. Item aër aqua acutior duplo, triplo mobilior, quadruplo esse subtilior. Rursus aqua quam terra acutior duplo, triplo subtilior, quadruplo ad motum esse paratior. Procedere verò inter cognata ad quadruplam vsque proportionem duntaxat apud Musicos est concessum. Longiori enim progressione aures offenduntur. Quinetiam in his perfectæ rationes Musicæ continentur. In his vtique per tres qualitates quasi per trinas dimensiones, & solida quędam, ter quoque solideque ad solida

usque procedimus. Nam per duplam quarto gradu ad octo peruenimus: qui primus est solidus. Item per triplas quarto similiter gradu ad vigintiseptem: qui solidus est secundus. Rursus per quadruplas rationes, quarto denique loco ad sexaginta quatuor, qui tertium inter solidos numeros obtinet locum: octo enim à binario solido, id est, ter accepto, siue ducto: viginti septem à ternario ducto ter: sexaginta quatuor à quaternario similiter in seipsum ter multiplicato creatur. Cæterum vt notius fit quanta apud Platonem congruitas Mathematicis inest ad Physica, repetenda sunt duo illa primo tum media solidorum, posuimus enim inter octo atque vigintiseptem, competentia media duo, videlicet duodecim atque decem & octo. Duodecim quidem numerus, tum ex octo, tum ex vigintiseptem nascitur. Latus siquidem ex quo multiplicatur octo, binarius est: Latus autem ex quo vigintiseptem, est ternarius, sed ex binario atque ternario ita fit duodenarius, si egeris bis duo ter: vbi duodenarius oriens duo ab octonario accipit latera: vnum verò à vigintiseptem. Item ex binario atque ternario ita fit decem & octo, si egeris ter tria bis: vbi decem & octo, numerus nascens, ab octonario quidem remoto latus accipit vnum, vbi dicitur bis: sed à numero vigintiseptem latera duo, vbi ter tria. Similiter elementa duo inter ignem terramque media: dum ex extremis contemperantur, interim à proximo quidem naturas reportant geminas: à remoto verò vnicam mutuantur.

Quod totus mundus ex quatuor componitur elementis, & quomodo hæc alia ratione sunt in cælo: aliter infra lunam.

CAPVT XXIV.

Ex his quatuor elementis Geometrica & Musica inuicem ratione coniunctis, vniuersum mundum esse compositum Pythagorici Platonicique omnes existimant: ita tamen, vt consonantia horum in cœlo nullam vnquam dissonantiam patiatur: sub cœlo autem, dissonantia quædam alicubi oriri videatur interdum: sed statim per superiorem concentum in formam consonantem mirabiliter redigantur. Esse vtique elementa hæc sub luna, nemo negabit. Esse verò in cœlo, physici nonnulli negabunt. Sed isti audiant Metaphysicos precor, probantes elementa per ideas suas esse in ipso mundi opifice: esse inde in anima mundi per rationes suas, esse in natura per semina. Ergo & in cœlo per virtutes, & sub cœlo per formas. Quo enim pacto à causis cœlo superioribus elementorum naturæ transeunt infra cœlū, & ibi quidem protinus nutaturæ, nisi virtutes horum moderatrices cœlo interim infundantur? Quinimo sicut agricola quidem non regit architectum, quoniam architecturæ nullas continet rationes: geometra verò has possidens, regit illum: sic & cœlum nisi elementorum elementaliumque comprehendat vires, hæc gubernabit nunquam: gubernans verò complectitur: imò complectendo gubernat. Audiant & astronomos tàm insignes quàm in planetis naturas designantes elementorum, & effectu probantes, audiant denique sacras literas ponentes sæpe in cœlis aquas: ponentes terram quoque viuentium. Quod si duo hæc ibi cælestium dissimiliora ponuntur: multo magis ignis & aer cœlestium similiores ibidem à sacris literis collocantur. Respondebunt vt arbitror, aliqui: vires illic quidem elementorum excellentissimas per modum causæ ponendas esse: in sphæris autem elementorum sub luna naturas eorum secundum formam: in compositis tandem participatione quadam: sed naturas ipsas elementorum in cœlo esse negabunt, ad hæc adducent Platonici virtutes vbique proprias in propria natura fundari. Itaque si sunt horum virtutes in cœlo, esse quoque naturas, sed quemadmodum virtutes illic in genere quodam longe bis excellentiore consistunt: ita naturas in excellentiore: imò, vt rectius loquar, excellentissimo. Et naturam illam ignis eminentissimam præbere cœlo sensibile lumen, viuificum calorem, motumque promptissimum. Naturam terræ largiri solidam firmamque stabilitatem Item & stellis densitudinem qua videri possint, & lunæ qua radios repellat solares. Naturam aëris præstare perspicuam qualitatem, quam nominant transluceitē. Naturam aquæ afferre delicatissimam, & æquabilissimam lenitatē. Et quod maximum est, ipsis sphærarum labiis quibus se contingunt, inserere virtutem illam frigoris & humoris: per quam fiat, vt quamuis ex velocissimo motu rapidissime & vehementissime se contingant, æstus autem illic resolutioque non accedat, Has quidem in cœlis aquas Hebræi valde probabunt. Probabunt etiam, vt arbitror, si audierint per naturam illic terræ viuentium fieri, vt materiæ alioquin tenuissimæ ex tanto motu nō dissipentur. Meminisse oportet, tantam esse in cœlesti substantia virtutem, tamque ad conciliandum efficacem, vt qualitates & motiones quæ apud nos sunt, inter se repugnantes, ibi non pugnent. Item vt reliqua illic elementa statim à prima genitura mundi in formam præstantissimi, id est, ignis redacta fuerint: quemadmodum per morum cœlestem elementa quatuor apud nos in quauis genitura ad vnam reducuntur mixti formam. Neque miraberis in vnum illic elementa constari: si cogitabis etiam infra lunam in vnam molem esse compacta, & ignem esse soliditatis terrenæ participem, ne ob tenuissimam mobilissimamque naturam continuo dispergatur: terram quoque per se torpentem, ignis consorem actionem vitamque nancisci. Quod si extrema miscentur, nimirum & media mediis extremis misceri. Item si tanta est infra lunam vnio, super lunam esse multo maiorem: sed terræ soliditatem siue stabilitatem illic absque crassitudine in vaporea quasi forma regnare. Rursus æquabilitatem lenitatemque æque procul à lapsu: agilitatem aeris ab effluxu seorsum: efficaciam ignis in lumine salubrique calore intelligentiæ vitæque persimili dominari, seorsum ab ea combustione ad quam efficiendam apud nos cogitur, tum lumen inter concaua repercussum, tum calor igneus aspera quadam materia, & mordaci conclusus, qui certe quatenus à terrena crassitudine soluitur, eatenus lucet purius, calet que salubrius. Ergo vnà cum Heraclito & Empedocle, dicemus ignis ipsius qui in idea est, intellectuale lumen, in cœlo quidem visibile lumen ad oculos emicare: sub cœlo autem in æthere puram ipsius & innoxiam vigere flammam: in terra verò carbonem in aspera materia comburentem. Dicemus postremo cum Orpheo esse insuper apud inferos quatuor elementa: Pyriphlegethonem, Acheronem, & Oceanum, & Cocytum. Dicemus cum Platone: quemadmodum in Archetypo mundo omnia sunt in om-

nibus, ita in hoc imaginario mundo omnia in omnibus esse: sed pro natura suscipientium vbique singula suscipi: vt cœlestia in elementis elementalia sint, elementa in cœlo cœlestia: atque tantam esse cœlestis regionis super alias excellentiam, vt cœlestis ignis præter elementalem ignem triaque reliqua elementa dici quintum valeat elementum. Hinc mundos quinque appellari posse ait. Siquidem omnia rerum genera in quolibet horum quinque sunt pro sua cuiusque natura. Concludemus denique concordiam inter Moysen & Platonem, quem Numenius alterum cognominat Moysen. Quod enim Moyses ait: In principio fecit Deus cœlum & terram: Plato ait: Deus primo ignem fecit & terram, ignem intelligens precipue cœlum. Principio enim in sphæra mundi centrum considerauit & ambitum. Reliqua horum gratia interiecit.

Circularis motus omnis, sphæræ semper mobili proprius est. Item ignis maxime proprium est lumen.

CAPVT XXV.

SEd neque nos turbent qui cœlum idcirco igneum esse diffidunt, quia cœli quidem motus sit circularis, ignis verò sit rectus. Nam etiam cœli portio qualibet, si fortè ponatur in medio, repente ascendet in rectum, breuiori videlicet tramite patriam petitura, & tamen cœli motus proprius est circuitus, & terra si separetur à centro, descendet, & tamen eius proprium est quiescere. Profectò qualibet sphæra mobilis tàm elementalis quam cœlestis, pro figura sua naturaliter mouetur in orbem, sic loco suo plenius fruitura. Motus autem rectus vbicunque est, non tàm naturalis est, quam reditus in naturam. Si cui verò corpori circuitus conuenit, maxime conuenit igni. Cum enim à terra distantissimus sit etiam per naturam, sicut terra est semper immobilis, ita ille semper est mobilis. Si semper mobilis, ergo in orbem. Quod enim mouetur in rectum, peracto spatio quod finitum est, finit & motum. Moueri verò in circulum tàm ignem quā aërem, ostendit circuitus cometarum. Circuitum quoque aquæ testatur influxus perpetuus & effluxus. Manere verò oportuit terram, vt indiuisibili & stabili centro foret similior, eoque commodius frueretur. Moueri autem superiora, vt varia semper pro motionis varietate producerēt. Neque negent aliqui cœlum esse calidum, sed negent potius esse vrens. Neque dicant Solis lumen sola repercussione calefacere, sed sola cōburere. Nam Lunę radij repercussi nihil calefaciunt, cum in ea virtus aquea dominetur. Calefaciunt autem Solis radii salubriter pro ignea solis viuificaque natura. Neque obiiciant ex tardiori Lunæ motu contingere, ne Lunę radij calefaciant. Nam & si ponitur esse tardior, tamen tanto propinquior est quàm Sol hominibus, vt debeat si non tantum aliquantum tamen calefacere, si repercussione duntaxat proueniat calefactio. Neque adducant æstū esse ignis proprium. Siquidem quo minus alienæ misceetur materiæ, minus vrit. Sed dicant lumen ignis proprium. Quo enim purius, eo lucidius, licet oculis quibusdam non manifestius, & lucet longius quàm calefaciat, & prius illuminat, & momento, & calorem largitur calefacto post ignem ad tempus seruante calorem: lumen verò largitur nulli, vt pote sibi proprium. Siquidem abeunte igne, simul abit & lumen.

De spiritu mundi, id est, de intellectu & anima, & intelligentia, & natura.

CAPVT XXVI.


POstquam verò tractauit quemadmodū Deus corpus construxit mundanum, deinceps quēadmodum mundanam animam temperauit, aggreditur disputandum. Ostendit interea se ante oculos posuisse prius & informem molem quàm formatam, & mox formatam quodammodo prius quàm animatam: non quia vel informitas ante formationē fuerit, vel formatio corporalis ante animam, sed vt cognosceremus tam formabilem naturam formationis corporeæ gratia, quàm corpoream formationem gratia animæ tanquam finis, esse diuinitus institutam. Volens itaque Deus opus perfectum facere, viuum & intellectualem effecit mundum: atque vt ex ipso spiritu, & materia mundi commodius animal vnum connecteretur, materiam distinxit in quatuor vt diximus, elementa, quasi animalis huius humores, quia & spiritum eius in quatuor voluerat esse distinctum. Quatuor enim ad mundi spiritum pertinent Primum quidem intellectus, in se manens immobilis, sphæræ motor siue rector, ita regendis sphæris ab autore rerum omnium institutus. Secundum sphæræ anima, motor mobilis quidem, sed mobilis per seipsum. Tertium intelligentia quædam, huic animę à Deo, & intellectu superiore diuinitus insita. Quartū natura, id est seminaria vitalisque virtus, ab anima passim infusa materiæ. Intellectus quidem & anima substantiæ sunt, intelligentia verò atque natura sunt qualitates. Illa quidem animæ, hæc verò materiæ. Horum quatuor imagines sunt quatuor elementa. Ignis enim intellectum refert, terra naturam, intelligentiam aër, aqua denique animam. Et sicut igni tria propria sunt, tria quoque opposita terræ, mediisque media quadam ratione conueniunt: sic tria intellectui propria eorumque opposita propria sunt naturæ, mediis quoque media. Intellectus enim indiuiduus est, vniformis, æternus. Natura diuidua, & multiformis, & temporalis. Anima verò inter hæc media per intelligentiam quidem magis intellectus ipsius particeps euadit quàm naturę, per animalem vero potentiam, cum natura potius quàm cum intellectu consenuit. Quamobrem partim indiuidua dicitur, partim quoque diuidua. Item vniformis similiter & multiformis. Rursus æterna partim & temporalis. Proinde quatuor vitæ secundum quadruplicem mundi spiritum numerantur. Saturnia quidem vita in intellectu suspiciente patrem suum cœlum, id est Deū cœli fabrum. Iouialis autem in intelligentia ad actionem iam mobilem declinante. Venerea in animali virtute iam amante materiam. Dionysiaca in natura quasi ebria, id est, immersa materiæ. Præterea sensus simili ratione quatuor in vniuerso connumerantur. Primus vtique sensus in anima mundi, communis inquam sensus, & vnus, id est, imaginaria quædam virtus sic intelligentiam eius comitans, & formas rerum particulares attingens, vt illa vniuersales: attingens inquam intrinsecus, ideoque nullis indiget instrumentis, neque extra procedit vsquam, neque patitur. Secundus verò sensus in animabus sphęrarum est at-

que stellarum, communis certe imparibilisque similiter, sed extra procedens. Tertius in particularibus animabus, vltra vim communem iam per instrumenta singula distributus, & extra se porrigens, atque à passione exoriens, sed desinens in iudicium. Quartum denique sensum Pythagorici concedunt plantis, imo sensus simulacrum, & id quidem stupidum nullum iam habens iudicium qualitatis, sed in sola positum passione voluptatis cuiusdam atque doloris. Sensus primus intellectum repræsentat. Secundus intelligentiam. Tertius vim animalem. quartus denique naturalem. Meminisse vero oportet ipsam mundi materiam, neque aliter suscipere animam quam per naturam, neque aliter intelligentiam quam per animam, neque aliter intellectum quam per intelligentiam. Quemadmodum per terram accipit aquam, per hanc aerem, per hunc & ignem Cæterum quod deinceps bis simile sequitur, animadnerte. Ait: enim: Deus animam in medio posuit, eamque inde extendit per totum, ac demum per ipsam extrinsecamundi protexit. Primo quidem, significat animam & implere totam mundi molem, aliis scilicet virtutibus alias mundi partes moderantem & suprema sui circa mundum virtute, id est, intellectuali prouidentia, mundum exuperare. Quod autem virtus animæ ab ipso medio porrigatur per vniuersum, bis per quatuor gradus exponitur. Primo quidem à media terra passim virtutem connectendi protendit, à media aqua diffundit vim vitalem, ab aëre similiter sensualem, ab igne rationalem. Deinde à media mundi sphæra vim, vt diximus, connectendi, à sphæra lunæ generabilium ingenerabiliumque media vim vitalem, à Sole mundi corde sensualem, à Zodiaco medio firmamenti rationalem. Cum verò duplex sit ad Deum ordo rerum, alter quo ab eo procedunt, alter quo procedentes conuertuntur ad ipsum, Plato processionis ordinem secutus est, vbi ait: Deus intellectum in anima, animam locauit in corpore. Conuersionis quoque ordinem cogitans, ait: Deus animam in medio positam protendit eam inde per totum, & interim aliquid eius eduxit extra mundum: quo videlicet, dum prouideret mundo, conuertertur ad Deum.

De compositione animæ, & quod per quinarium in ea componenda opportune proceditur.

CAPVT XXVII.

QVoniam multa quę pertinent ad spherarum animas, mentes, motiones, compositionem animæ, in Theologia planius exposuimus, idcirco in illis exponendis hic & fuimus, & erimus breuiores. Nam ad nonnulla magis propria iam properamus. Principio quinarium numerum compositioni partitionique animæ conuenire tribus de causis arbitramur. Prima, quia sicut quinarius ex primo pari primoque impari constat, sic anima ex diuidua indiuiduaque natura. Scis autem parem numerum appellari diuiduum, imparem verò indiuisibilem, quoniam in partes æquales diuidi nequit. Secunda, quoniam genera etiam quibus à Deo componuntur omnia, per quinque distribuuntur. Sunt enim essentia, idem, alterum, status, motus. Animam verò velut omnium mediam, præcipua quadam ratione ex ipsis quinque omnium generibus compositam arbitrantur. Tertia, quia cum anima sit medium vniuersi, naturaliter quinarium suscipit, vniuersi numeri medium. est enim quinarius perfectum denarij medium. Nam quum quinquies rite denarium diuidamus



medium est æque distans in qualibet diuisione quinarius. Primo quidem si decem in nouem diuiseris atque vnum, videbis quinarium inter vnū nouemque esse medium pariter vtrinque distans. Si secundo in octo atque duo partiri decē volueris, rursus quinarium æquale inter hæc medium reportabis. Si tertio in septem atque tria, vel quarto in sex & quatuor, iterum medium verum accipies inter extrema quinarium. Medium vbique dicimus Arithmeticum. Quod autem quinto decem partitus in quinque atque quinque, medium quinarium habeas, dictu superuacuum est. Quas ob res Plato in distributione vniuersi, tum corporis, vt ita dixerim, animabilis, rum animi, quinque potissimum capita adducit in medium. Nam vtrobique primum agit de ipsa rei ipsius, vt ita dixerim, subsistentia atque fundamento, siue corporis inquam, siue animæ. Secundo de partium vtriusque concordia. Tertio de specie ex partium concordia resultante. Quarto de virtutibus speciei. Quinto de actionibus quæ à virtutibus oriū-tur. Volunt verò Platonici ad essentiam animæ tria illa, scilicet subsistentiam, concordiam, speciem pertinere: per hæc sequi virtutem & actionem. Concordiam inquam, id est, congruam contemperantiam, & hanc quinariam, scilicet generum, partium rationum, virium, actionum. Cōstat enim anima ex illis rerum quinque generibus, per quæ & partes eius propriæ assignantur. Suscipit rursus à Deo rerum omnium rationes. Habet hinc vires multas propriasque per quas edit & actiones. Vbi verò animam appellat concordiā vel concentum: meminetis Platonem in Phædone quidem negare animam esse harmoniam, scilicet partium corporalium ex ipsis confectam, in eisq; iacentem. In Timeo autem affirmare animam harmoniam esse, scilicet partium suarum in se manentem, & ex se corpus contemperantem. Præterea vbi ait, composuit Deus ex indiuisibili semperque eodem se modo habente essentia, itemque ex illa quæ circa corporis fit diuisibilis, mediam essentię speciem, id est animam, expone hæc per

illa quæ dicit alibi: Fecit Deus mundum, viuentem, animam, intellectualem. Vbi enim dicit viuentem, deſignat vitam quandam naturalem per mundi corpora ſparſam, vnà cum corpore mundi extenſam mobiliterque agentem. Vbi verò ait intellectualem, intelligit intellectus Angelicos qui proprie regendis ſphæris præfecti indiuiſibiles ſunt ſecundum locum, & immutabiles ſecundum tempus, oppoſito ſe modo habentes, atque naturalis vita formaque corporea diuiſibilis atque mutabilis. At vbi ait animatum, ſignificat ipſam animæ mundanæ ſubſtantiam, cuius eſſentia quidem, & indiuiſibilis eſt, & immutabilis, vt intellectus. Dici tamen poteſt quodammodo diuiſibilis atque mobilis, quia fons proprius eſt virium quarundam ad diuiſibilia & mobilia declinantiũ. Virtus autem actioque partim indiuidua & immobilis, quatenus congruit cum diuinis, & ſtabiliter agit: partim verò & diuiſibilis eſt quodammodo, tum quia multiplex, tum quia ad corpus multiplex diuiſumque declinat, & mobilis, quia temporaliter operatur. Hanc itaque animam appellat eſſentiæ ſpeciem tertiam, inter indiuidua æternaque, ac rurſus diuidua atque temporalia mediam. Quod autem vbi mundum denominat intellectualem, ſignificare velit intellectus Angelicos, ex eo probatur, quod mundi corpus per vitam paratur ad intellectum, ergo quemadmodum ſe habet ad vitam, ſimiliter ad intellectum. Itaque ſicut non ſolum habet naturalem vitam in materia mundi iacentem, ſed vitam etiam animalem, id eſt animam in ſe exiſtentem: ita non modo habet intellectualem qualitatem infuſam animæ, verum etiam intellectualem ſubſtantiam in ſeipſa manentem. Vbique enim qualitates certæ ad certas ſubſtantias reducuntur, vt quemadmodum vitalis qualitas ad vitalem ſubſtantiam, ita intellectualis quoque qualitas ad intellectualem ſubſtantiam referatur. Componit autem animam quinque potiſſimum modis Primum ſcilicet ex ipſis quinque rerum generibus. Item ex numeris. Tertio ex concentibus numeroſis. Quarto ex initiis figurarum. quinto ex principiis motionum, videlicet vt poſſidens Metaphyſicorum Mathematicorumque rationes ita cuncta cognoſcat, ſcilicet eſſentias, numeros, concentus, figuraſque & motus. Item quatenus anima diuinis cognata eſt, ex rerum generibus quæ primo diuinis inſunt, dicit eſſe compoſitam. Quatenus cognata eſt naturalibus, miſcet eam figuris & motibus. Quatenus autem inter vtraque medium obtinet, numeroſis eam concentibus rationibuſque contemperat. Quinque verò illa, ſcilicet eſſentiam, idem, alterum, ſtatum, motum, genera rerũ nominat: quod ex illis præter primum omnia componantur. Eſſentia quidem manifeſte ſignificat rationem rei cuiuſque formalem innuit quoque eſſe, tanquam actum eſſentiæ proprium. Idem verò dicitur, quoniam quodlibet, & ſecum in primis, & cum aliis congruit. Rurſus additur alterum, quia quandam tum inter ſeipſum, tum ad alia differentiam habet. Præterea ſtatus, quippe quum aliquandiu ſuam quandam retineat vnitatem. Denique motus hoc in loco exitum quendam ex potentia in actum, ſiue eſſendo, ſiue quomodolibet intrinſecus extrinſecuſue agendo ſignificat. At ſuper hæc quinque genera ponuntur tria, terminus, infinitudo, mixtio. Super tria hæc, ponitur ipſum vnum. Eſſentia quidem diuinum ipſum vnum ſequitur. Idem verò ſtatuſque, terminum. Sed alterum atque motus, infinitudinem comitatur ſumnique ſicut ipſa mundi quatuor elementa per ſummum gradum locauimus in cœleſtibus, per medium ſub luna, per infimum verò ſub terra: ſic genera quinque ſumma quadam ratione ponimus in diuinis, media in anima, infima verò ſub anima. In diuinis enim & vnitas multitudinem, & terminus infinitudinem ſuperat, & idem excedit alterum, & ſtatus præualet motioni. In rebus autem inferioribus omnino contra fit, & quæ ibi ſuperabant, hic viciſſim iam ſuperantur. In anima potiſſimum æqualis euadit ſingulorum ad ſingula temperatio, vt non immeritò hanc præcipue, tum rerum mediam, tum Muſicis rationibus temperatam eſſe velint, Congruunt animę Mathematica, vtraque enim inter diuina & naturalia media iudicantur. Congruunt Muſici numeri animæ plurimum. Mobiles enim ſunt, proptereaque animam, quæ eſt principium motionis, ritè ſignificant. Non ſolum verò per numeros, ſed etiam per figuras deſcribitur anima: vt per numeros quidem incorporea cogitetur, per figuras autem cognoſcatur ad corpora naturaliter declinare. Conuenit triangulus animæ. Quia ſicut triangulus ab vno angulo in duos protenditur, ſic anima ab indiuidua diuinaque ſubſtantia profluens, in naturam corporis labitur penitus diuiſibilem: ac ſi cũ diuinis conferatur, diuiſa videtur. Quæ enim illa per vnam & ſtabilem virtutem agunt, atque ſubito, hæc per plures mutabileſque vires actioneſque peragit, ac temporis interuallis. Sin autem conferatur cum naturalibus, indiuiſa cenſetur. Non enim alibi habet partes alias loco diſiunctas, vt alia, ſed eſt in qualibet totius parte tota: neque omnia mobiliter temporeque perſequitur, ſicut illa, ſed nonnihil etiã ſubiecto conſequitur, æterneque poſſidet. Licet in hoc inſuper animam cum triangulo comparare, quod triangulus prima figura eſt earum quæ pluribus conſtantes lineis producuntur in rectum. Anima ſimiliter prima omnium in plures diſtribuitur vires, quæ in ipſa intelligentiæ ſubiguntur: ac produci videtur in rectum, dum à diuinitate labitur in naturam. In quo quidem deſcenſu ab intelligentia ſumma in tres profluit vires inferiores, id eſt in diſcurſum quendam rationalem, in ſenſum, in vegetandi virtutem. Quemadmodum & triangulus à ſigno productus, in tres deducitur angulos. Dico autem animam ex omnium genere primam, & ex pluribus quodammodo viribus commiſceri, & in rectum, vt ita dixerim, cadere. Mens enim Angelica ſuper animam inferioribus intra ſe nullis indiget viribus, ſed plura mens eſt, totaque mens atque ſufficiens. Item ad inferiora non vergit, ſed in diuinitatem ſolam, vnde eſt, circuli more conuertitur. Ideoque eius actio circulo comparatur. Vna enim actio eſt & æqualis: ſicut ex vna & æquali linea circulus, & mira quædam vtriuſque capacitas. Præterea circulus prima eſt & vltima figurarum. Prima quidem, quia vna circum contentus eſt linea. Vltima, quia figuræ ex pluribus lineis conſtitutæ, quo plures ſubeunt facies, eo propinquius paulatim ad circuli formam quaſi finem videntur accedere. Similiter & intellectus omnium primus precreatur à Deo & intellectualis vultus, id eſt, abſolutus ordo rerum vltimus omnium in ſpeculo naturæ refulget, ad quem naturales formæ quaſi finem magis gradatim magiſque accedunt. Sed de intellectu aliàs. Nunc ad animam reuertamur.

Cur Animarei compositæ comparatur. Cur consonantiæ Musicæ.

CAPVT XXVIII.

Tria potissimum de anima in præsentia quæ-rimus. Primum, quamobrem Plato animam fingit rei compositę similem. Secundum, quam ob causam rei concordia quadam compositæ. Tertium, cur consonantiæ Musicæ. Principiò anima, & si indissolubiliter composita est, tamen tanta est multiplicate composita, vt naturali quadam inclinatione ad ea vergat quæ sunt omnino composita. Idcirco cōpositis, quibus cū naturali quadam non dico consanguinitate, sed affinitate consentit, quodammodo similis figuratur. Deinde quia media rerum est, meritò & ex omnibus componitur, & concorditer cuncta deuincit: ideoque cuidā, vel concordiæ, vel concorditer composito: comparatur præsertim quoniā quæ in natura inter se pugnant, anima conciliat inuicem, conciliata connectit, connexa conseruat. Itaque non iniuria concordia quædam substantialis, siue substantia maximè concors indissolubilisque anima iudicatur. At cum illa etiam quæ cæteris sensibus apprehenduntur, sæpissimè concorditer composita sint, quærebatur tertio, cur Plato concordiæ potissimum Musicæ similem expresserit animam. Respondetur ad hæc: Musicam consonantiam in elemento fieri omnium medio, perque motum, & hunc quidem orbicularem ad aures peruenire: vt non mirum sit eam animæ conuenire, tùm mediæ rerum, tùm motionis principio in circuitu reuolubili. Adde quod concentus potissimum inter illa quæ sentiuntur quasi animatus, affectum sensuum que cogitationem animæ, siue canentis, siue sonantis perfert in animos audientes: ideoque in primis cum animo congruit. Præterea quæ ad visum quidem spectant, & si pura quodam modo sunt, tamen absque motionis efficacia, & per imaginem solam absque rei natura sæpius apprehenduntur: ideo parum admodum mouere animos solent. Quæ verò ad olfactum, gustum, tactum, quasi valde materialia potius instrumenta sensuum titillant, quàm animi intima penetrent. Concentus autem per aëream naturam in motu positam mouet corpus: per purificatum aërem concitat spiritum aëreum animæ corporisque motum: per affectum, afficit sensum simul & animum: per significationem agit in mentem: denique per ipsum subtilis aëris motum penetrat vehementer: per contemplationem lambit suauiter: per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit: per naturam, tàm spiritalem quàm materialem, totum simul rapit & sibi vendicat hominem, & profectò si quis tanta Musarum arte diligentiaque concentus offerret auditui, quāta naturæ artifex cura vel sapores gustui, vel mollia tactui offeruntur, proculdubio cognosceremus Apollinem multo magis animum rapere melodia, quàm vel Bacchus vino gustum, vel Venus pruritu tactum soleat occupare. Accidit ad hæc, quod vbi Plato mundi fabrum inducit loquentem, tùm secum ipso ratiocinando, tùm ad reliqua imperando, eloquium ipsum quasi Apollineum canrum apprime Musicum, originem mundani tàm animi quàm corporis esse putat, & animam inde natam Musica similiter ratione citharam pulsare cœlestem. Et profectò quòd in cœlesti melodia est, tùm ex tardiori motu grauis tonus, tùm ex motu velociori tonus acutus, idem sub cœlo est grauitas, & leuitas: item frigus & calor, rursus humor siccitasque elementorum. Idem in generatione rerum, materia est & forma. Idem in humanis ingeniis, mansuetudo & magnanimitas, temperantia atque fortitudo. Et quemadmodum ex graui acutaque voce, sic ex geminis cunctis quas narrauimus naturis vbique fit vnum. Cum igitur consonantia Musica quasi viua sit, & rationalis & efficax, item vt pote quàm simillima, animo quàm gratissima, rursus totum sibi hominem vendicet, & quod maius est, per ipsam factus sit animus, facta sint omnia, per ipsam conseruentur, per ipsam & moueantur, haud abre Plato noster animam effectricem, seruatricem, motricem omnium naturalium Musicis præcipuè numeris rationibusque descripsit, numeris inquam non Mathematicis accidentibus, vt quidam calumniantur, sed idealibus numerorum Metaphysicisque rationibus constitutam.

Propositiones & proportiones ad Musicam Pythagoricam & Platonem pertinentes.

CAPVT XXIX.

Phthongum, id est sonum melodiis aptum vocant, quo & grauiorem & acutiorem facilè quis edere possit, vt neque tàm profundus temissusque sit, vt sit silentio similis, neque tàm altus & intentus vt perstrepat. Grauem sonum motu remisso & tardo, acutum intentiore & velociore creari putant. Quemadmodum verò remissus admodum, & tardissimus motus ad quietem quasi videtur accedere, sic sonus grauissimus ad silentium. Rursus sicut vehementissimus celerrimusque motus ad violentiam, sic ad offensionem sonitus acutissimus. Interualla verò sonorum appellant certos excessus inter eos in acumine grauitateque mutuos. Compositiones autem congruentium sonorum ex opportunis proportionibus consonantium coniunctiones. Coaptationes quoque fidium in Musicis instrumentis, siue in vnico tettachordo, quale & inuenit Mercurius, & Orpheus confirmauit, siue in duobus tetrachordis per chordas septem vnà coniunctis, qualia Terpander dicitur effecisse, siue in geminis tettachordis per chordas octo dispositis atque disiunctis, quorum Lycaonem Samium fuisse asserunt authorem, siue in tetrachordis quatuor coniunctis, atque ex fidibus quindecim Græcorum tandem omnium approbatione constantibus, in his omnibus tetrachordis gradatim diatessaron resonat consonantia. Iam verò post sonorum, interuallorum, compositionum mentionem ad proportiones ex quibus fiunt consonantiæ, procedamus. Proportionem æqualitatis nominant, quæ fit inter terminos omnino inter se pares & æquales, vt inter vnum hoc, atque vnum illud, &, cubitum atque cubitum. Inæqualitatis autem quæ inter impares vel inæquales, vt inter vnum atque duo, & cubitum atque bicubitum. Et hæc quidem altera maioris inæqualitatis, vt dupla: altera verò minoris, vt subdupla. Præterea proportionem inæqualitatis triplicem in præsentia considerare debemus. Primam quidem, quam multiplicem nominant, vt duplam, tri-

plam, quadruplam: quæ per maiorem numerum non diuidit minorem, sed resumit multiplicatque totum, siue bis, siue ter: atque ita per modum numeri infinite multiplicabilis infinite procedit. Secundam verò, quam superparticularem nuncupant, in qua maior numerus præter id quod minorem comprehendit semel totum, diuidit ipsum deinde, partemque diuisam superpouit toti, sed partem quam vocamus aliquotam, id est, ex qua aliquoties replicata fit totum. Harum prima est sesquialtera, inter binarium & ternarium. Ternarius enim binarium comprehendens, addit insuper vnitatem, quę bis resumpta binarium efficit. Secunda sesquitertia, inter quatuor atque tria, atque ita in infinitum per modum continui diuisibilis infinite proceditur. Tertia est superpartiens, quæ toti superaddit partem, quæ aliquoties accepta totum propriè creare non valeat, qualis est inter quinarium & ternarium. Nam quinarius vltra ternarium adiungit binarium, qui & semel sumptus non implet ternarium, & bis acceptus excedit. Proportio hæc quia totum diuidit in partem restitutioni totius ineptam, inepta videtur ad consonantiam, in qua omnis diuisio in totum, & multiplicatio in vnum necessariò restituitur. Secunda verò apta censetur, quoniam & si diuidit, tamen ab ipsa restitutionis facilitate non errat, & in ipsa termini esse inuicem commensurabiles iudicantur. Differentia enim inter duo atque tria est vnitas, hæc verò communis est vtriusque mensura. Accepta enim bis, metitur binarium: ter accepta, ternarium. Sed inter quinarium & ternarium differentia est binatius: hic autem non potest aliquoties acceptus vel ternarium, vel quinarium vllo pacto metiri. Proportio verò prima concentibus accõmodatissima est. Non enim diuidit, sed & multiplicando restituit, & restituendo multiplicat. Neque quærit aliunde mensuram, vt superparticularis, sed minor terminus maiorem meritur, in dupla bis, in tripla ter replicatus. Neque ab integritate, neque à simplicitate cadit. Superparticularis autem ab integritate quidem labitur: diuidit enim: sed seruat simplicitatem, per vnam enim quandam diuidit partem. Superpartiens verò non modo amittit integritatem, sed etiam simplicitatem, vbi plures commiscet partes, in vnum quiddam restitutioni totius ineptum. Idcirco hæc à consonantia dissonat, duæ verò superiores consonant, magis autem multiplex, maxime dupla. Nempe in hac non videtur aliud propriè aliud superare, sed superari quodliber à seipso. Nam in dupla binarius superat vnum vno, quaternarius binarium binario, similiterque deinceps. Adde quod prima est inter primos numerorum terminos, vnitatem scilicet binariumque progenita. Progenita inquam sola, absque aliarum commercio, quasi libera, & ab omnibus absoluta. Tripla verò, dum inter vnum oritur atque tria, sociam haber sesquitertiã simul inter duo triaque nascẽtẽ. Quadrupla quoque videtur sesquitertiæ commisceri. Nam cum primum quadrupla nascitur quatuor inter & vnum, oritur simul & sesquitertia quatuor inter & tria. Item dupla proxime oritur ab ipsa æqualitatis proportione, ab hac tripla & sesquialtera. Item à tripla, quadrupla & sesquitertia nascitur, aliæque similiter. Quod quidem nisi prolixitatem vererer, perspicuè demonstrarem. Ad duplam igitur tanquam ad principium atque finem omnes aliæ rediguntur, eamque vel diuidunt, vel multiplicant. Dupla enim prima, integra, simplex, absoluta & æqualissima est, vt non mirum sit consonantiam ex hac ipsa nascentem esse omnium perfectissimam, & appellari Diapason, quia & ipsa per omnia protendatur, & omnes proportiones reducantur ad ipsam. Verum antequam consonantias prosequar, admonendi sumus, quem Græci Logon nominant, nos rationem proportionemque nominare, & quam illi Analogiam, nos rationis comparationem siue similitudinem rationis & proportionalitatem rursus, appellatione verà tam eleganti quàm propria. Et proportionem quidem inter duos fieri terminos, & quando rite fit, conducens videlicet ad melodias, definiri mutuam duarum quantitatum inter se commensurabilium habitudinem, vt dupla inter vnum atque duo, & sesquialtera inter duo atque tria, similesque deinceps. Proportionalitatem verò definiri mutuam duarum proportionum comparationem. Ceu quando dicimus, quemadmodum se habent duo ad quatuor, ita quatuor se habent ad octo, per rationem videlicet vtrobique duplam. Quæ quidem comparatio, quæ inter tres fit terminos, continua nominatur. Discreta verò est, quoties inter plures efficitur, ceu quando ita conferimus: Sicut duo ad quatuor, ita octo ad sexdecim sese habent. Item comparationem eiusmodi esse triplicem, scilicet arithmeticam, geometricam & harmonicam. Arithmeticam in numeri paritate consistere. Sic inter tria & septem medius est quinarius, numero eodem, scilicet binario alterum terminum superans, ab altero superatus, per proportionem vtrinque bipartientem. Geometricam verò in rationis æqualitate sitam esse, in qua sunt multiplex atque superparticularis: quando videlicet ita comparamus, sicut se habent tria ad nouem, ita nouem ad septem atque viginti, nam vtrobique tripla. Item quod est nouenarius iuxta senarium, idem est senarius iuxta quaternarium. Nam & hic, & ibi est proportio sesquialtera. Denique proportionem harmonicam in quadam similitudine collocant, per quam tribus terminis in ordinem positis, sicut maximus terminus aspicit minimum, similiter differentia inter terminos maior minorem respicit differentiam. Si enim ponas tria, quatuor, sex, differentia inter sex & quatuor, est binarius: differentia inter quatuor & tria, vnitas, sicut autem inter sex & tria dupla ratio est, ita inter duo & vnum est ratio dupla. Viget hic altera quoque similitudo, scilicet portionum: Simili namque extremorum portione medius terminus excedit atque exceditur. Quaternarius enim superatur à senario per tertiam senarij partem: superat quoque ternarium tertia ternarij parte. In hac vtique artificium versatur harmonicum, quod portiones quidem superpartientes quasi disgregatas dissonasque deuitat, multiplices autem & superparticulares admittit, componens duplas ex sesquialtera atque sesquitertia, per harmonicam qualem diximus rationem concordi varietate gaudentem. Amat verò quemadmodum dicebamus comparationes multiplices, nec non superparticulares, ea insuper ratione, quod in his tanta est ad idem restituendum procliuitas, vt quando plures rationis eiusdem inuicem componuntur, medium in se ductum tantundem

multiplicet quantum extrema si inuicem perducantur. Pone duo, quatuor, octo: sicut autem bis octo, sic & quater quatuor, sexdecim procreat. Item pone, quatuor, sex, nouem: sicut ergo quater nouem, sic etiam sexies sex multiplicant sex atque triginta. Similiter si duo inter extrema media interieceris, puta inter duo atque sexdecim posueris quatuor atque octo. Omnes enim hi deinceps numeri dupla proximum ratione conspiciunt. Si ergo duo in sexdecim ducas, tantundem reportabis, ac si quatuor in octo perduxeris. Idem contingit in cæteris tàm super particularibus quàm multiplicibus. In superpartientibus autem non fit idem. Dispone tria, quinque septem.

Sicut à septenario ad quinarium est habitudo superbipartiens, sic à quinario ad ternarium. Vtrobique enim duæ quædam partes toti insuper apponuntur. Si ducas ternarium in septenarium, non eundem numerum procreabis, ac si quinarium in seipsum. Primo itaque gradu sunt multiplices: quoniam præter id quodmodo diceba-mus, per eas numeri omnes respiciunt etiam vnitatem, dum aspiciunt numeros. Secundo gradu superparticulares: quia etsi vnitatem ipsam non spectant, semper tamen vnam quandam spectant partem ad integrum vnum accommodatam. Tertio superpartientes: quia horum neutrum videntur aspicere. Quamobrem hanc odit habitudinem facultas harmonica, tanquam concordię reluctantem. Optat enim, vel ex ipsa æqualitatis proportione vniuocum vnisonumque conficere: vel ex rationali, id est multiplici & superparticulari inæqualitatis proportione, æquiuocum æquisonumque conflare. Talem verò æquisonum conflat ex dupla, qualis vnisono fit quàm proximus: quia in dupla & minor terminus maiorem meritur, meriendoque adæquat, & maior vbi minorem superat, non alio numero quàm ipsomet minore, vt ita dixerim, exuperare videtur.

Quod in Musicis consonantiis vnum ex multis efficitur, per quod consonantia definitur.

CAPVT XXX.

QVemadmodum medici peritissimi certos inuicem succos certa quadam ratione commiscent, per quam in vnam nouamque formam plures atque diuersæ materiæ coëant, & vltra vim elementalem virtutem quoque cœlestem mirifice nanciscantur, quod in Mithridatis confectione, & Andromachi Theriaca est manifestum: similiter artificiosissimi Musici grauissimas voces quasi materias frigidas, voces item acutissimas quasi calidas, rursus mediocriter graues vt humidas mediocriter, & acutas vt siccas, tanta ratione contemperant, vt vna quædam forma fiat ex pluribus, quæ vltra vocalem virtutem consequatur insuper & cœlestem. Quodquidem ex eo quod Democritus Theophrastusque aiunt, & Pythagoras effectu probanit, euidenter apparet.

Nam certis concentibus morbi quidam tàm corporis quàm animi mirabiliter curari dicuntur, vt non mirum sit veteres sapientes in idem, id est, Appollineum numerum, tàm Medicinæ quàm Musicæ originem retulisse. Vtraque enim medicina est. Sed altera quidem ex corpore animam, altera verò ex anima curat corpus. Accommodatissime etiam Apollini melodiæ fonti vaticinium tribuerunt. Sola enim melodia ab omnibus quotcunque distrahunt animum retrahens, contrahit in seipsum, in auditum quendam, vt ita loquar, interiorem: quo non voces solum, sed & rationes vocum percipiuntur: sedatisque perturba sonibus cœlesti contemperat harmoniæ, diu naque cœlitus effundit oracula. Sed ne quis forsan neget ex acuta grauique voce tertiam fieri communemque vocalem formam, cogitandum est graues voces acutis perfectius commisceri posse, quàm succis succi permisceri dicantur. Primo, quia vocales materiæ ob subtilitatem suam continuumque motum vniformemque in cunctis corporis aërei qualitatem facilius consummatiusque quam succi & crassi, & ad motum ineptiores, & qualitatibus admodum discrepantes, conflantur in vnum, quod si in vnum, ergo ad vnam nouamque formam aptius parantur concipiendam. Deinde quoniam instrumentum vocis naturale, intrinsecum, virtuti vitali, animali, rationali quàm proximum atque obedientissimum, facilius perfectiusque arti obtemperat Musicæ, ad vnum ipsum quo spectat conficiendum, quàm extrinseca medicis instrumenta: atque etiam si pulsetur cithara digitis, fidelius obsequentur Musici voto fides, quàm medicis herbæ. Ac si in herbarum congestam molem vltra industriam & operam medicorum agit deinde natura, & tempore quidem certo, multo magis in vocalem materiam tractabilem admodum & formabilem agit natura subito: natura inquam vbique viuens viribusque munita cœlestibus in materiam cœlo similiorem & quasi viuam, cui quidem repente nouam, viuam, mirificam adhibet formam, per quam occulta virtute vires suas in corpus experiatur & animum.

Proinde quemadmodum in corpore ex elementis quatuor naturaliter constituto, qualitates elementorum quatuor, vnam, & vt quidam nominant, quintam conficiunt complexionem, videlicet subiectam virtuti speciali occultis modis cœlitus prouenturæ: sic & voces plures rite commixtæ vnum quendam inuicem resonant reboatum virtutis nouæ atque mirabilis fundamentum. Nam si ex sonante cithara in citharam similiter temperatam resonat repente nonnihil, & ex chorda vibrata, statim in chordam æquè tensam transit vibratio similis: cuinam dubium sit ex pluribus vocibus vna quadam ratione conflatis, vnam subito nasci quasi formam communem cunctis, per quam plura fit vnum, ideoque vt vnum percipiantur à sensu, & in vnum quendam congrediantur effectum. Constat enim idem ex voluptate sensus, in quo cum vna forma fit ex multis, oblectatio plena prouenit ex vna similiter forma, quæ congrue conficiatur ex multis. Hinc fit, vt audire diutius vnisonum tædeat, in quo sine vlla inæqualitate sentiatur æqualitas. Fit insuper, vt dissonus offendat sonus, in quo in vnum differentia non conspirant. Ideoque multa perspicuè discernuntur à sensu, & ab ipso quasi gustantur vt multa. Gustantur inquam, quia sic fermè ad vocum, vt gustus ad saporum afficitur mixtionem. Hinc propheticum illud: Dulciora melle ori meo eloquia tua Domine.

Denique siue graues soni acutos absorbeant, siue acuti graues occupent, non prouenit delectatio, & tamen vnio quædam vbique requiritur. Qùum verò vnio, vel ex absorbente, vel ex occupante non placeat, reliquum est vt sola placeat, quæ noua & efficax ex moderata quadam conflatione resultat. Hinc igitur consonantia definitur, soni grauis & acuti mixtura vniformiter ad aures suauiterque accedens. Est autem mixtura hæc ei similis, quæ in saporibus gustui satisfacit: in quibus sapor dulcis nimium atque pinguis, voci remissiori admodum grauiorique similis iudicatur: sapor autem acutissimus, acutissimæ. Sed dulcis sapor acrimoniæ mixtus, vocem refert moderate grauem. Mixtus verò falsedini, vel acumini, mediocriter acutam repræsentare videtur. Ac tùm demum permixtio multiplex implet sensum, quum non discernitur vt multiformis, sed seipsam insinuat vniformem. Tradunt Physici sonum in orbiculatem figuram multis gradatim amplificatam circulis ad aures peruenire, non aliter quàm qui in stagno ex iactu lapidis ab alto circuli multiplicantur ad littus. Concentum verò ex grauibus acutisque conflatum, velut vnam formam, & hanc rotundam quidem, sed oualem illabi auribus arbitrantur. In qua quidem octaua vox quasi per acutiorem verticem, vocis primæ latitudinem sibi continuans, ex seipsa atque prima vnam iam conflat vocem: atque sicut oculus oualem rotunditatem tanquam vnam videt figuram, quamuis hinc latam magis, inde minus: sic auditus vocem ex graui octauaque resultantem haurit tanquam vnam, ab amplo quodam profundo, quasi in acutam sublimitatem oui instar gradatim sese ac suauiter attollentem. Hinc fieri arbitramur, vt & natura eiusmodi quasi figuram audiendi instrumento tribuerit, similemque instrumento loquendi, & ars præterea similem quoad fieri potuit Musicis instrumentis. Ea certe consonantiora sunt, quæ ouali figuræ, propinquiora.

Quæ consonantiæ ex quibus proportionibus oriantur.

CAPVT XXXI.

PYthagoram ferunt, quum apud ærarios fabros annotauisset ex malleorum ictibus consonantiam lege ponderum prouenire, collegisse numeros, quibus sibi consentiens diuersitas ponderum continebatur. Deinde tetendisse neruos tàm variis ponderibus alligatis, quàm varia in malleis fuisse didicerat: atque hinc manifeste considerauisse, ex neruo qui super alium sesquioctaua ratione protendebatur, aduersus alium discerni totum, id est plenum integrumque sonum, qualis erat nouem ad octo proportio. Neque potuisse tonum in duo hemitonia inter se æqualia distribuere, quando neque nouenarius in partes duas secaretur æquales: sed inuenisse hemitonium alterum quidem esse paulo maius dimidio, alterum verò paulo dimidio minus, quod ille Diesim, Plato Limma vocauit. Quantum verò deficiat hemitonium minus ab integro tono, & ἀπὸ τοῦ hemitonio, Plato in interuallo horum indicat numerorum, scilicet inter ducenta quadraginta tria, atque ducenta quinquaginta sex. Qùum enim octaua pars minoris illius numeri sit triginta, & prope semis, hic verò maior numerus super minorem illum addat duntaxat tredecim, neque tonum reddit, neque integrum hemitonium. Animaduertit deinde Pythagoras integram plenamque toni, vt ita dixerim, latitudinem duobus sonis & vno interuallo constare: atque ita prima consonantiæ adeptus est elementa. Quarum prima Diapason extitit, ex prima videlicet proportione, id est dupla resultans, vbi scilicet chorda hæc super illam ex duplo pondere, duplo magis tenta, dum pulsarentur ambæ, duplo vehementius citiusque in suam sese recipiens rectitudinem, vocem longe acutiorem vicissim longe grauiori reddebat, adeo tamen amicam, vt quasi vnicus appareret sonus seipso hinc angustior, inde amplior. Sonum hunc vbi occurrebat acutior, modulando metitus est in octauo altitudinis gradu à graui, connumeratio videlicet graui, esse locatum: item octo quidem sonis, & interuallis septem, tonis autem sex fermè constare. Præterea vbi inter fides ratio intentionis remissionisque sesquitertia erat, inuenit consonantiam Diatessaron, tonos quidem duos, & hemitonium minus, sonos autem quatuor, & interualla tria comprehendentem. In sesquialtera verò reperit Diapente, & in hac tonos tres, & hemitonium minus, sonos verò quinque, & quatuor interualla percepit.

Animaduertit deinde Diapason ex Diatessaron & Diapente componi: quia ratio dupla quæ gignit Diapason, vbi habet medium, ex sesquitertia & sesquialtera, ex quibus illæ fiunt, constituatur. Prima enim dupla medium habens duorum est ad quatuor, composita ex sesquialtera inter tria atque duo, & ex sesquitertia inter quatuor atque tria. Sed in habitudine tripla Diapason Diapente considerauit, habentem sonos quidem duodecim, sed vndecim interualla. Nam Diapason quidem in dupla, Diapente verò in sesquialtera sedem habet. At sesquialtera duplæ continuata efficit triplam. Sex enim aduersus tria dupla est. Adde nouem, vnde ad sex nascitur sesquialtera, statim triplam à nouem habebis ad tria. Neque tamen fit tripla, si duplæ adieceris sesquitertiam, vt pote si illi senario adiunxeris octonarium, deest enim sesquioctaua, scilicet nouem ad octo. Et quoniam sesquitertia duplæ addita, fit superpartiens, vt octo ad tria: est enim hic habitudo dupla superbipartiens per bissesquitertiam: ideo Pythagoras prohibuit vltra duplam, id est Diapason repente continuare per sesquitertiam diatessaron: quamuis Ptolemæus alicubi subiunctionem hanc admittat. Commodè verò adiungitur sesquitertia triplæ, hinc enim fit proportio quadrupla, & per quadruplam consonantiam disdiapason, habens sonos quindecim & quatuordecim interualla: puta si posita tripla inter nouem atque tria, subiunxeris duodenarium, qui est aduersus nouenarium sesquitertius, acquires subito quadruplam ex duodecim ad tria nascentem. Vltra verò quadruplam progredi vetat gratia melodiæ, non solum quia ex vehementiori motu fractioneque in sensum prouenit violentia, sed etiam quia cum primum vltra primam quadruplam quincupla nascitur inter quinque atque quatuor, oritur simul superbipartiens inter quinque atque tria, quæ dissonantiam intermiscet. Sed vt citra quadruplam redeamus, vetat etiam vitandi torporis gratia infrà sesquitertiam sæpe descendere. Vetat sesquitertias sæpe duas continuare, tùm quia alioquin displicent, tùm quia non implent


duplam atque diapason. Si disponas nouem, duodecim, sexdecim; sesquitertias quidem duas habes, duplam verò nequaquam: deest enim sesquioctaua, scilicet decem & octo, ad sexdecim, vt dupla à decem & octo nascatur ad nouem. Neque libenter geminas continuat sesquialteras, hæ namque continuæ duplam superant sesquioctaua. Quod quidem si quatuor, sex, nouem descripseris, deprehendere poteris. Hic enim duæ sunt proximæ sesquialteræ à quatuor vsque ad nouem. Nouenarius autem octonarium, qui duplus est ad quatuor, sesquioctaua superat portione. Ex hoc verò appatet potentiam sesquialteræ duplæ dimidio esse maiorem. Ex quo etiam patet potentiam sesquitertiæ tantundem dimidio esse minorem: quandoquidem ex ambabus du pla creatur. Superatur quidem sesquitertia à sesquialtera per octauam vnicam portionem. Ab octo enim ad sex habes sesquitertiam, sed à nouem ad sex habes sesquialteram. At verò à nouem ad octo sesquioctauam, & hac ipsa sesquioctaua parte comprehendis sesquitertiam à sesquialtera superari. Meminisse verò oportet Diatessaron, id est comparationem sonotum quatuor ad quartam altitudinem ascendentium per se quidem auditam non approbari, recipi tamen ex eo libenter, qui facile tono addito sit Diapente gratissima vocis quintæ concordia. Item quia si cum Diapente connectitur, Diapason conficit omnium perfectissimam. Neque verò turbare quenquam debet, quod cum dixerimus Diatessaron quidem quatuor, Diapente verò quinque sonos habere, tamen Diapason ex vtrisque compositam sonos non plures dicamus habere quàm octo. Nam vbi de compositis agimus consonãtiis, ita in quatrichordis inuicem coniugatis fides ipsas disponimus, sonosque continuamus, vt vltimus primæ consonantiæ [illegible], sit primus secundæ in ipsa compositione sequentis. Hinc ergo res admonet, vt ad septichordum Terpandri regrediamur, in quo quarta chorda bis pulsatur, vt quodammodo euadat octochordum. Quam quidem coniugationem propterea secutus, vt arbitror, est Terpander, quia multiplicario vocum manifeste inter se discrepantium ad sonum vsque septimum augetur. Octauus autem iam mira quadam similitudine redit ad primum: quemadmodum & ratio dupla per quam creatur, restituit minorem quem superat numetum, dum eundem excedit eodẽ. Nonus reuertitur ad secundum, & dissonat vt secundus. Decimus ad tertium, & consonat sicut tertius. Vndecimus ad quartum. Duodecimus ad quintum. Ad sextum tertiusdecimus. Sed quartusdecimus redit ad septimũ Denique quintusdecimus ad octauum, & cũ octauo simul ad primũ. Primum verò grauissimumque sonum Hypaten nominant. Sequentem, Parypaten. Tertium, Lichanon. Quartum, Mesen. Quintum, Paramesen aut triten. Sextum, Paranetem. Septimum sonum verò, Neten. Præterea si in qualitate motuque diuturno comparatio fiat, Hypaten cum Saturno, sequentesque sequentibus Planetis ordine conferemus. Sin autem in motu diurno eiusque celeritate vel tarditate, vicissim Hypaten cũ Luna, sequentesque deinceps cum Planetis superioribus comparabimus. Inueniemusque graues in cœlo sonos mixtos acutis, eosdemque orbes altero quidem motu acutum tonum edere, altero verò grauem. Item ex ingentibus globis ingentes, ex diuinis diuinos, ex multiplicibus reuolutionibus pari ratione multiplices. Et quemadmodum vltra septimum sonum reuolutio fit in idem, sic super Planetarum septem distinctos orbes, omnia reuolui in vnum orbem, in seipso eiusmodi septenarium mirabiliter complectentem. Sed de his aliàs. Redeamus ad consonantias, easque iam fine quodam proprio concludamus. Hæ quidem tres apud veteres numerantur. Prima Diatonica, in qua quodlibet quadrichordum per hemitonium minus procedit, & tonum atque tonum, quam tùm sapientes alij, tùm Plato vel maximè ante alias comprobant, tanquam maximè omnium naturalem, quandoquidem ab hemitonio minore quasi molli materia ritu naturæ procedit ad validiorem toni materiam, formamque habet simplicem, & mansuetam simul atque robustam. Adde quod potissimum conuenit quadrichordo, in quo Diatessaton ex geminis tonis & hemitonio procreatur. Secundi consonantia, Chromatica nuncupatur, quæ per Hemitonium minus atque Hemitonium maius, & Triemitonium, discurrere consueuit, sed hanc vt pote molliorem Philosophi reprobant. Tertia nominatur Harmonica, progrediens per quartam fermè toni partem, rursusque per quartam similem atque Ditonum. Hanc quoque non probant ob perceptionis & vsus superstitiosam difficultatem. Multa verò quę in præsentia ad eadem spectantia prætermittimus, in octauo Epistolarum nostrarum libro diligentius pertractamus.

De harmonica Animæ compositione.

CAPVT XXXII.

Deus animam mundi procreaturus, eam ex indiuidua atque diuidua conflauit essentia. Prima hæc apud Platonem diuisio, in essentiam scilicet & indiuisibilem proprietatem atque diuisibilem, est communissima. Nam quod indiuiduum dicit, continet in se quod neque secundum locum secatur in partem extra partem, neque secundum tempus à priori diffluit in posterius. Per primum quidem appellatur idem: per secundum status & stabile. Similiter quod diuiduum nuncupatur, in seipso complectitur & quod loco diffunditur, & quod tempore labitur. Per primum quidem appellarur alterum: per secundum motus & mobile: motus inquam in naturalibus. Quapropter sub illa diu sione, quæ dicebat animam ex essentia indiuidua glomerari, quinque rerum genera quodammodo continentur, essentia, idem, alterum, quasi sufficiant. Nam ad idem quidem sequitur status, ad alterum verò motus. Atque vicissim ad statum sequitur idem, ad motum similiter alterum. Inquit autem Deum ex essentia, & eodem, & altero vnam conflauisse naturam tàm exacta commixtione, vt in essentia eius vbique idem inesset & alterum, atque vicissim in ipso eius eodem inesset, alterum & essentia, rursus in ipso eius altero & essentia lateret & idẽ. Nã essentia per idem habet vt & secũ ipsa aliisque congrua: per alterum, & quodammodo in se distinguitur, & mulo magis à cæteris. Idem verò & alterum ambo vt existant ab essentia sortiuntur, Sed idem à seipso conuenientiam possidet, ab altero differentiam. Ipsum verò alterum à se quidem differentiam, sed ab eodem congruitatem simul & ordinem. Horum verò congeriem generum Plato conducere putat animæ ad res omnes,

tum iudicandas, tum etiam peragendas. Nempe, quoniam ex essentia constat, quid sit vnumquodque definit: quia ex eodem, cognoscit quid simplex, & si compositum, qua vnione coniunctum, & quomodo secum ipsum aliisque consentiat: quia ex altero, qu.d sit diuersitatis in quolibet, & qua conditione vel in se digeratur, vel secernatur à cæteris: quoniam ex statu, quale & quo pacto, quoduis in se ipso permaneat: quia ex motu constat, agnoscit à quali res quæque, & quali ratione dependeat, item qualia & quomodo faciat. Præterea per essentiam, dat esse rebus: per idem, res sibi coniungit & aliis: per alterum verò seiungit: per statum in sua propria confirmat & ordine: per motū mouet, & efficit vt moueantur & agant. Quamobrem non immerito Plato in anima fabricanda, rerum omnium genera certa quadam ratione commiscet. Mixta verò hæc inuicem ait harmonica ratione, non arithmetica, alioquin iniusta foret alicubi distributio: neque geometrica tantum proportione, alioquin tanta foret æqualitas in mixtura, vt cum extrema corporum diuersitate proxime conspirare non posset. At harmonica ratio variorum similitudine constans, & dissimilia facit similia, & inæqualia communi quadam æqualitate connectit. Eiusmodi autem est animæ, tùm ad seipsam, tùm ad corpora qualitas & officium. Siue enim agat secum ipsa, tàm intelligentiæ, vt ita loquar, identitati quandam miscet alteritatem, quàm rationis alteritati quandam identitatem. Similiter in imaginatione facit & sensu. Siue agat in corpus, in ordine quodā stabili quasi identitate producit motionis alteritatem: quod apparet in cœlo: item sub cœlo in ipsa generationis alteritate per continuatum ordinem seruat identitatem, & vtrobique conseruat essentiam atque restituit. Quamobrem Deus animam mundi componens, vtitur harmonica ratione, tùm in rerum generibus inuicem commiscendis, tùm in portionibus ipsis, quas ab eis accipiebat ad animam componendam, tùm in animæ viribus ortum eius vestigio comitantibus, tùm in mundi sphæris animæ congruentibus. Talem verò mixturam animæ conuenire, Plato non solum rationibus perscrutatus est, sed etiam coniecturis acceptis à mundo diligenter auspicatus. Cum enim mundi corpus, & sub anima positum, & eius gratia factum, & ab ea rectum, motum reformatum contemplaretur, naturæ consentaneum iudicauit, vt à figura mundi velut imagine, formam quandam eius animæ tanquam exemplar coniectaremus. Quibus itaque proportionibus sphæras mundi compositas, dispositas, agitatas, suspiciebat, eisdem fermè, id est harmonicis rationibus eius animam auguratus est esse contemperatam: vt quemadmodum apud Musicos à concentu artificio sæ mentis profluit, & concentus in vocem, sic ab harmonia cœlestis animæ in mundum transeat harmonia. Sed Platonem ipsum iam audiamus. Vnam principio accepit portionem ex vniuerso. Secundam verò primæ partis duplā. Deinde tertiam, quæ secundæ quidem sesquialtera, 'er, primæ verò tripla. Postea quartam, secundæ duplam quartam deinceps, tertiæ triplam. sextam primæ octuplam. postremo septimam, quæ partibus sex & viginti primam excederet. Hæc ille. Constituamus ergo triangulum in cuius apice locata sit vnitas, à qua terni vtrinque numeri profluant, hinc pares, inde similiter impares: hac videlicet ratione, vt à parte altera post vnitatē primū duo, deinde quatuor, demū octo: altera ex parte sub vnitate similiter primum tria, deinde nouē, postremo septē atq; viginti. Prima itaque portio quam accipit Deus ex ipso genetum, vt ita loquar, fermento ad animam effingendam, est vnitas. Secunda binarius, primæ duplus. Tertia verò ternarius, cuius ratio tripla est primæ, hoc est vnitatis, sesquialtera verò secundæ, id est binarij. Quarta portio quaternarius, duplus secundæ, hoc est binarij. Quinta nouenarius, cuius tripla ratio tertiæ, id est ternarij Sexta octonarius, cuius octupla ad primam, id est vnitatem proportio. Septima vi-




ginti septem, ratio quidem ad nouenarium tripla, vnitatem verò excedens partibus sex atque viginti. In his vtique numeris rationes omnes comprehendit harmonicas. Nam in sesquioctaua inter nouem & octo proportione, progenuit tonum Musis nouem obtemperantem. In sesquialtera inter tria & duo Diapente, gratiam vocis quintæ Veneream; in sesquitertia inter quatuor atque tria Diatessaron Mercurialem vocis quartæ naturam, sese consonantiis accommodantem. In dupla, inter duo & vnum, item inter quatuor & duo, rursus inter octo & quatuor, Diapason, id est vniuersam & absolutam octauæ vocis peperit melodiam Appollini dedicatam, in tripla inter tria & vnum, ita nouem inter & tria, rursus viginti septem, atque nouem, Diapason Diapente, id est octauę simul & quintæ Iouialem composuit symphoniam. In quadrupla inter quatuor & vnum, & octo atque duo, symphoniam contexuit Disdiapason, iterum per sonos quindecim Appollini concinentem. Venustatem verò, tùm vocis tertiæ, principiis inseruit Diatessaron, tùm vocis sextæ, finibus subnexuit Diapēte: vt delicatiori vocis vtriusque mollitie, hinc quidem secundæ vocis, inde verò septimæ asperitas leniretur. Ita enim tertia vox, & sexta sunt mollitie similes, sicut secunda cadens à prima, item septima degenerans ab octaua, sunt asperitate persimiles. Principio vbi Deū ait accepisse portiones septem, mysterium tetigit, tum in Musica, tùm etiam in natura. In Musica quidem, quoniam ad septimum vsque gradum omnis vocum progreditur discrepantia: post quē fit ad eandem reuolutio. In natura verò, tum quia multa per septenarium in naturalibus transfiguntur, qua de re cæteri Platonici satis multa dixerunt: tùm quia septenarius vnitatem habet, vt copulam geminæ trinitatis, atque ex his geminis & seipsa rursus explicat trinitatem. Eiusmodi verò est vniuersi similitudo. Quod quidem in tria principio distribuitur. Vnde Plato hic ternarium commendauit. Distribuitur inquam in æterna & temporalia, horumquem media. Æterna sub trinitatis proprietate possident in essentia quidem

ſimplicitatem, in virtute vero ſtabilitatem, in actione reflexionem. Temporalia viciſsim in trina dimenſione compoſitionem habent eſſentiæ, iterum virtutis mobilitatem, actionis denique tranſitum. Inter has vero trinitates æternorum atque temporalium, anima medium obtinens, gradum efficit ſeptimum. Efficit quoque nonum, hic etiam à Platone laudatum. Nonum inquam, quoniam ipſa tres habet vultus. Nam ad ſeipſam, & ad ſuperiora, inferioraque conuertitur. Iuuat hic antequam reuertar ad ſeptenarium, parumper adhuc ternarium vna cum nouenario commendare. Trinitas numerorum prima, principium & medium, finemque rerum continere videtur, atque ſola inter numeros ratione quadam indiuidua continere. Siquidem ſingula hæc ſingulis ſignificat vnitatibus. Præterea ſiue cauſas rerum percurrere libeat, triplicem in cauſis inuenies proprietatem. Sunt enim cauſæ in ſeipſis, efficiunt effectus, & factos reducendo perficiunt. Siue ad effectus deſcendas conſiderandos, deprehendes ſimiliter trinitatem. Nam & effectus ſunt in cauſis, procedunt ab illis, conuertuntur ad illas. Siue ad animam te contuleris, quæ ſublimes cauſas cum infimis connectit effectibus, aſpicies eam in ſeipſa manentem & declinantem ad effectus, & ad cauſas aſcendentem. Atqui hæc anima triplici ſeptenario regit mundum. Primo quidem occultis quibuſdam ſeptem viribus Planetarum in firmamento per cauſas dominantium. Secundo ſeptem Planetarum formis, in globis ſeptem firmamento ſubiectis. Tertio ſeptem muneribus Planetarum, generationem ſub Luna regentibus. Quippe cum ſub Luna, viuificum quidem lumen Soli, calor autem vrens Marti ſubiiciatur: in terra ſuperficies varia Mercurio, moles autem tota Saturno. At in mediis regnat humor: & aërius quidem obtemperat Ioui, aqueus vero Lunæ, mixtus denique Veneri. Item agentes cauſæ ſequuntur Solem. Materiæ Lunam: Fœcunditas cauſarum agentium Iouem: Materiarum fœcunditas Venerem: Expeditio ad effectum velox Martem atque Mercurium. Illum quidem propter vehementiam, hunc autem ob ipſam dexteritatem multiformemque virtutem. Cunctorum vero continuatio permanens Saturno potiſſimum dedicatur. Cæterum hic per tres ſeptenarios ordo progreditur à ſeptenariis, qui ſecundum tres animæ mundanæ vires diſtribuuntur. In hac enim intelligentia eſt circulus ſtabilis. Circulus quidem, quia illuc vnde eſt, reflectitur. Stabilis, quia ſubito. Sub intelligentia quaſi ſub firmamento tres ſunt vires, ſcilicet ratio vniuerſalis, imaginatio, vegetatio. In ratione ſunt tres circuli quodammodo mobiles atque temporales. Primus ab anima ad cauſam amandam, atque viciſſim, naturali quodam inſtinctu clam ita ferente. Secundus à rerum cauſis ad effectus conſiderandos, atque conuerſo. Tertius à formis ideiſque magis vniuerſalibus ad minus vniuerſales decurſus viciſſimque recurſus. In reliquis duabus animæ viribus omnino ſunt circuli quatuor ſimiliter temporales, in vtraque bini. Primus ad cauſam ſuam reflexio naturalis. Secundus ab eiſdem formis ad eaſdem certa quædam interuallis certis & perpetua reuolutio, per quam & in cœlo configurationum, & ſub cœlo transformationum temporalis & certa reuolutio prouenit. Itaque circuitus generationis neceſſario cœli circuitum ſequitur, hic vero circuitum animæ. Reuolutio animæ orbem intelligentiæ comitatur. Motus quidem animæ, ſi ab intelligentia penitus deſeratur, ſtatim tam in percipiendo quam in agendo, ſolum tranſibit in rectum. Quod autem repetat ſemetipſam, ſimileſque per alia gyros glomeret, ſortitur ab intellectu quodam ſuperiore, qui & manens in ſe, & ſubito conuerſus in cauſam, largitur intelligentiam animæ, per quam quaſi porrectam manum ſiſtit animam natura propria vagabundam: motumque eius irrequietum, & ad rectam extra ſe lineam naturaliter proniorem retorquet in orbem medium inter motum rectum atque quietem. Hinc anima in ſemet reditura meat, mentemque profundam circuit, & ſimili conuertit imagine cœlum. Sed de his in Theologia diffuſius. Redeamus ad numeros.

Summa numerorum Harmonicorum ad compoſitionem animæ conducentium.

CAPVT XXXIII.

VNitas in ſuperiori figura ſignificat ipſam animæ vnitatem, ſimplicitatem ſublimem, & propriam diuinæ vnitatis imaginem, & in ipſa manentem. Dualitas proceſſum animæ in proprietatem ſuam vnitate inferiorem, & quadam iam ratione multiplicem. Trinitas regreſſum eius ad vnitatem, tum propriam, tum diuinam. Quaternitas progreſſionem animæ à ſe in materiam quatuor elementorum gradibus digerendam. Septenarius virtutem eius per ſeptem Planetarum ſphæras elementa recturam. Octonarius vim per octauam ſphæram Planetas gubernaturam. Nouenarius munus animæ octo ſphæras in vnam formam conciliaturum. Viginti ſeptem numeri ſumma, plenitudinem eius omnia in omnibus collecturam. Nam viginti ſeptem ſumma ſupradictos numeros continet, atque ex illis deinceps ordine poſitis, vt computanti patet, impletur. Neque ab re pares in figura, & impares numeri deſcribuntur, quo per pares quidem natura animæ diuiſibilis, per impares autem indiuiſibilis cogitetur, & fœminea ſimul virtus, & maſcula. Colliguntur quoque numeri lineares, & ſuperficiales, & ſolidi: vt cognoſcamus animam penetrare per omnia, & amplificari paſſim penituſque implere. Deſcendit vtrumque figuræ latus ad ſolidum vtrinque numerum. Hinc quidem ad octo inter pares, inde vero inter impares ad ſeptem atque viginti. Vt cogitemus animam vtraque ſolida, ſcilicet tam compoſita quàm ſimplicia prorſus implere. Interualla vero numerorum dupla & tripla & reliqua quæ prædiximus, quid propriè in anima ſibi velint, & ſi apud Platonicos adhuc eſſet ignotum, licet tamen in præſentia forſan hunc in modum, vt ita dicam, vaticinari. Deſcribatur itaque triangulus iterum, in cuius ſummitate ſit eſſentia. In latere vero vbi numeri impares deſcribebantur, deſignetur infinitudo, & deinceps alteritas atque motus. At in latere vbi diſponebantur partes, ſit terminus, deinde identitas per ordinem ſtatuſque ſequatur. Hic quidem ſeptem ſimiliter habebimus limites, quorum anima ſub eadem ad ſe inuicem ratione forſitan particeps fingi poteſt, ſub qua ab initio deſcripti limites numerorum inuicem ſe reſpiciunt, vt



anima eiusmodi proportione tam quinque rerum genera, quàm duo generum elementa, id est terminum infinitudinemque participet. Sit igitur exempli gratia comparatio essentiæ ad cuncta simul coniuncta, sesquioctaua. Forma enim totius communis vno saltem excidit gradu quasi tono, proprias partium qualitates. Sit sub essentia infinitudo, id est, formabilis aptitudo. Comitetur hanc terminus, velut ipsius forma. Sitque termini ad infinitudinem proportio dupla, superari enim oportet ab actu potentiam, patiendi infinitudinem sequatur alteritas, sed terminum comitetur identitas. Atque hæc ipsa identitas alteritatem superet sesquialtera ratione. Post hæc sequatur motus alteritatem. Status autem identitatem. Superetque status motum proportione sesquitertia. Quod Plato significauit, dicens hæc ab illis vix superari. Quod si proportiones hic explicatas consideraueris, inuenies insuper triplas & quadruplas, sicut ab initio patuit in figura. Nam motum quidem ad infinitudinem, inuenies esse triplum, statum vero ad eandem quadruplum. Cæterum vt excogitare possimus harmonicam participandi portionem in anima, non solum secundum quinque rerum genera & elementa duo, verumetiam secundum vires proprias, septem gradibus distributas, reddamus iam singulas animæ vires, singulis vel generibus vel elementis. Sunt autem hæ vires, vnitas, intelligentia, voluntas, ratio, imaginatio, vis connectendi, vis generandi. Postremas vero has duas vires sæpe sub vna vel naturæ vel vegetationis appellatione complectimur. Conferamus igitur hoc pacto, scilicet animæ vnitatem, essentiæ: Voluntatem infinitudini: Intelligentiam termino: Imaginationem alteritati: Rationem identitati: Generandi vim, motui: Connectendi virtutem, Statui. Similesque superiorum inter has vires, proportiones excogitemus. At si æquales in anima proportiones rerum alibi esse diximus, non Arithmeticam paritatem, sed æqualitatem harmonicam intelligi volebamus.

Per interualla sphærarum Plato interualla rationum inter animæ partes aucupatur.


CAPVT XXXIIII.

Qvemadmodum ex imaginis lineamentis sæpe viuentis formæ lineamenta coniicimus, sic ex hoc imaginario cœlestis animæ vultu, quem in speculari materia mundi conspicimus, veram eius faciem pro viribus coniectamus. Dupla igitur & tripla & cætera interualla in prima numerorum figura descripta, Plato inueniri arbitratus in sphæris, ad animæ partes & vires, vnde in sphæras translata sunt retulit. Putauit enim quantum spacij à terra vsque ad Lunam extat, duplum à terra ad Solem vsque protendi: quantumque ab ipsa vsque ad Solem: triplum ab eadem esse ad Venerem. Rursus quantum à terra ad Venerem, quater tantum ab eadem ad Mercurium. Item quantum ad Mercurij stellam ab ipsa terra, nouies tantum à terra ad Martem. Et quantum à terra ad Martem, octies tantum à terra ad Iouem. Quantumque à terra est vsque ad Iouem, septies & vicies tantum à terra vsque ad Saturni circum. Hic inter cætera vides grauiores Planetas Iouem atque Saturnum vtrinque per Solidos numeros designari. Et si alibi ex nonnullorum Pythagoricorum opinione, alias interuallorum mensuras recensui, Platonicas tamen probabiliores existimo. Per hæc autem forsan intelligi possunt, quæ in decimo de Republica de sphæris obscurius inuoluuntur. Itē per illa quæ de numerorum proportionumque virtute tractauimus, coniectari possunt quæ in octauo de Republica de cœlesti circuitu, & numeris, & proportionibus implicantur.

Quomodo repleantur duplorum triplorumque numerorum interualla.

CAPVT XXXV.

PLato postquam primam excogitauit figuram septem limites continentem, in qua duplæ atque triplæ rationes comprehendnntur, deinceps alteram effingi iubet figuram, adeo maiores numeros complentem, vt vbi duplæ sesquitertiis sesquialterisque replentur, hæ qunque mediæ sesquioctauis sic impleantur, vt sesquitertiarum spatia tonum capiant. Describamus ergo figuram primæ similem, sed senarium ponamus in apice, post quem longo spatio subdamus eius duplum, id est duodenarium, idque spatium occupemus octonario simul & nouenario. Deinde similiter longo spacio viginti quatuor



post duodecim describamus, & in hoc ipso spacio sexdecim decemque & octo ponamus, eodem ordine inter viginti quatuor & quadraginta octo, velut media triginta duo, & triginta sex inserentes. Hactenus duplorum latus absoluimus. Deinceps vero triplorum spacia consummemus, procul à senario secernentes decem & octo senarij triplum, atque inter eos nouem & duodecim designemus. Similiter inter decem &

octo & quinquaginta quatuor eius triplum, viginti septem & triginta sex, collocemus. Postremo à quinquaginta quatnot ad eius triplum, centum sexaginta duo, per gemina similiter media, scilicet octoginta vnum centumque, & octo progrediamur. Vt ergo ad primam figuræ huius duplam habitudinem reuertamur, consideremus inter sex & duodecim medietates duas, octo scilicet atque nouem. Et octonarium quidem inter sex & duodecim ratione harmonica se habere. Nam & excedit senarium, tertia senarij proportione: & exceditur à duodenario, proportione similiter duodenarij tertia. Item ad seuarium sesquitertius est, sed duodenarius ad ipsum est sesquialter. Præterea differentia inter duodecim atque octo quaternarius est. Differentia vero inter octo atque sex, binarius. Sic igitur quatuor ad duo, sicut duodecim ad sex, duplicem continent rationem. In his vero quæ diximus artificium versatur harmonicum. Comparemus quoque nouem & ad sex per sesquialteram, & ad duodecim per sesquitertiam qualitatem, & ad octo per sesquioctauam proprietatem, qua resonet tonus: intelligemus profecto hac ipsa sesquioctaua duos sesquitertios colligari, id est, octo ad sex, nouemque ad duodecim. Neque deest medietas his numeris arithmetica: siquidem nouenarius senarium quidem excedit ternario, & à duodenario pariter ternario superatur. Similiter per rationes easdem in duplis sequentibus procedamus, colligantes duplas quidem per sesquitertias & sesquialteras: item sesquioctaua proportione sesquitertias geminas connectentes. Similiter fermè excepto tono per triplas discurrere licet. Quoniam vero sesquitertiæ rationes non solum ex duobus tonis fiunt, verumetiam ex hemitonio, & hoc quidem minore, cui deest ad plenum hemitonium particula quædam, idcirco Plato inquit, in sesquitertiis portiunculam qnandam esse relictam. Cæterum quidnam sibi velit in anima figura hæc per ampliores numeros explicata, nondum satis videtur à Platonicis explicatum, neque nos in præsentia explicabimus: nisi forsan dum plura ac saltem duo media inter extremos terminos collocat, subintelligi velit genera rerum elementaque in anima, quo opposito se inuicem modo respiciunt, qualitates duas inter se inuicem reddete. Velut si vbi terminus rangit infinitudinem, indefinitam reportet termini qualitatem atque vicissim vbi infinitudo tangit terminum, determinatam infinitudinis subeat passionem: præterea & in termino sit infinitudo quodammodo terminalis, & vicissim in ipsa infinitudine terminus indefinitè progrediens. Accedit ad hæc quod & inter ipsas animæ vires talia quædam cogitari media possunt, & animâ ad suipsius exemplar in mundo inter ea quæ longe distant, duo saltem media inserere consueuit. Tonus autem plenum significat motum pulsumque animæ tam in seipsa quam in cœlo. At hemitonium remissiorem in elementis, & vsque adeo à primo deficientem, vt perfectionis eius dimidia minorem suscipiat portionem. Totus denique superior de harmonia tractatus triplicem concordiam significare videtur, scilicet inter animam atque corpus, & inter animæ partes inuicem, atque inter partes corporis inuicem.

Diuisio animæ, motus & tempus.

CAPVT XXXVI.

Quod verò ait ipsam generum commixtionem in consummatione animæ fuisse consumptam, intellige animam à Deo processisse perfectam, vt suam fermè ideam impleuerit. Diuisio præterea in longum, ostendit proprium animæ motum naturaliter esse rectum, scilicet in sensum, & vegetandi siue mouendi naturam. Item ob id secat in duo, vt ostendat tum in anima duplicem esse rectum motum, scilicet ad sentiendum atque mouendum, tum ab anima in corpore similiter esse geminum, scilicet vniforme atque multiforme. Intersecat verò lineas duas ad animâ figurandam, deinde eas reflectit in gyrū, indicans naturâ animæ ex se ad rectum motum procliuiorē, ab ipso Deo per intelligētiæ munus circulari motui prorsus accommodari: geminis inquam circulis, firmamento scilicet non erranti, ac post firmamentum orbibus peruagantium Planetarum. Firmamenti quidem circuitus ipsam identitatis intelligentiæque naturam propriè refert. Anfractus autem multiplices Planetarum, propriè naturam alteritatis inferiorumque animæ partium repræsentant. Sed ex ipso interiori animæ motu simul & tempore, tempus in mundo vnà cum motu consequitur. Tangit inter hæc pauca quædam atque communia, quæ ad Astronomiam pertinent: sed hæc facilè quiuis vel mediocriter eruditus intelligit, & de his nimis multa Platonici quidam, tum Græci, tum Latini pertractant. Surgit mox quæstio de ideis ac de generibus animalium mundanorum, de quibus in Theologia latissimè pertractauimus. Præterea quod de ipsa deorum quorundam dæmonumq; genealogia recenset, quidnam habeat verisimilius, in Theologia similiter & alibi declararur.

Quæ à Deo proximè, & quæ per media fiant.

CAPVT XXXVII.

Hactenus patere cuique potest, ab intellectu dinino mundi opifice animos Deosque mundanos & dæmones, & omnes mundi sphæras, speciesque ipsas rerum absque mediis causis processisse. Quæ autem de materia prima sit inter Platonicos ambiguitas, narrauimus ab initio. Mandat ergo post hac architectus mundi filiis suis, id est, animabus sphærarum stellarumque & dæmonum, vel etiam inferioribus Angelis, vt ad imitationem sui mixtionem sub Luna rerum aggrediantur, hominique subiiciant omnia, rationalemque eius animam ab ipso acceptam, corpori caduco concilienr per viram quandam irrationalem, partim ab ipsis, partim ab anima hominis dependentem. Notabis autem in ipsis Dei verbis quicquid proxime fit à Deo, sempiternum esse: & quicquid vlla ratione componitur, quatenus compositum est esse etiam dissolubile. Sed quatenus per diuinam voluntatem composita quædam constantur, vt ita eis vnitas superet multitudinem, indissoluta seruari. Notabis insuper, vbi ait Deum in suo habitu permanere dum mandat, ministros autem sequi, nihil mutabilitatis in Deo esse dum mobilia regit & mouet: in ministris autem eius proui-

dentiam esse mutationi cuidam propinquiorem. Denique in his omnibus Mosaicum illud: Ego sum qui sum, cognosces mirifice confirmatum.

De homine quoad pertinet ad animam atque corpus.

CAPVT XXXVIII.

Rationalem hominis animam ait à Deo ex eisdem rerum generibus eodem in cratere commixtis, atque mundi animam fuisse conflatam. Crater significat ipsam vitæ rationalis ideã. Sed adiungit exreliquis superioribus commixtionis fuisse confectam, significans particulates vitas vniuersali vita inferiores esse. Tum vero Deus animas,id est singulos ordines animarum, singulis stellis accommodat Adhibet & vehicula, id est ætherea corpora. Docet & fatales leges, dum animabus infundit formulas idearum, per quas animæ in se quandoque conuersæ,rationes rerum agnoscere possint. Quod autem de animæ descensu fatali atque circuitu inquit, alibi est expositum: Post hæc ministri Dei fabricam humani corporis prosequuntur, occultis eam vinculis connectentes. Per vincula hæc occulta intellige complexionem hominis esse adeo temperatam cœloque persimilem, vt nix in ea elementalium qualitatum excessus appareat. Subdit deinde cirtutus animæ in mole corporis impediri. Hic tu ante alia memento animam nostrã simili ratione atque mundi animam contextam fuisse,similesque circuitus possidere. Circuitum ergo intelligentiæ impediri ait, rationis vero circuitum distrahi, duabus præcipuè rationibus, tum quia prius quam adultum sit corpus, anima tota in fabrica corporis occupatur:tum quia quæ trinsecus sensus mouent, in teniori ætate offendunt vehementius, & propter nouitatem rerum animam circa corporea reddunt admirabundam. His ergo de causis, diu & intelligentia à diuino vacat officio, & rationalis ipse discursus circa inferiora distractus, quasi demens, turbatur & fallitur. Sic igitur totus animus peruersam figuram subit, vitamque ducit laboriosam, dum ratio cedit sensibus, perinde ac si quis caput pro pedibus humi figat, pedes vero pro capite tollat in altum. Iam vero quæ de membrorum corporis dispositione adducit in medium,satis à medicis pertractantur. In quibus id potissimum obseruabis, caput dici non principale solum, sed etiam totum in corpore, reliqua enim solum vt capiti seruiant, adiuncta fuisse. Ex quo colliges hominem contemplationis gratia esse natum. Sequitur de sensuum instrumentis. Quæ vero in hisde visu dicuntur, à Chalcidio satis, & quæ de somniis, alibi satis exponuntur à nobis. Considerabis mox firmam de causis Platonis nostri sententiam:res qualitatesque corporeas quæ non ex se, imo ab incorporea quadam causa mouentur, & diriguntur ad finem, non esse reuera causas appellandas, sed latentis prouidentiæ instrumenta. Causam vero præcipuam esse voluntatem prouidentiæ, ad exemplar sui sic omnia disponentis, vt optime se habere iudicat & decernit. Itaque finalem causam præscriptam in prouidentia, summam Plato asserit causarum. Tum confirmat iterum hominem esse natum ad cœlestia contemplanda, imo vero ad ipsum cœli motorem pro viribus imitandum. Et quemadmodum dixerat visum, sic & auditum contemplationis & disciplinæ gratia nobis esse tributum: item vt per sensibilem harmoniam animi quoque motus harmonicè componamus. Cæteros autem præter visum auditumque sensus, quasi minus conducant ad speculandum, nihili pendit.

Quomodo mundus ex mente & necessitate compositus sit.

CAPVT XXXIX.

Postquam tractauit de formali mundi ordine, quem ideo vocat intellectum, quoniam est intelligentiæ diuinæ simulachrum, tractat iam de materia mundi: quam ideo necessitatem nominat, quia non propter seipsam, sed tanquam formis vltimis necessaria, est introducta. Item quia mundus ob eius admixtionem deforme nonnihil necessario patitur. Hinc illud: Mundus est ex intellectu & necessitate compositus, id est ex ipso formarum ordine atque materia. Possumus quinetiam sub necessitatis nomine intelligere non materiam solum, sed animam quoque eius in primo processionis suæ signo velut informem materiæ instar consideratam. Vtraque enim, tam anima quam materia, in primo originis suæ signo informis quidem est, sed facile est formabilis per intelligentiæ munus, vnde & ipsi animæ rationes seminaque formarum naturalium infunduntur, & materiæ qualitates atque formæ. Quod autem ait,ante mundi dispositionem elementa quodammodo extitisse, intellige quasdam elementorum vires tum formatrices in anima, tum formabiles in materia. Item quod inquit, materiam ante mundum absque ordine fuisse iactatam, expone potentiam animæ motricem etiam ante intelligentiæ munera potuisse materiam agitare, sed procul ab ordine. Præterea vbi ait mundum à Deo exornatum fuisse persuasa prius. Necessitate, sic accipe,vt prima illa materiæ animæque natura quamuis cogitetur informis, tamen præparationem à Deo ad formas adeo formabilem susceperit ab initio, vt non potuerit esse paratior. Obseruanda inter hæc est illa dictinctio, qua dicitur vniuersum in exordio libri in duo fuisse diuisum, id est, exemplar atque simulachrum: nunc vero distinguendum esse in tria, id est, exemplar, & simulachrum, & materiam. Hic primo quidem videri potest re ipsa idem esse, ipsum exemplar mundi & efficientem eius causam & finalem. Deinde totum mundi ordinem non tam substantiale quiddam esse, quàm inuisibilis mundi simulachrum. Præterea quod materiam & supra secreuit à mente, & hic à mentis secreuit simulacbro, coniectare possumus materiam non tam per ideam propriã quàm per ideam formæ à Deo procedere, neque antecedenti proposito sed quodammodo consequenti, ab intelligentia, vt ita dixerim, adinuentam. Tum vero & materiam esse, & quid sit, & quo pacto se habeat, ex perpetua transmutatione formarum diligenter ostendit: ex qua etiam materiales formas esse quodammodo falsas argumentatur. Deinde per eas ad veras idealesque formas ascendit, quæ omnia in Theologia planius declarantur. Adduxit in medium multa materiæ nomina, scilicet speciem inuisibilem.

Sinum informem omniumque capacem formarum, Naturam, Potentiam, Matrem mundi, Nutricem formarum, Subiectum, Receptaculum, Locum. Sed ex hoc loci nomine ridere licet Peripateticum adeo ineptum, siue maleuolum potius, vt dementiæ Platonem insimulet, quasi materiam voluerit locum esse proprie mathematicum. Quod quidem per cætera materiæ nomina euidentissime confutetur. Denique ex eo quod materia propriam sibi vendicat informitatem, argumentatur vnitatem sibi pariter vendicare. Si enim informis, ergo & indistincta. Si ita, ergo & vnum. At ex eadem informitate non sibi vendicat esse, sed per ipsam potius cadit ab esse. Cum igitur vnum, atque ens, non æquè materiæ congruant, eadem inter se esse non possunt. Est autem vnum superius ente, quoniam latius sese fundit: præsertim cum priuationi insuper cui non conuenit ens, tamen conueniat vnum. Ex hoc rursus argumentatur materiam à summo tantum principio rerum posse produci.

Quomodo Physica constent ex Mathematicis, ac de elementis & mixtis.

CAPVT XL.

Deinceps Physica per mathematica probaturus, in primis mathematicorum doctrinam laudat tanquam omnis eruditionis ingenuæ viam. Longum Laurenti foret in præsentia recensere, quot nostris temporibus mathematicam ingressi viam, ad finem peruenerint exoptatum. Petrum Leonem Spoletinum nouimus mathematicorum maximè beneficio, non Aristotelicos tantum, verumetiam Platonicos iam sensus penetrauisse. Florentiæ vero Baptistam Leonem Albertum ab eisdem disciplinis exorsum, opus in architectura pulcherrimũ edidisse. Quid dicam de Francisco Berlinghierio nostro Nicolai filio? nonne hic mathematicorum beneficio fretus de Cosmographia versibus scripsit egregie? Neminem vero turbet, quod Plato Pythagoreorum more ex mathematicis physica componere videatur. Non enim intelligi vult naturalia corpora ex figuris & numeris tanquam ex elementis & partibus, sed tanquam ex terminis, quadam resolutione componi: quod videlicet naturalia in illa quasi priora, ac veluti terminos resoluantur. Nonne termini corporum dimensiones sunt atque figuræ? Numeri etiam termini figurarum? Præterea species naturales subiecto non solum communi, sed proprio indiget. Figuris autem satisfacit commune subiectum. At numeri, neque proprio, neque communi, neque vllo prorsus corporeo indigent fundamento. Ex quo patet figuras quidem naturalibus speciebus, numeros autem figuris esse priores. Triplicem ergo in rebus ordinem Pythagoras Platoque cogitabant, specierum, figurarum, & numerorum. Tripliciter similiter inter ideas, adeo vt & in rebus & in ideis, species in figuras, figuræ resoluantur in numeros: atque certæ species figuris certis, certæ figuræ certis numeris quodammodo congruant, rerum ordine omnino sic exigente. Quamobrem vbi aiunt speciem ignis ex pyramidali figura, & pyramidem solidam ex triangulis quatuor, & hos ex quaternario ternarioque constitui, significare volunt proprietatem quandam in his cunctis communiter esse persimilem, & comparanda hæc inter se potius quam componenda. Hac vtique ratione figuram igni pyramidalem tribuit. Aëri figuram facies habentem octo, quam nominat Octaedrã. Aquæ facies habentem viginti, quam Icosaedram vocat. Terræ facies sex habentem, nomine Cubum atque Talum. Vniuerso denique duodecim facies possidentem. Et pyramidalem quidem figuram ideo conuenire vult igni, quia tenuis, & ad incisionem præ cæteris apta, ex paucioribus que triangulis constituta: ideoque omnium leuissima figurarum. Figuram vero cubicam terræ, quia solidissima atque stabilissima sit. Figuras alias mediis elementis, quoniam ad motum atque statum inter ignem & terram medio modo se habent. Dodecaedram, quæ duodecim facies habet, congruere putat mundo propter sphæras duodecim, ac signa duodecim in Zodiaco. Resoluit autem solida in plana, plana vero in triangulos, præcipuè in eos qui rectanguli nominantur. Quorum vnus Scalenus fit, id est scalaris, latera omnia inæqualia possidens. Alter Isosceles, id est æquicrurus, duo habens æqualia latera. Nam triangulum æquilaterem, in quo neque rectus angulus, neque linea in perpendiculum recta sit, minus componendis





planis aptum existimat. Constituit ex Scalenis pyramidalem & octaedram, Icosaedramque molem: cum pyramis ex triangulis quatuor æquilateribus constituatur, quorum quilibet in sex triangulos Scalenos diuiditur. Octaedra figura ex octo similibus, quorum quisque in sex triangulos Scalenos similiter distribuitur. Icosaedra figura ex viginti similibus, quorum quilibet similiter in sex scalenos euadit. Isosceles autem triangulus figuræ cubicæ dicitur elementum. Quatuor enim Isosceles trianguli concurrentes quadrangulum complent. Ex huiusmodi vero quadrangulis sex Cubus efficitur. Denique Dodecaedram figuram mundo, vt dicebam, accommodauit, quoniam siderum formæ duodecim suscipiuntur in Zodiaco, quorum quælibet in partes triginta secatur. Similiter in figura Dodecaedra intueri licet pentagonos duodecim, singillatim in triangulos æquilateres quinque diuisos, ita vt vnusquisque rursum ex triangulis sex Scalenis conficiatur, & in omni mole Dodecaedra trecenti sexaginta reperiantur trianguli, quot etiam in Zodiaco portiones existunt. Tractat vero deinceps de motibus passionibusque elementorum. Item quo pacto distinguantur in partes, & inuicem misceantur, & quos effectus mixtione conficiant. Præterea qualis

fit tum elementorum tum mixtorum inuicem cõmutatio. Inter hæc de mixtis imperfectis agitur, & de perfectis, & de liquoribus, & lapidibus, & metallis. Sed hæc fermè omnia Pythagorico more ſub obſcuris metaphoris inuoluuntur: apertioribus autem verbis Platonem auditoribus ſuis tradidiſſe putamus, & Ariſtotelem præ cæteris manifeſtius eadem literis commendaſſe. Horum itaque omnium à libris Ariſtotelis de generatione atque Meteoris interpretatio requiratur. Tractat inſuper de paſſionibus quæ ab elementis animalium ſenſibus inferuntur. De paſſionibus inquam, & occultis, & manifeſtis. De voluptatis doloriſque ſpeciebus. Quæ in Philebo, & noſtro de Voluptate libro præcipuè declarantur. Agit præterea de ſenſibus ipſis, eorumque obiectis. Diſtinguit ſapores, odores & voces atque colores.

Iterum de homine quantum ad animam ſpectat & corpus.

CAPVT XLI.

Conſideratione dignum eſt, quantum nos admoneat Plato noſter, dandam eſſe operam, vt nos ipſos pro viribus cognoſcamus, meminerimuſque omnia infra Lunam fuiſſe nobis à Deo ſubiecta, ne quando ipſi contra dignitatem noſtram inferioribus nos viciſſim ſubiiciamus. In ipſo etiam totius diſputationis exordio decretum eſt de vniuerſo tractari vſque ad ipſam hominis genituram. Rurſus in medio diſputationis curſu diis à patre præcipitur exornare hominem, dominum animalium, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam eſſe velit atque præeſſe. Deinde paucis interiectis reditur ad hominem. Demum prope finem reſumitur, quod primo fuerat inſtitutum, videlicet de vniuerſo vſque ad genituram hominis fuiſſe tractandum. Atque in cunctis Moſaico more probatur hominem in diuino hoc opificio, & in primis proponi, & poſtremum fieri quaſi finem. Ergo nunc & omittens alia repetit diuinum in homine generando mandatum, & in hoc abſoluendo diuinorum obſequium miniſtrorum, neque id quidem iniuria. Prædixerat enim ſolum in terris hominem iuſtitiam & ſuperos eſſe culturum: vt maximè rationi ſit conſentaneum, Deos genituram hominis diligenter excoluiſſe. Sed his omiſſis, quæ ſequuntur expediamus. Iterum de anima irrationali tractatur non à Deo proxime, ſed per ſequentes mobileſque cauſas conſtituta, quæ rationali ſubiecta ſit, cœlitus à Deo dimiſſæ. Irrationalem vero animam Platonici non tam ſubſtantiale aliquid, quàm accidentale quiddam eſſe putant, quaſi rationalium veſtigium animarum, in quo ſenſus quidem ſint ſed per diuerſa corporis inſtrumenta diuiſi atque patibiles. Senſum autem in ipſa animæ rationalis ſubſtantia ponũt communem, ſimplicem, impatibilem, qui non propriè accipiat illatas à corporibus paſſiones, quemadmodum ſenſus alter, ſed alterius ſenſus percipiat, ſiue potius iudicet paſſiones. Proinde rationalis animæ ſubſtantiam indiuiſam, & in ſe conſiſtentem eſſe probant, neque capiti velut ſuſtentaculo, commendatam, ſed quaſi vel inſtrumento ipſius accommodatam, vel cuidam in ſuo genere ſimili comparatam. Irrationalem vero in membris quodammodo reſidere: & partem quidem eius audaciæ & iracundiæ compotem cordi: partem vero concupiſcentiæ deditam, iecori cõmodatam. Verum de hoc ipſo iecore miram Pythagoricorum notabis opinionem, videlicet id membrum ex certa ſoliditate & clara pariter lenitate ſic eſſe contemperatum, vt ſpeculi modo imagines rerum accipiat facile admodum atque reddat. Profecto quemadmodum imaginatio vehemens grauidæ mulieris in fœtu tenerrimo ſæpe exprimit rei deſideratæ notas: ita vehemens ſiue mentis notio, ſiue ſenſus imaginatio narum iecoris ſpecularem facillimè format. In hoc ipſo ſpeculo dæmones ſuperique futurorum effingũt imagines, quoties pacato prorſus animo aliunde illic imagines non pinguntur. Itaque futurorum notæ ſpeculo huic infuſæ in mentem protinus imaginationemque reſultant: ſed illic ſæpe imaginibus aliis adeo confunduntur, vt futura portendere nequeant. Quando videlicet vel mens prudentiæ officiis occupata circa gubernanda diſtrahitur, vel imaginatio ſimilibus negotiis occupatur. Vbi vero rationis imaginationiſque vacat prudens & continuata & laborioſa diſcurſio, ſæpe imagines futurorum à ſuperis in ſpeculum noſtrum proſilientes, inde in iudicium manifeſte reſiliunt. Verum quidnam portendant, diſcernere illius eſt officium, ab antecedentibus in conſequentia prudenter ſagaciterque diſcurrere conſueuit. At vero diſcurſio talis impedit vaticinium, vt merito alij ſint qui præuident, alij qui præuiſa interpretantur & explicant. Poſt hæc proſequitur materiam latiſſimè à medicis explicatam de humoribus complexionibuſque & mirabili humani corporis artificio. Atqui elegantiam Platonis in hominis corpore deſcribendo adeo admiratus eſt Bartolomeus Fontius noſter rhetor egregius, vt præclara oratione probauerit, neque Lactantium, neque Cornelium Celſum, neque Ciceronem ipſum in redeſcribenda ad miram Platonis eloquentiam accedere potuiſſe. Inter hæc præceptum religioſum conſiderabimus, non eſſe diuinis vlterius affirmandum, quàm diuinum confirmet oraculum. Item prouidentiam in homine componendo nullam omnino aliam habuiſſe rationem, niſi vt contemplationi foret aptiſſimus. Rurſus res naturales in effectibus producendis non eſſe propriè cauſas, ſed diuinæ prouidentiæ inſtrumenta. Principalem namque cauſam ſingulorum in ea intelligentia ſitam eſſe, quæ boni rationem habens, ſingula futuræ commoditatis gratia fabricat. Definit deinceps quid ſanitas corporis ſit, quid morbus. Diſtinguit quoque morborũ, tum aliorum, tum febrium ſpecies, ſingulorumque rationes aſsignat. Quales eſſe potiſsimum rationes quas apud Galenum Platonicum legi, iamdiu exiſtimaui, ac nuperà Georgio Cyprio inſigni medico ſum in ſententia confirmatus. Hic enim his diebus cum ad me curandæ matris meæ gratia frequenter accederet, meque reperiret hæc ipſa legentem, miro quodam ordine Galeni mentem cum Platonica mente coniunxit. Poſt hæc autem perfectam hominis valetudinem definit communem corporis animique concordiam. Quam tunc demum poſsideri putat, quando tam corpus quam anima in ſeipſis diſponuntur bene, deinde ſimul optime componuntur. Optime inquam, id eſt, æquali quadam menſura, vt neque robur animi nimis excedat modum corporis, neque robur corporis ſuperet animi modum.

dum. Sed antequam perfectam hanc definiat sanitatem, animi morbum distinguit in duos, scilicet ignorantiam & insaniam. Insaniam vero duplicem esse ait. Vnam quidem occultam, quæ in continua pronaque ad insaniam affectione consistit, puta habitum quendam ad perturbationem aliquam propensissimum. Alteram vero manifestam, scilicet quam vel aliqua perturbatio supra modum adaucta detegit, vt in gradu summo cupiditatis & voluptatis, timorisque, & doloris, & iræ: vel vapores humorum inclusi membris inducunt, vt atra bilis ex sanguinis, vel bilis, vel salsæ pituitæ adustione proueniens. Interea vbi ait, neminem sponte esse malum, sed propter naturam consuetudinemque deprauatam, intellige naturalem procliuitatem non mediocriter per oppositam consuetudinem cohiberi ab initio potuisse: sed procliuitatem illam diuturna consuetudine confirmatam extirpari quidem omnino non posse, exacta nihilominus doctrina exhortationibusque amputari. Docet post hæc colere corpus simul & animum, perpetuo quodam exercitationis motu. Exercitationis inquam moderatæ, motu inquam proprio, & ad bonum proprium rite directo: quo vtrumque exercitatum atque nutritum tantum virium consequatur, vt alteri non succumbat. Optat quidem Plato corpus animo cedere, sed non ita succumbere, vt motus animi sustinere non possit. Optat corpus validum atque firmum, sed sub animo longe validiore. Mox quantum exercitationem laudet, attende: quantum temerarium pharmacorum vituperet vsum. Proinde quemadmodum tam corpus quàm animam propriis exercere & confirmare motibus iusserat, sic tres animæ vires, id est rationalem, animosam, cupidam, suis quamlibet motibus præcipit conseruare: Verumtamen rationalem alimentis frequentioribus enutrire, ne cæteris succumbere compellatur. Ait intellectum homini pro dæmone datum, scilicet intimo. Alterum enim dæmonem habet externum. Item rectum corporis habitum quasi cœlesti tributum. Rursus eum qui vires irrationales supra modum nutrit, mortalem euadere, quasi doceat quomodo accipiendum sit, vbi ait hominem fieri brutum, id est bruto persimilem. Addit eum qui præcipuè alit mentem, sic immortalem fieri, vt immortalitatis nulla pars desit. Imperfecta enim immortalitas est, quæ motum agit perpetuum: perfecta vero, quæ manet: qualis vtique est in eo qui sola iam intelligentia viuit, euaditque ex homine dæmon. Ex intelligitur etiam, quando ait hominem effici brutum, id non propriè, sed quadam similitudine dici. Præterea ex eo quod subdit, fœminas ortas ex masculis, si placet, obscure nobis referat Mosaicum illud, Euam ex viro fuisse productam. At vero gradus brutorum omnes paulatim ex grauiori rationalis animæ lapsu multiplicari, intellige animam nostrã ob quandam liberi motus infinitatem, posse & intra se in brutorum omnium affectus habitusque proruere, & extra se supplicij loco inter similia bruta, vel brutorum loca diuino quodam transferri iudicio. Item omnes inferiorum viuentium dotes in hominis anima tanquam perfectissima contineri: atque brutorum animas in ipso rerum generationisque ordine ad nostram referri, quasi finem. Si hunc in modum progressionem animæ rationalis in alias, atque vicissim in hanc aliarum regressionem acceperis, forsan à Platonico sensu non aberrabis. Ipse enim hic sub persona Pythagorica loquens, fabulam opportune confingit Pythagoricarum similem fabularum. Atque ne hæc quasi sub historica veritate forsan admitteremus, non aliter quàm Poëtæ soleant animalium transformationes adducit. Atqui Timæus Locrus in lib. de Mundo fabulosa hæc esse fatetur. Hæc igitur sic accipito: Timæique librum eo fine concludito, qui doceat nos, Deum ante omnia colere, qui bona omnia sola benignitate prouidentiæ procreauit. Decreueram magnanime Laurenti breuiora hic quemadmodum argumentum decere videbatur, afferre, multaque amplioribus commentariis, quæ in Timæum iam designauimus, reseruare: Sed Philippus Valor Platonicorum studiosissimus, penes quem vniuerso Platonico operi in agro Maiano extremam manum imposui, plura me hic coëgit effundere. Philippus Valor Valoriæ virtutis generosissimus hæres. Cui ego plurimum debere me fateor, tum quia Platonica egregiaque omnia magnopere colit, tum quia singulari amore erga te tuosque omnes afficitur.



APPENDIX
COMMENTARIORVM IN TIMÆVM PLATONIS,
quæ distinctiones & summas capitum complectitur.

Repetitio de Republica.

CAPVT I.



Nus, duo, tres, &c.] Socrates repetit, quæ in hesterna disputatione dixerat de Republica.

Commendatio de antiquissima Republica.

CAPVT II.

Audite deinceps, &c.] Socrates optat Rempub. verbis dispositam, aliquando viuam, agentemque perspicere. Critias accingitur ad historiam Reip. quondam similis referendam.

De Athenis Ægyptiorum ante diluuium, atque de diluuijs.

CAPVT. III.

Recte loqueris, &c.] Ante Athenas Græcas tunc florentes, fuit Ægyptia quædam Athena: vbi Solon antiquam historiam accepit de rebus ante diluuium gestis. Nota. illuuiones, & incendia mundi, & antiquas ante illuuionem Athenas.

De Græcis ante diluuium Athenis.

CAPVT IIII.

Tunc admiratum, &c.] Athenæ ante diluuium, Græcæ conditæ fuerunt annis mille ante Athenas Ægyptias: Illinc ad Solonem nouem annorum milia. Mira Athleniensium gesta contra Athlanticos ante diluuium.

Athenæ ante diluuium duæ.

CAPVT V.

Hæc, ô Socrates, &c.] Respub. à Platone descripta reuera fuit apud antiquos Athenienses, & Græcos, & Ægyptios ante diluuium. Timæus superis inuocatis, ad disputandum de mundo se confert.

De origine mundi.

CAPVT VI.

Principio, &c.] Mundus quoniam in fluxu versatur, dependet ab alio principio quod sit immobile, & quia pulcherrimus est, fit ab optimo quodam intellectu ad exemplar æternum.

De exemplari mundi causa.

CAPVT VII.

Rationem vero, &c.] Hic mundus est imago semper fluens exemplaris intellectusque semper stabilis & æterni. Rationes de rebus quidem æternis stabiles sunt, de rebus autem mobilibus sunt mutabiles.

De causa mundi efficienter exemplari, finali,

CAPVT VIII,

Dicamus igitur, &c.] Intellectus optimus bonitatis gratia primam mundi molem alioquin temere iactabundam, pulcherrimo ad sui similitudinem disposuit ordine, vitaque & mente donauit.

Mundus est animal vniuersum.

CAPVT IX.

Hoc posito, &c.] Mundus est animal vnum sensibile, animalia cuncta sensibilia continens effectum ad similitudinem animalis vnius intelligibilis viuentia cuncta intelligibilia continentis.

Conciliatio elementorum.

CAPVT X.

Qnoniam vero, &c.] Ignis, ac terra quia per solidam, id est per trinam, absolutamque distantiam inter se discrepant, duobus saltem mediis elementis, quibus conciliarentur indiguerunt,

Mundus indissolubilis.

CAPVT XI.

Propterea, &c.] Mundana compositio nunquam dissoluenda videtur, tum quia concordi partium proportione perfecte conflata est, tum quia ex totis perfectisque corporibus est confecta, nihilque corporeum extra relictum.

Cur figura mundi & motio circularis.

CAPVT XII.

Cui & figuram, &c.] Figura sphærica mundo fuit accōmodatissima, quia capacissima, æqualissima, absolutissima. Factus est mundus & intus sibi concors, & nihil extra desidetans, atque ad imaginem intelligentiæ semper in eodem similiter se reuoluentis.

Anima mundi purior corpore, & vbique.

CAPVT XIII.

Animam autem, &c.] Animam mundi Deus à medio mundi, id est à media rerum specie & à centro, & à Luna, & à Sole diffudit per vniuersum, priorem corpore, tum gradu virtutis,

rum otiginis ordine. Quoniam videlicet corpus dependet ab anima. Licet hoc mundi medium geminum præcipuè cogitare, Lunam videlicet atque Solem. Hæc quidem ingenerabilium, generabiliumque media est vtriusque naturæ quodammodo particeps. Hic autem medius inter quinarios duos incedit, super hunc enim Venus, Mercurius, Mars, Iupiter, & Saturnus: sub hoc Luna quasi iam elementalis, & quatuor elementa. Si modo suptemus aër, motu, & lumine cœli feruens dicitur ignis, superior ille quinarius ad perficiendas rerum formas pertinet, inferior ad materias. Sol pertinet ad vtrasque. Est autem Sol terræ propinquior quàm firmamento, quoniam terrena Solari fauore magis quàm cœlestia indigent. A Luna igitur atque Sole anima materialia, formaliaque dona per cuncta diffundit. Rationes autem dispositionis, qualitatumque Planetarum attulimus in commentariis in Plotinum, vbi de cœlestibus agit.

Compositio animæ.

CAPVT XIIII.

EX his, &c.] Anima composita est ex natura indiuidua immobilique, item ex natura diuidua mobilique, atque media essentia, cunctis in vnam speciem perfectè conciliatis, musica videlicet proportione.

Figura animæ.

CAPVT XV.

IAm vero, &c.] Anima cœli sic fermè in suis quibusdam partibus spiritalibus disposita est, sicut in suis cœlum, quod est eius imago. Hoc autem duos habet axes in formam huiusmodi. X. se intersecantes, directosque ad quatuor polos. Quorum duo sunt firmamenti, duo orbium reliquorum. Mouentur autem hi aliter quam firmamentum. Inter hos vero Sol, Venus, Mercurius, inter se fermè mouentur æqualiter. Inter septem Planetarum orbes sex diuisiones sunt. Sicut in figura animæ supra descripta inter septem limites naturales interualla sex existunt. Item sicut in illa figura tres sunt proportiones duplæ, tres vero triplæ, sic in anima, & in orbibus. Hinc dictum est, tria esse vtrinque, id est tam in ratione dupla quàm tripla, esse interualla tria.

Corpus reuoluitur in anima.

CAPVT XVI

POstquam igitur, &c.] Summus, & omnino stabilis intellectus animam mundi mobiliũ optimam procreauit. In huius gremio corpus mundi produxit animæ consentaneum, atque ad orbicularem animæ motionem orbiculariter reuolutum.

Genera, cognitiones, orbes in anima.

CAPVT XVII.

QVoniam igitur, &c.] Anima quoniam ex omnium genetibus harmonicè conflata est, & conuertitur in seipsam, facilè quælibet incidentia iudicat, formas eorum in se prorsus agnoscens. Orbis identitatis in anima est intellectus, alteritatis imaginatio. Ex vtrisque permixtus, ratio hæc rite ad imaginationem conuersa, opinionem procreat atque fidem, ad intellectum vero scientiam. Ac siue indiuiduas essentias consideret, siue diuiduas vtrobique cognoscit, quo conueniant ad differant: quæue sint qualitates, & habitudines mutuæ, vel actiones.

Motus, status, tempus, æternitas.

CAPVT XVIII.

CVm igitur, &c.] Penes mundum intelligibilem in vnitate status ipse consistit. Instatu existit æternitas. In mundo sensibili multiplicitatem esse, motus sequitur, motum vero tempus æternitatis imago. In æternitate tria præcipuè cogitamus, vnicum actum, stabilitatem, infinitatem simul totam. Tempus igitur singulare illud vnum, continuitate, & suo quodam vno iugiter repetito statum illum testatutione; infinitatem simul totam infinitate sua per vices explicata pro viribus æmulatur. Delectari vero Deum opere suo, significare videtur, ipsum facillimo quodam voluntatis actu mundum ad sui similitudinem effecisse, eique tam impensè quàm facilè prouidere. Neque necessarium Plato putat, cœlum ac tempus semper fuisse, vel fore, sed quamdiu alterum est, esse simul & alterum: Sicut enim mundo necessaria est dimensio trina, & figura sphærica, ita motus in orbem temporali quadam dimensione productus.

Distinctio temporis, Planetarum motus.

CAPVT XIX.

HAc ratione, &c.] Tempus sequitur quidem mobilis primi motum: distinguitur autem ad motum Planetarum, qui à firmamento mouentur ab ortu ad occasum, ipsi interim ab occasu ad ortum, nam propria reuoluti, sinuosa quadam obliquitate velut in spitam, dum sub obliquo Zodiaco varie peruagantes, nunc ad meridiem, nunc ad septentrionem vergunt, modo progredientes, modo regredientes, aliàs item distantiores à terra, aliàs autem propinquiores. Nec iniuria tanquam medij, inter motum elementorum rectum, motumque firmamenti solummodo circularem, motum sortiti sunt medium, id est obliquum, nonnihil recti cum circulo permiscentem. Qui inter hos breuiori sphera feruntur, citius reuertuntur ad idem, tardius autem qui ampliore. Qui ergo citius vnde discesserant reuertuntur, alios ad reditum tardiores assequuntur, atque prætereunt, atque ita comprehendunt, vt manifestius Luna Saturnum. Et id quidem faciunt eo progressu quo reuoluuntur ad ortum. Si quis autem solum sphærarũ motum videat ad occasum, quem per firmamentum agunt, alterum vero, id est proprium, ne suspicetur quidem, cernat insuper mane Lunam in Oriente cum Saturno coniunctam, vespere vero Saturnum occasui propinquiorem, sed Lunam ab occasu remotiorem, putabit forsan hoc cursu diurno Saturnum prætetisse Lunam, quia videlicet velocius se reuoluat. Neque tamen ita cõtigit. Non enim Saturnus versus occasum cursu superauit Lunam, sed Luna proprio versus ortum motu Saturnum cito præterijt. Ideo comprehendi visa est à Saturno, dum hunc ipsa comprehenderet. Sol, Mercurius, Venus æquali fermè tempore cursum peragunt. Quoniam vero alij horum aliàs velocius, tardiusue

mouentur, euenit vt hic illum modo assequatur atque prætereat, modo cursu vicissim exuperetur. Potentia Veneris, & Mercurii dicitur contraria Soli, quia opposito ad illum motu quandoque mouentur, progredientes, vicissimque regredientes. Sol quidem occulta prodit, illi vero contra. Præterea Solis potentiam alioquin cum rebus incomparabilem, ipsi comparabiles moderantur, comparabilemque efficiunt. Venus enim conciliationis, & amicitiæ, Mercurius quoque proportionis, & commixtionis est author.

Planetarum dispositio, annus magnus.

CAPVT XX.

VT autem, &c.] Præcipuus temporum declarator est Sol. Et motuum Planetarum contra mensura. Hic toti cœlo, stellisque infundit lumen, scilicet oculis manifestum. Habent enim hæc natiuum quoque lumen, sed nobis occultum. Luna merito proxima est elementis, generationis mater, proportionem cum his habens, non mediocrem mutabileque nonnihil. Sol proportionem ad hæc non habens, interiecta Luna conciliatur. Merito hic generationis pater est generationis matri propinquus. Primus calor humori primo, illuminator illuminato. Lunam Aristoteles Solem alterum vocat atque minorem: Sol per lunarem humorem generationes inchoat, per Venereum generabilium formas absoluit. Opportune tantus calor inter tantos humores est medius. Per Mercurium mox præfectum Veneri tanquam proportionis commixtionisque fabrum formas mutuo formis, resque rebus rite commiscet. Per Martem mixtis ad motus efficaciam exhibet, superuacuosque humores expellit. Per Iouem motus insuper vitales adhibens, quæcunque mouentur, iuste dirigit, atque distribuit. Per Saturnum & motibus perseuerantiam, & moris firmitatem præstat, per firmamentum hæc omnia complet. Per se largitur sensum intimum pariter, & extremum. Ad vniuersalem vero intimi sensus motum, Mercurium adhibet auditorem, sed ad intelligentiam confirmandam Saturnum habet comitem. Annus à diluuio magnus explebitur quando peractis stellarum circuitibus, tam circa centrum mundi quàm circa suum: stellæ simul omnes qua parte cœlestis longitudinis, latitudinis, profunditatis tunc fuerunt, ad eandem pariter reuertentur. Hinc multi annorum solatium quindecim milibus, alii aliter mentiuntur.

Quatuor animalium genera.

CAPVT XXI.

IAm vero, &c.] Genera animalium in hoc mūdo præscripta sunt in ipsis prima vitæ mentisque ideis. Stellæ sunt dii cœlestes ex igne cœlesti plurimum cōstituti, ex aëre quoque, & aqua, terraque cœlesti. Stellæ, quæ dicuntur fixę positæ sunt in firmamento, eiusque vniformi circuitu: Quo refertur intelligentia, hæ simul atque Planetæ, & horum pedissequa cœlestia numina, cœlestes dii vocantur. Per animalia vero aëria significantur dæmones, sed per aquatica, & terrena, tum animalia hæc, tum dæmones animalium eiusmodi curatores.

Septem in cœlo motus, dispositio stellarum atque terræ.

CAPVT XXII.

DEdit autem, &c.] Septem sunt in cœlo motus, circularis, ante, retro, sursum, deorsum, ante dextram, & sinistram. Sphæræ solum habent circuitum: Stellæ in firmamento circuitum quidem habent circa suum centrum, sed imitantes firmamentum, occasum versus, ita fixo centro voluuntur. Dicuntur etiam ad anteriora moueri quoniam trahuntur à sphæra. Reliquos quinque motus non habent, Planetæ vero habent omnes, nam & in suo centro voluuntur, sed ad similitudinem sphæræ in hoc centro versus ortum. Præterea ante, retro, sursum, deorsum, ad dextram & sinistram vertuntur: Sed præcedentes ad ortum tanquam naturalem dicuntur ante moueri, fixæ vero stellæ dum feruntur ad occasum, quasi naturalem dicuntur ante procedere. Quælibet stella per ipsum in suo centro circuitum imitatur actionem animæ suę, circa mentem suam, per tractum vero sphæræ actionem eiusdem circa mentem superiorem. Et quemadmodum de eisdem semper eadem cogitant, ita eodem semper tenore voluuntur. Vniformitas quidem in motibus firmamenti rebus inferioribus vnionem & perseuerantiam tribuit. Multiplices vero & oppositi Planetarum motus ad multiplicia, & opposita procreanda, commiscenda, regenda conducunt. Axis mundi videtur quasi polus, hinc illuc vsque porrectus, per centrum quoque traiectus quasi polum: Circa hunc compacta terra est, huic adest anima corpus suum cœleste viuificans, per hoc quoque terrenum, vim huius animalem quidem appellāt Cererem, intellectualē vero Vestam, hæc antiquissima est particularium numinum, dæmoniorumque intra cœlum cæteras prouincias sortitorum. Terra quasi torus est mundus: In huius enim visceribus aquæ, aëriæ, igneæ, flumina comprehenduntur: Atque ita dominatur infra lunam, sicut in cœlestibus ignis. Terteni numinis autoritatem declarant cœlestia, dum circa hunc cardinem reuoluuntur. Et quoniam status præcedit motum, terra tanquam stabilis & vnum aliquid ex primis mundi membris, antiquior videtur etiam stellis tanquam mobilibus, ac post primas mundi partes adiunctis. Cælestes vel ita concurrunt, vt simul exoriantur, vel quasi ad perpendiculum coniungantur: Atque ita nonnunquam sibi obstantes nos latent: Quandoque procedunt, vel retro cedunt: Item sub sole vel aliter latentes, cum mox apparent, multa portendunt: Significant vero multa stellæ quæ ipsæ non prorsus efficiunt: Ægyptij stellam nomine ach aliquot annis non visam verentur, similiter Selechin, Caniculam Orionis interpositis temporibus apparentem.

Deorum, dæmonumque Genealogia.

CAPVT XXIII.

CÆterorum, &c.] Post Deos in cœlo visibiles, sunt inuisibiles dii, dæmonesque in cœlo atque sub cœlo, ignoti quidem aliis, noti vero priscis quibusdam diuinitus inspiratis. Qui vero nunc opifici mundi ad mortalium animalium generationem gubernationemque propriè mini-

straturi sunt, dij sunt dæmonesque sub Luna. Dij quidem intellectualem, & vniuersalem magis prouidentiam habent: Dæmones autem animalem particularemque potius sortiti sunt auram: Vtrique per aërem summum, mediumque: & imum, pro dignitate sunt distributi, opificis quidem mundani filij sunt naturales, inter se autem adoptiui: Qui enim præsunt aliis, sunt quasi parentes, sicut & Theologi Phœbei quidem filij Phœbi dicuntur: Mercuriales vero Mercurij. Dij dæmonesque sub Luna cœli terræque filij nuncupantur. Quoniam à diuinitate cœli, atque terræ sub cœlo dominantis, quasi filij à parentibus illustrantur atque dicuntur. Virtus in opifice mundi excellenter cuncta comprehendens, atque mouens cœlum dicitur, firmitas vero terra: Hoc cœlo, hac terra dii, dæmonesque sunt progeniti, omnes vtriusque participes. Per hæc nacti quoque sunt fœcunditatem ad motum, rationesque distinctionis in motibus: Illa quidem Oceanus appellatur, hæc vero Tethys. Per hæc habent seminariam rationem quasi phorcyn: Specialem quoque rationum eiusmodi distinctionem quasi Saturnum: Harum denique productionem quasi Rheam. Sub Luna sunt corpora, naturæ, animæ, intellectus, Saturnus regit intelligentias, Rhea animas, Iupiter naturas, Phorcys corpora, Iuno motus corporum. Eiusmodi nomina varias in numinibus vires potius quàm substantiarum diuersitatem significare videntur. Esse eiusmodi numina probauimus alibi: Quia sicut in prima, & vltima sphæra mundi rationalia sunt animalia, ita pro natura sua sunt in mediis, Per hæc superi mortalesque valde distantes conciliantur, reguntur mutabilia, fortuita diriguntur.

Dij, dæmonesque Deorum in generatione ministri.

CAPVT XXIIII.

Postquam orti, &c.] Quamuis omne compositum sit solubile, præsertim vbi multitudo superat vnitatem, tamen vbi vnitas superat multitudinem, diuina voluntas conseruat indissolutum: Quæ quicquid proxima facit immortalitatem donat: per Deos autem dæmonesque mortalia quidem generat animalia: Animam vero rationalem solus ipse demittit ab alto. Dii Demonesque sub Luna si apparent, quando volunt, Corpora quidem semper habere sed tenuissima, apparent vero quando vel corpus suum lumenque condensant, vel radios oculorum nostrorum aut virtute terminant, aut non densitate sed potestate reflectunt, vel imaginatione naturam intus sibi conformant, vel aërem circumfusum illustrant, atque figurant. Forte vero nec alienum fuerit à Platone dicere aliquem cœlestium nonnunquam apparere, quasi nouum sydus miranda portendens. Dæmones quidem generationis sub Luna rectores vltra cœlestia corpora sibi propria habent, insuper aëria pura, vtraque sempiterna, beneficique sunt, atque diuini: Sub his autem sunt dæmones ex aëre insuper mixto corpus habentes, quasi iam humani, corpore quoque solubiles, sed valde longæui, hi nonnunquam apparentes fallunt, primi vero non fallunt, inter dæmones aëris mixti cultores, Theologia gentilium, & Platonica secta dæmones quosdam brutos, vel quasi brutos, annumerant: Imaginatione acerrimos, viribusque validos. Forte enim sicut in terra duplex animal est, rationale scilicet atque brutum, sic in aqua geminum esse putant: vbi numina quædam aquatica Orpheus, & Poëtæ canunt. Similiter & in aëre mixto præter dæmones ratione viuentes, probabile iudicauerunt esse dæmones quasi brutos, vtentes videlicet præpotenti quadam imaginatione quàm plurimum: qua & imaginationes naturas sæpe moueat sicut corpore corpora: Si ita res se habeat, ad horum numerum referemus eos qui non serio nobiscum agunt, sed præstigiis atque ludis pueros, & phanaticos occupant: & puerilia tentant, phantasmate terrent, pondera mouent, in obscuris habitant plurimum, inter sordes eiusmodi dæmonem hoc anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, Octobris mense in vetustissima, & caduca, & obscura quadam Galileæ familiæ domo deprehendi Florentiæ, duos iam menses domesticos infestantem, quem pluribus argumentis esse quasi brutum Saturniumque iudicaui, dæmonium mutum, spiritumque immundum. Iussi igitur post orationes sacrasque expiationes, mundari sordibus domum totam, electis odoribus sæpe affici, dealbari, illuminari, ornari, ne domus vlterius foret habitaculum immundo spiritui consentaneum: Idque primũ fieri quo die sol ad sextilem peruenit Iouis aspectum: Nam deprehenderam dæmonem cæpisse vexare familiam Augusto superiori, quo die, qua hora opponebatur Ioui Saturnus. His igitur obseruatis, disparuit subito Saturnius & sordidus illæ dæmon, cui videlicet munda, & Iouialia displicerent. Anno sequenti mense Decembri similis huic dæmon è laribus Francisci cuiusdam sutoris nostri, obseruationibus fermè similibus à nobis institutis diuinitus est expulsus. Non enim homines hæc efficere sine Deo possunt. Historia quidem vera est, rationem vero tantæ rei quomodocunque quis velit accipiat, dummodo nunquam à Theologiæ veritate dissentiat, sed à dæmonibus inferioribus siue brutis, redeamus ad primos aëris puri autores: Hi namque dæmones apud Platonem in animalium mortalium generatione & reguntur à diis, & interim vtuntur particularibus naturis virtuteque cælesti omnibus infira, vt instrumentis opifex mundi rationalem animam à se creatam cœlestique cuidam adhibitam corpori quasi vehiculo ministris opportune tradit, vt ipsi corpus elementale primo quidem subtilius, deinde crassius cum competenti vita subiungant. Animam rationalem esse diuinam per tria declarat; per imperium eius in corpus: per iustitiam atque leges, per religionem contemplationemque diuinorum: Vitam vero mortalem vnà cum corpore his subnectendam mandar. Anima sane data diuinitus & rationalis est, & pariter immortalis. Vita vero diuinitus per hanc infusam vehiculo irrationalis quidem est, sed immortalis. Vita denique à ministris Dei per hanc diffusa in corpus elementale tum subtile, tum crassum, irrationalis iam est, atque mortalis, siue disperdatur, siue resoluatur in vitas vnde processerat. In anima rursum rationali sensus est impassibilis atque vnus in quo omnes: In vita vehiculi sensus vnus similiter, sed affectione passiuus: In vita corporis crassioris sensus iam per instrumenta diuiditur, atque partitur: Esse vero irrationalem illam vehiculi vitam vna cum

ipso sempiternam, Plato declarat, quotiens ait, animas & è cœlo perturbationibus quibusdam ad ista descendere, & apud inferos à perturbationibus expurgari vehiculisque migrare. Anima quando solo vtitur cœlesti vehiculo, vitam prouidentiamque vniuersalissimam habet: quando insuper aërio minus vniuersalem: vbi etiam terreno particularem.

Creatio distinctioque particularium animarum.

CAPVT XXV.

HÆc fatus, &c.] Deus ex eadem principiorum mixtura, qua mundi animam, nostras etiam procreauit, æthereis inuoluit corporibus, alias aliis astris accommodauit. Quæ in tertiis sensuum perturbationes amputant, ad stellam suam reuolant: Quæ ferinis perturbationibus superantur, habitu quodam quasi bruto pererrant. Donec mente perturbationes exuperante purgatæ reuertatur ad stellam: Sed hæc altius repetamus. Cum omnes animæ rationales ex communibus rerum generibus, item ex propriis cuiusdam viribus formulisque harmonicè componantur, nimirum animarum inter se differentiæ inde sumuntur, quod elementa eiusmodi in aliis præstantiora sunt, quàm in aliis. Item quod absolutius in aliis quam in aliis copulantur: Rursus quoniam vnitas, terminus, identitas, status, gradatim in sequentibus minuuntur, gradibusque paribus interim opposita crescunt, scilicet multitudo, infinitudoque, & diuersitas, atque motus, atque ita per descensum varios gradus conficiunt animarum: Quamobrem aliæ quidem animæ diuinæ sunt, vt sphærarum, stellarumque animæ: Aliæ semper diuina sequentes, vt Deorum, sive dæmonum in omnibus mundi sphæris vniuersaliter prouidentium: Aliæ non æque semper diuina sequuntur, sed quandoque à superiore ad inferiorem contemplationis gradum generationi prouisuræ descendunt, nequaquam inde contaminandæ: Aliæ quodam modo contaminabiles inde labuntur, sed leuiter quidem, ideoque breui in generatione mansuræ: Aliæ grauius inquinabiles, idcirco tardius ad cœlestia reuersuræ. Sunt & differentes in animabus rationalibus intelligentiæ gradus: Cum enim omnes inter duo extrema mediæ sint, scilicet inter puros intellectus, qui cuncta semper simul intelligunt, atque inter bruta, quæ nihil merito cunctæ intellectuali quadam ratione percurrunt: sed animæ primæ quàm plurima vno quodam rationis intuitu complectuntur: Secundæ aliquanto pauciora, similiterque deinceps pauciora vsque ad dæmonicas illas, quæ vno quodam intuitu vnicum intuentur, sed rationalem intelligentiam semper ordine certo continuant. Postremæ inter rationales sunt animæ quæ non modo vnum consequuntur vno: sed etiam quandoque intelligentiam intermittunt aut valde remittunt. Contingunt præterea inter animas differentiæ, quatenus aliæ aliis ob opifice statim ab initio accommodatæ sunt stellis, id est ipsæ quidem animæ animabus stellarum, earum quoque vehicula corporibus & motibus earundem: Pares quidem stellis numero, non quoniam vna vni: semper enim persequentes gradus virtus quidem minuitur singulatim, sed compensando summatim numerus augetur. Pares igitur numero, quia quot stellæ, totidem sunt rationalium species animarum, dæmonicarum, atque particularium, sed in specie qualibet particularium plures quàm in dæmonica sorte: Et cunctæ per quamlibet sphæram deinceps stellæ illius, & proprietate præditæ, & appellatione cognominatæ: atque insuper inter se proprietate ram variæ quot sunt in eadem stella virtutes. Dicuntur & stellis pares numero factæ: Id est proportione numerosa consimiles: Nam ex eisdem proportionis harmonicæ speciebus conflatæ sunt omnes. Stellas autem hic intellige non solum conspicuas, sed etiam non conspicuas in cœlo pariter, & sub cœlo: Omnes enim vbique mundi rectores, occulta nobis habent corpora, cœlestia, rotunda, lucida: Animas quoque nostras simili quodam corpore præditas, stellis similes, in decimo de Republica narrat: Quomodo vero Deus cœleste vehiculum animæ dedit, nullam è cœlo detraxit portionem, ad hoc inde constituendum, sed id seorsum ei proprium procreauit, cum ipsa pariter sempiternum. Vt immortalis anima mortali corpori per immortale corpus copularetur: per cęleste inquam, immortale, proxime aërio tanquam simillori cœlo, mortali quidem, sed valde longæuo. Per hoc terreno breuioris æui. Anima per suam quidem essentiam est super fatum, id est super seriem naturalem mobilium causarum: Sed per cœleste vehiculum in fato, per reliqua iam sub fato: Animæ quædam & si in generationem labuntur, semper tamen naturalem suæ stellæ proprietatem quodammodo cōseruant: Quæ vero dicuntur in terram spargi, terrenis post cœlestia sunt accommodatæ numinibus: Particulares animas quæ non facile possint contemplationem simul exactam, & prouidentiæ, generationisque officia consummare, vicissim vtrumque facturas existimant, sed diutissime ptimum: Has omnes in anno magno semel saltem ad ista descendere, alioquin nunquam vlterius descensuras, alias vero aliis ad hæc sæpius se conferre, sæpius quidem quæ proprio iure liberoque motu liberius abutuntur, & inferioribus sunt commendatæ patronis: Rarius autem, quæ natura stabiliores sunt sublimioribusque stellis atque numinibus dedicatæ, ad cōtemplationem maximè pertinentibus: Putant animas quoque multas hominum humanis sublimiores cœlitus perfectas in aërem in animalia illice uadere, diuturnius quàm nos feliciusque viuentia ad suas similiter stellas denique reuersura. Citius autem ad eandem stellam, quàm ad idem intelligibile ad eundemque omnino contemplationis beatæ gradum nostræ animæ reuertuntur. Vbi vero ad corpora nostra prolapsæ, deinde in bruta transire dicuntur. Proclus exponit, rationalem animam nunquam fieri corporis bruti vitam, sed per compassionem quandam quodammodo ad bruti animam alligari desuper aduectam, ita forte sicut solemus dicere, Dæmones nostris non corporibus quidem propriè sed imaginationibus, per imaginationes suas miris se modis insinuare: Merito vero reprobat corporis bruti figuram ex natura rationalis animæ coalescere. Quemadmodum nec ex naturis aliorum animalium aut arborum, animantes aliæ vel arbores coalescunt. Natura denique vegetalis humana ad humanam rationaleique duntaxat speciem figuramque tendit:

Nec ex morum mutationibus permutatur: figura in terris seruitura animæ per naturam propriam rationali, sola est quæ temperata & erecta linguam manumque habet rationis interpretem, & ministram: Ad alienam in terris figuram inclinatio nulla imaginationi, vel naturæ succurrit, alioquin sibi frustra viueret rationalis anima, nec officij nec potentiæ locum habens.

Quomodo anima stellis distribuuntur, deinde in terra ligantur.

CAPVT XXVI.

QVæ cum illis &c.] Deus postquam animas in firmamento stellis accommodauit, certis subinde temporibus distribuit per planetas: Vnde quandoque labantur in elementa, vbi dij reliqui corpus animis elementale contemperent, atque inter hoc & illas irrationalem vitam inserant, quasi vinculum.

Quomodo dæmones animas corporibus alligant.

CAPVT XXVII.

ATque his quidem &c.] Quia Deus in suo statu permanet prouidendo, ministri eius ordine certo procedunt. Animæ diuinitus acceptæ, corpus spiritumque ineffabili ratione temperatissimum adhibent, sed in huius mole regenda circuitus animæ, id est intellectus, & ratio impediuntur, quatenus anima non conuertitur in se ipsam: sæpeque dum sensus pedes animæ dominantur, animus peruersa figura deiecto in terram capite, id est ratione, pererrat. Vbi dicitur corpus nostrum crebris occultisque clauis nodisue conflatum, intellige tenuiores partes crassioribus infusas per distributionem in minima quæque, absolutissima quadam conflatione: Vt animæ cœlesti præparetur corpus cœlesti quadam similitudine temperatum: Proclus exponit animam irrationalem vnà cum corpore fieri, rationalem verò corpus ingredi, neque priusquam fœtus sit instrumentis omnibus penitus absolutus, propemodum ad processum, perfectis videlicet organis sublimi animæ seruiturus: Proinde anima corpusque inuicem ita iunguntur, vt alterum neque superet omnino, neque contineat alterum, quia nec anima naturam corpoream transmutat in aliam, neque corpus naturam animæ perdit: Neque continet anima corpus quo minus fluat, neque hoc illam quo minus quandoque resurgat. Rursus continet anima corpus ne subito diffluat, Corpus animam continet ne intelligat expedite: Hoc illam in quadam fere deorsum, hæc illud sursum.

Perturbatio & impedimentum animæ in corpore.

CAPVT XXVIII.

CVm verò &c.] Anima veniens in corpus multum diuque turbatur, quoniam à gradu quodam valde lucido, ad tenebrosum longeque dissimilem repente descendit in corpus, ab ipsa nimium alienum: à tranquilla vigilia in somnum multiplicibus eam somniis agitantem. Quæ quidem & nutritionis augmentique necessitate, & fluxu, refluxuque materiæ & sensuum passionibus asidue incitantur & concitant, interim nouitate rerum admirationem stupidam diutius afferente. Hinc & peruersus concrescit habitus, rationem ipsam etiam postquam quasi experrecta fuerit in longum impediturum: Affectio à diuinis tàm aliena, tàm infelix vtrosque circuitus animæ tangit: Profectò quæ sunt à materiis separata, tantum à materialibus diuersa sunt, vt quæ vitrus animæ proportionem habet ad illa, nequeat ad hæc habere. Duæ igitur ad ipsa duo iudicandâ sunt vires: Ad separata quidem ratio intellectualis siue intelligentiæ scientiam procreans: Ad materialia verò ratio quædam imaginalis, quasi perdissequa sensuum mater opinionum: hi duo circuitus appellantur, ille quidem identitatis, hic verò diuersitatis, ille rursus calamitate corporea impediri dicitur vel ligari, vel detineri, hic verò distrahi: Ille si quidem ad immaterialia pertinens, in hac vita materialibus prorsus addicta, plurimum ab officio vacat: Itaque dicitur detineri ne agat, sed non distrahi, vt aberret: Alter verò per falsas opiniones distrahi. Possumus enim opinari non rectè, scire autem non rectè nequimus. quoniam igitur & imaginationes perturbatæ, & hinc opiniones falsæ & vtrinque peruersi mores exoriuntur, dictum est circuitus animæ à sua figura progressioneque detorqueri. Hic intellige harmoniam animæ non illam quæ in substantia est penitus insolubilis, sed illam, quæ in actionibus desideratur, offendi: Item affectiones corporis immoderatas quidem impedire rationales animæ discursiones posse, moderatas autem duntaxat non impedire, neque tamen efficere: Nam corporis tumultu sedato deinceps ad intelligentiam opus est disciplina quadam eruditionis gradibus processura: Proinde sicut in somno sic in infantia intenditur plurimum imaginatio sequens affectiones & obsequia & ministeria corporis. Intenditur & necessarium vegetationis opus ab intelligentia remotissimum: Hinc actus intelligentiæ, rationisque multum denique remittitur, cessantibus tandem tantis perturbationum causis, intenditur vicissim recta intelligentiæ rationisque discussio præsertim accedente interim disciplina: Sin autem peruersus habitus ad finem vsque perseuerauerit animus & claudus, & mancus cognominatur, quia solo graditur sensu, ratione posthabita, mancus quoniam non vtitur intelligent æ pennis. Migrare verò ad infernum, id est ad locum inuisibilem, est in aëre suspendi, quasi purgatorio quodam. Hic transitus in bestias post habetur.

Principatus capitis & contemplatio.

CAPVT XXIX.

SEd hæc quidem &c.] Si consideretur homo qua ratione est factus, ad contemplandum caput, in quo viget spiritus animalis, instrumentum contemplationis, est principale membrum ac fere totus homo, cætera membra tanquam ministra capiti sunt adiuncta. Caput cœlo simile, rationi seruiens, duos habenti circuitus, reuolutionum cœlestium similes: Instrumenta varia faciei sensibus rationique seruiunt: Cætera caput sustinent, vehunt, huic coquunt, apprehendunt. graduntur. Homo animal admirandum ex immortali mortalique constitutũ: Oportuit enim hic esse animal quod superos coleret, medium inter animalia illa suprema, tàm corpore, quàm animo immortalia, atque inferiora vtrinque caduca ipsum scilicet per corpus quidem mortale, immortale verò per animam, quæ non his solum de causis descendit in terram, sed etiam vt hic vltra contemplationem pristinam prouidentiam quoque

diuinam imitaretur. Homo denique totus est mundus, per intellectum quidem refert proportione aliqua firmamentum, per rationem speculatiuam Saturnum, per practicam Iouem, per vtriusque expressionem, Mercurium, per sensum imaginationemque Solem, per irascibilem Martem, per concupiscentiam Venerem, per vegetalem Lunam, per vehiculum cœlum, per corpus tractabile regionem elementalem.

De visu, oculo, lumine, imaginibus.

CAPVT XXX.

SEd ex omnibus &c.] Spiritus animalis sensuũ instrumentum, natura solaris est. Et præcipue radiosus, præsertim in oculo, Vbi per pupillam radius eius purior euolans cum externo lumine simili commiscetur in ea præsertim aëtis parte in quam intenditur per aspectum: Ibi igitur in vnam speciem cum hoc lumine coalescens, si quid attigerit, quod quoquomodo resistat, quasi resilit prorsus in spiritum: Atque ex hoc ad animam, suamque visui tenouat passionem. Hic nocte compressus, Spiritus sui motus lenit, atque mulcet, somniaque inde sequuntur, exiguo quidem motu exigua, multo vero vel acriote multa vehementiaue nascuntur: Sed hæc paulo altius repetenda. Democritus, Heraclitus, Stoici, plerique etiam Peripatetici, atque Geometræ, vnà cũ Platonicis, visionem fieri eminus ex oculis emicante spiritu vel radio quodam, putant. Quod & nos probauimus cum Plotino. Et sic iterum in præsentia cum Astronomis comprobamus. Quando Lunam ad stellas firmamenti comparant, & sub qua potissimum stella sit è regione perpendunt, communis visus fallaciam deprehendunt. Sint ergo tres in eadem signi facie stellæ, nostris oculis manifeste in longitudinem quasi dispositæ, quarum media alteram quasi ad dexteram habeat, alteram ad sinistram, luna verò ad perpendiculum sit sub media; tres autem oculi longe inter se distantes illam lunę coniunctionem è terra suspiciant: Oculus igitur qui ad diametrum recta videlicet supra caput regione, lunam suspicit, eam sub media stella perpendit, sed qui ex obliquo inspexerit à sinistra, Lunam intuebitur sub stella, quæ ad dexteram mediæ stellæ lucet. quonam illuc modo possit, peruenturus sic radius visualis in rectum semel intentus, ne alioquin frangatur, vel (vt ita dixerim) obliquetur. Qui autem extra suspexerit Lunam intuitu transfert ad stellam mediæ stellæ sinistram, similiter & prope nos in multis obiectis accidit. Qua quidem in re Astronomi, & perspectiuæ fallaciæ rationes ad radios referunt ab oculis emicantes. Naturalis ipse nostri corporis ignis feruorem quidem exercet potissimum in vitali spiritu, lucẽ verò in animali, quam vberius in oculo congregat tanquam pingui diaphano, cuius humor nitidissimus est, cuius & membranę tenues, & perspicuæ, & ad conseruandam lucem satis firmæ: per pupillam verò solidiorem radius emicat serenissimus; cuius quidem radij vna quædam fuit in vno neruo intus origo, per duos mox neruiculos ad geminos oculos deriuata, qui sane neruiculi per humores oculorum pingues sub tunicis sinuati; denique perueniunt ad pupillas: Lux igitur huiusmodi neruiculis conseruata, sinceriorque per angustas pupillas erumpens, cum primum in radios hinc, & illinc emicuit, sicut ab vno ceperat, sic statim redit in vnum, radiis videlicet inuicem in vnum communem radium naturaliter coëuntibus: Nam & oculi ob similem originis vnionẽ pari similique huc atque illuc conuersionem mouentur, & id quidem facillime propter lubricam & teretem, lenemque substantiam: Vnum verò radium visualem confici, non solum ex hoc communi principio motuque pati constat, verum etiam hinc perspicuè confirmatur, quod si quando certa quadam oculorum contorsione, vel compressione radiorum coniugium dirimatur, quicquid offertur geminum nobis apparet. Quæ sunt fallaciæ ex humore insuper pupillam nonnũquam diuidentem contingit: Per hæc interim confirmatur, radiorum volatu fieri visionem. Neque tamen potest radius noster pergere foras, eminusque cernere, nisi cum externo lumine copuletur per conum ad oculos veniente, cui se radius noster insinuans ibi præcipuè quo in ipsum dirigitur per aspectum, per hoc ipsum quasi vehiculum imò corroboramentum longe procedit, quousque offendat aliquid quoquo modo resistens, cui & ipse renititur, perque eius superficiem vel se diffundit, vel mirabili celeritate quasi momento discurrit, atque eius qualitate prorsus afficitur: in eiusmodi resistentia, discursione, affectione fit statim visionis effectus, vibrato videlicet illinc radio, vibratione que eiusmodi gradatim ad prouisualem spiritum vsque porrecta. quemadmodum si neruus in longum extensus ex vna parte pulsetur, mox ad totum pulsatio pertinet, quatenus quidem radius validior perseuerat, hic tantum aliquanto solidiora resistuit, & qui tunc vsque ad substantiam obiecti processerit, certius inde discernit. Facto verò per longius iter infirmiori non solum crassa nebula, sed etiam tenuis, imò & aër ipse renititur, ibique inhærens vtcunque potest, remotiora prospicit sub eorum videlicet imagine per lumen illuc vsque porrecta, ideoque iam fallitur. Alij Platonicorum ita duntaxat putant effici visionem, siue extra, siue intus iudicium ita perficiatur. Alii vltra vibrationem eiusmodi hinc excitari sensibus obiecti formulam, sensui naturaliter insitam, excitationemque talem esse sentire. Nonnulli præter hæc, vibratum radium ad oculum vsque, alii aliter. De his latius in argumentis in Theophrastum de anima, atque Plotinum, imagines verò naturalium Platonici quidam non solum radiales spiritualesque inuenerunt, sed materiales etiam, quales Democritus, & Empedocles per poros corporum effluentes seruantesque ad certum spatium non solum qualitatem corporis, sed figuram, & clam agentes in spiritum propinqui hominis, & imaginationem, præcipue debilem, & conformem. Actiones eiusmodi à Magis præcipuè deprehenduntur & obseruantur. Radiales imagines in Timæo. Sophista, septimo de Republica, Plato tetigit, quæ quidem nimis exilem habent essentiam, vt non aliter palam ostentate se oculis possint, quã in corporibus specularibus, æquabiliter stabilitæ, redintegratæ, illustratæ, pristinam vim quandam modumque formę, vnde processere, recipiant. Opus quidem est densitate, ne influens apparitio si in subiectum inciderit, nimis ratum subito transfluat, atque ita imago ex multis defluxibus non fiat vna, lenitate verò ne asperitas ipsa propter partes suas, partim quidem prominente, partim verò profunda inæqualitatis causa sit imagini componendæ

Nitore quoque splendido, vt imago alioquin exilem habens formam conspicua fiat, sic enim & minutissimę quæque in domus ipsius aëre compositiones sæpe patent oculis in radiis per fenestellas rimasque penetrantibus, alioquin ob tenuem naturam suam nobis occultæ. Tanta profecto amicitia luminis est ad speculum, vt in hoc ipso lumina radii visualis, radiales imagines non frangantur quidem, sed ita protinus inualescant, vt hinc statim multiplicatum lumen oppositum illuminet parietem, ac radius visualis non solum videat speculum, sed etiam illinc valide replicatus quasi rursus ex oculo micans quæ è conspectu speculi sunt attingat, atque circunspiciat: Et radialis imago rei obiectæ speculo hucusque prouecta radiis implicata, hic iam in formam pristinam explicetur, atque cernatur. Fiunt autem imagines nostræ, radiales in speculis ex communi lumine simul & effigie corporis lumine vecta, Differentes autem apparitiones ex differentiis speculorum, & aspectus situsque contingunt: In speculo plano dextræ partes imaginis, sinistris nostris respondent, sinistræ verò dextris. Quoniam simulachrum obiectu speculi prohibitum vltra procedere, conuertitur erga nos in faciem: perinde atque homines è conspectu stantes, tecumque loquentes dextra sinistris, sinistra dextris opponunt: similiterque radius visualis ex parte in nobis dextra dirigitur ad sinistram, ex sinistra directus in dextram. Ac si speculum formam imbricis habeat eminentes vtraque margines eius imagines vtrinque transmutant, similiterque visuales radios incidentes, vt à dextris speculi ad eiusdem sinistram, ab his vicissim ad dextram cõmutatio, & conuersio fiat, hinc priori ordine permutato, dextræ partes imaginum iam dextris nostris obuiæ sunt, sinistræ sinistris. Verum si oblógum marginibus eminentibus speculum sit per obliquum ita nobis expositum, vt eminentium marginum, altera superior sit, inferior altera, imagines indicat resupinas: Nam & superior eminentia superiorem imaginis partem similiterque radium illuc directum ad eminentiam deflectit inferiorem: Eminentia vicissim inferior partes inferiores imaginis radiumque illuc intentum ad marginem repellit superiorem. Proinde cum radius visualis intuitus speculum illinc obiecta plurima reflectat, ure quæ prospiciat per partes videlicet incidentiæ reflexionisque (vt ferunt) angulos simulque eorum imagines attingat in speculis. Cur non circa idem duo quædam sibi videatur idola contueri. Quia videlicet perfecta quadam imaginis ad obiectum similitudine fallitur. Fallitur quinetiam, rem obiectam putans esse duntaxat in speculo vbi eius intuetur imaginem: Imagines quasdam è speculis resultare, & si nonnulli negant: Theophrastus tamen in libris de anima, vt Iamblichus, & Priscianus exponunt, cum Platone consentit: Et Proclus in sexto de Republica probat. Sed de hoc in commentariis in Sophistam opportunè tractamus.

Summa causa est finalis, quis visionis finis.

CAPVT XXXI.

Atque hæc &c.] Naturales qualitates non sunt causæ rerum, sed instrumenta quædam efficientis prouidentiæ ad certum finem bonumque omnia dirigentis. Finis ergo, cuius gratia diuinitus facti sunt oculi, est cognitio cœlestium, atque imitatio, Philosophiaque optimum diuinitatis donum.

De fine auditus.

CAPVT XXXII.

Vocem quoque &c.] Causa vocis, atque auditus est ipse finis eius diuinitus destinatus. Sermo scilicet atque disciplina motuumque animæ temperatio.

Compositio, & principia mundi.

CAPVT XXXIII.

Hactenus opera &c.] Mundus ex intelligentia, & necessitate, id est ex ordine formali, atque ex conditione materiali compositus est, elementa quatuor non sunt principia. Ante hæc enim est materia, & quodammodo forma, in quam resoluuntur: Ante hæc duo est causa diuina efficiens, & exemplar, & finis, seminalesque horum omnium rationes in ipsa natura.

De materia prima.

CAPVT XXXIV.

Sed hanc &c.] Ex mutua frequenti perpetua elementorum elementaliumque rerum commutatione duo probantur, vnum scilicet materiam, his vnam subesse informem sempiternamque formarum fluentium susceptaculum: Alterum formas eiusmodi non esse veras substantias, sed substantiarum verarum imagines, scilicet idearum.

De materia formisque materialibus.

CAPVT XXXV.

Tria in præsenti &c.] Intellectus diuinus est mundi pater, Materia mater. Ornatus verò mundanus est diuina proles in aluo materiali. Materiam formas omnes & facile suscepturam, & plane demonstraturam, oportet formam propriam non habere, alioquin alias vel non accipiet, vel confundet. Formæ elementorum elementaliumque tanquam imperfectæ aliunde dependent, id est à propriis diuinæ mentis ideis.

De Ideis.

CAPVT XXXVI.

Sed de his &c.] Intelligentia rationibus certis incedens firmaque, & competens paucissimis longo interuallo tanquam præstantior, distat ab opinione, id est imaginatione pedissequa sensuum incerta, vagabunda, communi: Eodem interuallo velut præstantiora ab imaginabilibus distant intelligibilia, id est rationes horum ideales. Hæc igitur veriorem habent essentiam quàm formæ sensibiles, & adeò differentem, vt hic ignis cum separato non natura conueniat, sed vmbratili similitudine, atque nomine.

Quomodo materia cogitetur.

CAPVT XXXVII.

Tertium genus &c.] Cognitio cum per formam quandam fieri soleat, ideoque in aliquid formale semper intendi, materiam informem augurratur potius quàm apprehendat. Animus formis materialibus occupatus fallitur quasi somnians, dum formas eiusmodi, quæ verarum substantiarum, id est idearum imagines sunt, veras substantias esse putat. Ideæ neque sunt in subiecto neque inuicem confunduntur, sicut materiales formæ.

Chaos.

CAPVT XXXVIII.

Hæc tandem &c.] Sicut originali quodam ordine materia cogitatur prius informis quàm formata, ita prius per animam mundi nondum intellectualem formata, & agitata deformiter, quàm formata ductaque formose per animam eandem iam à Deo intelligentia præditam.

Quomodo figuræ principia corporum.

CAPVT XXXIX.

In principio quod &c.] Solida resoluuntur in plana, plana in triangulos: Est enim triangulus prima figurarum lineas plures habentium. Trianguli verò aptiores compositioni sunt æquicrurfus, atque scalenus, æquicrurfus in quo vnus sit rectus angulus, quorum verò reliquotum alterum dimidium rectum faciat Scalenus rectum vnum habet angulum, inæquales inter se, & lineas habet & angulos Scaleni sex triangulum vnum conficiunt equilaterum: qui scilicet ex quolibet latere ter bini fiunt.

Quomodo figuræ distribuantur elementis.

CAPVT XL.

Verum quod &c.] Scalenus propter inæqualitatem pertinet ad ignem, aerem, aquam, quæ propter mutabilitatem inæqualia nuncupantur: Aequi crurfus ob maiorem equalitatem spectat ad terram stabiliorem: Tria illa facile innicem commutantur propter communem liquiditatem. In terram verò vel terra in illa difficillimè propter duritiem contractionemque terræ propria. Dum enim petit centrum, consortium refugit. Difficillima similiter est inter naturalem atrambilem, ac tres alios humores commutatio. Saturnus terræ dominus non permiscetur in cœlo, Saturnini & melancholici in terra similiter, Similiter Iudæi Saturno subiecti.

Confirmantur superiora de figuris.

CAPVT XLI.

Erit vtique &c.] Igni conuenit pyramis, facies habens quatuor, aëri octaedra figura octo facies habens, aquæ icosaedra facies x x. terræ cubus sex præditus faciebus. In Pyramide quilibet solidus angulus conficitur ex angulis tribus planis, qui tres duobus rectis æquantur. Duo recti statim post ob vsissimum sequi videntur. Quia si vltra hunc dilatando processeris, petuenies mox ad planum in quod linea perpendiculariter incidens rectos conficit geminos: Figura facies habens octo, scilicet triangulos æquilateros aëri conuenit. In hac vbicunque quatuor trianguli in vnum desinunt, ex quatuor planis angulis solidus vnus efficitur, sexque in tota solidi fiunt: Cum in triangulo æquilatero per diuisionem à summo scalenum designaueris, scito latus huius scaleni longius, id est erectum super angulum rectum esse, secundum potentiam triplo maiorem latere minore iacente, eundemque rectum angulum continente: Nam si ex illo latere quadratum æquilaterum constitueris, seorsumque ex hoc latere alterum, illud ad hoc erit triplum linea hypotinusa, id est subducta vel subtendens est, quæ quasi è transuerso ab hoc latere ad illud producitur opposita angulo recto, ipsa angulos vtrinque acutos efficiens: Nec longitudine latus minus duplo superat: Hæc enim totum equilateri primi latus adæquat: Hoc verò dimidium lateris illius existit: Si autem ex linea subducta æquilaterum fiat quadratum, æquale erit duobus quadratis: Hinc quidem ex maiore latere, inde verò ex minore confectis: Pythagoræ hoc inuentum. Hæc de Mathematicis in præsentia satis, Reliqua in compendio dicta sunt, ex his cætera facile ingeniosus intelliget.

Quinque mundi figuræ, distributio figurarum per elementa.

CAPVT XLII.

Est & quinta &c.] Cum præter quatuor figuras elementis quatuor dedicatas, quinta sit attributa cælo, videtur quælibet hatum quinque partium mundus appellari posse. Præsertim quia in qualibet suo modo sunt cunctæ. Terra maxime corpulenta est obtusa, immobilis: Ignis contra tenuis, & acutus mobilisque quamplurimum: Media ad hæc se mediocriter habent, singulis figurę quodammodo similes accommodandæ videntur.

Quomodo terra inconuertibilis, & de mutua elementorum transmutatione.

CAPVT XLIII.

Ex omnibus &c.] Terra fermè inconuertibilis est, & cum in alia elementa videtur extenuata, tandem sicut sub igne cinis, vel arenula sub aqua, residet in seipsum: Aqua cum extenuatur in aerem reddit molem ob raritatem duplo maiorem, similiter quando aer in ignem, vicissim verò contra: Ignis conuersus in aerem duplo euadit angustior: Aer in aquam ferme similiter: sed quoniam aër raritate magis conuenit cum igne quàm densitate, cum aqua, ideo & maiore aëris mole, & vehementiore condensatione opus est vt ex aëre concrescat aqua; eiusmodi verò excessum cum alio excessu compensat: Nam aër magis cum aqua congruit heberudine, & mollitie quadam quam acumine vehementiaque eum igne.

Mutua elementorum actio.

CAPVT XLIV.

Denique &c.] Ignis portio inuadit aëris portionem vt sibi reddat simi'em: Hęc si ad reluctandum sit debilis, vel confugit ad elementum suum, vel in ignem conuersa, locum ignis petit, nec iam ab igne patitur: eadem de cæteris ratio est.

Formarum generatio in elementis.

CAPVT XLV.

Corpora &c.] In quatuor elementorum speciebus genera multa seminalium rationum diuinitus sunt inserta, per quas vtique rationes adiuuante cœli motu, cum in quouis elemento, tum ex eorum mixtura diuersa variæ rerum formæ gignuntur.

Cur hoc agat in illud.

CAPVT XLVI.

In ipsa &c.] Causa propter quam hoc agit in illud inuaditque, non est æqualitas, sed inæqualitas, id est qualitatis dissimilitudo & virtutis excessus. Ignis est vbique, cum enim tenuissimus mobilissimusque sit, facile cœli cogente impetu molem penetrat crassiorem, rursusque resiliendo penetrans propter naturam amplificabilem emergit in amplum. Hæc diligentius in commentariis in Plotinum de cœlestibus: cum verò cœlum sit ignis, conicere poteris vbique naturam cœlestem esse.

De metallis.

CAPVT XLVII.

Post hæc &c.] Flamma inter carbonem lumenque media, æther, sublimis aër. Terra cum humore plurimo bene commixta, metallum procreat, quod ob humoris copiam, sub igne penetrante liquescit, id non patitur lapis ob humoris inopiam, in metallum liquefactum vna cum igne se congerit aër, ignis metallum citius quam aer deserit: Hoc tandem ab vtrisque destitutum, expressis videlicet, frigore comprimente cogitur iterum in seipsum.

Origo auri.

CAPVT XLVIII.

Ex his &c.] Aurum perfecte commixtum est in venis producentibus aurum quod est aliquanto minus purum, Adamas est, quod minus constans lapis iaculus, quod magis sordidum æs, & quia sordidum, maleque mixtum est, resoluitur in rubiginem.

De grandine & similibus.

CAPVT XLIX.

Cætera generis &c.] Vis ignea, aëriaque, aquã extenuat & attollit in altum, vbi igitur frigore vehementius comprimeret, subtilia similiter exprimuntur: grando fit in aere, in terra glacies, vbi verò læuius in aere, nix cõcrescit, in terra pruina.

De Gummis.

CAPVT L.

Verum quando &c.] Quatuor ex plantis liquorum species igneæ, Cici est catapuciæ, gummi vel grani eius oleum.

Generatio lapidum.

CAPVT LI.

Terræ verò &c.] Vbi aqua gelu cogitur si interim terra cum aqua per aërem quasi vinculum connectitur vehementer, lapis oritur. Si ignis illic abundauerit impediet. Si ignis sub gelu fertur comprimente mediocriter humorem coxerit, & perfectè miscuerit, lapillos efficiet pulchriores.

Sal, nitrum, liquefactio, solutio.

CAPVT LII.

Quando verò &c.] Vbi terra subtilis cum humore pauco mixta, tum frigore cogitur, tum calore aduritur, sal nascitur, aut nitrum. Mixta in quibus terra nimis superat aquam, non liquefiunt, sed vbi & vicissim, male compacta solui aqua, melius compacta feruens aër, optime ignis.

Effectus caloris.

CAPVT LIII.

Hactenus eas &c.] Ignem esse percipimus calidum, quia diuidit vehementer: Ita verò diuidit propter subtilitatem partium, efficaciam virtutis, motus impetum, quod significatur per figuram pyramidalem factam ex triangulis æquilateris, in quibus omnes anguli sunt acuti.

Effectus frigoris.

CAPVT LIV.

Contraria verò &c.] Humor frigidus, id est aqueus, & quodammodo terreus, crassusque, nos attingens, humorem nostrum, quodãmodo aeriũ, & subtilem quasi contrarium impellit ad fugam, ne igitur meatus vacui mox euadant, humor ille crassus in angustos meatu aduentat, & quia nititur per inuia torquet, præsertim quia humorem nostrum ante rarum compellendo redigit in angustum: Itaque & cogit illum & ipse interim vi trahitur ad ingressum, dum reluctatur ille rigor, tremorque contingit: Denique frigidum aliquid iudicamus, quia non ad penetrandum, atque dissoluendum est aptum, sed ad obtundendum potius & cogendum. Tremor rigorque contingit, vbi spiritus dum in angustum à frigore cogitur, iterum se dilatare nititur.

Effectus duri, atque molles.

CAPVT LV.

Durum autem &c.] Molle dicitur quod tactui non resistit, durum quod resistit: Hoc est quod firmum atque densum, firmum verò quod cubicum est, id est facies sex quadrangulares habens terræ simile: Cætera verò elementa & ea in quibus hæc dominantur, facies trangulares habere dicuntur: Ideoque firma quidem minus, cedentia verò magis.

Cur terra non discedat à medio.

CAPVT LVI.

Sed illud &c.] Terra nunquam naturaliter à medio mundo discedit, quia solum hoc naturaliter appetit: Item cum partes cœli concaui & inter se similes sint & æqualiter à medio differant, terra siue contraria illis sit, siue conueniens æque quibuslibet est contraria vel conueniens: Itaque nullam præ cæteris eligens, aut fugiens æque per distantiam vel propinquitatem se habet ad cunctas.

Quomodo sursum, vel deorsum in mundo.

CAPVT LVII.

Si quis in ea &c.] Sursum deorsumúe in mundo tanquam sphærico non est ratione mundi, sed comparatione quadam particularum inuicem, quando vi mouentur: Si quis compellat descendere flammas, minorem coget facilius, si vrgeat glebas ascendere, minor facilius compelletur: Debilius enim vtrobique vim inferenti resistit minus: Illic ergo videbitur maior flamma leuior, hic maior gleba grauior.

De aspero & leui, & vbi sensus in nobis.

CAPVT LVIII.

Harum igitur &c.] Asperum quidem est quod durum, & inæquale, lede verò quod sensum est, & æquale: Partes in nobis admodum terrenæ ab extemis vix mutantur, ipsamque alterationem sensui minime nuntiant: Igneæ vero aeriæque facillime patiuntur & nuntiant: Aqueæ mediocriter.

De quinque sensibus & voluptate atque dolore.

CAPVT LIX.

Quod præterea &c.] Visus & tactus diuersissimi sunt, ad visum declinat auditus, ad tactum gustus, olfactus est medius. Superiores quidem illi facile mouenti cedunt motoremque nacti sunt subitum atque lenem, ideo acute quidem sentiunt, sed voluptatem, vel molestiam paruam habent. Inferiores verò non tàm facile permutanti cedunt, sed motorem sortiti sunt vehementem:

Ideo obtusius quidem sentiunt, sed sæpe dolorem vel voluptatem vehementiorem habent: quę quidem passionis vehementia iudicium sensus impedit, Medius autem sensus ad hæc omnia se mediocriter habet. Discessus ex habitu naturali vbi fit lentus, manifestum non affert dolorem: Vbi subitus atque acer affert. Reditus in naturam, vbi subitus, & abundans, manifesta nos afficit voluptate, vbi contra nequaquam.

De sensibus & saporibus.

CAPVT LX.

Iam communes &c.] Meatus à lingua in præcordia directi sunt patentes, vt pars saporum suauium subtilissima subito maximeque vitalem cordis spiritum recreare posset: Pars verò saporum crassior per digestionem in ventre, & iecore ipsum reficit naturalem: Saporacer, & austerus asperitate linguam arefacit, & contrahit: Ille magis, iste minus: Amarus & salsus abstergit: Ille magis, iste minus, Acutus, calefacit, & diuidit, & ascendit: sapor acidus lubrica subtilitate penetrans commiscet humores: crassioresque subtilioribus circunfundens, facit ampullas: sapor dulcis, scilicet calidus atque humidus tanquam naturæ consentaneus linguæ blanditur. Virtutem gustandi in corde radicem habere antiquiores peripatetici voluerunt, à lingua hucusque, gustus editur.

De olfactu, & odore.

CAPVT LXI.

Circa narium &c.] Intimæ venæ quæ proprie olfactui seruiunt, non habent integram cum elementis vel solide mixtis proportionem, angustiores enim sunt ad aquam, & terram, & ad omnia in quibus duo hęc dominantur, patentiores autem ad ignem, & aërem, atque illa quæ ferme similiter sunt tenuia, sed proportionem potius habent ad fugaces exhalationes quasdam, à compositis facile dissolubilibus euolantes, crassiores quidem aëre, tenuiores autem aqua. Has ergo persentit olfactus non integras quidem formas vel species, & mixturas, sed euaporationes quasdam varietate non firma confusas attingens. Atque, (vt summatim dicam) odor conflatur plurimum ex duobus, caligine aëris, & aquæ fumo: & quoniam est crassior aere, quando aërem ore contrahimus, contractus aer vberius per nares exundans, odorem occurrentem ingredi non permitit, afficit odor plurimum meatus, à vertice vsque ad vmbilicum directos, atque ibi exercetur olfactus.

De auditu, & voce.

CAPVT LXII.

Tertiam præterea &c.] Vox est pulsatio quædam aëris profluens per aures in venas directas in iecur, à capite, hucusque expeditur auditus, motus velox acuta voce vehementer pulsat auditum. Tardus graui voce permulcet.

De visu, & coloribus, de sensuum distributione.

CAPVT LXIII.

Sequitur quartum, &c.] Obiectum visus est luminosus. Color est participatio quædam luminis varia, pro natura cuiusque in superficie corporis eminens accommodata visui, diaphana visus natura non mouetur à diaphano prorsus consimili, nisi quodammodo iam colorato: percipit verò quod est vel semaius, id est splendidum, vel seminus, id est opacum; hoc quidem congregans visum, dicitur nigrum, quod autem ex illo visum disgregat, dicitur album: obiectum igneum id est admodum splendidum, spargit visum, oculos liquefacit, ignea vis cum aëria permixta splendidum, procreat, & coruscum. Si admisceatur his aqua, fit rubrum, sed splendidum cum rubeo conflatum conficit flauum, cætera patent. Sensus ita conclude: Antiquiores peripatetici visum, & auditum in summo capite, olfactum in medio, gustum, & tactum in corde originem habere dixerunt. Posteriores in corde vires sensuum omnes collocauere, Galenus cum Platonicis omnem sensum in capite radicem habere putat, & apud Platonem Visus in capite solo editur; Auditus motionem affectionemque suam ad iecur vsque protendit, Gustusque ad cor, Olfactus ad umbilicum, Tactus per vniuersum editur. Quod autem in superioribus dictum est, minus, vel maius quàm visus ipsius partes, exponi rursus potest, rarius, aut densius, illud igitur disgregabit, vt album, hoc congregabit vt fuscum.

Causæ distinctionis formarum sunt penes Deum. In mixtione verò præparationes.

CAPVT LXIV.

At si quis &c.] Cognoscere causas cur sub communissima forma tot sint formarum genera, sub quibus tot sint species, solius est architecti mundani, penes quem & vnitatis huius, & numeri ratio auctoritasque consistit. Varie quidem elementorum mixtorumque inuicem mixtiones causæ quædam necessariæ præparatoricque videntur, vt sub vnoquoque formæ genere, multæ species nobis apparere possint. Præcipue verò huius certi numeri causæ sunt penes Deum, efficiens quidem potestas eius, exemplar autem multiformis eiusdem intelligentia, finis verò bonitas, volens totidem in mundo formas esse, quot in se sunt ideæ, vt ita mundus sit optimus diuinam referens bonitatem: ad hoc ipsum verò mixtiones elementales tanquam speciebus necessarias instituisse videtur.

Quæ Deus per se, quæ per alia faciat. Item de anima in nobis gemina.

CAPVT LXV.

Quemadmodum &c.] Deus materiam forte futuram per se informem, vel certe deformem formauit ordineque disposuit. Sempiterna fecit ipse solus, caduca per causas cœlestes exequutus est. Rationalem animam ipse creauit, cœlestia irrationalem. Quæ in nobis communiter quidem à cœlis, proprie verò a nostra rationali dependet. Dicitur verò mortalis, quoniam mortaliter agit, & circa mortalia solum, neque semper existit actu, quam vis in ipsa rationalis animæ virtute sit semper.

De anima gemina, viribus animæ, membris principalibus.

CAPVT LXVI.

Cæterum ne &c.] Irrationalis anima aliquid est rationalis animæ, quasi actus quidam & splendor eius resultans in corpore tali velut speculo, qui sane splendor dependet ex anima nostra ferme velut ex luna, & ab anima sphæræ, quasi sole, virtus quidem rationalis manifestius officium suum exercet in capite, irascibilis in corde concupiscibilis in iecore, irascibilis tanquam generosior posita est rationi vicinior. Cor principium est venarum scilicet adhuc angustissimarum, quæ in iecore dilatantur. Sanguinis quoque scilicet subtilissimi

lissimi aptioris videlicet ad spiritum procreandum. Arteriarum per quas manat spiritus, principium est cor ipsum, spirituum procreator, sed per pulmonem arteriæ latius deriuantur. Pulmo quasi spongia, cum humorem sugit, tum aërem haurit, ad incendium cordis refrigerandum.

De Iecore, imaginibus, præsagijs, dæmonibus.

CAPVT LXVII.

Quoniam verò &c.] In iecore tanquam denso, leni, nitido, imagines quædam resultant à vehementi quodam rationis, & imaginationis actu pariter, & affectu, ferme sicut à grauida fit in fœtu, sæpe etiam à dæmonibus, illic ostenta fingentibus. Concupiscendi vis addicta iecori tanquam à ratione distantior, motus habitura erat rationi nunquam obtemperaturos, nisi Deus iecori hinc quidem dulcedinem propriam, inde verò amaritudinem fellis adhibuisset. Vis enim illa, nimis à ratione longinqua, nunc præceps nimium, nunc admodum ignaua foret, nisi & furori dulcedo & ignauiæ amaritudo resisteret. Sæpe quinetiam generosa naturæ irascibilis animositas, amaritudine fellis adiuta aduersum resolutam libidinis, vel inertiæ mollitiem pro ratione propugnat.

De Vaticiniis.

CAPVT LXVIII.

Quod autem &c.] Vaticinij auctor est non Deus simul & ratio nostra, sed Deus solus, cessante videlicet solita rationis nostræ discursione, quæ alioquin diuinam in nobis confundit expressionem. In iecore quidem diuinitus exprimuntur imagines, hinc resilientes in animum opportune vacantem. Discernere verò quid significent non arreptitij est, sed prudentis, & sapientis officium.

Lienis officium mirum.

CAPVT LXIX.

Proximum huic &c.] Spongiosa lienis natura crassum sugens sanguinem, purgat iecur, atque ita confert ad vaticinium atque lætitiam. Sicut & renes aridi pinguedinem sugentes intimam, spiritum reddunt sincerum, intelligentiæ aptum. Hinc diuina eloquia per renes intelligentiam sæpe significant.

Ratio ventris, & intestinorum.

CAPVT LXX.

Quid igitur &c.] Res, rationesque physicæ quando diuinis admiscentur, non sunt ita prorsus aspernandæ, nisi auctoritas diuina confirmet. Venter quidem inferior est adiunctus, ne alimenta superflua à nobis assumpta in superioribus residerent, ingeniumque vel perderent, vel confunderent. Intestina verò facta sunt reuoluta, ne alimenta citius defluentia, cogerent nos anseum more perpetua quadam voragine contemplationem prorsus omittere.

De tribus spiritibus, & virtutibus, & origine membrorum seminalium.

CAPVT LXXI.

Ossium verò &c.] Anima vitam quandam ex se quasi splendorem suum propagat in corpus iam opportune paratum, eiusmodi vita spiritibus quasi vinculis continetur. Spiritus principalibus membris insidunt. Vitalis quidem spiritus viget in corde. naturalis in iecore, animalis in cerebro. Membra hec vnà cum spiritibus facta, sunt ex materia seminali. Quæ quidem prima nominatur medulla, vnde etiam tria principalia membra medullæ vocantur, scilicet inde concreta. Similisque originis est medulla passim ossibus insita. Tres illi spiritus ex tribus membris per totum se diffundunt inde regendum. Trianguli, rectanguli sunt principia figurarum compositarum. Dicuntur verò lenes, id est faciles, quia facile ad constituenda plana cohærent. Materia & forma similiter quasi rectanguli quidam recta scilicet ratione diuinitus introducta facillimaque ad coitum principia sunt elementorum, hæc similiter propter mutuum rectumque cōiugium facillima sunt ad corpora omnia componenda. Seminalis denique materia animalis ex elemētis ad mixturam facillimis est conflata, id est subtilissimis, in qua plurimum est aërium, simulque tenax, & pingue, virtusque cœlestis cuncta perfectissime conflans. Ex hac factum est cerebrum rotundum rationis instrumentum, corque, & iecur rotunda, simulque oblonga, irascibilis & concupiscibilis instrumenta. Ossa quoque & nerui apud Medicos mēbra seminalia nominantur, caro verò nequaquam, Effluit enim iugiter atque refluit. Similiter, & humores.

Compositio ossium, & medullæ.

CAPVT LXXII.

Os verò ipsum &c. In ossium compositione est terræ quamplurimum, sed minime sordidum. Est & medulla, id est pars quædam crassior materiæ seminalis, quasi fermentum aliorum. Ignis & aqua ferme æqualiter, sed hæc tam exacte commixta sunt, vt vix dissolui queant, ossa igitur minime liquefiunt. Ex osse capitis concauo tota ossium textura procedit ad medullam, & seminalia membra seruanda. Medulla quoque ceruicis ad conseruandum spiritum animalem quamplurimum conferre censetur. Ossa non sunt facta per vniuersum continua vel vniformia. sed per articulos difformia vt membra flecti facile possent.

Natura neruorum, atque carnis.

CAPVT LXXIII.

Arbitratus verò &c.] Nerui quidem facti sunt ad ossa vincienda iuncturis. Caro verò mollis, humida, calida, vt mollitie tueatur ossa, neruosque ab externis collisionibus, & viscera ne collidantur ab ossibus. Item humore defendat corpus ab æstu, calore tueatur à gelu. Os carni contrarium est durum, siccum, frigidum. Neruus est soliditate medius, frigidus, & quodammodo humidus. Salsedo quædam compositioni carnis est adhibita, ne mollitie nimia diffluat, vel putrescat. Non autem neruis, ne forsan aridiores euaderent ad flexuramque non apti.

De ingenio, & robore.

CAPVT LXXIV.

Quæ igitur &c.] Natura quidem ad spiritum, sensum, ingenium conferens, est aëria plurimum, igneo quodam vigore prædita. Est ergo subtilis atque rara: Huic autem contraria est natura ad ossium densitatem carnisque molem conferens. In quo igitur corpore, & in qua parte corporis hæc abundat, illa deficit. Et quod semen quæue pars seminis ad alterum confert, non conducit ad alterum Deus autem cum hominem ad contemplandum constitueret, ingenij magis quàm roboris habuit rationem. Si finem hunc spectas, cordi cerebrum antepones. Si formam

amas corpoream, contra : Est autem reuera formæ finis anteponendus.

Compositio capitis.

CAPVT LXXV.

Nostri præterea &c.] Quàm necessarius est vsus alimentorum, tàm optimus est rectus sermonis vsus. Vt caput camosum foret oportebat materiam seminalem, ex qua caput & cerebrum generandum erat esse crassum. Vnde crassus quoque spiritus euasisset, præterea textura capitis obtusa vaporum exhalationem cohibens caliginosum spiritum reddidisset : quod ingenituræ ex vniuersa carne quomodolibet seminali fuit aridius coactum est, in capitis autem ita tutius sine pondere muniturum : Humor autem per iuncturas ceruici proximas scaturiens, cutem hanc dilatauit. Iuncturæ verò subiunctæ capiti variæ sunt, vt caput, & maxillæ variis verti motibus possent : Et vbi motus futuri erant magis oppositi plures factæ sunt : Vbi minus pauciores. Musculi sane diuersi in capite, facie, ceruice, collo, sicut & in reliquo corpore sunt diuersi videlicet oppositisque motibus seruituri.

De cute capitis, & capillis.

CAPVT LXXVI.

Hanc omnem &c.] Deus commode vsus natura caloris nostri superiora petentis, ac facile penetrantis passim perforauit capitis cutem atque per foramina eduxit humorem quem secum calor extulit : subtilior quidem humor euanuit, crassior verò resedit, aër s frigore coactus est in capillum duriorem cute propter frigus externum, capillum inquam tàm latum quàm foramen, tàm longum quàm impetus exuendi leue capitis tegmen. Neque opus fuit ad capillum durum efficiendum humorem in cerebro præcedere densiorem sensibus prorsus ineptum, cum externo frigore satis concreti sint capilli.

Causæ dispositionis membrorum, & transformatio.

CAPVT LXXVII.

Ea verò &c.] Membrorum dispositio talis efficitur, qualem ad exemplar ideale finis optimi gratia fore Deus instituit, huiusque est causa principalis : Conditio verò materiæ materialis agentis ad effectum eiusmodi conferens causa quædam ministra, & accessoria indicatur. Quoniam verò præuidit Deus inter viros fore alios muliebres, alios quasi brutos, membra quædam molliora quædam duriora dedit, futura videlicet ad illud vel ad hoc ministerium aptiora. Si quis expositionem aliam desideret meminerit Platonem frequenter esse poëtam.

De alimonia & plantis.

CAPVT LXXVIII.

Quoniam verò &c.] Calor cordis spiritusque feruens in quibus proxime corporis vita consistit corpus liquefacerent celeriter, atque dissoluerét, nisi facta fuissent membra quædam ad humorem extrinsecus hauriendum. Fructus verò plantarum ad eiusmodi alimoniam est institutus. Plantæ vitam habent, ac stupidum quendam sensum, passiones quidem quodammodo suas percipientem, qualitates verò sensibilium minime iudicantem. Habent quinetiam concupiscentiam eiusmodi naturalem per quam ad humorem sagaciter caloremque trahuntur.

De venis & neruis maxime.

CAPVT LXXIX.

Cum hæc omnia &c.] Duæ subceruice latiores apparent venæ mediam habentes spinam genitalemque medullam : Quæ hinc deriuatæ omnia rigant. Venæ quoque & hæ, & aliæ vndique cõprehendunt caput, inuicem obuiantes. Sed quæ in dextra capitis parte patent inde etiam ad sinistras totius corporis partes extenduntur. Quæ verò in sinistra ad dexteras etiam deriuantur, sic enim capitis ad vniuersum arct or fit connexio, vsque sentiendi vigens in capite ex vtraque parte capitis ad corpus totum facile se diffundit. Nerui verò non simili oppositione implicationeque descendunt.

De spiritu, calore, motu digestione, venis, arteriis.

CAPVT LXXX.

Quæcunque ex minutioribus &c.] Calor naturalis fomitem habet in corde, ibidem spiritus, id est sanguineus quidam vapor, ab ipso calore ex subtilissimo sanguine procreatus, vterque mira cum efficacia, tum etiam tenuitate corpus totum penetrat. Spiritus quia & vitalis est & motu cordis dilatante contrahenteque creatus, ideo perpetuo quodam motu reuoluitur, perque meatus omnes prosilit atque resilit, suoque motu calorem semper excitat, secumque per omnia transfert. Coquit in stomacho nutrimentum, extenuat, digerit, traducit ad iecur, vbi coquit rursus in sanguinem Deinde sanguinem concoquit in venis, coctum transmittit ad membra ibique nutrit, singula digerendo. Transit verò spiritus cum calore per arterias atque venas in totum, Venas implet sanguine crassiore, arterias subtiliore. Vtrobique spiritus est in sanguine: in venis sanguinis quidem plurimum, spiritus verò minimum. Et is quidem spiritus naturalis. In arteriis sanguis est exiguus, spiritus autem plurimus, & is quidem vitalis atque animalis. Venæ arteriæque cunctæ contextæ sunt inuicem, quasi rotundum rete, vel trica. Textura quidem vna in qua plurimæ sunt arteriæ ab ore ad pectus extenditur : Cuius extrema duo in angustum reducta suspenduntur ad nares. Textura verò in qua venæ sunt plurimæ ab ore traiecta est in vterum, & in omnia corporis nostri concaua : Textura per totum corpus extensa plurimum quidem habet aërium atque humidum, in quo vitalem calorem tenet inclusum per eiusmodi quasi aquæ ductus profluit iugiter feruens spiritus atque refluit eiusmodi cordis motu perpetuo reuolutus. Quod apparet in pulsibus, secumque sanguinem perfert atque nutrimentum.

De efficio pulmonum, expirationisque & respirationis.

CAPVT LXXXI.

Sed videamus &c.] Pulmones motu suo & efflant fumum feruentiorem & hauriunt aërem frigidiorem, ad intestinum incendium refrigerandum. Emissus ex ore halitus expellit externum sibi proximum aërem, & trahit secum deinceps aërem intimum. Ergo ne pectus fortesit vacuum, aer externus se nobis quoslibet meatus insinuat, & quoniam aer vicissim expellitur è corpore vel quomodolibet euolat, compellimur iterum per os & nares aerem respirando recipere.

De exspiratione & respiratione.

CAPVT LXXXII.

Omne vniuersi &c.] Duo nobis perpetuo fiunt circuli spiritales : Vniuersalis, atque particularis

aër enim feruens vnà cum sanguine venis inclusus, locum expetit ampliorem, itaque cognatum sibi petens aërium elementum simulque versus sphæram ignis sibi conformem vergens foras semper per totum corpus exhalat. Ne igitur corpus ita vacuum relinquatur, circunfusus aër vicissim vndique nobis illabitur, statimque calefactus intus rursus exteriora petit. Externus vicissim frigidus intima repetit. Particularem verò circulum vicissitudine quadam similifacit anhelitus, expirans quidem calidum, frigidum verò respirans, natura interim prouidenter vbique vanum declinante.

Quales natura motus, ne contingat vacuum.

CAPVT LXXXIII.

Quin etiam causæ &c.] In cucurbitulis ignitis aër rapidissime fugit. Ne igitur vacuum inde contingat, aër nobis intimus aduentat in cucurbitulam humoremque rapit secum, atque cutem. Si orificium fistulę alterum quidem in aquam demiseris, alterum verò labiis comprehenderis, quatenus aërem hauries è fistula, eatenus suges & aquam, deinceps videlicet, ne interim contingat vacuum, consequentem: Simili quodammodo ratione lac sugunt infantes. Postquam proiecisti lapillum non solum propellit hunc tua vis illata, sed etiam aër deinceps repente subsequens, ne forte locus vnde discedit lapillus, vacuus relinquatur. Similiter postquam semel cantando vocalem aërem protulisti quatenus ille propellit anteriorem, eatenus posterior illum repente subsequitur ad vacuum declinandum. Si geminas vno spiritu fistulas inflas, angustam simul & alteram duplo latiorem, per illam motus velox acute sonans editur, per hanc tardus sonans grauiter. Velox ille motus per aërem tempore locoque præcedet tardum, ita que nisi tardus assequatur apprebendatque velocem, vacuum erit inter hos spatiolum. Natura igitur ne id contingat, partim quidem retardat velocem, partim verò tardum accelerat: vbi videlicet contingere se mutuo possunt, ibique quasi motus vnus conficitur ex ambobus, similiterque ex acuta precedente grauique sequente voce concentus vnus, vtraque videlicet in suis extremis similiter ferme sonante.

Quæ mirabilia fiant contra vacuum: Idem de digestione.

CAPVT LXXXIV.

Eadem ratio est &c.] Vbi per fistulam semel tracta sursum est aqua, reliqua nequid fiat vacuũ continuo sequitur, simili ratione postquam inclusus nubibus cum acuto vapore ventus deorum est excussus, consequitur deinceps miro fulminis impetu Magnes ac ferrum ita naturaliter sunt affecta, vt in se inuicem vehementer agant, emissione vaporis atque virtutis, per quam aër vtrinque ad vtrunque pulsus primo quidem inter hæc cogitur in angustum, mòx verò hinc effugit in amplum. Ne igitur accidat vacuum, mouetur ferrum ad aërem mox supplendum. Non mouetur magnes, quia hæc fortius in ferrum agens validius impulit aërem ferro propinquum atque expulit: similiter ad paleas se habet electrum. Perpetuus in nobis intimi motus calorem excitans fercumque ferens, coquit, subtilis atque nutrimentũ, traiicitque ad membra, atque propter variam mixtionem cocturamque varios colores humoribus membrisque adhibet, sanguinem efficit rubeum propter calorem in eo mediocriter dominantem, atque humorem inde purgatum perfecteque coctum.

De effluxu, refluxu, augumento.

CAPVT LXXXV.

Modus autem &c.] Exigua in nobis elementa partim sponte, partim tracta ad elementa paulatim ampliora confugiunt. Similiter quæ in sanguine sunt ignea ad partes nostri corporis igneas transferuntur. Aëria similiter ad aërias. Aquea rursus ad aqueas. Ad terrenas verò terrena, atque ita quæ discesserant nobis instaurantur, si magis, fit augumentum. Si minus, fit corporis decrementum.

De structura nostri corporis quasi per triangulos, duratione, solutione.

CAPVT LXXXVI.

Recens igitur &c.] Mathematicus primo solidum resoluit in plana, secundo planum in triangulos communiter æquilateros, rectum angulum non habentes, tertio in rectangulos, qui prima sunt figurarum eiusmodi figuralia elementa. Medicus similiter corpus primo partitur in membra, qualia sunt viscera, caput, brachia, crura, secundo horum quodlibet in compositiones proxime, suas scilicet partes proprias, ossa, neruos carnem, quæ quasi trianguli sunt, secundi scilicet æquilateri. Tertio quoduis horum in humores quatuor quasi primos triangulos inæquilateros scilicet, sed rectangulos, in cunctis verò mixtis partes quidem toti valde cognatę, quasi trianguli sunt secundi. Trianguli verò primi sunt elementa materiaque elementalis atque forma: corpus infantis & si tenellum est, quia ex semine tenero lacteque compositum, structuram tamen illam validissimam habet, qua & quatuor humores & membrorum principalium compositiones & ossa, nerui, carnes in seipsis & inuicem vinciuntur, quoniam nexus eiusmodi nuper à vita mundana cælestique virtute deuinctus vigorem adhuc mundanum cælestemque conseruat, firmiterque cohæret, quaquidem virtute nutrimentorum formas ad propriam sui corporis formam redigit, tempore verò quasi fatiscens non tàm superat alimenta quàm superatur, fatiscit verò quatenus sensim annititur proportio prima partium ad partes, atque totum & totius ad cælum: eiusmodi verò texturæ, mixturæ, proportiones dicuntur animæ vincula, cum quia conflatæ sunt à b anima vniuersali simul, atque particulari, tum etiam quia vegetalem animam ad corpus pronam in corpore sic affecto quasi consentaneo detinere videtur. Quibus postremo solutis anima corpus non viuificat vltra quasi non alterius aptum. Eiusmodi verò migratio quę diuturna paulatim solaque resolutione contingit quasi iam naturalis, nec animæ molestiam affert, neque corpori cruciatum.

De humoribus, membris, venis, arteriis.

CAPVT LXXXVII.

Morbi autem &c.] Quilibet quatuor humorum est ex elementis quatuor constitutus, sed bilis dicitur ignis, quia plurimum habet ignis: similiter sanguis appellatur, aër, pituita verò aqua, sed atrabilis terra. Primum verò in nobis est sanguis coalescens videlicet ex prima digestione vera quæ fit in pectore, calore & humore, præcæteris amicus vitæ. Est & plurimus, & reliquos in se habet humores. Ex hoc cæteræ corporis partes aluntur spiritusque prosilit. Sed aliter ex elementis

quàm membra fieri dicitur, in hoc enim formæ quatuor adhuc elementa cernuntur, in membris verò minime. Absolutius enim sunt in his commixta. Ad bonam corporis habitudinem, (vt ita dixerim,) octo partes sanguinis necessariæ sunt. Pituitæ quatuor, bilis duæ, atræbilis vna. Item vt sanguis forte vno fit gradu calidus atque humidus, forte etiam paulo calidior, bilis tribus calida. pituita tribus humida; sic enim humor pituitæ cum bilis calore temperiem sanguinis referre videtur: Locus sanguinis crassioris venæ sunt, arteriæ verò subtilioris: subtilis pituita necessaria nobis sub sanguine venis illabitur, ad sanguinem vel temperandum, vel recreandum. Eodem confluit rubea bilis, quasi tenuis quidam sanguis. Ibidem subsidet quasi fecula quædam sanguinis atrabilis: necessaria verò hæc omnia sunt in sanguine cum ad ipsius temperamentum, tum etiam ad membrorum his similium nutrimentum. Locus pituitæ crassioris est vteri fundum croceæ bilis, fellens ipse ventriculus atræbilis sanguini dissonæ lien, hæc quoque suos haber vsus. Quatenus ergo co pus in eodem primo naturalique sibi permanet habitu quantum scilicet pertinet ad quantitatem & ad qualitatem modo descriptam, & ad suum cuiusque situm, bene valet, contra verò, nequaquam.

De venis, fibris, neruis, medulla, nutritione.

CAPVT LXXXVIII.

Quando videlicet &c.] A venis ad neruos passim adnexæ sunt fibræ. Per quas à venis effluit sanguis subtilis simul & renax ad neruos instaurandos. Quod autem in sanguine hoc mollius superfluit, exundat mox cogendum in carnes. Quod rursus neruis & carni superest glutinosius simul, & pingue efficit cartilaginem. Quod iterum hic superest glutinosum simul, & aridum, nutrit ossa. Quod denique cunctis inest quasi oleum subtilissimum, atque lenissimum semini primo simillimum, triangulare id estelementale vocatur. Atque per angustissimos ossium poros illabitur, intusque cogitur in medullam. Quæ duritiem ossium lenit, quandoque genitale semen instaurat, nonnunquam membra principalia recreat, siue per ossa media profluat, siue per foramina ossium rursus extillet.

Quomodo generentur humores mali.

CAPVT LXXXIX.

Mala verò &c.] Naturalis motus est quando ex venis scaturiens humor concrescit in carnē. Contra natura verò, quando caro vicissim relabitur in humorem, venis influit iam liquefacta suaque putredine spiritum sanguinemque inficiens generat vel amaram bilem vel pituitam acidam, aut salsam, vel ex bile crocea bilem atram.

Humorem malorum generatio.

CAPVT XC.

Portio namque &c.] Caro vetus, id est ipsa in membris consumata caro nonnunquam ex traneo quouis calore liquefacta in venas iterato regurgitat, iam & nigra propter æstum, & amara propter hunc & tabem, neque potest iterum in venis digeri, sed pars eius altera ex amara fit austera, resolutis videlicet iam acutis partibus ad amaritudinem conferentibus, eiusmodi est atrabilis in venis contra naturam, pars altera non resolutionem patitur, sed quandam sanguinis mixtionem. Itaque cum amaritudine fit quodammodo rubea, sed felleo calore simul obscura, eiusmodi est crassa bilis. Quando verò caro noua, id est portio quædam digestionis quarto designata carni forte mox generandæ propter calorem quamuis extraneum liquefacta redundat in venas, flaua bilis euadit, si rursus exæstuet, euadit vel atra vel viridis.

Quam variæ humores generentur mali.

CAPVT XCI.

Cruor præterea &c.] Si pars subtilis sanguinis putrefacta delabitur, neque sapor est, neque morbus asper, si crassa pars sanguinis, quę naturalis dicitur atrabilis putrefactione liquescit asperior est, acidamque pituitam generat, si incalescit; salsam nonnunquam caro tenerior, id est portio sanguinis ad generandam quidem carnem necessaria, humidior tamen quàm caro instauranda requirat, putrefit in venis tepido quodam calore humid tatem plurimam agitante & vento ampullisque replente: vnde alba, viscosa, dulcis pituita nascitur, subtilis pituita quotidie nascens, neque dum permixta sanguini per sudorem extillat & lachrymas, salsi verò non nihil habet vel amari, facile nanque ob tenuitatem patitura calore.

Dem alis humoribus, morbis febribus.

CAPVT XCII.

Atque hęc &c. Quando dicit caro qualibet significar vel carnem solidam vel adipem eius vel materiam ad hanc quasi paratam: Quando portio quædam carnis à neruis remotior leuiter liquescit facile recreatur. Quando verò ægrotat profunda pars eius neruum tangens, neruus quoque qui carnem ossibus alligat, aridior factus ægrotat. Languet verò caro funditus quando nutrimentum à venis illuc vsque transmissum adeò terrenum est & aridum, vt neque carni, neque neruo sit aptum, tunc & ossa nimis arent, & liquefacta caro regurgitat, vt dictum est, ad venas. Nonnunquam pori ossis adeò coarctantur vel obstruuntur, vt nec admittere graues vapores possint nec admittere nutrimentum. Os igitur humore carens consequenterque calore quidem naturali destitutum, & extraneo putrefactum, in materiam relabitur flaccidam quasi carnem, vt ita dicam, vieram. Hæc vnrem, vt diximus, redundat ad venas. Grauior quidem est ista calamitas, sed grauissima quando natura medullæ scilicet vel ossibus insitæ vel principalis alicuius membri languet, siue in excessu vel defectu, siue in qualitate sit vitium. Hactenus becticæ febres significatæ sunt, quæ in prima specie bumorem dissoluunt necessarium, mox ex venis quasi sudantem, in secunda bumorem eiusmodi prope membra iam coctum in tertia membri substantia. Atque hic rursus in prima specie carnem, in secunda neruum, in tertia os atque medullas. Significatæ sunt & febres putridæ coniunctæ cum becticis easque sequentes.

Qui morbi contingant ex impedimento spiritus, atque respirationis.

CAPVT XCIII.

Tertiam post hæc &c.] Cor quidem fons est spiritus principalis, qui est vapor sanguinis intimus. Pulmo verò receptaculum ministri spiritus, id est halitus, in hoc sunt fistulæ, quæ cum obstruuntur, nec incendium emittitur intestinum, nec externum admittitur refrigerium. Hinc suspiria sequuntur & febres. At quoniam interim os & nares ad hauriendū aerē obnixe contendunt, vberiot nec dū in via tēperatus aër in meatus aduētat

decliues ad pectus, in arterias scilicet atque venas retis cartilaginisque membra spiritalia à naturalibus separantis. Hic igitur inflat, & ad sudorem vsque contorquet, sæpeque febrem agit in spiritum, quam ephemetam nominant.

De vento, intestino, atque torminibus.

CAPVT XCIV.

Sepe etiam &c.] Sæpe ventus intra latiores carnis poros, ex calore quidem modico, humore autem vberiore concipitur. Qui emmpere non facile potens, torminibus nos conturbat, sed vehementius nos excruciat, quando in ipsis neruorum meatibus proximisque venis ortus inflat. Tunc enim propter neruorum venarumque continuitatem anteriora simul corporis & posteriora contorquet. Morbus quidem miserabilis, sola febre finiendus cum vita, vel ad vitam.

De Morbis & coloribus propter pituitam.

CAPVT XCV.

Alba verò &c.] Alba du'cisque pituita si crassior sit ventoque inclusa tumeat in intestinis cæterisque visceribus, torquet grauiter. Si subtilior caloreque expellatur ad cutem, albis inficit maculis: si viscosior illa cum atrabile miscetur, caloreque ad partes anteriores capitis eleuatur, cerebri meatus opplens motumque animalis spiritus intercludens, comitialem efficit morbum, læuiorem quidem si solum in somno contingat, grauiorem verò si etiam in vigilia. Acida pituita distillationem mouet aduersam stomacho, salsa inimicam pectori.

De doloribus, & morbis propter bilem aut sanguinem.

CAPVT XCVI.

Quæcunque autem &c.] Bilis acuta si cutem petit tumores efficit rubeos, in visceribus verò cohibita apostemata procreat calida, febresque persimiles, si in venis cum sanguine subtili valde miscetur, nonnunquam exudat cum hoc à venis in fibras quasi veniculas quasdam, quæ cum venis omnibus atque neruis passim contextæ sunt. Ad hunc vsum constitutæ, vt per angustos meatulos suos sanguinem combibant subtiliorem ad irrigandum guttatim membra. Ne alioquin sanguis eiusmodi per rariores membrorum poros diffluens, disperdatur vel disperdat, sanguis quoque crassior per angustos meatus eiusmodi expressus tenuatur atque purgatur, expeditusque circunfluit, si fibræ intendantur, sanguinis liquor vehementer exprimitur, si remittantur læuius. Cum igitur bilis vel ex venis profluens vel ex membris liquescens acuto sanguini commiscetur confluitque in fibras, primo quidem horũ angustia quasi comprimitur excitatque tremorem corpusque distorquet, tunc aut superante natura paulatim exprimitur in vapores & maculas atque sudorem, aut superata natura, medullas & principalia membra quæ sunt animæ vegetalis vincula, lædit, aut partim quidem superans, partim etiam superata per reliqua viscera diffluit calidiorque morbos procreat atque fluxus.

De speciebus febrium & humorum.

CAPVT XCVII.

Quando igitur &c.] Accidunt quoque febres, humoribus in venis putrefactione feruentibus, quas putridas nominamus, non sequentes hecticam, sed potius præcedentes. Si febris sit excessu ignis, id est acutissimæ bilis vel sanguinis in calescentis ad ipsum bilis acumen, continua est, cum denique quasi tenorem seruat: si excessu aëris id est sanguinis paulo crassioris, affligit quoque continue, sed quandoque remissius, ideoque discreta videtur. Si aqua superante febris accidit, aut hæc crassa pituita est & quotidie premit quasi sex quasi horis tepescere videatur, aut pituita tenuissima, quæ valde cum bile miscetur, nec bilem euolare permittit, sed detinet, atque putrefacit, hinc tertiana febris euadit varia quidem pro varietate mixturæ. Quam verò ex pura bile tertianam cæteri putant. Plato ad speciem primam refert, bilem existimans, si pura fuerit ignis instar summopere continueque feruere. Febris denique ex atrabile tardius inuadens die quarto reuertitur, quarto videlicet elementorum gradu posita, sicut tertio redit febris in aqua, quasi tertio elementorum gradu locata. Ignis in mundo mouetur assidue, flamina in aëre rariora resurgunt. Aquæ inundationes redeunt insuper tardiores. Motus verò terræ tardissimi reuertuntur. Similiter se habent febres elementa sequentes.

De Morbis animi atque deliramentis, medulla, semine.

CAPVT XCVIII.

Animæ verò &c. Morbus animi duplex. Ignorantia scilicet & insania: insania quoque duplex altera quidem oculta, scilicet affectio quædam corporis atque spiritus procliuior ad insaniam, id est ad perturbationem aliquam effrenatam. Altera manifesta, quam vel acriores perturbationes inducunt, vel vapores atræ bilis inferunt. Quæ quidem atrabilis vel sanguinis, vel bilis vel salsæ pituitæ combustione contingit in habitum prauitatis, non tam primæ voluntaris electione, quàm procliuitate naturę prauaque educatione, atque consuetudine, & ignorantia labitur. Poterat tamen ab initio procliuitas amputari, & potest quodammodo habitus temperari. Antiquum secretum est: in ossium fistulis quasi munitissimo quodam receptaculo thesaurum vitæ seruari; id est medullam, quæ partim constat ex primo semine quasi fermento, partim ex purissima quotidianorum alimentorum parte, quæ sit semini primo simillima, hinc & gutta quædam stillat ad fermentum seminis testiculos petituri. Et quando nutrimenta longe desunt, hinc ros quidam exsudat ad membra principalia recreanda. Communiter autem genitale semen ex quarta digestione superfluum, quasi medulla quædam membris omnibus est infusum, iniquitas complexionis, & humoris atque vaporis lædere potest, vel virtutem spiritumque animalem ingenio seruientem, vel vitalem cordis animositati conuenientem, vel naturali concupiscentiæ obsequentem. In primo quidem deliramenta, vel obliuionem, vel hebetudinem procreat. In secundo ferocitatem, vel timiditatem. In tertio affectionem, vel morosam difficilemque & tristem, vel dissolutam, atque mollem.

Quomodo ingenii, & corporis robur contemperandum sit ad vitam.

CAPVT XCIX.

Sed horum &c.] Nonnunquam ab ipsa genitura, cælestique in fluxu spiritus animalis imaginationi & ingenio seruiturus, validus est, corpus inualidum. Sæpe contra, hoc robustum, ille debilis: potest quinetiã educatio exercitatioq; propria alterũ roborare, illeq́uidẽ quomodolibet effectus vehemẽs acrioribus motibus suis corpus debile

labefactat. Hoc vicissim factum vel natura vel consuetudine validius illo vehementioribus similiter motibus suis peruincit illum atque debilitat. Denique corporis animique sanitas simul haberi non potest nisi duo hæc proportione quadam inuicem æquali congruant, siue hanc naturaliter habeat, siue consuetudine consequatur.

Qua ratione ingenium simul & corpus alendum, sit perpetuoque mouendum.

CAP. V. T. C.

Vna demum &c.] Corpus simul & animum propriis alimentis motibusque prudenter alere, augere, confirmare debemus. Illud quidem disciplina gymnastica, hunc autem Philosophica, spiritum vero Musica, quem inter animam & corpus hoc medium Musica temperantes, corpus simul & animam temperabimus. Quæ nos circunstant, & quæ assumuntur intus, continuè tum vehementia quadam impulsionis, tum qualitatum suarum efficacia nos permutant. Nos igitur ne quasi duntaxat patientes his denique succumbamus, motus interim nostros & pro viribus moderatos, & rite electos opponere assidue his debemus, imitantes vniuersalem mundi naturam, perpetuo se motu versantem.

De speciebus motuum, pharmacis, duratione vitæ.

CAPVT CI.

Omnium verò &c.] Optimus quidem motus est quo se ipsum quisque mouet, imitatus intelligentiam, vitamque mundanam, in qua viuimus & mouemur & sumus. Deterior verò motus est, quo ab alio quasi externo quodam vectore quis mouetur, ipse interim quodammodo sese mouens. Deterrimus autem quando violentum intrò motorem sumpsit, id est pharmacum, ipse interim sub motore torpens. Aliud vitæ producendæ tempus datum est equo, aliud anseri, aliud homini. Rursus aliud huic homini, aliud illi. Profectò trianguli nostri, id est propria corporis nostri principia, scilicet humores quatuor, ac partes qualitatesque propriæ vniuscuiusque membri seminalis, & membra hæc seminalia inuicem certa quadam mixtura complexionisque proportione statim ab initio conuenerunt mira, videlicet tàm seminis, quàm cæli virtute hæc moderante, & inter se contemperante, & inuicem connectente. In alio quidem cognatius, oportunius, arctius, quàm in alio atque ideo diuturnius. Contemperatio quoque spiritus primi hinc quidem ad membra, illic verò ad ipsam cæli temperiem, ad vitæ modum maxime confert. Proportio igitur & contemperatio conspiratioque eiusmodi vigens intus, si est ab initio talis vt centum annos perseuerare possit, centum nato fatales id est naturales promittit annos. Præstabit quoque nisi violentia quædam quomodolibet illata extrinsecus interceperit, eiusmodi vitæ tenorem. Curriculum quoque suum, cum ex corpore tum esse ex cœlo, morbi naturaliter habent: Itaque non temere sunt pharmacis irritandi, ne & fatigetur natura, & morbi in peruersiorem speciem permutentur.

De tribus animæ viribus, capite, dæmone, contemplatione.

CAPVT CII.

Ac de communi &c.] Tres animæ vires, scilicet rationalem, irascibilem, concupiscibilem, suis quamque exercitationibus prouehere decet. Rationem verò maxime. Rationis autem apex, id est mens nobis est pro dæmone. Architectus mundi, sicut ipse nobis rationalem animam cœlitus dedit, sic & ipse prouidit vt caput quasi cœleste cœlo simile, rationi seruiret, vt quemadmodum rationi cæteræ vires animæ: ita capiti corpus totum. Corpus quidem humanum animæ humanæ solum caput esse videtur. Reliqua verò membra tanquam fulcimenta, & vehicula ministraque subiuncta capiti, quasi hominis instrumenta. Diuinitatem ratio ipsa suam declarat, quando nos reuocat ad diuina. Maxime verò immortalis apparet, quando coniuncta menti tanquam suo dæmoni diuina præ cæteris meditatur. Anima mundi per suam intelligentiam circa superiores ideas circuitum peragit simplicissimum, per rationem verò circa similes idearum formas exprimendas in mundo, circuitum agit iam multiplicem, per virtutem quoque motricem multipliciter sphæras mundi reuoluit. Anima nostra similiter olim cœlestia colens, contemplatione felici circa diuinas ideas formasque mundanas, & cœlestia voluebatur, atque cœlesti vehiculo suo tanquam spherico motum edebat orbicularem. Deinceps verò descendit in caput humanum vehiculo suo inter nostra cognatius. Hic tamen reuolutiones pristinas intermisit. Possumus autem eas saltem imitatione quadam etiam in hac vita resumere, videlicet superiora, vt olim contemplando similiter atque venerando. Ita prorsus animus iam effectus beatis quodammodo similis, & in præsenti beatus erit, & in vita futura quandoque beatissimus, quandoque simillimus.

De membris genitalibus, & transmigratione animarum.

CAPVT CIII.

Sed iam &c.] Semen membrumque genitale quasi animal quoddam esse videtur, nobis in fetum, vitam quandam quasi propriam habens: quod ex proprio quodam motu & oratione rebelli perspicitur: iam verò quoniam neruosum est & spiritu plenum, vitæ sensusque quàm plurimum habet. Vt per hoc ipsum aliud quiddam viuum generari possit. Maxime verò ad hoc membrum spiritus confluit ex ipsa spinæ medulla, vnde simul extillat medullaris quædam gutta vegetissimum seminis vniuersi fermentum. Fistula verò ad huius guttæ defluxum facta, in extrema sui parte coniuncta cum vrinæ ductu, paulo verò superius est distincta, quasi sint fistulæ geminæ. Dicitur autem vrinæ ductus, qui per renes decliuis est in vesicam, quodammodo à pulmone procedere, (hac vt arbitror,) ratione. Quoniam cor & pulmo siticulosa maxime sunt, hoc quidem quoniam feruentissimum, hic autem quoniam & spongiosus est, & igni quàm proximus. Plurimum igitur ex toto corpore liquorem prorsus ebibunt. Atque ita disponente natura fermè non exundat potio per vrinam, nisi præcordiis penitus irrigatis iam superfluat. Quod verò de transmigratione in bestias addit, fabulosum & allegoricum esse, cognoscet, quisquis animaduerterit quàm leues transformationis eiusmodi rationes adducat, alioquin vir grauissimus. Præterea Timæum ipsum hic loquentem meminerit, in libro suo de natura mundi trāsmigrationes eiusmodi manifeste negare. Forte igitur Platonica sententia est, rationa-

les animas & si non in alia corpora transeat, quàm humana, videri tamen in tot bestiarum species emigrare, quot sunt hominum affectus, & habitus quasi bruti, tam enim amplum est tam varium genus humanum, vt sub humana, persona Angeli, dæmones, viri, aues, pisces, feræ cicures serpentes quodammodo esse videri possint. Nisi vero hæc allegoricè ita, vel similiter exposueris, cogeris asserere vnicam hic animæ speciem, & hanc humanam, sed aliàs aliter se habentem. At Plato Timæusque multas ab initio hic species animarum, imo & genera numerant, affirmantque rationales quidem ab ipso cœli fabro descendere, irrationales autem à cœlestibus generari.

De expiratione & respiratione secundum Platonem atque Galenum.

AVTHORE MARSILIO FICINO.

Legi post hæc Galenum, vbi Platonem cum Hippocrate comparans, rationes expirationis atque respirationis assignat. Probo equidem quod ait. Thoracem & Pulmonem quando ad similitudinem follium dilatantur, aërem attrahere non solum cor refrigerantem, sed etiam præcordia impleturum, quæ alioquin vacua, vtpote quæ nunc capaciora sunt facta, relinquerentur. Quando vero restringuntur, incendium intimum mox effundere. Eiusmodi motus expirationem respirationemque cognominat, quodammodo voluntarios. Quoniam in nostro arbitrio sit rarius frequentiusque spirare, quia nerui qui musculos thoracis pulmonisque dilatando, vel constringendo mouent, originem ex medulla spinali à cerebro dependere dicant, vnde per virtutem animalem motus sequuntur etiam voluntarij, subiungit similes quosdam motus in pulsibus per arterias à motu cordis affectos, per dilatationem videlicet arteriarum atque contractionem. Quæ quidem dilatatæ externum aërem per totum corpus accipiunt, & ad spiritus feruentes refrigerandos & ad animalem spiritum generandum. Compressæ vero caliginosos vapores spiritus infestos expurgat, eiusmodi motum perspirationem proprie nominat. Hęc omnia Plato noster partim quidem expressit, partim vero obscurius suo quodam more significauit. Vnde calũniæ cuiusdã occasionẽ Galeno dedisse videtur, alioquin præconi suo præcæteris celeberrimo, deriserat quidem Galenus post expirationem à Platone descriptam, mox respirationem subdi. Quod ab Hippocrate factum laudat, sedà Platone nõ obseruatum minime probat. Nos autem merito Platonem dicimus post expirationem mox introduxisse perspirationem, subsidium subito necessarium. Cum primum enim exspiratione expræcordiis expulsus est aër, repente vacua prorsus euadunt, nisi per arterias, cæterosque meatus vndique combibitus aër eodem momento hæc impleat, quo expiratio hæc exhaurit. Nam expectatus aër supernus post expirationem per sequentem respirationem, hæc impleturus, tardior aduenit videlicet ab opposito expirationis motu repulsus. Quamobrem nisi iam per spirationem suppleta fuissent præcordia, vel aliquantisper vacua essent, vel tanquam in cucurbitulis humores ascenderent. Galenum vero non tam hic probo, quàm vbi planem suum contra calumniatores tuetur, obiectantes ei, quasi dixerit, potum totum per asperam arteriam confluere in pulmonem. Quod ne ebrius quidem aliquis somniaret. Vult autem Plato pulmonem tanquam spongiosum igníque quam proximum, præ cæteris bibacem esse, semperque liquores vtcunque potest, ex corpore toto combibere. Et nonnunquam subtiliores quasdam guttulas potionis quæ aliquantisper contineatur ore, & per latera quædam asperioris arteriæ, quasi ros quidem sensim destillat ad ipsum. Id igitur Galenus, & ratione & experientia comprobat, dicens: Si brutum siticulosum aqua quadam colorata potaueris, subitoque iugulaueris, in neutrum pulmonem eius similiter coloratum. Platonem vero velle potum non ad pectus sed vnà cum cibo ad stomachum defluere, in ipsis eius verbis sæpius est manifestum. Qui denique Platonem damnant, quod ignem digestionis causam esse dixerit, qui vrit potius quam temperare coquat meminisse debet, Platonem non ipsum simpliciter ignem, sed nobis cognatum, amicum spiritui, familiarem sanguini, ad digestionem perficiendam introduxisse. Probat vero Galenus Platonem, quod secutus Hippocratem dixerit, cor principium esse venarum, id est arteriarum, atque sanguinis non quidem omnis, sed spirituosi, concitati, feruentis in eoque vim animæ ad iracundiam præcipitem collocauerit: in iecore vero vim libidini mancipatam. Vnde sanguis profluit moderatior, ideoque neque sanguinis eiusmodi venæ pulsant. Non tamen probat, quod dixerit, ex colliquatione teneræ recentisque carnis albam pituitam generari. Hanc enim ex cibis frigidioribus ægre coctis Galenus fieri existimat. Ex carne vero liquefacta bilem potius fieri crassiorem colore inter flauum, albumque mediam. Quam Plato ex carne vera iam liquefacta contingere putat: pituitam vero non ex firma carne, sed adipe vel re simili liquefacta. Id quidem quandoque, nam pituitam cæterosque humores communiter ex cruditate vel combustione in venis fieri non negabit. Neque merito Platonem Galenus corripit, quasi calorem naturalem ex motu spirituum dixerit procreari, non enim id Plato vult, sed excitari potius atque transferri. Carpit & illud ineptius, quod Plato dixerit, non vbique in corpore ignem cum aëre esse perfecte commixtum. Alibi enim Plato, nec iniuria, vult ignem, alicubi aërem, dominari.

IN CRITIAM, VEL ATLANTICVM Epitome.



Plato noster officiosissimus patriæ suæ filius laudauit eã in Menexeno ex rebus contra orientales, laudat rursus in Critia ex rebus contra occidẽtales strenue gestis. Atque vtrobique commendat ex multis, tum Dei, tum naturæ artisque muneribus: simulque cõmonefacit omnes, ne patriæ sint ingrati: ac dum virtutem Atticam tàm oriente quàm occidente plagam supresse cõmemorat, interea docet & omnia donari virtute, & viros virtute præditos, tum in occidentibus, id est rebus aduersis, tum in oriẽtibus, hoc est secundis recte feliciterque se gerere. Nec iniuria post Timæum de mũdi generatione, legi vult Critiam de antiquitate mundi. Videtur autem neque huic historiæ finem imposuisse, neque sequentem historiam sub Hermocratis titulo promissam composuisse. Hanc autem non fictam quidem, sed veram historiam extitisse, constat, Primo quidem, quia vbicunque fingit aliquid, solet fabulam nominare. Hic verò tãquam historiam audet asseuerare. Deinde idem omnino asserit in Timæo, appellans rẽ miram quidem, sed omnino veram. Et à quibus accepta sit diligenter vtrobiq; recenset, scilicet à maioribus suis atque gentilibus. Critias enim hic ab auo Critia, ille verò à Solone patruo suo, qui literis quoque mandauit, Solon ab Ægyptiis sacerdotibus. Præterea Proclus Marcelli cuiusdam de rebus Aethiopum adducit historias, in quibus hæc manifestissime confirmantur Aethiopum rebus gestis inserta. Et si Platonicorum nullus historiam negat: Porphyrius tamen, Proclus, & ante hos Origenes, allegoriam insuper volunt physicam continere. Quos equidem ne si conentur singula allegoriæ ad vnguem accommodare, ab ipso Platone derideantur, in exordio Phædri curiosas nimium in huiusmodi rebus allegorias sub persona Socratis irridente. Verum ne Anagogicum sensum, quo prorsus neglecto nemo fit Platonicus, omnino negligere videamur. Pallas quidem sit numen intellectuali vitæ præsidens, Neptunus vero numẽ fouens generationem atque gubernans. Athenienses figuræ sint animarum intellectu solo viuentium, numinumque similium: Atlãtici verò figuræ numinum generationi fauentium, animarumq; corporibus coniunctarum ad generationis officium totiusque ornatum. Conuenientissimè verò per occidens, per mare, per insulas, per varias locorum partitiones, ipsa generationis materia mobilitasque diuersa significatur. Bellum præterea sit studiosa contentio, per quàm superiora numina, inferiora assiduè in se conuertunt, & animas quasi ferro & igni à materia motuque segregant. Proinde quod Neptunus ex muliere filios procreauit, intellige vel ex terra genuisse, vel afflatu quodam ex priori viuendi forma in alteram formam regenerasse. Quinque vero partus, quinque sunt formæ corporum quas in hoc materiæ mari perpetua agitatione componit, scilicet lapides, metalla, plantæ, animalia partim ratione carentia, partim prædita ratione. Decem verò filij sunt, quolibet enim partu gemini concreantur. Nempe in quouis composito elementalis coalescit virtus, simulq; virtus quædam cœlestis infunditur, quam medici virtutem uominant specialem. Ex geminis autem quinque partubus decẽ filij computãtur. At quinque zonæ siue spiræ arcem Neptuneam circũdantes, quinq; sũt sphærarum naturæ, cœlestis, ignea, aërea aquea, terrea. Partim vero terrenas ait, partim aqueas, vt statũ in rebus significaret & motum. Communis vero per omnes meat⁹, mutuam inter se rerum significat geniturã. Commemorat & metalla, vt per septẽ metalla, septem planetatum influxus intelligamus, generationem omnium moderantes. Aurum quidem Soli, Argentum Lunæ, Plũbum Saturno, Electrum Ioui, Ferrum & æs Marti, Veneri orichalcum, Mercurio stannum Platonici tribuunt. Mensuræ vero earumque numeri partim ex historia, partim ex architecturæ ratione ducantur. Nonnihil tum operis, tum eloquij gratiæ decoriq; attribuendum. Sed de allegoria ferme iam satis. Iam vero sic libri huius mysteria confirmemus. Platonici Deos quidem alios, vt

eorum verbis vtar, super cœlestes, alios verò cœlestes, & alios subcœlestes esse putant. Et primos quidem filios Deos, sequentes verò omnes Deorum filios nominant. Rursus in primis amplissimam prouidētiam, in secundis min⁹ amplam, in tertiis ad angustiora redactam collocant, vtpote qui iam certis tertæ plagis rerumque generibus diuina distributione præsint: quemadmodum & cœlestes aliis, aliis cœli partibus, stellisque præponūtur. Hi ergo subcœlestes dij certo quodam ordine, alii gentes alias gubernandas ab initio susceperunt. Ab initio inquam vel geniti mundi, vel generis humani regeniti. Siquidē post ingentes terreni orbis illuuiones, Plato homines arbitratur eiusmodi Deorum opera ex ipsa terra veluti matre diuinitus generari. Posse enim illos gignere, per ideā videlicet humanam quasi semen. Posse & terram parere, nouo abundātequehumore perfusam, & accedente calore fœcundam, siue post aquarum colluuiones sequantur tepidi soles, siue post vasta quædam incendia pluuiæ vberius affluant. Homines verò à diis è terra progenitos, Heroes nomināt, qui à parētibus occulta quadam mentis ad mentem persuasione rectè ab initio multa per secula fuerint. Quoniam verò longo temporum tractu tam diuina virtus ingeniis insita, quàm terræ fœcunditas minuitur paulatim: vnde & animi diuinitatis omnino expertes, & corpora antiquæ fœcunditatis vacua prorsus euaderēt: Deus iterum terram, vel diluit, vel incendit, genusque nostrum in antiquam restituit dignitatem, cœlestibus videlicet motionibus sic à motore contemperatis, vt cœleste fatū semper cum prouidentia diuina concurrat. Profectò quemadmodū medici de quolibet humano corpore, ita Platonici de toto genere iudicant. Medici enim aiunt, vitam in naturali quodam humore & tanto & tali cōsistere, possèque perpetuò prorogari, si modo & quatenus ille restauretur & qualis: non prorogari verò, vbi non talis refluit, qualis effluxerat, & si tantus. Perinde ac siquis ex dolio vini pleno, impleret quotidie pateram, statimque dolio aquæ tantundē infunderet. Sic enim continue æqualis in dolio esset humor, sed non similis dissimiliorque quotidie, donec tandem ex mero iam non aqueum vinum tantum, sed aqua prorsus euaserit. Similiter Platonici diuinam fœcundamque qualitatem & ingenio à diis humano, & corpori à cœlo quondam infusam, paulatim putant in qualitatem humanā verti, humano hoc subiecto eam naturaliter ita trahente, donec sensim ad ferinam vsque degeneret, sed degenerationē tantam non posse à Deo rerum ordinatore perpetuò tollerari. Quod autem Plato Deos diuersas forte fuisse nactos, & hic & alibi sæpe ait, intellige illos vni summo sortes distribuenti parere, atq; necessario assignatam prouinciam gubernare, sed necessitatem in diuinis esse penitus voluntariam. Siquidem apud eos vna est patris summi filiorumque voluntas. Atqui sicut elementorum partes ea necessitate ad loca propria perferuntur, quæ & voluntas futura est, si modo cognouerit: sic apud superos ipsa gubernationis assignatæ naturalisque effectæ necessitas idem est atque voluntas. Præterea quod & hic, & in Timæo & Menexeno Atticam regionem esse ingeniis inquit in primis accommodatam, meminisse oportet in rationibus hac de re assignandis inter se Platonicos dissidere. Panætius enim temperiem aëris inter æstum atque gelu causam arbitratur, idque ex ipsis Platonicis verbis in quinto Legum, & Epinomide probat. Panætium Lōginus arguit, quia regio illa sæpe gelu atq; æstu pulsetur: assignatque in causa qualitatem loci commixtam ex multis atq; occultam. Quem reprobat Porphyrius quod propriam ingenij causam esse putet corpoream. Origenes in commentariis in Timæum cœlestes aspectus influxusque assignat, id ipsum ex octauo de Republica asserens, vbi dicitur, cœlestes quosdam circuitus esse causas fertilitatis ac sterilitatis, tum corporum, tum etiam animarum. At Origenem Proclus ibidem ait veram quidē ex parte causam assignasse, sed nondum integram perfecisse. Ipse verò vnà cum Porphyrio rem altius repetens ait: Intellectum opificem mundi intellectualem esse mundum, ideoque quasi multiplicem. Animam vero mundi esse animalem rationalemque mundum magisque multiplicem: atq; proxime adesse vniuerso mundi spacio continuo prorsus atque immobili, ex materia prima & dimensione constanti. Rursus in ipso spacio ante omnes quæ generādæ sunt formas, animam ex rationibus suis ideas sequētibus, alibi alias vires imprimere, quas animæ mentis plenæ vestigia, ac peculiaria quædam receptacula formas alibi alias familiariter suscepturas. Tùm Deos varios varias sortitos prouincias, eiusmodi hospitia illustrare, alia quidem alios, atque formare. Animas ergo rationales, postquam elemētalem vitam, propriamque elegerint, si forte reuolutione cœlestia ad ea loca præ cæteris dirigantur, quæ electæ iam viuendi formæ potissime congruant, vitæ ipsius officium prorsus implere. Itaque quando ad Martiam vel Appollineam vergentes vitā, mox plagam à Marte vel Apolline illustratam nanciscantur, perfectæ vel fortitudinis, vel vaticinij opus absoluere. Quæ verò

Philosophicam vitam exegerint, si regionem afflatam Pallade, sapientia magnanimitateque simul excellere. Itaque hic & in Timæo inquit, Atticam regionem rectam à Pallade sapientiæ atque militiæ conuenire: & in quinto Legum ait inspirationem localium Deorum atque dæmonũ circa loca, maximi ad ingenia & mores esse momenti. Requirit vero nonnullam aëris temperantiam, non vt causam, sed ne causę ipsis opus impediantur. Quamobrem loci huius diuersitas non tam efficit diuersitatem ingenij apud Platonicos, qu'm suscipit & declarat. Tria enim esse putant ad id potiora elementali loco, scilicet tum animæ ipsius affectionem siue naturalem siue electam, tum inspirationem numinum propriorum, tum cœlestes influxus; posse verò id impediri, vel elementali mixtione, vel planetarum noua coniunctione, vel ab ipsis hominibus illata calamitate: & quæ bona desuper infunduntur, inferiorum obstaculo reddi bona. Qua de re in Legibus disputauimus. Sed de his iam satis. Ex omnibus autem huius libri mysteriis collige vnà cum prouidentia concurrere humani arbitrij libertatem. Collige & sententiam Mo'aico mysterio similem, homines quondam quamdiu in eis diuina quædam gratia iustitiaque innata vigebat, beatos in quodam, vt aiunt, deliciarum paradiso vixisse. Postquam vero per intemperantiam & superbiam gratia illa euanuit, in scelera simul & calamitates grauissimas incidisse. Deum autem aquarum diluuio peccara hominũ diluisse. Quod vero huic historiæ deest, potest summatim ex Timæi proœmio resarciri Est autem historia de rebus gestis ante diluuium. Post vero diluuium narraturus, vt arbitror, erat Hermocrates Neque te turbabunt nouem illa annorum milia, si Eudoxum audieris dicẽtem annos illos Ægyptiorum non solares fuisse, sed lunares. Vltima tandem huius libri sententia docet, Iouem, id est, Deum architectum mundi è sua sede, id est, ex suiipsius intuitu remotissima quæque minimaque prospicere, atque ad eandem sedem, id est diuinam contemplationẽ Deos omnes subditos sibi conuertere, vnde instructi inferiora gubernent. Neq; vicissim duo hæc illos agere, imo vero assiduè contemplando diuina, per illa simul temporalia dispensare: Hanc ipsam sedem ideo medium mundi appellat thronum, quia & inde tanquam à centro effluunt omnia, & illuc refluunt, & illinc facile cuncta circunspiciuntur atque reuoluuntur.

In Dialogum primum de Legibus, vel de Legum latione, ad Laurentium Medicem. Epitome.

Secum apud priscos penè idem, magnanime Laurenti, tria potissimum habuit sapientiæ lumina, Pythagoram, Socratem, & Platonem. Compertum autem habemus sapientiam quidem Pythagoræ magis in contemplando, Socratis vero in agendo magis, Platonis denique in contemplando pariter atque agendo consistere. Præterea disciplinam tam Pythagoræ contemplatiuã, quàm Socratis moralem, à communi hominum consuetudine videri remotiorem. Platonis vero doctrinam speculatiuam pariter & moralem vbique ita diuinum cum humano contemperare, vt & communi hominum consuetudini facile possit accommodari, & simul homines ad diuina æternaque conuertere. Neque vero putandum est propterea Platonem à Pythagora, & Socrate, quos quasi numina colit, esse diuersum, sed mixtum potius, atque vtriusque ingenij quasi quendam, vt ita loquar, diuini ad humanum moderatorem: vt quodammodo dici possit, in illis quidem ingenium duntaxat diuinum fuisse, in Aristotele vero & cæteris post Platonem philosophis humanum tantum, sed in Platone diuinum pariter & humanum. Quorsum hæc? Vt meminerimus præsentum legum dispositionem, quoniam ab ipso Platone non per Pythagoricam personam, vel Socraticam, vt solet cætera, imò verò per propriam Platonis ipsius personam nobis traditur, non iniuria viam quandam inter diuina & humana mediam obtinere, neque nos per abdita & inuia quędam trahere, neque tamen ad inferiora deducere. Quamobrem decẽ illi de Rep. libri Pythagorici magis sint atque Socratici: præsentes vero leges magis Platonicæ iudicentur. Illa resp. vouentis fuerit & optantis, dispositio præsens sit eligentis, vt qui in arduum illud ascendere nequeunt, ad hos saltem clementiores colles nõ dedignentur accedere. Cõsidera quanta diligentia humanæ saluti noster Plato prospiciat, qui non solum per ardua vult videri hominibus admirandus, verumetiam per decliuia quædam facilis & propitius esse omnibus atque salutaris. Hic ergo non coget homines si voluerint inter se facere cuncta communia, permittet vt fieri solet, propria singulos possidere Neque tamen cautissimus auriga noster omnino laxabit habenas. Nam præter summam aliarum diligentiam legum, prudentissime sanciet, ne cui liceat vltra certum

& illum quidem mediocrem terminum census amplificare, ne aliis quidem copia nimia, aliis obsit inopia, neue cogantur, id quod miserabile esse putat, multi inter patriæ suæ vlnas esse mendici. Quod autem personam hic Platonis sub ipso Atheniensis hospitis nomine, & id quidem modestiæ gratia lateat, legenti deinceps ex multis perspicue apparebit, ex eo præcipue, quod affirmabit se geminas tractauisse respublicas. Conditurus autem leges Græcis, iure à tribus Græcarum legum optimis conditoribus leges accipit, Minoe, Lycurgo, Solone, adimens, addens, mutans, inueniens: atque ita optimam ex cunctis componit formam. Et quamuis ab initio constituat ciuitatem & regulam gubernandi, tamen legum positionem nominat potius quàm rempublicam. Quoniam in ea ciuitate in qua possessiones sunt propriè singulorum, propter varias controuersias, lites, iniurias, multis opus est legibus. In quibus constituendis admirandum simul & doctissimum notabis diuini Platonis ingenium. Excogitat enim insignis benignitate vir singulis legibus procemia quædam exhortatoria, quib⁹ humanissime ciues adducti, libenter parere velint, ac sponte velut filij legum illis obtemperent, quibus alii solent quasi tyrannis inuiti parere, ac pro viribus, vel fraude, vel violentia earum imperium subterfugere: Addit verò post multa etiam minas, addit & pœnas propter illos qui patriam suam, non matrem iudicant, sed nouercam. Descendemus iam ad primi Legum dialogi proprium argumentum, si prius omnes admonuerimus, vt Dialogum Minoem, argumentumque illius legant, antequam ad has leges accedant. Accedant inquam tanquam & lectionibus eas diligenter obseruaturi, & actionibus penitus seruaturi. Alioquin nisi his obedierint, intelligant se post tàm exactam iustitiæ iniustitiæque notitiam & minori excusatione & maiori crimine peccaturos. Atheniensis hospes, id est Plato profectus in Cretã prope Cnosum offendit Megillum Lacedæmonium & Cliniam Cretensem, quem vnà cum nouem aliis Cnosij accersiuerant, vt coloniam inde deducerent, vrbem conderent, eique leges darent. Hi ergo duo ad sacrum Iouis antrum consulturi de hoc accedebant: his factus obuius Atheniensis hospes, quidnam acturi irent interrogauit. Illi leges excogitaturos esse se responderunt. Verum cum multa de legibus interrogati ab hospite, quæstionem haud satis absoluerent, & hospes illis ad leges aptissimus videretur, obsecrauerunt eum, vt ad ciuitatem legibus instituendam vnà cum ipsis adiutor accederet. Obtemperat ergo hospes, & ante omnia principium à quo & per quod leges ad homines peruenerunt, exponit, Deum scilicet atq; philosophum. Deinde legum perquirit finem, docens eiusmodi finem fore tranquillam animorum ciuilium puritatem, veritatis contemplationi quoad fieri potest sufficientem. Tertio ad ipsam legum formam materiamque descendit. Leges autem à Deo hominibus inspirari, testis est omnis antiquitas, testes & multi Platonis libri, testes & rationes nostræ in multis dialogorum argumentis adductæ, atque in Theologia nostra, vbi de religione agitur, confirmatæ. Profectò si natura, quæ nihil aliud est quàm infimum diuinæ prouidentiæ instrumentum, atque vbicunque prouide videtur incedere, non ducit ipsa seipsam, sed ab ipsa prouidentia ducitur, fines omnium ordinesque & in seipsa præscribente, & naturæ prout vult inscribente: si inquam natura talis, neque abundat superfluis, neque in rebus deficit necessariis, certe diuina prouidentia in rebus necessariis nunquam deficit. Necessaria vero est hominum generi aliter non potenti viuere congregatio mutua. Necessaria quoque lex congregationi similiter procul à lege subito perituræ. Necessaria rursum legibus diuina est authoritas, ne vel negligentia obsolescant, vel fraude vel violentia confringantur. Necessaria tamen comparandæ authoritati diuinæ, tum sanctimonia vitæ, tum pœna super humanas vires omnibus admiranda. Quãobrem prouidentia Dei quæ singulis elementorum, plantarum, brutorum, membrorum speciebus & vsibus necessaria prospicit, multo diligentius perfectissimæ animalium speciei colenti diuinitatem, in sanciendis legibus apprime saluti hominum necessariis deesse non debet. Adde quod neque potest princeps vllus vastam ciuitatis nauem quolibet momento procellis & periculis innumeris agitatam, absque cœlesti flamine ad portum vsque perducere. Ergo Deus tum occultis inspirationibus animorum, tum miraculis manifestis, quotiens necessitas exigit, & reuelat mysteria, & sancit palam atque promulgat. Propterea exordium Plato legum adeo iustis felicibusque inchoat auspiciis, Deum non abs re ter statim in principio nominans. Tres enim hi disputant fundatores legum, singulique diuino indigent patrocinio. Tres quoque imitantur auctores legum, Minoem, & Lycurgum, atque Solonem. Qui & leges in tria numina retulerunt, Iouem, Apollinem, & Mi-

neruam. Neque id quidem iniuria. Sol enim planetarum dominus potentiam, Iupiter clementiam, Minerua sapientiam continet. Quæ quidem tria totam legis naturam perfectionemque complectuntur. Quid enim aliud esse dicimus legem, præter rationalem quandam regulam certo quodam ordine ad bonum subditos perducentem? vt autem ratio & regula & ordo insit, necessaria omnino sapientia est. Præterea vt perducat ad finem atque seruetur, in primis potentia effluit, denique vt ad bonum, id est, ad cuiusque commodum, & commode benigneque conducat, magnopere clementia prouidet. Tria itaque apud priscos numina diuinam referentia trinitatem, legibus necessario consulūt. Atque idcirco tres similes dotes in principe ad ferendas leges necessariæ iudicātur. At quoniam perfectas inuicem has oportet concurrere ad perfectas leges constituendas, id verò humana facultas præstare non potest, nimirum ad legum exactissimam sanctionem diuino est opus auxilio. Quod autem nouenarium annorum numerum Plato & in Minoe, & hic sæpe repetit, quasi necessarium ad leges ab ipso Ioue discendas hominibusque tradendas, forte significat nouem Angelicarum mentium ordines, per quos velut interpretes ipsa legis sanciendæ ratio ad homines vsque transfertur. Omnes vero hos ordines legum interpretes sub vno Mercurij nomine significat in Protagora. Neque verò te lateat nouenario hoc in Angelis numero non Christianos solum vti, sed & Platonicos, præcipue Proclum atque Syrianum, quod in Theologia satis ostendimus. Quid vero si nouenarius hic significet trinum potentiæ vsum, trinumque sapientię, triplicem quoque clementiæ? videlicet vt trinū quodlibet tum in lege ipsa sit, tum in iudicio magistratus, tum in ministris & ipsa executione iudicij? Præterea in ipsis rerum actionūque principiis mediisquè & finibus? Tria vero ter repetita nouenarium manifeste perficiunt. Sed curnam in Republica ab ipsis Mineruæ sacris, hîc verò à sacris Iouis disputationis fundarur exordium? An forte, quoniam disputatio illa Athenis habetur, & de antiqua Athenarum vrbe Mineruæ dicata, tractatur, hic verò in Creta de Cretensi vrbe ædificanda consulitur, prope ipsum Iouis templum, deque legibus Minois Iouis filij in principio verba fiunt? An potius forma illa Reipublicæ prior castior erat atque seuerior, Palladi maxime congrua: hæc verò paulo indulgentior, & sua quadam humanitate Ioui conueniens? Sūmatim, & hic, & ibi à votis sacrificiisque ciuitatis nascentis felicitatem auspicamur. Mitto descriptionem longi huius itineris, & sacros lucos, & arbores templo dicatas, & alia multa quæ commentum desiderarent potius quam argumentum. Post verò nonnulla quæ allegorice docent res humanas præsertim publicas non posse absque diuino quodam patrocinio recte componi, ideoque ab ipso Deo, qui legum & principium est & finis, esse legum exordium faciendum, incipit iam paulatim de legum fine perquirere, significans harum finem esse diuinum cultum, quandoquidem eiusmodi legum disputatione ad templum Iouis proficiuntur. Cum igitur legum finis vltimus sit Iouis illius cultus qui fecit mundum, deditque & mundo leges & nobis, non immerito statim negat finem legum esse Martis cultum, interim modeste Minois & Lycurgi leges emendans, quod non tam ad virtutem ipsam simpliciter respexerint, quàm ad bellicam declinauerint. Profecto leges debent illud potissimum in ciuitate habere pro fine, ad quem quasi ad signum omnia dirigant, quod à cunctis ciuibus maxime omnium est expetendum. Pugna vero atque victoria cum laborum malorumque plena sit, non propter se quidem optanda est, sed eligenda potius propter pacem, tutamque vitę tranquilitatem: quemadmodum nemo ita exoptat viuere, vt in perpetua contra morbos pugna, victoriaque versetur. Concludit tandem non decere studia pacis ad bellica, sed contra, bellica potius ad pacis studia officiaque referre: pacem verò ad expeditum liberumque veritatis Deique cultum: In his vero probandis ipsum bonorum genus in multas distribuit species, dicens alia quidem esse humana, alia vero diuina: & à diuinis humana pendere: humanorum autem, quæ longe diuinis inferiora iudicat, primum esse sanitatem, secūdum formam, tertium vires, quartum diuitias, horum vero bonorum ducem vult esse prudētiam, ducem insuper diuinorum; post prudentiam sequi existimat temperātiam, post hanc iustitiam, post iustitiam fortitudinem: Profecto, & hic significat, & in quarto de Republica explicat, tres animæ partes, rationalem scilicet, irascibilem, concupiscibilem: & prudentiam quidem in sola rationali, fortitudinem in sola irrationali, fortitudinem in sola irascibili esse. Tu quoque pone in sola concupiscibili continentiam. Ponit verò in cunctis simul partibus temperantiam atque iustitiam, & vtramque nominat totius animæ consonantiam. Sed temperantia quidem in affectibus, iustitia vero in actibus consonantia fit.

Et illa

Et illa ſit animæ ſanitas, hæc animæ pulchritudo. At prudentia oculus: fortitudo verò manus. Si ſubſtantiam animæ puritatemque contemplationi neceſſariam ſpectas, iuſtitiæ temperantiam antepone: ſi humanam ſpectas conſuetudinem, præpone iuſtitiam: Omnino verò prudentiam cunctis quaſi oculum pedibus atque ducem. At fortitudinem continentiæ antepone. Nam fortitudo & circa difficilius verſatur, doloris ſcilicet tolerantiam & continentiæ officium, quod eſt vincere voluptates in ſeipſa complectitur. Vtrumque verò iudicato temperantia iuſtitiaque inferiorem. Hæc enim duo integrum animæ totius ordine magis poſſident duce prudentia conſtitutum. Ex his colligit oportere latorem legum & ipſum referre, & referri iubere, humana quidem ad diuina, diuina verò, id eſt, virtutes ad mentem veritati diuinitatique deditam. Dum verò de fine legum diſputat, officium quoque ipſarum conditoris exponit: idque ſummatim eſſe vult, ſumma cum diligentia totam ciuitatem colere quaſi agrum, vt exquiſitam de eligendis ſerendiſque ſeminibus habeat rationem. Deinde de opportuna plantæ cuiuſque cultura. Item de extirpandis ſtatim ab initio noxiis herbis & ſentibus. Denique de omnibus ad maturitatem ſuo ordine perducendis. Tu verò inter hæc aduerte, turpiorem haberi qui voluptatibus cedit, quàm qui ſuccumbit doloribus. Item fortis viri officium eſſe non ſolum metus & pericula ſuperare, ſed cupiditates etiam coërcere. Præterea neminem ſecure iudicari poſſe ſortem niſi diu inter labores & pericula verſatus ſtrenuè fuerit, adde & niſi in ipſa licentia & illecebris voluptatum, in quibus probatur propter continentes, ipſe quoque fuerit comprobatus.

Aduerte non eſſe tutum vel hominem qui fortis ſit futurus, procul à timoribus, vel eum qui futurus ſit temperatus, ſeorſum ab omnibus voluptatum illecebris educare. Præterea totum conditoris legum ſtudium circa voluptates & dolores oportere verſari, vt duo hæc quaſi bruta freno non careant. Si enim freno cohibeantur, facilè felixque vitæ iter euadit. Si nullo coërceatur freno, difficile admodum & infelix. Notabis & illud de Athenienſibus dictum, probos Athenienſes eſſe præcipuè probos: propter quod ſoli ſuaptè natura, & diuina quadam ſorte, nullo cogente vel perterrente, ſint probi. In his Plato ſignificat, in ciuitate malà inſtituta, raros quidem fore ciues bonos, ſed illos fore omnium præſtantiſſimos.

Quoniam cum nulla diſciplina tales euaſerint, profectò diuina quadam ſorte & perfecta natura ſint tales, quorum etiam tanta ſit excellentia, vt communi contagione non inquinentur. Poſt hæc ſingulare idcuiuſque artis totiuſque vitæ præceptum conſiderabis. Oportere eos qui præſtantes viri quouis in ſtudio ſunt, ſtatim à teneris annis idipſum tam ludendo quàm ſtudendo in ſingulis ad id conducentibus meditari, adeo vt virilium ſtudiorum accommodatiſſima pueris præludia proponantur, atque ita ludentium animi in amorem illius potiſſimum adducantur, quod in virili ætate ſerio ſunt acturi. Inter hæc diſciplina ſic definitur. Diſciplina eſt, ea vitæ ſtatim à pueritia inſtitutio, quæ in amorem virtutis paulatim adducit animum puerilem. Illius inquam virtutis præcipuè, per quam vir factus imperare ſciat atque parere. Hominem verò oportere, & inſuper poſſe, diſciplinam eiuſmodi à teneris annis habere, per illam quæ ſequitur humanæ naturæ deſcriptionem apte confirmat: inquit enim, hominem & ſi vnum quiddam ſit, habere tamen multa in ſe atque diuerſa, inter quæ ſunt tyranni duo amentes quidem & inter ſe contrarij animum diſtrahentes, Dolor atque Voluptas: præterea opiniones futurorum bonorum atque malorum, ex quibus appetitus confidentiaque ad bona, timor autem ad mala nobis ſuboritur, perturbationeſque animi ſimiles. Præter hæc adeſt iudicium rationis dictans quid horum melius ſit, quid peius. Iudicium verò eiuſmodi in vno quoque lex priuata eſt, & in ciuitate lex publica. Quoniã verò animal vnum ex rebus tam diuerſis dixerat eſſe compoſitum, haud ab re ſubiungit, hominem inter animalia miraculum eſſe diuinum, Mercurium imitans dicentem, miraculum ingens hominem eſſe. Animalium tria ſunt genera. Aut enim tam ex corpore quàm ex animo immortalia ſunt, aut ex vtroque mortalia, aut ex animo quidem immortalia, ex corpore verò caduca. In primo quidem genere cœleſtia, & ætherea, & aërea ſunt, ſiue dij ſiue dæmones nominentur. In vltimo verò ſunt bruta. Sed in medio homines dæmoneſque aquei atque terreni. Cum enim horum quoque dæmonum corpora ſicut humana ex contrariis componantur, diſſolui quandoque poſſunt, perturbationeſque aliquas afferunt. Sed cæteris iam omiſſis cur nam homo miraculum? Quia & cum diuinus ſit, mirum eſt eum à mortalibus infici, & cum ſit mortalis, mirum quoque affici ad diuina. Sed cur diuinum miraculum appellatur?

Quoniam ita est diuina prouidentia institutum: & vt Timæus docet, à Deo quidem opifice mundi rationis animæ substantiam ipsam accepimus, à diis autem cæteris naturam quandam vitalem ratione inferiorem, à dæmonibus denique corpora.

Quod autem addit, hominem à diis fuisse vel ludo vel studio quodam effectum, sic intellige: ludo quidem factum esse, si anima semper à cœlestibus ad terrena atque vicissim quasi ludendo transmigrans nunquam immutabili apud Deum sede quiescat: factum verò studio, si modo penes effectores deos, effectorem Deum animus quandoque sit immutabiliter permansurus. Vtram verò disiunctionis huius partem eligere debeamus, affirmare hic Plato non audet. Probabile tamen habet, vt hic alibique significat, hominem studio quodam potius quàm ludo fuisse diuinitus constitutum. Siquis autem ambiguum hunc Platonis textum legere ita velit, vt significet vel hominem esse à diuinis animalibus constitutum, ab astris intelligat: vel esse ex animalibus multis compositum, intelligat partes affectusque animæ nominari à Platone poëtice animalia. Quod quidem apparet in nono de Republica & in principio Phædri. Sed ista tu videris. Descendit post hæc ad quædam, quæ & si leuiora videntur, ad perfectam tamen disciplinæ traditionem morumque probationem necessaria sunt, qualia sunt studia Musicæ, consuetudinesque persimiles. Musica verò communissima quadam significatione comprehendit proportionis cuiuslibet ordinem, non solum in sermone, cantu, sono, saltu, sed gymnastico quoque ludo gratiaque conuiuij. Hæc quidem omnia ita in ciuitate composita esse debent, vt omni perturbationum vitiorumque incitamento sublato corpus & spiritum animumque contemperent. Exorditur autem disputationis opportunitate quadam à conuiuiis, atque vino, dicens primo cauendum esse ne ad innatas nobis perturbationes accedat quoque ebrietas. Hæc enim si temerè accesserit, & rationis officia minuit, & perturbationis impetus auget.

Probat tamen conuiuium atque meri vsum, ea videlicet cautione adhibita, quam in libro sequenti planius explicabit. Hic verò ad id potissimum conferre iudicat, vt ex liberiori interdum vsu meri, mores hominum in conuiuiis detegantur, solet enim impudentiores audacesque reddere. Illic ergo prudens iuuentutis custos deprehensis iuuenum præsertim vitiis, imprudentia, & mederi facilius poterit, & assuefacere iuuenes etiam in ebrietate omnium impudentissima seruare pudorem. Quanti verò sit pudor, id est, dedecotis & infamiæ timor, ex eo constat, quòd ob huiusmodi metum iuuenes, & turpia in primis metuunt, & honesta quamuis ardua audacter aggrediuntur. Quæ quidem duo Reipublicæ maximè omnium tam pace quàm bello necessaria iudicantur. Ideoque ad hæc ciuium animis infundenda, legumlator diligenti studio debet intendere.

In Dialogum secundum de Legibus, Epitome.

Plato noster mirifica in genus hominum charitate, nihil in disputationibus suis intentatum relinquit, quod ad humanam salutem quauis ratione conducere videatur. Atque dum id studiose contendit, mauult vel prolixi nimium, vel etiam curiosissimi crimen subire, quàm negligentis. Ergo exquisitam in secundo etiam libro ætatis teneræ prosequitur disciplinam. Animaduertens enim pueros fermè vt bestias, quasi nihil pensi habere, sed & quocunque voluptas trahit, prorumpere, & vndecunque retrahit dolor, protinus aufugere, non iniuria prius quàm malè vel prosequendi, vel fugiendi procliuitas in habitum inolescat, aurigam pueritiæ equis imponit, voluptatis videlicet, & doloris habenas manu tenentem. Quem quidem aurigam nominat disciplinam, virtutem scilicet quæ primo pueris aduenit, qua voluptas, & amor, dolorque & odium per alienam rationem rectè in animos influunt, antequam ratione propria moueantur: ratione deinde præsente, propriæ insuper rationi consentiunt, propter superiorem bonorum morum consuetudinem.

Hanc ipsam consensionem, vniuersam vult esse virtutem. Ipsam verò decentem circa voluptates & dolores assuetudinem, per quam ab initio vsque ad extremum vitæ homines oderint quæ odisse oportet, & ament quæ amanda sunt, quàm diu sub alterius regitur ratione, nominat disciplinam. Deinde verò, cum rationi propriæ iam expergefactę consentit, nomine virtutis appellat. Eiusmodi verò vitæ moralis fundamentum maximi esse momenti, vel Arist. ipse in Ethicis magnopere comprobat. Cum verò inquieta sit puerorum natura, oblectamentorumque per omnia cupida, & idcirco seueram non suscipiat disciplinam, merito sub honesta Musicæ illius communissimæ voluptate

virtutis vestigia præferente, iubet pueros educari: imò verò & seniores interdum, quibus ad laboriosæ vitæ solamen oblectamenta quædam honesta sunt adhibenda. Hanc vtique ob causam inquit deos laboriosam vitam hominum miseratos, haud ab re in laborum remissionem solennia illius sacra instituisse. Musas quinetiam, & Apollinem, & Bacchum ad hæc concelebranda duces adhibuisse, qui morum lasciuiam emendarent, & naturam auidam motionis per Musicam motionum rationem moderarentur, honesteque delectarent. Hæc autem verba non solùm Musicæ vsum laudant diuinitus commendatum, atque concessum, verumetiam allegoricè docent, hominem multis de causis bruris fore miseriorem, nisi diuina prouidentia, atque cognatione diuinum cultum religionemque suscepérit. In qua quidem Musæ diuinam significant veritatis inuentionem religiosis à Deo concessam: Apollo autem inuentionis eius gratam expressionem atque vaticinium. Bacchus denique, tum mentis abstractionem, tum opera religiosorum hominum admiranda. Animaduerte harmonicam rationem nobis præcipuè à diuina prouidentia esse tributam, per quam omnes inquietæ naturæ motus, qui suaptè natura inconcinni forent, concinnaremus. Sed à Musis quidem habemus motionis animi consonantiam, ab Apolline prætereà concentum in sermonis cantusq; motu à Baccho denique festiuam in motu membrorum concinnitatem. Dum verò de hac per Musicam disciplina, & ad pueros omnino, & ad seniores etiam pertinente diligentissimè disputat, eadem, quæ & in Republica posuit, repetit instituta, per quæ Poëtis, Musicis, Pictoribus, nunquam licentia concedatur quodcunque voluerit imitandi, sed honesta duntaxat & grauia pro salute spectantium & audientium imitentur. Imitationis autem iudices esse vult peritos homines, atque grauissimos, iubetque vt per honestam imitationem quotidie frequentatam adolescentes assuefiant in ludis omnibus pariter atque studiis semper rebus eisdem quibus & leges senioresque gaudere atque dolere. Quam quidem assuefactionem totum virtutis fundamentum iudicat continere. Inter hæc nonnulla memoriæ commendata ad præcepta motum plurimum conducentia. Iniustus etiam si cuncta quæ inter homines habentur bona, possideat, est infelix: & quamdiu ita viuit, præstare ei dicendum est mori quàm viuere. Item quicunque honestum, vtile, iucundum, inuicem loquendo discreuit, non est audiendus. Et quamuis honesta iustaque vita possit interdum videri laboriosa, nunquam tamen id pueris est dicendum, imò verò iustissimam vitam fore omnium iucundissimam. Quod tandem fore necessarium Plato asserit, quamuis fortè iis quibuscum, disputat, aliter videatur. Idque tacere iubet. Veritas tamen pulchrum quiddam est, & stabile. Descendit post hæc ad vini vsum, quem vult à iuuenibus ante annum ætatis decimum & octauum penitus ignorari. Alioquin ignem inquit, ad ignem tam in animam, quàm in corpus infundi. Post hanc æratem vinum moderatè bibi permittit. Post quadragesimum verò annum in conuiuiis inter deorum hymnos concedit vinum liberius bibere, quasi remedium aduersus duritiam senectutis, per quod reiuuenescere videamur, & mœstitiæ nos obliuio capiat, ipsaque affectio animi, sicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat. Quo effici vult, vt seniores qui alioquin cantare nollent, facti hilariores in conuiuiis ad iuniorum aures cantare velint, atque vnà eorum animis, vt ita dixerim, incantare. Qua quidem incantatione per melodiam grauiter concinentem iuniorum animi temperentur. In his legendis, notabis gratiam ipsam, in rebus quidem pulcritudinem, in cognitione verò voluptatem cognominari. Notabis, nullum animal, præter hominem, rhythmi & harmoniæ sensum habere. Atq; rhythmum esse ordinem in tempore atque motu: Harmoniam verò ordinem in ipsa vocum per acutum & graue contemperantia. Quod sæpè harmoniam dicimus, concentum latinè propriè dicimus. Quod autem rhythmum, commodè numerum dicere possumus, modo intelligas numerum in tempore atque motu.

Notabis, qua in re vini consistat vtilitas, & qua cautione sit bibendum, præsentibus videlicet, conuiuio conditoribus legum, siue custodibus, sobriis quidem & mores bibentium obseruantibus corrigentibusque, & tunc opportunè quando per vinum molliores facti fuerint, reformantibus. Concludit denique, si eiusmodi cautionibus ciues in conuiuiis vtantur mero, ad ea quæ dicta sunt vtile concedendum: vsum verò eius ad suam cuiusque libidinem ciuibus suis procul arcendum. Quippè cùm sacras Palladis arces, quæ ante omnia colendæ sunt, impudentissimè pulset.

In Dialogum tertium de Legibus, Epitome.

QVemadmodum Medicus sanitatem corporis, ita legum auctor spectat animi sanitatem. Quoniam verò omnibus optabilius est valetudinem prosperam retinere ne pereat, quàm recipere peremptam, idcirco præcipuum vtriusque tam ciuilis, quàm Medici institutum est, seruare siue corporis siue animi sanitatem sequens verò vtriusque consilium esse videtur optimum, siue corpori, siue animo habitum, siquando amissus fuerit, restituere. Quamobrem & apud Platonem & apud veritatem scriptores illi legum contemnendi censentur, qui subito qua censura scelera perpetrata sint punienda, decernunt. Qua verò ratione homines ita oriantur, nutriantur, erudiantur, vt scelera perpetrare nolint, non prouident. Nemo igitur admiretur Platonem nostrum firmissimæ sanitatis animi studiosum, tam in libris Legum quàm Republica diu per multa quæ videntur leuia, & ad educandos pueros adolescentesque pertinent, accuratius diuersari. Si enim decet diligentissimum animorum Medicum facere, eosque statim natos ita componere, vt vel quasi vnà cum firma sanitate geniti videantur, vel saltem ætate adolescente, sanitas animi pariter coalescat. Hinc itaque præcedens illi libri Legum primi secundique diligentia in omni Musicæ ludique genere atque conuiuiis. Dum enim de auctoris legum officio disputat, præcipuum eius, id est, circa pueros, & adolescentes studium, ante omnia iudicat declarandum. Vbi meminisse te volo, quanta cautione ad potum vini iudicauerit accedendum, vt non liceat quotidie bibere, neque cuilibet, neque ad cuiusque libidinem, sed in solennibus duntaxat conuiuiis, & tunc quidem viris & moderate, raro verò merum, sub arbitro tamen & iudice. Alioqui memineris, & quantum prober, vt non liceat in castris militibus gustare vinum, neque in ciuitate seruis, neque magistratibus, atque gubernatoribus & iudicibus ipso iudicij tempore, neque viris mox de rebus magnis deliberaturis, postremo neque viro vel mulieri ea hora qua liberis operam dare constituunt. Hæc operæprecium fuerit diligenter commemorasse.

Pergamus iam ad proprium libri tertij argumentum. Cum igitur lex ipsa ciuilitatis, id est, disciplinæ ciuilis forma sit, ciuilitas autem forma sit ciuitatis, haud ab re de legibus tractaturus multa de ciuitatis ciuilitatisque initio disputat. Ambigit autem vtrum genus humanum fuerit ab æterno nec ne, similiterque de mundo: Et quod alicubi tempus nominat infinitum, haudquaquam sine principio propriè atque fine significat, sed nostris potius computationibus infinitum: ideoque dicit sæpè tempus inæstimabile potius quàm immensum. Atqui, & in sexto similiter ambigens sententiam ita distinguit, Hominum generatio, aut nunquam incœpit, aut inæstimabili ante nos temporis longitudine cœpit. Inæstimabile verò forsan dicit, siquis non solum annos solares, sed etiam lunares, & dies & horas numerare contenderit. Satis autem Christiano fuerit, Philosophum mundi æternitatem non affirmasse. Sed quidnam de mille. amorum millibus his Mosaici dicent? Fortè Platonem Ægyptiorum more breuiusculos annos computauisse. At verò & de his, & de mundi illuuionibus opportunius agitur in Timæo. Iam vero ad ipsam materiam legum, id est, ciuitatem ciuilitatemque reuertamur. Quatuor ciuilitatis figuræ præcipue numerantur. Prima quidem statim post generis humani calamitatem in superstite quodam eius semine seruato, vel altissimorum montium beneficio, vel diuina potius prouidentia. Tunc enim probabile est filios nepotesque patrisfamilias imperio paruisse. Quod quidem imperium sola constat lege naturæ. Secunda figura inter familias plures iam inter se vel oppido, vel vallo quodam simili congregatas, congregatas, inquam, tum indigentia mutua, tum metu ferarum. Sed ab ipso cœtus huius exordio verisimile est tot gubernandi formas, quot & domicilia extitisse, opinionibus inter se moribusque longè diuersas. Ob quam diuersitatem mutuis subortis iniuriis coacti sunt communes quosdam arbitros & iudices rectoresque constituere. Vnde tertia iam orta est ciuilis disciplinæ figura, à præcedente videlicet iniustitia ducens originem. Probabile vero est eiusmodi rectores vrbis, communes præscripsisse ciuitati leges, postquam honestissimas quasque domiciliorum leges considerauerunt, per easque rei familiaris disciplinam ad disciplinam Reipub. transtulerunt. Quarta deniq; figura est in quodam Gentium regno: vbi plures inter se vrbes in eandem voluntatem communemq; legem ita conueniunt, quemadmodum in vrbem vnam familiæ plures.

Prima quidem figura extra vrbem est per leges singulas, natura, ratione, voluntate consistens. Secunda verò iam in vrbe, sed per singulas adhuc domiciliorum leges, indigentia quadam metuque congregata

Tertia, in ciuitate per leges iam communes, occasione iniustitiæ, iustitiam colens. Quarta, ex pluribus ciuitatibus per eandem voluntatem legemque similem congregatur. Inter hæc admonentur Poëtæ ad canenda diuina: Vbi dicitur Poëtarum genus diuinum esse, agique Deo. Admonentur quoque authores legum, vt neq; ardnas neque violentas ferant leges, sed leues, quoad fieri potest atque suaues. Præterea, exēplo quodem historico, principale prosequitur disputationis huius consilium, de præcipua condendarum legum, & optima ratione. Quæ quidem hinc maximè sumit exordium, si author in his ferendis vniuersam quidem ciuium virtutem spectet, maximè verò, maximam omnium atque ducem. Nemo verò dubitat virtutes alias à prudentia, tanquam inferiora membra à capite duci. Hanc vtique tam necessariam nobis esse quàm nobilem ex eo confirmat, quòd omnes communi voto id optant in primis, vt humana omnia pro sui desiderio succedant atque gerantur: eumque cui ad votum cuncta succedunt, beatissimum fore omnium arbitrantur.

Plato verò contra infert, miserrimum fore illum cuius cupiditates quotidie sequantur euentus, nisi tanta sit prudentia præditus, tantaque per prudentiam animum moderatione regat, vt vera discernat bona, & quæ ratione secreuit neglectis aliis appetat. In his admonet non esse optandum vel orandum vt omnia cupiditatem nostram sequantur, imò vt cupiditas rationem. Tangit & congruam filij ad patrem, patris ad Deum comparationem. Cupit certè & precatur sibi puer euenire quàm plurima quasi bona, quæ pater interea ne accidant deprecatur tanquam mala. Similiter vana & noxia vota hominum cœlestis pater quotidie detestatur. Neque refugium ad euitanda fallacia vota vllum nobis est, excepta prudentia. Huic ergo per ciuium animos propagandæ legifer in primis incumbet publicæ studens felicitati. Tanta enim prudentiæ perfectio est, vt & optanda doceat exoptare atque comparare, & comparatis ea potissimum vti ratione qua prosint. In his autem felicitas ciuitatis tota consistit. Quemadmodū verò ciuitatem seruat prudentia, ita destruit imprudentia, quam nominat ignorantiam. Non ignorantiam, inquam, vel literarum propriè, vel artis cuiusdam, vel externorum quorundam à nobis alienorum, sed ignorantiam boni, vt alibi sæpe dicit, atque hic significat: sed addit eam esse & priuatim & publicè perniciosissimam ignorantiam, pet quamquis nesciat ita suum animum temperare, vt rationis suæ tanquam regiæ legibus sensus quasi populus legitimè educatus obediat: adeo vt non alia prosequatur & fugiat, nec aliis aliter ve gaudeat atque doleat, quam rationis instituta præscribant. Quicunque ignorantia eiusmodi occæcantur, etiam si ingeniosissimi atq; literatissimi sint, ignorantes à Platone censentur. Qui verò temperati sunt, prudentes ab eo iudicantur atque scientes, etiam si litera snesciant. Prohibet deinde magistratum illi tribui gubernandum, qui propter inco ntinentiam gubernare se nescîat. Neque confidit ciuitatem sub eo rectè feliciterque componi, in cuius animo ciuitas quædam est incōposita simul & misera. Quamuis autem septem numeret deinceps rationes quæ ad dignitatem imperandi conducere apud plurimos iudicantur, scilicet, Paternitas, Nobilitas, Dominatio, Potentia, Senectus, Prudentia, Sors, tamen vnicam ipse præ cæteris eligit, id est prudentiam, dicens hanc esse propriam dignitatis imperatoriæ rationē, scil. vt prudētiores vbi imperēt, imprudentiores obtemperent. Quemadmodum & oculorum officium est ducere, pedum verò ministerium peragere. Item, sicut in qualibet arte, præsertim nauigatoria, & militari, & medicina, eius quidem qui plus intelligit, est præcipere, eius verò qui minus ea in re cognoscit, est exequi: ita & in arte ciuili, partim vniuscuiusq; , partim ciuitatis gubernatrice, ille apprime omnes parere debent, qui præ cæteris quid potissimū humanæ saluti conducat intelligunt. Lex ergo communem optans prudentiam, prouidebit vt præter puerilem eruditionem ad prudentiā conferentem, numerum quoq; publicorū gradus pro ipsius prudentiæ gradibus vbiq; distribuantur. Ac ne imprudenter horum gubernacula committantur, sanciet ne nimia & ingens imperandi authoritas concedatur: sed omnes quidem subiiciet legibus, reges autem cum senatu coniunget, senatum cum cōsilio populari. Cauebit in primis ne vnquam superba lasciuia cupiēs plus posse quā leges, dissensionem pariat & ruinam. Studebit vt totum ciuitatis corpus, quoad fieri potest, liberū sit, prudens & amicū. Liberum quidem, vt possit quilibet patriæ suæ consulere: prudens autem vt sciat: amicum rursus vt velit. Meminerit tria hæc in ea ciuitate facilius cōuenire, quæ inter vnius ac populi potentiam obtinet medium, vt neq; vnius se totam subdat imperantis arbitrio vel potentiæ paucorum, neq; quēlibet absque delectu recipiat consultorem: sed plurimum quidem optimatum constet gubernatione, nonnihil quoq; habeat regij, non-

nihil insuper popularis. Circumspiciet mores fortunasq; principũ, quo perspiciat ciuitatum regnorumq; exitium maximè omniũ ex delitioso luxuriosoq; adolescentum virorumq; victu procedere. Quippè cùm nemo ex huiusmodi vita virtute præstans euadere possit, sed æger necessariò fiat, fragilis, & inflatus, & cæcus. Mandabit propterea temperantiam ab omnibus maximè coli, sanciens eos potissimum honorari, qui temperatissimi omnium iudicio comprobentur. Neque patietur fortitudinem ab vllo absq; tẽperantia possideri, quasi rem ciuitati valdè periculosam. Quinimò, neq; multarum rerũ peritiam absq; iustitia, tanquã grauiter nocituram. Summatim verò, in primo honoris gradu, dotes animi si cũ temperantia mixtæ fuerint, collocabit, his corporis subiiciet bona, bonis corporis simul & animi externa seruire mãdabit. Prohibebit quoq; nimiam libertatem, vetabit & nimiam seruitutem. Nam nimia quidem seruitus amicitiam, id est & beneuolẽtiam populi erga principem, & charitatem erga patriam è medio tollit, adeò tollit, vt leui de causa, vel princeps, vel patria pereat. Libertas verò nimia lasciuiam primò parit: deinde contemptum legum post hæc frequentes seditiones, & extremam denique seruitutem. Nemo verò miretur, Platonem & hic, & sæpè alibi ludos, siue potius studia; musicæ magnifacere, quasi ad permutandos in vtramque partem mores tam publicè, quàm priuatim, possint quamplurimum. Nam ea tempestate & familiare omnibus & palam frequentissimum erat huiusmodi studium: quod autem ab omnibus fit atque continue, non minorem fermè in animum vim habet quàm aër in corpus. Præterea, quæ apud Medicos parum cautos, habentur leuia, apud Platonem obseruantissimum humani generis Medicum, haud contemnenda censentur. Descendi post hæc ad superiorum Epilogum. In quo Epilogo posset quispiam clausulam illam: Si verò quicquam, & quæ sequuntur, ita forsitan legere. An verò quicquam contulerimus necne? Quis redarguet? Cùm inter nos omnia dicta fuerint. Sed ista tu videris.

In Dialogum quartum, Epitome.

QVartus hic Dialogus, quemadmodum & tres superiores, ac etiam pars quinti prima, in ipso conditoris legum consilio, officioque versatur. Huius verò consilium circa ciuitatis materiam atque formam. Materiam, inquam, situm, & compositionem, dispositionemque vrbis. Formam verò modum publicæ gubernationis & ordinem. At quoniam forma hæc formosa esse nunquam potest, nisi ciuium animi sint formosi, idcirco in formandis à tenera ætate, perque omnem vitam suorum ciuium animis legifer inuigilare iubetur. Materiam igitur ciuitatis paucis expedit verbis, formam verò eius & animorum ipsorum formationem accuratissimè tractat, vtpote qui præ animorum dignitate exteriora omnia quamuis amplissima videantur, nihili pendit. Profecto Plato noster, si corporum esset Medicus, in eligendo aëre saluberrimo, ad firmam validamque corporis habitudinem conferente incumberet diligentius. Sed qui in eligenda pro se Academia in salubri loco, non corpori, sed animo moribusque consuluit, is nimirum in vrbe condenda non admodum accuratus apparet: in formandis verò vnà cum ætate moribus, tanquam Medicus animorum, vt ita loquar, curiosissimus. Præterea, si tanti fortunæ faceret bona, quanti cæteri solent, certè agrum, & situm, & modum ad diuitias cumulandas amplificandumque imperium commodissimum diligenter exquireret. Contrà verò facit omnino. Sit ergo vrbs procul à mari atque portu, non mercaturæ præsertim cauponariæ dedita, non luxuriosa, non diues. Sit temperata ciuitas, & sobria, & pudica, præcæteris verò pia. Quidnam aliud mandatum putas sanctum aliquem religiosæ vitæ pontificem in ædificandis templis habitaculisque sanctorum, quàm Plato noster iubet in vrbe condenda? Et qui pauca hic de vrbis corpore verba facit, idem in beata illa Republica decem Dialogis expressa, nullum de vrbe condenda fecit verbum, neque id quidem iniuria. Illam namque reliquit cœlo, hanc in terris ædificat, ad exemplaris illius quoad fieri potest imaginem. Propositum igitur erit legiferi, quæ præter animi bona sunt, præ bonis animi paruifacere, in omnique eius institutione ad vniuersam virtutem tanquam ad signum intendere. Ideoque nihil vel in ciuitate, vel circa vrbem permittere, vnde ciues malis aliquãdo moribus assuescere possint, etiamsi inde victoria multarum Gentium, potentiaque amplissima, & copia rerum omnium abundantissima consequatur. Lex enim non extra animum, sed in animum ipsum aciem suam dirigit omni ex parte perficiendum. Itaque iubebit ne ciues habeant summo in pretio falsæ huius vitæ salutem. Neque tam vt sint, saluique sint, procurent, quàm vt quamdiu sunt, optimi sint. Ad vniuersum verò legiferi institutum

perficiendum tria in primis conducere arbitratur, Deum videlicet, fortunamque & artem. Quæ tria humana omnia gubernare dicuntur. Et quo difficiliora quàm cæteri indiget pattocinio. Quod autem Plato dicit Deum, & fortunam atque artem simul cum Deo humana omnia gubernare, breuiter sic expone. Deus in omnibus per omnia mouet omnia. Nouet mundi sphæras. Quarum concursio fatum quidem alicubi, sed hic fortuna libentius nominatur. Hinc casus varij circa externa corpora quę proueniunt. Mouet & animas, lumen mentibus inspirando, vnde ars non speculandi solum accenditur, sed agendi. Ab arte tandem dispositio externorum & corporis proficiscitur. Quamobrem à Deo quidem cuncta dependent: qui, vt ait Paulus, omnia in nobis operatur. Verum ab ipso Deo alia quidem per fortunam procedunt, alia verò per artem. quo fit, vt neque fortuna, neque ars aliquando Deo valeat aduersari. Quippe quum semper ab ipso vtraque moueantur. Inrer se verò duo hæc ita se habent. Aut enim consentiunt inuicem, aut fortè dissentiunt Si dissident, aut fortuna superat artem, aut ars fortunam in mari commouet tempestatem. Tempestas quatit nauem. Interea mouet Deus idem eandem nauem per animum quoque gubernatoris, id est, per artem ipsam à Deo continuè dependentem. Quando igitur ars nauem ad certum dirigit portum, atque ad eundem tempestas quoque vehit, tunc ars simul cum fortuna consentit. Quando verò alio quidem impellit ventus, alio vero ars certat ducere, tunc ars & fortuna dissentiunt, ac tandem vel ars cedit fortunæ, vel arti fortuna. Interim prouidentia Dei vtrobique agit vtrumque ad finem sibi soli notum, cui nihil vnquam dissonat, cuncta videlicet in vniuersam sui corporis harmoniam occultis modis contemperanti. Cæterum illa ipsa concursionum cœlestium dispositio, quando talis prouenit, vt artem necessario superatura sit, Fatum dicitur potius quàm fortuna: quando vero talis vt exuperare inertem possit, & superari ab arte, Fortuna potius nominatur. Neque diffidas artem quandoque vincere posse fortunam. Vt enim fortuna sic & ars procedit ex Deo. Animaduerte verò vbi Plato de occasione disputat, quam vir magnus nouas conditurus leges exoptet, ad id magnopere opportunam, sub illius tyranni nomine iuniorem Dionysium significare, seipsum verò sub appellatione legiferi, atque indicare fauorem fortunæ sibi integrum defuisse.

Item Platonem in Sicilia apud Dionysium quendam harum legum procemia inchoasse, vt ex Epistolis intelligi potest: Opus verò id legum expulso Dionysio perfecisse. Denique per hæc dicta reditum in Siciliam suum ab infamia vindicasse. Scito autem Platonem in eo itinere atque reditu nihil aliud contendisse, quàm vt salua Dionysij prosperitate, violenta tyrannis in regnum moderatum conuerteretur. Inter hæc autem vbi de temperantia & prudentia principis loquitur, Memento Platonem, mediocrem quidem temperantiam à prudentia distinguere, mediocrem quoque prudentiam à sapientia simili ratione discernere, consummatam vero temperantiam sæpè appellare prudentiam, absolutam quoque prudentiam, nonnunquam sapientiam nominare. Quod quidem in Phædone, & tertio Legum, & hic, & alibi sæpè, patet. Adducit præterea naturales quasdam ingenij dotes, virtutibus quidem similes, sed tunc demum, quando rectè fuerint excultæ, ad virtutum munera conducentes. Qua quidem de relatius in Republica disputat. Mandabis interea memoriæ, quales sunt principum mores, tales quoque fieri ciuium reliquorum. Neque vlla de causa mores ciuium facilius citiusque quàm ex hac mutari posse, Item beatum esse prudentem, & temperatum doctorem populi, beatum quoque populum qui audit verba ex ore doctoris eiusmodi profluentia.

Præterea neque Rempublicam felicem fore, neque leges bonas exorituras, prius quã in gubernatore potentia vnà cum sapientia temperantiaque concurrat. Proinde diuinum ad ciuitatem constituendam auxilium inuocandum. Hactenus quartus hic liber munus legiferi circa materiam ciuitatis, & formam communis pertractauit. Pergit vero deinceps ad figuram muneris huius distinctiorem, quærens vtrum ciuitatis forma regnum esse debeat, an optimatum senatus, an potentia paucorum, an popularis. Quoniam verò nihil inter homines bonum reuera dici potest, nisi diuinum imitetur bonum, non iniuria formam prius diuinæ gubernationis exponit, quàm ex humanis gubernationibus aliis alias anteponat: videlicet diuinæ similiorem absque controuersia cæteris præfecturus. Probat autem gubernationem diuinam esse regnum, optimatumque senatum regno coniunctam. Censetque ex omnibus ciuibus illos eligendos esse ad gubernandum, quotcunque sint qui tantum cæteris prudentia & temperantia præstant, quantum viri pueris præstare solent. Atque si quis inter electorum numerum simili fermè

interuallo cæteros antecellat, regem esse constituendum. Id verò tum ex præsenti Saturni mysterio, tum ex simili quodam in Politico, tum ex Epistolis & Republica potest esse perspicuum. Cæterum vt præsens Saturni mysterium apertius intelligi possint, meminisse oportet. Platonicos coniectare mundum à vita quadam & anima contineri atque duci, ex tribus potissimum argumentis, ex firma videlicet diuersarum mundi partium copula, ex mirabili motu cæli, ex perpetua rerum generatione sub cœlo. Coniectare rursus mundum à mente regi ex triplici quodam ordine, scilicet ex ordine qui & in ipsa partium mundi copula, & sphærarum motu, & in rerum generatione conspicitur. Vtrunque verò, scilicet animam atque mentem, Platonicus ille noster breuiter comprehendit. Spiritus intus alit, totamque infusa per artus, Mens agitat molem. Coniectare tandem & animam & mentem ab ipso bono vnoque dirigi ad regendum, ex eo præcipuè quod & connexio partium motusque & generatio & omnis horum trium ordo in vnum tendit bonumque dirigitur. Quamobrem sub ipso bono regnum geminum continetur, intellectus videlicet atque animæ. Illud quidem Saturni, hoc autem Iouis regnum omnis appellat antiquitas. Quæ Iouem idcirco fingit Saturni regnum occupasse, quoniam vtrisque ad regnum proprium vocantibus animas, scilicet illic ad intelligibile hinc ad sensibile bonum, paucissimæ quædam animæ ad intelligibile Saturni bonum contemplationemque se conferunt, quam plurimæ verò ad sensibile Iouis bonum actionemq; quotidie confluunt. Tradunt antiqui animas quondam beatas sub Saturni regno vixisse, duobus in modis intelligentes. Primo quidem dum inter diuinas angelicasque mentes viuebant, antequam in corpora laberentur. Deinde etiam quoties & quotcunque voluptuosam quidem vitam negligentes, actiuam verò parum admodum diligentes, contemplatiuæ ardentissimo amore se dedunt. Vtcunque verò accipiatur, in vita intellectuali, beatæ: in animali, sunt miseræ. Accedit quod sub hac miseria ita falluntur, vt cùm duo in cœlo planetæ sint, primus quidem superioris Saturni nuncius, secundus autem nuncius Iouis superioris, laudent quidem Iouis stellam, Saturni verò vituperent, cùm tamen hæc quidem ad temporanea magis prouocet bona, illa vero reuocet ad æterna. At, quoniam homo gregabile animal à communi hominum commercio segregatus, mediocrem viuendi habitum seruare non potest, cogiturque, vt ita dixerim, vel infra hominem descendere, vel ascendere super hominem: factum est vt Saturnus hominum segregator crimen & infamiam apud insciós reportauerit, eorum videlicet culpa, qui vel mixtione quadam ineptiori, vel educatione peruersa tales euadunt, vt quandò à Saturno extra hominem seuocantur, descendant ab homine potius, quàm ascendant. Verùm de his alibi diligentius: reuertamur ad argumentum. Addit Plato Saturnum quondam homines distributos in greges custodiæ dæmonum commendasse. Id autem pluribus modis exponitur. Primò quidem diuinam mentem animas hominum, vt Timæus ait, in varios ordines ab initio diuisisse stellarum, animarum numerum comitantes. Differentiam vera nostrarum inter se animarum, alij inter Platonicos numeralem tantùm esse putant, alij etiam specialem, vt vnum animarum nostrarum sit genus, in eo multæ animarum species, sint etiam multæ sub eadem specie. Vtcunque vero distribuantur, diuersis non solùm stellis, sed dæmonibus etiam accommodati dicuntur. Alioque modo exponi potest mysterium, vt videlicet vel ab orbis initio, vel statim post diluuium rudiores homines diuina prouidentia Angelorum, siue dæmonum meliorum ministerio rexerit, donec paulatim facti peritiores ipsi se regerent. Rationi verò consentaneum est, rectiùs feliciusque à superis quàm à seipsis homines gubernari. Exponitur insuper tertio hunc in modum, vt quotidie quicunque vitæ rationem eligunt, ab aliis quodam modo segregatam, riteque educati fuerint, statim in contemplatiuum beatumque Saturni regnum commigrare dicantur. Sed quatenus sub contemplationis officio in ritus varios discernuntur, eatenus & in multos greges secerni videntur, & aliis atque aliis pro vitæ similitudine inspirati numinibus atque regi. Mitto in præsentia multas præstantium Philosophorum scholas, quasi greges sub Saturno Pastore mirabiliter congregatos. Sub Saturno inquam, tribus præcipuè modis. Sub mente diuina & Angelica primum, deinde sub anima Planetæ primi eiusque sphæræ, tertio sub ipsius Planetæ corpore. Sed mens ipsa facit, anima conficit, Planeta portendit, portendit inquam, quando in magnis Saturni cum Ioue coniunctionibus, Saturnus ipse vel exultatione sua, vel domicilio gaudet & tanquam coniunctionis Dominus fouetur quidem ab Ioue, vtitur & Solis Mercuriique & Veneris beneficio. Sic magicam Zoroastris eiusque se-

ctatorum peperit, seu portendit potius disciplinam, Trismegisti quoque Theologiam, Orpheique mysteria, Arcana Pythagoræ, Socraticam sanctimoniam, Platonicam maiestatem. Ita esse manifestis quibusdam argumentis compertum habemus. Hinc & Plato in præsenti libro Saturnum esse affirmat Dominum eorum qui mentem habent: Gubernationem verò eiusmodi sub Saturno regiam optimatumque extitisse demonstrat. Siquidem genus humanum ab ipso Deo tanquam rege per electos optimosque dæmones asserit gubernatum. Hos multi Angelos appellarent, & Plato in Critia vocat deos, facilitatemque gubernationis & hic iudicat, & in Critia: dicens occulta quadam persuasionis inspiratione fuisse homines gubernatos, gubernandos quoque similiter, quoties ab inferioribus vacantes motibus sese superis subiecerint perducendos. In his Plato monet, primo diuinam prouidentiam nunquam deesse hominibus, modo sibi ipsi non desint. Deinde humanum ingenium in summa rerum licentia potentiaque lascituum superbumque euadere. Tertiò sicut bestiæ non possunt à bestiis absque humano quodam Pastore, sic neque homines ab hominibus absque duce Deo optimè gubernari: & quamdiu mortalis aliquis sine Deo dominabitur, tamdiu laboriosam miseramque vitam fore, quasi frustra vigilaturus sit quilibet ciuitatis custos, nisi Deus ipse custodierit ciuitatem. Quartò, ipsam mentis distributionem esse legem, eique in omni, & priuata, & publica gubernatione sempet obtemperandum, vt per nostram mentem feliciter à diuina mente ducamur. Quinto, nullas constitutiones appellandas esse leges, nisi commune ciuitatis totius bonum procutent. Sexto, qui obseruantius parent legibus, his magistratus maximeque diuini cultus munera committi debere. Septimò, in teritum ciuitati paratum esse, in qua non leges magistratibus, sed magistratus legibus dominentur. Octauo iuuenes quidem vt plurimum hæc obtuse videre, senes autem acutè perspicere, nisi fortè quandoque Deus vel iuuenilem probet pietatem, vel senilem reprobet impietatem. Multa iam verba Plato facit ad ipsum legis latorem pro suo officio instruendum.

Nonnulla facit deinceps ad populum leges eiusmodi suscepturum, vt, & accipiat libentius, & seruet impensius. Cohortatur autem ad sacras leges in primis, perque illas ad humanas à diuinis inuentas, & confirmatas. Sed vnà cum exhortatione venerationem terroremque commiscet: dicens Deum mundi totius artificem, totum in seipso complecti, ideoque inspicere singula ne quis confidat præuaricando posse latere: perque omnia circumuolui, ne quis speret manus eius post delictum subterfugere posse. Hunc esse ostendit legum omnium fundatorem, vbi ait: Recta definit, & peragit, id est, recta quadam legis regula determinat singula. Determinat inquam, primo singulis naturæ suæ modum, quæ qualia, quot quantaque sint & vbi, & quando, & quomodo moueant. Deinde animis quid agendum sit, quidve cauendum. Determinationem eiusmodi legem esse constat rerum omnium penes Deum omnium authorem: eamque eodem actu ab ipso Deo sanciri, quo, & omnia ab eo intelliguntur, & fiunt: actu scilicet circulari, quem Timæus ait esse diuinæ intelligentiæ naturalem, ex seipsa videlicet seipsam respicienti, seque respiciendo omnia semper conspicienti. Forsan verò vltra circularem, vt ita dixerim, motum Deo intimum, subinsinuat motum quoque rectum, id est, rerum à Deo processum Deiq; per res omnes influxum: ideo recta dixit, & peragit. Et modum rectum à circulari pendere significauit. Item vbi ait Deum rerum principia, & fines, & media continere, intellige Deum esse causam rerum efficientem atque finalem, seruare omnia, omnibusque adesse. Ac ne quis putet irritam legem, addit hanc semper iudicium comitari, quo & perspicaciter seruatores legis præuaricatoresque discernantur, & efficaciter quid potissimum debeatur cuique decernatur. Quod quidem iudicium, quoniam potenter, & discernit, & decernit ineuitabilis sequitur vltio peccatorum, & præmium obseruantium. Seruari verò maximè diuinam inquit legem ab his, qui humillimè ceruicem suam diuinæ legis iugo subiiciunt, quorum præmium futura beatitudo censetur: respui verò maximè à superbis, qui mox sicut Dei legem dereliquerunt, ita deseruntur à Deo. Deserti autem, & peccant atrocius, & miserabilius cruciantur. Tu verò Angelica hæc aureaque præcepta seruabis alta mente reposita. Quod autem mysteria hæc antiquo ait sermone constare, Mosaico possumus intelligere. Possumus quoque & Mercuriali quodam, & Orphico, apud quos eiusmodi multa perlegimus, & illa quidem euidentissima, quæ recensere grandius iam prohibet argumentum. At si Orphicos de Ioue, de lege, de iudicio, & iustitia, & Nemesi hymnos legeris, hæc ad verbum inuenies omnia. Post hæc Plato populum

exhortatur, vt vnusquisque magnopere studeat in eorum numero esse qui Deum sequuntur, contendens in omnibus placere Deo, atque vt id consequatur simile Deo se reddens, similem inquam per temperantiæ puritatem, qua tanquam regula ex amussim sua omnia metiatur. Siquidem mensura, quod, & Pythagoras inquit, omnium optima iudicatur, simillimumq; Deo efficit animum. Quippe cum Deus omnium sit mensura, præcipuè nobis, qui videlicet eatenus vel prosequi vel fugere debemus singula, quatenus diuinæ menti voluntatique vel consonare vel dissonare censentur. Hinc illud in Platonis Epistola: Sapienti quidem viro lex Deus est, insipienti verò libido. Ambiguus verò hic legitur textus. Alibi enim legitur vt traduxi. Quibus verbis Plato videtur Protagoram confutare, dicentem rerum mensuram hominem esse. Cuius error in libro de scientia subtiliter confutatur. Alibi verò legitur non quam quiuis homo, sed si quis homo, hunc in modum: Deus omnium nobis est mensura: multoque magis si quis, vt ferunt, homo est. Tu hanc particulam, si quis, vt ferunt, homo est: exponere potes: si quis homo mensura est, multo magis Deus est mensura, non enim nobis, sed Deo per quem viuimus debemus viuere. Posses forsan exponere si Deus aliquis homo est, id est, si quando fiat homo: vt ferunt, id est, oracula Prophetarum, quæ quidem expositio vtinam quàm pia est apud multos, tam accepta foret apud Platonicos. Vt autem appareat quanti fructus sit obseruatio legum, subdit solis harum obseruatoribus licere atque expedire vota diis sacraque facere: Cæterorum vero preces, & munera à Deo respui. Hoc ipsum verò quod est placere Deo, dicit esse signum, quo singulas vitæ actiones quasi sagittas debemus intendere. Sagittas autem in hanc ipsam Dei gratiam attingendam, esse ait sedulum religionis cultum. In quo eosdem disponit gradus, quos & in carminibus Pythagoricis legimus. Iubet enim hic sicut & ille, vt cœlestes primum omnes colamus Deos, illos præcipuè quibus patria quasi patronis est dedicata, deinde sequentes sub cœlo Deos. Quos omnes terrestres appellat. Mos enim Platonis est, & si omnia sub cœlo elementa ponit, omniaque in cœlo modo cœlesti, tamen omnia sub cœlo appellatione terræ comprehendere: omnia item in cœlo cœli ignisque nomine. Cœlestes quidem eos: tum Angelos intelligit superiores, tum sphærarum cœlestium, stellarumque animas. Deos verò terrestres, tum inferiores Angelos, tum elementorum quatuor animas. Tertiò mandat coli dæmones, scilicet puriores, quasi deos ac interpretes. Quarto heroas, id est, hominum animas Deo acceptorum, à corpore separatas. In his omnibus ita distribui, præcepit cultum, vt maioribus numinibus maiora, minoribus minora, æqualibus æqualia munera conferantur. Quintò, non tam coli & adorari, quàm ornari, & quodammodo honorari Deorum Patriorum statuas imperat, legibus consecratas. Quoniam verò omnem ad diuinum cultum exhortationem ab vno inchoauit Deo: euidenter ostendit cætera numina neque per se, sed participatione primi dici Deos: neque propter se, sed illius gratia esse colenda, præsertim cum vniuersum eiusmodi cultum, duntaxat vt illi vnico placeas, dicat suscipiendum. Sexto parentes quasi Dei vicarios præcepit venerari Septimo propinquos genere & familiaritate coniunctos, & hospites peregrinosque ex diuino iussu amare charitate non ficta. His autem præceptum inseritur Euangelicum, vanorum scilicet verborum exactam rationem diuino iudici esse reddendam: cuius Angelus nobis præest quasi superioris iudicis vicarius, & minister, vt nos à turpibus reuocet, prouocet ad honesta: & consentientes quidem tranquillitate conscientiæ nutriat & delectet, dissentientes verò perturbatione conscientiæ vexet. Vbi delectat, ab antiquis gratia nominatur: vbi vexat, furia. Et gratia quidem triplex, quoniam præteriti, præsentis, & futuri gratia bonos oblectat. Furia quoque triplex, quia malos similiter cruciat. Et vtrobiq; Fatum, & Parca triplex cognominatur. Dicitur, & Nemesis, præsertim ab Orpheo, vbi in superbos animaduertit. Profecto veteres vt indicarent superbiam Deo maximè omnium dissonare obedientiam humillimam exigenti, dixerunt superbos non solum diuina censura, vt cætera vitia, sed etiam indignatione puniri, propriumque ad punitionem eiusmodi numen introduxerunt, Nemeseos nomine nuncupatum, quod quidem facit potentiam in brachio suo dispergitque superbos mente cordis sui. Collige è multis omnibus præcipuè quatuor, legem, iudicium, iustitiam, Nemesim. Horum exemplum accipe à teipso. Habes in mente legem, quid agendum sit, quid non, communi norma dictantem, & honestum quidem prosequendum esse, turpe verò vitandum. Habes & in ratione iudicium distinctiori quadam argumentationum discursione discernens id quod in hac vel illa actione positum est, honestum esse vel turpe. Habes in voluntate iustitiam, eli-

gentem ita prosequi, ita fugere, vt ratio per mentis leges prosequendum iudicauit, vel fugiendum. Habes in imaginatione eiusque defectu Nemesin turpibus actionibus verbisque succensentem, atque legitimè indignantem. Similiter in Deo lex, iudicium, iustitiaque, & Nemesis, sed modo diuino. Distinctius autem in Deo quidem lex, Angelisque superioribus. In animæ vero mundanæ ratione iudicium. In eiusdem voluntate iustitia. In Angelis inferioribus, seu dæmonibus mediis Nemesis. Vtcunque distributas hæc omnia diuinæ legi mirabili quadam connexione subseruiunt ad virtutum præmium, & supplicium peccatorum.

In Dialogum quintum de Legibus, Epitome.

Mirabilia quotidie fieri videmus à magnete in ferrum, à succino in paleas, à fulguribus in solida, ab ignito sulphure in bombardam, à tota natura, vel in motu cœli, vel in artificiosa rerum quæ gignuntur, formatione. Causas quidem ignoramus, neque tamen ob causarum ignorationem negamus affectus fieri, quos videmus. Mirabilia rursus fieri nonnunquam ab animis nostris in oraculis, cæterisque prodigiis testis est non solùm omnis historia, sed authoritas etiam Mercurialis, & Pythagorica, atque Platonica. Et si stupendorum nostræ mentis operum rationem certam facilè omnes assignare non possumus, negare tamen oper vel facta fuisse, vel posse fieri, nô debemus.

Videmus ignem quo cœlo similior est, quàm cætera elementa, eò mirabilius agere, vt breui ad suam trahat formam, quæ cætera tempore vix longissimo trahunt, neque mixtionem perpetiatur, & cùm videtur diuidi, diuidat, longiusque admodum quàm cætera suum protendat effectum, & longissimè per lumen agat atque momento. Verum habes hoc à cœlo, & cœlum imagine sui agit, id est lumine, quæ ignis vix naturali efficit qualitate. Quis enim dubitet cœlestia per radios suos tam nobis occultos, quàm manifestos ab ipsis velut imagines profluentes, mouere inferiora semper atque formare? fermè non aliter quàm vultus speculum, & speculum concauum materiam siccam positam è conspectu. Sed age iam in hoc speculo, & superos in animam speculemur.

Quanto efficacior est ignis cæteris elementis, & igne cœlum, tanto efficaciores cœlo sunt spiritus, qui vel viuificant, vel mouent cœlum, vel viuificantium & mouentium sunt consortes. Spiritus ergo superiores in nostros, vtpote consortes, imaginum duntaxat suarum influxibus operantur, quemadmodum vultus in speculum: atque agendo in eos formant, simillimasque efficiunt: vsque adeò vt animæ sæpè tam fermè mirabiliter, quàm cœlestes soleant, operentur. quemadmodum verò speculum ad imagines a vultu suscipiendas quinque modis præcipuè præparatur: primò quidem natura vitrea: deinde perspicuitate: tertiò lenitate: quartò resistentia: quintò positione: sic & animæ nostræ ad influxus numinum præparantur. Primò quidem, quod intellectuales naturæ sunt, sicut & illa. Secundò, quando per intellectum, fide illis hærent indubia. Tertiò, per voluntatem amore in illa sese ardentissimo transferunt. Quartò, tota in illis firmiter memoria sperant. Quintò, si corpus habeant, & natura illis accommodatum, & diligentia præparatum, tunc in mentes nostras à superis ita labuntur instinctus, vt à fidibus lyræ in fides similiter temperatas. Tunc prodigia, somnia, vaticinia, oracula veniunt. Mitto quod Iamblicus, Porphyriusque narrant, oracula quædam per aquam fieri solita, quædam per aërem, quædam vero per ignem: fortè quia à dæmonibus, vel aqueis, vel aëreis, vel igneis mittantur. Fortè etiam, quoniam locis & temporibus, aliis atque aliis, per occultas causas contigerit mentium humanarum affectus ad superiora conuerti, conuersosque inde formari. Profectò nostræ mentes in varia nimium distrahuntur. Verùm, si quando integra virtute sua ad certum opus vtantur, sicut & ignis tota intentione naturæ comburit, & cœlum toto agit influxu, tunc Plato non dubitat mirabiliora nostris mentibus, quàm ab igne vel cœlo, facillimè prouentura. Non dubitant, & Auicenna, Alazelesque, nescio qua fortè sæpè Platonici. Sed de his in Theologia latius disputamus. Quibus Euangelicum illud de fide montes permutatura, maximè confirmatur, & plurima quæ Plato in libro superiori, & hoc quinto, imò & sequentibus omnibus de Oraculis asserit, adeò vt non aliter, vel vrbis dispositio, vel Reipublicæ forma, vel sanctio legum sese habeat, quam per Oracula comprobetur. Verùm, quamuis Oracula tria commemoret, tamen cæteris insuper vaticiniis quæ veriora forsan reperiri possunt, authoritatem suam ad diem manifestè concedit. Sed iam ad argumentum quinti proprium veniamus.

Cùm igitur animus noster speculum sit diuinorum, meritò post diuinorum cultum in quarto descriptum, mox in exordio quinti animam ipsum iubet coli, quasi rem sacram, & qui in superioribus Pythagorea carmina est imitatus, in præsenti quoque animi cultu libenter Pythagoram suum sequitur præcipientem. Post deos maximè omnium reuerere teipsum: quanti verò momenti reuerentia ad obseruantiam legum, explicare non possum. Sed facit hæc, vt summatim dicam, vt quisquis animi sui quasi numinis conspectum assiduum reueretur, iudicem habet intra seipsum: ad cuius legem, vel absque legibus scriptis vitam suam perfectissimè dirigat, ac tandem facilè naturalis legis amore faciat, quæ cæteri vix scriptarum legum formidine faciunt. Proinde dum de colendo animo disputat, omnia de officiis præcepta tradit, tum ad seipsum, tum ad alios, ad omnesque virtutes priuatim & publicè pertinentia, quæ discere quisque debeat atque edíscere. Post hæc finem imponit exordio legum, vbi apparet totam de legibus disputationem in tres præcipuè partes esse diuisam. Primò quidem in Procemium, ab initio libri primi ad hanc vsque partem quinti productum: Deinde in ipsam legum dispositionem. Et primò in leges ad Rempublicam magistratusque potissimum pertinentes. Deinde ad singulas spectantes ciuium actiones. Meminisse verò te arbitror, singulas præterea leges, singula habere Procœmia. Principio Legifer purissimos pro viribus colonos eligat, atque pastorum more puros segreget ab impuris. Lustret quoque ciuitatem, ac nisi summa cogat necessitas non inferat violentiam. Adæquet census pro viribus, ne alij ditissimi sint, alij verò mendici. Caueat ne quis iniustè diuitias cumulet. Neque luculentissimam conetur ciuitatem reddere, sed iustissimam. Prædicet veritatem, & apud homines, & apud deos esse maximè omnium venerandam. Item, in peregrinos hospitalitatem, in supplices indulgentiam. Moneat vnumquemque animam erga seipsam amore falli, atque peruerti solere. Præcipiat, ne quis abundans ipse, patiatur proximum esurire. Collocet vrbem, si potest, in media regione singulas circunspectans commoditates. In duodecim partes vrbem diuidat, totamque similiter regionem. Sed cur in partes duodecim? vt intelligas molem tantam, tamque laboriosam vniuersi ipsius auxilio indigere, quod est in sphæras duodecim distributum. Item, ciuitatem ad imaginem regni cœlestis esse gerendam. Cœlestis autem ciuitas in signa duodecim, quasi duodecim tribus, est distributa. Nec ab re diis duodecim ciuitatem commendat suam: siquidem dij duodecim signis cœli, duodecim præesse dicuntur. Imò verò Dij sex, sexque Deæ. Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venusque: Mars, Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Præpone singula singulis: membris quidem nostris signa: Signis præterea Deos. Arieti quidem, & capiti nostro Palladem. Tauro verò, & nostræ ceruici Venerem. Geminis & humanis brachiis Apollinem. Cancro pectorique Mercurium. Leoni humerisque Iouem. Virgini iliisque Cererem. Libræ, & natibus, quod honestè dictum sit, Vulcanum, Scorpio, & pudibundis Martem. Sagittario, fœmorique Dianam. Capricorno & genibus, Vestam. Aquario cruribusque Iunonem. Piscibus pedibusque, Neptunum. Intellige per hæc ciuitatem totam, non aliter vnum ex ciuibus multis, quàm vnum corpus ex multis membris esse debere. Alia verò numina masculina, alia fœminina idcirco dicuntur, vt cognoscas, & quæ ad materiam passionesque, & quæ ad formas actionesque pertinent, à superis gubernari. Verùm cur Plato præcipuam vrbis arcem, Vestæ, Ioui & Palladi consecrat? Intellige in diuinis tres omnium fontes existere: Vestam quidem essendi fontem, Iouem viuendi, Mineruam intelligendi. Atque in his omnibus auxilium à superis obsecrandum. Vbi verò Plato commendat partitionem domiciliorum, agrorumque in quinquies mille & quadraginta, ostendit eiusmodi numerum commodissimas in se, multasque deinceps distributiones partium continere. Quod quidem & in sequentibus paulatim aperietur, & vel mediocri arithmetræ potest esse perspicuum. Notabis vbi de communi ciuium vita differit præceptum de Euangelica dilectione, & charitate mirandum. Item patriam magis quàm matrem esse colendam. Quod vò patriam, inquit, immortalem Deam esse, vel de diuina terreni orbis anima, vel de numine patriæ patrono, vel de cœlesti patria dictum puta.

In Dialogum

In Dialogum sextum de Legibus, Epitome.

TRia sunt genera causarum, quibus diuersa diuersis in locis hominum ingenia fiunt. Quæ quidem tria genera Plato in superioris libri fine breuiter comprehendit. Ego verò operæprecium fore arbitror, hac ipsa materia quasi quodammodo sextum cum quinto ligare. Sit ergo plurimum in loco discriminis ad meliores deterioresque homines generandos, Causa verò sit vel humana, vel naturalis, vel diuina. Humana quidem, lex, educatio, consuetudo diuersa. Naturalis autem, elementorum alimentorumque diuersitas. Diuina verò, vt cœlum quoque diuinam vocem, siderum numinumque potestas. Siquidem Plato indicat quemadmodum aliæ cœli plagæ aliis reguntur stellis, aliisque diis, id est, superioribus Angelis, sic alias terræ plagas, aliis quoque dæmonibus, inferioribusque Angelis gubernari. Accedit ad hæc Astronomorum sententia, & plagas terræ cœli plagis, & vrbes ascendētibus signis accōmodans. Mitto in præsentia quantum ingeniorum discrimen afferat familiarium cuiusque hominis varietas dæmonum. Quod autem spirituum superiorum vires, nostris quomodocunque ita fiat, spiritibus influant, negare non possumus, quando manifestè videmus corpora nostra corporibus superioribus agitari: assidueque ab aëre aliter permutari. Quod si spiritus illi in nostros agunt spiritus, agunt insuper & in corpora. Passio verò corporum humanorum, siue à spiritibus illis, siue à corporibus superioribus inferatur, eatenus redundat in anima quatenus tam comparato quàm naturali affectu animus sese mergit in corpus. Verum hoc interest, quod corpora illa per corpora nostra mouent animas: spiritus autem tum animas per corpora mouent, tum per animas, tum etiam per illum spiritum, quem Physici sæpè nodum animę inuicem corporisque cognominant. Memento verò vim omnem atque motum à superioribus in nos descendentem, semper ad bonum suapte natura conducere, quandoquidem & cœlestes influxus, semper ad bonum. Sed neque tu hic vel rigidiorum hominum tristitiam & parsimoniam reiicias in Saturnum: vel temeritatem ferocitatemque in Martem: vel fraudulentiam malitiamque in Mercurium, vel lasciuos amores in Venerem. Quid vero, si Saturni grauitas in nobis complexionis naturæ, nutritionisque & educationis vitio, in simile quiddam grauitati vitium conuertatur: similiter magnanimitas Martia in audaciam magnanimitati quodammodo similem, Mercurialis industria similiter in malitiam, Venerea charitas in libidinem? Nonne sub solis radiis, qui natura sua ad videndum conferunt, & viuendum, quotidie accidit alios visum, alios vitam amittere: & qui in aëre libero salubriter calefaciunt, in concauis vrunt? Quemadmodum verò sub beneficio radiorum influxu ob inferiorem naturam resultat alicui malum, non vniuerso: sic sub stellarum viribus natura bonis, atque sub numinum muneribus optimis, potest interdum inferioris, vel naturæ, vel consuetudinis vitio, vitium vel corporis vel animi suboriri. Nihil verò vniuerso vitium aut malum: quemadmodum in concentu secunda vel septima vox, quæ seorsum audita dissonat, interim coniuncta cæteris consonat vniuerso. Solent verò Platonici infimos dæmones malos aliquando nuncupare, quoniam ad infimum generationis & sensibile bonum suo quodam, vt aiunt, officio nos alliciant, diuertere autem à summo bono ad minimum, comparatione summi malum iure censetur. Missum facio in præsenti, quod aiunt supremos dæmones ad contemplationis, medios ad actionis, infimos ad concupiscentiæ bonum ducere: quod ve his omnibus & vti possumus, & abuti: & vtentibus quidem bona contingunt, abutentibus verò mala. Appellat verò Plato dæmones & deos indigenas patriæ, non quia inde geniti, sed quia ciues inde genitos peculiari quadam cura custodiunt. Dicit præterea, beatam ciuitatem à deorumque filiis coli: intelligens partim quidem cœlestem Hierusalem, ab Angelis purisq; animis habitatam: partim quoque felicem illorum vitam, quos in Phædone inquit, æditissimas terræ partes incolere numinum familiaritate beatos. Descendit post hæc in sexto ad magistratus constituendos, scilicet quot esse oporteat, & quo pacto creari, quotue magistratus cuiusque sit officium. Inquit autem diligentiam in his creandis tanti esse momenti, vt vel bonarum constitutio legum absque magistratibus bonis, non modo minimè profutura sit ciuitati, verumetiàm plurimum nocitura. Oportere verò ait tam eos qui magistratus electuri sunt, quàm qui eligendi, esse ab adolescentia probatissimos, maioribusque probatissimis genitos, & qui conciuium mores perfectissimè calleant. In his notabis, miram Platonis prudentiam in ordinem Magistratuum, eorumque officio in rebus humanis & sacris, bello & pace, in vrbe atque agris.

Cognoscesque & probabis optimatum gubernationem, aliquid regij, nec non popularis habentem, & quodammodo inter vnum & populum mediam constitutam.

Animaduertes in ciuilibus muneribus distribuendis seruandam semper æqualitatem, non Atithmeticam quidem, per quam numero vel etiam mensura & pondere paria singulis tribuuntur, quæ sæpè iniustissima est: sed geometricam potius; per quam considerantur merita singulorum: atque ea ratione singulis distribuuntur, vt quæ proportio meritorum est ad merita, eadem quoque munerum sit ad muneta: neque æqualia sint munera muneribus, sed munera meritis. Geminam ergo considerabis æqualitatem tum muneris ad munus, tum muneris ipsius ad meritum. Er illam quidem sæpè noxiam, ratio vtilem, & tunc demum vtilem si fiat forte. Hanc vero quotidie necessariam. In hac vtique totam consistere iustitiæ rationem. Atque hanc ipsam in Iouis iudicio esse positam, eiusque notionem hominibus vix paucisque tribui, sed quantacunque nobis adsit, per hanc solam cuncta seruari. Nec immerito æqualitatis huius officium supremi iudicis adscribit iudicio. Qui cum solus secreta omnium penetret, ideoque merita perfectè cognoscat, nimirum solus perfectè potest meritis æqualia reddere. Idque ita facit, in cœlo primum, deinde in vniuerso, vt hac sola pro cuiusque naturæ capacitate, vbique distriburione fieri cuncta atque seruari, & ab antiquis probatum, & in Gorgia fuerir comprobatum. Sed inter hæc Plato iterum, qui mos eius est frequentissimus, pueris educandis incumbens, peculiarem ad id procreat magistratum, eumque haberi vult omnium in ciuitate summorum magistratuum præstantissimum: existimans absque colendæ puerilis sementis prouidentia, totam ciuitatis culturam fore vanam. Aduertes hic humanum ingenium bene quidem cultum, tandem mansuetissimum diuinissimumque euadere: contrà vero, si contrà. [Sed cur nam humanum ingenium ferocius euadere posse dicit quàm ferarum? Quia quod maximam vim habet ad bonum, maximam quoque habere potest ad malum. Irem optimum quando deprauatione sui vertitur. In oppositum, fit pessimum. Quod quidem in Republica disputat.

Præterea ferocitatem in homine deprauato auget machinatio perspicacissimæ mentis ad malum. Adde quod subtilitas spirituum humanorum in ira, conuertitur in furorem. Accedit & quorundam dæmonum irritatio, quod Plato in Epistola ad Syracusanos significat, & Homerus ex Ægyptiorum sententia frequenter vsurpat, Heroas inducens à diis, id est, dæmonibus ad iras & sanguinem animatos. Commendat iterum numerum illum quinquies mille & quadraginta, in magistratuum, domiciliorum, agrorum partitione omnium commodissimum: vtpote qui in multas deinceps portiones integras diuidatur.

Sanè si vniuersum hunc numerum in duas diuiseris partes: pars dimidia duo millia continebit, quingentaque & viginti. Si vero in tres: pars tertia, mille sexcenta octoginta. Si in quatuor: quarta quælibet, mille ducenta sexaginta. Si in quinque: quinta quælibet mille continebit atque octo. Si in sex: sexta omnis octingenta, & quadraginta Si in septem: septima, septingenta viginti. Si in octo: octauo, sexcenta triginta. Si in nouem: nona, quingenta atque sexaginta. Si in decem: decima, quingenta & quatuor, huc vsque partes omnes sunt integræ. Sed si in vndecim vndecima quatercentum qninquaginta & octo, atque insuper duas vndecimas portiunculas. Quod si in duodecim: duodecima, quatercentum atque viginti. Hic siste pedem. At quoniam nobis sexaginta commemorat, si vniuersum illum numerum in sexaginta partes diuiseris: pars sexagesima octoginta & quatuor comprehendet; ac si conuersione quadam in partes octoginta quatuorque secueris, pars quæque sexaginta tenebit. Videtur autem Plato plurimi facere, quod ille numerus duodecies diuidatur in quatercentum atque viginti: quodue hic rursus duodecies in triginta quinque. At verò hic duodecies in duo atque insuper vndecim duodecimas vnius partes. Atqui & ipse numerus quatercentum atque viginti multiplicatur ex numero vigesies viginti & vno. Nam viginti numerus vigesies semelque replicatus, quatercentum vigintique complet.

Laudat duodenarium numerum: & vniuersum illum, qui duodenario prorsus accommodatur, propterea quod duodecim sint apud eum mundi sphæræ: & signa duodecim in Zodiaco, & partes duodecim in elementis. Siquidem quodlibet ex quatuor elemētis in tres diuiditur regiones, in summam & infimam, atq; mediam: non solum situ, sed virtute etiam differentes. Adde elementorum alterum duodenarium. Quo & substantiæ elemenrorum quatuor & qualitates octo comprehenduntur, qualita-

tum verò quatuor quidem masculæ sunt, scilicet calor, frigus, leuitasque & grauitas. Quoniam primæ duo alterationis principia sunt, sequentur duo principia motionis ad locum. Quatuor vero fœminæ sunt, quæ passioni magis subiiciuntur, scilicet humor, siccitas, rarumque & densum. Hæc vero Ægyptiorum mysteriis contineri, Iamblichus asserit. Accedit quod duodenario mensium numero Sol dominus Planetarum, & cursum peragit proprium, & varios producit effectus. Denique, singulas vult ciuitatis partes Deo consecratas existimari, propriè verò diis duodecim, id est, duodecim sphæratum animabus. Item, diis duodecim Zodiaci signa regentibus, Rursus, duodecim ordinibus dæmonum cœlestia signa sequentium. Cùm vero dicit partes vrbis duodecim sequi circuitum vniuersi, fortè etiam intelligit totum octauæ sphæræ circuitum triginta & sex millibus annorum perficiendum. Qui sanè numerus tribus annorum mille duodenariis perfectè completur. Adeo vt in primo mille annorum duodenario intelligas ex antiquorum sententia iuuenilem mundi totius habitum: in secundo virilem: in tertio verò senilem. Verum de his opportunius in Timæo. Conuenit his, quod in Phædro inquit deorum dæmonumque exercitum sub duce Ioue in duodecim ordines esse dispositum. Concludit hic ciuitatis partes, partim quidem per duodenarium tribuum templorumque numerum, partim verò per diuinum cultum bis quolibet duodecim mensium solenniter instauratum, sic ad Dei munera præparari, vt diis ipsis quasi insidentibus gubernentur. Bis autem instaurari præcipua vult publica solennia, quo duodenario tribuum, & ciuitatis reliquæ agrique duodenario satisfiat. Quod autem sacra iubet fieri diis deorumue filiis, deos quidem intelligi vult sphærarum animas: filios autem, dæmones puriores. Cuncta verò hæc Iouis vnius omnium principis gratia iubet fieri. Neque verò silentio prætereundum est: duodenarios quos pertinentes ad vniuersum commemorauimus, à duodenario cuiusque hominis proprio quasi repræsentari. qui sanè ex quatuor corporis humoribus, totidem sensus ipsius perturbationibus, ac totidem virtutibus constare videtur Post sacra deorum ad nuptiarum sacra descendit. Vbi leges ritusque nuptiales: exhortationem ad matrimonium: officia viri & vxoris tum inter se, tum erga liberos & generandos & educandos considerabis.

Notabis ante omnia: non decere in ebrietate vel alia mentis perturbatione procreandis liberis operam dare. Atque ob huiusmodi delictum filios quotidie nasci tam animo quàm corpore ægrotantes. Mandabis quoque memoriæ mysterium vbi ait. Principium & numen hominibus insitum, si conuenienti sibi honore à singulis munere ipsius vtentibus afficiatur, omnia seruat. Quid ergo principium, quid numen insitum aut insidens? Principium quidem idea est formationis humanæ principium. Numen verò familiaris dæmon, dæmon quoque generationis princeps sæpè sub nomine Lucinæ significatus. At cur insitum, aut insidens, aut incubans? vt intelligas numen non adesse solum: sed inesse assiduè atque fauere. Præcipuè verò fauere, & fauendo seruare, si grate colatur ab his qui munere eius vtuntur. Post mutua viri vxorisque officia, consequenter ad mutua dominorum seruorumq; descendit officia.

Post hæc solita quadam arte redit ad mœnia, templa, palatia, quæ ante nuptias tractanda fuisse dicit. Vbi notabis inprimis curias Iudicum, Magistratuumque Palatia, idcirco templis proxima collocari, quo humani iudices semper iudicando meminerint se à Deo, dum iudicant homines, iudicari, meminerint quoque custodes vrbis nisi custodiente Deo custodire non posse. Item nihil in ciuitate vel minimum sine certo quodam ordine esse debere. Siquidem quod caret ordine, alia insuper ordinata confundit. Maximè vero ordine & continua cura muliebria indigere. Alioquin si mulierum res negligantur, duplo plus, imò & supra duplum detrimenti prouenit ciuitati, quàm si virorum neglectæ res fuerint. Inter hæc vbi mundi antiquitas repetitur: quod dicitur ipsum generationis principium nos inæstimabili temporis magnitudine præcessisse, intellige si obseruas Moysem, inæstimabili dierum horarumque numero. Conclude librum ea sententia, vt triplicem impetum, scilicet ad cibum, potum, coitum, nequando præcipitemur, triplici cohibeamus freno, timore scilicet atque lege, veraque ratione, præterea moderato honestorum ludorum à pueritia vsu. Quo per honesta solatia reuocemur à turpibus, & ad seria paulatim studia prouocemur.

In Dialogum septimum de Legibus, Epitome.

Egreditur Plato in septimo rursum incomparabili diligentia ad prima ætatis teneræ rudimenta, imò verò progreditur. Nunquam enim, vt ita dixerim, ab hoc ipso digreditur, indicans totum Reipublicæ bonum aut malum, in bonis aut malis moribus priuatorum, atque hos præterea omnes in bona vel mala ætatis primæ educatione consistere. Præcipuè verò id efficit in primis libris, atque iterum septimo, vtrobique pictor diligentissimus. Sed ibi quidem adumbrando: hic verò, vt Pictorum more dixerim, colorando. Rursus, ibi eiusmodi diligentiam Procemium legum vult haberi: hic verò figuram iure substantiam legum antecedentem. Leges enim scriptas fore irritas inquit, nisi eiusmodi præcesserit diligentia. Ibi præterea simul & hic post puerilem ad iuuenilem deinceps atque virilem progreditur disciplinam. Neque ab re post nonnullas sacrorum leges in superioribus ad nuptiales è vestigio processit leges quasi sacras, & diuini animalis ortum auspicaretur à sacris. Mox verò post connubia ad formandos pueros se accingit, nec natos tantùm, sed & nascentes, imò etiam nascituros, non minus in hac ipsa seminis humani cultura, sagax, prouidus & accuratus, quàm in frugum seminibus agricultor. Quorsum verò spectare censes, quod ait in re muliebri multo plus discriminis esse, quàm virili? Item, mulieres abstinere à vino oportere qua nocte generandi sint filij, imò etiam & proximo præcedenti tempore, & toto conceptionis anno ab omnibus animum perturbantibus? Hæc proculdubio eò spectant, vt nihil exactissimæ curæ ad humanam culturam spectantis prætermittatur. Animaduertes autem ex his Platonem existimauisse, non virum tantùm, sed etiam mulierem in filiis generandis vicem agentis causæ obtinere. A quo quamuis quodammodo dissenserit Aristoteles, consenserunt tamen plurimi apud Medicos probatissimi. Profectò, si suum quisque opus diligit, propterea que pater filium diligit magis, quàm diligatur à filio, materque ardentius, quàm pater amat natum, coniectare licet causam esse vnà cum viro huius operis effectricem. Quod quidem hinc etiam confirmari potest, quod filij non minus, ac sæpè etiam magis matribus similes sunt, quàm patribus. Similitudo verò tam propria, tamque frequens, indicat fœtuum substantiam non à patris tantùm, sed matris etiam effectione suscipere. Omnis enim causæ conatus fertur ad simile producendum. Denique cum speciei eiusdem sit mas & fœmina, vires habent rationis eiusdem. Vtrinque igitur efficaces ad formam eiusdem rationis, & si non pari, simili saltem ratione perficiendam. Sed hæc ad leges minime pertinent. Tangit insuper quæstionem de atrabile non paruam, cuius vitio infantes formidolosi sunt, difficilesque & queruli. De hoc ipso humore eiusque cura, in libro de curanda literatorum valetudine, diximus diligentius. quantum verò ad præsens pertinet institutum, humorem in pueris melancholicum non ex constitutione esse scito, quæ quidem sanguinea est maximeque aërea: sed ex reliquiis quibusdam materni menstruique sanguinis in puero putrefactis, & adustione quadam in atram bilem deinde conuersis. Accedit ad puériles formidines in causa, rerum nouitas, quæ quidem facit vt & auditæ voces quasi tonitrus, & visæ formæ quasi laruæ & fulgura terreant.

Ratio interea, quoniam nondum expergefacta, imagines à rebus ipsis nequaquam discernit: animam relinquit imaginationi pro arbitrio concitandam. Ex hac ipsa formidine perpetuo dolent, queruntur que infantes. Præsertim cum facillimè & à tractantibus offendantur, & lædantur ab aëre, & ab agnitione naturæ plurimum in exordio laborantis agitentur ipsi atque vexentur. Quamobrem motu quodam fermè perpetuo atque numeroso in curandis infantibus adolescentibusque vti iubet. Primo quidem, quia motu geniti seruantur & motu. Secundò, quia eiusmodi motione vitæ moderata immoderatæ agitationi tum intrinsecus à natura, tum extrinsecus ab aëre factæ resistimus. Tertiò, quoniam motus calorem excitat naturalem, corpusque totum æquè viuificat. Quartò, nutrimentum concoquit digeritque per membra. Quintò, superuacua excrementa secernit. Sextò, obstrusa aperit: & adæquat humores. Septimò, conducit ad augmentum. Octauò, membra apta simul reddit & solida. Non solum verò moderatione quadam æqualitatis, verumetiam numeri cuiusdam proportione, motum nobis oportet congruere. De Musicæ quidem potentia, multa in multis Epistolis afferuimus. Nunc vero satis sit intelligere, si per ipsam sæpè in contraria, scilicet tum ad voluptatem, tum ad dolorem distrahitur animus, nimirum posse ab vtroque ad habitum quendam vtriusque medium sæpè reduci.

Ac si à motu corporis in quietem, & vicissim à quiete in motum reuocatur animus atque prouocatur, certè posse quibusdam Musicæ modulis à motu ordinis experte ad ordinatum, atque hinc ad stabilem habitum quandoque reduci. Quem quidem habitum & hic & in Epistola ad Dionysium secunda, inquit, & Dei proprium esse,& humanæ vitæ tutissimum. Vtrum vero voluptas ac dolor in motione quadam consistant, & quo pacto definiantur, in libro De voluptate, & in Philebi Commentariis latius disputamus. Satis in præsentia factum fuerit, si concludamus hunc in modum. Voluptates gustus & tactus in restitutione quadam in habitum corporis naturalem nasci videntur. Dolores verò contrà, in casu quodam ex habitu naturali. Siue vtrumque euacuatione fiat, siue replerione, siue motu, seu quiete vel alteratione aliqua qualitatum. Præterea voluptates odoratus, & auditus, & visus, in reditu quodam ad ordinem sensualem, à quo multis contingentibus quotidie deturbamur. Deinde voluptas imaginandi in regressione similiter ad ordinem imaginalem, à quo deiicit perturbatio. Ordo verò tam imaginalis quàm sensualis in quodam spirituum temperamento fundatur, cui quoties contemperata similiter admouentur, fit voluptas in mutua quadam sensus imaginationisque cum rebus quæ influunt congruitate resultans. Post hæc rationis lætitia in reformatione quadam nascitur: per quam ratio quæ perturbatione corporea facta informis fuerat, vel deformis, formatur pro natura sua, atque reformatur. Denique mentis gaudium reformatione perficitur: per quam intellectuali quodam intuitu reformatur aliquando in ideam,à qua ceciderat ob negotiosæ vitæ tumultum. Si inductionem hanc rectè consideraueris videbis, humanam voluptatem summatim fieri in reditu quodam in habitum naturalem: neque tam reditus ipsius quàm habitus gratia fieri & optari.

Igitur, eiusmodi habitus si fieri possit, perpetuo firmus maximè omnium est optandus. At cur cogitanti cuilibet occurrere videtur optabilior oblectatio in motu perpetuo quàm status ille perpetuus? Quoniam fallit nos imaginatio & opinio animæ mobili coniunctæ corpori, perque coniunctionē eiusmodi voluptatē mobilem appetentis. Quā meito neglectura sit præ naturalis habitus firmitate, quando posita fuerit supra motum. Si enim reuera gustaremus saporem ipsius habitus naturalis, extra quem in terris positi sumus, sicut motionis ad ipsum vergentis saporem gustamus: proculdubio longo interuallo habitum regressioni præponeremus. Profectò quemadmodum omnes bonorum gradus, meliori modo se habent in ipsa stabili ratione boni, quàm in materia mobili: sic expetendorum omnium rationes in ratione habituque eiusmodi potius quàm in materia mobili collocantur. Per hæc probatum sit proprium Dei diuinorumque gaudium in statu quodam consistere incomparabiliter motibus cunctis iucundiore. quem quidem prudentes & ipsi debent eligere, & cæteris, præsertim iunioribus, adhibere. Prærerea cunctis persuadere, voluptatem quæ fit ex motu, non solum breuem esse ac leuem molestiæque permixtam, sed etiam in multos & diuturnos ingentesque dolores continuo prolabi. Distinguit autem numerosum motum per quem inconcinnos motus ætatis teneræ moderamur, in duo genera, in Musicam scilicet & gymnasticam.

Prima enim spiritum atque animum, secunda verò humores membraque componimus. Sub nomine quidem Musicæ non modo cantus & sonos, sed poësim etiam & quę ad figuratum ordinem pertinent, comprehendit. Sub nomine verò gymnasticæ, motus omnes corporis in præludiis ludisque certaminum atque præliis. Ar choream saltationemque ex vtrisque quodammodo mixtam intellige. Tum his omnibus quasi præludiis infantes, pueros, adolescentes, tam fœminas pariter quàm mares ad officia & belli & pacis diligenter erudit, eiusmodi vero rudimenta patrias appellat leges, ac Reipublicæ vincula. quibus subductis quasi columnis recta Reipublicæ corruant. Iubet singula in his haud aliter fieri quàm publicis regulis statuantur: iudicans à delictis eiusmodi, delicta omnia tandem in Republica prouenire, atque ex mutabilitate ludorum iocorumque & ornamentorum, mutationum quoque legum & Reipublicæ proficisci. Notabis mutationem præterquam in malis, esse rerum omnium periculosissimam, adeo vt etiamsi muteris in melius, saltem ad tempus sis periculum subiturus. Inter hæc sacrificandum in ludis ait diis & deorum filiis, atque dæmonibus. Dæmonibus inquam puris, vt deorum filiis nos concilient. Deorum vero filiis, vt deos nobis propitios reddant. Diis denique, quo summi Dei muneribus nos reddant paratiores. Sic vtique prisca consueuit religio, quemadmodum de sphæra in sphæram gradatim corpore per transitur & visu, sic de propinquis numinibus ad remotiora deinceps suo quodam ordine pro-

gredi in omnibus, id præcipuè venerans, quod splendorem summi præcipuè refert.

Neque verò ego nunc, vel de ciuili, imò plebea, vel de poëtica, imò verò insana superstitione loquor, sed de philosophico diuinorum cultu à priscis sapientibus, prout cognitus vniuersi ordo dictauerat, instituto. Quem solum vbique commendat Plato, reliquos duos reuera deridens. Et vbi duos tantum commemorat, id est, deos deorumque filios, dæmones & heroes intelligit filios. Vbi verò connumerat deos, & deorum filios & dæmones, intelligit deos numina super sphæras. Filios numina in sphæris, dæmones numina infra sphæras. Post hæc vbi legitimorum ludorum disciplinam commendat, ludos inquit studiorum gratia potius, quàm contrà esse constituendos. Addit, res humanas si comparentur ad diuinas, nullo studio dignas esse: id est, nulla extimatione, nulloque amore, nec tanquam serias, sed tanquam nugas esse censendas. Sin autem ad naturales, magnifaciendas esse consentit. Tum optimum ait homini contigisse, vt ingenium fortitus sit aptum ludis, & deditum: scilicet tum ad laboriosæ vitæ solamen, tum ad disciplinam paulatim per ludos congruos comparandam. quod verò anima per varias viuendi formas circuitum quasi chorea ludens efficiat, id vniuerso optimum esse putant. Rursus vniuersæ quoque naturæ animæ, videlicet vt quæcunque in eius potentia latent, vicissitudine quadam educantur in lucem. At cur non dicit cætera quoque animalia ludos esse duorum? quoniam nec adeo diis familiaria sunt, vt cum his illi ludant. Nec comparantur ad deos, vtpote quæ seipsa Deo non comparant, neque diuina aliquando metiuntur, vnde cogantur de illis sicuti nos mentiri. Et profectò si Dei ridere sit, humanum rideat ludum conantem immensa metiri. Considerabis hic Platonis verba eiusmodi, scilicet: ea quæ ab aurora ad hanc horam non sine quadam deorum inspiratione narrauimus, poësi quodammodo similia mihi videntur. In his significat omnia eius scripta in eum vsque diem, id est, senium, esse quodammodo diuinitus inspirata, atque poëtica figura disposita, vt sint allegoricè plurimum exponenda. Idem quoque innuit statim post exordium Phædri, vt sciamus, & quæ in adolescentia, & quæ in vltimo composuit senio, poësim maximè redolere. Ob id in Epistolis ait, mentem suam vel à nullo vel à quàm paucissimis, & vix tandem & quadam vaticinij sagacitate posse comprehendi. Præterea contemplare hic quàm diligenter Plato effrenem cohibeat pueritiam, quantum somnolentiam quidem detestetur, commendet verò vigiliam, quàm opportunè sua cuiusque ætatis disponat officia, iubens inter ludendum primo quidem tradi literas. Deinde Musicam. Tertiò gymnasticam. Quartò arithmeticam. Quintò geometriam. Sextò astronomiam. In septimò verò loco dialecticam, id est, Metaphysicam, collocat in fine legum atque Reipublicæ. Quoniam verò dicit Deum cum diuina quadam necessitate pugnare nunquam, cum humana verò pugnare: distingue necessitatem alteram quidem esse in ipso naturali rerum ordine ita vt est diuinitus instituto, vt res tales sint & tot & tantæ, sic moueantur, hæ præcedant, hæ comitentur, illæ sequantur, aliæ simul sint, aliæ verò seorsum, atque vt sunt ita quoque sint iudicandæ. Alteram verò necessitatem in casu quodam ab ordine naturali, vbi vel deforme, vel monstruosum, vel dissidens dissolutumque videtur. Cum prima necessitate non pugnat Deus, Eius enim præcipua voluntate necessitas eiusmodi constat. Sed nunquid pugnat cum altera? Certè nusquam pugnat Deus, quid enim repugnet omnipotenti? Veruntamen ob id quasi pugnare fingitur, quòd hæc à diuina similitudine prolapsa longius in dissimillimam Deo cadit deformitatem, quasi iam rebellantem, sed à Deo interim quasi repugnante atque expugnante miris modis in ordinem quandoque redactam. Animaduerte post hæc non parui momenti dictum. Non est pessimum rerum omniũ imperitia. Imò verò pessimum est multarum rerum peritia acquisita malè. Ac si præcedentem quoque sententiam animaduerteris, quæ hominem cognominat & Deum & dæmonem atque heroëm, cognosces qua ratione exponi possit Plato, vbi animam inquit, humanam in varias species pertransire, sed hoc in Theologia latius. Proinde vbi ad doctrinas Mathematicas iuuenes adhortatur, repræhendit Grecos, quod in geometria & astronomia omnes errauerint. In geometria quidem, quod dimensionem quamlibet cum qualibet commensurabilem esse putauerint.

Quod quidem non posse fieri primum apud Barbaros est inuentum. In astronomia quoque quod errare Planetas dixerint, cum tamen in diuinis nullus sit error. Item motum velocissimorum, tardissimum nominauerint, tardissimorumque velocissimum. Mentiri verò contra deorum dignitatem per ignorantiam natam ex negligentia, iudicat non stultum solummodo, sed

prophanum. Sed damnat plurimum Græcorum errorem contra diuinę prouidentiæ voluntatem, dicentium non esse inuestigandum ipsum authorem mundi Deum, mundique ipsius originem, nec eorum quæ in mundo sunt causam, quasi inuestigatio hæc non pertineat ad pietatem, cum tamen maximè omnium pia sit, vtpote præcipuè cum diuina voluntate consentiens, quæ, & vniuersum eo disposuit ordine, qui ad inuestigationem eiusmodi semper alliceret, & mentem ipsam inuestigationis huius auidissimam procreauit, Platonem vero ipsum existimare verissimam pietatem præcipuè in vnius Dei cultu sitam esse, probauimus aliàs, & per superiora eius verba iu præsentia confirmamus. Nam, & si in plurali numero sæpè ait Deos colendos esse, concludit tandem numero singulari, & singulari cultu Deum ipsum esse omni beato studio dignum. Præterea in antecedentibus iudices creaturus congregauit magistratus omnes in templo & in ipso anni principio, Principium verò ab æstiuo fecit solstitio. Neque te turbet, quod in calendis proximè solstitium sequentibus. Id enim certioris apud populum principij gratia dictum puta, verum autem initium apud eum in ipso propriè solstitio fieri. Quod quidem allegoricè sic exponatur, vt quando solis lumen, id est, Dei lumen rectius vberiusque à nobis accipitur, tunc reuera sit principium viuendi, & cogitandi atque iudicandi, & huius vnius gratia cuncti simul in vno templo, id est, vna religione colant quicquid colant. Lumen verò solis in libris de Republica inquit, vnius omnium patris imaginem esse, & quasi simulachrum eius in mundano hoc templo à patre omnium collocatum. Quid plura? Vnum Deum in primis adorandum, cuius gratia cætera numina sint colenda, alibi sæpè docet, atque in Epistola ad Dionysium, rursusque ad Hermiam, & in Parmenide qui totus agit de vno, & in Timæo qui omnia producit ab vno, & in Philebo qui omnia metitur vno, & in Epinomide qui omnia reducit ad vnum, manifestè demonstrat.

In Dialogum octauum de Legibus, Epitome.

QVæ modo de proprio singularique vnius Dei cultu ex multis Platonis nostri testimoniis asseruimus, possumus præterea per Phædrum, Gorgiam, Protagoram, Politicum, Critiam quartum legum absque controuersia confirmare. In his enim vniuersam deorum, vt ita dixerim, synagogam, vnico subdit regi, prout vult singulis imperanti, aliaque aliis officia iustè dispertienti: & humana per illos ordine dispensanti: non quasi absente hinc illo, sed vt apparet in quarto legum, potius ita volente. Iubet itaque Plato primum quidem Deum propter se adorari. Sequentes verò qui participes eius dij quoque dicuntur, amari tanquam illi similiores. Honorari etiam vt vicarios, imò, & aduocari quasi conciliatores, audiri etiam vt diuinæ mentis Interpretes. Exaudiri denique ceu maiestatis diuinæ præcones. Iubet, & templa condi in vrbe: & vrbem ipsam quasi ædem sacram in partes distribuit duodecim.

Quemadmodum, & Deus templum sibi ipse construxit, mundum duodecim sphærarum choris ornatum: sacerdotibus quoque munitum, id est, spiritibus præditis ratione, Deum vbique laudantibus. Diuinum verò id templum Plato pro viribus imitans, & multos in suis tēplis admittit deos, quemadmodum Deus ipse multos admitit in suo: & varia disponit simulachra: sicut, & Deus stellas locauit in cœlo: quasi suorum status Angelorum. Præterea inter multas multorum aras altare primum consecrat primo, quemadmodum stellas inter peculiarem sibi statuam Deus eligit solem, vt in Republica Plato inquit De quo fortè dictum videri possit: In sole posuit tabernaculum suum. De sacrificiis autem statuisque diligentius alibi pertractabitur: verum vt in præsentia summatim dicam primum Deum vtpote materiæ aut similis naturæ nihil habentem, vnica vult mente coli. Sequentibus verò numinibus hostias, & sacrificia qua ratione lex patria iubet, adhiberi permittit. Hinc Theologi Gentium in numinum cœlestium igneorumque sacris, figuras, & lumina multaque ad visum spectantia inserebant. In sacris autem aëreorum, Musicos quoque concentus, & odores vaporesque addebant. At in sacrificiis aqueorum atque terrestrium, iis insuper quæ ad gustum, & soliditatem attinent, vtebantur. Quamobrem nemini mirum videri debet, Platonem Philosophum adeo grauem leges suas, omnes quidem, præcipuè vero sacras, non nisi consultis Oraculis promulgare. Principio videbatur temporibus indulgendum: Necessarium quidem erat humana diuino quodam consilio, & authoritate firmare. Impossibile vero ea tempestate eos homines ita natos, & ita educatos, ratione vlla à consuetis alienissima in diuina reuerentia conseruare.

Deinde Plato prudentissimus iudicabat,

& si possent impuri spiritus homines per Oracula fallere, sæpè tamen abstractas ob diuinam reuerentiam à corpore mentes, quasi iam puras à puris subito numinibus corripi: & quemadmodum ligna quæ casu exsiccauit ventus, sæpè mox natura ignis accendit, similiter posse animos ex religioso quodam ritu, quamuis apud sapientes minus probato, perfunctos occultis modis meliori numine corripiunt qui nescientes quomodo in mentem ipsam seorsum à sensibus ascenderunt, ex alto iam feliciter accendantur. Neque tam attendendum Plato vult, quo ritu colas diuina, quam cuius gratia colas. Si enim id summi omnium regis gratia æternorumque bonorum desiderio feceris, probabile est vndecunque & quomodocunque cœperis, te quandoque per eiusmodi venerationem ad summum propius accedentem, vel immenso illius lumine circunfundi, vel exuberanti saltem bonitate seruari. qua propter eiusmodi Plato fiducia fretus, de sanciendis legibus sacrificiisque oracula consulit, præcipitque quotidie aliquem ex magistratibus sacra publicè facere: pro salute patriæ primum, deinde pro sua atque suorum. Et certo quodam ordine post iuuenilis ætatis rudimenta in septimo tradita, mox in octauo ad sacra descendit: vtpote qui intelligi vult homines ob idipsum rectè à primis annis institui, vt ritè interesse sacris, & velint pariter atque possint. Siquis autem vel cauillator, vel meticulosus tot diis dæmonibusque in ciuitate Platonica interesse formidat: huic pariter adire licet vrbem Peripateticam, non dæmonum deorumque tantum, sed Dei etiam vacuam.

Sed profectò, operæprecium est superstitioso supercilio, stomachoque posito ex omnibus eligere potiora, pietatemque probare Platonicam, neque exigere Christianum fuisse illum, quem solum temporis interuallum prohibuit esse Christianum. Prima quidem sacra sunt duodecim, in mensium calendis. Secunda quoque duodecim, in mediis mensibus. Tertia sunt tercentum, & sexagintaquinque, scilicet quotidiana. Fiunt autem præcipua diis cœlestibus, terrestribus vero media, scilicet diis sublunaregentibus. Omnes enim sub cœlo terrestres appellat. Inferiora dæmonibus. Infima heroibus. Oportere verò putat sacra his omnibus duodecim distingui generibus. Siquidem secundum sphærarum signorumque duodenarium, etiam in qualibet sphæra dæmones heroësque duodenario distinguantur. Commemorationem vero solennitatum, earumque distinctionem quotannis declarari populo iubet mense vltimo: quem more communi accipimus Februarium. Præcipuè vero Platonico more mensem ante æstiuum solstitium.

Vltimum mensem merito Plutoni dicat. Est enim Pluto prouidentia propriè & separans animas & iudicans separatas. Inquit autem coniunctionem cum corpore animæ non esse meliorem separatione. Intellige de corpore caduco, & quatenus caducum est: non de cœlesti, vel cœlo simili: quasi corpori coniungi præstat, huic autem quatenus caducum est, non præstat. Ac si operæprecium esse dicatur huic quoque coniungi: non propter hoc ipsum propriè, sed alterius finis gratia id dicendum. De his autem in Theologia diffusius. Sed nunquid dæmonibus etiam impurioribus Platonici litant? Nonnullis his insuper, partim quia naturalibus præsint officiis, partim vero ne inuidia noceant. Plato vero id nequaquam concesserit. Quippè cum purgandæ mentis gratia primique Dei veneratione duntaxat sacra iubeat facere. Affirmat autem ciuitatem legibus consilio diuino vtentem fore felicem. Addit ad felicem tum ciuitatis vitam id maximè pertinere, vt nec aliis iniuriam inferat, neque afficiatur iniuria. Vtrumque vero virtute consequi posse. Ac ne ciuitas afficiatur iniuriis, statuit sacrificia, in quibus, & diuinum auxilium impetretur, & ludi quidam solennes festiuique frequententur, bellicas pugnas quàm maximè imitantes. Quibus exerceri vult ad pugnam tam fœminas quàm mares: & in singulis quidem tam sinistram manum quàm dextram: vt & ciuitas ex vtroque sexu æquè vtili integra sit: & quilibet ex vtraque manu pariter vtili, sit integerrimus. Inter hæc notabis quàm detestatur auaritiam, ob id maximè ciuitati noxiam, quòd propriis vilibusque lucris occupatos animos à publicæ salutis cura detorqueat. Notabis iterum quanta cautione Musicam, Choreas, Poësimque in sacris bellicisque ludis admittat. Deinde, solùm illud imperium legitimum esse pariter atque tutum, in quo volens, volentibus imperat. At quoniam in iuuenilium ludorum cœtibus sæpè amores incidunt, & ij quidem turpissimi, idcirco his diligentissimè præcipit occurrendum, quamnis ex parte iam occurrerit, vbi aurum, & argentum ciuibus sustulit, & in laboribus assiduis educauit, & oculis iudicum mores vbique circumspicientium subiecit assiduè omnes, maximè iuuentutem. Quæ quidem tria esse remedia censet aduersus las-

ciuiæ & petulantiæ morbum admodum salutaria. Occurrit, & quarto quodam præsenti remedio, vt videlicet ab auditoribus legum magistratibus fama quotidie diuulgetur, per quam cuncti communi consensu consuescant existimare, concubitus contra naturam, non minus turpes esse, nec minori apud Deum odio haberi quàm concubitum inter filios & parentes. Putat verò Plato communis famæ consensum miram ad mores habere potentiam. In his audies feliciter eum viuere, qui superat voluptatem : infeliciter qui superatur. Audies, & præceptum ad abstinentiam maximè salutare, à Paulo Apostolo summopere comprobatum : vt si athletæ corporeæ victoriæ studio voluptatibus abstinent, multo magis omnes gratia victoriæ ad animum pertinentis debeant similiter abstinere.

Præterea geminam esse beneuolentiam: alteram quidem morum similitudine: alteram verò ex quadam indigentia procreatam. Et vtramque cum sit vehementior, amorem cognominari. Amorem quoque quantum ad propositum spectat triplicem. Aut enim pulchritudinem animi aut corporis tantum, aut vtriusque simul amari. In his considera quàm cautè in legibus ferendis incedat, vt qui nonnunquam in Dialogis honesto formæ corporeæ amatori nonnihil indulserit, hic tamen nihil indulgeat. Nempè corporis solius amorem euidenter exterminat. Vtriusque verò coniuncti quamuis moderatum, in legibus non audet admittere. Solum denique erga animum solum manifestè approbare videtur. Tum verò homines deprauatæ naturæ sui dominos esse negat, neque iniuria. Quisquis enim à ratione discedens, rationalem hominis amittit naturam, nimirum, & libertatem quæ rationis munus est, simul amittit culpam, dum quasi delinquit impulsus: quippè cum ipsemet causam necessitati eiusmodi dederit. Homines autem his contrarios, id est, integræ naturæ appellat eos : qui Deum colunt, & inter humana maximè omnium timent infamiam : nec corporis vllius scilicet, vel sui vel alieni, sed animi morumque pulchritudinem diligunt. Quod autem in superioribus dixit officium esse Dei, eiusmodi delictis obsistere, si ab eo hęc ordinari possent, sic accipe, vt Dei naturarum ordinatoris proprium sit, quæ ab ordine naturæ collapsa sunt, in ordinem restituere : præsertim cum multorum opinio sit animam in eiusmodi scelera non tam sensibus quàm dæmonibus quibusdam instigantibus, vel ab initio corruisse. Vbi verò ait, si ordinari à Deo possent, non de diuina potentia, sed humana diffidit : potest quidem Deus quantum in ipso est ordinare, sed non tam facile ordinari homo potest. Posset, & Deus cogere, si modo vellet necessario trahere, quem vult modo quodam libero ducere. Mox etiam de conuiuiis quæ inter solennia sacra ludosque celebrantur, mentionem facit. Item ex conuiuiis de victu legibusque ad hunc pertinentibus. Opportune verò post educationem animi, legesque ad hanc attinentes ad corporis nutrimentum legesque eiusmodi iam descendit. Tum de agris, terminis, aquis, fructibus, pecoribus atque pascuis, similibusque leges tradit. Vbi verò de terminis loquens, præuaricatorem terminorum puniri dicit ab Ioue contribuli atque hospitali, Iouem vnum intellige contribulis pariter, & hospitis curatorem. Et quoniam statutos lege terminos præterire, & alienum sibi dominium vsurpare, superbiæ proprium est: idcirco dicit Iouem ad hanc iniuriam vlciscendam excitari, atque insurgere cum præliis inimicissimis : quasi dicat Deum contra superbos non tam vt iudicem, quàm vt hostem vltorem insurgere. Post vero multas constitutiones inquit, ad seniorem Philosophum non pertinere, minimas quasque leges accurate describere: præsertim quæ ad lites rerumque controuersias pertinent. Sed de rebus quidem externis paucas quasdam communesque leges adducere, quas in minima quæque iuris deriuent Interpretes : de moribus autem & animi disciplina ad vnguem diligentissime pertractare. Ac dum de variis opificibus verba facit, tria de his pręcepta tradit admodum memoranda. Primum quidem, nullum ciuem, id est, publicis aliquando muneribus perfuncturum, vllo debere opificio occupari, neque etiam eius seruum.

Quippe cùm Mars Reipublicæ gubernandæ longa exercitatione multisque doctrinis indigens integrum sibi hominem vendicet. Secundum verò neminem artes duas vel studia exercere vel debere, vel posse. Tertium denique artificem non decere alterius artis opifici præsidere. Vetat prudenter, & exportare ciuibus necessaria, & importare superflua, & in primis, cauponari, præsertim quæstus gratia. Tum vrbis partes, vicosque ac templa, & foros duodecim digerit: forsique tam sobrias quàm diligentes leges imponit.

In Dialogum nonum de Legibus. Epit ome.

NOnus Dialogus post communem morum disciplinam, & legum multarum traditionem aggreditur iam iudicia. Et valdè quidem opportune. Nam, & qui moribus eruditi legibusque instructi sunt, iudicare iam possunt: & qui eruditioni instructionique præcedenti non paruerunt, iam sunt iudicandi. Prudenter omnino noster hic animorum Medicus seruare hactenus salutaribus studuit monitis integram animi sanitatem: iam verò perditam cunctis machinis reparare molitur. Verum quæ charitas Platonica est, misericors, dolens, compulsus ad secandum quasi trahitur & vrendum: & id quidem tam benigna cautione, vt grauiter ægrotantes verbis blandissimis consoletur: contendatque verbis quasi magicis carminibus sanos efficere antequam Medicam adhibeat manum, quam etiam deinde sic admouet, vt languens, & vix persentiat, & plus admodum spei concipiat quàm doloris, & ex dolore non perniciem reporter, sed salutem. Insignis clementia vir neminem absque consolatione punit: neminem punitum perdit: omnes pro viribus seruat: & quos nece punit, profitetur à morbis animi liberare: ac minimo mortis malo, interim ingenti, & in dies crescenti obsistere animi malo. Præstare verò asserit hinc abire, quā in morbo, vel animi, vel corporis incurabili viuere. Atqui neque hac vita priuat, nisi quem cognouerit insanabilem: neque supplicium vllum à lege, quæ bona est, illatum tendere vult ad malum. Quinimò pœnam ipsam multis de causis esse bonam: tum quia iusta est, iustitia verò bona: tum quia vel præsens purgat, vel futurum præpedit malum: tum quia in puniendo vno, interim exemplo prodest, & multis, ciuitatemque purgat malis. Et vt summatim dicam, iustitiam vbique mirum in modum cum clementia miscet, neque rigiditate torquet durius, neque mollitia quicquam relinquit inultum. Quemadmodum verò in superioribus prius diuina præcipit officia quàm humana: sic in præsentia prius in sacrilegia quàm in cætera delicta prudenter animaduertit. Ac dum quàm graue sit læsæ maiestatis diuinæ crimen ostendit, afflante Deo significat nihil tale hominibus, quoniam quamdiu diuina quædam in eis gratia viguit, fuisse aliquando perpetratum.

Sed postquam propter alia delicta gratia illa est amissa, homines iam quasi alienos à Deo, in Deum ipsum peccare per sacrilegia incœpisse, vt sacrilegum ipsum non modo peccatum sit, sed etiam pœna peccati: pœna, inquam, non purgans aliquem, sed interimens. Non enim lege, sed transgressione legis pœna talis infertur. Quod autem dicit, priscos legumlatores fuisse Dei filios, legesque heroibus, qui etiam ex diis erant geniti, tradidisse: exponendum est per ea quæ in Critia & Politico, & sæpè alibi pertractantur, deorum filios hic intelligi deos sub Luna, alios aliis terræ plagis gubernandis accommodatos. Quos possumus more etiam Platonico, Angelos nominare. Per quos sub Mercurij nomine in Protagora leges genus hominum accepisse iura: hominesque illos hic nominat Heroës, ex diis ortos, id est deorum opera ex terra progenitos. Sed leges illas, inquit in Critia, non scriptas ad aures, sed inspiratione quadam à mentibus diuinis in mentes humanas fuisse transfusas, hominesque sub illis quamdiu paruerunt, vixisse beatos. Addit ob huiusmodi legum transgressionem homines diuinam gratiam amisisse: qua quidem amissa felicitatem quoque amiserint: & infelices in sacrilegia iam proruperint: & per sacrilegia pessimi tandem infelicissimique euaserint: in his, & terrestris illius Paradisi, & eiectionis ex eo mysterium, licet agnoscere. Considera verò vbi perquirit sacrilegij causas, tres assignari causas grauium delictorum. Primam quidem communem hominum fragilitatem consuetudine confirmatam. Secundam vero dæmonicam persuasionem, siue suggestionem. Tertiam denique culpam perniciosam ex antiquis inexpurgatisque peccatis inustam, ad grauissima scelera stimulantem. Quæ quidem originali culpæ, de qua multi multa Theologi disputant videtur esse simillima. Quamobrem vbi Plato diuinus sacrilegum alloquens inquit. Non humanum ad sacrilegium te impulit malum, neque diuinum: intellige humanum malum, humanam fragilitatem ad inferiora procliuem: Diuinum vero malum diabolicam, vt inquiunt, fraudem. Negat vero duo hæc, non quia non sint in causa sacrilegij, sed quia non sola sunt causæ. Accedit enim his tertia propriaque sacrilegij causa, quam subiungit dicens: Sed stimulus quidem exitialis à priscis inexpiatisque peccatis ingenitus. Per quem, videlicet, animus non humanus amplius, sed ferinus, nimirum sacrilegio peccat in Deum, nullam vlterius Dei rationem habens, quan-

do rationem humanam iam amisit diuinæ rationis imaginem.

Mox verò primæ ad sacrilegium instigationi Plato quasi nascenti morbo tribus occurrit remediis: quemadmodum morbus hic tribus ex causis oritur. Primo quidem, vt immanis impetus comprimatur ad sacras mittit expiationes, quas Christianorum more pœnitentiæ, confessionis, eleemosynæ, ieiunij nomine possumus nuncupare. Deinde vt diabolicis resistat insidiis, ad orationes supplicationesque mittit, per quas à superis liberatoribusque spiritibus contra inferos præsidium impetretur. Postremo quo imbecillitatem humanam continere possit, mandat vt malorum hominum familiaritatem deuitans, bonorum asciscat consuetudinem. Proinde, quoniam post Deum more Pythagorico coli patriam iusserat, merito post sacrilegia quæ in personas aut res Deo consecratas perpetrantur, pergit ad punienda scelera & delicta, quæ propriè contra patriam committuntur, quæ non solum sacrilegiis proxima iudicat, sed annumerat, plectitque similiter. Hæc verò tria esse iudicat.

Peccare enim in patriam, hostemque patriæ habendum esse, & qui post habitis legibus principatum ad humanam voluntatem libidinemque reducit, & qui cum possit, periclitanti patriæ non succurrit: & qui vel auaritia vel alia de causa pro filio euadit patriæ proditor. Inter hæc officium legiferi repetit. Id autem esse vult, vt non tanquam dominus seruis, sed tanquam pater filiis conscribat leges, non minus persuadens quam minitans, nec minus docens quàm imperans, nec minus alliciens quàm perterrens: vt Legislatoris opus non tam mandatorum præscriptio sit, quàm disciplina morum, finis enim eius est, quacunque id ratione fiat, ciues bonos beatosque efficere: punire verò malos, necessitas est in eo potius, quàm voluntas. Et quia solæ inter humanas Platonicæ leges hæc omnia complectuntur, humanarum omnium perfectissimæ sunt: ac penè inter diuinas potius, quàm humanas annumerandæ. Neque ab re primum disputationis huius exordium à Deo factum est, deinde additum à Platone videri sibi hæc omnia diuinitus inspirata. Deum ex hac ipsa disputatione ad beatum summi Iouis templum, id est, cœlum recto tramite peruenitur. At quoniam non solum in sacrilegiis parricidiisque, verumetiam in cæteris sceleribus pro aliis culparum gradibus, alij quoque pœnarum gradus, & à legumlatore describendi, & à iudice sunt censendi, commodissimam ad gradus eiusmodi discernendos distinctionem adducit in medium, habitus quidem omnis aut virtutis est, aut vitij. Si virtutis, omnino voluntarius est: quoniam cõsilio libero & expedita electione, & propriis animi actionibus est acquisitus. Sin verò vitij habitus est, inuoluntarius omninò censetur. Quia ita morbus est animi, sicut humorum intemperantia morbus est corporis. Nemo verò morbum dixerit voluntarium: quamuis nonnulla quæ præter opinionem inferunt morbum, possit quodammodo voluntaria dicere.

Præterea, eiusmodi habitus ex impedito consilio, distractaque electione, & passionibus potius quàm actionibus inolescit. Ex his conficitur Platonicum illud sæpissimè decantatum. Vitiorum habitus inuoluntarios esse, neminemque fieri sponte malum, quemadmodum & nemo fit sponte ægrotus & deformis & inops. Post hanc habituum distinctionem sequitur distinctio actionum. Quæ quidem aut ad virtutis, aut ad vitij habitum gignendum propriè vergunt. Si ad virtutis, ita voluntariæ sunt, vt dictus est habitus voluntarius. Sin verò ad vitij, partim quidem voluntariæ dicuntur, propterea quod & animo quodammodo consentiente fiunt, & poterant non fieri antequam fierent: partim verò inuoluntariæ, tum quia ad detrimentum, deformitatem, morbum clam deducunt, hæc autem vellet nemo: tum quia ex quadam finis exitusque ignoratione consurgunt. Quatenus verò per ignorantiam fiunt, eatenus præter ipsam rationis voluntatem fieri iudicantur. Distingue rursus hoc pacto.

Actiones humanæ quantum ad legum iudiciorumque materiam attinet, in quinque capita rediguntur. Aut enim, ex affectibus concupiscentiæ pullulant, aut ex impetu irascibilis naturæ prorumpunt: vel simplici quadam veniunt ignorantia, per quam quis res ipsas ignorat, quamuis se ignorare non nesciat: vel ignorantia duplici fiunt, per quam quis & res ipsas nescit, & ignorantiam suam simul ignorat, videlicet scire se putans: vel tandem ex rationali quadam opinione proueniunt: opinione inquam de iustis atque iniustis rationi legibusque credendi. Post distinctionem eiusmodi distinguit & iudicij regulas, per quas aliter animaduertatur in eos qui concupiscentia, aliter in eos qui ira peccant: atque in his discernatur, vtrum consulto, an inconsulto deliquerint. Præterea, vtrum vi palamque an potius clam atque fraude. Deinde nunquid per ignorantiam sit er-

ratum, siue per simplicem, siue per duplicem ignorantiam. Vbi verò de homicidiorum iudiciis agens priscum adducit mysterium de interfectis interfectores vlciscentibus attende ex Platonis sententia, perturbationes ad sensibilia pertinentes posse in anima seiuncta ab hoc corpore remanere. Siquidem ex eiusdem sententia remanet & prima quædam sentiendi natura substantialis origo, sensuum reliquorum, per quam anima & in hoc corpore in hæc instrumenta vires explicat sentiendi, & discedens ab hoc eas quodammodo replicat in seipsam, siue, vt magis Platonicè loquar, exercet in aëreo corpore. Quo inuoluta & hoc ingreditur, & ex hoc egreditur. De his Platonici ita distinguunt, vt anima in corpore hoc crassiore ad breue habitet: in aereo vero multa per sæcula: in cœlesti per omnia. Quorsum hæc? Ne mireris perturbationes in defuncti anima superesse si harum rerum sensus memoriaque supersunt. Probabile verò esse putabant antiqui Theologi animas hominum repente interfectorum, vtpote inexpiatas, perturbationibus agitari: quin & hostes exagitare, id videlicet non humana tantum indignatione efficiente, sed diuina etiam nemesi ac dæmone prouidente. Superesse vero ex antiquorum opinione in anima sensum perturbationemque vltricem, eamque aëreo vti corpore Platonicus noster Maro testis occurrit. Quid enim sibi vult: Et nunc magna mei sub terras ibit imago? Platonicè admodum imaginem rationalis animæ nominas primam ipsam sentiendi naturam. Sed cur magnam. qui & fons est sensuum reliquorum communisque sensus, & magno post hoc corpus vtitur corpore, scilicet aëreo: quod quidem & huic insinuatum quodammodo fit angustum: hoc exutum, explicatur in amplum, elementi id aërei exigente natura.

Præterea: Omnibus vmbra locis adero, dabis improbè pœnas: inter imaginem distinguit & vmbram, & imaginem quidem animæ esse vult sensum in aëreo corpore. Ipsum verò corpus aëreum, esse animæ vmbram. Sed terrestre corpus cæcum nominat carcerem. Quod autem in iudiciis de homicidio, præsertim de parricidio dicit, de regressione animæ humanæ in corpora rursus humana, in quibus sæpè det pœnas, pares omnino culpis in superiori vita conceptis, vetus magorum Ægyptiorumque sacerdotum sententia est. Nullum enim conuenientius humanorum delictorum esse purgatorium iudicabant, quàm in corporibus humanis eadem animas quandoque pati quæ fecerint. quà quidem ratione Plotinus Ægyptius in libris de prouidentia vtitur ad soluenda dubia aduersus prouidentiam iustitiamque diuinam quotidie insurgentia, Inquit enim, quæ à diuina prouidentia in præsenti vita non rependuntur, in altera & quidem humana pari prorsus ratione rependi. Rependi insuper in brutis, in quibus sæpè anima quondam hominis, fiat anima bruti. Sed in vltima hac sententia solus extitisse videtur.

Cæteris enim Platonicis displicet, animam hominis propriam, aliquando fieri bruti propriam. Consentiunt tamen vicissim in homines alios transmigrare, quod quidem & si Plato non habet certum, habet tamen valdè probabile. Quod verò migret in bestias, sæpè quidem recenset, sed dedita opera adeò præter solitam grauitatem ridiculè narrat, vt planè demonstret negandam quidem esse rem ipsam: allegoriam verò quærendam, scilicet vt transire in brutum duobus modis accipias. Primo quidem in effectum, imaginationem, habitumque bruto conuenientem. Deinde in habitationem consuetudinemque inter feras ad tempus supplicij gratia, consuetudinem namque affectionemque brutam, esse pœnam duntaxat antiqui putant: regressum verò in hominem, vbi paria & similia subeantur, non solum supplicium esse, sed purgatorium. Post hæc in mentionem de legis necessitate incidens opportunè, asserit necessariam humano generi esse legem. Nam absque legibus nihilo ab atrocissimis feris discrepaturum. Huiusq; causam afferens, nullius hominis ingenium ita natura institutum inquit, vt omnia quæ ad publicum bonum necessario cognoscenda sunt, cognoscat sufficienter: ac si fortè nouit, vt optimum id quod nouit agere, possit semper & velit. Quod si diuina quadam gratia mens quædam inter homines surgeret, quæ publicum omnino bonum cognosceret, ad idque generosè ac semper intenderet, nullis vel huic vel patriæ suæ eo tempore legibus opus fore. Mentem namque veram ac liberam omni lege præstantiorem esse, atque ipso iure cunctis dominaturam. At quoniam id nullius ingenio est tributum, concludit necessario sub legibus esse viuendum.

Ait quoque studium quidem proprij boni ciuitatem penitus dissipare: studium verò publici boni connectere. Item pestem in ea ciuitate dominari perniciosam, vbi iudicium à magistratibus, vel mutuum agitur, vel clamosum. Atque vbi familiarem dæmonem inquit multis sæpè malis obsistere, si dæmonis

si dæmonis horres nomen vel concedente Platone Angelum nominato. Ac mementote nostrum dæmonem geniumque, non solùm vt quidam putat, nostrum intellectum esse sed numen. Præcipit mox seniores paterna reuerentia adeo coli, vt etiam ab his verberatus succensere non debeas: sed patienter ferre. Sed natales quos hic commemorat deos, non ascendentia signa, signorumque dominos, planetas astronomico more debemus accipere: sed ideam generis humani principium, dæmonemque nostræ vitæ custodem. Denique monet timendam esse superorum indignationem, & inferorum punitionem. Monet mortem non esse supplicium vltimum, sed vltra hanc esse supplicia inferorum, eaque verissimè omnino narrari.

In Dialogum decimum de Legibus, Epitome.

Exordium decimi Epilogum supplet noni, admonens tractanda esse iudicia de vi in rem ipsam illata, post iudicia de vi in personam in nono disposita. Quoniam verò nulla vis durior & intolerabilior est, quàm quæ contemptu quodam infertur: nimirum contumelias & iniurias, vel in personam, vel in rem ex contemptu propriè natas, in propria capita seligendas esse discernit: & has quidem sub quinque capitulis. Aut enim in sacra publica, aut priuata sacra, aut contra parentum reuerentiam, vel contra præstantiam magistratus, vel contra ciuilem gentilemque alicuius ciuis dignitatem committuntur. Hæc ergo exactissimè iudicanda cæteris tam authoribus legum, quàm magistratibus iudicibusque committit. Distinguit post hæc à cæteris ea quæ in deorum contemptum fiunt, quasi omnium vltra quam dici possit grauissima: in quibus decimi huius omnis versatur intentio. Sed primò quidem quid intersit sacrilegium inter atque impietatem, innuit. Sacrilegium sanè rapinam nominat, siue res, siue persona consecrata surripiatur. Atque id quidem velut species quædam sub ipso impietatis genere continetur. Nam vltra sacrilegium sub impietate comprehenduntur, & cætera multa in deorum contemptum, siue cogitata, siue dicta, seu facta, & commissa, pariter & permissa, atque etiam prætermissa. Ac, ne quid nos lateat, ad impietatem etiam pertinet familiaritas & communio omnis, seu in cibis, seu verbis cum iis inita, qui ob nefaria scelera arcentur à sacris, qui & contaminati cæteros quoque vel ipsa propinquitate contaminant. Qua quidem de re in calce noni ita pertractat, vt vaticinari visus sit execrationes quotidie factas, à nostis prophanos à communione Ecclesiæ propellentibus. Proinde Medicus noster animos impietatis morbo languentes diligentissimè purgaturus, in primis causas huius morbi perquirit. Ac dum inquirit, Euangelicam tradit sententiam. quicunq; enim inquit, de Deo crediderit secundum leges, religiosus erit, neq; prophanum quicquam vel aget aliquando, vel loquetur. Quam rectè à fide hic dedit exordium? & à fide legibus adhibenda? Sed ne turbet quæso deorum numerus, quem non turbat numerus Angelorum. Nihil enim plus apud Platonem tot possunt dii, quàm apud nos tot Angeli, totque beati. Cæterum quidnam leges scilicet sacræ, & omnium antiquissimæ de diis, id est, de Deo angelisque Deo seruientibus aiunt? Profectò tria. Primum quidem, hos deos esse. Secundum, omnibus prouidere. Tertium iustè pro meritis merita suppliciaque rependere. In ipsa huius sententiæ fide obseruantiaq; pietas tota consistit. Quis igitur impius? qui videlicet vel negabit eiusmodi deos esse, vel & si sunt, prouidere: vel & si prouident, iustè rependere: id autem est putare superos iudicum humanorum more solis muneribus vel ab iniusto collatis, facilè posse placari. Plato igitur tres impij morbi causas expulsurus probabit esse deos, & qui in mũdo sint sphærarum mundi rectores, & qui super mundum Dei summi contemplatores. Probabit deos omnibus vel minimis prouidere. Probabit constanti iustitiæ rectæ bilance libraque, non extrinseca munera manuum, sed intima animorum merita pensitare. Denique hac doctrina veluti quodam legis exordio ab omni diuinorum contemptu dehortabitur omnes, & cohortabitur ad pietatem. Præterea legum minis flagellisque perterrebit impios, atq; torquebit. Principio deos esse, duobus communibus indicat argumentis. Primum quidem ab vniuerso rerum genere, secundum verò à specie humana deducitur. Primum igitur est eiusmodi. Compertum habemus ordinem vbique à ratione procedere, & ordinem quidem nusquam & nunquam interruptum à ratione potenti: ordinem quoq; commodissimum ab optima ratione. Cum igitur vniuersi tum dispositio, tum progressio ordinatissima sit, ac semper & vbique talis, neque id quidem absque mirifica quadam commoditate, necesse est mundum ab optima potentissimaque ratione disponi, atq; moueri. Et cum vnum sit vniuersum, vnum verò ex diuersis non fiat nisi ab vno, consequens est vnam esse summam eiusmodi rationem. Esse præterea rationes plures diuinas sub summa ratione diuina, quemadmodum in vno mundano opere rationabiliter ordinato, multi

sunt globi inter se specie & virtute distincti: atque omnes rationabiliter ordinati: adeo vt mundi quodammodo multi, in amplissima videantur mundi vnius circumferentia contineri. Itaq; similiter multi mundorum quasi angustiorum rectores deinceps dispositi, sub vno amplissimi mundi rectore comprehenduntur, Qui sanè cùm non solum ordinator sit: sed ipse, vt ita dixerim, immensus ordo: multo magis ordinatore gaudet quam ordinato. Quocirca si multis in vniuerso ordinatis proculdubio delectatur, multis quoq; oblectatur ordinatoribus. Quippè cum amplissimi regis excellentissima in hoc amplitudo consistat, vt non angustos tantum seruos, sed amplos quoque & multos habeat infra se reges. Secundum verò ad idem augmentū à specie humana deductum, est eiusmodi. Naturalis speciei cuiusq; instinctus inanis esse nō potest. Naturale quoq; speciei animalium perfectissimę iudicium omnino falsum esse non debet. Cum verò humana species animalium perfectissima in omnibus vbiq; semper naturali instinctu immutabiliq; iudicio ad religionem feratur, necesse est esse superos qui religione colantur, superesse quoq; corporibus animas, quod quidem religionis est potissimum fundamentum. Artende Platonis dictū, rationes de diuinis, & si interdum non nimis argutas, esse tamen veras. Item occasiones duas ad impietatem, intemperantiam scil. corporearum voluptatum concupiscentiam: rursusq; ignorantiam ex absurdis poëtarum physicor. quorundam opinionibus ortam. Poëtas in tribus circa deos errasse. Primò quod ex confusione, quam chaos nominant, erupisse deos cecinerint. Secundò quod alios ex aliis absque recta ratione, & quasi per humanum concubitum progenitos asseruerint. Tertiò quod omnes hominum perturbationes, errata, flagitia, in deos nefaria impietate transtulerint. Physicos quoq; illos in religione peccasse, qui vel cum Democrito casu quodam temerario potius quàm ratione diuina componi somniant vniuersum, mirabili ratione digestum: vel cum Anaxagora & Archelao cœlestia nihil habere in se diuinius opinantur quàm elementa. Præterea formas eorum quæ gignuntur, manifestè ad finem vbique directas, aiunt ex elementali potius impetu prouenire, quam ab arte mentis ad certum finem singula dirigentis. Quoniam verò in his confutandis, atq; insuper in confirmandis quæ & modo probauimus, & deinceps ex mente Platonis in hoc compendio afferemus: in Theologię nostrę lib. fuimus longiores, idcirco in præsentia breuiter percurremus. Considera quanta sit Platonis nostri religio, & quàm exploratum habeat Deum esse, qui contra negantes Deum disputans, vix ab ira continere se potest: vir alioquin supra modum omnium & in vita & disputatione mitissimus. In his certè admonet, non esse eos qui Deum negauerint, tolerādos. Nota Platonem probare illos, qui in ortu & occasu solis ac lunæ adorant non solem propriè atq; lunam, sed diuinam potius beneficentiam: cui quotidie gratias pro tanto luminum dono iubet agi. Iudicat illū inter homines esse quasi monstrum, qui contra tum naturalem instinctum, tum educationem, tū communem consuetudinem superos esse negat. Mox verò admonet iuuenes, quod, si fortè absurdæ quædam ex auditu contra Deum opiniones inuaserint, vt quamdiu iuuenes sunt, iudicio de rebus diuinis abstineant, senioribus credant & legibus, donec ætas, experientia, ratio doceat. Affert præterea in medium opiniones quorundam qui sapientes habiti sunt: per quas homines facilè ad impietatem iniustitiamq; declinant. Opiniones inquam asserentes quatuor elementorum naturas, fortuito quodam motu inuicē confluentes, cuncta coacernasse, Præterea religionem iustitiamq; nulla veritate, sed hominum opinione constare. Quamobrem concludit, hæc tāquam & priuatim & publicè omnium perniciosissima esse rationibus confutanda: neque cogendos homines legum obedientiam & obseruationem minis duntaxat atque tormentis: seu persuasionibus insuper atque rationibus. Alioqui hominem rationale animal, ideoque liberum, nisi rationis vinculo comprehenderis, neque debere aliter nec posse ligari. Excitandam igitur legibus rationem: cuius tanta vis est ad inueniendum Deum, vt post rationalem inuestigationem certior sit rationem in natura esse quàm in seipsa, & tanto certior, quanto naturales effectus ordinatiores conspicit, quàm humanos. Vnde etiam tanto perfectiorem esse in natura artē quàm in homine animaduertit. Hinc rursus animaduertit artem operibus naturalibus præsidētem, cum perfectior sit humana: & humana non solum sit, sed etiam vitæ sit atq; intelligentiæ particeps: nimirum viuam & intelligentem esse: imò verò vitam & intellectum: adde & voluntatem. Cum enim singula manifestè ad proprios dirigat fines, certum est prævidisse finem atq; voluisse: imò verò prævidere semper & velle: quemadmodum ordo in singulis semper conseruatur integer: vel vbi interrumpi videtur, citius quàm dici possit, instauratur. Hanc verò esse diuinam prouidentiam, minimè dubitamus.

Prouidentiam, inquam, neque minima negligentem: non enim hæc minus sunt ordinata, quàm maxima: neque in maximis laborantem. Non enim ordinationi resistunt ordinatori quàm proxima: quæ eodem nutu voluntatis assiduè ordinantur, quo & finit, & procul ab omni prævaricatione seruantur. Hinc illud. In altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra, sicut & cœlum ipsum dum suum in se absque labore peragit cursum, interim absque negligentia terram vberrimo radiorum suorum munere circumfundit. Inter hæc verò quod ait legem & artem, natura, vel non minus quàm natura constare: quia proles sint mentis: intellige non minus veras, quàm naturæ formas existere: gignique ab intellectu diuino tanquam patre, & à mente humana velut matre. Et aduerte solitam Platonis nostri pietatem inuocantis Deum ad confirmandos deos. Deum, inquam, vnum: vt doceat deos omnes referendos ad vnum. Dicit autem se Dei summi auxilio fretum, tutissimè de diuinis disputaturum. Principio quidem eos Physicos improbat, qui summa rerum principia corporea posuerunt, ex quibus deinde vita intelligentiaque procederent: cùm dicere potius debuissent, corporea à vita intellectuali pendere. Id autem ita esse, profitetur noua non dico sententia, sed ratione se probaturum. Sententia enim eiusmodi Priscorum est ante Platonem Theologorum: Argumentatio verò qualis hic fiet à motu, Platonis est propria. Distinguit autem ipsum motionum genus in species decem: scilicet, in Circuitum, Localem transitum, Condensationem, Rarefactionem, Augmentum, Decrementum, Generationem, Corruptionem, Mutationem, siue Alterationem in alio ab alio factam, & Mutationem ex se, tum in se, tum in alio factam. Admiratur motum orbicularem, siquidem in eo stat centrum indiuisibile, mouentur reliqua. Item, in sphæra longè profunda quamplurimi circuli designantur, alij deinceps aliis ampliores. Atque id quod mirum est, eodem momento angustissimus circulus, & amplissimus circuitum peragunt: adeò vt & huius tarditas in continuo corpore, & illius velocitas sit pariter admiranda. Medij vero & ad dimensionem, & ad motum secundum certas proportiones medio quoque modo se habent. Multa de his in expositionibus Theologiæ tractauimus.

Dicit autem & de illo: quod mutat locum, mutare centrum, id est centrum loci, ad quod corporis mobilis circumferentia comparatur, nonnunquam verò, præter id quod centrum mutat, seruare etiam quodammodo idem centrum: quando, scilicet, non fixum, sed translatum loco, per æqualem quandam circumferentiam circumagitur. Præterea, vbi de generatione loquitur, ait, principium, id est, naturam motricem atque seminariam: quando alteratione proficit, per tres procedere gradus, id est in longum, latum atque profundum: item attingere vsque ad quantitatem, & qualitatem, formamque substantialem per effectus suos sensibus manifestam, rursus peruenire ad esse formale & vitale, atque sensuale. Putat autem in his motibus molem quidem corpoream moueri, sed non mouere, formas vero corporeas & mouere moles, & moueri ab anima. Animamque mouere quidem duo hæc: sed ipsam non alio, imò ex seipsa moueri: sed ita mouere, vt vnà cum rebus mutatis ipse interim suo quodam pacto mutetur. Præstantiores ergo animabus diuinas angelicasque mentes existimat, quæ inferiora moueant, ipsæ interim minimè permutatæ. Eminentius denique ipsum bonum mentibus esse iudicat, omnes enim boni gratia appetunt veritatem. In his tangit multa ad naturam per se mobilem pertinentia, tanquam ad proprium motionis generationisque principium. In quo motio quædam formalis & generatio spiritalis suaptè natura viget, motionum generationumque exemplar. Confirmat super omnia quæ mouentur ab alio, esse naturam mobilem ex seipsa, videlicet ne procedatur in infinitum. Imò verò vt quemadmodum vltra illa quæ per aliud lucent aut calent, peruenitur ad aliquid per se lucidum, per se calidum, sic præter res ab alio mobiles, ad rem per se mobilem veniatur. Quippè si nunc quiescant omnia, & paulo post aliquod præ cæteris moueri debeat, quidnam primo mouebitur? Non quidem diuina substantia prorsus immobilis. Neque etiam corporea vlla quæ motum ab alio mutuantur. Solum ergo quod ex se mobile est, primò mouebitur, exercensque suum in seipso motum, traducet in alia. Id enim ita præstat corporibus vt moueantur, sicut immobile rerum principium rebus præstat vt moueant. Animam vero esse naturam per se mobilem, patet tum intrinsecus, quando suaptè natura liberè ratiocinando discurrit atque consulat: tum extrinsecus, quamdiu sua præsentia præstat corpori, vt per se quodammodo moueatur. Sed de iis omnibus, & præterea quod super animas sphærarum rectrices oporteat esse Angelos at-

que Deũ, in Theologia abundè tractamus. Vbi vero Plato animam appellat motionem generationemque, intellige per modum causæ, id est, proprium motionis generationisque principium. Et ubi à seipso moueri, esse animæ rationem. Nota ibidem dici rationem animæ esse quod possit mouere seipsam, ne actum motionis intelligas esse animam, sed potentiam, non accidentalem, inquam. Nam & substantiam ibidem vocat animam. Sic ergo definies: Anima est substantia propriam habens potentiam, qua & moueatur ex se, & cætera moueat. Quemadmodum vero res ex se mobilis, rem ab alia mobilem antecedit: sic animam dico rationalem, antecedere putat totam machinam corporalem, cùm nullum copus valeat ex seipso moueri. Antecedere Platonici aiunt, & dignitate simul & tempore. Siquis verò Platonem à Christianis minus dissentire velit, exponat animam nostram, vel momento quodam temporis, vel saltem dignitate creatorisque intentione præcedere. Ex eo autem quod animæ substantia, prior est substantia corporis, affectus quoque, ea motus, & dotes familiares animæ, concludit passionibus corporis esse priores. Vbi numerat animæ proprium, memento quæ actionem significant, esse animæ nostræ superioribusque communia. Quæ verò passionem propria, nostræ, vel cum dæmonibus infimis tantùm communia. Naturalem tamen motum qui in corpore passio est, esse in anima actionem. Et quod in corpore, est longitudo, latitudo, profunditas, qualitas, motus, id esse in anima acumen, iudicium, memoriam, habitum & affectum. Cætera eiusmodi habes in Theologia distinctius. Dicit & animam etiam esse malorum causam, scilicet per accidens, & quia anima nostra liberum habet arbitrium.

Caue vbi dicit mundum gubernari ab anima, scilicet sua, quod addit geminam esse animam, vnam quidem beneficam, alteram vero contrariam, ne substantiam accipias geminam, sed potentiam. Siquidem in anima mundi atque cœlesti potentia est: altera quidem motrix corporum, intellectualis altera. Intellectualis certè benefica est, ordine cuncta disponens, motrix vero eatenus benefica, id est ordinatrix, quatenus subest alteri. Cui quidem nisi subesset, quanto efficacior est ad motum, tanto magis carens arte præcipitaret vniuersum, atque confunderet. Animam verò cœlestem habere mentem, probat ex ordine quem in omni motu generationeque semper obseruat. Profectò amentes videmus quatenus à mente alieni sunt, eatenus ab ordine alienos. Ordinem in præsentia dicimus mutuam inter se rerum actionumque connexionem, congrua successione dispositam, & ad finem certum propria quadam ratione directam, atque in cunctis quoad fieri potest, simile, æquale idemque seruantem. Eiusmodi ordinem ab his duntaxat qui mentis compotes sunt, seruari videmus, atque in ipsa vniuersi progressione prorsus impleri. Impleri inquam, tam commodissimè quàm pulcherrimè. Ex quibus apparet ab anima quæ mentem habeat & artificiosissimam & optimam gubernari. Neque ab re circuitum dixit proprium esse mentis. In circuitu enim indiuisibile centrum manet, dum circumferentia redit in idem, & in figura motuque seruatur æqualitas. In mente similiter, simplex fixusque ad ipsum verum directus manet intuitus, dum causæ in effectus per media explicantur, vicissimque effectus similiter replicentur in causas. Reditque interim animaduersio mentis in seipsam considerandam, & simili, æquali, eadem, intelligendo, valendo, agendo, intentione, regula progressione procedit. Post quàm verò, & cœlestes sphæras animabus, & animas mentibus optimis præditas esse probauit, significauitque & vniuersum anima vna, & multas sphæras multis agi, iam distinguit paucis modo tribus, quibus animæ cœlestibus coniungantur: dicens animam vel ita globo inesse sicut anima nostra corpori, vt inde animal vnum efficiatur: vel sic adesse vt non viuificet quidem globum, sed moneat tantum atque regat, siue mirabili quadam solum mouendi potentia, siue quodam insuper medio. Etsi ex tribus propositis nullum præ cæteris manifestè hic eligat, Platonici tamen omnes primum absque controuersia eligunt, idemque omnino sensisse Aristotelem Theophrastumque existimant. Putant enim Platonem idem probabilius habuisse. Nam argumentatio ipsa per quam hic cœlum efficit animatum, animam ipsam innuit vnà cum mero cœlo moueri. Quod nisi ex ea & globo vnum fieret animal, certè non mobilis motor esset, sed motor immobilis. Idem confirmat in Phædro. Idem & in Timæo dicens, cum vellet mundi architectus, mundum intellectuale animal facere: neque posset intellectus absque medio adesse corpori: coniunxisse intellectum quidem animæ, animam verò corpori, atque adeo vt medio infuderit mundo, & inde per cuncta diffuderit.

Cæterum curnam Plato hic cœlestes tantum Deos manifestè confirmat? Quoniam superiorum contemplatio est à legum materia admodum aliena, & per cœlestes Deos qui mouentur, & propriis mancipantur officiis, satis admonet superiorem esse quærendum, qui, & immotus ipse moueat omnes, & communis dux, propria singulis assignet officia. Quid plura? Manifestè super cœlestes animas diuinam esse mentem mentesque Angelicas demonstrauit, vbi ait, cœlestem animam, vtpote quæ ex se non habeat, si intellectum semper diuinum acceperit rectè cuncta perducere, prout apud Deos recta feliciaque habentur: alioquin penitus aberrare.

Ideo Plato, vbi ab anima procedit ad mentem, quasi qui ab oculo ad superius ascendat lumen, veretur admodum ne caligare cogatur. Postquam verò deos esse monstrauit, prouidere demonstrat, à singulari quadam sententia sic exordiens: Natura quædam diuinitati cognata, homines non omnino à specie humana degenerantes ducit ad affirmandum esse Deum: quamuis interdum de prouidentia Dei apparens prosperitas improborum, quæ falsa prosperitas est, quæ & statuto tempore dabit pœnas, dubitare nos cogat. Profectò Deus in intelligendo facit, consequenter quod facit intelligit, ac si totum facit, intelligit quoque totum. Si cognoscit totum, cognoscit & partes ex quibus totum necessario constat: si partes, ergo particulas ex quibus necessario partes. Potest ergo & scit vniuersum regere, qui potest & scit prouidere. Vult quoque vtiliter gubernare totum opus suum. Gubernari verò benè non gubernatis partibus, nunquam potest. Ita neque Medicus, neque architectus opus totum absque partibus ad id necessario concurrentibus, optimè curat. Non negligit Deus minima gubernare, qui facere minima non neglexit. Neque difficilis est gubernatio Deo: cui est procreatio facilis Neque mollitie ad curandum tardior est, qui omnium est fortissimus, qui accuratius cuncta gubernat, quàm vel ars vel natura quæ ab arte naturaue fiunt. Nam quanto magis à Deo dependent opera Dei, quàm artis vel naturæ opera ab arte siue natura, tanto Deus operibus suis prouidet diligentius: per cuius prouidentiam cætera quoque id habent, vt similiter suis quæque prouideant. Quoniam verò ars quo perfectior est, eo facilius parua simul expedit atque magna, in Deo autem ars est immensa, nimirum minima simul & maxima summa facilitate gubernat. In quibus vtique dispensandis, non totum gratia partium sed partes totius gratia disponit, bonumque cuiusque proprium refert ad vniuersi bonum. Inter omnia verò sub luna maximā habet circa humanam speciem diligentiam, tum quia perfectissima est: tum quia ipsa colit Deum: quasi ipsa singulariter excolatur à Deo. In his notabis, a Deo summo per singula rerum genera speciesque diuinos distributos esse rectores, vel minimarū actionum passionumque curatores Qui sicut per potentiam eius possunt, quicquid possunt, ita per prouidentiam ipsius vel minimorum procuratricem, minima quæque procurant, Notabis in sideribus esse sensus, & vt Plotinus Hermiasque disputant, visum propriè atque auditum, sed in alio quodam genere longeque præstantiore quàm sensus animalium terrenorum. Notabis & animam humanam semper corpori esse coniunctam, assiduè quidem æthereo corpori, per successionem verò, tum terreno, tum aërio corpori. Item, motum animæ, quia primus est atque ex se, ideoque liber, posse in formas varias deriuari: vsque adeo vt anima alias in habitum inferiorem homine, alias in superiorem homine conuertatur: & illo quidem quasi quadam grauitate ad loca inferiora descendere: hoc autem ceu lenitate sublimia petere.

Ex quo apparet conceptos ex propriis motibus habitus cum diuinæ voluntatis lege concurrere. Sicut enim lex illa dictat, bonis quidem animis cœlestia, malis verò terrestria conuenire: sic omnino nullo extrinsecus impellente, & quasi naturali quodam instinctu, & bonorum habitus sponte superiora petunt, malorum verò ad inferiora labuntur. Hic profectò si longius commentari liceret, exponerem illud obscurissimè dictum, vbi inducit aliquem transmutare conantem ignem in aquam animatam quasi difficillima molientem. Nam cum, & aqua igni contraria sit, & anima creari non possit ex igne: nimirum impossibilia tentat, qui ignem in aquam animatam transmutare molitur. Neque minus obscurè dictum est, quod de resolutione, & diuisione dialectica est exponendum. Nempè, si quis diuidendo procedat per tres gradus, scilicet à genere quodam generalissimo ad species subalternas, ab eisque ad specialissimas, denique species facilè diuidit: similiter qui per eosdem gradus resoluit, à specie specialissima ad subalternum genus, & inde ad generalissimum, facilè quoque resoluit. At verò qui per singula numero infinita peruagari voluerit, irritum opus aggredietur. Sed de his in commenta-

riis in Philebum. Inter hæc notabis Platonis verba Dauidis Prophetæ oraculo quàm simillima: neque ascensu in cœlum, neque descensu in infernum diuinum posse iudicium euitari. Post hæc ostendit Deum à prauis non posse muneribus iniustè placari. Vbi considerabis Deum diligentiorum esse humani generis curatorem, qua Pastores ouium, gubernatores nauium, duces exercitus, agrorum rustici, equorum aurigæ, Medici ægrotantium. Præterea omnia sub cœlo plena malorum, perpetuumque circa animas bellum. In quo vitia deorsum trahunt: dij verò dæmonesque sursum. Considerabis viuas esse in Deo virtutes, imò vitas, quarum scintillis quibusdam in anima inde succensis anima ad sublimia eleuatur. Post verò proœmia seueriori censura animaduertit in impios, neque solum nefarias actiones, sed impudentiam quoque verborum, imò & cogitationes ipsas contra diuinam dignitatem diligenter explorat: ac tres species impietatis in superioribus positas, in sex deducit: videlicet in duo quamlibet partiendo. Tres enim illæ in opinione contra Deum falsa consistunt. Potest autem vnà cum falsa opinione iniquitas quoque morum concurrere: potest & tolerabilior æquitas. Cognosces hic & pœnas maleficorum, hæreticorum, superstitiosorum, illorum præterea qui Pseudoprophetæ cognominantur. Rursus quantum plebeam damnet superstitionem. Damnauit & supra poëticam, à qua plebea etiam confirmatur. Vbique verò Plato tam poëticam quàm plebeam superstitionem improbat, & ante omnia humana officia, pietatem Philosophicam veneratur.

In Dialogum vndecimum de Legibus. Epitome.

PLato noster quemadmodum & Philosophorum omnium sapientissimus & eloquentissimus oratorum, ita Iurisconsultorum omnium prudentissimus ne in contractibus cogeretur, vt solent cæteri, vastum legum interpretationumque, & id quidem frustra, opus conficere, merito antequam descenderet ad contractus, forensiaque commercia, studuit disciplinis, legibus, iudiciis, religione ciues bonos efficere, sperans iustos homines, vel absque legibus sponte fidem & veritatem in omni commercio præstituros. Et profectò admodum opportunè post leges de iudiciis pertinentibus ad personas, leges iudiciorum ad res spectantium adducit in medium, quibus tam aduenæ quàm ciues discant iustè deponere, seruare deposita atque pacta: aliena non mouere, sua cuique reddere: vti liberis, & libertis, & seruis: vendere, emere, reddere, ducere, militare, tueri pupillos, testari, testamenta seruare, hæreditates administrare, nuptias conciliare, diuortium facere, familiam gubernare: præcæteris verò parentes religiosè vereri, nihil adulterare, veneficia odisse, iram insaniamque vitare, iurgia, contumelias, detractiones fugere, restituere damna, veritatem in testimoniis iuramentisque seruare, atque hæc fermè est vndecimi huius libri materia. Post hæc autem, vt solemus, obscuriora quædam arbitramur breuiter exponenda. Principio deam itineris geminam esse scito, indicatricem scilicet atque seruatricem: Et illam quidem esse lucem sub nomine Lunæ: hanc verò sub Dianæ nomine fidem: & quicquid casu quodam alienum in itinere repertum est, Deo esse dicandum, vt agnoscas fortunam prosperam esse ad Dei prouidentiam referendam. Contemplare Platonicam bonitatem, videlicet vetantem in emendo atque vendendo, non solum rem adulterare, mentiri, peierare: sed iurare etiam, imò verò & rem venalem laudare, & in eadem die precium permutare. Vbi illud adisce: Nemo diis inuocatis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo vel re quicquam audeat, nisi Deo velit odio esse, cui quidem primum odio est, qui falsò iurans deos paruipendit: deinde qui coram maioribus se mentitur. Et vide iterum atque iterum quàm libera & integra Plato optet ingenia ciuium; à quibus omnem cauponandi licentiam procul expellit. Addit quoque tum opulentiam, tum egestatem esse morbum ingeniorum. Inde enim inflatiores, hinc debiliores abiectioresque homines fieri. Vbi verò ait Palladem, Vulcanumque, & Martem artibus præsidere, ex multis Platonis mysteriis alibi atque alibi traditis collige: Ioui summo mundi architecto Trinitatem quandam numinum, quam opificium Platonicè nominamus, semper adstare. In qua quidem Trinitate prima sit Pallas: secundus autem Vulcanus: Mars verò tertius.

Sed quemadmodum Trinitas tota ad Iouem ipsum, à quo est, refertur: ita fermè Vulcanus & Mars, referuntur ad Palladem. Mitto nunc quod in Marte potentiam, in Pallade sapientiam, in Vulcano igneum spiritum somniasse videntur. Tria certè ad ipsam Iouis arcem, qua vniuersum perficit, requiruntur. Primum quidem ratio ipsa per quam singula sit facturus. Secundum efficax eorum quæ ratione conceperat, expeditio. Tertium

eorum quæ in effectum expedienda sunt salus atque defensio. Idem primi Palladem, secundi Vulcanum, tertij Martem nominat. Et quia vtrumque, scilicet tam conseruatio siue defensio, quàm expeditio, vel expressio rerum, indiget ratione atque sapientia: Ideo Pallas & Vulcano præest & Marti, & quicquid vel à Vulcano fabricatur, vel à Marte postquam fabricatum est defenditur, & in sua forma seruatur, Pallade duce peragitur. Horum verò trium in arte diuina, regnantium, tria quoque in natura videmus vestigia: per Palladem quidem ordinem, quo singula disponuntur, per Vulcanum verò efficacem progressum, & promptum quasi quartum ad quæ omnia properant, per Martem denique munitissimam structuram à generantibus adhibitam genitis, & varia propugnacula naturam propriam à contrariis defendentia. Tria similiter in arte humana quidem omni, maximè verò ciuili esse debent: vt singula, & sapienter prius quàm fiant excogitentur: & maturæ strenueque expediantur: & ea forma quæ excogitata exprompta que sunt, seruentur atque fortiter defendantur. Et vt cognoscamus artem humanam in his omnibus absoluendis non minus quàm naturam ab ipso Deo ideisque pendere, inquit tres illos Deos humanis artibus præsidere. At, ne solas à diis artes habuisse putemus, addit deos vitæ datores reuereri maximè omnium oportere, adeò vt vel eorum nomina non sint, vel impudenter, vel temerè proferenda, sed omnia vel minima ad eos pertinentia purè, reuerenter, castéque tractanda. Quibus præceptis nihil potest sanctius excogitari, modo non deos, sed Deum nominasset. Sed ecce vnam Iouis summi substantiam introduxit, neque multiplicauit substantias, dum multiplicaret ideas. Quidnam vltra in eo desideramus? Quinetiam vbi deos nominat, non aliter sentit quam qui dixit: Millies mille ministrabant ei. Neque verò silentio prætereundum est, quod ait animam à Deo vitam accipere, intelligendam esse vitam mediam inter illam quæ in æternitate manet, qualis est Angelica tota simul, atque illam quæ quodam tempore clauditur. Mediam, inquam, ex æternitate temporeque compositam: in qua cœli instar substantia quidem semper manet, actio verò & affectio fluit semper: Ideoque in libro superiore animam dixit, & esse simul & fieri, esseque imperdibilem: non tamen æternam, qua lege sunt dij, id est, non omnino manentem. Dixit autem deos, id est, Angelos manere: non ex se quidem, sed lege diuina, eos per se mobiles æternè sistente. Ait corpus quoque imperdibile esse, corpus certè cœleste. Forte verò & elementale, quatenus & elementorum moles, & materia prima non disperduntur: ex quibus in Politico inquit, corpus idem quandoque diuinitus recreari. Notabis vbi de testamentis loquitur, & personam & rem cuiuslibet ciuis, non suiipsius esse, sed patriæ. Item vbi de orphanorum cura tractatur, animas defunctorum res nostras sentire atque curare, sentire inquam per corpus cœleste atque aëreum: & curare præ aliis alia, ad quæ vel natura vel, habitu, vel diuina prouidentia magis afficiuntur. Præsertim animas quæ cum mediam tenuerint vitam, mediam quoque obtinent regionem. Mediam dico tum situ, tum qualitate.

Situ quidem inter cœlum, & terram, qualitate verò inter beatitudinem summam extremamque miseriam. Meminisse namque oportet in libro superiore fuisse dictum: quemadmodum certæ quædam naturæ congrua loca, & conuenientes naturas asciscunt, sic animas cum factæ ex se tales fuerint aut tales, consequenter pro similitudinis ipsius natura ad gradus sedesque, & similes & similium transmigrare: vt cœlestes quidem factæ cœlestia, terrenæ verò terrena, aëreæ autem aërea petant Profecto cum alia nonnulla circa animas Plato affirmare non audeat, hucusque tamen, & hic & in libro de scientia euidentissimè asserit, atque alibi sæpè significat. Vnde & ait, cauendum esse pupillos lædere, ne parentum animæ nobis iure succenseant. Idemque in nono, dum ageret de homicidiis, inquit, animas scilicet interfectoribus indignari. Huic illud simile, Marianorum animæ Syllam sollicitabant, hinc & tragœdiæ furentem Orestem agunt. Animaduertes post hæc vbi de parentum cultu tractatur, honorandas quidem sacratas deorum statuas, non propter se, sed quia deos nobis significant, sed magis honorandos esse parentes, quasi animata deorum simulachra. Addit imprecationes parentum in filios exaudiri à Deo neque quicquam accidere filiis pestilentius: Audies post multa iterum, quod est valdè Platonicum. Pœnis maligni vexantur, non quia fecerunt (nam quod factum est, infectum esse non potest) sed nequid tale post hac fiat: & vt iniustitiam odio tam qui puniuntur, quam qui puniri intelligunt, persequantur, aut saltem minus in simili vitio delinquant. Præterea iudicem legumlatoris interpretem esse, iustitiæque mini-

strum. Punit deinde susurrones detractoresque, & qui in ira obiurgant atque conuitiantur, & qui grauiores personas mordacibus iocis offendunt, & qui inter iocandum acrius irascuntur. Audies maximè timendam esse diuinam vindictam, si quis in testimoniis iuramentisque mentitur. Audies denique in testimonio atque iureiurando, veritatem ipsam per Themidem Iouemque Apollinem esse firmandam. Per Themidem quidem significatur ius fasque & ciuile & sacrum: & apud Deum, vt intelligat quisquis iurando testificandoque mentitur, contra ius fasque humanum, diuinum contra homines, contra Deum grauiter se peccare. Per Iouem verò, qui nutu omnia concutit, cognoscat: si peccauerit, diuinæ potentiæ vltionem se nequaquam euitaturum. Per Phœbum autem, ne confidat delicta sua, præsentia vel preterita, eum latere posse, qui futura omnia vaticinio præsagit.

In Dialogum duodecimm de Legibus, Epitome.

PLato diuinus in omnibus legum Dialogis, diuini operis similitudine, ideoque numero duodenario delectatus, nimirum duodecimum Dialogum ita communem legum arcam esse voluit, quemadmodum duodecimus mundi circulus commune stellarum est firmamentum. Et quemmodum si quis circulum duodecimum penetrauerit, perfectionem felicitatemque animæ statim inueniet, ideo etiam consequetur: sic Plato vltra librum duodecimum progressurus, non tam leges quàm beatam animæ perfectionem legibus acquisitam in Epinomide demonstrabit. In superioribus quidem libris leges partim ad officia publica, partim ad priuata negotia pertinent, partim ad vrbana, partim ad externa, siue in pace, siue in bello. In duodecimo verò omnes quodammodo congregantur ad omnia pertinentes, non leges inquam singulæ, sed nonnullæ ex quolibet genere singularum. Additur legibus id quod maximum est, ratio videlicet & conseruatrix legum & emendatrix. Additur magistratibus id quoque quod maximum: ratio videlicet repetundarum referendarumque rationum non aliter publicis magistratuum officiis præposita quàm priuatis actionibus animorum, conscientiæ ipsius examen. Hoc vtique examine tum priuato omnis animorum salus, tum publico ciuitatis salus vniuersa consistit. Atque id est compendiarium duodecimi argumentum.

At, quoniam mox in principio, & in sequentibus, & sæpè in antecedentibus deorum commemorat filios, atque tum deos alios aliorum, tum homines deorum filios nuncupat, meminisse oportet duobus modis apud Platonem deos deorum filios esse, duobus quippè modis homines filios esse deorum.

Primò quidem, vt Timæus docet, omnes sphærarum mundi rectores, siue ipsi sphærarum animi siue dæmones citra sphæras, siue intellectus Angelici vltra sphæras, filij sunt omnipotentis Dei, tanquam voluntate ipsius benefica procreati. Deinde, in quolibet horum trium genere, inferiores superiorum filij ideo nuncupantur, quia à superioribus continuè radios formasque suscipientes, quodammodo inde formantur, & illis quasi patribus obsecundare videntur. Homines similiter geniti dicuntur à superis, vel quoniam ab initio rerum è terræ visceribus superorum fomento in lucem editi fuerint: vel quoniam nonnulli quotidie superorum inspiratione vehementer afflati, mox ex humana solitaque affectione, in diuinum quendam vitæ statum quasi renati diuinitus transferuntur. Quo quidem in gradu & pios Philosophos, & Philosophicos principes sæpenumero collocat. Quod autem statim in principio libri Iouem Mercuriumque legatis nunciisque præponit, intelligendum est primo quidem, & per Iouem, Deum architectum mundi, & per Mercurium, omnem numerum Angelorum: deinde per Iouem rursus Planetam secundum Imperatorum legumq; significatorem, per Mercurium verò Planetam alium interpretationis expeditionisque omnis significatorem. Significatores dico Planetas. Quoniam vt testatur Timæus, & Plotinus disputat, Planetæ cœlestiaque omnia significant vtcunque possunt, & indicant: quæ vel superi iam facturi sint, vel nos interdum quidem facturi; sæpè verò passuri. Detestatur mox poëtas, qui scelera hominum transferentes in superos, & contra diuinitatem impiè deliquerunt, & malo superorum exemplo hominibus grauiter nocuerunt. Præterea furta, cæteraque facinora ex intentione peccantis, & habitu vel sanabili vel insanabili, magis quàm ab affectu putat esse censenda. Præcipit inter militiæ leges quod, & in omni vita omnium optimum arbitratur, vt nemo cognoscat quid sit sibi tantum viuere, vel seorsum ab aliis quicquam agere, sed ad prudentis superiorisque nutum, & ad communem vsum singuli singulas dirigant actiones. Docet iudices ne vel sponte vel etiam coacti præter ius sententiam ferant. Iudicium enim ip-

sum ex antiquorum sententia, præcipuè Orphei & Hesiodi; esse virginem quandam pudicam. Pudori autem atque iudicio in primis odio esse mendacium. Deam verò iudicij præsidem, diuinam esse existimant prouidentiam, humanis iudicibus venerandam. Post hæc vbi damnat eos qui turpiter arma proiecerũt, & illos insuper belli duces qui eos sub signis suis iterum militaturos recipiunt: denarium minarum numerum hic à nobis translatum, leges alicubi millenarium. Paulo post Reipublicę notum esse asserit repetundarum iudicium ratione, vt nullus in Republica iudex sit absque iudice.

Alioquin per solutam iudicandi licentiam, primo quidem iustitiam perituram, deinde ciuitatem amissa iustitia velut anima morituram. Templum verò solis atque Apollinis intelligit ædem non solum Planetæ animæque solari, sed multo magis summi boni luci, cuius imago sol est, dedicatam. Audies ex absentia religionis in iudiciis peccata committi. Sed impiorum omnium pessimos esse, qui precibus hostiisque ita Deum placaturos se confidunt, vt ob hanc confidentiam impunè sibi liceat grandem pecuniam extorquere. Tradit cautissimas post hæc leges de peregrinis excipiendis, peregrinatione que ciuium, ne vel mores ciuium aliena, & inconsiderata consuetudine confundantur, vel alienorum peritia Reipub. desit. Notabis hic paucis quoq; nonnullis diuinam quandam vim inesse, per quam discernant captus ingeniorum. Quod quidem ostendit diuinitatem quandam non solum à nobis acquiri, sed vt ita loquar, innasci. Præcipit non esse paruifaciendum. vtrum probus an improbus videaris. Sed existimatione quoque virtutis quærendam esse, & ipsa duntaxat virtute quærendam. Commemorat diuinos nonnunquam viros vel in ipsa plebe, & in ciuitatibus malè gubernatis existere. Post hæc de actione causarum, accusatione, defensione, appellatione, fideiussione, proscriptione, cæterisque huiusmodi tractat multa. Miscet & his sua quadam opportunitate quæ donaria vel simulachra dicanda numinibus, quæ quidem symbolica Pythagoreo ritu traditio est. Terram inquit, & Vestam deorum omnium habitationem sacram existere. Quod Vestam adiunxit, significauit sub Terræ huius nomine altius intelligi debere, & terram hanc elementalem, & terram lunarem, & terram postremo stelliferam. Item tres terrarum trium animas, tresque Angelos. Memento verò apud antiquos quicquid in vniuerso est efficax ad formandum atque mouendum, metaphoricè ignem dici. Item quicquid vsquam facillimè est formabile, dici aerem. Quod autem purgatorium, aquam: quod solidum vel stabile, & consistens, terram cognominari. Talis quidem natura ob qualitatem vel densam vel consistentem, & hic, & in luna, & in firmamento terra à Platonicis nuncupatur. Cui ergo mirum sit terram deorum omnium habitationem sacram existere: si tribus terram trium terminis comprehenditur vniuersum? Cumque sacratam ab initio diis esse dixerit: vetat iterum consecrari, admonens, nec confidas Deo quicquam quod non prius ipsius Dei sit, offerre te posse. Ex auro quoque vel argento statuas fieri vetat, ne confidamus magno horum precio nos grandia scelera purgaturos. Ex ebore rursus prohibet, cum ab anima scilicet sensuali fuerit destitutum, ne absque sensu, id est, vigilantia & animaduersione operemur in sacris. Aes etiam & ferrum respuit, culpans videlicet bellica instrumenta. Animo enim intra se, & aliis diffidente, frustra sacrificia operamur. Recipit denique lignum atque lapidem, ex quibus deorum simulachra fiant. In lapide quidem commendans habilitatem mentis in sacris: in ligno verò ignis escam, id est, flagrantiam animi qui in diuinis facilè accendatur. Iubet ex vno siue lapide siue ligno imagines integras fabricari, simplicitatem in primis integritatemque commendans. Neque verò silentio prætermittendum est, legatos in superioribus ad quatuor oracula missos fuisse, vt cognosceremus Deum omnium authorem, omnibus æquè mundi partibus prouidere: quæ per quatuor quasi angulos designantur, orientis, occidentis, septentrionis, meridiei que nomine, & quocunque ritu colatur Deus, modo pura mente gratiaque sui colatur, acceptum quodammodo esse Deo. Sed de his alibi diligentius. Inter hæc vetat illos qui patriæ aliqua in re ministrant, accipere munera. Agit, & de tributis. Ait nihil melius à quoquam disci posse, quàm id quo ipse fiat melior. Ait legem esse rem mirandam atq; uinam, nomenque ab ipsa mente apud Græcos habere; à mente inquam tum diuina, velut patre tum humana, velut matre. Legem verò sequi vult iudicium. Quæ quidem duo humanorum bonorum, maxima sint.

Sed hic redit in mentem, quod in fine vndecimi, bona inquit, nostra plerunque à quibusdam suis calamitatibus inquinari. Et legis quidem calamitatem a-

sibi esse, inquit, magistratus ipsius improbitatem. Calamitatem vero iudicij iudicialisque disceptationis ibi appellauit peritiam quandam causidicam, quæ nulla iuris habita ratione, sed auaritiæ ambitionisque studio omnem absque delectu causam accipit defendendam. Quam veluti Reipublicæ pestem præ cæteris detestatur. Post hæc vbi funeribus imponit leges, hominem ipsum præcipuè vult substantiam ipsam animæ rationalis haberi: corpus autem hominis huius simulachrum, & vt alibi nominat, vmbram. Quidnam homo in nobis sit, quid animal, ex Timæo, & Alcibiade, & Plotino cognoscitur, quod quidem in Theologia latius disputamus. Vbi concludit hominem quidem esse animæ rationalis substantiam, vltra rationem, habentem quoque sensum quendam intimum, impatibilem, & communem. Animal verò compositum quiddam ex figurato corpore, atque ex quodam vitæ vestigio impresso ab anima. In quo quidem vestigio impressus quoque sit sensus, secundus à sensu primo, iam per instrumenta varia distributus atque patibilis. Id quidem nonnullis quoque Apostoli Pauli dictis maxime consonare videtur. Quando verò animam, inquit ad alios deos abire, rationem suorum operum reddituram, alios deos nominat, mentes Angelicas extra corpora, qui alij dicuntur dij vltra sphærarum animas. Animæ siquidem nostræ his coniunctæ corporibus, nimirum sub animarum superiorum regno ponuntur, separatæ verò ad separatorum iudicium transferuntur. Hactenus quidem leges condidit: sed frustra constitui leges ait, nisi de legum salute stabilitateque cogitetur.

Ergo ad harum stabilitatem cœtum quendam magistratuum mirabilem excogitabit. Sed ante cœtus eiusmodi creationem, de vi fatorum nonnihil attingit, vtpote qui intelligat ad operis tanti salutem humanam hominum prudentiam non sufficere, si vis fatalis penitus aduersetur. In his profectò videtur probare eos qui in ædificandis vrbibus, condendis legibus, creandis magistratibus, imò & plantandis hominibus aduersam nimis siderum dispositionem diligenter euitant. De fato quidem alibi multa, quibus & hic consentanea hæc quàm opportunè tam breuiter adducuntur. Fatum est immobilis quædam in anima mundi rerum mobilium dispositio. Fati verò instrumentum est natura cœlestis. Sed materia inquam, agit per instrumentum, est moles elementorum, Tria verò nomina, Lachesim, Clotho, Atropon: tum quantum ad instrumentum, tum quantum ad materiam pertinet, accipit. Nam Lachesim nominare possumus firmamentum: in cuius stellis vires sortesque inferiorum omnium continentur. Clotho verò Planetarum cœtum in euoluendis rerum sortibus firmamento subministrantem. Atropon denique Saturnum præcipuè, stabilitate sua euolutas in effectum sortes ineuitabiliter confirmantem. In materia quoque fati ideo tres parcas connumeramus, quoniam vis fatalis per instrumentum cœleste elementis infusa, agit in materiam & formam atque compositum. Item in essentiam & virtutem & actionem. Item in principium mediumque & finem. Quoniam verò non solum agit in corpora, verumetiam eatenus in animos, quatenus efficiuntur corporibus, vel vtuntur: idcirco Plato hic ait, Parcas tum corporum, tum animorum legumque prosperitatem posse seruare. Et quoniam mens natura sua vtpote mentis diuinæ prouidentia quandoque freta, vel fatum superat, vel fato feliciter vtitur: subiunxit ad ipsam vitæ tam publicæ quàm priuatæ salutem, coniungendum esse cum mente sensus, adeo vt sensum menti pareat & ministret. Similemque huic copulæ quæ ex mente & visu audituque componitur, procreat cœtum quendam magistratuum in Repub. stabilitati legum prospicientem, qui finem ipsum primo prospiciat Reipub. deinde quæ viæ potissimum perducant ad finem: studeatque omnino, vt singula in ciuitate siue publicè fiant, vnà quadam ratione conducant ad vnum: cuncta quidem ad virtutem dirigens, virtutes verò cæteras ad prudentiam: hanc denique ad sapientiam, quam sub nomine mentis significat. Cuius quidem ratione vnà virtutes omnes comprobandæ censentur, quatenus videlicet conducunt ad sapientiam, quam etiam ea ratione probat, quod vnius diuini boni sit particeps. Asserit exquisitissimam rerum considerationem esse, quæ non solum multa, quatenus multa sunt, conspicit, sed etiam quæ sit in cunctis natura vna communis. Item à quo vno principio hanc habuerint. Rursus ad quem finem vnum per hanc conducere possint.

Absque eiusmodi contemplatione, neminem posse vitam perfectè vel priuatam, vel publicam gubernare. Cum verò hæc speculatio ad Philosophum, præsertim diuinum, pertineat, non iniuria inter ciues in cœtu illo electissimo congregatos, ad diuinos Philosophos rerum summam iudicat referendam. Diuinos, inquam, re-

rum diuinarum inspectores atque cultores. Itaque eos qui ad diuina vel inspicienda sunt hebetes, vel colenda sunt pigri, vel docenda inepti: ab amplissimis Reip. muneribus procul arcet. Mox verò probat ad firmam summæ diuinitatis fidem duo esse potissimum necessaria. Primum, vt sciamus genus ipsum rationalium animorum diuinum esse, corporibusque antiquius, quo moueantur sphæræ: & intra sphæras omnia generentur. Secundum, vt cogitemus genus mentium scilicet Angelicarum, animorum genere esse præstantius. Et animas ob ipsam mentis participationem sphæras ordinatè mouere.

Siquis enim duo hæc nouerit, facilè cognoscet sicut mens animæ forma ordoque est, ita diuinum bonum esse tum mentis, tum animæ vitam atque lumen. Hæc verò tria, scilicet diuinum bonum mentemque & animam, Plato proculdubio penè in omnibus eius scriptis aut demonstrat aut innuit, omnium esse principia. Quod quidem in Epistola ad Dionysium obscurioribus verbis inuoluit. Animam verò nostram corpore antiquiorem esse, si non placet tempore antiquiorem dicere, dic saltem dignitate præstantiorem: atque ex eo priorem, quod à principio corporibus superiori habet originem: ideoque motum in anima ex se locauit: in corpore verò ab anima. Et quia crescit in corpore mutabilitas, ait à mutabili anima, corpus non actione tantum, sed etiam substantia mutabili dependere. Reprehendit & Anaxagoram, quod cum inter mentem & corpora non posuerit animam, compulsus fuerit naturales effectus non ab intelligentia per animam, vt par est, disponi: sed elementali potius natura contingere. Asserit verò hic, quemadmodum in Timæo atque Phædone, omnia siue per mentes Angelicas, siue per animas, siue per corpora fieri dicatur, præcipuè voluntate diuina boni gratia fieri.

In Epinomidem, id est, legum appendicem, vel Philosophum. *Epitome.*

Thesaurum diuini Platonis, magnanimè Laurenti, latere in hoc Epinomide, qui Philosophus rursus inscribitur, Platonicorum ambigit nullus. Sed ad hunc in lucem penitus expromendum, multis opus est machinis, Marsilio verò tuo argumenta promittenti, non licet prolixiora præstare. Præsertim cum & scriptorum expressorumque tabellarij opus assiduè vrgeant, & argumenta procacius è manibus extorquentes, vix permittant in singulis voluminibus summa sequi vastigia rerum. Præcedentium legum consilium est; animos ciuium pro viribus ita componere, vt expeditam adepti tranquillitatem, diuinorum operum rationes, & causas perscrutentur, & in his quasi speculis authorem Deum speculentur, & colant. In speculatione quidem sapientia, in cultu verò religio, in ambobus tota consistit humana felicitas finisque legum. Eiusmodi finem superiores quidem promittunt leges: Epinomis verò præstat donante Deo. Itaque perfectum hunc mentis habitum in exordio vaticinatus, deinceps supplici quadam oratione petit à Deo. Felicitatem alij in hac vita haberi posse iudicauerunt: alij in altera, alij verò nusquam. Profectò quicunque in hac vita humanis eam viribus acquiri putant, totius vitæ testimonio reclamante, manifestè falluntur. At verò qui nusquam, ij tanquam vani, vanum quoque esse volunt naturæ totius instinctum. Sapienter admodum Plato noster felicitatem in altera vita sperat, tum præsentis vitæ virtutibus, tum Dei munere comparandam.

Non diffidit tamen paucissimos quosdam in hac quoque vita felicitatem degustare posse. Quos in Phædro, in Phædone, in Republica tales esse vult, vt extra corpus viuant potius quàm in corpore, Deoque ipsi potius quàm sibi viuant: quo efficiatur, vt aspirante Deo vel inter ipsos fluminis Lethei fluctus, libare nonnihil ætherei nectaris videantur. Neque ab re hunc Epinomidem præterea inscripsit Philosophum. Siquidem vt in Reipublicæ sexto & septimo, & in præsenti libro patet, Philosophi officium est rerum omnium rationes inuestigare, vt diuinam ipsam qua factæ sunt, inueniat rationem, inuentam colat, culta fruatur. In hoc autem libro dum ad felicitatem, quam in sapientia religiosa proculdubio collocat, perducere nos contendit, proprium legitimè Philosophantis depingit ingenium, & conuenientibus disciplinarum gradibus erudit & format. Atq; vbique non minus, imò multo plus virtutis & pietatis, scientiæ à Philosopho videtur exigere: & quicquid scientiæ ab hoc exigit, idcirco requirit, vt Deum ipsum verum tam scientiæ magistrum, quàm authorem rerum quæ sciuntur, præ cæteris veneretur. Primò verò vim nobis ad diuinam felicitatem naturaliter insitam ex eo probat, quod omnes in omnibus actionibus ipsam & vaticinamur & quærimus, & aliis omnino nullis implemur. Deinde sin-

gulas ordine facultates enumerans, ostendit hanc neque naturalibus, neque necessariis, neque ludicris & iocosis, neque auxiliatricibus facultatibus comparari: Tertiò demonstrat virtutibus tum moralibus, tum speculatiuis acquiri sapientiam & pietatem, beatitudinis fundamenta. Vbi verò speculatrices doctrinas enumerat, primo quidem Arithmeticam non laudat solum, verumetiam admiratur, quam in libris superioribus maximè omnium inquit, ingenium acuere, memoriam confirmare, animum ad omnem speculationem actionemque aptissimum, promptissimumque efficere. Atque hic addit numerum ab ipso Deo hominibus traditum, velut rationis discursionisque necessarium instrumentum. Quo sublato, & animus amens appareat & scientiæ artesque penitus euanescant. Laudat præterea geometriam, mensuras spectantem, & stereometriam librantem pondera, & astronomiam cœlestia obseruantem, & Musicam concentum cœlestium imitantem. Commendat quoque Physicam, vbi de corporum generibus, compositionibus, animalibus motionis & generationis principio tractat: sed ita, vt minutissima quæque naturalium relinquat Medicis, tanquam ab eo qui ad diuina se confert, minimum aliena. Dialecticam denique, id est, Metaphysicam, & apicem huius Theologiam, velut Reginam omnibus anteponit, videlicet singulis ceu gradibus vtentem ad inueniendum Deum, atque adorandum. Tria verò reginæ huius circa cæteras facultates munera esse probat. Primum, vt multitudinem harum omnium circumspiciat. Secundum, quænam vna in cunctis communio connexioque sit, conspiciat. Tertium, qua ratione ad vnum ipsum diuinumque bonum, & multitudo hæc, & huius vnio conferat, manifestè suspiciat. Addit autem, nisi eiusmodi vnio doctrinarum ad diuinum vnum conducens, comprehendatur, cunctas omnino inanes euadere: neque quid in eis vnum sit percipi posse, nisi comparantur ad vnum, à quo & ipsam accipiunt vnionem. Mentem verò hæc omnia consequuturam, atque ita vnitam sibi rursusque per se vnitam Deo: & hic ait pro viribus beatam esse, & in altera fore vita omnino beatam. Id autem libri totius est argumentum. Paulò post exordia, vbi traduximus hæc verba, scilicet, Breue autem tempus, quod deinde sequitur, alibi legitur. Ad rationis discursum idoneum, & id quidem non solum in deprauatis, sed & moderatis hominibus relinqui videtur. Vbi verò cœlum laudat tanquam & prudentiæ & bonorum omnium causam, eiusmodi laudes à cœlo corporeo ad incorporeum cœlum, id est, ideam cœli vult trãsferri. Quam ibidem adorari iubet per cœlum visibile quasi per simulachrum significatam. Tu verò hic attende, homines in genere terrestrium dæmonum iudicari, vbi inquit, dæmones alij simul omnes, & quæ sequuntur. Post hæc ait, si quis quod diuinum est generatione cognouerit, verum numerum, pietatemque cogniturum. Diuina in generatione duo significat, tum spiritalem quandam motionem quæ in anima est, siue vim motricem corporeæ motionis, generationisque originem: tum speciem naturalem, quæ in perpetua generationis successione seruatur. In motu quidem animæ verus est numerus Musica, vt Timæus ait, proportione concentuque consonans. In specie quoque mens numerus. Rerum namque species certo quodam numero & ordine disponuntur. Per hæc vtique religio confirmatur. Nam ex libero animæ motu diuinam substantiam per se existẽtem vaticinamur, & ex perpetua in speciebus perseuerantia idearum auguramur æternitatem. Audies sententiam Mosaico mysterio similem ait enim, si quid mali ab aëris qualitate & plantis & animalibus nobis infertur, non diuinam naturam culpandam esse, sed humanam, quæ iniustè vitam suam distribuit. In sequentibus, legum finem manifestè cognosces his verbis. Finis hic legum tibi propositus est, vt Dei cultu & vitę puritate optimum atque pulcherrimum exitum consequaris.

Mox repetit tria pietatis capita. Primum, vt Deum esse credas. Secundum, vt maximorum simul & minimorum curam habere confitearis. Tertium, vt nullis precibus aut donis iniquè flecti eum existimes. Confirmat & iterum diuinitatis fidem ex ipsius animæ excellenti quadam diuinitate. Putat autem quicquid ita corpore melius est, vt sit & diuinius, id est, diuinis similius quàm corporeis, idem corporibus cunctis antiquius esse, propterea quòd in quolibet rerum genere siue ordine, quod perfectius est, esse quoque magis possidet: ideoque causam imperfectioribus exhibet existendi. Quod verò alteri esse præbet, nimirum est & antiquius. Addit, quando ex congressu animæ cum corpore, conficitur animal, vnam quandam ibi formam in corpore resultare, id est, vitam corpoream in subiecto ex accessu vitę incorporeæ procedentem. Ponit & duo rerum genera. Alterum quidem corporeum, incorporeum vero alterum. Et huic quidem actionem, illi verò attribuit passionẽ. Huius item vnã esse dicit formam, ob id potissimum, quòd & simplex, & in ipsa sẽper forma substantiæ permanet.

Sed quod

Sed quod legitur, Non enim est aliud, & quæ sequuntur: alibi ita legitur, Nam quod in alia transmutatur, non est incorporeum, & omnino coloris expers præter diuinissimum reuera animæ genus. In genere verò corporum quinque collocat corpora. Quæ ideo vocat solida, quia & in profundum adacta discernuntur à planis, & in omni corpore vel liquidissimo est aliquid solidi, tum per ipsam naturæ propriæ consistentiam, tum Platonice per quandam terrenæ naturę similitudinem ad cœlum vsque diffusam. Cœlum quidem ex eo ignem nominat, quod propriam habet lucem, quæ præcipua ignis est qualitas. Habet & perennem motum, qualem videmus in igne: & instar ignis non patitur mixtionem, & quia nondum naturali depellitur loco, ideo non cogitur ascensu redire, sed reuoluitur. Et actu quidem lucet, virtute verò calet, omnino verò diuersissimi generis est à nostro. Post cœlestem ignem, alteram collocat ignis speciem, calentem iam magis quam lucentem sub luna ætheris nomine nuncupatam. Cuius quidem vestigiũ quoddã est noster ignis, iã non solum calens, sed adurẽs: adurẽs, inquam, ob nimiam asperitatis terrenę permixtionem. Qui verò in tenui viget materia lucet purius, calet que suauius: præsertim vbi à nullo coarctatus spatiatur in amplum. Huic subdit aërem, aquamque & terram. Putat autem quamlibet mundi sphæram ex his quinque componi, vt perfectissima inter omnes sit, tam in substantia connexio quàm in virtute & actione communio. Verum in qualibet sphæra vnum esse præcipuum, ac pro natura sua reliqua insuper contineri. Sic & æther in terra terrenus est: & terra in æthere euadit æetherea, similiter & in cœlo. Sed de his nonnihil in Theologia, nonnihil in Timæi commentariis diligentius. Proinde animalia in cœlo, æthere, aëre, aqua, terra, rationalia collocat. Quæ dicit ab anima fieri: ab anima inquam triplici. Vult enim vltra vnam mundi totius animam, duodecim esse sphærarum duodecim animas: deinde in qualibet sphęra duodecim esse ordines animarum. Hi ordines in cœlo sidera sunt & stellæ, in terra homines: in æthere, aëre, aqua, scilicet sublimiori sunt dæmones. In his singulis animatis animam rationalem corpori suo coniunctam animal procreare, id est, compositum quiddam ex proprio corpore, vitaque corpori prorsus infusa Quæ quidem vita iam facta corporea à triplici dependet anima. Nam & à propria, & ab anima sphæræ, & à mundi totius anima quod autem cœlestia animas habeant argumento sunt apud Platonem diuinitas substantiæ cœlestis, quantitatis amplitudo, qualitatis virtus viuifica omnium, motionis velocitas atque efficacia. Quod insuper animæ cœlestes mentem habeant, ex ordine tenorisq; eiusdem perseuerantia conijcit. Subdit necessitatem animæ mentem habentis esse quàm maximam, duobus id modis intelligens. Primo quidem; quia naturalis necessitas, puta in hac vel illa ignis parte ad comburendum & ascendendum, agit aliunde ducta. Animæ verò intellectualis natura, quatenus participat intellectum, eatenus suæ actionis est domina. Deinde quia motus animę cum sit natura liber, præuaricari facilè potest, vicissimque peruagari nisi mente velut auriga regatur: mente inquam perfecta, & optimum actionis finem, & electissimam viam ab initio prouidente. Quæ quidem cum optima optimæ adest animæ, qualis est in stellis, necessario præscriptum opus assequitur. Nam & optimæ animæ, id est, potentissimæ non reluctantur corpora, & mens optima consilium non permutat. Hinc ergo ait tres Parcas conseruare profectum quicquid certò consilio cœlestes dij deliberarunt. Tres ait parcas, fatum vnum ad diuinarum mentium nutum tria disponens, principia scilicet, ac media, finesque rerum. In superiori verò libro, quæ satis constituta sunt, materiis ad ignem elaboratis, siue directis, siue contortis dixit esse similia. Nam vt hæ materiæ in oppositum vltra flecti non possunt, ita neque fatalia. Neque iniuria ad ignem contorta commemorauit. Nam igneæ cœlorum sphæræ fati sunt instrumenta.

Præterea vbi stellas ait vel sempiternas esse vel longæuas, sufficienter Orphicam, & fortè Mercurialem tangit opinionem: Mundum scilicet, post multa sæcula in ignem resolutum iri. Nam & dissolubile esse tandem quod compositum, & ignem velut maximum omnium atque potentissimum in se omnia tandem mirabiliter assumpturum. Mentem verò diuinam operis huius artificem ex igne rursus opus simile & simili fato facillimòque nutu reformaturam. quam quidem sententiam Anaxagoras, Empedocles, Heraclitus, & Stoicorum plerique confirmauerunt, fatentes Deum quidem omnipotentem posse opus suum semper in ordine simul tradito conseruare: at opus ipsum, quia & finitæ naturæ est & intra se repugnans, non posse seruari: deum verò quod formationi deest, informatione rependere. Sed hæc illi viderint. Tu vero notabis hic Platonem eos redarguere, qui cœlestia idcirco negant viuere, quia semper eodem modo ferantur. Quod quidem non absentis vitæ, sed præsentis sufficientiæ

atque sapientiæ esse omnibus debuit argumentum.

Memento præterea, animam à corpore adeò diuersam existimari, vt nihil sit vtrisque commune, id est, nulla communis materia. Item, quia anima ex materia non dependet: rursus, quia natura corporea, neq; vera substantia, neque vera essentia iudicatur: appellat animas stellarum deos, eorum verò corpora deorum simulachra. Proinde in diis cœlestibus Iouem nominat prouidentiæ munus: Iunonem verò, vim animalem prouidentiæ subditam. Ait & stellas singula acutè sentire, per sensum videlicet, à nostro longo diuersum. Describit quoque naturam dæmonum prudentia, sensu, memoria, motu potentem: inter deos hominesque mediam: intercessionis, interpretationisque gratia honorandam, cogitationes nostras cognoscentem, ex nostris videlicet figuris, & motibus, & affectibus, diligentem bonos, malis infensam. Omnes hic dæmones videtur bonos existimare, quod videlicet doceat coli. Alibi verò nonnullos significat esse malos. Et æthereos quidem aëreosque inuisibiles: Aqueos vero, quos nominat semideos, videri ait nonnunquam & vix, visu scilicet intimo potius quàm externo. Addit admoueri animos à dæmonibus per somnia, voces, vaticinia, ostenta: maximè verò quo tempore animus migrat è corpore. Multa his admonentibus religioni addita esse inquit. Ait præterea, non licere quæ in religione legibus firmata sunt, mortali naturæ mutare. Mortali, inquit, diuinæ enim licet. Edisce diuinum dictum. Ratio omnium diuinissima visibilem cõstituit mundum, quem vir felix admirans charitate accenditur diuinitatis inueniendæ, vnde felix & hic & in altera vita euadit, fitque per sapientiam verè vnam, verè vnus: ad congrua virtuti loca trãslatus, reliquum etiam omne tempus diuina contemplaturus. Mox vbi traductum est. Res enim diuinas, & quæ sequuntur, alibi legitur. Non enim prudentis est diuinorum alia quidem honorare, alia verò negligere. Narrat inter hęc astronomica quædam notissima. Laudat ad ingenij virtutem temperatam aëris qualitatem. Deinde, vbi ait motionem, ad bonum tendentem, à bona anima proficisci, desinentem verò in malum, contrario se modo habere: ne cogites alteram quidem mundi animam bonam esse, alteram verò malam: sed ab ipsa mundi anima proficisci bona, quatenus mentis est particeps. Alioquin prouentura inde mala, id est, ordine numerorum omni carentia. Mala enim in superioribus nominauit, quæ concordi numero & pulchritudine carent. Bona verò quæ consentientibus numeris coaptantur. Subdit mala, id est, priuationem ordinis, victa fuisse à bonis, id est, ab initio rerum ab ipsis diuinæ mentis ideis. Item vinci oportere, scilicet mundo perseuerante. Hæc verò fuisse dicta secundùm iudicium impios puniens: quia videlicet, diuinum iudicium malos puniens, iniustitiæ malum vincit iustitiæ bono. Notabis virtutem maximam esse religionem, negligentiamque religionis causam infelicis ignorantiæ hominibus extitisse. Item, optimum ingenium esse quod ex temperantia & fortitudine mixtum sit, docile, memor, ad diuina propensum. Cumque eiusmodi ingenia rectè educata sunt religionis cultum ab iis in alios verissimum proficisci, ciuitatique omnium vtilissimum. Et sapientiam, nisi adiuuante Deo, disci non posse: ab eo autem qui modum in docendo non seruat, satius fore non discere. Item deorum plena esse omnia: adeo vt superi neque obliuiscantur nostrarum rerum, neque nos deserant.

Quæ verò de numeris attingi raptim, vbi opportunius fuerit, latius explicabimus. Nunc ita perstringe. Numeri in se quidem incorporei sunt, quando nihil aliud sunt quam repetita vnitas, hæc autem indiuidua est. At cùm primùm situm sortiri putantur, fingi possunt in puncta conuerti. Item ex tractu quodam à puncto in punctum nasci lineam, ex cuius ductu superficiem, ex cuius descensu profundum. Numeri lineares quidam sunt, superficiales alij, alij verò cubi, atque solidi. Primi sicut binarius vnitati quàm proximus. Secundi, sicut quaternarius, per binarium ab vnitate procedens. Tertij, vt octonarius ex binario in se reuerso profectus. Perfecta item proportio dupla putatur. Primò quidem, quia prima est, inter vnum scilicet, atque duo progenita. Secundò, quia dum videtur discessisse ab vno, geminando restituit vnum. Tertiò, quoniam omnes proportiones intra se continet. Nam & sesquialtera & sesquitertia, similesque velut partes sunt infra duplam. Hanc natura obseruat in cœlo: seruat & huius gratia sesquialtera etiam sesquitertiam: ex quibus dupla componitur. Pythagorici enim, vbi sphærarum interualla dimetiuntur, terram ad firmamentum comparant. Item, ad Lunam, & Solem, Solem quoq; ad firmamentum. In quibus sanè comparationibus interuallum à terra ad solem, comparatum ad interuallum ab eodem ad firmamentum, efficit quidem inter terram ac Solem sesquialteram: inter hunc verò & firmamentũ sesqui-

tertiam. & in illa quidem proportione diapente consonantia nascitur: ex hac autem diatessaron. Ex quibus certè ambabus conficitur proportio dupla consonantiaque diapason. Volunt & à terra ad lunam fieri diatessaron, sicut ad solem fit diapente, & à sole ad firmamentum itetum diatessaron. Quemadmodum verò natura proportiones eiusmodi obseruat in sphæris: ita in actionibus passionibusque elementorum, vt enim actio perfecta proueniat, oportet agens duplo potentius esse subiecto. Sed quare? Quia cum intendat in agendo geminare seipsum, nimirum proportione indiget geminante. Alioquin si minore spatio superarit, reluctans subiectum perfectam impediet actionem. Sicut verò dupla conducit ad substantialem speciem generandam, ita sesquialtera ad familiarem speciei effectionem atque figuram, & sesquitertia ad accidentia quædam communiora. Præterea proportionis eiusdem modus in nostris seruatur humoribus. Duplum enim esse volunt sanguinem ad pituitam, duplam & hanc, ad bilem: hanc similiter ad atram bilem. Quod si duplas habent, consequenter sesquialteras & sesquitertias, quæ in dupla sunt, continent. Similes quoque in auditu consistunt. In quo quatuor aëris insunt gradus: tres ignis: duo aquæ: terræ vnus. Scis autem inter quatuor atque tres proportionem fieri sesquitertiam. Continet enim quaternarius ternarium, ac insuper vnitatem partem ternarij tertiam. Scis quoque ternarium inter atque binarium sesquialteram collocari, quando ternarius binarium continet, insuperque vnitatem alteram, id est, dimidiam binarij portionem. Quamobrem in ipsa auditus affectione proportiones omnes manifestius quam aliis insunt Itaque & consonantiæ. Diapason quidem, id est, octauæ vocis, in dupla. Diapente verò, id est, quintæ, in sesquialtera. Diatessaron autem id est, quattæ vocis, in sesquitertia. Mitto quod in quatuor elementis proportiones possunt similes cogitari. Sed de his alias. Consentiunt his & Medici in iis quæ ad tactum & quodammodo ad gustum pertinent, gradus quatuor numerantes. Primum quidem qui vix sensu percipiatur. Secundum verò qui manifestè percipiatur, sed non ostendat. Tertium iam offendentem & deinde lædentem. Quartum breui interimenter. In his quidem gradibus, dupla & sesquialtera & sesquitertia reperitur, sed hæc Medici viderint. Adducit hic Plato vnum, duo, quatuor, sex, octo, duodecim. A quatuor ad duo, dupla est, ab octo ad quatuor quoque dupla, hi quidem excessus duo, proportione sunt pares, vterque enim fit per duplam, non tamē pares numero: octonarius enim quatuor superat quaternarium: hic verò binario excedit binarium. Compara rursus senarium, hinc quidem ad quaternarium: inde verò ad octonarium. Hinc certè fit sesquialtera: inde verò fit sesquitertia. Hi ergo excessus proportione sunt impares, numero verò pares. Vtrobique enim per binarium fit excessus. Rursus compara sex ad duodecim proportione dupla, & inter hæc ad vtrumq; conferas octonarium. Certè à duodenario ad hunc sesquialtera nascitur. Ab hoc ad sex, oritur sesquitertia: ex quibus dupla inter sex duodecimque componitur, in qua duo illi excessus tam proportione quàm numero impares euidenter apparent. Hæc omnia in commentariis Timæi commodius pertractantur.

ARGVMENTA IN EPISTOLAS DVODECIM PLATONIS.

ARGVMENTVM IN primam Epistolam.



Ionysius Syracusan. vir profectò magnus, Platonis non auditor solum sed etiam imitator, à tyranno expulsus, & magno animo pecuniam quam miserat tyrannus, statim remittit: & vtpote Platonicus. pro summa iniuria, summo quodam Dionysium afficit beneficio, tribus scilicet præceptis salutaribus admonens. Primum est, principes non pecuniarum, sed amicorum defectu perire. Secundum, nullam petantiam maiorem esse bonorum prudentiumque consensu. Tertium oportere errata præterita recognoscere, & quanto nobis detrimento sint augurari, quo a futuris delictis absterreamur.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM secundam, quæ est Platonis ad Dionysium Siciliæ Tyrannum.

IN hac Epistola quam Plato scribit ad Dionysium iuniorem post primum ab eo discessum, & expulso Dione, quatuor sunt præcæteris obseruanda. Primum quidem, quòd ait magnam potentiam naturali quodam instinctu, atque sapientiam sese inuicem petere, quo in vnum congrediantur, Id quidem in diuinitate, in natura, in arte compertum habemus. Principio penes Deum infinitam Dei potentiam immensa sapientia comitatur. Quod hic sub Iouis & Promethei nomine indicat: Iouem quidem potentiam, Prometheum verò prouidentiam esse indicans. Nempè diuinæ intelligentiæ fontem atque speculum eiusdem potentiam esse putat. Siquidem & quia potest intelligere, idcirco intelligit, & potentiam eandem contemplatur intelligendo. Apparent & horum vestigia in natura. In his enim quæ naturaliter composita sunt, siue lapides & metalla, siue plantæ & animalia, imò & in primis in ipso cœlo, ita natura comparatum est, vt ex intima naturæ potentia naturalique vigore procedat ordo quidam tum in ipsis horum formis, tum in actionibus atque effectibus. Ordo verò eiusmodi extrinsecus euidens, interioremque vigorem potentiæ comitans, sapientiam quandam præ se ferre videtur. Non enim aliter in progressionibus ordinatis natura procedit, aliter sapientia: sed similis omnino est vtriusque progressio. In arte quoque humana siue priuata, siue publica. similis quidem videtur potentiæ sapientiæque congressus. Naturalis quidem ingenij, memoriæ, voluntatis virtus ad potentiam pertinet. Ex hac verò acquisita oritur sapientia, & in actionibus ipse ad sapientiam pertinens ordo seruatur. Huius autem mysterij diuinitate, natura, arte constantis, in consuetudine elegantia habemus exempla, quæ hic Plato recenset, in mutua videlicet potentium sapientumque familiaritate: & quasi naturali quadam necessitudine. Quæ de re nos admonet cœlum, in quo Planetæ significatores principum his proximi sunt, qui significant sapientes. Nam & Iupiter Saturno est situ proximus, & Sol fermè à Mercurio non discedit. Morale igitur apud Platonem præceptum est: Principes sapientes honorent: sapientes libenter principibus consulant. Nam & sapientia absque potentia prodest paucis, & potentia remota sapientia obest multis. Potentia quidem expers sapientiæ quo maior est, eo perniciosior. Sapientia vero procul à potentia manca videtur. Docent hoc magnæ Planetarum coniunctiones. Iupiter quidem Dominus est, Saturnus vero Philosophus, hi profectò nisi coniungantur, nihil vel magnum vel stabile moliuntur. Felicem quidem familiaritatem Plato vult esse ex potente sapienteque conflatam. Felicissimam vero copulam, vbi vtraque in eodem animo coniunguntur. In quo & ipsum Palladis sedet numen, potentiam vna cum sapientia copulans. Pallas enim sola & artes callet simul & vibrat hastam. Hactenus de primo Epistolæ huius mysterio dictum sit. Ad secundum iam pergamus. Animi bonitate excellentis, est gaudere bono, maximè vero diuino, hoc est amplissimo. Tale vero est quod & quàm plurimis & quam diutissime prodest, eiusmodi est vera virtutis gloria ad doctrinam & mores tam posteris quàm præsentibus conferens: Hac ergo viri optimo ingenio præditi, duabus de causis maxime omnium delectantur: tum quia sicut intimam virtutis lucem amant, sic exteriorem quoque diligunt virtutis splendorem: tum quia splendore hoc optant semper prodesse quàm plurimis, & hoc certè perpetuo in genus humanum beneficio gaudent. Gaudent inquam, quatenus sentiunt. Quum vero sempiterna gloria studeant posteritati prodesse, sperantes videlicet, sicut nunc, ita & tunc splendore hoc & beneficio se gauisuros: profectò id se post hanc vitam persensuros vaticinantur. Naturæ siquidem diuinioris instinctu ad tantum beneficium instigantur, non tam quia hoc ipso gaudent, quàm vt gaudeant. Ac si multæ animalium species in ipsa nidorum escarumque opera instigante natura non frustra futuro vsui consulunt: multo minus diuinos animos sperantes se sempiterno quodã officio gauisuros, frustratur euentus.

Eiuſmodi vero virtutis ſplendorem, & beneficium tam in doctrina quàm in moribus his verbis Propheta Daniel comprehendit. Fulgebunt docti tanquam ſplendor firmamenti, & qui multos erudiunt ad iuſtitiam, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. In quibuſdam vero animis à ſua diuinitate degenerantibus, beneficium veræ gloriæ ſtudium vel extinguitur, vel in vanam gloriam permutatur. Tertium Epiſtolæ huius myſterium ſurgit altius. Sed quoniam in Theologia, & libro de Amore latiùs expoſuimus, ſatis fuerit in præſentia leuiter delibaſſe. Quando diligenter formas ab artifice factas conſideramus, paulatim qua ratione factæ fuerint, animaduertimus: & quando rationes per quas efficit formas apprehendimus, facile per eas ad ipſas ideas artificioſæ mentis accedimus, ad quarum exemplar rationes ſuas ad formas direxerit efficiendas. Quemadmodum vero in artificiis a formis ad rationes, ab his ad ideas, id eſt, exemplaria proficiſcimur: ſic in ipſo rerum ordine contemplando. pulcherrimas rerum formas cognoſcimus artificioſiſſimis rationibus eſſe compoſitas: ac ſi rationibus, ergo ideis, ideſt, exemplaribus, ad quorum ſimilitudinem ipſa ratio formas producit in ordinem. Tres ergo in vniuerſo ſunt ordines, formarum ſcilicet, rationum, & idearum. Ordo quidem formarum quæ patent ſenſibus, ad animam ipſam mundi reducitur: quæ vtique velut principium motus formas in materia generat, generat autem alias aliis rationibus atque ſeminibus. Hunc verò ordinem in anima rationum ad mentem redigimus anima altiorem, à cuius ideis anima gubernandarum rerum ſuſcipit rationes. Ordo denique idearum in mentem ab immenſo & ſimplici diuini boni ſplendore deſcendit. Siquidem vna hominum idea bonorum, id eſt, ipſe Deus, alias aliorum bonorum menti Angelicæ ideas infundit. Quamobrem tres rerum ordines ad tres principes fonteſque reducuntur. Ordo quidem formarum ad mundi animam, ordo vero rationum ad mentem Angelicam, ordo denique idearum ad ipſum bonum. Et quia per ideas cuncta referuntur ad bonum, ideo Plato inquit: Circa omnium regem cuncta ſunt, id eſt, circa ipſum bonum ſunt ideæ, perque ideas omnia. Circa ſecundum, id eſt, mentem ſunt ſecunda, id eſt, rationes quæ ſequuntur ideas. Circa tertium vero tertia, ideſt, circa animam mundi formæ. Significauit autem Deum eſſe rerum cauſam exemplarem, vbi dixit, circa. Item finalem vbi ait: Eius gratia. Rurſus efficientem, quando ſubiunxit: Ipſe cauſa eſt pulchrorum omnium, quod enim nonnulla ſint deformia non ob id habent quod ab ipſo ſunt, ſed quatenus ab eo degenerant. Neque mirum Platonici videri volunt, quod Plato quodlibet illorum trium principium nominauerit. Nominaſſe enim ſimiliter ſed non æque, Deum quidem per ſe vnum bonumque exiſtere. Cum vero vnitas bonitaſque ampliſſima ſint, ſequitur vt Deus per ſe ſit omnino. Mentem verò ſummam Deo proximam per Deum eſſe, quatenus vnum quiddam eſt & bonum: præterea & per ſe, quatenus mens eſt & ordo naturæ ſecunda. Mundi denique animam productam quidem & ipſam à primo Deo, quam vnum atque bonum. Productam quoque ab ipſa mente, qua mens. Sed quæ per ſe mobile eſt, à ſeipſa productam. Hucuſque ait Plato procedere diuinorum origines, rerumque principia. Præterea animum noſtrum eſſe diuinum, quando addidit affectare diuina: verum non comprehendere quamdiu aſpicit in ea quæ ſibi cognita ſunt, id eſt, vel ſenſus & ſenſibilia, vel formas horum obiectu conceptas ab anima. Hæc enim omnia à diuinis longe diuerſa ſunt. vnde animus in hæc aſpiciens cogitur de diuinis aliter ſentire, & pronunciare quam ſint. Sequitur quartum myſterium de diuinorum perceptione. Primò quidem ait inueſtigationem diuinorum non rectè factam, id eſt non debitis, tum purificationis, tum diſciplinarum gradibus inſtructam, malorum eſſe omnium cauſam. Quia videlicet, qui ſic inueſtigant Deum, tandem eò perueniunt, vel vt negent Deum eſſe, vel de Deo affirment quæ non ſunt Dei. Hinc vera perit religio, extincta religione mala omnia confluunt. Deinde ait, ſtimulum inueſtigandorum diuinorum eſſe malorum cauſam, id eſt ſi hoc abutamur, & omnino quomodocunque vtamur, non permittit præſentibus oblectamentis frui, & hac in vita quieſcere, altioribus anhelantes. Verum quid ſibi vult, vbi ait: Niſi quis hunc ex animo ſtimulum eruat, veritatem nunquam aſſequetur? Profectò negat veritatem rerum, à Deo dependentium haberi poſſe, niſi ipſa de Deo veritas habeatur Præterea, per illa quæ mox ſubiungit, ſcito Platonem ipſum aſſiduè in diuinorum inueſtigatione verſari conſueuiſſe, & qui Platonem primo audiebant diuina contemplantem, ſolitos ſub nimio diuinorum ſplendore protinus caligare, diuque vexari, donec videlicet mentem, denique, tum ab effectibus ſenſuum, tum à phantaſiæ imaginibus ſegregarent, quo quidem facto diuina quadam ſorte, id eſt, luce veritatem non prius inuentam reperiebant. Propterea Pythagoras, quem Plato noſter in omnibus veneratur, ſacra doctrinarum myſteria ab exactiſſima expiatione mentis exordiebatur: præcipiebatque, & Plato ſimiliter præcipit, ne efferantur in vulgus, ne vulgus accepta peruersè, vel contemnat, vel incidat in errores. Si enim in vulgus adideris, Deum nihil ex iis quæ ſentiuntur in ſe habere, vel te ridebunt, vel Deum eſſe negabunt. Hinc illud Lyſidis Pythagorai ad Hipparchum. Haud pium eſt, myſteria Philoſophiæ cum his communia facere, qui ne ſomniare quidem purificationem animi potuerunt. Sunt præterea nonnulla myſteria Theologorum circa Deum, quæ non vulgum modo, verumetiam elegantes pleroſque fatigent. E quibus id vnum eſt, nihil ex his quæ intelliguntur, de Deo abſolutè affirmari debere. Quicquid enim intelligentia definitum eſt, infra infinitum Deum extare compellitur. Ad hæc itaque ſecretiora myſteria ita plerique docti adhuc ſunt inepti, ſicut & vulgus ad leuiora, vſque adeo vt etiam nonnulli quamuis acumine, memoria, iudicio valeant, diuque hæc audierunt, nondum tamen perfectè comprehendant: quia, videlicet, & ſi ad alia quædam, tamen ad Theologica nati non ſunt, vel ſi nati, non tamen congruè ad hæc eruditi, atque educati: vel ſi educati vel eruditi, nondum tamen ætatis maturioris beneficio à perturbationibus ſegregati. Perturbatio verò, quia & mouet, & per diuerſa diſtrahit, & ad materiam trahit, idcirco alienam reddit mentem à Deo, quo nihil à motu, à diuerſitate, à materia poteſt remotius cogitari. Non ergo iniuria Lyſis Hipparchum ſic admonuit. Operæpretium eſt recenſere quantum temporis in abſtergendis maculis, quæ noſtris inuſtæ pectoribus erant, conſumpſerimus, antequam præcepta Pythagoræ percipere dignè poſſemus. Accedit ad hæc, quod ſi quis etiam tranquillo & erudito ad Deum intellectu ſe conferat, ita fermè ab ipſa intelligentia circa Deum decipitur, quemadmodum & vulgus ſenſu imaginationeque fallitur, & plerique docti perturbationibus repelluntur. Intelligentia enim pro natura ſua iudicans, compellit nos Deum ipſum, vel intellectum quemdam, vel intelligibile quiddam aſſeuerare:

Immenſum verò bonum, neque intellectus eſt, qui velut egens ad intelligibile ſe vertit, tanquam bonum quo illuſtrante proficiat, neque intelligibile eſt dicendum, quod quidem communem quandam cum intellectu naturam habet, per quam etiam proportionem habet cum intelligentia congruam. At nulla eſt immenſo bono ad finita bona naturæ communio; nulla proportio. Hinc in Parmenide probat nos neque nomen, neque definitionem, neque ſcientiam habere de Deo, vtpote qui ſit ſuper intelligentiæ limites. Idem ante ipſum Mercurius aſſerit, Idem poſt ipſum Dionyſius Areopagita, probans Deum non eſſe dicendum ens atque intelligibile, ſed ſuper vtrunque. Quamobrem cum Deus intellectum atque intelligibile infinito ſuperet interuallo, nemo vlla intelligentiæ actione diuinam ſubſtantiam poteſt conſequi, poteſt tamen quandoque aſſequi paſſione. Paſſione inquam benigna, per ipſam beneficam infiniti boni actionem nobis illatam. Illatam inquam in vnitatem ipſam noſtræ mentis caput, quando videlicet mens in vnitatem ſuam, quæ expreſſa eſt diuinæ ſimplicitatis imago, totam vndique ſe collegerit. Verum quod menti vnitatem hanc indutæ diuino Sole ſubrutilat, tunc fermè abit, cum vnitatem exutam rurſus induit multitudinem. Ex his vtique patet ex Platonis noſtri ſententia, diuina à nobis non inueniri, ſed potius deſuper reuelari, neque mente comprehendi poſſe ſubſtantiam proprietatemque diuinorum, nedum verbis & literis explicari. Ideoque de his ea virtute diſſerendum deſcribendumque, vt per verba & literas exhortari & præparare animos ad diuina ſperemus, potius quàm demonſtrare. Sic & Plato de ſubſtantia proprietatiſque diuina definitione ſcribit nihil. Scribit tamen multa quæ vel per negationes, vel per relationes, vel exhortando, vel inſtruendo ad eum mentis ſtatum quandoque perducant, cui tandem ex alto panditur domus omnipotentis Olympi. Vbi poſtquam ſe & ab inferioribus receperit ad ſeipſam, & à ſeipſa ad ſuperiora conuerterit, ſtatim vno quodam ſtatu ſimplici ipſam vnitatem, ſtabilitatem, ſimplicitatem vt ita loquar, attingit. Sed quæ attigerit, non licet apud Paulum homini loqui, & apud Platonem multo minus licet ſcribere, ne detur ſanctum canibus. Cum verò neque verbis neque literis in diuinorum explicatione confidat, tutius tamen committenda verbis cenſet quàm literis, literæ namque cuius communia faciunt. Atqui & quam electiſſimis dicenda permittit. Omnino verò iudicat diuinorum dignitatem exigere, vt ex mente in mentem verbis potius quàm ſcribendo in exteriores materias traducamur. Hac ratione Iudæi aiunt myſticum ſuæ legis ſenſum ab ipſo Deo per Moyſen non tam literis traditum, quàm animis commendatum. Sed hoc illi viderint. Pythagorici certè id obſeruabant, & Plato ſeruauit, Nam & hic pollicetur nonnulla per Archedemum potius quam per literas ſe miſſurum. Aſſerit autem quæ ab ipſo ſcribuntur, eſſe Socratis, cuius proprium in purificando erat officium. Sed cur additum eſt Socratem etiam & in iuuentute fuiſſe pulchrum, id eſt, diuinitus illuſtratum? Vt intelligamus Socratem tam educationis prima perfectione quàm naturæ felicitate à Deo per familiarem dæmonem mox accepiſſe quæ cæteri vix tandem multis laboribus aſſequuntur. Rurſus myſteria eadem per diuinam reuelationem accepta in Platonem transfuſa fuiſſe, & per Platonis exhortationes in homines ſimiliter affectos poſſe transfundi. At ne quis in hac expoſitione exiſtimet me ſomniare, audiendus eſt Proculus hæc ita confirmans. His qui ad ſummum bonum peruenire cupiunt non ſcientia & exercitatione ingenij opus eſt ſed firmitate, quiete, tranquillitate. Quæ quidem diuina fides eſt, quæ nos ad ſummum bonum diuinaque omnia ineffabili ratione trahit atque coniungit. Profectò non per ſcientiam, aut actionem vllam ingenij exquirere ſummum bonum, aut ad ipſum aſpirare debemus, ſed offerre commendareque nos diuinæ luci, & præcluſis ſenſibus in illa incognita & occulta entium vnitate quieſcere. Hoc enim fidei genus omni doctrina antiquis eſt. Hæc Proculum à Plotino accepiſſe conſtat. Si quis autem hæc diligenter conſiderauerit non exigat à Platone in Dialogis ſuis conſuetum illum apud humanos diſputatores ordinem doctrinalem, ſed eo duntaxat ſtylo contentus erit, qui rectiori tramite perducat ad Deum. Eiuſmodi verò ſtylus ſiue ordo in purgando & conuertendo conſiſtit. Oportet enim mentis oculum & purgare à caliginoſis materiæ ſordibus, & purgatum in ipſam diuini Solis lucem ritè dirigere. Vlterius verò perquirere, aut contendere non oportet. Immenſa enim lux vbique præſens ſua prorſus natura, creato ad ipſam mentis oculo, cum primum in eam purus ritè reſpexerit, ſe infundit. Ac ſi ad ſuſcipiendum Deum intellectus aſſiduè actione vtatur propria, quæ & accidens quiddam eſt & multiplex, & modo quodam ſuo mobilis, profectò per ipſam à Dei ſubſtantia ſimpliciſſima, & ab omni motionis imagine remotiſſima quodammodo diſiungetur. Sat ergo fuerit poſt conuenientem inquiſitionem purificaſſe mentem, atque direxiſſe Reliquum Mercurius ſacro mentis ſilentio tribuit. Deum enim à mente ſuo quodam ſilentio potius quam ſermone ſuo cenſet pronunciari. Omnes itaque Platonis Dialogi in hoc ipſo verſantur, & alij quidem in purgando ſolum, alij verò ſolum in conuertendo, alij in vtroque conſiſtunt. Myſteria vero hæc in Epiſtola ad Syracuſanos iterum confirmantur. Atque hæc confirmata mirum in modum præcepta Euangelica comprobant.

ARGVMENTVM IN tertiam Epiſtolam.

HÆc Platonis Epiſtola ſcribitur ad Dionyſium iuniorem poſt ſecundum Platonis ab eo diſceſſum. Et primo quidem ad Dionyſij quæſita reſpondet: deinde calumniam in ſe à Dionyſio conflatam diſſoluit. In reſponſione igitur ad quæſtionem docet non eſſe in Deo voluptatem. Illam ſcilicet quæ dolorem habet oppoſitum, & in motu quodam, vel indigentiæ expletione verſatur. Eſſe autem in Deo totum id bonum cuius cauſa bona videtur voluptas, non negat. Addit voluptatem, ſcilicet mobilem, eſſe cauſam detrimenti, ſcilicet in pecuniis & honore. Item doloris in corpore. Rurſus auferre acumen, memoriam, iudicium grauitatem. Poſt hæc contra Dionyſij inſimulationem probat ſe iuſtiſſimis de cauſis in Siciliam profectum, de reſtituendis vrbibus olim dirutis, ac de æqua gubernandi forma conſilium manifeſtè dediſſe.

ARGVMENTVM IN quartam Epiſtolam.

POſt Dionyſium expulſum tyrannide, ſcribit ad Dionem in patriam iam reuerſum, admonens eum atque etiam Heraclidem & Theodotum cæteroſque amicos, penes quos rerum poteſtas erat, vt procul à tyrannide viueret, formamque gubernandi teneret ex optimatum gubernatione plurimum atque ex populari quodammodo temperatam. Sunt hic præcepta quædam memoria commendanda. Primum quidem ad principes propriè pertinere, cunctis excellere veritate, iuſtitia, magnificentia, temperantia. Omnino autem prudentia tantum cæteros ſuperare, quantum viri pueros

prudentia superant. Secundum verò, oportet tales præstare seipsos, quales videri volunt. Tertium, circumspicere oculos omnium in se esse conuersos, ut meminerint, neque vitia sua latere posse, neque mediocri duntaxat virtute se expectationi maximæ satisfacturos. Quartum, probatissimos imitari legumlatores, & discordiam inter collegas quasi pestem vitare Quintum, meminisse communem beneuolentiam esse ad res agendas summopere necessariam. Hanc verò sola humanitate comparari posse atque seruari.

ARGVMENTVM IN quintam Epistolam.

ETsi quintam hanc consuetudo quadam Platoni inscribit Epistolam, videtur tamen potius esse Dionis, Platonem in seipso totum pro viribus effingentis. Instruit autem Perdiccam principem constitutum in Monarchia, ut meminerit se iuuenem esse, ideoque consilio ac ministerio seniorum indigere, non quidem omnium, sed probatissimorum, non quauis in re, sed in gubernandi forma, qui intelligant, quid potissimum gubernationis cuiusque sit proprium, siue gubernet vnus, siue pauci, siue multi. Vocem verò gubernationis esse vult spiritum vitamque eius, id est, legem, quæ officia & erga homines congrua instituere debet & exequi. Alioqui salua esse non possit. At quoniam significat se & Euphreum disciplina Platonis imbutos, tenere quæ ad ciuilem pertinent disciplinam, idcirco ne Perdiccas hac de re diffideret: Propterea quòd Plato ipse nunquam populo suo in ciuili disciplina profuerit, subiungit Platonem cognouisse populum suum morbo insanabili laborare, ideoque Medicorum prudentum more noluisse, & frustra, & cum sui discrimine bestiam insanabilem curandam suscipere.

ARGVMENTVM IN sextam Epistolam.

PLato diuinus, Hermiam, Erastum, Coriscum, finitimos inter se principes, ad verissimam concordiam cohortatur, hac sola saluos fore vaticinans, perque hanc aspirante Deo, qui vnione gaudet, bona omnia consequuturos, præterea eo denique peruenturos, ut rebus rite compositis diuinam sapientiam propensiori studio quam humanam, ut par est, prosequi valeant. Concordiam verò stabilem firmari inter illos posse tradit pacto duntaxat atque lege: pacto inquam legitimo sacris rite peractis inuicem stabilito, ac iureiurando interposito, Deum ipsum testando atque obsecrando tanquam vnionis authorem atque conseruatorem. Testando inquam, & obsecrando sub impari, quo Deus gaudere dicitur, numero. Tria enim summa, rerum principia, quæ in prima quoque Epistola attigit, huc adducit. Vbi enim ait omnium ducem præsentium atque futurorum, mundi animam vult intelligi, quæ utpote principium motus, res omnes à futuro in præsens, à præsenti in præteritum temporali ratione perducit. Vbi verò patrem dicit & Dominum, summum Deum ipsumque bonum significat. Sed mediam inter duo hæc mentem quandam diuinam videtur inferre, quando dum repetit ducis, subiungit & causa. Nam apud Platonem sæpe rex significat ipsum bonum, causa verò mentem, dux denique animam. Et quoniam causam refert ad mentem, ideo in Timæo Platonici disputant, Intellectum ipsius boni filium, mundi architectum proximum extitisse. De quo in Epinomide scribitur: Ratio diuinissima, siue diuinissimum verbum, mundum visibilem exornauit. Appellat autem hic ipsum bonum, tum patrem, tum Dominum: ut per primum quidem designaret mentis patrem, per secundum verò animæ Dominum. Ita forsitan Platonicus numerus exponet. Ita quoque Platonicus Christianus, sed Arianus. Poterit & quispiam per ducem, sanctum Spiritum intelligere, per mentem verò Filium. Nam vbi Plato patrem dicit, filium pariter subintelligit. Ac si quis vnam trium ponat essentiam, Platonicis quidem multis videbitur aduersari, Platoni tamen manifeste non repugnabit. Exhortatur autem ad grauiora simul studia doctrinarum, atque ad iucundiores quasdam disciplinas his cognatas, scilicet eloquentiæ, poesisque, & Musicæ. Quibus omnibus eo consilio iubet incumbere, ut per hæc quasi vestigia odorem diuinum inuestigantes, ipsum solum ament, & amando saporem insuper consequantur. Inquit ergo, si vere vel si ita Deum philosophemur, id est, vel amando inuestigemus, vel inuestigando amemus, ipsum denique omnes proculdubio cognoscemus. Profecto Philosophiæ nomen, & si indagationem quandam præ se ferre videtur, amorem tamen fert proprie amatoriamque indaginem. Cognouit ergo Pythagoras, cognouit & Plato aliter nos habere ad finita bona, aliter ad infinitum bonum: & finita quidem bona cognosci a nobis priusquam amentur, & ut cognoscantur amanda: infinitum verò amari antequam cognoscatur, neque tantum ut cognoscatur quantum ut ametur inuestigandum. At cur amandum priusquam intelligatur? quia videlicet amor amantem transferens in amatum, quod proportioni deerat, transformare supplet affectu. None Deus in sacris, ignis sæpe cognominatur? Eadem ergo metaphorica venia, Angelus quidem corpus diaphanum, anima verò opacum corpus cognominetur, quamdiu videlicet cæco hoc carcere clauditur. Itaque quemadmodum sub igne corpus diaphanum, id est, perspicuum, velut aer, & aqua subito lumen & extra & intus admittit: terrena verò corpora vehementer calefacienda sunt prius, & calore in diaphani similitudinem prius extenuanda quam igneam suscipiant lucem: sic spiritus à corpore segregati, diuinum lumen subito capiunt: spiritus verò terrenis coniuncti corporibus transformantis amoris incendio indigent: quo quidem purgati, & in diuinam translati similitudinem, diuinitus tandem splendore scientiæ collustrentur. Hinc Porphyrius ait: Inquisitio quidem diuinorum purificat animum, amor vero deificat. Proprio enim rem sic exprimit verbo, neque id quidem iniuria, nam & nulla materia ex eo fit ignis quod lumen, sed ex eo quod calorem suscipiat igneum. Platonica ergo sententia est, inuestiganda esse diuina, scilicet illa esse, & qualia quoque sint communi quadam perceptione: sed interim non communi, sed singulari incomparabilique charitate amanda: sic enim duntaxat ea nos alicubi aperte quid sint, intelligere posse atque fore beatos. Quantum vero hæc sacris consonent literis, nemo nisi prophanus ignorat.

ARGVMENTVM IN ſeptimam Epiſtolam.

Septima Epiſtola Platonis eſt ad propinquos amicoſque Dionis ſcripta, iam liberata per Dionem patria, & iniquè occiſo Dione. Verum vt multa ad hiſtoriam pertinentia, tum in hac Epiſtola, tum aliis planè intelligantur, paulò altius repetendum. Plato ter Syracuſas profectus eſt. Semel quidem ſuperioris Dionyſij tempore, quadraginta ætatis annos natus. Bis verò poſtea iuniore Dionyſio tyrannidem obtinente. Quid autem in ſingulis profectionibus egerit, aut qua de cauſa profectus ſit, partim in ipſa eius vita à nobis ſcripta, partim in his apparet Epiſtolis. Dio verò ex eadem familia qua & Dionyſius fuiſſe videtur, affinitate inſuper cum illo variè implicatus. Quoniam Dionis ſororem Ariſtomachen ſuperior in matrimonia Dionyſius habebat. At ipſe Dionyſij filiam nomine Aretam habebat vxorem. Dionyſius autem iunior non ex vxore Dionis, ſed ex alia vxore natus erat nomine Dorade. Prima profectione Dio auditor Platonis effectus, vitam ad virtutem traduxit: & concupiſcere cœpit publicum patriæ bonum. Itaque defuncto Dionyſio ſeniore, cum iunior Dionyſius in tyrannidem ſucceſſiſſet, ac puer adhuc ferè Dionis conſilio gubernaretur, optans Dio ipſum in Philoſophica vita cupiditatem traducere, Platonem multis precibus Syracuſas vocauit, ac Dionyſium vt accerſeret, induxit. Paruit ergo Plato, hac inprimis ſpe ductus, ſe ſuis conſiliis effecturum, vt illic ex tyrannide reſpub. fieret aut regnum, ſed quartò ferè poſt Platonis acceſſum menſe Dionyſius falſis adductus calumniis, Dionem quaſi tyranniæ inſidiantem expulit, Platonem tamen libenter amplectebatur. At Plato indignatus re infecta in patriam rediit. Tertiò acceſſit, Dionem Dionyſio reconciliaturus, & ab vtroque iterum obſecratus, rogatus etiam ab Archita & Archedemo Pythagoricis nobilibuſque permultis. Tunc & Dionis reuocationem pollicitus eſt Dionyſius, & optimam inſuper gubernandi formam ſe ſeruaturum. Sed nihil eorum quæ pollicitus fuerat præſtitit. Cum verò Plato palam Dionyſium redargueret, quòd fefelliſſet fidem, tum ſibi de reuocando Dione, tum Theodoti ſuo de Heraclide ſeruando, infenſum deinde habuit Dionyſium. Itaque in ſummo viuebat diſcrimine, ne à militibus interficeretur. Sed Architas Tarentinus Salmiſcum oratorem miſit ad Dionyſium vnà cum naui, rogans vt Platonem dimitteret. Ille eum dimiſit, ac præbuit commeatum. Plato in patriam rediit ſoſpes. Dionyſium paulo poſt Dio clam collectis copiis, Syracuſaſque profectus expulit, Syracuſanis reddita libertate. Ipſe verò paulo poſt dolo ſuorum inuidiaq; interficitur. Poſt hæc Hipparinus Dionis filius, & Hipparinus Dionyſij frater, Dionis ex ſorore nepos, Syracuſas tenentes conſilio nobilium freti, de honeſtiori gubernandi forma deliberant. Interea Dionyſius hoſtibus coniunctis redire in principatum conabatur. Plato igitur ad hos ſcribit, cohortans eos & inſtruens ad optimam ſpeciem gubernandi, id eſt, regum parens legibus, & optimatum authoritate ſuffultum. Sparſim verò præcepta eiuſmodi ex hac Epiſtola colliguntur. Non eſt alienum à bono ingenio optare gubernacula Reipub. præſertim quando neceſſitas poſtulat: a bono ciue alienum eſt optare hæc cum omni licentia obtinere. Non eſt prudentis temere publicis ſe negotiis implicare, præſertim vbi abſque ſalutis publicæ ſpe periculum ſubeatur. Sola Philoſophia in re tam publica quàm priuata quid bonum iuſtumque ſit, quid non ſit eiuſmodi, poteſt diſcernere: Humanum genus non prius deſinet in malis verſari, quàm aut Philoſophi dominentur, aut qui dominantur, Deo illuſtrante philoſophentur. Delicata luxurioſaque educatio ingenia vel diuina deprauat. Nullus intemperans poteſt eſſe prudens. Ciuitas in qua ciues incontinentes ſunt nulla legum potentia contineri poteſt, quin frequentes mutationes, ac ſemper in deterius patiatur. Violentia neque patriæ, neque parentibus inferenda, ſed vtriſque procul à violentia conſulendum. Authoritas antiquorum ſacrorumque ſermonum cæteris opinionibus anteponenda eſt. Bono viro nihil mali poteſt contingere. Anima ab hoc corpore ſeiuncta ſub diuini iudicis ſententia ſcelerum luit pœnas. Præſtat grauiſſimas iniurias pati quàm inferre. Auari atque intemperantes ad res diuinas cæci ſurdique ſunt, adeo vt nec ipſi videant, neque ab aliis vel audire ſuſtineant, vel auditas percipiant. Impietas omnibus peccatis mixta eſt, atque viciſſim. Impietas ipſa mixta peccatis, ſtimulus eſt quo præcipuè peccatores tum in hac vita ſollicitantur tum in altera cruciantur. Poſt hæc vbi de conſuetudine ſua cum Dionyſio, ac de Philoſophiæ ſtudio ſcribit, probat neminem in Philoſophia aliquid profecturum niſi amore ſapientiæ accenſus, omnes eius gratia & labores ſuſtineat, & oblectamenta contemnat. Tum verò quoniam ſapientis eſt contemplari diuina, opportunè oſtendit diuina, neque literis vnquam vulgo, neque verbis exprimi poſſe, imò etiam non debere. Non poſſe quidem, quia quod maius eſt, neque etiam mente omnino comprehenduntur. Non debere etiam, quia & qui in plebe infimi ſunt, tanquam monſtroſa viderent: & qui paulo in plebe ſuperiores, his auditis vel in hæreſim falſam inciderent, vel ob leuem quandam aliorum rerum opinionem vani ſupra modum contentioſique euaderent. Non inquit Plato vſquam nihil veri certique de diuinis intelligi poſſe: ſed neque poſſe exprimi, quod de his intelligitur neque propriam horum veritatem intelligi eadem ratione qua cætera. Formæ quidem aliæ omnino ſunt coniunctæ corporibus, aliæ penitus ſegregatæ. Illæ naturales, hæ diuinæ vocantur. Sunt & aliæ coniunctæ quidem quodammodo, & quodammodo ſeparabiles, id eſt, rationales animæ, inter diuina & naturalia media. Quæ quatenus corporibus coniunctæ ſunt, eatenus à diuinis neceſſario disiunguntur. Coniungi enim formis à materia ſeparatis, niſi ſeparatione non poſſunt. Separantur autem in materia duobus præcipue modis, tum morali purgatione, tum reſolutione contemplatiua. Philoſophiæ ſtudium vtrumque facit: & quemadmodum ſol humidum lignum exſiccat, prius ſoli, deinde admouet igni, occaſionem quidem ligno præbet vt accendatur, neque tamen ipſe ſed ignis accendit lignum: ita ſtudium philoſophicum & per moralem diſciplinam, & purificando præparat animam ad diuina, & per contemplatiuam reſoluendo admonet mentem diuinis atque coniungit: neque tamen ipſum diuina veritate format mentem, ſed Deus ipſe ignis inſtar mentem quaſi materiam Philoſophiæ beneficio paratam, & propinquantem veritatis ſua luce perluſtrat. Plato igitur cum dixiſſet diuina neque literis, neque verbis exprimi poſſe, ſignificauit præterea neque poſſe doceri vel inueniri eadem ratione qua cætera. In aliis enim percipiendis inquiſitio noſtra intellectum & parat & format: cum tamen in diuinis percipiendis inquiſitio vel purgatiſſima atque eminentiſſima paret quidem, ſed non formet. Idcirco inquit opus eſſe diuturna cum diuinis conſuetudine, ſignificans ſpeculationis aſſiduitatem: item vita coniunctione ſiue communione ſignificans purificationem morali diſciplina perfectam. Addit in mentem denique ſic affectam non paulatim quidem humano quodam amore, ſed ſubito lumen veritatis accendi. Sed vn-

de nam? ab igne, id est, à Deo, prosiliente siue scintillante. Per scintillas assignat ideas exemplares rerum in mente diuina. Designat & formulas idearum nobis ingenitas. Quæ per desidiam olim consopitæ, excitantur ventilante doctrina, atque velut oculorum radij emicantes, ideis velut stellarum radiis collustrantur. Subdit eiusmodi lumen non accendi solum, sed fieri in anima, vt ostendat tum formulas esse innatas animæ, tum splendorem huiusmodi familiarem euadere. Ac ne putes in eo statu mentem ambiguam sollicitamque esse addidit: Seipsum iam alit, id est, lumen hoc primum diuinitus in mente accensum, deinceps sua virtute diuinorum haurit copiam radiorum, atque almo mentem gaudio complet. Hic animus seipsum nutrit, id est, nihil quærens extrinsecus viuit seipso contentus, & quàm beate intus afficiatur, & si velit, nequit tamen, & nescit exprimere. Plato quinque in hac contemplatione meditatur gradus, quos in Theologia legito diligentius à nobis expositos. Iubet enim cupidum veritatis tum per auditum ab ipso rei nomine, tum per visum aliosque sensus à rei ipsius accidentibus ad ipsam rei definitionem procedere, per hanc ad formulam rei innatam menti, per formulam denique ad ideam tam formularum quàm rerum procreatricem. Docetque interea ideam a reliquis longe differre, quatuor præcipuè modis. Quia scilicet idea substantia est, simplex, immobilis, contrario non permixta. Reliqua verò quatuor, id est, nomen & accidentale simulachrum & definitio & formulæ notio à substantia, simplicitate, stabilitate, puritate ideæ degenerans. Idcirco haud sufficienter ideam nobis imprimunt, sed ad diuinam impressionem nos vtcunque possunt accommodant. Denique mens impressa diuinitus, siquando studeat idearum characteres verbis literisque exprimere, pulcherrimarum rerum deformes reddet imagines. Verum si crediderit Pythagoricis, non tam contendet vt depingat ideas, quàm vt audientium animos excolat, ac velut tabellas expoliat, quibus tandem diuinæ formæ diuino digito depingantur. Ipsa sane cœlestes suspiciens radios, non conabitur apud cæcos radiorum formas frustra describere, imo si insanabiles sint, dimittet: si sanabiles, duntaxat purgare aciem aggredietur, sursumque erigere, vtpote quæ intelligat alio se pacto frustra purgaturam.

ARGVMENTVM IN
octauam Epistolam.

IN superiori Epistola principes Syracusanos instituens, latius in connubiis, præceptis, & in rebus a se Dioneque gestis versatus est: in hac verò propria iam instituta breuioribus comprehendit, medium semper inter vnius ac populi gubernationem obtinens, maxime verò omnium studens, vt concilientur ciues potius quàm expellantur, & quantum fieri potest sine aliena iniuria Reipub. status rite stabiliatur. Mox in principio asserit homines impio scelere pollutos insanabiles esse, neque his vllum consilium profuturum. Item omnibus in rebus & dicendis & cogitandis à Deo principium faciendum. In tota verò Epistola obseruabis quàm cautus simul & clemens gubernator sit Plato, quamue diligens animorum conciliator. Comprobat, vt sui moris est, gubernationem Lacedæmoniæ similem. In qua plurimum sit optimatum, sit quoque regia quædam forma, sit & populare nonnihil. Damnat extremam seruitutem. per quam omnia libidini humanæ subduntur. Improbat & extremam libertatem siue licentiam, in qua quilibet ferme absque delectu sortitur Reipub. gubernacula. Medium verò probat. Nota aureum dictum. Moderata seruitus est qua seruitur Deo, immoderata qua hominibus. Temperatis quidem hominibus lex Deus est, intemperatis verò libido.

ARGVMENTVM IN
nonam Epistolam.

IN Epistola ad Architam Philosophum publicis rebus occupatissimum, consilium dat contemplanti, ne honestam simul & necessariam deserat actionem. Prodesse enim hominibus & publice & priuatim, actionem honestam vocat & necessariam. Honestam quidem, quia quemadmodum quodlibet corporis membrum non suiipsius tantum est, sed aliorum etiam, maxime verò totius, ita homines alij aliorum sunt; ac potissimum speciei. Necessariam verò, quia, & nisi aliis vixeris, non potes tibi viuere, & nisi domesticis patriæque succurreris, res profecto familiaris & publica vel destituta gubernatore nutabit, vel à deterioribus gubernata periclitabitur, ac denique faciet naufragium.

ARGVMENTVM IN
decimam Epistolam.

ARistodemum Dionis familiarem elegantia morum in primis philosophantem, in sua opinione & vita confirmat, asserens substantiam quidem Philosophiæ moralem virtutem esse, quod & nomen ipsum declarat, amore quodam cultuque definitum. Speculationes verò humanas esse vel ornamenta quædam Philosophiæ extrinseca, vel vias ad ipsam mentis firmam puritatem quæ ad mores pertinent, comparandam. Quæ comparata diuina potius quàm humana, & infusa desuper potius quàm acquisita sequitur contemplatio, ad quam speculatio illa prior si conferatur, ludus quidem à Platone cognominatur: Id autem Pythagoræ Socratisque maximum est præceptum. Vbi vero ornamenta traducimus, Græcum vocabulum ornamentum significat argutæ cuidam vanitati & superbiæ mixtum. Quasi dicat: Scientia inflat, charitas ædificat. Item: In maleuolam animam sapientia non intrabit. Synceritatem quidem siue sanitatem ponit in animo simplici & tranquillo, fidem verò in verbis: firmitatem denique in gestibus atque actionibus.

ARGVMENTVM IN
vndecimam Epistolam.

PRincipi Laodamanti da gubernatione optima consultanti consuetum illud suum dat consilium, leges quidem omnes fore vanas, nisi præterea probatissimi viri per quos viuunt leges, ingentem in Republica habuerint potestatem, ac nisi constitutus sit magistratus quidam in ciuitate, & is quidem maxima cum authoritate, qui morum censor per exploratores singulorum actiones diligenter obseruet, ad id semper intentis, vt quotidiana ciuium vita animos ad fortitudinem temperantiamque perducat.

(∴) (∴) (∴)

ARGVMENTVM IN duodecimam Epistolam.

Epistola duodecima nobis argumento est, quàm liberalis & simplex Plato fuerit: vtpote qui secretiora quædam commentaria sua nondum absoluta Architæ crediderit. Argumentum quoque id est, Architam non minus moribus quàm verbis philosophantem, dignum fuisse cui charissima quæque commoda traderentur, Fortè verò commentaria hæc ad explendum Critiam non absolutum, & ad conscribendum Hermocratem nondum compositum pertinebant. Epistolam verò ad Dionysium quæ ab ignorantibus his adiungitur, ideo non traduximus, quia & ipsa Epistolæ verba, & docti omnes negant esse Platonis. Est autem operæ precium in his Epistolis animaduertere, quam magno & constanti animo Plato noster, præsertim in amicorum rebus fuerit, & quàm grauia sæpe discrimina pro amici salute subierit Præterea quam libere atque benigne tyrannum sæpius corripuerit, ab adulatione quidem maxime omnium alienus, charitate verò atque officio nemini cedens, vt non minus vita & moribus quàm disputationibus conducere nobis possit ad bene beateque viuendum.

MARSILII FICINI FLORENTINI IN OMNIA PLATONIS

opera, Epitomarum, seu Argumentorum, Commentariorúm, Collectaneorum, & Annotationum, quotquot extant,

FINIS





MARSILII FICINI FLORENTINI IN PLOTINI EPITOME,


SEV ARGVMENTA, COMMENTARIA, ET ANNOTATIONES.

AD MAGNANIMVM LAVRENTIVM Medicum, Patriæ seruatorem.

PROOEMIVM.

MAGNVS Cosmus, Senatusconsulto patriæ pater, quo tempore concilium in Græcos atque Latinos sub Eugenio Pontifice Florentiæ tractabatur, Philosophum Græcum nomine Gemistum, cognomine Plethonem, quasi Platonem alterum de mysteriis Platonicis disputantem frequenter audiuit: è cuius ore feruenti sic afflatus est protinus, sic animatus, vt inde Academiam quandam alta mente conceperit, hanc opportuno primùm tempore pariturus. Deinde dum conceptum tantum magnus ille Medices quodammodo parturiret, me electissimi Medici sui Ficini filium, adhuc puerum tanto operi destinauit: ad hoc ipsum educauit indies. Operam præterea dedit, vt omnes non solum Platonis, sed etiam Plotini libros Græcos haberem. Post hæc autem anno millesimo quadringentesimo sexagesimotertio, quo ego trigesimum agebam ætatis annum, mihi Mercurium primò Termaximum, mox Platonem mandauit interpretandum. Mercurium paucis mensibus eo viuente peregi: Platonem tunc etiam sum aggressus. Et si Plotinum quoque desiderabat, nullum tamen de hoc interpretando fecit verbum, ne grauiore me pondere semel premere videretur: Tanta erat viri tanti erga suos clementia, in omnes tanta modestia: itaque nec ego quidem quasi nec vates aggredi Plotinum aliquando cogitaui. Verum interea Cosmus quod viuens olim interea reticuit, tandem expressit, vel potius impressit ex alto. Quo enim tempore Platonem Latinis dedi legendum, heroicus ille Cosmi animus heroicam Ioannis Pici Mirandulæ mentem nescio quomodo instigauit, vt Florentiam, & ipse quasi nesciens quomodo, peruenirèt. Hic sanè quo anno Platonem aggressus fueram natus, deinde quo die & ferme qua hora Platonem edidi Florentiam veniens, me statim post primam salutationem de Platone rogat. Huic equidem Plato noster inquam, hodie liminibus nostris est egressus, Tunc ille & hoc ipso vehementer congratulatus est, & mox nescio quibus verbis, ac ille nescit quibus ad Plotinum interpretandum me non adduxit quidem, sed potius concitauit. Diuinitus profectò videtur effectum, vt dum Plato quasi renasceretur, natus Picus heros sub Saturno Aquarium possidente: sub quo & ego similiter anno prius trigesimo natus fueram ac perueniens Florentiam quo die Plato noster editus, antiquum illud de Plotino heroii Cosmi votum mihi prorsus occultum, sed sibi cælitus inspiratum, idem & mihi mirabiliter inspirauerit. Quoniam verò nunc circa philosophandi officium diuinam attigimus prouidentiam, operæpretium fore videtur, vt eam paulo latius prosequantur. Non est profectò nutandum acutæ & quodammodo philosophica hominum ingenia vnquam alia quadam esca, præterquam philosophica ad perfectam religionem allici posse paula-

tim atque perduci. Acuta enim ingenia plerunque soli se rationi committunt, cumque à religioso quodam Philosopho hanc accipiunt, religionem subito communem libenter admittunt. Quæ quidem imbuti ad meliorem religionis speciem sub genere comprehensam facilius traducuntur. Itaque non absque diuina prouidentia nolente videlicet omnes pro singulorum ingenio ad se mirabiliter reuocare, factum est, vt pia quadam Philosophia quondam & apud Persas sub Zoroastre, & apud Ægyptios sub Mercurio nasceretur, vtrobique sibimet consona: nutriretur deinde apud Thraces sub Orpheo atque Aglaophemo: adolesceret quoque mox sub Pythagora apud Græcos & Italos: tandem verò à Diuo Platone consumaretur Athenis. Veterum autem Theologorum mos erat, diuina mysteria cum Mathematicis numeris & figuris, tum poëticis figmentis obtegere: ne temere cuilibet, communia forent. Plotinus tandem his Theologiam velaminibus eius dauit: primusque & solus, vt Porphyrius Proculusque testantur, arcana veterum diuinitus penetrauit. Sed ob incredibilem cum verborum breuitatem, tum sententiarum copiam, sensusque profunditatem, non translatione tantum linguæ, sed commentariis indiget. Nos ergo in Theologis superioribus apud Platonem atque Plotinum traducendis & explanandis elaborauimus: vt hac Theologia in lucem prodeunte, & poëtæ desinant gesta mysteriaque pietatis impiè fabulis suis annumerare: & Peripatetici quamplurimi, id est, Philosophi pene omnes amoueantur, non esse de religione saltem communi, tanquam de anilibus fabulis sentiendum. Totus enim ferme terrarum orbis à Peripateticis occupatus in duas plurimum sectas diuisus est, Alexandrinam & Auerroicam. Illi quidem intellectum nostrum esse mortalem existimant: hi verò vnicum esse contendunt: Vtrique religionem omnem funditus æque tellunt: præsertim quia diuinam circa homines prouidentiam negare videntur, & vtrobique à suo etiam Aristotele defecisse: cuius mentem hodie pauci, præter sublimem Picum complatonicum nostrum, ea pietate qua Theophrastus olim & Themistius, Porphyrius, Simplicius, Auicenna, & nuper Plethon interpretantur. Si quis autem putet tam diuulgatam impietatem, tamque acribus munitam ingeniis sola quadam simplici prædicatione fidei apud homines posse deleri, is à vero longius aberrare palam reipsa proculdubio conuincetur. Maiore admodum hic opus est potestate. Id autem est vel diuinis miraculis vbique patentibus: vel saltem philosophica quadam religione Philosophis eam libentius audituris quandoque persuasura. Placet autem diuinæ prouidentiæ his sæculis ipsum religionis sua genus auctoritate, rationeque philosophica confirmare: quoad statuto quodam tempore verissimam religionis speciem vt olim quandoque fecit, manifestis per omnes Gentes confirmet miraculis. Diuina igitur prouidentia ducti diuinum Platonem & magnum Plotinum interpretati sumus. Platonem quidem ipsum misimus ad te iamdiu, vt apud eum aliquando reuiuisceret, in quo reuixit Cosmus, atque renatus adoleuit ad votum, & feliciter floret adultus Plotinum verò nunc & fiture missuri sumus, non tam mittimus quidem quam spectamus ad tuas ædes vltro & alacriter properantem, tanquam ab ipso Platone, velut ferrum à lapide quodam Herculeo raptum: vt penes te Magnanime Laurenti vnice literarum patrone vna cum Platone suo felicissime viuat. Audi ergo feliciter Plotinum de omnibus Philosophiæ mysteriis apud te cum Platone loquentem. Sed antequam hunc auscultes, Porphyrius pius eius discipulus tibi auscultandus erit, vitam, mores, gesta magistri, & breuissime simul & verissime narrans. Cuius historiam Angelus Politianus noster, alumnus tuus, acerrimo vir iudicio, tam oratoriam quàm philosophicam esse censet, propterea tibi admodum placituram, denique non solum audi feliciter, sed etiam felicissime viue: & quantum nos amas dilectissime Laurenti, tantum precor nostrum ama Valorem, Philippum inquam egregium virum, & Platonicæ sapientiæ studiosum, & te ardenter amantem.



MARSILIVS FICINVS,

MAGNANIMO PETRO MEDICI.

SALVTEM.



Vm Idibus Nouemb. in agro Caregio, vnà cum Magno Laurentio Medice deambularem, multaque Platonis mysteria vltro citroque interpretaremur, decidi fortè inter locum quendam è sapientia in fortunam, cœpique hanc acrius incusare, quòd Platoni lucem affectanti sæculis iam multis obstiterit. Tum ille: Noli, inquit Marsili Platonem nostrum infortunatum dicere, nisi forsan me fore putes infortunatum: Sermonem quidem tunc nostrum his dictis absoluimus. Sed nunquid mortis causa deinde sequutæ Laurentium liceat infortunatum existimare? simulque Platonis fortunam funditus corruisse? Absit, vt animum illum minus felicem putem, quem è corporis compedibus euolantem, nouo quodam applausu lætus æther exceperit, grandiore stella in Laurentiana tecta cadente, mirisque flammis ex alto per Caregianos agros triduo coruscantibus. Sed biduo ante obitum, Iupiter rubente dextera sacras iaculatus arces, terruit vrbem, mox orbam tanto patre futuram. Terruit hostes: graue ne quid forsan aduersus inuictam domum Medicam molirentur. Itaque nec Laurentius heros, nec heroicus Petrus, Laurentij filius, ob ea quæ nuper contigerunt, minus posthac felix est iudicandus, nec propterea Plato noster informatus, cuius caput hactenus salutari prorsus vmbra Lauri fouebatur: nunc pedes iam firmissima Petra nituntur. Plotinus denique manibus nunc tuis apprehensus, seniorem interea Platonem piis humeris sustinebit, teque duce producet in lucem.

PLOTINI





PLOTINI VITA,

PORPHYRIO EIVS DISCIPVLO AVTHORE,

Marsilio Ficino Florentino Interprete.

PLOTINVS DELITIAS, ET INANEM gloriam, vitamque contemnebat: obiit angina, apparuit Draco.



LOTINVS, Philosophus nostro sæculo singularis: pudore quodam affici videbatur, quòd anima eius in corpore esset. Cùm igitur sic esset affectus, nimirum neque vnde genus duceret, neque quibus esset ortus parentibus: neque etiam qua patria oriundus, æquo animo narrabat. Idem tantopere indignabatur effigiem corporis radere pictoribus & plastis exprimendam, vt cum Amelius obsecraret, vt imaginem suam permitteret effingi, quasi verò inquit, non satis hanc imaginem ferre sit, quam natura nobis ab initio circumdedit: etiam censes imaginis huius imaginem diuturniorem insuper posteris, vt opus spectaculo dignum relinquendum? Cum igitur id sedulo denegaret, renueretque sedendo pictoris operam expectare, Amelius amicum nomine Carterium pictorem suis temporibus optimum Plotini scholas ingredi iussit: Licebat enim cuilibet cœtibus ibi disputantium interesse. Pictorem igitur assuefecit Amelius longa quadam attentione concitatiores ex intuitu imagines mente concipere: Deinde dum & Carterius ex imagine memoriæ commendata similitudinem ritè referret, & Amelius simul lineamenta ad consequendam similitudinem emendaret, pictoris huius ingenio simulachrum reddidit Plotino nesciente simillimum: Proinde cum sæpè colico vexaretur morbo, semper clysteres renuit, negans decere senem curationes eiusmodi. Neque theriaca antidora vnquam accepit, cum nec ex animalium quoque mansuetorum corporibus capere escam se diceret. Abstinebat & balneis: frictionibus autem domi quotidie vtebatur. Cum verò ingrauescente supramodum pestilentia, qui perfricabant eum è vita iam decessissent: ipse autem curationes id genus omnino neglexisset, paulatim in anginam incidit. Quod sanè malum eo illim me præsente nullum sui vnqnam dedit indicium. Quum verò discessissem vsque adeo morbi huius pestis inualuit: quemadmodum posteà redeunti mihi amicus Eustochius retulit, qui Plotinum vsque ad obitum non deseruit (vt raucedide nimia clarus atque canorus ille vocis rotundæ vigor omnis abiret: caligaret & visus manusque & pedes vlcerarentur. Quamobrem cum amici eum non amplius salutarent, propterea quòd ipse omnes ore proprio appellare consueuerat, ex vrbe discessit, profectusque in Campaniam, deductus est in agrum Zerhi veteris amici sui vita iam functi. Necessaria verò illi ex rebus hæredibusque Zethi suppeditabantur, atque etiam ex Minturnis à Castricij agris afferebantur. Castricius enim prædia Minturnis habebat. Quum verò morti Plotinus appropinquaret: quemadmodum nobis Eustochius retulit, qui Puteolis habitabat: ac fermè tardius ad eum accesserat, adhuc te, inquit, expecto, atque equidem iam annitor, quod in nobis diuinum est, ad diuinum ipsum quod viget in vniuerso redigere: spiritumque his verbis emisit. Interea draco sub lecto in quo iacebat ille, perertans mox in parietis foramen se prorsus occuluit. Agebat verò tunc Plotinus annos (vt retulit Eustochius) sex atq; sexaginta, secundo Claudij Imperatoris anno iam peracto. Quo verò tempore Plotinus ex hac vita migrauit, ego equidem Porphyrius in Lilybeo versabar: Amelius autem in Apamea Syriæ: sed Castricius erat Romæ: solus denique Eustochius aderat. Iam verò si computemus à secundo Claudij Imperatoris anno, exactos iam annos sex atque sexaginta, natiuitatis illius tempus cum tertiodecimo Seueri Imperatoris anno concurrit. Ipse verò neque quo mense, neque quo die natus esset, cuiquam declarauit: quippe quum nequaquam decere putaret, natalem eius sacrificiis conuiuiisque celebrari. Quamuis ipse in Platonis, Socratisque quæ traduntur natalibus, & sacris operaretur, & conuiuio amicos exciperet. Vbi sanè oportebat amicos omnes, quicunque possent, orationem quandam ritè

Vti

conscriptam, in cœtu omnium qui concurrerant recitare. Quæ verò de vita sua ipsemet in confabulationibus nostris sæpè narrauit, talia sunt.

De educatione Plotini, & disciplina sub Ammonio, & condiscipulis eius: & quo tempore.

REferebat igitur se dum octauum ageret ætatis annum, ac iam ad literarum accederet præceptorem, adhuc tamen solitum ad nutricem diuertere, sugendique lactis auiditate nutricis nudare papillas. Cum verò quandoque sibi obijceretur, quod puer esset molestus, pudore cohibitum destitisse. Post hæc cum octauum atque vigesimum ætatis annum iam impleret, se Philosophiæ amore vehementer accensum, commendatum fuisse iis, qui tunc Alexandriæ excellentiores habebantur: sed tandem ex eorum scholis tristem admodum mœstumque discessisse, & amico cuidam mœroris sui causam declarasse, qui suæ mentis affectum planè cognoscens, ad Ammonium, cuius nullum adhuc periculum fecisset, adduxerit: deinde cum Ammonij scholas ingressus audiuisset illum, amico dixisse: Hunc ipsum ô amice quærebam. Ex eo igitur die annos vndecim sedulus audiuit Ammonium, tantumq; in ea Philosophia profecit, vt Philosophiæ insuper in qua Persæ se exercebant, facere periculum affectauerit: atque etiam sapientiam præcipuè apud Indos, probatam, prosequi constituerit. Igitur cum Gordianus Imperator, profecturus esset in Persidem, bellum populis illaturus, Plotinus exercitui se adiunxit, quasi annos iam ætatis agens nouem atque triginta: sed postquam Gordianus circa Mesopotamiam interemptus esset, Plotinus vix aufugiens in Antiochiam sospes euasit: Deinde imperante Philippo, Romam venit quadragesimum iam natus ætatis annum. Cum verò Erennius & Origenes & Plotinus olim interse constituissent, ne Ammonij dogmata ederent, quæ audita ab eo tanquam in primis purgata præcipuè comprobauerant: Plotinus quidem stetit promissis, familiariter quidem nonnullos excipiens salutantes: instituta verò Ammonij secreta integraque conseruans. Erennius autem primus pacta dissoluit: & Origenes anticipantem Erennium est deinde sequutus. Scripsit verò nihil præter quendam de Dæmonibus librum: atque sub Galieno librum, in quo Regem solum effectorem esse probat. Plotinus autem à scribendi studio diutius se continuit: solum verò quæ ex Ammonij consuetudine olim acceperat, suis colloquiis inserebat, atque ita integros annos decem perseuerauit: colloquio quidem nonnullos admittens, scribens verò nihil. Sed quoniam promiserat vel inuitauerat familiares suos pro arbitrio eum interrogare, idcirco Amelius ait, Ludum illum confusionis cuiusdam fuisse plenum atque nugarum. Hic sanè Amelius accessit ad eum Romæ triennium iam agentem, anno Philippi Imperatoris tertio: perseuerauitque apud illum vsque ad primum Claudij Imperatoris annum, atq; ita integros cum eo vixit annos quatuor atque viginti. Hic cum primum se contulit ad Plotinum, eo duntaxat habitu præditus erat, quem ex Lysimachi familiaritate conceperat. Tolerantia verò laboris omnes condiscipulos superabat, propterea quod omnia fermè Numenij dogmata scripserit & attulerit, plurimaque memoriæ commendauerit, qui ex ipso audiendi studio commentariola quædam scholastica congerens, centum fermè ex his libros composuit, quæ Iustiliano cuidam Hesychio Apamensi adoptiuo filio dono dedit. Decimo autem Galieni Imperatoris anno ego Porphyrius è Græcia vnà cum Antonio Rhodio Romam veniens Amelium reperi, octo & decem iam annos Plotino familiariter vsum, nihil tamen adhuc ausum scribere, præter quædam vt dixi commentariola, quæ nondum in numerum creuerant centenarium. Proinde Plotinus decimo Galieni Imperatoris anno, fermè iam nouem & quinquaginta annos agebat. Ego verò Porphyrius cum primum huic adhæsi, triginta tunc annos impleueram. Plotinus quidem primo Galieni Imperatoris anno se ad scribendas conuertit qualescunque inciderint quæstiones: ac decimo eiusdem anno, quando ego Porphyrius Plotino sum cognitus, scripserat iam vnum vigintique libros: quos quidem traditos paucis deprehendi: nondum enim facilis erat editio, neque quiuis eius conscius erat: neque enim facilè neque temere aliquid edebatur: sed illi duntaxat accipiebant, qui essent maturo quodam iudicio comprobati. Scripta verò hæc iam erant, quæ dicam. Quæ cum ipse nequaquam certis titulis inscripsisset, alius aliter libros inscripserat. Inscriptiones igitur quæ magis obtinuerunt, eiusmodi sunt.

Quæ Plotinus scripserit: quo ordine, quo tempore.

De pulchro.
De animi immortalitate.
De fato.
De essentia animę.
De intellectu & ideis & ente.
De animæ descensu in corpora.
Quomodo à primo fit quod est post primum, atque de Vno.
De suo cuiusque nostrum Dæmone.
De rationali exitu.
De qualitate.
Vtrum singularium etiam sint ideæ.
Vtrùm omnes animæ Vna sint.
De ipso bono, vel Vno.
De tribus principalibus substantiis.
De generatione & ordine eorum quæ sunt post primum.
De duabus materiis.
Considerationes variæ.
De circulari motu cœli.
De virtutibus.
De Dialectica.
Quomodo anima inter essentiam indiuiduam, & diuiduam media esse dicatur.

Hi verò libri vnus atque viginti, quando eum primo conueni, scripti iam erant, quando & Plotinus nonum & quinquagesimum annum ætatis agebat. Ego autem & hunc ipsum annum, & insuper quinque deinceps cum Plotino versatus sum. Quinetiam alias paulo suprà decennium Romam veneram, quam tempore Plotinus ociosus ducebat æstates: quamuis confabulantium consuetudine minimè deuitaret. In his autem sex quos modo dicebam annis, quæstiones multæ in disputando discussæ sunt diligenter. Ideoque Amelio meque simul hortantibus scripsit libros de eadem quæstione duos, probans vnum & idem

vbique totum simul adesse. Scripsit deinceps duos insuper alios: quorum alter quid eum asserit, quod est superius ente non intelligere: alter verò distinguit quid primo intelligat, quidve secundo.

Scripsit etiam librum.

De eo quod est in potētia, quodve existit in actu.
Cur quæ procul videntur, exigua videantur.
Item, quomodo incorporea minimè patiantur.
Primum, de anima.
Rursus, de anima secundum.
Deniq; de anima tertium, Vel quomodo videamus.
De contemplatione.
De intelligibili pulchritudine.
Quòd intelligibilia non sint extra intellectum, & de intellectu atque bono.
Contra Gnosticos.
De numeris.
Vtrum in longitudine temporis felicitas consistat.
De mixtione per omnia.
Quomodo idearum extitit multitudo, atque de bono.
De voluntario.
De mundo.
De sensu atque memoria.
De generibus entis primum.
De generibus entis secundum.
De generibus entis tertium.
De æternitate & tempore.

Hi ergo libri quatuor & viginti quos in sex annis quo cùm eo vixi conscripsit, assumens videlicet ex occurrentibus quæstionibus occasionem opportunitatemque scribendi; quemadmodum ex capitibus vniuscuiusque libri significauimus. Hi inquam libri vnà cum viginti & vno, quos antequam accederem, composuerat: summatim quinque super quadraginta conficiunt. Quo verò tempore in Sicilia vitam agebam, quo peruenerant circa quintum decimumque Galieni Imperatoris annum, Plotinus libros quinque composuit, & ad me in Siciliam misit.

De beatitudine.
De pronidentia primum.
De prouidentia secundum.
De substantiis cognoscentibus, atque illis superiore.
De amore.

Hos itaque libros misit ad me primo Claudii Imperatoris anno. Inter initia verò anni secundi: quando, & paulo post ex hac vita migrauit, hos præterea misit.

Quæ sint mala.
Vtrum stellæ aliquid agant.
Quid homo: Quid animal.
De primo bono, cæterisque bonis.

Hi verò libri vnà cum quinque & quadraginta primo tempore scriptis, atque secundo quinquaginta & quatuor computantur. Quemadmodum verò conscripti sunt: alii quidem in ætate prima, alii verò in ipso vigore vitæ: alii denique defesso iam corpore, sic fermè libri vim similem ipsi declarant. Primi namque vnus atque viginti, si cum proximè sequentibus conferantur, leuiorem vim habere videntur, nondum satis constans robur habentem. Qui verò medio tempore compositi sunt, virtutis florem præferunt ad summum vsque vigentem. Talesque sunt quatuor & viginti (exceptis quibusdam paucis) perfectissimi. Vltimi denique nouem remissiorem iam referunt facultatem, idque postremi quatuor magis quàm antecedentes quinque declarant.

AVDITORES PLOTINI, & quantum sit salubris abstinentia.

Auditores quidem multos habuit, imitatores autem, & gratia philosophiæ valdè familiares Amelium Tuscum, & alios. Sed Amelio huic proprium nomen Gentil. extiterat. Ipse verò se per literam. R. Amerium nominari maluit, ab Ameria, quàm Amelium ab Amelia. Item paulinum Scythopoliten Medicinæ admodum studiosum, quem disciplinarum & (vt ita dixetim) auditionum plenum Amelius Miccalum appellabat. Præterea Eustochium Alexandrinum etiam Medicum, qui sanè propè postremum ætatis tempus perseuerauit, diligenterque plotinum ad mortem vsque curauit, solisque, Plotini institutis incumbens, legitimi Philosophi habitum induit. Versabatur quoque cum eo Zothicus Criticus homo & poëticus, qui & Antimachi opera emendauit, Atlanticamque historiam ritu valdè poëtico in carmina transtulit: post hæc in caliginem incidit oculorum, & paulo antè Plotini obitum decessit è vita. Paulinus quoq; diem obiit ante Plotinum. Præterea familiaris admodum Plotino Zethus erat, genus ex Arabia ducens: qui & vxorem duxerat filiam Theodosij, quondam familiaris Ammonij. Erat & hic Medicinæ peritus, Plotinoque dilectissimus: quem Plotinus ciuilium gubernaculorum momenta gerentem, inde reuocare admodum contendebat, eoque familiariter vtebatur, adeo vt in agros eius secederet ad sextum lapidem ante Minturnas: quos Castricius possederat cognominatus Pbirmus, vir profectò omnium ætatis nostræ bonarum artium studiosissimus, obseruatorque plotini & Amelij seruili etiam obsequio cultor, mihique Porphyrio cunctis in rebus non aliter quàm legitimo fratri deditus. Hic etsi ciuilem elegit vitam, Plotinum tamen in primis venerabatur. Senatores quinetiam non pauci Plotinum sedulo audiebant: inter quos Marcellus Orontius Philosophię diligētissimè incubuit, maximeque profecit: similiterque Sabinillus, ac pariter ex eodem senatu Rogatianus. Qui vsque adeo ab hac vita animum segregauit, vt & bonorum suorum curam neglexerit, & seruos omnes expulerit, respueritque dignitates. Iam verò pretor proditurus lictoribus iam adstantibus neque vllam habuit publici muneris rationem, neque lares proprios habitabat, sed quosdam amicorum familiarumque conueniens, apud eos cœnabat & dormiebat, cibumque in dies vnicum assumebat. Qua quidem negligentia vitæ extremaque incuria factum est, vt quum acriter podagris antea vexaretur, neq; progredi posset nisi vectus sella, robur tādem inde resumpserit. Item quum manus ante extendere non valeret, tamen adeo conualuerit, vt his expeditius vteretur, quàm qui artificia manibus quotidie tractant. Hunc ergo Plotinus in primis complectebatur, mirifique laudibus extollebat; proponebatq; tanquam insigne philosophaturis exemplum. Aderat & Alexandrinus Serapion, hactenus quidem Rhetor: deinde verò disputationibus quoque deditus philosophicis: nec dum tamen auaritiæ fœnorisque vitio se absoluens. Habuit præterea me Porphyrium patria Tyrum inter amicissimos

numeratum, quem instituit sua scripta corrigere.

Mira componendi celeritas in Plotino: nunquam interrupta mentis intentio: negligentia characterum.

Cvm enim aliquid ille scripsisset, quod scripserat respicere bis minimè tolerabat: sed neque etiam semel legere atque percurrere, propterea quod visus ei non satis sufficeret ad legendum. Dum verò scribebat, neque bellè quidem literas figurabat, neque exactè syllabas distinguebat, neque vllam orthographiæ diligentiam adhibebat: soli videlicet intelligentiæ studens: atque id quod omnes admirabamur id agere ad finem vsque vitæ perseuerauit. Cùm enim totam quandam à principio ad finem dispositionem intelligentiæ semel penes se concepisset: deinde scriptis quæ conceperat iam mandaret, connectebat prorsus ita scribens quæ in animo disposuerat, vt ex libro quodam ante oculos posito scripta traducere videretur: nempè nonnunquam cum suorum quopiam verba faciens, & quæ ad commercia pertinent, humana componens, interea tamen ab instituto mentis actu minimè discedebat: vt simul & necessarium curaret amici negocium, & cunctorum quæ in excogitatione conceperat, intelligentiam perpetuam conseruaret. Cùm igitur qui alloquutus eum fuerat, iam abiisset, non repetebat scripta, quoniam ad repetendum, visus (vt diximus) minimè suppetebat: sic tamen deinceps sequentia contexebat, quasi ne minimum quidem temporis institutum prius intermisisset, dum audiret & tractaret humana. Simul igitur secum erat atque cum aliis, intentionemque mentis ad se conuersæ nunquam intermittebat, nisi forsan dum dormiret: quamuis & somnum ab eo procul excusserit, tum cibi parcitas, sæpè enim pane etiam abstinebat, tum assidua quædam conuersio ipsius ad mentem.

Mulieres quoque discipulæ Plotini eius sanctimonia fretæ. Hic & pupillorum tutor erat diligens, & iustus arbiter causarum.

Avdiebant Plotinum etiam mulieres nonnullæ, admodum suæ sapientiæ deditæ: quarum in numero erat Gemina, in cuius etiam laribus habitabat. Item Geminæ huius filia, nomine similiter Gemina. Amphidia quoque Aristonis filia, & filij Iamblici vxor. Multi quinetiam viri, multæ & mulieres, genetis nobilitate pollentes cùm morti iam propinquarent, filios suos, tum mares tum fœminas, vnà cum omni eorum substantia Plotino tanquam sacro cuidam diuinoque custodi tradebant, atque commendabant. Quocirca Plotini domum plenam, iam puerorum virginumque videres: inter quos erat & Potamon, quem Plotinus diligenter educans, etiam quotiens aliquid foret commutaturus, auscultabat attentus.

Neque tædebat eum pupillorum procuratores audire administrationis rationes sæpe red dentes, diligentemque adhibebat parsimoniæ curam: affirmans quamdiu nondum philosopharentur, sua illos bona possidere, & prouentus accipere absque detrimento debere. Et quamuis is tot pupillis necessariæ vitæ summa cum diligentia procuraret, nunquam tamen dum vigilaret, intentionem animi in mentem conuersi, vel pabulum remittebat. Erat & mansuetus admodum, & omnibus pro arbitrio qui ei quoquomodo adhærerent expositus. Quamobrem cùm Romæ annos sex & viginti integros habitasset, plurimorumque arbiter mutuas controuersias diremisset, nullum tamen ciuium vnquam habuit inimicum.

Plotinus Magorum maleficia superauit: Dæmonem suum diuinum & diu paucis iudiciis mirabiliter diuinabat.

Ex eorum numero qui sibi Philosophiæ studium vendicabant, Alexandrinus Olympius Ammonij ad breue discipulus, vtpote qui principatum in Philosophia sibi cuperet arrogare, & ipse despiciebat Plotinum, & despectum reddere apud omnes moliebatur: animoque tam infenso maleficiis Plotinum inuasit, vt magicis quibusdam machinamentis siderare illum contenderet. At postquam suos in seipsum conatus reflecti persensit, contubernalibus inquit, Plotini animam tam ingentem habere potentiam, vt ictus directos in eum statim in maleficos retorqueret. Iam verò Plotinus cum primum maleficia Olympius ille machinaretur animaduertit aitque suis: Nunc Olympio corpus marsupiorum more contrahitur, membraque inter se corporis omnia conteruntur. Quamobrem postquam Olympius sæpè suo discrimine esset expertus, se ictus suos, Plotino in eum repellente, recipere: tandem à maleficio destitit. Et profectò Plotinus ipsa quoque natura ab initio maius aliquid præter cæteros possidebat. Ægyptius enim quidam sacerdos Romam profectus, perque amicum quendam Plotino subito notus, quum exoptaret suam Romæ sapientiam ostentare, suasit Plotino vt secum accederet familiarem sibi Dæmonem, eo aduocante protinus inspecturus, cui facilè Plotinus est obsequutus. Acta verò est in æde Isidis Dæmonis inuocatio: solum nanque hunc locum Romæ purum ait Ægyptium inuenisse, sed quum in aspectum proprium ipse dæmon accerseretur, pro Dæmone Deus accessit, qui sanè non esset in genere Dæmonum: sic ergo repente Ægyptius exclamauit: Beatus es ô Plotine: qui habeas pro dæmone Deum: neque ex inferiori genere sisdu cem sortitus familiarem. Narrabat verò non licuisse tunc quicquam interrogare, neque diutius videre præsentem: quippe quum communis quidam ibi contemplator amicus aues, quas manu tenebat custodiæ gratia, suffocasset, siue inuidia ductus, siue metu perterritus. Quum igitur ex diuinorum ordine Dæmonum familiarem sibi Plotinus haberet, merito & ipse semper diuinum suæ mentis oculum ad illum sublimius erigebat. Quam etiam ob causam de suo cuiusque familiari Dæmone librum deinde composuit: vbi sanè conatur causas de familiarium numinum differentia diligenter afferre. Præterea quum Amelius sacrorum obseruator esset, atque per calendas sacra faceret, & quandoque Plotinum rogaret illuc secum accedere: illos inquit, Plotinus decet ad me, non me ad illos accedere. Qua verò mente rem excelsa de se loqueretur, neque intelligere ipsi potuimus, neque ausi sumus interrogare.

Erat in cognoscendis motibus sagacissimus.

Itaque cùm mulieri nomine Chione penes ipsum vnà cum filiis habitanti, castamque agenti viduitatem, pretiosum monile furto subreptum fuisset, omnesque serui atque domestici in Plotini conspectum accersiti venissent, singulos Plotinus intuitus selegit quendam, aitque: Hic monile subripuit. Verberatus ille diu quidem negat: sed denique confitetur, furtumque restituit. Similiter quales singuli apud illud versati pueri futuri essent, mirificè prædicebat. Velut de Polemone prædixit: ad amorem hic procliuior erit, nec ad ætatem maturam perueniet, atque ita contigit. Ego quandoq; me ipsum interimere cogitabam: quod mirabiliter ille persensit, mihiq; domi deambulanti protinus adstitit, aitque, studium nunc istud ô Porphyri tuum non sanæ mentis est, sed animi potius atra bile furentis, itaque Roma abire me iussit. Huic ergo parens, in Siciliam sum profectus, præcipuè cum audirem, probum quendam elegantem virum circa Lilybeum, tunc habitare. Quo quidem factum est, vt hac perturbatione animi liberarer, sed interea impedirer vnà cum Plotino vsque ad eius obitum vitam ducere.

Platonopolim ædificare voluit: Disputator acer, formosus, amabilis, In dictionibus negligens, sensu profundus: Platonica cum Peripateticis abunde coniunxit.

PRoinde Galienus Imperator, vxorque eius Salonina Plotinum honorabant, maximeque colebant. Hic igitur eorum beneuolentia fretus orauit, vt dirutam quandam olim in Campania ciuitatem Philosophis aptam instaurarent, regionemque circumfusam cultæ ciuitati donarent, concederentque ciuitatem habitaturis Platonis legibus gubernari, atque ipsam ciuitatem Platonopolim appellari: pollicebatur se illuc habitatum vnà cum amicis omnibus profecturum. Quod facilè Philosophus ad votum impetrauisset, nisi quidam Imperatoris familiares inuidia, vel indignatione, vel alia quadam iniqua de causa acriter obstitissent. Erat in disputationibus strenuus ad dicendum, ad inuentionem solers, ad opportuna percipienda promptissimus, sed fortè in nonnullis dictionibus aberrabat: non enim pronuntiabat meminisse, sed meminisse similiterque aliis quibusdam dictionibus abutebatur. Quod quidem vitium in scribendo etiam sequebatur. Præterea inter loquendum mens emicabat foras, lumen intimum ad vultum vsque diffundens. Amabilis quidem erat aspectu, sed dum disputaret pulchrior admodum videbatur: tunc sanè tenuis quidam sudor, velut ros è facie distillabat: tunc benigna mansuetudo fulgebat: tunc ad quæstiones & excipiendas placida lenitas apparebat, & dissoluendas robustus admodum vigor demonstrabatur. Iam verò cum ego Porphyrius triduo eum interrogarem, qua conditione potissimum anima cum corpore coniungatur, ille in demonstrando perseuerauit. Quando etiam quidam nomine Thaumasius scholas ingressus communia tractaturus, præfatus est, optare se Plotini sententias in scriptis exponendis audire. Porphyrio verò interrogante atque respondente, disputationem eiusmodi minimè tolerare, sed Plotinus obiecit: nisi dubitationes interrogante Porphyrio dissoluamus, commentari oratione perpetua quicquam in librum aliquem non valebimus. Scribit autem intentissimo quodam acumine, & intellectu multiplici. Est quidē breuis, sed sensibus vbique pluribus quam verbis abundans. Multa numine afflatus effundit: sæpè ex ipsa re qua de agit mirifice patitur: neque tam simplici disciplina loquitur, quam animo ad rem ipsam ardenter affecto. Inserta sunt libris eius latentia dogmata Stoicorum, Peripateticorumque similiter: præsertim verò sententiæ Aristotelis post Physica congestæ illic frequentius insunt. Latuit eum nihil omnino: quod ad Geometriam, Arithmeticam, Machinariam, Perspectiuam, Musicam pertineret: quamuis nunquam se promptum ad hæc opera exequenda reddiderit. Legebantur in Scholis Commentaria Seueri, Cronij, Numenij, Gaij, Attici Philosophorum Platonicorum: Item Peripateticorum Aspasij, Alexandri, Adrasti, & quotcunque sorte inciderint commentaria: sed nihil ex his tractu continuo dicebatur. Erat enim proprius suique iuris, & ab his contemplatione diuersus. In rebus verò discutiendis intellectum ferebat Ammonij. Lectione quam primum euadebat imbutus, paucisque profundæ contemplationis intelligentiam afferens exurgebat. Quum liber Longini & Pylarchei de principiis lectus esset, literarum quidem studiosus est Longinus, Philosophus verò nequaquam. Quum Origenes aliquando venisset in scholas, Plotinus statim genas rubore suffusus assurgere voluit, sermonem verò ab Origene continuare rogatus, respondit: Studium loquendi cessare, quando qui loquitur anima duertit se ad illos qui idem ipsi nouerint verba facturum, atque ita cum pauca quędam disseruisset, inde surrexit.

Celebrat Platonis natalem. Erat omnium pudicissimus.

CVm in Platonis natalibus poëma de connubio sacro recensuissem, & quidam præsens obiiceret Porphyrium insanire, quippè quum multa illic diuino quodam afflatu secretoque mysterio dicta fuissent: Plotinus palam cunctis audientibus ait: Demonstrasti simul poëtam, Philosophum, sacerdotem. Legit quandoque ibidem orator Diophanes defensionem pro Alcibiade in Platonis Symposio debacchante, decere probans, virtutis addiscendæ gratia amatori seipsum exponere: hanc ipsam demonstraturo, etiamsi congressum venereum affectauerit. Inter legendum verò Plotinus surrexit sæpius tanquam ex eo cœtu subitò discessurus: veruntamen se continuit: mox verò cœtu soluto mihi mandauit in primis, vt refellerem oratorem. At quum Diophanes ille librum mihi legendum concedere nollet, memoriæ viribus argumenta recolui: scripsi contra: eisdem mox audientibus retuli: tanta Plotinum affeci lætitia, vt in ipso conuentu continuo sæpè repeteret: Sic feri, siquidem ita viris lumen eris. Eubulus Platonis sectator scripsit Athenis, scriptaque misit Romam de quibusdam Platonicis quæstionibus, Plotinus autem hæc mihi tradiuisit, meque considerare singula, eique referre. Operam dedit astronomiæ regulis, quamuis more non admodum Mathematico: Astrologorum verò iudiciis incubuit diligentius. Cumque illorum prędictiones non esse fide dignas deprehendisset, non piguit eum sæpè in scriptis suis illorum præsagia confutare.

Scripsit contra quosdam Christianos hæreticos: Et suis contra eosdem scribi mandauit.

ERant Christiani eo tempore multi, tum alij, tum ex antiqua Philosophia egressi Hæretici, Adelphij, Acylinique sectatores: qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demostrati, Lydi, plurimos libros circunferebāt, & reuelationes quasdam Zoroastris, Zostriani, Nichorei, Allogenis, Mesi, aliorumque eiusmodi palam ostendentes, & deceperunt multos, & ipsi decepti iam fuerant: asserentes Platonem intelligibilis essentiæ profundum minimè penetrasse. Quamobrem Plotinus multas in disputationibus suis in eos argumentationes intulit: scripsitque contra eos librum, quem contra Gnosticos nos inscripsimus, nobisque reliqua discutere & iudicare commisit. Amelius autem libros quadraginta composuit contra librum Zostriani. Ego verò Porphyrius argumentationibus multis ostendi librum Zoroastri ab illis inscriptum, adulterinum nouumque esse, & ab eis confictum, qui struebant hæresim: vt institutiones suæ, esse Zoroastris veteris crederentur.

Plotini sensa pauci admodum penetrabant. Testimonia Amelij vnà cum Porphyrio de excellentia librorum Plotini.

PLerique Græcorum Plotinum falsò criminabantur, quasi inuenta Numenij sibi clam vsurparet: quam sanè calumniam Tryphon, Stoicus & Platonicus Amelio nunciauit. Hinc librum scripsit Amelius, quem nos inscripsimus De differentia doctrinæ Plotini ad Numenij disciplinam: Amelius autem librum mihi dicauit, meque ipsa inscriptione Basilea, id est, Regem cognominauit: id enim mihi nomen erat: Et patria quidem lingua nominabar Malcus, quo nomine vocabatur & pater. Malcus autem in Græcam translatus linguam Rex appellatur. Quocirca Longinus, vbi dicauit scripta de Conatu Cleodamo, mihique porphyrio sic ett exorsus: ô Cleodame atque Malce. Amelius autem nomen ipsum interpretatus, sicut Numenius, Maximum appellault Megalum: sic Malcum cognominauit Regem. Amelius Basileo, id est Regi salutem. Certò scito me nunquam vocem fuisse emissurum inclytorum virorum causa, qui, vt iam diuulgatum esse ais, amici nostri dogmata in Apameum Numenium referunt: Constat enim id ex dicendi loquendique propria apud ipsos, & qua gloriantur, modestia proficisci. Nunc quidem meras nugas, nunc verò supposititium vocāribus: rursus quasi vilissima quędam supponat, accusant: & mendaci dunraxat dicacitate in eum perperam inuehuntur. Cùm verò tu occasione hac vtendum censeas, cùm videlicet, vt quæ nobis videntur ad reminiscendum promptiora reddamus, tum etiam vt in amici gloriam, præsertim qualis est magnus admirandusque Plotinus, quamuis olim decantata mysteria plenius cognoscantur, morem tibi gerendum existimaui, iamque tibi reddo promissa, triduo quod scis à nobis elaborata. Decet verò scriptis te nostris ignoscere, vtpote quæ non sint compositionum illarum comparatione, vel composita, vel electa, sed ex veteri congressu repetita: & vt quæque prima succurrebant, sic in præsentia disposita sunt. Eoque magis danda mihi venia est, quod viri illius consilium, qui à nonnullis in iudicij nostri consensionem est adductus, haud facilè deprehendi potest: propterea quòd aliàs aliter de rebus eisdem, vtcumque placuerit, verba faciat. Ego autem certò scio, te benignè prorsus emendaturum, si quid præter familiarem Plotini nostri characterem hic à nobis fuerit obsignatum. Iam verò compulsus videor, vt est in tragœdis, tanquam negotiosus homo, ideoque ab ipsa nostri ducis doctrina distantior, emendatoris subire iudicium atque retractare, tantùm videlicet apud me, potuit ardens tibi gratificandi voluntas. Vale.

CONFIRMATIO Superiorum.

HAnc equidem Epistolam afferre sum adductus, non solùm vt fidem faciam, nonnullos temporis illo etiam viuente, suspicatos fuisse, Plotinum inuentis Numenij superbisse: verumetiam quia nugatorem amplum existimauerint atque contempserint: ob eam scilicet causam, quoniam eius dicta nequaquam intelligebant. Ipseque Plotinus ab omni sophistica ostentatione, fastuque erat alienus: in ipsisque disputantium cœtibus non aliter, quàm in familiaribus colloquijs se gerere videbatur: neque properè cuiquam necessarias argumentationum vires aperiebat in eius sermone latentes. Mihi quoque Porphyrio idem contigit, cùm primùm audiui Plotinum. Quapropter eum contra scribendo prouocare rentaui, conatus ostendere, ea quæ intelliguntur extra intellectum existere. Ille verò cum Amelio mea scripta legere præcepisset, illeque iam perlegisset, subridens ait: Tuum esset, Ameli, dubitationes istas dissoluere, in quas ille ob quandam nostræ sententiæ ignorantiam incidit. Postquam igitur Amelius librum non paruum, aduersus obiectiones meas composuit: egoque scriptis eius iterum contradixi: rursusque mihi rescripsit Amelius: tertiò iam gradu vix tandem Plotini mentem auspicatus, mutaui sententiam: ideoque Palinodiam rescribens in conuentu omnium recitaui: atque in posterum Plotini libros fide dignissimos iudicaui, & præceptorem ipsum omni studio prouocaui, vt sententiam suam articulatim distinguerer, latiusque describeret. Quinetiam hinc factum est, vt ille Amelium quoque ad conscribendum valdè propensum effecerit. Quid verò Longinus senserit de Plotino, per ea maximè quæ ego ad eum scribens significaueram, declarabit pars Epistolæ hoc ad me tenore perscriptę. Cùm enim operæpretium iudicaret, me è Sicilia ad eum in Phœniciam proficisci, librosque Plotini mecum afferre, sic ait.

Testimonia Longini, de excellentia librorum Plotini.

TV quidem ista, quando tibi placuerit ad nos mittito, imò verò ferto tecum. Equidem non facilè obsecrare te desinam, vt iter ad nos omni prorsus itineri anteponas. Et si non ob aliam causam (quid enim nouæ apud nos sapientię sperans venias nescio.) saltem propter antiquam consuetudinem, aërisque salubritatem imbecillita-

ti corporis, de qua quæreris consitentem. Quod si fortè aliud quiddam pnres assequi, apud me tamen ne noua quidem speres, nedum antiqua, quæ plurimum periisse dicis. Iam verò transcriptorum tanta hic est penuria, vt per deos, totum id tempus, quæ deerant Plotini instaurans, vix horum inuenerim subscriptorem, dum à ministeriis eum cõsuetis abduco, huic autem vni incumbere iubeo. Tot equidem libros illius iam habeo, vt videar iam omnes habere, postquam nunc abs te missos accepi: sed non perfectè me habere profiteor. Hi namque libri non mediocriter sunt mendosi. Etsi Amelium amicum nostrum putaueram errata passim exscriptorum emendauisse: Illi tamen alia magis curæ fuerunt, quàm sedulitas emendandi. Quamobrem qua ratione his libris vtar minimè habeo: quamuis supra modum affectem, quæ Plotinus de anima atque de ente scribit, considerare. Sed hi potissimum libri sunt exscriptorum vitio deprauati. Quocirca percupio libros abs te eosdem summa diligentia scriptos accipere, vt tantùm perlegam, inde meos emendans, mox verò restituam. Sed rursus idem, quod dixi ab initio repetam. Ne mittas quidem, sed ipse tecum afferens huc accedas: neque hos tantùm afferas, sed siquid insuper reliquum est, quod Amelium aufugerit. Quæ enim ille huc aduexit, summo studio exquisita possideo. Cur enim non summa cum diligentia viri illius scripta omni prorsus honore ac veneratione digna perquiram? Hoc equidem tibi tum præsenti, tum procul absenti, tum habitanti Tyrum semper significaui; me scilicet non multa admodum Plotini librorum argumenta capere: ipsam verò scribendi formam, intelligentiarumque frequentiam, & quæstionum dispositionem admodum philosophicam me amare supra modum atque venerari. Atque equidem iudico debere veritatis indagatores Plotini libros cum præstantissimorum duntaxat operibus comparandos adducere.

Confirmatio superiorum.

IN superioribus enarrandis idcirco fui prolixior, vt demonstrarem quid iudicauerit de Plotino vir ille iudicio sæculis nostris acerrimo: qui fermè sui temporis omnia scriptorum opera discussit atque redarguit: quamuis & hic ab initio aliorum adductus inscitia Plotinum diu contempserit. Putauit autem Plotini opera quæ acceperat ab Amelio fuisse transcriptorum vitio deprauata: propterea quod consuetam viri illius elocutionem nequaquam intelligebat. Si qua enim alia, certè quæ penes Amelium erant, emendatissima erant: quippe cum ex libris ipsa Plotini manu scriptis exscripta fuissent. Proinde operæprecium est referre quæ in opere ipso Longinus scripsit de Plotino Amelioque, & cæteris sua tempestate Philosophis: vt certius nobis constet quam potissimùm de illis sententiam tulerit vir elegantissimus atque ad ingenia arguenda promptissimus. Inscribitur sanè liber de fine ad Plotinum Gentilianumque cognomento Amelium: cuius quidem procemium est eiusmodi.

Testimonia Longini ad idem.

CVm multi temporibus Philosophi nostri extiterint, ô Marcelle, maior profectò eorum numerus in primis extitit nostræ ætatis annis. Præsens namque tempus quàm paucos habeat, dicere minimè licet. Sed dum essemus adolescentuli, non pauci Philosophiæ studiis excellebant: quos quidem omnes videre nobis contigit: quoniam à teneris annis multas regiones vnà cum parentibus peragrauimus. Vbi profectò data mihi occasio fuit, qua illos, quia adhuc in vita supererant, conuenirem, cùm apud multas Gentes & vrbes in eundem cum illis locum sæpè concurrerem. Sed ex eorum numero alij quidem sententias suas literis commendarunt, scribendo posteris profuturi: Alij verò satis sibi factum existimarunt, si præsentes familiaresque consilij sui participes effecissent. In primo igitur genere fuerunt Platonici quidem Euclides, & Democritus, & Proclinus, qui in Troade habitauit. Præterea & qui etiam nunc Romæ viuunt; Plotinus & Gentilianus, Amelius Plotini familiaris. Stoicorum verò Themistocles atque Phebion: & qui vsque ad extremum diem florebant, Annius atque Medius. Ex Peripateticis autem Heliodorus Alexandrinus. Sed in secundo genere Platonici quidem Ammonius atque Origenes, quibus cum nos diu versati sumus, viris profectò interuallo non paruo sui sæculi Philosophos superantibus. Item qui Athenis successores Theodotus, atque Eubulus. Iam verò siquid ab aliquo eorum scriptum est, quemadmodum ab Origene liber aliquis de Dæmonibus: atque ab Eubulo expositio quædam in Philebum atque Gorgiam: atque de his quæ Aristoteles Reipub. Platonis opponit: & quibus hæc rationibus confutentur, hæc sanè parui momenti sunt, si cum rationibus, quas illi voce exactius assignare solebant, conferre volueris. Neque enim serio quodam studio scripsisse videntur, neque scribendi munus tanquam præcipuum apud se officium elegisse. Præterea è Stoicorum numero Herminus, atque Lysimachus: Et qui Athenis egerunt Athenæus, atque Musonius, Sed inter Peripateticos Ammonius, atque Ptolemæus: disciplinarum ambo profectò maximè omnium suo tempore pleni, præsertim Ammonius: nullus enim ad disciplinarum illius copiam propè accessisse videtur. Nihil tamen artificiosum admodum construxerunt, sed poëmata quædam demonstratiuosque sermones. Quæ quidem scripta nolentibus autorib. seruata apud posteros arbitror. Neque enim existimo illos exoptauisse, per libros eiusmodi posteris innotescere, cùm neglexerint scriptis exactioribus suam commendare sententiam.

Eorum igitur qui scripserunt, alij quidem nihil vlterius composuerunt, quæ collectionem aut transcriptionem quandam eorum quæ antiquiores iam composuerant: sicut Euclides, & Democritus, & Proclinus. Alij verò exigua valdè ex antiquorum historia memores commendantes, secundum eosdem locos: atque illi libros componere sunt aggressi, velut Annius, & Medius, atque Phebion. Hic sanè ex ipsa orationis dispositione magis quæ ex solo mentis conceptu gloriam sibi censuit comparandam: quibus Heliodorum quoque adnumerare licet: qui & ipse præter illa quæ ab antiquioribus audita fuerant, nihil plus omnino ad distinctam orationis structuram contulisse videtur. Plotinus autem & Gentilianus Amelius propositionum copia referti sunt; quas studiosè pertractant, scribendique munus serio elegerunt, proprio quodam more contemplationis vtentes. Et Plotinus quidem, vt videtur, principia Pythagorica simul atque Platoni-

ca certius quàm priores exposuit. Et profectò Numenij, Cronij, Moderati, Trasylli scripta, vbi Plotinus de eisdem scribit, nulla ex parte propè ad exactam diligentiam eius accedunt. Amelius autem vestigia quidem Plotini obseruare constituit, multaque illius inuenta sectatur. Verùm dum in rebus explicandis prolixior est, & interpretationis ambitu latiore vagatur, contrariam Plotini induit formam. Horum verò duntaxat libros consideratione dignos existimamus. Cur enim cæteros quispiam sectari contendat, dimittens interea illos inuestigare à quibus hi accipientes hæc suis literis mandauerunt: ipsique nihil his adiunxerunt, ac nedum præcipua rerum capita, sed nec argumentorum quidem vllum, nihil igitur vlterius curauerunt, quàm quæ plurimorum fuerant congregare, vel multa discutiendo eligere meliora. Iam verò per alia etiam efficimus idem: quemadmodum vbi Gentiliano quidem de iustitia apud Platonem posita contra diximus, & vbi Plotini librum de ideis tractantem considerauimus: communem profectò nostri illorumque amicum Tyrium dico Basilium, qui & ipse non pauca Plotinum imirando tractauit, atque Plotinum ipsum magis quàm viam regulamque nostram probans, libri cuiusdam compositione conatus est opinionem de ideis Plotinicam veriorem esse quã nostram: hunc inquam, rescriptione quadam opposita, mediocriter arguisse videmur: vt qui non rectè scilicet recantauerat. Nos profectò in his opiniones horum virorum non paucas agitauimus, sicut in Epistola etiam ad Amelium in magnitudinem libri producta, respondente verò ad nonnulla, quæ ille Roma, ad nos miserat atque scripserat: quam ipse Epistolam de more Plotinicæ Philosophiæ inscripsit. Nos autem communi duntaxat inscriptione libri contenti fuimus, librum ipsum ad Amelij Epistolam inscribentes.

Longinus iterum de Plotini præstantia.

IN his ergo Longinus confessus est omnibus sui sæculi sapientibus Plotinum, Ameliumque propositionum quæstionumque copia præponendos, rationeque contemplationis sibi propria potissimum eos vti. Neque instituta Numenij vindicare sibi, eaue colere: sed Pythagoræorum mysteria Plotinum sectari constituisse. Sed opera Numenij, Cronij, Moderati, Trasylli operibus de rebus eisdem Plotini quantum ad absolutam pertinet rationem, inferiora esse censenda. Proinde cum dixisset Amelium per Plotini familiaritatem nuper adepti, aitque: Communis autem nostri illorumque amicus Tyrius ille Basilius, nec ipse quidem pauca ad exemplar Plotini tractauit atque composuit. In his sanè verbis reuera Longinus indicat percepisse, me diligentissimè deuitasse Amelianas ambages à Philosopho nimium alienas, atque in scribendo Plotini formam fuisse complexum. Satis est ergo vir tantus, iudicioque primus, hactenus in testimonium nobis adductus scribens talia de Plotino. Iam verò si tunc ad eum quando me aduocauit accedere potuissem, profectò nunquam contra rescripsisset illa, quæ scribere prius est aggressus, quæ doctrinã ipsam diligenter examinasset. Sed quidnam mihi nunc expedit (vt Hesiodi more loquar) circa quercum, petramque loqui? Nempè si oportet sapientum testimoniis vti, quis nam Deo sapientior esse potest? Deo inquam, qui verè de seipso dixit: Noui equidem arenæ numerum, marisque mensuram. Intelligo mutum, audio non loquentem, Apollo sanè cum interrogasset Amelium, quonam Plotini animus emigrasset, qui & Socratem virorum omnium sapientissimum iudicauerat: quanta rursus & qualia de Plotino cecinit, audi.

Testimonium Platonis de diuinitate Plotini.

IMmortalem aggredior resonare carminis hymnum, Ob amicum suauem, mellitissimos contexens vocalis citharæ modos, aureo pectine: Sed & Musas aduoco, vt communi voce concinant omnisonis modis: & omnifariis harmoniæ viribus. Qualem statuisse chorum ob Æacidem feruntur immortalium furoribus, & Homericis cantibus. Sed eia Musarum sacer chorus, canamus in vnum conspirantes, vniuersi terminos cantus: In medio autem vestrum, ego Phœbus intonsus. Genie, vir prius, at nunc genij consortio diuiniori accedens, solutus humanæ iam necessitatis vinculo: & ex membrorum procelloso turbine mente robustus ad exors alluuionis littus enatas festinans, procul à nefariorum turba: vt insistas animi puri rectissimam viam: Vbi Dei resplendet fulgor: vbi fas puro in loco procul à nefasto scelere. Et olim quidem salienti vt amaram deuitares vndam sanguisugæ vitæ, tristiumque vertiginum fluctibus in mediis: Surdoque tumultu frequenter à diis apparuit tibi ex proximo signum: Frequenter tuæ mentis conjectus obliquis tramitibus ferri cupientes, suis immortales viribus ad recti cursus gyros, æternamque viam sustulerunt: Crebros scilicet luminum radios tuis oculis inter obscurissimas tenebras ostendentes. Nec oculos planè tuos fallax occupabat sopor: sed à palpebris excussa grani macula caliginis, dum fluctibus ferebaris, multa oculis & venusta contemplatus es, quæ nemo facilè vidit eorum hominum, qui sapientiæ fuerunt indagatores. At nunc vbi solutus inuolucro es, & animæ genialis signum deseruisti, ad concilium geniale contendis, quod amœnis inter spirat auris: vbi amicitia est: vbi cupido visu mollis, puræ plenus lætitiæ & semper riuis ambrosiis irrigatus à Deo: vnde sunt amorum retinacula, & dulcis spiritus, & tranquillus æther aurei generis magni Iouis: vbi agitant Minos & Rhadamantus fratres: vbi iustus Æacus: vbi Plato, sacra vis: vbi pulcher Pythagoras, & quicunque chorum statuerunt amoris immortalis, quicunque genus commune cum beatissimis geniis sortiti sunt: vbi animus inter mensas lætitia semper hilarescit. Ah beate quam multis exantlatis laboribus ad castos genios abisti, ad vitam stabilissimam pronectus. Sistamus carmen, & orbem chori volubilem Plotini Musæ gaudentes. At aurea mea cithara hæc habuit quæ diceret, æuum bene agenti.

Summa superioris oraculi.

IN hoc oraculo continetur, Plotinum fuisse bonum, & mitem, & mansuetum in primis, atque suauem, qualem & nos extitisse vera experientia comprobauimus. Rursus vigilem extitisse, puroque semper animo ad diuinum ipsum sursum erectò, quod quidem animo toto ardenter amauit. Item cunctis viribus studuisse ex amara cruentæ huius vitæ vnda prorsus emergere. Hac igitur

ratione, hoc beato lumine, cùm sæpè seipsum attolleret tota mente ad primum Deum mente superiorem: perque gradus omnes in Sympofio à Platone dispositos ascenderet ad diuina, ipsi protinus coruscauit Deus ille, nec formam nec ideam aliquam habens, sed super intellectum vniuersumque intelligibile in seipso consistens. Cui & ego Porphyrius semel appropinquaui, fuique coniunctus, cum annum ætatis octauum & sexagesimum iam implerem. Apparuit ergo Plotino finis ille quam proximus.

Finis nanque Plotino signumq; erat, quo aciem mentis in renderet propinquare, coniungique ipsi Deo omnibus vbique præsenti. Quarer autem dum cum ipso versaretur, hunc finem est assecutus: non potentia duntaxat, inquam, sed actu quodam ineffabili consecutus. Præterea subdit oraculum: deos sæpè Plotinum circumuagantem apprehendentes in rectum tramitem direxisse: dum vbertimos luminis diuini radios, oculorum eius luminibus benignè porrigerent: vt verè dictum sit, Plotinum contemplatione intuitúque diuinitus rutilante libros suos composuisse. Iam verò ex intuitu intrinsecus & extrinsecus vigilante inspexisse dicitur ab oraculo multa suis oculis atque pulcherrima: quæ quidem non facilè vllus Philosophiæ professor inspexerit. Contemplatio namque hominum humana quidem rursum contemplatione præstantior esse potest: sed ad diuinam comparata notitiam, gratiosa quidem esse potest, non tamen valet penetrare profundum, quo superi penetrant. Hactenus ostendit oraculum, qualia Plotinus dum esset corpore circumseptus peregerit, & quæ fuerit consequutus.

Post hæc vaticinatur Plotinum solutum corpore ad cœtum perueniisse beatum, vbi regnat charitas, suaue desidetium, lætitiaque, & amor Deo coniunctus. Præterea constitutos esse iudices animorum Minoem, Rhadamanthum, Eacum Dei filios: ad quos ire Plotinum non quidem vt iudicaretur, sed vt conuersaretur, quibus cum alij quoque dii optimi conuersantur. Vbi etiam Plato & Pythagoras cæterique viram agunt, quicunque firmiter immortalis amoris chorum constituerunt: ibidem Dæmones felicissimos suam habere progeniem. Item vitam illic agere festiua viriditate gaudioque plenissimam, talemque perseuerare factum diuina largitate beatum.

DISPOSITIO LIBRORVM Plotini, per materias digesta ordine.

Hactenus historico more de vita Plotini sit dictum. Quoniam verò Plotinus nobis commisit, vt ordinem, emendationemque librorum suorum curaremus: ego autem & illi viuenti promisi, & cæteris pollicitus sum efficere: inprimis quidem operæpretium fore censui, ne libros permitterem ita iacere permixtim, sicut deinceps sunt temporis successione compositi: sed quemadmodum Apollodorus Atheniensis Epicharmi comœdias in volumina decem collegit: & Andronicus Peripateticus Aristotelis & Theophrasti libros distribuit in tractatus, suppositiones in vnum proprias colligens, sic & ego quatuor quinquaginta Plotini libros in sex Enneadas sum partitus, occasione perfecti numeri senarii, scilicet & nouenarii gaudens. Vnicuique verò Enneadi, id est, nouenario propria tribuens, ita simul cognata congessi, priora semper in ordine numeri, proposita quæ sunt leniora constituens.

PRIMA IGITVR ENNEAS materias præcipuè morales continet.

Quid anima: quid homo
De virtutibus.
De Dialectica.
De beatitudine.
Vtrum beatitudo in temporis productione consistat.
De pulchro.
De primo bono cæterisque bonis.
Vnde mala.
De rationali exitu ex hac vita.

Prima igitur vt dixi Enneas hæc continet, morales positiones potius comprehendens.

Secunda verò naturalia colligit quæ mundi sunt, quæue ad mundum attinent in se complectens: hæc verò sunt.

De mundo.
De circulari motu.
Vtrum stellæ aliquid agant.
De duabus materiis.
De eo quod in potentia est, & quod in actu.
De qualitate & specie.
De mixtione per omnia.
Cur quæ videntur procul exigua videantur.
Contra putantes mundi opificem esse malum mundumque malum.

Tertia quoque Enneas, quæ mundi sunt continens, comprehendit ea quæ circa mundum considerantur.

De fato.
De prouidentia primum.
De prouidentia secundum.
De eo qui nos sortitus est Dæmone.
De amore.
Quòd incorporea minimè patiantur.
De æternitate ac tempore.
De natura contemplationeque & Vno.
De diuersis considerationibus.

Has vtique tres Enneadas in vno corpore nobis placuit collocare. Iam verò in tertia Enneade connumerauimus materiam de dæmone nos sortito: quoniam de eo communiter pertractatur. Atque est eiusmodi præpositio, siue quæstio illi considerationi conueniens, quæ hominum genituras inquirit. Similiter & de amore locus hic quoque patet. Tractatum verò de æternitate ac tempore, propter illa quæ de tempore disputantur, hic ritè posuimus. Præterea disputationem de Natura, & Contemplatione, & Vno, propter ipsam de natura inscriptionem hic placuit numerare.

Quarta post hæc Enneas post libros de mundo, libros de anima comprehendit. Hi verò sunt.

De essentia animæ primus.
De animæ essentia secundus.

Quarta igitur Enneas omnes de anima suas materias habuit.

Quinta verò habet quidem de intellectu. Habet etiam vnusquisque liber nonnihil de eo quod est intellectu superius: ac etiam de intellectu qui animæ inest, atque de ideis: hæc igitur habet.

Quartam igitur Enneadem atque quintam in corpus vnum redigimus: Sextam verò Enneadem in vnum aliud corpus cogere placuit, vt scripta Plotini omnia in tria corpora redigantur: quorum primum quidem tres continet Enneades: secundum verò duas: tertium denique vnam.

LIBRI VERO TERTII corporis, sed Enneados sextæ ita sequuntur.

Libros igitur quatuor & quinquaginta, in sex nouenarios ita disposuimus: inseruimus autem in libros quosdam absque certo ordine Commentaria: quoniam amici qui nos vrgebant ad commentandum, ea potissimum exigebant à nobis exponi, quæ maximè declaratione apud illos egebant: quinetiam capitula omnium secundùm editionis librorum tempora fecimus, præterquam de Pulchro. Nam deerat hic nobis notitia tẽporis. Verũ in hoc non capitula solùm, secundùm vniuscuiusque libri modum exposita sunt, verumetiam argumenta, quæ sunt capituli more connumerata. Nunc verò libros singulos percurrentes, puncta etiam signaque adhibere conabimur, & siquid vsquam in dictionibus erratum fuerit, emendare conabimur, ac si quid aliud nos moueat, opus ipsum significare potest.

(·.·) (·.·) (·.·)



EXHORTATIO

MARSILII FICINI FLORENTINI

AD AVDITORES IN LECTIONEM PLOTINI, ET SIMILITER AD LEGENTES.



RINCIPIO vos omnes admoneo, qui diuinum audituri Plotinum huc acceditis, vt Platonem ipsum sub Plotini persona loquentem vos audituros existimetis. Siue enim Plato quondam in Plotino reuixit: quod facile nobis Pythagorici dabunt: siue Dæmon idem Platonem quidem prius afflauit, deinde vero Plotinum, quod Platonici nulli negabunt, omnino aspirator idem os Platonicum afflat atq; Plotinicum. Sed in Platone quidem afflando spiritum effundit vberiorem: in Plotino autē flatum angustiorem. ac ne angustiorē dixerim, saltem non minus angustum, nonnunquā ferme profundiorem. Idem itaq; numen per os vtrūque humano generi diuina fundit Oracula, vtrobique sagacissimo quodam Interprete digna: qui ibi quidem in euoluendis figmentorum incumbat inuolucris: hic vero tum in exprimendis secretissimis vbique sensibus, tum in explanandis verbis quam breuissimis diligentius elaboret. Mementote præterea, vos haudquaquam vel sensu comite, vel humana ratione duce, sed mente quadam sublimiore excelsam Plotini mentem penetraturos. Profectò (vt Platonicè loquar) cæteros homines rationales animos appellamus: Plotinum, vero non animum, sed intellectum. Sic omnes eum Philosophi suo sæculo præsertim Platonici nominabant. Atque vtinam in mysteriis huius interpretandis adminiculum Porphyrij, aut Eustochij, aut Proculi, qui Plotini libros disposuerunt, atque exposuerunt, nobis adesset. Spero tamen id quod admodum felicius est, diuinum auxilium in traducendis explicandisque diuinis Plotini libris, Marsilio Ficino non defuturum.

Sed iam cælestibus hinc auspiciis & nos ad transferendum primum Plotini librum, & argumento breuiter exponendum, reliquosque deinceps feliciter accedamus. Et vos Platonem ipsum exclamare sic erga Plotinum existimetis. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi vndique placeo: ipsum audite.



MARSILII FICINI

FLORENTINI IN PRIMVM LIBRVM PLOTINI PLATONICI,

Argumentum, seu Comment.

Anima rationalis media est inter formas diuinas atque naturales, neque inest corpori, sed adest, & vitam ex se propagat, quæ inest corpori, ex qua & corpore fit animal vnum compositum.

CAPITVLVM PRIMVM.



Eroportunè in primis hic omnium nobis occurrit liber, in quo nos ipsos velut in speculo contemplemur, ne tanquam nimium curiosi aliena prius quàm nostra quæramus. Docebit enim nos, id est hominem verum, atque hoc ipsum quod ipsi propriè sumus, non esse corpus: quia hoc vtimur vt instrumento: non esse vitam omnino corpori propriam & additam, quoniam hæc nobis cum brutis est communis: & quia sæpè huic ipsa ratio per quam ipsi sumus, aduersatur & imperat, non esse quiddam ex corpore & propria eius vita compositum, iisdem omnino de causis quas hic assignauimus. Hoc enim esse animal, non denique ex anima rationali, & viuente irrationali coniunctum, quoniam ex indissolubili & dissolubili vnum confici nequeat, sed hominem esse animam, id est, substantiam incorpoream, rationalem, ex diuino quidem intellectu existentem, in se verò consistentem, corpori autem non inhærentem, sed potius assistentem, atque ipsa sui præsentia vitam hanc in corpore

producentem, ex qua & corpore compositum animal appellatur. Animam verò nostram corpori quidem adesse, sed non inesse, sic breuiter ostendemus.

Tria formarum genera sunt. Infimæ quidem formæ sunt naturales, supremæ verò diuinæ, mediæ aut rationales animæ. Naturales formæ, vt elementorum atque mixtorum, dicuntur & adesse materiæ, quantum eam afficiunt, & in eam nonnihil efficiunt: dicuntur & inesse materiæ, quantum vnà cum ipsa formæ similiter patiuntur. Sed formæ diuinæ, id est, diuinus intellectus mundi artifex, rerumque ideæ, id est, primi diuinæ intelligentiæ actus, & exemplaria rerum, neque materiæ insunt: alioquin ne fingi quidem posset quicquam à materia separatum: rursus, neque materiæ adsunt. Non dico procul esse à materia secundum locum: nam proculdubio sunt vbique: sed non adesse secundum vllam naturæ cognationem, affectumque aliquem ad materiam. Quis enim intellectum diuinum non animaduertat ab omni materiæ commercio esse secretum? quando & intellectus humanus non aliter actionem intelligentiæ propriam, quàm seipsum à materia segregando expedire possit atque perficere. Inter formas igitur naturales, quæ materiæ adsunt simul & insunt, ac formas omnino diuinas, quæ neque insunt, neque etiam adsunt, extare oportet mediam formæ naturam: quæ materiæ non insit quidem, ne cum materia patiatur, ne patiendo cum ea imperfecta agat in eam: ne imperfectè agendo vsque ad vitæ vigorem hanc ipsam formare non possit, adsit autem materiæ, id est, naturali prouidentiæ faueat, & foueat quodam affinitatis amore, fouendo formet, atque viuificet, viuificando humanum pariat animal, homini, id est, animæ subditum generanti. Talem esse rationalem animam perspicuè constat, non inesse quidem apparet, vbi corpori repugnat & imperat: apparet etiam & adesse, vbi corporis coniugium naturaliter amat. Habet aliquid proprium vbi ratiocinatur, id est, motu quodam & tempore, ab effectu ad causam argumentationibus suis ascendit, iterumque descendit: & vbi proposito fine, & viarum inuenta diuersitate, de illarum electione consultat. Tota quidem hæc facultas, ratio, cogitatio, consultatio, maximè hominis propria nominatur. Habet iterum aliquid eum intellectu diuino, quasi commune, intellectum, scilicet, non discurrendo, sed intuendo veritatem assiduè contemplantem: cuius quidem intuitu stabili vaga rationis discursio regitur: illinc exordiens, illuc denique desinens. Habet aliquid, & aliquid quasi commune cum bruto, imaginationem, id est sensum animæ intimum atque simplicem, sensuumque sequentium iudicem. Proinde, ipsa vis media, quæ discurrit, qua ratione discurrit cogitatio, simul ratio consilium nominatur: qua verò discurrendo exordia sumit ab intellectu intelligentia, sapientia, scientia dicitur: sed qua ab imaginatione cursum inchoat coniectura, fides, opinio nuncupatur. Hæc substantia his tribus prædita viribus anima proprie à Platonicis nominatur: & quatenus sic affecta est, vt vitam quandam in corpus effundat humanum, nominatur & homo. Est autem hæc anima propriè. Vita verò hinc effusa proprie animatio & viuificatio dici debet: communi tamen licentia freti illam quidem animam dicemus primam, hanc verò secundam. Atque, à prima eiusque viribus, secundam viresque eius oriri. In prima quidem ab intellectu ratio, à ratione imaginatio proficiscitur: In secunda, vires quoque tres præcipuè sunt, imaginatio, id est, communis quidam sensus: Deinde, sensus exterior in partes quinque diuisus: Postremò, potentia genitalis, quæ & natura vocatur, generationis argumenti, nutritionis origo. Imaginatio quidem in anima secunda atque animali. Ex ea enim & corpore animal fit humanum, repræsentat primæ animæ intellectum, sensus exterior rationem. Natura denique vegetalis imaginationem primæ animæ refert. Imaginatio rursus quæ animæ prioris est infimum, discreta dicitur phantasia, & non nihil de particulari substantia iudicat: ac propius sequitur rationem. Imaginatio verò quæ sequentis animæ, animalisque tenet summum confusa dici phantasia solet, & accidentia solùm percipit, plurimumque instinctu ducitur naturali. Proinde sensus omnis in hoc animali, & ad externa sensibilia pertinet, & ad passiones corpori ab externis illatas, quas persentit proximè, proprieque corpore patiente compatitur. Sensus autem, id est, imaginatio superioris animæ non ad sensibilia, sed ad subiecti animalis sensus sese dirigit: non passiones corporis proximè sentit, sed compassiones sensuum statim animaduertit: & omnino circa imagines, actiones, passiones, sensus inferiores versari solet: neque perniciosam inde suscipit passionem, sed affectu quodam erga illum paterno sæpissimè tangitur. Hactenus communis quædam in totum librum argumenti sit forma.

DIVISIO LIBRI in partes tredecim.

Diuidimus autem librum totum in capita, vel capitula tredecim: sed vsque ad septimum inquirit tantùm: in septimo quæstiones incipit definire, sed deinceps inuestigat pariter & definit. In primo igitur capitulo, vbi perturbationes sint, primùm instituit indagandum. Secundò, vbi actiones effectusque eas præcipuè comitantes. Tertiò, vbi cogitatio & opinio. Quartò, vbi intelligentia. Quintò, quid sit hoc ipsum, quod de his considerat. Sextò, quod & primum esse vult, vbi sit sensus. Quærens autem vbi hæc, & cuius sint, interrogat, Nunquid animæ simplicis, an animæ vtentis corpore: an cuiusdam ex vtrisque commixti, an fortè mixturæ. Inquisitio verò hæc & sequentes eò tendunt, vt quid homo sit, quid animal, tandem inueniatur. Hoc igitur est libri propositum, hic & ordo.

Idam est

Idem est anima rationalis, atque ipsa natura rationalis animæ, quæ & si separata est secundum esse à corpore, producit tamen vitam coniunctam corpori in vno animalis esse: Ideo Plotini opinio inter Alexandri & Auerrois opinionem media est.

CAPVT II.

IN secundo libri capite sic exorditur: Si anima sit forma simplex in se consistens, eam neque passiones vllas, neque ea quæ passiones vel antecedunt vel sequuntur, suscipere. Sin autem sit vel quiddam ex materia formaque compositum: vel forma quædam propria pars compositi, eam facilè talia suscepturam. Vbi notabis quod ait: Si aliud anima sit, aliud ipsum esse animæ: legi posse, non solum ipsum esse animæ, sed etiam ipsum esse animam. Atque idem protsus apud Plotinum significare. Anima quidem significat animam hanc quodammodo demonstratam, vel euentu compertam, quæ qualiscunque sit, alicubi vel aliquando præsens adest. At ipsum esse animæ, vel ipsum quod est esse animam, significat ipsam animæ naturam (vt ita dixerim) specialem. In qua quidem nec vlla ad integram animæ essentiam necessaria desint, neque sit aliquid superuacuum. Vult autem esse idem. Quod in libro de Voluntate Dei declarat, dicens: Idem est anima, atque ipsum quod est esse animam. Siquidem anima est forma simplex, neque de alio dicitur, quasi dicat: neque circa compositum, neque circa formam compositi propriam, quæ & ipsa quodammodo compositum quiddam esse videtur: dici debere, idem esse rem hanc, ipsumque rei esse, vel ipsam rei huius essentiam. Aliud enim est hic homo, aliud ipsa humana natura: ipsi namque naturæ neque quicquam deest perfectionis humanæ, neque superuacuum aliquid accidit, sed in hoc homine & sunt quædam homini minimè necessaria, & (vt Platonicè loquar) quia insunt quædam ab homine nimium aliena, idcirco hic homo ab ipsa idealis rationis integritate degenerat. Formæ autem à materia separatæ, quæ & simplices sunt, & in seipsis existunt, nihil idealis rationis amittũt, nihil subeunt alienum, talem esse rationalis animæ substantiam arbitratur. Quod in libro de Animæ immortalitate demonstrat. Et in libro de Beatitudine significat dicens: Animam non esse compositi partem, testatur ipsa eius à corpore separatio. Tu vero separationem intellige duplicem. Vnam per mortalem philosophiam, qua se à perturbationibus corpori seruientibus segregat: Alteram per contemplatiuam, qua se à sensibus & imaginatione seiungit. Profectò anima quia non sit pars compositi, ideo in seipsam primasque causas conuerti potest, & composita quælibet vsque ad partes simplices, & illas iterum ad simplices formas in se ipsis iam existentes, ritè resoluere. Hanc Plotini sententiam inter Alexandrum & Auerroem esse mediam est compertum. Alexander enim, intellectualem naturam esse posse vitam corporis propriam confitetur: Auerrois autem neque vitam corporis esse concedit: neque vllam corpori vitam infundere: Plotinus denique intellectualem naturam esse quidem vitam corporis familiarem negat, concedit tamen, familiatem quandam sua præsentia vitam in corpora propagare, ex qua & corpore non homo, sed animal conficiatur humanum. Tu vero quid homo, quid animal, non in hoc tantum libro, sed in libro etiam quomodo idearum extitit multitudo inuestigare memento. Vbi dicit: sensus vel speciem vel corpus impassibile percipit, vtramque opinionem de sensu cõplectitur: Nam alij sensum accipere volunt incorporeas duntaxat imagines: alij res quasdam corporeas quidem, tales tamen, vt vbi suscipiũtur à sensu, modo sit rectè iudicaturus, neque ipsæ interim patiantur, id est, ex eo quod sunt transmutentur à sensu, neque sensus ab illis similiter patiatur.

Anima rationalis & si in seipsa consistat, quodammodo tamen vergit ad corpus, quod intellectuali substantiæ minimè conuenit.

CAPVT III.

QVoniam vero animam significauerat in se ipso consistere, nequis putet propterea nihilo à mente differre, adiungit, animam, & si existit in se, sicut & mens, tamen fouere corpus, & fouendo formare, atque vita replere, quod sanè mens ipsa non efficit. Deinde animam ait, viuificato iam corpore vti velut instrumento quodam naturali, scilicet, & coniuncto. Post hæc inuestigat, nunquid dum corpore vtitur vt instrumẽto, idẽ sensus passionesque suscipiat, paulatimque eo declinat, vt non suscipiat: quia videlicet vtatur corpore non tanquam innitens corpori, sed tanquam regens: Tum vero significat animam & naturam esse à corpore separabilem, & per philosophiam id re ipsa potissimum comprobari: demum quærit, si quo modo coniuncta sit corpori, quomodo coniungatur. Nunquid tanquã quædam corporis temperatio: an quia ipsamet per corpus totum sese propaget: aut quia sit forma in corpore iacens: aut species illi præsidens: aut partim quidem separata, quatenus ventus vicem gerit, vt rationalis anima: partim coniuncta, quatenus est instrumentum viuum vtenti subiectum, id est, vita ratione carens, animalque ex ipsa simul & corpore constitutum. Debet vero philosophus & instrumentum hoc ad vtentem conuertere rationem, vt ei libentissimè pareat, & rationem ipsam ab hoc vsu reuocare, quoad fieri potest, ad contemplandum.

Animam non commisceri corpori, ratio duplex ostendit.

CAPVT IIII.

IN quarto libri capite hos modos exequitur, dicens: Si anima sit mixtura quædam vel forma in corpore iacens, sicut non ipsa erit propriè, sed compositum ipsum erit: ita neque sentiet, vel aget, vel patietur, sed compositum: ipsa vero, vt ita loquar, compatietur. Sin autem sit essentia suum in se esse possidens, non mixta, non iacens, sed & sua tantum largitate explicans se per corpus, & præsentia sola viuificans, nullas vnquã corporis passiones admittet fermè, sicut neque lumen aëris passiones. Iam vero non esse commixtam corpori, & ideo neque iacentem, duplici ratione demonstrat. Prima: Si anima quæ est ipsum corporis viuificandi principium, corpori misceretur, prorsus inficeretur tanquam

deteriori permixta, caderetque à vita eo ipso tempore, quo viuificatura foret: quamobrem non perfectè viuificaret atque formaret. Vita sane corpori iam viuenti permixta, non tam vita quàm viuificatio quædam est in eo per modum passionis accepta, per modum vero actionis ad vitam ipsam pertinet separabilem: Sicut forma quælibet in materia formatio quædam est, passionesque materiæ ex efficaci quadam formæ separatæ actione dependens: & lumen in aëre potius illuminatio quædam est, quàm lumen: igitur perfectè viuificare, formareque corpus, neque est officium imperfectæ huius vitæ iacentis in corpore: neque puri insuper intellectus, est igitur animæ intellectualis, rationalisque officium. Secunda ratio: non commiscentur in vnum, nisi quæ & in communi materia inter se coueniút, & genere congruunt: Anima vero præsertim intellectualis, magis à corpore distat, quàm ab albedine linea, at hæc duo minimè commiscentur: Ergo neque anima corpori permiscetur.

Nisi cognoscatur quomodo anima coniungitur corpori, non cognoscetur quæ actiones vel passiones sint animæ propriæ, & quæ compositæ.

CAPVT V.

Quoniam opinionem Aristotelicam tetigit dicentem, passiones & affectus non tam esse animæ quam animalis, cursim ostendit esse difficile dictu, quomodo hæc coniuncti, vel communis id est totius sint animalis. Siue enim dixeris per sensum hæc à corpore in animam, atque in totum progredi, nondum patuit cuid cuiusue sit sensus: siue ab anima per opinionem vel iudicium quoddam in corpus totumque descendere nondum constitit; quidnam cuiusue opinio sit. Item appetitus boni communis, scientiæque, & gloriæ sempiternæ animæ solius esse potest. Rursus opinio mali non necessario dolorem agit, scilicet in corpore tali atque viuente. Sic neque opinio vel contemptus, iram vel alicuius boni concupiscentiam in tali corpore necessario prouocat. Proinde si dicantur perturbationes esse ipsius concupiscendi & irascendi potentiæ, hanc vero vim in composito esse fundatam, atque ita perturbationes esse compositi: hoc insuper Plotinus similiter agitat.

Denique si afferant Peripatetici affectus eiusmodi, tum ad vim concupiscendi & irascendi, tum ad coniunctum, sed aliter atque aliter pertinere: hoc similiter adducit in dubium, significans ambiguitatem eiusmodi ex eo potissimum nobis accidere, quia nondum quomodo anima corpori coniungatur, & quomodo animal compositum fiat, compertum satis habemus.

Si dicatur animam rationalem esse compositi animalis partem, dubium non soluetur.

CAPVT VI.

In sexto capitulo solutionem ad præcedentia dubia Peripateticam adducit in mediû. Aiunt enim, cum in animali ipsum esse sit non partis, sed totius, merito ad totum actiones passionesq; propriè pertinere: ita videlicet, vt anima quidem & animalis potentia id sit, quo animal agit, animal autem sit præcipuè quod agit & patitur. Plotinus id fortè manifestum in actionibus passionibusque in externam materiam transeuntibus esse concederet: at vero circa sensum qui intrinsecus est, & circa vitam quæ est intima, dubitandum ait, cur non anima sentiat atque viuat. Tota vero eiusmodi controuersia, vt dicebá, eo tendit, vt intelligamus ambigua declarari non posse, nisi cõster prius, quomodo anima se habet ad corpus corpusq. ad animá: quidue perseueret simplex, quid autem & quomodo componatur. Hactenus vt in principio dixi, quæritur tantum, nihil autem interea definitur.

Anima rationalis in se consistit, actionesque rationales proprias habet, & sensum quendam passionis expertem: producit autem in corpore vitam irrationalem, cuius sensus circa corporis passiones versatur.

CAPVT VII.

In septimo capite paulatim incipit definire, sententiamque propriam affert: quam esse præcipuè veram ex eo patere vult, quod non aliter quàm hac posita dubitationes de anima solui possint. Et profectò nisi quis ita distinguat, difficillimè assignare poterit rationes, partim diuinitatis nostræ, partim eorum, quæ à diuinitate in nobis aliena videntur. Neque Platonis tantum & Pythagoræ hæc sententia est, vt ex Timæo patet, atque Ægyptiorum, quod docet Iamblichus, verum etiam Aristotelem ita sensisse Themistius asserit. Hæc autem sententia est: Duas in nobis esse vitas, quarum secunda sit à prima, eiusque imago: sed prima in se subsistens, secunda inhærens corpori: Prima sit totum in se quiddam, secunda sit pars compositi, scilicet animalis huius, quod primæ subest vitæ. Esse quandam inhærentem corpori vitam nemo dubitat: præesse vero alteram huic in se subsistentem ratio probat, vitam asserens in alio iacentem, velut imperfectam à perfecta vita pendere. Sic & intellectum in anima situm ab intellectu in se ipso vigente, ac bonum in intellectu ab ipso bono in se consistente manare. Proinde intellectuale bonû ab ipso simpliciter bono non tantum fieri, sed etiam conseruari, neque inde secerni. Similiter intelligentiam infusam animæ ab intellectu puro & fieri & seruari, neque inde disiungi: Eadem ratione vitam siue animam corpori mancipatam produci, seruarique à vita, id est anima semper in se manente, eique contiguam permanere: ac velut solis radium inde quidem suo soli continuari, hinc vero contingere subiectum atque formare. Quamobrem vita prima quædam est animalis: secunda vero forma corporis naturalis instrumentis præditi ad animalis vsum accommodatis: quod & Aristoteles ait: & postquam animam appellauit formam siue actum, subiunxit, aliter esse actum intellectualem animam, aliter vero aliam. Sed vt redeamus ad nostra: hac Plotinus disiunctione proposita, sensum quidem cum passione tribuit animali: sensum vero animæ accommodat passionis expertem, rursus eidem animæ rationis discursiones assignat, siue declinent ad sensum, siue surgant ad intellectum: reliqua vero huius capituli per se diligenter consideranti patebunt.

Anima rationalis copulatur per intellectum suum menti diuinæ, per illam Deo: sic & irrationalis vita animæ rationali subnectitur. Intellectus autem & proprius est, & communis.

CAPVT VIII.

Octauum vero caput inquirit quomodo anima ad omnia tum superiora, tum inferiora se habeat: sed primo quo pacto ad intellectum diuinum animarum rationalium patrem, qui sic fermè præsidet animæ, sicut hæc animali. Scito autem ipsum vnum, siue ipsum bonum, quod & summus est Deus, nullum habere respectum: intellectum vero boni filium apud Plotinum duos saltem respectus habere: primum prout est ab vno, atque ita & ipsum esse vnum: secundum prout existit in se: itaque in multitudinem idearum deriuatur: quas tamen omnes actu vnico simul habet & conspicit. Animam deinde tres iam habere respectus. Ab intellectu enim cognoscendi vim habet, sed hæc ipsa vis vt proximè ex intellectu pendet, ipsa quoque est intellectus, semperque patri continua, sub illius forma actuque semper cuncta simul intelligit: vt autem pro natura animæ capitur, iam tempore quodam, & à potentia in actum successione discurrit: ratioque & cogitatio nuncupatur, sicque rerum species videtur inter se disiunctas habere: denique vt vergit ad animal, ex vniuersalium ratione ad particularium imaginationem iam descendit. Sed hæc animalis vita quatuor respectus subire videtur. Prout enim ab anima, velut imago à substantia pendet, imaginationem habet: prout in se aliquid est, in sensuum multitudinem deriuatur. Quantum regit corpus, vitalem vim exercet, quantum adhæret corpori, parsque animalis euadit, passionibus obnoxia redditur. Vita igitur hæc est forma corporis: anima vero potius animalis est forma: intellectus forma animæ; Deus quodammodo ipsius intellectus est forma, semperque deinceps gradus inferior sub actu superioris gradus quasi formæ consistit & agit. Proinde intellectus ipse diuinus tum communis dicitur, quantum ipse indiuiduus totusque est vbique, tum proprius, quantum à singulis animabus, singulis quoque propriisque modis accipitur. Vnde & diuersi apud alias animas modi ratiocinandi sequuntur: modi quoque imaginandi diuersi. Intellectum vero qui iam est forma quædam in anima non solum præsidens, sed & insita, nemo dixerit esse communem. Oculi sanè multi multas referunt animas: multi præterea visuales radij oculis naturaliter insiti varios intellectus animabus naturaliter insitos repræsentant: Vnum vero commune solis lumen vbique præsens intellectum præfert diuinum animarum intellectumque patrem. Lux tandem vna Solis in ipso Sole consistens, ipsum bonum mentis patrem nobis ostendit. Intellectus igitur animabus nigeniti & si non vnus sunt intellectus, sunt tamen vnum scilicet, vnum secundum esse intellectuale, redditum actu intelligens ab vno mentis illius lumine: in quo velut in communi forma obiectoque sunt vnum, quamuis etiam sint pro animarum multitudine multi. Sicut etiam & visuales radij seu visus pro numero oculorum numerati sunt, neque sunt vnus, sunt tamen vnum in vno lumine inuicem concurrentes: maximè vero viderentur vnum, si in se ipsis extarent, sic ab oculis expediti, sicut intellectuales animæ testantà corporibus absolutæ. Hanc Platonis & Plotini sententiam Themistius Aristoteli & Theophrasto accommodare videtur, & Auicenna, Algazelesque sequuntur: Alexander autem in hoc conuenit cum Plotino, quod præter vnum intellectum multos quoque nobis attribuit: discrepat vero quod hos multos asserit esse mortales. At Auerrois cum Plotino consentit, intellectum omnem asserens immortalem: dissentit vero, dum vnicum nobis assignat. Tu vero accipe ab Alexandro quidem numerum intellectus humani, ab Auerroe vero immortale omnis intelligentię munus, integramque habebis Plotini nostri sententiam. Proinde scito, de natura intellectus maximè omnium credendum esse Plotino, quem semper intellectu vixisse, vita eius & gesta scriptaque testantur. Id vero nunc admonuisse volo, ne te Alexander Auerroisque perturbet. Concludit tandem nos, id est, hominem esse propriè animam discursu vtentem rationali, siue per vniuersalia discurrat, siue per singula: quæ vero superiora vel inferiora sunt ratione, esse nostra. Illa quidem, quia nos semper inde pendemus: hæc autem quia ex nobis ipsa dependent. Subdit Platonis more, natura quidem intellectualem, tum præsidentem nobis, tum insidentem indiuiduam esse: vitam vero ad corpus vsque diffusam dici diuiduam. Quia quamuis vna totaque sit in quolibet membro, tamen afficitur ad diuersa, varioque modo viuificat varia: atque in multis siue membris, vehiculisue simul, siue corporibus successione viuificandis anima rationalis non conficit ex se & corpore vnum, sed ex corpore & vita quadam illi tributa quasi quadam animæ ipsius imagine. Denique docet aliam animæ vim deinceps ab alia dependere.

Peccandi causa est in anima irrationali nostroque animali: In anima vero consensio. Item rationalis circuitus medius est inter quietem motumque rectum. Rursus quomodo intelligentia & ratio se habeant inuicem, atque ad imaginationem. Item allegoria de Adamo & Eua.

CAPVT IX.

Svperiores vero distinctiones nos in nono capitulo docent, principium quidem peccatorum esse in animali, medium vero in ipsa imaginatione superioris animæ: quoniam videlicet animalis incitamentis obsequitur; antequam ratio vtrum prosequendum sit, an fugiendum perspicue iudicauerit. Hinc homo interior de homine exteriore conqueritur: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem. Sed & ipsa ratio cum etiam circa res agendas versetur, debuisset iamdiu imaginationem suam sic instituere, vt minus temere properaret, animalque domaret: ipsaque se ipsam ad intellectum direxisse prius, ac formauisse: Qui sane intellectus circa singula quæ aguntur, se minime versat: ideoq; omnino est procul à culpa. Sed nos, id est, per rationalem vim actionemque definiti aliquãdo peruenimus ad intelligibiles idealesque rationes, speciesque rerum, quæ prius in mente diuina sunt: deinde sunt & in nostra, plurimum vero ad eas minimè surgimus. Tũc autẽ in ratione

nostra tantum potentia sunt: sed in vtraque mēte sunt semper in actu. Dixit rationis discursiones nobis, id est, animæ esse maximè proprias: quoniam cum media sit inter diuina quæ semper manent, atque naturalia, quæ lapsu quodam motuque recto à seipsis quasi digrediuntur, merito motum discursionemque circularem habet inter motum rectum statumque propriè medium, Intelligentia etiam animæ propria dicitur, non tam quod ex natura sua sit, quam quod intelligat absque corporis instrumento. Sic anima etiam sine illo ratione discurrit. Sed hoc saltem interest quod discursio argumentatioque & si non sit per corporis instrumentum, imagines tamen sensibilium aliquas ferè semper atque oculos habet. Motus enim naturaliter ad talia labitur: Intelligentia vero neque corporis vtitur instrumentis, neque tales spectat imagines. Ratio quin etiam quando ad intellectum penitus se conuertit, vniuersalia sine particularium imaginibus intuetur. Sed de his in Theologia nostra latius disputamus. Dum vero hic verbis Aristotelis vtitur, significat, Aristotelem in bis à Platone minimè diffidere. Addit rationis discursum, intellectum imaginationemque versari, neque corporis passiones attingere, sed quasdam imagines passionum suo quodam sensu, id est, prima imaginatione versari. Item rationem, siue cogitationem esse quendam intelligentiæ actum. Est enim cogitatio vera, intelligentia quædam latius explicata: & modo intellectum attingens vniuersales species intuetur: modo ad imaginationem vergens, perque ipsam ad animal vniuersales species ad particulares vsque deriuat: modo has cum illis comparans, quo consentiant, quoue dissentiant, discernit & iudicat. Ac si exordiatur ab intellectu, atque inde discedat, tunc ab vniuersalibus descendit ad singula componendo. Sin autem ab imaginatione sumat occasionem, altiusque resurgat, à singulis ascendit ad vniuersalia resoluendo. Hunc denique ordinem obseruabis in anima, vt eam habere memineris species in mente & vniuersales & stabiles. At in ratione species quidem vniuersales, sed quodammodo mobiles: in imaginatione vero particulares iam atque mutabiles. Concludit passiones perturbationesque & causas peccatorum propriè in animali consistere: in anima vero horum animaduersionem & quandam sæpe consensionem. Tu autem in Plotini verbis allegoriam animaduerte Mosaicam: personas videlicet duas, id est hominem ipsum quasi Adam: & humanum animal inde tractum atque degenerans quasi Euā. Adde & tractum ex anima dormiente. Hæc enim tunc animal ex se propagat, quando ex pristina penes Deum vigilia ad naturalia labens, diuinorumque oblita iam dormit & somniat. Itaque tunc vitam corpoream generat quasi Euam. Cōfideta & hanc primo peccantem, illum deinde consentientem: sed intellectum illi quasi Angelum præsidentem & mox increpantem, Angelo Deum. Ac denique duo in carne considera, id est, duas quasi in eodem corpore animas. Sed ita Moysen Plotinus Origenesque & Ammonius intellexerint, pergamus ad reliqua.

Quomodo animal in nobis ad animam se habeat, & vtrum vita vlla pereat.

CAPVT X.

Caput libri decimum docet quæ animalis nostri propria sunt, ad nos quodammodo etiam pertinere. Item in anima rationali esse virtutes ratione quæsitas: in animali virtutes consuetudine comparatas, rursus vitam ab anima rationali tributam corpori, dissoluto corpore non extingui, sed animam suam ferme, ita sequi, sicut lumen suam videtur sequi candelam. Idem senserat & Numenius.

Quomodo anima se ad intellectum habeat per quem, scilicet semper intelligit, quamuis ratio id non semper animaduertat. Item de pueris atque brutis.

CAPVT XI.

Postquam in superioribus disseruit quomodo nos ad animal, quod infra nos est, habeamus: nunc in vndecimo capite, quomodo ad intellectum nobis, id est, ratione superiorem. Ait ergo, intellectum quidem nostrum agere semper in se circa diuinum, & intellectione perpetua intelligibilia semper omnia contueri: quod quidem Ægyptiorum inuentum fuisse Iamblichus asserit. Quamobrem in pueris etiam idem agere. Arbitror vero Plotinum illud sic accepisse: paruulorum Angeli semper vident cœlestis patris faciē. Nam & Ammonius atque Origenes more Platonico sacras literas interpretari solebant. Inquit autem: in pueris animalis vires ob necessariam corporis augendi fabricam intentissime operari: atque circa easdem vires idemque ministerium superioris etiam animæ imaginationem plurimū occupari: minimas autem rationis scintillas in hæc emicare, vtpote quæ ad opposita conuertantur. Subdit, rationis actum ab his vacantem circa intellectum interim operari: quippe cum vis adeo efficax omnino vacare non possit. Verumtamen neque actum intellectus circa intelligibilia, neque rationis actum circa intellectum tunc à nobis agnosci: quoniam imaginatio superioris animæ propria, cuius ministerio fit in nobis animaduersio, cum sit controuersa penitus ad oppositum, non suscipit intelligentiarum vllas imagines, quas ad rationis oculos speculi more reflectat, quibus ita reflexis ratio solet, ideoque & nos solemus actiones intelligentiæ atque rationis animaduertere. Appellant autem imaginationem hanc in nobis medium. Est enim inter rationalia nostra, & irrationalia medium, & quasi medium vtrinque imagines accipit. Quandoque etiam rationem nuncupat medium: est enim animæ medium. Imaginatio vero est medium aggregati, quando scilicet, aliquid ex homine animalique fingimus congregatum. Per hæc autem duo media fieri animaduersio solet. Imaginatio enim quasi reflectit imagines: ratio vero reflexionem sagaciter apprehendit. Proinde post quæstionem de pueris, merito de brutis inquirit, quasi de rebus quantum apparet propè similibus. Vult sane vbicunque est vita sic vnita corpori, vt ex ea & corpore vnum cōmune animalis esse resultet: adesse insuper oportere vitam in se ipsa manentem, cuius virtute altera vita quasi viuificatio quædam suppeditetur, continueque seruetur: sicut motio à motore, lumenque semper à luce subgeritur: quoniam in vnoquoq; genere imperfectū continuè à perfecto dependet. In brutis igitur minus sagacibus vitam ab ipsa sphæræ anima, sicut & plantis opinatur infundi: bestiis vero perfectioribus & nonnihil

præferentibus rationis; non ab anima tantum sphæræ quamuis rationali, sed & ab alia quadam etiam rationali magisque propinqua vitam suppeditari. Quæ quidem anima cum ab intelligibili mundo longius iam cogitatione affectuque quasi discesserit, atque ita deliquerit, multumque rationis amiserit, accommodata iam dicitur ad vitam animali minus rationali subministrandam, sed ipsa interim dicitur esse præsens, neque tamen adesse præsens quidem quantum præstat vitam: adesse vero nequaquam: quia non exequitur ibi consuetum rationis officium, quamuis in supernis intelligentiam exequatur: atque ipsa animæ rationalis substantia in se consistit, neque fit pars compositi. Quod vltimum & Proculo placuit, & ante Porphyrio neganti rationalem hominis animam fieri propriam bruti animam, concedenti tamen sagacium animalium animas nonnihil rationis habere, semperque viuere. Idē quoque tentauit & Origenes, nempe cum audiret, dæmones tum hominibus frequenter insinuari, tum in porcos aliquando mitti, ausus est & animas hominum in animalia mittere forte purgandas. Sed hæc ipsi viderint. Animaduertendum vero, Plotinum hic suum hac in re iudicium temperare, cùm dicit: Si sunt animæ nostræ in brutis. Item vbi dicit, vt fertur scilicet ab Ægyptiis. Rursus dum addit, quæ peccauerunt: quasi dicat, purgatorij loco. Denique cum negat, eam fieri propriam bruti formam, partemque compositi. Sed opinionem hanc in sequentibus emēdabimus. Et omnino quomodo Platonica dicta purganda sint in libris Theologiæ nostræ præsertim vltimis declarauimus.

In anima rationali neque propriè peccatum est, neque pœna: sed in vita irrationali, quæ est imago animæ, qua anima hinc abeunte quamuis non sit vlterius imago, est tamen quidam vitalis actus animæ radicitus insitus.

CAPVT XII.

Capitulum duodecimum circa dicta dubitationes mouet, soluitque dicendo in ipsa animæ essentia propria, neque peccatum esse, neque pœnam, quia sit forma simplex in se ipsa consistens, è proprio statu minimè cadens: sed in vita potius inde manante, & in animali propriè, quod ex hac vita corporeque componitur. Ait vero alibi peccare animam, alibi non peccare: peccare quidem, id est, intentionem ad superiora prius conuersam aliquanto remittere: non peccare autem, id est, neque amittere naturalia, neque aliena intus admittere. Tum vero declarat quomodo animalis generatio fiat, id est quando in corpus certa conditione iam affectum vita quædam resultat ab anima: idque esse naturale aliquid, neque peccatum, neque sic animam propriè cadere, sed annuere atque fouere. Præterea vitam hanc quæ est & actus & imago quædam animæ, quando hinc abit anima non perire quantum est actus animæ, sed desinere vlterius imaginem esse: perinde ac si à vultu imago fiat in speculo, atque discedente vultu restet quidem actus quidam in vultu, vigorque emicans imaginis efficax, sed non restet imago. Tunc verò hic actus animæ definit esse imago, quando & deest præparatum corpus ad imaginem resultandam, & anima ad intelligibile tota conuertitur: neque tamen actus eiusmodi cessat quantum est vitæ vigor, sicut & amputata manu non desinit ipse viuificus actus, qui & manum iterum si instauretur est æquè recturus: sicut in repullulantibus capillis apparet. Memento Numenium Plotinumque putauisse, nihil vsquam vitæ perire: quia vita sit quidam æternitatis, id est primæ intelligentiæ splendor, & indissolubile vinculum vniuersi.

Animalis rationalis per se ratiocinatur, non per corporis instrumentum. Intelligit quoque per intellectum proprium: Intelligit etiam per communem, qui quasi forma quædam est proprij cuiuslibet intellectus.

CAPVT XIII.

Capitulum tertium decimum declarat quod vltimum penè fuerat in quæstione propositum, scilicet, quidnam sit quod de his considerat in præsentia. Asserit autem non compositum quiddam de his in præsenti considerare per animam quasi partem, sed animam ipsam in se existentem talia meditari: ergo neque mutato corpore similiter permutari, sed motum eius esse suum essentialisque vitæ actum, vel vitalem & perennem essentiæ actum. Subdit: sicut consideratio rationalis est nostra, id est animæ propria, neque per corpus exacta, sic intelligentiam esse animæ propriam: quoniam videlicet anima intellectualis sit, adeo vt intelligentia in anima sit vita, vitæque animæ summitas: quæ quidem ipsa est & pars nostri, agitque in nos, id est rationem nobis maximè propriam, sicut communis intellectus agit in nostrum. Hic nota vitam in rebus vbique mentis splendorem penè vltimum esse: summam vero mentem esse gradum vitæ supremum. Hinc propheticum illud: Intellectum da mihi, & viuam. Addit animam tum per intellectum proprium intelligere, tum per communem atque diuinum, rationemque anniti ad intellectum nostrum, nostrum denique ad diuinum, & vtrumque quidem esse nostri partem, sed aliter atque aliter. Nostrum quidem esse nostri partem, quia quodammodo sit apex animæ: diuinum verò quodammodo videri partem, quoniam intellectus noster diuino tanquam formæ velut quædam materia subditur, perque ipsum intelligit atque ipsum: per quam sane communem omnibus formam intellectus singuli, & si non vnus, sunt tamen aliquid vnum. Atque ita ille pars nostri esse videtur tanquam forma, forma inquam nostris intellectibus exhibens esse ipsum intellectuale, intelligensque in actu: Huc tendit propheticum illud: Dominus pars hæreditatis meæ. Quæcunque in hoc commentario prætermisimus, partim per se ipsa patere diligenter consideranti possunt: partim in sequentibus latius exponentur: partim in Theologia nostra, & in argumentis in totum Platonem iam editis explanauimus. Tum verò de intellectu quomodo noster sit, & vtrum sit pars nostri necne, in libro tertio Enneados quintæ cognosces.

IN LIBRVM DE VIRTVTE COMMENTARIVS,

Summa totius Libri.

Studendum est hinc fugiendo, per virtutem Deo similem fieri.



Libri huius finis quidem est, animum Deo fieri similem. Materia vero virtus, per quam similitudo eiusmodi comparatur. Forma denique libri est distributio eius in septem capita: & in primo exercitatio quadam ad virtutem inuestigandam, in sequentibus inuentio eius, & definitio atque distributio. Caput primum ab aurea Platonis nostri sententia exorditur in libro de scientia, id est, Theateto posita: Vt deuitemus mala, hinc protinus fugiendum. Fugere vero hinc, est Deo similem fieri. Deo similis animus fit virtute. Sed nequis erret circa finis cognitionem, disputat non ex eo animum Deo per virtutem fore similem, quia videlicet sicut in animo, sic in Deo sit virtus, sed quia Deus est virtutis principium & exemplar & ipsa virtus. Deus inquam mens diuina, mundi artifex, ipsique mundo & eius animæ præsident. Et quamuis inter principia disputandi annuat animum virtute fieri similem mundi animæ eiusque menti, quod & verum est, tamen progrediente disputatione asserit, finem similitudinis huius altius se extendere, ad diuinum scilicet intellectum. Atque ad hunc finem velut quartum gradum, vbi virtutum sunt exemplaria, tribus gradibus animum peruenire. Virtutibus primo ciuilibus, secundo purgatoriis, tertio animi iam purgati. Atque hæc libri totius est summa.

Quamuis animus per virtutes Deo fiat similis, tamen Deus non habet virtutem, sed est virtutis exemplar: & quæ virtus in anima est qualitas, penes Deum est essentia: Item confirmantur hic idea.

CAPVT I.

IN primo capite primum quidem ait: Si quæ ex humanis virtutibus insit Deo, probabilius adfore prudentiam & iustitiam, quam cæteras, quæ circa perturbationes versantur. Deinde nullas inesse humanas ait, atque ciuiles: earumque interim definitiones à Platone in libris de Rep. positas, affert, interea tamen per illas nos diuinam quandam consequi similitudinem confitetur. Negat tamen consequentiam illam, qua fortè quispiam nitteretur scilicet, animus per virtutes Deo fit similis: ergo Deus virtutem habet. Negat quoque distinctionem illam, qua quis Deum dicat virtutes quidem habere, sed in quadam superioris specie, obiicit enim: Si animus concedatur assimilari Deo, & si non virtutes similes, sed longe dissimiles in Deo sint: concedi etiam posse assimilari Deo nullas habenti virtutes. Profectò quamuis per præsentiam luminis, aër calorem suscipiat, tamen sol vnde manat lumen, calorem nullum accipit nouum: neque ignis calefit; propterea quod ex eo aliquid calefiat: & tamen hæc illis similia fiunt: sic animus à Deo virtutem habet, per quam Deo fit similis: neque tamen Deus virtutem habet. Neque obiiciat quispiam: Sicut in aqua calor est aduentitius, in igne natiuus, sic in anima peregrinam esse virtutem, sed in Deo naturaliter insitam, adeo vt virtus quidem vtrobique sit, sed in Deo præstantior. Virtus enim necessariò & alicuius est, & in aliquo, in quo quasi subiecto ipsa sit quasi forma, nihil autẽ eiusmodi est in Deo. Sane munus quod à Deo animus accipit, nihil eiusdem naturæ seruat in animo cuius est apud Deum, ibi enim est ipsa Dei essentia, hic autem quædam quasi qualitas in essentia. illic igitur est exemplar atque principium: hic effectus quidam imaginarius. Imago vero & si repræsentandi officio fungitur, nihil tamen eiusdem naturæ conseruare videtur, hic enim virtus dispositio & compositio quædam est, ibi nihil est tale: sed certa quadam dispositione animus refert ideam, sicut domus intelligentiam architecti. Multorum sane philosophorum sententia est: quæ in ordine corporum alicubi sunt accidentia, nusquam in eodem ordine scilicet corporali esse posse substantias. Itaque calorem & lumen quæ in aqua sunt accidentia, non esse vel in sphæra ignis, vel in cœlo substantias: sed hic quidem qualitates mobiliter contingentes, illic autem qualitates (vt ita dicã) essentiales, penitusque immobiles. Hinc argumentabantur Platonici: Quæ ab imperfecto proficiunt ad perfectius, tandem eadem virtute perfici, qua profecerant, atque ad perfectissimũ peruenire: cuius videlicet virtute, quicquid non est perfectissimum quasi indigens regatur, ac penitus absoluatur. Formarum ergò conditionem quæ à qualitate mobiliter contingente, ad immobilem qualitatem, proprietatemque prorsus essentialem perducta est, tandem ad formas quæ iam essentiæ non in essentia sint, perduci. Eiusmodi vero in re incorporea imo rem incorpoream tantum esse posse: nihilque aliud quam naturalium formarum ideas existere. Vbi calor & lumen, & reliquæ formæ essentia sint & esse ipseque actus essentiæ, ibidem animæ est idea, & animæ perfectæ idea perfecta. Igitur & idea virtutum, quibus anima ipsa perficitur, virtute videlicet illinc, & naturaliter insita & continue conseruata: quamuis & alio

modo ibi sint ideæ virtutum: quemadmodum in sequentibus apparebit. Est autem virtutis quidem exẽplar in Deo, ipse scilicet Deus, forma verò quædam virtutis in ipsa rationalis animæ substantia. Imago autem virtutis in anima rationis experte. Præterea in anima nostra virtus est qualitas aduentitia: in animabus superioribus ingenita qualitas & immobilis: in diuina mente virtus est ipsa mentis essentia actusque essendi.

Quomodo animus per virtutem Deo similis fit: Et quomodo virtus ciuilis purgatoria, purgati animi. Exemplaria inter se distinguuntur; Ac de motibus animi primis, atque secundis.

CAPVT II.

CAput libri secundum definitiones virtutis, virtutumque aggreditur, ad eundem videlicet finem quem dicebamus: vt rationem similitudinis nostrę ad Deum, cognoscamus, & cognitam comparemus. Principio modos præcipue duos similitudinis affert hunc in modum. Quando duo quædam sub vno principio constituta qualitatem ab eo vtraque capiunt, specie vel genere conuenientem: vt duo quędam alba vel saltem colorata, tunc sicut hoc illi simile est, ita vicissim illud simile dicitur. At cum duo diuersa sunt genere vel plusquam genere, & hoc est ab illo atque sub illo, sicut imago quædam à substantia, ceu siqua fiat in speculo, tunc imago similis quidem est exemplari absque vlla naturæ eiusdẽ communione: neque tamen exemplar vicissim imagini simile dicitur. Hac vtique conditione animus Deo fit similis per virtutem, quatenus accipit inde virtutem, quæ est diuini exemplaris imago. Post hæc autem virtutes definiendo distinguit. Tu verò ad hæc intelligenda, qui motus in nobis primi sint intellige, quiue secundi: Primi namque motus sunt subiti quidam impetus in animali nostro ab externis impulsibus agitati per sensum animalis, & naturalem suæ imaginationis instinctum, prius quam anima rationalis de his ratione consultet, vel imaginatione forsan animaduertat, vtrum prosequendum sit, an potius fugiendum: siue terrores hi sint, siue incitamenta quædam. Secundi verò motus vel in prosequendo, vel in declinando positi sequuntur vel superioris imaginationis animaduersionem, vel etiam consilium rationis, siue sit temerarium siue maturum. Virtus igitur quę secundos amputat motus circa sensibilia declinantes, ciuilis cognominatur: siue fortitudo, siue temperantia sit, seu prudentia huc vsque consultans, siue iustitia ita conuersans, satis enim huc vsque factum à ciue putamus. Virtutes autem quæ secundos motus non solum amputant, sed extirpant, purgatoriæ nominantur. Denique virtutes quæ secundas perturbationes iam domuerunt, atque insuper primos impetus vel eradicant, si modo fieri possit ab homine, vel saltem ratione aliqua & assuetudine moderantur, purgati iam animi sunt. Harum ergo virtutum quæ sunt in genere triplici, in eo exemplaria sunt: Virtutes verò nequaquam. Non enim ibi sunt motus atque negotia, in quibus virtutes nostrę versantur. Per hos ergo tres gradus vnà cum Paulo à claritate in claritatem à domini spiritu tracti in eandem imaginem transformamur, id est, virtutes nostras velut imagines diuino exemplari illuc ita profecti adhibemus atque reformamur, quod & Plotinus quasi Paulum imitatus in sequentibus declarabit. In hoc autem secundo libri capite ciuilium tantum virtutum officium peragit, quas appellat moderationes quasdam atque mensuras: tum quantum spectat ad effectus, tum quantum ad opinionem rectam, pro prudentia loco scientię constitutam. Subdit, materiam cum sit suapte natura mensuræ, moderationisque totius expers, esse Deo omnium dissimillimam, similem verò eatenus apparere, quatenus inde mensuras & species accipit. Cumque hæc à Deo naturaliter remotissima, possit tamen hac conditione aliquantum Deo similis apparere, multò magis animam Deo natura propinquiorem, vult, per ciuiles etiam virtutes eam velut materiam determinantes atque moderantes, diuinam quandam similitudinem cõparare, quãuis Deus neque mensuram habeat neque speciem: tu verò quod dicitur, neque speciem, de ipso patre intellige, super speciem atque formas existere. De intellectu verò eius filio intellige, non habere speciem ab essentia sua distinctam, sed ipsum esse speciem ipsam, formatumque omnium plenitudinem, de qua omnes accipimus, quatenus proficimus ad virtutem inde nobis illuc conuersis infusam: per quam dedit nobis potestatem filios Dei fieri. A deo verò sic animus Deo fit similis, vt si quis animum sic affectum penitus introspexerit, opinaturus sit, Deum protinus se videre. Tu verò in hoc capitulo, quod legis meliori nostro, id est, rationi, potes etiam legere, meliori quodam, id est, vel meliorem opinionem introducendo, vel virtute superioris ita proficiendo. Item vbi ait: Totum Dei hoc sit, id est, talis animi constitutio, vel sit tota diuinitas atque è conuerso, vel ad Deũ tota pertineat. Eadem sæpe apud Plotinum oratio (quod Porphyrius confitetur) plures æquè sensus admittit.

Intelligere secundum analogiam quandam de intellectu diuino dicitur, atque de animo, Item agitur & de sermone, seu verbo in voce, in animo, in mente.

CAPVT III.

POst ciuiles virtutes in tertio libri capite maiores aggreditur, definitque proprię quidem purgatorias, communiter autem vnà cum his, virtutes etiam animi iam purgati. Ostendens interea ciuiles dici potius debere dispositiones ad virtutem, quam virtutes: similiterque per illas ad similitudinem nos diuinam disponi potius & parari, quam effici similes. Pręterea neque has quidẽ esse vult in Deo, quoniam affectiones & qualitates, siue restitutiones quædam animæ sint, qualia in Deo esse non possint. Rursus prudentiam à qua ducuntur, esse intelligentiam quandam in discursione positam temporali, qualis apud Deum intelligentia esse nequeat. Tum verò tàm Deum quã animam cõmuni quadam appellatione intelligerẽ dicimus, neque id quidem appellatione duntaxat æquiuoca, vel fortuita, vel minime competenti, neque rursus vniuoca ratione, per quam eadem, vel specie vel genere sit vtriusque intelligentiæ definitio, sed ea videlicet conditione, quoniam intelligentia hæc in animo velut posterius aliquid & imago fit atque seruatur ab intelligentia Dei velut exemplari superius

admodum constituto, ad quod etiam repræsentando refertnr, quæ sanè conditio solet Analogica nominari. Comparat deinde analogiæ modo hunc in modum; Sicut se habet sermo in voce ad sermonem, vt ita dicam in animo, sic & sermo in animo qualiscunque sit ad sermonem, vt ita loquar, in mente. Potes vero tu vbi sermonem dicimus, rationem quoque verbumque dicere, verbum hoc in voce imago est & interpres verbi quod est in animo: verbum animi imago& interpres verbi ipsius in mente, mentem denique Plotinus alibi dicit, esse imaginem verbumque Dei, quem etiam appellat mentis & intelligentiæ patrem. Hic sanè atque Origenes, & vt arbitror, vtriusque præceptor Ammonius intellectum diuinum, filiumque sic se habere ad patrem Deum, id est, ad ipsum bonum existimabant, sicut lumen ad lucem. Spiritum quoque, id est, mundi vitam sic ad intellectum: sicut se habet calor ad lumen. Iam vero & si inter hos tres essentialem quandam differentiam afferre videntur, in cæteris tamen tantam in eis vnitatem esse probant, vt nulla possit singularior cogitari. Hactenus Philosophorum, ea præsertim tempestate, ingenia processerunr, sed borum iudicium ad sanctorum deinde Patrum ncicolia referendum. Verum ita iam capitulum concludamus. Sermo in voce indiger aëre, quo animi sermo non indiget. Item in plures diuiditur partes, longioraque tempora quem animi sermo: ipse verò sermo animi transigitur tempore. Mentis autem sermo, siue ratio, seu verbum tempore nullo distrahitur. Item ratio hæc siue notio mentis sæpe per vnam formam actumque vnum implet: quod animi sermo, siue ratiocinatio per formas actusque plures peragere cogitur. Denique ipsum bonum omnes iam formæ & intelligentiæ limites supeteminer: ex quibus apparerà multitudine atque indigentia gradatim ad vnitatem sufficientiamque maiorem, deiuceps maioremque procedi.

Anima neque est ipsum bonum neque ipsum quod dicitur propriè boniforme. Item quibus gradibus participentur ideæ. Rursus probatio idearum, & de diuinitate animæ. Et quomodo formæ rerum sunt in mente diuina, quomodo in nostra, quomodo in ratione atque imaginatione.

CAPVT IV.

A Virtutibus quæ purgant adhuc, ad illas quæ in animo sunt purgato, iam transiturus, ait, ipsum puritatis effectum esse purgationis finem, hasque virtutes tanquam fines esse præstantiores, summumque gradum virtutis humanæ ac præcipuum proximumque diuinæ similitndinis susceptaculum. Neque enim puritas hæc per purgationis mysterium restituta ipsum est animæ bonum. Non enim se ipso contentus est animus tanquam fine cum habuerit aliunde principium. Nempe natura hæc quæ per purgationem est ab alienis & malis iam liberata, bonum ipsum esse non potest: alioquin non fuisset obnoxia malo. Quin etiam neque est ipsum, quod dicitur à Platonicis boniforme: illud enim est quod primò semper, æquè boni ipsius est particeps, natura verò huiusmodi purgationis egena non æquè semper, ideoque nec primò est boni patticeps. Ordo namque bonorum ab eis quæ vel non semper, vel non æqualiter boni participant, ad illud quod semper æquè patticipat, ab hoc tandem ad ipsum simpliciter per se bonum nullius participatione bonum necessariò surgit. Sic igitur ab anima ad intellectum, ab hoc ad ipsum bonum fit ascensus: sicut à formis caducis quæ ab elementali materia participantur inæqualiter, & aliquando ad formas quæ in cœlesti materia semper participantur æqualiter, & ab illis denique ad formas ascenditur, quæ in cœlo intellectuali, non per participationem aliquam sunt in alio, sed ipsum iam sunt intellectuale cœlum simplex, & vniforme, ac pariter omniforme. Prima tamen & æqua & sempiterna participatione bonum, quod & propriè dicitur boniforme, bonique ipsius splendor æternus. Cnm enim effectus à causa primò similior, deinde paulatim prodeat dissimilior, meritò ab ipso bono simplici æternoque prius dependet, quod semper eius æque est particeps, deinde quod inæqualiter aliquando particeps. Tum verò significat diuinitatem animæ: Vbi ait: Malum animæ est alienis, id est, caducis hærere: bonũ verò adhærere domesticis atque cognatis. Cum igitnr bonum, id est, vita libera passionibus, & integra veritas, vigor solidus, plenum gaudium, tunc solùm contingat animo, quando diuinis adhæret: constat eum inde proxime natum. Hinc illud, mihi verò adbærere Deo bonum est. Iam verò, cum animus sola purgatione, id est, in naturam suam restitutione subitò conuertatur ad ipsum bonum, & sola conuersione subitò potiatur, patet naturam eius esse diuinam. Profectò & noster animus vehementius ad bonum afficitur quàm ad verum: Verum enim appetit tanquam bonum, & ipsum bonum potentius est quam verum: cùm & ipsa potestas ad bonum pertineat potius quàm ad verum. Cum igitur animus discussis quandoqne errorum caussis verum subitò consequatur, nimirum & purgatus à malis assequitur continuò bonum. Post hæc ait, ipsam puti iam animi ad ipsum bonum conuersionem, esse virtutem animæ, id est, virtutis gradum tertium animo purificato conuenientem, subdit, multò magis virtutem esse quod animus ex conuersione consequitur: virtutem iam significat exemplarem, ad quam animus per tres gradus iam dictos ascendit iam inde formandus. Et profectò quemadmodum tres sunt gradus, ita tria exemplarium virtutum genera. Primum vbi animus imaginationem suam conuertit ad rationem suam melius ibi vel inde formandam. Secundnm quando rationis formulas traducit ad formas intellectui proprio insitas, vt melius ibi cognoscat. Tertium vbi intellectum proprium diuinæ menti prorsus accommodat, ideisque diuinæ mentis propriam conformat intelligentiam, hoc autem contactu quodam afficit sempiterno. Ex quo fit, vt possint in tempore & rationem intellectui suo, & imaginationem rationi propriè conformare. Esse primas omnium formas in vno scilicet intellectu omnium effectore, significat formarum congregatio naturalium in vna omnibus subiecta materia. Esse ibi quoquomodo distinctas, ostendit formalis naturalium formatum inter se differentia: quæ neque ex materia est informi: neque casu, cum semper ordinatissima sit: neque ex vna quadam inter has specie formæ, quoniam ad vnum omnibus communissimum ordinatur. Cum ergo formalis cunctarum distinctio formatum ex vna forma omnium effectrice pro-

cedat, necesse est ibi rationem distinctionis inesse, per quam ibi sint formæ quadam inter se ratione distinctæ. Est ergo intellectus ille & vniformis simul & omniformis. Sed ibi cum maxima quoque sit vnio, nimirum formarum vna omnium est essentia, rationesque diuersæ. Sed in quolibet intellectu, post illum formæ sunt contactus quidam essentiales idearum sempiterni ac penitus intimi. Ex quo quidem contactu deinceps in anima, id est, in facultate rationali, formulæ idearum quasi ex coitu illo conceptæ insitæ quidem semper, sed ex habitu in actum atque vicissim tempore transeuntes: suntque vniuersales formulæ: & de vnoquoque quid sit, & propter quid designantes. Ex his præterea formulæ in imaginationem aliæ profluunt, propius iam ad singula declinantes: quæ de vnaquaque re potius quale quam quid ostendunt, ac si quale quid, non tamen propter quid sit, aperiunt. Tu verò vbi Plotinus negat alibi figuras rerum ab anima suscipi, ne sibi hoc in libro repugnet, intellige non imprimi figuras in animã à rebus inferioribus, & accedere nuper, iterumque recedere, penitusque deleri. Hæ namque formæ, quas ex fonte haurit intimo, sunt quasi ipsa natura animæ, siue vis animæ naturalis, neque aduentitium aliquid & appositum. Procedit enim & anima ab auctore naturæ suæ, & vis eius alia prodit ab alia naturali semper, suo munere prædita. Memento, Plotinum hic agere propriè de intellectuali animæ bono, finemque virtutum putare, vt anima vniuersus inde mundus intellectualis euadat, cuius mundi finis est ipsum simpliciter bonum. Sicut enim super animam quasi corpoream est ipsa simpliciter anima, ita & super intelligentiam animalem est ipse simpliciter intellectus: ac super intellectuale bonum ipsum bonum simpliciter extat. In verbis autem exponendis, vbi dicit, figuras, vel formas impressas accommodari oportere exemplaribus suis, in actum iam eductas & illuminanti subdere, intellige formulas imaginationis formis rationis rationique subdendas. Item formulas rationis, intellectui proprio formisque ipsius, siue formationibus potius adhibendas. Hic enim semper est diuina mente formatus. Vbi ait, intellectum non esse animæ alienum, intellige, quia proprium habet sibi insitum, & eius proprius intellectus est semper diuino coniunctus, & proprio quodam sibi modo coniunctus. Esse verò formas animo naturaliter insitas, & intellectum nostrum semper conformari diuino, satis in Theologia probauimus.

In imaginatione anima rationalis propria, sæpe incitantur imagines secundum primos motus imaginationis, quæ est in animali priusquam ratio consultet vel animaduertat.

CAPVT V.

ANimi purgari virtutes ordine satis manifesto definit. Quod hic phantasiam appellat præfiguratam, intellige, ex primis incitamentis sæpe in nostra etiam imaginatione imagines aliquas incitari procliues ad sensus, antequam ratio satis animaduertat.

Sapientia in mente diuina est quasi tactus, in nostra mente quasi contactus, in ratione quasi figura visibilis.

CAPVT VI.

COnsirmat finem animæ non esse innocentiam, sed fieri Deum, aitque illum in quo soli iam primi restant motus Deum quendam esse simul & Dæmonem: Dæmones enim nonnullis tanguntur affectibus, at illum in quo etiam primi motus iam consopiti videntur esse duntaxat Deum, id est, intellectualem prorsus animum ex eorum numero, qui diuinam mentem propriè comitantur. Subdit, animum quando ad se conuersus est omnino purgatione videlicet præcedente, esse talem, qualis ex diuina mente procesferat, ac subito ibidem esse penitus restitutum: Nam & olim huc profectus, non omnino inde discessit. Siquidem & ratio intellectui suo ducique proprio pro arbitrio hæret, & intellectus cum diuina mente naturaliter copulatur. Post hæc exéplares definit virtutes; quatenus quodammodo nobis accõmodantur. Nam quatenus sunt in mẽte diuina, exemplaria quidem sunt, sed non virtutes. Vbi verò ait, sapientiam in anima quidem esse inspectionem eorum quæ possidet intellectus: intellectum verò sapientiam tactu quodam habere: intellectum hic subintellige duplicem, nostrum videlicet & diuinum, & sapientiam in diuino tactum dici, id est, non imaginis cuiusdam, sed rei ipsius possessionem, ac potius existentiam. In nostro autem intellectu potius appellari contactum, id est, realem (vt ita dixerim) copulam, non imaginariam notionem. In natura enim rationali, quæ propriè anima nuncupatur, imaginaria magis possessio est: in intellectu autem (vt ita loquar) substantialis: sed hæc possessio primo quidem est in mente diuina, deinde traducitur & in nostram.

Intellectus diuinus primò est ipsa quæ habet: noster intellectus secundò est ipsa quæ habet: ratio non similiter est quæ habet. Item comparatio hic fit virtutum, & præcepta nonnulla traduntur.

CAPVT VII.

EXemplares virtutes accommodatas animo ordine quodam correspondente diuinis accommodat exemplaribus, & quid cuiusque virtutis exemplar sit in Deo declarat, & quo pacto exemplares virtutes in animo diuinis virtutum exemplaribus ritè respondeant. Atque vbi ait animam non similiter atque intellectus hæc ipsa esse, quæ habet, animam intellige potentiam discurrentem: in qua aliud est esse essentia, aliud sunt formæ vel imagines, aliud habitus atque actus. At in mente diuina essentia in actum est ab æterno redacta, ipseque essentialis actus implet omnia quæ per additamenta quædam in anima peraguntur. Quinetiam intellectus noster quodammodo est, quæ habet, vt ex Plotini mente loquar. Est enim æterno intimoque contactu redactus in actum idearum omnium: in quarum actum diuina mens prodiit ab æterno. Post hæc comparat quodammodo virtutes inuicem, & quædam præcepta tradit, vel dubia soluit. Ait ergo: Quæ consummatam antecedunt animi puritatem esse vias ad virtutem, potius quam virtutem. Item neque etiam puritatem censeri virtutem, nisi referatur ad Deum, & imitandum & pro viribus consequendum. Rursus in inferioribus virtutum gradibus non esse superiores nisi per imaginem. In superioribus autem inferiores per exemplar, virtutemque contineri. Item vbi mutantur principia, species quoque mutari virtutum. Principia inquam duo scilicet & finem virtutis cuiusque proprium, & regulas suas atque leges, ad quas formatur: præsertim vbi

mutantur principia prudentiæ, quæ aliarum virtutum regula iudicatur. Ex quo fit, vt in alia specie fit ciuilis temperantia, in alia purgatoria, in alia quoque purgata, in alia exemplaris, cæteræque similiter. Concludit denique finem virtutum omnium communem atque præcipuum non esse in rebus externis, non in virtute, non in animo, sed in Deo. Qua quidem conclusione nihil sanctius dici potest. Quæ & diuinam nobis testatur Plotini nostri virtutem.

IN LIBRVM DE TRIPLICI REDITV ANIMÆ AD DIVINVM

præludium: in quo de trinitate producente, conuertente, perficiente, & de nouenario in diuinis numero agitur.



VI hunc librum de Dialectica inscripsere, à præstantiori eius parte nuncupandum iudicauerunt. Quanquam (vt arbitror) rectius admodum inscripsissent, si de animorum reditu ad diuinum appellauissent, hoc enim est maximum imò totum libri votum, hoc primò proponitur perquirendum: hoc in omni disputationis parte tractatur. Quoniam verò Plotinus hic ternario gaudet, triplici nos ad Deum tramite ducens, iuuat quasi præludio quodam per ternarium paulò liberius peruagari. Superiora vniuersi principia producunt quę sequuntur: producta reducunt: reducta perficiunt: dum producunt largiuntur esse: dum conuertunt, esse conseruant: vbi perficiunt, in melius esse reformant. Ab his autem affectibus quasi concretis ternario numeratis ad absolutam & trinam ascendimus trinitatem scilicet productoriam, conuersoriam, perfectoriam. In productoria trinitate primum est ipsum bonum: secundum intellectus boni filius: tertium anima, vitaque mundi, quasi diuinę intelligentiæ spiritus. Quomodo hi tres vno quodam omnia consensu producant, sæpe alibi disputabitur. Sequitur trinitas conuersoria, siue ad supera reductoria: in qua primum Mercurius tenet gradum, animos per rationem ad sublimia reuocans: secundum Venus per visum allicie ns ad supema: tertium Phæbus idem efficiēs per auditum, & si vnusqu sque trium ad omnia nos superare conuocat, Mercurius tamen ad ipsum præcipuè bonum: Venus ad intellectum in quo prima pulchritudo coruscat: Phœbus ad animam ad quam potissimum pertinet harmonia: vt in Timæo compendio & in Theologia latius pertractauimus. Singuli verò Planetæ tres, tum intellectu suo in nostram rationem agunt, tum animali virtute in imaginationem, tum corpore in corpus ad idem alliciendo: Cuncti denique tres ad Saturnum Planetam primò ducunt intelligentiæ ducem: deinde ad Saturnum Planetam superiorem intelligentiæ patrem, intellectumque primum: demum ad ipsum bonum patremque Saturni. His autem ad idem officium Mercuriales, Venerei, Phæbei dæmones, & denique Saturnij dæmones similiter subminiſtrant. Reliqua est perfectoria trinitas in nouenarium similiter distributa. Animus enim siue ad ipsam mundi animā redigatur, siue altius ad mentem mundi reginam, siue excelsius ad ipsum bonum intelligentiæ patrem ipsum profectò patrem agnoscit, vt principium omnium, & medium atque finem: quod in quarto legum planius aperitur. Mentem quoque diuinam vt essentiam, vt vitam, vt intellectum: Animam denique tanquam vitam, tanquam motum, vt rationem, eamque describit vitam, mobilem rationem, Singula rursus quæ repetit in sequentibus, singulis, quæ superioribus insunt, proportione quadam, qua potest, accommodat. Rationem igitur in anima ad intellectum refert in mente regnantem atque ad finem circa bonum consideratum. Motum similiter animæ ad vitam mentis, mediumque apud ipsum bonum: vitam denique animæ ad mentis essentiam, & ad ipsum vniuersi principium. Sed missas iam trinitates, alias inpræsentia faciamus. In hoc enim libro de trinitate potissimum agitur conuertente, atque plurimum quo pacto ad diuinam mentem animus reuocetur: quatenus vt intellectus & intelligibile aliquid cogitatur. Inde namque ad bonum ipsum subitò peruenitur. In hoc autem intellectu comprehenduntur ideæ: quas etiam numeros quosdam alibi Plotinus appellat. Ad has itaque animus aduocatus in vnaquaque considerat trinitatem. Nam vt veritatem, vt concordiam, siue commensurationem, vt pulchritudinem contemplatur, quod in Philebo Plato disserit, ad veritatem Mercurius, ad concordiam Apollo, ad pulchritudinem Venus adducit. In veritate animus cognoscit naturę perpetuam firmitatem, item puritatem aliena minimè capientem, rursus integritatem nunquam propria dimittentem. Concordiam quoque numero similiter ternario contemplatur, quatenus idea quęlibet, conueniт: ipsa secum: consentit superioribus, necnon inferioribus congruit. Pulchritudinem quoque ternario, nam idea vera concors, pulchra nobis occurrens tanquam Venus tribus stipata Gratiis, aggreditur animum admiranda, vt amanda congreditur, in greditur vt iucunda. Atque ita trinitatis idealis in nonarium ritè producitur. Similiter conuersoria ad ideam Trinitas in nouenarium deriuatur, quoniam Mercurius non solum propria ratione conuertit: sed & in hoc officio conuenit partim cum Venere, partim etiam cum Apolline. Eadem ratione Venus & propriè reuocat, & consentit aliter cum Mercurio, aliter cum Apolline. Apollo tandem & proprius est, & hinc quidem cum Mercurio, inde verò cum Venere congruit.

Quòd finis animi sit vltra naturam intellectualem ad ipsum bonum.

CAPVT I.

Diuiditur verò liber in capita tria: sicut & tres sunt ad diuinitatem viæ. Tertium verò caput tanquam potissimum in tria rursus capita distribuitur. In primo capite mox finem quo tandem proueniendum est describit: annuens animum non in bono quodam intellectuali, siue intelligibili, quod fermè est idem, sed in ipso simpliciter bono, summoque principio denique conquiescere. Eatenus enim procedit appetitio boni, quatenus appetendi boni procedit inuentio. Sed quemadmodum sagacissimi canes virtute olfactus inueniunt quod non vident oculis, neque forte visuri sint, sic animus mirabili quadam naturæ intellectu superioris sagacitate bonum esse vaticinatur, omnes intelligentiæ oculos supereminens. Nempe sicut sensu nihil supra sensibile reperimus, ita nec intellectu super intelligibile quicquam. Sed quemadmodum intellectu sensibus superiore intelligibile super sensibile reperimus, ita virtute quadam animæ intellectu superiore, ipsum simpliciter bonum, super intellectuale, vel intelligibile bonum auguramur pariter & optamus. Iam vero cum semel bonum ipsum dixeris, addere mox intellectuale, siue intelligibile, nihil aliud est, quàm boni aliquid dicere, siue quoddam bonum, vel intellectu iacens, vel saltem ad ipsos intelligentiæ limites coarctatum, vel intellectuali quadam proprietate signatum. Super hoc autem velut imperfectum & angustum, atque dependens est ipsum simpliciter in se absque limite bonum: cuius quidem aplissima facultate fit & bonum intellectuale, & non intellectuale bonum: fit & bonum non sensibile, & sensibile bonum. Ad hæc enim velut inter se opposita ipsum simpliciter absolutumque bonum vndique se diffundit: quod tanquam vltimum desiderat animus: quo fruitur non per quandam quasi imaginariam intelligentiæ perceptionem, sed per verum quendam virtutis intellectum superioris substantialemque contactum: vbi non vider solum, sed gustat etiam atque tangit quàm suauis sit Dominus, hanc Dauid (vt arbitror) magnam dulcedinis multitudinem penes Deum appellat intelligentiæ prorsus absconditam. Quoniam verò ipsum simpliciter bonum super cognitionem est, ac super cognoscibile bonum, idcirco affectus ipse naturæ ad cognitionem quidem rapit, non tamen velut ad summam: alioquin & accidens foret substantiæ finis, & nulla cognitio nos offenderet, & sæpe imaginaria quædam boni figura cognitioni quomodocunque se offerens satis naturæ desiderio faceret. Affectat ergo natura cognitionem, non cognitionis duntaxat gratia, sed vt per illam quærat, inueniat, apprehendat quomodocunque bonum, cuius quidem boni non tàm proprium est cognosci, siue cognitio, quàm reuera congruere, conferre, suauiter recreare, iuuare. In quo sane statu tanquam intellectu, & intelligibili longe præstantiore, animus tanquam in fine omnium vltimo per naturam intellectu superiorem denique conquiescit. Affectum eiusmodi Paulus Apostolus amorem vocat sensus, intelligentiæque limitibus altiorem. Satis hactenus de fine sit dictum.

De mundo intelligibili & sensibili, & de triplici via ingenioque ad intelligibile.

Pergamus iam ad vias, atque ad illos, qui per has vias ad hunc finem facilius vel progrediantur ipsi vel perducantur. Duos Platonici præcipuè mundos ponunt: Primum, intelligibilem scilicet, diuinam mentem mundi huius principiū & exemplar: Secundum, sensibilem, hunc scilicet sensibus manifestum diuini exemplaris imaginem. Animam Plotinus nostram existimat per intellectum quidem esse semper in illo: per vegetalem verò naturam quodammodo est semper in isto: sicut & radius solis hic quidem terram, inde verò solem simul attingit, per naturam verò mediam in motu primo, ideoque perpetuo, & ideo circulari positam perpetuas agere vices, & alio quidem seculo in mundo intelligibili, alio vicissim in sensibili viuere: neque id proprie fieri mutatione locorum: sed quando & imaginatio ad rationem, & ratio ad mentem tota conuertitur, tunc animum dici ad mundum intelligibilem ascendisse. At cum & ratio ad imaginationem suam, & imaginatio hæc ad inferiorem scilicet animalis vel geniti, vel iam generandi imaginationem sese flectit, tunc lapsus in mundum sensibilem iudicatur. Animas ergo triplices esse tradit: Alias, in superiori mundo semper, quales sunt sphærarū stellarū; & dæmonum superiorum animæ: Alias in mundo inferiori tantum: quales sint vegerationi tantum & sensui passionis addictæ: Medias autem, id est, rationales, siue nostræ sint, siue inferiorum dæmonum sempiternas hinc illuc atque contrà, peragere vices. Proinde animas nostras in mundo superiori alias attentius, alias remissius contemplari, vel affici: quem admodum & in hoc mundo alias ad hęc magis, alias minus videmus affectas. Iam verò quæ illic propensius operantur, vel omnia ibi diuina, vel plurima contemplari. Tales igitur animos quando certis temporum curriculis iam peractis, paulatim ad sensibilia relabuntur, diutius adhuc ad diuinorum reminiscentiam promptos perseuerate, & qui inter prōptos omnium promptissimi sunt Philosophico censeri ingenio præditos: qui secundo gradu sunt prompti, ingenio potissimum amatorio: qui denique tertio, ad Musicam aptiores: qui enim per tactum, gustum, & olfactum quodammodo corporeos rebus admodum corporeis mācipati sunt, ab illo prorsus in corporeo mundo remotissimi iudicantur: vt pote qui non nuper ex illo in hunc descendisse, sed aliunde huc transmigrasse potius videantur, at verò ingenium Philosophicum dum ratione rerum naturalium rationes indagat, quæ ab ideis potissimum deducuntur, diuinas auspicatur ideas Proinde visus atque auditus proximi rationis nostræ ministri merito iudicantur. Quia & minus corporei sunt, & circa res minus quodammodo corporeas versari videntur, & quæ oculis & auribus offeruntur, exactissimum quendam ordinem manifestius præseferunt. Quamobrem facilius ex his duobus sensibus quam ex aliis ad intellectum, intellectualesque rationes, vnde omnis ordo disponitur, prouocari solemus. Si itaque dum ratio ad diuinorum properat sapientiam, visus interea vtcunque potest, inuentionem menti suppeditat, auditus suggerit disciplinam. quapropter & triplici ad diuinitatem calle procedimus, ratione, visu, auditu, & tres animorum naturæ illuc promptius eueħuntur, tum

Philosophica dedita rationi, tùm oculis amatoria, tum auditui Musica, quod Plato in Phedro, ac Phedone testatur.

De tribus contemplationibus in mundo intelligibili, & tribus deinde ingeniis.

PRæterea in mundo diuino tria potissimum cogitantur, species, & numerus, atque modus. Nam & mens ipsa diuina prima species est, & quælibet idea species siue forma. Certus illic est numerus tum formarum, tum in vnaquaque forma eorum quæ sunt propria formæ. Certus est & modus, siue mensura virtutis & proportio quædam, tùm formarum in se vel ad formas, tùm ad numeros numerorum. Et si tria hæc ratione quadam inter se distinguuntur, in ipsa tamen specie siue forma & numerus continetur & modus, sed ratione formali. Item in numero tum forma est, tum modus, conditione quadam præcipuè numerosa. In modo rursus, atque mensura similiter tàm forma est, quam numerus, proportione, vt ita dixerim, mensurali. Quamobrem animi diuinorum contemplatores, quamuis singuli cuncta conspiciant, atque ament, alij tamen tam cognitione quàm affectu, ad speciem ipsam mox duo reliqui referunt: alij verò ad numerum simili ratione: alij randem ad ipsum modum atque mensuram. Ex primis quidem ingenium prouenit Philosophicum, ex secundis verò Musicum, ex tertiis neque inferioribus amatorium. Tametsi tria hæc ingenia sic fermè inter se coniugata sunt, quemadmodum species, numerusque, & modus inuicem connectuntur. Philosophus igitur in excogitandis numeris atque mensuris speciem ipsam, atque naturam potius admiratur. Musicus autem in naturis, & modis, atque mensuris ad canoros numeros vehementer afficitur. Amator denique modum ardenter in omnibus mensuramque sectatur. Omnes summatim tres, Plotinus ait, ad sublimem pulchritudinem eleuari, id est, ad diuinam mentem: quæ prima pulchritudo est, ipsius boni splendor æternus, in qua tum species, rum numerus, tum modus, quasi Gratiæ tres se inuicem complectentes ad integram pulchritudinem plenamque gratiam æquè conducunt. Item alium inquit aliter atque aliter excitari. Rursus postquam ad diuinam mentem, qui & mundus intelligibilis est, surrexerint, ibi per omnia idearum genera suo quodam ordine progredi: tandem ex eo mundo egredi ad ipsum bonum, quod mundi illius principium sit & finis. Post hæc qua ratione ingenium Musicum illuc tum natura vergat, tum arte feratur, explanat: natura enim ad pulchritudinem est propensum, ita videlicet, vt pulchras voces ad proportionis pulchritudinem numerosam præcipuè concitetur.

Hic ergo ducendus est, id ipsum quod in vocum modulis admiratur, non esse vocalem, similemue materiam, alioquin vbique omnes sibi soni æquè placerent, sed proportionalem potius numerosamque rationem quasi formam quædam est in vocis sonique materia. Quamobrem si quo pacto inde segregari materia possit, talisque forma vel in ipsa, vel in mente restare, formatunc sola placeret: placeretque magis, quoniam perfectior ibi proportionis numerosæ ratio foret & absolutius vnũ: cuius gratia & proportio placet. Ducendus igitur à pulchra voce ad pulchritudinẽ, quæ existit in voce: hinc rursus ad ipsam, quæ in quadam penes rationalem animam proportione consistit: deinceps ab hac & illa proportione, quæ sunt aliquid pulchrum, vel pulchritudo quædam, ad ipsum huius ordinis pulchrum, ipsamque pulchritudinem, id est, ideam: atque ad ideam primò pulchritudinis numerosæ atque vocalis, deinde ad simplicem pulchritudinis rationem, demum ad ipsum bonum, ex quo pulchritudo, id est, splendor ipsius & gratia fermè sic emicat: sicut ex intima sanitate externa formositas, atque extimum ex intima luce lumen.

Philosophicum, Musicum, Amatorium ingenium facile concurrunt.

CAPVT II.

IN secundo libri capite ait, Musicum sæpè cum amatore, & vtrosque cum Philosopho conspirare, nec immerito: Proximi enim & situ, & motu horum adspiratores sunt, Sol, Mercurius atque Venus, proximi rursum auditus, & visus, & imaginatio seruiens rationi. Item qui pulchrum naturaliter amat qua ratione pulchrum, id amat vbique, siue in vera rei cuiuslibet ratione, sicut Philosophus: siue in his quæ spectantur, sicut amator: siue in his quæ audiuntur, vt Musicus. Reliqua huius capitis omnia in conuiuio de amore latissimè pertractamus.

Ingenium Philosophicum magis solutum est quàm alia ingenia, & solo indiget duce per Mathematicam disciplinam ad sapientiam Metaphysicam.

CAPVT III.

TErtium libri caput Philosophantis ingenium, educationemque describit. Hoc vtique, sicut & amatoris, musicique ingenium ad pulchritudinem est natura propensum, sed hoc interest, quòd Musicus & amator pulchritudinem venantur in corpore: qui verò natura Philosophus est, videtur quodammodo solutus à corpore: quoniam & moderatiores habet affectus, & semper tum resoluendo particularia in vniuersales redigit notiones, tũ argumentando separatas causas inuestigat, quamobrem non eo quidem indiget qui à materia soluat, sed qui soluto iam volantique ingenio demonstret finem, viasque certiores offendat. De hoc autem ingenio, & quibus disciplinarum gradibus sit ad sublimia perducendum, in quinto, sexto, septimo de Repub. satis agitur, quemadmodum scilicet moribus instituitur, & Mathematicis instruitur disciplinis quodammodo à materia separatis, atque ad Metaphysicam denique perducitur facultatem.

Methaphysici officium est per omnia entia proficisci diuidendo, componendo, definiendo, demonstrando, ac denique vltra entia progredi: item quæ sint entia, quæ infra entia, quid denique supra.

CAPVT IV.

MEthaphysicæ apud plerosque Peripateticos subiectum est ens ipsum, qua ratione ens sub ipsa eius apud illos amplissima notione, in qua sanè ad entia omnia est, tum à materia separa-

ea tum materiæ coniuncta, commune. Tametsi apud Platonicos Methaphysicæ subiectum latius esse videtur, scilicet, aut ens atque non ens, aut ens saltem sibi competenti habitudine præditum, habitudine inquam tum ad id quod est superius, tum ad id quod inferius ente. Superius quidem est ipsum vnum atque bonum, quod entis principium est & finis. Inferius autem forma quælibet in materia transmutabilis ipsaque materia: sed forma hæc est entis imago: materia verò ipsius entis est vmbra. Entia quidem vera Platonici nominant substantias: in quibus vel non est, vel non regnat procliuitas ad non esse, quod est entis oppositum: vel non est inquam sicuti in substantiis à materia separatis, vel etiam separandis: vel non regnat inquam, sicut in mundi sphæris: in quibus perfectio formæ semper defectum materiæ superat. Per hæc omnia facultas progreditur Methaphysica, quam Plato nominat dialecticam logica vtentem, vt instrumento. Logica enim circa dictiones, conceptus, propositiones, syllogismosque versatur. Methaphysica verò circa res ipsas logicis interea machinis vtens. Metaphysici verò officium est resoluere, diuidere, componere, definire, demonstrare, idque agendo per omnia entia progredi, præcipuè verò ad incorporea, quoniam re vera sint entia: deinde ad ipsum vnum horum principium atque finem: post hæc processum entium contueri à summo ad imum, iterum per omnes gradus entium redeundo: demum redire ad summum, ibique quiescere. Inter hæc autem quo pacto Platonica diuisio fiat in tribus Plotini libris de generibus entis: Item in Parmenide, Sophista, Politico, Philebo cognoscere potes.

Metaphysicus habet principia innata quidem in intellectu, sed rationem edit in actum, & per regulas veritatis redarguit sophismata, ac regulas Logicæ tenet.

CAPVT V.

Quintum libri caput docet, intellectum ipsum, qui semper existit in actu, similiterque scientiarum omnium principia possidet, hęc rationi ad ipsum conuersæ aliquando tradere: per quæ fit animus Metaphysicus, dum ratio intellectu formatur, & consummatur in ipsum. Præterea Metaphysicum per ipsam veritatis regulam mendacia sophystarumque cauillationes deprehendere inquit, atque redarguere: minutas autem & quasi literarias Logicæ regulas haud attente admodum meditari: veruntamen quia & ipsos animorum motus, & rerum inter se consensionem dissensionemque tenet, ideo propositionum vires, atque affirmationum negationumque congruitatem citè discernere.

Omnes facultates à Metaphysica principia trahunt, sine qua & scientiæ non sunt, & mores sunt imperfecti.

CAPVT VI.

Ait insuper in capitulo sexto cæteras facultates tum Mathematicas, tum Physicas, tum Morales, à Methaphysica principia sumere: item Methaphysicam in materiales omnino vniuersalesque admodum morum leges habere: quas velut Geometra prudentiæ, velut architecto tradit: prudentia verò virtutibus aliis quasi in ędificando ministris. Concludit, virtutes alias esse sine sapientia imperfectas: atque vicissim; sapientiam enim, reliquamque virtutem simul fermè pariter coalescere: naturaliaque in animo virtutum exordia, accedente sapientia, in virtutes perfectas euadere, siue sapientia ante alias oriatur, siue contrà: nam vndecunque inceperis, virtus altera conducit ad alteram. Denique exordium naturale in natura rationali ad sapientiam, vel prudentiam est oculus imperfectus: sed ille quidem dexter, hic verò sinister. Naturale rursus ad alias virtutes exordium, mos quidam dicitur imperfectus: Vtriusque verò virtutum generis principium ab his maximè trahitur, quæ in mente, vel ratione, vel etiam imaginatione naturaliter possidemus.

IN LIBRVM DE FELICITATE SVMMA TOTIVS LIBRT Commentarius.

BEATVS EST QVI SOLA MENTE VIVIT.



Ibrvm de felicitate ab ea sententia in qua omnes consentiunt, exorditur. Felicitatem sanè omnes esse bene viuere prædicant. Quoniam verò quid vita sit, & quid bonum prorsus ignorant: ideo quoties definiunt bene viuere, toties errare coguntur. Quorum errores Plotinus in primo, & secundo libri capite deprehendit: nos videlicet admonens, vt ab ipsa definitione disputationis initium faciamus. Itaque in tertio libri capite vitam, & bonum, felicitatemque describit. In quarto dubitationes obiicit atque soluit: quærens vtrum homini beata competat vita. Item qua ratione rursus vtrum impediri queat: interea significans impediri non posse. In sequentibus deinde capitibus similes quæstiones adducit, ac denique soluit: & omnibus videlicet comprobans tum duntaxat esse beatum, qui sola mente viuens totus iam sit intellectus, nulla ex re alia pendens, quàm ex intellectu diuino, ipsoque bono rerum omnium principio, atque fine. Hoc libri totius est institutum.

Variæ opiniones, quid sit bene viuere.

CAPVT I.

PRimum itaque caput per ambages versat eos, qui ignorantes quid ipsa vita sit, quid ipsum bonum, bene viuere interim definire contendunt, dicentes videlicet: Bene viuere est vitam sine impedimento transigere: item bene se habere: rursus proprium opus perficere: præterea finem con sequi ab appetitu naturaliter exoptatum: de hinc tranquille viuere: denique secundum naturam viuere. In his itaque omnibus eò deducit veræ definitionis ignaros, vt abiectissimis quibusque bestiolis, imò etiam plantis diuinum beatitudinis donum concedere compellantur, & quibus minimum inest vitæ, felicitatem, id est, summum vitæ tribuere.

Sicut in primo, sic in secundo falsas opiniones agitat, & ex eis veri aliquid eligit: in quo nota de sensu in animalibus atque plantis.

CAPVT II.

IN secundo libri capite dum idem ferme efficit quod in primo, tentat interea ex aliorum erratis, siue dubiis nonnullas ad veram beatitudinem inueniendam coniecturas passim aucupari. Dixerant autem felicitatem esse affectionem quandam naturæ, secundum quam aliquis bene se habere dici solet. Post hæc, nonnulli inter eos negant inesse plantis felicitatem: quamuis animalibus cunctis attribuant. Hinc Plotinus ait: Qui negant felicitatem plantis, quia non sentiant, videntur etiam quibusdam animalibus negaturi, id est, ostreis & similibus, quæ vix sentire videntur: ac fermè eodem modo sentire perfectiores plantas Pythagorici putauerunt. Vt summus in plantis gradus cum animalium infimo congruat. Quin etiam in plantis est discretio sexus, & propè sitæ coniuges plantæ fœcundius pullulant, & nescio quo sensu humorem versus vergunt atque calorem & violentius amputatę vel tractatæ siccantur. Sensum verò duplicem esse putamus: Inferiorem quidem quo non natura rei vel qualitas vlla discernitur, sed affectio quędam tantum, inde illata sentitur: qui & stupidus sensus est, velut in dormientibus, plantisque conuenens. Superiorem verò qui & naturam qualitatemque persentit animalium solummodo proprius. Sed vt redeamus ad illos, qui affectionem quandam, siue habitum corporeæ præsertim naturæ conuenientem feliciatem esse dicebant: illi profectò non rectè adimebant felicitatem plantis, quia non haberent sensum: quoniam eiusmodi habitus similiter est etiam ante sensum. At si dicant summum bonum non in tali quodam habitu, sed in sensu & cognitione consistere, inde protinus refellentur: quoniam si ipsa propria boni ratio in sensu comprehendatur, certè quicquid & quomodocunque sentiatur, bonum esse probabitur. Contrà verò contingit: sæpe.n. sensus actionem, & huiusmodi cognitionem respuimus, quando vel esse animaduertimus, vel timemus nobis fore molestam. Proinde si rursus addiderint mixtum ex habitu, eiusque perceptione summum bonum esse, iterum conuincentur, quia si indifferens aliquid ad ipsum bonum cum altero ad idem indifferente iungatur, non ex ambobus bonum ipsum conficietur. Si ergo concedant vtrumque ad bonum se indifferenter habere, summum ex eis bonum minimè resultabit. Fortè verò dicent, certum quendam habitum esse summum bonum, sed quando cognoscitur esse præsens. Ad hæc ita Plotinus argumentatur. Bene viuere alicui competit, non ex eo solum quod tale quiddam adesse cognoscat, sed ex eo potissimum quod verè iudicet esse bonum. Sic enim duntaxat verè fruetur tanquam bono. Iudicare verò de natura, & ratione boni, non sensus iam officium est, sed rationis, atque mentis. Non ergo vel habitus voluptarius, vel sensus eiusdem, sed ratio, atque mens, causa est bene, beatèque viuendi, profectò affectio naturæ corporeæ consentanea, siue voluptas, eiusmodi aliquid est rationis expers, hoc autem ipso, & ratio, & mens velut iudex & auriga præstantior est; si præstatior est, ergo naturalis præcipuaque ipsius actio ad præstantiorè dirigitur finem. Quin etiã qui animalibus omnibus, vel etiã plantis attribuunt bene viuere, hi certè dum addunt

hæc bene viuere, quando certo modo affecta perfectius viuunt, vaticinati videntur, sensualem, vegetalemque vitam, non quatenus simpliciter talis est, sed qua ratione aliquando melius viuit, bene viuere: quasi super talem vitam non semper perfectam, imò & semper imperfectam sit alia quædam semper perfectissima vita. Qui ergo circa perfectius, viuens scilicet rationale, felicitatem ponunt, rectius iudicant. Sed virtus ipsa rationalis non ideo necessaria est ad beatos efficiendos, quia comparet quæ primis naturæ corporalis incitamentis necessaria sunt, nam & sine hac vel comparati, vel adesse possunt. Item sic natura rationalis seruiret tantum inferiori naturæ, quod est absurdum, oportet enim naturam superiorem habere etiam superius officium atque proprium ad superiorem finem propriè sibi conducens. Et sicut natura corporea, sensualisque suum quandoque, finem consequitur, sic illam assequi suum, neque perfectionem eius consistere in eo quod circa imperfectiora versetur, sed circa perfectiora insuper quàm ipsa ratio sit. Quicquid enim perficiendum est virtute, & adeptione cuiusdam ipso perfectioris tantum perfici potest. Denique cum natura rationalis rebus corpori consentaneis impleri nunquam possit, neque vnquam in talium possessione quiescat, constat ipsam in alio, atque præstantiore ordine collocari, & aliunde scilicet, ex alto perfici fierique beatam.

Vna vita est summa, scilicet intellectus summus: aliæ per multos gradus inde dependent.

CAPVT III.

TErtium libri caput iam definit asserens, si in omnibus, quæ viuere dicuntur eadem esset ratio, & æqua vitæ conditio, omnia æque ad beatam vitam aliquando peruentura: sed cum non ita res se habeat, imò verò vita vera sit intellectus, aliæ verò imagines vitæ sunt, in eo solùm vitam esse beatam, in aliis autem videri quasdam felicitates imagines: rationem quoque esse intellectus imaginem. Ergo qui in ea felicitatem eo locant, rectius quidem quam cæteri sentiunt, siquidem ratio est proxima menti, non tamen rectissimè iudicant. Cum enim ratio versetur in motu, non propriè ad eam pertinet finis vltimus, qui tanquam summa quies diuersus admodum est à motu. Præterea vita beata est ipsa vita, & absolutissima vita. Qui verò dicunt felicitatem non esse simpliciter vitam, sed quendam rationalis vitæ habitum, primo quidem negant vitam beatam esse ipsam vitam: deinde in accidentali quadam qualitate eam collocant; rursus si in discursione, quæ dum semper versatur in motu, nunquam est vita penitus absoluta. Concludit ergo Plotinus, beatam vitam circa aliam vitæ speciem esse ponendam: aliam, inquam, à sensuali, aliam quoque à rationali; sed interim corrigit seipsum quod dixerit speciem, non enim vult intellectum ipsum in eodem genere cum planta, vel sensu, vel ratione connumerari, & quasi speciem quandam vnà cum his per differentias speciales ex æquo distribui, sed ipsum intellectum esse ipsam vitam; viuentium omnium principium, & exemplar, cætera verò viuentia per diuersos gradus inde manate, rationale primum, deinde sensuale, denique vegetale, ea tamen connexione, vt in animali rationali sit etiam non nihil intellectuale: rursus in sensuali rationale nonnihil, item in vegetali aliquid sensuale: denique in mixtis vitale aliquid, atque vegetale, sic enim & principij fœcunditas declaratur; & sequentium seruatur conditio, & vniuersum vndique perfectè connectitur. Sed iam ad ipsam vitam mentemque, vitamque beatam dispositis gradibus ascendamus.

Idem est prima essentia, prima vita, primus intellectus.

IN ipso rerum ordine cernimus essentiam anniti ad vitam, quatenus quicquid est ad motum, generationemque inclinatur. Motus verò & generatio vitale aliquid præseferunt. Item vitam ad cognitionem anniti, quatenus quod viuit in se formas generat, qua in re cognoscentem imitatur naturam quæ in se formas concipit cognoscendo. Hinc patet vitam esse perfectionem essentiæ, cognitionem verò vitæ perfectionem, quanquam totum hoc sub ratione vitæ considerari potest. Videtur enim & essentia esse quædam vita nascens, & cognitio, præsertim intellectualis esse vita protsus adulta. Videmus præterea horum trium vestigia quædam per omnia quę sunt extendi. Vbique enim sub ratione formæ essentiæ vestigium reperitur, siquidem vnumquodque per formam esse videtur. Item sub eadem ratione vitæ vestigium: siquidem per formam inclinatio fit & motus, atque generatio. Rursus eadem ratione vestigium apparet intelligentię: quippe cum per formam vbique fit ordo proprium intelligentiæ signum. Cum ergo per vnum aliquid, id est, per formam, tria hæc per omnia porrigantur, necesse est vnam esse primam omnium formam, quæ quidem ipsamet sit essentia prima, & vita similiter, & intelligentia prima. Nam idcirco per vnum formę munus tria hæc per omnia protenduntur, quia vna super omnia extat forma triá hęc in se ipsa complectens. Iam verò quod prima forma sit essentia prima, ex eo patet, quod per formam essentia passim, & esse producitur, atque vbi plus formæ, ibi maius est munus essendi. Item quod eadem prima sit & perfectissima vita, necnon perfectissimus intellectus, inde coniicimus, quod & vita essentiæ, & intellectus vitæ perfectio est. Igitur cum summa perfectione essentię summa concurrit vitæ, intellectusque perfectio. Præsertim cum essentia perfectissima proprium actum habeat perfectissimum: vita verò sit actus essentię. Item absolutissima vita perfectissimè moueatur. Id verò nihil aliud sit, quàm per intelligentiam in se reuolui. Proinde quemadmodum in mundo sensibili, qui mundi intelligibilis est imago, essentia quasi materia per vitam formatur, & vita similiter per intellectum, siue qualemcunque cognitionem, quæ intelligentiam repræsentat, sic in mundo intelligibili intellectus quidem est actus quidam vitę, vita verò est actus essentiæ. Quoniam verò tria hæc apud nos formali quodam ordine inter se distinguuntur, idcirco ratione quadam distinguuntur, & ibi, vbi prima forma totius formalis ordinis principium est & exemplar, & finis. Distingui verò hæc, & ibi quodammodo coniectamus, ex eo quod apud nos, & si tria illorum vestigia sunt vbique, in rebus tamen quæ plerique esse tantum dicunt, expressius essentię, quam vitæ, vel mentis apparet indicium. In his autem quæ solum dicuntur viuere, certius vitæ, quàm mentis vestigium nobis occurrit. Et quoniam essentia illic quoque velut informe quiddam videtur, si comparetur ad vitam, & vita similiter comparetur ad mentem, informe verò seipsum formare non potest;

Idcirco super ens ipsum in quo tria hæc cogirantur, regnat ipsum vnum atque bonum, cuius virtute & essentia in melius proficit, dum prodit in vitam, & vita in melius, dum in mentem prorsus absoluitur. Hæc itaque mens est vita beata, id est, vita ipsius boni, vigore ad summum suæ naturę, appetitionisque perducta, reflexa in se, conuersa in ipsum bonum, atque exuberante illinc bonitate repleta. Ipsum verò bonum, ac simpliciter vnū, non est essentia. Vita intellectus per modum formæ, sed excellentius admodum, id est, per causæ rationem. Quod autem proximè sit sub bono tria hæc est formam. Anima deinceps tria hęc est participatione vera. Quod autem animæ rationali subijcitur, participatione quadam imaginaria tria hæc esse censetur, sicut lux, lumen, splendor in cœlo quidem inuisibili sunt per causæ rationem, in cœlo visibili per modum formæ, in æthere participatione vera, subinde verò, conditione prorsus imaginaria. Proclum vero tria hæc volentem tres esse substantias, & essentiam quidem vita superiorem, vitam vero mente præstantiorem, non facilè comprobamus. Sic enim oporteret & horum vestigia similiter se habere, scilicet quod solum est, excellentius esse viuente, rursus quod est, viuitque duntaxat esse intelligente præstantius. Nos ergo dicemus nobiliores huius substantiæ dotes paucioribus conuenire: minus verò nobiles competere pluribus. Multa enim perfectaque in rebus exigitur præparatio ad donum præstantius capiendum.

Ipse intellectus est summum vitæ.

VItam communi notione describimus primum quendam essentiæ, esseque ipsius exitum in actum eius, atque ipsum primum eius actum, & quasi motum intimum & perennem omnium principium motionum, quo efficitur, vt actus, motusque vbique sit vitæ vestigium: ac perfectior motus & actus sit expressius vitæ perfectioris indicium. Cum verò summus vitæ gradus ille sit, in quem veluti finem motus omnis vniuersi contendit, intellectum ipsum esse summam vitam ex eo conijcimus, quòd vniuersus mundi motus in formam intellectualem denique definit: exordiens quidem generationem à formis elementorum, deinde admixtorum formas, subinde plantarum, dehinc animalium, denique prouenīens ad ipsam hominis formam intelligentiæ iam participem. Similiter in ipsa generatione hominis in matrice à forma mixti ad quandam plantæ formam, ab hac ad sensualem, ab hac ad intellectualem fit processus. Mitto, quòd vniuersus mundi motus, rotaque generatio ad communem totius ordinem, & pulchritudinem proficiscitur, & quæ quidem certa in rebus est intellectus imago. Idem quoque artes imitari conantur, inchoātes quidem opus ab instrumentis, atque materia, desinentes denique in artificiosam formam intellectualis artis imaginem. Cum itaque finis vltimus in ordine motionum quasi vitarum appareat intellectus, quis non videat summam vitam intelligentiam esse summam? Ipsamque mentem esse efficientem & exemplarem causam vniuersi? Quippe cum mentis ipsius virtute omnia, velut ad finem, ad ipsam mentis similitudinem pro viribus redigantur. Hæc igitur ipsa vita est. Nulla verò præter hanc, est vita simpliciter, sed quædam potius participatio vitæ: cuius imago quædam est vita rationalis: vitæ verò rationalis imago est vita, quæ dicitur sensualis: huius autem vegetalis vita similitudo videtur: vegetalis denique vitæ vestigium est forma quælibet in materia, dum inclinatur, & inclinat ad motum, dum generat quasi more viuentis, dum rarefacit atque condensat: in quibus augmenti apparet & decrementi conditio. Fit ergo descensus à substantia vitæ ad imagines deinceps alias, atque alias, & vestigia vitę: perinde ac si artifex ipse viuens sui ipsius statuam simillimam fabricet, & hanc deinde referat in picturam, pictamque imaginem speculo rursus obijciat, vnde vltima quædam appareat specularis imago. Solus hic artifex homo est, nulla verò imaginum erit homo. Solus similiter intellectus est vita: quæ verò inde posterius, deinceps, posteriusque fiunt, imagines quædam vitæ potius quàm vitæ censentur. Non solum quia longo quodam interuallo ab ipsa vita degenerant, sed quoniam nonnihil morti simile habere videntur admixtum, dum & in aliquo vitę gradu deficiunt, & priuationem quandam subeunt à potentia in actum, atque vicissim tempore transeuntes, & ignorantiam, obliuionemque patiuntur. Proinde quo motus exterior eò est, iudicatur & vita iam facta debilior, quasi ab ipso suo fonte digrediens. Elementa quidem & mixta mouentur extra, & in separata solum materia generant. Plantæ verò iam mouentur intrinsecus, & in coniuncta materia gignunt Sensualis dehinc animalium virtus præter eiusmodi genituram, formas imaginando concipit in seipsa. Rationalis deinde virtus non quemadmodum imaginatio suæ conceptionis initia mutuatur à sensibus, sed ex semine iam intimo contrahit: conceptumque suum animaduertendo complectitur. Ipse denique intellectus ita iam gignit in se, vt se quodammodo appareat genuisse. In quo enim esse, viuere, intelligere, re ipsa sunt vnum, hic dum intelligit semetipsum, interim nescio quid essentiale, atque vitale in seipso gignere, vel expedire, vel conseruare videtur. Ex his omnibus colligere possumus, intimam maximè, perfectamque motionem generationemque in mente vigere: ideoque perfectissimam esse vitam. In mente inquam diuina, primo atque per se, in nostra vero proximè atque per ipsam. Beatam itaque vitam esse putamus, non vitam quidem talem aut talem, quasi additamenti alicuius egenam, sed vitam ipsam summo viuendi gradu vigentem. Vitam inquam, id est, actum essentiæ primæ directum naturaliter in ipsum bonum, atque ita perfectum. Atque in hoc ipso perfectionis gradu simul & intellectum fieri cogitamus, vitamque ipsam ipso intellectu prorsus absolui. In hoc autem intellectu idem est viuere, intelligere, velle, quamuis in natura rationali aliud sit viuere, aliud cogitare, aliudque eligere. Sicut & in cœlesti lumine idem est lucere, micare, calere: quamuis nostro hoc aëris lumine aliud sit fulgere, aliud refulgere, aliudque feruere. Quæ enim natura inferior per diuersa facere cogitur, eadem per vnū explet natura superior. Quemadmodum quæ instrumentis quinq; sensus exterior agit, eadē vno quodā imaginatio peragit. Et quæ pluribus, singulisque formis imaginatio machinatur, ratio vna quadā vniuersali specie colligit. Postremo quæ ratio percurrit actu multiplici, intellectus vno stabilique consequitur actu, imò actu perpetuo possidet. Huius itaq; viuere est intelligere: huius intelligere, velle: vel si qua forsā in

voluntate distinctio fit, eodem tamen naturæ suæ (vt ita loquar) instinctu, dum ad bonum nititur, naturaliter velle dicitur: dum assequitur bonum, dicitur intelligere: rursus dum bonum cõsequutus amplectitur, vtile iterum iudicatur. Hæc vita prima, primaque mens paterno semper bono perfruens, beata vita censetur. Hinc quoque mens quælibet perpetuo fit beata menti primæ, ac per illam bono semper inhærens. Hinc & ratio toties euadit felix, quoties suæ menti, perque suam diuinæ menti coniungitur.

Rationalis natura potest consequi vitam beatam, quando scilicet intellectu formatur & agit.

CAPVT IV.

CVm igitur vita beata sit perfecta vita, perfecta verò vita sit intellectus verus, actuque perfectus: Quæritur deinceps: Vtrum homo, id est, anima rationalis sua ipsa rationali potentia hanc mentem, hanc vitam consequi possit. Huic igitur quæstioni in quarto libri capite respondetur, aliquando consequi posse, quod quidem in Theologia, & in libro de mente latius aperimus. Vis hæc rationalis duos præcipuè habet actus: intuitum scilicet, atque argumentum. Intuitu quidem formas à materiæ conditionibus resoluit & abstrahit: atque à singulis imaginationis formis ad vniuersales se recipit formas, rursus ad vniuersales magis, donec ad communissimas perueniat formas, ipsius iam intelligentiæ proprias: vbi finem facere videtur in mente: à qua etiam argumenti virtutem ducit, dum principales scientiarum, artiumque regulas intellectui naturaliter insitas sibi ipsi præscribit tanquam argumentandi principia. Sic itaque & intuendo finem sistit in mente, & argumentando trahit à mente principium, & meritò, quoniam velut posterior naturaliter inde dependet. Finis itaque rationis est pro viribus mente potiri. Hinc ergo quotidie nititur, quantum non impeditur, magis gradatim, magisque mente formari. Cùm verò potentia hęc tanquam speciei huic naturalis non sit inanis, mentem quandoque assequi potest, eandemque virtute denique perfici, qua & quotidie proficit. Cum verò potentia rationalis ad ideales intelligentiæ formas, & regulas iam processerit, tunc velut materia quędam ipsa mēte formabitur quasi forma, & sub mentis actu iam aget: Atque ita demum illius vita viuet, viuetque beata. Quod si hac in vita tanquam occupata diuersis acquirere nequit, adipiscetur in altera, & ille citius consequetur, qui se ad id propensius comparauerit. In Plotini verbis notabis, intellectum quendam esse intimam, propriamque ipsius animæ partem. Ac priusquā ratio tota conuertatur ad mentem, adhuc in anima esse intellectum, atque rationem, tanquam duas animæ partes, postquam verò conuersa fuerit, intellectum non amplius esse partem, sed animum ipsum esse tunc intellectum: qui certè animus non prius est felix, nisi totus actu intellectus euadat. Fermè sicut sublimis aër sub sphæra ignis est igneus, agitque vt ignis, qui etiam neque homo est, nisi intellectum saltem habeat in potentia. Quod quidem propter animalia brutum dictum arbitror, in quorum imaginationibus si qua vis argumentatrix inest, nequit tamen mente formari. Cum enim propriæ mentis formæ stabiles omnino & communissimæ sint, meritò, imaginatio bruti per formas suas, & particulares tātum, & mobiles nunquam potest mente formari. Ratio verò per formas suas quamuis quodammodo mobiles, tamen vniuersales potest ad intelligentię formas quandoque produci. Post hæc disputat eiusmodi felicitatē propter curam animalis, eiusque incommoda minimè perturbari, quippe cum animus sic affectus animal non esse sui partē existimet, sed aliquid vel ex eo factum, vel suæ prouidentiæ commendarum. Affirmat autem inter hæc Plotinus animum sic affectum sibimet bonum existere, scilicet per intellectualem formam, quam nuper rationalis animus est indutus: indutus inquam sub intellectu proprio, quemadmodum & proprius intellectus ab initio diuinum induitur intellectum. Atque omnino per intellectum & proprium, & diuinum animus ipso bono perfruitur. Quod quidem in se simpliciter bonum est, in intellectu verò essentiale, vitale, intellectuale, intelligibile bonum.

Quæ Peripatetici obiiciant.

CAPVT V.

QVintum libri caput summatim enumerat quæ huic felicitatis definitioni sit Peripateticus aliquis obiecturus, & quæ ad felicitatem necessaria videantur, numeraturus. Inter hæc notabis magica veneficia in corpus & animam posse nonnihil: quod & Porphyrius asserit: præsertim in animas quodammodo debiles, id est, imaginationi addictas, nec intellectu velut Palladis clypeo hastaque munitas, sed de veneficiis, fascinationibusque satis in Theologia & conuiuio de amore tractamus.

Finem vltimum esse bonum vnum scilicet, summum intelligibile, vel plusquam intelligibile.

CAPVT VI.

AD hæc in capite libri sexto respondet: Si felicitatem in rerum humanarum prosperitate & tranquillitate quadam eiusmodi poneremus, sequi quæ à Peripateticis obiecta sunt scilicet non esse felicem cui aduersa contingant. Cum verò beatam vitam in ipsa primi, diuinique boni possessione ponamus: nec reliqua pręterea quæ dicuntur bona huic censet annumeranda, neque horum contraria felicitatem putat nobis adimere: modo interim ab ipsa diuinitate minimè discedamus. Cui quidem quamdiu coniunctus est animus, æquè beatum dicit, & si corpus interea doloribus torqueatur. Id equidem Plotinum arbitror, non tàm Stoicorum verbis, quàm Christianorum Martyrum suo seculo frequentium opera didicisse. Tum verò negat felicitatē in accumulatione quadā maiorum, minorumque bonorum esse ponendam quæ quidem ipse minora, quæ dicuntur bona, potius necessaria nominat. Deus profectò naturæ author nostrum animal, id est, corpus viuens tanquam imperfectius aliquid subesse animæ voluit. Dehinc in anima imaginationē subdidit rationi, rationem menti, mentem denique sibi, eadem ratione bonum, finemque proprium animalis, fini bonoque animæ seruire constituit. Atque in anima proprium imaginationis finem fini proprio rationis, item familiarem rationis finem fini mentis seruire praecepit, qui sanè quemadmodum proprius est intelligentię finis, sic & finis sequentium est communis, finiumque finis. Quamobrem rationalis animæ finis non ex diuersis bonis componitur, sed est ipsum intelligentię bonum, ad quod velut ad finem bona sequentia referuntur. Præsertim cum animus

tunc solum beatus existimetur, quando non vlterius in plura distrahitur sed demissis, vel certè remissis admodum cæteris viribus & officus, totus iam est translatus in mentem. Ideoque totum animi bonum est vnum ipsum intelligētię bonum. Tunc & reliqua, quæ bona dicuntur, si eligit, non propter ipsa, sed quasi quædam remedia eligit, vt omnia inde pro viribus vitentur incommoda, quæ forte animum ad inferiora curanda distractum adducere videantur, vt interim circa diuinum bonum remissius operetur. Ait præterea vltimum finem maximeque omnium expetendum, oportere non solum esse maximum in se bonum, sed animo etiam præ cæteris intimum. Sic enim bonum maximè prodest, si summopere sit intrinsecum, atque ita maximum est animo bonum. Atque vicissim quod maximum in se bonum est, si modò id animus noster auguretur, sit præ cæteris intimum, tùm quia & ipsum efficacissimè rapit & penetrat tum quoniam animus vehementissimè ad id afficitur. Tale verò est solum intelligibile, & plusquam intelligibile bonum, cætera enim quæ dicuntur bona vel etiam extra animal nostrum sunt, ceu diuitiæ, honores, imperia, vel in animali nostro, sicut sensuum voluptates: vel, & si sunt in anima, tamen externa prospiciunt: vt imaginationis oblectamenta, spesque rationis occupatæ rebus agendis, vel si non externa respiciunt, sunt tamen (vt ita loquar) imaginatia, perpetuoque versantur in motu, vt rationis speculantis discursiones, atque conceptus, solùm verò quod super rationis motum extat bonum, & menti est penitus intimum, & (vt ita loquar) solidum ac stabile, simulque totum. Id ergo & maximum in se bonum est, & maximum animo bonum.

Felix vnicum bonum vult, cætera propter ipsum eligit.

CAPVT VII. & VIII.

IN capite libri septimo confitetur felicem eligere commoda potius quàm opposita: Et commoda non propter ipsa, sed vt deuitentur incommoda. At verò incommoda procul ab esse malle, non quia cum accidunt esse felicem è medio tollant, sed quia & esse potius auferant, quanquam hoc deinceps nihili pendit, & contemplationis studium interpellare contendant. Concludit, beatum diuinitate plenum cætera omnia nihili pendere: ideoque ex ipsis nullam in partem è suo statu posse deflecti. Idem in octauo capite pergit.

Est in mente sapientia æterna, ad quam cum attingit ratio, animus est beatus.

CAPVT IX.

IN nono capite iterum dubitatur: Vtrum qui beatus iam definitus est, perseueret beatus, si quo grauissimo morbo aut malefico phrenesim patiatur? Respondetur, perseuerare beatum, quasi dormiat quidem, & somniet imaginatione, vigilet tamen & perfectè agat tum mente, sicut & de omni anima dictum est, tum vi rationis superiore, quæ & contemplatiua ratio dicitur, & quodammodo intelligentia quædam, quæ in beato iam mente formata est, & vt mens operatur. Idq; videlicet secundum vniuersales tum rerum species, tum rationis actus, non enim adeo perfectè formata est secundum singula, magis enim à mente distant. Quinetiam & reliqua rationis virtus, quæ in agendo magis posita est, & si in phrenesi distrahatur, aut vacet, tamen paratissima est, post phrenesis impetum ad superiorem rationis vim, mentemque reflecti. Post hęc cognitionem æternam à temporali distinguit, quod nobis sic videtur altius repetendum. Cum in prima essentia viuere quidem sit intrinsecus agere, intelligere verò agere in seipsam, suique notitia in se reflecti, qui sanè actus nullo modo vergit ad corpus, meritò eousque naturam intellectualem extendi putamus, quousque cognitio sui & quædam à materia segregatio. In natura ergo rationali quamuis aliquando imago quædam mentis soleat appellari, tamen quodammodo natura intellectualis apparet. Ratio enim & seipsam animaduertit, & sæpe formas à conditionibus materiæ separat. Tres itaque intellectualis naturæ sunt gradus: intellectus scilicet, ipse communis. Intellectus animæ proprius, atque ratio. Tres quoque sunt naturæ intellectualis imagines, prima sensus, secūda vis vegetalis, tertia forma corporis. Sed de imaginib. alibi. Iam verò in intellectu primo intelligere est ipsum esse. In secundo intelligere est quasi esse, (& vt ita loquar) existere, est enim agere, agere inquā actu quodam essentiali, & intimo atque perpetuo, fermè sicut in luce lucere, siue micate. In tertio denique intelligere est argumentari, id autē est mobiliter operari, fermè sicut in lumine refulgere. Meritò inter intelligere, quod est esse simpliciter, nullaque participatione, sed penitus per essentiam atque intelligere, quod est mobiliter agere, medium est intelligere, quod est agere penitus immobiliter. Et prima quidem intelligentia est per essentiam, secunda per participationem quidem, sed prorsus immobilem, tertia denique participatione fit mobilis, sicut & sphæra ignis essentia calet, supremus aer feruet inde participatione perpetua, inferior aër calet participatione mutabili. Esse verò proprium in anima intellectum stabiliter operantem, non solùm ratio hæc nobis ostendit, sed hinc insuper cōfirmatur, quod rationalis natura quasi potentia quædam est quodammodo patiens, dum motu formatur, atque ex ocio prodit in actum, quem plerique intellectum passibilem, vel formabilem nominabunt. Oportet ergo hunc intellectum, velut ex se imperfectum ab alio quodam perfectiore, qui semper in actu sit, ex potentia in actum vicissitudine perpetua duci. Neque intellectum communem tantùm oportet sic esse semper in actu, sed intellectum etiam animæ proprium, ne naturæ rationali desit efficax intelligentiæ suæ & intimum sufficiensque principium, cum neque vegetali naturæ desit negationis suæ ratio seminalis, quæ quidem intimum est, & efficax, & continuum generandi principium. Sicut ergo vniuersalis natura, id est, tota vniuersi seminaria ratio præest particulari naturę, id est, suæ cuiusque viuentis seminariæ rationi, hęc verò perpetuo præsidet mobilique generationis officio, sic intellectus cōmunis, & agens intellectui proprio rursus agenti, hic autē rationi quasi iam patienti: vt inter agens commune, patiensque proprium, rite proprium agens medium sortiatur. Hinc itaque fit, vt animus ad summum quandoque in se reuocatus inueniat statim nondum inuenta, & sæpe vaticinetur, & opera omnibus miranda perficiat: quippe cum subitò in mentem propriam reuertatur, quæ diuina quadam virtute pollet, cui omnia patent. Sed de his in Theologia latissimè

disputamus. Ad hunc vtique intellectum, velut ad tertium scilicet, intellectuale cœlum super cælum imaginale, atque rationale Plotinus forsan diceret, Paulum ascendisse: & Moysen in hunc montem, & eiusmodi Angelum Prophetis plurima nuntiasse. Neque enim decere ad nos descendere numina: neque oportet animum diuina visurum loca mutare: satis enim esse ad mentem, & diuina conuerti. Sed hæc ille viderit.

Confirmantur superiora, quod in omni mente sapientia sit æterna: & quomodo rationalis natura ad hanc ascendat.

Animus sæpe vel intuendo, vel argumentando multa considerat, non solum esse sempiterna, sed qua etiam ratione sunt sempiterna: ipsiusque (vt ita dicam) sempiternitatis propriam concipit rationem. Maioris vero ad sempiternitatem momenti est ratio ipsa, quàm modus. Cum igitur tanta sit virtus in animo, vt res sempiternas, ac sempiternitatem ipsam sempiterna cogitet ratione, multo magis ea est in animo virtus, quæ res sempiternas modo quodam sempiterno, id est, sempiterne semperque considerat. Sic igitur semper imaginationis actum, qui est mobilis circa mobilia extat rationis actus qui est circa immobilia mobilis: super hunc actus intelligentiæ circa immobilia prorsus immobilis: vt sicut actus animæ in melius proficit, sic perficiatur optimum. Dic age: vnde nam ratio nostra vim habeat, vt dum à singulis formis ad vniuersales seipsam recipit, ipsas interim formas ab hoc, vel illo loco, motu, tempore soluat? nisi insita quadam & præsidente sibi virtute: cuius actus non à loco tantum, sed à motu etiam atque tempore sit solutus. Alioquin ipsa duntaxat ratio dum mobiliter & temporaliter agit, nunquam formas posset actu suo à motu ac tempore soluere. Virtutem dixi insitam, nam & si quis rationem obiiciat, sub intellectu communi hoc efficere, cogetur attamen confiteri, certum quendam actum non absque certa quadam virtute posse præberi: siquidem talis actio talem sequitur facultatem: atque ideo vim quandam stabilitet operantem ab intellectu communi præfici rationi, per quam & si mobiliter, ipsa tamen ad immobilia se conuertat, ipsam vero vim stabilem, nos intellectum, proprium nominamus: cui necessarium est communissima, certissimaq; scientiarum artiumque inesse principia, & ipsa quoque exemplaria rerum, vt ratio ibi possit discursiones argumentandi fundere: resque & opiniones veras, bonasue ab oppositis ritè discernere: ac per vim intellectus illius omnia semper subito contuentem, ipsa quoque nonnunquam aliquid subito intueri. Cum dicimus intelligibilia inesse intellectui, sic accipe: vt intellectus sit ipsum intelligibile. Sic enim habet ordo. Sensus quidem nec est, nec habet sensibile, sed vertit se foras ad illud. Cogitatio vero & si non est cogitabile, habet tamen intrinsecus. Intellectus denique tanquam ratione præstantior, non habet tantum intelligibile, sed existit. Vbi vero ait, Sapientiam felicis animæ sitam esse in essentia quadam, imo potius in essentia, significat actum ipsum intelligendi existere ipsum esse, tum in proprio intellectu, qui est essentia quædam, tum intellectu communi: qui est ipsa essentia. Addidit autem potius: quoniam actus intellectus proprij ab actu communis fit atque seruatur. Proinde sicut in lumine idem est esse lumen, atque lucere, quamuis non sit idem esse lumen, & resplendere, atque calere, sic in anima intellectuali, idem est intellectualem esse atque intelligere, licet non idem sit esse, & ratiocinari, atque imaginari. Sed memento, ex Plotini mente ponendam esse inter intellectum imaginationemque geminam speciem rationis: Alteram quidem speculatiuam surgentem ad intellectum: Alteram vero actiuam ad imaginationem potius declinantem. Alioquin cum non possit per ipsum intellectum duntaxat esse alter beatior altero, omnibus per ipsum similiter semper agentibus, non erit hic fœlicior illo: nisi quia in hoc speculatiua ratio naturaliter intellectui proxima, in mentem penitus est conuersa. Quod tamen de actiua similiter non licet dicere: quia & remotior est à mente & in labore posita, & quodammodo seruit externis. Differre verò rationes eiusmodi specie, patet, non solum quia speculatiua naturæ opera propria, actiua hominum opera cogitat, sed etiam quia raro admodum & fortè nunquam concurrit in eodem ingenio naturalis vtriusque dexteritas.

Neque omnes animaduertunt, mentem suam semper agere circa diuinam: neque beatus semper animaduertit rationem suam, superiorem agere circa mentem.

CAPVT X.

ET si in beato ratio speculatrix sub forma iam actuque mentis agit, non tamen ita se agere semper animaduertit, sicut neque alij mentem nostram agere circa diuinam mentem semper agnoscunt. Sicut enim in animali nostro secundum vim vegetalem viuere fermè idem est, atque vegetare, id est, nutrire, augere, generare, seruare, neque tamen agnoscimus hanc vim hæc agere, & quomodo talia peragat: quia videlicet nulla actionis huius imago ad imaginationem peruenit animalis, aut nostram: ita & in nostra mente idem viuere est, atque intelligere, neque tamen actionem eius æternam animaduertimus, nisi quando quædam eius imago in nostra imaginatione concipitur. Iam vero neque beatus semper agnoscit speculatricem in se rationem vna cum intellectu suo circa diuinam mentem iam agere: quoniam actionis eiusmodi non semper in imaginatione sua imago formatur, per quam admoneri solet animus, quid potissimum vis eo vel inferior, vel superior agat. Hic nota, pertinere ad intellectum nostrum cognoscere semper actu: ad rationem vero nostram quodammodo recolere cognita, dum circa formas excogitandas ex habitu transit in actum, atque vicissim: ad imaginationem denique attinere quodammodo discere noua. Hæc enim si à ratione diuertens ad animal se conuertit: quid videat, quidue audiat animal, statim animaduertit: quid vero ratio interim, vel intellectus agat, non agnoscit. Atque vicissim si quando vacans ab animali ad rationem tota conuertitur, tunc per hanc ipsam imaginationem animus rationem aliquid agere iam persentit. Quod si ratio conuertatur in mentem, quod accidit in beato, tunc sane & rationem circa mentem nostram, & no-

stram mentem circa diuinam vigilare aoimus statim animaduertit. Quoniam in nostra imaginatione ab aoimali vacante, nihilque illinc corpoporeum machinaote imagines quædam velut in speculo ab ipso mentis, rationisque actu prorsus apparent, per quas admonetur animus in ratione scilicet, vel speculatrice, vel actiua, tum intellectum, tum rationem speculatricem agere. Tu vero memento: In ipso intellectu sicut idem est viuere, atque cognoscere, sic idem esse cognoscere penitus & agnoscere, id est, quod ipse cognoscat animaduertere. Sed in ratione, quoniam non idem est omnino videre, atque cognoscere: siquidem illud æternum est, hoc vero perpetuo permutabile, merito neque idem est cognoscere, quodue cognoscat, vel agat agnoscere: ex quo sequitur, vt agnitio hic cognitionem sequatur tanquam posterius aliquid, & forte quadam consequens atque comitans, faciatque sæpe, vt distractione quadam anima prior actio fit aliquanto remissior. Non igitur ab re Plotinus ait, agnitionem, animadnersiooemque eiusmodi per consequentem posterioremque facultatem formamque peragi. Facultatem vero posterius comitantem, imaginationem ipsam esse non dubitamus. Formam similiter quæ priorem comitetur formam imaginem appellamus. Sunt ergo naturales formæ in mente, vel ratione: quamuis ibi quidem æternæ, hic vero perpetuæ. Sint igitur aduentitiæ in imaginatione formæ formatum imagines naturalium, per quas velut res nouas animus, velut admirabundus attendat animaduertatque quid in ratione agatur & mente. Profecto sicut oculus facie continetur, sic ratio mente, atque sicut oculus nec videt faciem, neque motum eius aduertit, nisi quando in speculum certo modo nobis oppositum lineares faciei radij diriguntur, atque inde per similes vngulos reflectuntur ad oculum, & speculum ita ostentat imaginem, si quam modo habet imaginationem: simili quodam pacto ratio velut oculus, neque videt mentem, neque agere illam animaduertit, quamuis semper agat, oisi actus eius agat non nihil in imaginationem aliunde diuersam, illud vero conuersam. Quo quidem actu ab imaginatione in rationem resultet superioris actionis imago. Hoc notabis primo quidem vbi Plotinus ait, nos non esse vegetalis facultatis actum, sed esse potius actum intelligentiæ, id potissimum in beato esse verum: verum quoque in quolibet animo, quem intellectui coniunctiorem quàm animali Plotinus existimat. Deinde vbi ait, actum intelligendi tunc esse absque phantasia, quando nulla inde in hac imago fit, atque resultat: oon intelligentiam puram à phantasia, sed phantasiam ab intelligentia dependere: quamuis rationalis intelligentia, id est, cogitatio, ratioque mobilis à phantasia sæpius excitetur, præsertim actiua ratio: quam solam phantasia semper egere Aristoteles ait: quemadmodum & Themistius, atque Simplicius prudenter interpretantur. Denique Plotinum scito annuere, dum quædam Aristotelis verba recenset, hanc illius de mente fuisse sententiam: vbi in tertio de aoima scribit, intellectum intelligere semper, & intelligentiam eius esse substantiam, vereque immortalem existere. Non enim adeo vera est in virtutibus ioferioribus immortalitas, nam & si quæ perpetuæ sunt, tamen versantur in motu. Quod autem reminisci nos, id est, rationalem vim post obitum negat, Plotinus alibi diligenter examinabit. Denique memento, Auerroem & si non idem, tamen simile aliquid induxisse: vbi ait, intellectum nostrum intelligentiam duplicem in se habere: alteram æternam, alteram temporalem: illam quidem per suum esse, hanc vero per nostras imagines exercere: ac nos illam nunquam animaduertere, quia nihil cum imaginatione nostra communicet, hanc autem agnoscere, quoniam illius formæ cum imaginationis nostræ imaginibus congruant. Cumque intellectum ponat in eadem substantia geminum scilicet formatorem, atque formabilem, ait, formabilem hunc intellectum, quid agat ille formator, non prius per nos agooscere, quàm ipse per nos sit illo perfecte formatus. Tunc demum & simul cum illo in nobis fore felicem. Sed mittamus Auerroem: nam & Plotinum ipsum hac in parte Porphyrius, & Proclus obmiserunt non probantes intellectũ animæ nostræ ita semper agere, vt Plotinus ait, & nos in superioribus non tam approbãres, quàm interpretantes exposuimus. Satis vero stabilitatis & excellentiæ esse in mente nostra putandum est, si essentia & formæ rerum insitæ, scientiarumq; principia maneant.

Huc vsque decem complentur libri capita: reliqua vero sex eiusdem capita diligenter consideranti patebunt. In iis quæstiones mouet & soluit: tacitis quoque respondet obiectionibus: & vbique beatum confirmat non aliunde quàm ex mente, Deoque pendere.

IN LIBRVM VTRVM FELICITAS AVGEATVR TEMPORE, COMMENTARIVS.

Quid æternitas: quid beatitudo: quomodo mentes omnes æternitate fruuntur in æternum: rationales vero naturæ aliquando: & hæ quamdiu fruuntur, stabiliter agunt.

CAPVT I.

SVper ipsum ens Platonici ipsum collocant essendi principium: nominantque ipsum vnum, atque bonum. In ente autem primam essentiam, primam vitam, mentemque primam cogitant. Vitam vero illam tum æternam, tum beatam, sed diuersa ratione possumus nominare. Est enim vita primus, intimus, perpetuus, actus essentiæ. Quatenus ergo actus eiusmodi effectiæ suæ simul totus affigitur, & essentiæ ipsi simul vni semper innititur, æterna vita, imo æternitas ipsa vocatur: quatenus autem actus idem nusquam à suo fonte digrediens ad interiora reflectitur, ipsa mens appellatur; quæ sic protious cooiuncta bono, vita beata, imo beatitudo merito nuncupatur. Hac mente, hac æternitate, hac beatitudine, mentes omnes quia fruuntur proximè, ideo in æternum. Naturæ vero rationales quoniam sequenti potiuntur gradu, ideo æternitate, beatitudineque huiusmodi potiuntur quidem, sed (vt Platonicè, vel potius Plotinicè loquar) non æternè fruuntur: Aliàs itaque beatæ sunt, aliàs iterum non beatæ: Veruntamen dum beatæ sunt, non mobiliter amplius, sed stabiliter agunt. Cum enim prima æternitas, beatitudoque re ipsa sint vnum, rationales naturæ quatenus beatitudinem, eatenus æternitatem similiter consequuntur. Cum vero æternitatis maximè proprium sit ipse status, nimirum quandiu tanquam felices potiuntur æternitate, immobiliter agunt, cunctasque simul actionis dotes vnico velut intuitu complectuntur: vt autem propria quandoque sententia loquar, non potest animus æternitate frui, nisi fruatur æternè. Itaque cum primum attingit æternitatis statum, illic positus extra tempus & motum adeo stabiliter agit, vt nulla ex parte inde amplius dimoueri queat, Hac sententia nostra semel posita, interpretationem Plotinicam prosequamur.

Rationalis natura seculis admodũ longioribus, felix viuit in sphæris sublimibus, quàm infelix circa terram.

CAPVT II.

PRoinde animas hominum in terra, vel aëre crassiore viuentes plurimum non esse felices, sed miseras arbitrantur, in loco scilicet peccati, pœnæ purgatorij constitutas. Tunc vero omnes fore beatas cum hinc ad puras iam sphæras ascenderint cum corpore puro, vel ad sublimiorem aërem vel ætherem, atque cœlum. Tuoc enim ob prosperitatem corporis atque loci, facilemque corporis prouidentiam à diuina contemplatione minime distrahi. Iam vero quanto maior est in sphæris sublimioribus, quam inferioribus virtus & amplitudo: quanto & præstantior virtus animæ ibi, qui hic viuentis, tanto diuturniorem animas putant illic quàm hic vitam agere: ideoque tanto diutius felices esse, quàm miseras, quod in Phædone testatur Plato, vbi de longæuis ait: & Olympiodorus comprobat. Accedit ad hæc: quod quanto mens, quæ ad sublimia tollit, potentior est, quam imaginatio animalis, quæ ad opposita vergit, tanto longior est vita rationalis animæ per mentem iam ad sublimia eleuatæ, quam vita eiusdem per imaginationē ad inferiora deflexæ. Præterea mens ex identitate statuque solum constat: ideo semper in eodem stabiliter agit. Imaginatio ex oppositis: Idcirco semper varias fingit imagines. Rationalis vero facultas ex cunctis componitur: nam in ea idem cum diuerso, status cum motu concurrit: quapropter & mobiliter & stabiliter operatur, & varia versat, & rursus recolit eadem. Quo vero præstantior est natura identitatis atque status, quam natura diuersitatis & motus, eo diutius animus in æternitate viuit, cum ad ipsam conuersus fuerit quàm in tempore, in tempus quandoque prolapsus. At quoniam in hac vita id minus impletur, necessario compensatur in altera: Profecto si purus intellectus nullo modo declinat ad corpus, vita vero omnino expers intelligentiæ tota declinat, sequi putant, vt intellectualis anima, qua parte intellectualis est, nunquam inclinetur ad corpus, qua vero parte non est naturalis intelligentiæ compos, flectatur ad corpora. Item si rationalis anima est inter æterna & temporalia medium & indissolubile vinculum vniuersi, quod in Theologia sæpe probamus: consequens esse volunt, vt nunquam vel hinc, vel inde tota discedat, sed simul vtraque

tenens, ambo in se competenti proportione conciliet. Quamobrem per intellectum in æternitate vigilat semper: per vim viuificam quoquomodo semper agit in tempore: per imaginationē naturæ viuificæ proximā, plurimū versatur in tempore: per rationem tanquam menti propinquam viuit in æternitate quam plurimum: per imaginationem alteram mox subditam rationi, pares inter vtrumque vices alternat, & modo æternorum, modo temporalium nobis imagines offert. Verum quàm diu ratio felicem vitam ducit, tam diu & imaginatio: & si temporalium interdum simulacra felices tamen imagines adducit in medium. Denique (vt summatim dicam) si ex vniuerso mundi circuitu, quem triginta sex millibus annorum compleri quidam putant: ter centum annis, diuerso tamen tempore, animus tanquam exul hic habitet, vicissim tribus saltem annorum millibus, patrias sedes colere putant: eosque animos & hic breuius adhuc, & illic longius habitare: qui vel ab initio præstantioribus tum stellis accommodati, tum dæmonibus fuerint commendati: vel ipsi efficaciori virtute muniti caduca contempserint, æterna coluerint. Neque animos duntaxat humanos, sed dæmonicos etiam multos, tum aëreos, tum æthereos mutare corpora, graduſque feliciratis existimāt, sed illos vsque ad crassum aërem tantum, nostros autem animos vsque ad terrenum corpus descendere, & vtrosque animos in altioribus regionibus vitam feliciorem agere, & admodum longiorem. Sed de his aliàs.

Quomodo rationalis natura formatur propria mente: & quomodo mens propria mente communi.

CAPVT III.

Fieri quoque potest, vt ratio hæc in vita præ cæteris se à materia, imaginationeque segregans infima, reuocansque ad mentem quodammodo illam alternis vitæ deguſtet felicitatem, & profectò quarenus ea potitur, vtpote quæ iam intellectu formata est, æterno quodam pacto, id est, stabili, toroque simul actu sua hac felicitate perfruitur. Id autem fieri quandoque posse, atque debere, sic rem altius repetendo, probamus. Quod duo quædam difficile conflentur in vnum, in causa sunt vel dimensiones vtrinque solidæ nimium, vel dimensiones etiam qualescunque, vel repugnantes insuper vtrinque formæ. Ferrum conflatur in ignem, & si tam soliditas ferri, quam frigiditas eius id impedire videtur: atque ita conflatur, vt ferrum igne formatum iam agat vt ignis, potius quam vt ferrum, id est, caleat, luceatque, calefaciat, atque illuminet; facilius autem aër ignitur, vbi nec densitas molis, nec tanta diuersitas qualitatis amplius impedit, facilius idem aër sub sole fit lucidum, cum nulla in lumine dimensio coitum vtriusque retardet, facilius etiam atque arctius corpus naturaliter præparatum formatur ab anima, per eamque iam agit, vt viuens, facillime randem anima formatur ex mente arctiusque coniungitur. Cum enim formæ proprium sit formare, perficereque, & materiam sibi propriam deuincire: Nimirum quo præstantior forma est, eo facilius atque coniunctius subiectam sibi accommodatamque materiam format, atque deuincit. Anima igitur absolutius mente formatur quam corpus anima, quanto videlicet & forma perfectior mens est, quam anima, & subiectum perfectius anima est, quam corpus. Cum igitur diuina mens vbique sit, atque animæ rationalis essentia perpetuò illinc in fluxu fiat, atque seruetur, ideoque perpetuo essentiæ ipsius instinctu conuertatur ad mentem, nihil prohibet animam ita prudentem, & ira conuersam semper inde formari. Quoniam vero formatio hęc tum per essentialem animæ instinctum, tum per essentialem mentis actum efficitur, merito essentialis vndique formatio est, adeo vt quemadmodum in mente idem est essentia, quod intellectus, idem rursus esse, quod intelligere, sic in anima idem fiat intellectus, quod eius essentia, idem quoque intelligere fiat, quod & esse: præsertim quoniā intellectus ipse diuinus ipso prorsus intelligentiæ actu formet animam. Formari autem actu intelligendi nihil aliud est, quam intelligere, sicut & actu videndi formari iam est videre, vel saltem sicut in aëre simul est omnino fieri lucidum, atque lucere, & in corpore sub anima simul est viuum fieri, atque viuere, sic in anima essentiali ratione intellectualem fieri simul est, atque intelligere. Nihil etiam aliud est, animam intellectu perfecte formari, quam sub intellectus forma esse, sub intellectus actu agere. In ipso vero intellectu forma ipsius idem est, & actus. Anima igitur cum primum sub forma intellectus existit, etiam sub intellectus actu iam agit, ac prorsus intelligit: Hinc illud Iamblici ex mente Ægyptiorum dictum: Animæ intellectualis esse est intelligere Deum atque diuina. Sicut enim temporario quodam actu percipimus temporalia, sic æterna vereque existentia æterno similiter essentialique actu assidue cōtemplamur. Hæc ille. Sed de intellectu satis iam atque nimium.

Natura rationalis & potest, & debet formari quandoquè mente: & tunc actu vnico possidet omnia.

CAPVT IIII.

Facultate quoque rationalem posse fermè similiter intellectu quandoque formari eędem nobis indicant rationes, præsertim cum in eadem qua & intellectus essentia sit, debere vero ostendimus alibi, ne naturalis appetitio sit inanis, & cum in omni natura rationali sit sempiternus ad intelligentiam appetitus, omnem Platonici volunt, quandoque ad felicem intelligentiam peruenire, ac si inde discesserit, iterum posse reuerti: eoque seculo quamdiu agit, vt mens, viuitque beata, æternam mentis intelligentiam imitari, vt simul actu cuncta conspiciat siue id in hac vita deguster, siue potius vescatur in altera. Intellectum quidem ipsum ita simul vniuersum rerum ambitum contueri, sicut oculus sphærulam quandam conspicit simul totam, rationem vero nondum conuersam ad intellectum, ita res per partem, deinceps atque partem aggredi. Sicut cæci hominis tactus in digito eandem sphæram paulatim attrectando, iudicat esse sphæram, quam oculus subito iudicauit. Rationem denique iam conuersam, ita cuncta vna cum mente complecti omnino putamus, sicut hominis videntis manus ab oculo recta, sphærulam toto pugno complectens, subito sphæram esse per-

pendit. Iam vero animus sic affectus tantum momento cognoscit, & possidet, quantum longo tempore alter. Huic simile propheticum illud. Dies vna in atriis tuis Domine plusquam mille aliorum anni.

Quis beatus sit: & quomodo beatitudo consistit in quadam præsentis boni possessione: cui prorogatio temporis per se nihil addit præteriti, aut futuri ratione, sed tantum ratione præsentis.

CAPVT V.

Felicem ad summum putamus eum, qui cuncta iam vera conspicit, cunctisque potitur bonis, sed vera simul omnia videt in vna forma veri, id est, mente diuina cunctis similiter bonis fruitur in vno fonte bonorum, id est, ipso bono. Cum igitur per vnam formam, per vnum fontem & vera conspicit, & hauriat bona nimirum vno intuitu vera contuetur omnia, vno similiter haustu combibit omnia bona. Quisquis huc nondum peruenit, nondum est felix ad summū. Qui vero peruenit hucusque, iam nequit ob solam temporis longitudinem fore felicior. Sed esto in hoc quidem animo eiusmodi felicitas annua, in illo vero diurna. Nunquid hic est beatior illo? Non certe eo ipso die, quo est & ille beatus. Vterque enim tunc pariter omnia possidet. Reliquis vero diebus non est alter felicior altero: imo vero alter quidem beatus est, alter non amplius est beatus. Comparemus deinde inter se felicitatem annuam, atque diurnam. Nunquid annua maior, vel magis feliciras quam diurna censetur? Diuturnior certè, vel longior tempore, non tamen ingentior gradibus: sicut & calor quidam annuus esse potest. Neque tamen gradu feruentior calore diurno. Sed nonne magis expetenda nobis est annua felicitas, quàm diurna? Est procnldubio. Sed diuturnitas illa temporis non propter seipsam magis expetenda est, alioquin diuturnam quoque febrem potius, quàm breuem eligeremus. Imo propter ipsam felicitatem, neque vicissim; ipsum namque bonum ad qualitatem potius, quàm ad quantitatem pertinere videtur. Iam vero animus quantitatem propter bonum expetit: ac si cum bono coniuncta sit, quo maior quantitas est, eo magis appetit, si cum malo, quo maior, eo minus eligit. Cum nam igitur annuam cum felicitate vitam potius, quàm diurnam eligendam nobis existimamus? Certe non propter temporalem ipsam successionem, quæ longior fit in anno: nam nec in diurna quidem felicitate propter similem successionem malumus diem integrum, quàm horam esse felices. Ipsum namque præsens in felicitate penitus exoptamus. Hoc enim est duntaxat, & nos esse quærimus, dum quærimus esse felices, optamus quidem in primis idem hoc præsens figi, prorsusque assiduè fruimur, & quandoque per rationem intellectu formatam. Quod si diffidamus ipsum præsens nobis idem firmiter posse consistere, secundo iam gradu eligimus præsens aliud momentum, iterumque aliud, aliudque succedere: semper ad ipsum præsens potius, quàm ad successionem, affectum, & intuitum dirigentes. Siquidem in ipsa successione semper priuationis & mali aliquid est admixtum. Quod quidem nobis ostendit, nos quamdiu in hoc motu viuimus, reuera beatos esse non posse: quamuis quatenus prope ad æternitatem accedimus, eatenus beatitudinis aliquid degustemus. Hoc Plotinus decem huius libri quæstionibus agit.

Quæstio Prima.

Vtrum felicitas tempore augeatur? Concludit, felicitatem in quadam affectione siue dispositione vitæ consistere: per quam aliquis re ipsa benè se habeat: hanc vero esse præsentem, cui præteriti recordatio nihil addit.

Quæstio Secunda.

Cum omnis homo semper viuere appetat: Vtrum perseuerantiam hanc perpetuam assequi sit beatitudo præcipua? Concludit, felicitatem hac successione perpetua non augeri, alioquin non virtus, sed tempus metietur felicitatem. Neque vnquam felicitas, vel apud Deos erit absoluta, quia semper sic augebitur. Confirmatur idem: quoniā appetitus naturalis optat propriè quod & consequi potest: solum vero quod præsens sit assequitur, quandocunque assequatur, ergo non appetit, quod non est. sed quod est duntaxat. Præsens vero solum existit: sed præteritum non est amplius: futurum nondum est. Solum igitur appetit præsens, atque mauult hoc ipsum præsens figi penitus, idemque manere, quàm aliud huic succedere.

Quæstio Tertia.

Vtrum qui diutius contemplatus est, sit felicior? Concludit, si semper eadem æquè perspicaciter vidit, nihil diuturnitate ad felicitatem profecisse, si denique plura melius que nouit, non ante, sed tunc demum fuisse felicem.

Quæstio Quarta.

Vtrum diuturnior delectatio beatitudinem augeat. Concludit, si voluptas hic significat motum quendam, siue actum ab ipso intelligentiæ actu distinctum, non esse cum felicitate connumerandam: sin autem significet ipsummet intelligentiæ actum ab omni impedimento liberum, sicque expeditum iam absolutum nobisque gratum: tunc solum animum esse felicem, quando intelligentia talis est, nihilque per tempus ei maius afferri: præsertim cum iam sit in æternitate potius quam in tempore: Voluptatis quoque motum, solum propter id quod in eo præsens est, optari.

Quæstio Quinta.

Vtrum qui per totam vitam est felix, sit illo felicior, qui solum in parte vitæ sit felix. Concludit, si secundum eandem vitæ partem inter se comparentur, pariter esse felices: si secundum alias, alterum esse beatum, alterum non beatum.

Quæstio Sexta.

Cum miser longiore tempore miserior fieri videatur, cur non & felix simili ratione felicior? Concludit, malum ipsum, quia circa subiectum natura passioni obnoxium & debile accidit, ideo continue illud magis inficere. Quod quidem subiectum si semper permaneret idem, neque detrimentum maius accideret, solum in iudicio

mali præsens ipsum perpenderetur: sin autem sic in angustia perseueret subiectum, vt in eo malum augeatur, tunc miseria grauior iudicatur, non tam quia longius sit tempus, quàm quia ingentior mali gradus accesserit. Felicitas autem summa certum quendam possidet terminum, id est, gradum in bono summum. Item terminum semper habet eundem, scilicet, ipsum summum, neque maiorem videlicet, neque minorem, quam primum scilicet & quamdiu est felicitas: alioquin non est summa felicitas. Denique mali habitus est in tempore temporarioque subiecto, cui diuersitas accedit: felicitas autem in æuo subiectoque æterno, cui quidem ipsa (vt ita dixerim) identitas, statusque propriè conuenit. Conuenit etiam parti rationali iam factæ felici status illic æternus: alioquin nec facta felix fuerit, nec secura viuet, si illinc se putauerit discessuram.

Quæstio Septima.

CVm in tempore connumeremus præteritum & futurum vnà cum præsenti: atque ita plus temporis spatium appellemus: cur non ita in felicitate facimus? Concludit, licere nobis in longitudine temporis non ens cum ente connumerare, siquidem ratio ipsa temporis in numero quodam fluxuque versatur. Numerantur autem etiam quæ non amplius sunt, sed quæ iamdiu præterierunt. Item in omni fluxu ens quasi cum non ente coniungitur, siquidem momentum præsens quod ens quodammodo dicitur, inter præteritum quod non est amplius, ac futurum quod nondum est, medium incidit. Negat autem in ipsa felicitatis natura idem fieri. Siquidem ratio eius in vita præsenti & actu stabili æternitatis munus quodammodo iam consecuto consistit. Alioquin si adhuc quodam motu temporeque discurrit, nondum est habitus absolutus: nondum animus consecutus est finem. Cum ergo felicitatis ratio præsens ipsum, statumque includat, nimirum computationem à se temporariam procul excludit. Iam vero cum æternitas sit primæ essentiæ, ipsiusque entis vita, siue in prima mente sit, siue iam alicui menti communicata, nullo modo aliquid non entis admittit. Temporalem itaque fluxum à se prorsus expellit. In vita igitur æterna actus est vnus & stabilis, sed in tempore siue penes animam, siue deinde in corpore actus & multi sunt, & fluxu quodam sibi inuicem succedentes: sicut in medio circulo punctum est vnum, atque stabile, à quo diuersa ad circumferentiam per longitudinem linearum producuntur puncta mobilia. Vbi videtur & vnum in plura dispersum: & status iam progressus in motum. Summatim concludit, beatam vitam esse vitam optimam, hanc vero esse vitam ipsius entis, siue (vt dixi) in communi mente per seipsam sit, siue in sua cuiusque mente semper inde communicata, siue in facultate rationali inde rursus communicata quandoque: & vbique æternam seruare conditionem, præsertim cum optimus vitæ gradus qui & finis rationem habet, non in motu amplius, sed statu sit positus: Denique ipsum præsens æternitatis non esse idem, quod & temporis præsens: nam in tempore multa præsentia, indiuiduaque momenta sic se habent, vt aliud sit extra aliud. In æternitate vero præsens est vnicum, omnia præsentia temporis simul includens: sicut & signa in circũferentia multa interse distantia. Vnicum vero in medio signum cuncta linearum à circumferentia venientium signa concludit.

Quæstiones tres.

QVæstiones reliquæ tres facilè tum per se, tum per superiores intelliguntur, atque soluuntur. Ex omnibus tandem colligitur, vitam perfectè beatam esse vitam non actionibus exterioribus occupatam, sed in ipsa mente collectam: non quidem ex multis intelligentiæ actib⁹, siue præteritis, siue præsentibus congregatam, sed intentam prorsus in vnum: præsentem, stabilem propriæ mentis actum: actum inquam, mente diuina formatum, perque diuinam mentem, ipso super mentem bono fruentem.

IN LIBRVM
DE PVLCHRITVDINE,
COMMENTARIVS.

A prima essentia, vita, mente emanant influxus per omnia tanquam radij, voces, verba per sex gradus.



INfluxus quidam ab ipso ente per omnia passim entia manãt, sed qua ratione in ipso essentia est, præcipuè per modum solaris radij profluunt. Qua vero illic est vita, per modum soni & vocis erumpunt, qua deniq; ibidem est intellectus, modum significantis verbi feruntur, & qua velut radij quidam sunt, visum mouere videntur, qua vel voces, aut soni, pulsare aures, qua tanquam verba, potissimum animos prouocare. Vbique vero tanquam pulchra quædam, siue pulchritudinis aliquæ nobis occurrunt, nã ab ipsa pulchritudinis ipsius forma proueniũt. Cum vero ipsam pulchritudinem nominamus, per modum quidem formæ, id est, tanquam formalẽ pulchritudinem ipsum ens propriè intelligi volumus, sed per modum causæ, id est, tanquam pulchritudinis ipsius causam, bonum ipsum volumus cogitari. Bonum namque lucem ipsam siue fontem pulchritudinis emicantis, & indefluentis

esse

esse putamus. Pulchritudinem vero splendorem ab ipsa boni luce manantem, id est, ipsum ens ab ipso vno bonoque dependens. Ab ipso rursus ente sicut dicebam influxus per omnia velut radios, voces, verba proficisci non dubitamus. Influxus eiusmodi primo quidem sunt in ipsa diuinæ mentis idea, secundo in qualibet inde mente suscipiuntur, per vniuersalem vero prouidentiam in ipsa mundanæ animæ mente, tertio in eiusdem animæ ratione, quarto incius imaginatione præcipua, quinto in imaginatione sequente, sexto in vegetali virtute, quæ & vniuersalis natura vocatur. Hactenus idealem quandam in se retinent rationem. Hactenus enim viui sunt & efficaces & fœcundi, atque sempiterni. Sunt enim in hoc vltimo diuinorum gradu seminariæ rerum omnium rationes, quibus ipsæ rerum species propaganrur. Cum enim prima vita, primaque omnium formalis ratio in ipsa prima essentia sit essentiæ vniuscuiusque principio, in quo principio & ratio, & vita erat. Merito quatenus influxus inde manantes vitam simul rationemque formalem in se puram & integram efficacemque conseruant, eatenus essentiales, ideales, diuini cognominantur. Tantum vero munus etiam in natura, id est, vegetali animæ virtute conseruant: ideo in hoc sexto die opera Dei propria finem accipiunt: subinde vero influxus illi materiam subiectam animæ pulsant. Sed cum neque vltra progredi valeant, neque in ea insuper velut proxima nihilo, ipsam veræ essentiæ vitæque retinere naturam, ex formis in imagines iam euadunt. Imagines, inquam, verisimiles verarum diuinarumque formarum. Quę quidem sub genitali animæ ipsius natura in materiam prorsus agente, resultant ab ipsa materia patiente, & tanquam à speculo per modum radij repercussæ, & tanquam à fornice reflexæ per modum vocis, & tanquam à planiori aliquo pariete per modum verbi redditæ, vel vt Echo. Huic autem infimo gradui formalis effluxus Luna fauere videtur generationis vltimæ domina: rationibus autem seminariis in natura vigentibus fouentibusque materiam, Venus: eisdem vero in imaginatione inferiori properantibus ad motum, Mars: eisdem rursum in superiori imaginatione regnantibus, Sol: sed in ratione vigentibus Mercurius: at in mente animæ dominantibus, Iupiter: in mente denique diuina quiescentibus, Saturnus. In quo quidem septimo gradu tanquam Saturni die mundi opifex conquiescit, id est, ipsa idea sibi penitus intima. Non enim hanc ad alia quæ inde fiunt, sed alia ad hanc refert velut exemplar.

Ipsa pulchritudo formalis est ipsa mens: cuius illecebris admiscetur admiratio, vis, diffusio, voluptas.

Exemplar hoc quoniam omniformis formarum omnium ratio est, ideo forma, speciesque, prima & vniuersa censetur. Et idcirco prima est pulchritudo formalis: vnde pulchritudinem vbique tum formam, tum speciem appellare solemus, pulchrosque formosos: cuius oppositum deformitatem dicimus & desorme. Ex quo patet materiam natura sua prorsus informé, merito deformitatem ipsam esse censendam. Sed de hac alias. Ipsa vero pulchritudo formalis oritur quidem cum essentia prima: adolescit autem dum essentia prodit in vitam: adulta denique iudicatur, vbi vita completur in mentem, nam per ipsum mentis actum essentialis vitæ perfecté formatur, ac forma omniformis euadit. Quamobrem in ipso rerum ordine ibi plurimum pulchritudinis est, vbi plurimum est & mentis: siue natura quædam mentis adsit, siue artificium eius proprium, siue vestigium, aut indicium. Atque id omne illic vehementius mouet, vbi viuacius nobis occurrit. Vera enim pulchritudinis ipsius forma est ipsa vita per actum mentis penitus absoluta. Proprium vero pulchritudinis est allicere simul & rapere. Vnde græce καλὸν, quasi prouocans appellatur. Et quoniam pulchritudo intellectuale munus existit, ideo solos allicit cognoscentes: cognoscentes, inquam, siue intellectuali aliqua ratione, siue visu, siue auditu ministris plurimum rationis. Miscetur autem illecebris pulchritudinis admiratio, & vis quædam acrior, desiderantemque diffundens. Tu ergo memento, quod in theologia probamus, omnia quidem appetere bonum: non omnia pulchrum, sed eos duntaxat, qui iudicium quoddam pulchritudinis habent: atque hos quidem semper appetere bonum, non tamen semper pulchritudinem affectare. Cum igitur appetitus tractusq; ad bonum communissimus, perpetuusque sit, consequens est ipsum bonum esse communissimum omnium principium, atque potentissimum: pulchritudinisque ipsius formam esse bono quàm proximam. Et quoniam à pulchritudine & ad pulchritudinem prouocatio quasi nouum quiddam est: quippe cum & quibusdam rarum, & quandoque, & post naturam, cognitionemque contigat, merito admiratio quædam pulchritudinis illecebris admiscetur. Item & violentia (vt ita dixerim) aliqua: quamuis enim appetitus boni, qui communis est atque perpetuus, naturæ sit intimus, trahatque ab intimis, tamen appetitio pulchri quasi ab extrinseco rapit, cognitionem necessario sequens. Ideoque cum minus sit naturalis, nonnihil violentum habere videtur, denique quodammodo diffundit amantem. Nam cum semel hunc sibimet surripuerit, non statim restituit redintegratque in vnum, cum trahat extrinsecus, & cum per cognitionis modum qui in discretione versatur, rapiat, ideoque diffundat. Denique amatorius affectus, siue lenior sit, siue acrior, semper cum voluptate mouet: quemadmodum non solum in dulci sapore; grauique sono, sed etiam in sapore quodam acri vocibusque acutis est oblectatio quædam. Voluptate animum affici compertum habemus, quando re quadam sibi congrua tangitur, duciturque ad bonum. Pulchritudo vero vbicunque nobis occurrat, accedit vt congruens, & idcirco placet atque probatur, quoniam ideæ pulchritudinis nobis ingenitæ respondet: & vndique conuenit. Rursus animum suapte natura semper ducit ad bonum, nam & participatio pulchritudinis apud nos ad intellectualem eiusdem aduocat formam, perque ipsam ad ipsum denique bonum: sicut & splendor ad lumen, & lumen perducit ad lucem. Verum satis sit hactenus pulcherrimum Plotini de pulchritudine librum liberioribus (vt ita dixerim) pedibus percurrisse. Deinceps nouem huius libri capita nobis ordine repetenda, & hæc quoque cursim: nam de his in conuiuio de amore latius disputamus.

Pulchritudo est gratia quædam, quæ magis est in his quæ videntur, quàm quæ audiuntur, magis etiam quæ cogitantur, neque est proportio.

CAPVT I.

PVlchritudinem esse gratiosum aliquid, siue gratiam quandam allicientem nos per visum, vel auditum, vel rationem communi notione concipimus. Quæ profectò quantum in rebus quæ videntur, audiuntur, cogitantur inest, pulchritudo vocatur, ac tres nobis Gratias repræsentat. Quantum vero in visu, auditu, ratione consistit, delectatio nominatur atque voluptas: voluptas, inquã, decora, rem enim decoram per se propriè sequitur & decora voluptas, hanc sequitur appetitus quoque decorus, ipse scilicet amor. Perturbatio vero turpis aliis fortè causis accidit. Primum itaque caput inquirit quidnam potissimum gratia hæc pulchritudoque sit, quidue non sit assignat. Significat interea rum pulchritudinem magis etiam ad visum pertinere, quàm auditum, quia videlicet visus & lumen similiora intelligentiæ sunt quàm auditus & sonus: tum habitus animi pulchriores esse quàm corpora, quæ formosa dicuntur: & voces, quia & menti similiter cognatiores sunt: & ipsi habitus animi tam in moribus, quàm in doctrinis non solum pulchri, sed etiam pulchritudines quædam ritè dici possunt. Sunt enim formæ, formæ, inquam, menti propinquæ. Voces autem & corpora pulchritudines appellari non possunt. Pulchritudo enim quamuis non debeat nunc pulchra, nunc non pulchra vocari: corpus tamen idem hodie pulchrum, cras autem leui mutatione facta, non pulchrum. Similiter & vocis materia fermè eadem, mutata proportione, ex pulchra fit turpis. Verumtamen quamuis pulchritudo magis ad ea quæ spectantur, quàm quæ audiuntur: rursumque magis ad illa quæ cogitantur attinear, inuestigandum tamen, vtrum aliquid his omnibus sit commune, quidue id ipsum sit, quo hæc omnia pulchra vocantur. Sed primum id in corporibus quæ videntur indagat, quasi manifestius ita futurum. Principio, communem de his opinionem confutat, dicentem corporis pulchritudinem esse proportionem quãdam partium inter se ad totum vna cum coloris concinnitate. Idque quatuor confutat argumentis. Primo quidem, si pulchritudo ipsa proportio siue commensuratio quædam est, certè res solum composita est: nulla ergo res simplex, quamuis gratiosissima sit, pulchra dicetur. Secundo rursus, si compositum duntaxat pulchrum est, nulla partium, præsertim simplicium, erit pulchra: imo vero nulla partium, quippe cum in proportione duntaxat ad aliud commensurata pulchritudo ponatur. Ex quo sequitur, vt ex rebus non pulchris pulchrum efficiatur: compertum tamen habemus ex rebus omni carentibus gratia nihil vnquam confici gratiosum. Tertio facies eadem, sæpe eadem figuræ proportione manente, modo pulchra nobis occurrit, modo non pulchra, quasi aliud quidem commensuratiõ sit, aliud pulchritudo. Quarto necessarium est pulchritudinem in corporibus, pulchritudinem nobis referre superiorum, Oportet ergo pro viribus hanc illi prorsus accomodare: ita tamen vt excellentiori admodum ratione illis insit quàm in corporibus. Quo autem pacto commensuratio quædam ibi sit, scilicet in animo velut intellectu, facilè assignari non potest. Et in animo quicquid quomodo mores & scientiæ sint commensurationes quædam siue proportiones, si Plotinum sequimur, intelligere non valemus. Non enim coacetuari vult in animo ex figuris actibusque complurimis habitus vnquam aliquos, qui vel motum vel scientiarum habitus appellentur, sed moralem quidem virtutis actum simplicem elucere, cum primum contingentium vitiorum nubes excuriuntur, formam quoque scientiæ simplicem expulsis tandem falsis opinionibus rutilare. Animam quoque quodammodo esse omnia: atque tunc potissimum rem ipsam scire, quando argumentationibus excitata iam actu res ipsa fit, quæ erat & prius: sed potentia quadam vique fœcunda. Sed de his opportunius alibi disputabitur.

Pulchritudo in corporibus est absoluta perfectio gratiaque formæ præcipuè, quæ & materia, formisque in ea aliis dominatur, & expeditam artis rationisque diuinæ victoriam super materiam refert, & ipsam perspicuè repræsentat ideam.

CAPVT II.

CApur secundum scrutatur, quid ipsa sit in corporibus pulchritudo. Asseritque esse aliquid primo aspectu promptè offerens. Cum enim pulchritudo & in mundo intelligibili formarum intelligibilium forma sit: & in corpore similiter sit forma formarum, meritò & illic intellectum, & hic visum primo & promptissimè mouet: quod Plato testatur in Phædro. Subdit Plotinus, animum vehementer & respuere, & ascificere pulchrum: nec iniuria: turpitudo enim est tetra quædam mali facies: pulchritudo vero facies blanda boni. Præterea rationalis anima proximè pender ex mente diuina, & pulchritudinis ideam sibi illinc impressam seruat intus: cui quidem congruit, tanquam sibi, patrique cognatum libenter amplectitur. Congruit autem ea in corporibus forma, quæ ad ipsam ideæ normam ex amussim composita est: dum ratio seminalis, quæ in natura est corporum formatrice, materiæ plurimum dominatur: formamque in ea reddit materialem quidem minimè, maximè vero formalem. Profectò quemadmodum accipimus ex Timæo: Intellectus ipse diuinus pater est formatum, materia mater. Sed ratio fomesque formarũ in natura vigens ritè paternum semẽ & efficax nominari potest, forma vero inde genita proles. Formositas autem nihil aliud est, quã ipsa prolis huius indoles expressius referens patris effigiem. Deformitas contra, tum deficientis formæ dissimilitudo quædam ad patris formam, tum ipsa materia defectus huius origo: præsertim quando casu quodam impediente subiectum à ratione formante minimè superatur, id est, formantis actum vel non sustinet, vel ineptissimè suscipit. Proinde in quolibet elemento & si formæ accidentales sunt multæ, vna tamen est forma substantialis atque præcipua. Similiter in rebus mixtis, ceu lapidibus atque metallis si plures formæ substantiales sint virtute, vna tamen principalis actu est atque communis. Sic in plantis & animalibus: si multæ in singulis formæ substantiales sint actu quodam, vna

tamen est actu præcipuo pluribus imperans. Vbiq; vero formositas est absoluta quædam perfectio, siue gratia, & quasi flos quidam ipsius formæ præcipuè formis aliis dominantis. Est itaque diuinum & imperiosum aliquid, quia & imperium regnantis formæ significat, & artis, rationisque diuinæ victoriam refert super materiã, & ipsam perspicuè repræsentat ideam.

*Pulchritudo in corporibus est expressior ideæ similitudo: at si subtrahatur materia est ipsa idea. Item pulchritudo cuiuslibet speciei iudicatur ab animo per insitam sibi formulam ipsi*us *ideæ, ad quam est species instituta.*

CAPVT III.

QVisnam pulcher homo? aut leo pulcher? aut pulcher equus? Certè præcipuè ita formatus, ita datus est, vt & diuina mens instituit per ipsius ideam, & natura inde vniuersalis seminaria virtute concepit. Iam vero illius ideæ formulam anima nostra in mente habet ingenitam, habet & in natura propria seminalem similiter rationem: igitur naturali quodam iudicio de homine, vel leone, vel equo, cæterisque iudicare solet, hunc quidem pulchrum non esse, illum vero pulchrum: quia videlicet hic prorsus à formula & ratione dissentit, ille vero consentit: atque inter pulchros, hunc illo pulchriorem esse: quia hic cum formula rationeque magis quàm ille consentit. Et profectò cum naturale subitumque de his iudicium nequeant commodius expediri, quàm per formulas, rationesque nobis innatas, probabile est diuinam prouidentiam omnia quam optimè disponentem eiusmodi nobis ab initio quasi characteres impressisse. Dũ vero de pulchritudine iudicamus, id præ cæteris pulcherrimum approbamus, quod animatum est, atque rationale, atque ita formatum, vt & pet animum satis faciat formulæ pulchritudinis, quam habemus in mente: & per corpus rationi pulchritudinis seminali respondeat, quam in natura, secundaque anima possidemus. Forma vero in corpore formoso ita suæ similis est ideæ, sicut & figura ædificij in materia similis exemplari in architecti mente, & ratio in voce orationi quæ est in animo similis: itaque si homini materiam quidem detraxeris, formam vero reliqueris, hæc ipsa quæ tibi reliqua est forma, illa ipsa est idea, ad quam est homo formatus. Sicut si vel ædificio materiam suam sustuleris, interim figura relicta; vel si orationi aërem fractum dempseris, significatione seruata: certè & ibi figura restans nihil aliud est, quàm exemplar ipsum in archirecto consistens: & hic conseruata significatio nihil aliud, quàm loquentis ipsius excogitatio. Vnde qui significationem eiusmodi colligit, mentem loquentis habere dicitur, atque commentari. Itaque & nos debemus in rebus pulchris materiam quidem posthabere, formas vero seligentes & ordinem, ideas in his rerum auspicari, & artem, mentemque commentari diuinam. Existimat autem pulchritudinem corporis ex formis compositi in eo consistere, vt & singulæ in eo formæ informitatem materiæ superent, & forma communis omnino formas singulas antecellat: corporis vero simplicis pulchritudinem in quovnica substantialis forma est actu, vt auri, vel argenti, similiumque in maxima luminis proportione sitam esse. Lumen profectò esse vult ignis, id est, cœli formam, quæ sit imago quædam vitæ cœli, adeo, vt quod in cœlesti vita intellectuale inest, sit in cœlesti corpore luminosum, Item lumen sub Iuno esse formæ; id est, luminis cœlestis, actum & (vt ita loquar) imaginem. Vnde patet, quanta sit cœli virtus, cum formæ ipsius imago res omnes apud nos efficiat & conseruet. Ignem quoque sub luna esse igneum, vel ignitum corpus, potius quam purum ignem existimat. Verumtamen qui cœlo similius est existere lucidum, & quasi formam corporum aliorum, incorporeisque propinquum, ideoque pulcherrimum, eiusque participatione cætera pulcherrima fieri: præsertim quæ lumen inde reportant. Talia vero sunt, quæ vel minimum terræ habent, vel naturam maxime temperatam. Quod enim vel maximè terrenum est, vel minimè temperatum, quasi à cœlo longe diuersum ineptissimum est ad lumen, lucidumque colorem, quasi cœleste aliquid capiendũ. Quod autem in corporibus quæ pulchra videntur dictum est, similiter se habet in his quæ audiuntur, vt pulchra, siue sit vna vox, siue grata quædam compositio vocum. Et sicut formæ visibilis pulchritudo ab ideali & seminaria ipsius ratione procedit, sic vocis concentusque pulchritudo tum ab ipso spiritu, tum ab harmonica mentis conceptione perficitur. Et vbique formositas est imperium formæ super subiectum: formaque corporea à forma incorporea proficiscitur.

Pulchritudo quæ videtur, mentis pulchritudinem repræsentat: pulchritudo quæ auditur, refert animæ pulchritudinem. Item nemo de mentis & animæ pulchritudine loqui aut debet, aut potest, nisi eam ipse possideat.

CAPVT IIII.

DVplex pulchritudo est: incorporea scilicet & corporea. Et quemadmodum corporea rursum est duplex: altera quidem in his quæ videntur, altera vero in his quæ audiuntur, sic & incorporea duplex, altera in intellectu, altera est in anima. Intellectualis lucis pulchritudo præcipuè ab ea, quæ videtur in lumine velut imagine nobis repræsentatur. Pulchritudo rursus animæ in harmonia quodammodo constituta, ab illa, quæ auditur, harmonica pulchritudine loqui potest nisi eam sensu cognouerit, sic neque de incorporea, nisi eam præceperit animò. Sed corpoream cognituros extra se fertur: percepturus autem incorpoream, intra se referatur oportet: reuocatus autem ad se non percipiet eam, nisi possideat. Esto itaque pulcher & intellectu & animà prius quàm de incorporea pulchritudine audeas disputare. Memento, si delectaris sensibili pulchritudine, quæ insensibilis pulchritudinis est imago, multo maiorem percepturum te voluptatem, quando ipsam animi mentisque pulchritudinem cognoueris: imo quando possederis.

Materia deformitatem quidem habet naturalem, formositatem vero peregrinam, sed anima turpitudinem quidem aduentitiam, pulchritudinem vero natiuam. Item pulcritudo diuinæ mentis est vt lumen. Pulchritudo mentis humanæ scilicet in virtute intellectuali est vt color aliquis lucidissimus. Pulchritudo animæ scilicet in virtute morali est quasi figura.

CAPVT V.

CVm pulchritudo id est, formositas sit flos ipse & vigor, & gratia formæ, certè materia sicut est in formitas ipsa, sic est & ipsa deformitas. Huic ergo deformitas quidem est naturalis: pulchritudo vero fit peregrina, quatenus materia formam accipit aliunde. Sed animæ contrà, pulchritudo quidem natiua est: quoniam suapte naturæ est vera forma, id est, actus aliquis in se consistens. Nam reliquæ formæ sub anima formationes quædam potius sunt, quàm formæ, id est, actiones animæ in materiam: ac vicissim materiæ passiones. Animæ igitur formositas quidem est naturalis, deformitas aduentitia. Sicut enim materia dum formale nonnihil mutuatur ab anima, fieri formosa videtur, ita vicissim anima dum informe aliquid accipit à materia, fit deformis. Accipit autem quatenus & affectu corpori cedit, & cognitione concedit. Non ergo noui muneris comparatione quadam animus euadit pulcher, sed purgatione sola qua in pristinam restituatur naturam: in qua sua ipsum formauit idea, intellectusque diuinus: cuius quidem pulchritudo est quasi lumen: intellectus vero nostri pulchritudo inde manans intellectualis virtus cognominata est quasi color aliquis lucidissimus: sed pulchritudo moralis hinc & inde profecta est quasi figura.

Virtus & pulchritudo in animo est naturalis: atque est ipsa sua puritas animo restituta: sic illico & pulchritudine diuinæ mentis effulgens, & ipso bono felicissimè fruens. Item prima forma, prima mens, primum ens est idem.

CAPVT VI.

ANtiquum oraculum & à Platone in Phedone, & à Plotino hic adductum, tradit virtutem omnem tam intellectualem quàm moralem esse purificationem quandam atque puritatem, quod de pulchritudine quoque sub virtutis nomine dictum puta: quasi virtus pulchritudoque animæ sit natiua: turpitudo vero & prauitas peregrina. Animus itaque à corporeis sordibus expurgatus non solum pulcher fit, sed etiam pulchritudo, id est, forma per se existens, idealisque ratio quædam, & diuini vultus expressio: quando videlicet, ex animo rationali intellectualis, & intellectus euadit. Prima namque formositas est secundum formam, vbi est prima forma, forma vero prima est intellectus. Forma enim prima vniformis esse debet atque omniformis & reliquarum origo formarum. Sicut materia prima est prorsus informis, receptaculumque formarum. Talis autem solum intellectus primus esse potest: qui etiam est ens ipsum primum. Si enim vbique fit esse per formam, certè ens primum cum prima forma conspirat.

Præterea sicut in materia naturale malum cum naturali deformitate concurrit, sic in primo ente, in prima mente natiuum bonum, id est, boniforme cum natiua formositate congreditur. At super ens & mentem ipsum bonum si quando ipsa pulchritudo dicitur, tanquam fons pulchritudinis intelligitur: ex quo intellectus tanquam prima forma pulchritudinis effluit. Sed ab intellectu anima velut prima pulchritudinis participatio nascitur: cætera vero sub anima secundam pulchritudinis participationem, tertiamque deinceps ab anima nanciscuntur. Denique animam ipsam esse natura pulchram, atque diuinam inde conic[illegible]ius, quod in corporibus ibi præcipuè pulchritudo refulget, vbi seminaria virtus animæ siue in vniuersa natura, siue in natura qualibet sigillatim subiectum sortitur obediens.

Quomodo dij à dæmonibus distinguantur. Quomodo corpora Deorum & dæmonum videantur. Item sex differentias esse inter aspectum Deorum, & spectacula dæmonum. Conclude, si optas diuinam pulchritudinem contemplari, esto pulcher atque diuinus.

CAPVT VII.

CÆterum nihil opus est prolixius Plotini mentem interpretari: quoniam quàm diuine loquitur: loquitur autem diuinissimè: tàm etiam perspicuè sequitur: Contendens vbique animum non tam ad pulchritudinem intuendam perducere, quàm possidendam. Quod autem de Deorum dæmonumque aspectu breuiter innuit, sic intellige: Deos significat sublunares, dæmonesque similiter, & qui corpora inuisibilia naturaliter habeant, sintque benefici: & nonnunquam suo quodam erga nos beneficio se nostris oculis patefaciant: Deos hic à dæmonibus ita distingue: In ipso quidem Deorum Deo prouidentia est vniuersalis omnino: nam & omnibus, & omnia prouidet, atque largitur. Vniuersalis etiam quodammodo in mente diuina & anima mundi. In diis vero sequentibus siue inuisibiles sint, seu visibiles, prouidentia quodammodo etiam vniuersalis est, sed conditione quadam particulari. Aut enim rebus omnibus munera dant, sed munera quædam, aut dant quidem omnia, sed quibusdam. In dæmonibus autem prouidentia & particularis est, & conditione rursum particulari. Nam & certa quædam munera tantum, & certis quibusdam rerum generibus, regionibusque distribuuntur. Neque sicut dij sunt ab omni passione, vel sollicitudine, vel affectu penitus segregati: nam ad hæc ipsa quæ curant, quodammodo declinare videntur. Adde præterea, quod vnumquéque Deorum siue cœlestium, siue subcœlestium dæmones multi sequuntur vt ducem. Sed quonam pacto qui natura inuisibiles sunt, videntur? Non enim puro Deum, aut dæmonem, vt à tuis oculis comprehendatur, tenue nimiû rarumque corpus suum necessario in angustius aliquando cogere, sicque oculorum tuorum radios ad re reflectere, aut saltem ita quodammodo terminare: non enim passione sua interueniente à te perspici volunt: sed forsan præpotenti quadam virtute mouendi visuales oculi tui radios ad te repellere, vel in se terminare, atque ita tibi se notos efficere. Sed de visu ex mente Plotini alibi dispu-

rabimus. Potes & tu aliter eos cernere non extimo quidem visu, sed intimo quodam atque cœlesti: si quando ad hunc ipsum vndique te collegeris. Quæ vero differentiæ sint inter deorum dæmonumque formas, siue æthereæ sint vtræque, siue igneæ sint, vel aereæ: Iamblichus ex mente Ægyptiorum sic breuiter aperit. Species quidem Dei cuiuslibet simplex figura modoque nobis offertur: Dæmonis vero multiplex. Dei rursus species murabilis: Dæmonis autem circa varietatem mutabilis. Item Dei forma veneranda simul atque propria, prorsusque benigna: Dæmonis non reuerenda solum, sed verenda. Præterea diuinum spectaculum mundum subito totum implere videtur, dæmonum certo loco se monstrat. Rursus diuina (vt ita dixerim) coruscatio ictu etiam intelligentiæ velocior est, agitque celerius, Dæmonica velox quidem, sed mentis velocitatem non satis exuperat. Denique quanta, vel qualis, vel cuiusmodi forma, pulchritudoque dæmonis tibi occurrerit, quodammodo exprimere potes, Dei vero nequaquam. Quam vero veneranda, quam gratiosa sit vtraque, Plotinus ipse, quamuis non explicet, tamen quandoque etiam ipso sensu percepit, quod quidem Porphyrius, qui fortè interfuit, in Plotini vita testatur.

Librum denique totum ita conclude. Sicut oculus vt solem videat, debet esse, fierique solaris, sic tu vt ipsam suspicias pulchritudinem, quæ diuinus ipse intellectus existit, dimitte materiam, dimitte sensum, dimitte rursus & rationem: Intellectualis esto, atque intellectus primo tuus, deinde diuinus. Tunc demum sicut oculus aquilinus in cœlum volando sublatus, splendorem solarem atque cœlestem penes solis lucem intimam circunfusum, velut vnam cum ipsa luce simul pulchritudinem contuebitur, sic & ipse per intellectum tuum ad diuinum intellectum iam progressus mira prorsus idearum serie coruscantem, atque ex paterna boni ipsius luce manantem primo quidem aspectu intellectualem splẽdorem paternæ luci continuum, velut vnum idẽque conspicies. Mox vero lucem quidem animaduertens esse penitus vniformem, splendorem verò quodammodo multiformem, item lucem quidem effundere, spendorem vero effundi: profecto discernes (vt Platonicè loquar) ipsam mentem, formam ipsam pulchritudinis esse, ipsum vero bonum, mentisque patrem esse pulchritudinis genitorem. Sic & in parte filium admiraberis, & patrem amabis in filio, mutuoque vtriusque amore gaudebis.

IN LIBRVM

DE BONO PRIMO; & aliis bonis,

COMMENTARIVS.

SVMMA.

Ipsum bonum est super essentiam, vitam, intellectum.



IN vniuerso rerum ordine nulla essentia in se ipsa quiescit, sed omnis naturaliter atque semper tota virtute sua nititur ad agendum, idque naturale, propriumque munus essentia omnes non aliunde quàm à prima essentia sortiuntur: quoniam videlicet ipsa fermè simili quodam nixu prodit in actionem. Prodit autem essentia qualibet atque ipsa essentia in actionem, vt melius inde se habeat. Neque hac igitur qualibet, neque illa est ipsum bonum, cum & non quiescant in seipsis, & in melius agendo proficiant. Melius enim se habet essentia, si agat, quàm si non egerit. Neque rursus ipsa eius actio est ipsum bonum, summusque essentiæ finis: nam ab essentia virtute dependet: essentia verò actioque simul pendet ex bono, cum ideo semper agat, vt melius agendo se habebat melius, quàm ad bonum semper agendo: nam & bene se habebat primum, cum & ipsa & eius actio procedit à bono: & rursus bene, meliusque cum ad ipsum bonum se toto nixu conuertit. Iam verò ex eo quod essentia eiusque actus, id est, vita, & intellectus ipso bono tanquam fine perficiuntur, coniectare possumus ab ipso bono tanquam principio effici. Vnde enim efficitur vnumquodque, inde rursus ibidemque perficitur. Testatur hoc & humana natura, non enim esse atque viuere per se ac simpliciter homines appetunt, sed vt bene sint, beneque viuant: quasi hac ipsius boni duntaxat gratia concupiscant: ipsumque boni munus tum essendi, tum viuendi muneri naturali quodam iudicio præferant. Sicut enim esse viuereque nonnunquam respuunt, non quidem simpliciter, sed mali ipsius gratia, id est, ne sint, viuantque pessimè, sic eadem rursus adsciscunt gratia boni, id est, vt bene sint, viuantque quam optime. Intima igitur essentia actio, siue vita, siue motio, siue cognitio nuncupetur, non per se quidem bonum est: nam si forsan vel ex malo pendeat, vel etiam casu quodam, vel errore labatur ad malum, est proculdubio malum: per superius igitur aliquid existit, fitque bonum: quantum scilicet & à bono naturaliter procedendo habet aliquid ipsi bono simile, & ad bonum idem rite se conuertendo, simile quiddam rursus efficitur. Conclude igitur: sicut essentia singula ad bonum suum singulatim sese habent, sic ipsam quoque essentiam ad ipsum bonum se prorsus habere, atque omnino & bonum hoc huic essentiæ appetenti, & ipsum bonum ipsi essentiæ similiter anteponi, Esse verò ipsum bonum, ipsumque vnum penitus idem: Item ipsum vnum essentia superius esse, opportunius alibi disputabitur. Sed hac hactenus huius libri sit summa. Agit verò de bono cursim, & quasi argumentum præparans libris suis, in quibus de bono diligentissimè disputat. Huius itaque libri, vel argumenti tria sunt capita. In primo probat ipsum bonum esse ad quod feruntur quidem omnia: ipsum vero fertur ad nullum. In secundo quomodo ad ipsum alia ferantur, atque referantur: In tertio tres quæstiones circa superiora mouet, & soluit.

Bonum vnicuique proprium est actio naturalis expeditè directa ad ipsum vniuersi bonum, quod est principium omnium atque finis.

CAPVT I.

IN primo capite tradit actionem vnicuique bonum quiddam esse: actionem, inquam, non simpliciter, sed duplici quadam conditione. Prima quidem est, vt sit actio naturalis, id est, non violenta, non fortuita. Secunda vt nulla ex parte deficiat, id est, neque sit debilis, neque sit obliqua, sed potenter & recta feratur ad finem. Sed cur nam actio talis est bonum? Quia videlicet idcirco naturalis est, quoniam ab ipso bono inserta est autore naturæ. Item quia dum rite tendit in finem, necessario fertur ad ipsum bonū. Hoc enim velut omnis naturæ principium, omnem quoque naturam velut ad finem instituit ad seipsum. Inter hæc significat quæ sunt infra rationalem animam, propriè quidē ad propria quædam bona natura duci. Ad ipsum vero primum, summumque bonum non perduci quidem propriè, sed in bonis propriis consequendis quandam ipsius similitudinem reportare. Ad animam quæ per intellectum & rationem potest communem totius entis concipere notionem, ipsiusque boni fontem augurari, merito & ad ipsum bonum primum, atque summum posse propriè, tum continuè proficisci, tum denique peruenire. Sed vt quid sit ipsum bonum intelligatur, duo potissimum prius intelligenda sunt. Primum quidem: esse aliquod rerum principium, idque vnum existere. Secundum vero, ipsummet omnium esse finem: Sanè in theologia nostra id totum multis argumentis asserimus: concludimusque, nisi primum summumque principium detur, sed de alio in aliud deinceps absque fine aliquo procedatur, quicquid reperias, ab alio dependere, ideoque suapte natura mutabile esse atque vacillans: neque fore quicquam stabile rerum nutantium fundamentum fixumue cardinem mutabilium. Atque idcirco nullam in rebus stabilitatem fore, nullum ordinem, nullam vnionem, nullamque concordiam. Quoniam vero res omnes stabilem quendam ordinem perpetuo seruant, atque in vnam vniuersi operis formam, & ad vnum communemque vniuersi finem vbique conducunt, cōstat summum aliquod omnium esse principium, vnicumque existere. Id vero & omnium esse finē ex eo patet, quod principium summū cum à nullo dependeat, neque ad aliud aspicit aut agit, neque ad alium finem quàm ad seipsum cuncta constituit. Principium igitur vniuersi atque finis est idem: Id autem nihil aliud est quàm ipsum bonum. Si enim summum est principium, ab eo certè fiunt, seruantur, perficiuntur, restituuntur omnia, ergo summum est omnium bonum. Item. Si est finis omnium summus & vltimus, sequitur, vt ipsum sit, cuius gratia singula semper agunt: omnia vero boni ipsius gratia agunt quicquid agūt. Vtrinque igitur satis constat ipsum omnium bonum esse idem, quod & omnium est principium atque finis. Confirmatur idem ex eo quod nullum potest munus rebus melius exhiberi, quàm quod à summo principio traditur. Nullum rursus donū melius, quam quod ab ipso bono præbetur. Vnde patet idem esse principium omnium atque bonum, patet idem esse finem. Omnia enim quā optimè afficiuntur in principio suo: omnia rursus quam optimè in fine exoptato se habent: denique cum singula vnde processerunt, illuc & appetendo pro viribus conuertantur: omnia vero sic conuertantur ad bonum velut ad finem, patet, à bono omnia tanquam à principio processisse. Cætera quidem actione quadam bona cēsentur: actione inquam duplici, tum qua fiunt ab ipso bono, quæ quidem nihil aliud est, quàm illinc quidem ipsum bonum, hinc vero ipsa rerum inde facta tum essentia, actusque vitalis, tum etiam qua feruntur ad bonum. Hæc autem est appetitio, inclinario, motio, generatio. Ipsum vero principiū omnium atque finis non actione prorsus vlla bonum est, sed ipsa eius prima, simplicique natura. Sicut & prima lux siue caliditas, non alio quā se ipsa lucens atque calens. Non actione, inquam, vlla: quia neq; extrinseca, non enim versatur circa aliud, vel acquirit aliquid aliunde. Non rursus intrinseca: quia nullo vel essentiali, vel vitali, vel intellectuali actu bonum est. Primo quidem, quoniam si super essentiam est, quod & probauimus, multo magis super & ante omnes eiusmodi actus est, qui sequuntur essentiam. Secundo quoniam alia est ipsa boni ratio, alia vero essentiæ. Hæc enim propter aliud, id est, propter bonum experitur: ipsum vero bonum duntaxat propter seipsum. Rursus alia boni ratio, alia vitæ, atque intellectus: nam ipsum bonum necessitate propria simpliciter exoptatur: vita vero & intellectio ea duntaxat conditione eligenda censetur, si bona felixque sit, si bene viuas, si bona intelligas, si ipsum intelligere sit tibi bonum: alioquin aliquando respuentur: Ipsa vero boni natura respui nequit ab vllo. Præterea boni ratio, munusque per omnia propagantur. Ratio autem vitæ, intelligentiæque natura per omnia protendi non possunt. Cum igitur natura boni tum alia, tum prior, superiorque sit, quàm natura essentiæ, vitæ, intelligentiæ, certè nullo prorsus bonum actu, sed ipsa duntaxat est bonum. Quā obrem in capitis huius calce ipsum bonum centro ac soli, cætera vero circumferentiæ, lineisque, item lumini radiisque comparat: quoniam illud quidem simplex, stabileque permanens cuncta producit: reliqua vero multiplicia, & quodāmodo mobilia per naturalem appetitum circa ipsum reuoluuntur. Sed de hac comparatione, deque ipso lumine alibi diligentius.

Quæ sunt infra animam, non habent veram vnitatem, essentiam, speciem: ideoque nec bonitatem veram: Anima vero & superiora habent illa tria vera, & hanc veram.

CAPVT II.

IN secundo capite traditur, alia ad ipsum bonum aliter atque aliter appetendo conuerti. Quæ sunt infra animam, vitam ab anima capiunt: ac si qua vi disiungantur à vita, vix quidem & cum dolore aliquo seiunguntur: & vtcunque possunt coniungi iterum annituntur. Quod qhidem in partibus plantarum, animaliumque manifestius perspicere licet. Hæc fanè dum virā ab anima omni studio capiūt, interea proficiscūtur ad bonū: nam in melius proficiunt, dum animæ quæ ipsi bono propinquior est, propinquāt. At anima per intellectum pergit ad ipsum bonum: nam per id quod in ipsa summū est, ritè surgit ad vniuersi summum, &

animæ rursus inferiores per sensum quidem aliæ, per imaginationem aliæ: nostræ tandem per rationem bonum sibi prospiciunt. Sensus verò intelligentiæ vestigium est. Imaginatio rursus intelligentiæ imago confusa. Ratio tandem eiusdem est imago distincta. Proinde omnibus boni aliquid est insertum: nec iniuria, cum bonum ipsum omnium sit principium. Tria verò potissimum in rebus boni ipsius dona conspiciuntur. Primum quidem est vnitas: secundum verò essentia: tertium denique species. Sed quare vnitas primum? Quoniam ipsum bonum, ipsumque vnum est penitus idē. Nihil enim vnitate simplicius cogitari potest: nihil rursus & ipsa bonitate simplicius. Cum nihil sit ipsa prius, quæ sola omnium est principium. Mitto quòd sicut dispersione in multitudinem omnia pereunt, sic vnione seruantur, & seruata inde perficiuntur. Cum igitur omnia vnitate seruentur, & proficiscantur in melius, idque ipsum sola bonitate fieri possit, consequens est, idem esse vnitatem primam, atque bonitatem. Sequitur bonum boni secundum, id est, essentia: quæ necessario est post vnum. Ipsum namque vnum nullam in se multitudinem, compositionemque admittit: essentia verò & ens admittunt. Nam & si natura prohibet aliquid simul, & ipsam vnitatem existere, & multitudinem in se habere, nihil tamen prohibet ens aliquid essentiamque censeri: quamuis componatur ex pluribus. Cum igitur ipsum vnum sit ente, essentiaque simplicius, necessario est & prius atque superius. Et merito quidem vnitas ponitur primum summi principij munus, essentia verò secundum. Latior enim est in rebus vnitas quàm essentia. Esse namque non re vera materiæ priuationique conuenit. Quæ enim forma carent, in quà esse consistit, esse merito carent, potest tamen & vna materia dici, licet informis, dici potest & vna priuatio cæcitas, sicut & visus est habitus vnus. Potest & materia dici quodammodo bonum, quatenus & ipsa bonum appetit, & processit à bono. Neque quicquam prohibet eam quodammodo iudicari bonum, licet hæc apud Plotinum sit ipsum malum. Nam & si bonum ipsum in se nihil admittit mali, tamen ipsum malum (si modo malū fas est, ipsum dicere) cogitur sub immenso boni ipsius imperio concupiscere bonum, cognominarique bonum. Tertium boni munus species est. Hæc enim est quædam determinatio, siue distinctio, siue actus essentiæ. Tu verò hic dum audis vnius bonique donum latius propagari, quàm entis & essentiæ munus, conclude, ipsum vnum atque bonum ente superius esse: cæterum, qualis est in rebus vnitas, essentia, species, talis & participatio boni. Profectò in mente prima, in mentibus aliis, in animabus præditis ratione, vera est participatio boni: quia vera vnitas essentia, species. Vnitas enim in eis & si multitudinem quandam habet admixtam, verum ibi tamde conficit vnum, quia superat multitudinem, vnumque inde indissolubile reddit. Est igitur ibidem & essentia vera; cum aliquando non esse non possit. Vera quoque species cum forma ibi nequeat in aliquid informe resolui. In rebus autem inferioribus anima & vnitas sæpe à multitudine superatur; ideoque plurimum dissolui possunt, & in essentia priuatio quędam inest, & lapsus aliquis ad non esse, & forma cum subiecto miscetur prorsus informi, in ipsumque delabitur. Quamobrem non verum in his est vnum, non vera essentia, non vera species atque forma: nec igitur vera, sed imaginaria quædam proportio boni.

Sicut vita non est per se simpliciter bonum, imò si dirigatur ad summum principium, est bonum; sin ad materiam, est malum: si mors non est per se simpliciterque malum, imò si animam separat à malo, id est, à materia, est bonum.

CAPVT III.

Tertium caput tres adducit in medium quæstiones. Prima quidem est eiusmodi: Si vita bonum est, nunquid cuilibet & quomodolibet viuenti viuere bonum est? Non certè: quia vita ipsa non est per se primum simpliciterque bonū: sed quatenus potenter & directè ad ipsum primum consurgit bonum, eatenus quoque euadit vita perfecta. At sicubi claudicat & aberrat, dum ab ipso cadit bono, simul à perfectione vitæ degenerat. Hinc illud Democratis, Viuere imprudenter, intemperanter, impiè, non tàm malè viuere est, quàm diu mori. Secunda quæstio, cum vita nobis quatenus cum mortali miscetur, atque inde turbatur, malum quiddam euadat animæ; quamuis sit corpori bonum & vniuerso, nonne mors est malum? Quandoquidem quod est mortale sua propinquitate vitam efficit malam. Respondendo quærit, cui nam mors sit malum? Certè malum cum vel sit accidens, vel etiam accidente debilius, ideoque in se consistere nequeat, alicui necessario accidit, non autem accidit ei quod nullo modo subsistit, vel quod natura possit absque vita consistere, non accidit rursus animæ si sit immortalis, & quomodocunque aliter accidat, proderit animæ sempiternè actiones proprias absque impedimento corporis perfectius editura. Sin anima post obitum corporis non tàm proprias peragit actiones, quàm communes, quasi animæ mundi collega, multo minus illic cum vniuersa vita iam viuenti mali quicquam accidere poterit. Contrà verò animæ vel hic vel apud inferos grauiter perturbationibus ægrotanti, mors quidem potius optanda est, & vita malum. Hic soluitur illa quæstio, vtrum animæ ad summum miseræ mori quàm viuere malint. Ideoque proculdubiò natura docet: qua monente grauiter cruciati amittere sensum malunt, quàm diros sentire dolores. Denique cum anima propriam habeat vitam, sitque per essentiam suam vita quædam in seipsa viuens, neque aliunde mutuatur vitam, neque subit mortem. Siquis tamen viuere quidem definiat coniungi corpori, mori verò à corpore separari, animæ hac significatione continget vtrunque, sed neutrum eius substantiam propriè permutabit. Tertia quæstio: Si bona vita est, cur non & mors est malum? Respondet, mortem quidem non simpliciter esse malum: quoniam non simpliciter sit vita bonum, vita enim morioni cuidam similis iudicatur, motio verò qualiscunque sit, ab ipso termino in quem propriè tendit, denominari debet. Itaque quatenus motio ipsa vitalis ad malum, id est, ad materiam forte delabitur, eatenus iudicatur & malum, quatenus autem ad ipsum bonum, id est, ad summum vniuersi principium sese dirigit, eatenus bonum esse censetur.

IN LIBRVM
QVAE SINT, ET VNDE MALA,
COMMENTARIVS.
Summa libri.

Quæstiones quatuor de bono & malo.

CAPVT I.



LIBER in hoc totus versari videtur, vt mala pro viribus deuitemus, consequamur bona, id est, materiam fugiamus, sequamur res diuinas à materia separatas, cognoscamus ipsum vniuersi principiũ esse ipsum bonum, ideo vniuersi postremum, id est, materiam esse ipsum malum. Et quodammodo nobis malum, & qua ratione tandem deuitare possimus. Primum libri caput quæstiones mouet: Quænam mala sint, & vnde proficiscantur. Vt autem hoc inueniat, quæ bona sint, inquirit, vt hoc rursus, quid ipsum bonum sit, quidue malum aggreditur indagandum. Quærit & quomodo cognoscamus malum, cum propter infirmitatem sit ab ipsa cognoscentis animi forma penitus alienũ. Ac docet informitatem mali per ipsam boni formam lucemque discerni. Quærit denique quo pacto malum sit bono contrarium. Vt cum videlicet tanquam vniuersi vltimum vniuersi primo, summæque copiæ penuria summa. Quod autem inquit, vim cognituram esse rei cognoscendæ persimilem: intellige, tum ipsa natura, tum nouo quodam effectu similem. Nulla enim ratio est, cur visus lumen potius quàm vocem appetat & cognoscat: nisi quia cum hoc potius naturaliter congruit quàm cum illa, & huic se potius quàm illi conformat. Quoniam verò sensus in rebus percipiendis externa rerum tantùm videtur attingere, intellectus autem etiam intima penetrare, constat, intellectum cum intelligibili magis atque diuino, quàm sensum cum sensibili & caduco congruere. Vnde certius argumentum nobis haberi potest intellectum esse diuinum, quàm sensum esse caducum. Præterea quod ait, perfecta præcedere necessariò imperfecta, ac speciem esse priuatione priorem, caue ne id intelligas in nostro hoc generationis ordine, in quo res primum inchoatæ, imperfectæque sunt, deinde paulatim formam perfectiorem adipiscuntur: sed id accipe prorsus in ordine rerum, causarumque, & gradibus vniuersi, vbi quicquid imperfectum est, cum per seipsum esse seruarique nequeat, à superiori dependet atque perfectiori, quod quidem per se ipsum sit atque seruetur. Quod sanè cum actus in se formaque sit & species, meritò informe subiectum, & impotens se formare, competentibus gradibus perducit ad formas. Quoniam verò agens per suam agit naturam, ideoque sibi similem reddit effectum, atque ipsum subiectum sub agentibus superioribus ad formam, actumque perducitur, coniectamus superiores causas, formas in se actusque existere.

Vniuersum habet principium & finem, idque ipsum bonum est: item intellectus tàm humanus quàm diuinus est semper in actu: quamuis ratio ex potentia progrediatur in actum.

CAPVT II.

IN secundo capite significat quid sit ipsum bonum, & quousque pura procedant bona desiginat. Bonum esse ait vniuersi principium, atque finem, vbi bonum quidem dicit ex nullo pendere, ex ipso autem omnia dependere: item esse mensuram omnium atque terminum. Tu verò memento, vbicunque partes finem suum, id est, naturalem consequuntur perfectionem, ibidem & totum cui partes seruiunt finem consequi suum. Oculi cum perspicue vident, manus cum promptè quid apprehendunt, pedes cum expeditissimè gradiuntur, fine proprio potiuntur. Multo verò magis & totum corpus quandoque perfectione fruitur naturali. Quemadmodum verò hac ipsa in re partes corporis se habent ad corpus totum, sic & vitæ humanæ partes ad totam. Partes verò vitæ electiones, & facultates, artesque omnes in præsentia dicimus. Electiones autem, artesque singulæ extremum quiddam habent, quæ ritè perficiuntur, vltra quod nihil amplius exigunt. Sic Medicinæ sanitatem, sic res militaris victoriam habet extremum. Quemadmodum verò vitæ partes fines proprios consequuntur, sic & multò magis tota denique vita ad vltimum quiddam spectat commune bonum, quo tandem perficiatur, vt tota vita partibus sit perfectior. Similiter vt in homine, in cæteris quoque animalium rerumque omnium speciebus licet argumentari. Appetitus enim naturalis est necessaria quædam naturæ inclinatio ab indigentia quadam annitens ad plenitudinem: Plenitudo verò ac finis vltimus idem. Si nusquam vltimus appetitioni præscriptus est finis, sed à fine in finem natura sine fine progreditur, nunquam satis impleri potest, frustra igitur conatur impleri, imo neque conabitur quidem vllo modo. Nulla enim rerum species ad id quod penitus impossibile est mouetur. Siquidem naturaliter moueri est à naturali potentia in actũ progredi paulatim. Quæ sanè progressio naturalis qua facultate gradatim proficit, eadem quandoque perficitur finem vltimum assecuta. Alioquin & natura passim frustra contenderet, & author ipse naturæ, temere illum frustraque moueret. Proinde si rerum species, quæ partes sunt

uiuersi perfectione propria non fraudantur, multo minus ipsum vniuersi conatum fortuna frustratur. Hoc enim & ad finem contendit communem, quando & partes ad fines proprios fini seruientes communi assiduè ducit, & finem vltimum adipiscitur, ne fortè totum sit partibus imperfectius: siue postremum eiusmodi finem mundus aliquando sit adeptus siue in præsenti, semper habitu dicatur adeptus. Si autem nullus sit finis optimus, sed absque fine procedere fingatur in meliorem, certè cum infinitos gradus pertransire non possit, ad optimum nunquam poterit peruenire. Quare, quod dictu nefas est, vniuersum hoc optima procul dubio forma constructum ad finem optimum frustra contendet. Finis autem & habitus optimus vniuersi in eo consistit, vt principio & authori suo vndique conformetur. Quòd enim congeries hæc in mundo rerum tàm diuersarum, & inter se repugnantium, tùm in vna communi totius forma conueniat, tum ad vnum finem communemque bonum ritè conducat, non ab ipsa diuersorum natura procedit, sed ab vna potius superioris fabri forma atque voluntate. Mundus autem sicut sub authoris sui forma formatur velut principio, sic in eadem velut fine reformatur semper, atque conformatur. Hunc omnium authorem Plotinus nominat ipsum bonum: quoniam eodem vniuersum hoc & affectum sit & perfectum. Hinc mensuram omnium appellat & terminum: quemadmodum & Plato nominat in Philebo. Metitur omnia Deus, vt principium: terminat idem omnia tanquam finis. Si Deus omnium mensura est, certè rerum ordo non ascendit à principio in principium absque quodam omnium primo principio: quod quidem foret per principia temerè absque vlla principij ratione vagari: principij nanque ratio est, vt sit primum. Per Deum sanè velut mensuram perpendimus intellectum esse anima meliorem, & animam corpore: quoniam nil e hac, & hęc isto fit deo tanquam summo bono propinquior. At verò si nusquam prima, summaque consisteret bonitas, sed per gradus procedere quis fingatur innumeros, nusquam profectò erit ratio vlla mensuráque & regula, per quam aliis alia præferantur: nec enim alia magis aliis mensuræ propinquabunt, & congruent. Sit ergo Deus principium, sit mensura, præterea & sit terminus omnium, quia finis: terminus inquam, qui & tenet subiecta formis, & formarum motus suis denique finibus, ne forte de fine in finem absque fine natura pereret: quod quidem nihil aliud foret, quàm per fines sine vlla finis ratione vagari. Ratio verò præcipua finis est, vt sit vltimum & extremum, post hæc autem secundo gradu honorum essentiam collocat, & in essentia mentem, tertio subinde gradu animam, & in anima vitam. Hęc omnia dicit esse bona; quia sint ab ipso bono, & quia circa bonum agant virtute boni. Vult & quarto bonorum loco censeri eas duntaxat corporum formas: quæ nunquam desciscant ab anima, quæ & ipsa nunquam desciscat à Deo. Talia verò sunt cœlestia corpora, similiaue cœlestibus. Ad hæc differentiam ponit inter diuinum intellectum, atque rationalem: quod videlicet diuinus ipse sit omnium plenitudo, rationalis autem inde conetur impleri. Tu igitur dum hic audis, intellectum nostrum quasi vacuum dici, ne simplicem intellectum nostrum diuino semper implerum, sed intellectum nostrum rationalem, id est, vim animæ per vniuersales species discurrentem accipe. Quæ sanè vis quodam modo est potentia intellectus, intelligibileque potentia, proditque in actum virtute intellectus superioris, qui semper existit in actu: intellectus inquam, tum diuini, tum nostri virtute. Sicut enim quod est omnia simpliciter in potentia, fit actu omnia per id quod est simpliciter actu omnia, ceu materia per diuinam mentem, sic oportet & hanc vim, quę humanus intellectus est in potentia, fieri humanum intellectum in actu, per intellectum quoque humanum semper in actu vigentem. Quemadmodum & hic homo in actu viuens genitus est non solum ab vniuersali natura, quæ rationes animalium omnium seminales habet in actu regnantes, verùm etiam à natura propria, id est, humana, rationem hominis seminariam possidente iam actu vigentem. Id enim perfectorum generatio postulat, atque hæc est vbique Plotini sententia. Subdit; intellectum diuinum sic omnia in se habere, vt ipse sit omnia. Quod quidem tu hoc exemplo sic accipe: Si vasa omnia figurarum inter se diuersarum mergantur in mare, aqua protinus implebit omnia, & implendo totidem similesque figuras assumet, quot implebit & vasa. Eiusmodi verò figurę non aliud quàm aqua maris erunt, aliter se aliterque accommodans. Sic intellectus est omnes species, quas cogitatur habere: ac multò magis ipsa sua species est, quàm maris aqua figuræ, tum quia nulla ibi nouitas, nulla dimensio, nulla distantia impedit vnionem, tum quia nec ab alio, nec in alio sicut aqua, sed à seipso, & in seipso species induit, ant edit, aut prorsus existit. Quo verò modo in mente species inter se distinguantur, & tamen in vnaquaque sint omnes, alibi sæpe tractabimus. Subdit, quod sit mentis diuinę particeps non omnes species habere simul in actu vigentes, id tu vim intellige rationalem, quæ solet diuinæ mentis aliquando fieri particeps. Ipsa enim intellectualis natura etiam in nobis non fit aliquãdo particeps, vt vult Plotinus, sed semper diuinæ mentis est compos. Præterea diuinam mentem appellat primum boni ipsius actum essentiamque primam. Non enim vult vllum esse actum in Deo, per quem aliquid Deus agat: alioquin eiusmodi actum ab ipsa Dei substantia saltem ratione quadam discrepaturum, à prima tamen vnitate omnem prorsus differentiam, omnem numerum abesse debere. Ipsum igitur Dei actum esse existimat extra Deum, sicut & lumen extra lucem; ac tantæ Deum esse vnitatis, vt actus eius non sit vel motio vlla, vel accidens, sed substantia & essentia prima, idemque ibi sit & actus, & actum, id est, ipsa sit essentia rerum omnium fons plenissimus; vt dum vnum à diuina vnitate videtur fieri: cuncta simul efficiantur in vno. Meritò namque ab vnitate quæ est super omnia, & æquè omnia respicit proximè, fit hoc vnum quod est pariter omnia. Actum denique ipsius essentiæ circa Deum esse vult vitam eius, vitæ verò absolutionem esse mentem. Subiungit, animam, scilicet puram per mentem, tum suam quasi oculum, tum diuinam quasi lumen, ipsam inspicere boni lucem, & huc vsque mali nihil accidere. Quòd si vel anima, vel ipsa natura hic descendendi sisteret gradum, nihil mali futurum, veruntamen ipsa naturæ fœcunditas efficit, vt multi præterea sub ipsa anima, ipsaque natura sint rerum gradus. Quoniam verò gradatim descendendo paulatim portio boni minuitur (effectus enim causas æquare non possunt)

tandem ex minori bono deuenitur in malum. Quòd autem cuncta circa Deum esse dicit, id est, à Deo pariter & ad Deum. Item primos præcipuè rerum ordines, id est, ideas circa Deum, à quo in mentem veniunt, & in quem reflectuntur à mente. Secundos verò, id est, notiones rationales, circa secundum, id est, intellectum, à quo in animam effluunt refluuntque similiter. Præterea tertios, id est, seminarias rationes circa tertium, id est, animam à qua profluunt in naturam, à qua refluunt rursus in animam: Denique quartos intelligi vult circa quartum, id est, naturales formas circa naturam, à qua labuntur in materiam, & in quam pro viribus relabuntur. Totum hoc, inquam, alibi plenius & diximus & dicemus.

Quid super ens: quid ens verum: quid non verum ens: quid verum non ens: quousque bona: vbi primum mala, & quot modis mala dicantur, & rationes multæ, quòd sit materia.

CAPVT III.

Caput tertium disputat, quid malum, quot mala, vbi sint mala. Malum esse negat in eo quod entia supereminet, id enim est ipsum bonum: quod quidem hinc esse cognoscitur super entia, quod ipsa appetendi natura electioque non solum esse desiderat plurima, sed multa etiam optat non esse, non fuisse, non fore: eligit autem semper sub ratione boni. Ex quo patet appetibilis, id est, boni sortem non ad esse solum, sed ad non esse etiam pertinere, ideoque ipsum bonum ente communius superiusque existere. Quoniam verò essentia primum boni susceptaculum est, ideoque per ipsam bonum deriuatur in alia, sequitur, vt quousque vera essentiæ participatio se extendit, cousque vera quoque boni portio protendatur, neque hactenus mala sint, sicut quatenus verus viget calor, inde frigiditas abest. At vera essentiæ portio vsque ad ipsas spherarum mundi substantias se extendit, in quarum essentiis priuatio nulla deprehenditur. In his ergo mala esse non possunt. Quicquid verò inter composita quandoque dissoluitur, non verè ens appellatur, quoniam & ipsum eius esse antecessit diuturna priuatio, similisque succedit, & ipsius esse ductus, dum motu temporeque transfigitur, quantum ad esse proprie spectat, indiuiduum habet, præsens, quantum ad non esse pertinet, longum preteritum patitur & futurum. Eiusmodi ergo compositum, cui priuatio multa essendi miscetur, ita dicitur non verè ens, sicut non verè calidum, in quo ad minimum caloris, plurimum frigoris adhibetur. His igitur malum accidit, quoniam non verè ens, dum ab essentia prima nimium decidit, ideoque ab ipsa boni sorte delabitur, interea precipitatur in malum. Ipsum verò malum est quod longissimè distat à bono, id est, informis ipsa mundi materia. Secundo loco malum, forma, vel qualitas patitur in materia iacens, quæ & quædam materiæ passio, vel affectio exterius agitare vocatur. Tertio loco malum admittit anima, quatenus affectu quodam acriori ad materiam inclinatur: sed hoc interest quod materia quidem dici quodammodo potest substantia mali: composita verò, ex materia formaque caduca pati in substantia malum: animam denique non in substantia, sed in qualitate quadam & accidente malum accipere. Inter hæc Plotinus ipsum quod non ens appellatur tribus accipit modis. Primo quidem omnino non ens, id est, nihilum. Secundo verè non ens, id est, materiam mundi primam. Tertio non verè ens, id est, formam materiæ inhærentem, compositumque caducum, item proprietates huius & accidentia. Atque vbi vniuersum sensibile appellat ens non verum, intelligit præcipuè omne sub luna compositum: quod omnino sensibile, id est, omnibus sensibus perceptibile dicitur: entis quidem imaginem vult esse formam ab idea pendentem, eamque referentem: vmbram verò entis, materiam, quæ non ab idea quantum idea est dependet, sed quantum essentia formabilis per ideas, item non repræsentat ideam. Nullus enim materiam introspiciens propriam, alicuius ideæ faciem suspicabitur. Ait materiam non ens iudicandam: non quidem sicut nihilum, sed sicut nonnihil à primo ente maximè distans. Ait & formam, compositumque, non eo solum spatio ab ente primo distare, quo status ille atque motus, qui in primo ente ponuntur, sed multo maiore. Quo verò modo in ipso ente sint illa quinque essentia motus, status, idem, alterum, alibi disputabimus. Et profectò illic neque motus est ipsum ens: alioquin nullus erit status in rebus. Neque status rursum est ipsum ens: alioquin nihil vsquam mouebitur: sed differentes entis proprietates & actus. Sed missa in præsentia faciententis ipsius propria: accedit autem ad quædam non entis, id est, materiæ propria: quæ quidem opponuntur illis, quæ ipsius boni propria numerauit, ideoque hanc tanquam à bono longissimè discrepantem, malum ipsum indicat nominandum. Ipsum quidem bonum mensura est: materia verò (vt huius verbis vtar) immensuratio dicitur: item bonum terminus, materia infinitum. Præterea hoc informe, illud verò formator: hoc egenum, illud contra sufficiens, & quæ sequuntur. Atqui quemadmodum illa boni propria quatenus sunt intra bonum, idem inter se sunt, ipsumque sunt bonum: quatenus autem ad sequentia referuntur, inter se differre videntur: sic & materiæ propria qua quidem ratione in materia sunt, vnum sunt, ipsaque materia: qua verò ad superiora spectant, & comparantur, diuersa censentur, perinde atque lineatum signa, quæ in centro sunt vnum, sunt in circunferentia multa. Tum verò in rebus inter Deum, materiamque compositis est infinitudo quædam & terminus, est informitas & formositas. Neque idem est res ipsa composita quod & alterutrum horum oppositorum, alioquin aut res ipsa non haberet vtrumque, aut saltem alterutrum esset vtrumque. Si enim hæc ipse terminus sit, non habebit infinitatem, sin infinitas fuerit, terminum non habebit. Si denique res hæc per se & hoc & illud fuerit, certè idem vtrunque restabit. Quòd verò terminus & forma sit infinitas informitasque opposita, rerum natura non patitur. Sed quoniam mixta omnia ex oppositis tanquam non integerrimè talia, reducenda sunt ad simplicia, taliaque quam maximè, ideo super formam & terminum quæ sunt in alio mixtaque sunt oppositis ascendendum est ad formam & terminum, quæ sunt in seipsis atque purissima. Rursus preter informitatem, infinitudinemque quæ sunt in alio oppositisque coniuncta, ad ipsam informitatem infinitatemque descendendum in seipsa simpliciter subsidentem. Proinde vbi Plotinus ait: Quod accidit aliis prius aliquid ipsum es-

se debere quàm accidat: non dixit priùs ipsum in se, vel per se extare quàm accidat, ne fortè accidens crederes esse substantiam. Tu verò hinc memento, calorem, qui aliquando contingit aquæ, quoniam & in alio est, & ex accidenti competit, reduci ad calorem ignis: qui quamuis sit in alio, non tamen ex contingenti adesse dicitur, sed natura. Hunc denique calorem redigi ad ipsam caloris ideam, quæ & per se iam & seipsa consistit. Sic itaque sicut quod per accidens est, ad illud quod secundum naturam inest refertur, ita quod in alio iacet, ad illud quod in seipso consistit. Denique memento, mala rerum formis accidere: neque casu duntaxat, continuè namque perpetuaque serie veniunt, neque ex ipsa natura formæ, quæ tandem prouenit à prima forma, id est, à mente diuina, ea videlicet ratione qua mens conuersa est in bonum. Quamobrem & ab extrinseco scito confluere mala, & illo quidem principio quodam determinato, non certè principio velut forma, siue formali quodam, igitur à materia. Primum igitur materia malum, sicut & bona à principio rerum primo. Illud igitur ipsum bonum. Superiora iterum sic confirmantur: Videmus in rerum ordine singula ex potentia quadam, actuque componi, id est, ex natura formabili actuque formali constitui, & quæ media rerum tenent ex vtrisque oppositis aquæ portione rite commixta: sed supra medium ordinis vniuersi formabilem potentiam ab actu formali magis gradatim magisque excedi: in medium vicissim actum quidem decrescere: crescere rursus potentiam patiendi, deformemque naturam. Quamobrem & augmentum ipsius actus per gradus ordinatissimum, ad actum denique summum peruenit atque purum, & decrementum eius, ad minimum paulatim actum fermè descendit. Cui mox succedit summa quædam informitas, & infinitas, patiensque omnino natura formis desuper venientibus quasi mensuris & terminis semper exposita. Sed hic interim animaduerte: Sicut ordinis huius descensio vltra nimiam formam deuenit in materiam: sic ascensionem vltra summam formam, id est, essentiam, mentemque primam ad ipsum progredi bonum: Vicissimque sicut super ens existit aliquid; id est, ipsum bonum, ita subeunte subsidere nonnihil, id est, ipsum malum, medium inter ens & nihil bono prorsus oppositum. Medium namque inter ens & nihil, siue non ens materiam Platonici ponunt, quæ & non ens dicitur, & nonnihil. Quæ quidem velut communis potentiæ origine quadam & generationis ordine vniuersum antecedit mundi actum, sicut & potentiæ passim propriè actus proprios similiter antecedunt. Cum verò ob extremum virtutis defectum materia semper egeat sustentaculo, neque fundamento vsquam inferiori possit inniti (nihil enim est inferius illa) nacta est tantum desuper sustentaculum ex quo pendeat, id est, naturam, sicut & natura similiter animam. Materia quidem ab essentia naturæ dependet, & ab ipsa mentis essentia: Formæ verò in materia genitæ ab ipsis naturæ seminibus ac mentis ideis, materia videlicet, sicut vmbra tum intellectualis essentiæ, tum naturæ, formę autem vt imagines ipsius mentis & seminum. Sustineri verò videtur materia desuper fermè in suspendiculi modum, sicut ferrum à superiori magnete suspensum.

Gradus malorum tres, quomodo in anima malum: quomodo materia nihil habet boni.

CAPVT IV.

In quarto capite malorum gradus prosequitur, in primo gradu materiam ponens, in secundo corpoream materiæ formam, quam non esse formam veram & hic Plotinus breuiter indicat, & nos in Theologia latius demonstramus. In tertio verò statuit animæ malum: dicens, animam ipsam non esse per se malam, alioquin & omnis anima foret mala, & ab initio mala foret, & semper. Existimat secundam animam, id est, vitam ab anima prima quandoque accommodatam corpori, statim in ipso accommodationis initio fieri prauam. Cum enim sic alligetur corpori, vt ex ea & corpore vnum animal componatur, meritò à materia mox inficitur, adeo vt & passionibus fiat obnoxia, & motus immoderatos more corporis subeat in excessum atque defectum. Talem verò fieri omnem eiusmodi vitam Platonici putant, posse tamen & hanc vix tandem aliquando temperari, sed ante moderationis effectum, & passiones illas esse inuoluntarias arbitrantur, quia videlicet naturales, & superiorem quoque animam, quia scilicet libenter cum inferiore consentiat: falsas inde opiniones accipere, quibus parū considerate iudicet, re vera bona sibi quoque fore vel mala, quæcunque inferior anima naturali quodam impetu prosequitur, aut fugit. Sicut igitur inferior anima impetu naturali mala fit, sic superior amore, consensione, opinione fit mala. Sed inter inferiorem hanc vitam, atque formam corpoream hoc interest, quòd forma hæc passio quædam est materiæ, vita verò actio potius est, vel actus animæ. Ideo formæ quidem malum insanabile est, vitæ verò sanabile. Vbi verò materiam, ait, boni nihil habere, intellige, nihil formalis, intrinseci, absoluti boni. Cum enim primus boni ipsius effectus sit formale aliquid, id est, diuina mens, forma formarum, meritò vbi deest natura formalis, deest intrinseca natura boni. Sed materia quia primum subiectum est, æquè ad omnes formas expositum, nullam sibi propriam vendicat formam, nihilque formale. Huic ergo nihil formalis intrinseci, absoluti boni proprium est. Neque tamen huic deest appetitio boni. Est enim materia indigentia summa ad formalem copiam capiendam naturaliter paratissima: igitur hanc naturaliter appetit, igitur affectat bonum. Appetitio hæc bonum quodammodo dici potest non quidem absolutè, sed quoniam spectat & concludit ad bonum: ad bonum, inquam, extrinsecum. Quod enim accipitur, nunquam euadit materiæ proprium. Proinde principium efficax, vnde appetitus, motusque materiæ ad bonum efficitur, non est in ipsa materia (nulla enim efficacia est, vbi nulla forma,) sed in natura tanquam instrumento Dei. Neque tamen appetitus, motusque eiusmodi dicitur violentus. Nam ad hunc tractum materia nedum resistat; sed & paratissima est, & quàm libentissimè patitur, facillimeque formatur: Denique ipsa materia quoniam est informis, est mala: imò quia est informitas, est ipsum malum: dici tamen quodammodo bona potest, quatenus formabilis est à bono. Quoniam verò sæpe formam nominat terminum, & mensuram, scito terminum appellare: quia naturam materiæ ad speciem quamlibet æquè indifferen-

tem certis quibusdam speciei limitibus terminat, ut per hominis quidem formam speciem hominis sortiatur, per equi verò formam ad equi speciem contrahatur. Mensuram rursus nominat, quia materia suapte natura nullam habet propriam magnitudinem, vel figuram, sed certa quadam forma dum ad certam speciem eam terminat, propriam quandam magnitudinem, figuramque requirit. Sicut autem corporea forma mensura est, terminusque materiæ, sic intellectualis forma mensura est ac terminus animę, ipsum verò bonum mensura est, terminusque mentis & omniũ. Anima denique quæ per omnes sui vires in mentem conuersa, eius mensura terminoque componitur, nihil mali accipit aut prospicit, quæ verò à mente digressa materiam versus inclinatione progreditur, iam malum prospicit, & quasi quodam intuitu fascinatur. At postquam seminariam naturæ suæ virtutem quasi animæ superioris imaginem in materiæ prorsus infundit, malum iam dicitur attigisse. Vbi tandem habitum iam concepit, per quem materiali corpore patiente compatiatur, atque consentiat, iam tactu venefico languere videtur.

In quo defectu consistat malum: quonammodo materia sit ipsum malum: quomodo fiat malum in anima.

CAPVT V.

Caput quintum quæstiones duas inducit, & soluit. Prima quæstio est eiusmodi: Dictum est vim rationalem perfectiorem mente, eiusque imaginem esse: Similiter vim naturalem rationali imperfectiorem, eiusque imaginem. Nunquid ergo defectus eiusmodi vel ibi, vel hic est malum? Nequaquam. Nempe non in quouis defectu boni consistit malum, quando scilicet aliquid ab alieno superiorique bono superari deprehenditur, eique cedere. Nam hi sunt certi bonorum gradus prouidentia diuina dispositi. Sed malum in proprio quodam defectu versatur: quando aliquid bono aliquo speciei suæ, vel singulari munere videtur orbatum. Summum verò malum in vniuerso defectu perpenditur, quod quidem omnis speciei bono suapte natura caret, omnique intus formali dono priuatur: qualem dicit esse materiam, quæ nullam boni habet portionem, scilicet intus & propriam. Cum enim ipsum ens primò bonum intus accipiat, tanquam ipsi bono quàm proximum meritò intrinsecum rebus bonum per munera ipsius entis, scilicet per essentiam & esse tribuitur: materia verò neque proprium habet esse, cum non sit forma, vel propriam habet formam, est ergo per esse substantialis formæ, sicut accidentalis forma est per esse substantiæ, neque rursus habet essentiam. Cum enim prima essentia sit aliquid in se formale, præsertim si ad alias essentias comparetur iure materia quæ nihil est formale, non etiam est essentia, verumtamen est aliquid essentiæ quodammodo simile: quamuis ipsius esse simile nihil habeat. Proinde in quo est defectus aliquis qualiscunque sit, id non est ipsum bonum, vbi defectus à proprio quodam bono cadens, ibi iam malum aliquod, vbi defectus omnis, ibi malum ipsum, id autem est materia. Defectus autem à proprio bono degenerans, in quo est potentia & procliuitas in malum aliquando cadens, deterior defectus est quàm simplex alicuius boni defectus. In hoc enim consistit minus bonum, in illo verò malum: nam procliuitas illa præsertim iam inclinans vergit ad ipsum malum, quod quidem ante procliuitatem iam est malum, & ipsa procliuitas in animo pronior quandoque facta, iam est mala, antequam præcipitandi habitus confirmetur. Iam verò primum animæ malum non est vitiosus hic habitus, aut ille, sed ipsa procliuitas propensior ad materiam: ipsaque materia circa quam versatur: vel eam quibusdam sui partibus attingendo scilicet natura, viribusque naturæ ministris, vel eam aspiciendo scilicet quodam tum consilio rationalis materiam eligente, tum imaginationis superioris imperio, vel in materiam conuendo, scilicet imaginationis inferioris affectu, vel denique patiendo scilicet infimo sensu. Profectò cum omnia secundum aliquid talia, iudicentur talia, quatenus ad ipsum tale simpliciter referuntur, meritò Plotinus omnia per relationem aliquam ad materiam, quæ ipsum malum est mala perpendit, tum in anima, quod iam dictum est, tum in corpore, atque fortunis, quod deinceps ostendit, vbi secundam quæstionem mouet & soluit. Concludit ex his, animam non esse mali principium: quia videlicet non sit ipsa natura mala, cum intellectualis natura sit, atque ipse intellectus sit ipsi bono quàm proximus: quippe cum ad ipsum bonum & intellectus proximè, & per intellectum anima conuertatur. Hic innuit, animas non tàm certo proposito quasi rebelles à Deo deficere, quàm ex quadam potius consequentia contingenti: quatenus scilicet ad materiam, & materiale quiddam afficiuntur, ex quo latenter animus auertatur à Deo, dum libenter conuertitur ad oppositum. Nempe si in hoc nostro malignitatis loco animus iam discedit à maiori bono in malum præcipuo quodam proposito, sed sub specie boni, multo minus extra id corpus viuens manifestum malum bono manifesto præponit. Initium itaque mali animæ vult esse per acciens, quatenus ad aliquid minus bonum, id est, ad ipsum generationis ministerium propensius inclinatur: sed clam interea malum subrepit, quod & aliquando nolentem detinet animam: tum quia ineuitabili mox impetu fati pulsatur, & diutius interdum carcere clauditur, tum quia nescit ab initio quid, quantumue damni sequatur ex affectu & habitu circa corpus. Solos autem Plotinus eos existimat animos mala quodammodo vitaturos, qui antequam corporeus habitus confirmetur, discrimine cognito in mentem se omnino receperint. Quoniam verò non omnes praui sunt, & praui quidam emendari aliquando possunt: patet prauitatem tùm non inesse natura, tum non esse ipsum malum existimandam. Concludit denique, animum deuitare, vel repellere, superareque prauitatem ex materia pullulantem, vel ad materiam prorùentem, ea tantum natura, quæ inest animo à materia segregata, ideoque diuina, & quamuis diuina sit, quia tamen ex proxima naturalibus, sensim admittit malum. Non autem sicut corporea forma, quæ ideo cadit à proprio bono, quia tùm materiæ inheret, tum contrariæ formæ miscetur, ideoque malum eius sequitur & interitus. Sed ideo animus à proprio quodam bono degenerare, malumque videtur admittere, quia nimium init cum natura inferiori commercium. Ex huiusmodi contubernio sollicitudo potius & impedimentum melioris officij sequitur, quàm pernicies.

Quomodo

Quomodo aliquid bono sit contrarium, id est, materia: quomodo formæ à materia separatæ sint contrariæ.

CAPVT VI.

SExtum caput exponit quid sibi Plato velit, vbi ait in libro de scientia, mala omnino deleri non posse. Esse namque necessario aliquid sub contrarium bono. Ipsaque mala in mortali natura versari. Inter hæc intellige, non esse quicquam propriè ipsi bono contrarium: quasi in eodem genere contra bonum in opposito diuidatur. Principium namque rerum cum nullo potest in eodem genere conuenire, & à nullo per differentias sibi additas discrepare. Sed dicitur aliquid subcontrarium bono, id est, sub boni imperio collocari aliquid ab eo maxime distans, ac penitus dissimillimum, id est, infimam mundi materiam. Præterea docet, in cæteris quidem contrariis non esse necessarium, vt si vnum extat, mox extet & alterum, at verò si ipsum bonum est, necessario eius subcontrarium prouenire, id est si primum est vniuersi principium, necessario datur gradus quidam infimus vniuersi. Inter hæc contrarietatem accipit aliter, quàm plerique eam definientes repugnantiam quandam duarum in eodem genere qualitatum. Vnde sequeretur substantias sibi inuicem non esse contrarias, & quæ contraria sunt in eodem genere collocari. Hic enim contrarietatem esse vult distantiam rerum vndique maximam opposita facientem, ferentemque oppositа. Sic itaque materia erit subcontraria deo. Hæc enim non est essentia, ille verò essendi principium. Hæc malorum origo, ille bonorum. Hæc rursus informitas, deformitatisque causa, ille principium est formarum. Multoque magis hæc duo inter se contraria sunt, quàm calor, atque frigus, & similia. Hæc enim in nullo conueniunt. Cætera verò in genere & materia congruunt. Subdit, ignem & aquam si speciem fortè suam seruarent illis subducta materia, inter se adhuc contraria fore, scilicet essentiam aquæ ignis essentiæ, tunc enim in his calor, & frigus non modo proprietates quædam essentiæ forent, sive actus essentiæ, maximeque inter se distantes contrariorumque causæ vniuerso. Item nulla tunc alterius portio propria foret in altero, cum communis sit illis materia defutura. Rursus duo hæc se totis inter se discrepabunt, & ipsa, (vt ita loquar) alteritate distabunt.

Quomodo si bonum est, necessarium sit esse malum, & quomodo vniuersum ex materia constat & forma ex mente atque necessitate.

CAPVT VII.

POst hæc in septimo capite monstrat, cur necessarium sit, si bonum est, fore malum. Profectò mundanum opus ab ipso Deo factum, nunquam præsenti effectu, actuque factum esset, nisi fieri potuisset. Duo igitur cogitantur tum potentia, tum actus essendi. Quæ quidem inter se contraria, id est, opposita sunt: nam & qua ratione actu iam existit, nequit vlterius effici, & qua ratione fieri poterat, nondum erat in actu. Item potentia quidem eiusmodi terminus est à quo: actus autem terminus est in quem effectio mundi progreditur. Actus quidem existit iam in potentia mundi, potentia verò non in actu quidem, sed potius est sub actu: atque ita hæc hunc ordine quodam antecedit, rationisque discursu, sicut in qualibet rerum apud nos genitura, potentia hæc autem illa nascendi actum proprium & præcedit tempore, & in actum procedit in tempore. Si quæras de prima nascituri mox mundi potentia quidnam fuerit, respondebo, neque prorsus aliquid extitisse: iam enim fuisset in actu: neque rursus omnino nihil, non enim aliquid fundatur in nihilo. Dicam ergo, fuisse nonnihil ipsam inquam, existendi potentiam atque materiam, non, inquam, in Deo fundatam: Deo enim nihil accidir, non fundatam rursus in nihilo, sed ipsum potius fundamentum: non quidem in ipsa diuini architecti intentione primum, sed potius vltimum. Primum namque, id est, præcipuum in ipsa Dei sententia est forma mundi, posterius verò materia sub mundi forma se occultans. Vicissim verò in operis expeditione primum est materia, subsequens verò forma. Constat igitur vniuersum, ve Plato inquit ex mente, id est, actu formali, qui sanè est diuinæ mentis voto præcipuum, mentisque imago, item ex necessitate, id est, materia, quæ non tàm intentione propria, quam necessaria quadam conditione ad hoc opus accipitur. Si igitur est ipsum bonum efficacissimum omnium, necessario Plotinus vult, opus inde sequi mundanum. Si mundus est, necessario est materia, quæ malum est. Si ergo bonum est, sequitur necessario malum. Præterea bonum ipsum cum inextimabilem habeat efficaciam, vim suam, effectumque longissimè, latissimeque diffundit. Si longissimè porrigit, certè graduum deinceps innumerabilium series efficit, vt gradus vltimus velut maximè distans sit primo, id est, bono contrarius, id est, omnino diuersus, atque dissimillimus. Erit itaque malum: malum, inquam, simpliciter, atque cōmune. Item si latissimè vim diffundit, plurimi per latitudinem rerum gradus efficiunt, vt aliquis sit ab aliquo diuersissimus, sæpeque tenera contrarius, atque malum non quidem simpliciter malum, sed potius inuicem. Si ergo bonum est, consequenter rum in longum denique surrepit ipsum malum, tum in latus quædam inter se mala contingunt. Inextimabilem ipsius boni fœcunditatem necessariò bonum sequitur iterum fœcundissimum. Et huius deinceps fœcunditatem fœcundum aliud rursus & aliud. Cum verò semper effectus in bonitate causæ cedat, continuè magis suboritur comminutio boni, hanc verò subsequitur denique malum. Effectus itaque boni & bonus est, quoniam est ex bono, & minus bonus, quoniam extra, & infra bonum, & denique malum patitur post boni longissimum detrimentum. Quoniam verò materia est ipsum malum, atque ex hac totus mundus compositus est, ideo in qualibet mundi particula latet malum, quamuis in sphæris mundi sublimioribus soliti effectus mali non accidant, quippe cum ibi defectus materiæ, perfectione formę nimium superetur, nonnihil tamen mali simile præ se ferre videtur continua quædam priuatio, quam secum affert perpetuus mundi motus in preteritum, ac futurum. Materia quoque cœli ob potentiam eius ad formas omnes indifferentem, substantiales formas aliquando commutaret, nisi mira quædam præsentis formæ virtute, tanquam fræno quodam cohiberetur: cui quidem fræno iam mansuefacta cedit, fortè non tàm quia simpliciter materia est, quàm quia talis formę materia. Hanc ob causam Plato in Timęo sphæras mundi, stellasque inquit

dissolui posse scilicet ex natura materiæ, nisi virtute diuina, id est, mira bonitate formæ connecterentur. Formæ itaque separatæ dissolui non possunt: nam etsi hæ quoque beneficio ipsius boni munere conseruantur, tamen hoc ipsum boni munus forma est, qua quidem dum seruatur forma quælibet à materia segregata, videtur interim se ipsa seruari, cum ipsa re ueta sit forma. Siquis autem ambigat cur corpus humanum forma sua, id est, anima quæ diuina est, non seruetur indissolutum, audiat Mosen docentem, contineri quoque id corpus indissolubile posse, si modo & anima suam seruet diuinitatem, quod & Persarum Magi secuti, promittunt perpetuam corporis sanitatem animo pristinam sanitatem suam recipienti.

Quomodo materia sit causa mali, primò quidem formis suis, deinde animo: item quod omnia bona ad vnum bonum: omnia mala ad vnum malum denique referantur.

CAPVT VIII.

Dubitat autem in octauo libri capite, vtrum materia sit causa in animo, tum inscitiæ, tum prauitatis, an potius forma quędam, complexioque formarum? Respondet mox: Si forma corporea qualiscunque dicatur, sit mali in animo causa, propterea causam esse mali, quoniam forma hæc materiæ addicta est: ac prorsus materialis affecta, nec vera sit forma, sed imago quędam formæ, passioque materię. Cum regionem sub cœlo mobilem instabilitet quasi per se vacillantem necesse sit regi, ducique à regione cœlesti, mobili quidem, sed stabiliter mobili, id est, perpetuo eodemque semper tenore volubili. Rursus cœlestem regionem motui subiectam, quasi nondum perfectam à superiori prorsus immobili gubernari, meritò inferiores in hac nostra materia formas, ad formas quæ sunt in cœlo reducimus, & cœlestes iterum formas, ad illas quæ sunt in ipso cœli fabro, duceque referimus: neque aliud ibi sunt hæ formæ quam ipsa fabri, ducisque intelligentia: ideoque in se ipsis existere iudicantur. Formæ quidem sub cœlo à cœlestibus longe degenerant, illinc enim puræ sunt, & integræ, efficaces, passionis expertes, neque pugnaces: hic autem commixtione aliqua inquinatæ mancæ, inefficaces, innumeris subditæ passionibus, & siquid agunt ad perniciem inter se pugnantes. Veruntamen hæ cum cœlestibus tum in ipso corporeo genere, tum in materia, motuque congruunt. Hæ igitur à formis penitus incorporeis & procul à materia, omnique motu in se consistentibus multò magis degenerant, quam à cœlestibus, vsq; adeo, vt si sublimes illæ sunt formę, hæ iam deformes quæ damnotæ sint, vel exigua valde incertaque formarum vestigia in materia prorsus informi: materia, inquam, iam ita superanti formas, sicut & in cœlo formæ superant coniunctam sibi materiam, & super cœlum formæ materiam omnem à se procul eliminant. Age rursus lucem in se ipsa considera, & in ea vites omnes, gradusque colorum, qui tamen in ipsa luce nihil aliud sit quàm ipsa. Animaduerte subinde colores in herbas traductos, cognosces subitò, quam longè colores qui his materiis insunt, ab illis decidant, qui in luce imò in se ipsis existunt. Mitto, quod hi colores obumbrati iam sunt, & contraria tum luci, tum sibi inuicem natura polluti. Nonne vides eos inefficaces sic euasisse, vt abeunte luce nihil agat, forteque sint nihil: adeo, vt dum præsente luce videantur existere, hoc ipsum esse ipsius forte sit lucis: certè hoc ipsum agere, oculosque mouere, sit lucis in eis agentis. Talem verò formarum nostrarum ad diuinas comparationem esse memento Materia enim formas omnes in ipsa iacés multo magis inficit informitate sua, quàm subiectum frigidum, calorem debilem accendentem Maior namque diuersitas est inter formam, atque informe omnino subiectum, quam inter formam quamlibet, & subiectum quomodolibet iam formatum. Si ergo non est calor verus qui mixtus est frigido, certè non est vera forma, quæ immersa est subiecto prorsus informi, siue vt (verius loquar) informitati. Accipe colores quatuor, album, croceum, viridem, & rubentem: misce cuilibet horum quemlibet, non tantùm quemuis inficies mutua mixtione, quantum si quemlibet horum nigro miscueris, nigredo verò ad reliquos comparata colores, materiam tibi referat ad formas similiter comparatam. memento, præterea, formas in materia, quia factæ materiales sunt, egenas euadere, ac periculis subiacere, ideoque inuicem ad pernitiem concertare, vt alieno videlicet detrimento vtcunque alantur, & tutiores sint extincto contrario: separatas verò à materia formas quamuis, admodum interse diuersas, tamen inter se nullo modo pugnare: generant tamen in vniuerso contraria, idea quidem ignis, ignem: idea rursus aquæ generat aquam. Quod enim inter differentes ideas est confusa vniuscuiusque proprietas, hic repugnantia fit hostilis. Conclude tandem formas in materia penitus obumbratas fieri vsque adeo languidas, vt materiæ beneficio ægrotantes veneficæ quodammodo sint, & animo animum propinquanti. Qua verò ratione pro humorum diuersitate diuersa hominum sint ingenia, diuersique mores, & vtrum, & quomodo superari hæc incommoda temperari ve possint in Theologia sæpius disputamus: vbi etiam non veras esse in materia formas frequenter asserimus. Vt autem quæ Plotinus de bono, maloque, & bonimalique gradibus, & in superioribus & hic adducit, summatim teneas, ita considera. Diuersa bona in quocunque rerum genere sint, communi vocamus appellatione boni: neque id quidem casu, sed certa quadam conditione ad hoc adducti. Vnam itaque in cunctis communem sortem vaticinamur, non vnam speciem, aut genere: nam in omnibus generibus quamuis diuersis, bonum conspicimus atque nominamus: Vna igitur est hæc appellatio ob quandam ad idem ordinis vnionem scilicet, quoniam ab eodem principio sunt, eiusque aliquid habent, & ad idem velut finem feruntur & conferunt. Similiter per omnia genera malum aliquod reperimus: cunctaque mala eodem mali nomine non casu, sed certa ratione notamus. Neque id verius fieri potest, quàm si ad vnum summopere malum omnia referamus, scilicet quia vel inde contingant, vel illius aliquid habeant siue similitudinis, siue inclinationis, siue naturæ: vel quia illuc ferantur & ferant. Ipsum quid bonum est summus est vniuersi gradus, ipsum ergo malum gradus sit vltimus omnium. Neque verò decer mala diiudicare solùm per discessum ab ipso bono, atque distantiam: imò multò rectius per accessum ad ipsum malum. Non enim quicquid, statim à primo distat, mox iudicamus malum, sed longo post interuallo mala depre-

tendimus, quæ per accessum ad vltimum deformia iam perniciosaque sunt. Valde enim probabile est quæ propinquiora sunt ipsi bono, quàm ipsi malo, bona censeri: quæ vicissim propinquiora malo, mala putari. Sin autē absque fine aliquo descendatur, nusquam erit infimum, & ab ipso bono maximè distans. Quo posito, liceat aliquid huic propinquius existimare quàm bono, aliudque alio propinquius huic vlla ratione perpendere. Referre autem malorum iudicium solùm ad quandam à bono distantiam, perinde se haberet, ac si quis ad ipsam à malo distantiam bonorum omne iudicium referat.

Quomodo quod est informe cognosci possit ab anima, quæ est forma, & per formas solet cognoscere.

CAPVT IX.

QVærit in capite I X. quomodo quod informe est cognoscatur, cum & virtus cognoscendi sit forma, & ipsa per formam actura sit, & obiectum per formam virtuti sit occursurum. Respondet per lumen cognosci tenebras, id est, fingendo quidem totum lumen abesse extremas tenebras cogitari: fingendo verò deesse hic luminis partem, quam alibi videamus, agnosci aliquid tenebrosum. Similiter omnem formam auferendo, animum vaticinari materiam: sed formas auferendo nonnullas, aliquid cogitari deforme. Sed mirum hic aliquid accidit. Sicut enim neque sine luce videmus quicquam, neque in luce tenebras: ita neque sine forma quicquam intelligimus, neque per formam, vel informa materiam. Animus denique sicut ipsum bonum supra lumen intellectuale cognoscit, sic materiam infra lumen eiusmodi fingit. Cognitio autem vtraque vaticinium potius quàm ratio nuncupanda videtur.

Quod materia sit mala, non quia qualis sit, sed quia non qualis: sic Deus est sine qualitate bonum. item materiam esse prorsus informem, & quid sit forma.

CAPVT X.

POst hæc autem in reliquis libri capitulis quæstiones mouet, & soluit. Quæstio prima in capitulo. x. Vtrum materia si non sit qualis, possit esse mala. Solet enim ad qualitatis genus virtus, & vitium, bonitas & malignitas pertinere. Respondet. Quæ mixta sunt ex subiecto quodam, atque forma, ita solere vel bona, vel mala censeri. At verò quæ simplicissima sunt, non ita, sed aliter iudicari. Sic ipsum rerum principium quando, vel dicitur bonitas, non est qualitas: vel quando dicitur bonum, non est quale. Ipsum enim est ipsa bonitas, non qualitate solum, sed substantia, essentiaque superior, sic rerum vltimum, id est, materia, vbi malignitas appellatur, non est qualitas, alioquin, & in subiecto alio foret, neque sic foret vltimum, & per naturam formalem non nihil boni formalis haberet. Item vbi denominatur mala, non ita cognominatur, quia ipsa sit aliquid ex subiecto & qualitate compositum, alioquin neque esset vltimum, posset enim in simpliciora resolui atque subiectum: & ipsa eius qualitas neque cum quibusdam aliis potissimum congrueret qualitatibus, alioquin materia non foret ad quaslibet capiendas æquè parata: neque etiam esset qualitas pariter ad omnes qualitates indifferens: nam sic quidem & ipsa iam ad naturam formamque materiæ traheretur, & siquid fortè formale iudicaretur, saltem id insuper sequeretur, vt quod omnium subiectum dicitur, sit adhuc ex forma & subiecto compositum. Oportet tamen ne in infinitum sit processus, ad subiectum simplex & informe penitus deuenire. Materia igitur non quia qualitatem habeat, sed quia non habeat malum existimatur. Si ergo qualitas quandoque bona dicitur, non quia sit qualis, sed quia qualitas: sic materia mala, non quia qualis, sed quia materia, nullam in se possidens qualitatem. Qualitas enim, & forma in subiecto nihil aliud est, quàm mensura, determinatioque subiecti, & expressio quædam ab ipso bono per formam primam, id est, per mentem quasi per sigillum suum impressa, referens ipsum bonum. Materiam verò fingere possumus non nihil ab ipso bono etiam pendens, per quemdam processionis potius, quàm conuersionis modum, nec dum ab ipso bono respectum, nec sigillo quasi peculiate aliquid obsignatum. Sic ab ipsa communi cœlestis naturæ virtute regitur quicquid sequitur, vsque ad centrum terræ inde dependens. Sed communis ipsa cœli natura per lumen velut sigillum sibi simile, propriumque nihil vltra terræ superficiem exprimit, nihil sibi simile format. Quod ergo subsequitur est informi materię simile, quod autem superius extat, est simile formis, atque formoso. Et ipsum quidem lumen intellectum tibi diuinum referat: ipsa verò simplex, priorque cœli natura referat ipsum bonum.

Vtrum malum sit priuatio summa: & vtrum esse per se, & ia se possit. Respondetur distinguendo.

CAPVT XI.

QVæstio secunda in x I. capite ita quærit. Cum priuatio ob defectum in se esse non possit, sequitur, vt extrema priuatio ob extremum defectum minimè omnium per se, & in se possit existere. Quonam igitur modo, aut ipsum malum summa priuatio est, aut si est eiusmodi, quonam pacto per se, vel in se consistit? Respondemus ad hæc, priuationem summam, id est, formarum omnium putam vacuitatem, neque in alio esse posse, alioquin non foret illic extrema vacuitas: neque reuera in se, quia videlicet à nullo dependeat, sed quoniam à nullo tanquam subiecto quodam sustineatur. Itaque nemo dicat vel animam, vel in anima esse primum ipsumque malum: alioquin non foret in anima intellectus, non vita, non essentia, nec anima ipsa foret amplius anima.

Vtrum ipsum malum non sit purum malum, sitque in anima. Respondetur esse purum, neque in anima.

CAPVT XII.

QVæstio tertia in capite XII. tentat, vtrum liceat ipsum, primumque malum iudicare non purum vndique malum, atque ita in anima collocare. Respondeo: primum, summûque malum apud Plotinum intelligi extremam formarum vacuitatem, quę quantum ad formas pertinet, sit & pura vacuitas, primaque materia, quæ quidē siquid formale haberet intrinsecus, nō esset

materia vera, sicut neque vera forma est, quæ materiale aliquid in se admittit. Rursus: si non est vera materia, si qua intrinsecus formalis euaserit: ita neque vera forma, quæcunque materialis euadit: præsertim quia si materia dum fingitur in melius, id est, formalem traduci sortem, desinit esse vera, multò magis forma vera cessat existere forma, dum in deterius, id est, in materiam transfertur. Vt igitur à non vero peruenie mus ad verum, oportet tum ad formas supra materiam puras ascendere, tum ad puram infra formas materiam deuenire. Quamobrem materia semper est pura vacuitas: nam & dum formas omnes videtur habere, nullas habet: tum quia non veræ sunt eiusmodi formæ, tum quia neque vllam sibi propriam contrahit, neque seruat inde vestigium, & forsan speculi more quæ non habet, ostentat habere.

Vtrum ipsum malum sit impedimentum in anima. Respondetur, extra animam esse primum malum, & primum bonum, & animam per quatuor gradus descendere in malum, scilicet materiam.

CAPVT XIII.

QVæstio quarta in capite XIII. Vtrum primum malum sit ita ponendum in anima, vt malum hoc non sit tam priuatio sit, quàm impedimentum ad bonum proprium consequendum. Negat impedimentum eiusmodi, scilicet, vitium esse primum malum: tum quia propterea dicitur malum quod impediendo bonum deducit ad malum, non est igitur primum malum. Item sicut virtus non est summum bonum, ita neque prauitas summum malum. Vir utem verò non esse in bonitate primû, summumque patet, tum quia & in labore versatur, & appetitum naturæ non implet: tum quia à potentia quadam ociosa prouenit in effectum, cursuque temporis à minori pergit in maius: tum quia compositionem in se aliquam admittere potest. Hæc autem in ipsum simpliciter bonum cadere nequeunt. Sicut ergo ipsum bonum est virtute præstantius, sic ipsum malum est inferius vitio, longeque deterius. Profectò animæ, malum est ad materiam se deflectere, quam plato in Theætheto nominat dissimilitudinis regionem, scilicet diuinitati vndique dissimillimam, Delabitur autem in letheum hoc profundum per gradus quatuor, quasi flumina quatuor. Primo quidem gradu hanc corporis fabricam imaginatur attentius: secundo, affectat ardentius: tertio iam coniuncta fabricat: quarto coitus eiusmodi voluptatem ducit in habitum. Hactenus per flumina quatuor ad inferos animus præcipitari videtur. Ita præcipitatus rursus ibidem per quatuor quoque reuolui: quando videlicet iudicium imaginatione penitus obcæcatur. Item affectus ex humano fit ferinus. Hinc coitus eiusmodi, cum corpore corpoream reddit animam. Denique habitus animum corporis commercio detinens fit penitus indelebilis, nisi forte diuinitus deleatur. In quo quidem gradu animus à Platone dicitur postquam delapsus ad inferos fuerit, dormitare.

Quomodo malum in anima sit debilitas, & qualis debilitas, & quomodo à materia: quomodo anima corpori coniuncta sit: quomodo separata: quomodo materia dependet ab anima, & quomodo etiam desuper.

CAPVT XIV.

QVinta quæstio in capite quarto decimo inuestigat vtrum malum quod sit in anima, id est, vitium, sit imbecillitas. Idque concedit dicens, similem quodammodo in animo, atque in corpore debilitatem fieri, sed non eandem. Horum enim vtrunque tunc debile dicitur, quando & facilè patitur aliunde, & sua difficilè peragit: Sed debilitas in corpore quidem sit duplex: aut cum mittit suum, aut cum alieno grauatur. In anima verò solum ex alieno quasi pondere debilitas accidit. Accipere autem dicitur alienum, quatenus materiam sibi quasi extrinsecus vbique præsentem aliquando intromittit, præsentem dico, quoniam vbicunque anima est, ibidem est materia, extrinsecus, inquam: quoniam & materia quasi extra pendet ab anima, & anima nullo modo residet in materia, sed in seipsa, dum pendet inde materia. Hæc ipsa materia, tum quia inde extat, tum quia prorsus egena, tum quia inde sicut ferrum à magnete quodammodo trahitur, affectare videtur in animam penetrare, ibi videlicet formis perficienda: perinde ac si nubes aliqua proprio quodam flatu, siue tracta lumine se lumini subigat, atque inde ruborem accipiat, velut formam, tunc sanè lumen non tàm in nube, quàm in se videtur existere, sed rubor in nube, neque diuiditur ibi lumen, vt pars quidem vna in se sit, alia sit sine nube, sed lumen in se totum prorsus existit. Vis autem, actusque eius in nube fit rubor: qui quoniam pro inferioris nubis natura suscipitur, debilior admodum est quàm lumen, ipsumque donum luminis quantum ad nostrum spectat intuitum, obfuscare videtur. Nubes eiusmodi materia sit, lumen verò sit anima: rubor autem sit vita quædam, vel forma iam infusa materiæ. Quæ quidem vita quia non pro ipsa animæ amplitudine, sed pro angusta potius materiæ capacitate suscipitur, exigua quædam euadit, debilisque vita, ac tum inefficax ad agendum, tum obnoxia passionibus: quamuis interea intellectus in anima fulgeat desuper, sicut & lumen splendet desuper, dum & rubor eius in nube ab ipso splendore degenerat, & nubes spectaculum ipsum nobis veri luminis aufert. Memento, Plotinum & hic & alibi nobis innuere materiam à natura, id est, ab infima virtute animę generari, ab anima, inquam, siue patiente, quemadmodum alicubi legitur, siue præsente, quod tectius legi puto. Anima enim nihil nondum nata materia parturit: nisi forte pati quis intelligat animam, quodammodo etiam ea parte afficitur ad aliquid generandum. Cum igitur naturalia diuinis subiiciantur, probabile est ab vltimo diuinorum, id est, natura naturalium genitrice, generationis ipsius subiectum, id est, materiam dependere. Et sicut propriæ naturę quælibet subiecta propria operum, id est, certo modo disposita faciunt, sic & naturam communem commune subiectum: vt architectus idem qui construit ædificium, etiam iaciat fundamentum. Quòd si materiam superius etiam quam à natura prouenire conuiceris, concedemus: sed hac duntaxat conditione, vt subiectum hoc formis omnibus cōmunissi-

mùm, dependeat quidem proximè à natura, quantum hæc ipsa natura nondum formata cogitatur, sed rationibus formanda subiicitur: deinceps ab ipsa mentis essentia veniat, quantum essentia illa formabilis est ideis, denique à summo rerum principio deducatur, non propriè qua ratione illud bonum ipsum est, id est, sese abundè communicans, sed potius qua illud est ipsum vnum, id est, ab omnibus mirabiliter segregatum. Sic ergo materia egena penitus & informis euadit, ab omnibus omnino muneribus segregata. Sic rursus materia vnum aliquid potius quàm bonum denominatur, & vnitatem quidem habet intrinsecam, bonitatem verò extrinsecus apparentem. Omnino verò cum effectus omnes principij summi tum ab ipso sint, tum extra, infraque ipsum existere compellantur, certè quantum ab ipso sunt, formas inde actusque reportant. Quantum verò extra ipsum, inferioresque sunt, materialem (vt ita dicam) in se sortem quandam patiuntur admixtam, boni minoris conditionem: ac denique in materiam extremum omnium infimumque subiectum definunt, originemque malorum. Iam verò anima cum materiam generat, nondum mala est, sed bona, nec dum debilis, sed fœcunda, ideoque generare potest. Verùm cum factam iam materiam nimis amplectitur, hinc quasi onere debilior euadit, atque deterior: vt autem materiam amplectatur, tum egestas, appetitioque materiæ, tum animæ fœcunditas efficit. Igitur hæc ipsa complexio quantum ex animæ fœcunditate contingit, bona est quodammodo, bonaque producit, vitam scilicet, aliquam, atque formas: quantum verò ex quadam materiæ procacitate conflatur, mala est, paritque mala, id est, vitæ debilitatem, cognitionis impedimenta, innumeras animi passiones.

Probatur materiam esse scilicet prorsus informem: item esse in mundo malum, esse bonum. Quomodo malum fiat in anima. Quomodo materia intus mala, sed extra est adoperta bono.

CAPVT XV.

QVæstio sexta in cap. xv. dubitat, vtrum in hoc summi boni regno tàm bono, tanque formoso esse queat materia prorsus informis, ac malum omnino deforme. Oportere verò materiam esse, nos in superioribus, & in Theologia probamus, & alibi eum Plotino iterum comprobabimus: atque sic in præsentia breuiter confirmamus. Operum singulorum formæ siue arte, siue natura, fiant, in materias vbique proprias resoluuntur: quæ quidem materiæ quantum ad formas postea comparandas pertinet, sunt informes: quamuis formam habere aliam possint. Vniuersi igitur mundani operis forma, quæ forma est vniuersa, in materiam redigitur prorsus informem, ac si fingatur materiam hanc neque fieri vniuersum, aliquam adhuc præter mundanam habere formam. Forma saltem eiusmodi in materiam per se omni forma carentem denique deducetur: nisi quis fortè sub forma hac aliam, rursusque aliam absque fine subesse confingat: quod quidem fieri nequit: tum quia cum forma qualibet subsequens loco materiæ, alia sit forma deterior, certè processio hæc paulatim deficiens in deterius, in infinitum perdurare non potest: tum quia si nusquam prima forma, nec vsquam materia prima daretur, nusquam operi daretur exordium: imò materiatum, formarumque turba innumerabilis operis construendi principio, fini, ordini, vnioni prorsus aduersaretur, tum quia materia cum ob defectum proprium seipsam formare non possit, ideoque formetur ab alio, terminum vtrinque formarum, tum primum, tum vltimum à superiori quodam formatore sortitur: tum denique cum ad principium vniuersi primum, finemque vltimum veniatur, meritò non licet per materias, atque formas, quæ ab efficiente principio ad finem certum perduci solent, absque exordio terminoque procedere. Itaque vniuerso formatum ordini subest materia per se prorsus informis: subest itaque malum bonis, quod quidem necessario sequitur boni defectum. Boni verò defectus minorem boni gradum necessitate consequitur. Bonum denique minus, boni ipsius effectum proculdubio comitatur. Sicut igitur ex ipso bono malum tandem necessario sequitur necessitate naturæ, sic vicissim si malum tollas, necessario scilicet necessitate cõsequentiæ, tolles & bonum. Si nihil vsquam tanquam bonum, aut malum nobis occurrat, sed omnia indifferentia sint, vt quidam somniant, vnquam, vel prosequendo, vel fugiendo mouebitur appetitus. Cessabit & sensus qui huius ministerij gratia est à natura tributus: cessabit & intellectus. Sicut enim bono sensibili seruit sensus, sic intellectus intelligibili seruit bono. Ex quo etiam patet, ipsum simpliciter bonum esse intellectu præstantius: quandoquidem bonum quoque intelligibile quodammodo est intellectu superius. Cum igitur in ipso rerum ordine videamus plurima, partim bona, partim mala, quæ hinc quidem probes, inde non probes: item alia meliora, alia rursum deteriora: necessarium est, composita hæc ad simplex, primumque bonum, ad simplex, primumque malum ritè resoluere. Post hæc autem confirmat iterum animæ malum aliunde contingere, atque id videlicet ex materia. Quippe cum corporis gratia solum animus patiatur, corpori metuit, corpori concupiscit, corporis causa dolet, impulsu corporis imaginatione turbatur, dum turbatur imaginando, falsas concipit opiniones. Denique malum animæ sic accidit extrinsecus, sicut extrinsecus accidit materiæ bonum: Rursus animæ bonum intrinsecus oritur ex intellectualis formæ imaginisque vacuitate proueniens.

IN LIBRVM ENNEADIS PRIMAE NONVM

COMMENTARIVS.



VTRVM quandoque liceat animam vi à corpore soluere nec ne, quidam inter se Platonici litigant, & vtrinque pro causa sua patronos adducunt Platonem atque Plotinum, præcipue verò duo, Olympiodorus atque Macrobius dissidere videntur. Macrobij quidem parti fauent argumentationes quædam Socratis in Phædone: pluresque Plotini. Argumentatio Socratis autoritate potissimum Orphica nititur. Orpheus sub vniuersali prouidentia Iouis, id est, animæ mundanæ Dionysii collocat prouidentiam, id est, naturam: cui Titanes, id est, Dæmones subministrent: qui persuasi à Iunone, id est, processionis generationisque cura laniare Dionysium finguntur: quia commune illius in cunctis æquè gignendis & monendis officium differentes, inter se partiuntur in sortes, rerumque species ad singula generando deducunt. Fingit præterea Orpheus Titanas quia laniatum Dionysium deuorauerint, fulminatos, id est, à Ioue ad alta conuersos, atque homines ex illorum incendio genitos, id est, eorum diuino ministerio procreatos. Et quia homines geniti sint ex Titanibus, qui Dionysii corpore nutriti fuerant: ideo eos nominat Dionysiacos, quasi quędam Dionysii membra sint ex Titanibus germinantibus inde tepullulantia: ideo vt & corpus humanum sit pars Dionysiaci, id est, mundani corporis, & humana natura vitaque sit portio quędam naturæ, vitæque illius. Et si quid in nobis propriæ formæ inest, muneris que proprij, quod & prorsus existit, debeat obtemperare communi. Quamobrem Dionysii, id est vniuersalis naturæ prouidentia custoditi, debemus in hac custodia permanere: neque antequam Deus iubeat hinc abire: item seruare, quod accepimus inde, quatenus accepimus conseruandum: neque dissoluere, quod Deus ipse ligauit: neque vim ipsi Dei membris inferre. Hanc Orphicam sententiam Socrates in Phædone primo quidem adducit, deinde Phylolai Pythagorici autoritate confirmat, ait enim Phylolaus: Ne diuidas in via lignum, id est, ne diuidas corpus ab anima in ipso vitæ spatio viam adhuc ad finem habenre. Rursum cum in sacrum perueneris, ne specłes à tergo: id est, vitam summam contemplationis iam adeptam ne iterum ad inferiora deflectas. In primo quidem præcepto iubet, vt quemadmodum natura corpus animæ alligauit, ita permittas naturæ soluendum corpus ab anima. In secundo verò præcipit: vt sicut voluntas nostra ligauit intentionem animæ corpori, ita intentionem hanc voluntas soluit à corpore, & soluat semel non permittat vlterius alligari: Hæc autem Pythagorica, Platonica mysteria Plotinus sequitur, primam clausulam texens carmine Zoroastris, atque ita confirmat: Anima tanquam diuina debet diuinorum more dignitatem quidem propriam retinere: atque interea nulla inuidia, vel perturbatione alia prohibere, quo minus quod ei subest, id est, corpus nonnihil ab ipsa muneris, id est, vitæ aliquid vtcunque potest, accipiar. Anima igitur in se ipsa permaneat, nec vlla vnquam perturbatione socium suum corpus à se disiungat, nam eadem perturbatione mox vel circa corpus idem, vel circa simile quiddam reuolueretur, quoniam & motus ipse trahit ad corpora, & perturbatus motus ad corpora inferiora præcipitat. At si anima secum pro viribus habitet, nec interea inuideat qualemcunque corpori vitam, expectetque donec ipsum corpus defectu duntaxat proprio vitam amplius acceptam conseruare non possit, ipsa profecto nullo in se distracta motu, nulloque inferius impetu rapta in se ipsa penitus extra corpus extabit, non amplius de corpore hoc in illud oberrans, sed de animali in intellectualem iam translata naturam. Interrogat post hæc Plotinus, quomodo corpus descissat ab anima? Respondet hunc in modum: Quando corpus certam quandam amittit proportionem, per quam sub anima vitam sibi conciliabat, tunc ab anima deficit: sicut lignum aliquod solidum, virideque cui ex speculo concauo ad solis radios flamma quędam per oleum adhibita fuerat: interdum oleo iam consumpto, mox amittit & flammam: lumen verò solis sicut anima remanet in se ipso. Vniuersalis profectò natura in seminalem hominis generandi materiam vniuersalis causæ more magis prius diutius agit, quàm particularis hæc humana natura. Natura enim hæc propria scilicet virtus humana agit in ipsa communis naturæ virtute. Ac natura vicissim vniuersalis ad humani corporis huius proprietatem à propria hominis natura dirigitur. In fœtu igitur huius hominis nascituri natura vniuersalis per propriam parentum directa naturam agitat materiam seminalem, atque format. Proportione quadam humorum, & qualitatum vitalique vi afficiens: per quam velut escam fœtus vitam quandam ab anima rationali iam præsente sibi conciliat, per quæ vim eandem retinet, & eandem. Retinere autem posse ad certum spatium fermè est ab initio datum: quatenus videlicet vis illa conciliatrix viget in corpore. Quæ quidem id circo ab vniuersali natura inserta est, vt ad hunc temporis cursum congruum vniuerso, vita illic hominis prorogetur. Si quis interea virtute hac per se vlterius regnatura, seruatùraque adhuc in corpore vitam, vinculum hoc violenter abrumpit, quantum in se est, consilium vniuersalis naturæ frustratur dum medium naturæ intercipit cursum, certo quodam ordine vlterius percursuræ. Peccat igitur in Dionysium Deum, id est, in ipsam vniuersam naturam, & in Iouem mundi animam communem, scilicet communis naturæ rectorem:

peccat & in Saturnum, id est, diuinam mentem, quæ animum nostrum iubet esse tranquillum, hic vero contra perturbatione aliqua concitus sæuit in corpus: vel saltem dum circa ministerium eiusmodi occupatur, à simplici & excelsa contemplatione distrahitur: peccat rursus in Cœlium Saturni patrem, id est, in ipsum bonum dum corpori sibi commendato corporeum inuidet bonum: peccat denique in se ipsum, tum quoniam animal hoc anima fabricauerat, ac subinde hanc suam fabricam diruit, nondū proprio vitio ruituram: tum quia longo nobis tempore opus est ad expurgandas ab animo vitiorum maculas à teneris annis inustas, vt purus decedat à corpore, purumque sic deinde vitæ statum adipiscatur. Nemo itaque debet spatium sibimet adimere: quo purgare animum, & probare magis, magisque possit, moralique virtute & disciplina proficere. Tradūt enim antiqui Theologi in arcanis de animæ reditu, animos in hac vita peccantes eorum esse persimiles, qui super solum æquale ceciderint: quibus denuo absque difficultate præsto datur surgendi facultas: animos autem qui ex hac vita delictorum sordibus grauati recesserint, his potius comparandos, qui in abruptum ex alto, præcipitique delapsi, facultate careant resurgendi. Monent itaque concessis vitæ spatijs vti, ne desit perfectæ purgationis occasio. His ergo Platonis, Plotinique rationibus Macrobius persuasus, sic vtriusque mentem interpretatur, vt nulla conditione cuiquam concessuri sint sibimet manus inferre: idem Porphyrius in lib. de Abstinentia sentire videtur: easdem Olympiodorus rationes intelligit atque comprobat, sed ex eorundem verbis & hic & alibi vult id aliquando posse permitti. Ad id vero conuincendum adducit in medium verba quædam Socratis in Phædone. Primū quidem quod inquit, Philosophus vim sibi fortè non inferet, vbi hoc ipsum fortè dixit, suspicionem reliquisse videtur, id quandoque licere. Deinde quod subiunxit hunc in modum: Philosophi non debent sibi mortem consciscere, nisi Deus ingentem necessitatem inuexerit qualem mihi in præsentia intulit. Quasi dicat, Philosophus in simili quadam constitutus necessitate iure se inde obitu potest eximere. Adducit rursus Platonis testimonium in Repub. vbi permittere videtur homini diuturno incurabilique morbo prorsus oppresso se hinc absoluere, propterea quod sit inutilis ciuitati. Oportere enim ciues ait, non sibi, sed ciuitati viuere. Item subiungit Platonis in Legibus testimonium dicentis, hominem insanabili scelere comprehensum, velut libidine in matrem, vel concupiscentia sacrilegij, vel impetū simili, quem videat cohibere non posse, decere se ipsum hinc è medio tollere. Similiter nonnulla Plotini verba Olympiodorus accepisse videtur. Primum quidem vbi ait Plotinus. Si quis insaniam persenserit imminentem, eliget tunc hoc ipsum non tanquam per se expetendum, sed hac conditione necessaria eligendum. Hoc ipsum Olympiodorus accepisse videtur, quasi dicat, animum hinc abigere potius, quàm cum insania viuere, qua quidem perseuerante, neque vitat homo, sed brutum, neque vlla proficiendi detur occasio. Confirmabit hæc insuper aliquis per id quod Plotinus ait in libro de Beatitudine hunc in modum. Si vir felix captiuus fortè ducatur, parata via est ad exitum, si non, datur ibi felicem viuere. Poterit ad hæc ira Macrobius respondere, principio quidem Platonem ea dictione fortè (vt solet) modestiæ gratia vsum, deinde quod ait nisi necessitatem Deus inuexerit, tunc dicer licere Philosopho non necare se ipsum, sed è pluribus cædis conditionibus in sua optione positis, quam malit eligere. Præterea Platonis verba in Republica & Legibus sic exponit: vt Plato nōn tam sui cuipiam cædem permittere velit, quàm & ad ingentem charitatem patriæ prouocare, & ab impio scelere acriter reuocare. Plotini quoque verba sic accipiet, vt in libro de Beatitudine soluat felicem hominem è compedibus, mentem potius à sensibus seuocando, quàm à corpore vitam. Denique quod hoc in libro ait tanquam necessarium eligendum, exponet aliquid scilicet insaniam perpeti, tanquam rem necessario perferendam, potius quàm vim inferre naturæ. Confirmabitur hæc sententia rursus Plotini verbis in fine disputationis contra Gnosticos: vbi prohibet, ante naturale tempus hinc exire. Afferet contra hæc rursum Olympiodorus extorqueri sic nimium Platonis, Plotinique verba: imo vero decere pro salute patriæ, pro honestate, pro veritate seruanda certam subire mortem, vel propria manu. Item inedia quādoque animam à corpore segregare potius, quàm permittere vt per insaniam diuturnam, morbumque penitus insanabilem inutiliter, imo cum detrimento sui, cæterorumque & procul ab omni rationis officio viuar. Sic enim quamuis aliquis inferioris naturæ ordinem non sequatur, superioris tamen ordinem secuturum, semper autem imperfectiori perfectius: & id quidem non impetū, sed consilio præferendum. Hæc illi vltro citroque afferunt, & adhuc sub iudice lis est.

IN LIBRVM DE COELO, COMMENTARIVS.

SVMMA TOTIVS LIBRI.



Isputatio Plotini de cœlo octo habet capita. In primo quidem & secundo dubitationes nonnullas mouet, & interim adducit quædam soluendis quæstionibus conferentia. In tertio dubitationes resumens, dubia paulatim incipit enodare, similiterque in cæteris, summatimque concludit ex omnibus cœlum esse igneum, & hunc quidem purum atque solum: cuius forma sensibilis sit. Primo quidem lumen, deinde vero calor innoxius & vitalis: sed geminam hanc formam vult ab insensibili proficisci eiusdem cœli forma: caloremqui. dem à vita, lumen ab intellectu esse huius substantiam sempiternam, motumque perpetuum. Immortalitatis huius causam esse vult vitam illam intellectualem, id est, animam eius à diuinitate nunquam digredientem. Ipsam vero corpoream calinaturam, quamuis non sit immortalitatis proprie causa, tamen accommodatione quadam ad perseuerantiam conferre perpetuam, dum conseruanti semper causæ, aptè, oportunè, libenter obtemperat. Hactenus totius libri summa.

Mundus quoniam est corporeus, neque per se est, neque per se sempiternus, sed per causam penitus incorpoream.

PRincipio igitur mirari videtur, quo pacto mundus cum sit corpus, esse valeat sempiternus, quemadmodum sapientes plurimi consentiunt. Neque enim potest vniuersum corpus hoc per se esse perpetuum, quandoquidem neque per se esse potest: quod satis in Theologia probamus. Neque facilè coniunicitur, quomodo per aliam sit causam sempiternum: præsertim sub eiusdem singularitate substantiæ, quod dimensione motioneque sua videri potest, diuisionem denique, mutationemque substantiæ subitutum. Vna præterea totius mundi materia est. Vnius enim opificis est opus vnum. Vnum inquam per vnam materiam atque formam, & vndique sibi consentiens, atque compatiens. Quã quidem agendi, patiendique omnium inter se communionem vnitas ipsa formæ ac materiæ cõficit. Denique cum ipsa natura materiæ sit prorsus informis, atque per formas distinctio fieri soleat, nulla videtur ratio cum à materia vsquam materia distinguatur. Materia vero quoniam infimum omnium est subiectum, omnino informe, formarum omnium etiam inter se repugnantium pariter auidum est, perpetuo permutabilis. Quãobrem sicut sub luna, sic & in cœlo potentia quædam ad mutationem formæ semper in materia laret, cum eadem sit vbique materia. Quod quidem ita coniicimus. Cum motus qui viget in anima sit motus primus, ideoque ibi sit actio: motus autem in corpore sit secundus, ideoque passio: nimirum passio hæc corpori minatur interitum, præsertim quia motus in anima tanquam in re indiuidua non tendit ad dissoluendum: in corpore vero velut diuiduo quodammodo tendit. Neque licet alicui more Auerrois dimensiones in cœlo sine materia ponere. Nam si formæ omnium primæ, id est, ideales, quasi materiale nonnihil habent adiunctum, formabilem inquam mentis essentiam, multo magis formæ omnium infimæ, id est, dimensiones materiale aliquid, imo prorsus immateriale vbique secum habent. Ac si formæ substantiales in subiecto ponuntur, multo magis indiget subiecto dimensio: quæ potius accidentalis est ac prorsus inefficax. Iam vero neque forma quælibet corporalis est aliud, quàm materiæ passio, dum materia hæc afficitur aliunde, neque dimensio rursus aliud, quàm materiæ ipsius extensio, dum ab eodem extenditur, à quo formatur, vt distinctius, vberiusque formari queat. Est igitur fundamentum mundi materia simul, atque dimensio: à materia quidem mutabile, à dimensione diuiduũ, ab vtroque inefficax & passiuum, necessarioque aliunde dependens. Mundus igitur non est facultate sui corporis propria sempiternus, sed tum ab anima velut à causa immortalitatis intrinseca, tum à voluntate diuina velut ab extrinseco principio atque fine. Si in Deo consideratur natura eius in actu semper eodem existens, ac penitus immutabilis, mundus videtur inde fuisse semper & fore. Hinc Mercurius, & Plotinus quia diuinorum esse sit idem, atque agere, & actionem illam statim sequatur effectus, mundum omnino iudicant sempiternum. Sin autem consideratur libera in Deo voluntas, atque hæc mundi principium iudicatur, quod Mercurius, Plato, Plotinus existimant, videtur mundus à Deo nouus sine nouitate diuinæ naturæ, sine voluntate noua fieri posse. Sic ergo Plutarchus, & Seuerus, & Atticus nouum mundum existimant, hoc sensu Timæi Locri dictum accipientes. Vbi ait: Deus animam mundi creauit, suo corpore priorem, tum potestate, tum tempore: Vnde Plato etiam in Timæo dicit animam mundi, corpore suo priorem, tum virtute, tum generatione creatum. Quanquam hæc Timæi Platonisque verba Plotinus, & Porphyrius, Proculusque, & alij sic exponunt: vt tempus, & generatio quibus anima præcedit corpus, non sit extrinsecum interuallum: sed vt successio quæ-

dam in anima in ipsa formarum discursione antecedat origine mundi motum: vt hic sit motus ab illo, atque ille sit seculum seculorum. Mitto nunc opinionem Heracliti, quodlibet mundi corpus etiam sphærarum, stellarumque effluere semper atque refluere: ideoque vel desinere, vel perpetuo renouari: quod & Plato tetigit, vbi mundum ait, fieri quidem semper, esse nunquam: & Plotinus hic, & Proclus in Timæo: quod & Plethon non negat esse probabile, nosque idem in theologia fieri posse probamus. Quod si ita vniuersum mundi corpus fluat semper, & refluat: animæ vero substantia maneat, non immerito sic quoque anima tempore, generationeque prior erit, nouo quolibet mundi corpore, si mundus semper fiat ex vetere nouus. Hinc fortè Propheta, & Euangelista dicit: vidi cœlum nouum, & terram nouam. Item Euangelista: mundus quidem transit. Sed redeamus iam ad Plotinum. Cum eadem sit in cœlo quæ & sub cœlo materia, quærit Plotinus, vtrum cœlestia sicut & alia permutentur, ac species quidem sphæræ, stellæque cuiuslibet semper maneat, dum singularis cuiusque natura permutetur paulatim, & quodammodò renouetur, quasi sicut accidit infra lunã? Adhæc si quis respondeat, vniuersum ob id perpetuum, quod neque ex eo quicquam effluere, neque influere possit, cum omnia complectatur: quare sphæræ quælibet, & stellæ sempiternæ sint, nondum satis inuenerit: non enim sphæra, & stella quælibet omnia continet: sed neque etiam sufficientem æternitatem toti mundo tradiderit. Poterit enim forsan adhuc mundus, & si non extra, tamen intra se adeo commutari, vt quasi animalium nostrorum more, singularem sæpe substantiam mutet: dum tamen speciei suę naturam retineat sempiternam. Denique dubitatio restat: Vtrum vel totum hoc, vel saltem cœleste aliquid sit sempiternum: & quam ob causam: & cur in cœlo species simul, & indiuiduũ, sub cœlo autem duntaxat species ipsa maneat, dum singula permutantur.

Anima quidem causa est, vt cœlum sit immortale: cœlum vero ad hoc animæ non repugnat.

CAPVT II.

IN secundo itaque capite dubitat idem innuens, vbique mundanum nihil suapte natura perpetuum posse manere: vt memineris omnia hæc aliunde fieri, atque seruari. Quod autem Peripatetici dicunt, sempiternum esse cœlum, quia sit quintum corpus præter quatuor elementa, hic præterit negligenter. Eo enim ipso quod corpus est, cum neque per seipsum simpliciter sit, certè neque est per seipsum semper: præsertim cum sua sit natura diuiduum, atque mutabile. Denique significat immortalis vitæ causam esse cœlo animam ipsam, quæ & simpliciter est vitæ causa: sed ad immortalem vitam & si non efficiendam, saltem suscipiendam cœleste corpus & vniuersum esse naturaliter præparatum: aut saltem quo minus accipiat minimè repugnare.

Causæ quibus mundus sit sempiternus: atque elementorum quatuor distributio.

CAPVT III.

SEd in tertio quærit, quomodo corpus hoc conducat ad statum, quod naturaliter inclinatur ad motum? Respondet autem, quia non extra profluit, sed refluit intro. Idcirco perpetuæ in eiusmodi motu perseuerantiæ non repugnare quidem, imo conducere. Quod si quodlibet animal quandiu viuit, dicitur esse idem, propterea quod sub eadem anima fermè similis natura & figura seruatur, quamuis inde quotidie fiat affluxus, multo magis & mundus permanere idem in substantia dici potest, quamdiu sub eadem anima figura eadem perseuerat, cum nihil profluat extra: etiam siquis fingat in qualibet mundi parte effluxu vicissim, atque refluxu substantiam propriam commutari: dum videlicet neque quicquam extra totum fluit, neque influit aliunde, sic ergo totum mundi corpus ad sempiternam perseuerantiam conferre videtur. Videntur ad eandem partes quoque conducere. Nam ipsæ etiam elementorum sphæræ mole sua saltem permanent & figura. Conducit ad idem quatuor ipsæ elementorum sedes singulæ seorsum in mundo dispositæ, ad quas natura duce diffugiunt: adeo vt elementa, quamuis contraria, tamen ita secreta nunquam inuicem, sed disperdant, atque confundant. Esse vero quatuor elementa mundi: & ignem purum esse cœlum, & qualis ibi sit ignis, in compendio Timæi, & in Theologia libro quarto, & iterum quartodecimo abundè tractamus. Cum igitur ignis plurimus à terra qualitatibus distet, merito ab eadem distat loco quam plurimum. Sicut igitur in sphæra mundi, terra in medium cogitur, sic in ambitum totius extimum ignis extenditur. Ac si terra est semper stabilis, ille profectò maximè distans semper est mobilis: nullus autem in rectum motus sempiternus est. Ignis ergo natura sua mobilis est semper in orbem: denique si igni propria sunt maxima à terra distantia, & perpetuus circuitus atque lumen est proculdubio cœlum. Proinde sicut ipsa mundi natura, virtusque sub causa quadam superiore terminata est, sic & amplitudo eius, atque figura, quæ ab inuisibili mentis, & animæ circulo coacta similiter est in circulum. Sic & figura sibimet æqualior, & similior est item capacior, aptiorque ad motum. Ignis igitur dum videtur ascẽdere, imo dum seipsum vndique à medio porrigit, cogitur alicubi sursum, id est, per ambitum sistere gradum, ibique in circum protendi, atque reuolui: vt figura, motuque referat causæ suæ circuitum. Figura quidem circuitum in essentiæ causa consistentem: motu vero circuitum in causæ actione peractum. Conducit autem ignis ad mundi ambitus faciendos, propter naturam eius amplificatam: facultate vero amplificabilem sibi vendicat vis ignis admodum efficax, naturaliter rara, lucida, mobilis, à resistẽte & cohibente soliditate admodum aliena. Soliditas vero maxima, quæ terræ propria est, amplificationi obstat quam maximè. Vnde terra confert ad mundi medium faciendum, aër vero & aqua tanquam per naturam media, medium cõpleuerunt. Nemo vero diffidat, ignem, quia

maximè cedat, ideoque pati facillimè videatur, conficere cœlum passionibus nullis obnoxium. Quod enim agilitate mirabili cedere videtur ad summum, dum diuidi videtur, penetrat atque diuidit: & omnem ictum protinus aufugit. Memento denique, diuinam mentem formas in opere suo plurimas voluisse: tum quia & ipsa est omniformis, tum vero vt ex multis, non materiis dico, sed formis opus vnum maximè formale summatim conficeretur: voluisse in hoc formas longè inter se natura distantes, vt ex earum conflatione varij admodum formalesque rerum gradus, in longo spatio coalescerent. Cogita igitur hæc, tum raritate, tum qualitate inter se diuersa, simul ab initio facta. Hæc ergo repente se fugant inuicem, atque fugiunt. Tunc subtilissima quæque prius, citiusque effugiunt: tum quia ad motum, penetrationemque agiliora sunt, tum quia liquidiora super solidiora commodius possunt enatare, quam contra. Sic rerum protinus est facta distinctio, consilio videlicet autoris obediente materia. Sed interim spiritalis subtiliorum portio intra densissima quæque est vbique seruata, non tam densitudine coercente, quàm ipsa totius anima suum vbique spiritum continente, animabusque cæteris ad idem spirationis officium conspirantibus.

Cœlum est spiritus, & flatus, & verbum animæ mundanæ: atque est vbique quanuis occultum.

LAtius hic nos spiritus eiusmodi prouehit. Principio cœlestis anima non coniungitur cœlo quasi iam facto, sed ipsa potius fœcunditate sua, quæ & superior est, & proxima cœlo adhuc inde futuro, parit vbique cœlum, dum ipsa tanquam maximè viuens spirat vbique. Sed quidnam spirat? vitalem scilicet flatum, atque sensualem: non qui necessario sentiatur ab aliis, sed quo ipsa tum viuificet, tum sentiat alia. Flatus eiusmodi quoniam prodit ex anima, imitatur & virtutem animæ penetrantem, quatenus ipse penetrans vniuersum, omnibus est infusus. Hinc illud: Spiritus intus alit. Imitatur rursus & virtutem animæ continentem, quatenus ipso suo quodam (vt ita loquar) visco velut oleum super alia natat & ambit. Huc forsan tendit & illud: Spiritus Dei ferebatur super aquas, vel incubabat aquis, fouens videlicet materias per se frigidas, quæ ipso vitaliter quamuis occultè calent: atque hinc calefaciendi vim sortiuntur quamuis oc[illegible]m. Hoc flatu, hoc animæ primæ verbo (quantum Platonicè loqui licet) factum est cœlum, imo eiusmodi spiritus est ipsum cœlum. Spiritus, id est, ignis, tanto saltem nostro hoc igne subtilior, atque efficacior, quanto noster ignis acutior & valentior aëre: Spiritus hic quasi visus quidam est, tactusque naturæ, nullam habens ad visum tactumque nostrum proportionē. Est & ipsius animæ verbum iam extra prolatum. Primum enim animæ verbum est in mente, simplex omnino: secundum in ratione, iam ibi distinctum: tertium in imaginatione, naturaque motum iam affectumque accipiens: quartum in prolatione, id est, cœlum admittens iam vna cū motu dimensionem. Magnitudo siquidem virtutis in anima, in viribus eius inter se longè distantibus, magnitudinem dimensionis facit in cœlo. Motio animæ facit in cœlo motum. Affectus efficaciam ad effectum. Virtus quidem rationalis alias gignit formas in cœlo: intellectualis autem claritas præstat lumen. Est ergo cœlum quasi spiritus efflatus ex ore diuinioris animæ: ideoque omnia viuificans, atque nutriens. Est iterum quasi oculus quidam, visusque animæ quo sæpe affectus animæ nobis & consilium indicatur: cuius radiis & intuitu omnia coalescunt. Lumen in cœlo quantum est in perspicuo, intellectum animæ repræsentat, quantum in motu, lætitiam. Solum quidem lumen est intelligentiæ ipsius imago: cæteræ vero formæ siue in cœlo sint, siue in aliis sint per cœlum, alias ideas referunt in ipso intellectu conceptas, quæ ita per intelligentiam illic concipiuntur, & discernuntur, sicut per lumen hic cæteræ qualitates. Et sicut per totum mundum intelligibilem est idem actus intelligētiæ, ita per hunc totum perspicuus quidam, lucidusque spiritus illius imago, formas passim efficiens, atque discernens sicut ille. Hinc Iulianus Platonicus ait, ex theologia Phœnicum diffusam esse per vniuersum, & omnibus insitam naturam quandam translucidam, atque lucentem in se ipsa quasi ex diaphano & lumine temperatam, neque mixtioni vnquam alienæ, neque passionibus vllis obnoxiam: quæ sanè sit actus quidam puræ intelligentiæ, purus quidem, sed quodam modo extra procedens, habeatque inuisibile lumen & incorporeum, luminis huius visibilis quidem sed incorporei causam. Hæc ille. Eiusmodi fermè lumen anima mundi sub actu mentis primæ propria mente conceptum, parit in natura sua, ibique cum motu copulat & affectu. atque inde quasi spiritum foras efflat, & iam dimensione protendit, neque dispergit tamen, sed suo quodam circuitu in orbem penes se cohibet, & quatenus ipsa se fundit, eatenus circunfundit, atque promit origine prima continuum quasi spiritum vnum spirantis vnius. Sed aliæ animam hanc subinde comitantes animæ, sua quæque similiter spiritali virtute spirantes in spiritum, hunc iam vbique vigentem, singulæ ad intimi propriique circuitus formam redigunt & figuram. Quamobrem aliæ deinceps alibi inter se distinguuntur sphæræ: sic fermè dispositæ situ, sicut spirantes animæ dispositæ sunt natura. Sed cunctæ semper animæ in communi perpetuaque primæ animæ spiratione conspirant: eiusmodi vero spiritales orbes, propè mundi medium angustia situs densiores euadunt, & densiora rursus circa se generant. Et qui densissimus est, orbi terræ restat infusus. At si comparetur ad terram, tenuis admodum iudicabitur, & ad motum agilis, ac densa viuificans. Ne quæras igitur quàm ob causam ad medium densa descendant. Hæc enim ideo densa sunt, quoniam ab initio sortita sunt medium. Rursus quantum rarefactio, & condensatio in gignendis inuicem valeat elementis considera, ne fortè neges, pro varia primi spiritus densitate, varia præter ipsum elementa contingere. Sed interim memento, raritatem & densitatem rebus generandis idearum actionib⁹, formationibusque seruire. Conclude, animalem quendam spiritum semper ab anima mundi quasi interioris vitę propaginem pullulare, ignemque hunc esse, & quasi animale lumen ipsum in dimēsiones iam porrectum, spiritum actu lucidum, potentia calidum, generationis omnium vbique fomitem, cœlum, inquam, non circumfusum solum, sed etiam cunctis infusum, cœlumque

cœlorum. Flatum diuinioris animæ sub forma quadam animæ proxima, id est, cœlesti, id est, ignea: hoc est translucida, lucida, calida protinus euolantem, mox in aërem aliquanto dissimiliorē animæ tumescentem, subinde in aquam terramque compactum. His autem tribus, cœlestem spiritum passim inesse effectorem omnium, atque seruatorem, proximum quidem flamen, & velamen animæ, omnium alimentum. Vbicumque igitur alia sunt, ibidem cœlestem subesse spiritū: non tamen vbicunque hic est, alia statim adesse. Sic itaque cœlo proximè reguntur omnia, ipsa inquam cœli substantia non solum virtute cœlesti, quæ suam vbique substantiam necessario postulat. Sic etiam sub terra quædam quasi cœlestia generantur. Sic solo calore viuunt omnia, & occulto quodam calore viuunt, quæ manifestius calor destituisse videtur. Sic vbi extremum apparet frigus, ignis accenditur: & in frigidorum collisione mutua procreatur, cœlo videlicet procreāte. Similiter in quolibet animali anima continuè profert spiritum membris quidem cunctis infusū, sed alicubi etiam solum, alicubi vero humoribus, alicubi membris insuper inuolutum. Sed animæ particulares spiritum hunc qui vapor sanguinis est, quo regunt corpus, ex sanguine calefacto producunt: spiritum vero cœlestem rationales animę, quo quasi proximè se inuoluunt, ab ipsa cœli substantia vbique præsente suscipiunt, quem Plotin. alibi confitetur accipi, etiam ab anima terræ, quo & hic nostras inuolui Aristotelem etiam putasse, testis est Plutarchus, Ioannes Grammaticus, & Proclus, atque Plethon. Ex quo patet vbique cœlum esse, vt & totum singulaque perfectè, continuataque serie ac mira facilitate regantur à cœlo, & animæ rationales vbicunque cœleste corpus accipiunt, aut possident, in loco cœlestibus naturali habeant, atque possideant. Verum cœlestis hic ignis, de quo ille inquit: Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo, quamuis cunctis infusus, nullis tamen est mixtus: quando neque visibile lumen inde procedens alicubi commiscetur, neque manifestus ignis facilè patitur mixtionem. Est autem cœlestis ignis, sensus purusque ignis, neque vim patiens, neque inferens: mirificè lucēs, sed super aspectum suauissimè calens si quo modo tangatur. Manifestus autem ignis, atque comburens, non ignis est purus, sed ignitum potius elementum, qui sanè quod facilius quam alia generetur, generetque, & amplificet semetipsum, & lōgissimè luceat, & ad se omnia trahat, & nascatur vbique, totum habet à cœlo, quod viget vbique. Hinc Theophrastus integro libro ignis potentiam admiratur. Hinc forsan est ille spiritus quem Ægyptij rebus infusum omnibus appellant naturalium genitorem. Maximè vero qualis sit hic spiritus apparebit, si quis finxerit, quod & fortè licet, non multas esse cœlorum sphæras, sed vnicam, tum implentem omnia, tum etiam circunfusam, quæ motum illum habeat, quem primi mobilis esse volunt. Stellæ vero omnes tum huius motu ducantur, tum etiam propria progressione percurrant, cedente vbique sine vlla offensione cœlo, si modo cessione sit opus. Sic potissimum stellæ habere vitas proprias videbuntur, si animaliū more progrediantur, non plantarum modo figantur. Sic & præter illarum animas vnica erit sphæræ totius anima. Ego vero hæc fortè defenderem vt probabilia, nisi me magnorum virorum authoritas contineret.

Cœlum est imago animæ, & singula quæ sunt in cœlo, singula referunt quæ sunt in anima.

SEd rem omnem ab alio rursus principio repetamus. Si cœlum quod totum implet mundum in forma sua motuque procul ab extensa materia cogitaueris, ipsam proculdubio mundi animam cogitabis: cuius cœlum quidem imago est; reliquum duntaxat vmbra. Illa igitur cœlum est indiuiduum: cœlum vero est anima iam extensa. Redde itaque tanquam ab imagine ad exemplar singula singulis. Illa quidem est forma simplex; hoc simpliciter corpus est simplex. Illa non habet partes: hoc nunquam separatur in partes. Illa vnico actu, id est, animaduersione sui præcipuum complet officium, hoc perpetua in seipsum conuersione omnia peragit. Anima rursus immutabilis est essentia, quamuis mutabilis quodammodo sit quadam discursionis sphæricæ mutatione formali. Cœlum similiter substantia non mutatur, dum actione reuoluitur. Anima semper similiter agit, atque in ipsa etiam formarum suarum dissimilitudine reuolutionum vices restituit similes. Cœlum quoque mouetur immutabiliter, ac dum configurationes quasdam & extrinsecos habitus commutare videtur, interea centrum circunferentiamque conseruat, eisdemque curriculis temporum & repetit eadem & similia recreat. In anima prius est intelligentiæ lumen: deinde quasi calor est voluntatis affectus. In cœlo lumen præcedit vbique calorem. Et quēadmodum ibi voluntas quasi est ipsemet terminus intellectus, & intelligere velle: ita & hic calor quasi quidam lucis est terminus, & lucere, calere; sed quàm purè lucet & latè, tam calet innoxiè. Hinc itaque fit, vt in materiis cœlo similibus, id est, diaphanis & translucidis, calefactionē præcedat illuminatio, in opacis vero vicissim. Has enim calefieri oportet prius, & calore purgari, & quasi translucidas effici, quàm lucidæ fiant. Ignis autem huius cœlestis occulti vbique vigentis, & actus quidam manifesti sunt stellarum radij, & imago quædam est æther, id est, sublimis ille lunæ proximus aëre, igneus inquam aër. Solum namque cœlum solus est ignis: reliqua dicuntur ignita, sed cælum & aër, præsertim ille sublimis vbi vel nihil, vel minimum quidem est solidi resistentis, latitudinis vero plurimum lucet purius, caletque suauius. Aqua vero & terra, terrestriaque calefacta quidem violenter, calefaciūt violenter. Quoniam vero ignis apud nos accensus cælo similius adhuc est quàm reliqua, idcirco luminis quod incorporeum quiddam est, factus est particeps & omnium potentissimus, & quasi sit viuens motu perpetuus: diuidens omnia, non diuisus, omnia in se prorsus assumens, alienam fugiens mixtionem: & subito cum expeditur, in cælestem refugiens ignem vbique latentem. Hinc fortè veteres adducti ignē verebantur extinguere, ne naturæ cœlitus vitæ vim viderentur inferre. Proinde sicut ignitæ materiæ in ipsum ignis actū, formamque subito conuertuntur: ita & hic ignis hinc refugit in cœli formam, & forma cœli in formam actumque vitæ semper conuersa censetur, materia vero cœli conuersa videtur in formā. Profecto quemadmodum in vapore quodam ardente ceu cometa, ipsa vaporis materia adeo redacta est ad proprium ignis actum, vt nulla iam appareat ibi conditio vel actio, nisi ignea: sic

sic forma cœlestis vsque adeo materiam suam superat & absorbet, vt nulla mareriæ manifesta cōditio videarur: Id itaque plærique volunt quando cœlum aiunr carere materiá, id est, manifestis passionibus, conditionibusque materiæ. Similirer qui aiunt, cęleste animæ nostræ vehiculum expers esse materiæ. Quod Iamblichus & Proculus arbitrantur. Iam vero cum natura formæ deniq; sit potentior quàm materia, merito sicut formarum infima, id est quantitas, sic in mareriam absorbetur, vt ipsa videatur esse materia, agatque nihil, & infiniram patiatur dimensionem: imo nihil aliud sit quam passiua quædam materiæ ipsius extensio: sic forma formarum corporalium præstantissima id est, cælestis, materiam suam occupat penitus atque occultat, totumque ibi resultar vt forma: forma inquam corporea, sed ita corporea, vt sit quasi non corpus, & incorporeæ vitæ, occultorisque virtutis quasi coruscatio quędam foras emicans, præsertim per cæli oculos, id est, stellas. Non igitur iniuria Iamblichus ait cæleste corpus sic in vitam essę redactum, vt ipsa sit vira, & natura iam quodammodo incorporea, hoc tantum corporis habens, quod partes à partibus distare putantur. Sanè sicut in nobis corpus hoc tractabile multum ab anima discrepat, sed spiritus ipse quem mulri vaporem sanguinis subrilissimum nominant, est quasi anima quædā, ita vr Epicurei, & alij quidam vicinitate decepti, hunc esse animam iudicarent: sic reliquum mūdi corpus ab ipsa mūdi anima discrepat manifestius, sed natura cælestis vbique vigens, quidam scilicet omnia fouens spirirus almus: sic Stoicos, & Stratonem propiaquitate refellir, vt diuinam animam Deumque esse putarent. Rectius admodū Platonicus ille Maro iudicauisse videtur. Cum enim dixisset: Omnia spirirus intus alit: vr spiritus per se dissipabilis & fortuitus à narura stabili ordinatriceque regeretur, adiunxit: Totamque infusa per artus mens agitat molem. Er cum nominauit artus, & membra, mundum esse animal vnum significat, vno quodam vbique spiritus viuens, vna similirer intelligentia rectum. Rectum inquam facillimè atque semper, nam & spiritus ille quanto per puritatem est vicinior animæ, tāto facilius, diutiusque animæ ad perseuerantiam ordinemque obtemperat. Et reliquum corpus spiritu facilè penetrarum inde fulcitur: atque ipsum naturali loco digredi nescit, dum anima longè præpotens suis quæque locis digerit atque continet: motuque suo motus omnes anticipat, & ad reuolutionis suæ normam certis singula locis, temporibusque reuoluir.

Mundus & si perseuerantia dicitur infinitus, non tamen virtute, magnitudine, numero est infinitus.

VNiuersum igitur per tempus permanet infinitum, quamuis ipsum magnitùdine non sit infinitum. Si enim ipsa mundi anima æternitati, id est diuinæ menti quàm proxima est, ideoque æterna est, atque essenriali vita viuificat, certè & ipsa vitam suggerit semper, & corpus inde suum viram continuè haurit sempiternam. Præterea si anima semper conformat hoc ipsis diuinæ mentis ideis, certè sicut species rerum omnes conseruat idearum instar immobiles, singulis continuè commutatis: ita & rotum hoc opus exemplaris totius instar indissolubile continet. Sicut enim quælibet in vniuerso rerum species ad suas referuntur ideas, sic totum hoc ad rotum refertur exemplar. Mutantur vero hic sub specie singula, ob vicissitudinem quandam seminalium rationum, quæ in natura & imaginatione quadam coniuncta naturæ, penes animam mundi peragitur, motu interim cælesti ad idem assiduè cōferente. Conseruatur tamen eadem vbique species, ob æternam perseuerantiam, idearum in mente, formarumque similium, in anima quoque vigentium, adiuuante ad idem simili semper restitutione cælesti. Mundum vero quamuis tempore infinitum, non tamen vel numero, vel magnitudine infinitum, sic breuirer coniectamus. Quadruplicem cogitamus infinitatem. Primam virtutis simularque perseneranriæ in Deo præcipuè summo: Secundam perseuerantiæ saltem in diuinis operibus inde perpetuo permanentibus: Tertiam numeri: Quarram denique molis. Infinitas quidem numeri perpetua quadam rerum singularium successione paulatim prouenire viderur, nunquam tamen actu simul existere. Nam & ipsa speciei vnitate tanquam termino definitur, & multitudo innumerabilis actu nullum suscipit ordinem. Omnia tamen sub primo tum communi omnium, tum proprio aliquorum principio ordine quodam definiuntur. Quod si non est turba ordinis expers in rebus infimis, multo minus reperitur in summis, vbi summus est ordo. Quamobrem neque sunt innumerabiles mundi, neque mundi partes vnius innumeræ. Tum vero infinita moles longius distat à mēte diuina quàm numerus infinitus. Cum igitur diuina mens innumerabilem numerum minimè velit, multo minus molem patietur immensam, alioquin nullum hæc ordinem à Deo terminumque acceperir. Neque vero fingere licet molem corpoream ex seipsa prorsus existere, vel ex causis pluribus inter se omnino diuersis. Quod in theologia sæpius confutamus. Neque sub vna omnium causa opus esse non vnum: neque mundos plures, alium disiunctum ab alio. Id enim refellimus in Timæo. Neque rursus vnius mundi molem prorsus immensam, alioquin vel in plura membra diuideretur, vel vnica passim moles existeret. Si in plura innumerabiliter secaretur, nulla foret vsquam molis infinitudo sed numeri, neque foret opus vnum vel ordinatum, sed disgregarum prorsus atque sortuitum. Sin vnica foret immensaque moles, varietas omnino rerum nulla restaret, & hæc ipsa moles ordinem non acciperet, vel figuram. Ac si fingarur eiusmodi machina per immensum vndique ambitum excrescere saltem versus medium, si quod fingi medium possint, paulatim redigitur in angustum. Igitur si moueatur, circuli in ea mole signati innumerabiles ita se habebunt, vt circa medium semper alius alio tardius reuoluatur: versus ambitum vero vicissim alius alio continuè velocius ageretur. Itaque inde quidem in tarditatem infinitam, hinc in velocitatem similiter motio peruagabitur. Hinc ergo immensæ molis circuitus momento complebitur. Inde ne mouebitur quidem: imo nullus erit motus. Nam infinita tum velocitas, tum tarditas concurrere demum videtur in statum. Obiiciet & alius aliter: Immēsum fore vndique spatium rum totius, rum partium ad partes, quæ per lineas à medio productas in longum, continuè latiores & distantiores euadunt. Itaque neque peragi vnquam spatium

vel

vel partium, vel totius. Ideoque frustra moueri, imò neque moueri. Quid plura? Mundanam molem habere in se membrorum distinctionem: ipsa palam formarum differentia, repugnantia qualitatum, motionum oppositio manifesta declarat. Non esse machinam hanc immensam, ostendit tum vniuscuiusque reuolutionis terminus, tum definitus ordo totius. Esse in summo sphæricam interiores eius sphæræ demonstrant, amplissimam videlicet imitantes. Cunctas ab vna causa inter se connecti, mira discordium rerum concordia probat. Vna denique vita viuere spirituque afflari discimus ex mutua quadam agendi, patiendique communione, per quam & inferiora facilè à superioribus dona vbique suscipiunt, & superiora videntur inferiorum preces audire, votisque prospicere: & à qualibet mundi parte quamuis longè distante, in quamlibet ritè paratam sæpè motio resultare.

Confirmatur cœlum esse sempiternum: primum animæ, deinde quodam corporis beneficio.

CAPVT IIII.

IN quarto libri capite dubia reiiciens in sequentia, immortalitatem cœli tum ratione animæ, tum ratione corporis comprobat. Nempè ordinis corporei summitas, id est, cœlum, cum incorporea natura diuinorum, vltima, id est, anima, ita conspirat, vt dissolui non possit: sicut & summus aër tangens ignem est semper ignitus: ipsaque animæ vita cum proximè ab æternitate pendeat, neque inde discedat, est æterna. Atque cum ipsa ob naturalem propinquitatem sit vinculum temporalium, quod in Theologia monstramus, merito quæ mox deuincit, æternè conglutinat. Item cum iam tot sæculis in hac mole regenda, mouendaque defatigata non fuerit, quod ostendit idem tenor agendi nunquam defatigabitur: præsertim cum neque ipsa per violentiam agitet corpus, naturaliter ad motum ita librarum, neque huc aliunde violentiam possit inferri, neque partes mundi conterantur, sed inuicem commutentur. Denique si anima per ætatem ipsius vitam, cuius natura est semper viuificare, mundo semper præstitit vitam, præstabit & semper. Neque pœnitebit vnquam animam diuinissimam benefecisse mundo: quasi vel peccauerit cum incœpit benefacere, vel sit peccatura cum desinet, quod in libro contra Gnosticos hæreticos confutauit. Quod autem de igne partim Aristotelica, partim propria sententia dicit, sic accipito. Ignis hic noster edacitate quadam omnem subito materiam deuorat, mox inde luxurians euomit flammam, quasi feruorem: qua etiam longius consumit obiecta. Cum enim ignis ob naturam tenuem, amplificabilem, mobilem, inter aliena positus atque permixtus facilè dispergatur, ne mox intereat, natura sibi tributum est, vt facilè propinquantia deuoret. Rursus ne tanquam potentissimus omnia perdat, datum est vicissim vt citius extinguantur. At verò ne desit mundo natura tam nobilis, factum est, vt passim omnium facillimè recreetur: citoque ex minimis excrescat in amplum. Ignis verò cœlestis consumit nihil, quia nec ipse consumitur: quia minimè dissipatur: quoniam neque locum aliquandò suum mutat: neque vnquam à vita deseritur.

Cur cœlestia tum secundum speciem, tum secundum indiuiduum maneant sempiterna. Composita verò non solum secundum speciem. Item de geminis animabus.

CAPVT V.

CAput verò quintum significat pro ipso mundi partiumue eius opifice, non modo iudicandum esse intellectum primum, sed etiam mundi animam: animasque sphærarum quatenus & intellectuales sunt omnino, & proximè semperque velut collegæ ad opus hoc vnà cum intellectu primo consentiunt. Significat rursus, si corpora composita proximè ab ipsa cuiuslibet cœlestis animæ substantia fierent, indissolubilia fore: Ibi enim & substantia & actio, id est, intelligentia manet. A causa verò penitus stabili, stabilis fit effectus. Quoniam verò talis qualibet anima aliam ex se vitam quasi animam, imaginemque sui foras effundit, insinuatque materiæ, vnde iam eiusmodi vita fit debilis, idcirco vita hæc cœlestia quidem & simplicia corpora semper indissoluta conseruat, vtpote quæ conciliationi perseuerantiæque repugnare minimè videantur: composita verò aduersus repugnantium impetus coercere non potest. Hic notabis sphæras quidem cœlestes, tum toto permanere tum partibus: sphæras autem alias simplices, non omnibus iam vndique partibus, sed toto manere, composita denique neque toto, neque partibus permanere debere. Neque obiiciat aliquis in animalibus præsertim rationalibus, restante post obitum anima, primaque materia, partes animalis apud Platonicos restaturas. Nam & anima hæc non tam pars quàm causa est animalis, & materia prima subiectum est potius in quo fit animal. Fit inquam propriè ex propria quadam materia ad propriam formam iam prorsus accommodata. Vbi verò dicit quæ sunt infra cœlum, non esse cœli partes: intellige, infra, non tam loco quàm ordine. Cœlum enim, & si vbique viget, nusquam tamen à seipso seiungitur. Vbi ait, cœlum vsque ad Lunam protendi, intellige, vsque ad lunarem conditionem. Sors namque lunaris est in cœlestis dignitatis gradibus vltima. Regionem enim super Lunam antiqui totam Solarem nominant, sequentem verò Lunarem. Declarant denique in fœtu hominum in matrice iam figurato, infundi vitam ab animabus sphærarum, animaque totius ad idem scilicet, ipsa matris anima simul cum virtute paterna interim conferente, per quam vitam velut escam rationalis anima trahatur ad corpus, ipsamque ad se vitam quodammodo contrahat, subque actu conseruet ducatque suo, si quando desinat iterum genitura. Ibi quidem esse simpliciter animal per modum formæ dat inferior anima: Esse verò rationale animal, superior ipsa largitur parum ad modum, modo formæ adesse conducens. Et id quidem ex rationali potentia siue actu, quoniam non ad ipsum simpliciter esse ratione formæ, sed ad esse tale conferre videtur. Atque eatenus ad esse tale, quatenus ad esse simpliciter altera confert. Dici verò fortasse potest per modum efficientis ad esse conferre.

Singula elementa in seipsis pura sunt. Cœlum est solus ignis. Item de metallis atque dæmonibus.

CAPVT VI.

SExtum caput dubitationes iterum duas adducit: Vtrum solus in cœlo sit ignis, & vtrum inde defluat aliquid. Primam quidem soluit in hoc sexto simul & septimo, alteram in octauo. Esse in eo ignem, simul non terram dico, imò soliditatem quandam, vel resistentiam, siue consistentiam quasi terream Timæus existimat: vt per igneam quidem claritatem videri, per soliditatem verò quasi terream tangi possit, sed à quonam ita sentiri? non ab aliis præcipuè. Non enim totus mundus est partium particularium que gratia constitutus, cum sit horum omnium perfectissimus atque finis, sed vt primum posset à seipso sentiri. Cùm enim animæ mundanę prius quodammodo natæ corpus subiungeretur quasi propago, probabile fuit tale fore, vt cognatissimum animæ foret atque notissimum. Cognosci verò corpus propriè cognateque & sub ipsa corporis conditione, nihil est aliud quàm sentiri. Corpus itaque cœli tum ex igne lucem est adeptum, vt ab anima sua per modum intelligentiæ sentiretur, quod est videri, habuit quoque ex soliditate, vel consistentia quasi terrea resistentiam quandam, vt per modum essentialis vitæ iterum sentiretur, quod est tangi scilicet à seipso primum, consequenter ab aliis. Quinetiam neque videri posset per lumen, nisi soliditas quoque subesset, visuales quodammodo radios repercutiens: neque tangi per soliditatem, nisi igne rursus viuificaret. Significat inter hæc Plotinus, si cœlum tangatur vel à seipso, vel ab alio blandum sentiri calorem, soliditatem verò quasi terrenam adesse, ratione potius coniectari, ipsam denique terræ naturam, quæ & opaca est, ideoque opposita luci, & densissima, atque idcirco ad motum præcipuè talem, omnium ineptissima, nullo modo inesse vult cœlo lucidissimo prorsus atque celerrimo. Item neque aquam, quæ ob frigiditatem est contraria cœlo, quod est primum calidum, rursum neque aërem. Nihil enim facilius quàm aër in aliud permutatur. Itaque si propinquer cœlo tam valido, in cœli formam subito permutabitur. Inter hæc dum conuincere studet, nihil esse in cœlo aliud præter ignem, in dubitationem adducit illam Timæi sententiam: Duo scilicet solida, & extrema duobus semper mediis indigere. Fortè enim id in numeris & dimensionibus Mathematicorum solidis manifestius est, quod in argumento in Timæum iam explanauimus. In elementis autem non adeo manifestum, nisi forsan in ipsa totius mundi compositione disposita, locisque distincta. Significat tamen Plotinus, posse & ignem, vel aërem penetrare terram sine aqua, & aquam penetrare terram, inque eam illabi sine ignis & aëris beneficio. Quòd si quis conuincat tum terræ tum aquæ reliqua duo semper inesse, respondet Plotinus, non tamen duo hæc ad conciliandum necessaria fore. Sed dum ita Plotinus hic quasi ludit, meminisse debemus aquam procul ab aëris ignisque fomento contrescere gelu, fierique cristallum, itaque non posse absque illis terram facilè penetrare. Sed hæc ad Plotinum nihil: cuius consilium est confutare quod fertur, ita quodlibet in quolibet esse, quasi ex Anaxagoræ mente, vt nusquam sit purum aliquid in seipso, neque ipsa rei cuiusque essentia in se, sine alterius essentia constitura, vel consistere possit, ceu si quis dixerit, non esse terram, nisi intra seipsam aquæ humore conglutinata sit, non esse aquam, nisi liquida fit per aërem, non esse aërem, nisi per ignem intus sit rarus & leuis: atque vicissim nusquam viuere ignem, nisi alatur humore, non consistere rursus humorem, nisi intus terra cohibitum. Sed profectò videtur ipsa formalis vniuscuiusque ratio, idque ipsum quod aliquid est, absque alienæ naturæ additamento posse consistere. Quandoquidem & sine hoc ritè potest ac debet intelligi, alioquin si res non sint aliquid in seipsis, consequenter nec aliquid in aliis erunt: nec erit quicquam ex rebus pluribus constitutum. Præterea cum imperfecta, quoniam per se non sunt, à perfectis quæ per se sunt, dependeant: sit autem forma totius perfectior quàm formæ partium, merito super elementa, quæ sunt, vt partes, in mixtis, sunt elementa in seipsis vt tota seorsum que disposita: sunt inquam, vt tota elementa, quamuis non vt totum corpus. Ibi ergo rursum forma totius corporis tanquam perfectior antecedit, ac si minus præcedit in opere, in opifice saltem, in quo sanè communius ipsa formæ totius intentio intentionum partium ad illam consequentium anteecedit: sicut constat in arte. Denique sicut in exemplari mundi forma vniuscuiusque speciei ratio distincta est ab alia, sic inter se res in opere distinguuntur, distinguuntur inquam, ratione & existentia simul, præsertim cum maior sit hic quàm ibi diuersitas. Quod quidem sensibus quoque patet, cum se inuicem contraria fugiant, quatenus vt contraria vigent. Corpora ergo composita sicut simplicibus elementis intrinsecus componuntur, ita simplicibus reguntur extrinsecus. Multa quoque simplicia, id est, æther, aër, aqua, terra, vno, id est, igne cœlesti reguntur omnium simplicissimo. Vnum hoc proximè regitur anima, perque hoc quasi spiritum reliqua corpora siue simplicia primum, sine subinde composita reguntur ab anima. Oportet enim ab vna mundi anima corpora multa, & hæc quidem dissimiliora animæ, per corpus vnum, idque similius, inspirari prorsus atque moueri. Sed vt redeamus ad institutum, oportet elementum quodlibet etiam sine alterius mixtione intus saltem in se aliquid esse. Aut enim datur aliqua saltem portiuncula terræ quæ propriè sit idipsum quod terra, aut nulla. Si datur aliqua, licet terram sine aqua consistere: Si nulla, tunc terra erit nusquam, atque aquaterrâ, quæ nusquam reperitur, colligere non poterit. Item alia est aëris, alia terræ natura, imò etiam natura valdè diuersa. Siquis ergo dicat terram, vt terra sit aëre intrinsecus indigere, dicet frigus siccitatem, densitudinem, grauitatem, vt sint id quod sunt, egere contrariis. Rursus aër prius in se aliquid est, quàm infundatur in terram, terra similiter prius aliquid est in se, quàm hauriat aërem. Tum verò aër in raritate propria prius existit quàm cõdensetur in terram: ac terra prius in se consistit, quàm condenset aërem, qui si condensetur ab alio, scilicet aqua, transibit in aquam. Quamobrem Timæus non dixit terram, vt terra sit, egere igne, ne frigus & grauitas, vt frigus grauitasque sint, calore leuitateque ridiculè dicantur egere, imò dixit vt sit visibilis. Per lumen enim & oculi vident, & res ipsæ videntur, quæ sunt etiam participatione quadam luminis coloratæ. Lumẽ verò ignis est proprium:

Cum enim terra naturaliter opaca neque per se luceat, neque lumen intus accipiat, aqua verò & aër tanquam diaphana, id est, translucida & homini peruia, non habeant quidem ipsa lucem, sed subito capiant, sequitur, ignem mox per se lucem habere, præsertim cum manifestè ab hoc aliud lumen habeant, atque ipse lumen ipsum quasi proprium dum abit, relinquat in nullo, quamuis calorem relinquat ad tempus. Vnde constat ignem esse cœlum. Cum verò ignis prius & citius longiusque lumen quasi præcipuum projiciat quàm calorem, potest nimirum actum hunc suum, id est, lumen, & passionem ex hoc effectam, id est, colorem præcipuè clarum cæteris adhibere per quæ videantur, quamuis seipsum non admisceat illis. Præstat quidem humidioribus magis lumen atque nitorem, tanquam cœlo similioribus, siccioribus verò calorem, & hunc quidem iam edacem, talem siccitate, angustia, violentia factum. Hactenus, terram esse hoc ipsum quòd est, absque intima ignis, aëris, aquæ commixtione monstrauimus. Aquam rursus sine participatione terræ posse aquam esse per similia patet.

Aqua sanè cum ad terrenam cogitur densitatem, desinit esse iam aqua, fitque chrystallum: postquam videlicet nouam acceperit substantialemque formam, nam ante fit glacies. Terra igitur non efficit eam esse aquam, sed potius esse non aquam. Aërem rursus non esse terræ participem deprehendet quisquis considerauerit nihil esse mollius, cedentius, penetrabilius aëre: nihil verò ad hæc ineptius esse quàm terram. Non igitur vt aër ipse sit aër, terra facit: cum proprietatem habeat repugnantem. Quod si inferiora seorsum ab aliis ipsa per se sunt aliquid, multo magis ignis, mixtionis impatiens, & omnium præstantissimus, id est, cœlum. Neque indiget terra vt dimensiones inde continuitatemque acquirat: nam ob naturam suam in materia efficacissimam, materiam ipse suam mirum in modum in dimensiones amplificat. Item cum mixtionem minimè patiatur, continuitatem suam ipse sibi conseruat: resistentiam verò quandam, & consistentiam, quam soliditatem in eo vocant; neque propter terram, neque ob trinam dimensionem simpliciter habet, sed per quandam sibi propriam alicubi densitatem, qua non solum repercutiat radios oculorum, sed etiam superiorum vires inferioribus magis cognatasque accommodet, nihil verò terrenum cœlestibus subesse luminibus patet, quia nusquam in cœlo videtur eiusmodi rubor, qualis in colore nubium, quæ terrenum aliquid habent, sed talis potius, qualem vel flamma frequentior, vel congregatus croci pallor reddere solent. Soliditatem sanè quocunque modo resistentem Plotinus aliter esse vult in terra, in aliis aliter. In terra quidem vna cum aspera quadam siccaque duritia propria terræ, quatenus maximè distat à cœlo lenissimo quidem omnium & agillimo: Alibi rursus proprio quodam pacto, in igne nimirum esse suam soliditatem non per terram, sed per solam alicubi sibi propriam densitatem, sicut in aqua sæpè non per terram, sed per propriam cohærentiam coitumque cristallum fiat, atque metallum, scilicet aurum. Quod hic existimare videtur non esse terræ particeps, sed ex aqua tantum fieri more cristalli, sed arctius in se coacta, in qua sit viscus aliquis oleo similis, vnde contingat vt aurum tum propter arctissimam concretionem indissolubile sit, tum propter viscosum humorem fundatur ad ignem atq; liquescat, tum quia non est terræ particeps, rubiginem non obducat, fulgorem verò sortitur à specie ideaque solari. Argentum fermè similiter se habere, nisi quòd Lunam potius sequitur. Soli enim aurum attribuunt auctores alchimiæ, argentum verò Lunæ, Saturno plumbum, stannum Ioui, Marti ferrum, æs Veneri, Mercurio argentum, quod nominant viuum. Hanc verò distributionem in præsenti magis approbo quàm illam quam in compendio Critiæ sum secutus. Videtur verò Plotinus hanc de metallis opinionem ex Timæo potissimum accepisse, vbi metalla nominantur concretæ fusilesque aquæ, & aurum ex aqua inter adamantinas venas compacta, velut florem emergere dicitur. Additur æs, quia sit terræ particeps in rubiginem vetustate conteri dum terra secernitur. Plato igitur etsi videtur terræ nihil in auro similiter in argento ponere, potest tamen probabiliter ex aliorum sententia sic intelligi, vt quod terrenum est in auro, sit adeo cum elementis aliis temperatum, & exactè commixtum, vt secerni ab aliis nunquam possit. Dicatur autem & aurum & omne metallum aqua ab humore quodam glutinoso, ex quo velut ex matre metalla omnia fiunt, quod & primum occultumque argentum viuum nominant; quod à sulphure quasi metallorum patre coqui formarique putant, atque inde metalla omnia fieri, eaque diuersa, quatenus in eiusmodi coitu plus est alterius vel alterius, & prout hoc duorum aut illud est ibi purius vel impurius, ac prout minor maiorue fit coctio. Duo igitur hæc in auro esse purissima, æqualissima, contemperata, commixta summopere, fermè similiter in argento, in cæteris hæc longè aliter se habere. Metalla quidem ad ignem omnia liquefieri, quoniam mater eorum sit humor multus, & oleosus, atque viscosus. Saxa verò non liquescere, quoniam terræ plurimum habeant, humorem tamen non habeant adeo pinguem, nec instar olei glutinosum, sic ex pohere Platonem possumus. Et vbi Plotinus ait: Aurum quum fit aquam cogi in se sine terra, sic accipi potest, id est, quum ad ignem funditur velut aqua, iterum ab igne remotum in se sine adiunctione terræ concrescit. Sed hæc vtcunque quis vult accipiat. Ad institutum denique reuertamur.

Si condensatio sola in humore vel conficit crystalli, vel reficit metalli formam, cur non anima quasi gluten continuet ignem, sibique connectat, & sub vitæ forma contineat? Iam verò sunt & ignea dæmonum corpora, non per terram, non per concretionem quasi gelu coacta; sed per virtutem animæ connectentem in propriam cohibita formam, & sphæricam redacta figuram. Sunt enim supra nos dæmones in sua quaque sphæra quasi stellæ, quamuis plurimum nobis occultæ, figuramque naturaliter orbicularem per interiorem mentis orbem conferente ad idem affectu, locoque in suis corporibus exprimunt. Quamuis quascunque libet figuras sæpè nobis ostendant, dum vel materiam sui corporis agilem modis facilè variis transfigurant, & mox in priorem formam facillimè refigurant, vel per imaginationis affectusque vehementiam, præpugnantium instar, in teneriori corpore quaslibet formas effingunt. Mitto, quòd sæpè non tam proprium corpus mutant, quàm imagi-

nes in nostra imaginatione varias suscitant. Quamuis autem dæmones propriè animalia sint aëria, tamen & igneos, & aqueos sæpè cognominant.

Tres enim propriè sunt ordines dæmonum, tribus plagis aëris assignati: Primi sublimem colunt aërem Lunæ proximum, cœli calore motuque & luce calentem atque lucentem, quem ignem ætheremque appellant: Secundi medium. Tertij tertium. Summus aër nominatur igneus, medius aër aërius, infimus aër est aqueus, dæmonesque similiter. Aëri rursus ita distributo præest (vt aiunt) aëria quædam astrorum triplicitas. Summo quidem aëri Gemini: medio Libra, Aquarius infimo, similiterque dæmonibus. Hos antiqui nonnunquam appellant deos, non quidem simpliciter, sed diuinos dæmones. Sicut & animalia similia in cœlo quidam appellant dæmones, non simpliciter, sed dæmonicos deos. Arbitror equidem cœlestes dæmones non esse in stellarum fixarum, sed Planetarum regione, quasi comites Planetarum stellas, ac proportione seruata, sequi stellarum planetarumque motus, similiterque dæmones in aëre puro cœlestem choream competenti progressione complere. Fortè enim sicut dæmones, sic stellas planetasque propriis per cœlum motibus more animalium gradi quis putabit.

Cœlum est solus ignis. Item quodlibet elementum est alicubi in se purum, quamuis in quodlibet sint qualitates quadam etiam aliorum. Item cœlum est vbiq; Item qualis Hierusalem illa cœlestis.

CAPVT VII.

Septimum caput responsionem ad dubium superiorem confirmat authoritate Platonica, cœlum scilicet esse purum ignem, & quodlibet elementum alicubi esse durum, scilicet id ipsum quod est etiam sine aliis esse, quamuis inuicem suas dotes quasi ab extrinseco mutuentur & mutuent. Item in quolibet elemento esse non dico ipsam aliorum naturam, alioquin confusa prorsus omnia forent, sed qualitatem quandam aliorum elementorum qualitatibus quodammodo similem. Cum enim mundus sit animal vnum, vna vbique primum anima viuens, vnaque materia factum, necessario membrum quodlibet ob eiusmodi vnionem habet aliquid commune cum aliis, & aliorum qualitatis est particeps: Sicut in corpore humano apud Medicos est compertum. Sic cœlestis ignis, non terram, non aërem, non aquam, sed consistentiam, vel aliquam resistentiam habet terræ quodammodo similem, item facilem liquiditatem siue agilitatem aëri congruam, denique lenem blandamque & lubricam æqualitatem aquæ persimilem, cæteraque similiter reliquorum aliquid possidere: neque tamen ea mixtionis ratione confundi, in qua ipsum totum soleat cum toto misceri, nec qualitates tantum quædam, sed ipsæ quoque naturæ materiæque conflari. Sic Plato vbi ait in Timæo: Accendit Deus lumen circa secundam à terra sphæram, declarauit esse in cœlestibus solum ignem, & ex ignis qualitatibus solum lumen. Lumen inquam, solum, id est, primum atque præcipuum. Sub hoc enim ibi sunt cæteræ, quæcunque ibi sunt qualitates, scilicet calor vitalis & blandus, in quo actio motrix omnium & formatrix. Ac dum Plato dicit lumen, corpus ipsum solis intelligit, per se lucens, lumine scilicet manifesto: per lucem videlicet intimam, quæ alterius generis est à lumine, quod inde velut imago solis per omnia maneat. Sed & lux eius intima rursus ab incorporea luce proximè micat: alioquin nec ipsa incorporea foret, nec lumen inde manans incorporeum esse posset. Quod enim incorporeum est in corpore, siue circa corpus quale lumen existit, ab incorporeo fit, quod in seipso consistit. Lumen verò non esse corporeum patet, quia totum subito prorsus illuminat, & sine offensione totum implet, pluraque in vnum statim absque resistentia lumina coëunt, nec sordibus inquinantur. Item Solis lumen nullius subiecti fit proprium, in nullo enim restat ad tempus, nec propriam elementi qualitatem in subiecto requirit vt adsit, sed puritatem cœlo animæque persimilem. Idemque lumen absque collisione, condensatione, rarefactione, mora, tam facilè per spatium se fundit amplissimum, quàm refundit se protinus in angustum. Sic ergo à carbone ad flammam ascenditur, iam à crassiore materia discedentem: à flamma rursus peruenitur ad lumen, quod tenuem quoque relinquit materiam, non enim iam infunditur in materiam, sed funditur potius per materiam. Demum ab hoc lumine quod videtur, procedirur ad cœlestis animæ lumen, cuius vigore motuque, & materia dimensione protenditur, & per dimensiones eius lumen effunditur, perinde ac si à scintillæ cuiusdam rotatu, orbis statim lucidus emicet. Sed de hoc in Theologia satis. Quod autem Solis globum proximè collosuper Lunam, non solum Platonis opinio est, sed Aristotelis, Ægyptiorumque & multorum insuper tum antiquorum, tùm etiam posteriorum Philosophorum. Magnam esse distantiam inter Saturnum & Iouem, & inter Iouem atque Martem, patet ex eo, quòd Saturnus circulum suum peragit annis xxx. Iupiter xij. Mars verò duobus. Magnum quoque interuallum esse à Marte ad Planetas qui anno percurrunt, similiter est manifestum. Magnum denique inter hos atque Lunam, quæ mense cursum implet, planè compertum habemus. Cum igitur Sol & Mercurius atque Venus anno tempore reuoluantur, ideoque inter se sint proximi, quæritur quis horum trium sit Lunæ propinquior.

Probabile quidem est, illum esse propinquiorem, in cuius sphæra longior est diameter, vnde maxima distantia sit ad Lunam: longiorem verò esse in Sphæra Solis verisimile est, vt grandiori Planetæ magis accommodetur. Verum quid de his Mathematica ratio velit, satis alij pertractarunt. Physica certè ratio postulare videtur, vt fons caloris & fons humoris scilicet vitalis, id est, Sol & Luna proximè coniungantur super hanc mundi plagam generationi dicatam, quæ in primis humorum velut materiam & calorem exigit quasi fomentum. Præterea Sol & Luna contigua possident domicilia: Luna Cancrum, Sol verò Leonem. Exaltationes quoque contiguas: Luna Taurum, Sol Arietem. Iure igitur sphæras quoque contiguas habent.

Hoc denique ordine Mercurius inter Planetas quasi sapiens medium obtinebit, & meritò, cùm debeat in omnes æquè conuerti, & facilè conformari, vt celerius omnium actiones expediat. Siquid insuper oculis credendum foret, dicerem Solem ac Lunam propterea quod nobis vtrinque sint proximi, maximos apparere. Visus verò declarare videtur propinquitatem: propterea quod manifestè in nos agant quàm plurimum: adeo, vt reliqua ad hæc comparata ferè nihil agere videantur. Denique Luna que tanquam stellarum infima Sola lucem non possidet manifestam, merito Sola est, sub Sole, ac proxima Soli, vt à lucidissimo manifestum lumen commodius mutuetur. Mutuatur autem speculi more, similiterque reddit lucis imaginem: Appellat autem cœleste corpus album, id est, luminosum, ac dum album dicunt, significant nitidissimum. Quod enim est inter colores albedo, id planè est ibi nitor. Per hæc innuit formam palloris aut ruboris non esse quidem in stellis, sed ob vapores quosdam nobis ita videri: Scimus enim ignis lumen quo prius est, eo esse nitidius. Contrà verò rubet in materia crassa: pallet in media, sed in tenuissima nitet. Subdit feruentem flammam nec in cœlestibus esse, nec ad cœlum vsque percurrere, sed vel extingui vento, vel si fit in materia ficciore atque tenaci, in fulgure reflecti deorsum, vel si altius insuper reuolauerit, creare cometas, sin autem diutius ibi flamma restiterit, amplificare per ætherem, mitioremque euadere, lumenque à cœlo sortiri. Post hæc totum cœlum dicit esse lumen, quamuis ob tenuitatem nostris oculis inuisibile, in quo tamen stellarum lumina propter densitatem aliquam appareant: Lumen profectò purum prorsus videri non potest, sed mixtum, vel sub cœlo materiis alienis, vel in cœlo soliditati cuidam & resistentiæ quasi terrenæ, non dicam soliditatem in cœlo more quorundam, quæ tangenti resistat (hæc enim reuera est propria terræ) sed quæ radios vel congreget, vel reflectat. Protenditur verò lumen hoc etiam inuisibile, vt in decimo de Repub. traditur, per mundum vndique vniuersum quasi mundanæ animæ visus, quo suum id totum cernat, & tangat, & foueat. Putant Platonici sphæram quoque Solis esse suæ animæ visum, & alias item sphæras globosque visus aliarum cœlestium animarum. Vnde videmus in omnium oculis nihil aliud visum esse quàm radium, & oculorum figuras qualitatesque esse cœlo simillimas, quodue videtur esse lumen, vel luminis apprimè participes, id est, colores. Sed stellæ Planetæque oculi sunt non visuales tantum, sed visibiles, quibus & animalia videant, atque inde regantur, nam per radios densiores virtutes eorum nobis magis accommodantur.

Spheræ verò reliquæ, oculi sunt inuisibiles, oculis, dico, terrenis: nam æthereis oculis, id est sensu, qui in nostro viget æthereo corpore, perspici possunt. Esse verò lumen hoc occultum, siue ignem spiritumque vitalem diffusum per vniuersum, Plato comprobat in Timæo. Vniuersæ, inquit, naturæ circuitus, cum circulari ambitu suo reliqua rerum genera sit complexus, secumque ipso congredi studeat, constringit omnia, locumque vacuum relinqui nusquam patitur. Quocirca ignis per omnia maximè penetrauit: Deinde aër, vtpote qui igni tenuitate sit proximus: & alia simili ratione deinceps. Hic existimare videtur primam ipsam ignis occulti naturam, à spiratione quadam mundanæ animæ prodiisse, atque ab intimo circuitu animæ in circulum prosiliisse, cuius virtute elementa reliqua coaluerint: quæ mox ignis ipsius ambitu comprehensa, & quasi cohibita vacui, nihil intra se reliquerit. Item, cùm ignis ille amplificatus in orbem cuperet, tum intus vbique secum ipso congredi, tum nihil vsquam relinquere vacuum, penitus omnia penetrasse minimè penetratum: subindè aërem penetrauisse similiter aquam: aquam denique terram: adeo vt si à centro gradatim medios per orbes ascendas, vbi terra est, sis tria reliqua reperturus præsentia sibi inuicem potius quàm confusa.

Deinde, vbi aqua, ibi cætera duo: vbi aër, illic & ignem: sic quatuor elementorum orbes inter se comparantur, vt angustissimus orbis sit terrenus: latior aqueus, tum implens intrinsecus terram, tum terræ superficiem supereminens. Aëtius quoque terra similiter & aqua sit latior: igneus denique ratione simili omnium sit latissimus, cuncta tum extra fouens, tum intrinsecus alens. Hunc igneum spiritum & vitalem Arnoldus & Rhaimundus putantes rebus omnibus insitum, & quintam appellantes essentiam, diligentissimè perscrutantur, quibus machinis ab aliena materia separent, & segregatum qua potissimum custodia sibi conseruent ad vsus, vt sperant, omnium saluberrimos. Mitto quòd sperant si hunc ex vino tanquam valdè cœlesti diligenter acceperint, eum se adhibituros auro cœlesti quàm maximè: quem mox aurum combibat vt cognatissimum, semperque retineat, fiatque potabile. Sed hæc illi viderint: Equidem certo scio, nisi spiritus eiusmodi rebus omnibus insit, non posse multos præstare quæ pollicentur: neque verum esse Platonicum illud, posse scilicet mundi vmbilicum esse ignem. Probabile quidem est centrum cardinemque vniuersi non fæcem esse terrenam, sed potius ignem. Quod scribitur in Phædone, vbi de montibus nubes superantibus agitur, scilicet terram puram in puro iacere cœlo, in quo sunt astra, verum esse non potest: nisi vel cœlum illic aëri puto sit infusum, vel solum ibi sit cœlum, quasi vnicus sit orbis super nubes. Sed orbis vnitatem in præsentia dimittamus. Forsan verò summus ille Theologus vbi ciuitatem inquit, cœlestem habere duodecim fundamenta, ciuitatem intelligit vitalem hunc spiritum vbique regnantem, fundamenta verò duodecim, sphæras mundi duodecim: octo scilicet cœlos super ætherem, rursusque cœlos quatuor per ætherem scilicet aërem, aquam, terramque suffusos. Describit & portas duodecim, tres ab Oriente, tres item ab Occidente, tres à Meridie, tres rursum ab Aquilone; vt quatuor signorum ostendat triplicitates, quarum vna sit Orientalis, id est, ignea, Arietem, Leonem, Sagittarium continens. Alia rursum Occidentalis, id est, aëria comprehendens Libram, & Geminos & Aquarium. Alia item Meridionalis terrea. Taurum & Virginem habens & Capricornum. Alia demum septentrionalis, Pisces, & Cancrum, Scorpiumque complectens. Proinde vbi totam ciuitatem ait factam ex auro puro; fulgorem hunc igneum per omnia vult esse diffusum. Addit hoc aurum esse simile vitro puro atque perlucido: id est, diaphano simul atque lucenti. Si enim aut


vitri perspicuitati pervia, lucem quasi propriam adhibueris, aut auri naturali fulgori perspicuitatem adiunxeris, velutpropriam, habebis iam cœli substantiam, quæ quidem est vbique translucida, simul & lucida: etsi nobis non apparet vbique. Vbi verò Theologus addit lapidum pretiosorum, varietatem stellarum significat lumina, vel apparentium nobis, vel nonapparentium. In qualibet enim supra nos sphæra mundi, suæ quædam stellæ sunt magnitudine potentiaque mirabili, quamuis non vbique conspicuæ. Totum verò inseipso lucere necessarium est, si cœlum est vbique, si lux est propria in cœlo, si lux est qualitas præstantissima reliquarum origo formarum. Quod autem diuersis in stellis aliter aliterque fulgeat, non alia quidem, & alia mixtione contingit, sicut in coloribus nostris accidere solet: sed propriis quibusdam raritatis, densitatis, distantiæ gradibus. Sic & croci color congregatus quidem rubet, diffusus verò pallet, diffusissimus denique nitet. Mitto quantum in his è longinquo, & per media diuersa nos fallat aspectus. Sed præter lumina, cælestibus adde virtutes quoque diuersas, ex quibus & colores ibi varij, & actiones inde proueniant, non quales ab elementis, sed proprietate quadam occultiori, scilicet speciali fermè, quali ferrum trahitur à magnete. Nam quæ apud nos sic agunt, agere dicuntur virtute cœlesti.

Confirmatur cœlum esse tum ex anima, tum ex corpore sempiternum: & quamuis sit ignis, tamen in orbem natura moueri.

CAPVT VIII.

Octauum eaput dubitationi respondet quærenti: Vtrum cœlo quicquam defluat aut influat? respondet effluere nihil. Nam & anima suum vbique continere spiritum potest, & spiritus libenter obtemperat animæ, neque in hoc velut potentissimum inferri aliunde violentia potest, omniaque prius est in se conuersurum, quàm ipsum conuertatur in aliud. Cùm igitur nihil deffluat inde, meritò nihil oportet effluere, quo seruetur. Neque licet fingere cœlum esse aliud præter ignem, vt circuitus ei sit naturalis. Circuitus enim naturalis est omni corpori sphærico in suo loco pòsito, quotiens moueatur, rectus verò motus, aut violenta quædam è naturali loco deturbatio est, aut subitus in locum reditus naturalem. Inter hæc vbi ait potissimam ignis actionem calefactionem esse, intellige ignis elementalis commixtique actionem. Nam præcipua cœlestis ignis actio ea est, quæ præcipuam actionem cœlestis animæ refert, id est, intelligentiam, eiusmodi verò illuminatio est. Postremò, in fine libri notabis, naturam in rebus sub Luna compositis, quasi vel debiliorem, vel in loco debiliori, vel inter debiliora non conseruare perpetuam in singulari composito vitam: imitari tamen per continuam generationis successionem, qua seruat speciem, quoad potest cœlestem virtutem, quæ speciem simul indiuiduamque conseruat. Conseruat, inquam, procul à substantiali motu, neque tamen seorsum à motu locali. Sola enim intellectualis natura omnem à se motum procul expellit.

(∴) (∴) (∴)



IN LIBRVM

ENNEADIS SECVNDAE,

II. COMMENT.

SVMMA LIBRI.

Cœlum mouetur ab anima propria, rationali, intellectuali, & in orbem agitur : quoniam anima & intellectus in seipsis circuitus agunt.

M*OVERI cœlum non à natura quadam tanquam elementali vel simili, sed à vita : non à vita quidem externa, sed interna: per quam cœlum viuat, vita inquam rationali, imò etiam intellectuali. Item cur moueatur in orbem, atque quo pacto, & Plotinus in præsentia disputat, & nos in Theologia latius pertractamus, satis igitur nunc fuerit breuiter attigisse. Cœlum viuere demonstrat materia formaque illius viuentium omnium præstantissima : motus maximè sibi naturalis & intimus, nunquam deserens semetipsum: actio perpetua naturaliter cuncta viuificans : Item rationali vita cœlum viuere, ordo in motibus rebusque omnibus inde genitis mirabilis indicat : Rursus intellectuali virtute vigere declarat constantia in rebus motibusque tam diuersis efficiendis semper immobilis. Neque igitur vel temerario quodam casu opus tam miranda perpetuaque ratione dispositum agi mouerique putabis : vel forte ratione quidem agi regique, sed quasi cæca quadam tantùm rudaque ratione naturæ, quemadmodum à vegetali virtute per seminarias rationes tum in animalis membra, tum partes in planta formantur. Eiusmodi enim ratio naturalis duntaxat, irrationalis, vt ita dixerim, est & cæca, cùm nullam sui ipsius habeat rationem, neque seipsam aliquando se animaduertendo possideat : Tanquam igitur imperfecta regitur a ratione quadam perfectiori quæ in virtute animæ viget, si opus sit rationaliter discurrente. Atque hæc rursus velut mobilis à perfectissima regitur, quæ in mente regnat immobilis. Illa tandem ratio est, verbumque Dei, quo tanquam primo quodam cardine cœlum agitatum simul est, atque firmatum. Sed iam redeamus ad animam. Anima mundi mater, ex intellectu diuino mundi parte per intellectum prægnans, mundum per rationem concipit in natura. Ex naturali denique fœtu dum ad partum confert imaginatio quadam affectusque simul, mundus nascitur, imago mentis, rationis expressio, vitæ propago necessario viuens. Hinc Orpheus Iouem mundi fabrum & masculum appellat & fœminam. Plato etiam mundi architectum alicubi mentem intelligit simul & animam, tanquam patrem simul matremque mundi. Animam esse quinque rerum generibus constitutam, & quâ ratione in Theologia Timæoque diximus, & dicemus: essentia, videlicet, & eodem & diuerso, statuque & motu. Essentiam igitur animæ mundi essentia refert : ipsum quoque animæ idem, eadem in mundo materia communis & forma. Rursus diuersum animæ repræsentat hic materiæ huius extensio distinctioque formarum. Motum animæ similiter mundi motus: animæ quoque statum mundi status in motu. Cùm enim mundi motus sic stare debeat, vt neque substantiam mutet, neque naturalem relinquat locum, meritò reuoluitur circa idem: Ita prorsus etiam dum mouetur, minimè discedit â statu, & reuolutionem animæ repræsentat. Anima enim exordiens a bono simul atque intellectu ad idem rursus per intellectum voluntatemque reuoluitur, ac si ratione discurrat, ad easdem formas vnde discurrere cœpit, per easdem denique redit. Genitalis quoque natura imaginatioq; naturæ comes, sic ex potentia in actum in se rerum motionumq; generandarum semina promit, vt & ordinatissima perpetuaque successio fiat: & tandem ad eadem vel similia certis temporum curriculis redeatur. Hanc reuolutionem iam facile saltem mundi reuolutio sequitur, quam facile motio formatioque in spiritu nostro, sequitur efficacem naturæ præpotentis instinctum, similisque imaginationis affectum. Hæc autem libri totius est summa.*

Cœlum dum mouetur in circum, quantum potest in qualibet sui parte fit totum, atque ita vbique totam assequitur animam. Manet autem per indiuisibile centrum sicut anima manet per intellectum, atque substantiam.

CAPVT I.

TRadit verò Plotinus in capite libri primo ex Platonis nostri sententia, cœlum moueri per orbem, quoniam intelligentiam imitetur, proximè quidem intelligentiam cœlestis animæ, altius insuper diuinæ mentis intelligentiam. Hæc enim primus circuitus est tum à bono retortus in bonum per ipsam boni lucem, tum ex intellectu in eundem intellectum per formas propria reuolutus. Circuitus ergo & in anima fit virtute mentis & in cœlo mentis imitatione peragitur. Sed in mente quidem & quauis intelligentia momento

fit æterno: in discursione verò animæ propria saltem particulari fit tempore: in cœlo tandem non corpore tantùm, sed loco etiam cogitur indigere, qualiscunque sit locus. Quæritur autem quidnam edat eiusmodi motum? Non corpus ipsum cœli, corpus enim qua ratione corpus nihil agit, anima igitur motum ex se producit in corpus, neque tamen generis eiusdem est motus in anima simul & corpore. Nam & in corpore nostro spirituq; per voluptatem quidem fit dilatatio, contractio per dolorem ad quendam animi motum, qui neque dilatatio, neque contractio in animo tanquam in diuino esse potest. Est autem anima scilicet secunda ex qua fit proximè motus, ita quasi continua corpori, vt ex ea & corpore animal vnum, scilicet cœlum efficiatur. Ac dum ipsa quodam motu formali, id est, ab actu quodam formæ in alium formæ actum affectumque voluitur, iterumque reuoluitur, interim cœli motu quasi locali aliter & aliter figuratur. Si ergo staret anima, staret & corpus: quamuis ad motum animę corpus aliter moueatur. Iam verò corpus qua corpus est, quatenus per diuersas dimensionis partes extenditur, id nactum est, vt per diuersas quoque partes temporis perducatur. Haberet etiam vt traheretur in rectum, atque ita forsan dissiparetur, nisi in figuram sphæricam fuisset ab anima intellectuali redactum, vnde factum est ad circuitum natura propensum. Itaque corpus cœli cogita quasi spiritum ab expirante anima prosilire velut in rectum, dispersioni sic prorsus obnoxium, sed vicissim anima respirante protinus cohiberi: atque cum flante anima quiescere nequeat, in orbem circa animam, imò intra animam necessario retorqueri. Huius ergo motum non omnino localem esse memento: Locum enim quem nactum est ab initio, nunquam mutat: neque totum hinc illuc aliquando transit, sed partibus quodammodo transeuntibus totum interea conquiescit. Motus ergo circularis cœli localis est per accidens, id est, secundum sui partes pertransit loci partes per accidens, id est, non ex proposito animæ principali. Quidnam est principale propositum animæ simul, & præcipuus corporis huius instinctus? Motus certè in anima est transitus quidam de alio semper in aliud. Quum enim pars eius inferior non sit adeo potens, vt sicut superior cuncta simul in se promat in actum, velit autem in actum sua omnia promere, successione perpetua facit quod semel consequenti nequit: quum verò terminatæ sint species actuum, omnes postremo consummat, sed cunctas adhuc similiter appetens, vicissim replicat omnes, idque quam celerrimè peragit, vt ipsa resumendi celeritate videatur quasi nondum amisisse.

Eadem ratione atque similitudine cœlum configurationes omnes perpetua successione vicissitudineque commutat. In hoc itaque tum animæ, tum cœli nixu præcipuum notum non est transire, sed semel quoad fieri possit actu cuncta complecti: ac si pertranseant quamprimum transacta resumere, actumque cunctorum continuare. Est igitur animæ motio vitalis, sentiens, excogitans: sed ita simul, vt affectet omnes viuendi, sentiendi, cogitandi actus, & formas simul habere, & absolute omnes animaduertere. Item similiter per totam se conuiuere simul vndique sua mutuo omnia persentire: simul quoque cognoscere, vt vbique totius sit vita, sensus, conscientia sui, non extra se intra procedens. Similis huic sit motio cœli. Finge spatium quoddam æquale cœlo, in quo rotetur, siue spatium hoc sit aliud præter cœlum, siue potius id ipsa sit cœli natura: idque spatium sicut & cœlum in cētrum deinde portiones, à circumferentia scilicet ad medium productas in longum, lineis vndique designatas, ab amplo videlicet in angustum paulatim ordine desinentes. Hoc itaque tanquam fundamentum naturam esuam cœlum se toto, totum appetit possidere: se toto inquam, id est, cunctis vndique partibus suis vnamquamque partem eius attingere. Nequit autem contingere simul: id enim spatij protensio prohibet: properat itaque celeriter succedendo per omnes sui partes, mox partes eius attingere singulas, vt totum vbique toto naturali spatio, imò tota sui natura pariter perfruatur. Atque hoc est quasi communis & mutua vbique conspiratio vitæ, & quasi quædam intimi sensus cognitionisque communio. Iam verò & ita videtur animam quæ per hoc ipsum spatium tota est simul vbique pro viribus imitari, dum ipsum quoque quam celertimè vbique fit, totum totamque vbique sic assequitur animam, motu scilicet quodam anima quæ mouetur: mouetur inquam anima non solum formali intimoque sicut dixi motu: sed quodammodo etiam motione locali, quatenus ipsa non residet in angusto, sed per totum vndique spatium se diffundit. Non enim posset corpus & extensum & mobile aliter vita formare, quàm sui quadam diffusione motuque. Est enim vita corporis, & motio quædam, nam & corpus solidum viuit eatenus, quatenus per ipsum spiritus se diffundit & agit: & spiritus ipse viuit, quatenus per ipsum similiter anima se propagat. Quod igitur in animali siue particulari siue mundano præcipuum est, id est, anima, connectit reliqua id est, spiritum suum proximè, id est, cœlum: connectit inquam, tum sibimet animæ tum sibi ipsi cœlum: per cœlum quoque velut spiritum connectit similiter reliqua insuper elementa simul & mixta. Vult autem Plotinus circuitum igni ex prouidentia naturę necessitate competere. Mens enim diuina præuidens ignem fore corpus, & corpus quia per substantiam in partes extenditur extra partes ideo per actionem in momenta secundum prius atque posterius processurum, quod quidem est moueri, & id quidem ex prima corporis natura, rectè moueri: & idcirco igneum corpus dissipabile fore cognoscens, meritò vt caueret interitum, primæ corporis naturæ, id est, dimensioni naturaliter mobili, mox quasi secundam adiunxit naturam, id est, sphæram dimensioni figuram. Tota igitur igni natura à prouidentia tributa est per primam, siquando extra naturalem locum fuerit constitutus, recto velut breuiori tramite sedem propriam repetit per secundam simul & primam, postquam in sedem propriam se recipit, libentissimè conquiescit. Cum verò dum in loco proprio permanet, permaneat etiam in natura, quæ quidem est moueri, mirò illic quiescit motu. Quod sanè nihil est aliud, quàm circa idem centrum ambitumque reuolui, conferente videlicet ad hoc tum hac ipsa natura quæ est moueri, & in loco proprio immotu quiescere, tum etiam circulari figura. Ad idem præterea confert ipsa necessitas naturam & prouidentiam sequens: nempè quum ibi quoque moueri appetat naturaliter, vel etiam si fortè velit in rectum ex natura videlicet prima, neque ta-

men possit in rectum, per eadem necessitate relabitur. In rectum inquam non posse, neque enim datur eiusmodi spatium infinitum. Nam in eiusmodi spatio in tectum sparso per partes extra partes naturalis paulatim spatij virtus debilitata per immensum vigere non potest. Neque putandum est per certum quoddam spatium in longum rectè productum corpus cœleste vices hinc inde repetere. Oppositi enim motus illi inter se forent, ideoque inter illos vndique media quies interueniret.

Primus itaque motus non vniformis perpetuusque foret, sed difformis statim & interruptus. Ignis ergo cœlestis in loco proprio positus perfecto semper perpetuoque orbe rotatur: præsertim quoniam moueri huic in loco non est aliud, quàm in seipso moueri, Partes enim vniuersi corporis in alio præter seipsas loco sunt. Vniuersum verò corpus præcipuè per extimum eius ambitum locus est vniuersus: quemadmodum singuli quidem motus in temporibus certis aguntur: primus autem vniuersusque motus, idem fermè est atque tempus: sicut & status primus æternitas. Proinde quòd in hoc orbe perfecto continuoque & perfectè moto per orbem aliquid ipsius maneat, inde patet, quia neque quicquam rectè motionis habet, neque totum ipsum aliundè mutat locum. Item non posse aliquam huius orbicularis & solidæ dimensionis partem, quæ dimensionem habeat permanere dum tota mouetur, constat ex eo, quòd motu non frangitur, sed vbique permanet integra simul atque continua. Hoc ipsum ergo quod manet in orbe, dum agitatur est indiuiduum, & id quidem orbis est medium. Nam quum medium versus crescat tarditas paulatim, constat ipsum medium penitus conquiescere. Ac si fingas dimensionem aliquam in medio positam esse centrum: certè hæc quum comprehendatur in sphæra, sphæricè figurabitur. Tum verò quæram: vtrum sphærula hæc tota maneat necne? Si totam dixeris permanere, vniuersus iam fractus est orbis: sin per circumferentiam quidem volui, per centrum verò quiescere, de centro rursus interrogabo. Si diuisibile dixeris, redibit quæstio prior: atque infinitè cogeris errare, neque medium inuenies vnquam: sin indiuiduum confiteberis, fatearis oportet, solum indiuisibile aliquid in sphæra continua quietem agere. Idque non tam signum esse aliquod atque punctum, quàm ipsum sphæræ cor, animæque virtutem, aut ipsam potius animam. Quum verò ad hoc indiuiduum, quasi viuificum fundamentum totius orbis naturali desiderio properet, neque ad indiuiduum cogi velit, ne naturalem perdat figuram meritò circumuoluitur. Sic enim per omne punctum lineamque in sphæra signatam tota sphæra se inserit paulatim, vt sic saltem quasi videatur indiuidua fieri, & tota vbique sicut & anima, atque vndique tota totam animam contueri. Iam verò non negabis, vt arbitror, totum hoc viuere, dum considerabis in huius aluo, huiusque virtute minima quæque viuere. Si autem totum viuit, viuit maximè cœlum, quod pars totius maxima est, & totum. Quod si cœlum vitæ diuinioris instrumentum ad viuentia generanda, confiteberis adhuc naturale hoc & proximum vitæ diuinioris quasi genitale, vt ita dixerim, instrumentum, vita iam propria viuere, cuius formento, in cuius verò vitam omnia coalescunt. Siquidem non aliter quàm per hoc iam factum inde viuum, in reliqua beneficium viuendi traducitur. Vita hæc cœlo propria, est ipsa cœli & vniuersi natura, per quam cœli motus velut primus & naturalium motionum ductor, est maximè naturalis & intimus, voluntariusque quam maximè, vt tam libenter cœlum ita moueri velit, quàm studiosè vel vita superior, vel propria cœli vita cum superiore consentiens mouere decernit. Hinc fit, vt motio hæc facillima sit atque perpetua: tum quia in sphæra, eiusque motu quodcunque signaueris quasi finem, erit similiter vt principium: tum quia virtus actusque mouendi in anima, est ipsamet naturalis animæ vita. Hac itaque vita, hac anima quæ vbique tota est, & quasi mouetur, reddit totam se vbique præsentem, sicut in momento lumen: cœlum quoque vtcunque potest reuolutione duntaxat vbique fit rotum, per quæ motu fruitur anima mobili, neque assequuturum est quam sequitur animam, aliquando aliter quàm momento quolibet assequatur. Itaque ad animam, imò etiam intra animam suo quodam pacto perpetuo reuolutam, cœlum suo quoque modo sempiternè conuoluitur. Sic & totus orbis per quaslibet sui partes quibusdam fruitur sui spatij naturæque partibus, & quælibet sphæra minor per totum vndique connexum toto superioris concauo assiduè fruitur, dum reuolutione perpetua cunctas sui partes ad partes amplioris singulas adhibet, idque semper agit amore. Sic & ampliores orbes per omnes sui plagas quaslibet inferiorum plagas aspiciunt atque fouent. Sic tandem variatis supernè motu figuris, apud nos variantur & formæ, multiplicanturque singula, & per similes reuolutionum reditus similibus apud nos redeuntibus, cunctarum species conseruantur.

Anima rationalis libero motu mouetur, irrationalis sequitur vniuersum. Item in vniuerso circumferentia desiderat centrum, eoque fruitur per circuitum. Item ex circuitu animæ mentisque circa Deum prouenit in cœlo circuitus.

CAPVT II.

In secundo capite quæstiones circa superiora mouet & soluit. In prima quæstione notabis cœlum quidem per omnia esse diffusum, corporaque omnia vel proprias cœli partes esse, vel partibus eius annexa, ideoque cœli tractu moueri. In quæstione secunda considerabis omnem rationalem animam existere aliquid in se totum, nec esse vniuersæ animæ partem. Quod quidem præcipuè patet ex tribus: Primo quia nulla pars toti continua motu proprio reflectitur in seipsam: nulla rursus toti æquare se potest: nulla denique toti repugnat. Anima verò rationalis in seipsam sui ipsius animaduersione conuertitur: ordinem vniuersi metitur, ipsumque transcendit ad causam vniuersi procedens: seipsam aliter sæpè ducit quàm trahat natura totius: siue surgat in melius, siue labatur in peius. Quod autem apud nos est, siue corpus, siue vita propria corporis, pars quædam est mundani corporis mundanæque vitæ: ideoque plurimum tractum sequitur vniuersi. In tertia quæstione tractatur, mundi corpus idcirco perpetuo peruagari, vt pro viribus vbique sit totum, sicut vbique tota simul est anima, & vbique similiter anima perfruatur. Hinc

conclusiones quædam in medium adducuntur: Prima eiusmodi : Cùm potestas animæ, scilicet vitalis in centro mundi, velut in animalis corde maximè vigeat, atque inde per totum vndique se diffundat, meritò corpus hoc mundanum vitæ cupidum circa medium sese versat, ad idem, videlicet, ab anima ductum. Sic enim ad quaslibet lineas à circunferentia deductas ad centrum sese totum conferens, per easdem centrum vndique videtur attingere. Neque verò iniuria à centro fit tum molis extensio, tum propagatio vitæ. Hoc enim est necessario primùm, quoniam indiuiduum est, ac prorsus immobile. Vnum quodque verò prius in se hoc ipsum, quod est cogitatur esse, quàm extendatur, atque quod est indiuiduum, atque stabile diuidua omnia mobiliaque præcedit. Secunda conclusio: Sicut in corpore mundi mediũ est, & à quo cætera pendent, sic in anima medium est intellectualis ipsa substantia : à qua tum reliqua virtus omnis, tum vita secunda procedit. Atque, sicut in anima quod reliquum est, circa præcipuum eius velut medium retorquetur: sic tota machina circa centrum. Vbi notabis ipsam cœli substantiam non minus, imò magis in centro ac penes ipsum, quàm in circumferentia esse ponendam. Conclusio tertia. Sicut corpus circa animam, sic anima voluitur circa Deum: voluitur inquam tum perpetuo quodam naturalique instinctu, quamuis nobis occulto, tum meditationis studio & amore, tum verò & si non assiduè quælibet anima permanet penes Deum, quælibet tamen certo circuitu quandoque redit ad Deum. Item si qua non possit vnico vel intuitu contueri, vel tactu tangere Deum, saltem intuitu tactuque multiplici vicissim se versat in Deum. Post hæc quæritur: vtrum idem rationales animæ omnes efficiant? Respondet statim, omnes semper efficere : omnes enim perpetuo quodam intelligentiæ actu, quamuis nobis occulto diuina mente Deoque fruuntur. Omnes rationali quadam discursione idem vel agunt, vel agere moliuntur. Hic autem animaduertes omnem actum ab alio termino in alium procedentem, etiam si fiat subito ac sine medio, motum posse vocari : sic intelligentiam ex mente diuina procedentem in ipsum Deum, motum & circuitum quodammodo nominabis. Actum verò ab alio in aliud subito quidem, sed per medium procedentem, motum nomine magis proprio poteris appellare : hoc inquam motu intellectus animæ per diuinum intellectum quasi medium vertitur circa Deum. Actum denique ab alio in aliud tum per medium tum tempore transeuntem, nomine maximè proprio motum ritè vocabis. Hoc rationalis natura circuitu, tum in se voluitur circa formas, tum ex se ad intellectum suum, perq; hunc ad diuinum, perq; diuinũ se vertit ad Deũ. Quæritur deinde vtrũ corpora nostra sic ad reuolutionẽ animæ nostræ: sicut mundi corpus ad animæ suæ ambitum reuoluantur? Respondetur : corpus quidem solidum & compositum id minimè facere, quia potius moueatur in rectum : tum quoniam quæ in eo sunt extra locum sunt posita naturalem : tum quoniam ob indigentiam trahitur ad externa. Corpus verò cœleste quod est in nobis occultum, orbicularem sui figuram ad figuram terreni corporis cui insinuatum est ab initio redegisse, quum hinc exierit eam subito recepturum: Interea verò orbicularem motum quodammodo impediri: posse quinetiam tentari pro viribus atque agi, quatenus fert corporis terreni figura. At cùm primum anima terrenum exuit corpus, quolibet animæ nutu corpus illud agillimum similiter agitari. Est enim quasi quidam animæ oculus, sed facilius animæ nutu rotatur, quàm oculus noster visualis virtutis aspectu. Subdit Deum cunctis inesse velut centrum, suaque velut esca mentes & animas ad se prorsus allicere: atque has quidem non tam notitia, quàm affectu se vertere circa Deum, eodemque affectu pro viribus ad idem conuertere corpus. Non enim notitia, sed affectus est mouendi principium. Illa enim quasi imaginaria, hic autem substantialis potius esse videtur : illa rursus in se potius requiescit, hic verò transfertur ad aliud. Inter hæc si de motu stellarum quæsiueris, Plotinus cum Platone respondet : eas non tantum à sphæra moueri, verumetiam proprio circa suum centrum motu versari. Quoniam quæ quasi seiunctæ propriam substantiam vitamque possident, motum quoque proprium habeant. Moueri quidem stellæ globum ad animæ motum : ita vt quemadmodum anima circuit circa Deum, sic & globus circa suam animam reuoluatur. Vbi dicit animam Dei fruentem gaudio protinus exultare, significat globum ibi cœlestem non tam animæ cupiditate, quàm gaudio volui : sicut & animi nostri gaudio spiritus dilatatur, membraque gestiunt. Quod autem dicit circuitum ibi fieri non consilio, sed necessitate naturæ, intellige tum ipsum bonum necessario quodam tractu rapere animas intuentes : quoniam ipsum bonum quod omne bonum est, in quo omnis volendi ratio continetur nolle non possit : tum quoniam animæ id intuentes non consultent. Deinde vtrum eligant necne, & vtrum sic corpus aliterue moueant sed primo subitoque instinctu appetant, gaudeantque, & moueantur, & moueant : præsertim quoniam in qualibet mente idem est esse naturale suum atque intelligere idem fermè intelligere quod & velle. Similiter in vegetali natura quæ ibi mentem sequitur, idem est viuere; viuificare, mouere. Triaq; hæc, tria illa necessario comitantur.

Quòd vires sunt in anima mundi, & quomodo ad orbem superiorum inferiores orbes mouentur, atque ad circuitum infimè cœlum denique circuit.

CAPVT III.

TErtium libi caput hunc in modum superiora confirmat : Anima prima in mundo tanquam animali suo regnans, vitalem quidem virtutem à centro velut corde per totam propagare videtur, sensualem verò motricemque à sphæris superioribus velut à capite inchoans cæteris inde communicare, rationem exercere in se, mentem in mente diuina. Quod quidem mysterium ab Orpheo videtur acceptum. Iam verò quemadmodum sphæram videmus superiorem continere inferiorem atque mouere : sic animæ mundanæ substantia vitam corpori suo communicatam complectitur atque circunducit. Similiter vires in hac ipsa substantia, vires in hac vita conuoluunt. Est in ipsa substantia intellectus, ratio, imaginatio prima, quæ sensus primus est, & commmunis, & omnis : quæ rationi coniuncta

sæpè nominatur opinio: sicut & ratio imaginationi coniuncta vicissim opinio nuncupatur. Hæc ratio, hæc imaginatio, suaptè natura tales sunt, vt officia sua discurrendo tempore transfigant, nisi mente corroboratæ regantur: suos tamen quamuis momento circuitus agunt: sicut & radius visualis, & quilibet momento fermè eodem foras emicat atque reflectitur. Ab hac igitur animæ mundanæ substantia, quæ natura sua dignitate naturæ separata est à corpore, non aliter mundanum corpus alitur atque ducitur, quàm per vitam (vt diximus) inde corpori prorsus addictam: quæ quidem vita à superiori substantia, quantum substantia est, habet vt alat, moueatque alendo: Quantum verò illa substantia est cognoscens, habet rursus vt imaginando cognoscat. In hac itaque vita officium genituræ ita cum imaginatione concurrit, vt sese mutuò moueant. Sicut ad genituram parata est, sic prorsus imaginatur: sicut vicissim imaginatur, ita fit promptior ad gignendumdum. In nobis quidem virtus eiusmodi neque patet superiori virtuti nostræ, eamque latet agendo; siquidem, non tam inde, quàm à mundi natura dependet: tum quia, cùm anima nostra primùm descendit in corpus, corpus iam alia vita viuit: tum quia hæc vita corporis etiam si ab anima nostra dependeat, cùm tamen euadat propria corpori: corpus verò nostrum sit pars corporis vniuersi, meritò & ipsa vitam sequitur vniuersi. At verò in mundi vita & natura comitatur imaginationem sibi coniunctam, atque vicissim, & vita hæc cum virtute simul vtraque ex animæ substantia prodit, & micat ex animæ viribus, atque inde mouetur. Sed quoniam vita hæc singula genitura est, imaginatur & singula: atque vt ipsum vniuerso ordine ritè queat imaginari, ducitur ab imaginatione priori rationaliter singula cogitante, vtpote quæ proximè fit rationi coniuncta. Ratio verò vniuersa vicissim contuetur & singula: Intellectus denique in vniuersis singula comprehendit. Quamobrem cœli motus in orbem sequitur suæ vitæ motum: quatenus eiusmodi vita à superiori virtute substantiaque velut orbe comprehenditur & retorquetur in orbem. Si quidem in qualibet sphæra corporea, quæcunque pars toti continua moueatur, secum trahit & totam, dum partes quidem anteriores motu propellit, & posteriores interea trahit. Itaque & sphæra nimirum superior motu suo vibrat inferiorem, Denique dum sicut animus noster lætatur, suoque modo mouetur opinione boni subito corpus præsertim: spiritus suo etiam modo, quamuis alio scilicet locali mouetur sic & genitalis in mundo vita per imaginationem suam ab imaginatione rectam superiore bono fruens, atque gestiens, & exultans corpus subito suum concitat ducitque tripudio, imaginatio quoque superior tum à ratione directa in bonam, tum ipsa bono iam reperto congratulans exultatione mouetur, quumque circa bonum se versare desideret, ipsumque bonum sit vbique, nimirum choream agit vbique. Similiter agit & ratio ad bonum intellectu directa: similiter intellectus bono proximè concitus. Sed quoniam bono proximus est: neque dum agit ad ipsum formali quopiam indiget medio, multoque minus medio temporali, idcirco dum mouetur, id est, agit circa bonum, dicitur & patitur conquiescere. In quo certè primus esse status existimatur, per quem consistit in primo: & idcirco quæcunque dum mouentur, stare simul dicuntur in motu, quod est orbe moueri, id muneris ab intellectu nacta censentur. Sed argumentum iam hac animaduersione conclude, vt memineris substantiam & virtutem animæ superiorem si cum inferiore vita virtuteque comparetur, tum centrum, tum circumferentiam iudicari. Centrum quidem quantum superior hæc stabilior est atque simplicior ab hac reliqua prodit, ad hanc appetitu reuertitur. Circumferentia verò quantum superior, proculdubio multis inferiorem gradibus virtutis excedit. Quo quidem virtutis excessu velut ambitu quopiam ampliore, inferiorem illam, velut angustiorem supereminet, & complectitur atque conseruat, & ducit pariter atque reducit.



IN LIBRVM
ENNEADIS SECVNDAE,
III. COMMEENT.
SVMMA LIBRI.

Species & singula, in speciebus generari, præcipuè à virtutibus seminalibus, in speciebus & singulis: cœlestia verò materiam aliter, alterve disponere.



Orphyrius in vita Plotini scribit, eum cùm diligentem operam Astrologiæ dedisset, deprehendisse Astrologorum Iudiciis non esse credendum: eaque tum sermone, tum literis sæpè confutauisse. Quod quidem in libris de Fato, atque in libris de Prouidentia fecit. Sed in hoc denique libro: Vtrum stellæ aliquid agant, diligentius effecisse videtur. In quo sane Plotini consilium est, in primis asserere, quæcunque natura gignuntur, atque mouentur, præcipue fieri atque duci, tum à seminariis rationibus vniuersæ naturæ, tum à rationibus plurimum seminibusque propriis, vniuersæ naturæ minime dissonantibus: ideoque disputat, neque stellarum influxus naturasq; duntaxat, tanquam nimis vniuersales: neque præsentes cœlestium inter se habitudines, velut mobilissimas, rursusque communes singula hæc proprie facere: sed interdum forte significare, & id quidem ita vt ex indiciis valde communibus atque confusis coniectura sit fallax, & iudicium contingat incertum. Oportet profectò tum communia distingui per propria, tum mobilia regi ducique per firma, aut saltem per firmiora quædam, ne passim res casu contingant, Fatetur autem per quotidianum concursum cœlestium inferiorumque causarum, res dum sunt, qualitate mutari non specie: similiter quoque per artem atque vsum. Rerum verò nostrarum causas partim in superiora, partim in ea quæ circa nos sunt, partim in consilium & vsum occasionemque refert. Existimat præterea, sicut corpus ab anima regitur, sic animam ab intellectu regi, posseque hanc intelligentiæ munere à communibus fati fortunæque impulsus liberari.

Natura Planetarum non est malefica, neque mutabilis mutatione loci, neque ex eorum radiis & motibus naturalia præcipuè generantur, sed ex propriis vbique naturis, & communi natura.

CAPVT I.

IN primo igitur capite narrat quemadmodum Astrologi, non omnes, inquam, sed multi putant à viribus motibusque stellarum & significari & fieri singula, tum ad externa, tum ad corpus, tum ad animum actionesque animi pertinentia: siue bona honestaque sint, siue mala rursus & turpia. Tu verò memento non authores quidem ipsos Astrologiæ præcipuos hæc tradere, sed plebeios quosdam Astrologos Astronomiæ prorsus ignaros, talia diuulgare. Animaduerte præterea Plotinum statim à principio forsan gratia disputandi concedere, significari quædam motu cœlesti non omnia: fieri quoque inde multa, non omnia, & quæ significantur vix posse discerni. Inter hæc dum narrat, in duobus deridet Astrologos. Primò quidem quod aiunt, stellas pro mutatione locorum & aspectuum mutare naturas. Qualis certè mutatio nec in rebus quidem terrenis quæ mutabilissimæ sunt ex sola mutatione locorum, atque intuendi diuersitate solet accidere. Secundò, quòd aiunt stellas & quæ optimæ sunt, effici malas, & quæ benefico funguntur prouidentiæ munere hominibus innocentibus sæpè nocere. Detestatur in primis, quòd cùm stellæ omnes animatæ sint, & intelligentia præditæ, Deoque obsequantur ad nutum, quod Ptolemæus ipse fatetur: alias tamen bonas, alias verò malas appellare non dubitent. Item, quod Planetas etiam quos appellant malos, tamen asserant sæpè bona largiri: ceu Saturnum quidem: & nonnunquam stabilire bona, quæ tribuuntur ab aliis, & in ipsum in æde vel exaltatione sua positum prodesse Saturniis: & Martem animi magnitudinem fortitudinemque præstare, & cum aliis noceat, parcere suis. Deridet iterum, quòd Planetas quos appellant bonos, nocere aliquando fateantur, scilicet & Venerem Mercurio mixtam obesse prudentiæ, & Iouem Marti coniunctum tyrannidem constituere. Tum verò Planetas sic aiunt, vel se vicissim aspiciendo, vel non aspiciendo mutari, vt mirum sit res æternas vsque adeò ex actu tam exiguo permutari. Sic opinantur, Lunam si Mercurium aspicit, appetitum præbere rationis legibus obsequentem: si non aspexerit, concupiscentiam effrænatam: præsertim si Venerem aspiciat interim aut Martem.

Deridet quod Mercurium dicant dum aſpicit Saturnum aut Martem, Martium Saturniumque euadere: mox aſpiciendo Iouem effici Iouialem: quaſi Cameleontis inſtar nihil habeat propriæ conſtantiſque naturæ: cum tamen res apud nos nulla adeo ſit incerta prorſuſque mutabilis. Miratur præterea quo pacto verum ſit quod tradunt, intuitum quoque inter ſe planetarum adeo inſtabilem eſſe, vt quoties alia ſe figura conſpiciunt, intuitus ille cogatur mutare naturam. Quanta certè mutatione in noſtro quidem intuitu prouenit, dum nos mutuo nunc ex alio ſitu conſpicimus. Conceſſurus tamen videtur propter varios aſpectus ſiderum, & ſi minus in illis, tamen in rebus naturalem aliquam varietatem poſſe contingere: quod inquirimus in lib. de Vita. Denique quod volunt ex cunctorũ cœleſtium radiorum confuſione formam virtutemque in radiis ipſi ſimul iunctis effici nouam, eamque aliter & aliter differentem pro diuerſitate temporum & locorum: quemadmodum ex diuerſis ſimul liquoribus forma fit vna, id Plotinus idcirco damnare videtur, quod radij neque corpora ſunt ſicut liquores, neque qualitates in corporibus ſicut naturæ liquorum, ſed actus quidam ſtellarum vitales atque ſenſuales, ceu viſuales quidam radij ex ſtellis, velut ex Argi cæleſtis oculis emicantes, & conſpicientes mirabiliter omnia, qui in nullo foris ſubiecto qualitatum more ſuſcipiuntur: ideoque neque inficiuntur inde neque è priori habitu permutantur, neque igitur in communem cunctis formam aliam commutantur: ſicut neque & radij viſuales animalium multorum nocte videntium, vel ſubiecto alicui redduntur proprij, vel multi in vnam formam inuicem confunduntur. Sed quamuis Plotinus aſtrologos hucuſque non probet, probabit tamen fortè ſi dixerint ex radiis paſſim diffuſis, & ſi nulli vſquam ſubiecto propriis, qualitates tamen iam proprias procreari, ſicut ex lumine calor: eaſque in vnam in ſubiecto redigi formam: atque ſicut in commixtione liquorum tanto citius noua fit forma, quanto potentior eſt cauſa quæ commiſcet: ita ſubito ex communi radiorum concurſu ſubiectis tribui qualitates, eaſque in vnum conciliari: quia & cauſæ ingentes ſunt atque potentes, & motus efficaciſmus atque celerrimus. Concludet quidem Plotinus qualitates in formam vnam eiuſmodi concurrentes, ab vna quadam cauſa ſtabili prorſus & vbique vigente perduci, virtute videlicet ſeminaria quæ viget in mundi vita, ne vel fortuito, vel inſtabiliter perueniatur ad vnum. Radios autem aliter vel aliter confluentes, aut materiam aliter aliterue efficere, aut agentem cauſam, id eſt ſeminariam rationem ad effectum proprium prouocare. Neque poſſe tamen ex radiorum confluxu: qui alio momento ſemper eſt alius, nouam formam ex pluribus effici, quæ certo indiget tempore, ſed forſitan inchoari, talemque perfici, non qualis duntaxat eſt ille confluxus, ſed qualis etiam præcedens materiæ diſpoſitio: ac denique qualem pro eiuſmodi conditione decernit ratio ſeminalis, tum propriæ tum vniuerſæ naturæ. Denique quomodocunque res ſe habeat, de futuris difficile admodum iudicabitur. Nam ſi nobis occultum eſt quid noui ex commixtione naturalium oriatur, quę quotidie pertractamus, multo nimirum occultius erit, quid nouæ communionis & formæ radiorũ iactu conſtetur. Profectò cum fateantur ex duorum cœleſtium radiorum coitu aliud quàm ex vnius tantum radij iactu confici, fatentur & proculdubio ex quadam planetarum omnium copula aliud effici, quam è duobus. Itaque & aliud longè diuerſum ex omnium ſtellarum confluxu contingere. Sed quanto plures ad agendum cauſæ confluunt, tanto iudicium difficilius: quia neque cauſæ omnes comprehenduntur, neque ſi comprehendantur, ſtatim perpenditur quid noui præterea conficiatur ex cunctis: præſertim cum ad iudicandum non tantum cœleſtium, ſed etiam elementalium cauſarum, rerumque contingentium confluentiam oporteat circumſpicere quod etiam Ptolemæus fatetur & præcipit.

Quomodo cœleſtia ſignificent etiam quæ non faciunt, cœleſtia ſunt animata. Multa ſunt quæ non poſſunt cœleſtibus corporibus motibuſque fieri.

CAPVT II.

IN ſecundo capite tractat à cœleſtibus non omnia fieri, ſiue enim inanimata ſunt, non facere quæ ad animam propriè pertinent, ſiue ſint animata, diuina videlicet anima, non facere mala. Eſſe quidem animata cœleſtia auctores nobis aſtronomiæ concedunt: præſertim Ptolemæus & Albumaſar atque Zaëles. Quod & Hali confirmat deridens illos ex ſententia Ptolemæi, qui diffidunt cœleſtia viuere, propterea quod non more animalium noſtrorum vagabunda peterent. Ait enim vna cum Ptolomæo: animalia cœleſtia optimum tenorem motus ſemel electum perpetuo conſeruare. Similiter Aratus atque Mallius arbitrantur. Intelligebant arbitror illa ſi modo in animam agant, non poſſe in illam agere niſi per animam, & eam ſanè ſuperiorem. Rurſus ſi per illa nobis ſignificentur aliqua quæ ad cauſam corpoream referri non poſſunt, non aliter id fieri poſſe, niſi in cœleſtibus animis deſcripta ſit rerum ſeries futurarum: quam nobis quandoque ſtellarum quaſi oculorum nutibus explicet. Quam Plotinus explicationem, ſi quando fiat, in multis etiam fieri opinatur: quorum non ſtellæ, ſed nos noſtique cauſa futuri ſumus. Neque vero vbi ſigna ſunt, continuo ſunt & cauſæ: ſicut neque propitius paterni oculi nutus in filium, beneficiique cauſa eſt futuri, ſed ſignum. Sic ergo quando per Mercurium certo modo poſitum aſtrologi natum ſapientem fore prædicunt, corpus ipſum planetæ non eſt cauſa ſapientiæ. Quod enim non facit animum, neque rurſus ſapientiam efficit animi propriam: ſed & velut in cauſa ſimul atque ſignum nobis indicat, corpus naſcentis fore ad obſequium ſapientiæ temperatum. Et tanquam ſignum portendit animum (vt Platonicè loquar) in corpus eo tempore deſcendentem, familiarem eſſe Mercurialis animi atque numinis, & Mercuriali quodam vel ſimili dæmone gubernari, Porphyrius quidem ait: Qualem quis dæmonẽ nactus fuerit, cogniturum, ſi figuram ſuæ ge-

netationis agnouerit & quis, in ea dominator extiterit. Qui vero præcipuus sit dominus in figura, & si nonulli cognituros se profitentur: Porphyrius tamen in quæstionibus ad Anebonem Cheremonis astronomorumque aliorum testimonio esse dicit incertum. Siqui vero negent corpora cœlestia viuere: fateri cogentur corporeas eorum naturas non aliter aliquid apud nos efficere, quam elementalium corporum ministerio. Ideoque solas corporum qualitates afferre, vltra vero nequaquam. Sed neque etiam omnes corporum qualitates: Sicut enim in arte forma operis artificiosa: & si fieri videtur per instrumentum, efficitur tamen artificiosæ intelligentiæ forma, quam solam imitatur: sic & formæ rerum naturalium plusquam artificiosa ratione dispositæ, non tam cœlestium corporum vel moles vel qualitates, quàm animorum cœlestium notiones imitantur atque sequuntur. Iam vero nec calor in animali cibum redigit in vitæ formam, quantum calor est, cuius officium est dissoluere, sed quantum ductus à vita, neque calor humorque in mundo vel alia qualitas certo quodam ordine opus ad finem peragunt electissimum, quatenus vel suapte natura vel cœlestis molis trahuntur impulsu, sed quatenus ab ipsa motorum cœlestium ratione in se & inter se temperantur, & ad præscriptum finem commodè diriguntur. Quamobrem Plotinus ait: singulorum cœlestium defluxum eundem esse scilicet, & qua ratione corpora sunt esse vbique corporeum: & qua ignea calore fouentem: quamuis aliæ præterea stellæ cum calore adducant humorem, aliæ raritatem, aliæ aliquam densitatem, aliæ celeritatem, aliæ firmitatem, cæteraque similiter. Hinc ergo & communi conditione stellę omnes quodammodo calefaciunt, & ratione propria quæ humefacit, & quæ rarefacit, humefacit semper vel rarefacit, quamuis quicquid inde vel communi vel propria fit ratione, magis minusue alibi fiat & alibi: Non alia igitur in de varietas prouenit quàm in quibusdam materiæ qualitatibus accidentibusque duntaxat & gradibus accidentium. Varietas autem figurarum specialiumque formarum atque virtutum, non erit præcipuè ex naturali intentione cœlestium, sed quantum ad illa pertinet casu continget, aut saltem dabitur aliunde. Quod enim artificiosa fit ratione, solum ab arte fit & ratione viuere: præsertim si viuat & ipsum. Neque vero concedemus astrologis siqui dicant, stellarum quidem fixarum corpora speciales rerum tradere differentias: planetarum vero quotidianas constitutiones afferre differentias singulares, etiam si animā cœlestia nullam habeant. Stellarum namque fixatum corpora largiri quidem possunt, alias passim corporum qualitates, sic vniformes quemadmodum & ipsa sunt vniformia. Figuras vero proprias speciebus ordinemque ad finem ita demum tribuere possunt, si animam habeant atque mentem, præsertim quia in multis herbarum lapillorumque speciebus, preciosorum vires quædam singulares insunt: quibus mirabiliter agant in spiritum, perque spiritum dotes quoque animo miras videantur afferre. Tantùm vero muneris nequeunt corpora hæc à corporibus duntaxat cœlestibus, sed ab eorum animis accepisse. Iam vero ipsa stellarum corpora multo minus eas nobis differentias inferre possunt, quæ ad artes & fortunas, & necessarios pertinent. Sicut enim nulla tui corporis natura fit, sic & cœlestis corporis nulla natura: vt Theologus sis potius quam orator: & certo tempore Prætor inscius designeris, & patrem talem habeas aut fratrem: sed horum causas alibi prorsus inuestigare compellimur. Denique stellæ omnes & rebus infimis longe segregatæ sunt, & inter se valde diuersæ: & quicquid inde hucusque diffunditur, accidens esse videtur. Quoniam vero ad generandam apud nos substantiam, substantiali opus est causa: & ad perfectè generandam causa proxima, & ad viuam omnino viuente. Item ad concilianda in vnum agentia inter se diuersa duce communi nimirum existimamus vitam vnam vbique regnare, præcipuè facientem omnia, atque ad id cœlestibus & terrenis instrumentis vtentem.

Planetæ non mutant naturam loco, neque mali fiunt. Item confutantur quæ astrologi dicunt de angulis, domicilijs, proprietatibus planetarum. Item tractatur quemodo significatio fiat, iudiciumque fallatur.

CAPVT III.

Caput tertium eadem ita prosequitur: Admittent forsan astrologi planetas quidem viuere, nec malos esse natura, sed ex quodam signorum gradu, & quadam inter conspiciendi figura maleficos effici, atque vna cum loco mutare naturam. Id autem quinque de causis improbatur. Prima: quoniam gradus ille signorum saltem, & ille iterum qui sic aspicitur foret natura malus: si planeta vel in eo gradu positus, vel planetam illum aspiciens malus euaderet. Hunc tamen fatentur nullum cœlestium natutaliter esse malum. Secunda: si gradus figuraque eiusmodi malum natura in se haberet, planetæ omnes in eo gradu eaque figura constituti, mali similiter redderentur. Quod tamen astrologi non concedunt. Tertia, nempe querendum est, quo pacto possit planeta hic aut ille in diuersis gradibus diuersus euadere: adeoque diuersus, vt fiat malefic⁹. Primo quidē planeta nullus est in gradu Zodiaci, sed longissimè distat, vt etiam si fortè noxius foret ille gradus, planeta non adeo illinc infici possit. Deinde vbicunque sit, est in cœlo. Cœlum corpus est optimum, diuinitati quàm proximum: Itaque pars vnaquæque cœli optima est protsus atque diuina. Quarta: cum cœlum sit plurimum vniforme, motusque localis, non necessario terrenum mobile soleat natura mutare: ridiculum est planetam in alia, tursusque alia cœli plaga, aliam subire naturam: præsertim & subito cum sit substantia potens atque sempiterna: & in malum cum vbicunque sit, necessario fit in patria viuente diuinitus. Quinta: absurdum quoque dictu est: quod aiunt planetam cum est in angulo, aliam habere naturam: aliam cum declinat ab angulo. Eodem namque tempore planeta idem nobis est angularis, longinquis vero nationibus est declinans, atque è conuerso; diuersas igitur eodem tempore naturas haberet. Quatuor astrologi fingunt angulos in figura cœlesti, in Oriente, in Occidente, in medio rursum cœlo, atque deorsum. Atque angularem planetam dicunt, quando ad quinque vel saltem ad tres vtrinque signi gradus tenet angulum: vtputa ipsum Orientis punctum vel

Occidentis, vel medij vtrinque cœli: ipsum inquam punctum, aut certum spatium propè punctum. Mox vero cum inde progreditur, cadere ab angulo dicunt. Martem præ cæteris hortens in angulis, præsertim in Occidente. Saturnum quoque non eligunt angularem. Cum enim noxios opinentur, ne potentiores sint, non censent in angulis collocandos, nisi forte Saturnus in ascedente Aquario sit domicilio suo, vel Libra exaltatione sua, præsertim in natiuitate diurna. Saturnum igitur in duodecima figuræ domo: Martem vero in sexta constituunt. Nominant verò duodecimam cæli plagam, quæ partem antecedit Orientalem, ipsamque duodecimam volunt esse cadentem, cum tamen re vera surgat in altum. Sextam vero nominant quæ videtur ab Occidentis angulo cadere. Mitto nunc alia, sed quod Saturnum quidem in duodecima, Martem vero in sexta constituunt, sibimet repugnare videntur. Si enim eos inter se oppositos faciunt, quorum oppositionem solent acriter detestari. Adde quod ita sextam domum qua morbi significantur, tum oppositione Saturni, tum præsentia Martis infestant, vt morbi omnes sint incurabiles. Omnino vero cum à fortissimo ad debilissimum absque medio transire ratio non permittat, nemo dicere audeat, planetam si in angulo sit fortissimus, mox fore post angulum debilissimum. Præterea cum sidus quo diutius agit in nos, eo & absolutius agat. Signum vero quod duodecimum nominant diutiorem super nos moram, quàm ascendens angularis particula traxerit: fateri cogentur magis in nos agere quàm ascendens, scilicet angularis, quod tamen fateri non solent. Rursus cum planetam vel signum in medio cœlo Ptolemæus dicere soleat potentissimum, quonam pacto Zaelis illud verum erit, scilicet ascendens esse fortissimum: quod procul distat à medio? Quinimo duodecima cœli plaga simul atque vndecima, quæ inter ascendens mediumque cœlum mediæ sunt, videbuntur fortè potentiores, quo propinquiores sunt medio, si modo medium sit fortissimum. Præterea cum lumina dicant in duodecima & octaua terræ simul & aquæ vaporibus obfuscari, & idcirco debilitari: ita enim octaua fermè est Occidenti, sicut duodecima Orienti propinqua. Dicere etiam compelluntur multo magis in angulis Orientis & Occidentis obtenebrari: magisque terrenis passim obstaculis impediri. Sed neque vnquam assignare rationem poterunt, cur angulum quemlibet plurimi faciant qui & fugacissimi sunt: & vix ad nos pertinere videntur: cæteræ vero partes ad nos diutius attinent, triginta enim gradus quælibet occupat. Quid vero? quod cum angulos admirentur, planetas interim quos putant esse beneficos, alibi quam in angulis gaudere confirmant? Solem in nona, Lunam in tertia: Iouem in vndecima: In quinta denique Venerem. Nonam vocant quæ cœli medium ad nos super terram propè præcedit aliquantum versus occasum: Vndecimam, quæ mediam mox sequitur versus ortum: Tertiam, quæ cœli medium ad nos sub terram ad ortum propè præcedit: Quintam, quæ medium è vestigio sequitur, & occasui propinquior est quam medium. Nonam quidem magnæ religionis ædem. Tertiam vero minoris appellant, & Deum atque deam: neque tamen sunt angulares: Vndecimam spei & amicitiæ fundamentum: Quintam gaudij sedem atque filiorum. Mitto quod dum solem quidem in nona: Lunam vero in tertia gaudere volunt, interim oppositos faciant: oppositionem vero formidare consueuerunt. Mitto quod cum Mercurium dicant gaudere ortu potius quàm occasu: Venerem vero vicissim occasu potius quàm ortu lætari, gaudere simul eos ac mœrere pariter fatebuntur. Nam planeta dum aliis hominibus oritur, aliis occidit, atque è conuerso: cum Orientis angulum esse vitæ incipientis angulum arbitrentur: vitæque mors sit opposita: cur non angulum Occidentis Orienti oppositum, morti designant? Huic enim assignant octauam sedem occidenti propinquam: eamque Saturno committunt. Sed cur etiam primam domum, vitæque originem Saturno commendant? quasi in manu eius sit mors pariter atque vita. Sed video quo confugient. Saturno planetarum primo primam attribuent domum: Ioui planetarum secundo secundam, ascendenti in Oriente signo è vestigio succedentem: Marti tertiam: Quartam Soli: Veneri quintam: Mercurio sextam: Septimam denique Lunæ, id est signum in Occidente locatum. Rursum igitur à Saturno exordium planetarum repetent in octaua, sed cum iterum post Saturnum nonam Ioui tribuerint, Marti decimam, Soli vndecimam, Veneri duodecimam, nihil iam erit reliqui, quod Mercurio Lunæque successione simili dedicent: quorum tamen duorum effectus manifestissimè omnium post Solem apud nos apparent: nisi forsan ascendens iterum sicut Saturno, sic Mercurio, Lunæque accommodet, quod fingentis erit potius, quàm docentis. Proinde cur ætates hominis iam nati non eodem tenore designant? Nempe ordine conuerso, primam Lunæ, secundam Mercurio destinant, similiterque deinceps. Verum enim vero hæc omnia perbella sunt, ac penitus arbitraria, nullis omnino rationalibus confirmata. Similiter arbitrarium est, quod Mercurium quem facile ad bonum conuerti putant, in loco vitæ exordientis velut in gaudio collocant: cur non Solem potius, aut Venerem, aut Iouem? Cur item Mercurium & rationis autorem, simul & ad malum adeo lubricum arbitrantur? Sed frustra ab iis rationem diutius hac in re vel illa requiro, qui nulla vnquam ratione, sæpissime vero similitudine quadam imaginaria & inani comparatione vtuntur. Quis non videat eos ineptè nimium comparare? quum Saturnum, quia sit altissimus planetarum, significetque tenebras & absentiam, signo accommodent ascendēti: nam & propter altitudinem conuenit ei medium cœlum potius quàm ascendens, & propter tenebras & absentiam. Cum Saturno congruunt potius signa sub terra, quàm è terris ascendens. Iam vero puerile nimium est, Saturnum ideirco portendere nobis rei alicuius absentiam, quia ipse sit distans: perinde ac si luna stultitia simili referat rem præsentem, quia propinqua mediisque planeræ gradu, simili medias. Neque minus insanum est tenebras assignare Saturno, qui innumeris ingenribusque stellis quam proximus, mira necessario cunctarum luce coruscat: potius vero fatendum est, oculum eius lumine iudicando decipi, quàm minus lucere Saturnum. Summatim vero in omnibus (vt dicebam) ad inanem mox similitudinem confugiunt, nulla causarum habita ratione. Cumam ascendens ab

Oriente sidus principium significat? Quia simul & è tenebris terræ sidus emergit, & è tenebris alui natus egreditur. O vanum prorsus machinamentum. Similiter dicet aliquis: Pater nunc egrediens ciuitate, filium significat domo simul egredientem, atque insuper filio conducit egredienti. Verum si quid ita significandum sit, sidus illud potius quod tunc ascendit, quum primum viuere incipit fœtus in aluo, significet vitam, vitæque principium, quod neque obseruant, neque obseruare vlla ratione possunt. Cur item media cœli regio portendit nascentibus dignitatē, num quoniā altissima sedes dignitatis significat altitudinem? Sic & domicilium quartum, quia sit angulus subterraneus, somniat thesauros sub terra latentes significare. Si adeo hac ficta similitudine delectantur, coniugium quoque per coniunctum ascendenti signum describere debuerunt. Quod tamen per septimum prænunciant longè ab ascendente remotum. Sed quid nam Occidēti cum Oriente coniugij? Quoniam inquiunt, è regione vtrinque radij coniunguntur. Sit ita sanè. Verum cur etiam per septimam hanc domum inimicos significat manifestos? Planetas, aiunt, ascendenti propinquiores, iuuenilem ætatem tegere, remotiores vero senilem. Sanè nimium pueriliter: quasi localis hic transitus velut eorca ludentium repente per actus efficiat, vt hi quidem dominentur prius, illi vero differant, & tunc demum agant, quando iam sunt à priori habitu remotissimi. Dicant præterea quandoquidem similitudini student, cur nam duodecima plaga in quam ad lucem peruenit ascendens, significet carcerem, & occulta potius quàm secunda, ex qua velut è tenebris est emergendum? In omnibus denique similiter ita delirant, coguntque ceteros vel credenres illis, vel cum eis diutius disputantes, fermè similiter delirare, quod Albumasar vel inuitus ostendit. Vbi enim causas, cur ita duodecim domus vna cum officiis suis distribuātur, assignare contendit, ait inter se Astrologos diffidere, & alios longè aliter designare, tum vero in rationibus assignandis, quibus talia signa talium Planetarum domicilia sint, inter se longè differunt, aliter enim antiqui, aliter Ptolemæus, aliter Aimon, aliter Hermes assignat, quia videlicet figmenta sunt potius quam rationes. Albumasar Iouem tradit significare diuitias, Mercurium sapientiam. Quoniam vero harum rerum cupiditates oppositæ sunt, ideo ambas Iouis Mercuriique domus oppositas esse, scilicet Virgini Pisces, Geminis Sagittarium. O Albumasar, si ita distribuere placet, cur non etiam Veneris domos atque Mercurij inter se opponis? quum libido Venerea Mercurialisque contemplatio multo magis opponantur, quam quæ diximus, sed inuicem consonantes esse fateris, Libram Geminis, Virgini Taurum. Item cum Iouialis æquitas & violentia Martialis maximè inuicem aduersentur, cur non & horum sedes pugnare concedis? sed omnino congruere Arietem Sagittario, Piscibus Scorpionem? Proinde vbi alias terræ plagas aliis signis adscribunt, incerta opinione feruntur. Non enim ita distribuunt, quia signum ad perpendiculum super talem trāsear regionem, quia si ita sit, Cancer nihil in Europa significabit, quippe cum tota exiftat vltra Cancrum, vergens ad Aquilonem, neq; etiam ob aliquam cōcordem proprietatem. Virgo enim signum esse frigidum aiunt, præesse tamen Hispaniæ iudicant calidæ regioni. Simili quadam temeritate membris signa præficiunt, nam & calida frigidis sæpe præponunt, & frigida calidis. Coniungunt quoque Planetis eisdem significata inter se nimium repugnantia. Saturnum vnius Dei cultum & voracitatem significare volunt: Iouem pietatem & coitus intemperantiam: Mercurium sapientiam & oracula Prophetarum, atque insuper oblectamēta superflua. Mitto quam plurima temeritate simili diuulgata: vt puta Saturnum pluuiam designare, quem tamen siccum esse fatentur. Item masculinum cognominant, quem aiunt esse frigidum. Denique portendere tarditatem, videlicet, quoniam ipse sit tardus, qui certè est pro longitudine spatij velocissimus. Quid vero quod caput Draconis somniant atque caudam? Hæc enim soluni imaginaria sunt. Caput quidem cogitatur linea quædam imaginaria in animo nostro relicta, ex motu Lunæ à Meridie in Aquilonem: quod quidem fingi potest in quolibet Zodiaci gradu. Et vbi nunc caput fingitur, ibi aliquando fingentur & caudæ. Quidnam imaginaria illa poterit linea? Cum inde Luna discesserit, cur cauda mala potius est quam caput? Cur cauda est frigida atque fœminina, cum aquilonaris plaga sit meridiana frigidior? Atque ita caput in quo Luna declinat ad Aquilonem, frigidum potius debeat esse quam calidum: cauda vero contra. Appellant Planetam retrogradum, quando in inferiori sui epicicli parte ad Occidentem vergit: directum vero, quando in superiori epicicli parte pergit ad Orientem. Ex hac similitudine somniant retardari negotia hominum, atque rursus accelerari, quasi non æquè naturalis sit motus vterque Planetis. Proinde dicere solēt: quia Taurus aut Leo tales in se vires habent, ideo qui sub his nascuntur sideribus, naturam similem sortiuntur. Tametsi hæc animalia falso finguntur in cœlo: neque ibi eiusmodi figura vel natura similis est atque in nostris Tauris & Leonibus. Taurum antiqui inter sidera collocarunt in Ionis honorem: quia in bouem sit fabulosè conuersus. Leonem Hercules occidit ingentem: eum (vt fertur) inter signa constituerunt. Arietem significatum caput designauerunt propter Iouem Amonem, cuius in capite Arietis cornua prisci fingebant. Post Arietem mox Taurum effinxisse ferunt, quia tunc terra arabilis esset, aptaque culturę. Geminos quia tunc germinando omnia germinantur. Cancrum nominauisse, quia inde Sol Cancri more regreditur. Leonem vero, quia Sol ibi vehementissimè calefacit. Virginem, quia terra tunc exusta Solis ardoribus nihil pariat. Libram, quia Sol tunc noctes diebus adæquat. Scorpium, quoniam tunc aēr primo frigore pungit. Sagittarium propter vehementioris iam frigoris ventorumque aculeos, cæterasque similiter. Quid ergo stultius quam certas animaliū naturas proprioſq; euentus hominibus sub hoc signo, vel illo nascentibus aut agentibus attribuere? cum nihil eiusmodi sit in cœlo, sed longè diuersa ratione confictum? Non dabis igitur medicinam ascendente Tauro vel Capricorno, quoniam cum hæc animalia ruminent, potio vomitum cōcitabit. Quasi vero capra ruminans sit in cœlo, ac non potius Capricornus ibi sit fictus, quia Sol inde in morem Capræ incipiat rursus ascendere. Et post hæc Aquarius atque Pisces, quia tunc vberiores pluuiæ profunduntur, & tunc Pisces maximè generantur. Fabricabit ergo quispiam Piscis ima-

ginem in argento cum fuerit Luna sub Piscibus ascendentibus, capturus Pisces ad votum, confisus videlicet falsa figura Piscium in cœlo fictaque natura. Sed vt ad Plotinum tandem regrediamur: cœlestia quidem corpora vult anima duci, animam vero viuere prorsus intellectu diuino, neque affectum ad inferiora vllum habere: quandoquidem neque corpora quidem illa reb⁹ inferioribus, vel indigent, vel turbantur, neque igitur, vel dolore, vel noua vnquam lætitia tangi, neque odio malefacere cuiquam, neque simpliciter malefacere, neque electione significare nobis, si qua significent: sed fortè ad illorum coream seipsa contentam significationem nobis aliquando consequi. Si enim aues nobis natura locoque propinquiores nulla nobis electione significant, si fortè aliquid est in augurio veri: sed ad earum volatum atque garritum agentem sua; interim significatio nostra contingit, multo minus astra portendere nostra deliberant. Profectò ni frustra augurium vani docuere parentes cultu duntaxat dæmonum, auspicia, auguria, aruspicia, exta constabant. Dæmones enim aëris caliginosi rectores, quondam cultores suos hac, vel diuinatione, vel fallacia potius detinebant. Verum si qua ad siderum motus futurorum coniectura contingit, vbi nam sunt præscripta futura, ad quorum præscriptionem talis, aut talis consequatur, vel comitetur constitutio cœli? Profectò præscripta sunt in cælestibus animis, cœlestem, id est, suam mouentibus faciem, vultibusque suis aliter atque aliter iudicantibus cogitata: sed in eorum mentibus notæ sunt æternæ, non eorum tantum, quæ ipsi vel per se, vel per cœlestia facturi sunt: sed eorum etiam, quæ casus quoque elementales consequentur, facturæ sunt suapre natura, atque eorum insuper, quæ rationales animæ animorum germanæ cœlestium communi, vel natura, vel sorte, vel consilio sunt acturæ. Communi inquam, quia non sunt hæc in illis pro inferiorum conditione designata per singula & vsq; ad minimum distributa: sed pro communi illorum prouidentia disposita summatim per capita rerum, quæ deinceps per proprias inferiorum naturas, affectus, occasiones, consilia, diuiduntur vlterius: & in qualitatem quodammodo aliam deducuntur. Quamobrem singula prorsus inde pro comperto sciri non possunt, sed plurimum communia quædam, quod & asserit Ptolemæus. Proprias vero singulorum conditiones in singulorum naturis imaginationibusque oportet inspicere: Itaque & inde simul & hinc indies eiusmodi aucupari præsagia (vt Origeni Porphyrioque credamus) non hominum est, sed dæmonum: dæmonum inquam sagaciorum. Nam plerosque circa hæc dæmones coniectura sæpe falli putant, nobisque mentiri. Quibus ergo de rebus è cœlo nobis significatio fiat, Astrologi veteres dubitarunt. Itaque Albumasar vbi de iudiciis agit, nonnullos inquit Astrologos arbitrari, Planetas de rebus tantum vniuersalibus signa præbere, scilicet de elementis rerum naturalium speciebus. At vero de singulis & singulorum partibus atque actibus, scilicet moueri, quiescere, similiaque nihil penitus demonstrare: Alios autem putare stellas ostendere tantum, quæ necessaria sunt, scilicet, ignem quidem calidum esse, aquam vero frigidam, non tamen quæ sint contingentia, scilicet homo loquitur aut tacet: Alios denique opinari Planetas portendere tantum mutationes temporum, & quatenus per eas corporibus accidat. Addit Albumasar omnes posteriores Astrologos sequi veteres: nec vlla veterum dicta intentioni huic scilicet iudicandi cōducere, quoniam dicerent impossibile fore sapientibus etiam Astronomis quicquam de iudiciorum scientia inuenire. In his Albumasar fatetur iudiciorum causas regulasque nondum inuentas, qui & Ptolemæo fuit longè pòsterior, & in iudiciis ipse nullam affert in medium rationem, sed pueriles tantum similitudines. Ptolemæus quoque in lib. de iudiciis exiguum quid veritatis esse in iudiciis innuit dicens: Et si contingat prædictionem maiori ex parte nos fallere, tamen operæpretium fuerit hæc subtiliter indagare, propterea quod veri aliquid inest.

De quinque aspectibus planetarum, & quomodo in his errant Astrologi, & in cœlestium qualitatibus actionibusque falluntur.

CAPVT IIII.

POst hæc descendit ad amores, & odia Planetarum, & aspectus quodammodo & affectus. Prolixum foret, nimisque absurdum narrare amores inter se, & odia Planetarum, & quod turpius est, recensere quemadmodum hic quidem amat illum, ille vero non redamat hunc, sed potius odit. Quasi vero non omnes cognati sint, & optimi tanquam in regione vniformi, diuinaque collocati. Nempe, cum similitudo in rebus nostris mutua amorem æqua vtrinque ratione procreet mutuum, multo magis charitatem mutuam procreat in cœlestibus, vbi arctior similitudo viger & copula. Vt autem quæ de aspectibus loquitur planius cognoscamus, meminisse oportet Astrologos aspectus quinque sic afferre, vt coniunctio quidem sit quando Planeta ad perpendicularem fermè lineam Planetam subit, oppositio vero quandam maximè distant, ceu si alter in Ariete sit, alter vero in Libra septimo ab Ariete signo. Sextilis autem aspectus quando sexta inter hunc & illum duodecim signorū portio cadit, id est, duorum mensura signorum: Vt si Sol in medio Ariete, Luna in mediis Geminis videatur, vt ille in Arietis principio, illa in principio sit Geminorum. Cadit enim inter hunc & illū Taurus quidem totus, & pars insuper Arietis atque Geminorum. Aspectus deinde quartus, vbi quarta Zodiaci pars inter hunc cadit & illum, id est, signa tria, ceu quando Sol in medio Ariete Luna in medio Cancro, velut diximus. Nam tria inter Solem Lunamque signa videntur: Taurus integer, atque Gemini, partesque insuper Arietis & Cancri. Tria vero signa quartam duodecim signorum possident portionem. Trinus aspectus quando similiter quatuor intersunt signa, quæ pars est Zodiaci tertia, ceu si Sol sub Ariete sit, Luna similiter sub Leone. Ptolemæus causam cur tot solum sint aspectus hanc esse dicit, quia ex duodecim signis fieri figura potest sex angulos habens, vt in quolibet latere signa sint duo, vbi aspectus anguli vnius ad alterum sextilis erit, sextam continens figuræ partem. Potest etiam describi figura quadrangularis, item triangularis. In illa quadratus, in hac trinus surget aspectus. Non potest autem figura quinque angulos habens, ex integris signis duodecim fieri. Verū aliter præterea fieri aspect⁹

posse videntur. Nam trecentum & sexaginta gradus sunt in Zodiaco, qui in partes quinque diuisi, figuram conficient quinque angulos possidentem: eodemque modo angulus aspiciet angulum, quo in trigono aspectu fit atque tetragono, igitur pentagonus ibi potest aspectus considerari. Rursus ex gradibus zodiaci cunctis fieri figura potest octo angulorum, nouem, aut decem: atq; ita erit illic aspectus octauus, & nonus & decimus. Quamobrē aspect⁹ quinq; solos afferre, fingentis est potius quàm verè dinumerantis. Cōtinuus profectò est orbis ipse zodiaci, vbique stellæ, & signa inuicem signis inserta: vt non solū per signa duodecim quasi sint inter se secreta facere possimus aspectus, sed per gradus vbiq; zodiaci. Proinde si verè loquimur non dicimus sidus hoc illud aspicere, vel Planeta Planetam, ob aliam rationem, nisi quia hoc radios iacit in illud. Quælibet autem stella radios iacit in quamlibet, quælibet igitur vbicunque sit quamlibet intuetur. Atque ex eiusmodi radiorum intuitu attingit magis, aspicitque proximam, quam remotam: quod quidem in candelis patet accēsis. Nemo itaque dicat signum hoc non aspici proximum: sed spatio certo remotum, & stellam non proximam aspicit, sed remotam. Hæc enim opinio, imò hic error inde contingit, quod cœlestia quidam metiuntur, imo metiuntur ex nostris. Solet enim homo in chorea propinquum sibi ad latus hominem difficilius intueri, quàm separatum: quoniam caput non vndique habet oculos, quibus æqua facilitate conspiciat vndique. At in cœlesti facie quæcunque sunt, sunt oculi, & oculus quilibet totus est oculus, totus vndique visus. Aiunt aspectum quidem sextilem esse mediocris amoris, trinum vero perfecti, aspectum rursus quadratum odij mediocris, oppositum vero summi, coniunctionem cum bonis bonam, malam vero cum malis. Atqui causam ob quam aspectus alius ab aspectu in bono differat aut malo, solum ex figura vel numero assignare non possunt. Bonum enim malumue non ad quantitatem pertinet, sed qualitatem. Præterea non ad figuram vel numerum actio pertinet aut passio, sed ad formas & qualitates. Has vero figuræ quædam vel numeri, vel consequuntur, vel comitantur. Neque rursus licet dicere, Arietem esse qualitate quadam Cancro contrarium, ideoque quadratum ex hoc & illo contuitum Planetarum esse contrarium & hostilem. Nulla enim sunt in cœlo contraria, vbi non pugna, non transgressio, non interitus. Imo vero si figuræ quæ sunt in opere, quodammodo inter se repugnantes, in artificis animo non repugnant: si formæ naturales inter se pugnantes in contemplatoris mente non dissident: si membra inter se aduersa non aduersantur in semine, certè in cœlo non dissident inter se virtutes harum efficaces formarum, quæ certant in viliori materia, non potente videlicet conciliare quæ capit. Iam vero non solum non dissonat Cancer ab Ariete, sed consonat, partes enim vtræque sunt corporis plurimum vniformis, & suapte natura quæ apud nos dissonant harmonicè temperantis, neque minus in cœlo quàm in musico cantu inter se omnia consonant. Sic & nobis forsitan excogitare licebit humanam musicam ex harmonia cœlesti: cœlum namque Pythagorici, Dei lyram appellauerunt. Coitum igitur Planetarum apud nos octauæ vocis consonantia referat, hæc enim cum prima coire videtur, oppositionem vero cœlestium quæ fit in septimo, vox quoque apud nos septima similiter omnium dissonantissima repræsentat sextilem aspectum, qui fit in tertio signo vox tertia, quadratum quarta, trinum qui in quinto fit, quinta. Sicut ergo in consonantia nostra inde pendente quarta vox, vel interdum septima quæ per se dissonarent, tamē vna cum cæteris ad gratiam consonantiæ conferunt, sic & multo magis in harmonia cœlesti aspectus omnes ad absolutam concordiam necessarij iudicantur. Hinc fit vt sapientiores Astronomi quartum aspectum adiunctū vel sextili, vel trino, non solum non horreant, sed exoptent: fit etiam vt per septenarios vel dierum in morbis, vel annorum in vita, quibus quadraturæ vel Lunæ vel Saturni mox veniunt, mutationes in nobis non semper in peius, sed in melius quandoque contingant. Interea ridere iuuat Astrologos, qui cum Cancrum dicant magis quàm Libram Arieti qualitate contrarium, aspectum tamen oppositum, qualis ex Libra resultat ad Arietem, magis quàm quadratum detestari consueuerunt. Sed quid Cancrum gartiunt frigidum atque humidum, in quo Sol constitutus calorem nobis exauget? Quid calidum Sagittarium? sub quo Sol tertas à frigore vel imbribus non ruetur? Ex quo patet ex accessu Solis potius atque discessu, quàm ex siderum qualitate, calorem & frigus intendi vicissim atque remitti. Neque nobis obiiciant Lunam, vel Mercurium in alio atque alio signo aërem qualitate mutare, quia videlicet ibi alia sit & alia qualitas, nam primo quidem non vbique id efficiunt, neque enim vel æstus inde Scythis oritur vnquam, vel frigiditas & humiditas Indis. Deinde etsi fortè mutent, non statim conuincitur, esse illic eiusmodi qualitates inter se æquè pugnantes, alia enim virtute longeque à nostris diuersa hæc inde proueniunt. Nonne tum ex variis affectibus animæ, tum ex contractione & dilatatione quadam spiritus, contrariæ statim oriuntur in corpore qualitates, quæ non sunt in animo spirituque vel contrariæ vel qualitates? Ex lumine nimium repercusso fit æstus, qui non existit in lumine: Ex lumine liquor in cera simul, siccitasque in luto, neque tamen in lumine sicca est vel liquida passio. Item certa stellarum positione, siue impulsione, in terris eleuantur vapores & venti, neque tamen illic aut venti perflant, aut vapores obnubilant. Quod autem virtutes in cœlo valde ab his quæ pugnant in elementis alienæ sint, coniectamus ex eo, quod omnibus in rebus quæ ex elementorum qualitatibus commiscentur, insunt mirificæ quædam vires, & præter & super naturas elementorum, quas speciales proprietates appellant, speciebus his cœlitus attributas. Mitto cætera: innumerabilia enim sunt. Sic magnes polum suum sequitur Arcticum, ferrum vero magnetem: sic paleæ succinum. Hoc vero polum fortasfis Antarcticum. Per tales ergo virtutes quales hæ sunt, & quales in scamonea purgant bilem, & in elleboro atram bilem, Albumasar probat præcipuas cœlestium actiones expleri: siue fixæ virtutes eiusmodi sint in stellis, siue quotidianis earum aspectibus ab eis sibi inuicem comparentur, atque inde ad inferiora mittantur. Merito igitur Albumasar & Albius Ptolemæū vbique reprehendunt, quod qualitates stellis elementales & inter se repugnantes

sæpe tribuerit, probantque non esse tales in cœlo naturas. Mitto nunc quòd non solum ij quos dixi, Ptolemæo possident atque aliis, sed Ptolemæus ipse dissentit ab aliis, vbi de terminis loquitur Planetarum, narratque alios etiam inter se dissidere. Aegyptios enim à dominis domorum maximè solitos accipere terminos: Chaldæos autem à dominis triplicatum, idque latissimè confutat. Mitto quod in aspectibus exaltationibusque dissentiunt. Ptolemæus enim à signo simpliciter ad signum: alij quidam à gradu metiuntur ad gradum. Exaltationes quoque Planetarum Ptolemæus in toto quodam signo putat accipiendas: alij verò nonnulli à certo quodam spatio signi. Similiter de significatore vitæ, & de annorum datore dissentiunt. Redeo paumper ad qualitates. Cum Martem esse igneum arbitrentur, cur non in Piscibus cadere tradunt potius quam in Libra? An quia Libra maximè distat ab Ariete domicilio Martis. Sed profectò maior est distantia naturæ quã situs: magis itaq; discrepãt ab Ariete pisces, vt aiunt, aquei, quàm aëria Libra. Cur nam in Libra volunt exaltari Saturnum, quem terreum esse putant? Prolixum foret eiusdem generis cætera recensere. Redeamus iam ad Plotini conclusionem. Refert quidem primum, Astrologos arbitrari vnamquamque per se stellam suum aliquid agere: ex cunctis verò inuicem conspirantibus nouum aliquid præterea confici. Ex quo patet, ex his quid potissimum proueniat iudicare neminem perspicuè posse. Deinde significat Astrologos non habere modum, quo Planetæ agant, quæcunque dicuntur efficere. Neque enim vel proprio quisque, vel communi cuncti consilio indigent ad agendum: siquidem naturales infra Lunam causæ natura sua sufficiunt ad agendum, neque consilium exigunt vllum vltra naturam. Neque rursus cum stellæ faciant hęc more naturę, aliter, vel alia faciũt, quàm fieri possit tenore naturæ, quamuis præstantius atque præstantiora faciant, videlicet præstantiore natura. Non ergo Prophetas efficiunt, non miracula quę fieri debent diuinitate: non Theologos, non geometras qui mente fiunt, & arte: non diuites: non reges: non his oppositos qui prudentia, occasione, fauore fiunt, vel impediuntur oppositis.

Errata Astrologorum de Saturno, & Marte, & Luna.

CAPVT V.

IN capite libri quinto errores Astrologorum prosequitur latius, & insequitur. Saturnũ tradunt quia sit frigidus, obesse naturæ, ideoque separant ab ascendente (vt aiunt) vitæ principio. Atque vt inde maximè separent, stultè nimium in duodecima collocant. Quæ quidem sedes, etsi quodam illorum computandi more videtur à prima omnium remotissima, reuera tamen est proxima. Est enim Orienti continua sursum, quodue ascendit sidus mox properat in duodecimam: itaque Saturnum in septima tanquam omnium distantissima probabilius collocassent. Sed ne id quidem volunt, ne nascentibus opponatur: sed in vtroque sibimet repugnare videntur, nam Saturno & ascendens alia ratione solent accommodare, & primi conceptus exordium. Præterea dicunt Saturnum Martemque tùm coniunctos, tum oppositos inter se nobis obesse. Rectius fortè dixissent, ita maximè Saturni frigiditatem calore Martis, huiusque feruorem illius frigore temperari. Adiungunt Saturnum quidem si die nascentibus sit super terram, aut prope Orientem, diuturno calore temperatum, tunc propitium nobis euadere. Atque etiam si sic ascendat: præcipuè in Aquario non obesse naturæ. Martem verò tanquam igneũ esse in nocte ponendum, siue sub terras, ne calore Solis ferueat vehementius, atqui in hoc similiter vt sæpe, delirant. Cum enim vmbra terræ vnde nox peruenit vix ad Lunam vsque perueniat, omnia omnium supra Lunam stellarum lumina continuè se nullo interueniente contingunt: similiterque semper in die sunt, nunquam verò sub nocte. Maximè verò omnium ab vmbra & frigiditate, quæ duo terræ propria sunt. Saturnus separatus existit: vt nihil absurdius videatur, quàm hunc obscurum frigidumque vocare. Præterea concursum Lunæ cum Saturno, vel Marte vitiperare solent. Quanquam si, vel plena lumine Saturnum subeat, vel vacua Martem, damnare non audent. Nam si plena coëat cum Saturno, tùm hanc illum suo fouere lumine, tùm illum non frigefacere plenam. Contrà verò si plena Marti se subdat, aduri inde simul atque comburere: Si vacua, temperari vicissim atque temperare. Hic quoque vt alibi audentius errant. Primò quidem, neque se cœlestia tanquam concordia semper, comburunt vnquam, vel frigefaciunt: deinde si id forsitan concedatur, contra foret agendum. Luna enim cum semicirculo ad nos spectante plena est, interim est altero vacua atque vicissim, ideo vt incommodum illud deuitaretur, subiicere hanc potius Saturno debebant. Quando nobis est vacua, tunc enim offert illi se plenam, Marti verò quando nobis est plena, nam tunc ostendit illi se vacuam. Inter hæc expedit admonere multas in codice græco clausulas videre transpositas: verbaque sæpius permutata: hæc equidem diligenter pro viribus emendaui, vatis (vt ita dixerim) potius quàm interpretis officio fretus. Quę igitur mox in textu sequuntur, sensum duplicem admittere possunt. Aut enim significant Saturnum non admodum opitulari nobis interdum, quia sit procul: ideoque Lunam saltem esse tunc oportere erga nos plenam, vt saltem illa nos adiuuet, aut potius significet Saturnum non opitulari Lunæ, quia sit procul à Luna, neque illam illi vicissim, si quando vacua sit ad illum: ideoque oportere hanc illi se porrigere plenam, satisque nobis tunc illam facere suo erga nos orbe dimidio, quamuis erga nos vacuo. Item quamuis Saturnus sit procul à nobis. Primus quidem sensus verba manifestius sequi videtur, quæ vereor esse peruersa. Neque enim antecedentibus neque sequentibus Plotini dictis sententiisque conuenire, sed potius repugnare videtur.

Quod in cœlo sit tantum lumen, & calor, & humor: frigus autem & siccitas circa centrum: nec aliquid cœlestium per se frigus afferat, vel siccitatem, vel aliquid vitæ noxium.

CAPVT VI.

CVm cœlum ipsi vitæ sit proximum, ideoque quam maximè viuens, maximeque viuificum putandum est per se primoque calefacere, atque humectare. Duo enim hæc propriè con-

ducunt ad vitam, nunquam verò per ſe frigefacere vel exſiccare, quæ ſuapte natura ſunt contraria vitę. Atque ſi conferant, ex accidenti quodammodo conferunt, frigus quidem ne nimium calor excreſcens repente diſſoluat humorem, ſiccitas autem, ne nimium diffluat humor. Hæc autem duo ſatis nobis ſuppeditantur à terra. Id autem inde inſuper confirmabitur, ſi verum fuerit quod plerique putant. Sicut mors nihil aliud eſt quàm priuatio vitæ: ita frigus & ſiccum mortiferas qualitates non aliud eſſe, quem caloris, & humoris priuationes, quod alibi Plotinus ipſe ſignificat. Probabile quoque eſt, ſicut tenebræ in longiſſima à cœlo diſtantia luminis tantum priuatione contingunt, ita frigus & ſiccitatem ex nimia à cœlo diſtantia propter caloris humoriſque abſentiam fortè contingere. Totum verò cœlum eſſe calidum, patet, quia totum eſt ignis, totum iterum eſſe ignem, oſtendit ſublimitas, mobilitas, lumen, calor vel occultus omnia fouens. Calor autem ampliſſimus ſpatio nullam patiens violentiam familiarem habet humorem. Profectò in anima cœli tria potiſſima ſunt, vita, intellectus, & motus. Eſt enim anima vita quædam & intellectualis & mobilis, totumque hoc eſt vnum. Quod igitur eſt in anima vita, in cœlo calor exiſtit. Quod rurſum illic intellectus, hic eſt lumen. Quod tandem illic motus vitalis eſt, hic vitalis eſt humor, itaque non aliud humor eſt quàm agilitas (vt ita loquar) ad motum: ignis ergo cœleſtis non ſolum calidus dici poteſt, ſed inſuper humidus, id eſt, liquidus, fluidus, agilis, atque lubricus, & lenis, & blandus, ſiquidem in ſiccitate rigiditatem aſperam intelligimus, qualem etiam frigiditas vehementior infert. Quamobrem nihil aliud eſt in cœlo noſtris vllo modo qualitatibus ſimile, niſi calor, humor, lumen. Lumen inquam illic eſt intelligentiæ loco, calor illic efficacia vitæ, humor vitę motus & pabulum. Nec aliter ibi calor ille ſentitur, quàm tanquam fauor, fomentum, recreatio, vigor: nec aliter humor, quàm vt augmentum, & amplificatio, agilitaſque ſuauis. Inde hæc & ſimilia quædam apud nos ſunt. Illi rurſus calori humido humorique temperatè calenti, ſimilis eſt quodammodo ſpiritus & calor humorque vitalis, vel manifeſtus in animalibus, vel occultus in plantis paſſim à cœlo inſitus, à cœlo inquam omnibus inſito. Siccitas autem atque frigus rebus noſtris hinc certè non inde contingit, ſiccitas quidem ob ipſam loci huius anguſtiam, denſamque naturam, aſperam, reſiſtentem, percutientem, formationi, motuique ineptam: frigus autem ob diſtantiam tùm per naturam à toto cœlo, tùm per ſitum à ſtellis quàm maximam. Quantum igitur ad frigus pertinet. Auerroem valde probamus dicentem: cœleſtia nulla frigus inferunt, ſed calorem omnia: quæ verò dicuntur afferre frigus, ea ſunt quæ calefaciunt minus. Hæc ille in libro de Cœlo ex ſua Ariſtoteliſque ſententia. Abraham Auenazara appellat Saturnum frigidum, qui calorem affert noſtro remiſſiorem. Cœlum itaque totum eſt calor lucidus, humens, id eſt, vita quædam efficax cum fauore amplificabilis, agilis atque formabilis. Formabilis inquam facilè per humorem, tranſlucidum ab archetypo: rurſus per calorem lucidum inferiora facilè formans. Sed alicubi eſt in cœlo plus caloris aliquantulum, quam humoris: alicubi verò viciſſim, alicubi portio eſt æqualis vtrinque luminiſque ſimiliter Atque horum trium diuerſa interſe proportione, ſunt ibi diuerſa, quemadmodum hic ex varia caloris humoriſque mixtione paſſim ſub cœli radiis varia coaleſcunt: ſiccitate interim atque frigore magis minuſue forſan impediente, vel etiam adiuuante nonnihil. Meminiſſe verò oportet calorem humoremque cœleſtem eſſe à noſtris genere longè diuerſum, multò etiam magis quàm, vel calor naturalis in viuo ab ardore fornacis, vel ab hac ipſa flamma ipſe Solis tepor in amplo. Ex quo tamen in concauum quandoque coacta in materia dura, in materiam ſiccam flamma prorſus accenditur. Denique humor eſt in cœleſtibus non diſtillans, calor quoque non edax. Humor ab humore aërio ſaltem tantum differens, quantum aërius humor ab aqueo. Temerè igitur in cœlo fingitur frigus & ſiccum, ſiue dura ſoliditas. Quippe cum dum à terra ſurſum aſcenditur, ſiccitas fugiatur, & frigus omniſque duritia: ac perueniatur mox in humorem & lenitatem, ſimulque in auſpiciū blandi caloris ex lumine Frigidum igitur atque ſiccum ſimul & durum ex naturali & extrema ad cœlum diſtantia prouenit, & interea quæ media ſunt ad cœli ſimilitudinem humida ſunt atque tranſlucida, facileque mobilia. In cœlo autem maximè mobili nihil eſt frigoris atque ſicci: nihil duri motum impedientis, & lumen. Si quid verò fingi ſub cœlo poteſt ſimile ſubſtantiæ cœli, tractabile manibus, oculiſque conſpicuum, id argentum viuū eſſe videtur, in quo calor vegetus cum humore multo quidem, ſed tenaci, motum procreat inquietum. Si rurſum ſubtiliorem & tranſlucidam huic adhibueris lucidamque naturam, habebis & cœlum. Quod quidem non eſſe durum ex eo confirmari videtur, quod inter Phyſicos & Aſtronomos in eo duritiem aſſerentes, vbi de circulis, cētris, diſtantiis, motibus diſputant, multiplex, & inſolubilis oritur controuerſia. Phyſici quidem Aſtronomos criminantur, quòd impoſſibilia fingant: Aſtronomi Phyſicos, quòd rationes de his nequeant aſſignare. Mitto quomodo Theologi corpora glorioſa cœlis inſerant, niſi ceſſerint. Mitto vehicula apud veteres animarum. Facilitatem verò cedendi ſubito coniunctam reditu, vbi nulla naturalis ſubſtantiæ, vel qualitatis, vel ordinis inde permutatio ſequitur, malam appellare non decet. Sed ad alias cœſtium qualitates iam redeamus. Et ſi nihil eſt, ibi frigidum aut ſiccum, ſtellam tamen quæ calefacit minus, frigidam appellamus: forſan & quia dum illa meatus noſtros radiis tepentibus aperit, facilius ingreditur terrena frigiditas. Siccam quoque ſtellam quæ humefacit minus, poſſumus nuncupare: fortè & quoniam humectando parum, ſæpe pabulum ſuggerit igni, inde materiam feruentius ſiccaturo. Calefaciunt autem omnes vbique ſtellæ, non motu tantum, ſed etiam ipſa natura, natura præcipuè luminis. Quod probat & Auicenna dicens: Vbi plus eſt luminis, etiam plus eſſe caloris. Hinc Hippocrates ait: Aërem nocturnum ſtellarum luminibus ſubtiliorem fieri, & calidum aliquantum, generationique & vitæ accommodatum. Ariſtoteles etiam vbi de partibus animalium diſputat, ait: noctes in plenilunio eſſe calidiores propter Lunæ lumen. Luna quidem minime calida eſt, humida multum. Quæ ſi ideo duntaxat dicatur non calefacere, quia tardius quàm Sol moueatur, deberet forſan tarditatem motus cum propinquitate ad nos quodammodo compenſare, ideoque quodammodo ſicut Sol, calefacere motu. Item ſi ſtellæ fixæ quamuis velociſſimè moueantur, ta-

men dicantur non calefacere motu, quia maximè distent, deberent forsan distantiam cum motu celerrimo compensare, & idcirco similiter calefacere. Verum si motus ipse simpliciter causa sit caloris, nec motus vllus calorem extinguet & flammam, ac saltem velocior quidem vehementioris, tardior verò tepidioris erit origo. Rursum si non motus ipse simpliciter calorem gignit, sed certa velocitas, primò quidem reuera non video, quid nam distantia valeat vel propinquitas, dummodo motus ipse sit velox, deinde hic satis patet caloris effectum in aliam præter motum causam referendum, & meritò, quoniam motus siue sit voluntatis, exigit ante se imaginationis formam atque naturæ, siue sit naturalis inclinationis, naturæ formam exigit præcedentem. Non ergo motus ipse calorem aliamúe generat formam, sed forma quandoque per motum, talisque forma talem: quamuis forma prior sit natura præstantior. Denique quis nam afferat localem motum, qui & omni forma deterior est, atque pertinet ad externa, suapte natura generare calorem? Profectò vel excutit calorem sæpe latentem, vel ex duorum collisione corporum medium confringit aërem, solumque rarefacit, sic extenuatus aër ad competentem ignis conditionem, ab idea seminalique ignis ratione, quasi fomite formam ignis induitur Luna igitur calefacit minus quàm Sol, quia calida minus Superiores stellæ minus quoque quàm Sol, quia vel calidæ minus, vel minores Sole, vel longè distantiores, vel inter se admodum separatæ. Videtur autem Sol secundum accidens exsiccare, non quia in eo sit, vel sicca natura, vel vis aliqua desiccandi, alioquin nec omnia naturaliter augeret, imò ignis more minueret: sed quoniam radij Solis, vel in concauis nimium duris nimium coarctentur, vel ex directo percutientes fortius ad nos reflectantur: tunc enim vis per eiusmodi violentiam noua contingit. Omnino verò quia radij tanquam immateriales, liquidissimi, immaculati, neque collidunt, neque confringunt propriè, neque confringuntur, sed vel congregantur, vel è regione redduntur, apparet calorem illis inesse natura, qui congregatione propria intendatur, ac vehementius agat. Luna quoque frigus ex accedenti videtur afferre, quia & mearus lumen eius nostros aperiat, & nocturnum interim frigus extenuet, quo fit vt frigus inde subtilius per patefactos aditus liberius irrret. Frigoris quidem natura est interimere atque comprimere, lumen verò Lunæ gignit prorsus & auget, vtpore quod habet cum humore calorem. Similiter Solis lumen ex accidenti causa frigoris est nonnunquam: siue naturalem corporis nostri calorem foras prouocet: siue post calorem Solis mox calori ventoque corpus exponas. Saturnum præterea nefas est frigidum vllo modo, & propterea mortiferum appellare. Nihil enim in igne tanto tamque vitali, vel vllo modo frigidum, vel leriferum esse potest: Satis esto, apud Saturnum ab humore vinci calorem. Cumque talis sit, & à nobis insuperremotissimus, parum admodum caloris afferre, humoris quoque non multum: quia præter hæc duo vis est in eo naturaliter contrahendi, sistendi, continendi, cogendi. Vnde quamuis exsiccet nunquam, sicut neque Luna, videtur tamen quodammodo desiccare, dum in seipsum cogit humorem: sicut & Luna dum decrescit lumine, vel descendit. Difficile verò Saturnum esse humidum negare possunt, vbi aiunt illum sæpe pluuias augere, & fluxum alui citare: pestiferum verò hunc appellare non licet: quippe cum prouidentia cuncta disponens sphæra tàm ampla hunc honorauerit, proximumque viralibus stellarum innumerabilium radiis esse voluerit. Mitto quòd Theologi veteres mentem ipsam attribuere Saturno, ipsique menti vitam primam æternitatemque dicauerunt. Nonne cum hoc Astrologi ascendens computant vitæ principium? Nonne primum conceptionis mensem Saturno commendant? nunquid à mortifero vitam auspicari decebat? Quid ergo? Primum ei mensem idcirco committunt, vt sicco frigore suo cogat semen, sistatque ne diffluat. Sistit profectò, cogitque non frigida potestate vel sicca, alioquin exordium vitæ peteretur à contrario vitæ sed mira quadam contrahendi, & colligendi, & continendi virtute. Multa enim sunt quæ lac aliosque liquores alia cogunt virtute quàm frigida. Itaque Saturnus non frigiditate conglutinat, alioquin statim ab initio semen redderet generationi viræque prorsus ineptum: sed virtute potius à circumferentia ad centrum omnia redigente: nec modò frigoris, sed more manus, & pugni: vel natura coaguli arctius comprimente, sicut & Mars vicissim ad circunferentiam à centro protendit; quod autem natus octauo mense non viuat, si modò ita semper accidat (accidit enim aliter in Ægypto, & alicubi apud Græcos) causa erit non frigiditas, siccitasue Saturni, sed violentia quædam aliunde tunc illata, quæ nasci eo tempore compellit eum, quo adhuc Saturnus in visceribus detinebat. Non enim dum hic retinet, nascitur aliquis, nisi violenta nimium causa expulsus ex aluo. Nam & Peripatetici medicique aliunde quàm à Saturno rationes assignant, & Astrologi tradunt in regionibus Indiæ Saturno subiectis vitas esse longissimas. Sed nonne ex accidenti saltem à Saturno siccam frigidamue naturam nonnunquam euenire dicemus? Tunc ita fortè videri si quando Saturni radius in frigida & sicca materia capiatur: eam eum & per se paulum calefacere potest vel humefacere, & sistit nimium, vnde cogitur materia gelu. Sed tùm in humidiore, tùm vel maximè in calidiore quamplurimum conferre videtur. Nam & humore suo temperat caloris excessum, & ipsa conglutinandi virtute cohibet humoris effluxum. Mars verò contrà, in materia frigidiore vel humidiore moderatur effectum: calidiorem verò præcipitat, non tàm in caloris excessu, quàm vigore mouendi. Sed quoniam de seminali nunc materia fecimus mentionem, operæ pretium est admonere vim in fœtu Solis & Lunę vniuersalem esse in calorem humoremque vitalem. Vim Saturni esse seminalem materiam colligere penitus atque firmare: Iouis officium mouere deinceps, intusque fouere: Martis actio ad externa mouere: Mercurij munus figurare ad sensum spiritus atque membra: Veneris ministerium ad affectum & propaginem omnia conformare. Hæ verò sunt dotes præcipuè pertinentes ad corpus, ex Planetarum signorumque corporibus. Ex eorum iterum animabus in nostris animis à Saturno contemplatio cautioque & conseruatio diligens augetur, ab Ioue ciuilis & prudens potissimum gubernatio, à Marte magnanimitas malorum iniuriarumque expultrix, à Mercurio inquisitio quælibet & expressio, à Venere charitas & humanitas, à Sole honestatis cura pudorque & gloriæ studium verioris, à Luna deni-

que rerum vitæ necessariarum cura & prouidentia diligens. Sed ne quis nos fortè damnet Planetas sic ordine Platonico disponentes, memento diuinam prouidentiam statuisse Solem per latitudinem Zodiaci minimè peruagari, tota enim huius euagatio sub vnius portionis æstimationem venit. Quoniam verò Sol Planetas sibi nimium & altitudine & latitudine propinquantes fortè confunderet, & virtutis excellentia penitus occuparet, ideo decretum est Lunam atque Venerem, quarum medius Sol incedit, latius euagari, nam ad duodecim ferè portiones peruagari veteres voluerunt. Mercurius tanquam remotior à Sole quam Venus, angustiori se peruagatione defendit: nam ferè ad portiones octo percurrit, Mars & Iupiter ad quinque. Saturnus vtpote remotissimus ad tres in latum portiones excurrit. Sic eorum opinio confirmatur, qui Veneri Mercurium anteponunt, quanquam & qui contrà faciunt, ordine signorum sedefendunt. Sicut enim domus procedunt, ita Planetas disponi volunt. Cancer ergo primam ponit Lunam, Leo Solem secundum, Virgo Mercurium tertium; Libra Venerem quartum, Scorpius quintum Martem, Sagittarius sextum Iouem, Capricornus Saturnum septimum. Deinde versa vice ponuntur, sed hæc illi viderint.

Compositiones in naturis Planetarum, ac diuersæ vires & actiones, & ex cunctis mira cœli contemperatio.

Sed redeo ad Plotinum. Cum asserat omnia in cœlo calere, frigere nihil, & tamen in quibusdam magis minusue temperari calorem, videtur humorem illic cum calore coniungere, cuius commixtione temperatio fiat. Non enim illic calor frigiditate reprimitur, neque seipso insuper refrenatur, neque merus ibi regnat atque solus, alioquin non alibi magis, quàm alibi dominabitur. Humor igitur illic, id est, lenis, & agilis teneritudo quædam, & velut vncta liquiditas, & alma fœcunditas, humor inquam, huiusmodi ibi tùm calorem alit vt nectar, sicut calor alit lumen velut ambrosia, tùm coercet incendium, ne vel ex incendio calor insuper ipse perdatur, tùm collisionem sphærarum mutuam prohibet, alioquin ex rapidissimo motu futuram, sphærasque & alia protinus exusturam, tùm denique motus radiosque lenit & mulcet, quo blandius inferiora contingant. Hæc omnia perficit humor: humor inquam familiari calori suo adeo necessarius, vt nunquam destillet inde vel diffluat, vel calorem ipsum obtundat & suffocet. Profectò sicut in anima vitalis motus ab animali vita, hæc autem ab intellectu dependet, & seruatur atque viciſsim, sic in cœlo liquiditas à calore, calorque à lumine. Ita igitur vel exempli causa compone cœlestia, in Saturno calorem valdè superat humor, in Marte longè calor humorem, Iupiter horum medius calorem quasi pariter cum humore contemperat, Marti deinceps vt more Platonico digeram, accedit Mercurius referens Saturni naturã, Huic Venus quasi in mixtionem Iouiam repræsentans: Dico autem quasi, propter eorum opinionem, qui putant Iouem quidem declinare aliquantulum ad calorem. Venerem verò potius ad humorem, sed ex ambobus temperiem confici perfectissimam. Sol deinde sicut & Mars calore valde vincit humorem. Luna tandem quemadmodum Saturnus atque Mercurius, plus admodum humoris possider quem caloris. Sed horum trium humor ita se inuicem habere videtur: Saturni quidem humor semper recurrit ad centrum, Lunæ verò ad circumferentiam potius lumine crescente dilatat: Mercurij denique mediocriter facit vtrunque. Sed vt Lunam repetam, hanc cum decrescit lumine Astrologi doctiores aiunt, non minuere quidem humoris substantiam, sed ad centrum potius cohibere sicut crescendo dilatat quod apparet in mari, cuius dilatatur etiam amplitudo, dum Luna medium cœlum petit ab Oriente: dum verò à medio ad Occasum tendit, refluit in angustum. Neque interim verisimile est tàm facilè, tàm subitò per substantiam augeri, vel minui. Præterea calor Solis, & Martis differenti conditione mouentur & mouent: Martis quidem velut in pyramidem: Solis in orbem. In duobus igitur, id est, Ioue simul, & Venere quasi par est humoris portio atque caloris, sed enim cum in duobus viciſsim, id est Sole Marteque longè calor exsuperet, cur nam tria sunt, Saturnus scilicet, & Mercurius atque Luna, in quibus humor excedat? Quia & calor efficacior est quàm humor, & Solis Martisque simul moles est ingens. Ideo iure coniuncti duo, è regione trium opera temperantur. Tanta quinetiam caloris est efficacia in humorem, vt faber ipse mundi voluerit in ipsis sphærarum motibus quæ stellas continent, humorem librata portione superare calorem: vt portione saltem quasi pondere, natiuam humor suam ad efficaciam caloris adæquet. Hac itaque ratione sphæræ omnes supra terram aquæ vocantur, atque sicut mare ad terram aqua est & liquor, sic aër est humor ad mare, sicut Lunæ circus est liquor ad aërem, sic superiores ad hunc & ad se deinceps habere videntur, vt superiora semper inferiora foueant & feliciter alant. Sunt igitur aquæ sub firmamento, sunt & in firmamento, tùm in ipsa firmamenti temperie, tùm in stellis firmamento nitentibus, eaque inuicem qua planetæ proportione compositis: sunt & aquæ super ipsum etiam firmamentum quas & Astronomi posuerunt, vt motus omnino simplex duplicem & oppositum firmamenti motum regat & ducat. Super has item aquas ignem Theologi posuerunt, id est, empyreum cœlum amplius christallino. Atque hoc fortassis est lumen, quod apud Mosen Deus ante Solem, & Lunam, & stellas accendit. Cœlum hoc ea ratione christallum præcedere iudicatur, qua & statu motum, & calor humorem. Sed nunquid in empyreo calorem comitatur & humor? Comitatur quidem, sed absorptus in ipsum. Nunquid rursus in christallino calor comitatur humorem? Comitatur sanè, sed tractus ad ipsum. Atque ita deinceps paulatim crescit humor in sphæris, donec sub media tandem aëris regione humor, & velut superfluus, & tanquam à calore iam alienus diffluat & spargatur. Superius autem vsque adeo est alter alteri necessarius atque domesticus, vt & humor calorem nutriat atque moderetur, & calor humorem foueat atque conseruet, vtroque verò custoditur & lumen. Sed vbi plus est caloris, ibi lumen est efficacius, & oculis admodum manifestius, vbi verò humor abundat, lumen & minus est efficax, & albedinis instar quasi spargens intuitum minus sese oculis offert. Interea meminisse re volo, lumen & calorem in stellis humidioribus, etsi quantum ad stellam solam pertinet, nos minus afficiat, tamen paulatim deinceps afficere plurimum atque diutius, nisi fortè a-

fiunde superuacuus affluat humor ab initio, siue frigus: tùm quia non fiat in materia resolutio cito: tùm maximè quia cum hæc stella eiusdem fermè temperationis sit, atque sphæra qua regitur vnà cum propria sui dote contrahit ad nos abundantius sphæræ totius influxum. Atque ita quantum ceteræ propria sunt virtute potentes, tantum hæ præpotentes virtute communi: maximè verò stellæ quæ in sphæris sunt amplioribus. Semper enim circus amplior tanquam continens & ducens præstantior est, virtutemque suæ stellæ mirabilem inserit, sed occultam. Sed vt ad Plotinum redeamus: Mars quidem non nocet caloris acumine, sed humidiorem materiam temperat: Neque etiam Saturnus est noxius, sed quoniam remotissimus est, id circo influxus eius quasi peregrinus nobiscum non facilè congruit præsertim iuuenibus, nisi vel cæteris luminibus rite commisceatur, vel ipse insidere sedens humano, in quo vel habeat domicilium, vel exaltetur, quo dammodo fit operis author: Neque Mercurius fit aliquando malus, sed cum fit medius omnium, facilè omnibus fit persimilis. Denique sicut in animali singula membra quamuis qualitate diuersa, & inuicem, & toti conducunt ad bonum, sic in cœlo, quod communi etiam vita viuit, Sol quasi cordis obtinet locum: Mars verò fellis: Iupiter iecoris: Venus & Luna membrorum (vt ita dixerim) genitalium: Mercurius linguæ vultusque: Saturnus capitis atque splenis, & stomachi: Stellæ fixæ vicem referunt oculorum, & quæ diuersa videntur conferunt ad temperiem. Dixi equidem vniuersum vita quadam communi vigere, per quam omnia mundi membra vicissim passione communicant, id est, ab alio in aliud facilè transfertur influxus, & occultus passim excitatur sensus, & incitatur affectus. Quando verò communem dico vitam, vuà cum Plotino irrationalem intelligo vitam, ab anima mundi vniuerso tributam: in cuius communione in omnibus quædam actionis & passionis consensio nascitur. Sed huic vitæ non confusas, sed coniunctas esse volumus, similes quoque stellarum, & dæmonum, hominumque vitas: quasi varias membrorum vitas cum communi totius animalis vita penitus conspirantes, vt non mirum sit hæc inuicem per proportionem quandam fieri signa, id est, ex aliis mundani animalis membris simili proportione, qua in nobis indicia nonnulla præberi ad aliorum iudicandos effectus.

Indicia quinque, quòd stellæ non omnia faciunt.

CAput sextum indiciis quinque confirmat, stellas non omnia facere. Primum constat fatè tùm dignitate naturę, tùm sublimitate loci, tùm amplitudine potestatis quamlibet stellarum vel minimè bonam, viro vel optimo meliorem prorsus existimandam. Quamobrem scelera quæ vir optimus non patraret, stellæ minimè perpetrant, præsertim quia cœlestia omnia viuà diuini artificis sunt instrumenta. Quod & asserit Ptolemæus, & ratio docet: tùm quia per illa hic singula tàm artificiosa ratione formantur, vt ars quidem omnis hæc pro viribus imitetur, sed nulla vnquam assequi possit: tùm quia cœlestia quàuis tanta potestate prædita sint, nunquam tamen liberius peruagari videntur, sed instrumentorum conditione certo quodam tractu ac limite ad præscriptum directa finem ducuntur per eadem semper, & similiter reducuntur. Quicquid igitur per cœlestia diuini artificis instrumenta peragitur, ab ipso Deo præcipuè prouenit. cum verò à summo bono malum ab ordine cadens fieri nequeat, certè quod Astrologi quidam garriunt, per Martem Veneremque in Ariete vel Tauro coëuntes, nunquam apud nos adulteria committuntur. Indicium secundum: Cum diuina quidem cœlo superiora, neque natura, neque modo mutentur, quæ verò inferiora sunt cœlo mutenrur, vtriusque consequens fore videtur, cœlestia tanquam media, & si modo quodam semper mutari videntur, nunquam tamen natura mutari. Delirat ergo, qui dicit Planetas hac hora, ex hoc ipso conspectu talem sortiri naturam: hora verò sequenti, naturam rursus aliam ex alio conspectu subire: similiterque deinceps: neque terminum, vel naturæ suæ proprium, vel ad alios in tempore certum prorsus vllum habere, sed more Cameleontis semper ad obiecta mutari. Tertium: stellæ sunt à nostris admodum separatæ, sunt communissimæ causæ, sunt natura & numero terminatæ, influxus quoque stellarum quacunque ad nos cœlestium motionum constitutione mittantur, communiores ad nostra veniunt atque definiti. Incerta igitur effectuum multitudo, & infinita diuersitas nequit ex illis sine medio peragi, sed inter cœlestia inferioresque effectus oportet causas occasionesque cadere medias, tùm magis natura diuersas, tùm forte quotidie varias, quibus ad minimos quosque & innumerabiles descendatur effectus. Stellæ igitur neque consilio terrenis minima quæque disponunt, alioquin tanta forent solicitudine miseræ, neque naturali conditione, mox ex communissima ipsarum natura ad distinctissima quæque descendunt. Quartum: solent Astrologi dicere Planetam in certo signi termino positum, nonnulla promittere, quæ non antea præstet, quàm vel ad eundem terminum reuertatur, vel totidem anni prætereant, per quot gradus ascenderit. Itē quod promisit non prius absoluere, quàm signum idem in natali reuolutione nobis rursum ascenderit, & quot ab initio gradibus nobis ascenderat, annis totidem in natali reuolutione ascendere rursus. Præterea Planetas singulos, aliasque stellas prout alibi vel alibi nascentibus imminent, effectum magis minusue differre. Totum quidem hoc hominis est pro arbitrio numerantis, ac fingentis potius quàm docentis. Et si planetam probabilius fingere licet, quando redit ad idem facere similiter idem, tamen quod facere primò non potuit, efficere secundò non poterit, neque planè perspicio, cur nam ex prima positione non faciat, quæ fortior admodum in nobis est secunda. Quod item de dilatione simpliciter dicitur, ad agendum penitus est confictum: nam si causa ipsa dum præsens est, non efficit, multo minus peragit absens. Afferent fortè certam huius causæ vim eò vsque seruari: ego verò vbi seruetur exquiram. Aut enim in causis nobis propinquioribus, aut in materia, aut vtrobique seruatur. Esto igitur, ita seruetur. Ita certè seruata, pro eorum quæ seruant conditione seruatur, atque ad ipsorum naturam trahitur paulatim, & pro eorum distinctione distinguitur. Quod ergo denique fiet, sub proprietate nostra potius quàm communi continget. Quintum: quemadmodum in Theologia probauimus, ac rursus alibi repetemus: omnis causarum turba ex vna primaque depen-

det causa, adeo vt inde fit, & seruetur, atque ducatur, alioquin diuersitas causarum non conduceet ad vnum, nisi vt deducatur ab vno. Quæcunque igitur fiunt desuper, tanquam à summo bono pendentia, & ordinatissimè fiunt, & optima veniunt. Nemo igitur stellas vel solas omnia, vel mala etiam facere, audeat confiteri.

Indicia quinque, quòd stellæ significant potius nostra, quàm agant.

CAPVT VII.

PLotinus & Origenes condiscipuli, sub Ammonio Alexandrino, ac semper amici hac in re ficut in plerisque consentiunt, stellas neque omnia facere, neque vbi agunt, omnia peragere. Item multa significare quæ ipsæ non faciant, non omnia, inquam facere, ne si mala fecerint, vel Deus non prouideat, vel sit iniustus, stellæque simul iniustæ. Neque rursus omnino, ne si ad exactissimum ipsæ singula peragant, naturalium rerum actio vacet, & liberum cesset arbitrium. Simili quoque consensu frequentem stellis significationem vel vbi non agant, libenter idcirco concedunt: quoniam ex hoc diuina prouidentia maximè confirmatur, neque enim possent in præsenti hac vniuersi facie præferri indicia præteritorum atque futurorum, nisi res passim rebus, tempora temporibus certo quodam & consequenti ordine necterentur. Ex quo perspicuè patet, non incerto quidem casu cuncta vagari, sed ratione quadam & prouidentia regi. Si perpetua consideres stellarum lumina, & accessus ad nos atque recessus, concedent Plotinus & Origenes ex his tantum apud nos effici, quantum ordine naturali procedit, & ad corporum spectat affectiones, & id quidem conditione communi, quæ per propinqua nobis valeat permutari. Si spectes iterum situs stellarum quotidianos mutuosque aspectus, scito ex his apud hos Philosophos, nostra potius significari, quàm agi. Quod quidem Origenes in Genesis commentariis, vbi dicitur, stellas fuisse factas in signa, & Plotinus hic simul & in libro de Fato, quinque potissimũ argumentantur indiciis. Primum: Non potest quod posterius est, efficiens causa præcedentis existere. Astrologi verò ex natiuitatis hora non solum quæ euentura sunt nato, sed quę iam euenerunt, iudicare promittunt: vtrum masculus sit an fœmina: vtrum mancus an integer. Imò verò & altius in hodierna stellarum positione multa nobis aperire præterita profitentur, quæ non natiuitatem solum, sed nati conceptionem etiam antecesserint, parentum & auorum naturas atque fortunas, fratum quoque maiorum atque reliquorum nobis necessitudine coniunctorum. Adhęc autem quasi priora non potest causa esse cœli figura posterior, sed esto signum, si quidmodo declarat. Quòd si quis concedat præterita quidem ex his tantum repræsentarii, futura verò insuper efficiis cogetur nobis ostendere differentiam, & discriminis huius causam assignare: Cur nam si ad præterita figura præsens causa non est, ad futura sit causa? Ac si positio Martis in quarta demonstrat, & parentes citò mori, & natum patrimonium dissipare, sicut neque positura hæc parentes necat, ita neque dilapidat patrimonium. Iam verò & futura quædam per hanc Astrologi prædicere pollicentur, quorum figura hæc causa esse non potest: scilicet vxoris, & fratrum, & amicorum fortes: quæ suas non in hac figura, sed alibi causas habent. Denique per præsentem cœlestium habitudinem, quæ post annos triginta contingent, si modo portendi possunt, perfici certè non possunt. Meritò igitur plerumque dicunt, natus hic ipse sibimet causa erit incommodorum suorum, alius commodorum. Secundum indicium: Si patibulo moriturum aliquem dixerint, non à natiuitate sua id solummodo, verumetiam parentum, fratrum, filiorum, aliorumque necessariorum: imò verò etiam ex natiuitate necantium intelligi posse putant. Si qua verò patibuli huius causa est, vel vna est, vel si plures certè coniunctę sunt, & in ipso: vbi verò in diuersis hæc dispersa sunt, non causæ, sed signa videntur. Denique si per cœli in natiuitate figuram fatum pueri iam pridem factì prædicitur, hæc ipsa figura fatum non efficit, sed declarat: sicut & puer non tunc efficitur, sed declaratur effectus. Sed & ante conceptionem fatum Platonici dicent fuisse conceptum, quando videlicet anima corpus elegit. Indicium tertium: Cum multæ præuidendi rationes esse putentur oraculum, augurium, aruspicium, interpretatio somniorum, medicorum, agricolarumque præsagia, omen, physionomia: in quibus omnibus signa perpenduntur, non causæ futurorum: cur nam in sola figuræ cœlestis inspectione non indicium tantum putant esse, sed causam? An videlicet nobis est illa figura superior? Sed auium quoque volatus, & tonitrus superiores sunt, neque tamen per hæc vt per causas, sed tanquam per indicia solent aucupari futura. Denique quid & quomodo efficientis ad hæc causæ sit in cœlo, iam constitit. Nonne & Deus mentesque diuinæ superiores sunt? Oracula tamen & Prophetarum verba diuino afflatu pronunciata vel scripta, futurorum prodigia non causæ iudicantur. Similiter poterit & cœli facies esse liber, in quo figuræ scriptæ diuinitus præferant ventura, non agant: præsertim si consideratione cœlestium corporum prænoscantur, ea quæ fieri nequeunt corporalis illius naturæ tenore, scilicet certæ certis temporibus hominum dignitates atque depressiones, inuentiones thesaurorum, cogitata consiliorum, mutationes fortunæque propriæ atque nostrorum. Indicium quartum: Si per præsentem stellarum constitutionem vel immania scelera, vel opera diuinitatis propria portenduntur, probabilius valde dicetur, stellas vtraque potius declarare, quàm vel cum optimæ sint, pessima perpetrare, vel cum sint corpora, incorporea facere, & quę vel contrà vel supra naturam corpoream sunt efficere. Indicium quintum. Interrogationes quæ quotidie apud Astrologos fiunt, siue de præteritis, nunquid talia facta sint? vel de futuris, nunquid fient? vel de præsentibus, vtrum fiant? de rebus & alienis à nobis, & longè distantibus, confirmant quicquid ex præsenti interrogationis hora respondetur, non per causam responderi, sed signum. Superiora hinc iterum confirmantur, quòd omnium quæ nobis accidunt fiuntúe à nobis, manifestas sufficientesque apud nos causas reperimus, in propria generis nostri natura, in consuetudine, affectu, consilio, actione, occasione, concursu circunstantium causarum, neque vnquam sine his causis è cœlo sit aliquid, vt nil opus sit horum in cœlo causas perscrutari, quæ sæpe in terra patent, neque tamen inueniuntur in cœlo. Atqui si præsentes

præſentes ſemper in horas cœli figuras aliquas in nobis facere concedamus, ad affectiones corporum primoſque impetus tantum pertinere dicemus, atque id quidem parui eſſe momenti: ſiquidem per cauſam agitur momentaneam: Rurſusque pro natura propria ſuſcipi, & ad noſtra quaſi firmiora mutari. Ex eo autem quòd conſtitutio ſiderum non quæcunque ſignificat, efficit, propria diuinitatis, & naturæ, & artis actio confirmatur. Siue igitur Iouis & Saturni coniunctio nouam portendit religionem, poteſt nihilominus vel vera interim religio à Deo perfici, vel ab homine falſa confingi: ſiue per cœleſtes motus quæ infra Lunam natura contingunt aliquando deſignentur, nihilominus natura talia facit, & efficit tenore naturæ: ſiue per eoſdem motus portendantur actiones humanæ, conſilio tamen humano & pro arbittio noſtro proeedunt, ſignaque interdum vana fiunt, quando efficiens cauſa in ſe cauſam permutat ſignificantem. Proinde quòd Plotinus, & Origenes aiunt, futurorum quaſi literas in cœlo, vel ſcriptas eſſe ab initio, paulatimque explicari, vel perpetuò ſcribi, intelligunt ſtellas, figuraſque tùm confectas ex ſtellis, tùm imaginarias: Item ſignorum gradus parteſque minutas: denique Planetarum aſpectus & motus, & quæ conſequuntur hæc vbilibet, vel comitantur. Tu verò cœlum hic intellige vniuerſum. Eſt enim vbique cœlum, & Timæus cœlum nominat vniuerſum. Supra Lunam quidem, ſicut rerum inferiorum cauſæ ſunt communes, ita & communia ſigna: infra Lunam verò ſunt cauſæ propriæ, quibus cognitis communia in propria deriuantur indicia, totumque hoc quaſi animalis vnius corpus exiſtit. Oportet igitur in mundano hoc animali tùm ſupra Lunam, tùm infra circumſpicere cuncta, atque inuicem penſitare. Sicut enim diuerſa inter ſe agentia ſunt, tùm ſupra, tùm infra, tùm ſuperiora ad inferiora nonnunquam: ſic & ſigna paſſim inter ſe ſunt ſæpe diuerſa: quemadmodum in quolibet animali, tùm naturæ inter ſe contrariæ ſunt, tùm membra diuerſa, tùm in aliis ad alia repugnantia ſigna. Iubet itaque Raſis phyſionomum non vni credere ſigno, ſed cuncta comprehendere, inuicemque librare: atque vbi contraria ſunt, ſequi plura ſimul atque certiora. Idem obſeruare debet in mundo diuinaturus ex mundo: quem in iudicando cautum eſſe debere Ariſtoteles in libro de Somno & vigilia his admonet verbis: Sæpe ſunt in corporibus ſigna etiam cœlitus velut imbrium & ventorum, neque tamen euenit ſignificatus euentus, cum motus alius vehementior accidit. Quamobrem diuinationem eiuſmodi Origenes atque Porphyrius hominibus abſtulerunt, conceſſere dæmonibus, quibus pateat cœleſtis liber ille legendus. Non dæmonibus inquam æquè omnibus: nam Porphyrius in libro de Oraculis poſtquam probauit quæcunque dij oraculis fatalia nunciant, ſtellarum obſeruatione prædicere, ſubiungit, deos quoque ſæpe mentiri, atque exquiſitam futurorum cognitionem non hominibus ſolum, ſed multis etiam deorum eſſe prorſus incertam, & quibus deorum innoteſcere poteſt, non qualibet hora ad plenum eſſe perſpectam. Sic itaque dæmones, quantum ſpectat ad præſens, diſponere libet. Aetherei dæmones aërem colētes ſublimiorē, cœleſtia magis quā terrena cōtemplantur oſtenta: aquei verò dæmones aëreum, ſcilicet infimum habitantes, ex noſtris magis quā ex cœleſtibus rerum argumenta venantur: Medii denique cōmodius vtrobique ſigna conſpiciunt: ideo vaticinio apud nós ſunt admodum aptiores. Ab his vtique Origenes ait homines nonnunquā accepiſſe præſagia: verumtamen ſiue ab his acceperint, ſiue obſeruatione didicerint, confuſa proſpicere, & caligine quadam hallucinari.

Multis de cauſis iudiciū de futuris eſt difficillimum.

Quòd autem nec homo nec dæmon ſola inſpectione cœleſtium, minutiſſima quæque apud nos perſpicere valeat, hunc in modum argumentamur: Sicut quælibet natura cœleſtis terrena, qualibet natura communior eſt: ita quilibet cœli motus terreno quolibet eſt motu communior. Non poſſunt igitur è cœlo ad terram ad minutiſſimum quodque reddi ſingula ſingulis, neque igitur poſſunt hic minima quæque perſpicuè inde diſcerni. Semper enim cœleſtis motio quaſi communior, ad plures hic eſt motiones indifferens, vt niſi præter cœlum inſuper hæc noſtra conſpexeris, perpendere nequeas quo potiſſimum conditione hæc cœleſtis motio capiatur, & vtram potius in partem definiatur. Suſpice ſi placet in tua geneſi cœli figuram, definitas quaſdam & numero paucas in ea notas inſpicias, quibus communes quoſdam, & paucos in te notare inde queas effectus. Motus itaque tuos omnes, qui non in tota ſolum vita, ſed anno quolibet atque menſe innumerabiles ſunt, nunquam potes inde perſpicere, nec etiam ſi quolibet anno reuolutionem tuæ natiuitatis euoluas, neque rurſus ſi quotidie diligenter obſerues. Mitto in præſentia quid dæmones poſſint, homines certè non poſſunt. Sapiens nemo negabit, ſtellas omnes quæ nobis innumerabiles ſunt ad effectum quemlibet conferre nonnihil, ex earumque conflexu commune aliquid & id quidem pro natura loci & materiæ confici: Aſtrologi verò ſtellas tantum mille viginti quinque, & duas, vel ad ſummum, ſuper mille quatercentum ſeptuaginta ſex duntaxat obſeruant. Quo fit vt cum minorem cauſarum numerum teneant, atque eas nondum perfectiſſimè calleant, abſolutam effectus conditionem iudicare non poſſint, præſertim cum ſuper Planetas ſtellæ ſint quamplurimæ, tùm magnitudine, tùm ſplendore mirabiles. Sint etiam innumerabiles in orbe lacteo, oculis omnino noſtris occultæ, Planetas verò ad ſtellarum aſpectus aliter atque aliter affici, negare ex eorum doctrina non poterunt. Mitto quòd Phauorinus philoſophus non ſolum alias ſtellas præter notas exiſtere, verum etiam Planetas alios diſputat eſſe poſſe, ignotos vel propter ſplendoris copiam, vel propter exuperantiam altitudinis, ſine quorum obſeruatione haberi forſā perfecta rerum notitia nequeat. Ad hæc ſi quis obiiciat ſtellas quidem hemiſpherij noſtri agere in hominem ſub hoc ipſo Orizonte naſcentem, in alios alias. Reſpondemus, ſtellas vbicunque ſint, omnes in ſeſe inuicem coniicere radios, terræ vmbra hoc nunquam impediente, eoſque vndique ad nos vſque traiicere, item paucas admodū hemiſpherii ſtellas hominibus eſſe notas, imò etiam ſi ſtellarum numerus nimium computatus eſſet, virtus certè non omnis adhuc eſt nota, imò nec deprehenſæ adhuc ſingulæ motiones, nec oculo, nec inſtrumento, nec ætate ad omne ſufficiente. Cū ergo quid ſit, quid fiat in cœlo nondum perſpectum ſit, nimirū neq; etiam quid fiat è cœlo. Præterea non ratione Aſtrologi, ſed experientia & vſu nituntur, experientia verò, niſi cuncta quæ vtrobique circunſtant ſimilia ſint, ſæpiſſimè fallit. An verò quia naſcēte

Romulo, Mars in Ariete angulum Orientis habebat, talia gessit? Stellis videlicet humano nostis ingenio fermè sic eo tempore concurrentibus: Quoniam igitur talis sub tali quondam cœlo Romulus extitit, nunquid & Annibal, cui Mars quoque ascendit in Ariete, eundem omnino consequetur euentum? Nequaquam. Quoniam & si fingas Planetas insuper omnes similiter in vtroque dispositos, aliæ tamen stellæ firmamentique partes, non eodem quo olim habitu sese habent. Signa enim oculis quodammodo manifesta à Romulo ad Annibalem, situm ad ortum iam mutauerunt, dum sub signis occultis stabilioribusque currentia, gradum annis centum vnum peragunt, quo quidem in tempore signorum positio permutatur, sidusque visibile ad occulta signa aliter aliterque se habens, nimitum alia quoque facit & alia. Nam & Astronomi confitentur ad inuisibile signum omnia referenda: Forsan enim Aries manifestus, qui tunc cum Ariete concurrebat occulto, nunc cum Tauro congruit, aut saltem cum alio Arietis illius gradu siue minuto. Sic & cætera signa signis aliter ordine consequenti respondent. Vnde si signa vires per signa permutant, Planetæ quoque per signa commutant. Quamdiu verò mundus cucurrerit, & quo habitu signa hæc comparentur ad illa, ne suspicari quidem homini licet. Quantum verò diuersitas circa octauam sphæram valeat, ex eo perspicimus, quòd multis iam annorum millibus Planetæ frequentius inter se reuertuntur ad idem: neque dum tamen similes omnino reuertuntur effectus: nondum pristina mundi facies renouatur: non redeunt imperia eadem & ibidem: non leges similes atque mores. Diuersitatem autē octauæ sphæræ dicimus, non solum quæ fit ab occasu ab ortum, sed etiam accessum eius atque recessum, per quem imagines aliis seculis ad septentrionem accedunt, aliis ad meridiem. Non possunt igitur Astrologi certas pro experientia confirmanda regulas posuisse, dum de hominibus tempore diuerso nascentibus, similemque tamen quodammodo quarundam stellarum habentibus positutam, similes opinarentur effectus. Non prius enim eadem prorsus vniuersi facies reuertetur, quàm annorum triginta sex millia consumentur. Accedit ad hæc quòd quemadmodum regulæ Medicorum aliter alibi sunt obseruandæ, si modo futuræ sint salutares: sic & Astrologorum regulæ mutationem sub regionibus diuersis admittunt. Non enim potest obseruationis Chaldæorum ratio consistere, si quis sub diuersis cœli regionibus vti eadem ratione voluerit. Eædem namque stellæ sicut non vbique pruinas cient, similiter vel calores, ventosque & pluuias, sed mutant & variant, tempestatesque eodem tempore alibi placidas mouent, alibi violentas, alibi nullas: cùt non euenta quoque humanarum rerum alia Chaldeis, alia Getulis, & Scithis efficiunt? Profectò sicut sub alio curuamine cœli alius est corporis habitus: ita in cæteris omnino rebus humanis non idem prorsus coniicere potes, si stellas ex quacunque terra conspexeris. Sed esto: obseruent in singulis Astrologi regionibus quid potissimum certis seculis fieri è cœlo conueniat, quod ad hunc vsque diem ritè nullus obseruat, figuram certè cœlestem quam destinare fatalem vnicuique solent, ad summum explorare non possunt. Primo quidem cum nascentis fatum, non à figura propria tantum, sed parentum, atque auorum figura simul & proauorum, & ab ipso nuptiarum tempore dependere concedant, neque tot configurationes explorare licet; neque fatales nati causas tàm latè dispersas & signa distracta colligere datur, neque sicubi sibimet aduersentur. momenta rerum grauiora perpendere: ac si quis ista comprehendat, non tamen ex his duntaxat omnem in nato videbit euentum. Veniunt enim, aiunt, sæpe vniuersales causæ tàm potentes, vt propria cuiusque permutent in deterius videlicet, aut melius. Sed redeamus ad figuras quodammodo pertinentes ad natum. Ptolemæus in quadripartito inquit: Breue tempus maximam in re ipsa mutationem facere ideoque difficile admodum esse iudicium. Hinc & Albumasar in libro de Iudiciis, necessarium, inquit, est ad iudicium, qualibet hora optimè callere Planetarum cursus, & gradus atque minuta signorum tenere certissimè. Profectò signa sex à Cancro exordientia quia recta procedunt, horas duas, vel paulo plus occupant ascendendo: sex reliqua quæ à Capricorno incipiunt, quoniam exoriuntur oblique, citra duas horas ascendunt Diuidenda igitur hora est vtrobique, partesque horæ partibus signi distribuendæ. In rectis quidem gradus quisque signorum quintamdecimam fermè exigit horæ partem, in obliquis fermè vigesimam. Verum sicut in signis triginta sunt gradus, & in quolibet gradu sexaginta minuta, & in quolibet minuto sexaginta secundæ: ita partem horæ vtrobique, vel quintam decimam, vel vigesimam, necesse est in partes sexaginta, & ita sexaginta similiter distribuere, & singula singulis protsus accommodare. Cum igitur afferant, vt & Origenes inquit, Astrologi, non solum gradus, sed & minuta minutorumque minuta necessariò cognosci debere, in quibus Planetæ sint, & quæ ascendant, siue descendant. (Nam in minimo maximum esse discrimen quod & Nigidius in voluenda figuli rota monstrauit) quisnam minutias eiusmodi deprehendere potest? Iam verò cum vt plurimum media signi pars vnam ascendendo occupet horam, quonam pacto minutum ascendentis inuenies, cum tàm minutam diuisionem temporis nequeas obseruare? Scire namque expedit non solum quota hora, sed etiam quotis minutis horæ minutorumque minutis ex vtero sit puer effusus. In Piscibus verò atque Ariete propter obliquam horum ascensionem, hora enim & tertia horæ parte ascendere penè videntur, minimam temporis partem magnam mutationem afferre non dubitant, vt vel vigesima horæ vnius pars gradum ascendentis immutet. Quoniam igitur asserunt tempus, vel exiguum quod cadit inter natiuitatem, vel geminorum, vel duorum quorumlibet hominum, ex diuersis quidem parentibus, sed eadem penè temporis parte nascentium, diuersitatem afferre, quæ inter illos effectu deprehenditur: Ideo sic eos Augustinus interrogat: Aut illud exiguum interuallum exiguam inter illos discrepantiam affert, aut magnam. Si exiguam dixerint, obiicimus Iacob & Esau geminos sine interuallo temporis editos in magnis fuisse dissimiles. Si magnam, cum illæ minutiæ nullo possint instrumento deprehendi, scilicet secunda, tertia, quarta, certè iudicate non possunt. Magnam verò afferre, in meis necessariis sum expertus: Natæ sunt in familia nostra geminæ sine interuallo sorores: altetam post heb-

domã das septem proprius interemit morbus: alteram post septem menses nutrix inscia suffocauit. Nati sunt & gemini similiter: alterum intra paucos dies ignis occidit, alterum aqua post annos quatuordecim suffocauit. Nati sunt & in vicinia mea sine intermissione gemini qui adulti iam sunt, & corporibus, ingeniis, casibus diuersissimi. Mitto, quàm diuersa sit sors brutorum vnà nascentium plurimorum, præsertim vbi simul fouentur in ouis. Profectò si tàm patuum atque rapidum est momentum temporis, in quo nascens homo accipit fatum, vt in eodem illo puncto sub eodem penitus circulo, cœli plures simul vix ad eandem competentiam nasci queant: ac si idcirco gemini quoque non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem momento sunt orti, respondeant quæso, vt cum Phauorino interrogem, cursum illum temporis transuolantis qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quònam pacto deprehendant, cum in tàm præcipiti cœli vertigine minima quæque momenta, ingentes dicant mutationes afferre. Iam verò maior mora est natiuitatis in vno, quàm inter geminos mox sibi succedentes in partu. Si igitur in ictu quodam oculi cœlestis constitutio permutatur & fatum, necesse iam erit, vt totidem fata dicant, quot sunt & nascentia membra. Hic quoque per oportunè quæritur, vtrum fati series explicetur, quo primum momento incipit egredi puer ex aluo? an potius quo iam medius exit? an fortè cum totus? nam & in hoc inter se dissentiunt. Verum altius ab exordio fœtus repetenda res esse videtur. Et si nonnulli ipsam tunc cœli figuram inuenturos se profitentur, atque id quidem ex figura natiuitatis, tamen cum hanc incertam habeant, nimirum & illam multò magis incertam. Sed condonemus eis, vt hanc compertam habeant, quibus tandem regulis ex hac illam aucupari poterunt? Dicent fortè nonnulli, gradum Lunæ in natiuitate ascendentis gradum in conceptu fuisse, ac vicissim gradum ascendentis in ortu, gradum extitisse Lunę, cum fœtus conciperetur in vtero, sed neque hoc compertum firmiter esse potest, imò verò arbitrarium est omnino. Iam verò & alij aliunde quærunt, atque vt refert Iamblichus, alij quinque ad id legibus vti solent, alij paucioribus, alij verò pluribus. Porphyrius autem id Astronomis etiam concedentibus ait, esse prorsus incertum. Sed esto, reperiat fortè quispiam primordia fœtus: quærimus vtrum prima illa temperatio cœli, quando primùm inchoabatur opus humanum, solum conducat ad opus, an & reliquæ deinceps harmoniæ cœlestes, quæ sicut & prima momentanea fuit, momentis singulis variantur? Si prima solum dicatur efficere, mirum est momentaneam cœli figuram diuturnum opus absoluere. Et cum iam amplius non est, continuè facere. Sed afferent ex prima figura vim quandam in fœtu relictam quasi superstitem & agentem. Si ita sanè, quamuis etiam si adeo mirum, at certè quę continuò deinceps figuræ sequuntur, num agunt in fœtu nihil? imò & agunt hæ quoque, & suas notas inurunt. Et quam quam pro natura prioris excipiantur, influunt tamen etiam pro natura sua, ac paulatim priora permutant, confundunt indicia, iudicia fallunt. Maxima verò & antecedentium permutatio fit, & sequentium inchoatio, cum primum corpusculo fœtus iam ad animam præparato, influit anima, quod sanè momentum, vel dæmonibus est incertum. Iamblichus ex mente Platonis probat sortem ducemque vitæ dæmonem animæ tribui etiam ante conceptionem, ab vniuersali totius mundi dispositione: prout anima cum primum appetit corpus se habet ad vniuersum, atque è conuerso. Id ergo tempus primo scire oporteret atque perpendere, quod sola inspiratione diuina putat posse comprehendi. Præter hæc insuper in iudicandis hominum effectibus, si quæ tempora obseruanda sunt, quinque obseruanda videntur. Primo quidem serendi tempus, quando semen iacitur in matricem, huius iactus conditio sequitur voluntarium parentum motum, & ipsam præsentem vtriusque naturam, imaginationemque comitantem potius, quàm præsentem constitutionem cœli. Principium enim motus fuit vtriusque voluntas: sors verò in eiusmodi motu potissimum pro eorum natura & imaginatione contingit, interea nonnihil fauente cœlo. Quantum imaginatio possit, apparet in auiditate prægnantium, & in animalibus quæ alba nascuntur ex genitoribus imaginantibus alba, sicut de pauonibus fertur. Secundo, tempus, quo cessante iam motu prædicto, semen in matrice collectum firmumque iam ex eo quod erat incipit permutari, & forsan primo conglutinari. Exordium & sors conglutinationis actionisque eiusmodi, sequitur conditionem seminis & parentum magis quam cœli, quia admodum materiale est quod efficitur, & id quidem erat, sitque pars parentum. Pars vero propinquū propriumque suum sequitur totum. Vnde videmus ex tali specie indiuiduoque talem speciem & indiuiduum eiusmodi semenque coalescere, conferr tamen interea cœlum. Tertio: tempus quo primum fœtus formatur in vitam. Idque fieri aiunt secundo mense, quo potissimum Iupiter agit. Verum incertum est, vtrum adsit vita, cum primum sui mensis impleuerit medium, an aliquot post dies, cum ad quadragesimum nonum à conceptione diem peruenerit, quia natura frequenter in rebus nostris septenario gaudeat, & omnino an fiat aliter est obscurum. Fortè enim sicut in nono mense, quem Ioui rursus attribuunt, non similiter in lucem omnis editur infans, ita neque pariter in secundo vitam quilibet accipit: nam & fœminas non similiter atque mares accipere compertum esse ferunt: sic & mares inter se & fœminas probabile est non eisdem interuallis accipere. Quid? quòd rationalem animam descendere alij fortè dicent: non mense Iouis, in quo vim vegetalem tribui dicent: non mense Martis, in quo vim potius sensualem: sed mense Solis, aut fortè Mercurij. Sed opinionibus his omissis, consideremus simpliciter propriæ vitæ principium. Auspicium vitę ab hoc die & hora maximè ducitur: Nam à conceptione auspicium potius essentię fuit & molis: hactenus non alia vita vixit quàm parentum, parsque alterius extitit: nunc verò propriam sibi vendicat vitam, sitque iam totum, motuque mox proprio vtitur. Eiusmodi ergo vita vitam iam exteriorem, id est vniuersam secuta videtur mentemuè diuinam. Sors quoque vitæ, in corpore inquam, sequitur maximè præsentem cœli constitutionem. Deinde etiã corporis habitum: præsentem dico habitum: alius enim iam est quàm in conceptione fuerit. Et meritò sicut quod erat materiale magis, materialem magis causam sequebatur, ita quòd maximè

est, fitque formale, causam in primis formalem, id est, cœlestem & supercœlestem præcipuè sequitur. Quartò: tempus quo adultus infans in vtero se à maternis vinculis absoluere toto impetu nititur. Solutionis eiusmodi sors sequitur, primò quidem præsentem virtutem pueri ac matris conditionem: deinde cœli habitum magis minusuè ad id conferentem. Quinto: tempus quo solutus, omnino puer erumpit ex aluo. Erumpentis quidem conditio præcedentem conditionem sequitur annitentis. Qualis autem futura sit huius conditio, qui ex aluo iam prodiit, si modo iudicatur ex constitutione cœlesti qua prodiit, non tanquam ex causa, sed velut ex signo perpenditur, probabile enim esse dicent, præcedentem cœli prosperitatem, ad consequentem cœli perduxisse prosperitatem. Sed memento, fortem omnino perpendi non posse, tum quia ignorantur tempora, tùm quia ignorantur & causæ quot qualesuè sint, tùm quia nescitur quid potissimum ex omnium concursu conflетur. Concursu inquam tùm præsentium inter se, tùm consequentium cum præcedentibus causarum. Aliud enim stellarum agmen fuit, quo primum tempore conciperetur homo, aliud postea cum infunderetur anima, aliud cum ederetur in lucem. Quod si alius atque alius stellarum situs & ductus differentes promittit fortunas, quisnam sortem in iudicando ex his potissimum eliget? Quis nam in quauis temperatione cœli perspiciet, quantum boni, vel mali hinc aut inde ex diuersorum comparatione afferatur, auferatur, augeatur, minuatur? Quid denique noui ex omni mixtione conflетur, in qua vim maximam esse non dubitant? Nam & aspectus qui forsan per se dissonare putantur, coniuncti tamen cum consonantibus conceptum conficiunt gratiorem. Cum verò ex omnium mixtione dico, non lumina tantum cœlestia, sed etiam inferiorum vires materiamque, & locum ad mixturam talem arbitror conferre quamplurimum. Quæ quidem omnia certè complecti, diuinitatis est proprium. Hinc Esaias ait: Dicite mihi ventura, atque ego vos deos dicam. Hinc Plato Deo quidem scientiam tribuit, nobis opinionem. Hinc Ptolemæus iudicia de futuris inter necessarium & contingens ait, media cadere, neque pro certo aliquid proprieque comperto affirmari debere. Hinc Auicenna in Metaphysicis negat, Astrologis esse credendum, quia neque cuncta cœlestia teneant, neque naturas inferiorum ad iudicium necessarias, neque nitantur demonstratione, sed experientia quadam, vel vaticinio, probationibusque Oratoriis atque Poëticis. Humanum namque ingenium tùm causarum numerus & qualitates latet, tùm experientia fallit, tùm signa decipiunt. Sanè cum multæ sæpe ad idem concurrere causæ possint, vix discernitur à qua potissimum causa effectus talis, talisuè prouenerit. Præterea experimentum non est simile, nisi in materiis temporibusque omnino similibus. Auget quoque in iudicando fallaciam, quòd frequēter eiusdem effectus ob causas differentes multa sunt & dissimilia signa: atque vicissim dissimilis nonnunquam euentus quodammodo signa similia, in diuersis postremo temporibus rerum variantur indicia. Sic Astrologus saltem quolibet anno reuolutionem cogitur obseruare, sic medicus quauis hora ægrotantis accidentia circumspicere, futurum prædicturus euentum: Similiter auspex & aruspex si quid in hoc est veri, ostenta passim & omnia singulis aucupari momentis. Similiter & Physionomus, si quid modo in hoc est veritatis, singulis ætatis humanæ septenariis, argumenta valetudinis motumque perspicere. Sicut enim septimo quoque die in ægrotantibus noua potissimum captantur indicia: ita septimo quoque anno noua quædam accidentia & lineamenta nouę figuræ, noui colores, & gestus vel suboriuntur nobis, vel saltem apertius demonstrantur. Sed memento quocunque modo, vel ritu circa futura, vel quomodocunque abstrusa hominibus vera dicantur, id sæpe casu contingere, apud eos præsertim qui plurima dicunt: sæpe etiam quòd & huic simile est id euenire, quia multa sunt in vita omnibus ferme communia, multisque vndique modis quotidie contingentia: nonnunquam quod vel casu, vel arte videtur esse perfectum, instinctu potius naturali, siue dæmonico, siue diuino fuisse prolatum. Naturali inquā instinctu, quando natura in nobis sic temperata est, vt ab vniuersali natura facilè moueatur. Dæmonico, quando imaginatio sic affecta, vt opportunè pulsetur à dæmone. Diuino, quando ratio vel intelligentia ita se habet, vt accommodatissimè tunc diuinæ menti subdatur, etiam si id nos lateat. Quinque sunt igitur prædicendi modi: arte, casu, natura, dæmone, Deo. Hinc efficitur, vt plerique, vel inertes, vel minus in artibus eruditi, præsagio doctiores excellant. Hinc Porphyrius antequam narraret Plotinum vaticinio Socratis instar mirabiliter polluisse, ait, cum aliquid ipsa natura mirabile præter cæteros homines habuisse, nec solum dæmonem, sed & Deum habuisse magistrum. Hinc Astrologicum illud iudicium ex stellis non solum fit per earum inspectionem, sed etiam ex ipsius natura qui iudicat. Hinc Ptolemæus: Iudicia huius ambigua sunt ei, qui rerum naturas stellasque considerat: illi verò qui ex meliori parte futura cognoscunt, propinquiores sunt veritati propter vim animæ in eis dominantem, quamuis non multam huius artis peritiam habeant. Conclude tandem si agricultores, ac medici in re certiore sæpius prædicendo falluntur, cæteros prædictores sæpissimè falli. Quam fallaciam doctissimi quique Astronomi deprehendentes, iudicia neglexerunt. Mitto cæteros mihi etiam notos. Paulus Florentinus Astronomus singularis, hæc ridere solebat, qui & annos vitæ quinque super octoginta impleuit, suam tamen genesim diligentissimè contemplatus, nihil ad ætatem consequens longam, potuit inuenire.

Quanta sit rerum in vniuerso communio, & quomodo in rebus sint latentium indicia quædam.

QVamuis autem fururorum atque latentium iudicium sit fallacissimum, & si quando veridicum est, sæpius naturali, dæmonico, diuino quodam instinctu, quàm arte procedat: tamen insita rebus sunt quædam indicia rerum, quibus admonitus natura sagacior animus sua iam, vel altiori explicat facultate, quod indicia leuiter admonent. Esse verò signa vicissim ad res indita rebus Plotinus ab ipsa vult eunctorum communione naturæ, ex qua tùm res alia euentum significat alium, tùm res altera mutuò significat alteri, similiter in mundo, similiter & in nobis. Profectò si in rebus perfectè mixtis, quod elementum est in quolibet: multo magis in animali, quod ita fermè compositum est ex membris:

ficut ex elementis conflatur & mixtum, in quolibet membro sunt cuncta. Compositum enim quod natura melius est, nimirum est & meliori ratione compactum. Compositum verò nullum natura est perfectè connexum, nisi sicut in toto sunt partes, ita vicissim in partibus sit & totum. Non est autem totum in partibus, si per aliquam, vel aliquas duntaxat partes partibus aliis insit: imò si per cunctas omnino partes in parte sit quælibet, id est, si in quauis partes sint omnes. Accedit ad hæc, quod in genitali animæ facultate, ita simul totus est homo, vt in quolibet membro sit totus. Similiter in virtute seminis formatrice vbicunque membrum aliquod cogitatur, simul & reliqua consequuntur: hactenus nulla est inter membra loci distinctio, sed rationis. Cum igitur animal oculis manifestum sub hac vnionis conditione, tùm ex anima, tùm ex semine pullulet, consequens est vnionem quodammodo similem inde suscipiat. Quamobrem etsi alibi caput esse videtur, alibi rursum manus & pedes, communi tamen participatione quadam fortè sunt in omnibus omnia: sic in cerebro aliquid est cordis & iecoris: sic in corde iecoris nonnihil & capitis: sic in iecore sit vicissim: in vultu, manus & pedes: in manibus forsan & vultus & pedes: in pedibus forsitan vultus manusq;. In quolibet itaque mẽbro, sicut aliquid naturaliter est aliorũ, sic præter indicia propria, aliorum quoque nonnunquam indicia latent. Tu ergo postquam frontem in primis & oculos præcipuè fueris contemplatus, omnia passim circumspice signa. Quod enim alicubi vel te latet, vel propter impedimentum minimè prodiit, forsa inuenies alibi. Animal simili ratione mundanum ex anima quondam sua, ex suo femini pullulauit, ea videlicet ratione, vt in quolibet eius membro sit totum, sic in qualibet sphæra suo quodam pacto sphæræ sunt omnes. Stellæ in quauis stella sunt cunctæ, in animantibus animantes, mixta in mixtis omnia latent: adeò vt facilè tùm ex omnibus in omnia fiat influxus, tùm fermè in singulis præter propria signa, indicia quædam ad reliqua lateant. Mitto quòd in Saturno non solum natura quædam est Mercurij atque Lunæ, sed etiam reliquorum. In Ioue non modo natura Veneris, sed insuper aliorum. In Sole Martis atque cunctorum. Mitto quod similiter in nobis ad caput pulmones referuntur & stomachus, reliquaue deinceps: Ad cor spiritus atque bilis, & reliqua: Ad iecur sanguis & genitalia membra, & cætera consequenter. Collige tandem sicut in corpore nostro partes patribus obsecundant ad officium protsus, & forsan ad argumentum: ita totum mundum, cuius pars est corpus humanum, suis passim indiciis ad nostra conducere. Sicut enim in nobis omnia membra virtutem vnam sequuntur genitalem atque formaticem, quæ in ipsis etiam conseruatur: sic omnia corpora vnà cum eiusmodi virtutibus ipsum vniuersi corpus similemque virtutem eius pariter comitantur, vt nihil fortasse sit mirum, ex vniuerso signa nobis accommodata percipi posse. Sed ea quidem vt inde præstantur, communiora videntur, in nobis autem ad humanam accedunt proprietatem. Inde enim ad omnia quodammodo pertinent, apud nos trahuntur ad hominem. Verum sicut in cœlo designata non semper eueniunt, obstante nonnunquam vel diuersa causa, vel aduersa materia, ita signa nobis indita fraudantur euentu, causis videlicet aliis vel palàm, vel clàm repugnantibus impedita. Quamuis enim causæ indicationesque in nobis homini magis propriæ sint, plerunque tamen incertissimæ sunt, tùm quia multiplices nimium iam euaserunt, ac propria turba & oppositione confusæ: tùm quia nostra materia non solum quamplurimis est subiecta, sed instabilis & impedita sæpius atque fallax: tùm quoniam nostrorum similitudines imaginationesque reliqua sæpe confundunt: tùm denique quoniam animæ virtus tàm naturalis quàm acquisita sæpe multa permutat. Sed quoniam ad animam per opportunè peruenimus, id est, nostram, notare in verbis Plotini debemus, non vna tantum anima omnia viuere. Siquidem ait: Si membra nostra vires & actiones singula proprietas habent, cum tamen non tota quædam sint sed partes, multo magis eas habere animalia, quæ in mundo rationalia sunt, quoniam & maiora sunt, & non partes solum, sed insuper sunt & tota. Vnde patet præter commune fatum his muneta quædam, vel in dispensatione fatali, vel præter fatum propria conuenire. Confirmat denique in vniuerso non fortuitam congeriem peruagationemque, sed perpetuam rerum motionumque seriem esse naturali, & diuina quadam arte dispositam: propterea quod ad certum finem singula dirigantur, & cuncta conferant ad communem, & consequens vbique successionis ordo semper agatur similiter, atque repetatur.

Quæ sint principia rerum, & quomodo anima nostra etiam habeat principii rationem: superet fatum, cedat fato, puniatur lege diuina. Item quomodo possit mirabilia facere, & corpus etiam à fato quodammodo liberare.

CAPVT VIII.

TRia sunt potissima mundi principia: bonum, & intellectus, & anima. Mundus itaque sub bono institutus ad bonum, intellectuali animalique ad id prouidentia ducitur. Animæ rursus omnes, quæ per intelligentiam & rationem tum in seipsis efficiũt orbes, tum animæ mundanæ orbes & imitantur & assequuntur, ipsæ quoque principii rationem habere putantur, præsertim quia velut collegæ ad ipsam dispensationẽ mundi recipiuntur, quamuis officium ipsum, quod anima mundi reuolutione vnica peragit, reliquæ rationales animæ multis quoad possunt reuolutionibus impleant. Rationalis igitur anima non solum in mundi chorea ducitur, sed & ducit. Exorditur enim opus proprium velut agens, quando ex seipsa tùm ad intelligibile contemplandum, tùm ad sensibile gubernandum ritè procedit: Ritè inquam progreditur ad sensibile, quando ad hoc ita se gerit, vt huius gratia intelligibile minimè prætermittat, hoc autem est rectà procedere, sic enim ad finem illũ propriè tendit, quorsum prouidentia prorsus intendit: per obliqua verò præuaricatur quotiens sensibile bonũ intelligibili nimiũ anteponit. Videtur autem hic Plotinus more Platonis per nomen recti atque obliqui rangere vim rectitudinis in mensuris. Recta quidem columna grandia sustinet pondera, non recta verò frangitur aut cadit. radij perpendiculo recti dũ videntur repercuti, non per diuersa labuntur, sed redeũt ad seipsos, & cum ex aëre facili in difficultatem aquæ merguntur, non franguntur quidem, sed recta procedunt, neque à tenore detorquentur incepto. Obliqui verò, & in solidis à se discedunt, vbi reflecti coguntur, & in liquidis descendentes ex aëre, vel è conuerso franguntur. Hæc tu singula

ad animi rectitudinem, vel obliquitatẽ rite admodum transferre potes. Ego iam redeo ad inceptũ. Nempe interim prouidentiæ diuinæ iudicium animam deteriori se conformantem, in deterius iure transformat, ad quem sanè in ordine gradum prouidentia, etsi non primò, tamen consequenter intenderat: vt quisquis ex primò digreditur, in secundum iure progrediatur. Et anima quæ libera quodammodo fuerat hactenus, deinceps quasi serua infelixque sequatur illa quæ ardentius adamauit, quoad ab amoris ardore se soluat. Iudicium verò diuinum nusquam, vel abest, vel effugitur vnquam. Eiusdem namque præpotentis prouidentiæ lege, qua sua cuique naturalibus vbique rebus accommodantur, animabus quoque consentanea, & sua quibusque redduntur. Huic autem prouidentiæ legi ad tria potissimum stellæ seruire videntur. Primò quidem vniuersum hoc ita fennè pulchrum efficiunt, sicut stellis diuina mens idealibus pulchrum prius excogitauit. Secundò ad effectus conferunt naturales, quos stellarum radiis manifestè foueri videmus. Tertiò dæmonibus hominibusque dæmonicis signa futurorum, latentiumque indicia præstant. Quæ si dicantur portendere cuncta quæ in mundo sensibili oriuntur, cuncta intellige notione communi, cuncta præcipuè quæ sic sensibili ratione procedunt. Cuncta denique dæmonibus potius quam hominibus: illis enim cœleste volumen Deus legendum proposuisse videtur. Quod siquid inde ad nos vel per instinctum, vel per argumentum & ostenta transfertur, patet id quoque factum institutione diuina. Ac si non frustra inde sumus admoniti, constat nos tùm mala plerunque vitare, tùm bona quę præmonstrantur, nostra enim industria consequi posse. Hinc Albumasar contra illos qui dicunt inutilem esse scientiam futurorum sic ait: Poterit sibi forsitan præcauere mutando locum, in quo futura est pestis, poterit etiam aliquando totum à se repellere, ac præuidens futuram infirmitatem, vel inuasionem hostium & similia deuitare. Hinc etiam Ptolemæus ait: Sapiens dominabitur astris, quatenus admonitus potest imminens declinare discrimen. Item sapiens adiuuabit opus astrorum, sicut agricola prudens naturalem terræ virtutem, quatenus bona nonnunquam cœlitus indicata, ipse sua industria peragit. Sicut enim se habet agricola prudens ad terram atque cœlum, sic ad vtrumque medicus atque prudens. Sicut ergo & quæ natura inchoauit agricola perficit, & quæ vicissim exorditur agricola, cœlum prorsus absoluit. Item mutat agricola multa præter cœli Solisque naturam, & quædam tum ariditate sæpius irrigando, tùm à frigore protegendo, tùm à casu fulciendo defendit: ita medicus atque prudens sigillatim erga cœlum corpusque nostrum se gerere potest. Quantum verò ad hæc Medicinæ diligentia valeat, compertum habeo, & sæpe alias, & in puero: qui natus octauo conceptionis mense nocte sub Saturno stationario statione prima in Sagittario ascendente, semianimis profectò & vix vt videbatur victurus ad triduum, tamen diligentissimè curatus à nobis paulatim recepit vires, & iam plures annos impleuit. Mitto quot modis fouerim nato cor, cerebrum, & iecur, & stomachum, rebus tùm ipsi, tùm nutrici & extra & intus adhibitis: obseruans interea feliciores in adhibendo dies & horas. Existimat verò Plotinus rationalem animam non artibus eiusmodi tantum corpus suum & sibi commendata frequenter à communi sorte defendere: verumetiam instar cœlestium animarum, imperium exercere posse nonnunquam in inferiores mundi materias: vt pote quæ germana sit cœlestium animarum, atque ita cuncta faciat, tanquam habens quandam principij rationem. Quando verò id possit, & quomodo possit, in Theologia latius disputamus. Mitto quid per magiam valeat Astronomicam simul & Physicam: quomodo vires astrorum mirificas certis imaginibus hauriat, & quemadmodum in speculo sæpe concauo solis radios congregat: vnde in lignum è regione positum reflectit atque comburit, & nonnunquam excæcat intuentes: sic in materiis quibusdam tum natura, tum arte paratis ad stellas, cæteros stellarum radios concipiat & influxus, quos & seruare sibi & contorquere possit in alios, quod Olympum Alexandrinum Porphyrius narrat efficere solitum: vbi & Plotini animam tanta inquit virtute pollere, vt stellarum aculeos in se coniectos aliorsum detorquere valeret. Posse verò fatalem sæpe sortem cœlitus imminentem frangi. Iudæi per sapientiam Kabalisticam, & intimum sacratum literarum spiritum confitentur: Iamblichus per efficacem deorum sublimium cultum: Porphyrius per magicam sapientiam Apollinis oraculo teste. At enim in libro de Oraculis: Cum quæreret aliquis cur ineptus ad rem quampiam fuisset ab Appolline indicatus, quidue faciendum foret, vt quasi aptus susciperetur: Respondit oraculum: eum fatorum vi impediri, quam magis artibus effugere poterat. Vnde apertè patet magicam hominibus artem diuinitus esse concessam, vt aliquo modo fatum repellerent. Hęc Porphyrius. Posse verò per magicam valetudinem animi corporisque curari, & immortalitatem denique comparari in Charmide Plato significat, temperantia, præsertim per virtutem sapientiæ comparata: nam ab animæ sanitate sanitatem corporis proficisci, magorum testimonio comprobat. Sed audiamus Zoroastrem diuinè canentem: Si ardentem ad pietatis officia mentem prorsus intenderis, labile quoque corpus seruabis. Hinc traditum est, Pythagoricos sacris consueuisse carminibus morbos animorum corporumque expellere. Si tantam habet animus potestatem, quid mirum naturaliter esse liberum à seruitute fatali, donec ipsemet corpus vltra prouidentiæ modum amore nimio complectatur? Nam deinceps & animus obsequitur corpori, & corpus seruit legi fatali, quoad animus interim amorem à corpore conuertat ad mentem. Vnde primo quidem seipsum à fato eximit fugiendo: deinde & corpus, vtpote qui iam corroboratur ex mente à fato plerumque defendit, tum occulta quadam virtute germana cœlestibus, tum arte nonnunquam diuinitus patefacta: Conclude capitulum: stellas plurima significare, non facere. Non ergo diuitias facere, vel inopiam, quæ nobis ex diuersarum apud nos causarum concursu & occasione contingunt: non virtutes, quæ in sensu fiunt à ratione, in ratione perficiuntur ex mente: non vitia, quorum nulla propriè causa est efficiens, sed fortè deficiens: quatenus videlicet & sensualis vita à ratione deficit, & ratio à mente degenerat. Contingere quidem ex stellis defectu quodam materię potest in corpore viuo incitamentum aliquod vitiorum: vitij verò hinc concipiendi occasionem præstat animæ superioris amor ad animal. Quæ quidem anima alioquin

eatenus libera viuit à fato, quatenus menti dedita, per mentem suam cum prima diuinæ mentis lege consentit. Hinc propheticum illud: Anima mea in manibus meis semper, quando legem tuam non sum oblitus.

Quomodo anima rationalis non subest fato, irrationalis vero subest: quomodo vita corporis nostri propria dependet à vita cœlestium & ab anima nostra. Item in omnibus cœlestibus animas esse geminas. Item de dæmonibus, & unde mala contingant.

CAPVT IX.

SVperioribus vero quibus asseritur stellas non omnia nobis efficere, quamuis multa significare possint, obiiceret fortè quispiam verba Platonis in Repub. præsertim atque Timæo. Ait enim in Repub. Sub fatalibus Necessitatis deæ filiarumque eius Parcarum reuolutionibus animas in corpora proficisci. Ait & in Timæo. Vitam nobis corpoream à stellis infundi: quibus in verbis videtur nos cœlo subiicere. Respondetur ad prima: animas quondam vitam hanc viuendique formam elegisse sponte, priusquam in corpus venirent sub reuolutione fatali: ideoque pristinam virtutem suique rectricem autoritatem non tam amisisse, quam ad tempus intermisisse: quam denique cum partim ipsæ decreuerint, partim fuerint aduitæ diuinitus, partim admonitæ legibus recipere possint. Respondetur etiam ad secunda, sicut in Timæo: Vita nobis corporea datur à stellis, ex qua perturbationes exoriuntur: sic ab intellectu diuino intellectualem animum procreari huius vitæ rectorem, qui sicut dum nimium vitam hanc amat in hoc mundo, seipsum vna cum hac perdit in fato: Sic eandem amando quam minimè, interim super fatum in æternitate se recipit. Posse vero animam rationalem fato se mancipare atque vicissim emancipare, docet Zoroastris sententia ita præcipiens: Ne tu augeas fatum. Vbi Plotinus ait: nos, id est, ipsum hominem esse animam ipsam rationalem, qui naturali iure præsideat animali, subiunxit: cauendum esse, ne fortè nos efficiamur hoc animal. Existimat enim per consummatum imaginationis affectusque consensum, fieri posse viuens vnum ex animo simul & animali: quando videlicet vtrumque imaginantur idem atque similiter, atque ad idem similiterque afficitur: fermè quemadmodum ex igne ac ligno fit vnum communione luminis & ardoris. Subiungit rursus in animali, id est animato corpore naturam corporis præualere. Ibi enim corpus est verum corpus, quia formale quamminimè & ad summũ corporalis formæ perductum, vita vero eius propria, non est anima vera, non vera vita, quia corporea multum, quia fermè vltimum tenet in ordine vitæ. Sicut ergo vita hæc agit in corpus naturaliter id formãdo, vel potius agitur in corpore dum hoc ea formatur ex alto, sic & corpus quodammodo agit in vitam dum hanc ipsam sibi conformat. Quamobrem sicut in corpore quatuor potissimum alterationes esse videntur per calorẽ & frigus, per humorem & siccitatem: sic in vita corporea perturbationes præcipuè quatuor oriũtur. Item quod est in corpore dilatatio vicissim atque contractio, id in vita corporis voluptas & dolor. Verum quemadmodum rationalis animus per imaginationem affectumque cum animali coniunctus, huius passionibus tangitur, & fatali sorte pulsatur, sic cum demum sibi animal hoc rationis legibus subiugauerit, primum quidem seipsum à perturbationibus fœque resoluit, dum aliud quidem se, aliud animal esse cognoscit, ideoque fatum ad illud pertinere: deinde animal hoc sibi naturaliter commendatum ab atrocissimis nonnunquam vulneribus fati, vel fortunæ defendit. Vbi vero Plotinus ait è geminis hominum animabus superiorem quid mitti ab intellectu diuino, inferiorem vero à diis qui perferuntur infundi: intelligi hic Deos esse animas sphærarum stellarumque cum anima mundi cõsentientes. Omnes enim moueri dicuntur siue locali quodam motu, siue formali ferantur. Sed quonam pacto ex omnium conspiratione vita redundat in corpus? Num sicut ex pluribus concinentibus concentus vnus sub concauo reboat? Rursumque sicut è lampadibus multis communis quidam fit splendor in aula? Non sic omnino. Hic enim & concentus & splendor coitu quodam vnum potius est quàm forma: anima vero quæcunque sit, simpliciter substantia est, formaque animalis vnius vna: & si ad præstantiorem animam comparata, quasi accidens iudicatur. Quo igitur pacto? Fortè quemadmodum ex pluribus intra nos vocantibus instrumentis ab imaginatione vna, vox vna prodit significatione distincta, rursumque sicut ex vno sole lumen vnum per vitra variis infecta coloribus penetrans, non in multa subinde lumina desinit, sed in vnum, quamuis variorum colorum virtute formatum: ita fermè vna quædam vita forma virtute multiplex resultat in corpore, vna videlicet ex vna mundi vita: virtute quoque multiplex ex multarum præter hanc animarum ad spirandam vitam communione. Character vero animali maximè proprius, plurimum in spiritu ab anima generantis imprimitur: cuius quidem proprietate vel cunctorum spiraculum ad familiarem redigitur animam, vel corpus saltem tali quadam potissimum anima fit animabile. Vitam quidem infundi nobis posse ab anima animabusque communibus absque animæ propriæ beneficio, coniectare forsan posset aliquis ex animantibus quæ sponte nascuntur, & quæ ex ouis absque animalis sui fomento. Contra vero oportere animam nostram videlicet superiorem vna cum superioribus ad spirandam animam conspirare, ratio dictare videtur, tum quia humanum animal est perfectissimum, paretque rationi: tum quia sicut plurimum naturæ communes per proprias definiuntur naturas, ad effectus in natura proprios absoluendos: sic ad propriam vitam, si modo perfecta pro viribus distinctaque futura sit, præter communes animas, officio propriè quidem, quamuis superioris animæ opus esse videtur. Ergo dicere quis fortè poterit, alicubi præter communem influxum accedere propriũ; alicubi vero nequaquam. Et ibi quidem humanum animal esse perfectius, & rationi magis obtemperans, hic vero minus: vbi videlicet rationalis anima corpus aliunde iam reperit viuum. Mitto quod si fortè ad corpus ita viuens rationalis anima non accedat, brutum animal sub hominis figura nascetur, eritque anima monstrum, sicut quandoque corpore monstra nascuntur. Quod ergo Plotinus alibi fecundam inquit vitam à prima nostraque manare, alibi aliunde, potes vt diximus intelligere. Memento vero quæ Plo-

tinus de geminis differit animabus, confirmari ab Iamblicho ex mente Mercurij, vbi addit superiorem in nobis animam quoniam à summo intelligibili fiat, habere in mundana vim opificiam, ac vim qua mundum transgrediatur, & à fato se soluat, & sua, præsertim diis adiutam, atque hanc solutionem quatenus fatalem ordinem videtur transgredi, eatenus in ordine prouidentiæ contineri. Proinde vbi Plotinus animam alteram distinguit ab altera, inquit: Quæcunque sunt inferioris animæ ministeria esse corporea: quoniam omnes huius affectiones & motiones incitantur à corpore, corpori seruiunt, motionem corporis comitantur, atque vicissim: officium vero animæ alterius, quæ extrinsecus extat, esse seipsam altius eleuare. Hoc tu in loco animaduerte Plotinum legitimo sensu Aristotelicum illud interpretari: Intellectus venit forinsecus. Intellectus, id est, superior anima, non intellectus interpretatione Auerrois vnicus, sed vnaquæque intellectus anima. Forinsecus item, id est, non à seminali spiritu, vel calore, non à vita hac intima mundi: sed à mente diuina, quæ quasi exterior, id est, non coniuncta velut forma, omnibus dominatur. Hinc efficitur, vt intellectualis anima tum cogitatione, tum etiam voluntate possit quæ super corpus, & naturam, & corpoream vitam sunt, pro arbitrio petere, atque corpus, naturam, fatum quotiens omnino decreuerit superare. Quatenus enimà temporaneis segregatur, eatenus æternis coniuncta, vna cum his quodammodo temporaneis dominatur. Vtrumque vero fit tum cogitatione, tum maximè voluntate. Sicut enim temporalibus, sic & æternis non tam illa considerando, quàm amando coniungimur: & merito, quoniam consideratio potius manet intus, amor autem in amatum conuertit amantem: sic & materia quæuis ad ignis naturam peruenit, calorem potius subeundo quàm lumen. Ex eo itaque maxime fit anima tum æternorum compos, tum vna cum illis aduersum temporalia dominatrix: quod illa & amat ardenter, & amando pro viribus imitatur in vita, & imitata viuendo consequitur, & consecuta rursum authoritate operis imitatur. Hinc tandem stupenda in corpus opera, præter consuetum fati tenorem quandoque proueniunt.
Quo in statu anima in fato computatur vt agens: neque tam fatalem frangit seriem, quàm sibi vendicat: nam & hoc quoque in prouidentiæ legibus, vnde dependet fatum, inuenias designatum. Ergo si artificiosæ intelligentiæ beneficio per artem, scilicet imaginum atque medicinæ animus in fatali cohorte nonnunquam, velut collega actorque recipitur, multo magis id, vel diuinioris intelligentiæ, vel potissimum voluntatis ardore consequi potest. Voluntatis enim actus efficacior est quam cognitio, atque liberior: & actionis principium, mediumque & finis: ideo mera quidem cogitatione fit nihil: mero autem affectu, vel occulto & naturali plurima fiunt.
Est autem appetitio naturalis quæ voluntatem vtcunque potest, æmulari videtur assidua & imaginatione prior & naturalior, substantiaque propinquior: efficaciam vero artis in fato in superioribus quidem tetigimus, sed alibi demonstrabimus. Verum vt ad superiora iam redeam: animus quidem in quo animal ratione formatur, ratio vero mente, mens denique Deo viuit in prouidentia super fatum. In quo verò vicissim formatio fit, sub prouidentiæ indicio viuit in fato, neque vt agens, sed velut patiens in fatalium numero computatur. Siquid ergo huic portendatur ex stellis nimirum, ex eisdem effici potest simpliciter vt portenditur, nihil ad hæc animo resistente. Ac si mala fiant, non ex alto mala mittuntur, sed in infimo mala resultant. Ait vero Plotinus animam in nobis inferiorem esse partem quodammodo vniuersi, quoniam & ab vniuersa dependet anima, & communem sequitur eius instinctum: fermè sicut & nostrum corpus membrum est quodammodo corporis vniuersi. Animal itaque nostrum mundano connectitur animali, & inde conficitur. Verumtamen superior in nobis anima plurimum vna cum mundana cæterisque mundanis ad inferiorem in nobis vitam concurrit efficiendam: quæ quidem neque fit à matris anima: Sicut enim maternum semen nasciturí corpus nequit efficere, ita nec materna similiter anima potest animam procreare. Neque rursum anima nascituri, vel fit ab anima patris tunc procul absentis, vel ab ipsa seminis virtute procedit: quæ & inferior est, & accidens. Reliquum est igitur, vt à mundi anima procreetur concurrentibus videlicet cœlestibus animabus: concurrente & plurimum superiore nascituri hominis anima, siquidem fœtui viuificando iam adsit. Sicubi vero Plotinus ait, animam rationalem ad ipsum animalis esse non conferre, vel minimum: non efficientis quidem, sed formæ modum negat. Quamuis enim ergo animal sit in causa vitæ, non tamen est propria forma corporis: & si forma quandoque dicitur animalis, ad bene esse conferens animali. Qualis præterea in nobis ex animabus geminis & corpore conspiratio est, talem in ipso mundo, in sphæris, in stellis esse iudicat: Vbique enim intellectualis anima tegit corpus per propinquiorem corpori vitam ex anima profluentem. Namquâtum intellectualis est, separata, & superiora petens, nimium distat à corpore: corpori vero per aliquid appropinquat, quod in ipsa, vel ex ipsa iam ab intellectu degenerat. Ex ipsa dico: quoniam si natura elementalis, velut ignis subiecto propinquans; non solum substantiam illi suam admouet, sed aliquam sibi similem inserit qualitatem, multo magis anima tanquam natura potentior, vitalis substantiæ suæ præsentia vitalem quandam infundit corpori facultatem. Sint ergo in mundo, in sphæris, in stellis animæ passim geminæ: Primæ Angelorum vbique bonorum teneant atque deorum: sequentes vero Angelorum qui ceciderunt in corpora, dæmonumque vicem gerere iudicentur: Angeli omnes eiusmodi primum, id est, animæ mundanæ Angelum comitantur Deo semper hærentem. Dæmones similiter omnes eiusmodi primum, id est, mundanæ animæ dæmonem à Deo longius discedentem, corporique penitus incumbentem vbique sectantur. Angeli rursum ad incorporea, dæmones ad corporea vergunt plurimum, animasque alliciunt. Ideoque Angeli à fato soluût animas: dæmones autem eas fato deuinciunt. In dæmonibus positum est propinquum corporei mundi huius imperium. Vnde fit, vt si hinc ad Angelos comparatio fiat, mundus hic iure dicatur positus in maligno. Hinc & facile Manicheorum est error exortus. Proinde sicut intellectum nostrum afficit diuinis semper incumbere, quâuis ratio interim occupetur humanis; ita ratio-

nem totamque superiorem in cœlestibus animã, affirmat diuinorum contemplatione perpetua perfrui, dum inferiores cœlestium animæ corpora regunt, imaginantur & corpora. In his ergo affectus esse dæmonicos arbitratur. Affectus quidem diuini sunt in primis: humani sunt in nostris ac sæpe ferini: at vero illic dæmonici quales sunt? Finge sapientem assiduè diuinis contemplationibus occupatum: sed in eo interim in vegetali natura vigere affectum ad corporis alimoniam, subrepere nonnunquam pruritum famis in stomacho, naturalem generandi libidinem titillare: sed sapientis animi rationem separatis interea deditam, affectus eiusmodi nequaquã animaduertere, imaginationem quoque vix stupideque sentire: fermè sicut in eo solet accidere, apud quem in somno hæc ferè absque insomniis incitantur: tales itaque sint affectus ad hæc in cœlo dæmonici. Nihil ergo ex prioribus animabus mali prouenit, aut vilis: ex sequentibus autem non mala quidem re vera, sed vilia quædam minusque bona sequútur: quatenus ex illis tum in corporibus minus interdum ordinatè mutationes eueniunt, tum in animabus natura corpori mancipatis incitamenta frequenter suboriuntur, per quæ & si animæ non iniquæ necessario fiant, licentius tamen corporis incitamentis indulgeant, aut saltem corpus & propensius foueant, & accuratius quotidie curent. Ait autem superiores stellarum animas nõ esse huius vniuersi partes: Cum enim ad intellectualem mundum omnino conuersæ sint, illius potius dici partes posse videntur. Inferiores vero stellarum animas vniuersi huius partes appellat, quoniam mancipatæ sunt mundi corporibus, quę cum ex eadem inter se materia sint, & sub eadem communi totius forma, vniuersi partes esse putantur. In hac ergo communi mundi materia simul & forma, animæ omnes eiusmodi in vnum opus tum inter se, tum cum anima mundi vbique conspirant: communique inter se sensu quãuis occulto, & latenti quadam compassione cõmunicant. Tum vero quæcunque ab iis opera fiunt, sigillatim mundi partes existunt, vel ad partes attinent atque totum. Nihil vero ab iis alicubi prouenit à naturali mundi huius conditione secretum: faciunt autem quicquid agunt, fermè sic animali natura, sicut natura elementali elementa, & vegetali planetæ animaliaque, nulla prorsus electione. Cum enim aliud electio sit quam vita, sitque vita posterior, si inferiorum vita per se sine electionis officio sua peragit, multo magis vita superiorum per se sua prorsus absoluit. Si qua vero illic intellectualis & rationalis electio est, non ministerium quidem hoc, sed officium superius eligit. Atqui & ante electionem illam forsan aliquid intus ex vita priori absque electione procedit: omnino vero absque vlla necessitate consilij etiam si quædam opus imaginatio comitetur, & ab anima illic prima secunda procedit, & à secunda similiter virtus singularis in corpore, & à corpore lumen, & in lumine virtus inferiora generans atque gubernans. Multis itaque gradibus à mundo intelligibili distant, quæ hoc in mundo quotidie generantur & accidunt, vt mirum videri non debeat, nostra hæc non ad summum ordinatissimã, non felicissima prouenire. Talià namque succederent, si ab intellectu diuino, aut saltem ab intellectualibus animabus proximè fierent: nunc vero ex corporibus irrationali viuentibus anima, perque vires à corporibus emanantes aguntur. Siquid igitur occurrit in mundo quod molestum sit, quod laboriosum, quod non probes, memento, id totum à fœmina nobis accidere, id est, ab anima corpori mancipata, à materia corporis, à contrarietate rursus elementalium qualitatum.

Quæ à stellis fiant, quæ non, & quomodo significatio fiat. Quo instinctu anima corpus ingrediatur, quo fato, & quomodo ante fatum corpus amat.

CAPVT X.

Decimum libri caput mundo & sphæris & stellis ita compositis, prosequitur significandi agendique sortem, docens à stellis earumque motibus, quatenus in eis corporea vita duntaxat cõsideratur & corpus, & fieri quę naturaliter deinceps procedant. Neque propriè fieri hæc à primis stellarum animis, omnino ad separata tendentibus: neque hic à stellis omnia fieri. Non enim quæ corpoream vitam superant, effici posse à stellarum corpore, vitaque corporea: non rursus quæ consilio, & arte, vel occasione fortuita nobis aguntur illinc peragi, vnde quicquid agitur per corporeas agitur qualitates, duciturque tenore naturæ; non denique quicquam re vera malum per diuinorum instrumenta committi. Faciant ergo stellæ non omnia, sed solum quæ mundani corporis sunt passiones & motus, & quæ ex his necessario generantur: Faciant autem hæc conditione communi: conditio namque propria ad causas rerum proprias pertinere videtur: significent quoque multa, neque tamen pariter omnia. Probabile enim est, si plurima stellarum efficientiam superant, vel effugiunt, nonnulla quinetiam earum significantiam superare. Probabile rursus, & quem per communes causas portenduntur, communi tantum conditione portendi. Animam vero ad corpus hoc accedere Plotinus existimat, non certa quadam siderum constitutione coactam: siquidem ante quamlibet nouam cæli figuram in antiqua ipsius animæ natura est animare corpus, est & supergredi corporum temporaleque fatum. Omnis enim anima quæ rationis sibi naturalis officio, potest totam naturam corpoream in essentiam incorpoream, totumque tempus in æternitatem resoluere, tanquam in principium atque finem: nimirum & ante & post quodlibet corpus & tempus corporeamque & temporalem quamlibet motionem existere potest. Non igitur positio siderum animam impellit ad corpus: sed primum quidem adducit naturalis quædam adhoc animæ cura: deinde affectio quædam ex antecedentibus actionibus acquisita, postremo rationis electio cum natura tandem & affectione consentiens. Natura quidem & affectio tunc potissimum vergit ad corpus, cum oportunius consonat vniuersæ naturæ, neque tamen vi cogitur consonare: sicut & saltantes in tripudio cum cantu consonant atque sono, neque tamen necessitate sunt, sed voluntate concordes. Talem vero potius aut talem vitæ formam accipere, in ipsa animæ electione consistit: sed vtcunque id fiat passio vel affectus ingens quo anima inclinatur ad corpus, non à sideribus irritatur, sed exoritur ab anima. Quo vero tempore nouum corpus ingreditur, ex præsente siderum positu-

ra fortunam hanc aut illam fortiri putatur, electæ iam vitæ vtcunque potest aliter & aliter accidente. Tunc ergo præsens siderum harmonia in nobis efficit aliquid, suo videlicet ministerio conferens ad eam vitæ sortem implendam, quæ maxime congruit vniuerso. Qualibet enim indies configuratio cæli pars est harmoniæ totius, & vt pars obsecundat vniuersi naturæ, cum qua simul congruit vnaquæque natura, & corporea simul & animalis. Quamobrem ab ipsa mundi natura simul cum propria vniuscuiusque natura res singulæ peraguntur: à motu vero & figura cælestiū aliter & aliter quodammodo disponuntur, atque ex quadam ad naturam concordia portenduntur. Quoniam vero ad quemuis effectum naturæ propriæ vna cum vniuersa natura concurrunt, idcirco de euentus proprietate obscurè admodum per indicia iudicatur.

Quæ hîc mala contingunt, nō mittuntur è cælo mala.

CAPVT XI.

Caput vndecimum dignitatem cœli tutetur in omnibus quæ inde fieri vel significare dicuntur, ex eo quod quæ hic inde fiunt, nec talia ibi sunt, nec talia in se veniunt, qualia hic subinde resultant. Ignem hunc nostrum dices ab igne cælesti quodammodo procreari. Hic tamen ab illo adeo diuersus est, vt nihil perseuerantius illo: nihil vicissim hoc instabilius, qui vix momentum sine alieno pabulo permanet. Nihil salubribus illo: nihil pestilentius isto, qui omnia rapacissimè deuorat. Mitto quod ille ferè totus est lumen: hic ferè totus est fumus. Profectò quantum ad ignis appellationem pertinet, poteris forsitan intelligere, quicquid ex igne cœlesti datur esse in se aliquid igneum, sed apud nos degenerans exile resultare. Potes & aliter Plotini verba contexere, vt ignea intra nos natura degenerans à cœlesti simul cum hac nostra affectione ad diligendum, etiam à cœlesti beneuolentia ratione longè deficiente, citet sæpe libidinem minus honestam, & hoc quantum ad naturam spectat concupiscendi. Mox adducit exemplum ad naturam iracundiæ pertinens: deinde ad rationem in actione positam: denique ad rationem quodammodo contemplantem, vt ostendat vbique aliter nobis accipi, quod à cœlo aliter est tributum. Sic Venus necessariam vel suppeditans, vel augens charitatem sæpius incusatur, quasi libidinosos effecerit, cum tamen per eam oblata charitas in libidinem apud nos euadat lasciuiorem. Sic Mars, quod vel indomitus ferociores effecerit, vel mansuefactus timidiores, ita Sol & Iupiter, quod ambitiosos & vanos: ita Mercurius, quod astutos nimium atque seductores: ita Saturnus, quod segregatos atque tardiores: cū tamen & Mars magnanimitatem, & Iupiter atque Sol studium honestaris, Mercurius industriā: Saturnus contemplationem & grauitatem præstare voluerint: nos autem hæc vel natura, vel consuetudine deprauata contaminauerimus. Inter hæc autem animi dotes non à motibus vel à corporibus planetarum, sed ab eorum animis vel dari, vel augeri, vel foueri memento. Mala vero neque ab animis, neque à corporibus cœlestium nobis inferri. Nefas enim dictu est, stellas vllas reguli serpentis more nobis aspectu nocere: piū vero credere, stellas naturaliter omnes Struthi more radiorum intuitū cuncta fouere, perinde atque in animali ipsa totius membrorumque principalium vita membra omnia fouet & adiuuat. Sic Solis lumen suapte natura confert ad vitam atque sensum, quamuis interdum ob subiecti debilitatem humorisue defectum videatur obesse. Sicut & calor iecoris stomachum naturaliter adiuuat: sed eum in quo vel parum sit humoris, vel liquidi nutrimenti quamminimum, nonunquam forte debilitat. Videtur itaque falso vel Mars furorem, vel contra stuporem, siue pauorem adduxisse Saturnus. Deme nimium bilis excessum, tolle copiam atræ bilis, neque Martis aspectus, neque Saturni furibundum faciet, aut stupidum, atque pauidum. Et rursus in Martem atque Saturnum calumnia, quod infortunatos faciant, contingit ex eo, quod Saturnij cum vel contemplatores sint, externa negligant, vel ad expeditionem sint tardiores: præsertim si in frigidiore materia illius influxum acceperint: quo fit vt opportunè nihil aggrediantur: Marti contra si in calidiore materia susceperint. Martis instinctum præcipiti omnia motu perturbant. Fortè etiam Saturnij dæmones tanquam contemplatores, si eis commendati simus, nostra negligentius agunt. Martij vero dæmones suorum animos importunius vrgent. Proinde quantum natura differt inferior à superiori natura, tantum discrepat suscipiendi conditio. Sic ergo virtutem Saturni continentem atque sistentem, materia sæpe inferior quando calore deficitur, conditione quadam excipit compacta nimium, geluue concreta. Sic vim Martis motricem, subiectum aliquanto calidius per inflammationis concitationisque suscipit impetum. Quid plura? Quis non intelligat & blandum cœli calorem euadere apud nos edacem, & humorem cœlitus almum apud nos fieri suffocantem, ac protinus diluentem? Vt ergo summatim dicam: Sicut se habet cœlum nobis conspicuum ad intellectuale cœlum, sic tractabilis hæc nostra regio ad visibile cœlum. Formæ rerum in cœlo intelligibili à materia, dimensione, motu sunt liberæ: in cœlo autem visibili tria hæc necessario subeunt. Sed ibi materia quidem est procul à passione: dimensio quoque sine diuisione: motus similiter seorsum à transgressione ordinis & transmutatione substantiæ: in regione denique nostra tres tria hæc naturaliter patiuntur. Ergo quod in primo cœlo est integra participatione vndique bonum, in cœlo secundo fit minus bonum, in nostra regione iam malum. Nemo igitur malum cœlestibus imputet. Sicut enim quod loquaris, quod eas, habes ab anima & virtute motrice: quod autem inepte loquaris & eas, à vitio linguæ vel pedis: sic quicquid ex anima corporeque cœlesti ad te demittitur, ordine recto procedit, sed in re sæpe claudicare compellitur. Id vero totum vna cum Plotino & Iamblicho ita concludimus: Quinque de causis munera cælitus attributa degenerant. Prima: quia quod prodit ex causa præsertim superiore, eo ipso quod exit: etiam deficit inde. Secunda: quoniam dum id accipitur in viliore materia, pro vilitate materiæ capitur. Tertia: cum accipientis natura longè diuersa sit, iure quod accipit non deterius tātum reddit, sed nimium ratione diuersum. Quarta: dum subiectum præter cœleste munus varia insuper capiat aliunde, tum inter se repugnantia, tum à cœlo diuersa, merito non

solum inficit cæleste donum, sed valdè confundit, redditque secum passionibus frequenter obnoxium. Quinta: quoniam ex omnibus inter se confusis resultat nouum aliquid priori origini dissimillimum, omnino vero inferioris naturæ debilitas obuoxia passioni, sæpe bonum cæleste non sustinet, & competenti ad illud proportione carens ægrè patitur, sub eo etiam quod salubriter agit.

Quæ hic generantur, naturam propriam magis habent ex causis propriis, quàm ex cœlestibus.

CAPVT XII.

Dvodecimum caput ostendit varios è cœlo venientes influxus in vnum apud nos confluere, quamuis aliter alibi: & ex eo confluxu quicquid sub illo gignitur aliquid reportare. Profectò quod nascitur, ex communi quidem cæli fauore communiter adiuuatur ad ortum: vt autem oriatur homo vel equus, nec ex communi influxu nanciscitur qui omnibus æquè fauet, neque ex hoc aut illo sortitur influxu. Sub quolibet enim homines pariter nascuntur & equi. Homo igitur prouenit, quia ex homine nascitur, & equus quoniam fit ex equo: vt autem homo sit talis ceu sanguineus vel colericus magis minusue pulcher, procerus, vel breuis, & reliqua: partim quidem habere videtur è cælo, ex parentibus certè quamplurimum: quod Ptolemæus confitetur effectu compulsus. Vnde prohibet ex solo cœlestium intuitu iudicare de nato, iuber autem parentum eius & nutrimenti & loci naturam, & consuetudinem diligenter considerare. Mitto in præsentia quantum varietatis imaginatio generantium filiis afferat. Certè ad ipsam substantiæ naturalisque qualitatis proprietatem natura tum speciei, tum indiuidui generantis multo plus valet, quàm cæleslis influxus: quod manifesta in omnibus experientia docet, ex ipsa præsertim similitudine, qua nascens generantis speciem refert simul atque personam. Communes itaque cœlestes causæ plurimam circa communissimas conditiones autoritatem habent: propinquæ vero propriæque causæ, circa proprias plus admodum proculdubio possunt: præsertim quoniam quæ à superioribus causis afferuntur pro natura subiecti locique; & pro determinatione causarum propinquiorum accipiantur, & in formam aliam transmutentur. Hinc Ptolemæus ait, teste etiam Aristotele, cœlestes effectus ob materiam naturamque inferiorum posse mutari, neque ineuitabiliter euenire. Homo igitur velut à causa fit ex seminaria hominis ratione, quæ quidem est in anima naturaque propria, regiturque sub ideali hominis ratione, quæ in natura animaque communi vigens, regitur tandem ab ipsa diuinæ mentis idea. Dum vero ex ipsa virtute seminis concipitur homo: interea potest vel è cœlo, vel ex propinqua siue circumstanti materia, vel impedimentum aliquod afferri, vel adiumentum, quo nascirurus aut deteriorem inde, aut absolutiorem accipiat qualitatem. Prodit tamen plurimum similis generanti, specie semper, & persona frequenter. Cum vero impedimentum vel ex cœlo vel ex materia contingere possit, maius admodum est quod accidit ex materia: nam manca quædam sæpe producit. Maximum vero quod imaginatione contigit: hæc e- nim monstra proferre solet. Si ergo maius impedimentum ex materia, & loco, & causis propè nos circunstantibus aduenit, nimirum & hinc potissimum prouenit adiumentum: & omnino nullus cæleslis influxus, sed ratio seminalis autoritatem possidet generandi: nam & vbi sponte sub sole pariter & humore animantes oriri videntur, necessario ex seminali virtute quam vita mundi possidet, oriuntur: quod in theologia latius declaramus.

Ex vita mundi communi, eiusque rationibus seminalibus simul, & à rationibus cuiusque propriis omnia generantur. Item præter actionem animæ mundi communem sunt in plerisque propriæ actiones: influxus vero cœlestium motionum quasi extrinsecus videntur accedere.

CAPVT XIII.

Qvoniam ad rerum causas tum communes tum proprias iam descenderat, idcirco in tertio decimo libri capite principia rerum ritè prosequitur. Sicut igitur in omni viuente, sic in mundo tanquam animali quammaximo à seminali ratione quæ est in vegetali virtute animæ, naturalique spiritu & vitali formatur totum corpus sub forma totius, formantur & membra propriis membrorum formis, conformantur & singula, tum mutua inter se communione, tum ad totius formam & finem relatione. Cum igitur in ipsa totius forma contineantur formaliter omnia, in formis vero singulorum non comprehendantur formaliter alia, quamuis participatione quadam videantur adesse, merito quicquid agitur vel agit, patiturue in mundo tanquam familiare propriumque ipsius ipsi conducit ad bonum. Non tamen quicquid ex parte acedit ad partem venit æquè domesticum. Quod enim à parte mundi venit ad partem, longè vel situ vel natura distantem, tanquam alienus videtur offedere: quod venit aliter adiuuate. Cuncta vero quicquid in se inuicem agant, præter id quod in se consistunt, quodue agunt propria facultate, proculdubio ad communem totius vitæ spiritum vbique conspirant. Quamobrem de agentibus ita distingue: Quæ in viuente hoc mundi corpore, præter exiguum quoddam communis vitæ vestigium, nihil vitæ propriè possident: non propriè quidem agentia sunt, sed agentium instrumenta, ipsis scilicet mundi principalium que partium mundanarum. Neque id quidem iniuria. Naturalis enim actio pendet ex motu: principium vero motionis est vita. Vita namque sicut est primus intimus perpetuus essentiæ motus, sic est principium cuiuslibet motionis, sic est & naturalis actionis origo. Quibus ergo origo propria vita deest, nimirum & motio adest actio propria: vbi ergo agere videntur, aguntur: Sic grauia leuiaque & calefacientia & similia trahuntur ad motiones & actiones, ab ipsa mundi vita: non aliter quàm à magnete ferrum & calor vel humor in animali à vitali virtute ducitur atque trahitur. Quæ vero vltra communem mundi vitam nacta sunt aliquod vitæ propriè donum, hæc motionis actionisque quasi propriæ nonnihil habere videntur: Sed viuentia hæc ita distingue: Cum viuentibus omnibus principium motus insit, ad motiones inquam inter se indifferentes indifferens; aut ad certam motus con-

ditionem determinatur ab alio, aut potius ex seipso. Ab alio quidem planræ scilicet ab vniuersa narura & à quotidiana quadam indigentia, oportuuitate, occasione, concursu circunstantiuni causarum. Ab alio rursum bruta, scilicet ab eorum occursu quæ sentiuntur, dum imaginationem huc vel illuc impellunt, necessitate naturæ præterea seruientem. Animal vero rationale intuitum motionis suæ principium sæpe ad certos motus sua quadam per se concepta notione & electione desinit: & quo magis incedit intelligentia, eo magis in agenrium ordine computatur, & à parentibus segregatur. Vtraque vero animalia, scilicet & rarionem habentia, & carentia ratione, tanquam partes quædam mundi ad decus mundi conducunt. Animalia rursus ita distingue: Animalia quidem cœlestia arque ætherea simpliciter agere potius quàm pati dicuntur: Bruta vero minimum actionis habent, plurimum passionis. At aërij dæmones hominesque medium fermè inter actionem obtinent atque passionem. Ex tribus his generibus, animalium animalis mundani decus officiumque expletur. Et summum quidem genus ita se habet in mundo, sicut in nobis intelligentia: medium vero quemadmodum ratio siue vniuersalis, siue particularis in nobis: infimum denique, siue quod infimum in nobis existit. Vbique autem in vniuerso superiores sphærarum stellarumque animæ, vniuersa præstantiora præbent, quàm animæ earundem inferiores: dicunturque à Platone Iouis, id est, inrelligentiæ mundanæ collegæ. Omnino vero quicquid vsquam est in mundo, quodammodo viuit: seu vita propria, siue communi, non minus quàm quicquid est in quolibet animali. Viuunt inquam, & viuentia sunt omnia, secundum viram dico corpoream: principaliter quodam mundanæ animæ beneficio: in cuius seminaria ratione rationes omnes viuentiū continentur: Et vbique ratio seminalis in anima vigens, tum in anima communi, tum in propria quauis præcipuum est motionis & generationis formationisque principium. Quod enim in rebus speciales quædam virtures insint, quæ ad causas elementales referri non possunr, non euenit simpliciter ex confluxu multorum: alioquin vel casu conringerent, vel firmæ non forēt, prouenit igitur ex animali seminariaque rarione. Sic Peonia suspensa collo caducis opitulatur: Polipodium arram bilem purgat: Corallus timorem pellit: Laurus pellit fulgur: Torpedo piscis stupefacit hominem etiam virga tangentem: Echinus pisciculus sistit nauem: iam vero speciales einsmodi vires illinc existunt, vnde sunt species. Referunrur aurem variæ species naturalium non solum ad differentes dæmones atque stella, sed eriam ad ipsarum seminarias rariones in ipsa mundi vita, vbique regnantes. Circa enim quālibet speciem ad ipsius effectum agentia, passim multa concurrunt, quæ nunquam communi firmoque ordine ad vnum rirè conducerent, nisi vno quodam duce regerentur vbique præsente. Profecto sicut species complurimæ rerum ad genera quædam & hæc tandem ad vnum vbique genus: sic agentia multa gradatim ad vnum vbique agens necessario rediguntur. Agentia inquam siue tanquam instrumenta, vt corpora inferiora ad superiora, illa fortassis ad Solem beneficio luminis vbique præsentem: siue tanquam agentia principalia, velut animæ rationales inferioris ordinis, ad rationales superioris ordinis animas, & illæ tandem ad vnam vbique pariter dominantem. Tantam vero in animali natura eiusque rationibus seminariis esse vult potestatem, vt nullam vel ingentem mundi partem & motionem posse putet, eas ex ordine suo penitus deturbare, quominus ex specialibus rationibus certæ rerum species proprietatesque ita proueniant, quemadmodum & totius naturæ animalis ordo præscribit, & natura quælibet illius pedissequa ritè prosequitur. Quid ergo stellæ? quid earum quotidianus motus efficiet? Certè nec faciet species, neque mutabit, neque earum euentus detorquebit à specie: sed qualitatibus fortè quibusdam in deterius meliusue afficiet, siue secundum corpus, siue secundum animam corpori prorsus immersam, siue secundum actiones quasdam: quibus explendis superior anima indiget instrumentis. Id vero totum cælestis influxus ex accidenti quodam dicitur agere: quia tum ex oportunirare quam nanciscirur, ex inferiorum concursibus agit, tum non agit proprio tenore desormia, tum non mouet animam, nisi forsan moto per cœlum corpore anima vel per accidens mouearur, vel motioni consenriat. Siquis autem proprer monstruosos interdum fœtus dubiret vel rationes seminarias, vel species permutari, animaduertat sēper in eis partem præcipuam & radicem speciei propriæ conseruari, quamuis vel adiunctum sit aliquid, vel ademptum. Adiunctum inquam, vel ademprum, non tam influxu cœlesti, quàm vel materiæ locique imaginationisue vitio, vel concursu quodam sortuito diuersorum. Conseruatur autem principale semper, aut certè quamplurimum, quia principale continuumque illic agens est ratio seminalis: qua quidem sublata, res casu porius quàm natura contingerent. Quam esse necessariam etiam in his quæ sponte nasci videntur in theologia probamus. Cum enim hæc sic arrificiosè formentur, sic vita sensuque donentur, sicut illa quæ propagatione gignuntur, certè hæc sicut & illa à viua oculti seminis ratione formantur. Quæ vbique in vita mundi regnans, materiam passim opportunè paratam, & artificiosissimè simul & citissimè format, vtpote quæ potestatem habet excellentissimam atque diuinum per quam ex vilissimis agit momento pulcherrima, dum & agentia inter se diuersa, ad vnum dirigit finem, & generales influxus ad speciales & proprios pro affectione nateriæ distinguit affectus.

In singulis quæ hominibus accidunt, sufficientes apud nos, præter cœlestes motus, causas reperimus.

CAPVT XIII.

HActenus cœlestes influxus in rebus quæ ad corpus & animam pertinent, non multum autoritatis habere differit: deinceps parum insuper valere declarat ad illa quæ nominantur externa. In omnibus vero summatim causas sub cœlo sufficientes manifestasque adducit in medium: siue determinatæ rerum causæ sint, siue occasiones quædam ex multorū concursibus cōtingentes, siue artes & electiones humanæ. Inrer hæc nota generantium naturam & qualitatem

loci

loci atque nutrimenti plus admodum valere ad corporis valetudinem, quàm communes, & remotas, momentaneas cœlestium motiones: per has igitur significari potius interdum illa quàm effici, quæ ex causis propinquis sufficienter aguntur. Ait præterea, mutuam consequentiam rebus inesse, per quam mutua præstare indicia possint: præstare inquam, quantum ad ipsam pertinet vniuersi connexionem, & apud illum duntaxat certè significare, qui omnia circumspiciens, omnium conspiciat consequentiam: tum verò in homine generando rationem virtutemque seminalem esse dicit causam principalem, imo verò totam causam ex propinquo. Quod enim certè species ex certis seminibus modisque propriis oriantur, neque confusio fiat inuicem, neque transgressio, totum in seminalibus consistit naturis declaratque totam eas authoritatem generationis habere, vbi si nihil impedit, fœtus ad rationis seminariæ normam ritè formatur. Impedire verò dicitur, quod non absolutam exprimi finit seminariæ virtutis imaginem. Id autem impedimentum non tam ex motibus propriè Planetarum tanquam remotis & momentaneis, quàm vel ex vitio matris, vel ex aëris qualitate conceptui dissonante procedere indicat.

De fato, & fatis: & quomodo anima priusquam fato tangatur, tangitur amore corporis. De dæmone vitæ duce. De liberatione a fato. De principiis entium. Quomodo anima nostra etiam habeat principij rationem.

CAPVT XV.

Postquam quid fati pars, id est, ipsa tantum in dies reuolutio cœli valeat, explicauit, iam quid totum fatum valeat, explicat. Est autem fatum vniuersum tota mobilium omnium series causarum, siue animales causæ sint, siue corporeæ, seu superiores, siue inferiores. Cum igitur consequens deinceps mobilium causarum connexio fatum fit, nimirum rationalis anima, quatenus ab intellectuali stabilitate digrediens latius explicatur in motum, eatenus fati laqueis implicantur. Contra verò dum totus animus stabili prorsus intelligentia viuit, nullis fati retibus irretitur. Cogita igitur rationalem in anima facultatem, postquam diu quondam vixit in mente, tandem nouo quodam motu vergere ad naturam sub se vegetalem, imaginationemque quodammodo naturæ coniunctam, quando videlicet in natura imaginationeque eiusmodi affectus ad corpoream mobilemque vitam acrius inualescit. Tunc animus nouo quodam sui motu propensius ad mobilia vergens, atque ita mobilem vitam eligens in fatum inde prolabitur, quodammodo etiam antequam terrenum corpus ingrediatur, & priusquam id corpus concipiatur invtero.

Fortè enim subito corpus subit aërium, ea potissimum sorte fatali, quam & ipse paulo antè partim elegerat, & partim harmonia totius & tunc ita, & nunc potius ita sonans accommodauit. Dæmonum verò vitæ ducem tunc primum sortitur, cum primum eiusmodi vitam affectauit simulque elegit. Similiter quando deinceps terrenum corpus affectat & eligit, tunc vitæ formam partim pro electione, partim pro harmonia cœli dum eligit ac dum ingreditur regnante sortiri putatur, similiterque in his à dæmone duci. Dæmonem verò dari nobis Ægyptij volunt, ab ipso dæmonum præside Deo ad electæ iam vitæ normam, atque ad consonantiam vniuersi electionis tempori concinnentem: non ab astro quodam, non à Planeta vt putat Porphyrius, qui in ipsa generationis figura plus possit: idcoque propriè dæmonem, quoniam ad concentum mundi tribuitur, fato animam (vt ita loquar) accommodare. Quia verò datur à Deo & ad animæ ipsius electionem: daturque diuinitus à fato rursus quodammodo animam liberare, animam inquam, in dæmonem, perque dæmonem in Deum quandoque conuersam.

Idcirco, Pythagoricus ille cantus orat Iouem, vt vel ipse nos ab his malis absoluat, vel saltem quo dæmone vtamur ostendat. Responder denique solutionem sperandam esse per diuinitatem quandam nobis insitam, nobisque malorum remedia subgesturam. In primis autem memoriæ commendabis: primo quidem vitæ sortem formamque viuendi non à fato, sed ab affectione & electione animæ exordiri, perque acceptum mox dæmonem quodammodo expediri. Secundò, sortem formamque vt dixi, viuendi accipi siue peragi vel compleri quodammodo etiam à tota dispositione mundana, quæ concurrit vndique, tum quando animam corpus affectat & eligit, tum quando corpus ingreditur. Tertiò, dispositionem vitæ non talem duntaxat fore, qualem sola cœlestia fortè decernerent: sed qualem potius inferioris materiæ præparatio, & locus, & natura parentum, imaginatioque, & cætera quæ circumstant vnà cum cœlestibus coniuncta conficiunt. Quartò, ex his omnibus sequi, vt multi sub eadem omnino cœli dispositione nascentes dissimilem sortiantur euentum: quoniam & altius ante nouitatem, vel etiam ante conceptionem trahuntur fati primordia, & pro inferiorum concursu expletur fati conditio. Quintò, neminem posse vel superiora suspicere, vel hæc omnia intueri, vel hæc vnà cum illis ritè complecti, vel quid ex eorum complexione velut ex causa sequatur; perfectè cognoscere. Sextò, iudicium per signa prorsus inde confundi, quòd ex diuersis sortis nostræ primordiis, causisque inter se oppositis rebusque contrariis, complurima inter se discrepantia trahuntur iudicia: imò & ex aliis quasi vestigiis alia confunduntur, vt verè iudicare de sorte, fit sortis cuiusdam potius quàm scientiæ. Post hæc autem Lachesis quidem nomine sortes formasque viuendi dicit significari: nomine Cloto conuolutionem earum euolutionemque ostendi per vniuersum: Atropos denique necessarium huius explicationis effectum: necessarium inquam; quatenus consistit in natura fati & quantum huic anima cedit. In fato inquam, quia fatorum regnum Plato propriè ponit in cœlo: ideoque ibidem inter ipsa cœlestia euentus semper est necessarius. Ac si cœlestium concentui, inferiorum quoque inter se confluentia penitus consonaret: necessario perueniret & hic fati decretum: sed fortasse non consonat. Fortè enim accidit inferiora & ita intra se confluere, & ita rursum congredi cum cœlestibus. Hic ergo quispiam fortunam cum fato miscebit. Præterea,

si quando & cœlestia & inferiora corpora ad eundem conspirent euentum: ideoque euentus quantum est in hac corporum omnium conspiratione ineuitabilis videatur, & fortuna iam satis seruiente fatalis: tamen vbi ius habet animus in quo motus est primus ac liber, non necessario prouenit homini quod mundo necessitas destinabat. Nam sicut in cœlo fati regnum duntaxat, sub cœlo autem fortunæ insuper potestatum plerique collocant: sic in ratione æquè per opposita discurrente, consilij & electionis arbitrium collocabunt. Sic Plato virtutem animi vel in fato semper liberam confitetur. Fatetur & Ptolemæus fortunæ consiliique occursu cœleste decretum posse mutari. De necessitate quidem tribusque parcis in commentario decimi de Republica satis diximus: nunc censemus considerandum, quod mox Plotinus adducit alios quidem homines fieri tales scilicet vel natura, vel vsu, vel vtroque, vt trahantur illecebris vniuersi: alios verò tales, vt inde quandoque se retrahant. Fiunt verò natura tales, tum animo per priorem electionem atque vitam, tum corpore per causas naturales: fiunt quoque tales ex vsu. Quod autem ait, plerosque à mundo more quodam magicò fascinari, declarat, animam non alio hamo, quàm amore vel naturali vel nouo, atque esca voluptatis illaqueari. Declarat, & ipsam vniuersi naturam quasi magnam corporibus omnibus non solum pulchram formam, sed vitam etiam quandam inseruisse. Qua forma tanquam ideæ simili, qua vita ipsi animæ quasi cognata, anima velut esca quadam alliciatur, inferioribusque pellecta prouideat. Significat interim animos ob intellectualem naturam corpore toto corporeæque vita superiorem, posse quandoque se contemptis mundi huius illecebris à fato resoluere, quo non aliter quàm illecebris detinetur. Hinc verò se soluit quatenus mundum amat superiorem, quem amando in pristinam præcipuamque naturam animus suam reuertitur, in mentem dico vel in rationem mente formatam. Profectò cum omnia etiam naturalia propriam habeant in se naturam & actionem, præter conditiones quotidie accedentes extrinsecus, multo magis id muneris possidet anima, quæ habet principij rationem. Principij dico rerum naturalium atque mobilium: ab anima enim natura motusque depende, ab anima dico intellectuali, principium enim sub bono rerum efficiens est intellectus, sub quo intellectualis anima principium est efficiens, & quasi iam formans. Anima quidem vniuersi naturalium omnium principium est summatim: aliæ quodammodo sigillatim. Illa rursus omnium in vniuersi forma, aliæ omnium in formis partium vniuersi. Omnis ergo rationalis anima, prout habet principij rationem, sicut forma hoc corpus, ita quodammodo potest saltem aliter alia. Tum verò quemadmodum vt principium format ducitque id corpus & tantum, sic non alia solum, sed & maiora potest, dummodo similiter afficiatur ad illa: ceu anima cubitare corpus viuificans, potest similiter & tricubitum. Sed hæc in Theologia latins explicamus. Quantum verò ad principium spectat, animaduertendum est, ipsam entis naturam considerari, vel prout est in actu primo per formam, vel prout in actu secundo per motum. Vbi verò non repetitur propriè motus pro actu secundo qui & actio est, ibi ipsum esse formæ locum obtinet actionis, ac motus quodammodo dicitur. Sed consideremus ens aut in actu per formam simpliciter, aut in actu per motum. Primo quidem modo entium principium est intellectus: secundo autem modo, eorundem principium anima. Iudicatur. Intellectus igitur entis principij est, qua ratione ens est actuale, vt ita dixerim aliquid & formale: anima verò entis principium est, qua mobile. Ac si principium est formarum, earum præcipuè origo est quæ motu proueniunt: aliarum verò si est principium, non tam vt anima-lis est id habet, quàm vt intellectualis existit. Ipsum autem vnum bonumque intellectu superius, principium est etiam atque finis, quomodocunque ens ipsum accipiatur, siue in potentia quadam, siue in actu: seu in actu primo, siue secundo, siue nondum mobile, siue iam mobile. Præcipuè verò principium est entis & finis, qua ens vnum est in bonum. Potissimè quoque principium entis, vt & ipsum & ens est vnum, finis eiusdem, vt & ipsum & hoc est bonum. Sed de hoc alibi. Redeamus ad animam. Solemus argumentari rationalem animam esse essentiam, scilicet formam ac speciem in se firmiter consistentem suumque esse atque existere in se prorsus habentem, ex eo quòd appetitiones actionesque quasdam proprias habeat, tum segregatas à corpore, tum corpori frequenter oppositas. Plotinus verò vicissim hic velut ratum accipit, animam essentiam sic existere, per hoc autem argumentatur, eam munera quædam propria possidere. Sed vnde nam id habet ratum? Ex eo forsan, quod est principium entis mobilis ordinatè ac perpetuo mobilis. Est igitur essentia fixa, ac si mobilis, ex se mobilis, propriaque vita viuens, sicut proprio motu & intimo mobilis. Vita enim motus & actus est intimus. Quamobrem si anima quasi mouetur interdum ab externis atque formatur, idcirco contingit, quoniam ipsa iam sponte cessit ceditque corporibus: sed ipsa interim propriam habet, firmamque tenet in essentia formam, simul & esse: siquidem ab initio naturaliterque ad corpus, non vt mobilis atque patiens, sed vt motor accessit & agens. Quomodo autem anima etiam nostra sit principium motus, & in ratione principij sit animæ mundanæ collega, in Theologia probamus. Nunc verò concedamus animam in officio motionis æquè fermè cum cœlestibus conuenire, quæ cum eisdem in superiori officio, id est, contemplationis munere conuenit: quo & transcendit motum ad æterna resurgens. Concludit postremo Plotinus, nostrum animal ex animali mundano pendere, scilicet ab initio quemadmodum aliàs declaraui, & quotidie plurimum. Verum sicut & quotidie etiam ex anima nostra dependet, sic ab initio à nostra quoque pendebat, atque vicissim sicut ab initio, sic & in dies. Tale igitur plurimum in nobis est animal, quale animal est mundanum, scilicet animam habens corporis vsui naturaliter consulentem, & cum corpore simul agentem, & in nobis saltem quodammodo patientem. Item quotidie in nostrum animal instinctus quidam mundani mirabilesque resultant pro diuersa dispositione mundi, tum dormientibus, tum etiam vigilantibus. Et hoc animal mundano sæpè consentit & compatitur animali, nisi quatenus anima in nobis superior, huius quoque domina, hincque separabilis & animæ mundanæ germana, animal hoc aliter mouet & sistit.

Hæc enim & separata est ab initio per essentiam atque esse, & separari etiam magis studio potest per oppositum affectum simul & actum, actionesque proprias habet, ac si animal sibi commendatum mansuefacere potest, & ad se ita conuertere, quod alibi Plotinus ait. Potest etiam id nonnunquam virtute mirabili ab his malis eruere, sicut & ipsa se eruit, dum quæ ad animal pertinent, tanquam aliena nonnunquam nihili pendit.

De duabus animabus in nobis. Item quomodo à communi seminario mundi omnia generentur, & quomodo in eo comprehendantur: & quæ gignuntur, tum semel exeundo degenerent; tum per sæcula deficiant à primordiis.

CAPVT XVI.

POstquam in superioribus, & quæ non veræ sint rerum causæ demonstrauit, & quæ sint veræ quodámodo designauit, in tribus iam sequentibus libri capit. quæ sint causæ veræ definit. Tu vero in primis, vbi dicit, quod inseparabile est quando est in corpore: Nota fortè Plotinum velle vitam corpori dedicatam, quam sæpè animam secundam nominat, inseparabilem esse à corpore, id est, inseparabiliter agere, id est, singula simul cum hoc corpore videlicet dum est in eo: veruntamen posse tandem vnà cum superiori anima hinc abire: nam & ab ea pendet velut actus eius assiduus, quamuis hic actus per actum animæ mundanæ corpori coniungatur; sicut radius visualis per radij solaris actum aëri se insinuat: atque sicut neuter radius euanescit apud Plotinum, sed vterque in fontem proprium replicatur: ita & actus vitalis vterque, tum communis ab anima mundi, tum proprius à nostra redit in suum. Neque fortè prohiber vnionem vitæ, vnitatemque animalis eiusmodi vitæ duplicitas: cum altera quidem communis sit, altera propria: & quæ propria est naturaliter cum communi conspiret ad idem, tum ad propriam illam determinans, tum ab illa rursum adiuta ad opus proprium communi totius operi consentaneum. Sed de hoc alibi diligentius. Præcipuas naturalium causas esse vult seminales earum rationes in vegetali animæ mundanæ natura, quibus semper ordine certo respondeant seminales in speciebus singulis rationes. Sed quo nam pacto ex vniuerso seminario mundi omnia pullulent, multis quæstionibus perscrutatur. Principio quærit nunquid anima mundi singula faciat, quasi recta quadam successione scilicet in ordine graduum occasionumque temporalium, prius quidem elementa secundum originem, deinde quæ ex his componuntur: item hominem primum secundum dignitatem, deinde bruta: vtrum inquam, hæc faciat, eisque prouideat vsque ad species duntaxat rerum, earumque propaginem & salutem: quæ verò singulis in dies accidant non attendat. Quæstio secunda: vtrum anima etiam singulorum quæ in dies singulis accidunt, propterea causa sit, quod quæ generantur ab ipsa, deinceps agant, & quæ sequuntur: quasi sic anima mundi dicatur contingentia qualibet: & si non per se, tamen per medias vbique causas agere. Quæstio tertia: num anima in seminalibus penes se rationibus præscriptas habeat singulas singulorum actiones atque passiones, nihilque casu contingat, sed omnia fatali necessitate ducantur. Quarta quæstio: si anima sic in se singula continet: vtrum rationes animæ seminales hæc efficiant; an solum vel ipsæ cognoscant, vel per eas anima ipsa cognoscat: adeo vt ita quotidie circumspiciat non solum res singulas, quæ quodammodo generantur ab ipsa, sed etiam actiones, passionesque earum, omnesque euentus: dum videlicet præsentia omnia comprehendens, quicquid ad illa sequitur quasi argumentando concludit. Siue complurima in antecedentibus simul quasi præsentia contempletur: siue nunquam summatim sequentia complectatur, sed singula semper in horas prosequi compellatur. Quæstio quinta: vtrum animam mundi nefas omnino sit adeo sollicitam ponere: sed putandum sit potius in eius notionibus hæc omnia semel esse præscita, aut etiam in rationibus seminalibus destinata. Sexta quæstio: vtrum vitia defectusque naturarum ex rationibus, naturæ seminalibus destinari & fieri possint.

Fortè namque & quæ sigillatim mala videntur ad bonum vniuersum conducunt: Soluit denique quæstiones, negans in rationibus rerum naturalium seminalibus quicquam in actu contra naturæ ordinem contineri: sicut neque in rationibus artis, quatenus tales sunt, præter artem aliquid continetur. Quicquid igitur formale in rebus est atque formosum, in rationibus per se continetur, & ab eis propriè proficiscitur: quicquid verò deforme contingit, id est, informi materia primum, vel ab eis quæ hac infecta sunt consequenter euenire videtur. Sed quidnam sibi vult quod ait, rerum defectus non secundum actum, sed secundum potentiam in rationibus contineri? Certè non secundum actum, quoniam non efficiuntur inde defectus: quoniam nulla est ibi propria forma defectus, sed ibi saltem secundum potentiam esse dicitur: quoniam ex integra forma velut exemplari coniectari potest quo pacto, quóne gradu aliquid inde deficere possit. Quæ igitur mala vel minus bona sunt, præscita quidem illic esse possunt, prædestinata non possunt. Quicquid enim determinatur inde, definitur ex forma: quod verò fit inde, non tale prouenit in materia, quale possidetur ab anima: sed & quoniam extra fit, degenerat: & quoniam in materia fit informi, fit deforme; ac rursum diuersorum mixtione confunditur. Anima igitur eousque agit per rationes, quousque res formositate congruunt rationibus, quamuis vlterius etiam, id est, deformitatem conijcere possit, generatim quidem intelligentia, sigillatim verò ratione vel imaginatione quadam naturæ coniuncta: sed in ea quoque non tam discurrendo per singula quàm summatim. Ait verò & hic formas in materia à fomnis naturæ deficere concursione quadam, id est, tum quia extra rationes discedere videntur ab eis, tum quia informi materia deformes euadunt, tum quia miscentur oppositis, tum quoniam paulatim à pristina dignitate degenerant: naturalia verò paulatim degenerare per sæcula Plotinus in superioribus ait; & Plato in Politico Protagora; Critia, Menexeno: nosque ibidem causas assignauimus, & hic ita breuiter assignamus. Degeneratio rerum quædam est diuturnior ab initio, scilicet mundani circuitus ad finem vsque se portigens: quædam diuturna minus ab ingenti tetrarum illuuione, ad illuuionem alteram perseuerans:

Cogita igitur signa duodecim, quæ in firmamento videntur, signis subesse duodecim in nona sphæra signatis: quam Plato sphæram & si non manifestè posuit, posse tamen existere cogitanti: quandoquidem esse posse non negat. Respondebant itaque quondam signa vndique signis: Aries, Arieti: Taurus, Tauro: Gemini, Geminis: Cancer, Cancro: Leo, Leoni: Virgo, Virgini: Libra, Libræ: Scorpius, Scorpioni: Sagittarius, Sagittario: Capricornus, Capricorno: Aquarius, Aquario: Pisces denique, Piscibus. Tunc felix auspicium fuit sæculi sæculorum, tamdiu felix, quamdiu eisdem eadem congruebant. Transgressus autem est deinde per motum ad ortum Aries Arietem, sequentiaque transgressa sunt reliqua consequenter. Naturales interea res simili quodam gradu degenerare cœperunt. Quamquam etiam quibusdam sæculis pristini vigoris nonnihil ad tempus recipere posse videantur, quando signa hæc, & si non ad illa prorsus eadem, saltem ad similia veniant. Aries ad Leonem, aut saltem ad Geminos: vel Leo ad Sagittarium, vel ad Libram: Gemini ad Libram, vel Libra ad Aquarium, cæteraque similiter: aut saltem aspectus illic oriantur, quos Astronomi tradunt magis esse concordes. Conferunt interea magnæ quædam Planetarum coniunctiones, quamuis & vicissim nonnunquam nocere contingat. Similiter ad rerum mutationes conducit motus imaginum per accessum ad meridiem, atque recessum multis sæculis restitutus: verum non prius pristinam res felicitatem recuperabunt, quàm eadem reuertantur ad eadem. Motus quidem signorum nobis manifestorum ad ortum vergens, annis centum gradum vnum præterit signorum superiorum. Annorum itaque triginta sex millibus explebitur sæculum sæculorum. Interea sæculi altera quædam fit mutatio, quando tellus vel aquarum illuuione diluitur, vel flammarum incendio deuastatur. Siue igitur post aquas solis calor præpotens humoribus incumbat: siue post incendia vicissim imber exuberet, terra mox vtrobique calore & humore fœcundior pulcherrima parit, donec ob siccitatem sterilior in dies euadens, minus pulchra parturiat: redeatque tandem remedij gratia illuuium simile vel incendium. Memento verò, cœlestium motiones & situs non tam ad ipsam formarum generationem, quæ propriè fit seminalibus rationibus, quàm ad materiam pertinere aliter vel aliter disponendam. Tertia degenerandi causa est præsertim pertinens ad humana: quòd in ipsa nouitate mundi, siue per creationem fiat nouus, siue per exitium prius nouus effici videatur, homines superiorum numinum quasi Pastorum sedula prouidentia gubernantur. Debiles enim nudique natura, & arte rudes superiorum prorsus indigent gubernaculis. Prouidentia verò in rebus necessariis sua nunquam deserit. Vnde factum est, vt & natura in necessariis non deficiat. Quapropter in corpore animalis pro maioris membri alicuius necessitate magis natura laborat. Igitur res humanæ diu quondam omnino rectæ diuinitus, nimirum diuinius procedebant: at cum primum humanum ingenium tempore satis excultum, minus indigere visum est assidua sollicitudine dæmonum, cœptum est gubernari negligentius à dæmonibus, seu mauis Angelis: vnde humanæ res in deterius quotidie dilabuntur, donec incurabilis per se morbus humanus necessariam ad se curam prouocet diuinorum. Qua verò ratione ex variis etiam degenerantium gradibus mundus continuè sit vel ex aliqua partium deformitate formosior, alibi satis & diximus & dicemus.

Rationes naturæ seminales non sunt notiones, quamuis natura fiant à mente. Item degenerant in natura: Primùm à mente: Deinde in materia deficiunt à natura. Rursus, quale futurum sit animal mundanum, si sublata ratione consideratur.

CAPVT XVII.

Rationes verò seminales sicut in qualibet anima non sunt notiones quædam: alioquin cognoscendo continuè generarent, & generando cognoscerent: sic neque in anima vniuersi, cum vita est vita qualibet efficacior, ideoque simplici vitæ virtute potest absque notionis auxilio generare. Primo quidem rationes eiusmodi intelligentiæ non existunt: Intelligentia enim & seipsam, & si opus sit rem intelligendam segregat à materia. Vis autem efficax qualis est seminis naturalis, cum in materia duntaxat genitura sit, materiam in primis aggreditur, penitusque ingreditur. Deinde neque ratiocinationes sunt: hæc namque quasi accidentales, & imaginariæ sunt, ideoque substantialia & vitalia facere nequeunt. Facere verò more artis solent extrinsecus externorumque instrumentorum adminiculo, & imaginaria quædam: rationes verò seminales intrinsecus agunt, perque seipsas ac per instrumenta coniuncta more cuiuscunque naturæ, faciuntque substantias. Præterea neque imaginationes sunt: hæ namque vt in nobis apparere absque affectus efficacia in corpore nihil efficiunt: quinimo neque affectus imaginationi ad formas sufficit generandas, sed ad motum fortè localem. Nam ex imaginatione affectu corroborata localis è vestigio motus inspiritu sit & corde. Ex hoc motu deinceps qualitates, quæ iamdiu sunt in corpore iam excitantur, vnde vel aliam insuper faciunt qualitatem, vel passionem. Similiter in anima mundi imaginatio non formas quidem primò rerum generat, quippè cum ipsa magis etiam quàm ratiocinatio imaginarium quiddam esse videatur: sed cum affectu coniuncta ad localem motum mundi conducit: ante quem motu formæ rerum in mundo iam existunt, ibi videlicet iamdiu genitæ virtute mundi genitali per seminales scilicet rationes. Quamobrem ex rationibus eiusmodi naturæ huic infusis, primæ rerum formæ procreantur in mundo: subinde verò ex imaginationibus spectantibus singula generanda, per motus quodammodò singulos, quotidiani motus, & singuli fiunt, quibus formæ rerum ad alterationem mutuam concitantur: qua quidem alteratione perpetua, materia passim ad nouas quotidie formas à rationibus suscipiendas ritè paratur. Comites ergo in anima quidem imaginatio naturaque sunt: comites similiter in vniuerso alteratio semper atque generatio. Nec iniuria natura genitrix singulorum imaginationem comitatur, atque vicissim, quæ se per singula distrahit, neque tamen rationem proximè quæ ad vniuersalia denique refugit: neque intelligentiam, in vniuersalibus semper perseuerantem: ac si intelligentia, siue ratio singula perspicit, consequenter id agit. Præ-

cipium verò habet interim ad vniuersaliã studium. Generatio igitur vel alteratio atque motio, quæ duntaxat est singulorum, post naturam mox esse videtur imaginationi propinquam, circa singula solum,& præcipuè se versanti. Omnino verò cum generatio est prorsus circa materiam, si inuenturi simus virtutem proximè generantem, descendere cogimur infra virtutem quamlibet cognoscentem. Quælibet enim cognoscendi virtus formam & actionem qua cognoscit habet à materia separatam. Quemadmodum igitur quod in summo sui ipsius est lumen, & in medio splendor, in infimo sui sit calor, atque vt calor generat, non vt splendor, nec vt lumen: sic anima quę in suo quodam summo intellectualis existit, in medio verò discurrens, in infimo denique vitalis tantum atque viuifica, non vt intellectualis, nec vt discurrens, sed vt vitalis generat atque viuificat. Et si quæ facit, interea & cognoscit, non tamen quia cognoscit, sed quia ita se habet, & ita potest, & ita afficitur naturaliter, ideo sic & talia facit. Dixi equidem non quia cognoscat, cognitione inquam, aliqua præter essentiam: nam in ipso eius summo idem est intelligere quod & esse: ideoque essentiali hac vitalique intelligentia, per essentiales idealesque notiones naturaliter format, id est, seminales rationes efficit in natura: sicut natura per eas in materias formas effingit. Sicut ergo ex circulo qui iactu lapilli fit in aqua, mox alter circulus oritur, deincepsque similiter: sic ex orbe quodam idealis diuinæ mentis pendet fermè similis orbis in animæ mundanæ mentem: hinc verò mox in naturam, ex natura similiter in materiam. Vt igitur formulæ ab animæ intelligentia impressæ in naturam animæ genitalem essentiales sint efficacesque, & substantialia faciant, oportet, & formas tum in diuina mente, tum etiam in animæ mente ita essentiales existere, vt ibi ita sit idem intelligere quod & esse: atque etiam intelligere quod intelligendo formare naturam, sicut in natura idem est esse atque viuere, & quodammodo idem materiam viuificare quod viuere. Sed quæritur nunquid animalis intelligentia naturam formet rationali, vel imaginali quadam discursione, sicut artifex sæpè materiam? Nequaquam: nam & ars perfectissima non consultat vlterius, sed agit iam more naturæ qua iam assequitur, hactenus quoad potuit imitata.

Præterea, si qua cogitationis discursione naturam formare statuerit, iam formas efficiendas ad alias retulit vt exemplar firmumque spectaculum, in quod aciem vagabundæ rationis intendat, circa quod stabile discursio peragatur, ad quod comparare queat inuenta. Quæritur igitur vtrum spectacula quædam externa prospiciat, an firmas eiusmodi formas habeat intus. Non externa quidem atque corporea (hæc enim nondum existunt adhuc per naturam videlicet generanda, per naturam inquam, adhuc intellectu formandam) formas ergò possidet intus. Quod verò intrinsecus & naturaliter possidetur, non est peruagatione quærendum. Si ergo natura absque vllo consilij ministerio materia continuè format, multo magis mens naturam sibi coniunctam format absque consilio atque vicissim. Conclude ipsam per momentaneos actus discursionem esse vbiq; aliquid præter essentiam & accidentale quiddam corruscationum instar: deinceps dum apparet per partes subito euanescens, itaque non posse per se firma & substantialia facere, sed ad effectionem eiusmodi opus esse firma & essentialia naturæ alterius efficacia. Sicut non sollicitudine, non labore, sed indefessa facultate, tum naturalia ab ipsa natura, tum naturæ semina ab intelligentia pullulabunt. Conclude rursum: sicut in cœlo natiua lex caliditasque stabilissima permanet, dum configurationes in dies circuitu commutantur: sic in vita mundi intelligentiam, & naturam in suis rationibus permanere, stabiliterque per eas efficere, etiam si quis illie vel vniuersalis vel particularis. Quum verò anima mundi secunda, id est, vita quædam per se irrationalis ab intellectuali mundi anima corpori mundano tributa, sit vltimum vestigium diuinorum, similiterque semina velut vltima quædam vestigia possideat idearum, nimirum & mundus ex hac vita corporeque compositus, longè à diuinitate degenerat: & sæpè tum semina sua impediri videntur in opere, tum animal eiusmodi ad superiora collatum videbitur imperfectum. Quamuis enim perpetua quadam intellectualis animæ suæ præsentia mundanum hoc animal mansuetum atque beatum dici possit, tamen quoniam aliud & posterius est hoc animal quàm intellectualis anima, cogitare licet animam ipsam ab animali seiunctam, quod Plato in Politico, in Timæo, in Legibus cogitauit. Dic agè, quale mox futurum sit vastum hoc animal atque robustissimum sublatis intelligentiæ frænis? Ferrum quidem & si nunc ignitum, aërem quoque & si nunc luminosum, tamen appellare possumus natura frigidum & obscurum: Nam & ferrum paulo post frigiditatem suam, & aër obscuritatem mox manifestè declarat. Tali quadam conditione Plotinus mundanum hoc animal quasi ferox videtur effingere. Finge & tu sapientem si placet virum corpore nimium colerico vel melancolico, introspice corporis habitudinem, inspicies animal hoc sub animo sapiente quasi frænis cohibitum quietem agere, mansuetumque videri, sed interim paratissimum ad excandescentiam atque mœrorem: ac si sanguineum fuerit, ad libidinem: quam quidem affectionem & si vigilando vix, facilius tamen in somniis indicat: tale fermè animal finge mundanum, ex igne tanquam bile propensum ad iracundiam atque superbiam, ex terra velut atrabile pronius ad mœrorem, ex aere quasi sanguine ad lasciuiam & libidinem, ex aqua tanquam piruita procliuius ad torporem, ex materia prima, quæ quasi fex quædam est naturalibus subsidens, tibi occurrit amatum pariter atque acre. Fex enim ob siccitatem frigiditatemque & amara & acida cogitatur. Videbitur ergo hoc animal tum ex viribus grandioribus ferocissimum, tum ex materia inops, & pusillanime nimis, & inuidum, & de vtilitate ac mutabilitate propria querulum. Denique mirari iam desinet ex animali sic affecto in quo non omnia sint ad votum, multa etiam accidere aliis præter votum.

Vnde mala: vnde omnia: tres sub bono totius artifices: mundi quatuor.

CAPVT XVIII.

IN vltimo libri capite, primò quidem breuiter prosequitur malorum causam ex præcedentibus orientem: deinde causas vniuersi comprehendit. Causa verò malorum, altera consequen-

tiæ ratione, altera ratione finis consideratur. Nam sicut ad bonum maius consequitur minus bonum, sursumque ad minus longo ordine minimum: sic & ad minimum mala contingunt. Præterea, cut in concentu musico quarta vox, imò & secunda & septima quæ seorsum non consonarent, vnà cum consonantibus gratiorem conficiunt consonantiam: sic in ordine rerum minora bona cum maioribus, minima cum minoribus, mala cum minimis bonum totius commune reddunt admirabilibus. Quid verò? Quòd quæ in hoc aut ad hoc mala videntur, eadem in illo, aut ad illud esse bona reperias: cuncta denique ad commune conducunt vniuersi bonum. Post hæc tres mundi ponit artifices. Primum quidem intellectum diuinum: secundum verò intellectum animalem animamque intellectualem: tertium animæ huius imaginem, id est, vitam inde corpori dedicatam. Qua in re, teste Proculo, Porphyrius cum Plotino consentit. Sed cur ipsum bonum non vocat artificem? Quoniam in artifice operum exemplaria sunt. At in ipso bono cùm sit vnitas simplicissima, exemplar mundi quod est multiplex, collocare non audet, sed ipsum bonum Plato Plotinusque nominant, tum artificis mundani partem, tum mundani operis finem: quasi filius amore paterni boni prægnans, mundum procreet gratia boni, & conformet ad bonum. Ipsum itaque bonum intellectualem generat mundum: hic verò procreat animalem: hic similiter naturalem, naturalis verò corporeum. Alius autem sic fermè ex alio profluit, sicut in aqua circulus dependet à circulo, & sicut ex luce lumen, ex lumine splendor, ex splendore calor, ex calore generatio prouenit. Intellectus quidem in intellectuali anima procreanda nullo modo discedit à patre: imò per coniunctionem ad patrem potestatem habet creationis & actum. Similiter intellectualis anima, quatenus incumbit intellectui summo, abundat inde, & exundat in alteram. Altera rursum, id est, vita corporea, quatenus dependet ex anima, cuius est imago, impletur seminibus, simulque formis implet huius mundi materiam. Ipsum quidem bonum excedit statum: status enim in bono fit atque gratia boni: intellectus autem ipse status existit: intellectualis anima primum stabile iudicatur. Vita verò huius imago stabilis quidem est, quantum existit inde, mobilis verò per accidens, quatenus corpori propriè mobili copulatur. Appellat verò Plotinus vitam eiusmodi mundum propriè seminarium: quem veteres appellarunt imaginem, quæ semper in assimilatione versetur. Hæc enim non tam anima, quàm animæ imago vocatur. Quantum enim accedit ad materiam alienam ab intellectuali fonte: tantum ab anima intellectuali degenerat. Semina quoque in ea non tam rationes sunt, quàm imagines rationum: Si enim ratio propriè secundum formam in anima intellectuali consistit, meritò in vita inferiori tantùm est rationis imago. Quis enim veram nominet rationem, quæ sui ipsius ignara nullam sui habeat rationem? Hæc itaque vita imago quædam est, imaginum solummodo plena: imago hæc semper est assequuta similitudinem exemplaris ac semper assequitur. Rursum & semper est ficta, & perpetuo fingitur, qua videlicet ratione actus ipsi seminum aliter temporibus aliis vigere videntur: semper tamen congruunt exemplari: qua rursus quasi vnà cum mundi corpore vita voluitur: qua denique simul cum reuolutione cœlesti aliter aliterque, & mens afficitur imaginaturque, & extra aliis quodammodò semper figuris induitur. Fortè etiam Plotinus his verbis sententiam Heracliti tangit atque Timæi dicentium, mundum hunc oculis manifestum esse, esse quidem nunquam, sed perpetuò fieri. Omnino verò sicut sub sigillo figuratur aqua, neque figura restat remoto sigillo: Ideoque figura non tam semel facta videtur quàm fieri semper, præsertim si iugiter subterfluat aqua, sic fermè se habet & materia ad naturam, & natura rursus ad animam intellectu fœcundam. Eatenus autem mundum hunc fieri Plotinus vult, vel esse, quatenus & imago animæ fluit ab anima: & anima prodit ex mente, ac mens generatur ex bono, & bonum denique quamdiu hoc ipsum est quod bonum: intellectus deinceps quamdiu ad ipsum quod intellectus existit. Quibus ita manentibus, sequentia naturaliter inde semper aut maneant aut profluant, quemadmodum & lumen ex sole, & deinceps ex lumine lumen. Nos autem circa hæc pro religione dicere possumus. Si in diuinis consideremus æternitatem, sic mundi processionem inde æternam in re videri: si aut voluntatem, eo termino procedere mundum, quo decreuit diuina voluntas: cuius arbitrio, sicut est in mundo terminus virtutis atque magnitudinis, sic exordium & extremum.

(.·.) (.·.) (.·.)

IN LIBRVM
DE MATERIA
COMMENTARIVS.

SVMMA LIBRI.



Voniam Plotinus, neque formosius, neque clarius, neque distinctius vsquam loquitur, quàm vbi de informi, & obscuro, & instructo rerum subiecto disputat: idcirco liber hic de Materia disputans, non tam Commentaria exacturus videtur à nobis, quàm admonitionibus quibusdam fore contentus. Probabit igitur in vtroque mundo, tam intellectuali, quàm corporeo suam quandam esse materiam, & vtrobique sub omnibus vnam: atque hanc tantum ab illa distare, quantum forma differt hic mundus ab illo. Confutabit opiniones de materia falsas, confirmabit diligentissime veras: concludet materiam quidem vtrobique esse infinitatem quandam, id est, naturam siue potentiam nullum formæ terminum suis visceribus includentem; sed aliunde duntaxat terminabilem, aliunde formabilem: materiam rursus in mundo diuino esse ens quidem, sed actu intellectuali formabile. Materiam verò in mundo sensibili non re vera ens iudicari, sed entis illius vmbram, formis naturalibus tanquam illius entis imaginibus capiendis perpetuò subditam.

Diuersæ opiniones Philosophorum de Materia, & quod Materia quædam sit etiam in rebus incorporeis.

CAPVT I.

IN primo capite descriptionem materiæ ponit valdè communem, per relationem scilicet ad formas, qua omnes materiam esse formarum susceptaculum consenserunt, sed aliter alij quæ sequuntur expediebunt Stoici, Cynici, Cirenaici, supra corpus nihil excogitantes, materiam duntaxat, esse substantiam voluerunt: formas verò nihil aliud esse, præter quasdam materiæ passiones, ipsamque materiam esse corpus trina dimensione porrectum: quos inprimis Theologiæ libris latissimè confutamus. Pythagorici verò & Platonici, atque Peripatetici supra corpus aliquid cogitantes materiam quoque cogitare potuerunt esse non corpus: ideoque in rebus etiam incorporeis, materiam quandam intellexerunt. Sicut enim formale aliquid ponunt in corporibus atque diuinum, sic quodammodo concedunt materiale aliquid in diuinis, vt aptius accommodentur hæc illis, & ab eorum ordine existat hic ordo. Excogitamus enim naturam corpoream ab animali natura, animalem ab intellectuali deductâ, & simili quadam proportione compositam: compositionem verò in corporibus perfectissimam esse compertum habemus, quæ ex materia formaque conficitur. In hac enim sola est vnio maxima: siquidem & materia est aliquid formæ, & forma vicissim est aliquid materiæ: imò & materia quasi forma est in potentia, & forma quasi materia est in actu. Itaque similis hic vnio est atque in Diapason consonantia ex dupla proportione nascente, vbi vox acuta cum graui quasi forma cum materia coit in vnum. Siqua igitur in animali & intellectuali natura compositio est, quæ certè est, cum post vnum ipsum existant, certè compositio est eiusmodi, in qua sit & forma, & insuper aliquid quasi materia. Qua quidem de re in decimo septimo Theologiæ libro, & in commentariis in Philebum latius disputamus.

Quod non sint principia plura æquè prima, & quod materia sit à Deo.

CAPVT II.

IN secundo capite quærit vtrum vlla sit materia in intellectuali natura: & quinque rationes adducit, quibus ibi non esse materia videatur; quas in sequentibus confutabit. Tu verò inter hæc notabis esse non posse principia prima omnium æquè summa: id nos quantum communiter ad principia pertinet satis in Theologia monstramus. Quantum verò ad Deum pertinet & materiam, quod æquè principia esse non possint, hic attende. Atticus eiusque sectatores, & quodammodo etiam Plutarchus, materiam posuerunt non aliter ex seipsa ab æterno fuisse, atque artificem mundi Deum, & illam quidem viuam, sed vacuam ratione, ideoque per se inordinatè iactatam: demum verò rationem diuinitus accepisse; vnde formari, mouerique cœpit ratione, mundumque sic fuisse aliquando constitutum; qui & antea fuerit ante quàm redigeretur in chaos, ac vicissim in chaos sit aliquando rediturus, à Deo quondam reformatus, & à Deo iterum reformandus. Hi sanè in hanc sententiam inciderunt, quia verba Platonis in Timæo atque Politico, non aliter quàm auribus sonant accepisse videntur. Hos abundè Porphyrius confutat in Timæo, sed è multis quæ adducit in medium tria duntaxat argu-

menta in præsentia referenda sunt, quibus confutatur materiam instar Dei ex se prorsus existere: quasi duo hæc æqua omnium principia sint, velut è regione sibi inuicem occurrentia. Sic igitur ait: Si neque Deus ex materia, neque mater existit ex Deo, sed ambo æquè principia sunt: quærimus quænam his differentiæ causa sit qua ita differunt, vt Deus quidem sit bonus & agens, materia verò mala sit atque patiens. Causa quidem differentiæ huius, neque ex alterutro est ad alterum, cùm neutrum fieri dicatur ab altero: neque rursum ex tertio quopiam ad vtrumque: quippe cum nihil superius collocetur. Cum igitur differant quidem inter se omnino, nec vlla sit ratio & causa differentiæ, casu differunt: concursusque principiorum talium irrationali sorte contingit. Casu certè accidit esse duo, casu accidit esse principia. Horum namq; concursus ad hoc ipsum quod æquè principia sint, causam non habet, vel ex alterutro ad alterum, vel ex tertio quodam determinatam, ergo casu concurrunt: itaque post hæc concurrent omnia casu. Præterea, si Deus aptus est ad materiam exornandam, materia verò apta vt exornetur à Deo: quærimus vndenam eis hæc mutua sit aptitudo? Oportet enim esse aliquid quod inter se ritè conciliet: nam cum hæc valdè inter se discrepantia & opposita sint, nunquam ex seipsis ad congressum apta reddentur. Non à tertio quidem dices conciliari: ne ego fortunam admitto conciliatricem. Denique cum materia non sit ex seipsa ad bene esse sufficiens, sed ad hoc Deo prorsus indigeat, Deus autem & ad esse & ad bene esse sibi ipsi sufficiat: quis non videat Deum superiorem esse materia, ipsamque materiam sibimet adesse nullo modo suppetere? Alioquin ad bene esse sibi quoque suppeterer. Igitur ab eodem effici Deo à quo perfici non negatur.

Quomodo Deus sit infinitus: & quomodo sit in rebus omnibus post Deum infinitudo quadam, quasi materia: & quomodo diuersa sit compositio in rebus incorporeis atque corporeis.

CAPVT III.

Rationes verò negantes in mundo incorporeo esse materiam, soluit in capite tertio. Ipsum bonum sæpè dicitur infinitum: quia neque ex partibus constituitur, quarum alia terminetur in aliam, neque desuper superatur, neque subiecti alicuius limitibus coercetur, neque terminum potestatis admittit: vnde neque patitur perseuerantiæ terminum. Dicitur & infinita materia, non quidem velut superans terminos sicut Deus, sed tanquam terminis indigens, eosque ab alio postulans. Rursum bonum ipsum dici solet informe, quia forma superius, informis quoque materia, quia forma deterior, neque tamen omnino nihilum: siquidem ordo formarum sicut supernè non in nihilum desinit, sed in actum omnino purum effectoremque formarum: sicut ex infimo desinit proximè non in nihilum sed in potentiam similiter puram capacemque formarum. Potentiam eiusmodi subesse cogitamus non in mundo corporeo tantum formis corporum, sed in mundo etiam incorporeo formis ibi subditam incorporeis. Hanc ibi per se appellamus indefinitā: neque ibi id nomen horremus, cum & obedientissima sit formatori, & semper ex toto formata. Sic affectionem irrationalis animæ laudare solemus, quando rationali se præbet ritè formandam. Laudamus & rationalem, quando similiter menti reformatur. Compositio quoque aliter ibi atque apud nos esse censetur. Hic forma sæpius materialis efficitur, ibi verò contra semper materia fit formalis. Præterea compositionem illam ibi merito damnaremus, in qua ex partibus forma quædam post partes exoriretur: sicut plurimum in corporibus fieri consueuit. Quod autem ibi sint quæ non tam faciant vnum quàm sequantur vnum, damnare non decet. Materia quidem illic & forma non tertiam rem efficiunt, neque forma sic propriè ad materiam comparatur, sicut habitus ad potentiam, vel qualitas ad subiectum, sed sicut actus ad habitum, & actio rursus ad qualitatem. Ideæ illic non constituunt mente quasi partes, sed actus quidam mentis existunt, in quos ipsa mens prodiit ab æterno. Illic ergo forma non tam accedit materiæ, quàm ipsamet materia est in actum æternè procedens. Proinde totius forma viuentis est vna, in qua plures formæ partium continentur: sic & virtus seminalis est vna totius, sed in ea virtutes sunt plures membrorum multiplicium formatrices. Interea verò aliter corpus, aliter seminaria virtus composita est: nam in corpore ex particularibus formis fit forma communis: in virtute verò genitali forma totius in formas partium propagatur. Hic ergo non tam fit vnum ex multis, quàm multa propagantur ex vno, alioquin in corpore multa nunquam rationaliter perducerentur ad vnum, nisi in ratione seminali vnum multa præcederet similiterque mente. Qualem sanè compositionem neque in anima, neque in mente reprobare debemus. Tu hic interim vbi Plotinus de compositione eiusmodi loquitur, sensum eius specta, non verba. Innuit super vim genitalem esse mentem, eamque similiter fermè compositam: Cum enim vis eiusmodi non tam in seipsa concipiat, quàm in materia pariat, neque tam in se sit & agat, quàm in materia & circa materiam, patet, eam circa aliam pendentem, nimirum ab alio quodam superiore, id est, intellectu pendere, atque inde non solum existere semel more substantiæ, sed more imaginis assiduè conseruari, multiplicemque formarum rationem ac vim à multiplici illius intelligentia, quamuis quodammodo mobilem ab immobili mutari. Concludit denique, quòd locum materiæ tenet in mundo diuino, nunquam formas idcirco mutare, quoniam simul habet omnes: simul inquam, tum in eodem æui momento, tum in eodem (vt ita dixerim) sui signo, quo factum est, vt tota vbique sit omnium possessione quieta. Preterea cum ipsa materia propter extremam inopiam & inexplebilem appetitum apud nos dicatur mutabilitatis origo, merito hic talis est, vbi formæ materiales euadunt, ibi verò non talis, vbi materia penitus est formalis. Neque verò ex eo quòd simul tempore materia illic est & forma, minus ob hoc ibi ordo est (vt ita loquar) originis, quo materia formam antecedere cogitetur. Ordo enim nil aliud est, quàm tempus, & tempore prius: nam tempus ordinem in motu à priore in posterius exigit. Potest igitur in supernis esse ordo quidam originalis huius ad illud velut materiæ cuiusdam ad formam: sicut in sole ordo substantiæ ad lucem intimam nullo interueniente temporis interuallo. Neque rursum quia materia apud nos corporea videatur, horrere debes apud superos mate-

riæ nomen: nam & in corporibus cum & formas corporum & dimensiones procedat origine, neque corpus ipsa est, neque re vera corporea iudicatur.

In mundo intelligibili esse aliquid materiæ simile, & ideis.

CAPVT IIII.

IN capite quarto probat in mundo intellectuali esse nonnihil materiæ quodammodo simile. Ratum quidem haberi vult illic ideas existere, quod in Theologia nos abundè probamus. Profecto ex eo quod plures in mente sunt species, constat mentis essentiam quæ vnius mentis est vna, aliud quiddam præter ideas existere, ideoque idealibus formis subesse quasi materiam. Esse verò differentes inter se rationes ibi formales patet, quia inde, id est, ex prima forma formarum origine, formalis in ordine rerum distinctio prouenit, non autem ex informi materia: non rursum casu ordinis omnis ex parte: non denique ex diuersis agentibus, nisi vno quodam ducti duce diriguntur ad vnum. In ipso autem duce tanquam vniformi simul & omniformi mente rerum omnium ad necessarium vniuersi ordinem pertinentium & destinata vnio est, & descripta distinctio. Sed quonam pacto hoc autem alibi dictum est atque dicendum. Nunc animaduerte, Plotinum ideas menti non tanquam tabulę picturas ascribere, sed tanquam generi species adhibere, alioquin non tam vnio illic, quàm congregatio & aggregatio foret. Vna igitur ibi intellectualis natura est, quam intellectualitatem (vt ita dixerim) aliquis appellabit, in qua omnes species, id est, ideæ continentur tanquam generali natura. Differunt verò inter se per varios intellectualitatis, siue intelligentiæ modos, non tamen (vt ita loquar) notionales, sed etiam efficaces, seminariæ virtutis instar. Formales autem eiusmodi modi differentiæque velut formæ quædam particulares accedunt ad naturam ipsam intelligentiæ generalem ad species ideales concipiendas. Dialectica verò quæ genus (vt ita dicam) illud in species digerit, non externa, sed intima est: non quæ ficta, sed naturalis. Ibi enim quod distribuitur, vitalis essentia est quasi animal. In quod distribuitur, sunt ideæ velut animalia quædam. Quod verò distribuitur, est ipsa intelligentiæ virtus roborata bono, quasi virtus concipiendi viro. Quòd si proprietates ibi variæ, quia distinguunt, in actumque edunt absolutissimum, quasi formæ sunt, certè natura ipsa communis ad has sicut materia sese habet. Sic itaque mundus corporeus superioris imago est, incorporeum mundum referens velut exemplar: si multiformis referatur ad multiformem, si materia hæc referatur ad illam. Sed in hoc partes quidem sunt in toto, non totum partibus inest. Hic autem tota intellectualis illa natura in qualibet continetur idea, sed aliter atque aliter, vt alibi declarabitur. Tum verò si mundum illum seces in partes postea inter se disiunctas, eandem habebit materiam quam & noster. Sectio enim est huius nostræ materiæ passio. Sed nota materiam propriè quandam admittere sectionem: neque materiam, si expers sit quantitatis, admittere: neque quantitate m rursus id passuram, si à materia procul fuerit pariente primo. Sic ergo materia quanta secatur potius, quàm quantitas vel materia sola. Sin autem quodlibet eorum quę illic concipiuntur, vt multa intra seipsum reliqua complectatur, adeo vt totum ipsum nusquam videatur perfectionem fuisse disiunctum, materiam quidem hanc nostram illic esse negabis: sed aliquid interim inuenies illic quasi materiam, cum multa primo intuitu contemplatus, mox sub multis inueneris vnum. Offert quidem primò se tibi vt multiplex atque multiforme. Prius enim in notitiam formale venit vt mouens, quamuis ibidem origine quadam ipsum materiale sit prius. Quo rursus materiali prius est ipse boni ipsius actus, quo hoc materiale fit actu. Iam verò cum esse simpliciter antecedat esse hoc & esse tale, meriro prius & ibi consideratur esse, quàm esse multiplex atque formale.

Confirmatio superiorum de virtute mentis penetratiua & resolutiua: quæ similitudo sit materiæ inferioris ad superiorem, & quæ dissimilitudo, & quomodo constituatur ex alteritate & motu.

CAPVT V.

IN quinto capite soluit quæ dictis obiici possent, simulque dicta confirmat: admonens ne ob hoc neges in supernis aliquam esse materiam, quòd essentia illic suas semper habeat formas, simulque sit vnum, quando & apud nos materia semper & formata est, & cum forma conficit vnum. Neque mirum est ibi latere materiam, si & hic semper materia latet. Hanc ibi intellectus excogitat, hanc & hic resoluendo inuenit intellectus. Profectò intelligentiæ virtus vtpote quæ efficacissima est, ignis instar naturaliter omnia penetrat & resoluit: & quia similiter simplicissima, quiescit nunquam, donec ad simplicissimā resoluendo peruenerit. Hæc in naturalibus resoluendis quod sub rationibus rerum formalibus tanquam minimè ens latere conectat, dicit esse materiam quasi profundum: rationem verò formalem esse dicit sublimitatem: quæ autem circumstant, quasi inter sublime collocat & profundum. Siquando verò rationes rerum formales omnino segregatas à materia videris, & tamen efficaciam suam ad materiam conuertentes, has ipsas in natura videbis ipsamque naturam. Si præterea formales eiusmodi rationes non solum segregatas, sed suam ad se efficaciam conuertentes excogitaueris, mentem protinus contemplabere. Mens enim diuina est vniuersi ratio exemplaris, & efficax per conuersionem ad se cognoscens omnia simul & faciens. Tum verò mens quęlibet inde rationum est plena formalium, aspicitque formas in rebus formalesque rationes, velut quosdam diuinæ intelligentiæ radios, suis quoque rationibus congruentes. Sicut igitur oculus sole creatus atque solaris, in solari lumine solares vbique spectat colores, quodue sub eis latet appellare admonet tenebrosum: sic intellectus quilibet diuina mente creatus, atque inde imbutus luminibus idearum ideales similitudines in rationibus rerum formalibus semper aucupatur, & libenter agnoscit, atque sub formis velut quibusdam intelligentiæ diuinæ luminibus vaticinatur, latere materiam velut in rebus infimum, & quia per se formarum tanquam idealium radiorum expers, ideo tenebrosum. Materiam verò corporum cum illa incorporei mundi materia non genere quidem conuenire memento, sed ha-

bitudine quadam. Similiter enim vtraque, tum ad formas suas, tum ad ipsum vnum se habere videtur. Vtraque fermè similiter per formas suas definitur in actum, vtraque quasi similiter refertur ad vnum: siquidem eodem inde modo dependet, scilicet per merum processionis modum è vestigio supernihilnm, per modum indeterminati determinabilisque cuiusdam commutant rursus inter se nonnihil materia hæc & illa. Sicut enim hæc dona quædam incorporeæ naturæ sortitur, sic & illa vicissim tum in mente habet ideales corporum rationes, tum in anima, præter rationes eiusmodi subit & motiones, & affectus quosdam, ad materiam hanc velut passiones. Quæ rursus & hic & ibi formarum locum tenent, similiter fermè & materias suas spectant & vnum. Nam ab vno conuersionis & aspectus & termini modo dependent, & materias vtrobique suas terminare videntur. Differunt verò formæ mundi huius ab illis, quoniam hæ quidem ab anima proximæ fiunt, illæ ab intellectu, vel Deo. Differt & materia hæc ab illa, quoniam hæc quidem profundum est imaginum, illa verò formarum est profundum, quarum hæ videntur imagines. Sicut igitur forma illic vera est, sic & materia est essentia. Sicut hic forma est imago formæ, sic & materia hæc essentiæ est imago. Atque tantùm abest quòd materiam hanc appellet entiam, vt illam quoque vix audeat essentiam appellare, videlicet si ad sequentem perfectionem essentiæ comparetur. Post hæc obseruabis, mundum intelligibilem esse quidem semper, sed existere semper ex bono, fermè sicut lux illa coniuncta soli, immobiliter est ex sole: mundum verò sensibilem non tam esse, vel existere, quàm fieri semper ex illo, sicut ex sole mobile, vt aiunt in aëre lumen, quæ autem sunt infrà lunam, aliquando fieri. Ille itaque mundus totam implet æternitatem, hic totum tempus: quæ verò subiiciuntur lunæ, partem temporis explent. Considerамus in mundo intelligibili essentiam, vt formabilem seipsam præcedere vt formatam, ordine quodam dico non tempore, formam verò eius esse plenitudinem, ac seriem idearum: consideramus & illius mundi patrem, tanquam vnum, & tanquam bonum. Ab vnitate, eminentissimam simplicitatem: in bonitate, fœcunditatem prorsus communicabilem. Ab vnitate mirabiliter ab omnibus segregata cogitamus pendere, quod in mundo intelligibili est loco materiæ solitarium indefinirumque adhuc, & à formis sequentibus segregatum, à bonitate verò quod est formale, iam atque exuberanti illius communicatione fœcundum. Penes mundi illius patrem, vnitatem & bonitatem sola relatione distinguimus, sed in mundo illius filio, essentiam formabilem ab ideali forma, formasque inter se ideales distinguimus ratione formali. In mundo autem sensibili ad formalem distinctionem desuper venientem accedit materialis, & localis, temporalisque distinctio. Materia in hoc illius materiam sequitur, forma formam. Sed ad illam rursus materiam redeamus.

Postquam posuimus ipsum vnum, cogitare solemus nonnihil inde pendere, quod non sit ipsum. Hoc ergo & quia pendet inde, non est ipsum, & quia non est ipsum vnum, vicissim pendet ex vno. Pendere quidem inde, motio quædam esse videtur, non esse verò ipsum, esse videtur alteritas atque diuersitas. Duo igitur hæc se inuicem consequuntur, quamuis ratio non sit eadem vtriusque. Non enim vbique quicquid non est aliquid, statim pendet ex illo. Tum verò materia rationem quidem formalem, vel idealem nullam habet, sed duntaxat materialem. Ratio verò hæc, hoc ipsum præcipuè cogitatur, scilicet pendere inde, nec illud esse, atque è conuerso. Hanc ob causam Pythagorici materiam binarium nominabant. Sicut enim binarius est primus à numerali vnitate processus, sic superioris mundi materia prima est à diuina vnitate processio. Constat etiam quodammodo geminis elementis qualiacunque sint, scilicet dependentia, negationeque simul tanquam motione alteritateque prima: quicquid autem his adiunxeris iam est formale, idque materia reportare videtur per appetitum illuc vnde processerat conuertentem: qui sanè appetitus ternarium iam implere videtur. Quamuis autem materia per se careat efficacia formę, nõ tamen cõuersione careat, si modo conuersio ipsa sit appetitio quippe cũ appetitio, egestatem sequatur materiæ propriam. Quod verò per appetitum hunc acquiritur, implet iam quaternarium, qui propriè spectat ad formam. Post hunc quinarius sequitur ad actionem præcipuè pertinens: Senarius ad finem intimum actionis: Septenarius ad externum finem actione superiorem. His certè numeris consumatur superior mundus, & in agente quiescit: eisdem absoluitur & inferior, & agit in superiore quietem.

Sed ne fortè dicta te turbent, memento vbi iam est ens aliquod actu, considerari formalem eius, idealemque rationem qua est hoc ipsum quod esse censetur, priusquam prout fit ab alio, vel non sit aliud. Ipsa verò materia, quia ratione formali idealique caret, cogitari prius tanquam aliunde pendens, & tanquam non illud vnde pendet, quàm sub ratione quapiam absoluta. Nam & hæc ipsius ratio est, ipsa, videlicet dependentia ipsaque negatio, ideoque omnium vilissimum æstimatur. Quod igitur Plotinus ait, materiam motione alteritateque conflari, quemadmodum diximus, intelligere potes. Potes & aliter intelligere: nempè, ex eo quod in re quapiam motus est, cognoscitur conditionem eius nondum determinatam perfectamque existere, alioquin nihil vltra requireret. Conditio verò indeterminata & imperfecta propriè pertinet ad materiam: quinetiam ex eo quod in re aliqua est alteritas & diuersitas, si modo illic sit vnio vera, est aliud quidem loco actus & formæ, aliud verò loco potentiæ atque materiæ, imò & esse alterum quàm illud, est non esse illud. Hoc ipsum verò quod dicitur non esse illud, tanquam ad negatiuam indeterminatamque conditionem vergens, pertinet ad materiam.

Probatur in corporibus esse materiam.

CAPVT VI.

CApur sextum argumentis quatuor ostendit in corporibus esse materiam. Primum ex commutatione elementorum mutua, quæ nec ex nihilo facit aliquid, neque quicquam deducit in nihilum, ideoque necesse est vtrinque materiam formarum mutationi subesse. Secundum ex quadam dissolutione compositi. Tertium ex resolutione ad extremum vsque redacta. Quartum idem ex elementorum natura confirmat. Profecto cum ex aqua fit aër, formæ quædam ibi mutantur: neque totum quicquid erat in aqua perit, ne aliquid deducatur in nihilum, cum naturæ intentio non sit ad malum, neue alioquin cogatur aër ex nihilo fieri. Cũ enim non quodlibet fiat ex quolibet, multo minus aliquid naturaliter fit ex nihilo. Restat igitur aquæ aliquid, quod aquę formam exuens, vicissim aëris induat formam, sitque continuæ motioni subiectum, quam neque quod abit, neque quod accedit, sustinere potest, & tamen mutatio tanquam accidens debilissimum indiget fundamento. Verum ne neges naturalibus formis subesse materiam, memento formam cum sit principium actionis, actum quendam merito iudicari: actum verò qua ratione actus, cum propriè agat, pati non posse. Cum igitur naturalia inuicem patiantur, constat præter formas quibus agunt materiam, id est, essentialem potentiam qua patiantur habere, & hanc subesse omnibus vnam, vt facilius compatiantur inuicem, atque commutentur.

Sed hęc quidem nos simili quadam via in Theologiæ quinto probamus, & noua hic ratione sic iterum confirmamus. Corpus sicut apud Mathematicos in terminos quasi externos definit, scilicet in superficies duas, alteram profunditatis, alteram altitudinis, quæ neque corpora sunt, & aliud certè sunt quam nihilum: sic apud Physicos in terminos finitur inter nos, qui neque corpora sunt, neque etiam nihilum, scilicet, ex alto in formam, ex infimo in materiam. Decet enim entium ordinem in descensu antequam desinere cogitetur ad nihilum, quod extremum videtur externum, finiri in terminum quendam sibi coniunctum. Id autem est non actus aliquis entium: nam infra quemlibet actum subest quod fieri, & quod pati possit ab actu. Est igitur extremum hoc potentia capax actuum atque patiens. Potentia verò ad entia, vel ad eorum actus non quidem omnino nihilum, sed entium potius infimum iudicatur. Infimum hoc velut indefinitum, terminosque ab alio expetens, refert mundi superioris infinitatem atque materiam. Infinitatem etiam in quolibet intellectu, infinitatem rursus in anima mundi, & in ipsa natura: quam teste Iamblicho, materialem vbique infinitatem Ægyptij sapientes ipsam (vt eius verbis vtar) essentialitatem nominant, per quam ipsum vnum materiam producit in corpore, atque vt concedit & Proclus ad hoc ipsum etiam agente natura, quod & alibi declarauimus. Denique cum ad ideales rationes referri per se non possint nisi formalia, ideoque materiæ non sit idea, constat eam mundano operi necessariam ab aliquo saltem super ideas, & opificem idealem principio originem primam ducere, ab ipsa scilicet essentia eiusdem opificis, quatenus ordine quodam ideas & proprietatem opificam antecedit, ac tandem ab ipso super essentiam vno, quatenus simplicissimum est, & mirabiliter ab omnibus segregatum. Sed & hoc ipsum vnum non modo per essentiam adhuc formabilem in opifice, sed etiam per formabilem essentiam in mundi anima, & natura per continuatam setiem producere materiam iudicatur: materiam inquam, velut vnum inferius non solùm illis quæ sunt, sed his etiam quæ gignuntur, sicut & ipsum vnum est vtrisque superius. Sic in Parmenide quæcunque de ipso simpliciter vno propter excellentiam eius ritè negantur, de vno interim quod est in his quæ verè sunt, per formalem affirmantur proprietatem, & interea de vno quod est in his quæ gignuntur partim secundum formam, partim secundum participationem affirmari videntur. Sed eadem rursus de materiali vno omnium infimo, tanquam per oppositum respondenti primo, ob defectum negantur extremum: adeo vt nihil reperiri queat (vt ita dicam) primo similius vni, quàm postremum hoc vnum: si modo per dissimilitudinem cogitetur assimilatio, & per negationem comparatio fiat, infinitusque defectus ad infinitum referatur excessum.

Opiniones falsæ de materia confutantur.

CAPVT VII.

OPiniones quatuor de materia falsas in septimo capite reprobat. Primò quidem Empedoclis, materiam & compositionis primam, & resolutionis vltimam putantis quatuor elementa. Quod ideo falsum est, quoniam elementum dissoluitur, materia verò nequaquam: quod satis in Theologiæ quinto probamus. Secunda verò quæ Anaxagoræ solet adscribi. Ferunt enim nonnulli (si credere fas est) Anaxagoram posuisse duo principia rerum, intellectum scilicet, & materiam, quæ neque ab intellectu fit, neque ab eo nouas accipiat formas, sed ipsa in se cunctas habeat, sed confusas: discernantur autem per intellectum: verum in mixtura eiusmodi formæ omnes imperfectæ sunt, & inuicem impeditæ. Est & imperfecta materia, quæ sua expedire non valet. Cum igitur essentia hæc imperfecta sit, ideoque nec per se, sed per participationem quandam habeat esse, sequitur super hanc essentiam esse perfectam, neque simili conditione confusam, ne rursum superiori quodam indigere cogatur. Iam verò hæc intellectualis opificis essentia est superior, quàm materia, vt dominari materiæ possit, ac dominando perfectè formare. Multo verò impetiosius, & facilius & exactius mouebit materiam, artificiosiusque formabit, si formas ipse in se præscriptas habeat, & imprimat in materiam per se prorsus informem, ideoque ad omnia mira facilitate cedentem, quàm informis ipse casu materiam tractet, & in discernendis confusis quasi quadam sorte laboret.

Confutat post hæc Anaximenis, vel Anaximandri (vt fertur) opinionem, esse dicentis materiam infinitum. Si infinitum hoc appellant quod nequeat pertransiri: aut hoc primò & per se, & in se infinitum erit, id est, ipsa formalis infinitudo: aut quasi accidens erit in illo. Non primo vtique modo, quod enim sit infinitum, ex toto est sigillatim pariter infinitum: atque ita in corpore non esset totum parte maius, neque pars à parte differens, vel à to-

to. Non etiam ſecundo modo: ſic enim illud cui accidit infinitum, per ſe ante hunc acceſſum non foret immenſum: itaque non capere infinitum. Et quicquid ſit, non eſt materia id quod accidit, quoniam eſt in alio. Non rurſus materia eſt illud cui id accidit, ſi non ſit infinitum ex opinione iam poſita, neque totum hoc compoſitum eſt prima materia, quia non ſimplex, ſed in prius aliquid reſolubile. Tum verò refellit Democritum ponentem pro materia rerum atomos, id eſt, corpuſcula quædam indiuidua prorſuſque diſiuncta. Sed neque corpus aliquod indiuiduum eſt, neque ex indiuiduorum numero magnitudo concreſcit: neque ex diſcretis viſcoque carentibus continuitas humorque corporum coaleſcit: neque ex vita carentibus vita creatur: neque ex caſu fit ordo perpetuus ad intelligentiam pertinens atque artem: neque ars, vel naturalis vel quęſita, ex materiis continuitatem naturaliter fugientibus aliquid vnquam conficere poteſt.

Materia non eſt quantitas, nec habet propriam quantitatem. Item quod ratio formalis trahit ſecum quantitatem certam, non è conuerſo.

CAPVT VIII.

DE hac ipſa materia quæ mundi vnius eſt vna, eſt & continua, id eſt, vbique per ſe tota, neque ſimilis atomis diſgregatis: eſt & formarum omnium expers, inquirit quid non ſit præcipuè: vt ſi quid modo ſit, ita demum quid ſit potiſſimum cognoſcatur. Principio non eſt corpus, ſi caret forma: ſi corpus, reſoluitur in materiam: ſi materia, prorſus eadem quaſi corpora penetrat, non habere hanc ſi modo prima materia eſt, neque materia quædam, ſed ſimpliciter proprias qualitates, & ego ſatis alibi, & Plotinus hic perſpicuè tractat. Denique quanto agens ipſum prius eſt, tanto ei ſubeſt & materia prior: ſicut naturæ quæ prior eſt arte, ſubiicitur materia prior. Artifici ergo diuino tanquam primo, ſubditur materia prima: ergo prorſus informis, ſicut ille eſt omniformis. Quoniam verò quantitas parum admodum formalis eſt, & materiæ inſtar inefficax, patienſque quamplurimum, ideoque difficilè diſcernitur à materia. Idcirco diligentius & hic & in ſequentibus perſcrutatur: vtrum materia vel ſit quantitas, vel propriam ſaltem habeat quantitatem. Non habere quidem propriam quantitatem patet: quoniam indifferenter ſe habet ad magnum atque paruum, & quia alioquin quanta foret. Cum verò aliud ſit quantitas, aliud verò quantum: ſitque quantum duplex aliquid, materia ſi quanta fuerit, compoſitum aliquid iudicabitur. Atque ita in prius aliquid reſoluetur. Itaque non erit materia prima: quam vt prima ſit materia, primumque formabile, primumque patiens, oportet ſic penitus formarum eſſe vacua, ſicuti neceſſe eſt authorem formarum primum eſſe plenum. Qui non ex formis omnino nullis facit in materia formas, ſed obſignatoris more, modoque ſigilli, quas ipſe formas habet, quodammodo exprimit: & imprimit in materiam. Cum formas dico, etiam intelligo quantitatem per quam velut formale quiddam ſic materia fit, diciturque quanta, ſicut & qualis per qualitatem. Sic igitur formarum author perfectè formabit (vt diximus) ſi materiæ penitus dominabitur. Ita dominabitur, ſi ipſe quidem formas habeat omnes, ſed materia nullas. Vt materia ita prorſus egena vehementius appetat, quod ne porrigitur, alciſcat auidius. Item vt ille omnium ſit artifex non quorundam: ſitque artifex communis & primus. Item ne illa aliquando propriam qualitatem, ſiquam habuerit, opponat artifici, qualitatem aliam præbituro. Neque, ſi habuerit propriam quantitatem ſiue figuram, reſiſtat artifici aliam impreſſuro: aut ſaltem cogat illum pro modo ſui potius quàm pro illius authoritate tribuere formas. Iam verò cum ille primò det quæ tribuit, tradatque materiæ vacuæ, merito nec vllum habet obſtaculum, neque qualitatem affert neceſſario pro qualitate præterita; neque rurſus pro quantitate, ſiquidem ipſemet primam tribuit quantitatem. Tu verò de communi rerum artifice, naturaque communi & formatione rerum prima, potiſſimum hæc dicta putato. Memento præterea, communis artificis voluntatem non caſu quodam concurrere cum certa materiæ magnitudine, atque viciſſim adeò, vt ita formæ modus quantitatis modum ſequi cogatur. Si enim caſu fit ille concurſus, fortuna erit ordinis fundamentum. Idque quod in rebus eſt per accidens; erit eo ipſo quod per ſe eſt prius atque ſuperius. Neque rurſus exiſtimes authorem primum in actione præcipua, ex quadam materiæ quantitate pendere, multoque minus ex certa figura, alioquin actiones multas impeditura. Sed ſcito, cum artifex ipſe antecedit ordine & poteſtate materiam, ſumma libertate materiæ dominari, & in formanda minimè laborare: ne tranſgreſſio vnquam contingat in opere. Ideoque pro natura, pro ratione, pro voluntate ſua potius, quàm pro quantitatis alicuius modo mouere primum, & formare materiam. Cum enim non per quantitatem, ſed per efficacem formam moueat atque faciat, merito actioni ſuæ primum in materia reſpondet eiuſmodi forma. Formamque ſubinde quantitas comitatur: Dum videlicet ad formalis actionis impetum, formęque efficacis ingreſſum, materia mouetur atque protenditur, extenditur inquam, eatenus propriè, quatenus tum agitat eam formæ penetrantis impetus: tum ratio idealis ipſa præſcribit: tum denique ratio formalis; vel ſeminaria exigit. Nec immerito ad certam ſpeciem, certa conſequitur quantitas, vel figura potius quàm è conuerſo. Duo enim hæc velut minus perfecta ex ſpecie tanquam perfectiori dependent; & tanquam non efficacia formæ ſeruiunt efficaci: ipſiuſque formæ ratione comprehenduntur, & fiunt. Neque diffidas quantitatem ſpecie contineri. Eſt enim quantitas forma quædam, ac tanquam aliquid formale minus in ſpecie, velut magis formali continetur, & velut illic implicata, mox in materiam explicatur. Hinc fit vt certæ viuentium ſpecies, certas habent magnitudines & figuras. Pertinere autem quantitatem ad formam, neque eſſe materiã ex eo patet, quòd quantitas vbi metitur & numerat, rationem habet determinantis. Materia verò pura determinabilis tantum eſſe cenſetur. Mitto, quantum adducantur paſſim formæ rerum, vel inter ſe differre, vel permutari, ſæpè pro modo mutationeque quantitatis atque figuræ. Quod ſanè nunquam adduceret materia pura. Taceo nunc effectus occultos, qui certis ex figuris & numeris in corpora ſæpè noſtra animoſue reſultant. Certè aute eſſe, quantum ponitur eſſe ſimpliciter,

nunquam enim aliquid esset quantum, nisi simpliciter esset. Est autem simpliciter, etiamsi non sit quantum. Quando igitur ipsum simpliciter ens quod antecedit esse quantum, primò cogitatur extendi. Tunc primum quantitas oritur ipsa, scilicet, entis extensio. Hæc ipsa entis portio quæ protenditur, materia est iam corporea facta: extensio verò quantitas. Extensio quidem subiecto indiget. Siquidem est accidens, & passio quędam formalem entis actum necessario sequens. Iam verò cum aliquid extendatur, neque tamen ipsa extendatur extensio: hoc ipsum quod protenditur materia est extensioni subiecta, extensione necessario prior. Nisi enim quodammodo sit, protendi non valet. Neque verò suspicari licet, quantitatis subiectum esse formam. Quælibet enim alia forma tanquam incomparabiliter efficacior quantitate non subit, imò subigit quantitatem. Denique quòd in mundo intelligibili copia virtutis est potestasque per omnia præsens & inferioris excessus: per quantitatem velut illins imaginem in sensibili mundo referatur. Quod autem illic virtutis copiæ velut materia subest, per materiam hanc referri videtur. Cum igitur non ad idem spectent quantitas atque materia, nimirum neque esse eadem iudicantur. Sed quis non videat, & numeros in rebus etiam à materia segregatis existere? & puncta lineasque imò & superficies neque materiam esse, neque necessariam habere materiam. Conclude quantitatem cum sit formale aliquid ex agente potius quàm ex materia dependere. Cumque sit inter formalia minimum, merito sic vbique tribui, vt forma præstantior exigit.

Confirmatio superiorum.

CAPVT IX.

Verum ne fortè mireris quantitatem nullam in ipsa ratione materiæ contineri: materiamque ex se non esse quantam. Memento, cum res præter quantitatem multæ sint, vt substantiæ & qualitates atque similia, merito rationem entis à ratione quantitatis esse diuersam & communiorem atque priorem: ideoque multa & esse & intelligi posse etiam si non existant, nec intelliguntur esse quanta. Sic nec anima quanta est quæ generat quantitatem, neque materia quanta quæ præcedit, corpora, neque quantitas ipsa quanta, ne abeatur in infinitum. Siquidem quantum quantitate fit quantum: sicut aliquid qualitate fit quale. Ex quo etiam confirmatur quantitatem aliquid esse formale. Sic ergo corpus viuens naturali colore fit coloratum, neque tamen color ipse est coloratus. Neque rursus seminaria ratio, quæ naturalem in animali colorem creat, est color, similiter neque quantitas & figura viuenti congruens, quanta vel figurata est, neque seminaria virtus quantitatis eiusmodi figuræque fabricatrix est quantitas aliqua, vel figura. Tum verò sicut accedens qualitas ad materiam nondum qualem reddit subito qualem, sic & quantitas accedens ad eam nondum quantam simpliciter reddit quantam. Neque tu cogitare debes materiam in primo quantitatis aduentu in amplius ex angustiori protendi. Angustia enim & amplitudo modi quidam sunt existentis iam quantitatis. Ante verò primum quantitatis accessum, neque quantitas in materia est, neque igitur ibi modi sunt quantitatis. Atqui & ipsa formalis ratio quantitatis neque magna est: alioquin non congrueret paruis: neque rursum parua alioquin magnis seipsam accommodare non posset. Similiter & materia neque tanta est propriè, neque tanta, vt æquè sit ad omnes quantitatis modos subeundos indifferens: neque rursum quanta simpliciter, ne quid ita in se formale possideat sitque composita.

Quomodo materia cognoscatur, cùm sit informis.

CAPVT X.

Dvbitatur igitur quomodo cognosci materia possit, cum formis careat omnibus, oporteat autem tum rem cognoscendam cognoscentes mouere per formam, tum cognoscentes per formam ipsi rei cognoscendæ consentaneam agere circa ipsam. Cum igitur per formas cognitio fiat, videmur consequenter cogitaturi formalia, non informia, nisi forsan animo moliamur formas omnes ex animo segregantes, coniectare nonnihil in rebus à formis similiter omnibus segregatum. Sed interim dum molimur, forma quadam certè molimur, ideoque inuiti molimur & formam, quamnis vt putamus informem: dum videlicet pro viribus cogitamus indefinitam, atque sub eiusmodi forma suspicamur indefinitam quoque materiam. Sit igitur indefinitate quadam conceptionis nostræ indefinitatem materiæ cogitamus. Conducit ad idem indefinitas quædam quasi materialis sub animi forma naturaliter actuque latens. Si fingatur circulus infinitus, ratio quidem definitioque circuli finita erit & certa. Iactus autem oculi, vel similis imaginationis per circulum infinitum, infinitè vagabitur. Similiter si quis omnibus sublatis formis intuentis, oculi more intendat pro viribus amici aciem in materiam; nihil prorsus inspiciet; sicut nihil inspicit oculus luminibus & coloribus vbique sublatis. Sed hic animus coniectat interea subtracto lumine subesse corpus obscurum. Nunquid & ibi formis ademptis subesse coniicit rem informem? Coniicit quidem vtcunque potest. Verum eiusmodi coniectura neque legitima ratiocinatione, quæ solet ductu mentis rationisque idealis ex formis concipere formas, neque legitima rursus imaginatio, quæ solet formas, vel ex mente, vel ex sensibus intueri, coniectio itaque circa materiam ex spuria ratione & adulterina rursus imaginatione miscetur. Sed eiusmodi quidem indefinitas animi circa indefinitatem materiæ suspicandam, habet interim aliquid definiti quatenus, & per formas agit, & definit aliquid de materia. Non tamen propriè tamen intelligit. Intellectio enim est ideatum, vel saltem idealium contemplatio. Neque rursum ratiocinatur propriè. Ratiocinatio enim est collectio quædam. Hi verò non tam colligit quàm dispergit: dum omnia de materia negat; ac si quid affirmat interea negata confirmat. Dum enim affirmat materiam esse formarum omnium susceptaculum; confirmat interim eam per se prorsus informem. Et quoniam anima vtpote quæ species est, & essentia vera horret informia & odit essentiæ casum, idcirco dum de materia negat formas & essentiam atque esse: interea eam ad hæc omnia refert: & sicut negando prius, ita deinde referendo cognoscit. Similis in hoc esse videtur cognitio infimi rerum & co-

gnitio ſummi, & vtrumque (vt ita dixerim) ignorando cognoſci. Tu verò vbi Plotinus ait, ſimile cognoſci à ſimili, intellige vim aliquid cogniturum: tum ante cognitionem eſſe quodammodo illi cognatam, tum in ipſa cognitione formam illius edere, vel ſubire conditionem. Conclude rurſus, vbi cognitio eſt efficacior, ibi ſimilitudinem eſſe maiorem. Et quoniam intelligentia ratioque non ſolùm ſicut ſenſus rem attingit extrinſecus, ſed etiam efficaciſſimè penetrat, idcirco hanc rationibus æternis cognatiorem exiſtere, quàm corpori ſenſus.

Materia nec eſt quantitas, nec habet propriam quantitatem. Item ſuſceptio formarum non ratione quantitatis, ſed ratione materiæ. Item forma præcedit quantitatem.

CAPVT XI.

PRoinde materiam non eſſe quanrum aliquid confirmat, contra dicentes, non eſſe aliam in rebus materiam prærer dimenſionem qualitatibus ſubditam, quemadmodnm in cœlo ponere videtur Auerrois. Plerique conſiderantes dimenſionem, tum inefficacem eſſe, tum ad capiendum accommodatàm, qualem eſſe materiam arbitramur, dimenſionem putauerunt ipſam eſſe materiam. His autem reſpondet Plotinus, probans dimenſionem non eſſe neceſſariam ad ipſum acceptionis effectum, quandoquidem mens & anima ſine dimenſione res capiant. Præterea cum ipſum ſimpliciter ens antecedat eſſe quantum, merito quantitas poſterius ad ens accedit: quo fit vt quantitatem ſine priori quantitate recipiat. Similiter materia ſine quantitate præcedente ſuſcipit quantitatem, ergo & quòd recipiat alia, habet non quia quanta, ſed quia materia: quippè cum ipſa materia primum fuerit ſuſceptaculum. Contigit autem materiæ formas in dimenſione recipere, quoniam ſicut formas, ſic & dimenſionem accipit, ac producto ſpario protenditur in ea ſimul & qualitas, contracto verò contrahitur. Iam verò in ipſa intentione naturæ prior eſſe videtur ſpecies, primaque ſpeciei proprietas, quàm eius quantitas vel figura. Ideoque ſic naturaliter inſtituta materia eſt, vt potiſſima præparatio eius ad ſpeciem ſit potius quàm ad aliquam quantitatem. Materiam dico ſimplicem atque primam: nam ſecunda materia iam certo modo ad ſpeciem aliquam præparata, magnitudinem ei conuenientem iam cœpit accipere: ſed & ante magnitudinem certè quandam ſubiit qualitatem futuræ congruam ſpeciei: cuius quidem qualitatis virtus magnitudinem & figuram paulatim accommodat ſpeciei. Certa igitur forma quantitatem cerram quodammodo antecedit, ac ſi fingas quantitatem ſaltem interminatam certas præcedere formas, fingemus & nos ſimiliter interminatam quantitatem ab interminara quadam forma præcedi, cuius efficacia in quantitatem materia protendatur: ſic vtique imperium actionemque ſeparatæ formæ ſuper materiam, mox in materia forma ſequetur antecedens, videlicet quantitatem longius à ſeparata forma diſtantem. Tum verò cum agere atque mouere qualitatis ſit proprium, non quantitatis, merito non quantitas qualitatem, ſed contrà qualitas quantitatem agit, & mouet trahitque ſecum. Sic igitur non magnitudo facit calidum, ſed calor extendir in magnum. Non paruitas reddit frigidum, ſed frigus cogit in paruum. Quid plura? Virtutes vtique ſeminum abſque magnitudine propria certas deſtinant magnitudines naſcituris, quibus ipſa ſua ſpecies ſtarim adeſt, eademque ſemper, non ſtatim magnitudo debita vel figura. Hæc enim per virtutem ſpeciei temporibus certis ex potentia ſpeciei paulatim procedit in actum. Quamobrem materia formam ſuſcipit ob hoc ipſum, quia materia eſt arti ſubdita naturali, formamque in primis ſuſcipit ex agente forma. Non igitur quia ſit moles accipit formam, ſed quia materia ſir formabilis. Suſcipit verò formam modo corporeo, quia materia fit interea moles, dum & virtute & gratia formæ quantitatem excipit formæ conuenientem: atqui niſi molem habuerit, adhuc ſuſcipiet qualitatem, quamuis nondum corpoream. Sicut enim in eodem ſpario in ſe inuicem multæ ſunt qualitates, ſpatio eas minimè diſtrahente: ſic etiam niſi ſpatium fuerit, eſſe ſimul, multoque magis ſimul in materia poterunt. Materiam plerique tanquam ſpatium cogitant, & id quidem vacuum & immenſum, quoniam animus cum aciem in hanc intendit, nequit in ſignum aliquod ſe dirigere, alioquin formam illic aliquam cogitaret. Nuſquam ergo ſiſtit intuitum: ideoque circumuagus hac & illac diſtractus, per interuallum videtur vacuum peruagari, ac rurſus immenſum. Si enim vel centrum, vel circunferentiam, vel aliter lineas deſignauerit, formas excogitare cogetur. Reuera enim ſicut ſpatium ipſum ſine alio quoquam ſpatio capacitas eſt ad alia: ita materia ſine ſpatio proprio capacitas eſt ad ſpatium. Et quamuis ipſa quoque ita per ſe magnitudine careat, ſicut & ſpecies ideales, tamen nulla ſpecies apparet ſpatium contemplanti, quoniam formam ſibi propriam ipſa definit, indiuiduamque conſeruat. Materia verò videtur ſpatium, quoniam & ſpatio ſubeſt & nullum ſibi ſignum ipſa definit, & nunquam ſecum ipſa quieſcit, ſed dum ſpecies induir varias ſemper exuit viciſſim, nimitum ad formatum curſum ſic ipſa currere nobis videri ſolet ſicut ad nauis motum littus ipſum nautis moueri videtur. Qui verò ſub longo variatum ductu formarum tractum interea materiæ cogitat, merito materiam velut ſpatium, & id quidem mobile cogitare compellitur.

Confirmantur ſuperiora.

CAPVT XII.

AVdiſti iam ſæpius, omnes rerum naturalium formas eſſe ſecundum ſeminarias rationes in ipſa animæ mundanæ natura. Et quoniam ibi nulla dimenſio eſt, quaſlibet in qualibet, & vbique ſimul cunctas exiſtere, talemque ſenem mundum ſeminarium & animalem, & incorporeum appellari. Finge itaque dimenſionem aliquando illic oriri. Subito natura in longum latumque & profundum amplificata: protendentur & formæ, & quæ prius in natura ſine ſpatio fuerant incorporeæ, deinde in natura eadem nacta ſpatium, corporeæ iam euadent locisque inuicem ſeparatæ. Talem vtique mundum hunc corporeum cogita ex incorporeo propagatum, ſola forſan accepta dimenſione: ſub-

strahe, si placet, dimensionem: seminales adhuc formæ restabunt, quæ dimensionem quondam in natura præcesserant, sed mundus interim ex corporeo vicissim euaserit incorporeus; sola forsan dimensione sublata. Verùm admonuisse te volo, quæ iam natura est in seminario mundo, euadere in hoc corporeo mundo materiam. Sic enim ille in hunc propagari posse videtur, si statim ex natura materia pullulet, in qua duntaxat oriri dimensio possit naturæ præpotentis imperio: quam quidem dimensionem ad corpora conferre putamus: non quia ipsa sit materia corporum, quorum eadem certè materia est, quæ est etiam sub dimensione dimensionisque materia. Neque rursum dimensio necessaria est, vt simpliciter formæ sunt, aliquando corporeæ fiant. Quòd enim formæ sint, habent quoniam ex seminario sunt in materia. Quòd autem corporeæ sint, ex eo sortiuntur, quòd in materia sunt extensa. Huc illud Plotini tendit. Formæ non circa magnitudinem propriè, sed circa materiam oriuntur: nam & magnitudine dempta, formæ restare possunt, forsan in seminalibus rationibus, forsan etiam in ipsa materia, quamuis non corporeo modo. Id insuper illorum sententia confirmatur, qui disputant in formæ substantialis aduentu totum vsque ad materiam primam ibi resolui, vt forma substantialis actusque simpliciter in ipsa substantiali simpliciterque potentia fiat. Talem itaque formam ante quantitatem, quæ est accidens, volunt adhærere materiæ, ac si quantitas ibi præcesserit, tunc saltem substantialem formam transgredi limitem quantitatis, nudoque materiæ gremio seipsam prorsus insinuare.

Ob hanc forsitan rationem formas nonnulli substantiales esse indiuisibiles arbitrantur, quoniam nulla antecedente quantitate materiæ penitus se infundant, quas tamen dimensio comitetur, quæ formas præcedat accidentales. Itaque hos tantum efficiat diuisibiles. Videtur id tetigisse Plotinus, vbi ait: Si forma scilicet substantialis necessario in dimensione foret, subtracta hac penitus perituram, posse tamen formam ibi remanere quamuis indiuisibilem, siue in materia propriè, siue in natura fundetur, sed & in materia forsan restare potest indiuisibilis, nam prius etiam cogitatur esse, quàm protendatur: mitto, quòd quantitate diutius etiam permutata forma remaneat eadem, non tamen eadem remaneret commutata materia, ex quo patet, formam non circa quantitatem fieri, sed circa materiam. Commiscentur autem facilè multa corpora in corpus vnum, quoniam in eadem materia congruunt ad omnia æquè parata, omniumpariter auida, neque dimensionem habentre suaptè natura, per quam distare inter se multa coguntur. Iam verò cum dimensio quodammodo corporum impediat vnionem, materia verò conciliet, constat & aliud dimensionem esse, aliud verò materiam: & materiam ipsam neque natura sua dimensionem habere, neque formas dimensione suscipere, sed potius semetipsa: præsertim quia prima suscipiendi ratio in eo consistit, quod est primum omnium susceptaculum, id profectò maximè omnium capax esse videtur, quod potest vbique omnia simul accipere. Dimensio verò facit, vt nequeant simul omnia capi, imò vt seorsum singula disponantur. Proinde materiam non esse dimensionem, sic iterum confirmamus. Si dimensio sit ipsa materia, erit omnium fundamentum, eritque substantia. Cum verò quantitas vbique sit accidens, non potest penes infimum rerum gradum quantitas esse substantia, quamuis quæ apud nos accidentia sunt, quodammodo in superioribus substantiæ iudicentur. Præterea sicut ad mutationem qualitatis, sic & ad quantitatis mutationem non necessario substantia permutatur: ex quo patet vtrunque esse pariter accidens. Hanc ob causam vbi rem ipsam definis, non soles quanta sit, definitione decernere, quasi quantitas ad rationem formalem, non vt pars attineat, sed accedat vt accidens. Neque verò minus quantitas quàm qualitas, imò magis contingens esse videtur: siquidem qualitas per efficaciam, & actum & proprietatem magis videtur cum formali ratione congruere. Quamobrem si quantitas non est substantia, nimitum nec est ipsa materia: quæ quidem cum omnium sit subiectum, meritò tanquam substantia iudicatur. Sed quis non videat quantitarem non esse materiam? Modo cogitet materiam prorsus indefinitam, statim per quantitatem sicut per qualitatem determinari, scilicet quanta propriè sit & qualis. Quod si dimensionem in se indeterminatam accipias, adhuc materiam illa determinat: saltem ad hoc ipsum, vt non solum materia sit simpliciter, sed etiam vt in longum & profundum protendatur, & amplum, vt occupet locum, vt sit diuisibilis, vt tot in se habeat partes, vt pars à parte sit differens, vt pars terminetur ex parte, vt partes terminentur ad totum, vt habitudo sit inter se partium & ad totum. Denique dimensionem interminatam materiæ dare, nihil est aliud quàm confiteri materiam ad dimensionem, quamlibet se indifferenter habere, sicut & ad quamlibet qualitatem. Sicut ergo concedtur qualitate carere, similiter carere dimensione concedes. Neque verò quisquam negare debet esse materiam, quòd à nobis inuisibilis & indiuisibilis iudicetur. Nam & quantitas si in seipsa sine qualitate consideretur, inuisibilis erit. Et qualitas vicissim accepta procul à quantitate statim erit indiuisibilis. Sunt tamen aliquid, quamuis accidentia sint. Materia igitur quæ substantiæ modo talia sustinet, non est omnino figmentum. Tum verò quamuis nullo sensu percipiatur, nihilominus aliquid est ponenda. Nam & naturam ipsam atque mentem esse aliquid affirmamus: quamuis sentiri non possint. Materiam verò etsi non sensu, tamen ratione cognoscimus. Et si sursum non ratiocinatione quadam intelligentiæ plena, id est, idealibus fundata formis, tamen argumentatione partim negante formas, partim ad formas materiam referente. Possunt quinetiam hic verba Plotini sic accipi. Materiam, scilicet cognosci ratiocinatione quadam, non ratiocinatione inquam, ipsius vacui, sed vacuo modo: quasi prohibear materiam dici vacuum ipsum, vel nihil & vanum. Concedat tamen eam vacuo quodam pacto cognosci, id est, vacuam formis eam excogitando. Cum verò probarum sit materiam, nec esse quantitatem: nec suaptè natura quantitatem habere, vel qualitatem: constat eam nec esse corpus, nec rursum esse (vt ita loquar) corporeitatem. Si corporeitas accipiatur pro forma quadam dimensioni commixta. Alioquin materia foret corpus. Neque rursum si corporeitas ipsa accipiatur pro ratione ideali, vel se-

minali corporis effectrice: hæc enim à materia longè diuersa est. In anima enim, & mente consistit. Nemo, verò dicere debet, corpus sine materia esse posse: propterea quòd actio corporis sine materia videtur existere. Actiones enim nec more corporum componuntur: nec aliæ de aliis generantur vt corpora: vicem vero materiæ gerit ad illas ipsas agentis patientisue substantia quæ componitur ex materia.

Materia nec est qualitas, nec habet propriam qualitatem.

CAPVT XIII.

QVemadmodum in superioribus ostendit materiam nec esse quantitatem, nec quantam, sic in præsentia nec qualitatem esse neque qualem. Absurdum enim dictu est, subiectum omnium esse qualitatem: cum in subiecto esse sit proprium qualitatum. Præterea siue id subiectum natura quædam definita certaque dicatur: materia quæ necessario indefinita est, esse non poterit, siue incerta & indefinita natura, tunc materia quidem erit, qualitas verò nequaquam. Qualitatis enim proprium est determinare aliquid atque discernere. Obiiciet aliquis, materiam vel esse, vel habere qualitatem ex eo quòd omnibus aliorum careat qualitatibus: quasi hæc ipsa priuatio sit proprietas qualitasque materiæ: per quam à cæteris differre putetur. Concedemus autem hanc ipsam qualitatum vacationem proprietatem esse materiæ. Sed eam interim qualitatem esse negabimus. Magis enim diuersa est qualitatis priuatio qualitati, quàm quantitas, vel substantia. Si igitur priuatio qualitatum qualitas appelletur, multo probabilius substantia, vel quantitas poterit qualitas nominari. Præterea stultum dictu est, aliquid fieri quale non ab ipsa qualitatis natura, sed ab opposito qualitatis, id est, ab ipsa qualitatum priuatione. Sanè cum dicunt materiam ob hoc ipsum quod ab aliorum qualitatibus altera est, siue diuersa, esse qualem, nunquid materiam tunc tanquam alteritatem esse volunt? Si ita putant, non erit vt qualis: sicut neque qualitas qualis esse censetur. An fortè materiam tunc esse volunt tanquam aliquid alterum? Si ita putant, certè sicut alteritate est altera, sic etiam qualitate qualis, qualitate inquam, alia præter se natura. Erit igitur alia quædam qualitas per quam qualis materia fiat. Si sit alio qualis, non est materia qualitas. Tum verò sicut alicuius qualitatis priuatio, non est qualitas illa, sic omnium orbitas qualitatum nulla qualitas est iudicanda, neque rursum qualis, siquidem qualitatibus vndique vacat. Item sicut negatio non est affirmatio: sic priuatio non est qualitas. Ita enim priuatio in negando, sicut qualitas in affirmando consistit. Rursum non omnis proprietas esse qualitas iudicanda est. Sicut enim opponitur qualitati priuatio, sic & horum proprietates inter se opponuntur. Atqui sicut est aliquid proprium affirmationis & qualitatis, sic & aliquid negationis & priuationis est proprium: neque tamen id qualitas erit, sed oppositum potius qualitati. Accedit ad hæc quod sicut proprietas qualitatis non est materia: sic proprietas materiæ non est qualitas: sed priuatio qualitatis per quam sanè priuationem siquis dixerit materiam esse qualem, non minus errabit, quàm qui dicat materiam ob priuationem magnitudinis esse magnam. Iam vero si materiæ proprietas foret aliquid ipsi materiæ velut appositum, absolutè nimirum se haberet vt qualitas. Ac verò materiæ ipsius proprietas ipsamet materia iudicatur: sicut & de principio rerum existimare solemus. Materia igitur non per aliam proprietatem, quàm per seipsam ab aliis diuersa censetur. Est igitur materia quodammodo ipsa diuersitas seu mauis alteritas. Alioquin non seipsa quidem diuersa foret, sed ipsa præter se diuersitate diuersa. Diuersitas verò hæc quasi duo potissimum significare videtur, scilicet & communem aliorum negationem, per quam in nulla cum illis generali ratione conueniat, & vniuersalem potentiam capiendi, ad alia seipsam naturali quadam habitudine referentem. Vtrinque sanè materia perpenditur esse diuersitas, tum quoniam alia nimium de ipsa negantur, tum quoniam naturaliter refertur ad alia. Sic enim necessario & aliud est quàm illa, & vt actibus potentia illis opponitur. Concludere igitur in præsentia ipsamet materiam esse sui ipsius proprietatem, esse verò proprietatem hanc scilicet quòd alia sit quàm alia, id est, quòd neque sit alia, neque quicquam aliis simile. Cætera enim quadam inter se, vel communione, vel similitudine congruunt. Materia verò est penitus segregata, sicut & primum principium segregatum. Cætera rursum præter id quod vel interse, vel à materia diuersa sunt, existunt aliquid secundum speciem in seipsis. Materia verò non per aliud quidem est: per aliud verò diuersa est: sed potius est ipsa diuersitas: siue mauis aliquid ab aliorum communione omnino secretum. Quoniam verò Plotinus metuit, ne pronuntiando de materia singulari numero, vel diuersitatem, vel aliud materia definitum aliquid & formale nobis appareat: Ideo monet numero plurali dicendum, materiam esse alia siue diuersa, vt per hoc infinitatem eius magis excogitemus.

Materia est idem omnino atque priuatio formarum omnium, si priuatio significat infinitatem quandam, formalemque potentiam.

CAPVT XIIII.

HActenus tractatum est quomodo materia potissimum ad illa se habeat, quæ remotiora sunt ab ea, scilicet ad qualitatem, & quantitatem. Deinceps quo pacto ad ea quæ propinquiora sunt comparetur, videlicet ad priuationem & infinitum. Sed de priuatione prius. Discutit ergo Peripateticum illud materia & priuatio, sunt quidem subiecto siue reipsa vnum, ratione autem duo. Cum diceret Peripateticus, duo hæc esse ratione, rationes in primis, id est, definitiones duas assignare debebat, vnam quidem priuationis, alteram verò materię propriam. Quod quidem nisi fiat, quod sint ratione duo conuinci non poterit. Quòd si duæ adducantur definitiones in medium, quæremus vtrum ita se habeant, vt neutrum duorum in alterius definitione ponatur. Si fiat ita, non erunt subiecto siuere ipsa vnum: An potius vtrunque in vtriusque definitione locetur: sicut de naso simo dici solet, atque ipso simo. Si ita: adhuc res duæ sunt, nasus scilicet, atque simitas. An fortè

vnu m aliq uid eorũ in alterius definitione sit, neque vicissim, sicut calor in definitione ignis, nequ e contra. Si ita dicatur etiam res duæ sunt, subie ctum atque qualitas. Post hæc discutit, vtru m materia & priuatio res vna dicantur, propterea quòd priuatio nihil rei materiæ insuper addat, sed cætera de materia neget. Sic autem erit ambigunm quomodo rationes duæ sint: altera quidem ad subiectum, id est materiam pertinens: altera verò ad relationem quæ priuatione fit ad cætera.

Probabile profectò est, non solùm priuationis, sed etiam subiecti rationem ad alia ritè referri. Quæ suprà materiam sunt, non solùm referuntur ad finem, sed etiam id habent vt fines sint aliquorum. Cùm verò materia sola nullius sit finis, cui quicquam naturali ordine seruiat, sed ipsa duntaxat seruiat omnibus, ac totum quicquid est vacuum quidem sit munere finis, vndique verò ad finem naturaliter institutum, & egenum finis semper & cupidum, meritò dictum est naturam eius ad alia ipsa sua ratione referri. Vt quemadmodum in summo rerum tota finis ratio est, sed non ad finem, ita vicissim in infimo finis quidem ratio nulla sit, sed omnis ad finem. Noli hic interim relationes dialecticas somniare. Naturæ namque ipsius relationem hic intelligi volumus prouidentiæque diuinæ. Nihil verò à materia est alienius quàm relatio Logica. Hæc enim vel in opinione, vel in re quapiam, velut subiecto fundatur. Materia verò contrà subiectum est duntaxat & fundamentum. Præterea probabile est, hic priuationis nomine relationem quandam significari, id est, indefinitatem subiecti huius, & indigentiam ad alia naturaliter institutam, cupideque vergentem. Ideoque non facilè quis discernat, quomodo duæ quædam sint rationes: vna quidem priuationis: altera verò materiæ. Non solum enim re, sed etiam ratione sunt vnum. Nemo verò dixerit materiam eo modo priuationem, quo priuationes alias solemus dicere, id est, defectus aliquos in subiectis. Materia enim ipsa omnium est subiectum. Nullus iterum materiam priuationem putet vt nihilum, quando enim corpora, vel ex materia componuntur, vel in materiam resoluuntur, longè abest, vt vel de nihilo fiant, vel deducantur in nihilum.

Infinitudo non accidit materiæ, sed est ipsa materia.

CAPVT XV.

HÆc verò priuatio quę infinitudo dicitur, vel infinitas, id est, aptitudo tantum per se formabilis, nullosque per se formales in se fines possidens: hæc inquam, infinitudo non accidit quidem materiæ: sed est ipsa materia. Considera rationes & numeros. Rationes inquam, formales ex seminariis idealibusque rationibus dependentes. Numeros inquam, tum eiusmodi rationum, tum proprietatum quæ sunt in ipsis, tum graduum virtutis earum, tum differentiarum inter ipsas. Rationes quidem finiunt, & ordinant finiendo. Numeri verò ordinant, & finiunt ordinando. Item rationes viresque formarum, tum genera quasi materias in species terminant, tum vagum materiæ appetitum terminant ad effectum: Numeri quoque ordinant finiuntque rerum seriem subiectam sibi materiam, vires item & motus definiunt qualitatum, atque per illas materiam quoque terminare videntur. Cum igitur rationes eiusmodi numerique finiant: certè subest eis quòd finiatur ab ipsis. Id verò ptimum est ipsa materia. Nam & composita per hanc habent, vt finiri debeant aliunde: & natura, vel anima, vel mens per suam quandam materiam habent, vt formarum terminis egeant. Materia igitur, cùm sit hoc ipsum quod aliunde finitur, nimirum suaptè natura est infinitum. Sicut quod aliunde illuminatur, est per se tenebrosum. Alicubi ergo re vera imò vbique subest infinita natura, imo vero infinitas ipsa. Sicut enim res infinita respondet finitæ: sic & fini respondet infinitudo. Fini, inquam substantiali, substantialis infinitudo non ficta. Infinitudo, inquam, non in alio: sicut & finis terminusque primus non est in alio. Si quis verò dicat infinitatem hanc non esse materiam ipsam, sed ipsi prorsus accidere, cogetur fateri infinitatem non nihil in se habere formale: siquidem sit in subiecto, subiectumque sub tali quadam conditione determinet: quod certè contra naturam infinitatis esse videtur. Iam verò infinitas ipsa non est ratio vlla formalis. Extrema enim est formabilitas. In qua siquid proprium sit formale: ex ea saltem parte non est formabilis. Veruntamen vt ad summum formatorem spectet omnes tribuere formas, oportet subiectum huic proportione respondens, nullam prorsus habere. Præterea si materia per se infinita est, non oportet infinitatem huic accidere. Sin terminata dicatur, non est materia prima.

Denique si materia fingatur, velut formalis quidam terminus, illique accidere infinitatem, id est, aptitudinem duntaxat formabilem, perdetur subito siquid formalis fingitur in materia. Nihil enim actu formale sub extrema formabilitate relinquitur. Quod autem corporei mundi materia sit infinitas, confirmatur ex eo, quòd materia quoque incorporei mundi est infinitas. Non enim illi accidit infinitudo: quicquid enim est in ipsa, finis existit. Ex illa verò hæc pendet per similem infinitatis modum. Cogita igitur illic ipsum simpliciter vnum, vno ente superius. Considera in vno ente infinitatem, id est, potentiam ab ipso vno formabilem. Quæ quidem quatenus in terminos illic formales extenditur, potentia & infinitas nominatur. Quatenus in perseuerantiam extra durationis terminos ducitur, nominatur æternitas. Illa quidem infinitudo quodammodo secundum defectum sic appellata, sequitur infinitatem vnius, secundum supereminentem excessum excogitatam. Et quatenus excedit altera, eatenus fermè succedit & altera, quasi per relationem opposita primæ. Subinde verò ab infinitate quæ illic formabilis est, ipsa mundanæ materiæ exorditur infinitas: ita sub natura formabilis, sicut illa sub bono. Duæ verò infinitates hic inductæ, non conueniunt genere, sub quo per differentias discrepent speciales. Atqui & vtraque simplicissima est: & hæc dum pendet ex illa, rum in referendo illam congruere cnm ipsa videtur: tum quia non est illa, neque ad formas similes instituta, differre nimirum iudicatur ab illa: non quidem per differentiam sibi additam, imò seipsa, vel insuper quia non ad similes nata est formas: sed hoc etiam est seipsa differre. Quoniam verò potentia illa formabilis, & si ad ideas quasi materia est, tamen ist

seipsa, & ad nostra censetur vt for ma. Idcirco non adeo iudicatur indefinita, sicut materia corporum. Præsertim quia formabilis illa natura semper similiterque est ad actum formæ redacta. Hæc verò redigitur paulatim: actusque disperdit. Fit quoque illic materia illa formalis. Hic verò vicissim forma materialis enadit. Conditio igitur indefinita in hac reperitur magis quàm in illa. Conditio verò termini ibi superat: hic necessario deficit. Proinde si compositum ex materia formaque consideres, dices hoc quodammodo infinitum, scilicet ratione materiæ. Non tamen dices hoc infinitum, esse ipsam infinitatis naturam. Quæ quidem dicitur esse ipsius infiniti, qua ratione est infinitum: hoc enim pertinet ad materiam. Cum verò hanc ipsam materiam quasi seorsum considerans, dicis hoc infinitum, idem profectò est infinitum hoc, ipsaque infinitas, quam modo appellabamus ipsum infiniti esse, quatenus infinitum.

Tu verò cum de materia dicis, hæc est ipsa natura infinitatis, siste huc vsque gradum: neque addas, hæc est ipsa infinitatis ratio. Ratio enim siue formam significet, siue definitionem: ideoque & terminus non conuenit deformi & indefinitæ materiæ. Item cum dicis, infinitum hoc & ipsum naturale infiniti esse, idem est, caue ne sub hoc essendi nomine intelligas aliquem indefinitæ illius essentiæ terminum, siue actum, siue modum. Tria enim hæc ad rationem pertinent, id est, ad rationem idealem & seminariam & formalem atque formam. Nulla verò eiusmodi ratio conuenit ipsius infiniti naturæ. Quam si tu definire coneris, & frustra conabere: eam enim amittes definiendo: & cogeris duntaxat per habitudinem ad terminos, quos nondum habet, infinitudinem definire: vbi infinitudo non tam habet rationem ad se & intrinsecus pertinentem, quàm extrinsecus ad aliaque spectantem: quod quidem verè est infinitum esse. Siquid enim in hac ita suum ponas, vt non referatur ad aliud, hoc ipsum quod non erit ad finem, erit finis. Finis autem repugnat infinitati. Materiam igitur existimabimus infinitam: non quidem definientes intrinsecus, sed ad rationem ipsam extrinsecus referentes. Ad rationem inquam (vt sæpè diximus) idealem, & seminariam, & formalem. Cui quidem velut fini & finienti materiam opponimus, velut ad finem & indefinitam atque finiendam. Opponimus inquam, hoc illi, simplicissimum simplicissimo. Vnde rectè concludimus: sicut ratio ipsa non alia dote, sed seipsa ratio est, & finis, & forma: sic materiam non alio addito, sed natura sua esse prorsus indefinitam: quicquid enim addideris erit finis, eamque definiet.

Soluuntur quatuor quæstiones de Materia circa alacritatem, priuationem, infinitum malum.

CAPVT XVI.

Caput libri vltimum quatuor de materia quæstiones mouet & soluit, circa alteritatem priuationemque & infinitum atque malum. Tu verò inter hæc nota alteritatem ipsam, siue diuersitatem esse communem ad formalia simul atque materiam. Vtrobique enim est atque inter vtraque. Materia igitur idem est quod alteritas, non quidem simpliciter, sed alteritas ab illis quæ verè sunt, id est, rationibus idealibus longissimè distans. Quæ si propterea dicitur quandoque non ens, quod ab ente primo longissimè distet, interea ens quoddam dici potest, id est, aliquid à primo longissimè segregatum. Similiter quoque priuatio dicitur non simpliciter quasi nihilum, sed extrema ad primum ens oppositio, & ad ideales quæ in ipso sunt rationes. Non igitur eiusmodi priuatio perditur, id est, eiusmodi natura materiæ formabilis aliunde, quando suscipit formam: sed permaner eiusmodi semper subiecta natura, perpetuoque vel formas, vel formarum modos alternat, vicissimque formatur. Si materiam infinitum quantitate foret, quando acciperet terminum, naturam prorsus amitteret. Cum verò per formabilitatem sit infinita: quo magis formatur, eo magis formabilitatem exercere videtur, proprioque subiecti formabilis officio fungi. Proinde cum acceptis bonis, id est, formis adhuc restet informis: propterea quòd nullam per se sibi propriam contrahat, formarumque iacturæ sit prona, meritò adhuc dicitur esse malum. Denique tres hic gradus considerabis. Primum, quidem ipsum vnum ente superius. Secundum verò ens ipsum, in quo entis materia ponitur: quam etiam ens iudicari nil prohibet. Tertium corporei mundani materiam, quæ cum per extremum gradum fit inferior ente: hac vtique conditione solet appellari non ens: non dico nihilum, sed quasi non ens, si ad entis ipsius veri pulchritudinem comparetur. Ab ipso enim ente primo vsque ad naturam vera entia omnia iudicantur. Formæ verò corporum, quæ à natura in materiam fiunt entia non vera. Materia denique verum non ens. Qua videlicet non solum ab entis ipsius natura, sed etiam ab eius imagine cadit. Qualis certè imago informis naturalibus reperitur. Materia enim neque ens verum est, neque imaginis more ipsum alicubi repræsentat.

Quamuis de Materia non dicatur ens, vel essentia, vel esse propriè, tamen non debet dici nihilum, sed aliquid, & id quidem modo substantiæ.

CAPVT XVII.

Apud Peripateticos quidem si quis materiam non ens diceret, hanc omnino diceret nihilum. Sed apud Platonicos qui ipsam vnius naturam latius quàm naturam entis, longiusque sursum deorsumque protendunt: quamuis materiam dicas non ens, non tamen habes eam pro nihilo: sicut neque pro nihilo habes ipsum bonum, quamuis non ens iudicetur. Sed illud quidem ita non ens, vt sit superius ente: hanc autem non ens, ita vt sit inferior ente. Sicut verò Deus summus apud plerosque dicitur purus actus, cui non subest propria formabilisque in Deo potentia, sed quasi eiusmodi potentiæ loco illi respondent actui potentiæ reliquorum. Sic cum materia sit potentia pura, cui non respondet in ea proprius actus, saltem pro hoc ipso actu cæterorum actus respondere videntur. Quamuis autem vbi actum proprio nomine nuncupamus: quia formalem vigorem significet, cum materiæ proprium minimè concedamus: tamen vbi actus significaret nonnihil in sua dependente natura quodammodo præsens atque firmum, firmam huius natu-

ræ, siue quasi præsentiæ veritatem, quasi actum quendam materiæ tribuere non verebimur: appellabimusque quodammodo ipsum esse materiæ. Qui sanè actus quòdve esse non prohibet, materiam puram dici potentiam. Præsens namque & firma materialis potentiæ veritas, eam efficit veriùs puriusque & firmius esse potentiam. Neque tu potentiam hanc aliarum debes conditione perpendere. Cæteræ namque potentiæ sunt in subiectis: hæc omnium naturalium est subiectum. Est ergo potentia hæc (vt ita dixerim) subiectalis atque substantialis. Addam essentialis: si modo infra entis limites nominari essentia possit. Sic enim diceremus materiam, vel essentiam potentialem, vel potentiam vicissim essentialem. Merito enim potentiæ & actus in rebus accidentales, & iacentes in alio, sicut rediguntur in actum primum præexistentem, sic in primam potentiam subsistentem, cuius quidem esse sit fortè subesse, sicut & materialis formæ esse forsitan est inesse. Sed hic prætereà Theologi nonnulli dicent ipsum simpliciter esse antecedere naturaliter, siue ratione quadam & ordine esse sic aut aliter, aut ibi. Ideoque neque formam inesse posse, nisi prius sit simpliciter in se ipsa: neque materiam rectè intelligi posse subesse, nisi intelligatur quodammodo prius simpliciter esse: quod quidem esse primum, appellant esse essentiæ: cui mox addunt esse existentiæ. Per primum quidem aiunt rem esse in sua essentia, atque ex ipsa. Per secundum verò, rem aiunt esse in effectu rerumque ordine, & aliunde pendere. Quamobrem concedent materiæ primum esse per se, secundum verò per formam. Fortè verò Platonici quidam etiam primum esse materiæ auferent: præsertim vbi Plotinum audiunt prohibentem assignari ipsum esse materiæ. Sicut ergo Theologi multi in primo rerum principio esse ponunt sine essentia: sic & hi materiam quasi essentiam sine esse putabant: neque tamen nibilum, sed aliquid appellabant. Nam & Plotinus materiam imaginem appellat essentiæ. Sicut ergo res aliæ suas babent imagines, quæ quidem quamuis res ipsæ non sint, sunt tamen aliquid: sic & imaginem essentiæ quamuis non veram essentiam, tamen nonnihil & aliquid nominabimus. Quamuis autem materia dici possit vnum, & nonnihil & aliquid: negare tamen solent ipsam propriè aliquid esse: ne forsan animus dum audit aliquid, suspicetur aliquid esse formale: sicut plurimum consueuit. Quippè cùm ipse sit forma, atque ex formis incitetur ad cogitandum: cogitetque per formas. Reuera tamen materia iudicatur re ipsa nonnihil & aliquid quasi substantiale. Vnde Plotinus in superioribus ait; materiam esse corporibus necessariam. Neque vanum nomen esse, sed subiectum aliquod quamuis occultum: multoque magis subiectum hoc quàm quantitates qualitatesque subsistere: Quod & Timæus indicat vbi ait, ante mundum fuisse architectum mundi velut patrem & materiam sicut matrem: Materiamque appellat subiectum & susceptaculum atque locum. Ex quibus verbis apparet, materiam rem esse præter conceptus & relationes nostris corporibus subsidentem. Quod Peripatetici quoque confirmant: vbi substantiam distribuunt in materiam & formam atque compositum. Quamuis autem materiam substantiam nominemus, quia substat corporibus: neque iacet in alio, putamus tamen eam desuper perpetuo dependere: adeo vt nihil in ea vigoris sit ad se conseruandam. Dependet igitur tum ab ipsa natura, quasi neruo quodam inde deuincta. Quinetiam per formas à natura in materiam continuè iactas quasi per neruos assiduè colligatur. Ipsa verò formam sustinet modo profundo. Atque dum cadit ab ente, id est, à natura quæ verorum entium infimum est: interea subest vt fundamentum imaginibus entis, formis scilicet naturalibus. Quamobrem etiam si apud quosdam materia dicatur habere quasi esse in se suæ essentiæ proprium, quod quidem in ea antecedat esse formale atque existere: tamen primum quoque esse illi tributum, conseruatur ipsi ab ipsa natura semel: sicut à formis corporum conseruatur esse secundum, atque existere: sed vicissim ab alia deinceps atque alia: quasi natura varios in horas applicet neruos, per vices ad materiam sibi cognatius vinciendam. Sed finem iam disputationi huic imponamus. Nam in libro etiam vbi Plotinus disputat incorporea nihil pati, & alibi multa de materia tractabuntur.



IN LIBRVM DE EO QVOD IN ACTV, ET QVOD IN POTENTIA, COMMENTARIVS.

Item de actu & potentia. Item de metallis atque lapidibus.

CAPVT I.



Liber de Potentia & Actu, & summatim confirmat quæ in libro de Materia dicta sunt, & per illa planius intelligitur. Distribuitur autem in capita quinque. In primo notabis, post dubitationes quasdam, quicquid esse dicitur in potentia referri ad aliud necessariò, scilicet ad illud quod inde fit, vel est in actu. Item potentiam propriè referri ad actum. Rursum, in eo quod in potentia est ad aliquid, quandoque remanente substantiam, nouo quodam adueniente quandoque mutari: siue ad melius, siue ad deterius mutatio fiat. Considerabis præterea, non esse potentiam in mundo intelligibili ad nouum actum; vel edendum, vel comparandum: alioquin siue nunquam perueniatur ad actum, frustra esse in potentia iudicabitur, siue quandoque perueniatur, erit in æternis mutatio temporalis. Ergo ne hæc sequantur absurda, omnis ibi potentia ad totum omnino suum actum est ab æterno tedacta. Subinde animaduertes, potentiam faciendi non esse dicendam in potentia esse: potentiam vero patiendi, dici posse in potentia esse. Obseruabis denique Plotinum hic quod & bis alibi iam aperuit, putare metallum a quam esse concretam, siue putet quasi simpliciter aquam modo crystalli, siue plurimum esse aquam. Physicorum namque sententia est, in componendis mixtis calorem, & frigus tanquam agentia, potius accedere, quàm vt materiam: non enim facilè ob vehementiam suam commisceri posse. Siccum vero & humidum sub his esse materiam. Vbi sanè siccum præualet humido, concrescere saxum: vbi vero siccitatem humor excedit, fingi metallum, quod propter humoris exuberantiam liquefiat ad ignem, quam liquefactionem siccitas in saxo prohibeat.

De duabus materiis, & actu, & potentia, tum in corporibus, tum in anima.

CAPVT II.

IN secundo capite materiam duplicem obseruabis. Primò quidem compositam naturalemque ad formam artis acceptam, quando ex ære fit statua. Secundò materiam quoque naturalem, sed simplicem & acceptam mox ad formam similiter naturalem, vt quando ex aqua fiat aër. In primo quidem quod esse dicitur statua in potentia, æs ipsum est: cui quidem opponitur quod dicitur actu statua, quod neque æs est, neque fabricata in ære figura, sed quoddam ex vtrisque compositum hoc vt actu existens, opponitur quidem æri, quatenus erat hoc in potentia: neque sic prædicatur de ære. Non igitur æs statua fit, sed ex ære fit statua. Hic certè quàmuis materia eadem, id est, ipsa æris substantia maneat sub figura, tamen aliud quiddam est quàm figura atque compositum.

Multo itaque magis materia diuersa est à forma atque composito, vbi in aduentu nouæ formæ ad generationem noui compositi necessariò prioris compositi substantia permutatur, vt quando ex aqua fit aër, ibi enim subest materia prima, in qua nihil est formæ, vt meritò dici possit esse nihil in actu. Materiæ verò secundæ, tanquam compositæ aliquid formæ possident, adeò vt dum aliud in potentia sunt, secundum aliud sint in actu. In superioribus igitur, quoniam ex materia præcedente, & ex forma adueniente fit aliud quiddam, id est compositum, idque non est idem quod & materia vel etiam forma, meritò aliud quidem dicitur quod est in potentia, id est, materia: aliud verò quod existit actu, id est, compositum. At vero in animo non ita dicendum esse videtur. Quando enim animus acquirit habitum, non euadit ex animo atque habitu composita quædam essentia tertia. Idem igitur animus, qui dicebatur potentia sciens, mox dicitur actu sciens. Fit autem actu sciens, non qua ratione fuerat insciens, sed qua rationalis & docilis: nempè cùm iam actu duobus adhuc seruat aptitudinem ad scientiam, sed non seruat inscitiam: sed aliter in potentia est ad habitum compatandum, aliter habitu comparato in potentia est ad actum. Quod autem non qua ratione ignotans est, doctus euadat, patet, quoniam non quilibet ignorans facilè doctus efficitur, sed qui est aptus. Neque ad habitum priuatio confert, sed potentia.

Conclude vbique, quod in potentia dicitur, esse subiectum, quod verò in actu, compositum, vel quasi compositum. Formam vero in subiecto nominari actum, non quidem simpliciter, sed subiecti. Denique, præter formam vel habitum, qui est forma quædam, nominari etiam actum actionem ipsam, quæ à forma vel habitu prouenit: actionem vero actum potissimè nuncupari, quoniam & manifestior est, & huius gratia, forma vel habitus comparatur, & tota vis formæ, vel habitus ad actionis productur efficaciam. Rursum hic obserua, & actum qui est forma, vel loco formæ, quoniam ad subiectum accedit, velut adhuc informe atque impotens, indigere quodam exterioris causæ beneficio: actum vero, qui actio est, ex ipsa formæ vel habitus potestate prodire.

Quomodo aliter se habet potentia & actus sub cælo atque in cælo, & rursum in mundo intelligibili.

CAPVT III.

POst hæc autem prohibet in mundo intelligibili aliquid esse in potentia iudicari: in potentia, inquam, quæ & vergat ad nouum actum, & res quædam naturæ alia sit quàm actus. Dicit autem quæcunque ibi potentia fingatur, rem ipsam non solùm esse semper in actu, sed actum quoque existere: tum quoniam quæ ibi quasi materialis potentia ponitur, est forma quædam, ideoque & actus: tum quia potentia hæc & actus quem aspicit, non duæ sunt naturæ, sed vna. Neque tamen debemus ex eo quod materia illa eandem semper habet formam, dicere prorsus idem existere: nam & si Deus in materia corporis formam in æternum continuaret, adhuc forma foret aliud quàm materia, sicut euenire in cœlestibus arbitramur. Rursus, quemadmodum in eo qui iam didicit, non perit ipsa discendi potentia: non enim per doctrinam aufertur potentia docilis, sed perficitur: sic in mundo intellectuali vnà cum actu formali latet etiam potentia quædam: quamuis neque per hanc dicatur illic esse aliquid in potentia, neque hæc alia substantia sit quàm actus, sed sola differat ratione.

Profectò, quemadmodum Aristoteles materiam & formam sub Luna duas esse naturas voluit, duasque substantias: in cœlo autem forsassè vnam esse corporis illius naturam, quæ sit loco materiæ vel subiecti ad lucem suam, quæ lux non sit alia quædam natura præter naturam illius corporis, sed sit illius naturæ proprietas atq; actus: ita Plotinus existimat de materia & forma in mundo corporeo atque incorporeo. Hic enim duas esse naturas, ibi vnam: atque hic quidem ita differre, sicut lumen diffusum per aërem quasi forma, ab aëria materia differt: ibi vero vel sicut rutilatio quædam à lumine, & lucere à luce, vel saltem sicut lumen à flamma. Lumen enim in aëre alia est natura quàm aër: in flamma vero non aliam adiungit naturam, sed proprietas quædam est, actusque flammæ perennis. Sicut ergo lumen hoc quasi forma & actus est ad flammam quasi potentiam, ita fermè quod formale, ad id quod materiale in mundo intelligibili ponitur, se habere videtur. Qualis fermè distinctio inter concauum & connexum protinus apparebit, si superficiem sphæricam considerabis, cui nulla sit subiuncta profunditas. Tunc enim concaua & connexa conditio neque loco subiectove different, neque natura, sed sola forsitan ratione. Vnica enim superficiei natura ad illa quidem quę sunt extra circulum connexa videbitur, ad interiora vero concaua indicabitur: sicut & intellectus atque voluntas in animo differunt. Sed vt summatim dicam, in toto hoc mundo corporeo materia & forma duæ sunt naturæ: sed præter cœlum forma est pro natura materiæ: in cœlo materia vicissim pro natura formæ: In mundo autem incorporeo materia quidem est essentia & natura formæ: forma verò est esse actusque materiæ. Rursum materia nec ad formam in potentia ibi est, neque potentia est ad formam: sed est potius ipsa potentia formæ: forma verò non est actus aliquis in materia siue potentia, sed ipse potius potentiæ actus. Quoniam verò vbi mundum intelligibilem nominat, non diuinum tantum intelligi vult intellectum, sed omnes insuper intellectus & animas intelligentiæ compotes, ideo animam quoque intellectualem negat esse ad nouum aliquid in potentia: sed esse ait ex parte quidem vegetali potestatem animalis procreatricem, ex parte verò rationali postatem scientiæ productricem. Tum vero subdit, quamlibet, tum ideam, tum rem à corpore separatam esse totum quicquid est in actu, atque actum, quia totum species sit & forma ab æuo penitus absoluta. Hic & tu notabis, non solum vbi aliquid in potentia est ad futurum opus esse superiore quodam, quòd totum possideat præsens, atque ita quod deest, adhibeat indigenti: sed etiam vbicunque potentia & actus sunt duę naturæ, opus esse superiore quodam, etiam si potentia perpetuo sit sub actu. Natura enim in se formabilis tantum ad formalem naturam non perducitur, nisi alicuius naturæ vnius & simplicis beneficio. Nam super compositum ex duabus naturis extat natura simplex, actu perpetuo fungens: quæ, quoniam suum ipsa semper ex se edit actum, merito nuncupatur & actus. Proinde vbi ait, animam scilicet intellectualem esse in mundo intelligibili, irrationalem verò in materia: animaduerte, ita illam à mundo intelligibili distinctam esse natura, quamuis actione coniunctam, sicut hæc diuersa natura est à materia, quamuis affectu & effectione congrediens. Quæ quidem non est actus materiæ, sed superioris quidem animæ actus in materiam, & quasi forma materiæ. Prima quidem animæ actus præcipuè dicitur, quoniam non solum nihil noui naturæ ipsius accedit, siue recedit, sed etiam suum in se exerit actum: ac per intellectum æterna fruitur actione: per vim verò discurrentem nihil concipit ab externis, sed patit potius in seipsa. Anima quoque secunda & si videtur actiones varias permutare, tamen quantum in se est, vno quodam actu, vel saltem vigore viuificandi materiam, format influentem atque refluentem. Sicut ignis eodem feruore diuersa combutit: perinde ac si quis eodem sigillo subterfluentes vndas sedula successione figuret. Mitto, quòd aliqui disputant continuo quodam vnoque cognitionis & voluntatis actu animam semper modo hæc, modo illa, prout in actum hunc animæ incidunt, percipere atque velle: ceu si quis eodem ad tempus, intuitu oculis protsus inconniuentibus plura è conspectu non solum continuata semel, sed etiam deinceps è ve-

stigio procedentia cernat. Post hæc quæ de ideis significat, dicens omnes esse vitas & actus, alibi tractabuntur. Essentiam certè primam in qua sunt ideæ, memento hoc ipsū quod est esse vitam. Vita enim non accedit ad illam, sicut ad essentiam corpoream extrinsecus velut forma: sed prodit intrinsecus velut actus. Perfecta igitur essentia illa est, & vita perfecta: itaque per modum perfectum est in actu. Quod igitur illic est in actu, existit & actus. Sicut verò essentiæ intimus actus est vita: sic vitæ intimus actus est intellectus. Ex vita quidem illa prodit anima vera, ex illo rursus intellectu emicat in animam intellectus.

Materia non est aliquid actu.

CAPVT IIII.

QVærit in capite quarto, vtrum materia prima sit aliquid actu. Atqui expedit primum non esse aliquid eorum, quæ super illam sunt omnino, quæ sunt entia vera: neque aliquid rursus eorum, quæ generantur in ea, quæ entia sunt non vera. Dubitat interea: nunquid ipsa possit aliud quiddam esse actu? Non certè aliquid super ens: non rursus ens verum: non iterum ens apparens: Quid ergo? Nunquid materia aliud adhuc inferius erit in actu? Certè nihil. Quum enim à tota entis natura & appellatione deficiat, ideoque non habeat esse, nimirum nec esse habet in actu.

Confirmat superiora.

CAPVT V.

AMbigit iterum in capite quinto: Si materia nihil est in actu, quonam pacto de hac ipsa loqui possimus? Et quæ dicta sunt disputando confirmat. Iam verò materia idcirco entium materia nominatur, quoniam ad illa, vel ad illorum accipiendas imagines est in potentia, siue potius est ipsa potentia inde formabilis: Siquidem in qualibet arte materiam sub artifice nominare, nihil est aliud, quam aliquid introducere, nihil habens artificiosum, sed potens omnia capere. In natura verò materiam subiicere rerum omnium architecto, non tam est afferre aliquid quòd ad formas sit in potentia, quam formabilem prorsus afferre potentiam. Potentia eiusmodi etsi censetur ordine quodam effectum formæ præcedere, tamen quoniam ipsa huius potentiæ ratio nihil est aliud quàm formabilitas, necessario dependet ab actu formæ. Vbi etsi dum forma adhuc futura videtur, iam videatur ipsa potentia præsens expectans videlicet effectum formæ, tamen ipsa quæ dicitur potentia ipsius præsentia, nihil est aliud, quam possibilitas (vt ita dixerim) & formæ futuritas: & vt aliquis finxerit confusa quædam inchoatio formæ. Item verò si formam compares ad efficientem causam, quòd formæ futurum est, dependet à præsentia causæ: sin autem materiam conferas ad ipsam formæ naturam, quicquid præsentia fingitur, in materia dependet ab ipso formæ futuro: imò & iam præsenti. Siquidem in ipsa ratione materiæ includi forma videtur, dum tanquam formabilitas definitur. Item si referas infimum hoc ad vniuersi supremum, dicasque sicut illud actus est purus formatus omnium, ita & hoc puram esse potentiam sub omnibus duntaxat formabilem, tunc sanè si quid illi supremo potentiæ formabilis adhibuerit, illius mox sustulisti naturam, quicquid rursum actus alicuius huic infimo velut proprium dedicaueris, huius quoque naturam subito perdidisti: siquidem huius esse iudicatur in potentia esse huiusactus propriè formabilitas. Huius præsentia nihil aliud quam formæ fututitas. Est autem materia sic ab entis natura secreta, vt neque adhæreat enti velut eius proprietas aut passio, neque ens repræsentet velut imago, neque sub illius imagine sic imprimatur, vt afficiatur inde, contrahatque vestigium, aut seruet: semper vtique actus quolibet naturaliter exuens, possibilitatem verò conseruans: duntaxat ibi succutrens, vbi vetorum entium gradus est vltimus, id est, ipsa natura, & ibi quidem subsidens imaginibus entium, neque familiare quicquam sibi inde reportans. Nihil autem dici de ea potest, quasi ad entia pertinens, nisi quòd sit vmbra naturæ. Cumque ita longius ab ente distet, quàm entis imago, nullo modo vel ens, vel esse debet existimari. Iam verò de ente contrà atque de non ente iudicare debemus. Ens quidem in actu plus habet entis, quam ens in potentia: vicissim ergo quod dicitur actu non ens minus habet entis, plusue non entis, quàm quod non ens in potentia nominatur. Cum igitur materia à prima essentia & veritate vltra quam cogitari possit, remotissima sit, ideoque ipsa sit falsitas, verumque, ita non ens, si hanc fingas in actu suo, magis eam non ens asseuerabis. Et quanto verius erit materiam appellare possibilitatem, tanto falsius erit eandem actum existimare, atque è conuerso. Conclude librum hac sententia. Veritas ipsa etiam falso vim præstat: alioquin nisi verum esset, id esse falsum, non foret falsum, atque quo verius falsum est, siue quo verius est, hoc est falsum, eo est proculdubio falsius: Sic ergo quo materia verior est materia, id est, qua verior ad entia possibilitas est, eo falsior actus, atque vicissim.

IN LIBRVM

DE ESSETIA ET QVALITATE, COMMENTARIVS.

De Essentia, quomodo constituatur ex ente, motu, statu, eodem altero, & quæ ibi sit distinctio, & de forma substantiali, & ratione formali, & de accidentibus.

CAPVT PRIMVM.

DIsputationem de Essentia & Qualitate ritè admodum à prima exordimur Essentia. Illic igitur ab ipso simpliciter vno procedit, & vnum non quidem simpliciter, sed vnum ens: vnum quidem qua ratione fit ab vno, ens autem qua ratione sub vno. Quoniã verò entis ipsius origo est processio quædam, non iniuria iam natum in perpetua quadam processione versatur, processione, inquam intima. Progressio enim intimã fœcunditatem ibi significat: sed indigentiam externa significaret. Processionem eiusmodi motum quemdam nominare solemus, quem non localem dicimus, sed quasi vitalem. Si motus ibi est vllus, est insuper & diuersitas, quam alteritatem disputationis gratia nominari concedes. In omni siquidem motione ab altero termino in alterum terminum pertransitur. Iam igitur ipsi enti motum alteritatemque adhibuimus. Quoniam verò processio eius neque à terra discedit sua, ideoque nec in naturam alteram transmutatur, merito status & identitas illic agnoscitur: siquidem dum non discedit, permanet, ac dum non transmutatur in aliud, permanet idem. Totam verò hanc entis ipsius progressionem, & in progressione stabilem identitatem appellamus essentiam, ab ente ritè denominatã. Simili quodam pacto insequenti quauis essentia hæc quinque reperiuntur, ens, motus, alteritas, status (vt ita dixerim) & identitas. Nam & quælibet essentia etiam quæ procedit extrinsecus ante processionem externam simili quodam pacto procedit intrinsecus. Hæc rursum quinque in ipsa rei cuiuslibet ratione formali, quæ definitione comprehenditur, possumus designare: in ea enim genus & differentiam ponimus. Genere quidem res definita, quatenus cum aliis conuenit, cæteris est quodammodo eadem: differentia verò quatenus ab aliis discrepat, altera est ab illis, atque eadem interim sibi ipsi. In hac autem principali eius essentia per genus & differentiam designata, naturalis & propriæ eius permanet virtus, qua & res ipsa duratione permanet, & suam ad agendum continuat efficaciam. In hac stabilitate non solum elucet status, sed motus insuper emicat, ipsa scilicet vel inclinatio naturalis, vel dexteritas ad agendum. Hæc omnia in definitione comprehendi videntur, quamuis alia forsan aliis manifestius.

Proinde quinque à nobis enumerata, multo magis cum essentia quàm inter se conueniunt. Nam ex ipsa essentia potius quàm ex se inuicem pullulant. Primò quidem motus atque alteritas sic ab ipso ente differunt, vt processus à termino, à quo proceditur. Status idem identitasque cum motui alteritatique opponantur, aliud sunt quam ens: quod quidem eisdem non sic opponitur. Esse iterum aliud motum quàm statum, & identitatem quàm alteritas nemo dubitat: siquidem opponuntur. Motum quoque ab alteritate differre constat ex eo, quòd status quoque est aliud quàm identitas. Potest enim aliquis sic in diuersitate, sicut identitate manere: non tamen hæc adeo ab essentia differunt. Quodlibet enim eorum est essentia, quamuis aliter atque aliter: præsertim si ex fundamento considerentur. Nam in fundamento eodem formalibus inter se rationibus differunt. Quamuis autem motus quodammodo dicatur essentia, non tamen è conuerso essentia ipsa ipse motus existit: alioquin statui minimè conueniret: neque rursum essentia est status: sic enim motui non congrueret. Similiter de altero & eodem licet argumentari. Vna igitur essentia sit, in ea sint & multa: quæ non tam multæ sint essentiæ, quàm (vt ita dixerim) essentialia multa. Essentiales inquam rationes, & proprietates, & actus, fermè sicut in igne lux, calorque, & leuitas. Atqui vt quiddam putant, neque hæc, neque illa tanquam in subiecto qualitates sunt, sed tanquam actus quidam in agente principio, ex eodem penitus prodeuntes. Profectò cum prima essentia tanquam forma prima efficacissima sit, nimirum innumerabiles fermè vires essentiales, & actus ex ea pullulant, & in eam, ratione inter se formali & efficacia differentes: ibique omnes tanquam differentiæ quædam sunt, quæ sub vna essentia videntur essentias constituere, dum essentiales species ibi constituunt. Neque verò miraberis illic esse plura, quæ quidem inter se diuersa sint formaliter, quamuis fundamento sint vnum, si consideratis quam variæ sint membrorum seminariæ rationes in virtute seminis vna: & quam variæ vires in anima ex anima germinantes omnesque simul. Item quantum lineæ

extra centrum inter se distent, quæ tamen in centro non distant. Cogitabis sanè circulum, vt vnum aliquid, in cuius centro velut essentia & fundamento lineæ vnum sint, per ambitum verò quasi per formam multæ sint atque distantes: similiter primam finges essentiam. Quantum verò quæ in causa sunt coniuncta, sint in effectu discreta, nemini dubium. Nam quæ in causa non solùm sunt situ simul & tempore, sed essentia insuper vna, in effectibus præter locorum distantiam, & temporum interualla, essentiis insuper distinguuntur. Essentia namque debilior non ita sicut prima potest eadem plurimis simul suppetere viribus, quæ multis insunt formis, neque sufficere pluribus actionibus, quæ variis proficiscuntur ex formis. Memento verò, quæ hic de Essentia & illis quinque dicuntur, tentari potius quàm absolui. De his enim in libris de Generibus entis diligentius pertractabitur. Memento insuper, nullas in rebus diuinis qualitates proprio nomine poni debere. Quæ enim ibi qualitates apparent, sunt & differentiæ speciales, quibus necessariò species ipsæ constituuntur atque discernuntur, & intimi perpetuique actus essentiæ. Apud nos quoque differentias speciales, similesque actus, non debere qualitates cognominari. Qualitates enim sunt, quæ speciali naturæ accedunt in se iam absolutæ, siue accedant inseparabiliter, vt proprietates quædam, speciem vel indiuiduum comitantes, siue separabiliter adueniant, vt quæ accidentia communia nominantur. Atque hæc quidem est appellatio recta, quamuis nonnunquam concedatur primas illas differentias & proprietates intimas appellari qualitates quasdam essentiales. Vbi verò rectè nominibus vtimur, calorem in aqua appellamus qualitatem atque passionem. Item calorem sensibus manifestam in ignis mole, etiam qualitatem, scilicet propriam atque actum. Virtutem verò calefactoriam, siue caloris genitricem, quæ in natura ignis substantiali, & quodammodo in definitione comprehenditur, non qualitatem, sed qualitatis productricem cognominamus. Existimãdum est igitur quicquid in ipsa ratione comprehenditur, substantiale siue essentiale prorsus existere: ipsam verò rationem hic triplicem intelligimus. Primò quidem idealem in mente. Secundò seminalem in natura. Tertiò formalem vbicunque sit, quæ scilicet definitione perpenditur. Cuiquidem in rebus naturalibus respondet substantialis forma, specialisque in materia sua: in cuius virtute propriarum qualitatum consistit origo. Effectus autem sensibus manifesti, tanquam qualitates accipiunt, quæ in rationibus substantialia sunt. Hinc Plato in Epistolis ait: Nos in definiendo delinquere, quoties quid substãtiale sit in rebus definituri, aspicimus in ea, & adhibemus ea, quæ sensibus nostris occurrunt. Hæc enim omnia sunt accidentia. Nam substantia non tam sensu percipitur, quàm ratione perquiritur, & cum substantialis forma non necessariò innitatur dimensioni, plerique hanc indiuiduam putant, & ad genus intelligibile redigunt. Quæ verò sensus palam attingunt, non essentias Plotinus ait, sed passiones materiæ, ab efficacia essentialis formę prouenientes, atq; ita sensum inde pati quodammodo, rationem verò argumentari.

Nemo itaque debet in aquæ definitione inserere frigus hoc, vel liquorem sensibus manifestum: tum quia frigidum atque liquidum, quale corpus hoc sit designat, non quid sit definiunt: tum quia etiamsi calefiat, aqua est: ac si concreta gelu, liquida non appareat, adhuc est aqua. Præterea, quod ex pluribus qualitatibus congregatur non est substantia, vel essentia, vel ratio essentialis existimandum. Vna enim vniuscuiusque est forma, ratioque formalis accidentium cumulum antecedẽs. Absurdum verò est propriam ipsam rei naturam ex pluribus simul congerere qualitatibus, præsertim vbi quælibet earum seorsum sit communis: alioquin ex illis quæ neque essentia sunt, & inferiora sunt nimium quàm essentia, conficeretur essentia. At si quis interroget, quomodo prima illa omnium essentia componatur: Primò quidem respondetur, non oportere idem prorsus existere quod constituitur, atque illa ex quibus dicitur constitutum. Deinde non iniuria illam essentiam nominari, quæ conficiatur ex eore, quod quidem ibi sit primum, atque simplicius: cui dum adiunguntur actus ipsius varij, per quos differentiæ quædam intus suboriuntur, consuma-ur essentia non quidem primo perfectior ente, scilicet quatenus essentia est: quippe cùm ita sit processio quædam entis, siue discessio interim ab vnitate prima sui, ipsum vnum præcipuè referente, partibusque quibus componitur egeat, si modo compositio propriè dici possit. Hactenus de essentia ita sit dictum ad ens vnumque collata. Quomodo autem ad vitam comparetur & mentẽ, alibi requirendum.

Quid sit propriè in rebus essentia. Quid præterea qualitas.

CAPVT II.

IN capite libri secundo quid qualitas sit inquirit, atque vtrum vllo modo ad essentialem pertineat rationem. Confitetur autem, non ad essentiam simpliciter acceptam, sed ad talem essentiam attinere. Si enim definias essentiam ignis tanquam calefactiuam, meritò inferes ibi calorem: sed fortè ibi calor interea definet propriè qualitas nominari. Sin autem absolutam definias ignis substantiam, quæ substantiam antecedit, talem non manifestè interpones ibi calorem: substantiam verò ignis non corpus tantum esse vult, sed corpus certa in specie collocatum. In cuius quidem essentia præcipuum sit substantialis forma occulta sensui, & occultis prædita viribus: secundum verò sit materia sua. Primum verò locum tenet forma, quoniam hæc rem in specie collocat, & dat esse materiæ: vocat verò substantialem formam sæpe hic, & alibi rationem: quia in primis rationi ideali seminarięque respondet, perque ipsam res ipsa tum intelligitur, tum præcipuè definitur, & quia propriè ratione cognoscitur. Tangit interea nonnullorum opinionem dicentium, quæ occurrunt sensibus qualitates, non esse firmum in se aliquid, sed plerunque passiones quasdam suppositorum vel oppositorum, illatas ab actionibus substantialium formarum vbique latentium. A quibus quicquid emicat assiduè in materiam propriam, esse formarum eiusmodi actus & actiones, vt calor & lumen, leuitasque in igne: quicquid autem inde transit in materiam alienam, passiones existere, sicut ab igne calor in aquam.

Repetit

Repetit inter hæc quæ rei ipsius essentiam necessario complent, non debere illic qualitates denominari siue essentialem talem compleant, sicut calor essentiam calefactoriam, siue essentiam simpliciter sicut differentia specialis vel prima virtus in igne antecedens quoque calorem. Subiungit, neque triangulum neque triangularitatem ipsam in triangulo qualitatem, id est, accidens esse, sed ceræ vel chartæ triangularem fieri, qualitatis more contingere. Concludit qualitatem proprio nomine acceptam cõtingere post ipsam simpliciter essentiam iam absolutam, siue qualitas separabilis inde sit, siue rursum inseparabilis. Hæc confirmari videntur ex eo quod theologi nonnulli de essentia disputant, vel natura quam nominant quidditatem, rationemue formalem. Quatuor enim circa ipsam signa cõstituunt: vt ecce in primo signo homo est animal rationale terrenum: quæ quidem ratio formalis est hominis. In secundo adhibentur huic rationi negationes omnium etiam propriè consequentium. Negationes inquam rationibus formalibus innitentes: vt homo neque risibilis est, neque non risibilis, neque docilis, neque non docilis. In tertio signo adiunguntur homini proprietates eius: vt homo est docilis atque risibilis. In quarto signo communia confluunt accidentia. Oportere autem ante communia esse vnicuique propria patet ex eo, quod mobilia firmis necessario innituntur. Propria insuper, siquidem plura sint, rediguntur ad vnum maximè propriè. Hoc iterũ, si more qualitatis adhibet esse tale vel tale, etiamsi tribuat id assiduè, in substantialem resolutur formam: quæ tanquam perfectior existit simpliciter esse. Quod quidem antecedit esse tale, sicut potentia ipsa simpliciter, talem potentiam antecedit. Hucusque fit comitantium in essentiã resolutio. In ipsa quoque essentia, essentialis virtus naturaliter insita resoluitur in essentiã: quam licet cogitando virtuti præponere: à qua quidem virtute passiones propriæ oriuntur. Post hæc communia plurimum aliunde contingunt.

Superiora confirmat.

CAPVT III.

Caput tertium superiora confirmat atque cõcludit, qualitatem vbicunque sit, esse passionem quandam subducti ab occulta quadam essentiæ virtutisq; essentialis efficacia dependentem. In ipsis autem rerum essentiis rationibusque formalibus loco qualitatum esse differentias speciales proprietatesque (vt ita loquar) essentiales, quibus species ipsæ rerum tum in seipsis constituuntur, tum ab aliis distinguuntur. Quæ quidem & actus quidam essentiales sunt, præsertim in essentiis à materia separatis. Subiungit rationem ipsam, scilicet tum seminariam, tum formę substantialis efficaciam propagare ex eo quod in ipsis est proprium, & nobis occultum, manifestas sensibus in superficie qualitates, & vbi ait calorem igni innatum non esse qualitatem, sed speciem actumque ignis, in primis intellige calorem, tum formam ignis substantialem, tum ipsius proprietatem, ex qua calor manifestus exoritur: qui non tam in ipsa ignis forma, quàm in aliquo subiecto suscipitur: inter hæc vbi ait, in qualitatum principiis exẽplaribusque esse actus quosdam loco qualitatum, quæ palam in subiectis apparent, potes etiam ita legere. Qualitatum principia exemplaria actus sunt eorum, quibus primo insunt. Neque rursum absurdum fuerit, vbi ait, naturam quidem essentiæ insitam esse speciem ipsius, aut actum, sed affectionem in aliud transeuntem dici potius qualitatem: dictum eiusmodi dupliciter intelligere: primo quidem (vt diximus) scilicet proprietatem in specie ipsa latentem esse ipsius differentiam atque actum, apparentem vero in materia qualitatem. Deinde rursum affectionem huic speciei propriam, in materia propria vigentem assiduè, sicut calor in igne, non tam qualitatem, quàm actum ignis existimandam: qualitatem vero præcipue quando transit in aquam.

IN LIBRVM
ENNEADIS SECVNDAE
VII. COMMENTARIVS.

Quomodo in numeris atque in natura compositio fiat atque commixtio: Item de tribus opinionibus mixtionis.

CAPVT I.



Quemadmodum in numeris aliud quidem est adiungere, aliud autem multiplicare: sic in rebus naturalib⁹ aliud est componere, aliud cõmiscere. Profecto simili quadam proportione, sicut in numerorum ordine additur vnitas vnitati, fitque binarius: sic in natura additur materiæ forma, fitque corpus. Ibi rursus vnitas numero ad ternarium procreãdum: hic similiter adiungitur virtus corpori ad motum efficiendum: fitque corpus mobile: Illic iterum apponitur numero numerus, vt binarius binario, vnde fit quaternarius, aut etiam quaternario ternarius admouetur ad septenarium componendum. Simili quodam pacto & in natura corpus iam mobile factum, ad corpus aliud æquè mobile se confert, atque vicissim: vnde corpora corporibus sicut numeri numeris componuntur. Proinde sicut in numeris præter adiunctionem multiplicatio fit, sic vltra compositionem, vel appositionem fit in natura commixtio. Quaternarium vides adiunctione creari, vbi duo dicis atque duo, vides in eodem commixtionem: vbi ait, bis duo confi-

ciunt quaternarium. Rursus nonarium cernis ad'un&#x1F;ctione creari, dum quinario quaternarius additur. Reperis in eodem commixtionem dum dicis ter tria nouem. Similiter vel admouetur, & quodammodo etiam infunditur corpus corpori, vel in vnum penitus confunduntur. In qua quidem confusione non licet in aliis corporis commixti partibus aliud hic, aliud ibi discernere, sed cuncta continentur in singulis: & ita in quolibet concluditur vniuersum. Sicut vbi numerum multiplicas, puta ternarium in qualibet vnitate parteque ternarij totum ternarium comprehendis: alioqui ter tria computare non posses. Tum vero sicut in numeris, quicunque multiplicatione conflatur, etiam adiunctione conficitur: neque vicissim: sic in natura vbicunque fit rerum exacta commixtio iam & compositio contingit, neque fit è conuerso. Omnino igitur sicut in numeris negare non potes eiusmodi conflationem fieri, in qua totum contineatur in qualibet parte sui ad nouam inde formam numeri procreandam, vt ternarius totus in qualibet sui parte multiplicatus ad ipsam nouenarij formam: ita similem in natura commixtionem negare non debes. Nam & in natura & in numeris eiusmodi fit conflatio, quia talis est in natura vitali, atque in ipsa ideali vita mutua seminalium vel idealium conspiratio rationum. Plotinus igitur id in præsentia tractaturus, tres adducit opiniones: primam eorum qui in corporibus inter se conciliandis, neque materias, neque qualitates penitus commiscebant, sed apponebant materias materiis, qualitatesque similiter qualitatibus, quam quidem opinionem cōtinuo respuit. Secundam, eorum, qui quamuis materias non commiscerent, sed potius admouerent, qualitates tamen inuicem confundebāt. Horum sententiam probabiliorem esse declarat. Tertiam postremo, putantem tum materias materiis, tum qualitates qualitatibus exactissime posse conflari, admittit etiam vt probabilem. Principio in oximelle vsque adeo acetum cum melle miscemus, vt nulla relinquatur in hoc cōposito portiuncula, quæ non habeat vtriusque saporem: ex quo refelluntur illi, qui sola quadam appositione confiderent, perinde ac si integra panici grana, cum integris milij granis congregarentur. Contundent alij pariter vtriusque grana, dicentque granis vtrinque ad minimas naturæ suæ particulas iam contritis, propinquare quidem particulas singulas vtrinque singulis, sed non omnino confundi materias, quamuis confundatur inuicem qualitates. Nam vbique in quolibet milij minimo esse quendam panici saporem, atque vicissim. Alij vero vino adhæc adhibito conterent diligentius: ideoque exactius commiscebunt, adeo vt penitus non contritæ solum, sed etiam liquefactæ materiæ non iam apponantur vlterius, sed nihilo prohibente penitus confundantur: ibique posthac singulorum trium vbique sint non qualitates solum, quod sensus ipse declarat, sed materiæ quoque conflatæ. Concludent talia quædam à natura multo perfectius, quàm ab arte posse conflari materias non alienas, sed suas, non interdum, sed ab initio semper: non extrinsecus, sed intrinsecus temperante. Plotinus autem pro sententia prima rationem adducit nullam, tres vero pro opinione secunda. Prima ratio est huiusmodi: Duo corpora in eodem loco penitus inuicem æquari non possunt: nam si eodem in loco penitus esse debeant, oportet illa primum in partes diuidi: deinde partes vicissim suas partibus adhibere. Quæ quidem partes si indiuisibiles sūt, iam corpora illa ad indiuidua sunt resoluta. Et quoniam ex eisdem composita fuerant, in quæ dissoluuntur, sequitur vt ex indiuiduis quibusdam ipsa corporum magnitudo cōcreuerit: quod ideo fieri nunquam potuit, quoniam indiuidua congregatata simul nullam conficiunt magnitudinem. Sin autem partes illæ corporum diuisibiles fuerint, quælibet per se erit corpus, situmque proprium seorsum habebit ab aliis. Itaq; nō erunt corpora duo prorsus in eodem loco, imo multis in loculis corpuscula multa. Secunda ratio: Quando duo corpora commiscentur, semper fermè maiorem simul locum occupant quàm alterutrum: ex quo apparet non fuisse dimensiones vtrinque penetratas ad summum. Tertia ratio: Quando corpus longè minus insinuatur longe maiori, non potest minus ipsum cum maiori prorsus æquari. Quod si quis obiiciat, locum aliquando post duorum commixtionem non occupari maiorem, respondebunt, aërem illic egredi, qua nouum corpus ingrediatur. Post hæc pro opinione tertia dicitur, sudorem ex toto corpore penitus extillare, neque vllam ibi fieri fractionem. Sin autem aduersarij dixerint, meatus à natura illic institutos, per quos absque scissura sudor efflueret, respondebunt alii: per laminas sæpe corneas vel eburneas tenues, ac etiam per membranas admodum densas oleum penetrare, ac prorsus implere, neque augere molem, neque discindere. Tum vero materias omnino inuicem coæquari, inde probabunt, quod sæpe post earum commixtionem moles prior non videtur excrescere. Obiiciem iterum aduersarii, corpora duo non posse absque incisione ad summum se inuicem penetrare: ac si exactissime penetrando se inuicem exactissime secent, omnino disperdi: sæpe vero priorem non augeri locum, quia subtiliorum comitetur interim exaltatio. Respondebunt opinionis tertiæ authores: etiam vbi post mixtionem locus amplior exigatur, defendi exactissimam illic fuisse mixturam. Quid enim mirum sit illic magnitudinem augeri, vbi ex conflatu multorum virtutes quoque multæ coaluerunt? Forte enim priorem non funditus perire dimensionem, sed è plurimis qualitatibus aliam coalescere, & è pluribus dimensionibus aliam concrescere magnitudinem. Ad hæc obiicient: nullum posse argumentum fieri, si non ponantur materiæ iuxta materias, vt linea lineæ per longum addita: sed sibi inuicem inserantur, & linea prorsus infusa lineæ, siue ex termino inseri funditus, siue ex latere conseri fingas. Item vbi constat commixtionem fuisse completam, intelligi nō posse, quomodo minimū corpus ibi adæquet maximi quantitatem. Respondebunt: vel corpus minimum eatenus misceri maximo, quatenus potest: vel etiam posse vel totum sese diffundere, quando scilicet quantitas prior extenditur. Dicēt enim forsitan, extensionem non esse ipsam propriè quantitatē, sed quantitatis passionem atque modum: itaque quantitatem eandem quasi materiam varios extensione modos accipere. Responsionem eiusmodi Plotinus ait non esse tutam, vbi assignatur ab illis, qui plura corpora dum miscentur, seruare dicunt prioris substantiæ formam

& qualitatem. Tunc enim minimum corpus dū priorem seruabit formam forsan non poterit ad maximi modum funditus quantitate protendi: sin autem aliam acceperit formam, nihil mirum & aliam accipere quantitatem, sicut quando ex aqua fit aër.

Discußio opinionum de mixtione, in qua videtur approbare, in mixtione perfecta totum corpus vtrinque confundi per totum.

CAPVT. II.

IN secundo capite tentat quid potissimum in his dubitationibus sit dicendum. Primo quidem videtur concedere liquidum corpus per aliud tum materia, tum qualitate penitus ingredi, sicut per bombicem aqua. Atque posse post eiusmodi mixtionem ibi magnitudinem æqualem esse atque prius, præsertim vbi ingrediente liquore subterfluit aër: posse etiam magnitudinem augeri, vbi alterum alteri sit prorsus imbibitum. Quid enim mirum, si hoc ex illo nouas accipit qualitates, nouam interim accipere magnitudinem? atque sicut per totum accipit qualitatem, ita dimensionem illius penitus intromittere, atque inde concrescere? Sed cum qualitas qualitati potius aduersetur, quam vel qualitas quantitati, vel quantitas quantitati, merito in mixtione prior aliqua qualitas vel transit in nouam, vel obscuratur, quantitas autem magis permanere videtur. Quo vero exactior fit permixtio, eo magis formæ priores sequenti formæ concedunt. Quod quidem & arte perficitur & natura. Forsan vero dimensio absque sectione dimensionem ingredi potest, sicut & qualitas qualitatem, & materia sæpe materiam. Nihil enim hanc prohibet penitus ingredi, cum suapte natura sit incorporea. Vbi autem impeditur ingressio, non qua ratione ibi dimensio est, impeditur, sed qua densitas duritiaque resistēs. Hæc enim est quæ propriè nescit cedere, ideoque intromittere vel ingredi nesci. Aliud vero esse duritiem, aliud dimensionem nullus ignorat. Impedire autem ingressio solet non solum à qualitate dura, sed ab hostili etiam qualitate. Vbi vero neutra sit, impedire non solet introitus. Hec vna cum Plotino tentauisse potius quàm absoluisse sufficiat. Nam aliquis forte dixerit, quando corpus hoc in illud prorsus infunditur, sitque interim alteratio, si magnitudo non crescat, priorem desinere dimensionem, vna cum propria forma, dum fit vtraque noua. Ipsam namque dimensionem in rebus esse distantiæ causam: & idcirco quatenus duæ quædam in aliquo dimensiones existunt, illic esse horum ad illa distantiam molamque protendi. Quod quidem & Plotinus hic forte significauerit dicens, materiam suapte natura non respuere mixtionem, præsertim quando neque propriam quantitatem habeat, neque vllam reiiciat quantitatem: & quando repetit corpus illud penetrare per aliud, non dimensiones repetit, sed qualitates atque materiam. Verumtamen non videtur existimare impossibile inter corpora valde liquida dimensionem absque fractione penetrare dimensionem: quippe cum fractio inter duta fieri soleat: Concedet & forsan flammam similiter penetrare ferrum, simulque prorsus æquati.

Quid corpus, quid corporeitas, ac de ratione ideali, seminali, formali,

CAPVT. III.

COrpus quidem naturale definit in capite tertio, substantiam tribus dimensionibus, qualitatibusque affectam: corporeitatem vero rationem quandam effectricem dimensionum & qualitatum. Rationem sanè hic accipit tum seminariam in natura, tum formam substantialem in materia, in cuius virtute specifica familiares speciei suæ dimensiones qualitatesque continentur: quas in ea contineri voluit vbi ait: Corpus est compositum ex materia atque ratione. Ait inter hæc in definitione quidem substantiæ naturalis comprehendi materiam: in definitione vero substantialis formæ materiam non includi, quoniam non ex materia pullulat, sed à ratione imprimitur seminali. Tangit & triplicem rationem, summam & idealem in intellectu, quæ ipse est intellectus, cuius neque esse, neque actio sit in materia. Secundum vero seminalem in animæ ipsius natura: cuius non tam esse quàm actio in materia sit. Tertiam formalem, id est substantialem corporis formam: cuius & esse & actio simul est in materia. Potest tamen intelligi, quodammodo absque adiunctione materiæ, quoniam cum non prodeat ex materia, sed ex causa potius separata, videtur in ipso primo prodeundi gradu rationem in se aliquam habere formalem, in qua possit prius quàm applicet se materiæ, cogitari. Hinc forsan confirmari potest quod pletique disputant, formarum distinctiones & gradus ex materia minimè proficisci: sed omnia hæc tanquam formalia ad virtutem formæ reduci, sicut materiales conditiones ad materiam rediguntur.

IN LIBRVM

DE VISV, ET QVARE, QVÆ PROCVL SVNT PRAVÆ videantur,

COMMENTARIVS.

Rationes aliorum duæ, & Plotini duæ: cur remotiora videntur minora.

CAPVT I.



Quæruntur in hoc libro duo. Primum: cur obiecta ob oculis remotiora soleant videri minora. Secundum: quam ob causam duo quædam remotissima à nobis spectacula & inter se distantia, puta stadio, videantur minori etiam inter se spatio distare quàm stadio: item minus à nobis distare quam distent. Ad hæc nonnulli respondent: lumen ipsum quo videmus, quo magis ab obiecto veniens propinquat oculo, eo magis accommodare seipsum ad oculum atque pupillam, sicut & corpora liquida sese locis accommodant. Hæc responsio ita demum propriè valet si lumen de quo loquitur, sit radius visualis missus ab oculo, iterumque ab obiecto reflexus ad oculum, sic enim forte naturali quodam vigore paulatim ad quantitatē suæ originis reuertetur. Sunt enim qui dicant, lumen hoc ab oculo procedens pyramidali figura rem videndam attingere, perque illam subito dilatari: & ab ea rursus quasi ex base pyramidalem versus oculum figuram reficere, tangereque cono pupillam oculi similiter natura pyramidalis. Ex eorum ergo sententia responsio eiusmodi propriè fortasse valebit. Nam & communiter valere aliquo forte dicent: quoniam luminosum primum id est, sol, lumen quidem effundat ex tota circumferentia sui, sed huius vndique colligat se in conum, ne extra suum fontē profluens euanescat, sic etiam potentius aget, & totum facilius erit vbique. Ac dum tota basis coarctatur in conum, sol totus omnisque virtus eius per angulum aderit, agetque vbique: poteritque ita in angulo tota eius magnitudo videri. Sic etiam cum in sole centrum & circunferentia sit, ipsum eius lumen quatenus à toto solis effluit ambitu, circunferentiam imitatur, quatenus autem colligitur in angustum, imitatur & centrum, hinc fieri dicent: vt ex quolibet illuminato corpore lumen eadem quasi figura sese ad alia & ad oculos colligat. Hactenus quidem sit responsio prima. Respondent iterum alia ratione: formam quidem rei videndæ in ipsa re materialem habere naturam: sed inde spiritali susceptam lumine materiam exuere subito, & spiritali quadam ratione venire, quamuis ad longum seruare proportionem quandam ad propriam materiam videatur. Sed cum primum incipit proportionem quoque hanc amittere, videri minorem, ac denique omni ad materiam propriam proportione consumpta, oculis non vlterius apparere, sicut neque videntur oculis ipsæ formarum naturalium rationes formales, seminariæ, ideales. Hæc sint ex aliorum opinione responsa. Quæ sanè opinio, quæue responsa quātum habeant varietatis, alibi deprehendetur.

Post hæc sequitur ad idem propria Plotini respōsio. Profecto quanta sit tota rei dimensio, tunc plane metimur, quando singulas gradatim eius partes perspicacius intuemur. Cum igitur vbi procul posita res est, particulæ plurimæ lateant, merito totius mensura nos fugit, maiorque videtur. Præserum quia luminosa qualitas, vtpote quæ & efficacior est quantitate, & propria visui, efficacius priusue quàm quātitas sese oculis obiicit. Qualis ergo res ipsa sit, primo videmus: quanta vero, secundo, dum, videlicet perspicimus qualitatem. Cum igitur visualis radius in rem à nobis effusus, & longiori tandem progressione debilitatus, quantitatem, scilicet, colorem, luminosamque naturam discernat minus: merito quantitatem quoque confuse metitur. Iam vero quod est in forma substantiali perfectius atque imperfectius, id in accidentali forma intensius & remissius, idem in quantitate maius atque minus: in motu velocius atque tardius: in tempore diuturnius atque breuius. Cum igitur ipsum maius minusque proprium quātitatis proportionem quandam habeat cum eo quod est intensius & remissius qualitatis, cumque ipsa quantitas in notitiæ ordine qualitatem sequatur, nimirum vbi visus sub remissiori gradu percipit qualitatem, interim sub minori mensura percipit quantitatem. Inter hæc memineris, colorem esse proprium visus obiectum: vocem similiter proprium auditus obiectum: item vehementiá potestatemque coloris ad visum propriè pertinere: vigorem quoque vocis similiter ad auditum: magnitudinem vero pluribus percipi sensibus, eamque esse non tam ipsam rei sensibilis efficaciam, quàm eiusdem diffusionem quandam per multitudinem atque locum: & hanc non primo quidem, sed per ipsam nobis qualitatem & efficaciam innotescere. Quo fit, vt vbi minus patet qualitas, interim quantitas delitescat. Tribus autem potissimum hæc indiciis confirmantur. Primum est eiusmodi: Si colles variarum rerum formis plenos inspexeris, eas ibi formas planè conspiciens, magnitudinem regionis ipsius rectius metiris, quàm si formas eiusmodi nequaquam intuearis, quasi per formas pateat magnitudo. Secundum: tabulam aspice propè positá variis figuris impressam, nisi figuras inspexeris

sigillatim, non tantam iudicabis tabulæ magnitudinem, quantam si perspicuè omnes sigillatim conspexeris atque summatim. Tertium: Si in parietem viridi tantum colore depictum aciē verteris, non tantus tibi paries hic occurret, quantus si pluribus fuerit coloribus insignitus. Vix enim dimensionis partes inter se discernere potes, vbi formarum varietas non distinguit, sed à qualibet dimensionis parte repentè prolaberis, nisi differentia qualitatis sistat intuitum. Per hæc responderi potest quæstioni secundæ, quam videlicet ob causam ædificia duo in opposito colle nobisque remotissimo sita, & inter se distantia stadio, distare etiam minus appareat. Item quod si centum à nobis stadiis separata sint, breuiori etiam interuallo à nobis videantur abesse. Vbi enim confusius formarum cernimus varietatem, nimirum nec quantitatem interualli discernimus.

Quod non propter minores angulos videantur minora quæ remotiora sunt.

CAPVT II.

IN capitulo secundo responsionem ad hæc illorum confutat, qui putant ab obiecto visibili per lineas radiorum pyramidalem ad oculum protendi figuram, & cono quodam pupillam attingere: & quanto remotius est obiectum, tanto gradatim acutiorem effici conum. Itaque dum breuiori paulatim angulo rem perspicimus, breuiorem quoque magnitudinem coniectare: præcipuè quando eousque processum est, vt angulus ipse iam pupilla sit minor. Quid ad cætera sit dicendum vna cum Plotino alibi disputabimus. In præsentia vero potissimum id respuitur, quod aiunt idcirco minus videri corpus, quod minor iam euaserit angulus, quam pupilla. Ratio enim hæc ibi concedet alia quædam insuper tunc à pupilla videri: quando res vna pupillam angulo suo implere non possit: at enim vbi obiectum est adeo ingens, vt nihil vno intuitu conspici possit vlterius, tunc etiam minus quàm sit apparet, quamuis angulus quo videri dicitur, non minor euaserit quam pupilla. Toto namque visu conspicitur hemisphærium, quodvsque adeo pupillam impleat, vt nihil præterea conspicere queat. Quod igitur minus quàm sit putetur, non ex eo continget quod per breuiorem angulū quàm sit pupilla cernatur. Inter hæc animaduertes indicium, quo confirmes, secundum Plotinum, non formam obiecti ad oculos peruenire, sed oculi radium ad obiectum. Visio namque velut actio quædam ad ipsum modum visualis formæ peragitur. Si igitur obiectum ad pupillæ (vt aiunt) se angustiam conformaret, non grandius vnquam quàm sit pupilla iudicaretur: nunc vero longè grandius iudicatur: quoniam radius visualis extra porrectus per ipsam rei magnitudinem se diffundit: Sed profectò negare non possumus, radios à corporibus luminosis pyramidali quadam figura ad oculos peruenire, atque cum hac ipsa figura spiritalem saltem qualitatem rei, vel virtutem, aut actum ad nos vsque perferre. Vicissim quoque ab oculis emitti radios testatur radialis natura visus, præcipuè in animalibus noctè videntibus. Quoque alij cominus vident, eminus alij, nec videmus admodum rara, neque nebulas valde proximas, quia non terminant potentes adhuc radios oculorum. Mitto, quid & homines, & animalia quædam intuitu oculorum extra conficiant. Denique plus luminis necessarium est prope obiectum, quàm prope oculum: vbi enim radius noster emittitur, validus est. Nec insuper expedit lumine ibi vberiore spargi, sed penes obiectum iam debilis lumine multo fouetur, eodem per obiectum protinus diffundendus. Probabile enim videtur visualem oculi radium protendi per pyramidalem occurrentis luminis latitudinem eiusdem luminis adminiculo versus rei videndæ latitudinem, quatenus videlicet progredi valet: & quando sic terminatur, peragi visionis effectum. Vtriusque vero, scilicet radij visualis atque luminis vberioris commercio quodam confici visionem Plato in Timæo, & Galenus Calcidiusque ibidem docent, & perspectiue confirmant. Lumen vero dictum vel radio visuali est ingenitum, vel foris adhibitum.

IN LIBRVM NONVM, CONTRA GNOSTICOS, COMMENTARIVS.

Vnum bonumque idem est & omnium primum. Item tria sunt principia: Ipsum bonum, mens, anima.

CAPVT I.



Plotini mentem non fuisse à Christiana lege penitus alienam ex eo conijcere possumus, quod cum Ammonij semper Christiani discipulus fuerit, & Christianissimi Origenis semper amicus, conuenisse dicitur vna cum Origene atque Heremnio, se nunquam ab institutis Ammonii discessurum: idque sicut promiserat seruauisse. Praeterea gentilium Deorum cultum alio animo aliquando contempsisse: Amelio ad hunc exhortāte Porphyrius ipse discipulus eius est testis. Denique ab haereticis multis Platonem suum partim deprauantibus, partim etiam contemnentibus frequentius irritatus, respondebit quidem latissimè: nihil tamen in respondendo commune Christianis inseruit: sed propria duntaxat ad haeresim: cum alioquin impune in Christianos inuehi ea tempestate liceret, & offerretur occasio. Qui vero fuerint huius haeresis autores: quidue profiterentur haeretici, qui Gnostici nominabantur, similes Manicheis, recenset in describenda Florini vita Porphyrius. Ex eorum certè opinionibus constat eorum haeresim quamuis Christum colerent, non minus tamen à cōmuni Christianorum sententia, quàm à Platonicis dissentire. Sed quantum ad institutum nunc opus pertinet, haec sunt illorum errata praecipua. Super ipsum vnum bonumque nescio quid somniabant. Intellectus praeterea separatos ineptissimè distinguebant. Inter intellectum, & animam medium aliqnid inserebant. Animam deprauatam fecisse putabant mundum à malo principio malum. Non esse quicquam bono siue bonitate, item ipso vno siue vnitate superius superiusue sic ostenditur. Principio meminisse oportet, quod non est primum non esse simplex: atque è conuerso quod non est simplex, nec esse primum. Si qua enim res non sit omnium prima, certè dependebit ab alia ideoque duo quaedam erunt in ipsa, scilicet tum aliquid causae: tum aliquid insuper proprij à causa differens. Itaque dum non est prima, merito nec potest esse simplex. Rursum si qua res non sit simplex, habebit in se necessario & hoc, & illud. Quaeremus igitur, vtrum hoc ab illo sit tantum, an vtrumque pariter ab vtroque: an neutrum à neutro: an à tertio quopiam sit vtrūque. Si respondeas hoc ab illo pendere, illud certe erit primum, hoc vero secundum: nequelicebit dicere cōpositum hic aliquid esse primum. Neque rursum licebit dicere vtrumque fieri pariter ab vtroque: alioquin idem aliquid comparatum ad idem, erit & causa, & effectus, & prius atque posterius. Sin autem dixeris, vtraque à tertio quodam fieri, non hoc quidem cōpositum, sed tertium illud erit primum atque principiū. Nefas est insuper duo quaedam in supernis ponere: quorum nec alterum sit ab altero, nec à tertio sit vtrumque: alioquin nulla determinata causa ratione que coibunt, sed forte contingēt. Temerarius vero casus in supernis esse nō potest: alioquin nullus foret in sequentibus ordo. Quāobrem sicut diximus quod non est primum, non est simplex: sic & dicimus quod non est simplex, nec esse primum. Quo igitur aliquid prius est, eo simplicius atque viciſſim. Quod itaque primū est, simpliciſſimum est, atque viciſſim. Quocirca & ipsa (vt dixerim) primitas est ipsa simplicitas atque contra. Cum igitur summū in simplicitate teneat vnitas atque bonitas, vtrumque certe & idem est, & primum omnium atque principium. Bonitas sanè simplicissima est: alioquin componeretur ex pluribus. Ideoque indigere partibus atque componente, itaque per se sufficiens minime foret. Oportet tamen bonitatem ipsam non solum esse sufficientissimam, sed ipsam esse sufficientiam. Haec enim appetitur tanquam bonum. Ipsum itaque bonum cum sufficientissimum sit, est etiam simplicissimum. Est itaque primum: praesertim quia si non sit primum, quod erit ipso bono superius, erit & melius bonitate: tametsi nihil bonitate melius fingi possit: qua sola melius fit quicquid est melius. Tum vero quaerimus, vtrū ipsum bonum appetat illud, quod ipsi fortè praeponitur necne. Si non appetit, mirum est effectum non appetere causam à qua perficitur. Si appetit, rursum mirabile est, ipsum bonum aliquid extra se concupiscere, cum in bonum omnis desinat appetitus. Praeterea de rebus aliis similiter percontamur: vtrum vltra boni limites appetāt quod bono fingitur esse superius necne. Nefas quidem est omnia primum principium nō appetere. Nefas est iterum appetere aliquid vltra bonum. Ex omnibus his colligitur ipsum bonum esse simplicissimum omnium, atque primum. Vnitatem vero siue ipsum vnum esse simplicissimum nemo dubitat. In omni enim essentia vel esse vel fingi compositio numerusue potest: In sola vnitate non potest: alioquin non foret vnitas ipsa, sed vnum aliquid atque multitudo. Diuisio quinetiam vnitati contingere nequit. Si quis enim hanc diuidere moliatur,

non diuidet quidem, sed repetet vnitatem. Lignum certè vnum secas, & maius lignum in ligna minora. Vnitatem vero quæ cogitabatur in ligno, in nullas vnitatis partes diuidere potuisti: alioquin forent vnitate minores: sed vnitatem ita multiplicasti, siue potius propagasti, vt quæ in vno prius etat, subinde foret tota eadem in duobus. Cum igitur vnitas simplicissima sit atque prima, meritò est idem atque bonitas: ne fortè sint prima rerum principia duo, & inuicem fortuna concurrant, & ante vnitatem sit binarius. Dum verò dicimus bonitatem & vnitatem esse penitus simplicissimam non intelligimus rem quandam simplicem, vel quæ sit in aliquo, vel ex qua aliquid componatur. Si enim sit in alio, neque seipsam valeat sustinere, certè dependebit ab alio. Si rursum ex hac aliud componatur, nequaquam perfecta res erit: sed contendet vlterius, & in formam actumque compositi redigetur. Ipsum itaque bonum, ipsumuè vnum idem est omnino & simplicissimum atque primum, nec in aliquo residens: neque ita consideratum, vt aliquid in se prius sit: deinde sit bonum atque vnū: alioquin ibi alterum accedet alteri, eritque priùs aliquid imperfectum, fietque compositio. Primò igitur & simplicissimo mentis intuitu ipsam bonitatem siue vnitatem contemplari debemus, non aliquid de aliquo prædicantes. Sed primo totoque mentis ictu simplicitatem ipsam percipientes. Quoniam verò post hæc Plotinus de tribus agit mundi principiis scilicet ipso bono, & mente prima, & anima prima: meminisse debemus, vbi communia mundi principia perscrutamur, in primis quæ sint præceteris in mundo communia contemplari debere. Est autem vbique omnium communissimum vnitas, nixusque ad bonum. Id namque munus ad res etiam nondum formatas extenditur. Secundo communitatis originisue gradu forma est ordouè formalis: gradu denique tertio ponitur motus ipse vitalis. Cùm verò munus quò communius est, eò ad priorem pertineat causam, meritò prima omnium causa est ipsum bonum, siue vnum: vnde & quo dependet vnitas nixusque ad bonum. Secunda verò rerum causa mens est prima, ad quam spectat ordo formalis. Tertia est anima prima, qua omnis vbique vitalis motio reditur. Cùm igitur vniuersum conspiciamus, & formarum ordine formosissimum, & vitalibus vbique motibus efficacissimum: meritò vbique mentem regere, vbique animam spirare putamus. Et quoniam tum formarum ordo gratia boni conspirat in vnum: tum vitalis motio contendit ad bonum, haud ab re tum mentem quæ sic ordinat omnia, tum animam que sic omnia mouet ab ipso vno bonoque volumus dependere. Sic igitur vniuersum hoc corporeum, & ab alio mobile ad animam primo redigitur per se mobilem, motu proprio cuncta mouentem. Hæc ad mentem omnino stabilem, statu proprio cuncta ducentem. Sed vtraque, scilicet & mens & anima refertur ad bonum, & cuius gratia tum mens stabiliter, tum anima mobiliter mouere videtur, & in quo mens ipsa quiescit, & circa quod anima se reuoluit. Nempe siue anima moueatur, & moueat, mouetur ac mouet ad bonum. Siue mens quiescat & firmet, certè quiescit & sistit in bono. Hinc & omnibus est natura tributum: vt sicut mouentur ad bonum, sic & in bono quiescant. Et profectò quemadmodum ipsum bonum aliud quiddam est præter illa quæ mouentur ad ipsum, & præter motum: sic & aliud est præter illa quæ in eo stant, & præter statum: alioquin in se ipsis ab initio quieuissent: Post ipsum bonum mens proximè sequitur, mentem anima proximè comitatur. Cum enim omne agens agat ad bonum, mens quę dum agit ad bonum stabiliter agit, & in seipsam agendo reuoluitur bono, quam proxima iudicatur. Anima verò quæ & per essentiam manet, & iterum agendo ex seipsa mouetur, & post progressionem reficit orbem, menti quam proxima est omnino stabili, & in seipsam omnino conuersæ. Sed quis non videat animam semper ac veræ intelligentiæ compotem esse intellectui primo quam proximam? Quòd igitur in mundo sit motio & actio quæuis ad vitam denique conferens procedit ab anima. Quòd autem eiusmodi motio ordinata sit atque stabilis & in orbem restituatur, & formas exprimat, sortitur à mente. Quod denique tum motioni certus vbique præscriptus sit finis, tum formæ passim aliæ conducant aliis, est ab ipso bono tributum. In cœlo quidem essentia, lux, mobilitas, bonum, mentem, animam repræsentant. Sub cœlo autem causa finalis bonum, formalis mentem, efficiens animam referre videtur. Quam verò de tribus omnium principiis & passim in argumentis in Platonem & in Theologia latius disputamus, hæc breuiter attigisse sufficiat. Post hæc autem confutat eos qui diuina inter se distingunt vel quam alia sint in potentia, alia sint in actu. Nihil enim in æternis est in potentia: vel quoniam intellectus alius quidem maneat, alius moueatur. Non enim in intellectu est motus vllus, sed primus in anima motus. Vel quoniam intellectus hic quidem substantiam quandam intelligat, siue suam, siue etiam alienam. Ille verò actionem duntaxat alterius intellectus, quam alter ille, cuius est actio, non intelligat. Distinctio sanè eiusmodi in animarum natura non diuidit substantias animarum. Siquidem animus idem qui vel se, vel aliud quoduis intelligit, sæpe se intelligit intelligere. Ergo & multo minus ita substanciæ mentium diuiduntur, & multo magis mens eadem vtrumque explere potest. Iam verò concedimus ipsum simpliciter intelligere ratione quadam ab ipsa intelligentiæ animaduersione differre. Nam illud quidem habet essentiam aliquam pro obiecto: hæc autem pro obiecto actionem spectare videtur. Et in nobis non semper qui cognoscit, is agnoscit etiam se cognoscere. Veruntamen mens quælibet à corporis commercio separata, adeo intelligit expeditè, vt quatenus intelligit aliquid, eatenus intelligere se prorsus agnoscat. Præsertim cum ea ibi sit intelligendi conditio: vt mens ad intelligendum suam spectet essentiam. Si enim ibi perfecta intelligentia est, intelligibile habet intimum atque certissimum, minimeque dependet. Ita verò fit maximè, si pro obiecto suam spectet essentiam. Dum verò suam essentiam intuetur, in suo esse intellectuali & in actu intelligentiæ perpetuo positam, cognoscit se esse essentiam intellectualem ac semper intelligentem. Quatenus igitur intelligit se, eatenus se intelligit intelligere. Præcipue quoniam sicut idem est in luce lucere, quod & esse, sic idem in ipso intellectu esse, quod intelligere. Dum ergo se esse cognoscit, etiam intelligere se prorsus agnoscit. Quamobrem intellectus quilibet absolutus sicut semper intelligit, ita quod intelligat, ipse semper animaduertit: præsertim cum nulla exterior occupatio ipsum ab ip-

sa sui animaduersione diuertat. Est autem illic actus idem intelligentiæ: quo & simpliciter intelligit aliquid, & quo illud se intelligere semper agnoscit. Si enim actus eiusmodi ibi distinguas, iam dicemus & actum tertium similiter & quartum, & infinitè deinceps ibi distingui: quatenus per sequentem actum innumerabiliter intelligere fingitur præcedentem. Nefas autem Philosophi putant infinitos actus & hos quidem superfluos illic in præsentia ponere: præcipuè si per illos infinitæ illic substantiæ multiplicari dicantur. Inter hæc ipse notabis, Plotinum in mentibus beatis animaduersionem essentiæ actionisque suæ perpetuam ponere: eodemque actu & intelligentiam & agnitionem intelligentiæ essentiæque expleri. Quod sicubi dixerit, simplicem ipsum primumque intelligentiæ actum animaduersione distrahi. Expone, scilicet quando animaduersio est actio re ipsa ab intelligentia differens. Et quando fit animaduersio ministerio quodam imaginationis, ab intellectu nimium differentis, atque ad aliena interim distrahentis. Refellit subinde quod aiunt: inter ipsam mentem atque animam esse mediam substantiam quandam, quam rationem quidem ipsam intellectualem appellant: animam verò dicunt ab hac suscipere rationem. Sic enim anima nullam veram habebit intelligentiam atque perpetuam. Vera namque perpetuaque intelligentia est, vel in ipsa mente, vel in eo quod proximè mentis est particeps. Anima verò ex eorum opinione non primo quidem gradu, sed secundo intelligentiæ nonnihil acciperet, & imaginem illius potius quàm naturam. Atque ita neque seipsam animaduerteret, quod est naturę intellectualis officium: neque intellectus alicuius substantiam excogitare poterit à naturis sequentibus absolutam: neque rei cuiusquam formalem comprehendere rationem, aut definitionem ipsius veritatis amplecti. Talia enim ad mentem propriè pertinent.

Prouidentiæ modi diuersi, scilicet in principiis tribus: Deinde in stellis: Tertio in dæmonibus: Quarto in hominibus.

CAPVT II.

IN secundo igitur capite colligit tria rerum principia: ipsum scilicet bonum, & eius filium intellectum ex paterna luce luminis more manantem: atque insuper mundi animam ex intellectu diuino, velut spiritum per omnia profluentem. Sed ea conditione inferioribus prouidentem, vt interim à diuinis nulla ex parte declinet. Sed quò attentius diuinis inhæret, eò potentiorem fœcundioremque ait ad sequentia reddi, & quasi iam inde prægnantem sequentia parere. Ad hęc tria principia vniuersalis prouidentia pertinet, qua & omnibus, & omnia prouident. Minus verò vniuersalis ad sphærarum stellarumque animas: harum enim quælibet prouidet quidem omnibus, sed non omnia. Nam vnaquæque propria tribuit, quamuis cunctis. Minus etiam vniuersalis in dæmonibus est prouidentia. Quilibet enim certa quædam curant genera rerum, quibus & quædam propria tribuunt. Particularis etiam in animabus nostris ad inferiora prouidentia est. Atque impensiori etiam sollicitudine, quam dæmones propria curant: vt stultum sit humanam prouidentiam cum animæ mundanæ prouidentia comparare. Cum enim & anima prima potentissima sit, & prouidentia eius vniuersalis, extra quam nihil est, quod eius repugnet officio, non iniuria Plotinus ait, hanc dum prouidet, neque laborare, neque minus esse beatam. Animam verò nostram vsque adeo regendis corporibus occupari, vt à superioribus quandoque discedat. Discedat inquam per infimam sui partem primo, id est, per imaginationem eiusque affectum propensius ad inferiora vergentem. Quæ quidem ad hæc secum subinde trahat partem animæ mediam, cuius proprium est ratione discurrere. Intellectum verò quem & animæ partem nominat, confirmat (vt sæpe solet) animam intelligentiam intermittere nunquam. Videtur autem hæc de intellectu sententia non Plotini solum, sed Ammonij quoque præceptoris eius Alexandrini fuisse. Quem Plotinus in omnibus dicitur prosecutus. Accepimus & alios quosdam auditores Ammonij in eadem sententia permansisse. Quam & Iamblichus inter Aegyptiorum dogmata connumerare videtur. Notabis interea animam nostrã, quamuis particularis anima nominetur, quia particularem habeat prouidentiam, nullo tamen pacto esse mundanæ animæ partem. Rursum, animam nostram ideo in regendo corpore sollicitari atque laborare, quoniam neque summum tenet animæ gradum, quem obtinuit anima mundi: neque permanet in sũmo tota, neq; cũ inferioribus prouidet. Eam sanè particularium animarum conditionem esse putat, vt per vices hoc aut illud agant, quantum videlicet ad rationem imaginationemque pertinet, quantum verò spectat ad intellectum nullas agere vices. Quemlibet enim intellectum esse in æternitate penitus constitutum. Siquidem in proprietate animæ subinde sequente, primus est motus primumque tempus.

Mundum non fuisse aliquando nouum ex noua quadam animæ prauitate: neque aliquando periturum.

CAPVT III.

FRustra igitur fingebant hæretici animam primam aliquando à diuina beatitudine cecidisse: atque ita ad deteriora degenerantem fabricauisse mundum. Temere nimium mundo propterea dabant initium, quòd faber eius nuper esset permutatus in malum. Satius admodum erat dicere, mundum ex anima semper naturali quadam necessitate productum: quemadmodum & forma corporis à vegetali virtute, & calor lumenque ab igne. Videmus enim perspectissima quęque in natura naturali largitate semper agere, neque ex inopiæ malo, sed potius ex copiæ bono. Quod si semper agant, illa etiam quorum virtus & actio ad quædam tantum determinata est, vt elementum quodlibet & compositum: multò magis tria illa principia rerum: quorum virtus est communis ad omnia, semper agunt. Præstat itaque dicere mundi fabrum æterna bonitatis copia ab æuo mundum progenuisse: quàm noua prauitate nouum. Profectò si principiorum naturam in actu semper absolutam consideramus, atque sic opus ad eam conferimus, opus inde sempiternum sequi videtur. Quamuis si ad ipsam diuinæ bonitatis vel intelligentiæ voluntatem respexeris, mundum valeas tum sine noua fabri prauitate, tum sine diuini consilij nouitate nouum excogitare. Sanè cum in diuinitate natura idem sit atque

voluntas: neque voluntas naturæ aufert quod proprium est naturæ; neque natura proprium voluntati. Tum verò confutat quod putabant mundum aliquando periturum. Sola enim quæ resolui in aliquid possunt, interire posse videntur. Nam aliquid in nihilum euanescere bonitas ipsa naturæ non patitur. Quandoquidem neque patitur alicubi vacuum. In quid ergo mundus resolui potest? Nunquid in materiam? Esto sanè. Sed ita demum quærimus, nunquid materia illa formam habeat nec ne? Si habet: adhuc erit id compositum in materiam resolubile. Tunc illa neque in nihilum euanescere potest, neque informis perseuerare. Esse enim datur vbique per formam. Ac si finxeris eam sine forma manere: tunc alibi quidem materia erit: alibi verò diuina quasi limitibus inde disiuncta: quandoquidem nihil ex illis emicet in materiam Non igitur erunt vbique diuina. Quod dictu nefas esse in Theologia probanimus, & alibi comprobauimus. Neque licet fingere materiam in nihil posse resolui. Quippe cum nullum agens ad resoluendam contendit simpliciter vt resoluat: sed vt se augeat, vel propaget. Id verò ex aliquo duntaxat & in aliquid fieri potest. Præterea si materia redigatur in nihilum, constabit sane materiam ab initio necessitatem à nullo præcedente subiecto, vnde fieret habuisse: cum ita nullum aliquando subiectum præcesserit, sicut denique sequitur nullum. Extitit igitur ab initio quadam consecutionis necessitate ex superiore efficienteque causa. Eadem igitur consequentiæ necessitate semper erit.

Faber mundi non inclinatione, sed consistentia fecit mundum.

CAPUT IV.

Reprobat iterum quod aiunt, animam primam non ex eo quòd in sua dignitate manerer, sed quia degenerauerit mundum procreauisse. Sed antequam confutationes Plotini prosequar, recensere iuuat Porphyrij verba in eandem sententiam ex libro eius vias ad intelligibile demonstrante. Sic igitur ait: Nulla substantiarum quæ vniuersæ sunt atque perfectæ, ad suam conuertitur genituram. Omnes autem perfectæ substantiæ ad generantia potius rediguntur, & id quidem ad corpus vsque mundanum: quod sanè cùm sit perfectum, ad animam est redactum: animam inquam, intellectualem, ideoque circulo voluitur. Anima verò mundi ad intellectum attollitur: intellectus autem erigitur ad principium. Subdit verò paulò post: In substantiis verò particularibus, & ad multa labi potentibus inest procliuitas deflectens ad genituras, ideoque in his delictum dicitur accidisse: in his infidelitas est damnata. Has igitur contaminat ipsa materia, propterea quòd ad hanc deflecti possint, cùm tamen interea se ad diuinum valeant conuertisse: quamobrem perfectio quidem à prioribus secunda substituit, conseruans eadem ad priora conuersa. Defectus quoque alicubi priora quædam etiam ad posteriora deflectit, efficitque vt hæc ipsa diligant, à superiore interim diuertentia. Hæc ille. In quibus confirmat dæmones quosdam, vel animas hominum à diuinis degenerando, corpora fabricare Mundum verò ab anima quadam diuina, & in diuinis perseuerante fuisse constructum. Tantum enim tàm pulchrum, tàm diuturnum opus efficere, ac sine transgressione ducere, tamque mirabili ratione mouere, non est potestatis aliquando inclinantis, sed in optimo semper habitu consistentis, facientisque fabricam, non tàm vt optima videatur, quàm quia naturaliter ipsa sit optima. Quod si optima est illa potestas, & vt ex motu apparet, infatigabilis, nunquam quod optimè fabricat, vel ob pœnitentiam destruet, vel ob defatigationem desinet conseruare. Dicere verò mundana institui malè, atque hinc argumentari, mundi naturam esse malam, & auctorem huius malum, hominum est vel iniquorum, vel penitus ignorantium. Stultotum quoque est opinari potestatem illam vt agat, indigere consilio. Si enim in natura ipsius erat vt gigneret, consilio ad hoc nullo prorsus indiguit. Sin opus consilio fuit, non erat prima illa potestas naturaliter sufficiens ad generationis effectum. Nulla igitur natura, nullaque potestas per se poterit aliquid generare, vel facere.

Neque animam esse corpoream, neque mundum fuisse à malo principio constitutum.

CAPUT V.

Redarguit præterea quòd dicebant, mundi fabrum animam, qua viuit mundus ac mouetur, ex elementis mundi composuisse, quæ corporea sit & irrationalis, atque mortalis. Primò quidem nefas est, vniuersum habere animam nostra deteriorem: deinde animam componi ex elementis quasi posteriorem, quæ tamen tanquam virtus repugnantium copulatrix prior esse debet, & simplicior atque constantior. Denique natura ex elementis composita, neque quicquam efficit, nisi corporeum, neque reflectitur in seipsam. Deridet insuper, quòd se fore beatos putent, quando exemplari mundo fruantur. Cùm tamen opificium hoc ad exemplar eiusmodi constitutum, detestari minimè vereantur: præsertim cùm dicant, mundi fabrum tunc primum mundi exemplar excogitasse, quando ad deteriora se vertit. Addebant fabricauisse mundum, ad animas custodia coercendas, quod est frustra tentatum. Quòd verò curam eiusmodi illum putabant habere de mundo, quæritur, vtrum curaret id ante mundum: an mundo iam facto, cœperit deinde curare? Si prius, frustra saltem curauit, vt diximus: sin autem post mundum, tunc forsan vel mundi dispositionem accepit ab ipsa mundi specie, hanc à materia segregando, aut ab animab. quòd si ab ipsa mundi specie ille percepit curandi conditionem, poterant & animæ per se similiter percepisse: sin autem ab animabus, ridiculum dictu est, imò & vtrumque ridiculum. Vbi verò de coercendis dicitur animabus, opinio tangitur, quam & tetigit Origenes, quod videlicet spiritus omnes ab initio sint æquales, sed propter diuersos voluntatis motus magis minusue aut conuersos ad Deū, aut diuertentes ab eo, tum spiritus varios in se gradus acceperint, tum corpora mundi differentibus constituta sint gradibus, tum denique spiritus alij alijs sint addicti corporibus, cuius opinionis error inde cōuincitur, quod tota dispositio mundi in ipsa graduum distinctione consistens, cùm sit maximè formale finaleque, & optimum in vniuerso, meritò primum est in ipsa primi agentis intentione. Non igitur ex meritorum diuersitate contingit, præsertim quia si naturæ rationales ab

initio æquales erant, alia non dependebat ab alia. Casu igitur obtigit variarum concursio voluntatum: casu igitur ordo tum in spiritibus, tum in mundo deinde. Item cùm differentiæ speciales, & species in rebus quidem inferioribus naturales essentialesque sint, nefas dictū est, esse accidentales in superis. Essent autem accidentales, si non fuissent ab initio, sed per liberos voluntatum motus postea contigissent. Tametsi difficillimum est assignare, cur modis tàm diuersis moti sint spiritus tàm æquales. Qui certè si ante voluntatum momenta erant multi, neque tamen per quantitatis diuisionem ita distincti: neque per vllum adhuc ibi accidens discrepantes. Ergo per formalia & essentialia quædam inuicem differebant, quatenus aliquid erat in aliquo, quod non erat in alio. Qualis distinctio sine graduum diuersitate esse non potest, cùm ad priuationem redigatur & formam. Ante igitur motionum varietatem varietas inerat naturalium. Sed de his oportunius alibi.

Opifex mundi est primus intellectus per animam: item tria sunt principia, bonum, mens, anima. Item primus intellectus & primum intelligibile idem.

CAPVT VI.

VEtus erat opinio, formas in materia resultare ex quadam impressione à formis affecta diuinis, dum materia influxum idearum quasi speculi more repercutit: ideoque pro veris idearum formis verisimiles reportare, vel reddere, vel simulare. Itaque animas fallere à supremo iam mundo prolapsas, donec pœnitentia tandem affectæ, ex hac quasi colonia vel exilio in patriam reuertantur. Veterem hanc sententiam vsurpantes heretici, eiusmodi passiones animæ quibusdam substantiarum nominibus ineptè nimium obtegebant. Post hæc obseruabis, antiquos inter Christianos, hæreticos transcorporationem animarum à veteribus accepisse: sed arbitror illos ex homine in hominem tantùm, siue terrenum, siue aeriū, non autem in bestias animam hominis traduxisse. Sic enim & doctores Hebræorum accepisse tradunrur. Verba quoque de opificio mundi, hos Plotinus iudicat peruertisse: siquidem tanquam tres substantias, accipiunt tria verba Timæi: quibus tamen tres eiusdem substantiæ proprietates apud Plotinum significantur, videlicet vt idem ipse Deus mundi faber excogitauerit, id est, decreuerit, & naturaliter decernendo peregerit tot in mundo rerum species, quot intellectus ipse suus in ipso fuimet viuente, id est, in sua essentia viua contemplaretur ideas. At hæretici dicebant, ipsum viuens esse ens ipsum intelligibile, primum omni superius intellectu. Qui verò contemplatur ideas in ipso, esse primum formaliter intellectum. Qui autem excogitauit efficere, esse animam primam, & hanc consilio quodam facere, quamuis malo, postquam scilicet à supernis degenerauit. Plotinus autem idem esse intelligibile primum, intellectumque primum ita probabit. Primus intellectus cum perfectò intelligat modo, intimum habet intelligibile. Ipse igitur intelligitur à seipso, tanquam ipsemet intelligibile ipsum sit, sicut est intellectus. Item quod primum perfectumque intelligibile est, perfecto modo intelligendum est. Perfecta verò ratione intelligitur, si intelligitur à seipso. Siue igitur intellectum spectes, mox intelligibile consequitur intimum, siue cernas intelligibile, intellectus statim intimus comitatur. Et meritò quoniam longè maior proportio est intelligibili ad intellectum, atque vicissim quàm visibili sit ad visū. Intellectus enim rem ipsam intelligendam penetrat, & diuidit, & definit.

Anima mundi alligat sibi corpus suum, & per hoc quasi alias animas. Item quomodo etiam anima propria det corpori vitam.

CAPVT VII.

REprobat iterum, quòd animam genitricem mundi dicant, animæ nostræ more in hac fabrica laborare, & ab ipso contemplationis officio distrahi. Ait enim: Cum tota machina sit animæ mundanæ subiecta, nihil illi resistere, nihil effluere proprij, nihil alieni contingere: item, totam corporum molem ab ipsa anima per infusam vitam, tùm inter se colligari, tùm animę deuinciri, prorsusque subesse: animam verò nostram ad corpus accedere, quasi quoddam hactenus mundi membrum, atque iam inde quodammodo viuens in gremio totius animæ, sit illi fermè connexum, sicut fœtus in aluo: Itaque venientem extrinsecus animam alligari animali quasi iam facto, neque penitus dominari. Animam verò mundi sibimet animal generare, ipsumque sibi potius, quàm se ipsi ligare, ideoque nihil in animalis passionibus aliquando compati. Quòd enim tanquam deterius est præstantiori, connexum pati quidem solet, si patiatur illud: neque tamen fit è conuerso. Tu verò memento, quamuis anima nostra nanciscatur corpus iam viuum, nihil tamen prohibere, hanc quoque adhibere corpori vitam, ceu lumini lumen. Hic enim vita prior ad actum & proprietatem vitæ post venientis facilè trahitur: hæc enim est in proprio corpore potior, atque si ad alteram comparetur, quasi substantiale quiddam ad aliquid accidentale se habere videtur. Concludit denique vniuersum vbique bene disponi, ad bonum videlicet commune perductum. Siquid verò incommodi interea partibus quibusdam accidat, inde contingere quòd infirmitate sua, vel ipsum totius ordinem ritè sequi, vel impetum sustinere, aut deuitare non possint. Animaduerte verò, in comparatione Plotini intellectualem animam posse, tùm ipsam ordinem fatalem effugere, cum à superiori principio pendeat: tùm etiam ordini huic libenter ac diligenter obsecundare: tùm denique hoc sibi commendatum corpus, ita cum ordine conformare, vt quandoque deuitet incommoda.

Faber mundi non mutatione sui, sed potestatis naturalis copia fecit mundum tanquam Dei statuam.

CAPVT VIII.

QVando interrogantur hæretici, quam ob causam mundi faber cōstruxerit mundum, respondent: quoniam à contemplatione cecidit, ac velut ambitiosus ad agendum se contulit atque imperandum. Præstabat autem naturalem assignare fœcunditatem, quàm voluntatis iniquitatem, atque ita interrogantibus respondere: Sicut calor qua ratione calor, naturaliter calefacit, & lux qua lux illuminat naturaliter, & similiter

vita viuificat, sic potentissimum illud agens potestatis suæ naturalis præsentia facit. Omnino verò contra religionem omnem atque philosophiam esse videtur quòd dicebant hæretici, opificem mundi prius in se formaliter permutatum, quàm faceret mundum, atque facultatis opificiæ quæ sempiterna est, imò idem est ibi quod sempiternitas, initium aliquando contigisse, quando scilicet opifex ille propter lapsum à melioribus factus est impotentior. Est & contra religionem vituperare mundum tanquam malum, nam & in Genesi Moses ait, tùm singula in mundo bona, tùm cuncta valde bona mundi artificem effecisse. Huc tendit & illud: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sic itaque magnitudo & potestas & motus vniuersi mirabilem diuinitatis potestatem nobis ostendit, ordo mitificus sapientiam, præsertim in tanta rerum varietate seruatus, vsus quoque ad optimum vbique conducens declarat proculdubio bonitatem. Potestatem inquam, & sapientiam & bonitatem, non solum quæ sit in opifice, sed quæ communicata etiam sit opificio, alioquin non possemus opifici huius contemplatione talia de opifice iudicare, quamobrem satius admodum foret vniuersum hoc Platonico more, quasi Dei statuam honorare, & quæ in eo excellentiora sunt, tanquam certiores statuas idearum, quàm hæreticorum more vituperare. impium enim esse Platonici iudicant, statuas Dei viuas ab eodem fabricatas, positasque in templo mundano ad cultum legitimum omnibus demonstrandum despicere, ne dum criminari, nam & quid sibi velit illud: In sole posuit tabernaculum suum, non est negligendum. Non solum itaque mundus diuinā mentem dissimiliter imitatur, vt hæretici ferunt, sed imitatur quoque similiter. Dissimilis quidem imitatio intelligitur, vbi per oppositionum vices fit comparatio: Sicut illud immateriale, indiuisibile, immobile, ita hoc vicissim materiale, diuisibile, mobile. Igitur sicut illud bonum est, id ita malum. Et autem in mundo etga diuinam mentem per similia insuper imitatio quędam, quatenus opus hoc repræsentat essentiam illam, vitam, intelligentiam, ideas, imò & vnitatem ipsam atque bonitatem. Igitur & hoc est bonum tanquam imitatio boni. Emanare verò hoc inde Plotinus existimat naturali quadam bonitatis illius exuberantia, sed causam adæquate non posse. Terram post hæc plenam esse inquit, immortalium animalium, similiterque spatium vsque cœlum multoque magis & ipsum cœlum. Immortales in terra sunt animarū vires vltra ipsam terræ animam saltem animæ nostræ cœlestibus hic etiam coniunctę corporibus. Vt prætermittam quod Orphici terrestres etiam dæmones introducunt. Immortales in aëre pariter atque æthere sunt dæmones, saltem quantum spectat ad cœleste illorum corpus. In sphæris quoque cœlorum omnibus immortalia diuinaque sunt animalia ipsæ scilicet stellæ. Sunt & qui in orbibus Planetarum vltra Planetas in quolibet ponant dæmones, quasi stellas ita suo Planetæ subiectos, sicut in firmamento à maioribus reguntur stellę minores. Mitto quod ideæ cunctæ sunt vbique, quas solent animalia intelligibilia nuncupare. Quamlibet denique intellectualem substantiam vbique similiter esse posse in Theologia tractamus. & tractabimus alibi. At si quis conicerit hominum, atque etiam dæmonum animas posse quandoque vehiculum cœleste deponere, ex quo animal eiusmodi non sit immortale. Primò quidem dicimus, non facilè istud admitti, deinde si admittatur, depositionem eiusmodi corporis haud propriè mortem esse dicendam, quia nec fatali naturaliue cursu, nec violentia foris illata vel intus accidat, sed facili quadam quasi depositione vestis atque voluntate. Denique si cum terrena concedant viuere, forsan negent cœlestia, audiant Theophrastum dicentem, non esse Philosophum qui neget cœlestia viuere. Sin verò cœlestia ratione priuent, quæ mirabili ratione semper incedunt: animaduertant quandoque se esse vel oculorum vel rationis expertes. Si negent, mundum esse à bono, audiant mundum ita his reclamantem: Cum assiduè vos ordine meo ad diuinam prouocem sapientiam atque vitam, scitote, me ex diuinitate pendere.

Gnosticorum errores non minus Christianis quàm Platonicis aduersantur.

CAPVT IX.

IN sequentibus verò dum confutat ineptas hæreticorum criminationes in mundum: animaduerte, in mundo esse tres præcipuè gradus. In primo poni sphærarum stellarumque motores. In secundo sphæras. In tertio composita infra Lunam. Ac sine graduum horum distinctione mundum non esse pulchrum. Similiter tres humanæ vitæ gradus: Sunt enim diuini homines, sunt humani, sunt & quodammodo bruti. Simili ratione diuersitas apparet in ciuitate etiam rectissimè constituta. In eiusmodi verò distinctione & ordine pulchritudinem, tùm vitæ, tùm ciuitatis esse memento. Notabis interea cœlestes deos inferioribus singula prouidere: ac dæmones sub Luna plurimos esse bonos, hominibusque meliores: concedi tamen dæmones aliquos esse malos. Sicut prætereatàm stultam fuisse in Gnosticis hæreticis arrogantiam, vt nullam dicerent virtutis speciem esse posse, nisi in eis qui eandem hæresim sectarentur. Item malos esse hic dæmones & Angelos omnes: Rectores quoque sphærarum cœlestium esse prauos: Ipsamque totius mundi vitam. Denique nullum vsquam numen honorandum quoquomodo esse vel inuocandum, sed primum tantum sine medio exorandum: Atque ad id quidem impetrandum solam hæresis suæ professionem, & verba quædam ritusque sufficere. Neque necessariam ad hoc esse exactam vitæ morumque puritatem. Denique pessimum quemque hęresis sectatorem vniuerso meliorem esse censendum. Vt non mirum sit, Plotinum his etiam acrius indignari. Notabis denique sicut maxima nobis potentia solis elucet, si conuincamur ab eo solaria esse quam plutima, id est, omnium vbique lumina: sic mira Dei potentia fulget: si ab vno dij multi fiant, atque dependeant. Deos post hæc ait, tum quę Deo superiori, tùm quæ ipsis placent, hominibus inspirare. Deos hic accipe, tùm stellarū animas, tùm dæmones bonos. Stellarū enim animæ, quæ à mente animæ mundi, mēteque diuina decreta sunt, dæmonib. Hi nobis inspirant. Tu verò dum Plotinus inuehitur latius in hæreticos, memento, neque legitimum Christianorum genus hic attingi neque ipsam Christi personam. Quoniam Gnosticorū errata non minus à Christo sunt, quàm à Platonicis aliena. Et profectò si

Porphyrius qui causam suscepit contra Christianos Christum oraculis confirmantibus iudicauit sapientem & pium atque beatum: meritò Plotinus qui solum contra quosdam hæreticos agit, Christum à maledictis censer excipiendum. Nec iniuria illos insequitur, qui asserebant mundum esse natura malum, atque à malo. Animas nostras esse mundi anima meliores, fierique etiam meliores Angelis. Et id quidem absque labore vllo & purificationis officio, sola scilicet hæresis illius confessione. Et quibusdam titibus, & certa quadam pronunciatione verborum, neque licere cuiquam aliter fieri bonum. Denique Deum ipsum solius humani generis curam habete. Totius verò mundi rerumque mundanarum prouidentiam apud Deum esse nullam. Quæ quidē Christianæ legi non minus quàm Platouicis aduersantur. Nam siue Paulum audias ad Romanos, Deum disces non vnius tantum, sed omnium esse Gentium: siue Euangelium, cognosces Deum vniuersò vsque ad minima prouidere. Item confirmari Propheticum illud, omnes videlicet posse dici deos, ac filios Excelsi omnes. Et vnà cum Propheta præponi Angelos animabus. Arrogantiam maximè omnium extirpari. Solo spiritu & veritate Deum adorandum. Sola morum puritate feliciter promerendum; id quidem munus laboriosissimè comparari.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XII.

IN capite iterum duodecimo planius quoque perspicies, non Christianam legem vllaex parte, sed superbissimam Gnosticorum hæresim improbarj, falsos Zoroastris libros fingentiū, philosophiæ summum profitentium, Platoni se arrogantius in sapientia præponentium. Quibus etiā decepti fuerint philosophantium multi familiariumque Plotini, antequam Plotino familiariter vterentur. Quid verò dicam? Vbi hæreticum illud stultissimumque deridet: ipsum mundi fabrum appellant sapientiam simul & animam: sapientiam quidem, quatenus antè intellectum viuebat: animam verò, quatenus est inclinatus ad fabricam. Ambigunt insuper, vtra vis eius prius ad mundi fabricam declinauerit. Addunt cæteras animas consequenter tunc ad corpora descendisse tanquam huic fatali lege connexas, ac simul annuisse corporibus sapientiæ membra, id est, dæmones. Tum verò fabrum infudisse materiæ nonnihil imaginarium, atque deinceps ex hoc imaginario materiali, imaginarium aliud adhuc vanius resultasse tanquam remotius à substantia, & forsan adhuc aliud, idque extremum esse mundum: vt conuincatur id totum esse vanissimum.

Vita quæ in corpus pendet ex anima, vt actus animæ est immortalis.

CAPVT XIII.

OBseruabis in capite decimotertio vitam irrationalem, quæ ex substantia rationali dependet, velut imago eius & actus, nullo modo sustineri à materia: neque subiecti alicuius fieri qualitatem, sed solum existere ex anima, & quasi emicare: sicut radius visualis ex oculo animalis noctè videntis, cui etiam si non contingat extingui, contingit tamen non emicare aliquando, vel emicate, & solo pendere ex oculo.

Penes intentionem ipsius naturæ totum prius est quàmp artes operis: ac totum simul inchoatur.

CAPVT XIV.

IN decimoquarto capite notabis: quoniam natura per formam agit, agitque toto formæ totius impetu, ad totam penitus propagandam, ideo primum in ipsa naturalis agentis intentione formam esse totius & integram, itaque totam vnà cum partibus quodammodo cunctis ex vigore intus agente funditus inchoari. Sic inchoantur plantarum & animalium species: sic ex diuina causa totus simul mundus effluxit.

Cælum calere quidem & calefacere, non tamen vrere, nec obesse.

CAPVT XV.

IN capite decimo quinto memento, cœlum calere quidem & calefacere, sed non vrere: quod addebant hæretici. Si in omni viuente corpore vnà cum ingenita vita congenitus est & calor, corpus certè primò viuens calet & primò, & calefaciendo cuncta viuificat, atque cum augeat & foueat omnia nihil vrit. Qnod quidem calefaciat, non motu solum, sed natura patet: quia diffusis sine motu per omnia radiis calefaciet, & sola radiorum in seipsos multorum collectione etiamsi collidatur, nihil vehementius calefaciet, non tamen naturaliter vtit, alioquin tùm magnitudine sua, tùm celeritate motus totum reliquum repente consumeret. Quod autem ignes accendantur in alto, non ab æstu cœli, sed forsan ex aëris illius angustia prouenit. In quo calor ex calore motuque cœli leuiter primum accensus euadit paulo acriot angustia loci Cui cum se applicat subrilis vapor & siccus atque sulphureus, fit feruor longè vehementior in vapore: Vbi etiam ex motu vaporum concutiente calor intenditur. Veruntamen plus adhuc est ibi luminis quàm caloris. Fulgur autem ab inferiori sede ex causa violentiore demittitur. Post hæc notabis, cum cœlestium natura generet omnia, & viuificet, & conseruet eam naturaliter esse bonam. Tum verò quę iniqua censentur, inde significari, nō fieri. Denique quæ apud nos sub communi cœlestium influxu fiunt, effici inter se differentia: tùm propter species differentes, tùm propter varias fortunas singulis contingentes. Varias inquam prout pertinet ad anni tempora, locaque diuersa, affectionesque animorum. Hæc ergo non ex cœlo existere differentia, sed quod datur cœlitus influxu communi propter hæc accipi differenter. Gradus verò bonorum à maiori in minus per ipsam boni latitudinem procedentes, nefas est, tanquam malos vituperare, atque hinc improbare ipsam vniuersi naturam. Ridiculum quoque ex eo quod progredientibus ordine rebus interim mali aliquid subrepat: principium inferre maleficū, quasi malorum sit efficiens causa potius quàm deficiēs, ac propositio quodam comitantur potius quàm forte contingant. Profectò dum intentione naturæ ab ipso rerum principio procedentis certæ generantur formæ, ideoque bona fiunt, consequenter formæ aliæ cedunt, quod malum esse videtur. Cum igitur eodem motu quo per se fit bonum, per accidens contingat & malum, nemo debet ob

differentiam

differentiam bonorum atque malorum contraria quædam principia ponere, ac præter principium bonum introducere malum, multo minus per naturam primam essentiaque malum, alioquin essentia & esse erit malum, appetitur tamen tanquam bonum, & oppositum eius respuitur velut malum. Preterea principium agit sequentia quatenus est efficax & in actu, agitque per formam. Hæc verò sunt bona. Non est igitur ipsum malum, neque facit per se mala, sed similia sibi, id est, formalia, ideoque bona. Malum verò ad formę priuationem attinet, quæ accidit non inrenditur. Per hæc igitur & Gnosticorum, & Manichæorum confutatus est error.

Oratio non adoratum Deum, numenque mutat se adorantem.

CAPVT XVI.

CApur decimum sextum deridet hæreticos quod putent verbis rebusque humanis è suo habitu flecti cœlestia corpora, animasque cœlorum numinaque cœlo superiora. Item quod omnem orationis vim in vocum modulis, & odoribus, characteribusque constituant. Præterea quod morbos omnes nihil velint esse aliud quam dæmonia. At Euangelica doctrina Deum in spiritu & veritate præcipit adorari, neque Deum mutari vult, sed adorantem, multosque curat ægrotantes non occupatos à dæmone.

Non adoratio, sed virtus impetrat à Deo diuinum munus.

CAPVT XVII.

MVnus prouidentiæ proprium elucet in optima vniuersi dispositione, & in optimo mundani opificis habitu. Totum hoc stultè nimium auferebant hæretici, dum in mundi dispositione vituperanda dominum authoremque prouidentiæ incusabant. Iam verò vt conuincerent nihil esse in mundo boni, dicebant nullas vel naturæ vel hominum leges esse bonas, & quæ virtutes dicuntur nihil esse: neque ipsi de virtutibus aliquid loquebantur: neque de purgandis animis pensi quicquam habebant. Prædicabant enim si quis duntaxat cogitaret Deum, certisque apud eos precibus inuocaret, omnia protsus impetraturum: etiam si perturbationes sensuum nullas expellat: quibus certè nihil ab Euangelica doctrina est alienius. Non enim qui dixerit domine domine, & quæ sequuntur. Memento verò quòd ait: Absoluta virtus Deum nobis ostendit. Sicut enim perceptio caloris ignei ad summam perducta materiam lumine prorinus implet, facitque ignem: sic etiam ipsa per virtutem imitatio Dei, animum tandem diuinum efficit atque Deum: animusque ita seipsum videndo, videt & Deum.

Platonici facilius admittunt dogmata Christianorum, quàm Gnosticorum.

CAPVT XVIII.

FAc agè. Plotinum à Græcis Christianis audisse, ab Ioanne Damasceno præsertim, vltimum quendam ordinem angelorum defecisse à Deo, corporibusque ex aëre crassiore post hæc inclusos, non reprobabit hęc, sed Platonicis prorsus accommodabit: quod quidem Christianæ legi non repugnare Romanus tradit Egidius. Non potest autem non acriter indignari, cum audit, totum mundum ab Angelo quodam pessimo pessimum fuisse creatum. Item quòd profiteantur hęretici se numinibus cœlo superioribus acceptissimos esse, dum cœlorum rectores qui ab illis dependent, suntque simillimi, tanquam malos acriter detestantur, totumque mundum ordine dispositum diuinissimo execrantur vt malum, ac Deum prædicant solius hominum generis curam habere. Totum verò mundum in quo est homo, cuius ordini connectuntur humana, ne prospicere quidem. Quæ adeò ridicula sunt, vt absurditate sua satis redarguantur.

De mundo animali, dæmonibus, pulchritudine, & quod pulchritudo procedit ex bonitate, atque est signum bonitatis.

CAPVT XIX.

SEgrega si potes, à mundo dimensionem atque materiam: relinque cætera: sphæram habebis intelligibilem, id est, animalem atque multiplicem. In qua quidem anima prima congruens vniuerso secundum virtutem orbis amplior erit. Orbes subinde velut virtute angustiores, reliquæ per ordinem intellectuales animæ, sic alia fermè potentia complectens aliam: sicut in his quæ videntur, orbis alius amplectitur alium. Sed in animali mundo quia nulla dimensio distrahit, quodlibet passim totum in toto quolibet reperitur: est autem ibi motus atque circuitus, qualis intellectuali animæ conuenit, dimensio verò non actu quidem, sed potentia quadam actui proxima. Nam ex virtute animæ protinus processura est corporis species, certam ab anima in materia exigens quantitatem atque figuram. Et quatenus se extendit potestas animæ processoria, eatenus pro viribus extenditur in corpore quantitas. Profectò si quis inspexerit intimam animæ motionem, videbit & formalem ibi diuersitatem, & propter motum tempotalem ab alio quodam actu in alium interuallum. In hac ergo diuersitate in hoc animalis circuitus interuallo incipiet iam dimensionem futuri corporis orbisque suspicari: sicut aliquis ex crebro quodam scintillæ vibratu orbem continuum suspicatur. Est autem vniuersum illud sphæricum animarum ex intellectualibus quidem facultatibus stabile, quasi centris polisque quibusdam, ex sequentibus verò potentiis mobile. Ex illius autem status motusque vigore fit mundus corporeus, & consistit atque mouetur. Ex cuius perspicua miraq; pulchritudine decet naturalem ipsius & intimam bonitatem existimare: atque ex his duobus pulchritudinem & bonitatem animæ coniectare. Proinde vbi ait, dæmones sentiri posse, atque esse pulcherrimos: intellige, sentiri quidem posse, quemadmodum in libro de pulchritudine diximus: Pulcherrimos insuper esse, quos Magnus Basilius honos nominat Angelos habentes corpora partim ignea partim aëria, lucidissima pulcherrimaque, sicut significauit Dauid dicens, Angelos Dei ministros esse spiritus atque flammas. Sic ergo putat Basilius Angelos commodius mutare locum, quiescere, ministrare, ac sine fallacia sensibus se

offerre. Eandem Psellus asserit Apostoli Pauli fuisse sententiam. Hac itaque ratione siue demones bonos, siue Angelos nominare mauis, sunt in corporibus benefica numina, honore cultuque aliquo digna, ex Platonicorum sententia simul & Christianorum, contra sententiam Gnosticorum. Qui dum benefica ex mundo numina tollunt, peruertunt ordinem vniuersi, & ea sibi adimunt media, per quæ summis conciliari commodè possent. Summatim verò quæcunque sunt extrinsecus reuera pulchra sunt & naturaliter intus bona, siquidem ex intimæ formæ perfectione atque victoria seminariæ rationis super materiam peruenit externa formositas. At si deficit species intima, tunc res ipsa & diminuta est in melioribus, id est, intimis, & deficit à melioribus, id est, ab illis, quæ sunt in gradu præstantiora: nec absolutè pulchra est, sed pulchritudine mutilata. Vnde Porphyrius demones quorum animi sunt iniqui, corpora quoque dicit habere deformia: quorum verò probi sunt animi, corpora insuper esse formosa. Et Origenes ex luce ordineque cœlestium argumentatur, spiritus illis inesse Deo propinquiores, lucidæque intelligentiæ compotes, atque vnà cum Apostolo Paulo spiritus à Deo longè degenerantes corporibus ex aëre caliginoso concretis includit. Profectò si corpus dependet ex anima, nimirum talis quædam corporis dispositio à tali quadam affectione animæ prouenit, siue naturali, siue mores naturæ per habitum iam contracta, siue affectu & inclinatione propensius quandoque concepta. Præsertim quando corpori primordia dantur, & quando insuper incrementa. Corpus itaque pulchrum signum est animæ pulchræ, id est, harmonicæ penitus atque lucentis, & omnino bene concinneque se habentis, quantum spectat tùm ad cogitationem imaginarionemque tùm ad affectum seminariamque naturam. Turpe verò corpus est animæ incompositæ signum, & in habitum vel affectum dissonum iam prolapsæ. Cum ergo mundus pulcherrimus sit, pulcherrima simul & optima est anima mundi, similiterque sphærarum animæ omnium atque siderum. Apud nos quidem potest fortè, sed rarò in corpore formoso esse anima in præsentia non formosa, quoniam anima quę ab ipso conceptionis initio formosa fuit, postea paulatim deformis euasit: sed omnino pulchra erat quondam, quando elegit, cœpitque pulchrum corpus effingere, sub pulchro sidere rursum atque dæmone. Potest quinetiam esse anima pulchra interdum in corpore non formoso, vel quia quæ quondam pulchra non fuit, pulchra tandem euasit, vel quoniam sæpe animæ pulchræ molienti formosum corpus effingere, impedimentum quoddam ex his quæ circumstant, & quæ confluunt contigit, vel contingit. At animæ mundi neque accedit quicquam, neque recedit, neque obstat impedimentum. Nihil enim vniuerso tale potest accidere.

Anima nostra quia est soror animæ mundi, potest & fatalia superare, & ad illius beatitudinem peruenire.

CAPVT XX.

VBi ait animam nostram esse sororem animæ mundi atque cœlestium animarum, memento, animam intellectualem neque esse partem, neque prolem mundanæ animæ cœlestiumue animarum: item posse quandoque ad earum beatitudinem peruenire, fierique illarum quodammodo in mundi gubernatione collegam. Preterea posse nonnunquam quando se recipit in seipsam fatales ictus aut minuere, aut etiam deuitare. Denique non licere ex hac mundana custodia vinculis vi solutis abire, ac multo minus fatessi, cœlestes sphæras, vel animas incusare.

IN LIBRVM DE FATO
COMMENTARIVS.

De æternis & actione illorum: De causis eorum quæ fiunt: De quatuor opinionibus circa fatum.

CAPVT I. & II.



IN ordine rerum alia quidem sunt duntaxat: alia insuper fiunt. Item quæ solum sunt, aut principia sunt, aut ex principiis. Rursum quæ fiunt: aut semper fiunt, aut aliquando. Res quidem quæ primæ sunt, quatenus primæ sunt, in alias causas referri non possunt Quod enim simpliciter primum est, simpliciter quoque non habet causā. Quod verò est in aliquo genere primum, causam in eo genere nullam habet. Itaque in genere mobilium, ipsum perse mobile, qua primò mobile est, non habet superiorem causam, per quam sit mobile: per quam verò intellectuale sit, aliquam habet. Primus similiter intellectus non propriè per superiorem causam est intellectus, sed quod existat, vnum aliquid atque bonum ex superiore causa possidet. Ipsum verò bonum ex nulla causa quicquam habet. Quæ igitur inter æterna existunt à causa essentiam quidem habent ab illa, quam esse perpetuò comitatur & actio. Quæ quidem actio siue actus (vt ex Plotini sententia loquar) idem ibi est atque esse. Profectò vbi actio transit extra, proculdubio aliud est quàm esse. Itē vbi actio etiam quæ manet intus, ab aduentitia forma procedit, aliud etiā est quàm esse. Vbi autē & intima est, & perpetua, & à forma solum essentiali, idem nimirum est quod esse, vel saltem quod existere dicitur. Nam & ab illa & in illa eadem forma est esse: tunc à qua prouenit, & in qua residet actus. Sic calefactio quidem ex igne in aquam procedens, proculdubio aliud est quàm ignis esse. Rursum calere in ferro ignito aliud est quàm esse ferri: quoniam à forma fit aduentitia. Sed in igne calere nihil aliud est quam esse ignem. Quoniam igitur in substantiis protsus æternis nulla est aduentitia forma, ideoq; ab eadē & in eadē naturali

forma est agere à qua, & esse, atque tàm proximè, meritò idem est agere, quod & esse. Nam esse dicimus actum essentiæ essentialisque formæ. Qui sanè actus intimus est, & actio penitus intima. Hanc ob causam cum in anima vita non sit adventitia forma, viuere est esse animæ. Similiter in ipso intellectu intelligere ab intellectuali forma naturaliter micans, intellectus ipsius est esse: Præsertim quoniam intellectio est actio prima. Ideoque cum perfectissima sit & intima, abesse non distat, hanc vtique primam Platonici ponunt: quia actionem propriè in ipso bono non ponunt: cum omnis actio fit circa bonum. Hactenus de his quæ propriè fiunt, sit dictum: quæ quidem nec volumus esse sub fato, nec in fato. Quæ verò fiunt, si aliquo in tempore fiunt, fato subiecta putamus. Si fiunt semper, id est, si perpetuò reuoluuntur non tàm sub fato quàm in fato locamus. Summatim verò actionem omnem in motu quomodolibet positam, tanquam non omnino perfectam referre debemus in causam, & illam quidem denique permanentem. De eo quidem quod mouetur ab alio non est dubium, motum actionemque eius ab alio proficisci. Quod insuper ex se, id est, natura sua mouetur, quod mobiliter agat, habet suapte natura: quod autem simpliciter agat, atque sit, aliunde sortitur. Actio enim mobilis cum imperfectior sit quam stabilis, significat essentiam in qua est, ab alio proficisci. Atque eiusmodi actio à stabili quadam eiusdem essentiæ potentia regitur. Nempe cum motio velut accidens quiddam indeterminatum sit & indignum, priuationemque & dispersionem patiatur admixtam, meritò maximè pendet. Quamobrem ex subiecto in quo est, & efficiente virtute, ex qua editur, & ex fine, cuius gratia fit, & occasione quadam incitante dependet. Nemo itaque somniet inclinationem quandam incursionemque atomorum: vel repentinam alicuius corporis motionem: vel similem inclinationem animæ à nulla causa dependentem rebus dedisse principium, sed omnem eiusmodi vel actionem, vel passionem existimet à causa quadam superiore productam, vel etiam à circumstantibus incitatam. Cum igitur quicquid aliquando fit, à causa fiat: causas in plerisque propinquas & manifestas habemus. Vbi verò causæ propinquæ non satis patent, vel non sunt ad effectum sufficientes: remotiores meritò causas perscrutamur: præsertim quando sub eadem propinqua causa imminente effectus in alio quidem sequitur: in alio verò non sequitur. Si quando ex operibus hominum similibus similia cuilibet non eueniunt. Item vbi fortuna rerumque concursus præter actionum merita fauet, atque contrà. Denique ingeniorum & morum fortunarumque diuersitas: quæ ex causis nobis notis esse tanta non potest, occultiores superioresque causas indagare compellit. In causarum verò occultarum inuestigatione suborta est inter Philosophos opinio fati. Fatum quidem communi quadam notione definiunt, necessitatem quandam desuper rebus illatam. Cum igitur quatuor præcipuè sint sententiæ de principiis, nimirum opiniones quatuor sunt de fato. Alii enim necessitatem rebus inferri à corporibus quibusdam quæ sint principia rerum iudicauerunt: siue ab atomorum concursionibus, vt Democritus: siue ab aliorum quorundam corporum naturis & motibus inferatur, vt Thaleti Anaximani Anaximandro placuisse ferunt. Alii principium cunctis vitale arbitrantur infusum: à quo passim necessitate fatali singula moueantur: quod nonnulli Stoici voluerunt. Sunt & qui inter Astronomos reuolutionem cœlestium esse rerum principium arbitrentur & fatum. Neque desunt inter Physicos atque Metaphysicos, qui singula quotidie fieri putent à serie quadam connexioneque cunctarum inuicem causarum, siue cœlestium, siue superiorum, siue rursum inferiorum. Atque inde fatum omnibus imminere, siue congeries eiusmodi causarum principium habeat vnum, siue non habeat.

Neque cogi, neque fieri à corporibus omnia: neque fatum, neque præsagium fortè aliquid si principia rerum fuerint contingentia.

CAPVT III.

Corporum naturam ab incorporea causa proficisci, & ab vna tandem omnium omnibus prouidente, in Theologia satis ostendimus. Rursum communem corporum pulchritudinem in ordine & modo specieque consistere. Atque hæc tria & ipsam pulchritudinem esse aliquid incorporeum in libro de Amore probauimus. Atomorum quidem motum carere ordine Democritus ipse fatetur. Vnde non facilè potest summum ordinem vniuersi ex rebus duntaxat deterioribus ordine producere atque semper continuare. Omnium insuper corporum molem qua ratione corporea est, ordinem non seruare ex eo patet, quòd ordo, modus, species, pulchritudo in ipsa mundi mole præstantiora sunt quam ipsa moles, suntque insuper incorporea. Quamobrem à præstantiori quadam incorporeaque natura, & rationali atque viuente propagantur in corpus. Idque proximè anima est corporum agitatrix, itemque mens & ipsum bonum vniuersi principium atque finis. Ordo igitur ipse & ratio vnde ordo, & anima in qua ratio non sequuntur corpora, sed præcedunt: Iam verò quicunque res omnes ex inordinato corporum motu deducunt, non possunt fatalem rebus afferre necessitatem. Quinimo expertem ordinis contingentiam principiis introducere, nihil aliud est quàm à rebus excludere fatum. Sic enim nulla res omnino determinatè necessarioque proueniet, si nullus fuerit ordo, ex quo aliud deinceps cõsequatur ex alio. Nunc verò quod factum est, saltem postquam factum est dicitur necessariò factum: quia videlicet dum in præsentia fiebat, quadam necessitate fiebat. Atque hæc omnis siue circa præteritum, siue circa præsens conditionalis necessitas ex superiori quadam natura procedit, quæ simpliciter sit ipsa necessitas. Vnde constat non fortunam in principiis: sed necessitatem potius esse ponendam. Mitto, quòd si nullus in rebus sit ordo, in quo aliud propriè sequatur ex alio: nulla futurorum recta prædictio esse poterit, siue ex arte fieri soleat, siue instinctu aliquo naturali, siue quodam afflatu diuino. Præterea ex atomis aliisue corporibus non potest in animam ea vis & motio prouenire: qua vitali & sensuali vigore ex se mouetur & mouet: qua tàm repente, tamque artificiosè imaginatur tàm varia: qua genus corporeum contemplando, & amando transcendit, qua perturbationibus corporis aduersatur, qua aliæ animæ ad alias disciplinas,

& hasquidem incorporeas ſunt aptiores, qua denique tanquam liberæ & ſui iuris agunt, libertatemque à neceſſitate diſcernunt. Animam verò habere aliquam libertatem in Theologia latius diſputamus.

Non eſſe in vniuerſo tantum vnum agens.

CAPVT IV.

NEque rurſum exiſtimandum eſt, mundum ſic vnum duntaxat animal eſſe, vt in eo non ſit anima niſi vna vnicumque corpus. Et omnes vbique motus pariter, & effectus opera tantum eiuſdem animæ ſint neceſſariò procedentia: Nullaque ſit alia præter eam cauſa: nullum denique agens. Sic enim & ordo tollitur cauſarum, in quo fatum conſiſtere communiter arbitrantur, & dignitas mundo ſumma detrahitur, ſi vnicum in eo ſit agens atque mouens, cætera patiantur tantum atque moueantur: Perfectio enim mundi potiſſimum in eo conſiſtit, vt vniuerſum boc maximè formale ſit & agens, in eoque ſit formarum & agentium ordo quamplurimus. Præterea cum tota primi agentis natura ſit ipſa efficacia prorſus immenſa, res plurimas efficaces ideoque agentes ex ſe propagat: quandoquidem & ignis agens agentem generat ignem. Item primus ipſe motor quæcunque ſolus agit & mouet, quam optimè peragit. Multa verò paſſim præter ordinem exactiſſimum atque optimum, quantum in ſingulis eſt naturis, videntur accidere. Ex quo patet, naturis ſequentibus munus ad agendum proprium non deeſſe. Denique intellectualis anima dum ad ſe conuertitur: dum viciſſim in oppoſitas conſultando ipſa ſe diſtrahit coniecturas: dum opera naturæ imitatur, emendat inſtaurat: dum alias quidem recte progreditur, alias verò præuaricatur, dum & corporum & animarum ſupergreditur ordinem, profectò declarat nec eſſe ſe animalis vniuerſi partem, nec illi neceſſariò ſubditam.

Neque nos à cælo cogi, neque cætera à cælo tantum, & neceſſariò fieri.

CAPVT V.

TErtij fatorum aſſertores ſunt Aſtrologi, non omnes inquam, ſed plures, idque fatum eſſe dicunt, quòd ſuus cuique aſtrorum conſpectus neceſſitate decernit. Deſtinari verò inde ſuam cuique ſortem ex eo confirmant, quòd aſtrorum obſeruatione ſingulis ventura prenuntientur. Preterea quòd ex acceſſu, & deſceſſu, & habitudine luminum in corporibus mutationes multæ contingant. Plotinus autem nullo pacto ferre poteſt hominem in ſingulis motibus radiorum confluxu cœleſtium neceſſariò agitari, quia neque corpus humanum pars mundi continua eſt: neque anima hominis pats animæ mundi, neque à mundi anima procreatur. Habet ergo corpus humanum præter figuram propriam, motorem quoque intra ſe proprium, propriumque progreſſum: motorem inquam, intellectualem, qui ſanè per intellectualem naturam tranſcendit corpus vitamque mundi, quippe qui non ſit pars vniuerſi, ſed ipſe in ſe aliquod vniuerſum.

Cũque omnis motio ſit gratia boni: animus verò noſter cõmunem ipſam totius boni ſimpliciter teneat notionem, in hac autem bona ſingula comprehendantur: meritò motus animi non ad hoc, aut illud tanquam bonum neceſſariò deſtinatur, ſed ad quodlibet pro coniecturarum varietate æquè conferre ſe poteſt. Iam verò longa in ſingulis conſultatio, ac per oppoſita viciſſim penſitatio diligens, & exacta quædam electio, & mox ad coniecturas alias retractatio declarat, animum non ferri natura quadam, vel more vel inſtinctu naturæ, ſed vniuerſali potius liberaque mouendi & agendi facundia. Cum igitur propriam naturam & efficaciam habeamus, ideoque propriam inſuper actionem, meritò non ſolum ſub cœleſti patimur actione, ſed cœleſtem quoque influxum pro efficaci proprietate ſuſcipimus, ipſique aliquid inde proprium agimus: itemque aliquid mera noſtra proprierate peragimus. Mutatur etiam cœleſtis influxus circa nos ex natura locorum: nam & ſub exigua climatis cuiuſque particula, vbi etiam ſtellarum influxus eſt idem, eodẽ momento & ſemper diuerſa naſcuntur, atque contingunt pro diuerſitate ſitus, & terræ, aëriſque, & aquæ & ventorum, atque vaporum, morumque & legum.

Præterea ſimiles plerumque filii ſunt parentibus & nutricibus in quacunque hora naſcantur & nutriantur, vtpote qui plus admodum à ſuis quàm ab hora ſuſcipiant, atque etiamſi ob communem loci & generationis, nutritioniſque naturam forma inter ſe ſint ſimiles: ſæpe tamen plurimum moribus & ingenio differunt, quippe cum diuerſitas animorum tùm ingenio, tùm moribus differens aliunde inſuper, quàm ex his corporeis cauſis oriatur. Denique vbi animus incitamentis corporis aduerſatur, idque facit tranquillitatis & intelligentiæ gratia, declarat ſe & operari liberè, & à corpore proprio non dependere, neque igitur à cœleſti corpore, quòd quidem per noſtrum corpus ſolum agere nos poſſe videtur, corpori verò noſtro mentis tùm virtute, tùm gratia poſſumus reluctari, vitamque eligere menti conſentaneam, quamuis corpori noxiam, ac ſæpe dum ſimilis permanet natura & incitatio corporis, quædam diſſimilia inter ſe quandoque ſolemus eligere pro coniecturarum duntaxat varietate, atque etiam vbi euaſit natura corporis iam diſſimilis, ſimilia nihilominus eligere conſueuimus, ſi ratio ſimilis perſuaſerit, vtpote qui tunc non tàm ex influxu corporeo, quàm ex intelligentiæ rationiſque affluentia pendeamus. Quod autem nonnulli tradunt, noſtra hæc à ſtellis affici, quia ſignificentur ex ſtellis, confutatum eſt alibi etiam diligentius. Tu verò ita conclude: In quolibet momento ac etiam in eodem ſtadio quam plurima ſimul naſci poſſunt inter ſe diuerſa, non ſolum ſingularibus accidentibus, verum etiam ſpecie atque genere, quibus etiam diuerſa valdè ſors obtigit, quaſi non ab hora duntaxat natura rerum & fortuna trahatur: quod quidem hinc etiam confirmatur, quod quamplurimi ſæpe eodem communique exitio ſimul pereunt, neque tamen vel eadem hora ſunt nati, vel ſimul ad locum exitii confluxerunt.

Quomodo singula generentur à naturis propriis conferente cœlo. Quomodo cœlestia significent, dæmones cognoscant atque exequantur.

CAPVT VI.

IGitur quemadmodum alibi disputabimus, in propria generatione rerum causæ inferiores tanquam proximæ atque propriæ possunt quamplurimum. Itaque hic homo nascitur, ille equus: non quia tunc nascatur aut alias, sed quoniam hic ex homine, ille fit ex equo. Similiter quòd homo hic ita nascatur, affectus ex certa parentum affectione procedit, potius quàm ex quadam cœlestium habitudine exteriore communi accidentaliac protinus momentanea. Conducit tamen ad id cœlestis influxus, vel ad efficaciam, vel ad qualitatem generantibus, ac genitis adhibendam valde communem, & hanc quidem corpoream, quoniam à corporibus fit in corporibus, atque hæc etiam pro suscipientium & loci conditione suscipitur. Dotes autem animi quæ non obsequuntur corpori, neque sequuntur ex corpore, spectantes videlicet ad incorporea, nequeunt à corpore cœli in animum proficisci, neque per corpus nostrum, & multo minus fine corpore. Industria igitur rationes rerum incorporeas sagacitet inuestigans, non corpus cœli sequitur, sed incorpoream mentis humanæ naturam, quæ fortè adhæc adiuuantur ab ipsis siderum animabus, mentibusque earum, contemplatorum dæmonū ministerio. Quòd autem stellæ natura diuinæ ex motu locali naturam quotidie mutent, & in malum aliquando nefas esse dictu alibi demonstrauimus. Diximus etiam, vbi mala & incommoda ordinisque experti a obseruatione cœlestium portenduntur, hæc non ab illis fieri bonis videlicet atque ordinatis: sed ita significari sicut auium volatu garrituque, aliisue portentis significari dicuntur, multa non fieri: quæ quidem significandi facultas in mutua quadam rerum connexione consistit: quæ signa, quamue connexionem, non homines, sed dæmones ipsi cognoscere possunt. Quod Origenes disputat, & Plotinus hic innuit, vbi ait, qui videlicet literaturam eiusmodi no uerint, & Plato his verbis in Timæo significat, quid fiat, vel significetur ex cœlestium habitudine tentare vanum est, sine diligenti simulachrorum illorum inspectione. Omnia verò illa perspicere, non nostrum est, sed dæmonum: nobis enim nec ætas, nec oculus, nec ingenium suppetit. Quemadmodum verò dæmonum præcipuè munus est, cœlestia signa tenere, nobisque suggerere siue dormientibus, siue etiam vigilantibus, ita etiam illorum est sæpe quæ cœlestia portenderunt, certis subinde temporibus exequi, dæmonum quidem meliorum meliora, deteriorum verò deteriora. Per hos itaque post longa curricula temporum expleri possunt, quæ cœlestium ille habitus qui iamdiu prorsus euanuit, ideoque nec agere quicquam potest, quandoque fore significauit: neque tamen dæmones ita nos mouent quòd Plato ait, vt necessitate compellant, modo enim imaginario sæpius quàm corporeo ducunt: tametsi agunt in nos non electione solum, verumetiam quadam proprietate naturæ, sicut & stellæ oculis apparentes. Agunt insuper in inferiora suis quibusdam motibus & aspectibus, quatenus stellarum choreas comitantur: sed quoniam proprij muneris aliquid adhibent, cœlestium in nobis actio iudiciumque confunditur. Hac itaque ratione quæ stellæ visibiles portenderunt, inuisibiles subinde stellæ, id est, dæmones partim nobis suggerunt, partim pro viribus exequuntur. Hinc illud Platonis: Animas in generationem labentes ducunt dæmones, electæ iam vitæ sortisque fatalis executores. Dæmones quidem Saturnij Saturnias regunt animas, & Saturnia munera peragunt: Iouij similiter Iouias atque Iouia: cæterique similiter. Cumque sicut homines in qualibet regione partim Saturnij, partim Iouiales sunt: sic & dæmones similiter varij in qualibet sphæra mundi versentur. Meliores quidem inter Satumios, meliora Satumi munera: deteriores verò inter eosdem, deteriores sub eodem euentu peragere solent: eodemque pacto Martii, cæterique similiter. Vbi verò Plotinus ait, quotidianas cœlestium motiones præter communem mundi salutem esse insuper vtiles vbi potentibus intelligere, futura significant: ostendit significata posse vitari, si mala sint: sin bona, iterum adiuuari: multo magis quàm medicus possit ad signa quæ sunt, in nobis valetudinem adiuuate, alioquin & in Astrologia & in Medicina signorum obseruatio foret inanis, ac Deus qui signa præscripsit, in cœlo inferiorum saluti prospiciens frustra præmonuisset.

Qui necessariam rerum seriem introducunt ineuitabiliter singula per agentem auferunt, tùm infimis contingentiam, tùm consilio libertatem.

CAPVT VII.

QVarta de fato sententia, quam suscipimus pertractandam, vnà cum secunda sententia conuenit, in eo quòd ab vno quodam vitali principio cunctis infuso, singula per rationes seminales existimat generari, quod est potissimum à Stratone probatum. Dissentit verò in eo, quòd non solum eiusmodi vitale principium esse efficax arbitrantur: sed multa præterea sub eo aliquam agendi efficaciam possidere, ita tamen vt non aliter agant, quàm à primo trahantur. Addunt causas sub his alias, deinceps aliasque subinde consequi, atque ita connecti, vt & à prioribus sequentes necessario deducantur, atque ducantur, & quicquid agunt, necessario facere: quicquid inde fit, necessario fieri, atque ad omnem vbique euentum cunctas inuicem, quamnis aliter alibi conspirare, quæ maximè videtur sententia fuisse Chrysippi. Mitto in præsentia, quòd hæc opinio rebus aufert contingentiam, quam saltem circa infima mundi doctissimi quique arbitrantur accidere. Id autem in primis Plotinus detestare videtur, quod rationalem animam electionis libertate, & actionis authoritate proculdubio priuant: si modò verum sit quod aiunt, actionem quàlibet animæ ab impetu quodam, & impetum ab imaginatione, & imaginationem à præsenti rerum serie vel in nobis, vel circa nos agente, necessariò proficisci. Quàm verò turpe sit, intellectualem animam, incorporea à corporibus segregantem, illaque his præponentem, corporum necessitati subiicere, in Theologia satis ostendimus. Non incitari autem à cęlo quemlibet animi motum, Zael & Mesadach, & alij, vbi de interrogatione loquuntur, ostendunt: aiunt enim, interrogationem tunc & iudicium dunt

taxat habere effectum, quando interrogans vehementiori quadam solicitudine quærit, quasi tunc solum moueri cęlitus videatur. Sed quando interrogatio non est sollicita, fallacissimum esse responsum, quasi tunc interrogator non moueatur à cœlo. Quid plura? Studium & industria contradicendi fato, nobis non datur à fato. Cultus super cœlestis Dei in causam cœlo superiorem postremo resoluitur.

Quomodo anima sit super fatum, in fato, sub fato.

CAPVT VIII.

Communis de fato philosophorum opinio est, esse necessitatē quandā ex corporearum causarum conspiratione rebus illatam. Cum verò & corporum motus ab anima, & ordo corporalium formarum ab intellectu proueniat, merito intellectualem animam à necessitate, quæ ex motu & ordine vel serie corporali solet inferri, existimamus naturaliter esse solutam: tantumque abesse, quod subiiciatur fato, vt etiam ipsa sit ipsius fati principium, siquidem fatum sit corporea series, hæc autem ab anima intellectuali dependeat. Ab anima inquam vniuersi, series communiter vniuersa: ab animabus quoque cæteris simili quadam intelligentia præditis, series alibi passim, alibi propria. Duo sunt igitur in fato genera causarum: causæ inquam, animales velut fati principia, id est animæ sese corporibus regendis accommodantes: causæ iterum corporales tanquam complentia fatum. Est ordo præterea triplex, tum corporum omnium ad primum corpus: tum animarum ad primam animam: tum corporum ad animas, perque animas ad animam primam: perque illam intellectualem ad intellectum primum: atque ita series vniuersa fatorum ad diuinam tandem redigitur prouidentiam. Si igitur anima extra corpus sit omnino, similiter est extra fatum: si sit in corpore, quatenus indulget corpori naturaliter patienti sub fato, ipsa quoque eatenus in fato patitur. Sin autem pro viribus se à corpore segregat, solamque huic vim accommodat vegetalem, in fato duntaxat computatur vt agens: agit tamen pro conditione fortunæ, & nonnulla quidem ipsa vel naturali facultate permutat, vel arte quadam emendat & corrigit, vel magnanimitate facillimè tolleret. Quod autem anima eatenus fatum subeat, quatenus se immergit in corpus, ostendit Timæus dicens, animas tunc primum leges didicisse fatales, cum sunt coniunctæ vehiculis; hinc enim fati trahuntur exordia. Sed interea quòd ibero motu & fatum adeant, & deinceps quandoque se soluere possint, declarat, quod ait Plato & in Timæo & in decimo de Republica, Deum docuisse animas tum fatales leges, tum rationem iuris diuini pariter & humani, vt extra culpam Deus existeret & addit virtutem rationemque liberam esse.

Quomodo anima in fato sit vt agens: quomodo vt patiens: item de contingentia rerum.

CAPVT IX.


Ad illos autem qui dicebant, quicquid fit, ideò necessariò & ineuitabiliter euenire, qui, cunctæ simul causæ connectuntur. Positis autem omnibus vndique causis, effectus necessariò sequitur. Iam sic obiicitur: Etiam si nobis id concedatur, autoritatem tamen suam potest animus retinere: nam & ipse est in ordine causarum, tum naturalium, quatenus per vim vegetalem non patitur, sed agit in corpore, tum earum quæ voluntate faciunt, ideoque ex se libereque mouentur. Quando igitur animus linguam brachiumque mouere decreuit, necessariò fit motus in membro, si modò causæ cunctæ concurrant vnà cum electione videlicet atque proposito, singula quæ circumstant, id est, quæcunque sunt præter animum, quorum concursus hic fortuna vocatur: scilicet vt membra sint apta, & nihil obstet. Annumerarur etiam inter externas causas, quæ fortunæ nomine designantur, siquid ex vniuersi motu vnà cum sequentibus causis conducit ad opus. Opus itaque tunc necessitate procedit, non tamen animus tanquam compulsus monetur ad opus, si neque incitamentum ex corpore surrepens sequitur eligendo, neque externum cogitat circa corporea commodum vel incommodum. Neque omnino spectat externa, neque falsa opinione decipitur, sed intelligentiam rationemque certam & passionis expertem habent ducem, atque ad ipsius optimum habitum velut ad finem omnia dirigit. Ex eo certè quòd sapiens animus ad se velut ad finem dirigit actiones, constat ipsum non externum, sed internum actionis principium possidere. Hactenus agere animus iudicatur, quia per formam sibi propriam & intimam & præcipuam, & sui ipsius gratia operatur. Quando verò vel ipse ex se prius degenerans, vel ignorans, vel extrinsecus incitatus, & instigatus à corpore aggreditur, aliquid aliorsum spectans quàm ad animum, non tàm agere quàm pati censetur. Agit autem maximè, vbi non solum ex se & sui gratia operatur, sed etiam in seipso per se solum sine instrumentis agit, id est, munus contemplationis exercet. Vbi verò vel voluptuosam viuit vitam sine moderatione, vel actiuam sequitur sine prudentia, grauissimè seruit, & patitur. At quoties actiuam cum prudentia partim quidem agit ipse, partim verò agitur, quatenus & ab externis incitatur ad motum, & pro conditione circunstantium exequitur ministerium. Memento verò, Plotinum hic concursum rerum quæ nos proprie circumstant, quem fortunam nominat, existimare, non necessariò vbique in fata cœlestia redigendum, ita vt disponatur ad vnguem, quemadmodum ex se cœlestia digerunt: non enim tàm exactùs in his quam in illis est ordo, neque firmitas æqua. neque concordia similis. Hincillud Plotini. Effectus apud nos cœlestium pro causamm inferiorum conditione contingunt: item naturales effectus similitudinem cum causis propinquis longè maiorem habent quam cum remotis. Rursum cœlestium aspectus plerumque non tàm causæ sunt quàm signa, propterea cum quadam conditione loquitur, vbi ait: Et siquid præterea ex cœlestium motione conducit ad opus. Denique mutari ordinem inde huc forsitan prouenturum, diligentia nonnunquàm humana virtuteque animi posse putar.

Natura intellectualis agit liberè, sed eius effectus aliquando impeditur in ratione.

CAPVT X.

Concludit igitur, neque res agitari casu, sed esse in rebus ordinē per causas consequētem,

vnde res artificiosè fieri significarique possint: neque rursum omnia semper externa necessitate pulsari, siquidem oporteat non solum esse quæ extrinsecus, sed etiam quæ intrinsecus moueantur. Et quæ intrinsecus partim quidem à determinato quodam instinctu naturæ, partim vero ab absoluto & amplo liberoque principio, alioquin ordo mobilium aut nullus erit aut non redigetur ad summum: & quæ mobilia sunt, per aliud ad ipsum quod per se mobile est, quod tamen oportet esse, minimè referentur. Quod enim fertur solum instinctu naturæ, non seipsum mouet, sed vel impellitur ab imprimente naturam more sagittæ, vel trahitur à cognato, sicut à magnete ferrum. Quamobrem intellectualis anima cum optima quadam, id est, intellectuali ratione sit anima: ratione inquam, vniuersali prorsus & absoluta quæcunque promit, ex intellectuali principio agit ipsa, non patitur. Sapientia enim intellectualis, apud Plotinum & magnos plerosque philosophos causam non habet externam, ex occurrentibus videlicet incitantem, sed intus ab æuo lucet, & micat intrinsecus, hucusque nullo prorsus impediente. Emicat quoque in rationem intelligentiæ proximam, & vtentem intelligentia, quotiens non impeditur. Impeditur autem tum communiter ob distractionem quandam animæ circa plurima, tum propriè in quibusdam qui vel nascuntur insani, vel fiunt, & hoc quidem tribus præcipuè modis: nam aut hebetes, vel obliuiosi, aut stolidi, aut furiosi sunt. Huius insaniæ causa est tum sensualium instrumentorum ineptitudo, tum eleuatio vaporum, tum vehementior imaginationis intentio qua rationis remittitur actus, tum naturæ occupatio nimia circa morbi curam, tum denique occupatio quædam dæmonica. Forsan vero sicut immanes in moribus actiones à nobis instigatione dæmonum infimorum procedere solent: sic insania fit plerumque mira quadam machina dæmonum: qui sicut vapores humorum sensibilesque imagines ad incitamenta concitant vitiorum, sic & vapores in corpore & imagines in phantasia nonnunquam prouocant ad eam incitandam, ac penitus roborandam, vt inde ratio vel remittatur, vel illudatur. Fieri vero insaniam à dæmonibus humores mirabiliter irritantibus, Serapio & Auicenna maioresque non negant, & Euangelium vbique testatur: vbi dum sanantur correpti dæmone, curantur insani. Non enim verisimile est animam diuinitatis participem vel tam scelerate peccare, vel adeo insanire, nisi natura id insuper dæmonica moliatur: ideo forsan in secundo capite dixit, ingentem ingeniorum morumque diuersitatem non esse à manifestis tantum causis atque propinquis: idcirco Paulus Apostolus inquit, nobis non esse certamen duntaxat aduersum corpus, sed aduersum dæmones caliginoso huic aëri destinatos. Prospera igitur vel dispositio humorum ac membrorum, vel stellarum positio non efficit sapientiam, sed significat sapientiæ vsum ab opposita dispositione non impediri. Quoquidem impedimento nobis sublato per seipsum foras emicat sapientiæ lumen. Quæ vero de dæmonibus diximus, fit à Porphyrio in libro de Oraculis confirmantur. Sunt, inquit, corpora hominum malignis plena dæmonibus, præsertim illorum qui epulis delicatioribus viuunt. Comedentibus enim nobis, adueniunt & inhærent corpori: idcirco ieiunium & castitas maximè laudantur: non quia propriè Deus bonus ita placeatur, sed vt recedant illi qui sanguine & immunditia gaudentes, vt his ipsi quoque fruantur, corpora voluptuosorum ingrediuntur. Cōstat enim vehementem caducarum rerum cupiditatem & libidinosi spiritus impetum non aliunde quàm ex malignorum dæmonum præsentia nimium inualescere: quare cum appetitio vehementius inflammata est, & voluptatis ardor animum sic exagitat, vt omnis cogitatio ad exteriora vagetur, tunc huiusmodi dæmones præsentes esse cognoscito, quorum præsentia facit, vt spiritus naturaliter auidus in nobis exerescat. Hæc ibi, quæ & in libro de Abstinentia eisdem penè comprobat verbis.



SVMMA

MARSILIANA.

Quod non omnia fatali necessitate proueniant.

CAPVT I.



Voniam vero desideras, Laurenti, seorsū quid de his Marsilius Ficinus sentiat intelligere, rem ipsam alio rursum exordio repetam: Ipsum bonum omnibus prouidere constat, ex ordine rerum omnium ad certum finem mirabiliter instituto. In quo quidem ordine & singula vbique ad bonum proprium diriguntur, & cuncta simul ad bonum commune conducūt. Et si mirum videri potest, ipsum bonum in ordine prouidentiæ suæ permittere malum, satis tamen constat, id sæpe permittere, videlicet gratia boni, dum rerum præsentium permittit interitum, vt infinitæ deinceps nouarum formarum facies generentur: quas quidem existere simul, neque formarum repugnantia patitur, neque locus admittit. Cum vero Deus bonitas ipsa simpliciter, non tamen simpliciter sit ipsa necessitas, sed quantum spectat ad bonum, magis videtur (vt ita dixerim) opponi malum Deo quàm contingentia. Itaque si permittit malum, nimirum contingentiam quoque permittit. Verumtamen sicut malum vbique reducit in bonum, ita contingens passim in necessarium redigit. Quicquid enim dum futurum erat, fore contingere poterat atque non fore, id totum & dum iam est, necessarium est existere, & cum præteriit, necessarium præteriisse: & collectis per conditionem vndique circunstantiis

ex contingenti plerumque necessarium videtur euadere. Proinde non est putandum necessitatis oppositum secundum formalem rationem, esse ipsum quod dicitur impossibile: in ipso enim formali necessitatis opposito nulla debet includi necessitas, hæc tamen in eo quod impossibile est includitur. Impossibile enim est, quod esse non potest. Quod vero nequit esse, necessarium est non esse. Item in ipso necessario impossibile videtur includi: quod enim necessarium est existere, impossibile est non esse. Verum igitur oppositum necessarij est contingens. Sicut enim ipsa necessarij ratio adesse tantum, vel non esse solum definita est: sic vicissim ratio contingentis ad esse vergit, pariter atque non esse. At vero inter necessarium, id quod pariter contingit vtrinque, medium videtur esse contingens vt plurimum, cuius quidem oppositum rarius accidit. Sic itaque humanam speciem esse necessarium est: hominem vero hunc & illum moueri vel quiescere pariter accidit. Hominis manum habere digitos quinque contingit vt plurimum, rarius autem sex habere vel quatuor: Esse autem ipsum æquè ad vtrumque contingens rerum ordo requirit, vt si datur necessarium, detur & ipsius oppositum: in qua quidem oppositione propria, ipsius quod dicitur ens, distinctio reperitur. Sic ergo, si dandum est oppositum necessario ratione formali, extare oportet ipsum pariter ad vtrumque contingens. Rursum si dandum eidem est oppositum ratione materiæ, dicemus ei quod esse necessarium est opponi, quod impossibile fit existere. Inter hæc vero medium possibile collocabimus, id autem est contingens: tum sæpius quod necessario potius appropinquat, tum rarius quod declinare videtur ad impossibile: tum indifferenter esse vel non esse contingens, quod sanè concedendum est tanquam verum & æquè distans, hac ratione medium inter necessarium esse, atque impossibile fore. Nascitur vero contingens ipso rerum ordine per gradus continuè plurimos descendente: quo quidem in ordine, quæ propinquiora sunt, primo penitus immobilia sunt, ipsi videlicet intellectus: Animæ deinde tanquam paulo remotiores motu tantum formali mouentur substantiam non mutante. Cælestes subinde substantiæ dum ipsæ quoque permanent, locali interim quodam motu voluuntur, & formali rursus quatenus configurationes quasdam vicissim orbe commutant: sed mouentur (vt ita dixerim) immobiliter, quatenus eodem semper ordine necessario reuoluuntur. Ad hæc autem consequens est, vt quæ sub cælo sunt, iam mobiliter moueantur. In hac fane vaga motionum sorte nascitur contingentia, dum quæ ita mouentur à proprio nonnunquam solitoque ordine digredi & præuaricari videntur, quamuis communem ordinem vniuersi transgredi nequeant. Cum enim per plurimos deinceps agentium gradus & virtus efficax minuatur, & complurima tandem repugnantium formarum confluat multitudo, nimirum sequitur, vt propria cuiusque natura ab efficio quandoque deficiat, dum paulatim debilitata virtus aliquando diuersorum occursu facilius impeditur. Sic itaque seminaria planetæ animalisue natura prolem suam neque parit semper, neque opportunè parit vbique, neque perfectam. Quamuis igitur quantum ad naturam cælestem pertinet rem proculdubio necessariam, absoluta proles hæc plantæ vel animalis certis foret temporibus prouentura. Contingit tamen interdum non euenire, vel non prouenire perfectam, quando scilicet natura generantis propria vel intrinsecus deficit, vel impeditur extrinsecus. Sæpe quidem præsens dispositio cæli certam quandam in hac materia qualitatem iamiam producturâ videtur: at diuersa materiæ qualitas ex propinquis causis conditionibusque contracta, effectum cæli aliter aliterue permutat. Neque nobis obijciat aliquis, hanc quoque materiæ qualitatem à cœlestibus euenisse, quia propinquæ causæ à cœlestibus mouentur. Esto moueantur quidem, sed pro natura sua: neque enim vel Deus, dum per cælum agit in inferiora, aufert sua munera cælo, vel cælum cum per causas inferiores agit in nostra, interim proprias naturalesque his causis vires actionesque subducit. Cum igitur effectus vniuscuiusque forma simul atque conditio pro affectione materiæ soleat prouenire, ipsaque materiæ huius affectio à cœlestibus quidem communiori quodam pacto, à propinquioribus vero causis modo penitus proprio fiat, sequitur vt propria effectus terreni conditio talis proueniat potius, qualem causa propinqua materiam afficiendo requirit, quàm qualem tentare vel inchoare causa remota videtur. Non enim si causa remota necessaria est, mox euentus inde omnis prouenit necessarius, nisi etiam causa propinquior necessaria fuerit. Iam vero manifestum est, quod sæpe iam dicimus effectus singulos causis vbique propriis similiores euadere quàm remotis, vt plantæ & animalia quælibet, non tam cœlestibus similia iudicantur, quàm proprijs genitoribus & seminibus vnde nascuntur: ex quo patet, effectus eiusmodi naturam sortemque suorum seminum sequi, potius quàm cœlestium, ac pro conditione familiarium causarum, rerumque omnium circunstantium quæ omnino mutabilis est, mutabiliter euenire, non necessario pro conditione cœlestium: & merito, quorum natura necessario suum retinet esse, sed ab eo deficere potest, eorundem quoque virtus non necessario agit, sed interdum cadit ab actione. Quamobrem quæ necessaria fore forsan iudicarentur ex cœlo, eadem apud nos ex hac materia regioneque contingenter eueniunt. Materia, inquam, quoniam omnium æquè formarum semper est auida. Regione, inquam, quoniam innumerabiles hic & inter se pugnantes confluunt qualitates. Influxum ergo cœlestem proprio quodam ordine quandoque ad certum aliquid processurum, tum materia hæc aliorum quoque auida, facileque capax & confunditur cum aliis & perdit, subinde aliud receptura, tum regio plena discordium qualitatum commiscet protinus atque transformat, vt vix certum aliquid hic cœlitus oriatur, & vix quale sit nasciturum valeas coniectare, nisi fortè circumspexeris vniuersum: vt quot qualesue tum ex alto, tum è medio, tum ex infimo causæ conditionesque quolibet momento confluant: quidue rursus & quale consurgat ex cunctis perpendere possit. Proinde si natura corporea quæ & manifestius corpori cœlesti subiicitur, & ad vnum quiddam potissimum determinata videtur, non necessario cœlestes admittit influxus: tales dico prorsus, quales mittuntur è cælo, multo minus rationalis anima, cuius notio motioque & intima & la-

tissima est, & sæpe genus corporale transgreditur, corporique repugnat, cœlestem instinctum necessario sequitur: cui sanè frustra natura dedisset, vt quotidie consultando posset pro côiecturarum diuersitate plura inter se opposita in consultatione proponere, nisi posset ad vtrumlibet eligendo seducere: non posset autem ad vtrumlibet se conferre, si certa quotidie constitutione cœli compelletur ad certum. Accedit ad hæc quod cum diuina prouidentia permittat in rebus naturalibus quandam ad vtrumlibet contingentiam, ex earum defectu nascentem: multo magis in agentibus voluntariis vbi hæc ex perfectione oritur, permittit eandem, quæ profectò magis admodum horum propria est: quippe cum illa quidem ex impressa tantum forma, hæc autem ex concepta insuper notione moueantur vt agant.

Adde quod omnis cœlestis instinctus quatenus è cœlo est proximo diuinæ prouidentiæ instrumento, atque inde mirabiliter ordinato, ad optimum semper certoque ordine ducit. Quod igitur absque ordine rectò sæpe vagemur, & ab optimo sæpius aberremus, non à cælo quidem, & multo minus à motore cœli, sed à propria nostri generis, aut moris, aut fortunæ conditione contingit. Iam vero si generis nostri morisq; proprietas cœlestem influxum ex ordinato bonoque in oppositum peruertere potest, multo facilius ex qualibet alia qualitate in aliam sæpe conuertere. Dedit natura communis per grauitatem grauibus vt descenderent. Descendent igitur omnia grauia quodam naturæ communis impulsu, nisi forsan impediantur. Impediri verò proculdubio possunt, ne moueantur: sæpe etiam incitari, vt rapacius quàm natura ferat, præcipitentur, tum vero pro diuersitate figuræ siue naturalis, siue artificiosæ aliter per decliuia aliterue descendent. Aliter enim sphæra, aliter chylindrus, aliter angularis figura labetur: quod quidem Chrysippus ille fatetur, fati cœlestis magnus assertor. Ergo similiter præsens hæc aut illa constitutio cœli his hac hora nascentibus, atque illis communiter cum in corpore calorem, tum in animo vehementiam illatura videtur: sed in hoc quidem natura parentum, loci, temporis, nutrimenti frigida humidaque imminentem cœli vim temperat, & conuertit forsitan ad oppositum. In illo autem eorundem calida siccaque natura, moderatam quodammodo qualitatem cœlitus venientem producit in nimiam. Rursum tum propriæ variæque naturæ generantium atque nascentiũ, tum leges consuetudinesque diuersæ impulsum tam animi quàm corporis talem cœlitus descendentem varia inter se graduum modorumque sorte distinguunt. Quo factum est, vt quemadmodum sæpe diximus, vt non tam pro agenris natura præsertim remoti, quàm pro condirione propinquiorum agentium, & denique pro affectione materiæ, ac dispositione loci sæpius effectus soleant exoriri. Quid plura? Radius Solis idem aliterque agit, si ex rectò quàm si ex obliquo percutiat: si per aërem serenum, quàm si per caliginosum transeat. Caliginosum vero aërem non tam cœlestia quàm terrestria reddunt: item aliud agit, si ceram, quàm si lutum aggrediatur: hanc enim liquefacit, hoc exsiccat. Rursum si glaciem quàm si cristallum: illam aliquando fundit, hoc vero nũquam. Si niuem in cacumine montis, quàm si in concauo montis inuadat: illam enim tardius admodum, hanc citius liquefacit. Licet & hic sæpe videre in eodem cacumine niuem eodem delapsam tempore, qua parte ad meridiem vergit, citius admodum extillare: qua vero ad septentrionem, durare diutius, quamuis pars à parte vix cubito distet, tãtum efficit vel breuis discrepantia situs. Denique radius si ad breue tempus agat, sæpe caligines congregat: si ad longum, disgregat: & aliter per aperta, aliter per concaua facit, & aliis quidem eodem tempore prodest, aliis vero vel in eodem loco nocet. Tantum vero superiorum vires mutantur ex loco atque materia, vt cum ad motum Lunæ aquæ plerumque crescant atque decrescant, non tamen omnes id aquæ faciant: nam & mare non vbique id patitur aut aquæ: atque vbi maximè videtur id obseruare, vento sæpe contrario impeditur excrescere. Sunt propriæ locorum sub quolibet sidere qualitates, aliæ quidem palustrium, aliæ vero campestrium puriorum, aliæ autem domesticorum collium, aliæ vero syluestrium. Item pro varietate coloris, frigoris, siccitatis, humoris, ventorum, vaporum, fluminum, vallium qualitates longè diuersæ, quodcunque sidus immineat: vnde & differentes ætatum termini, & variæ corporum habitudines diuersi ingeniorum captus proficiscuntur. Quocunque momento nascantur, multi simul nati, quia diuersis in locis habitant, non simul ægrotant: multi non simul nati, ex vento & nebula & vapore simili simul ægrotant: & quocunque tempore nati sint, & in quacunque ætate sint constituti, simul in morbos incidunt qui in regionem contagiosam pariter confluxerunt. Profectò quamuis vniuersales superioresque causæ vim habeant in effectibus amplam, intimam diuturnam: mediæ tamen causæ potissimumque propinquæ ad proprias euentuum qualitates quamplurimum ac ferè totum possũt: quo fit, vt effectus eis admodum similiores euadant. Communissimi enim influxus causarum longinquiorum prosequentes causas gradatim determinantur, atque distinguuntur: sic viuifica cœli virtus communiter fauens omnibus nascituris, in diuersis plantarum & animalium speciebus ad eas ipsas species definitur: in singulis quoque sub specie ad proprietates contrahitur singulares. Actiones deinde passionesque naturales rerum tales potissimum aut tales singularia indiuiduorum principia in primis, & specialia insuper potius quam communissima vbique sequuntur, præsertim quando principia communissima sunt æquiuoca, ac genere ab effectibus diuersissima, talia esse cælestia nemo negat. Ceterum ne quis forsan obiiciat, quicquid est in secundis: atque ita nihil vllo modo à inferioribus causis prouenire, quin similiter à superioribus quoque proueniat. Memento, causæ sequentis naturam non solum esse superiori similem, quatenus habet inde, sed etiam dissimilem, quatenus extra processit, neque solum degenerauit inde, sed insuper aliud quiddam & qualitate quadam propria differens iam euasit: sicut radius in cælo mulcens, in terra vorans: item in cælo nitens, in nube rubens, vt non mirum sit aliquid hinc subinde fieri tale, quale propriè nõ prouenit inde, itaque multa per causas cœlo inferiores effici talia passim atque talia, qualia non efficiuntur. Memento rursum has sub Luna

causas sortiri vires à vita mundi non solum per cœlestia, sed etiam proximè per vegetalem animæ vim vbique vigentem, sicut & animalis vita multa dat pedibus manibusque per membra præcipua: multa etiam per seipsam, & quæ dat per membra præcipua etiam transformantur in illis. Memento denique, ex omnium causarum concursu consurgere vim, quæ proprie reperitur in nullis, sicut ex confluxu materiarum & qualitatum materia quædam noua qualitasue resultat. Neque vero negabit omnino sub necessariis contingentia legitimus ille Platonicus, qui sub vnitate multitudinem: sub statu motum contemplatur ritè nascentem, atque res ipsas ab vnitate statuque simplici per certam multitudinem mobilitatemque longo graduum tractu ad innumerabilem fermè numerum & incertam mobilitatem denique peruenire: in quo quidem amplissimo graduum differentium ordine decus bonumque vniuersi consistit. Quamobrem singulæ singulorum motiones & passiones, quæ in multitudinem mobilitatemque infinite multiplicem variantur, non possunt per vires motionesque cœlestes, quæ certo numero definitæ sunt, & ordine certo procedunt, ita vt continuè variantur, distribui propriè atque duci: nisi forte quispiam ita deliret, vt singulos etiam delirantium & ludentium puerorum motus, quouis momento singulis cœlestium assignet influxibus, vt nec aliter moueantur manus, pedes, digiti, labia, oculi, sensus, imaginatio momento quolibet, quàm cælestis ille decemat influxus. Sic ad illius normam innumerabilium locustarum saltus describatur muscarumque volatus, & offensiones quælibet illatæ quibuslibet. Sed profectò non omnia fiunt prorsus & compelluntur à cœlo: imo & cælum opera actionesque elementorum & mixtorum plantarumque & animalium non efficit sine illis, atque ignis sub quolibet sidere calefacit, & generat ignem proprietate naturæ: neque sub vllo sidere frigefacit, vel generat aquam, cæteraque similiter. Quamobrem quomodocúque se cœlum habeat, continuè naturalia quælibet, tam non viuentia quàm viuentia pro natura sua, impulsu, occasione, indigentia, imaginatione ita potius agũt, aut ita huc potius, aut illuc manifestè feruntur: atque hæc omnia quod sint, viuantque communiter, & agere communiter mouereque possint, ac moueri habent cœlesti fauore. Quod autem in tali specie & singulari proprietate sint, à genitoribus habent atque loco, & quia talia taliter agunt. Quod vero tot talesue in vniuerso sint species, tum ex idealibus diuinæ mentis prouenit speciebus, tum ex rationibus animæ seminalibus. Ipsa enim specialis distinctio rerum neque casu accidit, cum semper ordinatissima sit: neque ex materia fit prorsus informi, cum ipsa fit mira formositas subiectò formato præstantior: neque vel ex mobili cœlestium habitudine, ipsa enim est immobilis ac prorsus æterna, vel ex cœlestibus formis duntaxat atq; figuris, cum & in cœlo species ita describi non possint, & multæ sint rerum species incorporeæ, & formalis ipsarum ordo artificiosè directus ad finem, ab intelligentia quadam præscribente finem, debeat proficisci.

Confirmatio contra cæleste fatum per Alexandrum, Enomdum, Diogenianum, Ptolemaeum.

CAPVT II.

Alexander Aphrodisius in libro de Fato ad Antonium Crysippi opinionem de fato refutat, multisque argumentis ostendit, nihil aliud esse fatum vel fatale, quàm quod natura sit, & ostendit præter naturam etiam fieri nonnulla, quum interdum accidat impedimento quodam natura detineri. Cum ergo præter naturam quædam fiant, profectò si natura fieri est fato fieri, fiant etiam præter fatum, atque ita subdit: Videmus corpora humana ægrotationibus aliis aliud secundum particularem eorum naturam esse subiecta. Scimus quinetiam naturalem eiusmodi corporum habitudinem diligẽti norma viuendi, & medicorum arte, & deorum consilio in melius verti: quod similiter animo quoque accidit: nam præter naturalium inclinationum eius quam complexione corporis habet, exercitio atque doctrina sæpe fit melior. Vnde quum physiognomon Zopyrus turpia quædam de Socrate, & à virtute ipsius aliena dixisset, & à multis idcirco derideretur: respondit Socrates: Non errat Zopyrus. Talis enim natura forẽ: nisi naturam philosophia superauissem. Huiusmodi ergo sunt illa quibus natura præest: quæ naturalia nihil à fatalibus differunt. A fortuna vero ea fiunt, quæ nullo modo intenduntur. Quando alterius gratia quædam fiunt, & aliud accidit quod ab initio nec sperabatur quidem: vt siquis agrum fodiens, thesaurum reperiat, cum huius gratia non foderet, quæ certè non aguntur fato. Sunt autem causę quędam hominibus prorsus ignotę. Nonnulla enim suspensa collo morbos quosdam curare dicuntur, in quibus nullam certam habemus causam. Excantationes etiam maleficęque artes quam causã habeant, incertum est. Sed preter hęc nonnulla sunt, quæ ad vtrumlibet contingentia nominantur, quæ fato fieri omnino negamus, vt mouere pedem, leuare supercilia, tacere, loqui, cæteraque huiusmodi prorsus innumerabilia, quæ fieri satis nullo modo dici possunt. Quod enim fatale est, suscipere contrarium nequit. Præterea consilium hominis omnino vanum esse non debet. Esset autem frustra si quæcũque agimus, necessario faceremus. Proculdubio autem id præter animalia cætera homo possidet, vt non similiter atque illa phantasiam vbique sequatur, sed rationem habeat, qua facienda diiudicet: cuius quidem vsu quæ in phantasiam inciderũt examinans: siquidem examinando probat, phãtasiæ concedit, atque ad agendum deinde mouetur. Sin autem improbat, illa reiicit expellitque, obtemperans rationi. Itaque de his solummodo quæ agere possumus vel non agere, deliberare solemus: ac si quando consilio non maturo, sed cupiditati præcipiti aliquid perpetremus, postea nos ipsos temeritatis spretique consilii crimine accusamus, & omnes temere aliquid agentes vituperamus, hortamurque consilio vti, quasi nobis insit agendi potestas. Quod autem opinio quæ de fato habetur, falsa penitus sit, inde patet, quod etiam opinionis eiusmodi autores & docent, & discunt, & hortantur, & consulunt, increpant etiam, castigantque suos tanquam propria voluntate peccantes, quare

vel secundum ipsos nulla est hæc fati necessitas. Libertas igitur nostra natura omnibus inest: pluta tamen non esse nostræ potestatis concedimus, vt quæ natura vel fortuna fiunt, quæ nullus subiecta fatis dicere prorsus audebit. Hæc Alexander. Similiter tradit Enomaus philosophus contra Chrysippum, concludens animalia bruta proprio quodam appetitu quolibet momento vtcunque contingit moueri, potius quàm necessaria quapiam serie causarum, multoque magis homines proprio consilio viuere: qui etiam multis ex causis quo minus concurrant ad effectum conficiendum sua possint industria permutare. Confirmat eadem Diogenianus philosophus in librum contra Chrysippum, probatq; non omnia fieri necessaria quadam serie causarum ineuitabiliter concurrentium: sed & alia insuper propria quadam & singulari natura, alia vero fortuna, alia consilio nostro, alia voluntate deorum. Confirmat Ptolemæus & sæpe alibi, & in Quadripartito, dicens, effectus & à Deo in cælestia, & à cælestibus inter se indissolubili quadam serie proficisci: sed à cælestibus aduersus inferiora non semper ineuitabiliter & ordine cœlitus inchoato. Permutari enim & impediri posse tum naturis infeririobus aliquãdo repugnantibus, tum arte simul atque consilio. Tum vero in libro de iudiciis inquit, homines non semper sequi generales instinctus cœlitus institutos propter particulares locorum generatiumque naturas, & propter consuetudines varias, atque regionum occasiones ad quædam propriè pronocantes vel adiuuantes.

Confirmatio superiorum per Bardesanem Syrum perque alios & per Marsilium ipsum.

CAPVT III.

BArdesanes Syrus quem tradunt astronomi Caldæorum omnium sapientissimum extitisse, longo quodam dialogo disputat: bruta quidem ferri singulatim ad propria quædam instinctu naturæ: homines autem præter naturalem instinctum possidere mentem, & rationem quæ à mente profertur, cuius munere non omnino natura ferantur: vnde varia fit hominum vita. Non victus nos more brutorum, non vestitus idem, non mores similes atque leges, non cupiditas rerum simplex, sed pro arbitrio fit varia electio differens, ac vitæ institutio varia. Hinc ergo probat non natura passim hominem ferri: quoniam vna in omnibus sit natura, studia vero diuersa. Narrat subinde longo quodam ordine quàm diuersæ leges moresque sint gentibus, quibus actiones quædam prohibeantur, vel etiam permittantur: quæ quidem institutiones seruentur ab eis quacunque hora nascantur, & ad quandocũque transmigrauerint regionem: neque vlla positione siderum aut in genesi, aut in loco regnante aliter agere compellantur, quasi firmior sit ad viuendi normam in legibus & moribus, quàm in sideribus autoritas. Subdit vero post multa hunc in modum: Omnes Iudæi Mosayca lege octauo die pueros circuncidunt, nec alicuius stellæ vi ad talia cõpelluntur, nec regiones natura coguntur, nec alienis moribus vnquam vt aliter faciant adducuntur: profecto vbicunque sunt, legem suam seruant, quod necessitate natiuitatis fieri nullo modo potest. Non enim possibile est, eandem natiuitatem Iudæos omnes habere, vt simul nati similiter octauo die sanguinem fundant, vel septimo quoque die pariter conquiescant. Quid autem dicemus de Christianorum secta, qui in omni orbis parte, imo vero in omni ciuitate reperiuntur: & vbicunque sint, vt alienis legibus moribusque viuant, cogi non possunt: nec genetiaca necessitate, aut principis alicuius imperio compelluntur, vt quæ nefanda magistet eorum duxit, facienda putent: sed paupertatem, labores, ignominiam, cruciatus intolerabiles sufferunt. Proinde si omnia potestatis essent nostræ, nos essemus vniuersum: sin vero nihil possemus, aliorum essemus instrumenta, neque voluntate nostra quicquam ageremus: Deo autem volente, nihil impediri potest: illius enim potestati cuncta subduntur, qui vnicuique naturæ præcipuum aliquid est largitus: homini autem illud dedit eximiũ, vt libertate volũtatis atq; iudicij vteretur. Ostendit inter hæc vanum esset errarum quidem orbem in septem climata partiri, & alium planetarum dicere in alio climate dominari: quorum virtute passim sint conditæ leges: nam etsi terrarum orbis septem partibus diuidatur, in singulis tamen partibus multas, nec septem solummodo, septem planetarum instar: nec rursum duodecim, ad duodecim numerum signorum: nec triginta sex ad numerum triginta & sex facierum, sed innumerabiles legum asserit differentias inueniri, quarum institutionibus alij aliter viuant, ad quamcunque commigrauerint regionem. Eadem omnino eisdem penè verbis confirmat Clemens sectator Apostolorum, confirmat experientia morũ. Vbi enim impunè peccare licet, etiam modestiores peccant: vbi vero & quando acrius animaduertitur in peccantes, etiam qui naruraliter instigantur, ad scelera cohibentur. Sæpe etiam pro maiori minoriue occasione, commoditateque magis minusue peccatur, vel etiam rectè agitur. Confirmant eadem Aristoteles & Plutarchus potissimum autoritate Licurgi, quem tradunt ostendere volentem, quantum præ cæteris lex, & consnetudo, & educatio valeat: catulos geminos eiusdem partus educauisse, qui quatenus à Lycurgo dissimiliter educati fuerint, eatenus euaserint inter se dissimiles. Quod si educatio in brutis superat paritatem genesis & parentum, multo magis in hominibus superare potest. Iam vero quantum consuetudo & diligentia valeat, longa narratione Plutarchus ostendit, vbi scribit multos natura semper infirmos diligentia sola senium impleuisse. Mitto quid de Phyleta poëta, & Mecœnate scripserit, cæterisque permultis. Aristoteles profecto scribit, Herodicum quendam literatum virum, sed admodum valetudinarium, sola victus diligentia centum annos impleuisse. Qua de re Plato etiam testis est in Republica. Sed quid opus est testibus? Et nos cognouimus similes, & miros medicinæ & diligentiæ fructus sæpius experti sumus, atque ex diuersa consuetudine, educatione, disciplina diuersitatem plurimam in corporibus moribusque & ingenijs proficisci, & quod Physici omnes comprobant, compertum habemus in plurimis consuetudinem ipsam alteram esse naturã. Consuetudinem vero scimus, non quadam naturali necessitate constare, sed vel legibus publicisque moribus, vel exemplo & disciplina

priuata, vel fortuna & occasione quadam, vel proprio quodam consilio opinioneque prouenire, aut etiam in his omnibus congregari. Sæpe quinetiam consuetudo regionis & temporis & alicuius præstantioris exemplum, musicos facit multos & poëtas, vel oratores, atque pictores, vel etiam venatores potius quam certa natiuitas. Et quando natiuitas inchoat, non tamen absoluitur, nisi pro facultate nascentium, & regionis & temporum. Sæpe militaris vel regia domus milites efficit atque reges potius quàm natiuitas. Imitatione bonorum multi quotidie fiunt boni, mali vero imitatione malorum, quocunque sidere nati fuerint: sicut ex contagione pet vnum multi subinde languent, non tam stellis quàm veneno contagione infecti. Quid plura? quantum possit facultas regionis & hominum institutio declaratur, ex eo quod nullum sidus piscatores facit & venatores, vbi nulla facultas, nulla consuetudo piscandi est atque venandi: atque vicissim omnes fermè sub quolibet sidere nati piscantur atque venantur, vbi & occasio & vsus indigentia præstat, quando & vbi consueuerunt homines animalibus vesci, animalia prorsus innumerabilia quotidie ante institutum à natura tempus interimuntur: contra vero, animalia eadem consenescunt, sub quocunque sidere nata dicuntur. Similia de frugū pomorumque deuastatione contingere, quocunque tempore coalnerint, pro consuetudine hominum atque libidine, non pro fatali serie licet argumentari. Obseruo equidem quotidie terminos aspectusque planetarum, quidue portēdant, diligenter exploro. Mitto, quod in die (vt dicitur) infortunato prospera multis eueniunt: in die fortunato accidunt multis aduersa, & quolibet momento certantes, alij quidem superant, alij superantur. Certè infelices astrologorum dies sæpe serenissimi sunt atque placidissimi, felices sæpe contra. Ego vero expertus sum tum corporum, tum animorum qualitates potius ad aëris differentias, quàm ad differentes stellarum aspectus aliter atque aliter affici. Tandem compertum habeo, notatos planetarum effectus pro diuersitate regionum atque hominum longè differentes euadere. Si pluuia promittatur, alibi quidem pluit multum, alibi parum, alibi nihil ad differentias regionum. Si designentur discordiæ vel libidines, alij quidem ad hæc vehementius incitantur, alii vero remissius, alii minimè: neque tantum id pro corporum naturali varietate, sed etiam pro ætatum diuersitate, imo etiam pro differentia educationis & diciplinæ cōsuetudinisque & occasionis differenter contingere video. Vt denique certus sim, euentus è cœlo quotidianos non ita prorsus sicut cœlitus destinati videntur expleri, sed aliter passim aliterque contingere: Siquid vero ad discrimen eiusmodi momenti est, ex ipso nascendi momento in quo qualitas è cœlo certa nobis dicatur infusa. Assero similiter illam non potuisse ad exactam cœli normam examussim in nobis exprimi, quippe cum ad confundendam hanc expressionem multa sub cœlo tum ab initio, tum quotidie propriam adhibeam efficaciam vel passionem, quæ sanè sicut singula naturam habent longè à cœlestibus differentem, sic & cuncta congressionem progressionemque non omnino cælestibus ordinibus congruentem. Confluunt igitur sub cœlo multa inuicem sæpe aliter quàm ordo cœlestis conciliaret: quemadmodum & sæpe aliter animæ rationales agunt, quàm summa Dei ratio dictet. Concurrunt & plurima contingenter, velut pulchritudo in homine simul atque eloquentia: nullum enim ordinem duo hæc inuicem habent: ex quo patet ex nulla vnquam determinata causa confluere simul. Ex hoc tamen concursu persuasio vulgo contingit vberior, quod quidem pulcher homo sit, ex certa causa fieri potest. Item quod eloquens, ex causa certa, quamuis alia. Quod autem ambo sint simul, ex quorum congressu facilis nascitur persuasio, ex nulla videtur determinata causa fieri, alioquin ordinem haberent inuicem necessarium. Nunc vero pulchro accidit fortuito, vt sit eloquens, atque è conuerso: neque quia pulcher aut albus, ideo necessario eloquēs, neque vicissim. Hunc ergo similesque concursus velut fortuitos in causam determinatam referre non potes. Falsum est igitur omnia ex determinata quadam causa proficisci. Falsum quoque est, posita alicuius determinata quadam causa, illud mox necessario perfici. Cadit enim ex diuersis passim impedimentum ex inferioribus tum inter se sibi repugnantibus, tum aduersum cœlestia cœlestium ordini resistentibus, duriusque cedentibus, atque confundentibus, tum casu inuicem confluentibus. Accedit ad naturalia permutanda, tam animalis motus quàm rationalis naturæ consilium, aut vnius, aut etiam plurimorum, siue consentiant inter se, siue dissideant. Quamobrem cum falsa sint illa duo, quibus potissimum assertores fati nituntur, constat non omnia fato, id est, necessaria causarum serie cælitus dependentium prouenire. Iuuat autem præsētem disputationem autoritate quadam prophetica simul regiaque concludere. Apud Synesium Platonicum rex Ægyptiorum idēque (vt ille ait) Propheta, rerumque peritissimus diuinarum, cum imperium Osiri filio traderet, admonet eum, vt Typhonem fratrem è medio tollat, sic dicens: quasi pestem quandam & fatū iniquum fratrem tuum si rectè sentis remouendum cura: vt tuum Ægyptiorumque omnium fatum aduersum occupes, & consilio ne inuadat prohibeas: licet enim ac fieri potest.

IN LIBRVM

IN LIBRVM

DE PROVIDENTIA COMMENTARIVS.

Ordo in Mundo non contingit casu.



CASVM in illis quæ possunt aliter se habere, tantum ponere consueuimus. Possibilitas autem in rebus aliter se habendi, solum prouenit ex indeterminata natura materię ad aliud semper & aliud dilabente, non autem ex natura formæ semper ad aliquid certum determinante: sed in ordine vniuersi est & materia prima, quæ non est ex materia, & forma in seipsis naturaliter subsistentes quæ etiam ex materia esse non possunt. Neque igitur hæc substantiæ, neque harum secundum seipsas distinctio casu fieri possunt. Fortè enim indiuiduorum quorundam distinctio per solam molis diuisionem inter se distinctorum, sorte quadam potest contingere. Distinctio verò ipsarum inter se specierum, quæ formalis est omnino fortuna quapiam contigisse non potest. Oportet autem res ab initio vnà cum speciali distinctione fuisse productas, siquidem in vniuerso sunt multa, quæ nec ex se inuicem generantur, neque ex aliquo rursum communi: quandoquidem non conueniunt materia. Neque igitur formalis ipsa distinctio, neque productio rerum vllo casu potuit euenisse: præsertim quia causa per se existens prior est, quàm illa quæ est per accidens. Cum igitur posteriora plurimum à causa per se determinata procedant, nefas dictu est, propria à causa fortuita prouenisse, sortemque mobilissimam rerum stabilium fuisse principium: cum tamen contra fieri necesse sit, id est, mobilia semper à stabilibus regi, ducique, & in suis motibus ordinari.

Præterea, cum alibi probatum sit ab intellectu diuino fieri vniuersum, quod patet ex artificiosissimo rerum ordine intelligentiæ proprio, necesse est communem vniuersi formam tum ab intelligentia Dei excogitari, tum à voluntate constitui, quam nullus frustratur euentus. Quoniam igitur mundi forma non est præter agentis intentionem, merito neque sorte contingit. Cum verò forma totius consistat in distinctione atque ordine partium: neque ipsa rursum distinctio rerum potuit esse fortuita. Denique quod optimum est in opere, ritè finis operis est iudicandum: Optimum verò mundi totius in mutuo partium ordine collocatur: Ordo autem esse sine distinctione non potest: per eiusmodi ordinem mundus in sua integritate quæ optimum ipsius est constituitur. Ordo itaque partium vniuersi earumque distinctio tanquam optimum productionis ipsius est finis, quamobrem ordo distinctioque rerum casu contigisse non potest.

Mundanus ordo non prouenit ex materia.

SI specierum distinctio non resultat casu, sequitur vt nec etiam ex materia. Cùm enim hæc indeterminata sit naturaliter ad quam plurima, siquid inde prodeat, fortuitò profluit: præsertim si nulla introducatur agentis superioris intentio. Si d xeris materias esse diuersas, proptereaque formas inde varias proficisci, confiteri cogeris materias, cum in perfectissimam essendi conditionem habeant, merito non ex seipsis, sed à principio superiore pendere, ideoque & quod sint, & quod distinctæ sint, aliunde sortiri. Atque ita primam mundo distinctionis causam non esse materias: præsertim quia multa sunt & inter se distincta: quorum nullum ex materia constat: atque ipsa materia à rebus immaterialibus non per aliam materiam segregatur: accedit ad hæc quòd agens quodlibet cum per formam agat, formam intendit velut finem. Non igitur introductæ in vniuerso sunt formæ materiæ gratia, sed & materia vt formæ naturales sint, & materiæ ita passim afficiuntur & ita, vt formæ sint tales. Distinctio verò rerum secundum species est per formas. Hæc ergo distinctio non ad materiam tanquam ad primam causam referri debet, sed materia prorsus ad formas: quæ quidem à causa per formam agente & intendente formam aliter aliterue mouetur, & meritò, cum materia vilior sit quàm forma, non formæ ad materiam velut ad finem, sed vicissim materia refertur ad formas, dum videlicet ab ipsa agentis supremi forma, & fit, & mouetur, & certis vbique modis afficitur. Distinctio itaque in vniuerso formalis non ex conditione materiæ primum, sed ex authoris intentione procedit. Quicquid vero vel materiam sequitur, non tam ad formale quàm ad deforme declinat, vel materiæ quantæ diuisionem, id specialem non variat formam.

Mundanus ordo, non est ex diuersitate principiorum.

SI quis rerum diuersitatem admirans propterea primorum agentium diuersitatem indicat velut causam, considerare debet, vtrum agentia inter se diuersa ordinem illum inuicem habeant necne. Siquidem communem habent ordinem, hunc ex vno quodam superiore possident. A quo suntilla, & distincta sunt, & sunt vnita, ad quod rerum omnium distinctio tandem redigitur vt in causam: At si agentia illa ordinem nullum habere dicantur, & casu concurrent, & nullus in rebus perpetuus ordo seruabitur.

Ordo rerum non accidit tantum ex successione rerum: sed ex vnius intentione.

SVnt qui multiplicium rerum diuersitatem nequeant ex vna mox causa deriuare, sed existiment gradatim crescere multitudinem ex vno quodam in duo, è duobus iterum in tria deinceps, aut quatuor: ex eo videlicet quòd prima causa omnino sit simplex, prorsusque vna, faciatque vnum, quod non potens causæ puritati actuique se prorsus æquare, in potentiam actumque dilabitur. Sed hæc opinio effectibus quidem singulis causas determinatas assignat, toti verò rerum diuersitati non potest vnam causam assignare, sed totam ex concursu omnium causarum opinabitur resultare: atque ita fortuita quadam sorte contingere. Proinde quod in vniuerso est optimum, scilicet commune totius bonum in ordine cunctarum partium & distinctione consistens, in optimam eorum quæ sunt causam, est referendum. Distinctio itaque & dispositio rerum, non ex sequentium duntaxat gradibus causarum, sed ex primæ causæ prouidentia proficiscitur. Sed quis non videat esse nefas, hoc ipsum quod in cunctis est optimum in defectum quendam redigere causarum: quatenus videlicet causa sequens à prioris causæ simplicitate degenerat. Iam verò si integra dispositio mundi, quæ in partium cunctarum ordine collocatur, sicut ordo in distinctione consistit: si inquam, eiusmodi dispositio tanquam vltima forma mundi, optimumque munus maximeque formale, finisque omnium, ritè causæ primæ respondet, merito huic dispositioni sequentes post Deum causæ seruiunt. Non igitur hęc velut fortuito ex causarum sequentium paulatim actione resultat: sed ad hanc constituendam vel conseruandam causæ sequentes agunt quicquid agunt, velut ad finem ipsius à causæ primæ mente præscriptum. Qua quidem in mente si rerum est dispositio designata, certè res omnes necessario sunt descriptæ. Ac si efficacissima illic intelligentia est, possunt complurima simul inde prodire: præsertim quia diuina virtus & per vnum actum agere quamplurima potest, & velut immensa non definitur ad vnum: quoque simplicior est, eo (vt ita dicam) vnita magis & fortior, & ad plura procreanda potentior. Denique cum multa sint, quæ propter miram essentiæ suæ simplicitatem perfectionemque non possunt aliunde quàm à prima causa proximè proficisci, necessarium est rerum interse distinctarum dispositionem ex primæ causæ prouidentia sequi. Huius intelligentia cum plurima possit, & quæ potest intelligat: ita demum opus sibi facit persimile, si multiplex variumque confecerit: opusque ipsum in plurimis immensam causæ copiam repræsentat, quam in vno vel paucis repræsentare non potest. Et cum in Deo tum bonitas sit, tum diffusio bonitatis, in opere nimirum diuino aptissimè refertur Deus: si bonum, & & in substantia fuerit, & eminus diffundatur in alia, quæ quidem diffusio fieri nequit, nisi rerum diuersitas & inæqualitas insit, inæqualitas inquam, secundum speciem. Sic enim perfectissima in mundo multitudo erit, maximeque formalis, si species quamplurimæ fuerint.

Fines rerum & motionum declarant res diuina prouidentia fieri, disponi, moueri.

PRoinde apud Medicos cæterosque Physicos exploratum est, sublata finis assignatione non posse vlla in re dispositionum motionumque naturalium causas assignari. Tota igitur & naturæ dispositio, & scientiæ ratio peritura est, si naturalibus effectibus certus finis non fuerit destinatus. Multa sanè reperiuntur in quolibet, quæ & superuacua erunt & onerosa: imò nec fieri poterunt, nisi certi cuiusdam finis moueantur intentione, qua partes qualibet in reinuicem partibus seruiant, & partes cunctæ obsecundent ipsi formæ, bonoque totius. Dic cedo, cur nam durioribus plantis vimina non nascantur, sed tenerioribus germinent? nisi quia hæ tantum indigent sustentaculo, cui per vimina vinciantur? Sic natura neque superuacua patitur, neque caret alicubi necessariis. Sic vimen quasi manus vltra porrigitur, ea potissimum parte, qua situm fuerit sustentaculum: quod quatenus non offertur, vimen explicatur in longum: cum primum id datur, vimen huic sese protinus implicat. Nonne hic mentem, & manus, & oculos natura videtur habere? Dic age, cum finis ipse cæteras moueat causas, ideoque omnes quodammodo antecedat, vt in arte consilioque apparet, vbi nam finis in natura præcedit, ad quem naturalia destinantur? Sanè cum in materia non præcedat, antecedit in motore materiæ, finem verò præponere his quæ diriguntur ad finem, ordinemque seruare perpetuum rationis est proprium. Est igitur summa in motore materiæ ratio naturalium: quæ si in quolibet toto partes iuber inuicem seruire partibus, & ad totius bonum reuocat vt ad finem, multo magis quælibet passim tota & accommodat inuicem, & tanquam vniuersi partes ad bonum vniuersi perducit, nec vsquam patitur accidere vacuum. Atque huius deuitandi gratia tanquam finis intentione passim mirabilia facit, mouetque, & sistit præter naturæ modum impetus naturales, tanquam dux longè natura superior.

Mitto nunc quàm mirabiliter ad animantis bonum transferat præter elementorum conditionem deorsum leuia, grauia sursum; & quàm mirifica quælibet arte figuret. Mitto quanta cautione aquam quæ proprio elementorum ordine terram totam obrutura videtur, cohibeat penitus operire terram, ob hoc ipsum duntaxat, vt plurimæ in terra rerum species generenrur. Mitto quàm opportunè omnibus quæ gignuntur membra instrumentaque & necessaria passim omnia sint prouisa, variisque diuersa modis munita diuinitus, atque etiam vltra necessitatem quàm mirabiliter exornata. Summatim verò cum in arte consilioque finis nihil sit aliud quàm terminus

aliquis. ad quem potissimum mouetur agentis intentio, & in quo denique conquiescit: certè naturalibus motibus similiter præscriptus est finis. Non enim vel fiunt quælibet ex quibuslibet, vel mouetur ad quælibet, vel quomodolibet fiunt atque mouentur: sed certis omnia modis, semperque similiter: vtpote quæ neque coaggerantur temerè, neque fortuna vagantur. Sic calor ratione summa mouentis congruum sibi locum petit vbi seruetur, & fugit ineptum, fugit & frigus, quandoque etiam præter propriæ naturæ modum, ne contrariis extinguatur. Cum igitur naturalium motus certum vbique petant terminum in quo quiescant, similiterque rerum naturalium compositiones, ex quibus certi motus eduntur certi gratia termini dispositæ sint, consequens est, naturalia quanto artificiosius quàm artificia diriguntur ad finem, tanto præstantiore quadam arte fieri moueríque, quàm artificia. Atque sicut ars in nobis absolutissima nihil consultat amplius, sed agit quasi modo naturæ: sic naturalem diuinamque artem & si ratione fuisse gratia faciat, nullis tamen rationis discursibus indigere, quibus ars consummata non egeat: præsertim si ars humana non extra, vt nunc dicatur tractare materiam, sed intus diuinæ artis more agitari fingatur.

Quomodo mundus hic à superno fiat, atque degeneret: qualis sit mundus intelligibilis.

CAPVT PRIMVM.

QVod in primo capite dicitur: si Deus mundum aliquando fecit nouum, ergo antea consultauit, vtrum & quomodo faceres, non consequitur. Tantum verò consequens est, cogitari à nobis posse, Deum ita consultauisse: quod cogitari non licet, si ponatur mundum nunquam initium temporis habuisse. Secundò nota primam essentiam vitamque & mentem, quod & idem est, esse mundi causam, scilicet efficientem & exemplarem, finalem verò esse bonum: Fieri verò inde mundum, quoniam mundus est ipsa, sicut ex igne fit ignis. In mundo corporeo aliud est ordo formalis, aliud dimensio atque motus. Si ergo dimensionem motumque subtrahas, ordinem verò relinquas, mentem contemplaris mundi huius artificem: in qua quidem sunt formarum omnium gradus, siquidem est ordo formalis. Sed quoniam non est ibi motus & tempus, præsenti formæ neque quicquam abiit in præteritum: neque deest aliquid in futurum. Rursus quoniam non est dimensio, per quam pars alia solet à parte distare in qualibet parte sunt cunctæ: Ideoque forma quælibet est omniformis, quamuis aliter atque aliter. Non enim aufertur formalis ipsa distinctio, quamuis dimensio tollatur & tempus. Nam & vbi dimensio est & motus, multæ qualitates admodum differentes simul sunt in eodem, & in qualibet eius parte sunt cunctæ. Cum igitur in mundo intellectuali in vnoquoque sint omnia, ideoque nihil alicui desit, merito nullus est ibi motus, nullus ab alio in aliud impetus, nulla vel iniuria, vel genetatio noua. Non enim patitur vnitas continentis, alia illic, aliis esse contraria. Quinetiam si contraria forent: non tamē hoc in illud faceret impetum, cum nullis aliquid desit, & vnumquodque sit prorsus in actu, vt ex eo nihil effici possit. Omninò vero quia proprium cœli corporei motus est, incorporei verò status, merito sicut cœlum hoc quo magis monetur, eo magis in terris agit & generat, sic & illud quo verius permanet, eo vetius, & hoc facit totum, & in hoc omnia facit.

Quomodo mundus hic à superno fiat, atque degeneret.

CAPVT II.

QVo autē modo hic mūdus procedit ex illo? Profectò sicut ex semine quolibet simpliciore multiplex vbique naturaliter pullulat germen: illius quidem fœcunditas in hoc euadit progressio plurima. Virtus illius ingens in hoc fit ampla dimensio: actus ille vegetus hic transit in motum, & in tempus æternitas. Ex distantia igitur tum formæ, tum situs discordia surgit: ex diuisione verò accidit indigentia: ex vtrisque appetitus, & motus, & impetus. Cum enim tota natura sit à bono, ideoque nulla eius intentio sit ad malum, sed ad bonum: nimirum res naturales non odio inter se agunt vt destruant alienum: sed indigentia & amore sui, vt se aliunde seruent atque reficiant. Cum verò natura in vnoquoque genere prima, tanquam fœcundissima per se faciat in eo genere quæ sequuntur, multo magis essentia vitaque prima nullo præter essentialem vitam adminiculo indiget, quo rerum essentias generet atque vitas: sed eo ipso propriè quo ipsa est viuitque, cætera illinc essentiam sortiuntur & vitam. Quòd si per intelligentiam quoque & voluntatem dicatur efficere, nihil propterea illinc adiungitur. Nam intelligentia & voluntas illic est ipsa natura. Quatenus ergo natura facit, necessitate facit, quatenus verò natura illic intelligentia est, facit, & voluntare. Cum verò & per naturam voluntariam & per voluntatem naturalem agat, nimirum inquisitione consilioque non indiget ad agendum. Proinde si illic essentiam & intelligentiam ratione distinxeris, ab essentia videbis materiam huius mundi profluere, & ab intelligentia formam: & sicut essentia illic cogitatur ordine quodam intelligentiam antecedere: ita & hic materiam cogitabis præcedere formam. Sed enim antequam intelligentia illa formam præbeat mundo, corpoream longè ab ipsa distantem propinquam sibi exhibet incorpoream: ex vita videlicet sua inter essentiam & intelligentiam quasi media animam mundi procreans, vitam vegetalem intelligentiæ compotem: mediam quoque inter materiam formamque corpoream: sicut illic vita inter essentiam & intelligentiam obtinet medium: Atque hæc ipsa ratio est seminaria mundi, & quasi quoddam diuinæ intelligentiæ verbum, quo verberata materia mundanum suscepit ornatum. Tu verò vbi legis intellectus infundit materiæ rationem, expone, intellectum non rantum ipsum simpliciter intellectum, sed intellectum etiam animalem, intellectu videlicet primo formatum. Ab illo enim per hunc, & ab hoc illius virtute pullulat in materiam potentia genitalis, ab vtriusque essentia dependentem. Similiter dici solet: Sol generat naturalia, quod tamen cum lumine facit inde manante. Atque ibi lux solaris & lumen simul hæc efficit per calorem. Comparat verò intellectum vtrumque masculo. Generat enim vt separatus à genito. Seminalem verò mundi naturam virtute seminariæ masculi, vtraque enim intrin-

secus agit. Mundum verò genitæ proli. Vtrobique enim inter se iam distributa sunt membra, & partes iam repugnantes, quæ in semine simul erant, neque pugnabant. Constat quidem mundus ex necessitate, id est, materia & defectu ex materia contingente. Item ex intelligentia, id est, formali ordine intelligentiam referente. Resoluitur in partes, velut intimas, id est, in materiam rationemque seminariam & formalem. Ipsa verò animæ intellectualis essentia non est pars intima mundi, sed præsidet.

Quatuor post bonum mundi, intellectualis, animalis, seminarius, sensibilis: & quomodo processio fiat atque iudicium.

CAPVT III.

SI quid in mundo considerando te offenderit, noli Deum incusare: quasi de mundi constructione non bene consultauerit & elegerit. Non enim consilio indiget: sed facit sufficienter ipsa natura. Neque naturam rursus accuses in primo rerum principio. Est enim ipsa bonitas, & bonitate opus proximè facit simpliciter optimum, intellectualem videlicet mundum, & hunc quidem proposito primo. Si enim bonitate facit, facit & voluntate: Concurrit namque in primo cum bonitate voluntas. Vult ergo intelligibilem mundum primam (vt ita dixerim) voluntate: animalem verò mundum qui deinceps ex intelligibili sequitur, necessitate quodammodo vult, necessitate (vt ita dixerim) consequentiæ: non enim latet ipsum ex opere primo sequi secundum, neque rursum reprobat, sed non probat vt primum. Similiter intellectualis ille mundus non consilio, sed natura generat animalem. Cum verò natura eius intelligentia sit, & intelligentia sit voluntas, dum natura facit, intelligentia facit & voluntate: prima inquam, animalem mundum, consequenter autem & seminarium in natura mundum, quem nouit ad animalem necessario sequi. Eadem ratione animalis mundus, id est, intellectualis anima naturali quadam intelligentia & voluntate vitam generat, naturamque genitalem: mundum scilicet seminarium vestigium vltimum diuinorum. Necessitate verò consequentiæ generat & sensibilem ad seminarium consequentem: consequentem inquam, ex seminatio vtente ad hunc efficiendum ipsa duntaxat vita: non autem intelligentia vel voluntate qua caret. Ita enim viuendo facit sicut & anima intellectualis, & intellectus primus agit intelligendo, atque vicissim, sic naturaliter intellectus intelligendo facit, & more naturæ, sicut natura viuendo generat, & ordine intelligentiæ fabricat.

Tu itaque noli ex mundo sensibili mirabilem ipsius boni, vel intellectus puri, vel intellectus animalis dignitatem prorsus extimare atque perpendere: sed ex sensibili coniecta seminarij dignitatem, ex hoc naturam animæ, & ex anima excellentiam mentis, ex mente denique bonum. Tum verò in mundo sensibili contemplando, ne in partes figas intuitum, sed conspice totum, neque ad partes totum referas, sed partes ad totum: neque opus hoc exigas simpliciter optimum, sed optimum quatenus capit gradus, mundique iam quarti natura post bonum. Notabis interea vbi mundus loqui fingitur: quandoquidem sunt in infimo globo mundi multa viuentium genera, esse quoque supernè multa per totum pro dignitate & amplitudine spatij virtute magnitudineque ingentia: quorum prima deos nominat, sequentia dæmones, tertia particulares animas, quæ transferuntur in dæmones: & vbi ponit populos dæmonum, ostendit per totum supra nos mundum greges esse dæmonum distributos, habereque duces suos qui stellas sequantur vt reges: nam & corporea dæmonum supra nos vbique sequuntur motu proprio stellarum motus, similemque vbique agunt choream. Imitantur & stellas pro viribus magnitudine, figura modoque agendi: & vt stellæ agunt intuitu radiorum imaginationem sequentium efficacem.

Notabis insuper æthetem esse aërem ignitum: item omnia ex bono pendere, quandoquidem omnia bonum appetunt. Denique ipsam simpliciter vitam, esse ipsam simpliciter mentem: vbi dicit intellectualem naturam duntaxat totam habere vitam. Sic ergo conijcies, quoslibet rerum gradus eatenus esse vitæ participes, quatenus intellectuale aliquid habent. Mundum verò à Deo fieri non per consilium, sed naturam sic confirmat Porphyrius in Timæo. Artes quidem instrumentis indigent, quoniam nec omni materiæ præsunt, nec dominantur omnino, & extra laborant. Potentiæ verò naturales, quoniam & perfectiores sunt, & intimæ ipso tantum suo esse agunt quicquid agunt: sic omnes, sic & anima semper essentiali vita nutrit, auget, generat, spirat, sentit, & reliqua. Ipsa quoque imaginatio præpotens solo quodam sui actu variis statim corpus qualitatibus afficit atque motibus. Quinetiam (vt tradunt Theologi) dæmones imaginationibus suis absque alio instrumento vel actu passim mirabilia faciunt, subito prout volunt, efficacissimos inde radios emittentes, ac sæpè motibus imaginationis suæ formas extra mirabiles ostendentes eis qui talia inspicere valeant: multo magis mundi opifex ipso esse, id est, ipso intelligere substantiam exhibet vniuerso: indiuiduus videlicet mundo diuiduo. Cui enim mirum, ex incorporeo corporeum propagari? Siquidem ex minimo sæpè semine vastum pullulat animal tot, tantis, tam diuersis inter se membris inde compositum: atque & in semine paruo ratio ipsa seminalis non est parua, dum efficit magna, neque rursum magna, dum tota in qualibet seminis particula viget, sed ratio quidem seminalis materia indiget: ratio verò diuina nullo indiget, sed fabricat omnia: dumque natura propria permanet, omnia producit & mouet. Huc vsque Porphyrius.

Quæcunque videntur mala, vel circa corpora, vel circa animas, reformantur in bonum.

CAPVT IV.

DVm elementum hoc suas alicubi partes cæteris mutat elementis, interim aliunde partes ab aliis mutuatur: ideoque elementorum globi nihil mali subire videntur. Similiter in compositorum dissolutione malum mundus ipse non patitur. Nam elementa tunc suas reuertuntur in sphæras, vel compositum aliud generatur, atque generatio ipsa dum partes capit ab elementis, formis ea nouis exornat: perpe-

tna verò, hæc generationis viciſſitudo eſt neceſſaria mundo. Cùm enim mundana materia & poſſit & debeat innumerabiles ad perfectionem ſuam compoſitorum formas accipere, neque valeat omnes eodem tempore capere: quia neque materia, de qua fiunt innumerabilibus compoſitis, ſimul ſuppetit, neque ſpatium capit, neque tam diuerſa concurrunt: factum eſt vt commutatione perpetua capiat, dum & cœlum ſimiliter innumerabiles motu figuras induit, viresque ſortitur nouas, quas nec ſimul nec manens, velut repugnantes admittere poteſt, atque interea motu confert ad inferiorem materiam naturaliter transformandam. Hac itaque ratione tranſmutatio, tum localis, tum formalis, & in cœlo atque ſub cœlo, ad optimum confert habitum vniuerſi: ideoque cenſetur & bona: præſertim, quia mundi totius ordo, tanquam optimum vniuerſi regula quædam eſt, qua cenſere ſingula debeamus vt bona, quatenus conferre ad ordinem videantur. Ordo verò videtur exigere, vt quæ conſtructa ſunt ab alio, atque tunc ex aliorum deſtructione conſtructa quandoque deſtruantur ab alio, viciſſim ad alia conſtruenda. Quicquid interea vel naſcitur vel contigit erga aliqua noxium atque malum, non aliter euenire permittitur, niſi ad alia atque plura ſit conferens atque bonum, ac niſi ritè compleat ordinem vniuerſi. Prætereà totius ordo requirit, ſi ex poteſtate primorum mirabili procul exuberante, plurimi ſequentium gradus eueniunt: atque à primorum vnitate ſtatuque ſtabili mox oriuntur: vt deinceps proceſſione dependentiaque creſcente ſtatus ipſe cum motu miſceatur, fiantque ſtatim eſſentiæ per ſe mobiles, antequam ad res ab alio mobiles deſcendatur. Cum enim motus deriuetur ex ſtatu, meritò motus ipſe ex ſtatus ipſius diſtinctione diſtinguitur.

Itaque, ſicut multa per aliud ſtabilia reducuntur ad alia quodammodo per ſe ſtabilia: ſic & quæ mouentur ab aliis, in illa quæ motum ex ſeipſis habent, denique reſoluuntur. Tum verò in ipſo per ſe mobilium ordine eſſe oportet ſuperiora in communi quadam potentia conſtituta, eiſque ſuccedere inferiora permulta particularem nacta potentiam. Cùm enim proceſſio rerum continua eſſe debeat, nihilque vacuum in hac ſucceſſione relinqui, meritò poſt vniuerſalia ſimul atque per ſe mobilia, priuſquam ad eorum oppoſita particularia ſcilicet, ab alioque mobilia deſcendatur, interponuntur aliqua, quæ particularia quidem ſint, id eſt, particularem ſortita potentiam: ſed naturam habeant per ſe mobilem. Atqui res eiuſmodi ob particularem naturæ conditionem in quandam habitudinem quandoque contrahi poſſunt: ſed propter ipſam ex ſe mobilem facultatem ſolui quandoque ex omni propria habitudine poſſunt.

Affert quoque particularis naturæ conditio alternam quandam per partes que attingentem vitæ viciſſitudinem, motu interim ad hæc libero conferente, vt aliàs propriũ retineant habitum, aliàs ſuperiorẽ, aliàs inferiorẽ habitum ſortiantur. Vtrinque facilè vergere poſſunt naturæ medium obtinentes, vicibuſque alternis explent, quæ ſuperiora communiaq; tractu quodam vnico complectuntur. Intereà verò circulari hac motionum viciſſitudine gaudet vniuerſi natura. In hoc autem genere ſubſtantiarum particularium per ſeque mobilium ponuntur animæ, quas Plotinus ait viciſſim corpora permutare, id eſt, animæ hominum inferiorumque dæmonum, aërem hunc habitantium turbulentum: Habitare quidem hic quoque animantes oportuit rationales, neque tamen ſingulatim habitare ſemper intellectuales naturas in regione propter mixtionem atque diſcordiam vitæ & intelligentiæ fœlicitatique repugnante. Hinc ergo confirmant Platonici viciſſitudinem animarum Et quoniam animabus eiuſmodi obtigit prouincia durior, atque etiam ad deteriora procliuior: meritò compenſatum eſt prouidẽter, vt quandoque poſſint non ſolum ad gradus proximè ſuperiores, ſed ad alios etiam altiores, id eſt, ad cœlum vſque tranſcendere. Putant eiuſmodi animas depoſito corpore ram terræ quàm aëris turbulenti, ad tempus in aëris corpore puri oris inter æthereos dæmones computari, atque etiam cum cœleſti corpore, quod extra generationem poſitum dicitur à Plotino collegas effici vniuerſalis animæ, id eſt, cœleſtium animarum.

Denique, ſi cœleſte inſuper corpus quaſi deponant, non tam cum cœleſti anima, quàm cum ipſa animarum idea, quam omnem appellant animam, vitam agere. Appellat hic Plotinus vitam prorſus immobilem, ſcilicet, omnem intellectualem vitam ſiue mentis primæ, ſiue ſequentium. Vitam verò mobilem communiter animales effectus, ſiue in diſcurſione rationali imaginatiaque, ſiue in genitali miniſterio poſitos. Propriè verò vim genitalem hic vitam nominat mobilem, quæ ex ipſa ſuperioris vitæ conſiſtentia ita iugiter effluat, tanquam eius ſpiraculum: ſicut ex anima hic noſtra motus in pulſu vitalis. Genitalem eiuſmodi facultatem ex anima mundi primum, & ex animabus ſimul ſphærarum omnium mundanarum infuſam materiæ, eique dominantem, appellat rationem mundanam caducorum animalium genitricem: quorum quidem animalium formas air in ſuperiori cœlo, id eſt, intellectuali conſiſtere. Vnde per ſeminariam rationem ita venerint in materiam: ſicut plerique dicunt rerum terrenarum formas è formis cœleſtibus per lumina inde huc emicantia proficiſci. Nam neque formas ex hac informi materia, neque ordinem ex inordinato caſu, neque ſtabilem tenorem ex natura prorſus inſtabili pronenire putandum. Sed vt redeamus ad ordinem vniuerſi, cui tanquam optimo quicquid quomodolibet conſonat, bonum eſt iudicandum, talis ordo requirit, vt animæ particulares ac per ſe mobiles, tanquam in motione liberæ, & tanquam non ſolum intelligentiæ, verumetiam generationi cognatæ alternè poſſint eligere tum intelligibile, tum ſenſibile bonum. Atque hæc ipſa alterna electio bona eſt vniuerſo: in quo ita explentur vtraque miniſteria ſimul, & opera prouenirunt naturalia, dum animæ ſenſibile bonum intelligibili eligendo præponunt. Vbi anima quicquid eligit, eligit ratione boni, & ſi minus bonum maiori præferre eligenti ſit malum, vniuerſo tamen eſt bonum: præſertim quia ſtatim electioni eiuſmodi rependitur conſentaneum: vt quæ ad deteriora vergit afficiatur quoque deterius, deterioremi ſubeat vitam. Qui ſanè ſtatus ideo cenſetur bonum, quoniam iuſtitiæ naturalis ordini conſonat. Euadit & animæ bonum quatenus animi delinquentis anguſtia ad pœnitentiam quandoque prauæ electionis adducit. Sic igitur diuina pro-

uidentiæ bonitas, malum subito nascens transformat in bonum: idque tum in corporum tum in animorum motionibus mirabiliter efficit. Contingit forte ex hac aqua fieri aërem, vel ex hoc aëre aquam: postquam verò vel aquæ illius materia susceperit leuitatem, vel aëris materia grauitatem: non contingit fortuito, vel illam materiam iam ad aëris locum ascendere, vel hanc ad aquæ descendere situm: sed forma iam insita naturaliter, & necessariò loca congruentia perunt lege naturæ legeque diuina, quam naturæ lex perpetuo sequitur. Similiter animas proprij arbitrij facultate cõtingit ad talia primum vel talia vergere: deinde frequentius ad eadem inclinari: demum facto tam habitu, ad illa feruntur quasi natura legeque naturali simul atque diuina, talemque ita vitam aut talem denique sortiunrur. Quæ verò sancit naturæ legem, non quasi consultando ex transgressione legis & ordinis adductus est ad sanciendam legem & ordinem statuendum, sicut homines plerunque solent: ante enim ipsam primam simpliciter legem, quæ & primus ordo est, nulla est transgressio legis, neque potest ordo primus ex priuatione ordinis procreari, ea scilicet conditione qua conditores apud nos legum ex legis naturalis transgressione admonentur ad leges populis conscribendas: sed ipsa essentialis forma tum diuinæ mentis, tum deinde naturæ lex est omnium atque ordo. Quicquid igitur ob impotentiam ab optimo hoc ordine deficit, statim eodem ordine in malum cadit à bono, in malum inquam sibi, sed mundo bonum: quatenus ita demum & illuc cadit, sicut & quo totius ordo requirit, malum verò cuiusque proprium non esse aliud quàm defectum eiusmodi. Ita Proclus Dionysium (vt arbitror) secutus Areopagitam explicat. Malum neque est in rebus intellectualibus, nam proximæ sunt ipsi bono: neque in animabus corporibusque vniuersalibus, vniuersalis enim forma & authoritas est propria bono. Reliquum est igitur, vt malum in particularibus sit animabus atque corporibus. Neque tamen in horum essentiis ex Deo natis: neque rursus in naturalibus horum viribus: nam ex Deo quoque dependent. Horum igitur actionibus duntaxat accidit malum, sed quantum spectat ad animas, non in actionibus quidem earum rationalibus omnes enim appetunt bonum, neque rursum in actionibus earum ratione carentibus: hæ namque natura feruntur: sed in quadam earum inter se congruitate, quam asymmetriam, id est, incommensurationem vocant. Quantum deinde spectat ad corpora, malum non est in forma. Vult enim materiæ dominari. Neque iterum in materia, nam appetit exornari: sed in qua materiæ ad formam ineptitudine, vnde concludit, malum omne præter subsistentiam esse, & quicquid denique sit subito surrepens sub boni conditione diuinitus colorari. Existente quidem generatione necessario id quoque subesse ad mundanam conducens perfectionem, sed diuina prouidentia omnia superante, bonaque volente in bonum mirificè conformari. Ac si aliorum destructione quasi mala vtitur ad aliorum constructionem quasi bonam, & restitutionem mundi tanquam optimam, multo magis defectu quodam animæ vti mirabiliter ad perfectum. In capitis huius calce notabis tres habitus in malum contractas: primam quidem inclinationem illam, qua etiam ante præsentem vitam cœpit anima ad vitam eiusmodi vergere, paulatimque propensiori fieri. Secundam, corpus sic affectum vt animam ad talia prouocet, & statim ab initio in causam, & deinceps gradatim assuefactam. Tertiam, subitum sensibilium occursum per sensus in animam, sic aut sic afficientem illam, antequam ratio vel animaduertat, vel maturè deliberet, & omnino ipsam consultando animi negligentiam. Sequitur autem necessariò pœna: Nam electio ipsa motioque peruersa & peccatum est, & pœna, acriter affligens animam, donec prouidentia more Medici per afflictionis eiusmodi stimulos animam sanet, dum sic ad habitus peruersi odium prouocat, pœnitentiamque electionis iniquæ, atque vicissim ad contrariæ electionis amorem. Similiter electio recta & præmij simul est & virtutis exordium. Vtrum verò fieri Proclus ait opera diuinæ prouidentiæ intus agentis, sanumque animum oblectantis, insanum verò mirabiliter affligentis.

Confirmat eadem: vbi nota gradus ad felicitatem, & Sinesij sententiam de prouidentia.

CAPVT V.

INtellectibus quidem tanquam stabilibus ipsique bono propinquis conuenit vt sint felices: animabus autem tanquam mobilibus remotioribusque competit, vt felices efficiantur; sed quia per se mobiles, vt sua opera tales fiant. At verò animabus communioribus beatitudo breui quadam opera comparatur. Animabus autem particularibus operosa felicitas obtigit: Ipsæ quidem se beatas, sed longo tempore laboreque reddunt. Cumque omnes quandoque id assequi possint, de conditione nostra nefas est conqueri: neque rursum licere de prouidentia diuina propter aduersa diffidere. Audi Sinesium Platonicum hac de re diuinè loquentem. Aduersa etiam quæ præter merita nobis videntur accidere, plurimum conferunt ad noxium affectum, quo caducis afficimur, extirpandum. Fortunis certè eiusmodi apud eos qui mentem habent, prouidentia confirmatur, quibus & qui mente captisunt, diffidere de prouidentia solent. Nullus enim relinquitur animæ locus, quo materiam fugiat, sic in patriam reuersura, si in nullum hic maluminciderit.

Quapropter ex istimandum est inferioris prouinciæ præsides vulgares adinuenisse prosperitates, tanquam animabus insidiatoras, itaque hinc emigrantibus animabus obliuiosum contingere potum, alius dixerit. Ingredienti certè hanc vitam animæ potum obliuionis affert sors, quædam vitæ suauis & blanda. Hæc ille. Proinde necesse est ordine rerum ita currente plerisque non aliter aduersa contingere, quàm in concentu aliquid quodammodo dissonare, sed quemadmodum quod in concentu secundum partem dissonare videtur, interea toti consonat: sic penitus & in ordine mundi, in quo præter cætera quæ diximus aduersitas siue in corpore siue in fortuna, bonis quidem exercitatio est atque profectus, malis verò punitio atque purgatio, quinetiam ipsa prauitas eatenus confert ordini, quatenus non solum ordinatè punitur, verumetiam iustitia materiam præbet, & iuris exemplum. Ac dum graui tandem miseria premitur,

tum cæteros deterret à vitiis, tum comparatione declarat, quanta sit in virtute felicitas. Post hæc animaduerte mala, nec vllam in supernis mundi rectoribus ideam habere, nec ex vlla illorum intentione procedere, sed ex longissimo ductu bonorum contingere tandem vbi deficit bonum. Quamuis autem hæc ita quasi sorte contingant, erat tamen ab initio in rectorum intentione & in naturæ virtute malis quomodolibet contingentibus, bene vti, ac passim informia reformare.

Confirmat eadem, mouet dubia.

CAPVT VI.

Quoniam pro natura suscipientis vnumquodque recipitur, constat bonis quæcunque contingunt bona tandem euadere, malis verò mala. Item cum & homo sit ipse animus, at totum animi bonum in virtute consistat, totum verò malum in prauitate, consequens est, vt homini per virtutem absolutam beato, sequentia extra animum commoda vel incommoda nihil ipsius bono addant aliquando aut demant. Similiter vt homini, id est, animo per vitium confirmatum misero, sequentia nihil boni afferant, & mali nihil auferant: decentius tamen plerisque videbitur, bonis quidem contingere prospera, malis aduersa: vt ita saltem præclara bonorum augeantur opera, malorum verò publica scelera comprimantur. Sed antequam ad hæc respondeatur, considerabis vniuersum vsque ad minima quæque, sic ab intelligentia dependere, vt intellectualis prouidentiæ virtus & actio vsque ad minima diffundat, nihilque relinquat non ordinatum.

Dat principia respondendi.

CAPVT VII.

Noli hoc in mundo, qui non primus mundus est, sed quartus, longeque à primo degenerati, absolutam pulchritudinem primi mundi desiderare. Non rursum in actionibus animarum rationalium: quæ tanquam ex se mobiles actionum ipsæ suarum talium, videlicet aut talium principia sunt incusare Deum, tanquam talium propriè causa sit actionum: noli quoque animas arbitrari ex ipsa natura mundi compelli, vt actionem vitamque talem eligant aut talem. Cùm enim animarum essentia sit natura mundana superior atque prior, non ex mundo, sed ex ipsis accidit, vt in mundo viuant, magisque minusve afficiantur ad mundum. Noli denique ab animabus cùm natura corporum iam nimium coeuntibus, sublimium animarum perfectionem prorsus exigere. Caue ne quia minus ordinatum genus hominum videatur, neges vsque ad homines diuinam prouidentiam prouenire, quam etiam infra hominem ad minima quæque descendere decet artificiosissima horum omnium dispositio, simul & motio: quæ non aliter effici potest, quàm à seminaria vitalique ratione diuinæ spiraculo mentis: quemadmodum & in animali à simili quadam ratione naturæ superiora tantùm mediaque, sed etiam infima membra fiunt atque reguntur.

Respondet dubitationibus superioribus, & tangit opiniones nouas.

CAPVT VIII.

Dubitationibus responsurus, ne quis miretur non esse inter nos in terris ordinem, qualis in summis absolutissimum, ait genus humanum non summum animalium esse, sed medium inter bruta deosque, id est, dæmones: ideoque errare: quamuis hoc ipsum ad ordinem vniuersi pertineat, vt natura media vtrinque mixta, & mobilis per seipsam seruet aliqnando medium, tum vtrinque ad extrema se vertat. Inter hæc vt exprimeret rerum nostrarum exiguitatem: ait terram ad vniuersum esse quasi punctum, vel quasi stellam quandam minimam reliquarum. Fortè verò tangit hic Pythagoreorum quorumdam opinionem, putantium terræ globum circunfusum aqua si prospiciatur ex ampliore cœlo, apparere lunam solis radiis verberatam: quæ quamuis stellæ modo continuè moueatur, non deprehendi tamen à nobis: quoniam simul moueatur & cœlum, & sydera consequenter: Sic ergo in qualibet stella esse aliquid solidi, rursumque liquidi perspicuique, sicut in stella terrena, & forsitan fusci non nihil, sicut in luna, sed è longinquo minimè apparere: totum verò spatium esse simile aëri, globumque vndique vnum, stellis quasi mundis vbique refertum: moueri stellas progressione propria, qualis eiusmodi animalia decet, plenasque habitatoribus esse, sicut stella terrena alias tamen aliis præstantiores esse, & præstantioribus habitari. Post hæc obseruabis nouum Plotini responsum, non esse in bonis animi numeranda sola quæ ad contemplationem & temperantiam & iustitiam pertinent, sed etiam quæ ad omnem peritiam ingenio & consuetudine, & dexteritate constantem. Itaque qui hoc genere boni præstantiores sunt, iustum est in eis, quæ hoc propriè comparantur superare alios in hoc ipso inferiores, atque inde plus aliquid reportare: atque vicissim qui contemplatione, temperantia, iustitia his præstantiores sunt, æquum est hos similiter in reportandis propriis virtutis suæ præmiis superare, horum quidem præmia sunt diuina, illorum verò caduca. Iustè verò punitur interea, & illorum effrænata voluntas, & horum ociosior vita sæpius necessaria negligens: Denique non posse per hæc & similia ad summum prouidentiam iustitiamque defendi, si solam præsentem hanc agamus vitam: neque in alia, vel ex alia, vel alibi, quæ hic frequenter, & in præsentia præmio, vel supplicio desunt, valeant compensari.

Quod potentia diuina in agendo non prohibet, quin cætera insuper agant, præsertim rationalia.

CAPVT IX.

Fingunt aliqui omnes effectus à quibuscunque rebus effici videantur, siue inanimatis siue animatis atque rationalibus à causa prima sic vsurpari, vt hac duntaxat agente fiant, cæteris solummodo patientibus, nec vlla intercedat rerum actio propria. Sic ergo sublatis rerum propriis actionibus, inanes erunt virtutes propriæ, vel potius nullæ erunt. Similiter & essentiæ pro-

priæ tollentur è medio, sola restabit omnino communis confusaque essentia, vel potius erit nulla post primum. Sic iterum euentus quilibet etiam vilissimi, & ordinis primum expertes, & mali à solo fient proximè summo bono. Sic tandem post immensum primi agentis actum, nullus inde actus, actio nulla subsistet, sed sola passio communissima & extrema: imo post actum illum subito proxima, perinde ac si ab immensa luce vel caliditate, nihil lucidum calidumque proueniat, nihil quod illuminando, vel calefaciendo, suam originem imiretur: sed opus penitus tenebrosum, opus certè Dei, nullo modo diuinum, sed abiectissimum penitus erit, si ex mancipiis duntaxat patientibusque tantum coaceruetur: neque rectè Deus diceretur prima causa, primum agens, si nullæ post ipsum causæ fuerint, agentia nulla: & qui actu quodam agit efficacissimo, non agens aliquid aut actum, sed patiens tantum aget & pasfioem. Denique sicut nunc vbique per res certas certos effici videmus effectus, iam hos sine rebus à Deo passim statimque resultare videbimus, ac si sol absque elementorum, mixtorum, plantarum, animalium opera omnes horum quandoque absolnat euentus: præsertim si actio primi nullum (vt fertur) exigat subiectum: neque idcirco sit varia, quòd in variis agat. Sed re vera Deus naturas rebus dedit, actionesque inde concessit: & merito, cum ad primum qui est simpliciter actus, pertineat simpliciter agere, reliqua inde habent vt in quodam actu consistant, sortiuntur etiam vt aliquid agant. Ac dum ab immenso bono habent, vt sint pro viribus optima, bonum in alia suum operando diffundunt: Sic & ipsum bonum dum communicauit rebus similitudinem suam quantum ad hoc vt essent, communicauit etiam quantum ad hoc, vt aliorum causæ forent. Nam & ipsum vt causa eis dedit, vt essent. Procedit autem rei cuinslibet effectus, & si non tam propriè, tamen tam prope à Deo, sicut à causa propria: sicut tam propinqua est virtus solis vuæ sicut vitis, quamuis non æquè sit propria, neque sit pars operis à causa propria, pars à communi, sed ab vtraque totum: quamuis aliter ab alterutra, sicut & à principali simul atque instrumento.

Consideramus igitur in quouis agente essentiam & virtutem, ipsamque virtutem à virtute superioris agentis dependere: quateous inde darur, vel etiam conseruatur, vel admouetur ad opus. Et sicut effectus sit pariter ab essentia causæ inferioris, eiusque virtute, & ab hac ipsa virtute simul atque virtute superioris. Itemque superioris vlterius, & denique virtute primi æqua semper propinquitate quatenus sequens agit semper potentia præcedentis. His potissimum rationibus affirmamus, postea agens vnum communissimumque esse multa, quæ ipsa per se insuper agant, & propria quædam propriis virtutibus expleant: quatenus videlicet communi agentis primi virtute actioneque ducuntur: sicut agentia passim sub luna sua, quæque per se agunt atque per solem. Quod si rebus etiam infra hominem munus, id est, tributum, multo magis homini datum est, per animam ex se mobilem, ex se aliquid agere, & aliter sæpius atque aliter quàm si trahatur ex alto. Et quemadmodum in operibus naturalibus quod communiùs meliusque reperitut, ex superioribus sæpè causis est tributum, quicquid verò magis proprium minusve bonum, ex causis proximis est adiunctum: sic in humanis actionibus & operibus communis actus & efficax atque rectus nobis aduenir ex diuinis. Propria verò sic aut sic agendi, deteriorque conditio ex nobis locoque contingit non aliter quàm in claudo progressionis obliquitas ex curuitate cruris, sed eundi facultas ex anima. Cum igitur diuina prouidentia non auferat rebus naturas actionesque proprias, quas & ipsa dedit atque conseruat: ex his autem longo tractu gradatim deficientibus, defectus & malum contingat in opere, merito non tam auferatur à prouidentia malum, quàm subito transfertur in bonum: sicut & à Musica non tollirur vox quodammodo dissona, nec medium sæpè silentium: sed vtrumque consonantię consummatæ gratięque perfectę necessariam adhibetur.

Proinde si non tollit è medio prouidentia malum, merito non aufert inde fortunam minus quàm malum contrariam prouidentiæ bonitati. Eo enim ipso quod prouidentia sub se constituit longum ordinem causarum, superiores causę ampliori virtute prædite longius latiusque quàm inferiores agunt. Quousque verò naturalis virtus extenditur, eousque duntaxat & intentio naturæ porrigitur. Multa igitur in effectibus à primo longè distantibus eueniunt ex virtute, actione, intentione superiorum: ad quæ non extenditur mediarum intentio causarum: quandoquidem eatenus potentia propagatur. Talia itaque cum præter intentionem inferiorum causarum fiant, ex intentione tamen superiorum, nimirum his quidem fortuita sunt: non illis adeo vt etiam quæ prodigiosa dicuntur, tanquam præter naturę particularis iotentionem & ordinem contingentia interea superiorum ordinem propositumque sequantur.

Non tollit igitur prouideotia casum, ne interea longum perdat ordinem causarum: non tollit malum, ne interim bonorum auferat amplitudinem, imò verò ne variatum dirimat ordinem specierum: quæ dum propriis inter se differentiis distinguuntur, gradibusquoque bonitatis pariter seiunguntur. Aufert igitur mirabilem variarum copiam specierum, quisquis diuersos gradus auferet bonitatis. Ex longa verò graduum booitatis productione malum postremo suboritur, vbi aliquid vel à bono etiam proprio iam deficit, vel deficere potest. Si diuinæ prouidentiæ bonitas non tollit malum, si eiusdem ratio non perdit casum, certè neque libertas eius nobis aufert libertatem, imò si prouidentia regit fatum, non vult fatis cogi animos ad peccandum, ne ipsa demum sit causa peccatorum. Siquo Deus pacto sit reliqua compulsurus immensa certè potentia, rerum impellet potentias, vt diuinitus actæ agant vbique diuinè. At verò quoniam diuina potestas dum agit omnia, suo modo non prohibet quin agant & ipsa interim & suo modo agant, certè neque diuina scientia dum proprias rerum naturas considerat, sua re proprietate priuabit. Nam & hæc vnà cum potestate, quæ & existit eadem rerum omnium ita causa est, vt propriis præditæ sint naturis. Causa est vt intellectuales rationalesque naturæ ad diuinam similitudinem in agendo se ducant, potius quàm trahantur. Causa est, vt naturæ inferiores dissimilioresque Deo aliunde quidem potius in agendo ducantur, ne sub ordine Dei naturarum institutoris res contra naturas suas vbique trahantur, neue

perpetua quædam fit violentia, vbi omnia funt mirabiliter ipfius boni voluntate difpofita, bonumque non violentet, fed naturaliter appetunt. Reuocat autem ad Deum animas prouidentia, ingeniofas quidem ad admirandum ornatu & ordine rerum: tardiores autem ad amandum falrem commoditate mirifica. Omnes tanquam medicus atque pater curans atque caftigans.

Animæ rationales, neque à fuperioribus, neque ab inferioribus ad actiones turpes omnino coguntur.

CAPVT X.

CVm in fuperioribus dixerit, homines effe fub pronidentia liberos, deinceps dubitat qua ratione intelligendum fit, quod fæpè dicitur à Platone: homines non fponte fieri malos. Si enim ita fit, ad peccandum cogi videntur, fiue cœlo, fiue alio fatali intrinfeque inftinctu: fiue feminali ratione cogantur. Refpondetur, quando peccant voluntariè moueri ad actionem, quam elegerunt, quamuis non voluntariè cadant in peruerfum habitum, qui clam fenfimque ex frequentibus actionibus inolefcit. Sic & à voluntare morum exordiuntur, & quatenus ita diu progrediuntur, neceffitate in habitum eiufmodi prolabuntur: atque ex habitu tali in rale fupplicium neceffariò transferuntur. Quòd homines non ex corporibus infetioribus ad agendum vbique trahantur, patet, quando eligunt, atque peragunt quæ & præter, & contra inferiorum conditionem effe ratio comprobat. Quòd rurfum nec à fuperioribus, vel corporibus, vel eotum rectoribus compellantur, liquet ex eo quòd fæpè contra fuperiorum dignitatem ordinemque peruersè agunt, arque peruerfa. Similirer motum ad virtutes ex rationali proprioque principio homines agunt. Atque, fi quando connumerantur actionum principia plura, femper in ipfo principiorum agentium numero facultas ipfa rationalis habetur.

Præter corporum qualitates, eft vbique incorporea vita, rationaliter omnia gerens: atque hæc vniuerfalis natura, naturis particularibus dominatur.

CAPVT XI.

QVæritur in vndecimo capite, vtrum finguli retum exitus ex fatali quadam corporearum, duntaxat, caufarum connexione proueniant: neque fit alia præterea prouidentia. Effe verò præter caufas corporales vitam quandam vbique rebus infufam certis omnia rationibus naturaliter fabricantem, & alibi, & in Theologia fatis oftendimus. Hæc enim corporeis qualitatibus toto (vt fertur) impetu proruentibus certos imponit modos: Conciliat repugnantia, formas figurafque certas in certis per fe vagifque materiis imprimit: ex non viuentibus viuentia facit. Atque ficut ars fabricat extra: fic ipfa, velut ars naturalis: ideoque facilius & felicius fabricat intus. Mouet & intus ftupidas per fe plantas, & ignauiffima quæque animalia, ftatutis temporibus mirifque modis ad fpeciem propagandam. Inftruit quoque intus plantarum, tum radices ad humorem, tum fructus & folia ad calorem fagaciter eligendum. Grauia quoque & leuia ad rectas lineas geometricè mouet, & abiectiffima quæ animalia variciniis, fagacitate, artibus naturalibus opportunè ad neceffaria dirigit rationibus fæpè humanam fuperantibus rationem, ducuntur namque diuinitus. Eft enim hæc fpiraculum quoddam, verbumque animæ mundi viuaciter rationaliterque materiam verberans atque figurans, duofque habet terminos: Nam & ab intellectuali fubftantia ipfius animæ pendet, & definit in materiam. Quatenus ergo, in materiam definit, ratio dicitur fimpliciter feminalis: quatenus autem ex intellectu fiue animæ proprio, fiue per hunc ex primo procedit, ratio dicitur intellectualis atque legifera. Rurfum prout feminalis eft, corporea facit: prout legifera, gradus quofdam mutationum, accommodat motibus animarum.

Sanè quantum feminalis fimul eft atque legifera, totum gradibus fuis difponit ordinem vniuerfi. Tot inquam gradibus, quot & ipfa impreffa prius eft ab intellectuali principio, cuius ipfa quafi figillum eft, materiam imprimens examuffim. Hæc vniuerfalis natura eft: ex cuius intentione funt multa, quæ præter naturæ particularis intentionem fæpè contingunt. Sic vbi generalis in quouis animali virtus tanquam mafcula, vbique mafculum nititur procreare, velut in fuo genere perfectiffimum, interim vniuerfalis natura quandoque vult fœminam: vt ex mafculo atque fœmina animalibus propagatis perfectius fit vniuerfum. Sic vbi res quælibet feipfam fuaque duntaxat intendit continuare vniuerfalis natura intendit interim ex hac refoluta aliam deinceps aliamque componere bono confulens vniuerfi. Sic dum fingula fub qualibet fpecie fibimet potius ex natura propria quàm fpeciei confulerent: hæc clam impellit, vt fpeciei vel magis, vel æquè ac fibi profpiciant, ac diligentius ex fe natis quàm fibi prouideant, vtpote quæ non tam propria qualitate quàm prouidentia vniuerfali ducantur. Sic vbi propriæ duntaxat fpecies naturaliter ex fpeciebus propriis nafcerentur: hæc ex equina & afinina fpecie muli fpeciem procreat, ac ne propagatio fiat ex mulis ipfa prohibet, dum natura particularis mulos quoque inftrumentis genitalibus armat. Sic denique tum compofita quælibet, tum compofitum vniuerfum ex difparibus longeque diffimilibus vult effe refertum mirabili variarum formarum copia ditans. Ex quibus omnibus malum videtur, id eft, alicubi minus bonum admittere, fub maiori gradatim bono vniuerfalis gratia boni.

(∴) (∴) (∴)

Natura vniuersalis, quia est omniformis: vniuersum facit omniforme: neque cogit animas.

CAPVT XII.

SI artifices qui qualitatibus aduentitiis agunt, & qualitates similiter agunt, solent tamen seipsos quodammodo facere: quatenus artificis imaginatio imaginariusque spiritus in imaginem formatur equinam, antequam faciat equum. Si rursum naturalia quæ per qualitates efficiunt naturales, faciunt quoque seipsa, suam foras propagantia formam. Si cœlum insuper per lucis motionisque qualitatem agens in elementis agit cœlum, cœlestibus videlicet dotibus elementalia donans: nimirum & ipsa natura hæc omnia regens, cum non eiusmodi qualitatibus agat, sed ipsa natura in efficiendo mundo efficit semetipsam. Facit igitur omniformem: quoniam ipsa est omniformis. Omniformis inquam, ex omniformi intelligentia profluens: ea videlicet conditione, vt formæ rerum in hac ipsa natura longius inter se discrepent, quàm in mente: tum quia longius ab vnitate discedit, ideoque neque potis est vt mens inter se conciliare sua, tum quia cum sit inferior potestate, pluribus formarum plurium ad agendum indiget adminiculis, tum denique quoniam seipsam est accommodatura materiæ, in qua innumerabilia pro innumeris pereuntibus restituenda sunt: ideoque & ipsa natura inquam plurimum distracta est sub intelligentiæ numerum. Multa igitur in materia mundi ex propria potius ipsius naturæ conditione, quàm ex ipsa mentis proprietate resultant, in quibus nefas est diuinam mentem quasi proximum artificem incusare. Notabis rationales animas non cogi ab hac ipsa mundi seminaria ratione in deteriorem prolabi sortem: siquidem & ipsæ quasi animæ mundanæ collegæ partem suam, id est, authoritatem munusque in opificio mundano proprium possident. Mouenrur igitur sursum deorsumque cardine proprio, non quidem à natura mundi compulsæ, sed opportunè cum ipsa natura potius conspirantes: Quæ quidem animabus ita vel ita mundo seipsas aptantibus, tales & ipsa ritè tales-ue sedes sortesque coaptat.

Quo ordine Prouidentia puniat, & quomodo agat.

CAPVT XIII.

POsthæc descendit ad Platonicam & Pythagoricam Ægyptiamque sententiam, omnium rerum vicissitudinem esse. Ideoque delicta quæ prouidentia in vna non punit vita, in alia vita talionis pœna punire. Quo sensu Origenes Euangelicum illud accepit. Qui ferit gladio, gladio perit. Sed hoc ille viderit. Talem quoque puniendi conditionem Cabalistæ Hebræorum doctores comprobant, putantes animas hominum sæpius in hanc vitam sub figura tantum humana reuolui: atque ita curabilia peccata purgari, sed ter tantum huc posse reuerti. Hæc enim ad probationem sufficere, & quæ his vicibus purgata fuerit meueritque beatiorem fieri quàm ante descensum: quæ verò prorsus abiecerit rationem, restare semper in gradu quodam ad rationem inferiore, id est, in ipsa imaginatione affectuque brutali. Addunt, nequis suum excuset peccarum, omnes tunc animas adfuisse quando Deus dedit Mosi legem. Perpetuam verò periodum non satis probant. Transformationem enim eiusmodi vsque ad finem mundani motus posse fieri arbitrantur, quem sequatur æterni sabbati quies, æternaque beatitudo bonorum. Huc Dauidis illud tendere iudicant: Immaculatorum hæreditas in æternum. Item sancti in æternum conseruabuntur.

Sed ad Plotinum regrediamur. Quòd omnes hominum actiones habitusque obseruentur à prouidentia, & ordine certo pro meritis disponantur, confirmar ex eo quod prouidentia multo etiam inferiora nobis, imò & infima quæque diligentissimè curat, ordinatissimeque disponit. Si qua enim à summa prouidentia negligi debuissent, res certè vilissimæ debuissent. At verò in his non minus admirabile apparet, quàm in pretiosissimis artificium tum ad necessitatem spectans, tum etiam ad ornatum. Imò etiam tanto potentia artificis & diligentia maior, quanto magis materia hæc locusque ordini repugnare videtur. Ordinem verò in vniuersa mundi materia, & actionibus mundanorum constitui semper atque restitui à diuinitate indicat non per consultationem aliquam qua ordo quærarur, sed per ipsam eius essentiam, quæ ipse sit ordo. Diuinitatem hic intellige non solùm intellectum diuinum: sed etiam intellectualem mundi animam: atque insuper intellectuale huius seminariumq; spiraculum in mundi materiam. Quod autem de rerum vicissitudine dictum est, natura quodammodo monere videtur in vipera, quando filij nascentes matrem necant, quæ patrem eorum necauerat coëuntem. Hinc fortè significatur, quo sensu leges antiquæ parricidas culeo inclusos cum vipera suffocant. Et profectò quemadmodum prouisum est, vt innocuum animalium genus facileque ab aliis deuorandum, multiplicetur quoque facillimè sic, vt genus pestiferum difficilius habeat incrementum.

Artificiosa naturæ opera sunt à prouidentia, modo artis naturæque agente. Item mentes non sunt propriè huius mundi partes.

CAPVT XIIII.

SOlemus ex operum actionumque qualitatibus, qualitates virrutum in agentibus coniectare. Hac ratione calefactoriam humificamue virtutem sic in Sole lunaue, sicut in igne & aqua per opera actionesque deprehendimus. Cum igitur naturæ opus & summatim & sigillatim tale sit semper, taliterque fiat, quale semper & qualiter ab arte prouidentiaque fieri gubernarique solet: merito coniicimus inesse naturæ atque præesse artificiosam prouidentemq; potestatem, non ambigentem, non fatigabilem, non vacillantem, siquidem non minus continuè opus rectè geritur, nusquam aliquid retractatur, nunquam solitus ordo deseritur. Et profectò cum nulla vnquam discursio rationis humanæ quamuis summa, possit absolutum naturalium artificium vel opera vel excogitatione penitus assequi, signum hinc habemus, id opus non cogitationis discursu tentari, sed intellectu prorsus absolu-

Intellectu inquam, rationis discursu superiore, saltem quanto id opus extat super humanæ artis opus. Intellectu rursum non quærente, sed agente potius tenore naturæ: siquidem non aliter agit, quàm soleat quodlibet naturaliter agens. Intellectu proculdubio stabili: alioquin nullus foret in rebus status, vnio nulla, nullus ordo, rerum actionumq; perpetuus seruaretur. Intellectu denique naturalibus intelligentiis omnia simul facilius feliciusque intelligente, intelligendoque faciente, quam Sol radiis vniuersum & singula simul contueatur & agat. Intelligentiæ huius tum absolutæ tum animalis spiritus verbumque natura est, & verberatu suo singula generans atque mouens, & suo rursum significatu: intelligentibus interpretans artificis intelligentiæ notiones. Hac interim conditione prolatum, vt in voce hac longius inter se singula disiungantur, quàm in notione loquentis. Illic enim propter mirabilem vnitatem in qualibet notione, comprehenduntur & omnes: hic autem ob discrepantiam longiorem non pariter in re qualibet sunt penitus omnes. Ideoque & hic & in mundo nec in partibus est totius perfectio requirenda: nec in parte alia proprietas alterius exoptanda, sed potius admiranda naturæ potestas atque sapientia: quod per tot gradus, tamque dispares, tam ordinatè seipsam adeo propagauerit. Post hæc obscurum huius capituli calcem sic intellige: Homines dæmonesque secundum vitam corpoream partes sunt vniuersi. Rursum secundum actionem rationalem sunt aliquid quodammodo particulare, quia discursio dum motu per plura prius posteriusue distrahitur, alias ad aliud propriè se determinat. Secundum verò mentem simul sunt vniuersum: quia mens habet omnia simul, nec est ad aliud potius quàm ad aliud definita, nec affectionem habet mundo contiguam. Denique sicut in cœlo stellæ, sic mentes in dæmonibus hominibusque lucent: excellentiusque munus quàm vt partes habent. Neque tamen horum mentes etiamsi vt partes considerantur, derogant vniuerso. Eatenus enim excellentes habentur, quatenus ipsi totius menti, & intellectuali totius ordini similes iudicantur.

Ipsa vniuersi ratio seminaria quæ natura vniuersalis est, habet in se præsignata, etiam quæ mala dicuntur, & hæc vniuersi bono confirmat. Item omnia mundana ludorum more inania sunt.

CAPVT XV.

Rerum defectus atque interitus rebus inuicem à rebus illatos existimat non solum ex materia materialiumque conditione contingere: ordinem namque perpetuum habent, verumetiam ex ipsa naturæ vniuersalis intentione. Ex cuius proposito est gradatim res deficere, dum dispares constituit gradus. Est vel sponte, vel ab aliis interire: dum ex præsentibus vult formare futura: vt infinitum deinceps quem semel nequit, rerum numerum consequatur. Quatuor inter hæc de ratione seminali, id est, de vniuersali natura notabis. Primum quidem hanc generabilium omnium efficiens esse principium. Secundum hanc esse hæc omnia quatenus semina complectitur. Tertium, singula quæ gignuntur per eam fieri sigillatim; videlicet secundum ipsius efficacem exemplaremque virtutem. Quartum, vniuersam naturalium dispositionem inter se vicissitudinemque esse in ea præscriptam: atque ita foras exprimi quemadmodum est intus impressa, adeo vt nihil extra prouidentiam relinquatur. Nam & quod contingenter venit in opere non est ipsi rationi contingens, sed & præsignatum iam, & mirabiliter ordinatum. Tangit inter hæc opinionem putantium animas omnium animantium posse à præsentibus corporibus separari, neque in animam vniuersi resolui, sed in sua proprietate subsistere, iterumque ad corpora remigrare. Tangit & opinionem dicentium brutorum animas, quæ ex anima profluunt vniuersi, in eandem quoque refluere. Omnino verò putat multam vniuerso inesse vitam, multam, inquam, id est, potentem atque multiplicem secundum varias rationalium substantias animarum, quæ quidem omnes passim vitas corporeas ex se propagent, ipsaque propagine quasi ludos animalia faciant, alioquin si nulla illinc animalia fierent, tum materia omnis vita careret, tum vita iam in alio quàm in materia, id est, in suo fonte consistens, quasi sterilis videretur & impotens. Rata quidem Plotini sententia est, irrationalem vitam qualiscunque & vbicunque sit, à rationali vita qualiscunque sit, & quomodocunque fiat ita procedere, sicut imperfectum necessario à perfecto dependet. Profectò quemadmodum in corpore naturaliter lucido tria consideras, primum formam ipsam, id est, lucem: secundum verò, actum eius in se dum micat: tertium, actionem extra se procedentem, dum illuminat aliquid vbi illuminare pendet ex micare, hoc similiter ex lucere, ita sensualem vitam existimato ex vita rationali, hanc ex intellectuali pendere. Ratio enim motus quidam est ab intellectuali substantia quasi luce in seipsa conuersus in semetipsam, quasi ex luce micans. Sensus autem quasi lumen est quædam processio foras. Proinde sicut à corporibus effluunt imagines quæ sunt quasi corpora, sic ab animabus quæ efficaciores sunt quam corpora, profluunt imagines animales, quæ sunt quasi animæ, ex quibus simul atque accommodatis sibi corporibus animalia fiunt. Et quoniam hæc ludicra sunt, ideo quicquid ad hæc attinet commodi vel incommodi, nihil plus ad bonum malumue momenti habet, quàm quod affert opinio nos decipiens atque perturbans.

Quid sit ratio seminaria mundi, quomodo agat. Item de quatuor gradibus plenitudinis. Item quomodo rationes rerum in communi ratione contraria sint.

CAPVT XVI.

Si omnia ex intentione quodammodo sunt vniuersalis naturalisque rationis, videntur omnia naturaliter rationabiliterque fieri: ideoque nec aliquid fieri contra naturam, neque peccari. Adhæc autem soluenda ita considerandum: sicut nocte ex Sole lunaque solari non duo lumina deriuantur, sed vnum emicat lumen, solare quidem non parum, sed lunare magis, & quatenus inde ad nostra descendit, iam euadit deterius quàm lunare, sic ex ipso intellectu, atque ex anima illinc intellectuali iam facta prodit ratio seminalis vniuersalisque natura. Iam quidem vtroque

deterior, & animalis sanè plus quam intellectualis existens, atque in materia rursus ab vtroque degenerans, qua quidem res naturales tanquam Lunari lumine coalescunt. Hæc quoniam ex animali substantia pendet, est vita quædam, quoniam ex intellectuali dependet non discurrente, est ratio non discurrens, quoniam essentialis ratio est, rationaliter agit, per essentiam videlicet, etiam si quod agit minimè sentiat, tametsi imaginatio eam operis comitatur: quoniam actio eius ex se penetrat in materiam, motio nuncupatur, ag t verò & mouet omnia. Non agit inquàm, velutignis propriè determinatum aliquid, & imperu toto, sed varia primum, & moderamine certo, ad certum finem, & terminum figuramque & tempus, & variæ varia: varia inquam, primo, non sicut ignis, qui varia quoque facere possit per accidens, vel consequenter atque per aliud. Mouet quoque non loco simpliciter vt impellens, quod mouere soleat non formando. Mouere autem eius est formare, non alterationis tantummodo, sed etiam magisque rationis artisque tenore. Ibi enim ars est ipsa ratio, ibi ratio est ipsa natura. Inde corpus ita naturale mouetur, quemadmodum tripudiator ab ipsa tripudiandi arte animo ipsius insita: præsertim si fingatur hæc ars non quæsita quandoque, sed ita naturaliter insita, vt ibi sit ipsa natura. Quot sanè modos formasque in se ars ipsa complectitur, tot modis atque figuris mouet intrinsecus ipsa saltantem. Vtrum verò ratio hæc naturalis mouendo formans, ac vicissim formando mouens, sit forma & quasi qualitas, aut quasi motio & actio quædam? Est vtrique velnt vtrunque: est enim actus essentialem formæ possidens firmitatem, & efficaciam motionis: est quasi qualitas quædam sine accidente: est motio sine transitu: est vita, id est, substantialis vigor ex anima in materiam, actusque perennis viuaciter omnia & rationaliter agens: agit autem complurima, imò & contraria primum: ipsa enim complurima ac fermè contraria simul. Hic tu multitudinē siue plenitudinem quatruplicem intelligito: Intellectum purum, intellectum animalem, animā naturalē, naturam materialem. Intellectus quidem purus sub ipsa statim vnitate adeo sibimet euadit vnitus, vt ipse formaliter consistens omnia, in quolibet sui sit totus. Ideoque ipsius omnia in ipso sui quolibet comprehenduntur. Igitur penes ipsum partes cunctæ sunt in qualibet non per potentiam solum, sed per actum. Differunt verò formaliter, quoniam per actum alium atque alium, & aliter atque aliter, siue magis etiam atque minus. Intellectus verò animalis siue anima intellectualis plenitudo quidem est & multitudo penitus vniuersa, quamuis non vnita penitus, ideoque etsi partes eius cunctæ comprehendantur in qualibet: tamen non tam actu quàm potentia continentur. Anima naturalis quæ est vniuersalis ratio puraque natura, est insuper plenitudo multitudoque tota, sed longius ab vnitate discedens, non tota hæc amplius in sui quolibet continetur: ac actu inquam, neque potentia. Hinc ergo fit, vt partes quædam contrariæ sint quibusdam: siquidem altera iam alteram non possit admittere. Natura tandem materialis, id est, corporea machina in tantam videtur multitudinem contrarietatemque distracta, vt aliud non solum iam non admittat aliud, sed etiam accessu disperdat. Quod sanè exitium in ipsis naturæ superioris partibus non accideret: ad quam regredientes dicamus eam ipsa sui diuersitare originem iam esse quodammodo diuersitatis, & pugnæ inter mundi partes exorientis. Sic mundus hic positus dicitur in maligno, nec pacem habere, nec dare alicui pacem: dæmonemque potentem mundi huius principium esse quàm proximum. Concludamus itaque cum in vniuersali natura vnitas iam longius ab ipsa superiorū vnitate degeneret, simulq; degeneret plenitudo, adeo partes à partibus discrepare iam atq; deficere, vt quod adest aliis, interim desit aliis: itaq; interseferme pugnaturæ iā videantur, vt quod sibi deest vendicent aliunde, dū singulæ cupiunt euadere totū: totumque ipsum non est adeo potens, vt contrarietatem ex se prorsus expellat. Vnde fit, vt mundus subinde corporeus neque contrarietatem, neque mutuam à rebus pernitiem possit expellere. Interea tamen vniuersalis ipsa natura tanquam superioris intelligentiæ verbum Musica ratione prolatum oppositas inter se voces suas virtute proportionum reddit amicas: atque ita tota, sic est vnum, vt Musica tota, totaque tragœdia ex contrariis in vnum conciliata concentum atque decorem. Similis autem est ipsa ratio mundi regina potius rationi Musicæ quàm Poëticæ. Poëtica enim res personasque accipit aliunde factas, neque necessario conficitur ex contrariis: Musica verò ipsa profert tonos, necessarioque contrarios, neque enim concentus est, nisi ex grauibus & acutis, ex intensis atque remissis, ex ascendentibus atque descendentibus, imò etiam ex discordibus & concordibus componatur. Neque igitur concentus ipsius ratio est communis, nisi ex rationibus horum oppositorum inter se oppositis similiter ipsa constet. Eodem pacto rationem seminariam mundi ex contrariis rationibus intellige constitutam, per quas ipse formas producat in mundo contrarias. Harum enim formalis inter se discrepantia quum neque ex seinuicem, neque ex materia, neque casu proueniat, nimirum ex amussim exprimitur, ex formulis in ratione contrariis. Formę quidem ideales in mente contrariorum non sunt contrariæ, imò in oppositis sæpè cognoscuntur opposita: formulæ verò seminales in natura effectrices contrariorum contrariæ sunt. Nam in semine ignis esse semen aquæ non potest, sicut nec ignis in aqua. In mente diuina ideam ipsam identitatis, & ideam alteritatis, statusque & motus esse memento. Intellectuales subinde substantias ad identitatem statumque potius, quàm ad opposita referas, rationales verò potentias ad idem potius alteritatis & motus: præsertim vltimam rationem materiæ iam contiguam. Sic vtique mentis officium in vnione consistit magis, rationis autem magis in descriptione versatur. Neque posset esse ratio nisi multiplex admodum, suisque in partibus intra se contraria, ratio inquam seminaria mundi, & infima diuinorum, in qua tanta partium discrepantia deprehenditur quanta diuinis obtingere potest: ideoque cum extrema in diuinorum genere illic diffidentia sit, merito ibi nomen contrarietatis accepit. Proinde cum identitas statusque ad perfectum magis attineat, alteritas verò motusque agit ad imperfectum: merito quatenus ab ipsa identitatis statusque idea descenditur, eatenus gradatim res ideæ participes minus habent identitatis & status. Contrà verò quanto longius ab idea alteritatis motusue descendit, tanto res inde participes plus alteritatis, id est, diuersitatis

uersitatis in seipsis, mobilitatisque adm ttunt. Alteritas igitur atque diuersitas rationi seminariæ mundi inserta diuinitus reddit eam maximè alteram intra se atque diuersissimam diuinorum. Cũ verò rationis huius conditio præcipuè spectet ad ipsam alteritatis ideã, illiusque vis in hac longè præualeat, dum idea illa, seu vis eiusmodi rationem hanc in diuersitatem propagat extremam, viderut hæc ipsa ratio non aliter propagare seipsam, quàm plantæ radix in stipitem atque ramos, & reliqua: quæ tamen id agit quodam vegetalis vitæ vigore. Et profectò quæ vita carent non intus agere, sed extra videntur efficere: viuentia verò intus etiam in seipso multoque magis vita interius agere, & intra se ex vno quodam in multa gradatim propagare seipsam. Atque ita ratio seminaria mundi, vita quidem, sed diuinorum vniuersaliumque vltima, videtur sub ipsa, videlicet diuersitatis idea, seipsam in se pet diuersa articulatim contrariaque diffundere.

De crescente à superioribus ad inferiora virtute suppletur numero: Item, quomodo humana notata sunt, ordinanturque in prouidentia intellectuali atque naturali.

CAPVT XVII.

NAtura plura continet in se rerum seminã, quàm mens ideas. Cùm enim naturæ seminisque virtus sit debilior, non potest in vno semine comprehendere, perque vnum facere quæcunque idea possidet, potestque vna. Ergo per plura semina distribuitur, ideæ vnicæ vigor virtutisque debilitas numero compensatur. Eadem ratione materia in plures perducitur, sub vnoquoque semine formas. Accedit ad mundi huius innumerabilem multitudinem dimensio semper diuisioni subiecta, morusque singula varians, ac rerum inter se commixtio multiplex, congeriesque virtutum numerumque ex singulis vbique superioribus causis, necessitate proueniens. Denique, ne rerum mutabilium species aliquando pereant, substantiis numerus singulorum tum successione, tum simul vltra permanentium multitudinẽ diuinitus augetur. Proinde, in tanta rerum turba ob maximam discrepantiam, dissonantiamque aliis alia noxia veniunt, & propter indigentiam ex aliorum destructione se tueri, seruare, recreare conantur: interea verò aduersus multitudinem dissensionemque tantam, prouidentia singulis amorem, & ad seipsa, & ad totum vehementem inserit, quo & singula passim insinuata singulis inuicem vniantur, & denique toti. Post hæc dubitatur, vtrum boni maliue homines sint in ipsa rationis vniuersalis forma præsignati, & quomodo. Respondetur autem longo comœdiarum exemplo sicut histriones proprias figuras, & voces, & gestus, & ingenia sua secum afferunt præter illa quæ mandat Poëta, qui prudenter singulis officia locaque congrua pro singulorum proprietate distribuit: sic rationales animas etiam ante corpora hæc suis quibusdam inclinationibus tales euadere siue tales. Subinde rationem mundi talia illis accommodare corpora, & quatenus illæ perseuerant & prosequuntur, tales quoque fortunas & denique sedes, ex hac autem vtrinque disparitate, mutuaque interim proportionum congruitate mundum esse pulcherrimum atque iustissimum. Totum verò hoc inuentum similiter habemus ab Origene: similiaque de Angelis vel non labentibus, vel minus magisuè labentibus feruntur à multis. Tu verò vbi mundana ratio nominatur, intellige sæpè cum virtute seminaria intelligentiam animæ mundanæ coniunctam, à qua seminalis assiduè natura dependet, regiturque ad normam. Proprios igitur & antecedentes animorum motus non in seminario, sed intellectuali potius libro esse præscriptos, neque tamen inde compulsos. Scripti enim sunt tales vbique, quales & ipsi sunt, id est, ex fontibus propriis oriundi: fortes item fortunasque & sedes præsciri inde simul, atque pro meritis destinari. In seminario autem exceptis antecedentibus animorum motibus, reliqua quæ ritè sequuntur, esse non intellectualiter, sed naturaliter efficaciterque impressa. Sicut ergo seminarium intellectuali congruit, sic notionibus quæ sunt ibi, formulæ in seminario efficaces, quo fit, vt seminarium consequentia semper apter antecedentibus animorum moribus, quamuis non sibi, sed intelligentiæ notis: sicut in artè potentia motrix exequitur ad vnguem, quæ non ipsa quidem, sed imaginatio nouit. In antecedentibus quidem anima semper agit propriè, Deus verò communiter: in consequentibus autem anima vicissim communiter operatur, propriè verò Deus atque natura. Oporter autem propriam aliquam inesse animis actionem præter tractum ex vniuerso pendentem: alioquin si nullam haberent propriam actionem, non possent de vniuersi principio, fine, forma, ac de rebus hoc mundo præstantioribus assequi rationem, imò verò & res omnes oporter in ipso vniuersi tractu nonnihil proprietatis habere. Sic enim & ipse proprias naturas asserunt, & principium quod omnia facit, ita potissimum efficit sibi similia, si facientia facit: nam ipse facit effectione. Si igitur actio ipsa omnium est origo, probabile est, quæ oriuntur indigentia fore: atque vt habeant in quod agant, fore etiam patientia: fore quoque materiam passionum præcipuum fundamentum.

De ordinibus, speciebus, differentiis animarum, & quomodo singula in diuina prouidentia designata sunt.

CAPVT XVIII.

PLato in Timæo distribuens ordines animarum, ad tres potissimum gradus vsque produxit, ob eam vt arbitror rationem, quòd in anima vel elementa ex quibus componitur, vel potentiam, vel actionem eius consideramus. Ratione elementorum in gradus tres commodè distribuimus. In primo siquidem animarum ordine idem status diuersum motum superant: in secundo æquantur: in tertio fit ad primum vicissitudo: similiter per tres gradus essentia atque esse percurrit in eis. Rursus quantum spectat ad vires, in primo intellectus præualet, in secundo ratio, in tertio randem imaginatio. Quantum spectat ad actiones, in primo est actio omnino vniuersaliter prouidens, scilicet omnibus omnia: in secundo vniuersaliter, quodammodo scilicet vel omnibus quædam, vel quibusdam omnia: in tertio verò, particulariter scilicet quædam atque quibusdam. In primo gradu sphærarum potimus animas, in secundo stellarum, in tertio dæ-

monum atque hominum: tum verò in ipsis dæmonum & hominum animabus tot species Timæus ponit, quot stellæ sunt in cœlo species inter se differentes: quibus ordine respondeant in sphæris, subinde suis species totidem dæmonicarum humanarumque animarum. Sed hoc interesse forsitan arbitrabitur, quòd in specie stellæ quauis stella sit vnica: sed in speciebus subsequentium animarum plura sint in qualibet singularia. Plura item in qualibet animarum humanarum specie, quàm in quauis specie dæmonum. Semper deinceps minor virtus maiori quodam numero compensatur. Cogita in qualibet idea naturam in cuius virtute sint mille dotes (vt ita dixerim) vel effectus ad multiplicem vniuersi ordinem bonitatemque pertinentes. Speciem præterea stellarem velut perfectissimam habere in se indiuiduum perfectissimum: ideoque totam in se capiens speciem & ideam, cunctasque speciei ideæque actiones absoluens. Speciem verò dæmonicam, velut minus perfectam indiuiduum quoque perfectum minus habere, quod quidem nequeat solùm varias ideæ speciei que dotes explere. Ideoque per plura hic indiuidua varij speciei & ideæ implentur effectus. In specie tandem humana plura etiam quàm in dæmonica oportet indiuidua esse, per quæ variæ ideæ suæ speciei que dotes distribuantur, plurimique conficiant animi quæ nec vnus nec pauci explere valerent. Esse præterea plures humanarum species animarum Platonicus inde coniectat, quod tanta est in hominibus discrepantia, vt alij diuini, alij bruti, alij videantur humani. Neque tanta vel circa animam vel circa corpus diuersitas in alia vlla animalium specie reperitur: neque tutum esse Platonici putant, incredibilem animarum diuersitatem solum in diuersitatem corporum terrenorum referre velut in causam: præsertim quoniam qui corporibus simillimi sunt, sæpè ingenio sunt & motibus dissimillimi, ac sæpè vicissim. Præterea quod hic illo aliquanto ingenio sit velocior, aut tardior, iracundior quoque, vel mitior, & similia: ad has corporeas qualitates quodammodo referre quis poterit? Quod autem alij seorsum ad scientias artesque alias natura propensiores sint, & admodum aptiores, nullus ex corporum differentiis asseuerare valebit: quippè cum artes sæpè scientieq; eiusmodi non tam ad corpoream quàm ad incorpoream videantur spectare naturam. Mitto Mathematicas & Physicas disciplinas, & gubernandi prudentiam, mirasque versutias artium, in quibus alij ab aliis natura longissimè discrepant. Certè quòd hic natura videatur esse Theologus, iste Propheta, ille miraculorum author legumque conditor æternarum, alij verò nequaquam, qui non multum ab his corpore differunt, non potest causam ex corporibus assignare: neque propriis inquam, neque ergo communibus, quæ per propria duntaxat instructura nostros animos videantur. Quamobrem animas hominum Platonici speciecolligent subalterna, in qua multæ sint species (vt ita loquar) specialissimæ: multa quoque sub specie qualibet indiuidua, adeo vt animæ quædam inter se naturaliter simillimæ & amicissimæ sint: aliæ verò contrà. Omnino verò singulæ species animarum ad congruas suorum dæmonum species, & ad similes stellarum species rediguntur: sic solares animæ ad solares dæmones atque solem: Venereæ ad Venereos atque Venerem, cæteraque similiter.

Hactenus differentias tractauimus animarum, quas Plotinus hic primas asseruit: quæ videlicet, ex ipsa primum natura sunt vel secundum speciem specialem, vel secundum singularem sub specie sua proprietatem. Secundò differre putat ab aliis alias, postquam motu libero fortè etiam ante corpus aliter atque aliter surgere vel inclinari cœperunt. Vbi & illud euenit, vt eadem anima diuersis temporibus per varias sui vires operetur, & viuat, vt non solum euadat aliis, sed etiam sibi ipsi dissimilis. Tertiò diuersitatem in animabus ex corporibus putat accidere. Primò quidem ex corpore spiritali, deinde solido. Permultum enim interesse, ex qua parte mundanæ sphæræ spiritale velamen sibi familiare sortitus sit animus, siue cœleste, siue æthereum, siue aërium sortiatur, vbi & referre quamplurimum sub quali stellarum cursu figuraque susceperit. Multa enim & varia in eiusmodi corpora ex supernis influere, & animam inde transfluete, augeri verò eiusmodi differentiam ex dæmonibus variis tunc acceptis ducibus animarum aliter aliterque ducturis, neque parum adhibere momenti ad quasdam differentias animarum, hæc demum solida corpora, genesimque & tempus & locum. Quartam denique differentiam animabus accidere vult ex varia educatione, consuetudine, disciplina. Totam verò eiusmodi differentium animarum distributionem per inæquales gradus & partes esse vult in ipsa intellectuali ratione mundi descriptam. Totam quinetiam distributionem corporum variorum, & fortunarum, & terminorum congruentem proportione quadam differentiis animorum in ratione seminali putat esse signatam, singulaque hunc in modum oportunè singulis coaptari. Subdit prouidentiam non posse congrua officia, præmia supplicia reddere proprietatibus animorum, nisi has quoque in se penitus complectatur. Sicut neque Poeta competentes histrionibus singulis personas & gestus, nisi naturales & proprias eorum teneat facultates. Vtrobique igitur tam antecedentia quàm consequentia partes prouidentiæ sunt, & humanæ similiter & diuinæ. Sed antecedentia præcipuè prima non tam in seminario, quàm in exemplari intellectualique diuinæ prouidentiæ libro sunt partes; vbi leguntur etiam quæ non omnino efficiuntur inde, sicut & prouidentia solet humana, consequentia verò partes sæpè etiam sunt in libro prouidentiæ seminario, vbi imprimuntur & exprimuntur inde quæ intelliguntur in altero. Adeo verò per antecedentia semper riteque consequentia ordinata sunt singula, vt quando ex inordinata libidine committitur adulterium, statim tum in libro naturæ ex coitu consequatur ordinata propagatio prolis, tum in ipso intelligentiæ libro ex perturbata concupiscentia deteriorique electione deinceps ordine debito consequatur perturbata adulteri vita, condicioque deterior. Sic ergo natura pariter intelligentiaque quæcunque vel malè vel fortè videntur accidere, communi quodam consensu suis ordinibus implicant. Ita verò animorum iniqui mores, & opera mala partes rationis mundanæ dicuntur: ipsamque rationem cum his malis fertur habere communionem. Non quoniam propriè trahantur hæc inde, sed quoniam ibi ab aliis facienda notantur, & facta plectuntur, itaque cum prouidentia consideretur tanquam exemplar omnium atque opifex, peccata quidem sunt partes eius prout est exemplar

potius quàm vt opifex: pœnæ verò peccantium vtraque conditione sunt partes. Vtrum verò mala ibi proprium quantum mala sunt exemplar habeant, an ex ipso potius exemplari bonorum diiudicentur, oportunius alibi pertractatur. Conclude iam prouidentiam non vegetalem solum more Plantæ, verumetiam intellectualem artis & prouidentiæ more, sed naturalis, v.que ad minima se diffundere.

Confirmatio primi libri atque secundi: quod Deus faciat, intelligat, curet singula.

CAPVT XIX.

OPeræpretium est quæ & in hoc & in sequenti libro de prouidentia transiguntur, ita breuiter confirmare. Cum esse vbique sit per formam, & quatenus habetur forma, eatenus habeatur & esse, atque vicissim: merito coniectamus essentiam primam, formam quoque existere primam. Formam verò primam oportere putamus simplicissimam esse pariter atque communissimam: quatenus entia omnia superat, & concipit atque parit. Simplicitatem verò vniformem, communitatemque omniformem ita demum possidet, si sit intellectus, præsertim quoniam ad intelligentiam pertinet, tum composita resoluere penitus in simplicia, tum res singulas sub vniuersalissima comprehendere forma. Prima igitur essentia est prima forma: prima verò forma primus est intellectus. Quòd si essentia illic reipsa & intellectus est idem: nimirum & esse atque intelligere illic est similiter idem. Tum verò sicut essentia talis passim, aut talis in suo genere prima, sequentia facit non alio addito: sed eo tantum ipso quòd talis, ceu Sol lucendo illuminat, ignis calefacit vbique calendo, sic ipsa simpliciter essentia simpliciter essendo omnia procreat entia. Ac si causa est, vt omnia esse simpliciter habeant, est insuper & in causa, vt omnia esse tale habeant atque tale: nam esse tale ex ipso simpliciter esse dependet, atque formalis ipsa communisque distinctio talium atque talium, non ex materia, sed ex ipsa prima omnium forma vniformi simul & omniformi procedit. Hæc igitur quatenus essendo efficit omnia, eatenus facit intelligendo, siquidem penes ipsam intelligere non aliud est quàm esse, quod intelligendo facit omnia, nimirum & faciendo intelligit omnia. Intelligit inquam non solum quædam omnibus communissima, sed etiam vnicuique propria, quibus vnumquodque in suo esse, actuque perficitur: alioquin confusè, nimium intelligeret, minimamque intelligentiam possideret, ac res potius in potentia, & hac quidem remota & confusa cognosceret, quam in actu. Accedit quòd si actio ipsius propria intelligentia est, tanquam eminentissima amplissimaque simul & intima, quousque agit, eousque prorsus intelligit, atque è conuerso. Agit autem in singulis etiam atque minimis peragendis: siquidem entis primi per singula quo modolibet entia certis ordinibus consequentia amplissimus est influxus, & quæ post ipsum agunt, ipsius vbique virtute mouentur & agunt. Aguntur verò vbique non species ipsæ rerum quæ æternæ sunt, quæ Deus ipse sunt, sed indiuidua. Aut ergo Deus nihil extra se intelligit, atque agit, quod est falsum, aut agendo singula, intelligit eadem, quæ nusquam fierent, nisi prius intelligerentur à Deo: sicut non fiunt à Sole nisi quæ prospiciuntur à Sole. Intelligit itaque Deus ipse singula, non distractus in plurima, sed collectus in semetipsum: quem intuendo velut totius exemplar & causam causarum, perque causas omnium causam contuetur & omnia, & contuendo curat & prouidet, quatenus ad finem singula dirigit atque bonum: quandoquidem sub ipsa ipsius boni forma omnia procreauit ad bonum. Quòd autem quam facillimè cuncta tam diligentissimè curet, inde probatur, quoniam ab ipso Deo res habent non vt sint tantum, sed etiam vt causæ sint. Nam & vt sint inde habent, prout ipse est causa. Si igitur illinc habent, vt sint causæ, inde quoque possident officium causæ proprium. Hoc autem est conseruare pro viribus, & curare quod facit. Quamobrem si à causa prima causæ omnes hanc habent proprietatem, quantum causæ quædam sunt, merito hanc habet illa potissimum, vt omnia curet & singula, quatenus maximè causa est, & causa singulorum, quæ quidem nisi singulatim custodiantur, non custodientur vnquam communia quæ conseruantur in singulis, non conseruabitur totum quod necessario constat ex partibus, non excoletur vniuersalis ordo totius, qui in gradibus vsque ad minima descendentibus necessario constat. Qui sanè ordo, quæ distinctio cum certum perpetuumque habeat ordinem, ideoque casu nequeat esse, sed ex alicuius agentis intentione procedat, neque tamen ex intentione agentis necessitate naturę, cuius intentio determinatur ad vnum potius quam ad multa quatenus sint distincta: merito ex quadam intelligentis intentione procedit, non intelligentię cuiusdam causæque particularis. Omnes enim eiusmodi in numero distinctorum operum computantur. Ex intentione igitur intelligentiæ primæ maximeque communis prouenit vniuersalis distinctio rerum. Illa enim ab aliis per se distinguitur, cæteraque inter se suæ notionis norma distinguit, & quatenus distinctissimè nouit, distinctissimè curat. Denique si prouidere ex abundanti prouidentis bonitate procedit, & ad bonum gubernata perducit, merito ad causam optimam causarum spectat exactissimè singulis prouidere.


Confirmatio eorumdem. Item quod Deus certe sciat etiam contingentia, neque tamen libertas inde tollatur arbitrij.

CAPVT XX.

PRouidere Deum rebus maximè, tanquam maximè suis, quousque videt non dubitamus, videre quoque Deum res, quatenus certis causatum vel deinceps agentium, vel è conspectu necessario concurrentium ordinibus consequuntur, asserimus: siquidem ita quoque Philosophi multa nonnunquam procul admodum futura quasi sint præsentia vident. Vident hæc inquam in causis, quas ipsi nec agunt, neque connectunt. Multo itaque magis prospicit Deus quid ex causis, quid ex causarum proprietatibus, quid ex earum conspiratione proueniat, siquidem ipse videndo causas efficit, easque donat proprietatibus & connectit in vnum. Ac si Philosophi quanto sagaciores sunt, tanto citius ex præsentibus vel causis vel indiciis absentia colligunt: & quamuis temporali quadam rationis discursione nitan-

tur, tamen futura quasi statim redigunt ad præsentia. Profectò, æternæ mentis indiuiduus ille, stabilisque omnino totusque simul intuitus vniuersam rerum distantiam, vel localem, vel etiam temporalem, ictu quodam indiuisibili, præsentarioque complectitur, vt quæ inter se distantia sunt atque futura, illi penitus proxima sint atque præsentia: itaque nec tam in causis, quàm in seipsis contueatur effectus. Iam verò ex hoc ipso quod euentus non in causis tantùm, neque tanquam futuros aspicit, sed præsentes sequitur, vt vbi Philosophi dum contingentes in futurum euentus aucupantur, ambigunt, Deus ipse non ambigat. Nam quæ contingentia dicimus, hæc quandiu adhuc futura sunt, possunt ex causis non exire, cùm verò primùm præsentia sunt, non exisse non possunt, neque valent, etiam dum sunt non esse, neque in ipsis contingentibus quatenus sunt ad præsens, datur esse pariter atque non esse, sed esse duntaxat: quamuis in futurum possint non esse, quare necessariorum iam conditionem sortita videntur. Deus igitur ita firmiter contingentia tenet, quandoquidem vt præsentia videt, vt quæ sunt naturaliter necessaria. Nam & quilibet certus est esse fierique contingentia hæc intuens in præsenti, quæ olim vtrum in posterum forent erat incertus.

Præterea, sicut ex causa necessaria effectum sequuturum certò sciri potest, ita ex causis contingentibus, quoties comprehenduntur cunctæ, sciturque vtrum impediantur aliunde nec ne. Cùm verò Deus tanquam & exemplar, & effector, & motor omnium omnia comprehendat, ita certus est ex contingentibus, sicut ex necessariis exitum sequuturum, imò iam sequi. Neque verò mutabilia intelligit mutabiliter, neque diuisibiliter diuisibilia cernit, sed pro indiuidua sui mobilique natura simul firmiterque tenet distracta etiam in seipsis atque circumnaga, sicut sæpè visus indiuiduo quodam ictu multa conspicit quæ mouentur, neque rursum quæ naturaliter mutabilia sunt, propterea firma redduntur, quod ille firmiter comprehendat: sicut neque immaterialia fiunt, ex eo quod ille immaterialiter (vt ita dixerim) complectatur. Nam & ipse intelligentia sua, id est actione sua, tam contingentibus ipsam contingentiæ sortem imponit, quàm necessariis necessitatis exhibet legem. Atqui, & intelligentiæ voluntatisque nostræ motus quoslibet, quamuis liberos firmissimè tenet. Intelligit, inquam, eos, nam essentia prima sicut omnibus quomodolibet essendi causa est: sic intellectualibus quomolibet ritè intelligendi atque volendi. Directos itaque motus intelligit tanquam ipse quoque mouens, obliquos autem tanquam ex opposito deficientes à rectis. Intelligit & certo motus, qui in seipsis videntur incerti: siquidem singulos fieri iam non fore videt. Æternitati namque ita semel totum tempus est præsens, sicut & centro totus pariter circunferentiæ tractus. Et quamuis qui nunc ita voluntate mouetur, possit aliter deinceps, aliterve moueri, ille tamen de hoc non aliter atque aliter opinatur. Singulos namque motus eorumque modos ab initio semel anticipans mutabilem progressionem indiuiduo penes seipsum cardine firmat. Quod autem plerique sic argumentari solent: si certus est Deus animam id acturam, animam necessario id efficiet, non consequitur: siquidem ille certus est animam liberè id facturam: imò verò, id liberè facere. Præsentia enim cernit se quæ futura sunt rebus. Cum igitur præsentes iam cernat euentus, non licet rursus interrogare, vtrum possit animus electionem suam interea permutare, postquam Deus animum sic viderat electurum. Non enim cadit interea tempus, vbi non electurum viderat, sed videt potius eligentem. Neque tu rursum obiicias: Si Deus firmiter videt eligere: ergo compulsus eligit. Quid enim prohibet animum sua interim voluntate facere, quod Deus firmiter natura sua cernit animam operari, atque vt libera faciat voluntare, Deus sua semper instituit voluntate. Denique, quod argumentari nonnulli consueuerunt. Necessarium est id animum facere, si Deus facturum scit ita vel facere. Similiter argumentari possemus: si homo dicatur idem scire, & vtrobique necessitas non tam in consequente, quam in consequentia ponitur: neque in reipsa sed in argumentante deprehenditur: & conditionalis quædam necessitas hęc est non absoluta, conditionalis autem absolutam trahere, secum minimè consueuit.



IN LIBRVM II.

DE PROVIDENTIA COMMENTARIVS.

Quomodo machina mundi congruat cum natura, natura cum intelligentia diuina: quæ etiam fortunam ordinat.

CAPVT PRIMVM.

PEr hæc dubitationes soluimus, quæ in huius libri fine mouentur, atque secundum aggredimur de Prouidentia librum. Profectò, sic animæ rationales in prouidentia designatæ sunt partes, non partes, inquam, naturæ vel machinæ corporalis: sed partes, id est, participes prouidentiæ, atque in gubernando collegæ. Hinc & motus conceduntur deteriores, postquam semel nonnulla concessa minoribus est authoritas. Quoniam verò dicit seminariam vniuersi naturam esse animam quandam: memento sicut vocalis oratio distinctè significens, non solùm ex intellectuali notione procedit, verum etiam est notio quædam: sic seminarium mundi viuum, & omniforme ex ipsa mundi anima pullulans animam quandam esse. Ac si dicitur instrumentum, vel intelligentiæ puræ, vel animalis intelligentiæ, tale est profectò, cui motor ipse suus, non tantùm præbeat motum, sed etiam opificij formam. Est enim cognatissimum instrumentum, suoque subest opifici, non tanquam manus, sed tanquam imaginatio, vel imaginatius spiritus practicæ rationi. Subdit in libro secundo, rationem eiusmodi, bona simul & mala complecti. Si enim in hac rerum habitus primò designati sunt, priuationes quoque consignatæ sunt consequenter. Similiora descripta, etiam deteriora, & in longum progrediendo detertima quoque conscripta non ita solùm, vt peragantur inde omnino peiora, sed vt tanquam inchoata, vel designata, tandem per corporeas causas siue conditiones expleantur in mundo. Cuius quidem vniuersi gradus omnes & ordines, ita sunt in mundanæ ratione conscripti, vt non ipsa ratio primùm eos in se construxerit, sed tota potiùs vnà cum suis eiusmodi partibus expressa fuerit ex intellectuali sigillo, dum tamen euaderet subinde deterior. Multa enim in hoc ipso mundanæ rationis ordine coaptantur ad vnguem motibus animarum: quæ sanè congruitas non ex hac ipsa ratione tantùm animabus subdita, sed etiam multoque magis ex intelligentia quadam animabus superiore præscita simul & prædestinata videtur. Quemadmodum verò in seminario mundi, neque totum partes generat, neque pars ab initio partem: sic & corporea mundi machina ex seminario germinat simul tota, neque partes generat suas, ex quibus ipsa componitur: neque inter partes necessarias eius alia procreat aliam: Ita neque stella facit stellam, nec ignis ab initio terram, neque homo leonem. Hinc efficitur vt nulla pars mundi penitus subsit aliis: sed potiùs toti respondeat: ita verò totum vna cum patribus prodiisse ex suo semine mundum, semenque ex mente similiter testatur plantarum animaliumque generatio. Vbi non pars efficit partem, sed partes simul vnà cum toto paulatim ex semine pullulant: ex quo etiam patet partium cunctarum atque totius rationes in semine contineri: similiterque rationes mundi totius in natura: naturæque in anima, & animæ prorsus in mente. Proinde ait totum machinæ seminarium esse actum, & quasi spiritum totius animæ mundi: similiterque partes in eo esse actus quosdam, & quasi spiracula quædam partium animæ propriarum: simili quodam ordine totum hunc mundum seminarij totius actum esse, partesque partium. Cùm verò congruat vndique machina seminario, & hoc animæ mundi, & animæ menti: sequitur vt in machina ad mentis nutum omnia dispensentur. Probabile quoque est particulares animas tanquam animæ mundanæ sortes, atque collegas secundùm motus circuitusque suos animæ mundanæ penitus consonate, adeò vt vices electionum actionumque quas agunt animæ, accommodentur vbique vicibus animæ mundi in naturalibus peragendis. Qua quidem connexione ad certas animarum electiones, actiones, vitas, certè quoque in vniuerso sortes, fortunæque & corpora certa, exitusque consimiles ritè respondent. Inter hæc, nequis opinetur difficilem esse Deo mundi totius curam, propterea quòd innumerabilia in hoc sunt atque contraria, subdit omnia quantumcunque diuersa in vnam congredi formam: qua facillimè vni pareant authori: si in mixtis elementa contraria in formam desinunt vnam: si in plantis & animalibus membrorum contrariæ quali-

tates vnam admittunt viuentis formam. Idque vtrobique fit naturæ particularis officio cui nam murum videri debet, partes mundi contrarias in vnam coire formam, licet nobis occultam? coire inquam naturæ vniuersalis opera, quam & naturæ particulares vbique sequuntur. Si redigas igitur opera singula ad singulas vbique naturas, easque subigas vniuersali naturæ, & hanc connectas intelligentiæ, & intelligentiam vnitati, planè cognosces intelligentiam ex vno cardine rerum vno quodam nutu cardines omnes sequentiaque deinceps mira facilitate mouere: mouere inquam intelligendo, atque ita singulis prouidere. Exempla verò quæ ex prædicamentorum ordine Plotinus adducit ad multitudinem generatim in vnum denique redigendam, perspicua sunt.

Inter hæc notabis argumentum hoc esse, quòd ipsum vnum sit omnium principium: quòd omnia vel contraria in vniuerso rediguntur in vnum, scilicet præter naturam suam in vnum ab vnitare coacta. Notabis qua ratione ipsum esse in causam resoluas superiorem: siue enim dicas ens, id ex essentia corporis & esse, ideoque in simplicius resoluere cogeris: siue dicas esse id tanquam actum, redigis in essentiam veluti fundamentum: siue dicas essentiam, hanc primum imperfectam vides, nisi suscipiat actum. Itaque super hanc vnum ipsum, id est, ineffabilem simplicitatem esse cognoscis, à qua dependeat essentia actusque essentiæ. Ait ipsum vnum & diffundi per omnia, & colligere cuncta, quasi per membra neruus, qui dum videtur distrahi, contrahit. Ipsum namque vnum, quatenus simpliciter est vbique, in vnum colligit omnia: quatenus autem inde tale vnum fit, atque tale videtur esse diffusum: sed tale interim atque tale ad ipsum simpliciter vnum necessario religatur. Neque ita reperitur in cunctis vnum ipsum, ceu species vna in singulis, vel genus vnum in speciebus: sed secundum prius atque posterius, magis & minus: fermè sicut in numeris passim vnitas numeralis. Proinde Plotinus ipsum simpliciter vnum proximè quasi deriuat in vnum ens, intellectum videlicet vnum, authorem mundi proprium atque rectorem, qui ex multitudine in seipso concepta multiplicem conficiat mundum, atque ex vnitate in se suam multitudinem superante, multa mundi membra in vnum colligat animal. In quo sanè quicquid est tum ex natura communi pars quædam est totius, tum ex natura insuper propria est aliquod totum, propriamque adhibet actionem, præter communem ex vniuerso passionem cunctis illatam. Ex quo apparet Deum mira actionis suæ potentia actiones à rebus proprias non auferre, à rebus inquam vel minimis, ceu ab igne vel equo, multoque minus à præstantioribus auferre, scilicet ab animabus, non conditione naturæ determinatis ad vnum, sed ad plurima se vicissim oppositaque vertentibus. Idque pro natura sua per diuersa mobili facientibus, sed interim ordinante Deo quales vbique se animi reddiderunt, tales eis semper redduntur euentus.

(.:) (.:) (.:)

Nihil contingit casu. Nam prouidentia minima quæque ordinat.

CAPVT II.

Considera primum totam mundi machinam circunfusam terris, esse in omni dispositione motuque semper ordinatissimam. Secundò, terrena omnium plurimum ordinarissimè nasci, atque procedere. Tertiò, terram ad reliquum mundum esse velut punctum. Per hæc quartò concludes, in hoc puncto molis immensæ ab ipsa mola conclusò mirabiliter ordinata, nihil non ordinatum posse relinqui, vt etiam quæ interdum casu quodam fluitare videntur, certo scias penes ordinem vniuersi suo quodam ordine non carere, penes ordinatorem inquam mundi totius intellectum. Ordo namque nasci semper ab intelligentia consueuit. Illius enim nutu simplici prorsusque immobili machina ex tam diuersis mobilibusque congesta ordinatissimè conspirat & regitur. Præterea cum in qualibet gubernatione quatenus maior gradatim maiorque in gubernatore intelligentia est atque potestas, catenus minus aliquid fortuito illic accidat: certè si summa quædam potestas & intelligentia gubernat mundum, totumque omnino subest illi, nullus vsquam relinquitur temeritati locus. Accidere namque gubernatori casus solet inopinatus vel alienus, quia vel non omnia conspicit, vel non omnibus dominatur, soletque casus ab externis incidere. Vniuersum verò sub vnius diuinæ mentis imperio conspectuque comprehenditur, vt nihil subterfugere præuaricarique possit: præsertim quia sicut vita mundi est in qualibet parte tota, sic & intelligentia in hoc viuente corpore tota simul vbique. Neque tractat extrinsecus materias alienas, nec in plura distrahitur, sed suam agitat intus, atque ex vno cardine totam tamque facilè regit intelligendo, quàm vita viuendo viuificat, quàm corpus agit essendo. Quod enim in corpore est esse per formam à vita intelligentiaque susceptam, id quidem est in vita viuere: id rursum in intellectu est intelligere. Ex tota quidem intelligentia tota profluit vita: ex vniuersa rursum vita similiter corporis vniuersi communis emicat forma. Simili quadam proportione diuersæ in machina formæ ex variis prosiliunt in vita seminibus. Differentia semina ex differentibus in intelligentia notionibus inseruntur. Notiones igitur intellectus ipsius per semina rerum vsque ad singulas rerum perueniunt formas: atque sicut semen vnum dum plures singulorum generat formas, non confusè, sed distinctè agit in singulis, alioquin singulam non perfectè formaret: sic & vna intelligentiæ notio vbi per plura semina vitæ plurimas insuper formas in singulis exprimit, non indefinitè quidem, sed determinatè agit in singulis, alioquin ageret imperfectè: neque actio eius & virtus vsque ad ipsas vitæ naturalis actiones propriasperueniret: tametsi necesse est superioris ampliorisque semper causæ virtutem actionemque vltra ministerium inferioris longè lateque procedere. Quo efficitur, vt primæ ipsius essentiæ virtus & actio, quæ intelligentia est, per singula protendatur. Tum verò si dixeris effectus passim singulares in rebus ex propriis duntaxat formis & virtutibus prouenire, meminisse debes virtutes vbique formasque proprias quæ ad formalem pertinent ordinem vniuersi, ex primo rerum ordinato-

re procedere, penitusque seruari atque moueri. Cum igitur in formis & virtutibus ipsis exitus singuli comprehendantur, necessarium est per virtutes saltem formasque ipsas singulos ubique effectus ad ipsum virtutum & formarum omnium largitorem & seruatorem atque motorem penitus pertinere, virtutes inquam & formas, siue speciales, siue etiam singulares. Nam & in singulis Physici dotes mirabiles inuenerunt, quæ sæpe cæteris sub eadem specie minimè conceduntur. Denique si quod Platonici putant, & Astrologi nesciunt quomodo consentiunt, lux in cœlo sensus est, atque radios passim ex luce protendere est singula persentire, sentiendoque facere, & faciendo sentire, nihilque vel sub terra latet, quòd non sentiatur inde latentibus vbique radiis, alioqui non generarentur etiam sub terra cœlestia: nimirum & intelligentiæ primæ radij per omnia protenduntur, & quatenus seipsos ad singula vsque deriuant, procreant vbique singula, perspiciuntque procreando, quandoquidem & procreant intuendo. Perinde atque si dicas, & stellas aspectibus facere singula, & struthionum oua mirabiliter tuendo fouere, pullosque formare. Cum igitur nihil vsquam diuinum lateat intellectum, & ordo sit intelligentiæ proprius, nihil vsquam in hoc intelligentiæ opificio potest accidere, quod non ab ipso totius ordinatore sit ordinatum, etiam antequam accidat, & subito nitens annexum cæteris consequenter, & in ordinem vniuersi redactum. Qui sanè ordo ita demum absolutissimus est, si minima quæque prouidentissimè sint ordinata. Ita rursus excellentissimus est, si non solum ex ordinatis, verumetiam ex ordinatoribus compleatur. Plures igitur in hoc ordinatores sub primo gubernata dispensant, virtute legibusque primi: cuius tanquam potentissimi virtus & actio per omnes sub ipso gubernatores, atque vltra propria eorum munera se prorsus amplificat. Itaque sicut multa quæ nobis fortuita sunt, eadem gubernatoribus sunt prouisa, sic & nonnulla extra gubernatorum intentionem veniunt, quæ sunt ex prouidentia primi, cui nihil vsquam accidit improuisum: quippe cum ad perfectissimum, & optimum intellectum consummatissima pertineat prouidentia. Ea verò est quæ nihil ignorat, nihil improuisum esse permittit. Omnino verò casus inopinati nobis, qui ex diuersarum inter se causarum confluxu contingunt, siquidem ab aliqua causa ordinantur, non à causa quadam reguntur agente tantum more naturæ. Causa enim simpliciter naturalis cum per vnam agat formam, determinatur ad vnum, nequit igitur euentus inopinati causas plures inter se dispersas, nec vllum inuicem per se habentes ordinem ad vnum effectum ipsa per se redigere, cohibere verò multiformes in vnum causas potest causa sola cognitionis munere fungens: quæ multas in se concipiens formas, merito & rerum multiformium est principium, & difformes causas in vnum euentus aliis inopinati formam mirificè congregat. Hinc Proclus in Timæo fortunam definiens inquit, non temerariam esse vel cæcam, sed esse diuinam vel dæmonicam potestatem, in vnum exitum diuulsas causas congregantem. Ideo Plato vbi in Epistolis fortuitum quendam tractat euentum, post fortunæ nomen subito dæmonis nomen adduxit. Itaque sæpe dæmones occulta quadam persuasione hominem hunc hac via, illum verò illa in locum eundem mittunt, quo illic occurrentes sibi inuicem, aut tertio euentum pariant improuisum illis, superis verò prouisum. Interdum quoque superi non tam diuersos ad vnum aliquid sibi mouent, quam motis per se illis ad aliquid ipsi interim vtuntur ad aliud, inopinatum quidem hominibus, superis verò prospectum. Proinde siue moueant primum superi nostros animos, siue per se motis vtantur, dæmones quidem superiores ratione potissimum agunt in rationem persuadendo simpliciter atque tranquillè, inferiores autem imaginatione plurimum atque spiritu, in spiritum imaginationemque nostram perturbationes aliquas suscitando, & vtrique consequenter agunt voluntatem, Deus autem directè agit in voluntatem. Denique quomodocunque & vndecunque in casus inopinatos incidimus, vel prosperos, vel aduersos contingentia nobis semper meritis nostris consentanea sunt vel præsentibus, vel præteritis, vel futuris, & conferunt nobis quidem quandoque vniuerso semper. Sic enim Deus vniuersi temperat harmoniam, vt si quis totum orbis spatium, & in eo singula, totumque tempus vno conspicere possit intuitu perspecturus sit vnicuique iusta rependi: aliaque passim alius ita sonare, vt toti potissimum omnia consonent.

Quamuis singula sint in prouidentiis Dei mente signata, tamen animus agit liberè. Item vniuersum oportuit dispares gradus habere.

CAPVT III.

PEnes effectorem ipsum, & exemplar mundi primum, sicut numeratæ sunt animæ, numerata & corpora. Sic quales animæ sint ab initio, similiter & qualia corpora: rursus quales animæ, quæque se reddant, atque deinceps quales eis pro meritis rependendæ sint sortes, cuncta igitur & quid agant, & quomodo, & quid patiantur, & quomodo in ipso prouidentiæ ordine comprehenduntur. Quod quidem humanus animus ita vel ita moribus affectus progrediatur, in causa est quoniam ita cœpit quandoque vel ita. Quòd autem sic incœperit causa est duntaxat, quia sic atque sic incipere potuit: at verò quòd vtrumque potuerit, non potes in aliam resoluere causam. Hæc enim ipsius est natura, scilicet vita liberè mobilis atque rationalis. Si quis autem vlterius perquirat causam, cur anima sit ab initio talis, non aliter erit ridiculus quàm si perquirat, cur anima ipsa sit anima, aut cur ignis ipse sit ignis. Sanè cur ignis ascendat, penetret & dissoluat, causam assignabis, quoniam leuis sit, & subtilis, & calidus. Sed perscrutari quare sit hoc ipsum, nihil aliud est, quam cur ignis sit ignis inquirere. Vnaquæque rerum species ab æterno certis est intrinsecus terminis definita. Cunctæ itaque species ab æuo in seipsis determinatæ nihil aliud esse videntur, quàm certæ quædam determinationes, quibus intelligentia prima constat primum, & quasi partibus discernitur in seipsa, adeo vt mens ipsa sit definitiones eiusmodi intellectuali necessitate naturæ. Similis subinde in vegetali natura sequitur dispositio rerum: similis & in machina mundi ex causa non consultante quidem ac per consilium eligente: sed ita naturaliter in se affecta, ita naturaliter germinante. Dispositio eiusmodi specierum in natura est ipsa natura: in machina similiter est ipsa machina mundi. Quærere

igitur cur mundus tot tamque disparibus rerum gradibus constet, est inquirere, quam ob causam mundus ipse sit mũdus. Quemadmodum si quis quærat, cur planta vitã habeat, & non sensum, & radices habeat, atque ramos: cur animal sensum habeat, nec rationẽ: cur pedes atque caput: quare homo humanam intelligentiam, non diuinam. Optare autem plantam quidem esse animal, & animal esse hominem: & hominem esse Deum, nihil aliud est, quàm Deum relinquere solùm, mundumque destruere, perinde atque si quis pedem velit esse manum, hanc oculum esse desideret: sic & singulatim membra disperdet, & denique totum. Verùm vt ad conditionem nobis magis propriam descendamus: homo non debet conqueri quòd ab initio præstantior non fit effectus: quandoquidem ita satis habuit, atque, vt nonnulli probant, ipse se quodammodo præstantiorem potest efficere, quod homine inferiora non possunt. Itaque habet quandam in se principij rationem: siquidem bonum quiddam potest addere bono quod habuit ab initio: quod vero ita possit, ex eo conijcimus, quia potest & in peius aliquando labi, quod inferiora non possunt. Deus autem non fecisset humanam speciem, quæ plantis & brutis est melior, talem vt in peius prolabi posset, nisi fecisset & talem, vt possit melius proficisci: quippè cùm sit primo bono propinquior. Inter hæc verò quod ait exemplar vniuersi, ipsumque vniuersum esse cuncta digesta per gradus: memento cùm in prima puraque forma non possint multa esse, nisi differant, neque differre queant, nisi formaliter, illic dupliciter inter se distingui, tum varijs formarum modis quasi per latitudinem: tum diuersis formarum gradibus quasi per longum. Nempè, quia mens processione quadam sub bono, suam accepit formam, ideo & in seipsa similiter procedendo varios suæ formæ gradus induit velut vultus. Hinc efficitur, vt in mundo quoque deinceps per gradus impares processio fiat, aliaque consequenter alia faciant, vel propagentur in alia. In dispositione rursum Plantarum atque animalium partes gradibus inæqualibus digeruntur, sed dispositio talis in mundo ideo dicitur non esse simpliciter optima, quoniam longissimè distat à bono, cui proximus est mundi faber primus, cui subijcitur anima mundi. Huic subditur mundi ratio seminalis, ex qua simul ac mundi corpore animal fit mundanum, rationi subijcitur corporea mundi forma. Eiusmodi verò ratio non sic animata, id est, viua dicitur, vt est anima mundi: imò in hanc ita definit ipsius animæ vigor, vt in teporem calor, ac lumen similiter in pallorem. Simili quadam proportione degenerant à vitis vbique in se manentibus vitæ quædam inde corporibus dedicatæ siue in sphæris stellisque, siue dæmonibus & hominibus id cogitetur. Vbique verò superius in natura naturaliter inferiori prouidet, & quanto superius, tanto prouidet magis, ac prouidendo firmius permanet in seipso: nam ex hac ipsa firmitate sua prouenit perpetuus prouidentiæ tenor, dum videlicet non afficitur: non inclinatur in alia, sed exuberat.

De intellectu, & ratione, & imaginatione. Cur homines non semper vtantur ratione: Cur anima fiat deterior. Quòd non transit in bestias.

CAPVT IIII.

IN sequenti capite considerabis iterum geminam esse rationem mundi communem. Primam quidem adesse mundo velut artificem, secundam verò inesse velut formam per quam velut cogitatam artifici etiam artifex videatur mundo coniunctus. Artifex quidem præsidens est intellectualis ipsa substantia: insidens verò velut forma est ratio seminalis, qua coire intellectus cum materia mundi videtur atque generare. Reliquam Plotini sententiam summatim ita colliges Duo sunt in anima nostra actionum principaliberarum, intellectus, & ratio: quorum opera potest anima præter id ipsum quod habuit ab initio progredi. Sed intellectu quidem proficit subito, factusque est animus statim ex humano diuinus, ratione verò proficit sensim, deficitque similiter: vt vel fit humanus, vel diuinus fiat & dæmonicus atque ferinus. Adsunt quidem omnibus hominum animabus semper intellectus & ratio, sed non omnes ratione viuunt; intellectu quinetiam paucissimi. Multi enim imaginatione viuunt potius atque sensu: in quorum imaginatione rationem ipsius scintillæ vel rarò micant, vel etiam quandoque micant. Cùm imaginatio potiùs ad opposita conuertantur: quemadmodum & intellectus communiter in rationem humanam præterquam in beatis vix scintillare videtur. Adesse quidem intelligentiam & rationem propriam animabus humanis etiam non vtentibus non diffidet quicunque cognouerit intelligentiam quoque rationemque communem vbique vigere, rebusque quàm minimis esse præsentem. Interea notabis intellectum non esse adeo separatum, quin sit pars animæ: item sicut ignis, non semper calet, sic intellectum intelligere semper, & potentiam animæ in discursione positam discurrere semper quocunque modo discurrat, siue per rationes, siue per imagines, more etiam somniantis: potentiam similiter vegetalem assiduè vegetare. Preterea dum anima viuit in homine, tum mentem tum rationem esse aliquid hominum, quamuis non vtroque semper actu redundet in homines, atque mens rarius admodum quàm ratio fulgeat. Siquando verò animus sit in brutis, neque mentem neque rationem aliquid vult esse brutorum, sed imaginationem tantum vegetationemque cum eis communicari posse. Quòd autem non solum intelligentiæ communiter, sed etiam rationis quandoque fulgor in animabus micare minimè videatur, in causa est, vel peruersa nimium corporis compositio, tum inepta frequenter ingenio, tum perturbationi parata, vel fortè ipsa ratio seminalis animæ iamdiu in habitum conuersa brutalem, atque subinde corpus in materia prout fert opportunitas sibi brutale conformans: si modo potentia genitalis primam corpori qualitatem affert: vt anima tunc non talis euadat omnino qualis nanciscatur & corpus, sed tale sibi fingat corpus, qualem iam naturam ipsa sibi conceperit vt merito in se facta deterior in deteriorem vitam transferatur & sortem. Post hæc quatuor causas obseruabis, quibus anima nostra deterior quandoque possit euadere. Primam quia posita est ab initio post secun-

dam ordinem animarum. Secundam, quoniam momentum ab initio minimum longius paulatim cadendo fit maximum. Tertiam, quia dum anima cum alia quadam vel anima vel re fortè concurrit, vel potiùs dum in anima affectio quædam prior cum posteriore congreditur, ex tali quodam congressu vis noua resultat, nouumque inde facit effectum, sicut est in aliarum rerum commixtione compertum. Quartam, quia præcedentes actiones in vita præterita, talem habitum inchoauerunt vitæ præsentis. Verùm vbi Plotinus velle videtur rationem animæ seminalem ex actionibus antecedentibus adeò degenerare, vt ipsa potentia genitalis quæ erat in propria hominis specie, fiat iam in specie bruti cuiusdam: atque ita hæc brutum eiusmodi concipiat vel accipiat, intellige totum sub conditione dictum, id est, si quando ipsa naturalis potentia in se speciem mutare possit, consequenter ad talem speciem transferri ferinam: sed certè non posse ratio nobis ostendit. Primò quidem, quia cùm rei nullius essentia propria, essentialisque potentia quamdiu existit, possit ipsum esse alterius speciei proprium, actumque illius essentialem quandoque subire. Certè nec hominis anima rebus multis longè præstantior adeò potest à specie sua cadere, vt speciem induat aliorum, atque nonnunquam deteriorem. Secundò, quia cùm dicat Plotinus alibi, ipsum intelligere, atque ipsum vegetare esse prorsus substantiale, neque permutare intelligentiam per actiones animæ, consequens, est, vt fateatur, neque potentiam vegetalem per actiones aliquas permutari, quod experientia patet. Non enim per habitum morum prauum ipsa fit praua, vel fit bona per bonum, & ratio ipsa demonstrat accidens ipsum mobile non permutare substantiam permanentem, præsertim si oriatur intrinsecus. Quamobrem ipsa vegetalis essentia nunquam ex sua specie per accidentales imaginationes brutis quodammodo similes in bruti speciem transmutabitur, neque per se speciem deseret propriam, siquidem ipsa sit sempiterna, sed habitus quidam ferinus potiùs contrahetur, in ipsis imaginationis actibus & affectibus: habitus inquam, potentiam insuper rationalem afficiens imaginationi videlicet sæpè consentientem. Quis sanè habitus velut nimium alienus diu animam à diuinorum contemplatione, & vita locoque detorquet. Tertiò quum transferri animum in vitam sortemque deterrimam pùrent purgationis gratia, quo malefacta retractat præteritorum pœnitentia ductus, aditus omnis pœnitentiæ clauditur: si rationalis ipsa species præcipitatur in brutam. Accedit ad hæc quòd in genere nostro tam diuersi sunt gradus, vt figuram corporis non oporteat iustitiæ vel congruentiæ gratia commutare: quandoquidem sub hac ipsa figura homines sunt humani & bruti (vt ita dixerim) atque dæmonici. Si hactenus Plotinus sentiat, à Timæo Pythagorico non dissentiet, & ab Aristotele forsan non dissidebit, nec improbabitur ab Hebræis. Hinc namque omnes facilè concedent animam nostram per corpora duntaxat hominum posse reuolui: brutis verò nequaquam accommodari: accommodari verò dæmonicis posse figuris: nam habet & ab initio spiritale corpus corporibus dæmonum quàm simillimum.

Quòd oporteat esse diuersos rerū gradus: quòd prouidentia dispenset singula Geometricæ proportionis æqualitate: quòd fatum seruit prouidentiæ: de libero arbitrio.

CAPVT. V.

Diuina mens sicut formales in se rerum rationes habet speciebus gradibusq; distinctas, non enim aliter in pura forma quam formaliter potest esse distinctio: sic in mundo distinctionem eiusmodi configurans, non æqualem vbique seruat numerum, vt quot vires & quales in se res hæc habet, totidem talesque habeat illa: alioqui vna quædam fortè sufficeret, superuacuæ forent reliquæ nouinihil addentes, factæque viderentur plures dimensionis potius sectione vel accidente quodam quàm essentialis differentia formæ. Quas ergo res Deus non æquat inter se numeris atque ponderibus, saltem congruitate proportionis adæquat. Vt si progrediaris in longum, videas creaturam primam vigore superare secundam proportione dupla: præterea secundam sicut per duplam superatur à prima, per duplam similiter tertiam superare, atque deinceps tertia quartam. Similibus quoque proportionibus, quibus naturæ naturas superant, cognosces actiones naturarum & passiones vicissim excedere actiones aliarum atque passiones. Si rursus digrediaris in amplum, videbis si comitantia creaturam primam vel circumstantia excedantur ab ea sesquialtera ratione, vel potius sesquitertia, simili proportione quæ circumfusa sunt creaturis sequentibus superari. Non igitur Arithmetica, sed Geometrica potius æqualitate prouidentia gaudet. Hæc enim est iustitiæ propria, qua ciuilis prudentia domum & ciuitatem gubernat, & regnum cui quidem prudentiæ Plotinus diuinam prouidentiam comparauit. Item Poëticæ simul & Musicæ, denique & sæpius & libentius vegetali comparauit naturæ, animal plantamque regenti. Natura enim instrumentum est prouidentiæ. Hac igitur comparatione docet, sicut animal vnumquodque vna dispensatur vbique natura, membris infimis tam præsente, quam summis: sic & mundanum hoc animal vna prouidentia regi singulis vbique præsente. Inter hæc obseruabis in mundo singula, sicut in animali membra vltra communem conditionem vires quasdam & actiones proprias possidere. Item quàm facilè in quolibet animali partes propter communem naturam cum partibus sensu statim & passione communicant, tam facilè singula in mundano hoc animali tanquam membra propter naturæ vnius communionem compati, consentireque inuicem, non solum quæ situ propinqua sunt, sed etiam quæ inter se longissimè distant: sicut enim ex capite ad pedes, sic ex mundi summis ad infima motio statim & affectio prosilit. Seminariam verò mundi vitam, qua velut forma totum hoc vnum est animal vocat fatum, cuius explicatio quædam est series causarum motionumque cœlestium, in qua explicatione Atropos nominatur, aliquando firmamentum: Cloto verò volubilis admodum regio Planetarum: Lachesis verò quod sub Lunam persortes inde traducitur. Vniuersa igitur hæc dispensatio & dispositio rerum vbique simpliciter prouidentia est, sed quoniam dependet à mente, & vbique mentis nutu peragitur, prouidentia nominatur. Quoniam verò per naturam animæ ve-

getalem, & subinde per cœlestia proficiscitur, nominatur & fatum: quæcunque igitur fiunt fato prouidentia fiunt, quamuis multa insuper faciat prouidentia, quæ fati terminis non claudantur: quæcunque videlicet ad intellectualia pertinent, & quæ similiter intellectuales ipsæ substantiæ faciunt. Non aliter verò dependet fatum à prouidentia, quam à lumine calor. Vbi quæ facit calor facit & lumen, neque viciſſim. Mirabiles enim latent in lumine quæ non sunt in calore virtutes, similiter spiritus dependet ab anima, nihil absque anima faciens, aliquid sine spiritu faciente.

Hactenus communia rerum actionumque principia posuit prouidentiam atque fatum. Propria verò motionum principia sunt efficaces vbique naturæ: præsertim rationalis anima non vniformis tantum, non determinata prorsus ad vnum, sed multiformis & ad diuersa seipsam consultando deriuans. Quicquid igitur venit ex fato propriè pariterque ex prouidentia venit, quod autem ex rationali natura fit propriè, non fit ex prouidentia propriè, quamuis quodam influxu communi, quòd si consilium ad finem optimum electiſſima procedit via, id sanè dum fit ab anima secundum ordinem proficiscitur, quem & ipsa prouidentia seruat: alioqui neque à prouidentia fit, neque secundum primas prouidentiæ regulas, & quomodocunque nostræ res fiant, neque prouidentiam latent, neque negliguntur ab ea, sed inseruntur ordini prouidentiæ: perque ipsas prouidentiæ regulas in habitus semper atque loco pro meritis congruo disponuntur. Recti quidem motus per primas, obliqui verò per secundas prouidentiæ regulas diguntur, non aliter quam natura faciat in corpore viuo, dum sanitatem custodit membris, & perditamque alteratione restituit, humores quoque suis locis accommodans atque purgans. Quod autem non prænaricemur interdum ordinem prouidentiæ, vel solum ex ignorantia nostra contingit propter negligentiam contingente, dum negligentius consultamus, vel etiam ex procliuitate sensus atque naturæ oblectamentis externis nimium concedentis. Tametsi quæ nobis offeruntur extrinsecus, non tam pro natura sua, quam pro qualitate nostra nos mouent, verumtamen ex occursu sæpè certi hominis ad hominem certum, siue rem quampiam nouum aliquid occultumque contingit, vel in vtroque vel alterutro saltem ob causam nobis ignotam, prouidentiæ notam, siue id accidat ex nostris vbique proprietatibus foras etiam emicantibus suoque confluxu proprietatem tertiam generantibus, siue nostrorum potestate dæmonum, siue stellarum influxibus in nobis & ex nobis aliter atque aliter confluentibus, quod mirabiliter feliciterque ex Socrate contigisse multis Plato in Theage testatur.

Quo consequentiæ ordine possint ex bonis præuideri mala. Quomodo in præsentibus sint futurorum signa.

CAPVT VI.

SI mala non sunt secundum prouidentiæ ordinem, carere videntur ordine, itaque præuideri non posse videntur: præuidentur tamen à multis. Quomodo ita præsagiri possunt? quoniam vel consequuntur tandem ad ipsum ordinem prouidentiæ, vel si diuulsa contingant, instituto prouidentiæ ordini mirabiliter inseruntur. Proinde cum à primo ad vltimum gradatim diuisio multitudoque crescat, ideoque in mundo corporeo sit extrema diuisio, necesse est quòd in mundis superioribus est non materia quidem ipsa, sed quasi quiddam materiale, dum ad actum eius absolutissimum comparatur, à quo non reipsa, sed quadam ratione distinguitur, id in mundo corporeo iam esse materiam, & à natura formæ tum reipsa, tum longiſſima separari: itaque informe per se remanet atque malum. Vides ergo quo potiſſimum ordine consequentiæ mens videre præuidereque posſit ex forma materiam, ex bono deniquemalum.

Præterea prouidentiæ ordo constituit varios in mundo habitus qualitatum, qui naturali fœcunditate longa deinceps propagatione procederent. Ex hoc progreſſionis ordine coguntur multa longius à suo fonte distare, ideoque deterius se habere. Vides iterum qua prouidentiæ serie ex habitibus prænosci priuationes posſint atq; defectus. Quemadmodum verò & ipse mundus & res in eo ex formoso constant atque deformi, perfectionesque naturarum paulatim desinunt in defectus, sic & omnium actiones. Itaque ex ipso actionum recto vigore longius descendente præsentiri potest obliquitas earundem atque defectus: sed tale præsagium ex principiis extrema prospiciens, ad Deum pertinet atque diuinos: cæteri verò non per causas quidem latentes, sed per indicia quæ palam causas comitantur futura præuident in præsentibus: perinde atque ille qui sæpè quæ facturus in posterum sit amicus, per eius literas iam certior est effectus. Præsentes namque rerum causæ in quibus futuri continentur effectus agunt aliquid paſſim, quasi scribendo venturis quodammodo congruens, ex quo sagaces quasi legendo futura præsagiunt. Cum enim omnia hæc animalis vnius mundani sint membra, merito superiorum membrorum motus inferiora membra motibus suis frequenter, vel sequuntur, vel imitantur, atque in superioribus inferiorum præferuntur indicia, quibus sæpè comparatione quadam proportionis, potius quàm efficacia rationis futura cognoscuntur eatenus: sic igitur auspex ita prædicit: volauit huic auis in altum, illi verò contra, hic igitur altius extolletur, deprimetur ille: similiter augur garritu auium lætiore, lætiora promittit: tristitia tristiore minatur, similiter Astrologi solent altitudinem dignitatis per Planetarum altitudinem designare. Post hæc notabis iterum, sicut ratio seminaria mundi est vna quędam vita ex multis congesta seminibus, quę nec facit ipsa, sed sic affecta proceſſit: nec aliud ibi generat aliud, sed conspirat: ita mundum hunc vnà cum membris suis inde velut vnum animal pullulare, neque ipsum facere membra, sed fieri: neque membra hęc illa facere, sed mouere, viciſſimque moueri: & singula non vtcunque, sed pro natura sua pati vel agere, & significare aliis suo quodam pacto, & ab aliis ita significari.

(∴) (∴) (∴)

Quod in prouidentia Dei artificiosa & naturalis est eadem, quæ gubernat mundum, sicut vita plantam.

CAPVT VII.

NEque verò audiendi sunt qui cauillantur: si est prouidentia, ergo non est malnm, sin verò malum est, non est igitnr prouidentia: imò ex hoc ipso quòd optimum ipsum agit, prouidendo, & agendo prouidet, agit curatque aliquid minus bonum. Gradatim verò per bonum minus atque minus peruenitur in malum. Tolle malum, sustuleris prouidentiam. Prouidentiam videre desideras: memento dotes quæ sunt in inferioribus distributæ, esse in superiore collectas. Sic Astronomi calorem humoremque per Martem seorsum Lunamque dispersum, agnoscunt in Ioue coniunctum. Mentem diuinam credis esse natura & arte superiorem: nam & naturam illius instrumentum esse non negas, & artem putas æmulam vtriusque: Artem cognoscis intelligere qnidem quæ fabricat: quandoquidem facit intelligendo, sed extrinsecus fabricare: Naturam fateris agere quidem intus, sed absque propria intelligentia facere. Vtrumque igitur imperfectum esse depræhendis, vnde redigere cogeris ad perfectum, quòd & intelligendo fabricet intus, & intelligat similiter fabricando. Sic diuinam prouidentiam apprehendis, vbi in vna re sunt coniuncta quæ in rebus sunt duabus, id est, natura & arte disiuncta, vbi in vna prorsus eademque potentia colliguntur, quæ in anima tua per duas potentias diuiduntur, per aliam quidem potentiam intelligis atque disputas, per aliam interim corpus alis, singulaque in corpore generas & dispensas: quapropter neque generas quæ intelligis, neque vicissim intelligis quæ tu generas. Mentem verò diuinam cogita eodem prorsus actu, quo & quomodo intelligit, pariter generare, atque vicissim. Sicut lucere atque calere quæ per duas qualitates sunt in igne, sunt in Sole per vnam, sic intelligere atque generare in te duo sunt actus per geminas quoque vires, in Deo sunt vnicus actus, cui subest & intelligenria quædam animæ mundi artis instar, & vegetalis animæ mundanæ potentia loco naturæ. His verò subest mundi corpus sic animatum, ita rectum, vt corpus animalis & plantæ: conspirant enim tria hæc inuicem, diuina mens, anima mundi, natura, in quibus omnia mundana sic insunt, vt totum comprehendatur in quolibet. Horum igitur conspiratio radix mundani arboris nominatur, siue radiculis vigor per arborem totus vbique diffusus. In arbore verò mundano res iam ita sunr differentes, vt à radice stipes, ab hoc rami multi, ab his surculi plures, ab his folia pompaque complurima, in quibus quamuis extremis, radicis vigor ipse seruatur aptus ad propagandum. In his igitur considerare licet primum mundana omnia, quantumcumque disiuncta inter se videantur, inuicem tamen esse connexa, eidem subnexa principio, deinde facilè inter se in actione passioneque posse communicare. Præterea facillimè regi ab eodem omnia vbique manenre, & in vnum articulatim adnerui modum cuncta penitus connectente.



IN LIBRVM ENNEADIS TERTIÆ QVARTVM

DE DÆMONIBVS.

COMMENTARIVS.

SVMMA LIBRI.

Item de Dæmonibus, & de Dæmone proprio.

SVMMA libri huius de suo cuiusque dæmone, dæmonici potius quam diuini est eiusmodi. Anima cum sit omnia, motumque habeat naturaliter liberum, nimirum potest & intra se in proprias similitudines formare seipsam, atque subinde talia sibi animalium & plantarum corpora conformare. Si igitur more plantæ vixerit: format post hanc vitam plantæ corpus, in quo vegetalis potentia tantùm agit: sensus autem eiusmodi vitæ præsidet tanquam dæmon, non vt agens, sed vt assidens speculator. Similiter, si anima viuens vt bestia fiat denique bestia, sensum cum vegetali duntaxat exercens, rationalis huic potestas imminet otiosa, & tanquam dæmon aliquis obseruator. Qui verò ratione vnà cum sensu viuit, mentem habet more dæmonis assistentem: qui denique viuit mente, Deum pro dæmone videtur habere præfectum. Hac in re Plotinus Timæum ex parte sequutus est, dicentem, potestatem præstantiorem animæ esse ducem hominis, atque dæmonem. Sequutus est & carmina Pythagorica, quæ Deum obsecrant, vt quo dæmone vtamur ostendat: deinde declarant vnicuique inesse pro dæmone quandam naturæ propriæ diuinitatem, quæ pandere nobis possit occulta. Hinc ergo Plotinus & Iamblichus Ægyptiorum sententia intellectum vnicuique suum præficiunt, tanquam dæmonem rationis semper omnia speculantem. Ad hunc verò librum componendum est adductus, vt narrat Porphyrius, magica Ægyptij sacerdotis opera: qui & profitebatur suum cuique dæmonem oculis demonstrare, & demonstrauit Plotino pluribusque præsentibus, non dæmonem Plotini, sed Deum: quippè cum Plotinus non tam ratione quàm intelligentia viueret, nitens videlicet intuitu plurimum potiùs quàm discursu, neque perturbationes amputans, sed extirpans. Quamobrem & in hoc libro non solùm docet qualis cuiusque sit dæmon: verum etiam exhortatur ad Deum pro dæmone consequendum. Hactenus libri summa. Esse vero præter animæ partes alios insuper extraneos dæmones, tum quàmplurimos, tum duces hominum Plato sæpe declarat, omnesque Platonici: & ipse Plotinus alibi, & in libro de Amore potissimum. In hoc autem libro præcipuè dæmones introducit, quæ sint partes animæ: quoniam & ab aliis nondum fuerat disputatum, & pro gradibus eiusmodi, dæmonum vniuersi nobis externorum dæmonum gradus habentur. Vbi enim secundum imaginationem vita disponitur, externus dæmon noster est aërius in aëre videlicet infimo, ac per imaginationem nostram imaginatione sua nos agitans: vbi verò secundum rationem viuitur, dæmon foris ex aëre medio ratione sua rationem versat humanam: vbi denique intellectualis est vita, dæmon ex aëre summo per intelligentiam aspirat intelligentiæ: atque id non tam electione faciunt, quàm more naturæ. Nam & in nobis intellectualis lucis excogitatio imaginationem naturaliter mouet ad sensibilem lucem imaginandam, & imaginatio in somno mouet sensus, & in vigilia frequenter affectus modo naturæ, atque vicissim passio mouet sensum, sensus imaginationem, hæc naturaliter rationem. Similiter dæmones viribus suis nostras assiduè pulsant: sed excellentior ordo dæmonum agit occultius admodum atque tranquillius ad intelligentiam assiduè reuocans: qualis vtique dæmon videtur duxisse Plotinum: ideoque appellatus est Deus, qualis & dæmon ipse Socraticus. Solent enim præstantissimi quique Dæmones Deorum nomine nuncupari: quemadmodum & infimi Dij appellatione dæmonum designari. Esse quidem in aere dæmones in Theologia satis asseueramus: vt & vbique animalia sint prædita ratione, & in aëre potius quàm in terra: tanto præstantiora simul & grandiora, quanto aëris ipse globus est amplior atque præstantior, & vita præsertim rationali cognatior. Quod enim prius, eminentiusque viuit in nobis cogitationique obsequitur, spiritus est aerius: Ingentia igitur rationaliaque in aëre animalia degunt, figura quoque rotunda, qualem figura hæc aeris exigit: Sensus & in toto corpore totus, & pro natura aeris acutissimus: motus ratione simili velocissimus: motionis or-

do fermè qualis in stellis. Dæmones igitur stellæ sunt aerij cœli, circuitus stellarum cœlestium pro viribus imitantes ab ortu ad occasum, atque vicissim, statutis vbique temporibus progredientes quoque regredientesque, ac tum ad septentrionem vergentes, tum ad meridiem, tum etiam velut in augem ascendentes, tum iterum descendentes ordine certo: præsertim dæmones super aerem turbulentum. Neque electione duntaxat in nos agunt, vt diximus: sed plurimum stellarum instar ipsa natura, radiisque suis, quamuis occultis, tamen admodum efficacibus: quos quidem Magus qui congregare sciuerit, poterit & videre, cæterisque monstrare. Sicut & Solis radij euestigiò post occasum qui per se minimè discernuntur, aliquando certis vaporibus congregati, statim sub ruboris, vel palloris forma videntur: & flamma nonnunquam in meridie accensa procul in liro non cernitur, adhibitis vero lignis apparet. Videtur itaque sacerdos Ægyptius dæmonis Plotinici radios congregasse, atque (vt Porphyrius testis est) præsentium oculis ostendisse, siue colẽs dæmones hoc eorum munere tunc impetrauerit, siue vaporem certum dæmonibusque cognatum infuderit aëri, quo certò modo radij dæmonis congregati patuerint. Sed qua nam forma coniecit Magus Plotini dæmonem esse supremum? quia videlicet non difformi quoniam instar iridis fulgore venit, sicut infimi solent dæmones in aëre mixto: Non pallore iterum vel rubore, sicut medij nonnunquã consueuerunt: sed lumine puro penitus atque clarissimo, quod ætheriorum cœlestiumq; dæmonum duntaxat est proprium. Verum si Plotini dæmon est altissimus, quomodo familiariter eum ducit? Quomodo Magus ille radios illius attingit? Quamuis potest dæmon eminus quoque habitãs iactu sensualium radiorum & aliquid verborum more significantium pulsare pulsandoque videre spiritum hominis intimum, ac videndo quasi loquendo significare aliquid & afficere. Memento tamen à summis ad infima passim extendi catenas: itaque à singulis stellis certos dæmonum ordines stellarum pedissequos certis affici modis; atque similiter animas à dæmonibus, a suis vbique suas. Sunt ergo plures in qualibet sphæra tam infra Lunam, quàm super Lunam: dæmones Saturnij sub Saturno, Iouiique sub Ioue, cæterique similiter. Atque inter Saturnios alij etiam in eadem sphæra præstantiores aliis, similiterque Iouij: quemadmodum inter homines solet accidere. Plotinum igitur atque Socratem præstantissimus inter aërios ducit dæmon, ductus videlicet à quodam inter æthereos præstantissimo ducto similiter ab aliquo inter cœlestes dæmones optimo. Socrates igitur atque Plotinus continuata serie mouentur à summo. Sed nunquid vnusquisque tantùm in eadem sphæra mouetur ab vnico? Forsitan non ab vno. Quamuis enim dæmon quilibet amplissimam impleat regionem: ideoque etiam si non mutet locum, tamen multis in locis possit oberrantem hominem obseruare. atque more stellæ vbique attingere radiis: tamen non est probabile, quando quispiam ab Oriente vsque ad Occidentalem plagam peregrinatur, dæmonem natura longè præstãtiorem, velut addictum alicui pedagogum peregrinãtis hominis vestigia sequi. Quid ergo? Aut si vnicuiuis dæmon sit, est vbique secundum Iamblichum: itaque non cogitur mutare locum: aut si non est simul vbique, non dæmon tantum vnus, id est, numero vnus, sed etiam vnus specie vnicuique præsidet. Sic solares dæmones solari præsunt homini: qui quocunque iuerit, in solarium dæmonum propriè venit imperium, ipse inquam, & vnusquisque solaris: similiterque venerei passim incidunt in venereos. Sunt tamen inter solares dæmones differentiæ quædam: nam dotes cunctæ solis, quas & Sol possidet vnus, in Solares dæmones multos seorsum distribuuntur. Similes quoque sunt & plures inter solares homines differentiæ: adeo vt aliquis plebeus homo quamuis quocunque pergit suos reperiat duces; id est, plebeos, alibi tamen reperit minus, alibi magis accommodatos: accommodatissimum verò penitus qui vnicus est in regione certa nanciscitur.

Hinc efficitur, vt alius sit fortunatior alibi, & in alio similiter opere: vbi videlicet suus dæmon potentior est, & in quo præcæteris efficacior. Sequitur insuper, vt qui ad certum opus singulariter nati sunt, plurima etiam super ætatem sine præceptoribus, sine ministris excogitent mirabiliter atque peragant suis videlicet instructi dæmonibus. Tum verò præter spem suam & aliorum opinionem opportunè incidant in tempora, in regiones, in personas, in materias, in instrumenta, in facultates: quibus rite suppeditantibus, opus ipsum expleant naturaliter destinatum. Quorum sanè inter se diuersorum confluxum non naturalis causa, sed dæmonica ad vnum connectit euentum, ad præcognitum sibi finem singula dirigens. Interea cælo ministrans pariter atque suppeditans: ministrans inquam media semper ad finem intelligentiæ cœlesti præcognitum: suppeditans insuper propriam efficaciam ad id peragendum, quod sæpe non facit cælestis motio, sed significat. Vnde nonnunquam Astrologus ex certa dispositione cælestium, velut ex signo prænuntiabit, quæ certus dæmon dispositioni accommodatus eiusmodi agit vtcunque potest in nobis, & vtcunque possumus nos efficimus. Postquam videlicet è multis annis ille cælestium aspectus euanuit, etiam si non reuertatur ad idem: ex quo apparet illum nostra potius significasse quam facere. Sed iam ad Plotini verba pergamus.

Quomodo intellectus producit animam, anima naturam, naturæ materiam.

CAPVT I.

CORpora omnia semper aliquid agunt, & agendo foras nonnihil emittunt, simplicia quidem absque intima mutatione sui. Cum enim vniformia sint, parsque teneat partem, nihilque intus habeant alienum, merito nihil effluit substantiæ foras. Sic ignis calorem præstat & lucem non diminutus, similiter aqua frigus qualitátemque præstando, generant subinde substantiam: composita vero contraria ratione vapores quodam detrimento sui foras emittũt. Multo magis intellectus & anima aliquid semper ex se ptopagant: intellectus animam, anima vitam sensualem atque vegetalem, quam possumus appellare naturam. Sed intellectus quidem simplicis more corporis procreat animam non mutatus: anima vero corporis instar compositi ptoducit mutata naturam. Omnino vero intellectus, & anima, & natura substantiam primo generant: deinde in substantia qualitatem. Hoc enim excellentioris agentis est proprium, primo generare substantiam, deinde illam conuersam ad genitorem, tanquam intuendo miris afficere modis. Sed quonam pacto anima naturam mota producit? non quidem mota discursu. Non enim accidentali suo suum gignit essentiale: sed ipsa intus alteritate regnante ex intellectuali potestate sui in sensualem

& naturalem definit facultatem longè ab intellectu diuersam. Quemadmodum in composito corpore vapor ipse suus ad eiusdem circumferentiam se diffundit alteratione quadam non lædente substantiam: vapor autem vlterius fotas euolans, quodam detrimento substantiæ repræsentare videtur eam animæ passionem, qua nonnunquam potentiam vegetalem vltra seipsam, vltra spiritale corpus naturaliter sibi familiarissimum ad corpora composita promouet. Tunc enim non quodammodo mota, sed verè mutata, id est, cum quadam dignitatis suæ iactura infimæ generationis opus aggreditur: & qualiter in se mutata est, tale corpus pro viribus sibi concreat ex materia. Memento inter hæc, ipsam mundi animam si conferatur cum mente diuina, generare quodammodo motam, quemadmodum exposuimus: si conferatur cum anima nostra, generationem explere non mutatam, id est, à principalibus actionibus suis nullo modo distractam. Vbi vero dicitur à natura materiam procreari, intellige ab vniuersali natura quæ mundanam animam comitatur: tametsi quælibet intellectualis anima (vt vult Plotinus) nisi materiam repererit procreatam, procreatura videtur. Materiam hic appellat vltimum vniuersi, subiectam ipsi naturæ, quæ est vltimum diuinorum, quæ ex materia prorsus indefinita fingit corpora, formas desuper adhibens. Sicut & ipsa, & anima atque mens prius tanquam quodammodo indefinitæ fuerunt, quàm in formam propriam prouenirent, sed nunquam prorsus indefinitæ: quamuis tales excogitentur, quatenus ad actum absolutissimum referuntur.

De transmigratione animæ: & quod non transit in bestias.

CAPVT II.

Quid ipse Plotinus quōdam de transmigratione animæ senserit, nisi fortè Poëticus sit vt Plato, legentibus eius scripta declarant. Nos autem optamus eum, quod & plerumque philosophi solent diligentius meditatum, si modo id senserit in hunc saltem modum mutanisse sententiam quam non tam rationis necessitate, quàm consuetudine gentis & sæculi subiisse videtur. Quanquam hominis anima quodammodo in seipsa mutetur, nunquam tamen vltra certos humanæ speciei terminos transmutatur, quod & Iamblicho placuisse videtur dicenti, animam in qualibet transmutatione suam speciē conseruare: quandoquidem eius motus exordium habet ab ipsa, & agitur intra se ipsam. Quæ quidem vbi dicitur esse omnia, intelligenda est esse omnia non quolibet modo, sed suo, id est, speciei propriæ proprio. Noli itaque dicere: anima si est omnia per potentiam naturalem, ergo quandoque fit omnia: Nunquam enim anima ipsa fit forma corporea, siue corpus, quia videlicet anima non est quomodolibet eiusmodi forma vel corpus, sed propriè secundum ipsum vitæ modum. Ita neque fit bestia, quoniam anima non est simpliciter animal, sed modo duntaxat humano. Præterea cum videamus certos effectus non ex quibuslibet causis, sed certis oriri: calida ex calentibus, vuas ex vite, ex leone leonem: ideoque vicissim certas rerum species non quibuslibet effectus procreare, sed proprios: nimirum neque ex natura hominis genitali, quæ certa quædam est ab initio species & humana, bouem aliquando fieri sperare debemus, nisi forsan ipsa natura speciem per se aliquando mutet, atque ex humana fiat quandoque bouina, quod quidem effici nequit. Cum enim per se mobilis & sempiterna dicatur, nunquam transmutatur ab alio, sed neque etiam sponte speciem deseret propriam: quandoquidem hanc sibi singula semper conseruare nituntur. Iam vero ob hoc ipsum quod genitalis ipsa humana natura non potest esse bouina, contingit vt nec homo bouem, nec bos procreet hominem. Longius enim distat à natura, quàm effectus naturæ huius ab illa. Omnino vero aliæ rerum species in alias degenerare non solent, nisi & amittant interna, & admittant rursus externa, & in commixtionem veniant: itaque paulatim desinant esse quod erant, quod animæ nostræ contingere Platonicus non concedet: concedet autem proprietatem hominis genitalem à proprietate genitali brutorum non aliter specie discrepare, quàm humana species à ferina. Accedit ad hæc quod cum anima dicatur talis fieri siue talis apud Plotinum per electiones actionesque suas, si suæ sunt, humanæ sunt: non igitur per eas speciem transibit hunanam. Deinde vanum est dicere animam prauis actionibus mancipatam euadere bestiam ratione captam: quoniam ipsa ratione nulla prorsus vtatur. Non enim rationis acumen ocium penitus agit in prauis, imo negociatur assiduè quamuis circa spectacula sensus, & imaginationis obiecta, vel comparanda, vel deuitanda plurimum diuersetur. Quid vero in causa est, vt praui acutiores plerumque efficacioresque, quàm boni in suis operibus videantur, nisi potentiæ rationalis acumen pariter & effectus? Quamobrem si iniquus animus post hanc vitam in terrenum corpus est iterum transferendus, non in brutum, sed in hominem reuertetur rationis solertia similiter abutentem. Huc enim similitudinis necessitas ipsa videtur adducere: Nam & Plotinus ipse manifestè fatetur hominem non secundum vnam tantum, sed secundum omnes animæ vires agere. Purgabitur vero quandoque: nam ita prouidentia dispensante in tales aliquando propter scelera calamitates incidet, vt vitæ turpiter actæ pœniteat, communi interim disciplina & dæmone cohortante. Denique neque voluptuosus vllus fiet aliquando planta sensibus destituta. Quasi vero voluptuosus homo sensuum negligat actiones, atque hunc in modum orbata sensibus arbor euadat: imo nullus sensibus magis vtitur, quàm intemperans. Si ergo sit iterum ad terrena corpora retorquendus, non in plantam, sed in hominem reuertetur, quem violentum sensuum suorum imperium adeo sollicitet, vexet, excruciet, perdat, vt tandem vitæ voluptuosæ pertædeat, legibus interim & numinibus ad vitam reuocantibus meliorem. Mitto quod iniquorum malitiosæque animæ hinc illinc transmittuntur à Deo, vt quæ voluptate peruersa perpetrauerunt, aliquando curis & doloribus puniantur. Qui vero puniendis omnem adimit rationis actum, curas immensas & innumerabiles admit: qui tollit sensum aufert cum sensu dolorem. Animas vero purgari memento non solum

in terrenis corporibus, sed aëriis: quam punitionem in Theologia planius aperuimus. Proinde neque moueat quod inquit Plato: animam omnem totius inanimati curam habere: non enim inde sequitur, quamlibet animam quibuslibet insinuari corporibus, quod & Plato fieri posse negabit. Profecto si rationalis anima non solum terrenũ corpus regit & mouet, sed aërium etiam & cœleste: si in superioribus quandoque viuit sedibus: si varia gerit munera, similia quoque cœlestium prouidentiæ: ita satis inanimati totius curam habere videtur, variasque intra se inducere species, propriam non mutando naturam, sed aliorum sibi similitudines vendicando, si modo essentia fuerit sempiterna. Merito igitur Timæus Locrus negat animas humanas in bestias pertransire: negat etiam ex homine mox in hominem transmigrare: vt pote qui in corporibus aëriis putat eas interea viuere, atque ita animi vexatione purgari. Cruciatus vero sensibiles siue in corpore viuente fiant, siue in aqua, vel igne dicit esse confixos, vt terreantur illi qui ad virtutem persuasionibus non ducuntur. Nempe sic affecti homines spiritalia etiam supplicia non intelligunt, scilicet mœrorem animæ agnoscentis se summo bono priuatam, angustiamque imaginationis comitantis tunc ipsam animi pœnitentiam, quando in aërio corpore vitæ buis peccata luuntur. Has vtique pœnas Timæus ipse reseruari peccantibus non negabit. Putat enim animas nostras esse inter se differentes & immortales. Pythagoricus enim est, & à Platone summopere cultus. Ait in qui etiam Deum nostras animas ex eisdem viribus rationibusque, atque mundi animam absoluisse, atque alias ab aliis stellis demisisse sub lunam, rursum naturam animæ supremam ex identitate constare. Oportet igitur ex Timæi sententia dicere, hominis animam quæ peccando in rationem petuersam imaginationemque vehementiorem prolapsa est, post obitum mox in aërio corpore, quod nunc etiam possidet, eadem ipsa cogitationis peruersitate vehementiaque torqueri inter infimos dæmones, similibus animam stimulis subpungentes, quousque tantæ angustiæ causam recognoscens fuisse auersionem ipsam ab intellectu, paulatim reuertatur ad ipsum: quod tunc per pauciora distracta planius quàm nunc animaduertere potest, atque ita gradatim in sublimiorum dæmonum ordinem eleuetur, & ad ipsas denique stellas vna cum cælesti corpore quod possidet ab initio vnaquæque ad illam, vel cuius ordinem à principio sortita est, vel cui reddit viuendo se similem, vbique vero proprietatem conseruat humanam. Est enim homo terrenus, est aërius, est & cælestis, est insuper solaris & Martius: vbique autem homo est ipsa rationalis anima, corpus certo modo viuificans: in cœlo quidem cœleste tantum, in aëre aërium per cœleste, in terra per vtrumque terrenum. Tandem vero certa post secula per quandam tum contemplationis remissionem, tum generationis intentionem animam deinceps per eosdem gradus dæmonum aëriorumque hominum relabi, postremo ad terrenum hominem descendere fortè Timæus existimabit, ac post hominis obitum non in bestias animam hanc præcipitari animæ mundanæ germanam, compotemque cælestium: neque mox rursus in hominem æquè terrenum. Oportunius enim in aërio corpore purgari, aptiusque ad supera reuocari: semper ad corpus habitumque vitæ redire simillimum, siue apud nos, siue supra nos reuoluatur, donec redeat prorsus ad idem, non enim quodlibet ad quodlibet proficiscitur. Interea vero in terris quidem dormitare, nec facilè superiora recolere, sed supra terram euigilare, pristinumque sui statum animaduertere: vt per omnia secula quasi vitæ vnius ætates rationalis animi persona sit eadem. Hæc equidem coniecto forsan sensisse Timęum, quæ mihi inter Platonicorum opiniones probabiliora videntur. Secundo vero loco probarem inter Platonica, quæ in superioribus adducebam, animam scilicet humanam de homine terreno in terrenum transmitti rectius quàm in bestiam: quod nonnulli tradunt tandem Porphyrio placuisse: tamersi ex hac opinione verisimile est in aërio etiam corpore inter terrenas vitas degere vitam. Proculus præterea vna cum communi Platonicorum schola negat intellectualem animam ferino corpori admodum alieno sic accommodari posse, vt ei quandoque in vita communicet. Communicare vero cum brutis aliquando putant in quadam similitudine vitæ, idque sensisse Platonem. Mitto nunc vtrum ex hac ipsa sententia dicendum sit necne, animam similem brutis effectam, ad tempus gratia pœnæ inter illa versari: atque etiam per talem imaginationem suam imaginationibus talium bestiarum ita forsan insinuari, sicut plerique tradunt inferiores dæmones corpora ingredientes humana imaginationibus se nostris inserere, easque mouere. Ferme sicut Auerrois intellectum tradidit animabus insutum, siue aliter se res habeat. Nam vbi Daniel propheta tradit Babyloniæ Regem ob grauissima scelera inter boues diuinitus fuisse translatum, donec purgatus resipisceret: interpretantur Hebræi imaginationem Regis illius diuinitus fuisse petuersam, vsque adeo, vt bouem se factum opinaretur, grauiterque doleret: quemadmodum solet Magus, vel atra bilis efficere. Quid? si talis quoque apud Platonem est transitus animarum? Talis & apud Timæum? cuius sententiam cum modo exponerem, ambiguus exponebam. Nam videtur etiam omnem in terrenum corpus animarum reditum negauisse, nisi fortè sit reditus vltimus: posuisse vero peccata varia purgari per afflictionem spiritus stimulatam à dæmonibus exploratoribus sub iudicio Nemesis. Denique ipse nos Plato monuit ne temere quamlibet animam cuilibet corpori iungeremus: cum inquit in Phedro: non posse in hominem venire animam, quæ sit propria bruti forma, quæ nunquam diuina perspexerit. Quasi significet, nec ipsam hominis animam in ipsam bruti formam posse descendere, quamuis in similitudinem quandam commerciumque fortè descendat. Quoniam vero de brutorum animabus sæpius hic fecimus mentionem, oportunè quæritur: Si omnis vita sit immortalis, contrariamque non accipiat, sed effugiat mortem, vt Numenio placet atque Plotino: Si rursum progredientium animalium animæ & immortales sunt & quodammodo rationales, vt vult Porphyrius, ac fermè similiter Iamblichus, quidnam de his dicendum? Dicimus forsitan ex eorum sententia vel fingemus: animas bestiarũ imaginationem habentium, ideoque motũ

proprium possidentium, in seipsis subsistere separatas à corpore, numerumque habere ab initio certum? & vnamquamque in sua specie de corpore in corpus insinuari, species vero confundere nunquam? atque interea donec solidum in sua specie corpus oportunius nanciscantur in aërio suo corpore viuere? Habent enim suum ipsæ quoque spiritum, in quo nonnihil artis & vaticinij munere dæmonum, quibus & dedicantur sortiri Porphyrius arbitratur. Animas autem proprio carentes motu, & imaginationis expertes, concharum scilicet marinarum, atque plantarum viuificationes quasdam ex anima mundi potius esse quàm animas: sicut in pilis animalium ex anima rotius solet accidere, easque in mundi vitam postremo resolui. Vbi vero Plato animas infra nostram mortales appellat, exponent illi quos modo dicebam, non ita mortales, vt pereant, sed quia prorsus aliunde dependent, & ad immortalia tantum affectum & actum habere videntur. Post hæc vbi ait: animam esse vniuersum tum intelligibile, tum sensibile, semperque per intellectum agere in mundo intelligibili æterno quodam idearum intuitu, dissonare videtur tanta diuinitas animæ ab eo quod in brutum cohibeatur & plantam. Tametsi dictum hoc quodammodo temperat, vbi non vult ex hac ipsa substantia, sed ex quodam eius influxu & corpore certo animal & arborem coalescere: intellectu interim ab opere proprio non cessante: cessante tamen rationali tum actu, tum habitu, atque facultate, quod non facilè nos admittimus. Maximè enim est animæ nostræ propria rationalis ipsa facultas: igitur tanquam maximè naturalis summopere permanet. Denique naturam genitalem animaduertes esse quendam intelligentiæ terminum: vt quod in ipso sui summo est intellectuale, fit in eiusdem infimo genitale: quemadmodum quod est in summo lux, fit calor in infimo, atque radius visualis ex aue quadam emicans, fit genitalis in ouo. Et quemadmodũ radius eiusmodi visualis non ab externo prorsus vllo, sed solum dependet ab oculo, ideoque nec extinguitur quando non effulget extra, sed definit extrinsecus agere: ita genitalis quoque natura se habet, ex intellectuali substantia & intus micans, & foras emicans? quæ & restat in ipsa intellectuali substantia extra non emicans, quando totus animus vertitur ad oppositum, sicut radius visualis quando auertitur oculus retracto radio potius quàm extincto.

Anima nostra attentione regit corpus & sentit: anima mundi sine attentione.

CAPVT III.

PRoculus quidem animam per esse suum quod est viuere, atque est sempiternum, semper viuificare corpus ait cæleste saltem animæ cognatissimum: Plotinus autem putat animam ab hoc etiam actu aliquando cessaturam: quod & hic, & alibi sæpe declarat. Idque tum denique fieri, quando rationalis ipsa potentia vna cum imaginatione ad intelligentiam tota conuertitur: Nam & sæpe nimia speculationis intentio remittit in nobis naturæ genitalis affectum, atque vicissim: quod mundi animæ non contingit: siquidem potestas est naturaliter amplior, & admodum efficacior, corpusque nacta est obediens penitus, & in tuto locatum. Quod tam facilè fit ex animæ vita viuens, quàm facilè præsentia ignis aër ignitur. Pertinere vero forsan videtur ad prouidentiam compensare quandoque animam summa quadam quiete tamdiu apud nos fatigatam. Concedatur hoc Plotino, dummodo & illud ipse concedat, animam quæ tantum eleuari possit super materiam, totumque supergredi cælum, & animæ cælestis officium, nunquam ad brutum coerceri vel arborem: sed cum in anima mundi nulla sit intentio circa corpus, nunquid ibi vllus est sensus? Est certè, sed nihil sentit externum. Sunt enim in ipsa quæ sẽtit, neque sentiendo distrahitur. Sensus enim illic vnicus est & intimus, neque sentire se sentit. Nihil enim alieni accidit, nihil noui. Omnino vero sentiri ab anima necesse est corpus coniũctissimum animæ prorsusque cognatum. Sed sicut alere, ita sentire corpus suum, non habet animaduersionem huius actioni adiunctam.

Quomodo animæ variæ varios dæmones sortiantur, quomodo eos mutent, quomodo cum eis in generationem veniant.

CAPVT IIII.

IN sequenti capite memento animam sortiri dæmonem talem aut talem propter talem quandam electionem eius atque motionem: non dico propter electiones singulas, sed speciem electionis ad quandam vitæ speciem dirigentis: neque mutare dæmonem quamdiu vitæ speciem omnino non mutat. Quatenus igitur vitam agit veneream, dæmonem tenere venereum, ac si abstineat quandoque lasciuis amoribus, tamen quamdiu facilè pergit amare, quamuis honestè speciem dæmonis non permutat, adhuc enim venereum habet, sed præstantioris inter venereos ordinis: Similiter si à mercatura conferat se ad literas, dæmonem seruat mercurialem quamuis superiorem: si à religione ad militiam, genus dæmonicum mutat & ordinem. Nam à Iouiali transit in Martium, ex quo animus tunc primum infortunatus euadit. Contra vero si à militia ad religionem veniat, subit ex Martio Iouium, nisi pergat ibi quoque contentiosus esse: vnde neque est admodum fortunatus. Plurimi vero quantumcunque in hoc corpore vitæ modum mutare aliquando videantur, nonnihil tamen conditionis antiquæ conseruant: ideoque nondum antiquum dęmonem penitus exuerunt. Proinde per ea quæ sequuntur, apparet affectionem animæ primam siue naturalem siue electoriam multum corpus afficere, vt malus animus mala, bonus bona, ex quolibet sibi dato corpore postremo reportet, similiterque referat ex fortunis. Quamobrem non mutatur dæmon, neque differt propter corporum fortunarumque differentias: quatenus ipse mos animæ speciem seruat antiquam. Quo prorsus in oppositum permutato, mutatur & dæmon, & cum dæmone reuera fortuna, fortuita enim nobis ipse disponit. Denique summa penes animæ qualitatem est autoritas: quandoquidem pro differentia qualitatis animæ talem quendam induimus dæmonem & exuimus: ac per dæmones plurimum fortuita dispensantur.

Quod si vel Porphyrius dicat secundum stellatum in figura genesis dominantem: vel Iamblichus secundum totam tunc generantem harmoniam mundi differentes animabus distribui dæmones, intellige cælestem morum atque conspectum distributionis eiusmodi non tam causam esse quàm signum. Nam animæ hominum atque dæmonum sicut natura sunt ante cœlestium motiones, sic ante motiones tales in se iam ipsæ sunt tales. Ideo Timæus ait, animas per affectiones suas prius elegisse sortes formasque vitatum palam obiectas: deinde dæmones accepisse, tertio motiones attigisse fatales: atq; attigisse per vehicula sua scilicet, cælestia earum corpora cælestibus influxibus motionibusque contigua. Cœlestem itaque lyram cogita pulsante Phœbo varios in horas concentus efficere: animas autem omnes cum anima Phœbea sic esse concordes, vt quales ipsæ in se iam sũt, talibus potius quam talibus concentibus moueantur, veniantque aliæ alias in choream saltaturæ. Ex tali itaque cœlestium harmonia, qua rangitur anima, præcipuéque mulcetur, cognoscimus qualis ipsa sit, qualemque per se sortita sit dæmonem, quidue actura sit in chorea potissimum & quomodo saltatura: vbi plurimum procedit ex anima, non parum quoque ex harmonicæ cœlestis conditione contingit. In tota vero hac disputatione memento non posse vel rerum nostrarum conditionem, vel Platonicorum verborum ordinem rite teneri, nisi præter externos dæmones, interni quidam sint, atque vicissim, aliique aliis propriè coaptentur: Item potentiam affectionemque animæ, quæ proximè est sub intimo dæmone, versari inter viræ præsentis opera, propriumque esse operum effectorem: dæmonem vero velut aurigam effectoris huius atque rectorem, atque hanc ipsam effectricem negociosamque potentiam, neque supra dæmonis vires agere quicquam, neque rursus æqualia dæmonis dignitati.

De viro & dæmone optimo, quomodo dæmon ducat animam ad iudicium: & quod animæ possunt ad sidera peruenire.

CAPVT V.

POst hæc ait, illum esse præcipuè probum, in quo vires imaginationis rationisque prorsus intellectu formatæ sunt: adeo vt tota vita secundum intelligentiam peragatur: vbi non præest vitæ dæmon aliquis, sed ipse Deus, scilicet, tum diuinus intellectus, tum intellectualis vnitas, quæ est intelligentiæ quasi autæ caput, tum ipsa simpliciter vnitas Deus ipse deorum. Tum vero ait, animam nostram non formari semper intelligentia: quoniam statim ab initio ob operosam generationis fabricam actus potentiæ vegetalis supra modum intenditur, ad quem & similia præcipitatur imaginatio, circa quam & similia negociatur & ratio. Hæc vero intelligẽtiæ sunt opposita: verumtamen etiam antequam discursibus rationis vtamur, appetimus ipsum verum naturaliter atque bonum, per ipsam scilicet cognoscendi potentiam. Cum vero hæc non appetat aliquid prorsus incognitum, inest saltem menti veri bonique forma naturaliter insita. Regit autem animam dæmon, non quidem simpliciter optimè, sed optimè pro præsenti ipsius animæ qualitate. Post hanc in terreno corpore vitam dæmon tam intimus quàm externus animam ad iudicium ducit, scilicet in suo quodam aërio corpore constitutam, antequam ad corpus terrenum redeat. Dæmon dico alius, quatenus alia tunc in anima species sit viuendi, alioquin dæmon est idem. Est autem accommodatissimus purgatorio iudicio status in aërio corpore: Ibi enim est afflictio spiritus in peccãtibus, ac propter minorem distractionem facilior occasio pœnitentiæ, expectaturque profectus quidam in anima, & futuri status electio. Quãobrem animam in bruta transmittere vbi sit imaginatio stupida, nihil aliud est, vt diximus, quàm claudere potentiæ locum. Inter hæc iterum te admoneo, ridiculum esse animam, siquidem possit à toto se eximere mundo, in bruti vel plantæ angustias coerceri. Probabilius dixisset vna cũ Proculo, nec infra hominis formam descendere, nec extra corpus ire cæleste, sed hoc assiduè retinere Cæleste dico non quodlibet vendicare sibi, sed habere ab initio proprium: saltem vero si liberati animam ab vniuerso quandoque posse Plotinus existimat, suspicatus quoque fuisset, posse illic perpetuo viuere: quod Porphyrium opinatum aliquando tradunt, quod & in Phedone poteris suspicari, cum audis, sine corporibus in æternum viuunt. Nam si quando vltra conditionem peruenerit huius mundi mutabilẽ, non videtur vitam vlterius muratura: ar si mutaturam dicas, ne dicas simul extra cæleste corpus existere. Nam & mirum est animam in cælo sidera, imo omnia contemplantem appetere nostra, nisi fortè tunc ira contingat, sicut libido sæpe clam stimular hominem speculantem. Id vero contingere duntaxat animæ potest, quatenus est mundo connexa, cuius gratia fit generatio. Est autem annexa, saltem per cæleste corpus ab ea semper vita donatum: alioquin nõ appeteret generationem quandoque mundanam infra lunam anima iam posita super lunam. Peruenire vero animam ad cælestia posse probatur ex eo, quod si omnes intellectuales animæ sine medio exprimuntur ex intellectu diuino exemplaris mundi, atque exprimuntur ex toto, non enim ille diuiditur, nimirum exemplari toto impressæ procedunt. Sunt igitur rotus ille mũdus & istæ, non quomodolibet inquam, sed modo potius animali. In nostra igitur anima vires quædam sunt animæ mundanæ conformes, itaq; stellis quæ sunt circa illam quodammodo cõgruẽtes: vt non mirum sit qui contemplatione præcipua viuunt, ad Saturnum denique proficisci: qui ciuilitate ad Iouem, qui magnanimitate ad Martẽ, reliquiue similiter, potissimum si tales fuerint ab initio: Notabis genitalem naturam esse simul cum animæ essentia sempiternam, etiam si eius intermittatur affectus: esse & in se indiuiduam, quamuis per corpus videatur esse diffusa, sicut per aërem indiuisibile lumen. Quod enim indiuidua sit apparet, quia tota seminaria virtus in qualibet viget guttula seminis, vbi ex vno seminis iactu plurima generantur. Et tota prorsus vita est in qualibet plantę parte, vbi pars amputata vitam seruans iterum coalescit vniuersali interim conferente natura. Meméto rursum qualitatem animæ propriam, dęmonemque ipsi domesticum ingredi fatum, quádo mutabile corpus ingreditur: ac præter cõmunem patiendi conditionẽ propriã quoq;

efficaciam possidere, vt non tantum patiatur in fato, sed agat: siquidem sors externa plerumque similis euadit dissimilis, dum moribus dissimilibus accidit: atque contra animis inter se similibus similes euadunt sortes inter se valde dissimiles. Est autem anima in fato ratione corporis, cælestis quidem vt agens, reliquorum vero magis vt patiens. Collocatur vero à fatali reuolutione cæli iam mobile corpus ingressa, in quadam conditione fortunæ secundum certum ordinem electionis, scilicet conceptionisq;, & infusionis, & ortus.

IN LIBRVM DE AMORE, COMMENTARIVS.

Omnis potentia tum cognoscendi, tum generandi respuit turpe, nititur ad pulchrum: quoniam omnis ex prima pulchritudine proficiscitur atque mouetur.

CAPVT I.



ARbitror equidem, Magnanime Laurenti, te non longam de amore disputationē à Marsilio tuo nunc exacturum: tum quia multa de hoc in Symposio disputauimus, tum maximè quoniam vt plurima de amore diuinitus inuenisti, elegantibusque carminibus cecinisti. Ergo summa sequar fastigia rerum. Omnis potestas animæ siue rationalis ideo amore perpetuo nititur ad pulchrum attingendum atque generandum, quoniam potestas eiusmodi ab ipsa pulchritudine proficiscitur: ideoque in seipsa retinet formam pulchritudinis insitam, perpetuumque ad ipsam velut ad finem amoris instinctum. Hanc vtique causam quisquis ignorat, non potest amorum naturas & amantium passiones exprimere. Profecto diuinus intellectus est forma prima, puraque rursus & omniformis. Intellectus animalis est forma quidem secunda, sed similiter omniformis. Natura est forma tertia pariter omniformis, suisque ducta principiis, eo spectat assiduè, vt informitatem materiæ formis operiat mirabiliter & exornet. Siquid ergo deforme sub natura contingit, sic accidit præter intentionem ipsam Dei primam, atque naturæ: sicut quod deforme contingit in artificio, accidit præter omnem artis intentionem. Sicut ergo naturalis, sic & rationalis vbique potestas à prima pulchritudine ducens originem, turpe quidem respuit velut dissonum, pulchrum vero pro viribus adsciscit velut consonum, pulchram formam generare conatur, suamque in ipsa naturam perpetuo conseruare. Sed potentia rationalis parturit in animo pulchritudinem: naturalis autem pulchritudinem in materia parit, & vtraque pulchrum pro viribus in quo generet subiectum naturaliter optat, ita demum aptius pulchritudinem creatura.

Duplex mundi anima. Duæ Veneres. Amores duo: qui non passiones, sed existentiæ quædam sunt.

CAPVT II.

CVm videamus eatenus in nobis intelligentiam perfici, quatenus & actus intelligendi & intelligenda res à materia conditionibusque materiæ segregatur, coniectare licet primum ipsum simpliciter intellectum esse alienissimum à materia. Præterea & intellectualem animam inde proxime genitam, ideoque summopere intellectualem, non posse coire cum materia in communem vnius compositi formam. Est enim hæc & intellectus quidam, & simpliciter anima, vita vero ex hac subinde nata velut anima quædam & natura simpliciter, potest iam in vnum cum materia congredi. Intellectualem itaque animā illam in mundo primam Venerem appellamus: vitam vero mundo illinc prorsus infusam Venerem appellato secundam: in vtraque perpetuus viget amor circa diuinæ mentis pulchritudinem incitatus, tum in prima ad pulcbritudinem similem in se generandam, tum in secunda ad pulchritudinem in materia pro viribus exprimendam. Putat vero Plotinus ex mente Platonis intellectualem mundi animam dum intrinsecus agit circa Deum: intelligendo illum atque volendo concipere in seipsa non imaginarium quiddam, sed naturale aliquid & subsistens (vt arbitror) Christianæ Trinitatis in hoc mysterium imitatus. Existimat autem sicut lucere atque calere duo quædam sunt in igne, sed vnum denique sunt in sole: sic cognoscere atque amare in potentia rationali quidem esse diuersa, sed in substantia intellectuali actum vnum existere: Cum vero actus eiusmodi in anima mundi sit intimus & circa intimum, efficacissimusque, hinc efficipenes seipsam prolem huic actui congruā: quæ quoniam ex intelligentia nascitur, sit intelligibile quiddam, quoniam ex amore procedit, sit aliquid amatorium, imo sit amor ipse subsistens ex actu quodam amandi productus. Nam cum illic idem sit existere prorsus & agere: nimirum sic intus agendo existentia quædam producitur intus: in qua quidem producta sit eadem quæ est, & producentis essentia, hoc ipso differens, quod in illo quidem propagans est, in hoc autem inde est propagata. Differt insuper relatione quadam: siquidem existentia hæc amatoria hoc ipsum quod est & amantis est & amati. Differt præterea quod in existentia propagante ponitur

potius ipsa visio pulchri, in existentia propagata voluptas ipsa potius circa pulchrum.

Confirmatio superiorum.

CAPVT III.

SI grauida mulier sæpe ob miram imaginationis affectusque vehementiam naturali quadam fœtum afficit qualitate, ob hoc ipsum quia sit matri connexus: si rursum motio similis animi in proprio corpore subitas exprimit qualitates: quid mirum ex vehementia simili substantiale aliquid in ipsamet anima nasci? præsertim in ipsa intellectuali anima, vbi actio vehementiaque & affectio non aduentitia est, non mobilis, sed naturalis penitus atque firma. Et ipse qui videt gaudetque & appetit, efficacissimus est, & obiectum eius est potentissimum, influitque potenter. Confirmantur hæc ex eo quod si vbique accidentalia rediguntur ad quædam substantialia proportione quadam congruentia sibi, necesse est & amores, qui passiones quædam aduentitiæ sunt, ad substantiales amores rite inferri. Post hæc notabis iterum duas mundum habere animas oportere, alteram quodammodo separatam, quæ corpori præsit velut artifex, alteram verò coniunctam, quæ illinc insit corpori, velut forma. Separatam quidem oportet adesse, tum quia talis quædam ex intellectu puro proximè micat, tum quia mixtus artifex non absolutè imperat artificio. Oportet insuper animam mundo inesse coniunctam, tum quoniam anima prima fœcunda est ad hanc ex se generandam, tum quoniam oportet mundum esse compositum perfectissimum. Itaque necesse est habere formam suæ materiæ perfectissimam, id est, viuentem atque sensualem. Non fit autem vnum in mundo ex intellectuali anima propriè atque materia (vt vult Plotinus, quoniam intelligentia per actionem affectumque in oppositum materiæ tendit, sicut neque fieri vnum putat in nobis: siquidem nec in nobis intellectualis anima communicat cum corpore in passionibus corpori propriis, neque corpus cum anima tali in actionibus ad eiusmodi animam propriè pertinentibus. Licet tamen dicere intellectualem animam tum in mundo esse mundanam, tum in nobis humanam: atque ex ea simul & animali vnum ideo confici, quoniam ex illius influxu simul atque materia fit vnum animal sensuale, cui & illa semper inspirat vitam absque continuo illius spiritu perituram. Has vtique geminas in mundo animas, iterum geminas. Veneres esse memento, quas gemini similes comitentur amore. Memento quinetiam amorem in secunda hac mundi anima non tantum per vim genitalem generare totam in mundi materia pulchritudinem, sed etiam per efficacem imaginandi potentiam, tum diuinam suspicere formam, tum ad eandem & mundum & quæ sunt in mundo pro viribus prouocare.

Duo amores cuilibet animæ naturaliter insiti quasi duo sunt dæmones.

CAPVT IV.

AMores qui tanquam noui quidam animorum motus à rebus quæ extrinsecus offeruntur quotidie incitantur in nobis tanquam nostos leuiter attigit: diligentius verò prosequitur substantiales amores, id est, essentiales perpetuosque instinctus ad pulchrum animæ naturaliter insitos & assiduè, quamuis nec eligas nec aduertas trahentes ad ipsum, quorum alter in ipsa cognoscendi, alter in generandi potentia naturaliter est insertus. Et quoniam velut præfectus ducit animam, & more prouidentiæ regit, appellatus est dæmon: quamuis præstantior amor appelletur & Deus. Dicitur autem hos anima generare, non quidem quotidie, sed ab initio, quando pro natura sua partim ab æuo sibi tradita, partim pro electione vitæ quandoque contracta instinctus eiusmodi concipit ad seculum regnaturos: quorum occulto quodam nutu quotidie plures in nobis suscitantur affectus atque conceptus: quos sanè nec externa duntaxat spectacula, nec præsens affectio corporis, nec noua consultatio corrigit. Et profectò perpetuus quidam vitæ tenor plurimum directus ad vnum, præsertim quantum spectat ad vitæ speciem scientiaque, & artes, naturalesque facultates vnicuique proprias ab eiusmodi dæmone regitur, tecto interim ab externo quodam sibi congrue dæmone. Congruunt & rationales animæ omnes per eiusmodi suos amores cum mundanæ amoribus animæ, quatenus & ipsæ sunt animæ mundanæ sorores: quæ simul amoresque sui ita dependent ab anima mundi & illius amores, non quia inde sortiantur essentiam, sed quoniam ad motionis illius exordia quasi concinendo motiones proprias ordiuntur, perque proprios fines ad finem denique mouentur illius.

De Dæmonibus.

CAPVT V.

OPortere verò dæmones esse medios inter stellas & homines, in Theologia satis ostendimus, vt sphæra quælibet supra nos hac nostra præstantior longeque amplior rationales habitatores habebat suæ sphere conformes, sicut haber & nostra. Nam & ignea quædam animalia esse comprobat Apuleius hoc Aristotelis testimonio: in fornacibus ardentibus quædam animalia propria visa sunt volitare pennulis apta, quæ totum æuum suum diuersantur in igne: cum eo exoriuntur, cum eo pariter extinguntur. Profectò quod primum ab ipsa viuifica substantia, id est, animæ vitam accipit, solus est ignis. Est enim ignis inter corpora proximus animæ, quoniam excellentissimus, efficacissimus, mobilissimus. Hinc efficitur vt fouente calore singula viuant, non fouente non viuant: secundo per ignem aër igni proximus vitam sortiri videtur, & pabulum esse caloris: per hæc duo subinde subtilis aqua viciniot aëri: per hanc similiter terra subtilis: per hæc quatuor inuicem congregata, corpus ex quatuor non iam vaporibus sed materiis crassioribus compositum atque solidum. Licet autem vbique quod prius est atque simplicius à sequente compositoque resoluere. Sunt igitur animalium rationalium quinque genera: Prima sunt, quorum corpora solus est ignis: ac si visibilis ignis stellæ sunt, quos antiqui deos nominant: si inuisibilis, dæmones Orpheus igneos vel cælestes appellat, qui in planetarum circulis stellarum vicem teneant sub planeta duce. Non enim decet ab innumeris animalibus quę sunt in firmamento, mox ad vnicum infra descendere. Secunda quorum corpora sunt

ignis & aër optimè mixtus: hos dæmones idem æthereos vel aëreos nominat. Sunt & animalia tertia in quibus ignis & aër cum subtili quadam aqua componuntur, quos dæmones iam nominat aqueos, qui quandoque paulò densiores facti, aspici possint. Neque desunt quarta, quæ tribus iam dictis subtilem adhibeant terram, quasi quendam terræ vaporem. Hi ab Orpheo terreni dæmones appellantur: qui & aliquando paulò vlterius condensati etiam valeant attrectari. Hos etiam nuncupat subterraneos, quotiens videlicet subeunt terræ cauernas. Quinta sunt hominum quasi infimorum dæmonum corpora, in quibus præter dæmonicam illam ex quatuor subtilibus mixturam qua dæmones sumus, quæ in nobis spiritus est, primoque viuit & sentit, mixtura solidiorum est adiuncta. Spiritum verò primò viuere atque sentire patet ex eo, quod retracto à membris spiritu, mox sensus & motus membra deserit, ideoque & vita. Cum verò quod prius cognatiusque accipitur, firmius teneatur, probabile videtur, animas eiusmodi posteriora gradatim dimittere corpora, prioribus interim diutius reseruatis: vt quæ fuerunt in corpore solido, diutius postea sint in tenui, in quo pariter erant, & in quo potissimum sentiebant, quod & propter cognationem facile cedit animæ connectenti. Quò verò sublimius sit pleruſque corpus est, eo tardius videtur ab anima deserendum, cæleste verò nunquam. In omni siquidem genere quod primò fit particeps, semper est particeps. Et meritò vita sempiterna vbi semel sempiternum corpus ipso suo esse naturaliter animauit, nunquam desinit animare. Solis igitur hominum animabus inferiorumque dæmonum datum est corpora caduca mutare, quia composita sunt ex dissonis, & ideo solubilia, tum quoniam propter corpus eiusmodi & locum & ministerium à beatitudine distrahuntur. Nefas autem est animas rationales ad contemplationem absolutam naturaliter institutas, diutius illa carere. Quando igitur ad finem peruenitunt, in æthereo & cælesti corpore multa secula viuunt. Quod enim est ex intentione specierum, earumque principij potissimum, id quam plurimum est, & maximè diuturnum. Cælestes quidem dæmones & æthereos verisimile est & sempiternos esse, & perturbationis expertes, propter naturæ simplicitatem puritatemque loci: aqueos autem terrenosque esse quidem longæuos, non autem indissolubiles, habere & perturbationes animi fermè tales, quales & nos habemus. Vicinitas enim regionis atque naturæ morum affert similitudinem. E duobus primis nihil effluit vnquam: quare nec opus est nutrimento, sed duntaxat cantibus & figuris luminibusque delectantur, coluntur que, & ita nobis conciliantur, illis præcipuè temporibus, quibus ea sidera regnant, quæ & illis sequuntur. E duobus sequentibus cum effluat aliquid, instaurare necessarium est: sed in quibus nihil est terrenum, satis odor facit conciliatque aromatum atque florum exhalatioque liquorum. Postremi dæmones odoribus & vaporibus indigent crassioribus, qui ex sanguine camibusque mittuntur, maximè coctis, & à nobis assumptis. Quare si Porphyrio credis, dices hos induxisse nos ad animalia deuoranda: vt ipsi penes nos atque è visceribus nostris haurirent sugerentque, sæpe concoctum, sibique competens ab animalibus alimentum. Est autem eis insita quædam attrahendi sugendique facultas, qualis membris inest animalium radicibusque plantarum. Nos autem eos tali quodam nitore ad nos allicimus: vnde, vt ait Porphyrius, homines ventri dediti vasa fiunt dæmonum immundorum. Quamuis enim dæmones si quo indigent nutrimento, vt ait Iamblichus, id absque nostra opera sibi passim suppeditare possint: tamen probabile est, posse quasdam illecebras ab homine illis offerri, & incontinentes dæmones in continentibus hominibus commisceri. Superbi verò superbioribus dæmonibus agitantur. Nam primum esse in eis superbiam Porphyrius ait: adeò vt nihil vehementius optent quàm supremos à nobis deos existimari, & pro illis maximè coli, atque princeps eorum potissimum id contendat, vt Deus primus omnium habeatur: incitare nos ad corporis huius oblectamenta, quibus ipsi in uobis fermè similiter oblectentur: irritare ad contentiones & prælia, quibus & ipsi inter se aliquando confligantur, & aërem conflictu conturbant, & assiduo gaudere mendacio: nos autem illis non posse resistere, nisi quatenus superiorum dæmonum inspirationi mentem diligenter exponimus: sobrii castique viuimus, ac Deo nos suppliciter commendamus: sola enim puritate, sanctimonia, pietate genus humanum à potenti malorum dæmonum incursu defendi. Hinc & Democritus orabat, vt bonos dæmones obuios haberet: vtpote qui vt Plutarchus ait, existimaret multos dæmones esse malos, omnes verò appellabat Idola aere grandia inter se emittentia voces, & longæua difficileque solubilia: Dæmones verò multos essemalos, qui & homines sub prætextu bonorum fallant Iamblichus asserit: sed eos bonorum numinum præsentiam subitò fugere, atque ita legitimum religiosum non posse decipere, hæc ab Aegyptiis atque Caldæis. Proinde Plotinus ait dæmonicas animas idcirco ad corpora precliuiores existere, quoniam in eis materia quędam regnet intelligibilis. Hæc autem non solum est ipsa natura formabilis, hæc enim & superioribus inest, sed intima quædam essentiæ dispositio, in qua nec identitas alteritatem superat, neque status motum, neque natura communis particularem, neque agendi facultas potentiam patiendi, per quam sanè dispositionem essentia talis tum corpori etiam caduco, tum animi perturbationi videtur accommodari. Ob hanc rationem, quod & Iamblichus asserit, dæmones prouidentiam non vt Dij communem habent, sed singuli ad actiones proprias atque prouincias.

De origine dæmonum.

CAPVT VI.

Quid verò Plotinus in capite sexto dicit, dæmones ex ipsa totius anima generatos, atque Porphyrius in libro de abstinentia dicit, dæmones ex tota anima pullulasse, ne intelligas substantias ipsas animarum quæ sunt in dæmonibus, ex anima mundi creatas: imò verò animam hic totam accipe illam pateram, siue deam, ideamque communem, ex qua Timæus præter mundi animam seorsum sphærarum animas, iterumque animas dæmonum hominumue asserit esse productas. Nam & Proculus ait in Alcibiade, dæmones, à dea viuifica generatos, à qua generantur & animæ. Vult quoque Plotinus, & ab ipsa mundi, & à qualibet anima rationali suam quandam irra-

tionalem animam emanare, quam nominat dæmonem. Eiusmodi verò dæmones & si suas sequuntur animas, tamen sub communi quodam influxu animæ mundanæ gignuntur ab eis: nam in illius prouidentia est præcipuè, vt ipsius naturæ subseruiant tot talesque naturæ ad dispositionem vniuersi complendam. Omnino verò qualescunque sint dæmones, ideo pendere dicuntur ab anima mundi, quoniam eorum animas ipsa mundi anima, per vitales vires infusas materiæ velut escas corporibus alligat. Inter hæc intelligibiles deos ponit, id est, ideas & intellectuales cælestium animas. Item sensibiles deos, scilicet stellas: post eas dæmones, qui sunt inuisibiles, siue in cælo sunt, siue sub cælo: quamuis ipsam dæmonis appellationem ad eos qui sub luna sunt, propriè transferant. Corpora dæmonum in superioribus quidem descripsimus, ratione quadam liberiore, per quam à plerisque Platonicorum haud longè discederemus. Possumus autem ratione forsitan magis physica dicere, corpora dæmonum sublunarium plurimum esse composita. Nam & elementa in globum vnum vndique commiscentur, erit igitur necessario ignis in eis, per hunc enim vita motusque viget. Erit & aër ignis pabulum: nec solus cum solo, ne subitò dissoluantur. Esto insuper aqua tenuis, nec fine terra subtili, alioquin minimam habebit sub igne stabilitatem, oportet sanè spiritalia dæmonum corpora sicut & spiritus noster esse admodum temperata, vt sint illius vitæ nobilis suscepracula. Oportet igitur in eis tyrannicam ignis voracitatē ita domari, vt & trium numero & horum quidē quantitate maiore vnius tyranni rapacitas refrenetur. Non potest autem terra illic esse multa, nec etiam aqua plurima. Sit ergo quàm plutimus aër, secundo loco humor aqueus tenuissimus, tertio ignis sed admodum rarus, ne fortè sit edax, quartum teneat subtilissima terra locum. Et quamuis dæmones sint propemodum temperati, aliqui tamen temperatissimi sunt: in cæteris autem elementum hoc aut illud, paulo magis excellit: Erunt igitur complexiones eorum quinque fermè sicut & nostræ, temperatę videlicet, & quatuor non adeo temperatæ: stellis quidem subditæ consimilibus, & præsidentes instinctu quopiam naturali hominibus complexionis eiusdem.

ARGVMENTVM

MARSILII FICINI

FLORENTINI IN LIBRVM Quòd incorporea non patiantur.

COMMENTARIVS.

SVMMA LIBRI.



SVMMA huius libri est asserere rem incorpoream pati non posse. Rem quidem incorpoream appellat, quæ vel nullam in sua ratione quantitatem includit, quamuis eam extrinsecus accipere valeat, hac autem materia est. Vel quantitatem prorsus excludit. Hac autem est mens & anima. Præterea passionem esse vult mutationem, qua substantiam perdere valeat, siue diuisione contingat, qualis accidit quantitati rebusque necessariam habentibus quantitatem: siue contingat alteratione, qualis accidit contrariis inter se qualitatibus, atque insuper formis, quas necessario qualitates eiusmodi comitantur. Igitur tàm materia prima, quàm anima res est incorporea, neque quantitatem, neque qualitatem eiusmodi propriam sibi vendicans, ideoque a passione seiungitur: ac multò magis anima quàm materia. Anima enim non solum formas non admittit perniciosas, verumetiam nec nouas aliquando qualescunque sint, formas videtur accipere. Multa igitur in sequentibus de immutabili animæ rationalis essentia, deque partibus eius, nonnulla insuper de essentia prima, plurima de illius opposito, id est, de prima materia disputantur, quatenus tandem que confirmetur, rem incorpoream esse passionis expertem.

Anima neque patitur, neque formas qualitatesue suscipit. Item de publici imaginatione.

IN prima igitur libri parte quæ capita quinque continet, ostendit animam non esse passioni subiectam: in secunda deinceps ostendet simile aliquid de materia. Quantum verò ad primam spectat, animaduertes nullam incidere à corporibus impulsionem vel qualitatem in potentia animæ cognoscentem. Siue enim modo quodam naturali, & vt ita dicam inciderit materiali, confunderetur cognitio & discretio protinus, & iudicium, fine imaginali quadam conditione saltem id eueniet, vt corpora forment animam, quod dictu nefas: nam ad animam tanquam superiorem spectat formare corpora non inde formari. Om-

nino verò omnis cognitio affectus animæ etiam ad corporalia vergens, est actio quædam animæ circa talia, neque interim patitur inde. Neque enim conuenit cum corporibus in materia, qualis communio solet aliquam passionis vicissitudinem in agente committere. Quid igitur est sentire? Est quidem in anima hoc ipsum scilicet adhibere seipsam, & expedire vim suam circa illa ad quæ habet essentiam consentaneam & naturaliter aptam: recordari quoque similiter, est expeditissimè hoc ipsum efficere. Nulla igitur potentia cognoscendi per nouas formatur imagines, sed intellectus quidem actu semper est illa ipsa quæ cognoscit: ratio verò & phantasia ex eo statu in quo sunt secundum potentiam illa quæ ab ipsis excogitanda sunt, actu quandoque fiunt illa, quæ secundum actum in intellectu sunt semper. Sensus exterior percipit sentienda, non accipit. Vegetatiua nutrit, mouetque, neque nutritur interea vel mouetur. Hæc omnia confirmat Porphyrius, ostendens quando anima dicitur pati, hanc ipsam passionem non esse alterationem vllam in natura vel aliqua qualitate, sed accommodationem quandam & affectionem animæ ad rem hanc, aut illam, esseque id aliquam actionem animæ circa externa, sed angustam, quando scilicet suæ potentiæ affectusque amplitudinem ipsamet contrahit ad angustum. Concluditque Porphyrius, omnes animæ quę dicuntur motus, non esse propriè motus in anima, sed in corpore, & in anima quidem esse actiones, in corpore verò easdem fieri passiones. Addit, actus vegetationis & sensus atque memoriæ non imaginales esse, sed ita quodammodo naturales, vt calefacere, illuminare, lucere eadem Plotinus existimat. Notabis interea virtutem communiter in anima duplicem: alteram quidem velut priuatam, scilicet alicui partium animæ propriam: hęc autem est, vt quælibet ritè suum officium peragat: alteram verò quasi publicam, scilicet, vt cunctæ partes inuicem ritè concinant, à mente regatur ratio, huic irrationales subinde vires obtemperent, inter quas concupiscentia subsit audaciæ. Neutra virtus est velut qualitas animæ impressa sicut subiecto, similiter neque vitium, sed est potius velut motus & actus, horumque vacatio. Si qua verò in nobis est qualitas, vel aliunde impressa per modum naturę imaginisue, vel actionibus acquisita, eiusmodi quidem non est in anima, sed in corpore potius, sic propriè, aut sic affecto, in quo & formationes passionesque fiunt, dū anima vegetat sētit, afficitur, atque iudicat. Nulla denique in anima mutatio fit nisi progressio à potentia quædam in actum: atque hæc quidem non ab alio motore, sed ab ipsamet anima: neque rursum in actum, qui adueniat quasi qualitas, sed qui prodeat velut actio. Si qua verò pars animæ passiua dicitur, non subiectum aliquid passionibus corporalibus intelligitur, sed principium passionum. Animaduertes iterum duplicem in nobis imaginationem: primam quidem in anima rationali discursionis & iudicij compotem, similem quodammodo rationi: secundam verò ab hac impressam in anima seu vita in nobis ratione carente, quæ sanè imaginatio non tàm discursione vtitur, quàm fertur instinctu quamuis intimo: sed circa corporis passiones, quæ tanquam communis sensus principium est sensuum reliquorum. Ponit quandoque Plotinus per translationem quandam imaginationem in parte iam vegetali, quæ neque sit discursio per formas, sicut prima, neque intuitus formæ, vt secunda: sed formę intus vigentis expressio in seipsa, perque hanc impressio in materiam, vbi naturalis actio est tanquam imaginatio quædam substantialis, agens nequaquam imaginando. Hic quoque notabis à facultate animæ vegetali facultatem concupiscendi irascendique pullulare: quemadmodum ab intellectu naturaliter ratio profluit, & subinde imaginatio prima, à qua profluit & secunda.

Quod in vera essentia continetur vita & intellectus: Item de vno quod est super essentiam, & de vno quod est infra eam.

IN capite sexto notabis, ens verum esse illud quod omnino est ens, id est, cui non deest aliquid ad perfectionem essentiæ necessarium: essentia verò perfecta actum intimum & perennem sui ipsius includit, id est, vitam, atque hunc quidem exigit maximè intimum Talis autem est, si intelligentia fuerit: hæc enim est vitæ reflexio in essentiam Ex prima ergo essentia velut ex radice pullulat in seipsam vita simul & intellectus: sed germen eiusmodi eatenus ex ea nascitur, quatenus fœcunditatem habet ex ipso bono, communem dico ceu vitis ex sole. Vt autem fœcunditas hæc vitam propriè intellectumque distinguat, ex ipsamet essentia prouenit, ceu ex vite factum est, vt virtus solis determinetur ad vnam. Munera igitur viuendi, intelligendique, & similia, ex ipso quidem bono velut principio communissimo atque fine, ex ipsa verò essentia prima profluunt, velut ex radice propria, & quadam potestate formali. Proinde verum ens veramque essentiam Plotinus hic non solum accipit ens ipsum, omnium caput entium, sed etiam omnem formam habentem esse suum, atque existere in essentia propria, ideoque à materia separabilem, in qua propterea nulla est potentia & proclinitas ad non esse, nulla miscetur aliena natura: nihil deest ad suam existentiam necessarium, potentia speciei redacta est semper in actum: in qua rursum vnà cum essentia pariter vita & intellectus includitur. Eiusmodi sunt intellectus omnes & intellectuales animæ, in genere veri entis connumerata. Nam formæ sensibiles inseparabiles à materia, entia non vera dicuntur ob contrarias earum quas hic diximus rationes. Cum verò materia longius admodum à prima rerum forma distet, quam formæ sensibiles, atque hæ non verè entia nuncupentur, nimirum ipsa verè non ens appellari à Plotino & Porphyrio consueuit: quoniam formale in seipsa nihil includit, sed prorsus excludit, Esse verò formæ munus est: siquidem essentia prima idem est quod & prima forma naturaliter omniformis.

Huc ad ducēda sunt quæ de ipso vno in Parmenide tūnegantur, tum iterum affirmantur, & quæ in Sophista de ente similiter atque non ente. Vnū ergo tribus præcipuè modis accipies: aut quod cum ente videtur æquari: aut quod ente superius est, aut quod est inferius. De vno quidem quod enti æquale est, præcipuè de ipso ente primo, omnes rerum species proprietatesque pariter affirmantur. Est enim fons entium omnium, & exemplar. De hoc ergo dici solet, est idem & alterum, stabile, mobile, æquale, inæquale, magnum, paruum atque similia. Sunt enim hic ideales omnium rationes. De vno autem supremo hæc similiter negantur omnia, est enim illic non [illegible]rum forma,

sed causa. De vno tandem infimo, id est materia, omnia hæc æquè negantur: nihil enim habet in se ipsa formale.

Quòd naturalia non sint entia vera, & quòd materia dicatur non ens, & instar speculi videatur habere formas, quas non habet veras.

INter hæc vbi ait, naturalia non tàm esse reuera, quàm esse videri, introducit Epicuream quandam obiectionem qua contenditur, res quæ corpulentæ sunt, solas veram essentiam possidere, idque è duobus patere præcipuè, tum quia soliditate sua diuidenti resistunt, tum quia vehementer obiecta percutiunt. Respondetur ad primum, corpora eiusmodi dura dum videntur resistere, diutius percutienti sunt exposita, ictumque expectant, propterea quòd ineptissima sint adfugam, ac propter eandem ad motum ineptitudinem inefficacemque naturam, postquam diuisa sunt in partes, in priorem formam redire non possunt: corpora verò subtiliora vbi cedere percutienti videntur, propter mirabilem efficaciam subterfugiunt celerrimè passionem, atque ob eandem similiter efficaciam subitò redeunt in se ipsa. Denique quum motus in rebus sit actio quædam, vitæque plurimum interioris indicium, & vbique sit vitæ vestigium, & quæ minimè corpulenta sunt promptissima sint ad motum, consequens est quatenus ad incorpoream naturam res accedunt, eatenus ad vitam motionis & efficaciæ compotem, ideoque ad essentiam accedere veram, corpulenta verò ab essentia cadere: qua in parte respondetur similiter ad secundum scilicet corpulenta, quando in aliquid incidunt lædere grauius, non quia firmiora sint, sed quoniam sint prorsus infirma, adeo vt se sustinere non valeant, ideoque ipsa sui ruina casuque proxima quæque lædant. Nam & qui ad equitatum ineptissimi sunt, hi equos premunt potissimum atque defatigant, & languentia corpora gestantibus onerosissima esse solent. Post hæc, memento materiam quidem esse inanem, essentiæ primæ vmbram, formas verò materiales esse varias imagines idearum, quæ in prima continentur essentia, nullam habentes cum illis similitudinem in natura, quamuis in effectu repræsentandi similitudinem aliquam videantur habere. Atque ideo materiam instar speculi, dum vel solas imagines accipit, vel fortè nec istas quidem accipit sed videtur accipere, reuera nihil pati, præsertim quoniam materia in aliud, cum ipsa sit vltimum, resolui non potest, ideoque nec pati. Huic sanè nulla formarum contraria est, cum omnibus æquè naturaliter sit exposita. A nulla igitur pati potest: quandoquidem nec quæ in materia fiunt quælibet à quibuslibet, sed à contrariis patiuntur. Item materia ex præsentia formæ nullam sibi propriam qualitatem contrahit, vel virtutem, & idcirco non patitur: alioquin iamdiu facta esset familiariter multiformis, ideoque non foret amplius subiectum communissimum, ab omnibus æquè formabile. Iam verò si in qualibet alteratione ipsam subiecti substantiam permanere oportet, qualitatibus interim permutatis, multò magis in transmutatione mundana necesse est materiam permanere. Denique quum substantiale aliquid in nibilum resolui, ipsa naturæ bonitas minimè patiatur, substantiæ verò simplices nequeant in aliud quandoque resolui: meritò neque formæ simplices in se subsistentes, neque materia simplex petire aliquando patiue possunt. Materia vtique quum sit malum, id est, maximè distans ab ipso bono, non sic appetit bonum, vt naturale aliquid inde sibi vendicet, sed vt quandam imaginariam inde vestem induat, atque fallat, & quo magis in sua informitate permanet, eò magis est mala, siue malum: neque calefit materia, sed compositum: ipsa verò calorem sustinet mox depositura calorem quasi vestem minimè permutata natura. Rursum quando diuiditur aliquid, quantitas & quod hanc sequitur diuiditur, non materia quæ quantitatem natura præcedit. Atqui quemadmodum in processione colorum, postremum, id est, nigredo, nihil habet primi, id est, albedinis, sic materia vltimum in ipso entium descensu, nihil vel intra se possidet simile primo, vel in facie suscipit aliquid de natura primi, sed imitamina quædam duntaxat inania. Atque propter extremam ad primum diuersitatem nullum ex imaginum illius præsentia saporem eius sibi familiariter vendicat vel odorem, vt ad quaslibet formas in posterum aduenturas, quantumcunque repugnent prioribus, ipsa sit ad capiendum æquè parata. Maximè verò inter hæc id obseruabis, quod ait naturalia si cum diuinis comparentur, non maiorem habere substantiam, quàm imagines corporum in speculis apparentes. Nec aliter hęc à diuinis perpetuò dependere, quàm imagines ab obiectis. Huc Salomonis illud tendit: Omnia vanitas. Huc illud Pauli: Videmus nunc per speculum in ęnigmate. Sed quoniam nunc, & corpora videmus, & speculum: à quibus in quo imagines omnino dependent, ideo ipsam in se imaginum deprehendimus vanitatem, alioquin nisi videremus illa, hanc redarguere non possemus: sed quæ imagines sunt, esse res veras arbitraremur: sicut & nunc quæ naturalia nominantur veras esse substantias opinamur, quoniam neque diuina, neque materiam aspicere possumus, à quibus inquam ceu simulachra ab obiectis in speculum prosiliunt atque resiliunt. Profectò vel sicut putant physici imagines rerum ipsæ sunt in speculis, vel sicut perspectiui tradunt, nullę in speculis sunt imagines, sed radij rerum in speculum incidunt. atque inde si iidem reflectantur ad oculum, Quod accidit, vbi ad pares angulos reflectuntur, tunc res ipsæ per eiusmodi suos radios oculis ita redduntur, vt tamen sensus ibi fallatur, putans alibi se res videre quàm videat, quomodocunque verò res se habeat, qualis est comparatio speculi ad res visibiles atque visum, talem esse Plotinus vult atque Porphyrius materiæ ad res diuinas, & sensum: quam sanè materiam velut ipsi enti prorsus oppositam, existimant radios actusque primi entis & mentis, non quidem intus admittere, sed ceu densum quoddam & propter diuersitatem entibus inuium repercutere protinus actum eorum, atque hac ipsa quasi reuerberatione apparere sensibus quasi sensibilia, Quæ in seipsis intelligibilia sunt, adeo vt putemus in materia nos inspicere quæ in primo ente intellectuque sunt, atque inde mouent animum vt cognoscat: denique quoniam ipsa entia vel ideæ, dum in materiam agunt, neque de natura sua quicquam amittunt, neque de statu mouentur, neque in proportione vel affectu conueniunt cum materia, ideo quod dari videtur inde velut inane debilissimumque materiali sem-

Per hac indiget fede. Atque interim materia hæc quia nec verum aliquid accipit vnquam, neque qualecunque videtur accipere, ob naturalem falsitatem verè accipit, ideo impleiur nunquam, sed semper affectans transmutationi perpetuæ prębet occasionem.

Quantum anima materiam supereemineat, & quomodo certa quantitas materiæ sequatur modum cuiuslibet speciei in materiam venientis.

QVando lignum hoc esse dicitur extra lignum illud, seiuncta sunt duo hæc inter se non multum, quoniam per terminos externos tantum, specie verò coniuncta sunt inuicem. Magis ergo ignis est extra aquam: non solum enim exterioribus terminis, sed qualitatibus contrariis seiunguntur: quoniam verò & genere conueniunt, & materia possunt quandoque misceri: at anima toto genere à materia separatur, ideoque quamuis materiam penetret, longius tamen est extra materiam. Ideoque formas quas anima mundi ab intellectu diuino nacta, nititur per seminariam virtutem in materiam vbique traducere, materia secum conciliare non potest, neque miscere sibi, quamuis illæ inuicem misceantur. Tum verò materia sicut suapte natura formarum est omnium expers, ita etiam quantitatis: hæc enim est forma quædam, & quoniam quantitas est postrema formarum, idcirco certa quædam quantitas & figura rebus secundum speciei formæque præcipuè modum à mente & anima destinatur. In formalibus igitur rationibus specierum in mente & anima existentibus, inclusa est atque definita certa quantitas & figura, quæ vnamquamque speciem comitatur. In ratione quidem hominis formali vel equi decreta est hominis quantitas aut equi. Expeditur autem quantitas hæc in effectum ob efficaciam rationis vbique formalis, motumque eius quendam in actione, atque propter processionem formæ naturalis emanantis ab ea. Hac igitur efficacia, motione, processione super materiæ faciem producitur in molem ipsa materia, tantam videlicet quantam exigit ipsa forma, tum mundana mundo, tum humana homini, tum leonina leoni. Et si. cui vnà cum qualibet speciei propria venit quantitas in materiam, sic & abit vnà cum specie, & ad nouæ deinceps speciei aduentum noua fit quantitas, sicut & qualitas propria speciei. Producitur autem quantitas in materia secundum distantiam ex quantitate virtutis agentis motuque formali.

Materia quidem ob suam debilitatem nequit eiusmodi deuitare motum, vel absque tali quadam distractione suscipere formas. Anima verò quoniam & ipsa forma quędam est, speciesque subsistens, ideo cunctas rerum species in eodem quasi centro complectitur. Formas enim illas forma hæc accipit modo formæ: formarum verò modus est, vt tum vnaquæque velut simplex in quolibet sui collecta sit tota, tum cunctæ in qualibet facillimè concludantur. Hinc rursus efficitur vt ratio nostra possit formas tum absque multitudine numerali in ipsa speciei vnitate comprehendere, tum à quantitatis dimensione secernere. At materia cum extensione quadam semper accipit formas, quoniam ad motum formæ super eam diuinitus procedentis, vbique pertrahitur, natura eius interim libenter pertractioni cedente, paratque cuilibet vbique moli: quoniam propriam sibi nullam possidet molem. Ac dum in dimensionem per totum extenditur mundi spatium, non diuiditur in materias plures, sed vnica restat atque continua, tum quia non est obnoxia passioni, tum quia non in vita, sed libens potestatem sequitur extendentem, & ab vna extenditur ratione ad vnam vniuersi formam. Hæc vtique quasi mundi mater est, ac minus etiam est, quam mater. Pater autem est Mercurius ille antiquus, quem esse volunt, tum seminariam mundi rationem in ipsa animæ mundanæ natura, tum etiam rationem omnium idealem in mente diuina. Et reuera idealis ipsa ratio pater est vniuersi: seminalis autem ratio mater, quatenus commercium habet aliquod cum materia, desuperque repletur. Materia verò matrix & locus est potius generationisatque susceptaculum. Tu verò memento in planera Mercurio esse tum donum contemplationis à mente diuina, tum actionis à natura mundi, atque hinc ab eo dari ingenium vel contemplationibus vel actionibus, & artibus aptum, vel quandoque strenuum vtrunque. Si Saturnum trino sextiliue aspexerit, vel eius domicilium occupauerit, fauet contemplationi potissimum: si Martem aspexerit, aspirat potius actioni: si Iouem vtrique feliciter afflat officio, si Venerem intuetur, suauitatem ingenij eloquiique simul ornatumque designat.

IN LIBRVM

IN LIBRVM

DE AETERNITATE ET TEMPORE.

Quid æternitas, & vbi sit. Quid sempiternitas. Quid perpetuitas. Quomodo se habeat æternitas ad tempus.

Aeternitatem Platonici primum ponunt in prima mente: deinde in mentibus aliis, tertio in corporibus, quatenus in eis stabile aliquid reseruatur. Similiter tempus primum in anima prima, deinde in cæteris animabus, tertio in corporibus: quatenus in his reperitur & motus. Queritur quidnam in mente prima, primoque ente sit ęternitas. Certè ibi sunt quinque entis genera vel elementa, scilicet essentia, motus, status, identitas, & diuersitas. Sunt & rerum species quæ nominantur ideæ, humanitas atque similia. Genera quidem entis de se inuicem minimè prædicantur, ipse namque status neque motus est, neque est mobilis. Identitas neque diuersitas est: neque diuersa, hæc enim opposita sunt. Essentia quoque ipsa in primo sui signo nullum habere videtur oppositorum. Ideæ quinetiam de se inuicem non predicantur. Nam idea leonis, nec est idea hominis, nec humana. Æternitas autem ita de omnibus quæ ibi sunt prædicantur, vt quodlibet eorũ sit æternum. Aeternitas itaque neque aliquod genus entis est ibi, nec idea quædam. Est enim cunctis commune donum, cætera verò illic inter se distinguuntur vel secundum proprietates incommunicabiles, atque (vt ita dixerim) singulares sicut inter se ideæ, vel oppositione quadam, vt motus, & status, identitas & diuersitas. Æternitas sanè & si cunctis est commune donum, adeo vt etiam ipsi motu, & ipsi diuersitati, & multitudini illic existentibus competat, hæc enim omnia sunt æterna: tamen secundum ipsum statum, ipsam identitatem, ipsam vnitatem pręcipuè designatur, à quibus illic & cætera possidentur. Neque putandum est æternitatem esse propriè ipsum statum. In formali enim ratione æternitatis tria præcipuè continentur, status scilicet & sempiternitas, quasi dicas ipsum semper, & identitas siue vnitas, siue (vt ita dixerim) indistantia. Ipse verò status non necessario hæc in sua ratione comprehendit. Non comprehendit ipsum semper. Possumus enim cogitare stare quidem aliquid, sed non semper. Non complectitur necessario vnitatem siue vnum. Potest enim in multitudine permanere. Item motus opponitur statui, non autem opponitur sempiternitati. Quid enim prohibet, quod mouetur, moueri semper? Atqui sempiternitas ipsa & si non sola sit tota æternitatis ratio, est tamen in illius ratione potissimum. Cum itaque motus statui potissimum opponatur, non tamen aduersetur sempiternitati, quæ est æternitate potissimum: nimirum non est idem penitus æternitas atque status, qui à cæteris illic quodammodo discretus est. Æternitas verò cunctis est æquè communis. Est enim æternitas vigor quidam ipsius essentialis intellectualisque vitæ, semper quidem ipse vigens æquè, simulque sua omnia possidens, nec amittens sui aliquid, nec nouum aliquando munus acquirens. Vigorem eiusmodi quæcunque ibi sunt æquè sibi vendicare videntur. Interea meminisse debes sempiternitatem simpliciter esse quasi genus aliquod perseuerantiam seu vitam significans, principio fineque carentem, sub qua duę sunt species, quarum prima est æuum, scilicet æternitas, quæ est vita vel perseuerantia infinita permanens simul tota. Secunda perpetuitas siue ipsum tempus, scilicet perseuerantia infinita per partes successione progrediens. Vnde vt ait Proclus, vtrumque mensura quædam est, tempus temporalium atque mobilium, æternitas æternorum. Sed tempus crebra repetitione, & quasi numerando metitur: æternitas autem semel adhibita & coaptata mensurat. Propria æternitatis ratio appellatioque non tàm essentia vel intelligentia est quàm vita. Est ergo vita: sed quanta? Infinita profectò: vt à parte qualibet temporis differat. Rursum qualis? Certè tota simul, vt à toto tempore differat. Est igitur æuum vita infinita tota simul, & vt breuius complectamur, vita iam infinita: tempus autem vita procedens per infinitum. Ipsum quidem æternitatis esse præsens omnino fixum est velut centrum, ideoque sufficit vnum. Cum enim nunquam prætereat, non est opus aliquo succedente. Quod verò præsens in tempore dicitur, cum subito transeat, præsente alio indiget successore, ne tota temporis natura perdatur, quæ ex infinitis sibi inuicem succedentibus momentis paulatim coaceruatur, ideoque siqua eius essentia est, ea ex esse miscetur atque non esse, dum præsens inter præteritum futurumque quæ non sunt interuenit, & vtcunque potest æmulatur ipsum æui præsens per aliquod iugiter sui præsens, adhibens seipsum ad stabilem æui præsentiam, neque tamen stabilitur; ideoque quam non potest consequi permanendo, saltem succedendo consequitur: Vt per plura momenta infinitè procedens se pro viribus ad infinitatem æui fixam simplicemque adæquet, dum vnum permanens (vt ita dicam) æui momentum velut centrum innumerabilia momenta temporis, velut puncta quædam in circumferentia perpetuo percurrentia è conspectu pariter sibi præsentia contuetur, atque complectitur. Distant quidem inter se extra centrum lineę atque puncta, in centro colliguntur in vnum. Similiter & momenta temporis, & tempo-

ralium rerum progreſſiones inter ſe quidem diſtant, ſed in æternitare remporis temporaliumque principio ita rediguntur in vnum, vt vna ſit præſentia omnium, & vita eadem, vnuſque conſpectus. Inter hæc vbi Plotinus de toto perfecto loquitur, memento omne totumue quod in arte reperitur atque natura, eſſe communem quandam formam poſt partes ſingulas ibi ſequentem, & ex partibus reſultantem. Non eſt igitur eiuſmodi totum per ſe totum, ſed per partes, & per illud quod partes inuicem congregauit: nec igitur eſt primo totum. Primo itaque totum eſt, quod eſt forma & ſubſtantia quædam ſimplex in ſe ipſa generans, ſiquas habitura ſit partes. Et quia generat eas, ideo quodammodo præcedit eas, & quo ſigno antecedit partes, eſt penitus indiuidua. Iam verò quoniam indiuidua eſt, ideo dum partibus ſe inſerit ſingulis, inſerit vbique ſe totam: atque hoc ipſum eſt abſolutè totum, quod reſeruatur in quolibet ſui totum. Talis vtique diuina mens eſt ad ideas: talis vniuerſa natura vitalis ad ſemina rerum: talis æternitas mentiſque primæ vita ad omnem ſui præſentiam, manens ſemper in vno atque ad vnum. In vno quidem ſui ipſius eſſe actuque præſenti: ad vnum item quod ſuper eſſentiam eſt bonum amando, & agendo ſe conferens. Manens inquam, quoniam quicquid expedit habere, iam habet: manens item per infinitum: neque tamen ipſa illic infinitudo eſt quantitas aliqua preter vitam. Cum enim ipſa entis primi vita, quæ primus intimuſque eſt actus illius, quantitatem quamlibet antecedat: ſiqua ponatur in ea durationis & perſeuerantiæ quantitas, nihil propterea intelligas additum indiuiduæ illius vitæ preſentis ſimplicitati.

De conformitate intellectus ad æternitatem. Item quòd non ſit tempus, ſcilicet quòd non ſit duratio in corporali motu, vel menſura ſimilis: aut numerus, aut conſecutio comeſque corporei motus.

VBi Plotinus poſt diſputationem de æternitate profundam deſcendit ad tempus, conſiderabis qua ratione probet mentis æternitatem, propterea quòd æterna tangat intelligendo, ſiquidem intelligere eſt quodammodo tangere. Cum enim ſenſus omnes tactu quodam rem percipiant ſentiendam, multò magis ſupremæ vires animæ ratio intelligentiaque cognoſcendo tangunt: præſertim quia res penetrant earum intima diſcernendo, quod non efficit ſenſus. Atqui & obiecta earum efficacius veniunt ad tangendum: imò nec venire neceſſe eſt, quæ nuſquam abſunt. Cognatio igitur intellectus ad propria & ęterna eius obiecta maior eſt quàm cognatio ſenſus ad ſentienda, cognatio inquam intelligentiæ mutua: quatenus enim tangit, tangitur atque viciſſim. Sicut igitur ſenſus eſt, agitque in tempore, ſic intellectus in æuo. Ratio verò tanquam media eſt in vtroque: nam & æterna tangit & temporalia. Medium quidem eiuſmodi eſſe poteſt: Nam & cœlum eſt in vtroque, ſubſtantiam in æuo, per motum actionemque in tempore. Debet quin etiam vniuerſo eiuſmodi medium non deeſſe, vt inter res ſupernas quæ tàm actione quàm eſſentia ſunt æternæ, atque inferiores: quæ vtrinque ſunt temporales, ſint rationales animæ, per eſſentiam quidem in ęuo, per actionem verò motumque in tempore. Proinde notabis id admodum placere Platonicis, animam rationalem eatenus ſeipſam accommodare foris tum his, tum illis gradibus vniuerſi, tum ęternis, tum temporalibus, tum etiā mêdiis: quatenus in eoſdem intus ſeipſam expedit gradus ſibi quodammodo naturaliter inſitos, quemadmodum & corpus noſtrū variis ſeipſum modis loco cuilibet aptat, prout variis ſeipſum figuris modiſque componit. Tempus eſt aut ipſe motus, aut aliquid proprium motionis ſcilicet vel intimum motionis ſpatium, vel menſura eius, vel comes. Tempus non eſſe motū patet, ex eo quòd motus omnis peragitur tempore: quaſi aliud quiddam ſit tempus in quo motus agitur, aliud ipſe motus. Præterea ſi corpus quod nunc mouetur, paulo poſt moueri deſinat, deinde moueatur iterum, interceptus quidem erit motus, tempus verò non intermiſſum. Sicut enim cogitamus quamdiu motum fuerit, ſic & quamdiu quieuerit: atque eadem perpetuitate temporis tum vices motionum, tum media quies agi menſurarique poterunt, ac ſi deſinat moueri corpus ab alio mobile adhuc ſuperfore tempus ſaltem in motore per ſe mobili poſſumus cogitare, quaſi naturam temporis ſupra motum corporis quærere debeamus. Item in motu velociſſimo plurimum eſt de motu ipſiuſque natura, ſed de tempore minimum: in motu tardiſſimo fit viciſſim: quippe cū aliud ſit tempus atque motus. Denique propria quidem temporis ſunt breuitas, atque longitudo: propria verò motus intenſio atque remiſſio, quæ declarantur celeritate quadam & tarditate prouentus. Quorum verò propria inter ſe differunt, diſcrepant ipſa ſimiliter. Probabilius eſt igitur tempus eſſe aliquid ad motum propriè pertinens, quàm ipſum propriè motum. Dices forſan eſſe ſpatium, non quidem loci, quod eſt extra motum, ſed durationis atque perſeuerantiæ, quæ eſt intima motui: quaſi proprium interuallum & ductus tractuſque & progreſſio motus. Ad hæc obiici duo poſſunt. Primum quidem totidem eſſe eiuſmodi interualla motibus intima, quot ſunt & motus: Tempus autem vnum eſſe debere menſuram quaſi communem, cuius vſu quodam motus omnes quantumcunque inter ſe diuerſos metiri aliter aliterque poſſimus. Secūndum verò durationem eiuſmodi, non aliud videri quam motum, ipſam ſcilicet motionis continuitatem, qua ſublata non erit motus ſi factus ſubitò fuerit. Et profectò hæc eſt ſumma proprietas vel natura motus: ſicut dimenſio extenſa per locū, aut eſt ipsū corpus, aut corpori maximè propria Atqui ipſa duratio motibus intima non eſt vbiq., ſed in hoc motu ſeruatur atque illo. Tēpus autem eſſe cogitamus vbique, atque durationem & perſeuerantiā quālibet motionis tempore metiri ſolemus. Vnde videtur tempus eſſe interuallum aliquod menſurabile, & pręter interuallū proprium motionis, nec tamen ad locale pertinens interuallum. Proinde quæremus de externo eiuſmodi interuallo ſiue ductu: quidnam ſit naturaliter in ſeipſo, ante hunc menſurationis effectum. Prius enim in ſe hoc ipſum quod eſt debet exiſtere, quàm aliquid metiatur. Quæremus itē nunquid metiatur quietem, & quo pacto: Eatenus enim quieſcit aliquid, quatenus mouetur & aliud. Tria quædam propoſita ſunt de tempore ab his qui dicunt tempus eſſe aliquid motionis: Primum quidem eſſe ſpatium durationemque motus, de quo ſatis eſt dictum: Secundum verò eſſe menſuram quandam durationis eiuſmodi: Tertium eſſe aliquid comitans

siue consequens. Sed redeamus nunc ad mensuram, ad quam paulatim modò descendimus, compulimusque respondere, quidnam sit in se antequam metiatur, & vtrum externa mensura sit, vel intima, & quæcunque sit, quomodo metiatur motum similiter & quietem. Addimus insuper quomodo mensura numeralis esse dicatur, quasi sit ex vnitatibus congregata. Probabilius autem est tempus ob ipsam eius continuitatem simpliciter mensuram quandam appellare quam numerum, atqui si mensura quædam est, ergo est quantitas quædam qualiscunque sit, siue quantum quiddam motum dimetiens, quatenus cum motu concurrit. Hic ergo quæritur qua cõditione cum motu concurrat, & cur potius metiatur motum, quàm mensuretur à motu. Solemus enim tantum tempus ex tanta motione metiri, atque deprehendere tempus ex actione non minus quam è conuerso. Summatim iterum dubitatur, an tempus sit motus ipse quadam magnitudine mensuratus, an potius magnitudo quædam motum metiens, ad tertium quiddam. Quod magnitudine vtatur ad motum dimetiendum, & omnino de hac ipsa magnitudine mensurali poterit dubitari. Tanta enim est in se, sicut & motus est tantus. Nunquid igitur sicut motus per eam censetur tantus, ita & ipsa per superius aliquid existit tanta? Denique quidnam sit prius quam metiatur (vt diximus) inuestigare licebit. Similes quædam dubitationes exoriuntur, si tertia de motu opinio admittatur, dicens tempus esse aliquid, quod comitatur motum. Cogimur autem ponere tempus ipsum esse aliquid: etiam si nullus animus electione vtens metiatur tempore motum. Generat enim anima mundi tempus naturali quodam suo intimoque motu, nulla ad hoc vtens electione.

Æternitas est in mente diuina, tempus in anima mundi, quo agitur mensuraturque mundi motus.

IN mente quidem diuina non est tempus propriè, sed idea quædam temporis velut exemplar conceptum, illic ad quandam æui similitudinem, imitantem quidem æuum, sed interim diuersitate degenerantem: tempus autem proprie est in anima mundi, in ipsa eius vegetali natura, & imaginatione rursum quodammodo naturali, assiduè comitante naturam. In hac inquam gemina facultate animæ actio ad generanda & imaginanda mundana, ob debilitatem non simul tota peragitur, sed gradatim modo alia oritur, modo alia ordinata quidem, sed dissimilis, atque nunc ad hæc vertitur: nunc ad illa secundum prius posteriusue procedens. Processio quidem deinceps secundum gradus eiusmodi, motus est: Continuitas autem & longitudo processionis est tempus. Iam verò si qua ratione longitudo corporis ab ipso corpore differt, eadem differt & tempus à motu. Longitudo inquam motionis à motione, atqui & hæc ipsa longitudo ita se ad æternitatem habet, sicut linea se habet ad punctum: præsertim si fingere liceat, ex quodam puncti motu procedere lineam, punctumque produci. Putat verò Plotinus, sicut ex virtute cuiuslibet animæ suo quandoque semini insita pullulat corpus proprium: sic ex naturali animæ mundanæ potentia intus afflante materiam, corpus pullulare mundanum, idque in anima velut quodam mundi loco contineri regique, & moueri ad ipsum animæ motum, mouerique temporaliter, certisque temporum interuallis ad tempus ipsum motionis quæ fit in anima, & ad certa illius temporis interualla: siquidem anima illa per intimum sui motum creauit in seipsa tempus, & vnà cum hoc motu simul & tempore produxit mundum in tempore mobilem. Vnus verò est mundi locus, anima mundi: vnum & vbique tempus: siquidem & anima hæc motum exercet vbique vitalem, sed regitur interea motus quidem mundanus ab ipso animæ suę motu: hic autem ab intellectu proprio & ęterno: ille tandem ab intellectu diuino primaque ipsius æternitate.

IN LIBRVM DE NATVRA, ET CONTEMPLATIONE, ET VNO.

COMMENTARIVS.

Naturalia fiunt à vita quadam agente per rationes quasi contemplatiuas, sibi infusas ab intellectu diuino.



HILOSOPHI quondam nonnulli simpliciter naturales, putabant naturalia omnia à qualitate quadam elementali motuque generati: ac talia prouenire vel talia pro virtute qualitatis, quæ in agente vigeret, & pro efficacia motus inde in materiam desinentis, nec his preesse rationem vllam modo intimæ artis agentem. Plotinus autem corporales qualitates, & motus duci vult ab incorporea forma non subiecta motibus, sed præsidente: quam vocat naturam vniuersalem atque primam. Formam dico substantialem, atque vitalem, quæ nec vlla sit corporum qualitas, vt possit omnes pariter procreare, nec solo impetu motus agat, vt disponere possit omnia moderamine certo: sed agat sua quadam arte: perinde ac si artificiosa ratio, quæ est accidens in artifice, sit aliquid per se subsistens, quamuis intra materiam, atque ita suapte natura agat artificiose, vt artifex artificiose agit electione: imò sic naturali arte agat artificio-

se, sicut ignis naturali calore naturaliter calefacit. Huic ergo viuæ naturalique rationi parent qualitates & motus, vt instrumenta: tametsi absque motu corporeo, corporeum edit motum, & sine qualitate ignis generat ignem: ac sine manifesto semine passim viuentia generat: vtpote quæ essentiales in se habeat, & viuas omnium rationes, quod satis in Theologia nostra probamus, & ita in præsentia breuiter confirmamus. Super nutritionem & augmentum, quæ sunt generationes quædam, est ipsa simpliciter generatio, quæ & in bis omnibus reseruatur. Cum igitur hæ generationes quædam, vitarum quarundam vel quorundam viuentium opera sint, nimirum simpliciter & prima communisque generatio est opus simpliciter vitæ, vitæque communis totum regentis mundum. Atque cum in mole mundi non sint certa vbique semina corporalium manifesta, profectò ipsa totius sunt semina, & propriæ rationes seminum rerumque sensibus apparentium. Natura enim quæ sine electione facit, insita forma facit, & certas vbique formas certis necessariò formis, id est, rationibus seminalibus: quibus sanè tanquam principiis atque regulis motus omnes, qui per se indeterminati sunt: certo quodam tenore definiat, & qualitates quæ toto impetu agunt quicquid agunt, & cohibitæ sunt naturaliter in angustum, librata quadam moderatione ducat ad opus, & id quidem multiforme, vniformi tamen ordine. Nec aliter certum vbique finem spectet, in his quæ ipsa non vident finem, quam ars soleat & consilium. Ars hæc viuens atque naturalis omnes in se fecundum actum naturales continet formas, non aliter quàm ars humana possideat artificia. Materia enim quæ in potentia formabili semper est ad omnes, non aliter ad actum perducitur omnium, quàm per vitam materiæ quidem præ sidentem, sed cognatam in se omnes actu comprehendentem. Natura quidem hæc artifex omnium, neque materia quadam tali vel tali, neque ipsa simpliciter materia ad suam indiget existentiam. Ipsa enim materiam quotidie talem reddit, atque talem, materiamque expedito mouet imperio. Iam verò nec qualitate hac vel illa materiæ indiget ad suam simpliciter actionem. Potest enim qualitas absque qualitatibus generare: quippe cum ipsa sit commune principium ad omnes pariter generandas. Ac si generat passim viua sine seminibus manifestis, magis potest qualitates elementales per semina sua tantum sine elementorum talium ministerio procreare. quod si vtitur materia qualitatibus sic affecta, non quidem necessitate eiusmodi qualitatibus vtitur, sed per accidens. Quod sanè confirmatur ab illis qui in generatione resolutionem fieri vsque ad primam materiam arbitrantur. Proinde memento naturam eiusmodi esse verum generationis vbiq; principium. Forma namque materialis quia formarum est vltima, formale nihil propriè generat. Quod enim in aliquo genere postremum est, nihil gignit in eo. Est ergo materialis forma non tàm generationis principium, quàm affectio quædam materiæ inducta desuper ab occulto principio speciem generante. Quod autem nihil generet, confirmatur ex eo, quia generatio ad vitam pertinet: hæc autem vita caret: vita verò carere constat ex eo, quoniam oportet essentiam vlterius proficisci quàm vitam: nec tamen vsque ad materiam procedit essentia: siquidem neque forma. In qualitate igitur essentia definit, & id quidem intrinsecus desinit, ergo vita in naturam similiter super materiæ qualitatem. Natura quidem hæc incorporea est, quod enim corporeum est, si mouet quicquam, interea & mouetur, mouetur inquam etiam in substantia. Primum verò mouens est quod substantia permanet, vt perpetuum continuare queat in motu tenorem. Si tamen est motor intimus familiarisque velut forma quædam, qualis est ipsa natura, oportet dum mouet, etiam quodam pacto moueri per modum quendam potius sui alium atque alium, non per essentiam aliquando declinantem. Denique sicut in quolibet animato non qualitas elementalis, sed vitalis quædam ratio principium est eorum quæ in corpore fiunt, & super & contra qualitatum eiusmodi modum, sic in vniuerso viuente, id est, mundo, non elementalis qualitas aut motus, tàm pulchra, tàm diuersa, sed ratio quædam viua dispensat, quam Plotinus ait in seipsa per essentiam permanere, quamuis in affectionem actu aliam vicissim ex affectione mutetur. Neque à materia dependere pariter, & ab anima, sicut & corpori ea qualitas: sed ab anima tantum, velut perennem actum animæ vergentem erga materiam. Ideo qualitatem Plotinus corpoream appellat accidens, quoniã vtrinque dependeat: vitam verò ab anima communicatam corpori, non accidens corporis, neque rursum animæ accidens, sed essentialem actũ animæ, quasi medium inter verum accidens, veramque substantiam, quæ vsque ad intellectualem progreditur animam: siquidem virtutem aliquam habet, qua seipsam quodammodo sustineat, & cõseruet, & in seipsa proficiat: quo quidem munere omnes intellectuales essentiæ per se & ex se subsistere dici solent. Sed vt ad naturam redeamus, id est, vitam ab anima dependentem, in hác sunt rationes omnes formarum naturalium productrices, ipsæque in ea ratio quælibet non notio quędam est, ex argumento vel indagine quandoque concepta: sed essentialis proprietas atque actus essentiæ non differens ab esse tali quodam atque tali. Est igitur in natura seminalis quædam ratio, eius quod inde gignitur: quæ quamuis sit actus essentialis naturæ ipsius, ipsumque suum esse tale: tamen translatione quadam nominatur intuitus non acquisitus aliquando, sed naturaliter illie affixus: non quærens aliquid, sed ab initio possidens: neque animaduertens in se aliquid, sed quasi stupidus, qualis in attonitis esse solet, ac fortè talis quidam sensus, qualem nonnulli plantis attribuebant. Nam & hæc est communis vniuersi planta per suum quendam quietum substantialemque sensum sua vita fruens, naturaliaque concipiens: atque hunc sine strepitu sensum, id est, sine distractione sui ad aliud Orpheus naturæ tribuit in hymno naturæ. In natura quidem intueri nihil aliud est, quam esse tale, & tale quiddam facere. Et quoniam quasi quodam intuitu & spectamine facit: ideo quod gignitur in materia, spectaculum dici potest: atque ita insuper spectamen appellari naturæ, vt solemus in puero dicere: signum hoc huic ingenium, est quędam concupiscentia & imaginatio matris. Omnino verò neque in intellectu neque in natura est vlla cognitio, vel notio, vel intuitus sic ab esse differens, sicut differre solet intuitus, qui consideratio dicitur, qualis est in illis, qui rem ipsam quam spectant, non possident naturaliter. Intellectus autẽ & natura quæ à substantia intellectuali dependet, naturaliter possident, imò sunt illa ipsa quæ intu-

entur & faciunt intuendo : quem quidem essentialem efficacemque intuitum, appellat seminariam rationem. Primam quidem rationem ponit in ipso simpliciter intellectu: secundam in anima intellectuali, quam primam nominat animam: tertiam in natura, quam secundam animam nominat: quartam in materia id est, materialem formam. Formæ quidem rerum primæ in ipso sunt intellectu, suntque ibi contemplationes vel contemplamina quædam. Dicimus autem contemplamina vel spectamina, notiones omnium, siue conceptus ibidem resultans interea, dum intellectus seipsum contemplatur, & spectat. Secundæ verò formę ab intellectu contemplâte in animam intellectualem naturaliter exprimuntur: suntque hic etiam contemplamenta quædam. Tertiæ imprimuntur hi ne in naturam. Quę cum ex amussim ex contemplationibus exprimantur, sunt & ipsæ contemplationes quædam, nè totiens dixerim contemplamina. Quartæ tandem ex ipsis contéplatiuis naturæ conceptibus concipiuntur in materia mundi. Et quoniam prædictas contemplationes sequuntur ordine quodam, & imitantur ad vnguem, contemplationes quædam nominati possunt. Artificia sanè ad visum spectantia dici solent intelligentiæ quædam ingeniaque artificis: multo magis soni Musici: magis insuper cantus: quoniam cogitationem expressiorem affectumque viuum secum ferunt maximè verba siue prolata siue scripta. Formæ igitur naturales in primis id habent, vt & appellentur, & sint intelligentiæ quædam, conceptusque expressi ipsius intellectualis naturæ, siue naturalis intelligentiæ. Natura enim ipsa rerum artifex, & potestas quędam viua intellectualis animæ, figurans materiam, non alienam vtars, sed suam: neque sicut ars extrinsecus, sed intrinsecus: neque electione tali, sed essentiali tali ac sine instrumento, atque semper. Iam verò in hoc natura differt à geometra puluerem figurante, quoniam hæc & intus, & sine instrumento electioneque facit, perindè sicut geometra dum vehementer, & affectu quodam figuras imaginatur, spiritum eius intimum imaginatione mouet, atque figurat. Fingit verò Plotinus quatuor hæc, intellectum, animam intellectualem, naturá, materiam, esse quasi vitra quatuor subinde disposita, ipsasque primi intellectus intelligentias inde velut à sole radios per animam, naturam, materiá pertransire, quasi continua quadam conformitate, vt quodammodo dici possint iidem radii, eædemque intelligentiæ in sequentibus & postremis, qui & in præcedentibus esse, sed deinceps gradatim à priori dignitate deficientes. Cum verò contemplatio intellectus primi, atque deinceps contemplatio quædam in anima, & natura naturalium sit principium, nimirum & finis omnium est contemplatio, quam & intellectualiá perpetuò possident, & in eiusmodi fine feliciter conquiescunt, quam & rationalia quærunt, vt in ea quandoque quiescant, quam & sensualia per actum continuum sentiendi pro viribus imitantur, quam & quæ generant omnia, tum in ordine motus, tum in pulchra genitura forma referre conantur. Denique diuinę prouidentiæ contemplatio ad exactissimam dirigit omnia pulchritudinem, dum in tota dispositione rerum non minus, imò plus ornamento quàm necessitate consulitur. Ex quo quidem ornamento mirabili mentes excitat ad ipsam diuinæ mentis artem inueniendam, & eiusdem pulchritudinem contemplandam.

De fine intellectualis naturæ, & quòd in cognitione vera idem est cognoscens & cognitum. Et de gradibus vitæ & intelligentiæ, & quòd intellectus primus est omnia, & perfectè totum.

IN capite libri quinto sextoque notabis vitę intellectualis finem esse non simpliciter, & quomodolibet habere bonum, sed bonum habitum intelligere, nam & hoc ipsum ibi est habere, scilicet intelligere. Hæc enim est actio intellectualis naturæ propria, & præcipua ratio possidendi. Itē bonum nobis non sensibile quidem, sed intelligibile esse summum: quoniam hoc solum nobis est intimum, maximeque quietum, idemque est tandem cum ipsa cognoscēdi potentia. Præterea memento potentiam cognoscendi in ipso cognitionis actu vnum quodammodo fieri cum obiecto. Et quo magis fit vnum, eo perfectiorem esse cognitionem, atque viciſsim, & vbi perfectiſsima est, imò vbicunque vera, ibi vnum idemque esse re ipsa cognoscentem potentiam atque cognitum. Intellectus igitur & intellectualis omnis essentia sicut est omnia semper actu, ita & actu cuncta semper intelligit. Rationalis verò natura animæ omnia quidem est, sed non semper in actu omnia. Et quatenus actu se confert in aliquam intra se latentium rationem, eatenus fit ipsa ratio, perque hanc intelligit quæ in huius virtute comprehendentur, & intelligendo fit illa. Summatim reuera cognoscere aliquid non est aliud, quam hoc ipsum esse vel fieri. Denique cum diuinus artifex ipsa contemplatione sui faciat omnia, & facta prouocet ad seipsum pro viribus imitandum, nimirum omnia contemplatiuum vel côtemplabile aliquid appetunt, atque moliuntur, siue intelligendo, siue sentiendo, seu etiam agendo, atque generando. Præterea in cap. 7. cognosces iterum omnem potentiam intellectualem, esse idem cum re intellecta & in ea intelligere ab esse non discrepare, quia in genere cognitionis est summa: potentiam verò rationalem fieri cum re cognita idem, sed intuitum sensus exterioris atque naturæ vergere ad externum: Item primam formam ob summam eius ad motum efficaciam esse primam vitam, & ob efficaciam esse intimam, suique ipsius compotem esse intelligentiam primam. Sicut ergo per omnes rerum gradus procedit forma à prima forma per essentiam facta, sic & vitam intelligentiamque procedere, vt forma quælibet dici queat vita, & intelligentia quædam. Denique intellectum primum sicut vniformis est, propterea quod sit in eo genere primus, sic & omniformem fieri, propterea quòd contemplando seipsum propter fœcunditatem intelligentiæ sub variis sese formis concipiat: verumtamen in qualibet forma intra se concepta communem totius agnosci formam, ideoque esse totum quiddam perfecta ratione totum, quia totum conseruetur in singulis: idque habere, quoniam sit vniti ſsimum, ex eo quòd vnitati diuinę sit proximum, à qua tamen degenerat. Quoniam in eo rationes rerum formales discrepant inter se ratione formali, perque gradus deriuantur à superiori quodammodo ad inferius, & à meliori similiter ad deterius: conclude in quolibet genere quod est primò totum esse perfectè, & ideo in qualibet sui parte totum: sic ens ipsum, sic ipsa vita, sic intellectus. Quod verò sic est totum, non ita componitur ex suis, velut quod ex partibus essentiam mutuatur, sed ipsa sui essentia esse dat partibus. Atqui eiusmodi totum quod se propagat in sua, quodue in singulis con-

seruatur totum dicitur infinitum. Nam infinitè quicquid in eo acceperis, consequuntur & reliqua.

Intellectus etiam primus est necessario multiplex, & est omnia: igitur ante ipsum est principium omnium, quod non est omnia, sed super omnia.

HÆc in octauo cap. consideranda videntur. Ratio namque intellectus hæc ipsa est quod moueatur, & illuminetur, atque formetur: intelligibilis autem ipsius proprietates oppositæ sunt. Item in ipsa intellectus ratione non necessariò includitur, vt sit ipsum intelligibile: nulla enim necessitas prohibet esse aliquem intellectum, etiam si intelligatur à nullo, vicissim nec ad rationem intelligibilis necessario pertinet, quòd intellectus existat. Intellectualis namque potentia in ambitu obiecti sui comprehendit materialia simul & spiritualia, atque inter hæc continet quæ intelligunt, & quæ non intelligunt. Intellectus igitur atque intelligibile distinguuntur inter se quadam ratione formali, eiusmodi verò distinctio distinctioni quæ secundum rem appellatur proxima est. Hęc ipsa verò secundum rem distinctio postrema est, illa itaque forma prima, in qua intellectus cum intelligibili copulatur, non est vnitas simplicissima: non est igitur primi vniuersi principium, quod simpliciter vnum est atque simplicissimum, quemadmodum quicquid est in aliquo genere primum, in eodem est necessario simplex. Esse verò intellectum quadam necessitate multiplicem, ideoque non primum, sic etiam confirmatur: Si intellectus est summa cognitio, habet secum intelligibile coniugatum, scilicet reipsa, idem quamuis non ratione idem: Item ipsum quod primo & secundo se intelligibile est, hoc habet & consequenter, vt sit etiam intellectus. Tale enim intelligibile est forma separata subsistens, ideoque & in se reflexa reportat intelligentiam. Res verò materialis si appellatur intelligibile, talis euadit, quatenus transformatur in aliud, vel per aliud intelligitur consequenter. Cum igitur intellectus atque intelligibile se inuicem comitentur, adeo vt quod est alterutrum sit & alterum: atque hæc differunt ratione formali, necessario intellectus primus est multiplex, neque summum vniuersi principium. Dubitatur deinceps hunc in modum: principium ipsum quatenus est extra genus intelligentiæ, videtur esse sibimet ignotum: & quatenus superintelligibile genus extat, cognosci nullo modo potest. Respondetur ad hæc, ipsum præstantiore quadam ratione quàm cognoscendo seipso frui, atque animam eo frui excellentiore forsan cognitione, quàm intellectuali, vel potius eminentiore quodam pacto, quàm cognoscendo. Non enim intellectus simpliciterque cognitio in nobis est summum, sed vnitas bonisormis, per quam prima fruimur vnitate simul & bonitate, sicut & per luminosum sensum sensibili fruimur luminoso. Sicut ergo qui studet vehementer imaginari, à motu cesset & sensu, & qui penitus intelligere, imaginationem sedat: ita qui optat attingere quod super naturam intellectualem intelligibilemque existit, omne prorsus intelligibile pertransire debet, & intellectum proprium posthabere, silentiumque intelligentię prorsus imponere, redactus videlicet in aliquid sui primum, per quod fruatur vniuersi primo. Conclude aliud atque aliud, aliter atque aliter seipso frui. Corpus quidē animalis frui seipso per sensum, rationem verò non per sensum, sed per melius aliquid semetipsa frui: intellectum quoque non per aliquem rationis discursum, sed per aliquid eminentius sui ipsius fieri compotem: similiter vnum ipsum atque bonum per aliquid intelligentia cognitioneque sublimius se ipso frui. Proinde si ab imperfectis ad perfecta gradatim est ascendendum, certè super imaginationem quæ per aliqua rerum genera tantum, & longo insuper tempore discurrere solet, ponenda est ratio per omnia discurrens, ac tempore ad hoc indigens breuiore, & vbi est perfectissima, quam breuissimo. Super hanc intellectus omnia semper sine tempore consecutus, qui si perfectè habet in se videtque omnia, non habet illa confusa, sed distincta sinceraque, non intuetur obscura, sed clara discernit atque distincta. Super hunc igitur hac necessitate multiplicem primum est vniuersi principium, quod neque est duntaxat vnum aliquid omnium, alioqui non baberet ad omnia potestatem, nec omnium principium esse posset, neque etiam est ita omnia tantùm, vt non sit vnum atque simplex, hoc enim primum est. Vbique verò prius est vnitas multitudine, & composito simplex: neque rursum est & vnum pariter atque omnia. Si enim hoc ab aliquo concedatur, ita distinguimus, ant est cuncta summatim, aut potius singulatim, si summatim, id est, quod ibi sit vna quædam forma cum multitudine: aut hæc vna forma est ante multitudinem, atque ita hęc ipsa duntaxat principium est, neque opus est, hoc vt sit principium, ei multitudinem adhibere: aut vna hæc forma est cum multitudine simul, atque ita non est principium omnium, quandoquidem ante omnia non existit: aut forma hæc vna post omnia ponitur, quo nihil dictu videtur absurdius. Sin autem accipiatur alterum illud disiunctionis membrum, scilicet quod principium illud omnium, sit ita omnia, vt de vno quoque oculis demonstrato discurrendo per singula, sit verum dicere, hoc est principium, sequetur vt quodlibet sit principium. Cum verò principium sit necessariò vnicum, vnica tes erit in vniuerso: vel vicissim principia totidem, quot res esse ponuntur.

Ipsum bonum est super essentiam, vitam, intellectum, neque intellectu potest attingi.

CVm in gradibus viuentium videamus, consummatissimum vitæ gradum esse tandem vitam intellectualem, coniicere possumus, primam in toto rerum ordine simpliciter vitam esse ipsum simpliciter intellectum. Siue igitur vt vitam consideras est motio quædam ad terminum, ideoque ad aliud, vt bonum siue vt intellectum accipis, est motus aliquis ad verum, vt ad bonum, vtroque igitur pacto est dependens aliquid, neque contentum est essentia sua, cuius vita & intellectus existit, sed quærit aliquid essentia melius, id est, ipsum bonum, quod neque vita secundum formam, neque intellectu indiget quo annitatur ad bonum: quandoquidem est ipsum bonum, cui nec vlla opus est actione: siquidem omnis actio est ad bonum, circa quod versatur. Quod quidem cum super intellectum & intelligibile prorsus existat, nomina verò ex intellectus conceptione imponi soleant, nullum proprium babet nomen. Appellatur autem bonum, quoniam inde omnia efficiuntur, & facta perficiuntur. Appellatur vt vnum, quoniam interea supereminet

omnibus, neque mouetur dum hæc inde procedunt; alioquin nihil alicubi permaneret, neque diuiditur in partes, alioquin cessaret vnum ipsum: quo sublato mox omnia perderentur: neque omnino multiplicatur in formas, alioquin ad mixtionem vel adiunctionem patiens, non esset amplius vera vnitas & immensa simplicitas. Si per arbores, per animalia, per animam, per mentem processeris, inuenies quod in vnoquoq; horum simplicissimum est maximeque vnum, esse omnium potentissimum, reliquorumque principium. Similiter vniuersum ad vnitatem rediges potentissimam, de qua nihil vlterius prædicabis, cum primum concepisti vnitatem ipsam vel bonitatem, alioquin si quid præterea prædicaueris, compones, & minues componendo, reddesque indigum, & posterius. Noli ergo huic intellectionem addere. Alia enim est ratio intelligentiæ, alia boni. Non enim æquè vtrique cuilibet conuenit. Intelligentia igitur adiuncta bono congeriem conficit, neque igitur illic adhibebis ideas, quæ concipiuntur intelligentia, differuntque inter se absolutè ratione formali, præsertim contrariarum rerum oppositarumq; ideæ, quod patet ex ordine vniuersi inde secundum essentiam formamque geniti. Quæ enim in hoc opificio re ipsa differunt & subiecto, hæc in opifice omniũ intellectu absolutè formalique differunt ratione, alioquin hoc ordo formarum inordinato quodam casu consisteret, vel ex materia prorsus informi procederet. Distinctiones vero formales & absolutas adhibere primo Platonici vetant, prohibent etiam post vnitatem vel bonitatem adhibere vitam aut essentiam, quorum nixus non quiescit in se, sed contendit ad bonum. Iubent primum illud super essentiam atque esse ponere, sicut materiam quæ ex opposito vltimum est sub essentia & esse iudicant collocandam, ideoque sicut in attingenda materia descendendum est sub omnibus intelligentiæ cõceptibus qui formales sunt: sic ad attingendum illud super omnes eiusmodi conceptus est ascendendum: neque mobili vel multiplici vel formali intelligentiæ actu attingi posse putandum, quod super motum multitudinemque & formam mirabiliter extat.

Ipsum bonum est pater, cuius filius est intellectus, semper à patre plenus, huius autem intellectus est imago mundus.

Quemadmodum aliud est visus, aliud vero lumen, ad quod capiendum, est oculus institutus, etiam siquis oculus fingatur ab æterno lumine plenus: sic aliud est intellectus, aliud vero verum ipsum atque bonum, ad quod naturaliter intellectus annititur, differtque ab illo, etiam intellectus ipse, qui propter propinquitatem boni semper bono plenissimè fruitur: Ipsi itaque bono sicut & lumini nihil opus est visu. Iam vero si quis posset totius mundi visibilis ornatum totum vno simul intuitu conuecti, supra modum admiraretur, ac velut ex imagine quadam facilius mundum intelligibilem opificem huius suspicaretur, sed admodum pulchriorem. Rursum siquis conspiciat illum, in quo nihil informe, nihil deforme, nihil immoderatum, vel vitæ vel intellectus expers, in quo totus splendor & splendore purissimo totus ordo naturæ facilius coniectaret, quis pater eius, & qua ratione tantum talemque genuerit filium: intellectum quidem purum, & omnium plenitudinem parer penes se generans ab æterno, intellectu plenitudineque superior.

IN LIBRVM
DE OCTO CONSIDERATIONIBVS,
COMMENTARIVS.

Propositio prima, quòd mundi author sit intellectus primus, ipsius boni filius.

CAPVT I.



Nouem præcipuè in hoc libro cõsiderationes apparent. Prima est de authore mundi: vbi siquis viam Iamblici Proculique sequatur, exponet Timæi dictum illud de opifice mundi, scilicet quot ideas intellectus intelligit in ipso viuente, totidem species cogitauit mundi opifex in mundo disponere. Exponet id inquam ita: Tres scilicet saltem esse diuinas substantias inter principium primum, id est, ipsum bonum atque mundum. Quarum prima secundum formam suam, essentia sit boni particeps, ac insuper vitæ intellectusque causa. Secunda vero, secundum formam sit vita, particeps quidem essentiæ: intellectus autem formalis causa. Tertia denique per formam sit intellectus, vitæ quidem particeps, & causa mundi. Primum nominabit Cælium, secundum vero Saturnum, tertium denique Iouem: Tantoque superiorem Saturno Cœlium, & Ioue Saturnum existimabit, quanto superior priorque essentia est quàm vita, & vita quàm intellectus. Esse vero essentiam superiorem vita, quatenus amplius se diffundit, & vitam, propter similem amplitudinem esse mentem superiorem. Dicit itaque intellectum formalem Iouemque esse proximum mundi fabrum, intellectuales ideas mũdanarum rerum in se habentem: quas quidem ideas acceperit ab intellectu vitali, scilicet à Saturno, in quo ideæ sint intellectuales, & intelligibiles æquè, quas Saturnus habeat ab in-

tellectu essentialis, scilicet ab ipso Cælio: in quo intelligibiles duntaxat sint ideæ. Sic igitur Timæum interpretabitur. Prouidentia Iouis cogitauit tot in mundo species fabricare, quot animaduertit Saturnium intellectum ideas contemplari, in ipso viuente, id est, in Cælio: qui essentia sit causa vitæ. Apud Plotinum vero non tres substantiæ, sed vna tantum substantia est illa, quę nominatur essentia, vitaque prima & intellectus primus. Vita enim prima nihil aliud est quàm intimus perpetuusque vigor, & actus essentiæ formæque primæ efficacissimæ omnium ad agendum. Primus quoque intellectus est reflexio quædam in seipsam vitæ primæ potissimum secum ipsa constantis. Illam ergo substantiam Plotinus appellat intelligibile primum, quatenus viua est atque fœcunda, potestque in seipsa cōcipere intellectus, conceptumque mouere, penitusque formare. Appellat item hanc substantiam intellectum, quantum spectat ad vitalem eius actionem à se exortam, in se reflexam. Appellat rursum cogitatiuum aliquid quodammodo, quoniam statuit, quæ vidit intus distribuete foras. Proinde putat in ordine rerum exoriri motum ante diuisionem, ideoque intellectum prorsus immobilem, motu inquam fluente, non posse in plures intellectus imparticipabiles propagari: genus autem animæ suapte natura mobilis in animas plures multiplicari. Et quoniam genus hoc est intelligentiæ particeps, ideo in hoc intelectum in plures intellectus participabiles propagari, quatenus genus animæ in plures animæ species propagatur. Existimat quoque intellectum mundi opificem, animam generare, tum ipsam mundi animam, tum reliquas communes sphærarum stellarumque animas, tū denique particulares animas, dæmonum videlicet atque hominum. Et quoniam ad genus animæ tanquam mobile, atque multiplicabile distributio præcipuè pertinet, ideirco vult intellectum illum ædificatorem mundi, per ipsam mūdi animam primo creatam, perque communes animas collegas eius distributiones per gradus suos mundanorum animalium peregisse.

Propositio secunda: Quomodo anima potest colligere se in proprium intellectum, & per hunc intellectu formari diuino. Sunt & in hoc capitulo tres aliæ propositiones: duæ de anima, & vna de Deo.

HActenus consideratio prima, quæ intellectum mundi opificem declarauit. Secūda vero consideratio tractat, quomodo anima in vniuersum hunc intellectum transferre se possit, videlicet, si anima quemadmodum multiplices sensus colligit in vnum imaginationis sensum, sic imaginationes inter se longè diuersas in vnam colligat communem regulam rationis: deinde varios rationis nostræ discursus ad stabilem redigat intelligentiæ normam: intellectu pro viribus tota formetur suo, per quem vniuerso formabitur intellectu totius opifice mundi. Potest autem id in gradibus vitæ fieri quandoquidem fit idem in seipsis scientiæ gradibus. Proportionibus mille constat Geometria, & à priori posterior necessitate deducitur, ideoque sequentes antecedentibus comprehenduntur, omnes continentur in prima. Anima quidem nostra per facultatem rationalem ex potentia transferens se in actum, atque vicissim, si totam Geometriam habet, potest quidem habere propositiones omnes eius potentia quadam atque habitu, dum aliquam earum habet in actu. Intellectus interea etiam noster in qualibet considerata secundum actum, considerat per eundem actum, & possidet omnes. Studendum est igitur vt rationalis nostra facultas pro viribus intellectui se cōformet. Quo in statu notiones omnes sequentes eodem actu, quo & primam contueatur in prima. In tertia consideratione Plotinus existimat mundi animam, quia semel atque potentissimè animalem vitæ formam in se complexa sit totam, & inde totum corpus, locumque penitus occupauerit, non posse vel in se mutare vitæ formam, vel extra se corpora permutare: similiterque se habere putat sphærarum & stellarum, omniumque cœlestium animas, quoniam vniuersalem ab initio firmiter sortitæ sint prouidentiā. Animas vero particulares, particularem nactas prouidentiæ modum, quales sunt dæmonum plurimum atque hominum, vicissitudine quadam explere quodammodo perpetuam illam prouidentiam supernorum, & quatenus in seipsis de hac vitæ forma mutantur in aliam, eatenus corpora sedesque mutare, vnde videntur ad corpus locumque accedere, mutatione videlicet prius in se facta. At mundi corpus accedere videtur ad ipsam mundi animam. Illa enim in habitu suo firmiter permanente, corpus hoc ab initio sic affectum inde viuificatur, sicut ætheris perspicua regio, semper illuminatur à sole. Dicuntur autem & particulares animæ descendere quandoq; ab anima, scilicet mundi: quoniam ab vniuersali prouidentia formaque vitæ, quam simul cum mundi anima quandoque possident, labuntur in propriam, non enim firmiter possederunt. In quarta consideratione animam nostram in tres diuidir formas, scilicet intellectualem, & rationalem, & ratione carentem: putatque animam quandoque totam ad intellectualem sui transferri formam, atque tunc habitare cum intellectu diuino, quandoque illinc in se descendere, id est, in formam rationalem huius animæ propriam: quandoque vero hinc in formam ratione deteriorem, vnde simulachrum sui promit, vitam videlicet communicatam corpori, cui quidem vitæ subest, & vltimum omnium simulachrum, id est, materia, quam anima per vegetalem sui potentiā, prima à propinquitate sua format corporea qualitate, certaque figura: deinde mox per hanc affectionem quasi escam allicitur naturaliter ad viuificandum corpus hoc, certo iam modo dispositum. In quinta consideratione ita notabis: Sicut in circulo datur punctum in seipso quod est cētrum, & punctum in toto ambitu & qualibet eius parte, procedens ab eo quod in seipso est, imo quasi ipsum vel propagatio eius. Item sicut est vnitas in quolibet numero eiusque parte fluēs ab vnitate quadam, extra numerum in se simpliciter cogitata, sic in tota rerum essentia est vnitas quædam essentiæ fundamentum, & cuiuslibet conseruatio, procedens ab vnitate diuina, superessentiam in se manente, atq; ita implente omnia, quatenus præsentia vbique sua ex se procreat vnitatem quandam in qualibet re creanda, superessentialem cuiuslibet essentiæ productricem, atque seruatricem: Iam vero quia vnitas hæc est præstantior quàm essentia, coniicimus hanc vbicunque est, præsentia vnitatis diuinæ fieri atque conseruari.

De intellectu etiam nostro, quomodo est semper in actu.

Sexta consideratio est de anima simul atque mente, hunc in modum: Natura oculi diaphana id est, translucida, fit potissimum à natura solari, idcirco lumen naturaliter apperit, facileque impletur lumine Solis: similiter diaphana in cœlo natura proficiscitur à cœlesti quodam lumine, secundum ordinem vniuersi antecedente diaphanum, emanenteque ab intellectuali lumine. Et confestim dum emanat diaphanum procedente, productumque implente, vnde cælum fit quasi oculus cælestis animæ, hoc diaphano simul atque lumine cuncta prouidentis: eodem pacto diuina mens sub lumine rationalem generat animam, quasi materiam sub illo diaphanam, impletque illam perpetuo lumine: quo anima semper tum seipsam intelligit à mente illuminatam, tum mentem semper illuminantem. Id autem agit perpetuo intellectus noster, animæ caput: rationalis vero facultas ad hunc quoque se habet quasi visus ad lumen, non quidem semper, sed aliquando rationaliter intellectum.

Quando igitur homo per rationem quodammodo seipsum intelligit, si modo perfectè intelligit, agnoscit interea se intelligentem esse: ergo & intellectualem, qua sic intelligat se habere naturam. Hæc ipsa (vt ita dixerim) intellectualitas, est intelligentia quædam, non tam in motu posita manifesto, quàm in statu nobis occulto. Quin etiam per rationalem intelligentiam contemplator intelligit in seipso ante intellectualitatem esse vitam atque essentiam, ad quas intellectualitas ipsa posterius accedit, vt actus: actus inquam ex quadam essentiæ vitæque fœcunditate progenitus. Vnde necesse est hanc ipsam essentiam atque vitam esse in se eminentiorem quandam intelligentiam. Probat quidem Plotinus hic animam ex intelligentia sui noua, habere prius æternam sui ipsius intelligentiam, quæ sit essentia vitaque fœcunda, ideoque habere se intelligibilia firma actu ibi perpetuo intellecta, cuius intelligentiæ imago quædam sit discursio rationis, quando peruenit ad summum, vnde intelligentia nominatur. Nos idem sic aliter confirmamus: Tria sunt in ordine rerum ad cognitionem nostram pertinentia: singulare quiddam, id est, hic homo, & species communicata singulis, id est, homo: item idea hominis super singula. Quoniam vero hæc tria essentiali quodam ordine à priori in posterius disposita differunt, vires quoque propriæ cognoscentes, hæc similiter inter se differunt: singulare quidem imaginatio iudicat, speciem vero communem singulis ratio corrigit & discernit, ideam autem intellectus agnoscit. Quoniam vero idea longius differt à specie extra quam existit, quàm species ab indiuiduo in quo seruatur, ideo intellectus à ratione longius quàm ratio ab imaginatione distat. Verumtamen intellectus inest animæ: alioquin non posset animus augurari ideas esse per rationem, nisi ratio id ageret per insitam nobis ab intellectu virtutem. Et quia ratio singula resoluit ad vniuersale, & corpus ad incorporeum sine imaginationis nostræ subsidio, imo ea inuita, quæ retrahit ad oppositum: ideo intellectus absque motu argumentoque rationis semper intuetur ideas, semper inquam. Nam si non peruenit ad illas imaginatione argumentatioueque noua, aut nunquam peruenit, aut semper habet. Merito cum anima sit media inter æternitatem atque tempus (essentia enim eius fixa est, & antecellit motum ab ea dependentem) consentaneum est, vt eius essentiæ fixæ, eo ipso signo, quo præcedit motum, vis actionisque insit prorsus immobilis, & stabiliter intuens, quippe cum hic intuitus ab essentia & virtute stabili ad ideam omnino stabilem vergens, vtrinque stabilitatem sibi vendicet. Sicut ergo in anima ex eo quod sub æternitate est, conuenit imaginatio mobilis, sic ex eo quod super tempus, competit intellectus immobiliter agens. Actus quidē intellectus omnino immobilis est: actus autem imaginationis omnino mobilis, actus denique rationis est mixtus, neque posset anima esse congruum vniuersi medium, nisi tria hæc in se possideret.

Quomodo Deus est super motum & statum, & cognitionem. Item de eo quod in actu est, & quod in potentia.

Septima consideratio probat in primo omnium principio nullum esse motum, ne dum fluentem sed nec etiam metaphoricum, qui est actus tendens ad illud: Non enim tendit in aliud, quod est primum penitus atque vltimum. Probat nec ibi esse statum, scilicet quietem ad quam tendit motus, oppositam motioni. Omnino vero nec quiescit in alio quod non mouetur ad aliud, neque propriè quiescit in se quod est ipsa simplicitas. In eam eiusmodi distinctio nulla cadit, per quam distingui solet quiescens, tum à quiete, tum etiam à sede in qua quiescit. Iam vero motus à statu vim habet, dum à stabilitate motiuæ virtutis suum seruat tenorem, status autem ab vnitate: Stare enim nihil est aliud, quàm vnitatem propriam conseruare. Vnitas igitur ipsa & motum antecedit, & statum. Antecedit igitur & actum intelligentiæ, qui motus quidam est à potentia intelligendi ad verum intelligibile tanquam bonum. In omni ergo intelligente, etiam si seipsum intelligat, distinctio talis consideratur, in primo autem nulla est absoluta distinctio. Denique alia quidem ratio est existentiæ, alia prorsus intelligentiæ: Non enim quicquid existit, intelligit. Primo quidem principio existentia concedetur: si addatur intelligentia, tum compositio fiet, tum constabit existentiam ipsam sibimet ad perfectionem minimè sufficisse: quandoquidem intelligentia indiguerit, per quam tenderet ad profectum. In octaua consideratione notabis conditionem actus formalis potentiæque formabilis inter se opponi: adeo vt potentia hæc accipiat actum, actus vero qua ratione actus est, potentiam non recipiat. Vbi ergo actus est solus, vt in primo, sempiterna res est: quoniam nulla ibi ad aliam formam potentia latet. Item vbi potentia tota formabilis translata est in naturam formæ, adeo vt forma illic nullo modo ad naturam potentiæ retrahatur, res etiam est sempiterna: præsertim quia potentia illic totum habet actum quantumcunque potest, cupitque habere: quales sūt intellectuales essentiæ, ignisque cœlestis. Ignis autem sub cœlo inter inferiora perfectius est, quatenus maximè est in actu, quod apparet ex efficacia formæ, & ex motu perpetuo, & quoniam non tolleret mixtionem: Quoniam vero

materiam habet sub actu, nec eo contentam, non est semper. Non consideratione meminetis, ipsam intelligentiam non esse bonum ipsum simpliciter, primum atque vltimum, alioquin esset simpliciter expetenda: nunc autem conditione quadam eligitur. Eligis enim cognoscere, si modo cognoscas bene fœliciterque, & quod tibi tanquam bonum sit profuturum. Item ipsum bonum non habere sui ipsius agnitionem, tum quia aliud hæc est, aliud ipsum bonum: tum quia si ante agnitionem sibi sufficit, non est addenda, sin minus, non erat ipsum bonum. Quo autem pacto Deus neque cæcus sit, neque ignorans, etiam si ei cognitio non addatur: super quam Dionysius Areopagita eum collocat, in quinta sextaue Enneade opportunius explicabimus.

IN LIBRVM I. ET II.

DE ANIMA.

Intellectus primus est essentia prima, à quo & in quo sunt semper intellectus alij. Itemquomodo anima sit indiuidua simul atque diuidua.



Voniam quæ hic Plotinus de anima disserit, alibi latius pertractauimus, præsertim in primo, & tertio, & septimo theologiæ libro, ideo hic breuiter attingemus. Generatio sepet contendit ad esse: primo quidē ad esse nudū, deinde ad esse viuum, posthæc ad esse quod dicitur sensuale, denique ad esse intellectuale tanquam summum, vbi anima intellectualis ad corporis descendit commercium. Eiusmodi vero ordo essentiæ vel essendi in generationis gradibus acquisitus. Super hunc ordinem extat ordo essentiæ in æternis gradibus vniuersi, in quo summum tenet velut principium ipse simpliciter intellectus: à quo intellectus animalis in generatione descendens, summum tenet in toto generationis ordine tanquam finis, non quidem simpliciter generatione factus, sed accommodatus corpori ad prouidentiam totius explendam. Est autem ipse simpliciter intellectus vbique totus, sunt & in eo non solum per ideas, verum etiam per proprias (vt ita dixerim) existentias intellectuales animæ, secundum intellectualem sibi propriam facultatem, etiam dum sunt in corpore. Quemadmodum lineæ à centro ad circumferentiam vsque productæ, non discedunt à centro dum attingunt circumferentiam, & radij non relinquentes solem interim terrena contingunt, atque sicut lineæ radiique extra prominentes inter se loco distant, in ipso tamen principio sunt loco simul: Sic animæ apud nos secundum corpora situ distantes, ibidem sunt omnes secundum intellectum in mente diuina: secundum intellectus inquam suos, illic inter se differentes, sicut & linearum radiorumque termini inter se sunt alij, etiam vbi centrum solemque contingunt. Hinc effici vult Plotinus, vt intellectus Prophetæ hominisque abstracti, & si in Oriente tantum videatur esse, prospiciat tamen quæ fiunt in Occidente, atque ex vno quodam loco miraculosum aliquid agat in alio, & cogitatione affectioneque sua clam moueat alios, quia videlicet intellectus omnes in se inuicem, & vbique sunt, quandoquidem sunt semper in simplici mente diuina, tota semper vbique præsente. Qua quidem præsentia & Deo percipiat preces, & homines cum Deo familiarissimè colloquantur. Esse quoque vult intellectus eiusmodi familiares hominum dæmones, assiduoque duces singulis singulos attributos. Nam externi dæmones fortè non adeo possunt singuli hominibus singulis adhiberi. Censet Platonem, vbi ait in Timæo animam componi ex essentia quadam diuidua, itemque dinidua circa corpora, primam essentiam intellexisse intellectualem animæ potestatem, nunquam ad corpora declinantem: secundum vero illam animæ naturam, quæ corpori se prorsus accommodat, quæ tamen interim indiuidua dicitur, quoniam & anima corpori copulata, quantumcunque membra corporis inter se distent, ipsa à seipsa non distat: quippe cum eadem in quolibet membro sit tota, ita vero se habere vtramque (vt diximus) animæ facultatem, tum in anima nostra, tum etiam in anima mundi. Cæterum cum dicat intellectum & mundi & hominis omnibus sui corporis membris esse præsentem: itemque diuinum intellectum partibus mundi cunctis adesse, cur non ex hoc saltem dicitur ita per corpus esse diuisus, vt anima? quia videlicet intellectus quilibet sua præsentia nihil tribuit corpori, nisi per animam, vt videatur adesse potius, quàm inesse. Præterea intellectus æquè se habet in qualibet corporis portione, vt videatur penitus indiuisus: anima vero aliam sui vim actionemque in hoc membro, aliam in alio exercet, vitamque & sensum atque motum per diuersos gradus corporis sui membris accōmodat, itaque diuisa quodammodo videtur in corpore. In secundo hic de anima libro notabis Endelechiam illam Aristotelicam, qua anima dicitur actus & perfectio corporis, accipi posse etiam apud Aristotelem non solum pro forma, & anima à corpore inseparabili, sed etiam pro ea quæ sit à corpore separabilis. Proinde considerabis quod propriè diuiditur, id in substantia diuidi, quod vero mouetur, posse moueri quidem propriè, secundum accidentia eius & qualitates atque modos, interim tamen substantia permanere, ideoque diuisione potius quam motu attingi substantiam, atque lædi. Cum vero in ipso rerum descensu bonum quidem exordiatur à summo, malumue à minimo, merito descendendo rem propriè mobilem prius quam propriè diuisibilem reperimus. Igitur sub intellectu diuino, qui & indiuiduus est penitus, & immobilis, inuenimus animam indiuisibilem

quidem, quamuis propriè mobilem: deinde formam qualitatemque corpoream vndique mobilem atque diuisam. Demum corpus, quod & huius diuisionis origo est, ac velut iners aliunde mouetur. Quando vero animam diuisibilem dicimus, non propriè, vt de corpore atque etiam qualitate, sed impropriè loquimur, intelligentes non quidem sectam secundum corporis sectiones vt qualitas, sed accommodatam corpori mobili diuisoque, viresque suas, & actus, & dona aliis membris aliter distribuere. Notabis interea molem formamque corpoream, natura sua penitus dissipabilem, tum in nobis tum in mundo non posse aliter colligari, quàm ab anima, quæ non sit æquè diuisa, sed in qualibet parte sit tota. Item mundi animam quatenus in se multitudinem habet virium atque formarum, quodammodo mobilem esse accommodatam ad corpus mundi viuificandum, accommodatam inquam ab ipsa mente diuina immobili quidem omnino, habente tamen multitudinem in se formarum, quamuis non vsque ad minima differentium ibi sicut in anima differunt. Item quatenus & in mente diuina primum, & deinde in anima mundi regnat vnitas, viget que simplicitas eminens, inde ratione quadam intellectuali sapienterque omnia regit. Conclude quinque hic rerum gradus: Ipsum bonum vnum in se tantum est, diuina mens, vnum, multa, anima tum mundi, tum nostra vnum in se est, atque multa. Qualitas formaque corporea quælibet multa in se est & vnum, corporis ipsa moles non vnum iam secundum se, sed multa censetur. Reliqua in Theologia (vt diximus) exponuntur.



IN LIBRVM
DE DVBIIS ANIMÆ PRIMVM,
qui tertius est Enneadis quartæ.

In CAPVT I.

Quod animæ nostræ differant ab anima mundi, neque sint ab ea.



Rimus de dubiis animę liber septem præcipuas continet quæstiones. Prima quærit vtrum animæ nostræ sint ex anima mundi, siue vt partes eius, siue vt quidam effectus ab ea: secunda, quomodo anima insinuetur corpori, scilicet quia proprietate, quo ordine differenti, qua lege institiæ. Tertia, vtrum anima extra corpus viuens discursu quodam rationis vtatur. Quarta, quo pacto in anima dicatur impartibile aliquid simul, atque partibile. Quinta, vtrum anima aliquo modo sit in loco, & qua conditione sit in corpore. Sexta, vbi sit anima quando seorsum est à corpore. Septima, vtrum animæ seiunctæ humanarum rerum reminiscantur, & simpliciter de memoria atque reminiscentia. Suspicabitur fortè aliquis animas nostras esse quasdam mundanæ animæ partes, idque ex tribus Platonis dictis asseuerabis. Primo quidem quod in Philebo videtur innuere, quemadmodum corpora nostra mundani corporis partes sunt, sic & animas animæ. Deinde & quod in repub. & in Phædro pariter & in Timæo sentire videtur, animas nostras sequi totius mundi circuitum, & inde mores fortunasque accipere. Postremo quod in Phędro dicit, animam quoque nostram totius inanimati curam habere. Videtur autem communis hæc cura duntaxat ad mundi animam pertinere. Videtur insuper verisimile, homines intra mundum genitos vitam à modo sortiri, & quasdam totius vitæ portionis habere. Hanc equidē suspicionem in Theologia, vbi contra Auerroem agitur pro viribus è medio sustuli. Atque hic ad eandem similiter extirpandam in primis vna cum Plotino sic agamus. Præstantior est forma quàm materia, & totum partibus, igitur si datur totum materiale, datur & formale totum. Item si totū ex partibus, ergo & totum ex totis. Cum enim vniuersum summa ratione optimeque sit constructum, merito quicquid optimè se habere ratio vera concludit, iam extat in vniuerso: nam & inde ratio id coniectat. Totum materiale dicitur sicut lignum: nam & si multiplicatur in partes materiali diuisione, non tamen multiplicatur in formas. Totum formale est arbor: in multas enim diuiditur formas inter se perspicuè differentes. In hoc quoque toto formali verum inest materiale totum: nam ex eo quod in formas particulares distinguitur differentes, etiam in materias quodammodo differentes, formis scilicet propriis differentibus. Cum igitur mundus sit totum absolutissimum, certè & formale totum est, totumque ex totis. Non erit autem totum ex totis, nisi multa sint in eo non solum differentia formis, sicut in arbore, sed etiam secundum existentiam quoque disiuncta, & actionibus segregata, sicut cantores in choro, vbi vnusquisque & communi officio cum cæteris ad idem congruit, & interea proprius est, & sui iuris existit. Oportere autem mundum hunc esse verum totum ex rebus verè totis, non solum eius perfectio postulat, sed etiam exemplaris imitatio exigit: nam & illud totum est ex totis. Illic enim in vnoquoque aliter aliterque sunt omnia, sed in hoc insuper mundo localem quoque rerum disiunctionem adducit operis huius conditio, dimensioni locoque, & motui, temporique subiecta. Denique vbi perfectiores sunt partes, perfectius est & totum. Partes vero perfectiores sunt, quę existentiam propriam, propriumque habent officiū. Sic ergo & totum magis formale est, vbi partes magis sunt formales. At vero ibi formales magis, vbi magis formis atque existentiis siue substantiis & actionibus distinguūtur. Ad hoc autē vt totum sit verè vnum: satis profectò facit ordo

cunctorum, vnus ab vno pariter & ad vnum. Ex his apparet non esse probabile, hanc mundi machinam vnicam duntaxat habere animam, sed probabilius esse, plures adesse animas, & animalia plura præter mundanam animam, animalque mundanum. Atqui & in nobis esse propriam animæ nostræ substantiam ab ipsa mundi anima differentem inde conijcimus, quod proprium noster animus liberumque possidet arbitrij motum. Qua de re in Theologia de libero disputantes arbitrio satis egimus. Alioquin si pars totius foret, subito totius impetu raperetur, neque foret discursionis rationalis & consilij compos, neque aberrare posset, quandoquidem anima mundi errare non potest. Liberum vero in nobis arbitrium Plato in decimo de Repub. & in Phædro atque Timæo absque dubio ponit, & Aristoteles vbique confirmat. Omnino vero ponere nostras animas esse partes animæ mundi, nihil aliud est, quàm dicere, hanc animam tuam esse ipsam totam mundi animam, meamque similiter. Illa enim diuidi nequit in varias portiones, sed tota indiuiduaque & eadem prorsus est simul vbique. Cum vero mea nunc & tua inter se omnino repugnent actionibus opinionibusque, & affectibus, & habitibus, non possunt eadem anima, eademque mens existere. Præterea si animus meus est quoquomodo pars animæ mundi, non habet propriam existentiam, nec insuper propriam actionem. Non igitur reflectitur in seipsum, neque seipsum potest animaduertere, imo & tanquam pars quæpiam angustissima non poterit mundum totum cogitatione complecti, neque percurrere, neque super hunc mundum animamque ipsius aliquid cogitare. Considera corpus humanum, non est hoc continuæ quædam portio machinæ, sed secundum propriam seiunctum est figuram simul & motionem. Cum vero anima, & præstantior sit quàm corpus, & figuræ huius motionisque origo: nimirum non quasi continua est mundanæ animæ portio, sed substantiam possidet propriam. Iam vero neque facta est ab ipsa mundani corporis anima, quod enim ipsa facit, mobili facit proprietate, ideoque mutabilem adeo facit essentiam, vt nequeat immutabile quicquam attingere. Animus vero noster & motum resoluit in statum, & mobilia subiicit immobilibus. Denique cum animus noster sit quædam intellectualis essentia, merito sit propriè ab ipso simpliciter intellectu, à quo nascitur & anima mundi, quæ & ipsa similiter intellectus quidam est scilicet animalis. Hinc efficitur, vt anima nostra possit similiter atque anima mundi fieri compos intelligentiæ, & ad illa quæ super mundum sunt æterna consurgere: reliquæ autem animæ præter intellectuales, vel exoriri vel pendere à mundi anima possunt.

In CAPVT II.

De duplici anima, & quod animæ nostræ non sunt partes animæ mundi.

IN capite secundo notabis imperfectum quodlibet in cuouis genere reducendum esse ad perfectum aliquid in eodem genere positum, per quod redueatur ad perfectum aliquid supra genus: ideoque animam ratione carentem velut imperfectam, quæ & pars compositi est, & instrumentis addicta corporeis, reducendam esse ad rationalem intellectualemque animam, sui iuris & in se perpetuo consistentem: idque faciendum esse tum in nobis, tum in dæmonibus, & stellis, sphærisque, & mundo. Quæ opinio valde consonat cum Peripateticis, duos in cælis motores rite locantibus, quorum alter corpori mobili sit coniunctus, vt forma, mobilisque sit motor: alter autem sit motor quodammodo separatus immutabilisque, & primum motionis principiū atque finis. Proinde Platonici quidam non legitimi, qui dicebant hominum animas esse partes animæ mundi, interea fatebantur ipsam mundi animam esse substantiam indiuiduam, sempiternam, vnam, simplicem, vbique totam, & propterea consequenter addebant quamlibet hominis animam esse animæ mundanæ conformem, rotamque simul & eadem attingentem, quæ tangit & anima mundi. His vtique positis non possunt animam mundi in nostras ita secare, sicut vel magnitudo quædam in particulas, vel numerus in vnitates diuidi solet. Sic enim illa quæ dicitur rotius anima eiusmodi diuisione periret, neque restaret vna. Non possunt insuper illam in has diuidere, sicut calor totius corporis in partes caloris membrorum diuidi videtur: nam animam illi substantiam esse volunt in corpore non extensā. Atqui calor ipse non propriè secatur: sed dimēsio in qua est calor: ideoque cuiuslibet membri calor ipse communis potius est calor in parte corporis, quàm pars caloris, verumtamen diuisionē per accidens quodammodo patitur, quatenus per extensionem corporis æqualiter est extensus, anima vero non ita. Nam absque vlla extensione sua dimensioneque dimensionibus adstat, vt diuisibilia quæque distantiaque perfectè connectat in vnum. Neque possunt rursum distribuere mundi animam sic in nostras, vt scientia tota in suas distribuitur notiones: Nam siue nulla sit præter notiones rota quædam scientia, ita non erit vsquā vna communis anima, siue sit præter illas vna quædam, non erit accommodata mundo, sed eminens. Afferent denique, sic nostras animas dici animæ mundanæ partes, perinde ac si quis dicat, animam nostram in manu vel pede esse partem totius animæ nostræ. Sic itaque diuidentes, nihil diuidunt, & omnino diuisionis vocabulo abutuntur. Vna enim eademque anima membro cuilibet adest vbique tota simul, quę cunctas in se animales potentias habet vbique, quamuis alias per alia membra velut instrumenta actiones exerceat, passiones quidem sunt imēbris. Iudex autem sensibilium passionum tandem vnus est, vnum exhibens de diuersis comparando iudicium, tum imaginatione, tum etiam ratione, sic inquam fit in nobis. Non potest autem omnino similiter fieri, & in mundo in duo si vnica singulorum esse fingatur anima, poterunt quidem diuersi homines diuersa pati: sicut nunc in quolibet nostrum instrumenta diuersa, sed vnicum denique iudicium adhibebitur, eadem opinio, intelligentia eadem. Hæc enim ad iudicem pertinent passionis expertem: si modo verus si passionum rerumque iudex, & ideo extat in se à patientibus quodammodo segregatus, ideoque vnicus, neque propter varia instrumenta diuersus. At vero cum contraria in hominibus inter se iudicia sint, propriè nimirum intelligentiæ sunt, propriæ quoque substantiæ sunt animarum, siquidem non per instrumenta, sed per intimam substantiæ facultatem officium rationale peragitur.

In

IN CAPVT III.

Multæ sunt, præter mundi animam, intellectuales animæ, quæ non externis terminis, sed intimis inter se distinguuntur.

IN capite tertio atque deinceps quod iterum reperitur, non posse fieri, vt anima in mundo sit vnica, rursus ita confirmo. Prouidentia summa, totius ad summam vniuersi decorem in ordine consistentem varia rerum genera fore constituit, & innumerabilia iterum indiuidua. Inter hæc verò velut valdè distantia diuersas in quolibet genere species esse voluit, amans præ cæteris copiam specierum, velut rerum admodum perfectarum. Quod si in generibus inferioribus anima ordinem quamplurimum digessit in gradibus specierum, cur non & in natura genereque animæ parem copiam affectauerit, similemque graduum ordinem per differentes animarum species disposuerit? quandoquidem & animæ ipsius natura propter conditionem eius quodammodo compositam mobilemque accommodatamque corporibus multiplicabilis sit, propagabilisque per corpora. Etipsa quinetiam natura mentis, quę compositionem aliquam non excludit, imò & includit aliquam, in mentes valeat plurimas deriuari: sed de mirabili mentium numero in primo Theologiæ satis est dictum, per quem confirmatus sit & numerus animarum, denique solum primum ipsum vniuersi principium, propter summam primi simplicitatem, naturarum in se numerum non admittit. Reliqua sub hoc genera rerum, scilicet mentis, animæ, naturæ, corporis & recipiunt numerum specialem, & iam habent tanquam ad commune totius bonum maximè pertinentem. Non potest autem animæ ipsius natura primum tenere in rerum ordine gradum neque secundum, sed necessario tertium: quod nostra satis Theologia probat. Non cogitur itaque esse vnica, neque debet rursum, neque denique potest. Præterea cum Plato animam mundi asserat esse semper in corpore, eandemque semper agere vitam: nostras autem aliquando à corporibus separari, atque separatas in diuersa proprietate subsistere, & differenti inter se conditione viuere, & secundum electiones proprias sortiri rursum differentia corpora, ac denique pro arbitrio dissimiliter viuere, & pro vitæ dissimilitudine discrepantes post obitum sortiri viuendi gradus: quisnam Platonicus animam poterit vnicam suspicari? Enimuero si quis aliquando suspicetur more Auerrois esse vnicum in cunctis hominibus intellectum, nos vtique non similiter aduersus eum sicut de anima dubitabimus, nec principaliter obiiciemus, quonam pacto alius quidem intellectus sit in corpore, alius autem extra corpus, item quomodo in corporibus tam diuersis possint ne esse omnino consimiles intellectus, vt modo de anima dicebamus. Animæ namque tanquam declinantes ad corpora, præter intimas inter se differentias differunt quoque per actiones varias circa varia corpora, perque corporum ipsorum diuersitatem. At si quando intellectus qui separatiores sunt quàm animæ actionesque proprias absque corporeis peragunt instrumentis probaturi simus inter se differre, non ad corporum actionumque eiusmodi varietatem confugiemus, sed ad diuersas potius intelligentiæ species modosque intelligendi admodum discrepantes, intellectionesque & habitus in eodem tempore inter se repugnantes, quę vnico simul intellectui esse non possint.

Sicut enim in primo intellectu differentiam inter multas notiones eius non aliter assignamus, quam ex formalium intus proprietatum diuersitate, sic assignaturi intellectuum aliorum inter se differentias, eas ex intimis proprietatibus afferemus. Decet enim multas esse mentium & intelligentiæ species, si tam diues est natura corporum mentibus longè deterior, vt multæ sunt species metallorum, plures plantarum, plurimæ animalium, vnde appareat, & dæmonum mentium qualescunque sint, esse complurimas. Quinetiam animæ ipsius naturam, quæ indiuisibilis substantia est, perpetuoque in seipsa subsistens, non decet ita in plures animas distribuere, iterumque plures in vnam quandoque confundere, sicut aquam multam partimur in partes, easque rursus confundimus in eandem. Neque debemus iterum sic vnam in plures animam deriuare, sicut lumen à Sole vnum in plura domicilia per fenestras quodammodo distribuimus, paulò post in idem penitus resoluendum. Lumen enim visibile accidentis more dependet omnino, nec propriam retinet subsistentiam. Longè vero diuersum est ab hoc luminis intelligibilis intellectualisque genus, non accidens quidem, sed substantia prorsus absolutissima. Ideoque si differentes inter se gradus habet, eos non extrinsecus accipit, sicut accidentales formæ, sed intrinsecus, proque differentibus proprietatibus eius multas admittit (vt ita dixerim) subsistentias, easque specie distinctas in eodem genere seruat confusionis expertes. In hoc sanè intellectualis substantialisque luminis genere rationales animas collocabis: Et quomodo differant inter se cognosces, neque vnquam confundantur in vnam viliorum more liquorum: Cognosces necesse tales ad mundi vitam, qualia sunt vestigia quædam vitæ in animalibus ex planta nascentibus: siquidem & vitam vniuersi actione percurrunt, affectuque transcendunt: neque finges eas nihilo ab anima mundi differre, quasi sint quædam propagines eius per mundi corpus: nec aliter anima mea à tua differat, quam quia differunt inter se corpora, per quæ facta fuerit propagatio: nec aliter vtraque differat ab anima mundi, quam quia illa quidem sit radix plantaue prima: hæ verò sint ex illa propagines. Sic enim intellectualis ipsa Socratis anima post obitum in mundi animam (vt fingitur) resoluenda, dùm propriam perdiderit existentiam, esse omnino desiner quam accesserit ad esse perfectum. Quod quidè intellectualis natura non patitur: non externis ad distinctionem suam terminis indigens, vt liquores, atque lumen, sed velut exactior, intimis in species suas & existentias terminis distributa. Probatum satis in Theologia fuerit, rationalem animam quatenus intellectualis est, tanto perfectius se habere, quanto longius seipsam à corpore separauerit: perfectius inquam, se habere ad propriam sui substantiam peculiaremque proprietatem. Cum verò summopere à corpore separetur in obitu, tunc sanè necesse est propriam huius animæ substantiam esse perfectam: vnde fingere liceat nemini, mentes singulas in vnam quandoque confundi, subitoque disperdi.

IN CAPVT IIII.

Intellectuales animæ non per accidentalia, sed per essentialia propria inter se distinguuntur: & quomodo multæ animæ dicuntur esse vna, atque ab vna.

CVm enim primus intellectus & essentia prima sit idem, merito intellectus omnes sunt essentiæ veræ, ideoque veris inter se differentiis distributæ, id est, non per accidens, nec terminis acceptis extrinsecus, vt diuisæ continui partes, & ipsæ inter se molles, & plurimum materiales formæ, sed pro dignitate essentiarum suarum in se subsistentium, propriis intimisque differentiis & terminis distinguuntur. Verius enim distinguitur hoc ab illo, si discrepet proprietate formali, quàm si materiali diuisione, vel accidente, vel loco. Quilibet igitur intellectus essentiam suam & esse possidet in sua quadam intima prorsus identitate, & (vt ita loquar) alteritate. Identitate inquam prout est simplicissima forma, à sua simplicitate nunquam cadens: alteritate rursum, prout eiusmodi forma per seipsam talem velut per suam proprietatem à re qualibet alia, & à quolibet alio distinguitur intellectu. Quòd si primò & per se distinguitur, permanet semper procul à confusione discretus. Cogita in mente diuina magnam animam, id est, ideam animarum intellectualium generalem, in qua conceptæ sint & species animarum, & illa idea quidam intellectus est ibi, & hæ species ibi quidam sunt intellectus. Distinguuntur autem illic inter se ideales intellectus eiusmodi, non quidem existentiis differentibus, (vnica enim hactenus substantia est) sed ratione quadam & proprietate formali. Essentiales autem eiusmodi proprietates si cogitantur extra prodire, distinguuntur subito magis, distinguuntur igitur existentiis. Adeo enim intus sunt efficaces, vt foras agant non accidentale aliquid, sed substantiam, substantiasque diuersas pro rationum diuersitate formalium. Substantiæ quidem eiusmodi è proximo prodeuntes ab intellectu primo, intellectuales inprimis existunt. Quoniam verò & ipsæ sunt admodum efficaces ad conceptum videlicet intimum, ideo vnaquæque proprietatem quandam exprimit in seipsa ex intellectuali iam animalem, magisque in plura distinctam. Sicut vel à scintilla radius emicat, vel ab intimo imaginationis verbo simpliciore, verbum in prolatione multiplicius iam mobiliusque producitur. Prodeunt igitur ex vna ideali anima foras animæ multæ, tum mundi, tum etiam aliorum. Quæ etsi differentes substantiæ sunt, sunt tamen inter se quodammodo vnum triplici potissimum ratione, tum quia sub eadem idea cunctæ, tum quia locis & temporibus minimè distinguuntur, tum etiam quoniam per intellectuales suos quælibet apices vno eodemque, secundum actum formantur intellectu diuino, eundemque cunctæ perpetuo contuentur, mitto quod ad eundem naturaliter omnes conferunt vniuersalis prouidentiæ finem.

(.:) (.:) (.:)

IN CAPVT V.

QVOMODO ANIMA QVÆlibet rationalis est omnia, & quomodo differant inter se species rationalium animarum.

SVmmum omnium principium propter summam suam simplicitatem est super omnia, tum propter potestatem mox efficit omnia. Intellectus igitur eius filius est primum omne, ideoque est omne perfectè, & idcirco quælibet eius idea est omnes ideæ, anima igitur ab idea propria naturaliter & proximè profluens secum contrahit omnia: quælibet igitur intellectualis anima est vniuersum. Id totum rursus confirmo: primum in quolibet genere & simplicissimum ibi est, & ibidem continet omnia. Cum igitur intellectus ipse primus sit prima forma, merito & vniformis est, & vniformis existit. Itaque omnis rationalis anima quatenus intellectualis est, non solum forma simplicissima est, sed etiam est omniformis, & omnia: omnia inquam actu, sicut & intellectus ipse est actu omnia. Quatenus autem anima non tam intellectualis iam, quàm animalis euadit, retinet quidem munus idem quo fit adhuc omnia: sed minus perfectè retinens, est iam in potentia vniuersum, & merito, quando Deus eam rerum mediam collocauit, eam ex omnibus temperauit.

Temperauit autem ita diuersas species animarum, vt anima quæ mundi vniuersalis vita foret, ad intellectum semper conuerteretur vniuersalem, atque vniuersaliter insuper, & insuper attentissimè. Vnde factum est, vt vniuersalem semper totius gereret prouidentiam, atque hanc potestate mirabili, ideoque & facilitate mirifica: siquidem potestas omnis venit ex alto. Animæ verò reliquæ post hanc cœlestes ad intellectum quidem vniuersum conuerterentur: nec tamen adeo vniuersaliter, nec attentione pari: ideo prouidentiam neque tam vniuersalem agunt, neque etiam tam potentem. Inferiores tandem his animæ ita constitutæ sunt, vt aliquando ad intellectum se verterent vniuersum: atque tunc siue magis siue minus vniuersaliter vel attentè: ideoque aliàs cum vniuersali magis concurrerent prouidentia, aliàs verò minus, minus quoque potenter. Item vt aliquando non tam ad vniuersum, quàm ad proprium se flecterent intellectum, minusque perfectæ forent: quandoque ad rationem, vbi & perfectè minus: interdum ad imaginationem quamplurimum laberentur, deterrimæque euaderent. Denique rationalis anima quando in se explicat vniuersum, ad vniuersalem animæ mundi admittitur prouidentiam, quando verò in se gradatim ab vniuerso munere cadens ad partem muneris sese dirigit, particularem gradatim subit curam, corpusque proprium magis induit, magisque laborat.

IN CAPVT VI. & VII.

Respondetur ad dubia, & probatur rationales animas non esse ex anima mundi.

PLato probaturus in Philebo mundum esse animatum: inquit: Vndenam haberet corpus nostrum, quod ex partibus elementorum

componitur, animam, nisi mundus qui ex totis componitur elementis, animam possideret? Id est, intellectus mundi faber non adeò fuit imprudens, vt nobis daturus animam, non datet & mundo: præsertim, quia mundi anima per vniuersalem influxum præparatura erat materias animalium seminales ad animas proprias vndecunque suscipiendas. Ideo corpus nostrum habet & animam intellectualem non aliunde quàm mundus, id est, ab eodem mundi fabro, & animam sensualem plurimum ab anima intellectuali nostra, conferente ad hoc in primis anima mundi. Timæus quoque rationales animas non ab anima mundi, sed ab eodem authore, à quo & illam, & ex generibus consimilibus asserit constitutas: neque has esse vel illam, vel partes, vel vires illius, sed esse à Deo in diuersis speciebus gradibusque dispositas, vnde & has labentes in corpora errantesque introducit & exeuntes, quod animæ mundi contingere nequit. Ait autem in Phædro, quotiens particularis anima, quæ & vniuersum est in potentia extra corpus hoc ad vniuersalem se formam actu cogitando, amandoque conuerterit, hanc quoque ad vniuersalem mundi prouidentiam admittendam, cœlesti videlicet corpore ab initio præditam: siquidem & in corpore caduco Philosophus contemplator, ciuilisque idem pro viribus experitur. Proinde sicubi Plato videtur innuere, animas sequi cœlestem motum, ibidem atque alibi subdit etiam posse non sequi. Probatum est quinetiam, posse prudentia, arte, moribus cœlestium influxibus repugnare, ex quo apparet, si qua in nobis est vita pedissequa corporis, perque hoc fato seruiens, hanc ab anima etiam mundani corporis posse pendere: sed eam in nobis animam quæ corporeis incitamentis mundanisque resistit impulsibus, altius quam à mundo descendere. Atqui & si intra mundum geniti sumus, aliunde tamen animam habemus superiorem, quæ metitur & mundum. Nam & fœtus in aluo aliam accipit animam præter matris animam & aliunde babet animam quam à matre.

IN CAPVT VIII.

Quomodo animæ differant, & quomodo sint immortales in propria forma restantes, & quomodo anima mundi vbique præsens omnibus conducat ad vitam.

IN octauo capite hæc in primis considerabis, ad hoc ipsum aut animæ nostræ rum inuicem, tum etiam cum anima mundi adeo consentiant, quòd consimili sæpè afficiantur instinctu, & impulsus aliquis facilè ab aliis fluat in alias, & particulares animæ clam moueantur ab vniuersali: non est vtique necessarium, animas nostras esse ab anima mundi progenitas. Satis enim ad hanc consensionem, & quasi compassionem facit communis ipsa tum animæ mundanæ, tum aliarum ex eadem mente diuina, eademque generali animarum idea, similisque processio. Proinde quatuor præcipuè sunt humanarum differentiæ animarum. Differunt quodammodo secundum corporum differentias, quando motus magis minusve concitatos pro differentia sanguinis bilisue & spiritus habere videntur. Differre dicuntur ex præcedenti vita, si verum sit, hanc animam ad actiones, illam ad contemplationem nunc promptiorem existere: quoniam hæc quidem ante ortum negotiosissimam egit vitam, hæc verò prorsus contemplatiuam. Differre quoque Platonici putant, quodammodò specie naturaliter ab initio, siquidem sub eodem genere proximo humanæ sint animæ, differunt autem inter se specialibus quibusdam, & si quàm minimis potest fieri differentiis, quibus à summo quodam gradu per secundum tertiumue & quartum distribuantur. Differre denique putant, quòd quamuis quælibet rationalis anima sit vniuersum, potest tamen libero quodam motu aliter atque aliter se afficere, prout alia se vertit ad vitam contemplatiuam, alia ad actiuam, alia ad voluptuosam. Et quæ ad contemplandum se conferunt aliæ hanc formam contemplationis eligunt, aliæ præter cæteris illam, & quam elegerunt, mox induunt quasi naturam. Quanquam verò anima quæuis est omnia, eiusmodi tamen quasi paritas non efficit animas inter se sine vllo discrimine pares. Est enim in mente prima communis idealisque animarum ratio, non indiuidualis quidem duntaxat, sed admodum genitalis, varios inter se possidens animarum idealium gradus, quorum numerum sequitur par numerus animarum, & similis ordo. Et quemadmodum in mente diuina hæc quidem idea est aliter omnia, & aliter illa: sic anima hæc omnia aliter est quam illa, & aliter suo vtitur vniuerso. Rationi præterea consentaneum est, composita ex quatuor elementis posse in elementa pura resolui: ac si elementa deteriora nequeant omnino seorsum à præstantioribus esse, saltè alicubi præstantiora seorsum à deterioribus in sua puritate consistere: similiter compositum ex materia formaque tanquam geminis elementis, resolui quodammodo in materiam puram, & omnino redigi ad formam aliquam per se puram; quæ per se, & in se consistat absque materia, quamuis materia nequeat procul ab omni forma consistere. Sicut elementum (vt dixi) formale à materiali procul existit, quamuis è conuerso non accidat, in genere formarum eiusmodi intellectuales animæ numerantur. Eiusmodi quidem forma est essentia simplex, esse suum per se possidens in seipsa, in qua & esse suum idem est, atque essentialis vnitas eius. Contrà verò compositorum essentia sese habet: nempè in hac aliud est essentia simul atque esse quæ consistunt in multitudine, quam vnitas, quæ prout est vnitas, multitudinem non admittit, atque esse ibi sequitur vnionem, quam vnitas antecedit. Quorsum hæc? vt intelligas ipsam animæ formam, cuius esse idem est quod & essentialis vnitas eius, esse prorsus indissolubilem, quemadmodum est indissolubilis vnitas: præsertim quia si esse vbique in rebus est per formam, sequitur vt forma simplex in seipsa subsistens, esse suum semper in seipsa contineat. Præterea si forma simplex non mixta materiæ, perdenda sit, in nihilum redigetur, si generanda, ex nihilo generabitur, id autem Physica per se ratio non concedit. Est igitur anima sempiterna, præsertim, quia si de aliquo sit fingenda, neque tamen ex vllo quærat materiali, cogetur Deus eam eius author de sua substantia procreare: vnde cogetur esse mutabilis: præsertim si quando faciat quod antè non fecerat. Hæc ergo Plotinus significat, vt animam afferat sempiternam: quæ quantum affirmanda sint

in Theologia nostra satis est dictum. Inter hæc animaduerte, formas eiusmodi vnamquamque esse in vnum quiddam numero ab aliis, non per accidens, sed per se distinctum, per se inquam, quoniam animæ non accipiunt numerum ex numero corporum, vel corporalium qualitatum, quasi vna mundi anima per diuersas affectiones corporum propagetur in multas. Iam verò quælibet anima ita per se subsistit semper vnum numero, sicut in in sua essentia suum habet esse, atque esse suum idem est quod & vnitas eius. Sicut ergo essentia simpliciter animæ tanquam simplex & in seipsa consistens, sempiterna est, sic & quodlibet singulare illius esse: siquidem esse suum est solum in ipsius essentia. Item sicut esse est sempiternum, sic & vnitas quælibet numeralis, siquidem illic idem est esse quod & vnum aliquid esse. Non enim per externa, sed per interna distinguitur essentia simplex permanens in seipsa, vt nemini liceat somniare nostras animas personalibus quandoque dimissis proprietatibus in generalem quandam animam confundendas. Res quidem corporeæ ex materia formaque compositæ, vnitatem speciei perpetua successione conseruant, vnitatem vero numeralem propriamque nequaquam. Atqui, neque specialem conseruarent in se vnitatem, nisi ab anima generationis fonte perpetuo hanc haurirent. Anima igitur tanquam longè præstantior vnitatem in seipsa quælibet numeralem propriamque retinet semper, non solummodo specialem, imò sicut per ipsam composita quæ dissoluuntur, similibus temporibus redeuntibus, similia prorsus & eadem specie reuertuntur: sic anima mutans quodammodo in seipsa formam, velut præstantior corpus, ad eandem numero quandoque redit, & ad idem corpus, eandemque personam. Post hæc vbi quæritur quomodo forma simplex intellectualisque anima siue mundi siue nostra dicatur aliquando infinita? respondetur, non quia in infinitum diuidi queat, sed quia sine fine vigeat, & vbique & semper agere possit. Sic igitur nec anima mundi vel in animas diuiditur infinitas, vel qualitatis corporeæ more distenditur, quatenus molis mundi protenditur, sed vnica permanet, & quantumcunque corporis ex ea quicquam potest accipere, ipsa vbique integra vegetat. Animæ quoque nostræ sicut non fiunt numero totidem, ex tot corporeis portionibus atque qualitatibus, sic neque protenduntur in molem, & more albedinis extenduntur extensa materia: sed & totidem sunt, quot proprietates intimæ, & quantum molis ad earum præparatur influxum, tantum formant indiuiduo quodam & vbique toto perpetuoque vigore. Neque secatur anima nostra in plures animas, siue propter diuersa membra, siue membro quolibet amputato: sicut nec anima mundi ipsa in se vel diuiditur, vel fit plures animæ, partibus inter se mundi diuisis. Hæc enim vna permanens, quantumcunq; disiungatur pars mundi viuens, hæc ab alia tamen tota simul est in vtraque. Est & in medio propter continuitatem materiæ primæ, imò & essentiæ quintæ, quæ est proprium animæ susceptaculum. Inter hæc si cui Plotinus videtur in plantis & animalibus ex putrefactione genitis, non aliam ponere animam quàm mundanam, tu caue ne facilè id concesseris, id enim ipse videtur in libro de Animæ immortalitate refellere. Dices ergo ipsam mundi animam omnibus quidem talibus esse præsentem, neq; cogi hanc ipsam plures fieri animas propter sectiones plures, atque animantes, sed interea non hanc solam his esse vitam, quamuis ipsa vitas in his generet, atque animas. Quæ quidem animæ si à Platonicis aliquibus, & ab ipso Plotino alicubi dicantur esse secundum proprias substantias sempiternæ, num tunc primum ab anima mundi generabuntur, sed vniuersali illius instinctu genitis infundentur. Poterit & aliquis dicere, omnem quidam vitam esse perpetuam, sed animas, si quæ sunt tales, proprio motu carentes, non tam in se quàm in communi post obitum vita subsistere, quæ verò proprios edunt motus, præsertim si liberos, propriam quoque formam per seipsas perpetuo conseruare. Semper verò memento, præter vitas animantium proprias, subesse cunctis communem vim ex mundi anima vegetalem in arbore mundana totam vbique vigentem, quæ & præparet materias propriis animabus, & tempore certo conseruet, & in vnum viuentia cuncta concilier. Hunc Pythagorici, referente Sexto Pyrronio, esse dicunt spiritum in modum animæ rebus cunctis infusum, qui homines conciliet cæteris animantibus, conciliatos aliunde numinibus. Hoc iam vigente communiter, accedit in nobis ad sectum rationalis anima, atque sub hoc communi lumine ipsa deinceps lumen propriæ peculiarisque vitæ diffundit in corpus, quòd & in obitu ipsa secum contrahat proprium, quemadmodum & mundi anima suum, atque commune conseruat.

IN CAPVT IX.

Quot modis insinuetur anima corpori, & qualis sit anima mundi & quomodo faciat mundum, & dimensionem eius, & quomodo sit vbique.

IN capite libri nono, vbi secunda incipit quæstio, quomodo insinuatur anima corpori: animaduertes duobus in primis id fieri modis. Nam aut ab incorporeo statu, aut à corpore venit in corpus. Et hoc quidem secundum diuisionis membrum in quatuor iterum membra diuiditur: nempè aut à liquido corpore transit in liquidum, aut à liquido in solidum, aut à solido in aliud solidum, vel à solido rursus in liquidum. Vbi notabis si quando ex Plotini sententia omne corpus exuere possit, excogitari posse semper extra corpus esse victuram. Quod & Plato in Phædone significat: & Porphyrius, atque Iamblichus suspicantur. Sin autem, vt ait Proclus, semper est in aliquo corpore, poterunt consequenter fingi vicissitudines corporum sempiternæ. Vt autem cognoscas quomodo anima tua, imò prius quomodo mundi anima suo insinuetur corpori, cogita in anima mundi vim intellectualem eius, in summo ceu lumen, rationalem in medio vt splendorem, vegetalem in infimo, vt calorem. Præterea circa eius essentiam considera duo. Primum prout ipsa aliud quiddam est quam illa tria: secundum prout tribus iam illis est insignita, iam verò quo momento est aliud, quodammodo obscura est, & deformis, & frigida. Obscura quidem nondum habens intelligentiæ lucem, deformis item nondum rationis splendorem possidens: frigida denique, non adhuc adepta vegetalis naturæ fomentum. Ex hac ergo essentia sic egena cogita prodire primam mundi materiam prorsus egenam, & omnino tenebrosam, deformemque, & frigidam: sed interim ab essentia, quatenus tribus iam illis est insignita, contemplare mundi materiam prodeuntem protinus exornari, per intelligentiam quidem formis penitus permanentibus.

per rationem verò formis, quæ mouentur stabiliter, per vegetalem denique formis, mobiliter mouentur: ita tamen, vt quæ intelligentia rationeque procedunt, tam naturaliter inde profluant, quàm naturaliter quæ vegetali natura succurrunt, atqui sic anima mundi prædita in mundo formando exemplar præcipuum (vt Timæus innuit) non mobilem, & quasi generabilem spectat naturam vel rationem, si modo sit ratio mobilis, sed intellectualem potius formam omnis generationis expertem, siue sit animalis intelligentia, siue prima. Cogita rursum animam quatenus mobilis est intrinsecus, naturaliter anniti, vt eatenus moueatur extrinsecus. Ex hoc ergo nixu materiam iam natam statim longè lateque protendit, adeo vt ex animæ motu micante foras, dimensio materiæ sit exorta, simul & mundi motus, sic ergo locus inde simul nascitur, atque tempus. Locus quem habitet anima vegetando: tempus quo locum, id est, corpus moueat vegetando. In exemplari primum intellectuali destinata est idealiter, certatum mundi tum mundanarum dimensio terum: ad quam sanè destinationem tanta subotta est ad motum formalis efficacia in vegetali natura, quæ pro mensura tali tantam mundo quantitatem exhibet, tantaque mundanis, quanta simul & quantæ præsignantur in ipsa mentis idea. Potest autem anima per essentiam suam tota simul adesse parti cuilibet mundi tam grandis: quoniam & tantus hic est factus, quantum ipsa processit quæ procedendo fecit. Et ipsa quidem anima neque dimensio est, neque qualitas extensa dimensione, sed indiuiduum quiddam, non tanquam aliquis dimensionis terminus alicubi in dimensione signatus, sed inde solutum in se consistens, extra totum quantitatis genus in quodam plusquam substantiæ genere: molem rorum longissimo naturæ virtutisque supereminens interuallo. Vnde hoc ipso indiuiduo sui totam vndique molem possidet, neque totum possidetur ab ipsa.

IN CAPVT X.

Quomodo anima mundi agit in seipsa, atque ita naturaliter gignit mundum sic omniformem, sicut omniformis est ipsa.

Caput decimum docet quemadmodum summus aër subest lumini, lumen verò Soli, semper tamen simul sunt ab æuo: sic mundi animam intellectui diuino semper, intellectum denique bono. Item mundum semper naturaliter pullulare ex seminaria suæ animæ potestate, sicut viuens quodlibet ex semine suo, hæc enim inde vim eiusmodi nanciscuntur. Cum verò natura particularis in quolibet viuente non egeat ad motum generationemq; consilio vel machinis vllis, multo minus his vniuersalem egere naturam, hanc insuper facere moueteque omnia facilitate mirabili. Cum enim ex ea pendeat tota mundi moles, eiusque forma, nihil vsquam ei posse resistere: præsertim quia inde omnia subsequenti serie ita dependent, vt agentia vel leuissimo primum nutu pulsata, mox omnia moueantur, atque ad actionem primi mouentis finemque conducant. Proinde qui non viuunt, foras & in alienam tantum materiam agunt, in seipsis verò torpent: quæ verò viuunt agunt etiam in seipsis, aguntque perpetuo. Anima ergo viuendi principium, mundana præcipuè, agit semper atque potissimum in seipsa, prout intelligentia hinc quidem suam rationem format, inde suam quoque naturam. At, qui & ratio naturaliter secum ipsa discurrit, & omnia turget, gestitque seminibus rerum omnium, etiam corporum diuinorum. Ex quo quidem intimo rationalique per rationes rerum seminales motu nascitur forma rationalis mundi, similiter omniformis: forma, inquam, animæ quam simillima. Si enim generantia quæ sequuntur, sibi similia generare contendunt: nimirum vniuersalis & proximus hic mundi genitor, mundum sibi generat quam simillimum.

IN CAPVT XI.

De descensu animæ, Dionysio, Ioue, curriculis vitarum, ordine mundi, consonantia vniuersi.

Hic naturam ipsam, id est, vegetalem animæ mundanæ potentiam appellat Dionysium: cuius membra sunt rationes rerum seminales in ipsa natura. Quæ quidem membra quando per generationem quasi procedunt in materiam, hic magis inter se diuisa, iam à Titanibus, id est, dæmonibus genituræ præfectis discerpta videntur: quasi membra Osyridis, id est, viuificæ prouidentiæ dilaniata à Typhone, id est, dæmone beneficorum duce. Animæ igitur in diuino quodam mundo viuentes aliquando per imaginationem, quæ in eis erat vltimum, prospexerunt formas in materia mundi iacentes, quæ sunt imagines Dionysij, eiusque membrorum in materia quasi speculo. Prospexerunt verò eas forsan intuendo recto quodam aspectu in naturam, atque inde aspectum in materiam deflectendo. Quorsum verò se ita conuertit imaginatio, illuc statim ratio se diuertit intellectu, & vtraque non aspiciendo solum, sed amando. Amor eiusmodi extitit descendendi principium, atque post casum etiam permanendi: quoniam prouincia hæc indiget assidua nostræ rationis attentione: sed intellectus interea quem non tangit affectus eiusmodi, se in mundo superiore seruauit immotum. Benignitas verò Iouis instituit curricula temporum in hac quidem laboriosa vita fore breuia, in vita verò apud superos longa, longissima tandem apud supremos. Reuertuntur autem animæ nostræ quandoque ad animæ mundanæ gradum, vnde prouidentiam eius publicam contemplentur, & facilitate gubernationis propriæ circa corpus tunc suum, & circa suam prouinciam imitentur. Præterea mundi anima quasi mundanus Apollo canit quidem in natura, pulsat autem in cœlo lyram. In natura rationum omnium euolutio statutis temporibus atque reuolutio, vniuersalis est concentus ex multis cantibus modulisque compositus, in cœlo similiter perpetua quædam dispositio stellarum atque motionum sonus est Apollineus, ad perpetuam cantus illius concordiam institutus. Siquis igitur dispositionem continuam illius cantus inspiceret, in ea statim cœlestes sonos contueretur, & quasi iam (vt propriè loquar) audiret. Animæ quinetiam nostræ progressiones suas tum in descensu, tum in hac habitatione, tum in ascensu quasi tripudio concordi saltantes, cantui mundano sonoque coaptant, Cum enim ab eadem parte proficiscantur, à quo & anima mundi eiusque germanæ sint, & prouin-

ciam eius inhabitent, nimirum ad cantum sonumque illius ipsæ saltant, non impulsæ quidem inde, sed volentes, & naturaliter simul atque libenter ipsæ mundanæ mundanum ordinem æmulantur. Hinc efficitur, vt per cœlestia progressiones humanas, & si non vbique quasi per causas, saltem quasi per signa quædam coniectare quis valeat, præsertim quia vniuersalis naturæ cœlique forma exemplari quadam ratione continet: quæcunque generantur intra mundum, siue ab ea ipsa, siue à seipsis, siue quomodolibet aliunde ducantur. Habitant verò animæ aliquando extra cœleste corpus, aliquando in cœlesti puro, aliquando sub cœlesti. Et quatenus anima diuersum intra se habitum induit, diuersam foris induit & figuram: itaque aliquando in hominem cœlestem venit, aliquando in aërium, aliàs in terrenum, atque hic rursum quatenus minus magisve inde degenerat, in hominem venit vel diuinum, vel humanum, vel quasi ferinum. Nempè ita nos Plotini verba emendare solemus. Nam rationalem animam bouini corporis, vel suilli formam aliquando fieri à Platonicis non est receptum, neque etiam ab ipso Plotino concedendum erat, cum proposuisset mutationem in anima ab imaginatione principium habuisse, quæ in essentia speciem mutare non potest. Tot quidem intellectus in humana specie esse quot sunt & animæ, receptum est. Intellectum vero nostrum in diuinis restare felicem, dum rationalis potentia quasi ad terram præcipitata fit miserrima, ab Iamblicho quidem non videtur penitus dissidere: à Porphyrio tamen Plotini discipulo spretum est: à Proclo reprobatum, dicente tantam fore potentiam beatissimæ apud Deum mentis, vt vim sibi contiguam, & simillimam rationem sit interim retentura, quatenus ipsa minimè declinauerit, & in hac vita nos minimè peccaturos. Neque consentire videtur stomachum infirmissimum fore quamdiu firmissimum iecur extiterit. Subdit Porphyrius, casum animæ non ab imaginatione vel natura, sed ab intellectu cœpisse, non enim trahi ab inferioribus superiora, sed vim illam superiorem agere pro mensura quadam virtutis suæ. Itaque intentionem agendi quandoque in ea remitti, atque eatenus intendi virtutis inferioris actum, id est, imaginationis atque naturæ, cum anima vndique ociari non possit, contra verò remitti rursum inferiorum actus, quando superiorum actus intenditur. Vbi verò dicit intellectum agere pro mensura virtutis suæ, sic emendandus est, vt quando intellectus apud Deum est beatus, agat non tam virtute sua quam diuina, sub cuius forma iam agit: itaque animam semel ita beatam putandum est nunquam inde discessuram. Cætera illi viderint: nobis verò sat fuerit narrauisse id potius probatum, quod Theologi nostri potissimum comprobauerint.

IN CAPVT XII.

Lex, iudicium, iustitia vniuersi ducit intrinsecus animos, tum sponte, tum necessitate, ad suum quemque terminum.

Sicut aliquis lactucam porrigens allicit anserem per exteriorem sensum, ita Magus sensum interiorem allicit per nonnulla sensus interioris amica: atque ita libens hic mouetur, sicut & anser. Ita rursus diuina prouidentia voluntatem omnemque affectum animi ad terminum trahit sibi conuenientem, videlicet, per affectionem certam in animo secundum actiones suas & electiones iam conceptam, qua & ita volens, & tam vehementer ad terminum iustum fertur, sortemque competentem, quemadmodum aliquis clam magia raptus. Mouet enim Deus animam non solum interius quam ars, sed etiam quàm natura: atque certis temporibus, sicut natura solet. Animæ igitur ab initio sponte sua agentes, & sic agendo factæ tales: demum statutis à Deo temporibus non solum sponte, sed etiam necessitate legis intimæ, ad sortem decretam iustè perueniunt. Est autem in vniuerso lex iudicium, iustitia. Lex quidem in mente diuina, ipsa scilicet rerum omnium dispositio: iudicium in mente animæ mundi, ad diuinæ legis normam singula decernente: iustitia in voluntate eiusdem ita volente, & ita singula exequente, sicut iam est iudicatum. Animas ergo transfert impuras quidem deorsum, per impuritatem suam illuc inclinantem, quemadmodum natura vniuersalis mouet ad centrum grauia per propriam grauitatem, puras autem sursum vicissim per puritatem suam eodem quoque vergentem, sicut & natura leuia sursum per propriam leuitatem. Hac interim summula licet interpretari quæ Orpheus in tribus hymnis canit de lege, iudicio, iustitia Dei: & quæ Plato in quarto Legum imitatus Orpheum de lege diuina iudicioque definit.

IN CAP. XIII. & XIIII.

De connexione huius mundi ad superiorem & Prometheo, statuisque loquentibus.

Mundanæ sphæræ intimas habent animas, & propria hinc in primis vitalia dona, per quas quidem animas, perque animales dotes, velut per media quædam fortiuntur intellectualia quædam dona, consequenter ab intellectibus indiuiduis suarum ducibus animarum: per quos insuper nonnulla etiam diuina munera nanciscuntur ab ipsis diuinæ mentis ideis, quibus (vt Plotinus putat & Iamblichus) inseparabiliter coniuncti sunt intellectus, vt non mirum sit, diuinum mundum illum mundo huic vndique esse prorsus infusum. Post hæc anima duertes naturalem quandam prouidentiam in vitali animæ mundi parte regnantem sub Promethei cognomento, ex luto, id est, materia prima statuas, id est, res naturales effingere, atque esse huic opificio partim quidem alligatam, partim quoque solubilem, nec esse hic Epymetheo, id est, temeritati locum. Item rebus naturalibus non solum vires animales inesse, sed dotes etiam quasdam intellectuales atque diuinas, & omnia numina huic opificio aliquid ex se conferre: opificio inquam non vniuerso tantum, sed etiam vnicuique. Alludit inter hæc Plotinus statuæ fictilis vocem nactæ mentione ad magos præcipuè illos, qui loquentes statuas construebant: in quibus nec propriæ quidem vllæ statuarum animæ, nec sidera loquebantur, sed dęmones ab eodem sidere ducti, sub cuius imperio statuæ fingebantur. Arbitror etiam in puero illo Regis filio, quo die natus est, locuto, vt testatur Aly, qui & interesse se dicit, non coniunctionem Planetarum quatuor in eius horoscopo concurrentium formauisse verba, nec etiam infantis animam verba vaticiniumque fecisse de paterni regni calami-

tare paulo post secutã, sed dæmonem potius illic fuisse locutum: dæmonem inquam Mercurialem. Non in octauo Libræ gradu horoscopo, qui & terminus est Mercurij, Mercurius ipse cum Venere, Iouequè & Marte fertur fuisse coniunctus. Sed non licet vlterius in præsentia digredi, imò neque licet tenorem ab initio librorum exponendorum hactenus continuatum vltra seruare. Si enim longa similiter argumenta, imò & commentaria seorsumque ab ipsis Plotini capitibus dispositae prosequamur, & confusa continget interpretatio, & opus excrescet immensum. Satis euagati sumus: satis multa iam diximus. Sat igitur erit deinceps breues quasdam annotationes, vt in Theophrasto fecimus, Plotini capitibus interserere.

IN CAPVT XV.

Animarum descensus, transmigratio, differentiæ, fatum, arbitrium, prouidentia, & quomodo prouidentiæ ordo tanquam latissimus connectit sibi fatum pariter & arbitrium.

IN CAPVT XVI.

Cum mundus supercœlestis atque etiam cœlestis sit ordinatissimus, necessario ordinatus est etiam sublunaris, in quo cum inferiora homine sint ordinata, ergo multo magis humana. Singula igitur hominibus contingentia iustè diuinitus dispensantur.

IN CAPVT XVII.

Sicut summum aëris primum omnium, igitur ab infimo ignis, sic cœlum summum corpus primò animatur ab anima, quæ est vltimum diuinorum. Item ipsum bonum est quasi centrum: Mens lumen inde micans atque permanens: Anima lumen de lumine semouens: Corpus per se opacum illuminatur ab anima, sed animæ in cœlo securæ illuminant, sub cœlo non absque cura.

IN CAPVT XVIII.

Animæ, secundùm Plotinum atque Iamblichum, quandoquè sunt extra omne corpus, & tunc potentia rationalis est adeo efficax & expedita, vt quæ sibi porriguntur ab intellectu, comprehendat cuncta fine tempore, vel saltem quam breuissimo. Item animæ inter se concursantes in cœlis sine sermone, quasi per nutus mutuo se intelligunt, sed in corporibus aëriis animæ atque dæmones voces formant.

IN CAPVT XIX.

Vita sensualis est conflata ex proprietate indiuidua atque diuidua. Ducitur enim diuidua circa corpus, quia singulis partibus eius se accommodat. Dicitur etiam indiuidua, quia singulis adest tota. Ratio verò ac mens dicitur simpliciter impartibilis, quia corporeo instrumento non vtitur, & propterea separata.

IN CAPVT XX.

Anima non est in corpore sicut in loco vel vase, nec vt pars in toto, vel totum in partibus, nec vt qualitas in subiecto, nec vt species in materia: sed corpus est in anima, vt in viuificante, comprehendente, mouenteque stabili.

IN CAPVT XXI.

Anima non propriè inest, sed adest corpori: non tamen vt gubernator naui vel virtus gubernatoria infusa gubernaculo.

IN CAPVT XXII.

Anima adest corpori separabiliter, sicut lumen aëri. Corpus est in anima, sicut aër in lumine. Mens & ratio non adsunt corpori, quia cum eo non communicant in agendo. Sensus & vegetalis potentia adsunt, quia & hæc per corpus agunt, & corpus indiget eis, neque tamen à corpore sustinentur.

IN CAPVT XXIII.

Qvælibet vis animæ est in qualibet parte corporis tota, sicut anima. Sed dicitur ibi agere, vbi sibi seruit instrumentum, & ibi principaliter, vbi instrumentum habet principium. Sic ergo sentiendi mouendique actus attribuitur capiti, vnde videlicet deriuantur nerui, instrumenta, sensus & motus: sic iracundiæ actus circa cor, vbi instrumentum eius, scilicet sanguis igneus: sic nutritio circa iecur, vbi sanguis aerius est instrumentum eius. Actus verò rationis & si non habet communionem cum corpore, attribuitur quodammodo capiti, quoniam imaginationis actus est rationi propinquus, eiusque fit particeps.

IN CAPVT XXIIII.

Anima quia est substantia incorporea, in se existens, non determinatur ad aliquem locum, nisi per inclinationem & actionem circa illum. Soluta igitur è corpore terreno, si nullam retinet inclinationem eiusmodi, nusquam terrarum est, & vbique, nisi fortè sit in sphæra superiore per inclinationem ad illam, sin autem inclinationem adhuc retinet ad terrena, circa hæc reuoluitur cum corpore spiritali, in quo & corporea patitur. Præterea, sicut apud Astrologos nonnulli fatum suum etiam nolentes implent, dum ignari aliquid eligunt, per quod incidunt clam in fatum: sic omnes animæ diuinam implent in se legem, eligendo aliquid, ex quo latentem incidunt legis diuinæ sententiam.

IN CAPVT XXV.

In intellectu non est reminiscentia, quia nihil noui illic accidit vel extrinsecus, vel intrinsecus, quod conseruandum sit atque recolendum. Nec vlla de potentia in actum ibi fit commutatio, sed recordationis officium ad animam pertinet.

IN CAPVT XXVI.

Animal est vnum quiddam, non vnum dico factum ex transmutatione ambarum partium in aliquid tertium, sed ex transmutatione corporis in formam actumque animalem. Ad hoc vnum commune pertinet effectus sentiendi fermè sicut & vegetandi. Sed effectus memoriæ, id est, conseruandi & recolendi, ad animam propriè pertinet stabilem, non ad corpus instabile, quod est obliuionis occasio: nam & multa per memoriam seruantur, & suggeruntur, quæ nunquam cum corpore sunt percepta.

IN CAPVT XXVII.

Opinio quasi Poëtica esse geminas in homine animas per substantiam inter se differen-

tes. Rationalem quidem ab ipso mundi opifice, irrationalem verò à mundi vita.

IN CAPVT XXVIII.

Potentia sensitiua aliud quiddam est quàm potentia concupiscendi vel irascendi, atque hæc vtraque excitatur à sensu, & ex frequenti incitamento acquirit inclinationem propensiorem, quę tamen non est memoria. Memoria enim ad sensum pertinet atque rationem.

IN CAPVT XXIX.

QVando in sensu memoriam ponimus, hanc in sensu interiore, id est, imaginatione locamus. Hæc enim absentia repetit & conseruat, & vbi hęc potentior est: memoria est etiam validior, præsertim si corporis qualitas & meditatio conducat ad idem.

IN CAPVT XXX.

SVnt in nobis imaginationes geminæ, vna in vita irrationali, altera in anima rationali, atque illa est summum sensuum, hæc infimum cogitationum. Suntque contiguæ, & ad vtramque pertinet animaduersio. Sicut ergo sæpè nonnulla videmus, nec tamen animaduertimus nos videre, nisi huc imaginatio sensualis intendat, & nisi in hanc visio ipsa resultet: ita nec intelligere, neque cogitare nos animaduertimus nisi actiones eiusmodi quoquo modo attingant imaginationem sibi continuam, & in ea quasi resultent. Ad hanc quoque imaginationem perueniunt & sensuum & imaginationis inferioris actus, atque in hac ipsa rationalis memoria collocatur.

IN CAPVT XXXI.

SI animæ nostræ duæ locis inter se separentur, duas habebunt imaginationes manifestas, atque memorias. Quatenus verò sunt simul, inferior præstantiori cedit in corpore formando, sicut lumini maiori minus lumen. Et ideo non sunt hic animalia duo, quia superior anima est quasi inferioris forma, atque hæc sub illius forma actuque naturaliter agit in corpore. Præterea quamuis imaginatio memor naturaliter sit in vtraque, tamen quando vna frequentius imaginatur, atque validius, altera vel vacat, vel ita remisse agit, sicut sæpius visus quasi non videt, imaginatione interim circa aliud attentius laborante. Decet autem, vt naturale est, & fit communiter, imaginationem inferiorem superiori cedere. Quæ quidem superior, qua comprehendit intelligibilium notas simul, & sensibilium formas, declarat in nobis animal esse vnum, & quando egreditur corpore, si alteram sibi educatione subegerit, vilia quidem mandat obliuioni, honestiora resumit.

IN CAPVT XXXII.

IN vtraque anima post obitum, humanorum memoria remanet, sed inferiore, cum perturbatione, præsertim quando superiori non prorsus obtemperauerit. In superiore verò sine perturbatione, præsertim quando talia paruipenderit. Item in corpore aërio r miniscimur mortalium quamplurimorum, in cœlesti paucìorum, extra cœlum paucissimorum. Recordari verò illic paucìorum non prouenit ex debilitate memoriæ, sed ex attentione circa meliora, negligente deteriora, nisi quatenus hæc per illa conspiciuntur.

IN LIBRVM IIII.

DE DVBIIS ANIMAE SECVNDVM.

IN CAPVT PRIMVM.



NIMA corpus omne, vel cœleste quandoque exuta, & mente diuina tunc formata, attentissimè diuina conspicit simul cuncta, sine discursu, ideo dicitur non recordari rerum humanarum, non quia ignoret inferiora, dum omnes inferiorum causas contuetur, ac se perfectissimè possidet: sed quia negligentissimè repetit minima, quando est in maximis attentissima: ac etiam quia non repetit per modum discurrentem atque mutabilem, quemadmodum solet humana recordatio fieri. Contuetur autem, & per intellectum & per rationem quæcunque cognoscit vno quodam intuitu sine motu, quoniam conspicit per vnam Dei formam. mam. Verùm tamen per ipsam seriem idearum habentem gradus non tempore, sed ordine inter se distinctos, discernit alia aliis ordine ibi esse priorá. Quòd autem aliquis apud nos attentissimè cogitans aliquid, nequeat interim aliud perspicuè cogitare, accidit cum ex debilitate potentiæ, tum etiam ex eo quòd non cogitat principium aliorum. Ibi verò potentia & validissima est, & omnium principia contuetur: ergo & in illis omnia simul præsertim, quia à motu ac tempore iam est penitus separata. Anima denique postquam mente diuina ideisque formata fuit, attingit ipsum vnum mente ideisque superius, & tamen adhuc inde conspicit omnia: potestas enim ipsius vnius cùm primùm in alia, id est mente, vel anima percipitur, in plurima deriuatur.

IN CAPVT II.

Anima in hoc quidem corpore, dum attentior est ad aliud, seipsam interim non cognoscit, quia & potētia hic eius debilis est, & quod cogitatur ab ea non est principium animæ: sed quando diuinum mundum contemplatur, vapore quæ & corroborata est, & principia sui conspicit, seipsam habitumque suum & gesta prorsus cognoscit. Anima in hoc corpore ad imaginationem, & per hanc ad sensibilia plurimum est conuersa, sed post obitum in sui corpore viuat aërio, ad rationem postremò tota conuertitur, perque hanc ad intellectum suum semper omnia contuentem, & in discursu interim temporali versatur. In corpore verò cœlesti ratio quasi effecta est intellectus & sensus atque communis, præteritumque discursum ad intuitum fermè redegit. Hic ergo & quatenus ingenitas sibi repetit formas, agnoscit seipsam, & quatenus se, formas quoque vicissim, ipsa enim est ipsæ formæ. Anima denique extra cœlum sic formata est diuina mente eiusque ideis, sicut corpus animaeribusque animæ, & sicut ignitum ferrum igne. Videt igitur, agitque per ideas diuinæ mentis quasi per vires quasdam suæ formæ, igitur & actu stabili & cognoscens ibi principia sui, agnoscit profectò seipsam.

IN CAPVT III.

Anima extra cœlum in mundo diuino constituta dicitur esse vnum, quoniam agit duntaxat per intellectum. Descendit tandem in corpus cœleste, quando suam ipsam in se explicat multitudinem, agens iam videlicet per intellectum, rationem, imaginationem: tunc & sui rerumq; suarum ita fermè iam reminiscitur, quemadmodum apud homines consueuerat, scilicet cum per rationis agitationem, quamuis ibi celerrimam, tum per imaginationis formationes, atq; simulachra. Plurimum verò interest qualia cum affectu cogitat animus: nam cum formas ipse suas in se latentes producendo in actum cogitet, nimirum euadit illa ipsa quæ cogitat, locumque & conditionem eis conuenientem subinde sortitur.

IN CAPVT IIII.

Anima in mundo supercœlesti contemplans diuinæ mentis ideas, per ipsam mentem velut per diaphanum in luminosum cernit ipsum bonum velut solem, atque dum per principia sui videt seipsam, nimirum & se cognoscit intelligentem esse, & seipsam prorsus agnoscit: sed per eundem penitus actum eiusdemque potentiæ diuinam suam naturam actionem propriam contuetur: ideo non propriè dicitur seipsam suumque actum & vitam priorem animaduertere, quia non vtitur rationis discursu atque imaginatione, in quibus recordatio & animaduersio consueta versatur. Sed cum primum inde venit in cœlum, & post in aërem duo hæc exercet. Omnino verò formæ rerum in potentia animæ cognitrice non sunt accidentaria quædam sic animæ adiacentia, vt in tabella sunt literæ, sed rationes, proprietates, vires quædā essentiales, sicut rationes seminales membrorum qualitatumque corporalium in potentia vegetali, & sicut proprietates plantæ totius in semine. Anima igitur semper est hæc omnia, sed alias quidem potius in potentia quadam, alias verò magis in actu. Est autem anima magis res ipsæ diuinæ, si per solum intellectum agit in ipsis, quam si interim per rationis quoque discursum vel imaginationis figmenta id ipsum animaduertat. Hæc enim distrahunt.

IN CAPVT V.

Anima in hac vita potest cognoscere diuina, non per imaginationem, nec etiam per rationem sumentem ab imaginatione principia, sed per intellectum & rationem principia sumentem ab intellectu. Quando anima per rationem surgit in mentem velut in speculam, quamuis autem memoria communiter dicta omni imaginatione versetur, tamen memoria quædam in ratione etiam & intellectu consistit. In anima supra cœlum actus intelligentiæ consuetum rationis & imaginationis occupat, vsum, sed in cœlo resurgit vsus eiusmodi, per quem reminiscitur humano quasi modo, humanæ quondam vitæ rerumque humanarum: nam hæc supra cœlum modo quodam eminentiore prospexit. Agnoscunt igitur in cœlo se inuicem animi, amici præsertim, atq: quondam noti, cum per ipsos moris affectusque viuidos animorum, tum per corpora quæ ibi habere possunt figuram huiusmodi similem in materia liquida, cedente multo magis animo quomodocunque formatori, quàm terrena materia nunc affectibus animæ. Tum verò si corpora illinc orbicularia sint, differentia tamen erunt indifferentibus signa indiciaque differentium animorum, siue in figura, vt diximus, siue magnitudine, qualitate, motu, gestu, nutu, luce, quemadmodum fit in oculis ex affectibus animorum, & in variis nubibus figuræ differentes atque colores. Sunt qui velint cœlicolas inter se voces edere, nam & cœlos posse sonare, saltem verò mutuis inter se nutibus colloquuntur: recordantur verò in cœlis diuinorum magis quam humanorum. Lapsæ verò in aëre è conuerso: possunt autem & quando in cœlo & quando in aëre sunt, propter motum naturaliter liberum & ibi per multa sæcula gradum sistere, & altius inde regredi. Denique quidnam prohibet optima quadam electione in superioribus semper esse? nihil apud Porphyrium & Iamblichum atque Iulianum.

IN CAPVT VI.

Conseruatricis memoriæ ministerium necessarium est, vbi præterire aliquid rursumque accedere potest vicissim præteritum. Animis ergo cœlestibus non videtur memoria necessaria: neque enim discurrunt vt nouum aliquid vel inueniant, vel acquirant.

IN CAPVT VII.

Animis cœlestium corporum rectoribus non est necessarium recordationis obsequium vel in cognitione, vel motu. Suspiciunt quidem diuina intuitu nunquam interrupto: vbi animaduertere quidem possunt se videre, non tamen est opus repetere se vidisse, cum ibi non sit ipsum vidisse, sed videre nunquam intermissum: nunquam igitur resumendum. Similis est & eorum vita semper eadem, similis & motus perpetuus in eorum corporibus, atque continuus, ideoque vniuscuiusque illorum semper vnus quamuis nobis multiplex vel accidat vel videatur. Prospiciunt res quoque mutabiles intuitu quopiam non mutato, sicut & quispiam eadem inspectione ad aliquam horæ partem continuata cerni deambulantem in rectum, aliterque mutatum prospectu videlicet non mutato. Quo quidem si iudicauerit illum hic

esse, ibi fuisse, illic fore: mutationes eiusmodi non propterea in visione contingent, quod in spectacula contingere iudicentur.

IN CAPVT VIII.

Anima cuiuslibet stellæ contemplans ideas principiaque rerum omnium, habet semper in se certam vniuersi notitiam, siue intellectualem hanc siue rationalem appellare volueris, atque interea per corpus cœleste suum corporalia sentit: sed quod minima quæque sentiat, interea nec per imaginationem animaduertit, ideoque nec in memoria collocat, cum quia hæc omnia altius iam comprehendit: tum quia apud ipsum nullius sunt momenti: tum etiam quoniam tamdiu iam omnia sentit, vt nihil vltra sensum moueat tanquam nouum. Verumtamen per imaginationem animaduertit, ea particularia se sentire, quæ vniuerso sunt apprimè necessaria, vt stellæ, cœlestia, elementa. Profectò cum propositum sit cœlestibus animis, non per hanc quidem solum partem, vel bucusque tantum, vel tamdiu duntaxat moueri, sed contemplari, & simpliciter semperque moueri, & cum quolibet in momento earum motio sit perfecta, sintque animæ illæ certæ præscriptum in seipsis ordinem vniuersi ita procul dubio euasurum: nulla nimirum eas cura tangit de parte quapiam loci, vel temporis, aut motus, vel de re, vel de quauis re mutabili. Itaque neque dum talia sentiunt, imaginationem attentionemque talibus adhibere coguntur. Nota circularem cœli motum nec esse alterationem, quia non mutat formam: nec esse localem, quia non mutat locum: sed esse vitalem, id est, proprium vitæ interioris actum, pariter & indicium: nam agere in se mouerique ex intimis proprium est viuentium: cœlestium verò motus est eiusmodi, quemadmodum in animalibus pulsuum, cordisque motus, nutritioque in plantis.

IN CAPVT IX.

Rector mundi Iupiter, per vnam simplicemque sui formam omniformem, virtute infinitorum effectricem videt, & efficit infinita: non duobus quidem actibus, sed quo actu videt, eodem efficit, atque vicissim. Absurdum verò foret dictu, eum notitiam rerum ex rebus ipsis colligere: nam per notitiam res antecedentem res efficit, neque posset infinita comprehendere, si notitiam ex infinitis aucuparetur: nunc verò non aliter per vnam sui formam conspicit infinita, quàm si sol per vnam sui lucem radios innumerabiles micantes inde conspiciat.

IN CAPVT X.

ORdo vniuersi qui paulatim euoluitur in materia, simul totus est immutabilisque in vtroque Ioue, tum in primo qui est intellectus purus mundi artifex segregatus: tum in Ioue secundo, qui est intellectualis anima, dux mundi coniunctus. Neuter itaque Iupiter cogitatione discurrit ambiguo more de rebus agendis: præsertim quia anima æterno quodam intuitu suscipit vniuersi ordinem in primo Ioue, tenetque firmum, totamque mundi materiam subiectam habet, & intrinsecus eam agitat, ex vna sui vita quasi ex vno cardine cuncta facillimè versans, vt merito nihil hil leius actioni resistat, nulla incidat ambiguitas.

IN CAPVT XI.

QVa proportione singulæ naturæ partium singularum in quolibet viuente dependent ab vna quadam viuentis totius natura communi, eadem omnes mandanorum naturæ ab vna communi totius mundi natura. Sicut ergo viuentis cuiusque natura in se continens naturaliter seminales partium effectuumque naturalium rationes nec laborat, neque consultat in agendo, neque transmutatur, dum diuersa producit, præsertim quoniam agit ex intimis, nec ex multis vt luz partibus inchoat opus, sed ex vno velut omnium cardine cuncta deriuat: ita neque natura mundi consultat in opere, vel laborat, vel permutatur: quippè cum sic ad opus se suum habeat, sicut naturam particularem ad suum se modo dicebamus habere, atque etiam multo præstantius, præsertim quia instrumentum est æternæ infinitæque sapientiæ onctum semper ad eadem vicissim, eodemque tenore, totique materiæ præsidet. Ars quinetiam quando per habitum naturæ similem denique agit sine consultatione, vel electione, vel attentione iam agit: imò verò si tunc ad attentionem eiusmodi redeat, impeditur sæpius & aberrat, quasi attentio talis non pertineat ad naturam.

IN CAPVT XII.

COgitatio per plura deinceps ordine currens est motus aliquis absoluta notitia carens, atque ob indigentiam veritatem sapientiamque appetens consummatam, ideo discursio eiusmodi, vel consultatio, vel electio non pertinet ad mentem vel animam mundi rectricem, possidentem ab æuo habitum sapientiæ plenum, & integram cum idearum, tum rationum seminalium plenitudinem, qua quidem plenitudine res futuras anticipat in præsentibus, & quibus modis sint futuræ discernit, quarum ipsamet est opifex, sola toti suæ materiæ dominans, nec impedimentis obnoxia: ideoque nec sollicita, vel ambigua, vel inquirens, sed natura sua omniformi vniuersum sibi conformans. Cum verò hæc ipsa natura sit intelligentia & voluntas, merito non consilio tractat mundi materias, sed sapientia firmatum naturaliter, tum etiam voluntariè fabricante.

IN CAPVT XIII.

MEns diuina idearum suarum sigillo imprimit formas animæ mundi adeo vehementer, vt non solum figuret supremum animæ, id est, intelligentiam, sed etiam medium eius, id est, imaginationem: & vsque ad infimum eius, id est, naturam formarum notas inurat. Formæ siue rationes rerum seminales in natura sunt vltima quædam vestigia diuinorum, ideo cognitione carent, quamuis vita non careant, aguntque in materiam sicut ignis, atque similia, & artificiosè quidem: quoniam sunt viuæ quædam expressiones diuinæ cuiusdam intelligentiæ, atque huius verba loquentis: Natura dum agit in materiam, pati dicitur non à materia, sed ab anima. Anima verò non tam patitur à mente quàm se agit ad ipsam.

IN CAPVT XIIII.

Natura vniuersalis, id est, viuifica quædam virtus animæ mundanæ omnium plena seminum adest corporibus omnibus ex se genitis, non tanquam qualitas quædam in his permixta factaque horum propria sicut calor aëri, sed tanquam actus animæ quodammodo separatus, separabiliterque præsens, sicut aëri lumen. Natura quidem se habet ad animam, sicut lumen ad solem, forma verò materialis ad naturam, sicut calor ad lumen ex lumine genitus in materia.

IN CAPVT XV.

Actio animæ mundi intima non tempore transfigitur paulatim, sed momento tota simul impletur. Extima verò, id est, processio quædam virtutis illinc in mundum, & ipse mundi actus temporis successione peragitur. Ipsa igitur propria huius animæ actio non est in tempore, sed tempus generat in materia.

IN CAPVT XVI.

Formæ rerum quæ in materia distant inter se loco, in anima mundi distant differentia tantum inter se formali. Item quæ in materia priora sunt inter se tempore atque posteriora, in anima solo quodam ordine discrepant, quo aliis aliæ cedunt, potiùs quàm succedant. Est enim anima per essentiam omniformem ordo quidam specialis, & firmus futuri ordinis vniuersi exemplar pariter & effector: & quantum in se est, efficere potest simul omnia, si materia posset simul omnia capere. Moueri quidem dicitur anima hæc ad bonum, qua ratione per mediam mentem ad illud appetendo conuertitur: mens verò in bono quiescere, quoniã nullo ad id medio vtitur: mundus vero circa animam, imò intra animam tempore voluitur. Plotinus in libro de Tempore, & si non ponit tempus motumque in anima mundi superiore, ponit tamen in anima eiusdem inferiore, id est, in vestigio superioris atque natura: non quia formas acquirat vllas, vel amittat, sed quia formæ in ea quædam quasi è somno statutis temporibus prodeunt in vigiliam.

IN CAPVT XVII.

IN anima mundi non est ambigua consultatio, temporalisque discursio, quia quod optimum est in ea ab æuo semper cæteris suis viribus dominatur. Est tamen in nostra, quoniam è multis partibus viribusque nostris nunc vna, nunc alia dominatur. Item quia & ignorantes sumus tum etiam quoniam plurimis indigemus, tum denique quia plurimæ nobis ab externis incidunt passiones. Vis in nobis rationalis, etsi non est ipsa natura debilis, ac etiam si non sit cæca, tamen ab irrationali aliquãdo superatur: & quia hæc quieta est, illa vero turbulenta: & quia hæc est vnica, illa vero multiplex. Homo pessimus similis est populari gubernationi pessimæ: minus vero malus, populari minus malæ. Bonus optimatum gubernationi, optimus regno: pessimum forsan diceret aliquis similem esse tyranno.

IN CAPVT XVIII.

Sicut ex sole micat lumen ab eo inseparabile, quod non fit aëris propria qualitas, sed à lumine generatur calor propria iam qualitas aëris: sic ab anima nostra emicat viuificus actus: qui non fit quidem propria corpori qualitas, sed generat vitale aliquid in corpore factum iam corpori proprium. Anima quidem substantia est & vita, actus ille suus inseparabilis, substantiale aliquid est & viuificum. Qualitas hinc tributa corpori accidentale quiddam est, & quasi vitale: actum illum appellamus idolum animæ, in quo sensus est vegetalisque natura. Qualitatem verò illam imaginem animæ nominamus & vmbram: ex hac & corpore fit compositum, in quo voluptates doloresque sunt corporales, quatum passionum sensus ad idolum animumq; perueniunt, passiones verò nequaquam. Superior comparatio magis propria fuerit, si idolum animæ ab anima non seiunctum comparauerimus radio visuali ab oculo non disiuncto. Qui si quando ab oculo rubente processerit, ruborem aspicienti procreabit in oculo, cui similem esse dixeris vmbram animæ in corpore resultantem.

IN CAPVT XIX.

PAssio dissolutiua, vel voluptas instauratiua, non fit in sensu & anima, sed in corpore per animæ præsentiam quasi vitaliter iam affecto: in sensu autem & anima fit perceptio passionis illius minimè patiens. Duobus quasi modis anima cum corpore deuincitur: vnus quidem vergit ad animam, id est, viuificus eius actus emicans erga corpus: alter verò declinat ad corpus, id est, qualitas ipsa quasi vitalis per hunc actum infusa corpus sic affectum atque sic alligatum animæ, ad animam pertinet, fitque nostrum. Id ergò curamus, & quando motio huic incidit dissolutoria vel instauratoria passionem hanc sensu percipientes ad ipsam vel vitandam inclinamur, vel prosequendam. Si in anima sentiente fieret peremptoria passio, & impediretur sensus atque iudicium, & in quo membro præcipuè fit passio, non discerneret. Anima enim indiuidua simul est in quolibet tota. Si igitur patiatur ipsa, passio vbique totam animam occuparet.

IN CAPVT XX.

SIcut in corpore leui est stimulus ad ascensum in radice ad humorem, in folio ad calorem, sic in corpore per animam quasi vitaliter iam affecto, insurgunt naturalia quædam incitamenta, pro indigentia quidem ad impletionem: pro repletione ad euacuationem, pro alteratione nimia ad oppositam. Natura interim vegetalis quæ vitalem in corpore affectionem genuit & conseruat, patiente tali corpore, laborat dum conatur, & agit intentius circa conseruandam vel instaurandam affectionem in corpore naturalem. Quo quidem conatu dicitur concupiscentia illa quæ exordiebatur in corpore tali, adolescere in naturam. Dum verò natura hæc agit obnixius, peruenit perceptio passionis in sensum, atque hinc ad imaginationem atque iudicium.

IN CAPVT XXI.

INcitamentum ad concupiscenda oblectamenta corporea non oritur in ipsa animæ virtute concupiscente, sed in corpore tali, id est, per animam affecto vitaliter. Id sanè conijcimus: primò quia cum in corpore tali fit indigentia simul atque passio, merito appetitus hinc incitantur. Secundò, quoniam quatenus aliter se habet corpus

tale pro differentia ætatum, valetudinis, habitus, loci, temporis, eatenus diuersi surrepunt appetitus: Virtus autem cócupiscendi in anima permanens non permutatur. Tertiò, quia nonnunquam in tali corpore stimulus aliquis est ad aliquid, ad quod non statim vis ipsa concupiscendi se dirigit. Quartò si etiam mox ad hoc intenderit, non tamen animus semper hoc admittit. Quintò, surgit sæpè in corpore depravato stimulus ad aliquid naturæ minimè consentaneum, vt ad cinerem comedendum, quod natura corporeæ habitudinis moderatrix non adsciscit, neque coaptat corpori, neque sibi: denique nec impletur, nec euacuatur, nec quomodolibet alteratur vis ipsa concupiscendi animæ insita eiusue idolo, sed corpus tale. Hinc igitur, non inde appetitus ad talia suscitantur.

IN CAPVT XXII.

Terra cum animalia generet, sitque animalis mundani membrum & necessarium, & minimè contemnendum, est animal intellectuale atque diuinum, habetque sensum: nam in anima vis iudiciaria viget, quæ coniuncta corpori suo percipit, & iudicat sui corporis passiones, id autem est sentire: quanquam Plotinus & multi vnicuiq; elementorum suam tribuunt animam. Poterit tamen aliquis forsan non absurdè dicere, sphæras quidem cœlestes, quia & immutabiles sunt, & permanent in seipsis inuicem non confusè, animas inter se distinctas habere: elementa verò quoniam compositi gratia instituta sunt, & in seipsis permutantur, & inuicem confunduntur, suntque in globum vnum redacta, numerisque competentibus in formam vnam concorditer colligata, vnicam cunctorum animam possidere, vni eorum materiæ complexionique humorum quasi quatuor prorsus accommodatam, vigentem in aëre & igne quam plurimum, per hæc in aqua simul atque terra, cuius virtute vitalem vim composita etiam illa reportent: in quibus elementorum portiones simili quadam ad totum proportione ligantur: in terra quidem & aqua animalia manifesta, in aëre verò dæmones habentes corpora connexa similiter, quamuis tenuia nobisque occulta.

IN CAPVT XXIII.

Sentire non est simpliciter cognoscere sensibilia, sed per passiones siue impressiones quasdam factas vel à rebus sentiendis propè animam, vel ab anima circa eas. Anima ab omni corpore separata sicut in se viuit, sic ad se conuersa per formas sibi insitas, à diuinis diuina cognoscit: perquelle velut principia comprehendit & sensibilia, neque tamen hoc est sentire: nequit enim sentire tunc corporalia, quia nullam habet cum eis proportionem, per quam impressio vlla, vel expressio inter hanc & illa fiat: sed quando corpori coniuncta est, spiritu vtitur vt instrumento quodam medio inter eam atque externa: proportionem inter vtraque faciente, in quo qualitates vel passiones extrinsecus venientes, in speciem spiritalem puramque euadunt animæq; propinquam, adeo vt per hanc anima formas excitet sensibilium in se latentes: quæ quidem excitatio est sentire. Id verò totum diligentius in libro Theophrasti de anima vnà cum Prisciano & Iamblicho declaramus.

IN CAPVT XXIV.

Cvm animam corpori coniuncta necessario consequatur sensus, animæ sphærarum stellarum mundi sentiunt. Mundus sentit per aliam sui partem vicissim partem aliam: item per totum partes. Præterea totius habitudinem quasi quodam sui consensu sentit: per amplissimam sphæram præcipuè quasi per oculum intus omnia contuetur. Si enim tu per oculum tuum, quonlam animatus est, & diaphanus atque lucidus quamplurima vides, ac per radium eius ad cœlestia procedentem cœlestia suspicis, cur non & mundus per cœlestem oculum suum viuum, perspicuum, lucidum, radiosque suos ad omnia diffundentem omnia cernat?

IN CAPVT XXV.

Animæ sphærarum stellarumque & anima mundi humana vident atque audiunt, sed interim talia se sentire minimè sentiunt, quoniam imaginatio ad quam talis animaduersio pertinet, intentissima semper est ad intelligentiarum notas in se fingendas. Et si sentire se nostra forsan non animaduertunt, tamen precantibus beneficiunt, qualicunque sensu & occulto quodam naturæ consensu. Hæc Plotini sententia est inter obiectiones ex textu mendoso. Dicet fortasse quispiam imaginationes cœlestium animarum adeo efficaces esse, vt vel intelligibilium notas deriuent in sensibilia, atque ita intrinsecus quodam modo sentiant, vel simul valeant tam sensibilia quam intelligibilia miris quibusdam modis imaginari.

IN CAPVT XXVI.

Sphæræ mundi stellæque sensus habent, & preces nostras exaudiunt. Cœlestia visum quidem habent, etsi specie differentem à nostro visu, genetali tamen natura conuenientem, natura scilicet viua, perspicua, lucida. Dicuntur & auditum habere, sed genere quodam ab auditu nostro longè diuersum, quia videlicet audientium exaudientiumque more sæpè vouentium preces impleant. Inter omnes mundi partes quasi vnius animalis membra dicitur esse communio quædam vel contiguitas, vel continuitas, aut vnio, cuius quidem quinque fundamenta videntur: Primum est vna omnium vbique materia. Secundum concordia qualitatum: nam sicut elementa quamuis discordia, quibusdam tamen proximis inter se qualitatibus concordia sunt, sic & rerum omnium gradus siue componantur ex elementis, siue non componantur, quamuis inter se differentes, tamen concordibus vicissim terminis se contingunt. Tertiù spiritus vbiq; vnus: nam sicut cœlum vnus est spiritus in excelsis, sic intra cœlum vnus inde spiritus vel cœlestis omnino, vel cœlo similimus omnibus est infusus, quo & cœlitus regantur omnia, & anima mundi inferioribus quoque corporibus per spiritum coniungatur, & omnia per hunc viuentia coalescant: spiritum intellige spiritui nostro consimilem. Quartum est vna natura genitalis omnia fouens per spiritum sequentibus colligata. Quintum anima mundi vbique vna per naturam spiritui cæterisque connexa. Per hanc igitur vnionem fundamentis quinque constantem, vehementissimus quisque motus siue vouentiū peruenit ad cœlestia, siue cœlestiū peruenit ad vouentes: præsertim si non solùm anima

anima mundi, sed etiam diuinæ omnes sunt vbique præsentes: quamuis alicubi potius actiones suas quandoque declarent. Quod velle videntur Plotinus Porphyriusque & Iamblichus. Præsentissimus autem singulis adest primus ipse Deus omnium potentissimus, Imperioque latissimus: anima terræ sensus omnes exercet per spiritum ibi quasi cœlestem & cœlestium radiis illustratum, suæque naturæ subiectum, & terrena regentem: præterea preces exaudit.

IN CAPVT XXVII.

Certam habere animam apparet ex plantis, lapidibus crescentibus quidem, quamdiu terræ radicitus inhærent, contrà verò nequaquam. Sicut in animali dentes, vngues, pili, in plantis terræ hærentibus apparet virtutis genitalis effectus: ipsa verò virtus in eis propria nulla videtur esse, alioqui etiam auulsæ per virtutem propriam pariter coalescerent. Vegetalis igitur ipsa virtus non tam est propria quàm communis scilicet in anima terræ: item masculina virtus & fœminina, ideft, generandi & concipiendi quæ in animalibus sunt discretæ, coniunctæ sunt in plantis, in eodem plantæ corpore, ob hoc duntaxat, quia natura plantę ita est inserta communi naturæ, sicut plantæ corpus communi corpori. Vis autem masculina & fœminina ad naturam pertinentes coniunctæ sunt in vniuersali natura, quamuis in aliis separatæ. Sicut rursus vbi perfectus est vim perspicacem habet cum illuminante coniunctam, similiter intellectus. Sic Orpheus naturam mundanumque Iouem marem appellat & fœminam, similiterque Mercurius. Hac ratione aëris animam Iouem, Iunonemque appellant. Animam terræ non solum Cererem atque Vestam, sed etiam Plutonem cum Proserpina coëuntem. Coniunxit verò natura vtrumque sexum in arbore, quia nequit hæc ad aliam coëundi gratia progredi, quamuis alibi præualeat alter: tunc oportet plantas appropinquare.

IN CAPVT XXVIII.

Vegetalis genitalisque natura animæ in complexione humorum imprimit quoddam vitale vestigium, ex quo corpus vitaliter euadit affectum: in quo quidem sic affecto sunt passiones animalis corporeæ perturbationumque principia. In toto quidem voluptas corporalis, & dolor in iecore potissimum concupiscendi principium. In præcordiis maximè principium irascendi, ibi enim nutritio viget & generatio, hic autem vigor igneus. Motus autem iracundiæ aut quasi extrinsecus exordiuntur aut intrinsecus. Extrinsecus ira, quando illata foris corpori passione ad primum sensus motum ferueт vigor igneus, imaginationemque mouet, & per hanc prouocat rationem. Intrinsecus ira, quando ratio vel imaginatio iniuriam excogitans humorem feruentem incitat. Libido quinetiam procliuitatem habet in corpore, & quandoq; ex ipso corpore seminibus quasi turgido suscitatur: quandoque ex primo aspectu corpore incitato, imaginationemque mouente vel etiam rationem: aliquando verò ex imaginatione, vel etiam ratione oblectamentum excogitante, corpusque mouente. Sunt autem concupiscendi & irascendi vires quasi germanæ: nam procliues ad libidinem: sunt etiam propensiores ad iram, atque vicissim, vt non immeritò Martem cum Venere Poëtæ coniunxerint.

IN CAPVT XXIX.

In corpore animato non solum est anima & actus viuificus animæ continuus, sicut luminoso lumen in corpus suum emicans: sed etiam est quoddam vitale vestigium quasi sub lumine calor. Calorem dico naturalem spiritumque motibus aptum, qui ad breue restare potest, in corpore post discessum animæ, & motum quendam ederet nulla vita, nullum viuificum perit, sed nunquid hoc vitale vestigium? Profectò ibi naturalis calor breui esse desinit, spiritus quoque naturalis cito resoluitur. Vitalis autem & animalis potest diutius superesse, & sequi animam contentus ab anima velut coagulo, futurum quasi fermentum aërio corpori post obitum congregando, efficiendoque vitaliter. Sin autem in vestigio hoc vitali cogites esse aliquid præter calorem atque spiritum, quod ad animam lumenque eius se habeat non vt calor, sed vt splendor resultans ex lumine animæ, id quidem non perit, sed lumen abeuntis animæ comitatur. Opinatur lumen nullo modo ab illuminato, sed tantum à luminoso pendere, idque semper sequi vnà cum splendore quomodolibet resultante. Tangit opinionem dicentem, omnium colorum vires & quasi flosculos esse in lumine: neque perire, sed latere potius, & iterum apparere. Item lumina quæ videntur extingui, non disperdi, sed in perspicuum aëris lucidumque eius occultum nobis obire: denique quicquid in nobis vitæ inferioris est, nostram sequi superiorem, neque perire, vestigiumque vitale in corpore seruari ab anima vel propria vel communi, saltem ad tempus, postquam propria deseruerit.

IN CAPVT XXX.

Stellę visum auditumq; habent, memoria verò non indigent: præterea preces exaudiunt. Sicut qui corpus suum opportunè lumini Solis exponit, naturaliter inde fouetur, ita qui animum spiritumque suum per votum superiorum influxibus applicat, vbique præsentibus benefica inde reportat naturaliter influentia. Antiqui aliqui præter Solem stellas etiam adorabant: plurimi verò præsertim Platonici atque id genus Philosophi, solum adorabant inter cœlestia Solem. Orationem ad Solem composuit Iunianus & Iamblichus. Solem Plato filium & imaginem summi Dei visibilem appellauit: Solem Socrates orientem salutans ectasim sepè patiebatur: Orienti Soli Pythagorici hymnos lyra canebant. De cultu quidem Solis illi viderint: Deus certè in Sole posuit tabernaculum suum.

IN CAPVT XXXI.

Actiones aliæ quidem naturales sunt, aliæ autem artificiosæ. Naturales aut sunt vniuersi mundi erga partes suas, aut partim ad vniuersum, aut partium vicissim erga partes. Artificiosæ actiones vel desinunt in opus arte constructum, vt statuaria in statuam, vel ad opus naturæ ministrant, vt Medicina, agricultura, magia, cum qua similitudinem quandam habet oratoria persuasio, & Poëtica musicaque lenocinia. Actiones cœlestium ad inferiora non solum fiunt per calorem & aliam elementis similem qualitatem, sed per vires quasdam à notis qualitatibus longè diuersas. Quòd enim differentiæ in nobis motum, ingeniorum, professionum, fortunarum per cœlestia vel fiant vel portendantur, non potest referri ad differentias qualitatum cœlestium similes ele-

mentis. Neque etiam consilio & electione cœlestia in nos agunt singula, alioquin & illorum animi solliciti semper erunt, & quotidie ministri malorum.

IN CAPVT XXXII.

Cælum in omnia hæc inferiora agit, non consilio quodam eligente talia vel taliter agere: neque tantùm corporeis qualitatibus, scilicet calefaciendo, rarefaciendo, vel contrà: sed naturalibus quibusdam vegetalis animæ viribus, similibus quibusdam viribus inter consilium & corporeas qualitates quasi mediis anima nostra corporis humores & membra, eorumque figuras & qualitates quotidie reficit. Cum mundus sit vnum animal, omnia corporea duobus modis sunt partes mundi: primò, quia singula corpora sunt quædam vniuersi corporis portiones: secundò, quia in quolibet corpore est & ipsa mundi anima, & propria quædam huius animæ virtus efficacia dos huic corpori distributa. Quatenus ergo corporea singula sunt animalis mundani membra, facilè tum à toto, tum inuicem patiuntur: quippè cum etiam quę loco inter se distare videntur, sint propinqua, ob mirabilem naturæ vnius communionem.

IN CAPVT XXXIII.

Totus mundus est animal vnum ratione Musica saltans, & saltando consequenter vnà secum omnia varians. Anima mundi habet in sua intelligentia, cogitatione, imaginatione, natura descriptas quasi præsentes futuras omnes reuolutiones mundi, secundum Musicas earum proportiones: item designatos habet omnes euentus, qui vel reuolutiones necessario comitantur in cœlis, vel quomodocunque sub cœlo consequuntur easdem. Ad eiusmodi Musicam designationem quasi ad cantilenam sonorumque concentus per affectum sequuntur reuolutiones in mundo quasi gestus quidam arte tripudiantis. Ipse quidem saltator intentione spectat primò insitam sibi Musicam: deinde per hanc membrorum mundanorum reuolutiones: tertiò per eas prospicit quodammodo quæ inde sequuntur, vel saltem significantur. Potest & sapiens aliquis quasi Musicus præuidere qualia vbique quales sequuntur reuolutiones mundi, sicut quales gestus membrorum ad quales sequantur soni partes, preterquam vbi vel inepta superis materia non omnino cedit, vel nimis debilis patitur supra modum: sicut & arbitrium hominis potest non sequi cœli tenorem, & vicissim humana debilitas vltra modum inde pati. Denique sicut in chorea passiones quædam membrorum vel aliorum contingunt vltra gestus artificiosos, sic & similia quædam ex tripudio mundi contingunt.

IN CAPVT XXXIV.

Corpus nostrum tanquam mundi pars sequitur fatalem mundi circuitum. Anima quo que quatenus obsequitur corpori, potest tamen & magnanimitate passiones corporis paruipendere, & eas arte declinare vel leuare. In variis mundi sphæris partibusque earum, & stellis naturaliter variæ sunt virtutes. Sunt & virtutes variæ in differentibus ibi figuris ex stellis inuicem firmiter constitutis: virtutes inquam firmæ. Oriuntur & differentes deinceps virtutes in differentibus figuris, quæ inter stellas perpetua motus diuersitate contingunt. Ad has vtrique virtutes tam naturarum quàm figurarum, consequuntur quæ sub Luna fiunt, partim quidem velut inde necessario facta, ceu qui saltantis manu capti corripiuntur, partim verò tanquam liberius consonantia, velut qui ad sonum choreamque gestiunt, & canunt, saltantque libenter. Figuræ quidem cœlestes hæc inferiora significant, naturæ verò vnà cum figuris efficiunt pro dispositione materiæ, Multa verò figuræ significant, quæ non cœlitus, sed aliunde fiunt.

IN CAPVT XXXV.

Anima mundi in ipsa idearum serie vniuersum hoc ab æuo contemplata, vna semel communi elegit electione totum mundi cursum, ita fore comprobans: interea natura vegetalis eius imago sibi subdita absque electione sic totum transigit mundi cursum: Singulæ quoque sphærarum stellarumque animæ se similiter habent ad Deum atque mundum: & vsque adeo cum anima mundi, tum voluntate, tum natura consentiunt, vt omnes in mundo actiones earum rectè possint animæ mundanæ actio nominari. Omnes ergo res corporeæ sunt animalis mundani partes: Omnes rerum naturalium actiones sunt animalis huius motus: Omnes reuolutiones mundanæ sunt gestus & quasi sermones eiusdem. Nihil vel in eo, vel ex eo est, aut fit fortuitum: ad rationes enim omnia referuntur huic insitas seminales, vel altius exemplares. Singula igitur vel ordine proficiscuntur, vel statim rediguntur in ordinem. Sol mundi corpus admodum vitæ naturalis habet atque affert, quam cæteræ mundi partes. In hoc igitur nonnulli ipsam mundi animam posuerunt per radios eius vsquequaque diffusam: Virtutes rerum naturalium omnes primo sunt in seminalibus rationibus naturæ communis. Hinc mox traducuntur in mundi sphæras, earumque figuras tam volubiles quàm firmas. Hinc in rerum naturalium species, in quibus inde latent vires super elementa mirabiles, atque ex ipsis cœli figuris in figuras inferiores vires quoque mirificè. Habent & vultuum nostrorum figurę proprias quasdam alliciendi, vel deterrendi virtutes, vnde apparet vim propriam figuris non minus quam coloribus inesse posse.

IN CAPVT XXXVI.

Sicut vegetalis vita nostra singulis membris, quamuis aliis aliter se impertit, viresque articulis alias aliis mirabiles inserit: sic multoque excellentius vna mundani anima omnes licet aliter alias veget at mundi partes, atque ipsa innumerabilium mirabiliumque plena virtutum quasi grauida tumensque exundat in totum: singula quidem sed præcipuè superiora mundi membra viribus vbique mirificis implens, quas nec elementares vires æmulari vllo modo valent, neque nos effari facilè possumus. Sunt autem eiusmodi vires quasi propriæ propagines quædam animæ mundanæ per corporis vniuersi membra diffusæ, quas quidem vota supplicum operaque magorum conciliare sibi, & quasi per insitionem quandam inserere, quandoque possunt.

IN CAPVT XXXVII.

Sicut membra nostra tam interna quam externa vires ad actionem atque motum habent ab anima nostra, sic omnia mundi membra ab ipsa mundi anima. Mirabiles supra naturam elementarem actiones in lapillis, metallis, herbis, animam esse testatur in mundo, à qua minima quæque vires vbique maximas habeant. Item quòd exiguus ignis tam procul agat, tam facilè cuncta in se absumat, quòd luceat haber ab anima, imò singula quòd aliquid generent. Et ipse ordo motuum atque formarum ab anima regitur, contrariorũq; connexio, & motus cœlestis machinæ tam ingentis, in quam velut animæ proximã genitalis anima potissimũ propagatur: per hanc in ignem, per hunc in aërẽ, per hũc in cetera. Atqui genitalis hæc mundi vita non electione quasi practica, nec actionis suę animaduersione in hæc: sed ita naturaliter agit, vt sol & ignis: imò vt & in nobis anima vegetalis. Naturalis autem actio est antiquior quam electio practica quamuis contemplatiua & vniuersalis ipsa excelsæ mentis electio antiquior sit quàm actio naturalis.

IN CAPVT XXXVIII.

INtellectualis anima mundi & sphæræ cuiusliber atque stellę subiunctam habet vegetalem vitam suo infusam corpori: per quam non electione, sed naturaliter generantur, mouenturque sequentia, & beneficia capacibus conferuntur. Quicquid vsque ex eiusmodi vita profluit, vitale hinc affluit & beneficium: sed euadit alicubi noxium, vel quia materia non est capax, sicut infirmus ad Solis lumen se habet, atque calorem: vel quia ex diuersorum mixtione aliud quiddam inde resultat, vt aureum Solis lumen in nube rubrum euadit, & viride atque fuscum. Vegetalis vita nostra vitæ superius dictæ admodum est conformis similiter spiritus noster radiis illius tam occultis quam manifestis, omnia penetrantibus. Euadit etiam longè cognatior, quando erga vitam illam vehementer afficimur, consentaneum illi beneficium exoptantes, atque ita spiritum nostrum in illius radios transferentes amore: præsertim si cantum & lumen adhibemus, odoremque nnmini consentaneum, quales Orpheus hymnos mundanis numinibus consecrauit. Item cœlo incensi thuris odorem, ætheri feruentem crocum, stellis aromata, Soli thus & manna Lunæ & Naturæ aromata, Saturno & Ioui styracem, Neptuno myrrham, Mercurio thus. Spiritus enim per affectum, cantum, odorem, lumen, cognatior effectus numini, vberiorem haurit illinc influxum.

IN CAPVT XXXIX.

SVper vegetalem mundi vitam, quæ & natura, & rerum naturalium seminarium appellatur, est intelligentia omnia latius ordinans quam natura. Ex intentione seminarij est quæcunque ex ipso nascuntur, formosa nasci efficaciaque admotum: præterea solito quodam, & duntaxat naturali ad suum profectum tenore procedere. Quòd ergo deformia debiliaque contingant ob materialem quandam necessitatem, & alia interimantur ab aliis, impediantur que solitum peragere ordinem, & crescere, suumque tempus implere, ac suo vicissim semine alia propagare: id inquam totum ex nulla est intentione naturæ. Neque igitur id contingens ordinari potest intentione naturæ, cum sit eius ordini inimicum. Ordinandum tamen est, omnia enim sub vno rediguntur in vnum. Per intelligentiam igitur natura superiorem, accidentia eiusmodi in ordinem reuocantur: per eandem arbitrij quoque liberi motus & effectus pro meritis ordine disponuntur, anticipantur nostræ preces, vt ait Iamblichus, & implentur, vobis interim liberè obsecrantibus, nec diuina volunrate mutata, nec rerum ordine perturbato. Dispositio itaque rerum latior est in mente, quam in ipsa natura: in mente inquam solum prima, sed etiam mundanæ cœlestisque animæ: dispositionem verò rerum in mente prima legem Saturni Plato nominat in Politico: eandem in intellectu animali legem appellat Iouis in Politico, atque Legibus: eadem in natura legem fatalem vocat in Politico & Timæo. Quoniam verò vbique firma est ineuitabiliterque procedit, in Phædro nominat Adrastię legem. Tum verò quoniam simul cum lege liberam conseruat efficaciam animorum, in legibus ait, in animis quidem existere principium actionum, in lege verò terminum: atque in Phædro Timæoque legis, edictum introducit semper cum conditione quadam hunc in modum: Si anima perperam egerit talia quædam, reportet & talia. Quod autem inquit in Timæo, animas non prius fatales audiuisse leges, quam vehiculis iungerentur, declarat animas ex se liberas esse, fatum verò ad corpora pertinere. Pertinet verò fatalis necessitas non solum ad corpus, sed ad vitam quoque corpoream. Qualis vtique vita in mundano cœlestique corpore latens, non electione libera, sed necessitate fatali vim suam ad inferiora diffundit, quæ quidem vis emicat inde benefica etiam à Marte, vel Saturno, stellisque similibus. Potest tamen magus maleficam reddere, non aliter, atque ille, qui è concauo speculo collectos Solis radios conijcit in oppositum, atque comburit. Siquis enim decem Saturni vires mundo nobisque necessarias atque sparsas in materiis decem vnà coniunctis cogat in vnum, perdet eum, videlicet non rolleraturum, in cuius perniciem congregauerit, innocens interim est Saturnus. Venus varis fœcunditatis conciliationisque proprietates variis passim rebus inseruit. Magus igitur materias eligens omnes vnum eiusmodi quomodocunque capaces, adhibensque regnante Venere collectas in vnum homini huic & illi immoderatos inter eos conflat amatores, Venere non peccante. Dotes quoque Iouis similiter accumulat aliis, Iouio interim animali non aduertente. Iouiale verò animal & Saturnium, & Venereum appellamus stellæ corpus vegetali virtute viuum: qualia quidem corpora excogitauit Pythagoras, vbi ait, inuocatos deos influere nobis quadam necessitate compulsos.

IN CAPVT XL.

QVodlibet animalis membrum vim habet ad portionem nutrimenti propriam attrahendam, & cor ad aromata, iecur ad dulcia, venæ ad sanguinem, ad spiritum arteriæ, ad semen verò testiculi. Sunt & medicinæ quæ certos adsciscant humores, & membra quædam petere videantur, eadem est animalis mundani conditio: in quo passim dispersa sunt, quæ rem hanc aut illam ad se rapere possint, si congregata in vnum admoueatur. Per sua enim retia vel illicia homines: per sua equi, & per propria similiter homines, hi vel illi clam illaqueari possunt: quemadmodum oblectamentis formarum

atque musica palam incantur. Denique, sicut ferro paleisque compertum est, quod trahat magnes, scilicet atque succinum: sic diligens & fortunatus perscrutator inueniet escam omnibus attrahendis. Singulis enim animalis mundani membris coaguli vis est insita, connectens in vnum cuncta viuum, temperatè quidem suapte natura: intemperatè verò quotiens vndique congregata, in aliquid transferatur, mundo nec patiente interim, neque peccante. Sunt & differentes in hoc animali vires inter se à natura disiunctæ, quæ frequenter à Mago coniunctæ, & in membrum hoc conectæ, vel illud violentius agant, atque perdant in his (vt dixi) non peccante mundo. Nominat Plotinus quatuor, quibus mirabilis insit virtus, scilicet qualitates specierum occultas & figuras, concentusque, & vota: quippè cùm qualitates ille propagines quædam sint virium in vita mundi latentium, & figuræ concentusque inferiores cœlestium figuras sæpè referant & concentus. Votum verò motus quidam est animæ nostræ vehemens erga numen, quod obsecramus. Si contrito sulphure subtilissimum eius puluerè proiicias versus ignem, ignis in longum producta flamma se pulueri huic protinus applicabit. Similiter, qui stellam obsecrat opportunè paratus ad stellam, spiritum suum proiicit in radios stellæ manifestos pariter & occultos, vbique diffusos atque viuificos, per quos vitalia sibi stellæ munera vendicat. Denique, sicut omnes stellæ fixæ connexæ sunt firmamento, sic omnium stellarum numinumque mundanorum vitæ connexæ sunt vitæ mundanæ, cui & connexa est vita nostra: vt non mirum sit, vehementes animæ nostræ motus effusos per communem vitam vbique vigentem vsque ad numina mundana producit, vicissimque motus horum numinum per eandem vitam ad nos vsque deduci.

IN CAPVT XLI.

QValis est in quolibet animali perfecto textura neruotum atque venarum, talis in mundano est animali naturarum contextus, atque vitarum. Sicut ergo motio passioque pedis in nobis pertinet ad ceruicem, & ceruicis ad pedem, sic & in mundano hoc animali motus inferiorum ad superiora proueniunt, atque vicissim, & quasi æqualium similiter ad æqualia. Motus autem omnis venit quidem salutaris ex alto, dummodo qualis venit, taliter capiatur, & capi possit. Neque distantia loci prohibet, quin motus vicissim vtrinque proueniant, vbi vltra communem texturam res inferior cognatam habet cum superiore proprietatem, tam acquisitam quàm naturalem: sicut nerui motus in lyra ad neruum alterum peruenit, distantem quidem, sed similiter temperatum.

IN CAPVT XLII.

MAgi quondam multi vitæ præsentis amatores, bonorumque corporeorum cupidi excogitauerunt corporea sacrificia, votaque viuis stellarum corporibus, & viuo mundi corpori consentanea, vt inde quod optabant, consequerentur. Ad eadem corporea sacrificia dedicata stellis populum assuefecisse videntur. Dubitabant ergo nonnulli, vtrum stellis ad hoc ipsum opus sit sensu, imaginatione, memoria, electione, vt vota eiusmodi impleant. Respondet Plotinus, non oportere: nam ex viuis mundi corporibus vitalis vigor suapte natura deriuatur in alia: qui & in corpora spiritus, animas, quando per votum & cætera competentia ad hauriendum aptius exponuntur, vberius affluit naturali scilicet proprioque influxu, etiam si non adsit electio. Sed Plotinus viuis stellarum sphærarumque corporibus intellectuales earundem animas anteponit à corpore quodammodo segregatas, ad quas non perueniat passio motioque vlla per corporeas continuata naturas: ideoque nec hauriantur inde bona eiusmodi attractu quasi magico: Idemque Porphyrius & Iamblichus asserunt: qui vnà cum Plotino in illis voluntatem electionemque collocant: electionem inquam non ab inferioribus persuasam, sed ex seipsa ab æuo constituentem imitari quidem summum Deum, & sequentibus omnibus prouidere, exaudire supplicium preces intellectuali vita imitantium intellectuales mundi rectores. In sacrificiis quidem votisque corporeis ad corpora mundi directa reportant & eiusmodi bona homines etiam corpori mancipati: bona verò diuiniora per segregatum cultum, viri tantum diuini à diuinis mundi rectoribus. Addit Porphyrius ac Iamblichus hos etiam vltra intellectualia etiam corporalia quædam & æterna bona referre, officio numinum mediorum superioribus numinibus obsequentium, & eorundem tutela sæpè mala imminentia deuitare. Adiungit Astrologus Abraham religiosas animas ex applicatione ad Deum cœlo superiorem acquirere potestatem, per quam fatalia bona quidem augeant, mala verò minuant. Proponunt Platonici intellectualibus animis mundi rectoribus intellectus puros, his intellectum diuinum, huic patrem eius ipsum bonum: mundanis Diis sacrificia corporea constituunt, superioribus segregatam dedicant sanctimonia, primò segregatissimam, idque confirmat Apollonis Thianeus. Adorationemprę cęteris eligunt superioribus, & supremo deniq; consecratam, illinc enim bona ampliora referri. De his apud Iamblichum & Porphyrium, quos nuper interpretati sumus, legere latissimè poteris.

Magica fascinatio nititur viribus naturalibus, tam cœlestium quàm inferiorum rerum, scilicet atque verborum. Attingit igitur proximè spiritum nostrum, & per hunc non solum humores, sed etiam vitam irrationalem dependentem etiam ab ipso mundo: animam verò rationalem natura vtraque corporea mundi superiorem, & solùm à mente diuina pendentem nequit attingere, nisi quatenus cum vita inferiore consentit.

CAPVT XLIII.

SI quis hunc quidem succinea induat veste, illum verò paleari ad hunc attrahet illum: ita perscrutati Magi multa passim recondita non naturalia solùm, sed etiam verba vim suam eminus effundentia trahere valeant. Multa etiam quæ ab his trahi possint, & illa quidem viro, hæc autem fœminæ clam adhibentes, fœminam ad virum rapiunt. Admouent etiam quæ se iungere possint: sicut & nautæ suspendentes ferrum ita cum magnete librant, vt rapiatur ad Vrsam, atque vicissim inficientes alleo raptum eiusmodi soluunt. Qua verò syderum positione quidam opportunius ad hæc vtantur, & quas fingant ima-

gines, quasve materias conflent narrare non expedit:nec etiam quibus incantamentis clam alliciant. Verbis quidem præest Mercurius, cantibus verò Phœbus, incantamentis autem Mercurius cum Phœbo coniunctis:sed vbi & qua ratione iunctus Soli, & quali stellarum aspectu fretus vim præbeat cantionibus: item quo aspectu malefica, quove benefica præstet incantamenta docere iustitia verat. Fortè verò sicut cæteræ materiarum qualitatumque mixtiones vim nouam adipiscuntur, ita certæ quædam iuncturæ verborum,& intra animam conceptæ,& extra animam prolatæ adhuc quasi viuæ vim quandoque mirabilem consequuntur, vel ex præsenti syderum positura, vel etiam ex ipsius hominis genitura, aut ex singulari quadam animæ potestate, adeò vt in effectu verborum hæc ipsa eorum iunctura processioque in obiectum intenta sit, quasi directio & applicatio virtutis intimæ ad externum: quemadmodū prægantis cupidæ digitus genam signans rei nimium affectatæ. Nota. Procedit verò in rem distantem incantamenti vigor motu quodam non solùm per aërem sibi similem propagatus, sicut in aqua semel percussa circuli, sed etiam per radios spiritus excantantis, quos quidem procul imaginatio vehemens affectusque iaculatur. Radialis namque natura subito procedit in longum, secúque producit vires eiaculantis. Imò verò res omnes infrà lunam imitatæ stellas naturæ suæ vires, & quasi vapores quosdam radiorum instar emittunt foras, quibus obiecta etiam distantia pro natura sua benè aut malè frequenter afficiant:idque facilius quoniam singula eiusdem sunt animalis membra mundani: quod odores ipsi declarant longius & diutius à canibus apibusque percepti. Mitto quandam dæmones veneficiis magicisque operibus adhibeat potestatem, quod sanè in Sympofio Plato confirmat. Hos etiam Magus cultorque diligens demulcendo sibi conciliare potest, quemadmodum & abiectus minimus musicusq; puer Regem illaqueat generosum, & bestiæ quædam hominem quandoque fascinant. Sicut enim se habet ad hominem bestia, ad virum puer, ita vir magnus ad inferiores dæmones, nobisque propinquos. Huc forsan tendit illud Albumasar, aliorumque Astrologorum, scilicet preces vim habere quàm plurimam, quando caput Draconis medium tenet cœlum,& Iupiter vel in eo sit, vel id aspiciat: Lunaque vel coniuncta sit cum Ioue, vel ab ipso procedens coitum eum ascendentis Domino prosequatur: aut ascendentis Dominus congressum eum Ioue petat, capitisque Draconis aspectum. Putat enim sydus eiusmodi vel efficaciam prosperitatemque spiritui nostro, votisque præbere ad dæmonas Ioui Capitique subditos allectandos: si modo cœlestibus his influxibus subiungatur, ex omni genere sensibilium multa ram huic dæmoni, quàm suo illi syderi competentia, quæ & perscrutari laboriosum est, & obseruare periculosum. Tutius verò de hoc Iouiali sydere Physicus aliquis opinabitur, spiritum hominis tunc bona cœlestia vehementius affectantis, beneficio Iouis cœlestibus bonis largius hauriendis exponi: ad malignos autem spiritus loco mouendos, diuinationemque per mortuos explendam. Ptolemæus in Quadripartito conferre putat harmoniam cœlestem quando Luna fuerit magisterii domina, colatque Iouis ædes, Sagittarium scilicet, aut Pisces. Hæc ad Plotinicum illud dicta sint: vbi ait; Magnum quodammodo Dæmonas irretire, ac per vniuersum in partes agere, atque per superiora facilè inferiora mouere. Ego verò suspicor ne fortè Dæmones subdoli simulent magicis quibusdam machinis allici vel expelli. Nam Porphyrius & Iamblichus aiunt, per Deum propriè, perque bonos Angelos aduersus infimos spiritus imperium nos habere, qui alioquin nos fallere frequenter soleant, atque lædere. Et quoniam perturbatione tanguntur, quod & Plotinus vnà cum Porphyrio atque Iamblicho, damnat eam superstitionem, quæ exquisitis illecebris, studeat fallacibus perturbatisque dæmonibus adulari. Qua verò ratione ex corpore mundi vbique viuo, viuisque rum stellis, tum cæteris mundi partibus, naturali quodam quasi Agricolarum Medicorumque more vitales carpere auras valeamus: satis in libro de Vita tertio disputamus. Platonici denique adorationem intentissimam sacrificiorum omnium efficacissimam esse putant, præsertim si ad intellectus mundo superiores, scilicet Angelos dirigatur, maximè si ad Deum quoque superiorem: sed ab his similiter, atq; ab hoc nihil impetrari naturali quodā cœlestique sanore, cuius modus illuc vsque non transit, sed eleuatione quadam coniunctioneque mentis ad illos. Quæ verò in superioribus de Virtute imaginationis fascinationibusque, & de Magia prætermisimus, in Theologia nostra, & libro de Amore, & libro de Vita tertio latius pertractamus.

Vita contemplatiua libera est: actiua ministra actionum & rerum absque fortunæ: voluptuosa serua corporis.

CAPVT XLIV.

CVm mens rerum contemplandarum formas ingenitas habet, ipsaque met sit ipsæ formæ, meritò quatenus in his contemplandis natiua voluptate se versat, eatenus libera secum habitat. Qui verò corpus & externa curiosè colit, corpori hominibus fortunæ seruit. Actio atque passio inter se opponuntur. Omnis igitur motus noster qui incitamentum ex corporea humanaque passione habuit, passio quædam est & seruitus. Denique, natura ipsa vitaque mundi quasi magna imagines ipsius boni, veri, pulchri vbique fingit, velut escas, quibus animas huic mundo per voluptatem, auaritiam, inanem gloriam deditas fallit, & quasi mancipia detinet atque trahit.

Eiusmodi habitus fit animo tandem quasi natura; cuius instinctu sub diuino iudicio fertur in sortem atque locum, aut superis, aut inferis competentem.

CAPVT XLV.

HOmo non solùm tanquam mundi pars quædam fataliter agit, patiturque multa, sed etiam substantiam habet propriam naturaliter quidem, partim superioribus, partim inferioribus cognatam: ac libero motu potest insuper affectionem & habitum induere tam cùm superioribus, quàm cum inferioribus congruentem.

LIBER QVINTVS

DE DVBIIS ANIMAE, VEL DE VISIONE.

IN CAPVT PRIMVM.



Entire, est percipere corporea, singularim per instrumenta corporea. In perceptione sensuali deprehendimus externorum corporum qualitates aut actus vsque ad animam, vel circa animam quodammodo peruenire, nec-non quandoque vim actumque animæ ad corporea se porrigere. Quod quidem fieri nullo modo posset, nisi anima proportionem quandam ad hæc haberet: hanc verò non habet nisi ipsa per vim vegetalem suo quodam pacto formet manifestum corpus, & præcipuè spiritum: atque ita sibi conformet, vt vis eius actusque per hoc suum corpus quasi instrumentum ad externa quandoque se porrigat, & externorum motus ad hoc veniendo quodammodo videantur ad animam peruenisse. Denique vt visus percipiat rem videndam, non opus est foris corpore medio, quasi ad viuendum necessariò adiuuante: satis enim per se visus oculusque natura paratus est, vt versetur circa luminosum, atque hoc vicissim circa visum. Corpus verò medium siquidem opacum est impedit: sin diaphanum, hoc tantùm habet, vt visioni non obstet sicut solet opacum, absque hoc ergo fortè videbitur.

IN CAPVT. II.

INter visum, atque visibile medium, per se necessarium est lumen, vel commune, exrernumque, vel proprium, siue oculi seu obiecti natura valdè lucentis: corpus autem non adeò necessarium inter hæc medium est. Visio fit potissimum, quia vel radius ab oculo visualis proficiscitur ad visibile, vel à visibili iam luminoso nonnihil procedit ad visum, vel vtroque simul pacto, & omnino quoniam tam oculus, quàm visibile ita in natura mundi videntur sunt disposita, vt proprietatem habeant inuicem valdè conformem, per quam à se inuicem facilè moueantur, agantque mutuò, vel patiantur. Corpus igitur nec est per se necessarium ad emicantem ex oculo radium sustinendum, atque perferendum, qui sine sustentaculo in rectum profluit naturaliter: nec ad lumen ita vehendum, siue sit lumen obiecti, siue sit alienum: nec etiam ad compassionem inter visibile visumque complendam: satis enim per se mutuæ sunt exposita passioni. Denique, nec necessarium est aërem medium ab obiecto colorari, figurarique modo ceræ, per quam passionem visus subinde similiter patiatur: alioquin ad cernendum non oporteret oculum ad obiectum ipsum conuertere procul positum. Satis enim foret oculum attingi à contigua nobis parte aëris iam formata. Omnino verò spiritales sub lumine visibilium species peruenientes ad oculum absque aëris passione perueniunt.

IN CAPVT III.

INter visum atque visibile, non est necessarius aër medius ad hoc ipsum propriè, vt forma obiecti imprimatur deinceps per partes aëris succedendo, vnde tandem imprimatur & oculo. Ratio ad hoc prima paulo superius assignata est. Sequuntur duæ quarum vna est eiusmodi. Quando nocte profunda igniculum longissimè distantem cernimus, non est putandum ex igniculo formam continuatis aëris partibus gradatim imprimi. Non enim potest hunc ita pingere, nisi & easdem partes illuminet, nec tamen illuminat eas: alioquin alia quoque multa in recto hoc spatio cerneremus. Ratio altera talis est: Si aër modo quodam suo, id est corporeo, à persona videnda pingatur, sequetur vt exigua illa pars aëris pupillæ proxima & æqualis, id duntaxat minimum de persona tota quod præfert, ostendat oculo: nunc autem in qualibet aëris portiuncula totum videmus obiectum. Denique aër nihil patitur ab illa specie, si qua mittitur ab obiecto, sicut neque patitur ab ipso lumine, per quod mittitur: ab ipso inquam, quatione lumen. Sic enim momento adest, & abest, neque remanet illuminante subtracto, & est vbique rotum, ex quo apparet lumen neque fieri propriam aëris qualitatem, nec esse reuera corporeum.

Proinde incorporeum hoc non tam prouenit ex corpore quàm vita mundi. Nam & quando ad longissimum spatium scintillam vides, exiguum locustæ sonum audis: & animalia quædam audiunt minima quæque, item apes & formicæ mellita olfaciunt remotissima: conchæ quinetiam distantia gustant: & torpedo piscis per longam sæpè virgam stupefacit te quasi tangens, non est existimandum: præsertim in superioribus à minimo quoque obiecto longissimum spatium frangi, & materialiter affici: sed interuenire nescio quid quodammodo spiritale, quod per tam longum spatium agat in sensum, id est, actum quendam specialem ab ipsa specie rei sentiendę prouenientem. A specie, inquam, nō tam quia in materia fit,

quam quia à spirituali viuaque dependet idea. Actum quoque specialem inquam, & spiritalem, siue hic intra nos fiat in instrumento sensus, vt in tactu atque gustu, siue etiam extra nos in aëre, vt circa visum, auditum, olfactum: siue etiam à visu proueniat in obiectum: qui sanè actus in omnibus sentiendis fit vbique inter passionem etiam materialem ab obiecto in aëre factam circa sensus inferiores. Fit igitur opportunè tunc virtute quadam vitæ communis, cuius beneficio cuncta ligante tam facilè à rebus distantibus & mouetur sensus, & corpus conforme procul patitur à conformi. Quod etiam apparet in magia: & cœlestia aliaque multa vires suas impartiunt remotissimis: denique vita mundi communis ita sensum hunc cum hoc sensibili temperat, vt agente sensibili, moueatur sensus & agat, sicut in lyra dum mouetur hæc corda, statim & contemperata mouetur: & te clamante, paries conclamat sic expositus. De superioribus diligentius in commentariis Theophrasti tractamus.

IN CAPVT IIII.

SI quod medium necessarium est inter visum atque visibile, id quidem non corpus est, sed lumen, vel natiuum oculo siue visibili, vel alienum. Confert autem ad videndum non passio medij oculique, sed actio quædam atque lumen. Tres hic de visu tangit opiniones: Vna putat animam ita per radios visuales sicut per capillos sese propagare, vel manus: atque ita sensibilem tangere, & id quidem absque reflexione. Secunda, animam non propagari per radios, sed eos quasi virgas extendere ad obiectum, eosque ad animam inde reuerberari. Tertia, lumen figurati ab obiecto, atque ita figuram ad oculos peruenire. Circa primam ludit, secundam deridet, tertiam reprobat: & vbique tandem id molitur, tantam esse compatiendi conformitatem inter visum atque visibile, vt satis circa se vicissim moueantur & agant, etiam si nulla passio contingat in medio, sicut neque patitur medium, vel saltem non tale quiddam patitur, quando tremente hac chorda altera contremiscit, oscitante hoc, oscitat ille, & imaginante aliquid amicissimo, imaginatur interdum idem & alter amicus.

IN CAPVT V.

SI qua materialis passio à rebus sentiendis affertur in medium, quia nimirum diuersa est ab in corporea natura sensus, ideo & sæpè sua vehementia confundit sensum, & nunquam est accommodata causa sentiendi nisi præter illam suboriatur spiritale aliquid vel in medio, vel saltem in instrumento sensus: Id quidem spiritale accommodatum sensui etiam apparet in voce. Quod enim vbique totum circa vocem à multis eodem momento percipitur, significaturque, spiritale quiddam esse videtur. Tale verò aliquid circa quemlibet sensum non corporea causa generat, sed proreat ipsa mundi vita in subiecto tunc opportunè disposito. Est autem hoc adeo cognatum sensui, vt cum primum id circa sensum viget actu, ipse quoque sensus ipsius actus circa id simul expergiscatur. Quemadmodum aliis hominibus alius præcipuè concentus est amicus, & alius alios ad cantum excitat, atque tripudium alij. Quod autem ad actum huius obiecti sensibilis statim hic sensus agat, conficit eadem vbique vita mundi, hoc potissimum cum illo contemperans simulque mouens: sicut ad talis humoris motum mouetur & imaginatio talis, atque vicissim. Item ad varios Lunæ motus habitusque variè mouentur & afficiuntur humores: Ad motum sulphuris mouetur & flamma: Quorsum intendis dextrum oculum, intenditur & sinister.

IN CAPVT VI.

LVmen non ab illuminato, sed illuminante dependet: similiter vita omnis non ab animato, sed ab anima pendet tanquam proprius actus & regitur, etiam si omne foris defuerit sustentaculum. Primum corpus est cœlestis ignis: prima huius qualitas est lumen: ideo vsque adeo perfecta est, vt per modum actus potius quàm ociosæ qualitatis existat. Actus quidem tam efficax, vt per omnia sese porrigat à fonte proprio non disiunctus. Appellatur & ignis eiusmodi color, qui vsquequaque diffusus, colores omnium ociosos suscitat, atque circunfundit. Præterea in quocunque sub cœlo corpore prævalet igneus quidam vigor cœlesti similis: emicat & inde lumen, quasi familiaris color. Sub præsentia Solis lumen calefacit aërem: Calefactio quidem vtroque indigent, scilicet & præsentia Solis, & aëre. Hæc verò calefactio competens medium est inter lumen atque calorem: Calor sanè potest etiam sine præsentia luminis in aëre superesse. Ergo lumen sine aëre penes Solem existere potest: sed calor quidem à lumine relictus in aëre non multo tempore superest, quoniam est alienus: lumen verò circa Solem semper, quia proprium. Proprium enim inseparabile est. Alicuius certè proprium est lumen, non diaphani per se quidem obscuri: ergo Solis ipsius, corporisque solaris. Et meritò sicut est forma quædam in ordine rerum in seipsa consistens, quædam alio sustentata, sic & actus est duplex: Alter quidem formæ duntaxat agentis, alter insuper iacens in patiente. Lumen verò non fieri propriam diaphani qualitatem alibi diximus, quia neque suscipitur paulatim, neque etiam retinetur, neque simul cum hoc inficitur vel mouetur, neque confunduntur inter se lumina, neque igitur cum cæteris qualitatibus commiscentur. Non confundi apparet ex eo quod si tribus luminibus corpus vnicum opponatur, tres in oppositum vmbræ resultant, quoniam tria ibidem lumina sunt distincta. Præterea si tribus candelis opponatur ingens tabula, in cuius medio sit foramen, tria lumina in oppositum inde resiliunt: aliud quidem in rectum, alia duo è transuerso se inuicem intersecantia, non confusa. Similiter mentes & animæ coniunctæ inuicem minimè confunduntur. Lumen meritò neque subiecto capitur, neque commiscetur alicui, quoniam omne lumen cœlestis luminis est imago: Illud verò animę cœlestis est actus. Sicut enim verbum emittitur ab anima velut actus imaginationis extra porrectus, in quo tria sunt, aër, motus, significatio: sic à luce intellectuali cœlestis animæ per omnia efficacissimus actus effunditur, in quo tria sunt, lumen, calor, vis occulta: & aliquo peruenit lumen, quo non calor, & è conuerso. Vis autem in hoc actu occulta, quæ in eo potissimum est, per omnia transit, facitque mirabilia, non formaliter calefaciendo, vel palam illuminando, sed speciales inserendo virtutes.

IN CAPVT VII.

Sicur reliqua corpora proiiciunt ſemper foris ex ſe nonnihil, ſcilicet vaporem, vel virtutem, vel imaginem, ita ſidereum corpus atque ſimile actum ſuum emittit foras, & quia efficaciter, ideo procul eiuſmodi actus eſt lumen, attingens quidem externa, & interim fontem proprium non relinquens. Inter lucem proſrus intimam lucido corpori, atque calorem iam aëri factum intimum, eſt lumen partim quidem lucenti intimum, partim etiam extra procedens, fermè ſicut ſermo inter cogitationem atque fabricam. Lumen quo momento penetrat molle diaphanum, eodem diaphanum transuerberat vel duriſſimum. Incorporeum eſt igitur cui duritia corporis non reſiſtit: Veruntamen quoniam eſt cœleſte, ideo obſtaculum natura terreum etiam ſi minus durum ſit, non capit lumen. Quoniam igitur incorporeum eſt, non debemus huic paſſiones corporis attribuere, id eſt, accedere, recedere, refluere, tranſfluere, contrahi, dilatari; ſed potius vbi coram diaphanum exponitur lucido, ſtatim lumen illic exiſtere, illic agere, ſin minus non exiſtere, ibi non agere, neque tamen ſimpliciter eſſe deſinere quamdiu corpus eſt lucidum. Lumini ſimile eſt radialis actus ſpectaculi directus in ſpeculum. Item vitalis actus animæ directus in corpus. Actus vitalis omnis eſt immortalis. Et qui ab anima noſtra in corpus intenditur, eam perpetuo comitatur. Et qui in corpus idem manat ab anima mundi, hanc quoque animam aſſiduè ſequitur.

IN CAPVT VIII.

CVm mundus ſit vniuerſum corpus atque ſenſibile, poni reuera non poteſt ſenſibile aliquid extra mundum. Quod fingas corpus aliquod extra nulla in re cum mundo communicans, non ſentiretur ſenſu mundano: ſin verò quoquomodo communicans, iam non erit extra, ſed intra. Quod patiente digito pedis, ſtatim compatiantur inguina, & hæc quidem potius quàm genua, quamuis remotiora, inde contingit, quia & in eodem animali ſunt, & præcipuè interſe conformia, ſimiliter ad paſſionem cerebri, patitur ſtomachus, atque viciſſim. Simili ratione quod ſenſus etiam longè diſtantes ad leuiſſimos ſenſibilium ſuorum motus, etiam non patiente medio annuant, efficit vna mundi inter hæc continuata natura: Sicut continuitas longiſſimi intentique nerui facit vt vibrata parte vel infima, ſtatim vibretur, & ſumma. Hinc quoque contingit, vt rerum ſeries cœlitus imminentes, & adhuc futuras imaginemur vel occultiore quodam inſtinctu ſæpius imitemur, & amicum ad nos proficiſcentem antequam perueniat, occulto quodam ſenſu nonnunquam præueniamus.



LIBER VI.

DE SENSV ET MEMORIA.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)



On imprimuntur ſenſibilium formæ in anima. Non imprimi à ſenſibilibus formas in anima tanquam à ſigillo in cera Boëtius noſter in Conſolatione probat: nos in Theologia & commentariis Theophraſti. Plotinus exiſtimat formam animæ ſic impreſſam ſortiri iam obiecti ſenſibilis rationem: itaque ſi in viſu impreſſa fuerit forma cœli, quinque abſurda ſequi, Primum, non oportebit oculum ad cœlum vltra dirigere. Secundum non metiemur quantum diſtet cœlum ab oculo, imò neque diſtare putabimus. Tertium, non apparebit cœlum oculo latius. Quartum, non cœlum videbimus, ſed hanc forſan in nobis cœli formam. Quintum, non diſcernemus rem ſenſui ſic impoſitam.

(∴) (∴) (∴)

Sentire non eſt pati à rebus ſentiendis, ſed agere circa illas.

CAPVT II.

ANima quoniam rebus ſentiendis abſque proportione excellentior eſt, neque cum eis materia vel natura communicat, formas ab eis nunquam ſuſcipit: & quoniam in ſentiendo rectè iudicatura eſt, paſſio verò confundit iudicium, nihil patitur ab obiectis. Si qua verò paſſio contingit ab eis in corpus perueniat, atque ſpiritum: quo quidem ſpiritu ſic ab externis, aut ſic pulſato, vel affecto, ſtatim anima præſens affectiones eiuſmodi percipit. Id verò percipere non eſt pati, ſed potius agere, id eſt, aliter tunc ſpiritum, atque aliter vegetare, & innatas (vt Iamblichus ait) ſenſibilium formas edere. Intelligentia multo magis quàm ſenſus eſt à paſſione remota: nam & interiores habet formas, nec extra conuertitur.

Meminisse & reminisci non est conseruare atque repetere rerum formas, aliquando impressas animo.

CAPVT III.

QVando dicunt animam tanquam rerum incorporearum atque corporearum mediam vtrarumque in se formas habere, non intelligimus has formas tanquam accidentia quædam iacere in anima, sicut literas in tabella, siue aliquando inscriptæ sint, siue ingenitæ. Nam animæ diuinæ natura neque subit impressiones, neque rationes rerum quas habet ab initio, tam diuersas habet ab ipsa sui natura, accidentia referant: sed vt alibi diximus, sicut sunt in anima naturales substantiæ vires, ratio, imaginatio, sensus, & potentiæ vegetales, ita rerum quoque cognoscendarum rationes habet quasi vires, essentiales, quemadmodum & membrorum seminales possidet rationes. Quando igitur anima aliquid meditatur, seipsam ex naturali virtute in actum naturalem circa id ipsum educit. Quod si attentius diutiusque meditatur, idem in hoc ipsum valentius se conformat, idque est meminisse: hinc & facilius reminiscitur.

LIBER VII.

DE ANIMI IMMORTALITATE.

Vnusquisque nostrum totus est immortalis, siquidem est ipse animus immortalis.

CAPVT PRIMVM.



ANima dupliciter se habet ad corpus, partim quidem vt substantialis quædam species ad materiam: quoniam per eius præsentiam certa quædam humorum temperatura spiritusque vitalis in corpore nascitur, partim verò tanquam vtens ad instrumentum quantum pro arbitrio mouet corpus: atque est à corpore separabilis, & iam quodammodo separata.

Nullum corpus, qua ratione corpus, propriam & insitam habet vitam: anima verò habet. Igitur anima non est corpus: ergo neque fit ex corpore vel corporibus, cùm sit natura præstantior.

CAPVT II.

COrpus sua proprietate dissolubile est: Anima proprietate sua connectit corpus, conciliatque contraria, dum certa quadam ratione commiscet. Neque igitur dissolubilis est, neque corpus, neque ex certa corporum mixtura concipitur: imò verò vicissim ordinata ratio mixtionis in corporibus procedit ab anima. Erimus in hoc libro breuissimi: nam circa eadem in Theologia latissimi sumus.

Omne corpus efficit distantia partium, vt parte alia patiente non statim compatiantur & aliæ: Per ipsam verò animam corpus viuum habet, vt ad partis vnius motionem passionemque cunctæ statim commoueantur: anima igitur nec est corpus, neque forma distenta per corpus.

CAPVT III.

NOn est corpus crassum, alioquin non facilè penetrabit totum: Non est corpus labile, alioquin labilissimum corpus non continebit: Non est impressa corpori forma, alioquin nec expeditè corpori dominabitur viuificandum, & mouendum, & continendum, & à forma præstantiore pendebit in seipsa manente, vitamque effundente per corpus. Atque hæc ipsa forma præstantior potius erit anima: quæ cum indiuidua sit vbique tota, & extra contrarium qualitatum genus facilè contraria inter se conciliat, & distenta dissipabiliaque connectit.

Stoici & Epicurei animam esse spiritum suspicabantur, id est, subtilissimum corpus: Illi quidem potius igneum, hi verò magis aerium, & vtrique non quemlibet spiritum, sed certa quadam proprietate affectum, animam nominabant.

CAPVT IIII.

HÆc ipsa certa, proprietas & quodammodo incorporea corporeque excellentior non à corpore generatur, sed à substantia penitus incorporea, quæ potius anima iudicabitur: Quæ quidem cum ad oppositas in corpore qualitates & motiones tam edendas quàm regendas æquè

se habeat, merito neque certum aliquod corpus vel corporeum est, neque ex corpore quodam corporibusue dependet.

Hæc autem munera ad molem vel qualitatem corpoream pertinere non possunt: Anima igitur est incorporea.

CAPVT V.

Anima motus effectusque omniformes, tam vegetali virtute per rationes seminales, quàm electione profert: Et corpus certo quodam ordine ad certum auget terminum, permanetque ipsa interea eadem. Item, tota anima est in qualibet vel ficta portione animæ, vel vera corporis portione. Totaque virtus animæ in qualibet seminis gutta seruatur.

Necesse est diuersa per sensus varios influentia ad intimum, & vnum, indiuiduumque sensum redigi omnia inter se comparantem.

CAPVT VI.

Nisi ad indiuiduum denique colligantur, non poterunt comparari per iudicium prorsus eumdem: colligi verò ibi sic apparet, quoniam colliguntur fermè similiter in pupilla. Sensus hic intimus neque diuidi ad sensibilium diuisionem potest, neque quantitate illis æquari, neque esse humidus, alioquin cessaret memoria: neque durus, periret namque docilitas: Et omnino si sit corporeus, formæ ibi rerum se inuicem impedient, atque confundent.

IN CAPVT VII.

Principalis sensus passionum iudex, passiones cuiuslibet membri subito percipit, in qua particula membri sint distinctè discernit, huc oculos manusque statim admouet. Id autem efficere non valeret, nisi esset vbique totus. Non est ergo corporeus.

Intelligentia frequenter attingit, & penetrat incorporea formasque separat à corporibus. Fit igitur absque corpore: intellectus ergo non est incorporeus.

CAPVT VIII.

Cvm indiuisibile non aliter quàm per indiuisibile possit attingi, intellectus attingens indiuidua est indiuiduus: & vbi separatis se coniungit, est à corpore separatus: & quando coniuncta separat, maximè separatum se esse declarat.

Essentia corporea tanquam imperfecta, dependet ab incorporea perfecta, quaquidem cum ex seipsa primoque sit & viuat, semper est & viuit, in cuius genere anima continetur.

CAPVT IX.

Anima, quoniam in genere diuinorum est vltima, ideo cum caducis videtur inire commercium, ex quo optimus eius habitus intermittitur. At, quoniam in diuinorum genere comprehenditur, naturam assiduè seruat, seque potest in dignitatem pristinam reuocare.

Duæ sunt mentium diuinarum dotes. Vna quidem claritas intellectus omnia cernens: altera verò optimus vitæ habitus. Eiusmodi dotes maximè consequitur animus, quando seipsum ab omni labe corporea segregans reuertitur in seipsum. Ex quo apparet eum esse diuinis mentibus natura cognatum.

CAPVT X.

Dvo sunt apud nos argumenta diuinitatis. Alterum Prophetia: alterum prodigiosorum operum demonstratio. Quicunque verò diuina hæc munera reportarunt, ex hoc vno duntaxat officio hæc sibi vendicauisse videntur, quòd animam à corpore reuocauerint ad seipsam. Vnde constat ipsam animæ naturam per se esse cum diuinitate coniunctam.

Corpus animatum ipsius animæ beneficio habet, vt ex se quodammodo moueatur. Igitur anima potissimum habet idem: igitur & vitam ex se habet: igitur & in se à corpore non dependentem: semper ergo viuit etiam à corpore separata.

CAPVT XI.

Animam ex se & in se moueri, viuereque etiam sine corporis sustentaculo apparet, præterea maximè quando contra inclinationes corporis sese mouet, & quando se ad incorporea transfert, si quod verò accidentale vitæ vestigium corpori est impressum, redigendum est ad substantialem animæ vitam in se existentem, sicut calor vel pallor nubis ad lumen, atqui vt lumen ad Solem, sic anima refertur ad mentem.

Anima nostra mundi animam motu rerumque intelligentia imitans sempiterna est, sicut & illa præsertim: quoniam dum reuocando se ad intima sui res intelligit, declarat absolutas rerum formas sibi ingenitas se habere.

CAPVT XII.

Denique cum anima sit forma simplex, indiuidua, non alligata materiæ, neque dissolui potest, neque diuidi, neque disperdi.

Anima nostra & si est in genere diuinorum, tamen quia in eo genere vltimum tenet gradum, merito descendit in corpus, & id quidem caducum, ad diuinum gradum iterum reuersura.

CAPVT XIII.

Natura intellectus longè diuersa est à corpore: agit enim in seipsa fugiens interim à corporeis. Igitur inter puros intellectus, & corpora sunt naturæ habentes partim quidem intellectualem, partem etiam animalem, id est, ad corpora sibi conformanda vergentem. Sunt in his tres gradus: nam in animis quidem cœlestibus intellectuale superat animale: in nostris verò vicissim: in dæmonicis æquè se habent, nihil ergo mirum est animam nostram quamuis diuinam in corpus mortale descendere, quando in seipsa descendit ad tertia, id est, sub intellectu per rationem, & imaginationem ad potentiam vegetalem.

(·:) (·:) (·:)

Omnes animæ proprias immortalesque vitas habent.

CAPVT XIIII.

QVicquid vitæ ab anima nostra in nostrũ corpus emicat, abeũtem hinc animam comitatur. Quod verò in fœtu vitale cœlitus impressum fuerat, cœlitus conseruatur, circa quod & noster animus hinc impurus emigrans amore se versat, purus verò relinquit.

Animæ defunctorum nostra hæc memoriter tenent, sentiunt, curant, malefaciunt, benefaciunt.

CAPVT XV.

QVandiu corpus habent qualecunque vel aërium, vel ætherium, proprios habent & sensus: sin omne corpus exuant eminentia quadam intelligentiæ ad singula discernenda vti pro sensibus iudicantur. Nam & imaginatio præsertim perfecta sensus præfert; & ratio imaginationem agit, atque sensus, & intellectus rationem atque sequentia modo quodam præstantiore.

EPILOGVS.

DEsideras magnanime Laurenti breuem tandem longæ disputationis summam, disputationis inquam de immortalitate, & in Theologia, & in præsentia in longum iam productæ. Desiderabat & idem noster ille Bernardus, cum Veneti Senatus hic orator, nos hac de re latissimè disputantes audiret. Bernardus inquam Bembus, vir apprimè doctus, doctorúmque patronus atque meus in sidere genioque frater. Tibi igitur atque illi pariter hæc erit summa quatuor distincta capitibus: primò quidem, quòd anima rebus caducis dominari potest, incitamentisque corporeis repugnare: secundò, quòd multa à corporibus separata frequenter excogitat, siue res ipsas attingat per se separatas, siue separet ipsa: tertiò quòd naturaliter æterna desiderat, ac sæpè æternorum fiducia negligit temporalia: quartò, quòd æternum colit Deum vitæ sempiternæ gratia. Tota denique religio naturalis homini firmissimum immortalitatis est fundamentum.

LIBER OCTAVVS

DE ANIMAE DESCENSV IN CORPORA.

ANNOTATIONES.

Animæ nostræ intellectuales in corpus descendunt per naturam viuificam intelligentiæ suæ subiunctam, & corpus naturaliter adsciscentem sicut flamma sulphur: similiter & cœlestium intellectuales animæ corporibus suis per eiusmodi medium copulantur.

(.:.) CAPVT PRIMVM. (.:.)



Oluit Deus ad sui intellectus exemplar in qualibet mundi sphæra, & in cœlo, & infra cœlum animalia quædam intellectualia fore: ac ne intellectus quasi per violentiam forent ad corpora protrahendi per naturam animalem, id est, vegetalem eis adnatam quasi plantam, corporibus libenter adsciscendis conciliauisse videtur.

(.:.) (.:.) (.:.)

Coniunctio animæ cum corpore, etsi est secundum quandam animæ naturam, atque etiam ad vniuersi perfectionem, tamen duplici ratione animis nostris obest, quia & intelligentiam quodammodo impedit, & animum perturbationibus implet: animis verò cœlestibus hæc impedimenta non accidunt.

CAPVT II.

QVoniam per naturam genitalem coniunctio cum corpore naturalis est animæ, ideo cœlestes animæ, quæ hac sola potentia vtuntur ad corpus in habitu naturali felicique consistunt. Cum enim earum corpora nec dissoluenda, nec externis passionibus subdita, nec vllius egena sint, facilè per solam animę suæ vim genitalem reguntur, atque mouentur. Nec earum contempla-

tionem tranquillitatemque impediunt: animis verò nostris contraria ratione accidit; & contrarium: datur tamen reditus ad superna, siquidem quandoque fit ad superna conuersio.

Ad inferiora verò labi Porphyrius ait, Quando animus quasi ager iam deprauatur, vt qui multis annis produxerit triticum, reddat denique pro tritico lolium, id est, solitus notiones intellectuales edere, iam ferat imaginales. Tunc è radicibus animæ pullulat, inquit vegetalis actus quasi germen: per quod in corpus iam porrectum anima corpori se conglutinat. Porphyrius hic animarũ lapsum casui dæmonum ab Hebræis introducto facit similẽ, vitio videlicet intelligentiæ vel voluntatis effectum, vnde sequuta sit concupiscentia demẽs. Quod etiam de dæmonibus disputans Dionysius, ait: qui ibi videtur dæmonas animalia ponere, sicut & Basilius plurimiq; Græci Theologi putauerunt: tum verò si verum sit illud Damasceni, vltimos tantũ Angelos cecidisse, atq; euaserint animalia, valdè similis erit Platonicus animarũ lapsus dæmonibus, apud Hebr. Christianosque cadentibus. Proinde vbi apud Plotinum atque Proculum legis, particulares animas agere particulares vicissitudines, tũ ad superiora, tũ ad inferiora, ne intelligas animam tuam infinita corpora mutaturam, finitæ namque sunt & paucæ vnius animæ mutationes in anno mundi magno, atque in anno sequenti, vt aiunt, eadem penitus retexuntur. Præterea, nec oporteret omnem animam omnes induere species, nec quamlibet animam pariter ascendere vel descẽdere. Sunt enim (vt Platonicè loquar) inter animas hominum differentiæ quædam quodammodo speciales, sicut in stellis, quæ videntur aspectu consimiles: differuntque inter se animæ nostræ, non sicut pyrum à pomo persico, sed sicut à pyro pyrum. Sunt ergo determinati singulis pro natura progressus. Excellentiores igitur animæ ascendunt quidem altius, minusve descendunt: deteriores verò vicissim: Humanas dico animas, & ad corpora tantum humana descendere, sic enim opinionem Platonicam moderamur, quæ erit insuper moderatior, si ab Hebræis accipiatur, existimantibus ter solum animam in hominem deuenire, postremo semper fore vel miseram, vel beatam.

Quoniam omnis natura præter primam simplicissimam infinitam multiplicabilis est, ideo in genere intellectuali multi sunt intellectus: in genere animali multæ sunt animæ: in ordine enim atum multæ sunt intellectuales: quales sunt cœlestes, dæmonicæ, nostræ.

CAPVT III.

Animæ nostræ præter intellectum in mundo intelligibili semper agentem, habent rationem, imaginationem, sensum, vim vegetalem, quas sanè vires officiis propriis quandoque oportet vti. His autem vtuntur in corpore: itaque consentaneum est eas in corpora quandoque descendere.

Intellectus diuinus impressit intellectui nostro omniformem vniuersi formam, quæ facilè in rationem vacantem inde subrutilat. Quando igitur ratio ad eam penitus se conuertit, secumque rapit imaginationem, in eodem statu quo & mundi anima permanet.

CAPVT IIII.

ID est, simili diuinorum contemplatione fruitur, & interim cœlum habitans ad vniuersalem mundi gubernationem intuitum conuertit similiter & affectum. At quando ratio vnà cum imaginatione, vniuersali mundi forma neglecta, particularem quandam diligentius intuetur, & amat ardentius, iamque & vegetalis ipsa natura eandem prorsus affectar, tunc anima facta iam angustior corpus ascifeit angustum, passionibusque subiectum. Hinc igitur curis innumerabilibus sollicitata vexatur.

De animæ descensu Empedoclis, Heracliti, Platonis dicta consentiunt.

CAPVT V.

Anima quoniam diuina est, in hac regione caduca sæpè conuertitur ad diuina: & quoniam est vltimum diuinorum, per instinctum affectumque naturalem venit in corpus, ideo voluntate venit scilicet naturali, insuper electione quadam, venit & necessitate, quoniam diuina lege necessarium est, animas quæ sic affectæ sunt, sic eligunt è vestigio deuenire. Sponte veniunt, velut ad bonum, non sponte interim incidunt & in malum. Venire huc animas, ad ordinem pertiner vniuersi, ad exercitationem inferiorum animæ virium, ad mali peritiam, peccantes animæ leuius, commutatione puniuntur ex felicitore homine in hominem felicem minus, vel infelicem. Peccantes verò grauius vexantur etiam à dæmonibus, quòd Mercurius, & Orpheus Iamblichusque confirmant. Vir puerum atrocitate vultus personatisque terriculamentis facilè terret. Saturni Martisque influxus atræ bilis vel croceæ motibus imaginationes vexant: Saturnij quidam, Martisque dæmones horrendis imaginibus suis quasi vultibus personatis imaginationes peccantium miserabiliter agitant, possunt quinetiam eas humorum motibus affligere.

Anima venit in corpus non solum infirmitate quadam in diuinis vltra consistere non valente, sed etiam potestate naturæ fœcundæ pullulantis in germen: forma namque corporeæ est animæ fœcunda propago.

CAPVT VI.

Simili quadam fœcunditate primum bonum in mentem exuberat omniformem, hæc in similem mundi animam, hæc in mundum similiter omniformem. Item causæ omnes in effectus vbique suos, denique superiorum prouidentiam imitatus animus ad inferiora se transfert studio prouidendi.

Sicut aër inter ignem aquamue medius, illinc quidem igneus, hinc vero fit aqueus, ac vicissim ad vtraque fertur: sic animus ad diuina se habet atque caduca.

CAPVT VII.

Omnia corpora sui aliquid inferioribus largiuntur, sed cœlestia quidem nihil interim accipiunt à sequentibus, elementaria verò dando vicissim quoque recipiunt, similiter cœlestes animæ inferioribus prouidentes, inde nequaquam inficiuntur. Dæmonicæ verò quædam, atque nostræ, dum perficiunt corpora, quodammodo inficiuntur inde, propter curiosiorem prouidentiam, circa prouinciam duriorem, sed loci malignitas & mundi superioris felicitatem commemorat, & admonet illum vehementius affectare.

Cum

Cũ animũ nostervires & actus cœlestibus animis cõsimiles habeat, probabile est saltem intellectum nostrum sicut & illorum circa diuina semper agere, sicut natura vegetalis in nobis circa corporea versatur assidue.

CAPVT VIII.

VErum sicut actiones vegetales nostræ nos latent, sic & intellectuales nostræ nobis plurimum sunt occultæ, nec motus vllus in parte vegetali sensu concupiscentiæ factus patet nobis, nisi ad imaginationem, & per hanc ad rationem vsque perueniat: similiter nec actus intelligentiæ se patefacit, nisi in rationem vacantem quandoque subrutilet, perque hanc imaginationem similiter vacuam transferatur, vbi fieri solet animaduersio. Cœlestes animæ obedientia sibi corpora solo tum naturæ instinctu, tum mentis nutu facillimè regunt: nostræ vero imaginationem quoque, & rationem circa corpus id occupant, eiusmodi prouidentiam exigens: ideo constitutum est diuinitus, vt quandoque hinc abeuntes ad cœlestia reuertantur.



LIBER NONVS.

VTRVM OMNES ANIMÆ vna sint anima.

ANNOTATIONES.

Plotini sententia est, mundum vnam habere propriã sibi animam, & animalia omnia suas proprias que habere.

CAPVT I.



NIsi mundus haberet vnam, non esset compositum perfectum vereque vnum, nec reliquæ in mundo animæ ordine inter se facilè conuenirent: item nisi nos proprias baberemus, affectio, passioque & actio animalis in vno, mox ad omnes vniuersumque pertineret. Plotinus exercitaturus ingenium circa opinionem ponentem vnicam in cunctis animam, ludit vltro citroque, aliud interea moliens.

Concesserus re vera Plotinus animas esse distinctas, non facilè cedit rationi iam dictæ, scilicet passionem animalis vnius mox in aliud vniuersumque transituras.

CAPVT II.

DIci mallet animalium corpora, neque sibi inuicem, neque toti continua, distinctas animas postulare. Item vbi tota prorsus animalis virtus congregatur in vno, hanc ipsam animam summum in animali genere possidentem, merito passiones defectusque in animalibus apparentes ipsam in se minimè perpessuram.

Ludit adhuc Plotinus noster.

CAPVT III.

VErum sicut mutuus hominum amor vnionem significat animarum, sic & perpetua diraque inter se odia diuersitatem. Non enim minus dissidet homo ab homine, & animal quoduis ab animali, quàm ignis ab aqua, neque minus ergo distinguitur. Magicus vero raptus magna ex parte confictus est, & quas habeat causas in superioribus declarauimus. Alibi diximus formalem rei cuiusdam rationem esse in essentias plures multiplicabilem excepta causa prima: igitur sicut ratio formalis corporis, qualitatis, naturæ, in plura corpora naturas, qualitates distincta est, sic & animæ intellectusque plures. Tum vero si anima excellentior formaliorque est quam qualitas, certè prouidentia diuina constitutum est, esse multos animarum gradus, sicut & qualitatum formaliter inter se distinctos, nõ sicut hic calor ab illo subiecti causa, sed sicut calor à frigore, siccitas ab humore, quod & Plotinus in fine capituli iam innuit, vbi ait intellectus esse multos, atque sensus ipsos iudiciales simul esse cum intellectibus, id est cum intellectualibus animis. Significat vero disputationem hanc annuere, vnam esse in cunctis corporibus animam, non rationalem quidẽ, sed vegetalem sensus cuiusdam confusi participem: verumtamen rationalem quamlibet animã posse corpus suum vita irrationali formare, si non fit ab anima mundi formatum.

Opinionem dicentem cunctis inesse animam numero vnam iam respuit: tangit vero dicentem esse vnam specie distinctam numero, atque singulas esse deriuatas ex vna diuisa.

CAPVT IIII.

HAnc quoque refutat, nam anima est substantia incorporea, indiuidua, in se consistens. Non potest igitur vna communis anima in plures deriuari, sicut continuum in partes, vel albedo in plures albedines diuisione continui, vel sicut ex vno sigillo plures in multis ceris fiunt impresiones.

Animæ quamuis per essentias inter se distinctæ sint, omnes tamen quodammodo vna sunt anima tribus videlicet modis.

CAPVT V.

PRimo quia omnibus præest vna animarum generalis idea, & tota singulis inest: Secundo quia quælibet anima est forma penitus omniformis, ideo quælibet anima cæteras complectitur

animas. Differt tamen hæc ab illa, quoniam sub differenti actu proprietateque hæc & illa sunt omniformes, sicut conueniunt & differunt propositiones inter se geometricæ. Tertio quia omnes in eodem puncto esse possunt, sicut lumina imaginesque colorum absque confusione. Non esse vnicam in singulis animam aut mentem, satis in Theologia probauimus. Hæc ergo tibi sit summa. Caue suspiceris suspicari Plotinum non distingui inter se essentias animarum, id enim omnibus eius libris, & huius etiam fini aduersatur, quinetiam disputationem ptopriam fecit in hac Enneade contra eos qui animam esse vnicam opinantur. Sed memento Plotinum vbique conari omnia quantum fieri potest, ad vnum quiddam redigere, seruata interim proprietate naturę. At vnum quiddam dico, id est ad communionem affectionis actionisque & passionis: vt concors in vniuerso harmonia seruetur, & traductio virtutis & actionis mutuo, facileque per singula fiat quod quidem fieri non posset, nisi singulæ animæ quamuis seruata essentiæ distinctione contineantur & regantur ab vna, fermè sicut virtutes omnes membrorum à virtute cordis, & à ceruice neruj. Adducit igitur multa ad vnionem eiusmodi signa, quæ vt tanquam validissima confirmet, concedere videtur etiam tāti vigoris videri posse, vt valeant adduci non solum ad talem vnionem, sed ad maiorem etiam suspicandam: quasi dicat: si posset quispiam per hæc signa suspicari vnionē essentiæ, quod tamen ego non probo, multo magis nos possumus per eadem signa vnionem inter animas affectionis & actionis consensionisque & compassionis asseuerare.

LIBER ENNEADIS QVINTÆ PRIMVS,

COMMENTARIVS.

De tribus principalibus substantiis, habentibus principij rationem.

In CAPVT I.



Nima in patria sub ipsa mentis diuinæ forma potius quàm sua viuit & agit sicut corpus nunc sub animæ forma: sed cum primum confert se ad viuendum, agendumque sub propria forma per discursionem scilicet rationalem, deinceps prolabitur paulatim in discursionem imaginalem, & actionem sensualē atque vegetalem vt iam quasi sub forma corporea viuat.

Quanta sit mundanæ animæ dignitas ostendit ex eo quod nisi in mundo sit ipsa, mundus nihil aliud quam materia quadam informis erit,

CAPVT II.

Anima rerum formas gignit, motiones omnium & actiones ipsa citat, vitam omnibus inserit & progressum, est vbique tota, nutu regit: atque ita se se habet ad mundanum corpus accedens, sicut sol exoriens ad aërem tenebrosum. Similes anima nostra vires similemque fermè dignitatem habet, præsertim si corporeis sordibus expurgata redegerit in seipsam.

Facultas nostra rationalis tanquam mobilis & ab ocio migrans in actum atque vicissim dependet ab intellectu nostro stabiliter semperque agente: atque hic tanquam proprius animæ particularisque dependet ab intellectu communi in seipso simpliciter consistente.

CAPVT III.

Intellectus noster se habet ad rationem, & intellectus communis ad nostrum, sicut lumen ad aërem, formaque ad materiam. Sed ratio quidem quotidie formatur ab intellectu nostro, noster autem à communi semper formatus est, semper illuminatus. Intellectus igitur communis excellentiam ex ipsa intellectus animalis præstantia possumus coniectare.

Mundus cum sit ab intellectu diuino, certè totus est in eo. Et quoniam ille ens, vita, intellectus perfectissimo modo, ideo quicquid mundanum est in eo, perfectum est, atque est ens & vita, & intellectus.

CAPVT IIII.

Partes temporis pertinentes ad mundana referuntur ad totum tempus, quod passiuè est in mundo: atque hoc ad tempus quod in anima est actiuè, & illud ad ipsam diuinæ mentis æternitatem: in ipsa tamen mente differunt inter se quadam ratione formali intelligere atque intelligi. Item quod intelligit & quod intelligitur, substantia tamen conueniunt. Ibi rursum intelligere ipsum metaphoricè est moueri, intelligi vero quasi mouere, atque stare. Cum igitur intellectus ille & omniformis sit, & differentiam in se aliquam, & quasi compositionem habeat, merito redigendus est ad superius aliquid simplicissimum.

Pythagorici fingunt in quadam quasi processione ipsius vnius oriri binarium, in quodam binarij termino ternarium suboriri, similiterque deinceps. Platonici similiter de prima essentia iudicant.

CAPVT V.

Hæc enim cum perfectissimè sit, ideoque similiter viuat vitali quodam quasi motu progreditur intus, cum vero progressio sit opposita regressioni vel termino, nimirum aliunde, & id quidem desuper habet vt regrediatur, vel

terminetur: ficut cœlum vt moueatur, habêt ab anima, vt in orbem, habet ab intellectu, vel anima iam intellectuali. Terminatur autem vitalis ille actus iu intellectum, & hunc clarissimum omniformemque, vigores scilicet interim accepto diuinitus, ficut & oculus natiuo quodam nixu aspicit, sed virtute luminis fit actu videns atque formatus. Denique cum in ipso intellectu primo seipsum intelligente ratio quidem formalis ipsius intelligentis sit qua procedentis atque formabilius, ratio autem intellectus fit quasi terminantis atque formantis: ideoque inter se opponantur, merito ibi est numerus aliquis, non accidentalis ille quidem, sed prorsus essentialis. Est & illic numerus ideatum ratione formali inter se differentium, si modo per eas intelliguntur & fiunt formæ rerum re ipsa inuicem discrepantium, ideo intellectus adeo multiplex à principio dependet penitus simplicissimo.

CAPVT VI.

Deus summus absque vllo voluntatis vel naturæ motu diuinum generat intellectum tanquam verbum suum, sola alteritate quadam à parte differens: intellectus similiter immobilis verbum suum generat, ipsam scilicet mundi animam.

SI primum principium esset vllo modo mutabile, omnino mutarent omnia. Item si fingatur per motum quasi medium generare mentis substantiam, motum tandem generabit fine motu accidens tam imperfectum, vt sit accidentium omnium imperfectissimum, cum partes in se suas simul possidere nunquam possit. Itaque ratio dictat fine eiusmodi accidente generari perfectissimam illam à Deo substantiam generari, cum agentia partim natura, partim voluntate faciant, & in primo agente omnis agendi facultas contineatur, & quæ in sequentibus sunt diuisa in primo fint vnita: nimirum Deus voluntate res facit pariter atque natura, idemque in eo natura est atque voluntas. Ab illo igitur nec per voluntatem nec per naturam mutato emicat intellectus quasi lumen, & cum primum emicat naturali quodam instinctu vergens ad patrem, idearum splendore repletur. Euadit igitur intellectus hinc absolutè formatus, similiter ad intellectum diuinum anima mundi se habet. Notabis orationem tunc efficacissimam fore, quando animus ad intellectum suum omnino se reuocans, solum se offert soli Deo, ad solum videlicet illum amore flagrans.

Quemadmodum intellectualis anima dependet ab intellectu puro, qui non est anima: ita & hic intellectus emanat ab ipso bono quod non est intellectus, sed supereminet intellectum.

CAPVT VII.

INtellectus hic primo quidem à patre manat, tanquam essentia viuens, mox vero naturaliter illic aspiciens intellectus euadit. Intellectus enim est ipsa substantialis visio & aspectu siue affectu naturali resultans., huius quidem pater est ipsum simpliciter vnum. Hic autem vnum essentiale siue vitale, vbi videtur esse binatius, sed aspectu addito iam ternarius. In ternario est par & impar omnisque numerus. Similiter hic per aspectum siue affectum naturalem ternarius, simul numerus omnis efficitur. Aspiciendo enim siue naturaliter afficiendo corroboratur à patre: confirmatus viuentem essentiam suam iam comprehendit in qua fœcunda viget virtus essentiarum omnium genitrix. Sic igitur in seipso in formas omnium se deriuat, dum suam hanc intelligendo in se explicat potestatem. Effectus est igitur omnifotmis, & omnia fomento patris: qui cum nulla rerum forma definiatur, merito vel nihil agit quod dictu nefas, aut pariter omnia, dum ex se vno super omnia existẽte vnum generat omniforme. Hic cœlo genitus, Saturnus est appellatus, conceptus suos ipse deglutiens à Rhea, id est natura & materia segregatos. Huius filius Iupiter mundi anima filios id est formas generat in natura, atque per hanc ad materiam postremo producit.

In CAPVT VIII.

EX Platonis Parmenidisque verbis probatur ipsum bonum, & simpliciter vnum, esse superius ipso ente, atque intellectu, quod est vnum multa appetitque bonum. Item intellectũ diuinum esse superiorem anima mundi: quoniã hæc est vnum & multa quasi iam magis diuisa, atque per participationem est intellectus.

Anaxagoras, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles vna cum Platone consentiunt, primum omnium principium esse vnum atque simplicissimum.

CAPVT IX.

QVod enim omnia in mundo quamuis diuersa, in vnam totius formam, vnumque finem, effectumque ordine certo conspirent, inde prouenit, quod omnia sunt, & dncuntur ab vno: cunctaque vnum imitantur, & appetunt. Si posito vno quodam principio, primo omniũ æquè ponatur & alterum æquè primum omniũ, & superflua erit alterius huius positio, & contingenter hoc etiam principium appellabitur, cum nulla assignari ratio possit, quare hoc alterum etiam principium sit, vel illud primo positum. Non enim quia necessarium sit, non quia hoc sit ab illo, non quia hoc & illud sint ab vno quodam tertio: Omnino contingens, & temeraria, & diuisa, impossibilis est multitudo quæ non est ab vno.

In CAPVT X.

SVbstantiam animæ rationalis esse à corpore separabilem appatet, quoniam ratiocinari potest etiam absque instrumento corporeo: idq; deprehendimus tum quando in consiliis concludit & eligit contra incitamenta corporea, tum etiam quando in speculando formas vel separatas attingit, vel non separatas ipsa separat.

Sicut in vniuerso ipsum vnum est superius intellectu, & hic superior anima, sic in anima nostra ipsa animæ vnitas est eminentior eius mente, hæc altior ratione.

CAPVT XI.

SAtis in Theologia & primis Plotini libris ipsum vnũ enti & hoc animæ prepofuimus. Itẽ ostendimus in animis sicut in lineis esse suã vnitatem quasi signũ quo Deum vniuersi vnitatẽ, quasi centrum attingere possint. Præterea notiones rerum communes artiumque regulas stabiles mentibus nostris semper inesse, per quas de similibus pro arbitrio ratiocinati possumus.

In CAPVT XII.

ETsi intellectus noster circa diuina semper agit, non tamen animaduertimus: quoniam ratio & imaginatio nobis ad opposita diuinorum & varia distrahuntur.



SVMMA SECVNDI LIBRI.

TRinitatem hanc principiorum maximè Platonicam & Zoroastricam confirmat Trinitas Christianorum. Ipsum enim bonum includit Paterna fœcunditas, intellectum intellectualis ipsa Filij emanatio, animam processio Spiritus per voluntatis modum: & quasi motum vitalem. Præterea firmamentum refert ipsum bonum fœcunditate siderum, intellectum Saturnus à generatione remotus & alienis, animam Iupiter generationi fauens, mundum Mars discordem iam atque pugnacem. Rursus bonum Sol, intellectum Mercurius incessu Soli proximus, animam Venus cupida genituræ, mundum hunc Luna varia in se iam atque mutabilis. Iterum bonum ignis, intellectum aër perspicuus & serenus, animam aqua humorem generationi suppeditans, mundum terra ex omnibus iam commixta. Denique singularim fecunda cuiusque essentia bonum, firma essentiæ virtus intellectum, inclinatio, motio, actio animam. Summatim circa animam, memoria fœcunda bonum, rationis discursus intellectum, imaginatio & affectus animam. Nihil ergo certius hac Trinitate principiorum quia nihil maioribus & pluribus testimoniis confirmatum, merito vniuersum principiorum suorum imaginatione repræsentat.



LIBER SECVNDVS

DE GENERATIONE ET ORDINE EORVM QVÆ sunt post primum,

ANNOTATIONES.

In CAPVT I.

SIcut vnicas principium numerorum non est numerus, & signum principium continui non est continuum, & lux principium caloris colorumque non est calor atque colores: sic ipsum bonum entium principium non est ens aliquod, aut entia: ergo nec vita nec intellectus

Singulis hominibus intellectus proprij præsunt: ab his manant potentiæ animæ gradatim inferiores, inter quas sequens vbique seruatur in antecedenti, fermè sicut splendor in radio, radius in luce, lux in natura Solis.

CAPVT II.

AT qui intellectus, vnde omnes ordine animæ vires effluunt, quodammodo est, & quodammodo non est omnes. Anima tandem omnesque vires eius, quoniam certis loci limitibus nec extenduntur, neque circumscribuntur, facile sunt vbique.

LIBER TERTIVS

DE SVBSTANTIIS COGNOSCENITBVS, & de illo quod superius est.

ANNOTATIONES.

Quod cogniturum est seipsum, non cogitur propterea esse adeo simplex, vt nulla prorsus in eo differentia sit, sicut est ipsum vnum: sed ita simplex esse debet, vt in quolibet sui totum penitus includatur, eiusque actio expleatur tota momento. Eiusmodi est intellectus.

CAPTV I.

QVando intellectum dicimus nosse seipsum, non diuidimus in duo, quorum alterum tantum cognoscat, alterum solummodo cognoscatur, alioquin non aliquid idem seipsum, sed aliud cognoscere aliud: sed volumus ipsum cognoscens vna cum cognito se quoque cóplecti. Ad sensum quidem pertinet solum, quæ extra animam sunt cognoscere: ad imaginationem vero etiam quæ sunt in anima, id est sensuum actiones: ad rationem præterea seipsam inuestigare: ad intellectum denique se cognoscere.

Atque huius perfecta quadam participatione etiam ad rationem quandoque se nosse.

In CAPVT II.

POtentia rationalis, quæ semper in discurrendo versatur, media est inter imaginationem & intellectum: & vtrinque formas quasdam in se admittit, easque componit, & diuidit, formasque nuper ab imaginatione venientes accommodat formis antiquis in mente, vel à mente existentibus, atque in hac accommodatione intellectualis efficitur. Hinc duo in nobis intellectus apparent, permanens scilicet & discurrens, qui & consequitur discurrendo.

Ratio nuntiante sensu & imaginatione iudicat obuiũ esse Socratem: si addit esse bonum, iustum, sapientem, perpendit hæc, definitque per regulas bonitatis, iustitiæ, sapientiæ, quæ primo lucent in mente, atque inde subrutilant rationi circa talia se versanti.

CAPVT III.

CVm rationis proprium sit in motu agere, & motus tendat in illud, merito ratio communiter circa alia potius quàm circa seipsam se volutat, ideo non est eius proprium se cognoscere. Plerique tres in cœlo ponunt essentias, scilicet in corpore materiam atque formam, & præter hoc ipsam cæli animam, & materiam suæ semper subesse formæ, corpus animæ. Similiter tres circa animam nostram essentias: animam scilicet, irrationalem rationali subditam, rationalem vero menti perpetuo cohærentem, quasi cælum omnia cælesti perpetuo copulatum. Hãc Plotinus hic opinionem videtur attingere. Atqui & eiusmodi copulam Theophrastus, Themistius, Auerrois excogitauisse videntur. Possumus etiam Platonico magis more Plotinum interpretari, dicentes, ideo negare intellectum esse partem animæ, quia videlicet non sit pars, id est, potentia huius substantiæ, quæ ratione dicitur anima. Dicitur enim anima, quatenus pertinet ad discursum, siue per vniuersalia, siue per particularia discurratur. Sed intellectus ipsa mera substantia est, cui est subnexa potentia, quæ appellatur anima. Iam vero & ipsa substantia nominatur anima secundum potentiam discurrentem: nominatur & intellectus secundum ipsam substantiæ rationem. Idem enim est esse atque intelligere, non tamen idem esse atque discurrere: ideo semper intelligit æquè, non tamen semper æquè discurrit.

Rationalis potentia secundum quam nos sumus, dupliciter vtitur intellectu: per participationem scilicet atque formam: & vtrobique cognoscit seipsam.

CAPVT IIII.

PEr participationem quidem quatenus formas, notiones, regulas quotidie suscipit ab intellectu vbi tanquam ab effectu per actiones suas cognoscit & suas vires: per vires agnoscit essentiam, atque hanc dependere illuminarique semper à mente: per formam vero quando post frequentem huiusmodi acceptionis vsum mentem penitus induit sicut materia formam, agitque sub mentis ipsius actu, sicut materia postquam sæpius accepit ab igne calorem, subit denique flammam. Tunc demum tanquam à causa ratio seipsam vna cum mente perfectè cognoscit. Rationem Peripatetici intellectum possibilem, mentem vero intellectum agentem nominauerunt.

In eo quod rationali potentia, id est intelligentia mobili superius est, idem re ipsa est intellectus, intelligentia, intelligibile: ideo seipsum semper intelligit.

CAPVT V.

SVpra sensum qui tantum spectat, externa est imaginatio interna respiciens: super hanc quæ aduentitia solùm prospicit, extat ratio: quæ præterea domestica conspicit: super hanc iterum, quæ ab aliis cognitis ad se denique reuertitur agnoscendam, est intellectus vicissim exordiens à seipso, ac dum se inspicit omnia contuens, non dico rerum figuras, sed res ipsas, vt verissima cognitio sit. Si seipsum tangens contingit omnia, ipse nimirum est & omnia: eodemque prorsus actu, quo se intuetur, contuetur & omnia, eodem quoque simul agnoscit cognoscere seipsum atque omnia. Præcipuè vero primus diuinúsque intellectus, nec ad illud intelligendum conuertitur quàm seipsum, nec intelligentian habet accidentalem: imo vero essentia eius absolutè viuens intelligensque, hoc ipso essentiali vitalique intelligentiæ actu fruitur semetipsa, comprehendens interea se existentem, viuentem, intelligentem, vniformem prorsus, & omniformem.

Intellectus ipse cum in se permaneat, nec actione nec affectu inclinetur ad alia, merito circa se agit intelligendo seipsum. Anima vero cum contra sit affecta, contra se habet ad cognoscendum.

CAPVT VI.

IN toto cognitionis ordine gradum infimum tenet sensus, intellectus vero summum. Cum igitur sensus rectam in cognoscendo lineam teneat, alia tantum attingendo, merito intellectus circularem agit omnino, seipsum suaque penitus contemplando: ratio vero plurimum est obliqua. Formæ rerum quæ sunt in mente essentiales sunt omnino. Quæ vero illinc impressæ rationi sunt ab æuo quasi essentiales sunt: quæ autẽ à mente quotidie resultant in ratione, minus adhuc essentiales existunt: quæ denique in rationem ab imaginatione redundant, essentiales minimè. Anima igitur tunc demum se cognoscit, quando inferiores formas superioribus formis accõmodat.

Intellectus cum ad inferiora se non vertat, sitque forma prorsus in actu, ideoque vacare ab actione non possit, merito circa seipsum semper agit atque Deum.

CAPVT VII.

VBi in se conuertitur se quidem cognoscit per formam, Deum vero per effectũ. Vbi ad Deum vertitur, Deum quidem quasi per formam videt, se vero per causam. Cum potentia vegetalis solum agat circa inferiora, rationalis autem circa inferiora, superior seipsam merito intellectus circa seipsum atque superius: quę ab intellectu proficiscũtur, eo in se manẽte secũq;

agente fiunt: quæ vero ab anima, eo quodammodo mota. Sed hæc quoniam intelligentiæ diuinæ progenies est, ideo vel circa intelligentias diuinas se conuertit vbi contemplatur, vel circa regulas atque leges, quæ intelligentiarum imagines sunt, versatur, vbi gubernat, vel circa corporeas formas, quæ intelligentiarum vmbræ sunt se versat, vbi fabricat, sensibusque vagatur.

Cum anima per vegetationem, sensum, imaginationem se porrigat foras, solum vero per intellectuales quasdam scintillas fiat compos in se reflectendi, constat intellectum ipsam esse lumen perpetuo in seipsum per se reflexum.

CAPVT VIII.

SI oculi angulum leuiter digito presseris, lumen intimum sibi ipsi protinus emicabit: Multo id facilius vberiusque efficeret, si tantum in oculo lumen haberes, quantum animalia quæ nocte vident, similiter ad se intellectus ipse se habet. Formæ quidem in materia adeo cum materia sunt vnitæ, vt opus vnum, vnam efficiant actionẽ, multo magis seminales formarum rationes in narura: multo etiam magis intelligibiles intellectu rationes vnitæ sunt intellectui: sicut radii lumini per quos intellectus & anima perspicacius sensibilia cernit quàm per sensum. Iam vero & Auicenna, & Enricus Magnus Scoti præceptor, narura Platonicus, intellectuales formas in intellectu vel anima, siue ingenitas illi, siue huic acquisitas non tam modo caracterum, quàm habitus cuiusdam naturalis inesse putant: quæ quidem habitu animus ab hoc vel illud facilè sese vertat.

Si seiunctis ab anima inferiorum virium motibus, ipsam eius rationalem virtutem acceperis omnibus sub intellectu intellectualibus nottenbus corruscantem, subito in hac velut imagine contemplaberis intellectum sicut in luna plena solem.

CAPVT IX.

EST autem rationalis anima naturaliter etiam imago mentis, vt lumen existens proximum lucis insitæ soli à solo intellectu dependens. Quinque mundos Timæus nominat, & Plutarchus inducit. mundus omniforme significat ornamentum. Infimus igitur mundus est qui conspicitur in materia longè superior, qui in natura viget: aliquanto sublimior qui in imaginatione formarum quandoque plenissima, multo præstantior qui in ratione quasi speculo intellectus æmulo: excelsus qui fulget in mente. In mundo sequente præcedentem gradatim velut in speculo speculabere, atque vicissim ex superiore inferiorem tanquam ex specula contemplabere.

In primo intellectu sunt formæ omnium: tum secundum essentiam eædem, tum formali ratione distinctæ.

CAPVT X.

FOrmæ rerum quoniam ibi sunt primæ: ideo & perfectæ, modoque perfecto perfecto. Igitur essentiales existunt: differunt tamen ab intellectu ratione quadam. Ille enim est intellectus vnus: hæ vero formæ sunt multæ. Differũt igitur inter se ratione formali: præsertim quoniam intellectus eas tantum inspicit, atque inspiciendo distinctè intelligit, facitque omnia longius etiam inter se differentia, id est re ipsa, locoque, & tempore. Intelligentia sicut & visio est quasi nixus quidam & apprehensio atque discretio: quæ quidem tria etiam propria sunt luminis atque ignis. Intellectus igitur quatenus intelligendo conuertitur in seipsum, hæc tria erga se exercet, & omnino multiplicem se declarat: alioquin si nulla prorsus in eo differentia sit, vel esse possit, non erit ibi quod & ad quod annitatur: nec opus applicatione, vel nixu: Non erit quod apprehendat, quod ve comprehendatur, nec opus apprehensione, vel vlla quasi partium vnione, vel sui ipsius amplexu: non erit vllus discretioni locus. Hactenus Platonici. Christiani vero probant intellectum primum talem formarum multitudinem non habere, quoniam per vnam sui formam vnoque actu intelligens omnia, quatenus se variè principalem ad omnia refert, multitudinem non in seipso, sed extra disponat.

Cum in intellectu primo sit numerus multorũ absolute inter se differentium, necesse est super hunc esse principium aliud simpliciter vnum, id est penitus simplicißimum.

CAPVT XI.

NIsi in prima essentia, vita, intelligentia inter se aliqua ratione differrent, esse, viuere, intelligere, non facile in ordine rerum tria hæc tam diuersa forent, vt esse quidem maximè omnium commune sit, inrelligere vero minime, viuere mediocriter. Intellectus ipse nihil aliud est quam visus aliquis ad primum lumen suum ita directus, vt visus corporeus est ad suum: qualicunque perfectione corporeus visus augeatur, semper lumine inferior erit: similiter intellectus randem consumatiss. à lumine suo idest veritate ipsoque bono, videtur adhuc esse secundus. Essentia tanquam omnium communissima, ideoq; post ipsam simplicitatem prima statim ex vnitate procedit, ac præter ipsam essentiæ rationem præfert vnitatis illius imaginem quodammodo ab essentia differentem. Item huius imaginis auxilio conuertitur ad ipsum vnum atque bonum, non intellectuali primum instinctu, sed naturali potius & vitali. Ante hunc conuersionis actum iam erat essentia pariter & imago: in ipso conuersionis actu apparet viuens, post hunc intelligens, dum ita conuersa suscipit ab ipso bono donum. Cumque bonum ipsum sit super omnia se ad omnia æqualiter habens, non suscipit illinc aliquid omnium, sed pariter omnia, præsertim cum sit proximum susceptaculum. Fit igitur forma hinc omniformis, ideales rerum formas habens inter se absolute distinctas: vnde post se procedit distinctio longè maior. In eodem momento multiformis, & intellectus efficitur. Intellectus denique cum multitudinem rerum absolutè differentium secum ferat, meritò à simplicissimo quodam principium superiore dependet.

Agit contra illos qui in primo rerum principio essentiam quidem vnam ponunt, actus verò multos inter se absolute distinctos.

CAPVT XII.

Vt enim essentia & actus inter se differunt, autnon. Si differunt, essentia secundum se imperfecta est, videlicet perficienda per actum: si nullo modo differunt, sicut actus est multiplex, quia videlicet absolute multiplex, sic & multiplex est essentia. Argumentatio hæc Plotini ad diuum Thomam trinitatem relationibus distinguentem nihil pertinet. Vtrum verò Scotum tangat sui viderint, & respondeant: spero enim optime responsuros. Super multitudinem necessario vnum est, ac super vnum aliquid est ipsum simpliciter vnum. Quoniam igitur essentia, vita, intelligentia est aliquid vnum, idest, vna essentia, vna vita, vna intelligentia: ideo Plotinus his anteponit ipsum absolutissimè vnum, quod nullo actu vel affectu medio procreat omnia, sed ipsomet simplicitatis absolutissimæ statu. Plotinus de Deo negat omnem eum numerum, qui naturam multiplicat compositamque declarat. Relationum verò numerus apud Christianos inuentus id minime facit: negat certè omnem numerum qui esse possit in entibus, & qui definiri: Numerus verò in diuina vnitate positus à Christianis non est in entibus: neque enim in prædicamentis vllis, neque in transcendentibus reperitur. Tum verò quicunque fingatur, non est ille, neque essentiarum numerus est, neque formarum vel qualitatum vel similium: ac si dixeris personatum, diuina id authoritate dices: verumtamen quid velis explicare non poteris: similiter si dicas proprietatum, & qui inquit relatione distingui, ipsemet fatebitur, mysterium sic illud se non assequi: item qui dixerit absolute differre, id definire vetebitur: mysterium denique diuinitati credendum, quod & Nicolaus Græcus Philosophus defendit strenuè contra Proculum.

Ipso bono non est addenda intelligentia, quæ videlicet ab vllo intellectu creato quamuis summo intelligi possit.

CAPVT XIII.

Ratio ipsius boni atque intelligentiæ tàm diuersa est, sicut diximus, vt illud quidem sit communissimum, hæc minimè: illud nihil appetat, hæc appetat bonum. Item intelligentiæ quidem opposita est amentia, bono malum. Non idem est penitus amentia atque malum, non idem igitur intelligentia atque bonum. quando igitur ipso bono addis intelligentiam, rem alteram & diuersam videris & bonus hactenus egenum iudicauisse, & quasi composuisse. Hoc paradoxon, scilicet primum principium esse super essentiam, vitam, intelligentiam, à Dionysio Areopagita frequenter asseritur. Qui addit preterea ipsum modo quodam plusquam intellectuali, quem super intellectualem nominat seipso frui: item præ intelligere ineffabili quadam ratione præter & super intellectum, quasi seipso fruatur per modum tactus potius quàm visionis. Intelligentia enim visio quædam est, neque per modum aliquid de se dicendi, sed potius per modum simpliciter id ipsum quod est existendi. Si qua verò conditione intelligentiæ gradibus procedendo fingi possit ipsum bonum, non fingatur intellectus aliquis qui intelligentia egeat, non intelligentia, quæ sit actus ipsius intellectus circa bonum, sed potius ipsum bonum ad quod intelligentia vergit, vel forsan ipsum lumen, quod intelligentia quærit, in quod definit intelligentia consummata, lumen quidem non in hac, sed in seipso consistens. Hæc ipsa claritas neque propriè quidem videns est, nec orbata visionis bono quasi cæca: sicut visio ipsa neque videt propriè, neque cæca est. Nempe claritas ipsa visionis omnis causa multò remotior est à priuatione visus quàm ipse visus: neque claritas est ad intellectionis genus determinata. Quod enim est omnium causa super omnia, per nullum ex omnium numero definitur. Non ergo per essentiam, vitam, intelligentiam, non per claritatem intellectualem aut intelligibilem, sed per claritatem ipsam simpliciter per se in se existentem omnis potentiæ actus claritatis causam: fingitur autem secundum potentiam efficacem potentiarum actum, actuum effectorem. Anima & si manus pedesque non habet, tamen quia his non indiget, habetque vim horum genitricem eminentioremque, neque manca dicitur, neque clauda. Simili ratione neque ratio cæca, & si non habet oculos, neque mens rationalis, & si nunquam ratiocinatur: momento enim possidet, quod ratio quærit tempore. Neque Deus amens, & si non habet mentem: est enim id totum quod mens habere conatur, imò fieri.

Quoniam intellectus non excludit multitudinem, quam excludit ipsum vnum, ideoque vnum ipsum tanquam simplicius est eminentius intellectu, consequens est, vt per intellectum apprehendere & explicare ipsum minime valeamus.

CAPVT XIV.

Loquimur tamen de illo, vt Parmenides & Dionysius aiūt, per negationes atque relationes. Ipsum enim habemus quodammodo, quatenus vnitatem quandam habemus mentis nostræ caput vnitatis diuinæ characterem, qua tunc diuinam attingimus vnitatem, quando mente nostra formati sumus, perque hanc mente diuina à nobis alienati, factique iam vnes.

Ens ipsum intelligens nascitur ab ipso vno, sicut lumen Soli proximum à luce Solis intima.

CAPVT XV.

Verum sicut à natura nec oculos habente, nec pedes, sed præstantius aliquid oculi generantur, atque pedes, sic ab ipso vno non habente propriam essentiæ, vitæ, mentis intelligentiæ formam, sed aliquid eminentius ista fiunt. Sed quomodo statim à simplicissimo multiplex. Quomodo quod ab ipsa vnitate creatur, est quidem aliquid, nec tamen est ipsa vnitas: est igitur multitudo quædam: est & vnum aliquid, sed minus vnum quàm ipsa, ergo multiplex. Habet illius aliquid, simulque ab illa degenerans, multiplex iam euadit: Quicquid est post primum, est aliquo modo compositum, atque tum ipsa sigillatim vnitate partium, tum mutua earundem vnione suum esse accipit, & conseruatur in eo. Ipsum ergo primum merito est vnitas ipsa: nec vnitatis ipsius ratio atque entis est eadem: vnitati enim opponitur multitu-

do, enti verò non ens. Nec ratio entis superior est vnitate, alioqui vnitas participatione entis foret multiplex. Nec rursus entis ratio par est vnitati: alioqui ens non fieret vnum. Est igitur vnitas ente superior, imò verò est ipsa (vt ita dixerim) supremitas, atque primitas; siquidem ratio vnitatis & simplicitatis est eadem. Quo verò simpliciora in quouis genere sunt, eò priora, atque viciss. Multitudo autem proximè nascens ex vnitate omnium æquè prima est & omniformis multitudo, & secum vnita quam maximè. ideo in qualibet eius forma cunctæ eiusdem formæ quodammodo comprehenduntur. Est igitur diuina mens vnum omnia: ab hac anima nascens, non tàm est vnum omnia, quàm vnum multa. Non negat omnino Plotinus in primo esse omnia, sed esse ibi distincta scilicet rationibus absolutis: vnde rationibus relatinis considerari illic distinctio potest. Sed in secundo distinctionem formarum ponit rationibus absolutis inter se differentium.

Quo præstantior causa est, eo plura facit. Prima igitur efficit omnia: item in quouis genere primum est simplicissimum: omnium itaque primum ita simplicissimum est, vt non sit certa quædam res simplex, sed ipsa simplicitas.

CAPVT XVI.

Item sicut natura genitrix corporis non est corpus, sic intellectus pater animæ, non est anima, sic bonum intellectus ipsius parer, non est intellectus, nec intelligibilis mundus sed simplicius, atque sublimius, similiter excelsius ente. Entis enim proprietates sunt status atque motus: moueri autem appetitur non simpliciter, sed ad bonum: stare quoque non simpliciter, sed in bono. In ipso igitur ente status, motus, vita, intelligentia, non sunt ipsum bonum, sed aliquid boniforme, quatenus ad ipsum bonum vergunt, implentur eo, & in eodem summopere conquiescunt.

Nec essentia perfecta est, nisi in vita, nec vita perfecta nisi in intellectu, nec intellectus perfectus nisi in ipsa verorum omnium multitudine dependente, videlicet ab ipso bono.

CAPVT XVII.

Intellectus igitur multis indiget, vt sit absolutus, & vbi est absolutus est multiplex, igitur dependet à superiore quodam per se sufficiente, atque simplicissimo. Nec esse simpliciter appetitur, sed bene esse, nec viuere quomodocunque, sed bene, nec intelligere quomodolibet, sed bene, & bona, & ita vt tibi sit profuturum: nec verum simpliciter exoptamus: non enim veram febrem, sed verum bonum. Ipsum ergo bonum horum omnium finis est, atque principium. Finis vitæ nostræ est ipsum bonum videre per ipsum: sed quoniam hoc est stabilissimum atque simplicissimum, nec rationis discursu attingimus, nec actione intelligentiæ componente vel discernente, sed intuitu quodam subito, atque simplici. Huius autem fruitionis signum nobis est, quando præter solitum & nullo consueto ingenij machinamento influit nobis subito lumen, id est claritas læta, quæ est splendor quidam claritatis in seipsa consistentis, quæ est ipse Deus. Influit autem quando illi dediti ipsius gratia auferimus omnia, id est inclinationes circa omnia ab appetitu, imagines à phantasia, discursiones à ratione, intellectuales species, & compositiones, & discretiones ab intellectu. De his satis & Plato & nos in magna Platonis Epistola.



LIBER QVARTVS, QVOMODO QVOD EST POST PRIMVM FIAT à primo, atque de vno.

ANNOTATIONES.

Res in vniuerso inter se diuersæ concordiam, ordinem, vnionem inuicem non haberent, nisi omnes proficiscerentur ab vno.

CAPVT PRIMVM.

Qvod quidem tandem non sit vnum hoc aut illud, sed ipsum simpliciter vnum. Quod rursus propter ipsam summam simplicitatem habet, vt sit primum sufficientissimum potentissimum. Est autem ipsa omnium potestas, per quam cetera sunt potentia ad agendum, quæ quo potentiora, eo plura faciunt. Vnde apparet ipsam potestatem primam omnia facere, habere imperium omnium vbique latissimum, esse omnibus omnium præsentissimam.

Intellectus dependet ab intelligibili ferme, sicut visus à visibili, ideo non est primum.

CAPVT II.

Tangit hic duplex intelligibile, vnum coniungatum cum intellectu, alterum verò superius. Considera in oculo animalis die noctequeper se videntis, substantiam oculi valde lucidam, & ab ea virtutem videndi pendentem, quæ per se informis quidem est, formatur autem à substantia lucida coniugata sibi. Talem cogita intellectum etiam primum, etiam vbi se conspicit, perinde ac si oculus quidam lucidissimus digito quodammodo pressus seipsum intueatur. Iam verò in intellectu primo sua ipsa substantialis vnitas est ipsum intelligibile suum, vnde pendet intelli-

gendi virtus ad ipsum conuersa, & inde formata. Virtus eiusmodi vnà cum conuersione est indefinita duitas: sed definita per suum intelligibile euadit intellectus in actu & omniformis idea. Hinc quoque conuertitur per suam vnitatem ad ipsum simpliciter vnum: quod etiam intelligibile præstantius nominatur, quod Plotinus hic non omnino priuat cognitione, sed intellectuali duntaxat.



LIBER QVINTVS,

QVOD INTELLIGIBILIA NON SVNT EXTRA intellectum: item de ipso bono.

ANNOTATIONES.

Sicut sensus qui est cognitio infirma prospicit solum externa, sic intellectus, qui est cognitio summa, inspicit tantum intima.

CAPVT PRIMVM.

SICVT ergo in sensu sunt tantum imagines rerum, quæ sentiuntur, sic in intellectu sunt res ipsæ, quas intelligit: alioqui si à rebus intelligendis sit imagines accepturus, neque res ipsas adæquabit cognitione facta per imagines rebus ipsis valde deteriores, neque certus erit sincerum de rebus se habere iudicium: quandoquidem imagines in naturam suscipientis translatæ non meram afferunt obiecti naturam. Super rationem discurrentem positus intellectus stabiliter agens præsentia pro arbitrio habet obiecta. Intus itaque possidet nec solum principia quædam artium atque rerum, sed etiam in principiis quæcunque necessario inde sequuntur. Neque putare debes: ipsa intelligibilia esse propositiones, & quasi dictiones quasdam, sed rationes & formas essentiales: neque esse spectacula quædam inter se disiuncta, sed formas in vna quadam immateriali forma: quemadmodum formę sensibiles cunctæ in eadem informi materia, denique formas intelligibiles multo magis vnitas esse cum intellectu, quàm sensibiles cum materia, & cœlestes cum substantia cœli. Esse verò tantum formas naturaliter animis nostris infusas, in Theologia latius disputamus.

Obiecta intellectus non sunt imagines rerum vel imaginamenta quædam, sed verè res existunt, quippe cum etiam obiecta sensus sint res quædam.

CAPVT II.

QVo enim intellectus præstantior & verior est quam sensus, eo intellectus obiecta præstantiora veriora que sunt quam sensus obiecta, vt Timæus ait: Sunt autem intelligibilia in ipsa intellectus essentia, siquidem non quærit argumentando, neque vagatur extra, sed intro conuertitur & stabiliter intuetur quasi possidens, & ipsam vniuscuiusque substantiam penetrat & definit. At verò per imagines rerum non posset aliud quàm qualitates & externa conicere.

Sicut lux intima soli effundit circa se lumen, radiis innumeris virtutibusque refertum, ita principium omnium penes se procreat intellectum, hic animam similiter omniformem.

CAPVT III.

Illud antiqui Cœlium nominauerunt, hunc verò Saturnum, hanc denique Iouem. Omnes intellectuales animæ per intellectum suum ad intellectum diuinum ascendere quandoque possunt. Possunt quinetiam atque debent, rum per vnitatem suam, tum etiam per diuinum intellectum ad principium omnium quandoque progredi.

Principium omnium quod propter inæstimabilem simplicitatem eminentiamque ipsum vnum cognominatur, neque vllum in se æstimabilem habet numerum, neque cum rebus in aliquo conuenit.

CAPVT IV.

SI qua enim conditio sit huic cum re vlla communis, duo sequentur absurda. Primum quod hoc erit ex communi conditione & sua quadam proprietate compositum. Secundum quod hæc ipsa natura communis tanquam simplicior vniuersaliorque erit ipso superior. Præterea nec numerum in se habet essentialem, qualem Plotinus excogitat in essentia prima, videlicet multitudinem rationum formalium absolutè inter se distinctarum etiam absque intelligentiæ actu. Nec numerum habet in se in quantitatis genere comprehensum: numerum pertinentem ad quantitatem, qui constat ex vnitatibus, reducit ad ipsum vnum proprium principium quantitatis, numero quouis excelsius. Numerum quoque formarum essentialium ad vnum similiter reducit essentiale: hoc demum ad ipsum simpliciter vnum.

Ens, essentiam, esse, procedere ab ipso vno Græca etiam appellatio declarat, rei ipsius naturam sequens.

CAPVT V.

COgitare potest aliquis ens quasi compositum quiddam atque binarium, in quo essentia sit & esse, atque id quod dicit esse, ibi actum essentiæ nominari. Ens ergo natum ab vno essentiam quidem habere tanquam vnius vmbram, esse verò velut vnius imaginem. Quoniam verò ipsum vnum esse superius ente, ideoque latius vltra

proprietatem entis suam dilatat potentiam, factum est vt materia, & si propter priuationem extremam sot marum ens non dicitur, tamen dicatur vna. Non enim est propter informitatem minus vnica in mundo materia. Factum etiam, vt priuatio qualibet non minus vna dicatur, quàm habitus vnus: ens tamen minus priuatio quàm habitus iudicatur Sed hæc alibi diximus.

Quoniam dicendo speciem vel essentiam, concipis & definis aliquid intellectu, scito id non esse rerum principium: illud enim nullo modo comprehendi potest.

CAPVT VI.

IPsum vnum vel vnitas nomen est à Pythagoricis adinuentum, quo principij rerum simplicitatem eminentiamque pro viribus designarent, negantes quidem multitudinem compositionemque, & determinationem prorsus omnem ab ipso nihil interim affirmantes, quod & Apollinis nomine confirmabant. Sicut sensibile genus cum sensu proportionem habet, ita intelligibile cum intellectu. Principium ergo rerum non habens cum intellectu proportionem, supereminet genus intelligibile: igitur est ente superius.

Sicut per ipsum lumen & oculus est perspicax, & colores sunt conspicui, in quibus oculus videt lumen, quod in seipso non videt: sic per primum principium & mens intelligere potest, & vera sunt intelligenda, in quibus mens ipsius principij lumen intelligit, in seipso verò nequaquam.

CAPVT VII.

POtest tamen intentionem à singulis veris retrahere, conuerterecque ad principij lumen, quo & hæc vera sunt, & hic intelligens: atque ita ipso quoquo modo tanquam lumine frui. Similiter si voluntatem à bonis amádis reuoces ad amandum ipsum bonum quo & tu amas, & illa sunt amabilia, frueris statim ipso bono, videlicet insolito quodam gaudio.

Expelle ab animo otia, motum, multiplicitatem, determinationem, scilicet per quam certa cuidam rei se addicit, vel cogitanda vel affectanda.

CAPVT VIII.

STatim animus factus principio proximus immobili, simplici, absoluto, impletur nouo eiusdem lumine, mox seipsum animaduertit mirabiliter solito pulchriorem. Quod sane nouæ pulchritudinis lumen inspicit tanquam intimum: subinde animaduertit hoc ipsum sibi ex principio prouenire, vbi etiam lumen agnoscit vt extimum.

Quoniam omnia dependent à Deo, ipse verò à nullo: ideo omnia sunt in ipso, sed ipse est in nullo: Continet omnia, non continetur.

CAPVT IX.

QVia continetur à nullo, nusquam est: quia verò continet omnia, omnibus adest. Sic mundi corpus est in anima mundi, hæc in mente, hæc in bono, neque vicissim. Sicut igitur anima tanquam libera singulis corporis partibus tota simul adest, ita bonum ab omnibus limitibus absolutum adest omnibus. Omnino verò quod ad suam existentiam non dependet à certo subiecto, vel loco, nec à certa natura vbique est & nusquam, sicut anima, & mens, & Deus.

Composita in simplicia resoluuntur: simplicia multa in vnum simplicissimum: hoc in ipsam simplicitatem. Hanc tu si quando apprehenderis, nec partem aliquam eius accipies: non enim habet partes, nec tota eius ratione totam, alioquin ipsi & tu æqualiseris.

CAPVT X.

APprehendes autem eam, etsi non sub omni, sed sub quadam ratione eius atque virtute, tamen per vnicum simul a ctum atque simplicissimum percipies, quotcunque & quantumcunque fueris percepturus. Nam & ipse Deus momento totus simul occurrit, & tu siqua in percipiendo vtaris compositione, teipsum à simplicitate protinus separabis.

Principium primum ob inæstimabilem simplicitatem eminentiamque neque dicitur vnum, nec extrinsecus nec intrinsecus est finitum.

CAPVT XI.

NEque quiescit, neque mouetur, neque figuram habet, neque formam, infinitum est potestate, non quantitate. Falluntur qui corpora propter quantitatem, & maximè esse, & esse maxima putant: nam propter candem infinitè licet dicere, neque pars hæc, neque illa ipsum totum est: infinitè quoque dicere, hæc pars in hoc est parua, & illa parua: corpus igitur infinitè non est ipsum, & est infinitè paruum. Denique de veritate rerum separatarum diffidimus, ob nimium commercium cum materia: animæ quidem hoc corpore somniant, extra vigilant.

Quàm diuersus est intellectus à sensu, tam diuersa sunt intelligibilia à sensibilibus. Nec neges esse voces etsi non vides. Ne ergo neges esse separata, propterea quod nec sensu nec sensuali intelligentia comprehendas. Denique scito super intellectum atque intelligibile esse ipsum bonum.

CAPVT XII.

BOnum omnia omnino semper appetunt: pulchrum verò nec omnia, nec omnino, nec semper, quapropter naturali quodam iudicio bonum ipsum ipso pulchro præstantius esse censetur, atque ita bono posterior est pulchritudo: sicut amor pulchri aduentitius est, & post naturalem appetitum boni nobis incidit. Cum verò pulchritudo sit forma quædam, ibique pulchritudo prima sit, vbi summa & omniformis est forma, intellectus atque intelligibile, meritò ipsum bonum superius pulchritudine, similiter intellectu intelligibilique excelsius iudicatur.

Entia omnia minus inter se magis suè bona desinunt in ens aliquod maximè bonum, hoc tandem resoluitur in ipsum bonum, id est ipsam simpliciter bonitatem, ente superiorem.

CAPVT XIII.

QVando hanc ipsam nominas, noli cogitare duo quædam, id est rem quandam vnà cum bonitate: alioquin principium rerum compositum erit, eritque non bonitas absoluta, sed bonitas quædam, & tanquam particeps boni: refertur tandem ad superius bonum, non vltra participatione bonum. De essentia vita, mente prædicari

poteſt aliquando malum, aut ſaltem non bonum, aut certè magis minuſue bonum. Talia verò de ipſa ſimpliciter bonitate prædicari non poſſunt. Ratio igitur bonitatis ipſius & alia eſt, & ſimplicior, ideoque prior quàm ratio eſſentiæ, vitæ, mentis. Noli igitur fingere Deum primum contineri in communi entium ordine ſubentis ratione communi, atque inſuper habere propriam bonitatem, alioquin compoſitus erit, nec formaliter, ſed participatione quadam ſuperioris ſimpliciorisque boni bonus. Ipſum denique bonum quod ab omnibus eſſentiis, vitis, mentibus appetitur, eaque perficit, atque efficit, non eſt dicendum habere propriè eſſentiam, vitam, mentem, ſicut neque ſolem dicimus ea propriè in ſe habere, quorum in elementis cauſa eſt, id eſt calorem eiuſmodi & argumentum & generationem, ſimileſque formas atque figuras.



LIBER SEXTVS,

QVOD ILLVD QVOD EST ſuper ens non intelligat: quidue ſit intelligens primò, quidue ſecundò intelligens.

ANNOTATIONES.

Intellectus & vnitus eſt cùm re intellecta pariter & diſtinctus.

CAPVT I.

Si cognoſcit externa foras aſpiciendo, manifeſta eſt inter intellectum intelligibileque diuerſitas, & intellectus formam induit peregrinam, interea tamen per hanc formam cum intelligibili intellectus vnitur: ſin autem intelligit ſeipſum, eadem quidem eſt intelligentis intelligibiliſque eſſentia. Eſt tamen huius atque illius oppoſita inter ſe ratio: igitur diſtincta formaliter. Adde quòd ratio ipſius intelligibilis ratione intelligentis eſt ſuperior: ſicut ratio vel luminis, vel diaphani, vel luminis purioris atque minus puri. Ratio enim intellectus ad intelligibile, vbi eipſum intelligit, eſt tanquam inchoati cuiuſdam luminis annitentis ad abſolutum lumen accipiendum, cui pro viribus adæquetur.

Intellectus ſeipſum intelligens in ſe multiplicitatem habet.

CAPVT II.

Omnis intellectus eſt quodammodo intelligibilis, non tamen omne intelligibile neceſſariò eſt intellectus. Ratio igitur ipſius intelligibilis alia & communior & ptior eſt quàm ratio intellectus. Intellectus igitur ſe intelligens diuerſas in ſe rationes habet. Præterea cum ipſo entium ordine eſſentia ſit etiam tempore ptiorquàm intelligentia, meritò in primo ente eſt ſaltem origine prior. Ipſa igitur eſſentia in primo originis ſigno, ſecundum ſeipſam, nec dum eſt intelligens, nec intelligibilis actu, niſi ſuboritur ei facultas intelligendi, quæ ſane facultas non fit intelligens actu, niſi cum intelligibili copuletur. Conclude, ſi ipſa entis eſſentia ad ipſam exiſtendi perfectionem non indiget intelligentia, hanc enim præcedit, multò minus quod eſt ſuperius ente. Superius autem eſt illud, in quo non eſt ptius aliquid & poſterius: nec abſoluta rum duplicitas rationum, ſicut in ente & intellectu eſſe comperimus.

Quouſque fingis intellectum, ob id ipſum quod intelligat vel ſe vel alia ita multiformem euadere, vt ſint in eo multa formæ inter ſe ex ipſa natura rei formaliterque diſtincta, etiam ſi nula illic relatio illis acceſſerit, nondum principii ſimplicitatem adinueniſti.

CAPVT III.

Rurſus vbicunque multa inuicem componuntur, atque ex multis cõficitur num. eiuſmodi multitudo eſt poſt ipſum vnum, Denique omnis multitudo quæ aliud quiddam eſt quam ipſa vnitas, & quodammodo opponitur vnitati, neceſſariò eſt poſt ipſum vnum, & particeps eſt vnius. Platonica hæc Chriſtianis Theologis non aduerſanrur, apud quos primum principium non habet formas plures, intelligendo plura, quomodocunque intelligat, ſed per vnam ſui formam actu vnico ſe inſpiciens, omnia conſpicit, videlicet ſimpliciſſimam formam ſuam conſiderans aliter ab aliiſque aliter imitandam. Præterea diuina Trinitas (vt Dionyſius Areopagita confirmar, & Gregorius Nazianzenus aſſerit) idem ibi eſt quod & ipſa vnitas: ſanè ſicut lux & calor ſub cœlo quidem diſtincta duoque ſunt, in cœlo ſunt vnum. Quinetiam progreſſio & quiès hic quidem diuerſa ſunt: ibi autem quies in progreſſione verſatur, & progreſſio in quiete: ita in diuina natura qua ratione infinita eſt, motus eum ſtatu concurrit: nam ſi fingas infinitam motus velocitatem reſolues in ſtatum, imò & rarditas atque velocitas infinita dum in ſtatu deſinunt, in vnum etiam inter ſe conueniunt. Virtus enim infinita omnia ſibi ſubitò vniens, in ſe vnit & inuicem, vt non mirum ſit apud Dionyſium & Nazianzenum, in natura diuina idipſum quod eſt vnitas, ipſam quoque Trinitatem exiſtere, atque viciſſim. Infinitudo enim virtutis illic & propaginem agit intimã, æqualemque vſque in Trinitatem, vt aiunt, & ſeruat interim vnitatem. Non eſt igitur ibi Trinitas tanquam multitudo quędam particeps vnitatis, in ſuperiorem videlicet vnitatem referenda: eſt enim hæc vnitas ipſa. Siqua verò iu diuinis diſtinctio eſt, per relationem quandam agitur, vt pla-

cet plurimis Christianorum, propterea quod relatio soleat differentiam afferre quam minimam, nihilque componere. Addunt sectatores Scoti, solam multitudinem illam Deo indignam esse, quæ per potentiam & actum compositionis alicuius est causa. Illic autem multitudinem siue personarum, siue idearum non ita considerari, sed omnia velut actus quosdam componentes nihil, neque ex potentia exeuntes, imo tanquam radios quosdam lucis ipsi luci penitus intimos atque perpetuos, in quos lux ipsa simpliciter se propagat.

Quando bonitatem ipsam dicis, summam sufficientiam prorsus intellige: igitur neque partibus eam componentibus, neque ullo prorsus eget additamento.

CAPVT IV.

Est igitur & simplex in seipsa penitus, & nihil habet additum, quod non sit ipsa bonitas. Noli igitur vel multitudinem ibi talem fingere, quæ conficiat ibi compositum, vel intelligentiam addere bonitati, sic ibi distinctam, vt non sit ipsa bonitas. Quandiu igitur intellectum consideras, vt Plotinus, tanquam Solem, in quo intelligentia se habeat ad naturam suam, sicut lux ad substantiam Solis luce priorem longeque differentem, tamdiu Deum summum intellectum esse nega. Cogita potius Deum tanquam lucem solam non in aliqua præter se natura, sed in seipsa manentem, quam nihil vsquam lateat, quandoquidem per ipsam vbique sunt, parentque omnia, quamuis intellectum nullum abs te intellectum, esse Deum summum debeas affirmare.

Si intelligere seipsum excogitas esse tanquam ad se reuerti, multitudinemque sibi innatam colligere secum, citò actionem eiusmodi simplicissimo rerum principio minimè conuenire.

CAPVT V.

Si quomodocunque intelligere putas esse studium quoddam appetens ipsum bonum, vel tanquam visionem quærentem lumen, ne pures eiusmodi intelligentiam competere illi quod ipsum bonum & lux ipsa infinita censetur: nec enim ipsi bono appetitus inest boni, nec luci necessaria visio lucis cupida. Sicut numeri ad vnitatem suam numeris priorem, & continua ad suam continuitate superiorem, sic essentia ad vnitatem substantialem superiorem essentia referuntur. Quæ si eminentior est quàm essentia, nimirum intelligentiam superat illam quæ est actus essentiæ: sin autem ipsam boni & infinitæ lucis existentiam intelligentia meliorem appelles intelligentiam quasi causam intelligentiæ in se existentem, quicquid ab intelligentibus exoptatur, sic appellando forsan non aberrabis.

Cum omnes potentiæ appetant actus primos, id est formas tanquam bonum aliquid, & actus primi secundos, id est actiones similiter tanquam bonum, meritò principium rerum summopere ab omnibus exoptatum actus cognominatur, forma qualibet & actione superior.

CAPVT VI.

Infinitus hic actus etsi non propriè dicitur agere, vel actionem rursus habere, tamen hinc aguntur, huc agunt omnia. Hunc actum ne appelles intellectum vel intelligentiam qualem Plotinus vbique definit: nam apud eum in intellectu vel primò aliud est natura intelligens, aliud actus intelligendi: item essentia, vita, intelligentia sunt ibi distincta. Rursus differentes rerum ideæ inter se formaliter absolutaque ratione, differentes similiter ab intelligentia per quam eas ipsa mens intelligit. Eiusmodi differentias nec Platonici, nec Christiani summo competere putant: denique summus ille non ideo se intelligit, vt sibimet se copulet quasi disiunctum: nec ideo rursus alia, vt sic inde intelligendo proficiat: nam & melius aliquid rebus cognitione largitur, id est fruitionem sui, & meliori modo quàm cognoscendo se fruitur, & qui Deo fruuntur, per vnitatem intellectu superiorem fruuntur Deo, quod & Areopagita Dionysius asserit.

LIBER SEPTIMVS
VTRVM SINGVLORVM etiam sint ideæ.

ANNOTATIONES.

Quot numero homines nascuntur in anno mundi magno, totidem seminales hominum rationes sunt in natura vniuersali, totidem fermè ideæ hominum in mente diuina.

CAPVT I.

Vnaquæque etiam rationalis anima numeratas in se naturaliter habet, quod ex se vitas varias productura est. Verùm sicut quando dicimus omnia cœlestia esse in terra, vicissimque omnia terrena in cœlo, intelligimus omnia pro natura loci, id est, in cœlo quidem ratione cœlesti, in terra rursum qualitate terrena: sic quando audimus animam nostram esse omnia, accipere debemus secundum humanæ rationalisque animæ proprietatem. Nunquam igitur anima tua producet vitas ipsas figurasque brutis animalibus proprias, sed humanas semper: quamuis similes quodammodo brutis, & quandoque dæmonibus. Paucas ergo vitarum mutationes in anno mundi magno edere anima tua potest: præsertim cùm vitam in terris quidem breuissimam, super terram verò longissimam agat. In anno autem mundi sequente

dij sequente non fit vitarum mutatio, sed eorundem omnino hominum resurrectio. Interim homines inter se differunt, non per materias tantùm, sed per proprias etiam formas atque figuras, modosque varios genituræ. Differentia verò formalis & ordinata cum hæc à materia neque casu fiat, dependet ex formalibus quibusdam rationibus, quę & in natura & in mente vniuersali consistunt, neque sunt infinitæ numero. Finitæ enim formæ in anno mundi magno gignuntur, in sequēte verò eædem reuertuntur, causis eisdem videlicet reuertentibus. Verùm quonam modo sunt res in materia plures quàm in anima, & in anima rursum plures quàm in mente? Ita profectò quia res quædam in materia inter se numero differunt, vel per defectum formæ ex materia alicubi contingentem, quę forma alibi est perfectior: vel per quantitatis diuisionem. Differentiæ verò simpliciter formales rationibus seminalibus adæquantur. Rationes autem eiusmodi sunt in anima plures, quem in mente ideæ: quoniam in natura animę semper est absoluta distinctio rationum: mens autem minorem habet numerum idearum absolutè inter se differentium. Potest enim mens eandem ideam ad diuersa referre per actum intelligentiæ simul & voluntatis, referens inquam foras aliter, & aliter imitabilem. Ex qua quidem relatione plura proficiscuntur, idea interim non diuisa.

Qualibet anima naturaque particularis seminales in se rationes continet omnium, quæ inde generanda sunt, formalibus differentiis inter se distincta.

CAPVT II.

POssunt autem hæc ita distingui, etiam si in eadem communiter specie computentur. Eiusmodi verò propria formarum distinctio in ipsa etiam naturæ vniuersalis intentione præscripta est; quoniam in eiusmodi etiam distinctione ordo, decus, bonum vniuersi consistit. Materia verò nullam affert propriam formarum varietatem, sed formæ defectum. Quantitas quinetiam diuisione sua in rebus homogeneis facit alicubi numerum, nusquam verò varietatem. Denique in anno mundi vno quęcunque naturali ordine heterogenea generantur, inter se formaliter dissimilia sunt, ideo per differentes rationes efficiuntur: in sequente verò eadem omnia per easdem rationes sub eisdem causis recreantur.

Natura quoniam non per aliquid additum essentiæ sicut ars, sed per essentiam agit, ideo in essentialibus rationibus varietatem generandorum meritò continet. Tota igitur singularum rerum dispositio in anno mundi transigenda, designata est ab initio in mente opificis mundi, & in mente animæ mundanæ eiusdemque naturæ.

CAPVT III.

ANnum verò mundi magnum expleri plerique putant, quando cœlestia omnia ad eandem prorsus, & in seipsis & inuicem dispositionem quam habent hodie reuertentur. Hoc spatium alii triginta sex, alii triginta nouem annorum solarium numero, alii aliter metiuntur, aliterue putant.

LIBER OCTAVVS, DE INTELLIGIBILI PVLCHRITVDINE.

ANNOTATIONES.

Pulchritudinem esse naturalem in intellectu etiam humano apparet, quia materiam rudem reddit pulchrum.

CAPVT I.



NEque solùm imitatus foris opera naturalia id efficit, sed etiam vsus rationibus intimis, quando videlicet emendat quosdam naturę defectus. Hinc concludimus, formam pulchritudinemque in mente præstantiorem esse, quàm in nullo artis opere. Adde potentiorem, quoniam in opere quidem distracta est, in mente verò prorsus vnita.

Pulchritudo in opere naturali est forma quadam, non quomodolibet impressa materiæ, sed tunc impressa ab ipsa natura, quando natura excellentius materia dominatur.

CAPVT II.

NOn enim hoc opus est pulchrum per materiam vel quantitatem: alioquin quod materialius aut grandius, idem foret & pulchrius, sed ratione excellentioris cuiusdam formæ quasi iam immaterialis effectæ. Hinc ergo fit, vt species tunc primum quasi pulchra te rapiat, quando visum ingressa iam est ibi spiritalis effecta, & tunc maximè quando vehementius cogitatur. Denique species in moribus atque disciplinis, quæ immaterialis est omnino, tanquam pulchra nos capit amore. Est autem immaterialis in natura formositas naturali admodum mirabilior. Natura enim nec aduentitio quodam habitu, nec extrinsecus elaborans sicut ars, sed essentia sua intrinsecusque dominans facilitate mira exhibet materiæ pulchritudinem.

Pulchritudo apparens in materia est imago quadam pulchritudinis, quæ præstantior in natura viget: Hæc autem eius imago quæ est in anima intellectuali maior: Hæc tandem illius quæ prima est in mente diuina.

CAPVT III.

FVlget autem pulchritudinis splendor ex intellectu diuino in intellectū animæ caput, quem

admodum lumen à Sole ſemper in ſtellam, ſubinde in virtutem animæ rationalem ſicut in Lunam, quatenus ad ſuperiora conuertitur. Fruſtra verò quid ipſa pulchritudo ſit quærit animus, qui ſe per eiuſmodi conuerſionem pulcherrimum non reddiderit. Si verò reddiderit, quandoque ſuam inſpiciens pulchritudinem, ſuſpiciet inde ſuperiorem: ac per ſuum intellectum iam purgatum velut per aurum quoddam quod erat in mole, diuinum intellectum velut aurum vniuerſum, ſincerumque contemplabitur, aliter non quærendum. Denique prima pulchritudo eſt prima intelligentiæ plenitudo. Dij ſimpliciter intellectuales per illius participationem pulchri diique ſunt: per eandem dij quoque cœleſtes, id eſt mundani omnes, qui ſanè cœleſtes dij directo quodam intuitu diuina cognoſcunt, humana verò deflexo proſpiciunt, atque gubernant. Dij tandem ſimpliciter intellectuales qui in intellectuali cœlo ſunt, non gubernare ſaltem qua ratione ibi ſunt, ſed contemplari dicuntur. Quicquid eſt in cœlo intellectuali, eſt ſimiliter intelligibile cœlum, vbi verò ſunt omnia.

Supra cœlum corporeum in cœlo incorporeo ſunt dii duplices, ſcilicet intelligibiles atque intellectuales. Illi quidem ſunt ideæ, hi verò intellectus omnes æterna idearum contemplatione beati.

CAPVT IV.

INtellectus diuinus ſic in ideas ſe deriuat, vt totus conſeruetur in ſingulis, ſed ſub alia in aliis proprietate. Nec tàm dicendum eſt ideas eſſe in intellectu, quàm intellectum ipſum ipſas ideas exiſtere, omniformem videlicet ex vniformi ſeipſo mirabiliter prodeuntem. Si cœlum ſimiliter ſe deriuat in ſtellas, in qualibet ſtella & cœlum eſt totum, & ſtellæ omnes, ſed proprietate diuerſa. Quod igitur Anaxagoras ait, quodlibet eſt in quolibet, non tam in mundo ſubcœleſti, verumetiam vbi vnio minima quam in mundo ſuper cœleſti, vbi vnio maxima: quodammodo etiam in cœleſti, vbi mediocris eſt vnio. Vbi verò Plotinus probat, diuinorum contemplatores inde nunquam diſceſſuros. Accipe quod Porphyrius & Iamblichus artigerunt, animos etiam noſtros ad ſimilem poſſe beatitudinem peruenire. Non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæculum ſeculi laudabunt te.

Cum ari naturam imitetur, & natura Deum, atque ars quidem per ſapientiam quandam agat, Deus autem per ipſam ſimpliciter ſapientiam, conſequens eſt, vt natura per ſuam quandam agat ſibi inſitam ſapientiam.

CAPVT V.

SI omnia per ſapientiam ſuam reportant eſſentiam, ſequitur vt ſapientia prima ſit eſſentia prima. Sapientia per induſtriam comparata, quæ eſt ars humana, dependet à ſapientia nobis innata, & naturæ ſapientiam imitatur. Hæ verò tres ſapientiæ quia ſunt in alio, referendæ ſunt ad ſapientiam primam, quæ in ſeipſa ſit, vbi videlicet ſapientia ipſa eſt eſſentia. Sapientia quidem artis humanæ coaceruata eſt ex multis actibus meditationum atque ſermonum: ſapientia verò naturaliter nobis inſita, & ſapientia ipſius naturæ atque Dei, eſt vna quædam forma ſe præferens omniformem ceu vultus vnus, non ſicut oratio vel diſputatio vna: nam ante vnum ex multis coaceruatum eſt vnum, quod ſeipſum euoluit in multa, & ante hoc ipſum ſimpliciter vnum.

Sacerdotes Aegyptii ad ſignificanda diuina myſteria non vtebantur minutis literarum characteribus, ſed figuris integris herbarum, arborum, animalium: quoniam videlicet Deus ſcientiam rerum habet non tanquam excogitationem de re multiplicem, ſed tanquam ſimplicem firmamque rei formam.

CAPVT VI.

EXcogitatio temporis apud te multiplex eſt & mobilis, dicens videlicet tempus quidem eſt velox, & reuolutione quadam principium rurſus cum fine coniungit: prudentiam docet, profert res, & aufert. Totam verò diſcurſionem eiuſmodi vna quadam firmaque figura comprehendit Aegyptius alatum ſerpentem pingens, caudam ore prenſantem: cæteraque figuris ſimilibus quas deſcribit Horus.

Scientia Dei non eſt argumentationi vel conſilii ſimilis, ſed diſpoſitioni potius naturali.

CAPVT VII.

NOn enim vel poſito principio deinceps per media concluſionem colligit, vel conſtituto fine conſequenter vias modoſque ad finem conſequendum eligit, deinde agit ſicut deliberauit: ſed quoniam ipſe eſt ſuapte natura omnifariam ita diſpoſitus, ideo naturaliter ſic & agit: quemadmodum ſemen multiformiter ſic affectum, prolem ita generat multiformem. Sed omniformis illa natura Dei ipſa eius intelligentia eſt ideis omnibus inſignita, non ſicut tabella figuris, ſed ſicut cœlum ſtellis, quæ & ipſe ſunt cœlum. Facillimè verò facit, quoniam ſuapte natura facit, atque ipſa eſt vniuerſum. Fermè ſimiliter agit anima noſtra, quando ad habitum ſe reuocat omniformem.

Cum ipſa pulchritudo ſit forma quædam multiformis, aſpectui accommodata, meritò principium primum pulchritudine eſt.

CAPVT VIII.

MEns diuina eſt primum totum, ergo in qualibet ſui parte totum: eſt & pulchritudo prima, igitur in quauis ſui parte pulchritudo tota. Tria ſunt ſub ipſo bono pulcherrima, mens diuina, anima mundi, mundi corpus: quemadmodum in cœlo Sol, Iupiter, Venus. Venere capti neſciunt quid patiantur, quoniam non aduertunt pulchritudinem inferiorem propter ſuperiorem ſe admitari.

Cum acceperis totam hanc ſimul formarum mundanarum varietatem, ſtatim conſeruatis formis earumque motibus dimenſionem localem deme. Habes ergo mundi animam penes quam in qualibet forma ſunt cuncta: deme deinde motus formis in ſtatu ſeruatis, mentem iam diuinam habes, vbi quæuis idea omnes continet. Denique idearum diuerſitate in lucem vnicam reſoluta, primum es principium conſecutus.

CAPVT IX.

COrporeus mundus non eſt reuera magnus, quoniá vbique dependet ex paruis, Incorpo-

ſeus mundus eſt infinitus. Infinitè enim licet dicere, in hac idea ſunt omnes. Atque his omnibus computatis, in qualibet turſum omnes, ſimiliterque deinceps. Cum eſſentia & pulchritudo prima ſit idem meritò quatenus aliquid eſt particeps pulchritudinis, eatenus & eſſentiæ, atque viciſſim: item cum prima eſſentia ſit ipſa ſimpliciter ſpecies, nimirum ſpeciei participatione eſſentiam habent omnia.

Vnà cum Ioue, id eſt anima mundi, omnes animæ cœleſtes dæmonicaque & humanæ iam purgatæ totò fruuntur mundo diuino.

CAPVT X.

ET ſi ibi ſinguli cunctas contemplantur ideas, alij tamen alias attentius & auidius, ad quas præcipuè cæteras quodammodo referunt. Ipſa pulchritudo ibi potiſſimum eſt vniuerſus ille ſplendor ex cunctâ idearum quaſi ſtellarum ſerie micans. Tota intelligentiæ poteſtas niſi ardentiſſimus amor acceſſerit, hucuſque fortaſſe peruenit, vt pulchritudinem illam proſpiciat vt externam. Accedens amor contemplantem in eam transfert, ac viciſſim: vſque adeò vt contemplator amator iam ſeipſum inſpiciat pulchrum, imò pulchritudinem euaſiſſe. Annuit Plotinus quod ait Plato, philoſophos cum Ioue ſolos incedere, ab Ioue miſſos. Cæteri enim homines ſingulis propriè ſunt addicti: ſolus philoſophus vniuerſum ambit, vniuerſi verò anima Iupiter.

Tres gradus in contemplatione diuina, ac tres ad eam præparationes.

CAPVT XI.

DEo fruiturus debet per communem Dei notionem atque fidem ſeipſum in primis diuina quadam ſimilitudine conformare: deinde tota ad Deum cogitationis intentione contendere: tertiò tota Deum ſolùm voluntate ardenter amare. Huic igitur ſic affecto Deus influit, vt perſpicuo ſtatim facto lumen vbique præſens. Tum verò animus occupatus Deo, quandiu adhuc Deo minus eſt copulatus deſuper afflari & impleri ſe perſentit & cogitat. Quando verò arctius copulatur, Deum ipſum inſpirantem ſuſcipit, & qua ratione affluat iam excogitat. Denique quando Deo penitus eſt vnitus, non vltra occupatum occupantemue diſcreta conditione conſiderat: ſed actu potius ſimplici vnum aliquid intuetur. Nec intuetur propriè, aut audit, vel ſimili cogitatione cognoſcit: imò per ſenſum quendam vniuerſum intimum occulum fruitur ſeipſo pariter atque Deo tanquam vno, conſciuſque ſibi eſt tunc demum ſe valere quam optimè. Quæ quidem conſcientia ſui non diſcreta quædam perceptio eſt, ſed fermè idem eſt atque hæc ipſa valetudo quam optima.

Quicunque intellectum ſuum totus ingreditur, per hunc ingreditur & diuinum: qui boni quidem ipſius filius eſt, pater autem animæ mundi.

CAPVT XII.

GEneratur verò intellectus à bono, & anima mundiſque ſimul ab intellectu, non conſilio deliberante, ſed natura fœcunda: natura verò tum in bono voluntas eſt, ſiue voluptas, tum in intellectu primo ipſa eius intelligentia. De voluntaria creatione mundi alibi.

Intellectus diuinus qui & Saturnus cognominatur, caſtrat Cœlum, id eſt, ipſum bonum.

CAPVT XIII.

DIuidit enim penes ſe in plures formas vniforme patris donum: permanet verò in ſe abſque motu, & à commercio corporis ſegregatus: nam mundanam diſputationem motus generationes Ioui, id eſt animæ mundi conceſſit, cuius natura genitalis appellatur Venus. Pulchritudo mundi corporei vmbra quædam eſt ad ipſam mundi incorporei pulchritudinem. Illic turſum mundanæ animæ pulchritudo imago quædam eſt ad miram primæ intelligentiæ pulchritudinem. Hæc tandem eſt primæ lucis ſplendor foras exuberans.



LIBRER NONVS,

DE INTELLECTV ET IDEIS ET ENTE.

ANNOTATIONES.

In CAPVT I.

ANimus diuinorum contemplator iam eſt in patria. Actiui homines & voluptuoſi ſunt exules: ſed actiui facilius quàm voluptuoſi in patriam reuertuntur.

Quod eſt primò pulchrum, id pulchrum eſt ſeipſo, ſe toto, ſemper.

CAPVT II.

NOn eſt igitur prima in corpore pulchritudo. Hoc enim non per ſe totum, ſed per formam pulchrum, atque mutabiliter, nec rurſus in anima. Nam hæc intellectuali participatione mutabiliterque fit pulchra: ſed prima in intellectu primò pulchritudo eſt ſplendor quidam & figura boni. Plotinus Apoſtoli Ioannis, & Pauli myſteria ſæpe tangit, myſterium tamen Trinitatis non tàm aſſecutus videtur, quàm perſcrutatus, & pro viribus imitatus.

Formæ quæ ſunt in materia tanquam ſubiecto dependent à formis, quæ ſunt in anima mundi velut earum fonte: atque hæ rurſus à formis quæ ſunt in mente prima tanquam fonte formarum animæ.

CAPVT III.

SI anima ſuapte natura intellectualis foret, animæ tum omnes, tum pariter intellectuales forent: cū verò non ſint ita, meritò anima vel prima

intellectualis euadit participatione quadam intellectus excelsioris.

Super animas quæ ex potentia in actum intelligendi procedunt, & passionem aliquam subeunt, & habent cum deteriore commercium, est ipse intellectus actu semper intelligens, passionis expers, à corporis contubernio segregatus.

CAPVT IV.

CVm ex materia rebus mutabilitas accidat, profectò nisi essent res quædam à materia segregatæ, ordo consequens perpetuaque successio, similium in transmutatione rerum conseruari non posset.

Intellectus natura perfectus, per se semper intelligit, quoniam ex seipso intelligit, videlicet, in se conuersus. Est rursum talis, quoniam per essentiam ipsam est hæc ipsa entia quæ intelligit.

CAPVT V.

INtellectu perfectus, cum sit essentia perfecta, pro obiectis habet entia quoque perfecta. Horum verò multitudo talis nec est in principio rerum primo, neque rursus in mundo. Vbi & materia infimum est, & forma non est prima forma. Quoniam cum sit in alio, dependet ab alio. Est igitur perfectorum entium multitudo in intellectu eam intelligente: præsertim quia omnis multitudo rerum extra ipsum ab eis intelligentia proficiscitur. Nec igitur antecedit nec comitatur eam, sed subsequitur, sicut verba loquentem, sicut proles generantem. Virtus quidem generandi atque intelligendi quæ diuersæ sunt in anima, eadem sunt in mente: intelligendo igitur generat, imò & naturaliter existendo: sicut ignis calendo, sol lucendo, anima viuendo. Denique rationes rerum, quæ sunt in anima naturaliter mobili, non sunt per se ab omni mutatione tutę, nisi reducantur ad firmas intellectus Ideas.

Ideæ in intellectu sunt propriè quædam potestates eius per quas ipse est aliter, aliterue definitus.

CAPVT VI.

QVoniam verò eadem ibi est intelligendi & generandi facultas, ideo illic ideę non solùm ita se habent vt varię notiones, sed etiam vt multæ vires seminales in anima: inde quidem dicuntur exemplaria, hinc verò principia rerum, rationes & species vtrobique. Proinde qualitates omnino materiales, calor, frigus, & similes nequeunt vnionē habere mutuā sine confusione: aut enim seiuncta manent, aut si commiscentur, vel vnà confundit alias, vel cunctæ à se inuicem confunduntur, adeo vt alia quædam resultet ex cunctis. Qualitates minus materiales vt sapores vniri possunt, vt illæ cum confusione quidem, sed non tanta. Odores autem quasi adhuc minus materiales vniuntur in eodem medio differentes, & aliquanto minus alter confundit alterum, confundit tamen. Voces diuersæ magis adhuc vniuntur in medio, minusque confunduntur, quia materiales minus. Species verò colorum etiam contrariorum, quia immateriales sunt in eodem puncto vniuntur, & sine vlla mutua confusione distinctissimè illic extant, vnde concluditur vnionem formarum sine confusione, id est coniunctarum quidem & interea distinctarum esse in anima posse tanquam essentia quadam immateriali, & multò magis in mente adhuc magis à materia separata: cum enim per discessum à materia gradatim crescat vnio formarum pariterque distinctio, consequens est in mente vnitissimas esse simul atque pariter distinctissimas.

Notiones sensibilium in anima nuper acquisitæ vel editæ, non sunt ipsa sensibilia. Absolutæ verò intelligibilium notiones in potentiam rationalem venientes ab intellectu, quodammodo ipsa intelligibilia sunt.

CAPVT VII.

QVoniam videlicet intellectus est intimus animæ tum proprius tum communis: in proprio quidem notiones & intelligibilia idem magis sunt, in communi sunt maximè idem. Intellectus proprius (vt sæpe Plotinus ait) animæ inest vt forma: communis autem tanquam agens adest animæ. Cum verò ipsum intelligibile se habeat ad intelligentiam fermè velut motor, ideoque quodammodo antecedat, non debemus dicere intellectum fieri intelligibilia postquam intellexerit ea, sed potius è conuerso, præsertim quoniam alioquin intelligentiæ casu quodam exorirentur, & quasi quædam figmenta forent.

Intellectus quidem absolutè sumptus est omnes ideæ. Idea verò qualibet non est intellectus absolutè sumptus, sed intellectus eiusmodi. Item idea qualibet differt ab intellectu ratione quadam intellectuali tantum. Ideæ verò inter se differunt ex natura rei & ratione formali.

CAPVT VIII.

POtius enim licet dicere: Idea hominis est intellectus, & idea equi est intellectus, quam ideam hominis esse ideam equi: quamuis sub vniuscuiusque ideæ actu cæteræ sint virtute vel consequentia quadam, quemadmodum propositiones in geometria deinceps dispositæ se ad geometriam habent, atque inuicem Præterea cum ens naturali quodam ordine antecedat intellectum, meritò necessaria distinctio entis in suos essendi modos atque in entia quodammodo præcedit vsum intelligentię: qualem sanè distinctionem neque Platonici, neque Christiani in primo rerum principio libenter admittunt. Sicut consideramus ibi naturam entis intelligentiamque communem, ita in quauis idea propriam quandam entis naturam intelligētiamque propriam, quę sunt quasi duo quędam, non vt materia, & calor, vt diaphanum atque lux, sed vt calor atque calere, vt lux atque lucere, quorum vtrumque est actus, ideoque re ipsa sunt vnum, quamuis igitur intelligentia sit intimus entis actus, tamen est actus vtrumque.

Si mens formas disponit in mundo per intelligentiam naturalem, eas ipsas formas in se modo quodam naturali complectitur.

CAPVT IX.

SIcut animæ essentia suas vires ex ipsa fluentes, sicut natura genitalis rationes membrorum seminales: sicut species ignis lucē, calorem, siccita-

tem, leuitatem, raritatem, atque ita ferme ideæ conueniunt inuicem atque differunt. Necesse est enim differre ideas ratione formali, ne alioquin distinctio formarum ordoque in rebus proueniat ex materia, vel accidat ex fortuna, vel contingat ex diuersis agentibus fortuitò concurrentibus. Sin autem Deus extra se agit libera voluntate, quod in Theologia probamus, more architecti & geometræ, rerum habet ideas.

Qualibet idea communiter & similiter est essentia v'na intellectualis, species, actus: Ceteris autem inter se proprietatibus differunt.

CAPVT X.

Formalia in mundo omnia & motus actionesque & effectus eorum naturali & speciali quodam ordine procedentes, proprias illic habent ideas. Defectus verò formarum progressionumque naturalium nequaquam, sed aliunde contingunt, & per ideas formalium cognoscuntur.

Artificia quæ vel solum imitatione quadam rerum motionumque naturalium fiunt, vel etiam ab ingenio naturaliter artificioso proueniunt, non habent proprias illic ideas.

CAPVT XI.

Sed partim rediguntur ad ipsas naturalium ideas, partim ad rationes rerum, numerorum, mensurarum, modorum, animo rationali ingenitas, & ab ideis similibus dependentes. Contemplatio rerum Philosophica diuinam sapientiam habet ideam, prouidentia priuatim vel publicè gubernans diuinam prouidentiam suspicit pro idea tempus, æternitatem.

In ipsa hominis rationalis intellectualisque idea summatim continetur omnis artificiosa facultas & ingenio processura.

CAPVT XII.

Omnes formales inter indiuidua differentiæ non contingentes ex diuersitate materiarum vel locorum, illic ideas habent, sed virtute quadam potius quàm actu proprio, scilicet quatenus in speciebus ipsis, quarum propriè & præcipuè sunt ideæ, continentur varij quidam singularesque formarum modi, inde quandoque pullulaturi.

Res qualibet materialis ad suam ideam se habet, vt imago picturaque ad substantiam viuam.

CAPVT XIII.

Animæ verò mentesque & consumatæ virtutes earum extra ideam veræ res existunt, quemadmodum in idea: nec tàm æquinoca denominatione sunt eadem, nec differunt vt homo pictus à viuo, sed potius sicut puer à viro.

Multa putrefactione casu quodam præter ideas accidunt & deformia: quoniam vegetalis animæ pars, quæ est vltimum diuinorum, non potest omnino materiam superare.

CAPVT XIIII.

Nec etiam ideas habent quæ absque ordine certo ad finem directo nonnunquam in vnum confluunt. In ipsa hominis idea continentur artes ingeniosæ atque necessariæ. Ipsa anima est idea animæ: huic proxima est anima penitus intellectu formata. Longius verò distar anima eadem vniuersalem quandoque mundi prouidentiam in se fingens, longissimè tandem eadem anima particulari prouidentiæ iam addicta.



IN LIBRVM
PRIMVM ENNEADIS SEXTAE,
ANNOTATIONES.

In CAPVT I.

Mvltas de rerum generibus quæstiones tangit: nihil verò in hoc capite definire videtur.

In CAPVT II.

Non facilè concedendum est res incorporeas simul atque corporeas, item formam atque materiam, & compositum, & singulare atque vniuersale in vno substantiæ genere conuenire.

In CAPVT III.

Qvas Peripatetici substantias nominant, probabilius est in vna serie deinceps ab vno dependente dispositas esse, quàm in eadem natura congruere.

Numerus, continuum, locus, tempus, quæ Peripatetici in vno quantitatis genere collocant, non videntur habere vnam naturam cunctis æquè communem, sed potius in communi quadam serie deinceps disponi per gradus reductos ad quantitatem primam.

CAPVT IV.

Nvmerus quidem solus videtur esse per se quantus, ipsaque quantitas, in hoc ipsa vnitas vnitatem deinceps vnamquanque definit: ad hunc comparata dimensio, quanta sit perpenditur: ad dimensionem locus atque corpus.

In CAPVT V.

Ipsa quantitas est quæ non per aliud quanta fit, sed per quam cætera fiunt quanta. Sermo igitur & motus & tempus cum id munetis non habeant, non sunt quantitas, nec etiam in sua formali

ratione quantitatem includunt, quamuis quantitatis participia fiant.

Ambigit contra Peripateticos: vtrum omnia quæ ipsi collocant in prædicamento relationis, in vnanatura generica vniuocaque conueniant.

CAPVT VI.

AIt in nonnullis quæ inuicem relatiuè dicuntur præter ipsa subiecta fieri inter se aliquid aliud, scilicet actum motumque aliquem, vt inter scientem & scitum, agens & patiens. In plerisque verò videri nihil vltra subiecta aliud fieri vel extare præter cogitationem nostram, illa inuicem comparantem, vt simile ad simile, æquale ad æquale. Denique non putat relatiua hæc & illa, atque ipsa simpliciter relatiua in eadem natura congruere.

Concedit tandem in omnibus quæ inuicem relatiuè dicuntur esse veram aliquam & mutuam habitudinem, & præter nostræ comparationis effectum, quamuis alicubi sit firmior, infirmior alibi. Sed valde obscurum esse dicit, quidnam sit hæc habitudo communis, & naturam vniuocam esse diffidit.

CAPVT VII.

COncedit relationem esse propriè nonnihil, cuius existentia si qua est, in ipsa mutua rerum habitudine consistat, vt in habitudine bicubiti ad cubitale consistit, relatio dupli ad dimidium & vicissim.

In CAPVT VIII.

COmmunis descriptio relationis est mutua duorum habitudo. Sed hæc in differentibus relatiuis tam diuersa est, vt non sit vniuoca. Inter aliqua relatiua vna cum habitudine est actio quædam, vt inter generantem atque genitum: alicubi nulla, vt inter similia & æqualia.

Relatio est nonnihil incorporeum & ratio quædam, quæ consistit vel in actione, vt inter mouens ac motum, vel in specie, vt hic pulchrior illo, vel in priuatione speciei, vt turpior illo.

CAPVT IX.

ALiquando in specie eadem, vt similia & æqualia: aliquando in oppositis speciebus, vt dissimilia & inæqualia. Difficile est in eodem genere collocare rationes adeo diuersas, item habitus & priuationes eorum, item abstracta & concreta.

Posita descriptione qualitatis apud Peripateticos scilicet, qualitas est id quo quale aliquid nominatur, non possunt quæcunque qualitates dicuntur sub vno quodam generatione vniuoca contineri.

CAPVT X.

NEc facile possumus explicare quidnam id secundum se sit, per quod alia denominantur qualia. Nam per potentiam pariter atque impotentiam: Item per habitum æqualiter priuationemque, quale aliquid appellatur, ac passim similiter per opposita.

In CAPVT XI.

ADmissa Peripateticorum descriptione, difficillimum est quæ qualitates dicuntur inter se ritè diuidere, & impossibile diuidendo eas sub eodem genere vniuoca ratione colligere.

In CAPVT XII.

NOn licet qualitates Peripatetico ritu partiri: neque fas est qualitates corporis, animæ, mentis sub eodem genere collocare.

Quod apud Peripateticos nominatur prædicamentum quando, id est, heri, eras, & similia, tempus proprii temporisue partem formali ratione comprehendi.

CAPVT XIII.

SI ergo nihil aliud significat, non debent in alio prædicamento ipsum quando, in alio tempus ponere: sin autem præter tempus significat aliud, non vnum hoc iam prædicamentum erit, sed ex pluribus congregatum.

In CAPVT XIV.

SVperuacuum est propter id quod dicitur aliquid alicubi esse, nouum inferre prædicamentum: Nam hoc ipsum vbi, propriè locus est. Si quid autem huic adiectum consideratur, non nouum prædicamentum affert, sed relationem aliquam vel substantiam.

In CAPVT XV.

REctius fortasse pro prædicamento poneretur effectio, aut actus, aut motus, quàm facere.

Rectius forte pro prædicamento poneretur actus: atque sub eo actus alter quidem perfectus, vt habitus atque forma: alter autem imperfectus, vt motus ad habitum atque formam.

CAPVT XVI.

MOtus non ratione sui dicitur imperfectus actus: quo enim momento incipit iam actus est & motus, sed ratione alicuius alterius post motum perficiendi. Sicut actus ac sæpe mutatio fit momento, ita motus exordiens in momento simpliciter iam est motus: subit verò tempus quatenus subit & quantitatem.

In CAPVT XVII.

PRobabilius sub motu tanquam genere ponerent actionem & passionem, quam duo hæc tanquam prædicamenta duo. Esse relatiuum non est simpliciter esse alicuius, vel ad aliquid vergere, sed hoc ipsum quod est, ex mutua duorum habitudine confici.

In CAPVT XVIII.

MOtus ipse non tam vt simpliciter sit, quam vt sit longus, indiget tempore. Item non omnis actio refertur ad passionem, qualis incessus & intelligentia est. Præterea motus, actio, passio, sensus, intelligentia, præter id quod sunt alicuius actus, & diriguntur ad aliquid, existunt absolutè aliquid in seipsis.

Probabiliter motum ponemus pro genere: quem diuidemus in motum existentem intrinsecus atque in motum extrinsecus incidentem.

CAPVT XIX.

PRimum quidem nominabimus actionē, siue maneat intus, siue etiā in aliud exeat. Secun-

dum vero passionem: siue quis putet hos inter se motus actionemque & passionem re ipsa discrepare, siue tantum ratione differre.

In CAPVT XX.

Aliquam actionem passio non comitatur, vt intelligentiam atque sensum: aliquam comitatur intus, vt conterere conterentem vicissim, & calefacere mutuo frigefacientem: aliquã comitatur extrinsecus: Et hoc quidem dupliciter: Aut enim actionem manifesta passio comitatur foris vt secantem, aut occulta, vt incedentem: imo & occultissima, vt augeri, & formari corpus ab anima.

In CAPVT XXI.

TAm actionem quàm passionem per motum quendam vel actum definire possumus. Sed illud quidem agere dicitur, cuius motus ex ipso sumit exordium, siue hinc aliquid in alio fiat, siue nihil. Illud vero pati, cuius motus solum incidit aliunde, sine ad deterius eat siue ad melius. Item seu ab agente separato incidat, vt verberatio, siue à coniuncto, vt alteratio in corpore ab opinione affectuque animæ suæ, & affectus ipsi extrinsecus incitati.

In CAPVT XXII.

MOtus idem potest si referatur ad agens, dici actio: si ad patiens, passio nominari. Vbi propriè loquimur actionem ab effectione distinguimus: dicentes post actionem opus inde procreatum aliud non extare, quale per effectionem fieri extareque consueuit:

In CAPVT XXIII.

PEripatetici rationem sufficientem assignare non possunt, cur habere quidem vestes nouum prædicamentum faciat: habere vero qualitates in se, & habere pecunias, non facit prædicamentum nouum. Item habere vestes, amarique, non vnum sed duo prædicamenta significat.

In CAPVT XXIV.

POni sic aut aliter in tali quadam figura vel loco non videtur nouum afferre prædicamentum præter figuram, locum, actionem, passionem, relationem.

In CAPVT XXV.

NOn sunt ponenda prædicamenta quatuor sub vno genere, quemadmodum plerique Stoicorum Cynicorumque posuerunt. Lusit hactenus contra decem Aristotelis & Architæ prædicamenta exercitandi forsitan ingenij gratia. Deinceps vero seuerius agit aduersus illos, qui materiam loco principij posuerunt: deinde vna cum sequentibus sub eodem genere collocarunt.

Materiam per se informem aliunde formabilem nefas est pro rerum principio ponere.

CAPVT XXVI.

PRæsertim quia omnia actum appetunt tanquam bonum: actum dico, formam & actionem. Actus igitur ipse summus & simplicissimus, cui nihil potentiæ materialis inest, est finis vltimus & principium: Actum dico, etiam forma superiorem. Omnia enim actum aliquem appetunt vltra formam. Ridiculum est, postquam simplicem materiam loco principij posuerunt, addere materiam, inquam continuam & extensam. Hæc enim non iam foret simplex, sed cum quantitate & qualitate permixta. Denique quicquid constat ex multis, cum fiat participatione vnum, dependet ab aliquo, per se ipsum vno, ideoque penitus indiuiduo.

Materia prima si omnibus tam mouentibus quam formis subiecta est, non potest esse rerum principium.

CAPVT XXVII.

NEc materia per se informis parit formas, nec vlla forma in materia iacens potest ex se existere, quando in se ipsa consistere nunquã potest: nec earum principium est forma quædam materiæ mixta, alioquin non poterit dominari materiæ. Oportet vero motorem tandem efficacissimum esse ab impedimentis materialibus expeditum. Siquis vero fingat materiam esse formarum principium, negaturus est eam esse subiectam, affirmaturusque hanc per essentiam suam formas omnes existere, Ac tandem quicquid reuera est in mundo, esse materiam, formas vero imaginamenta quædam. Sed reuera cum ex materia naturaliter informi effici forma non possit, multo minus vita, quæ est forma præstantior: minimè vero mens, præstantissima forma. Denique principium materialis formæ vita quædam est non pullulans ex materia, quamuis sit infusa materiæ. Atque huius vitæ principium ipsa vita est, materiam longius supereminens.

In CAPVT XXVIII.

MAteria quanto magis sub formarum mutationibus permanet, tanto magis paritur. Et idcirco est omnium infima. Mens si posterior esset quàm materia, nec materiam posset transcendere, nec materialia etiam perfectè comprehendere.

Posuerant prædicamenta quatuor, scilicet subiectũ primo, deinde quale, tertio quodammodo se habens, quarto quodammodo se ad aliquid habens.

CAPVT XXIX.

HOc ipsum quod additur quale, si simplex quiddam est, sicut esse debet, si seorsum facit prædicamentum, certè est incorporeum, quod quidem ipsi nolunt: sin autem compositum significat, vana est diuisio, diuidens videlicet res in subiectum, atque iterum in subiectum quale. Et omnino quando dicunt quale, & quodammodo se habens, aut rem nullam addunt præter materiam sic se habentem, aut addunt: si nullam, vnicum reuera prædicamentum erit: si aliquam, quidnam hæc ipsa sit interrogati nunquam explicant: nec discernunt vnquã inter materiam qualem, atque materiam quodammodo se habentem, hac videlicet discretione plura prædicamenta facturi. Denique si nihil in natura sit præter materiam sic se habentem,

mens ipsa materialis erit; neque de separatis expedite poterit iudicare.

In CAPVT XXX.

Non rectè distinguunt quale & quomodo se habens. Nam & quale reuera est materia quodammodo se habens; atque vicissim quodammodo se habens, est materia qualis. Præterea nec ipsum quodammodo se habens potest esse genus vnicum, nec quicquid est præter materiam qualem potest hoc nomine scilicet quodammodo se habens cognominati.



LIBER SECVNDVS
DE GENERIBVS ENTIS,
ANNOTATIONES.

Solum esse verum ens arbitramur, cui non miscetur entis oppositum, id est essendi defectus atque priuatio.

CAPVT I.



Portet igitur id esse in sua natura integrum, semperque manere. Non decet ens falsum vna cum ente vero sub eodem genere collocare, sicut neque Socratis imaginem cum Socrate. Prosequetur quidem Plotinus deinceps entium genera Platonico more: Interpretationem vero in his Magnanime Laurenti breuissimam à Marsilio tuo nunc accipies. Audisti enim nonnunquam, & fortè quandoque leges familiatem tuum atque meum Pierleonem, mysteria eiusmodi diuino quodam, vt cætera solet, instinctu tractantem.

In CAPVT II.

ENs primum est quidem vnum, sed quodammodo constat ex multis, quæ & principia sunt, & geneta. Principia quidem, quoniam ipsa natura entis quasi constat ex ipsis: genera vero, quia quodlibet eorum continet sub se species gradatim multas & singula. Neque confunduntur hæc in vnum: seruat enim vnumquodque proprium illic actum. Neque ens ipsum appellandum est genus, neque enim diuiditur vt genus in species, neque de suis prædicatur, vt genus.

In CAPVT III.

MVlta quæ sunt in primo ente, quoniam ibi non casu concurrunt, necessario sunt ab vno. Rursus cum ibi sint genera retum prima inter se diuersa, non possunt intus reduci ad vnum genus, quod de ipsis more generis prædicetur: sed ad vnam non tam causam quam naturam, quæ non tam constituatur ex illis, quàm constet ex ipsis, seque ipsam in ipsa propaget, totamque in singulis differentibus se conseruet. Hanc vero naturam vnam, quoniam est vnum non simpliciter, sed vnum ens, redigimus ad ipsum foras simpliciter vnum velut causam.

Cum mens & anima separatæ sint à materia & quātitate, & idcirco simplices indiuiduæque sint difficile inuentu est, quomodo ibi vnitas in se distinctam habeat multitudinem.

CAPVT IIII.

VNio quidem siue vnitas in corporibus, post ipsam multorum compositionem sequitur, atque est quasi quidam generationis finis: itaq; merito dependet ab vnitate quadam, quæ fit ante multitudinem, fitque generationis principium. Talis quidem est in anima atque mente vnitas, cum multitudine non facta ex multis, sed fons multorum. Hæc denique procedit ab vnitate, quæ multitudinem talem in se permixtam nullam habet.

In CAPVT V.

CVm multitudo & diuersitas in corpore animato sit quamplurima, atque hæc proximè fiat ab anima genitali, merito anima, & si magis est vnum atque ens, quàm corpus, non tamen est vnum multitudinis expers. Est igitur genitalis anima vna quædam natura, rationumque seminalium plenitudo, quæ rationes ita sunt actus eius essentiales, sicut radij lucis intimi. Est etiam in ipsa animæ essentia multitudo, non enim habet ipsum esse simpliciter, sed vna cum animali quadam proprietate rursus essentiali.

In CAPVT VI.

ESsentia & vita in anima re quidem ipsa sunt vnum, sed differunt ratione: nam anima per essentiam cum multis conuenit, à quibus per vitam differt: vita illic scilicet animalis non accedit extrinsecus ad essentiam, sed emicat ab essentia: igitur & in ipsa essentiæ virtute latens vita viget, & in ipso vitæ actu manifestior explicatur essentia.

In primo intellectu est ens, motus, status, tanquam tria rerum genera: Illic ipsa natura vnum, ratione vero formali inter se differentia.

CAPVT VII.

SIcut maxima diuersitas membrorum in animali declarat esse aliquam differentiam ratio-

tum seminalium in semine, sic in exemplari mundi differre quodammodo inter se ens & vitam, id est motionem, atque statum, argumento nobis est quod in mundo corporeo hæc tria maximè separata sunt. Est autem ibi vita motio quædam essentialis intima, perpetua ipsius entis, entis actus, ens prorsus adultum. Atqui ipsum ens essentialiter vita est, vitaque vicissim vitaliter est ens. Denique cum status motui opponatur, conijcimus illic neque statum esse motum, nec alterutrum esse idem penitus cũ ente.

Formæ à materia separatæ vel intellectus sunt, vel in intellectu, & ibi quidem non secundum accidens, sed secundum essentiam intellectualem pariter atque intelligibilem.

CAPVT VIII.

SIc intellectus primus quinque in se concipit rerum genera, scilicet ens, motum, statum, idem, alterum. In hoc intellectu essentia eius atque intelligentia eius quodammodo differunt: alioquin in ordine rerum inde nascentium, quatenus procedit essentia, eatenus intelligentia quoque procederet. Illic igitur actus intelligendi tanquam motus quidam intimus innititur essentiæ siue enti velut cardini: innititur inquam, duobus modis: nam & inde prosilit, & illuc assiduè resilit. Ens ibi essentialiter est intelligentia, & vicissim intelligentia intellectualiter ens existit. Præterea intelligentia & à statu quodam exorditur, id est firmo vigore mentis, & tendit in statum, id est ideam intelligentiæ terminum. Proinde præter ens, motum, statum, illic est & alteritas, quatenus hæc ibi inter se ratione aliqua distinguntur, & rursus identitas, quatenus in eadem natura sunt omnia. Tum vero quatuor illic sequentia non appellantur entis species, sed actus quidam entis ipsius comites. Denique quinque alia ibi dicuntur genera entium, quoniam & quæcunque sunt ad illorum aliquod rediguntur, & illa simul cuncta in re qualibet includuntur, hac tamen ex parte principia rerum etiam appellari possunt.

Ipsum simpliciter vnum quod est ente superius, de nullo vel generum vel entium prædicatur vt genus.

CAPVT IX.

QVoniam propter indiuiduam prorsus simplicitatem suam differentias sui nullas admittit, nullas diuisiones, adiunctiones, compositiones excipit, per quas solet genus in species deriuari. Item nec vnum quod est in ente de generibus, aut entibus tanquam Peripateticum genus vniuocè prædicari potest. Nam in horum ordine aliud deinceps alio aliter, atque aliter, ac magis minusue, & prius atque posterius, & ens & vnum esse censetur. Denique quemadmodum in Luna quod sursum spectat, lucidum est simpliciter, quod vero deorsum, lucidum pariter, atque non lucidum: sic & ens ab ipso simpliciter vno dependens, quatenus naturaliter vergit ad vnum, merito ens est penitus vnum, vel vnitum. Quod autem post hoc in ipso sequitur est ens vnum pariter atque multa. Illud quidem sui prorsus vnum, vel vnitum, cùm sit indiuisibile, non est genus: hoc vero quod in eo sequitur, non nouum præter genera superius dicta genus affert.

Ipsum simpliciter vnum non prædicatur vt genus de aliquo, scilicet generum, aut de ideis vllis.

CAPVT X.

NAm quoduis genus, & quæuis idea est in se vnum aliquid multitudinis necessariò particeps. Æquiuocè igitur rationeque longè diuersa illud primum & hæc nominantur vnum: neque minus multitudo quàm vnum de hisgeneribus ideisque prædicatur. Præterea genus varietatem in se prorsus admittit, quam non admittit ipsum vnum, quod quidem cum sit simpliciter vnum, non est vnum genus: vnu vero omnibus entibus communiter inest, nec propterea eorum genus existit, sicut neque vnitas numerorum, neque punctum linearum, neque simplex compositorum. Denique si vnum quod cum essentia congreditur, si absque ente consideretur, non diuiditur per differentias vllas in vnum hoc & illud, diuisio vero ratione entis accidit & in ente. Hoc igitur restat genus, qualecumque sit genus.

Nec ens, nec vnum eadem vbique ratione rebus insunt, sed ratione diuersa magisque & minus gradatim, & prius atque posterius.

CAPVT XI.

RVrsus non eadem omnino inter se ratio vnius atque ratio entis: nam exercitus non est minus ens quàm domus, nec domus quam continuum: est tamen minus vnum. Est autem ratio eadem vnius atque boni, & quatenus quodlibet particeps fit vnius, eatenus & boni, atque vicissim. Alibi dictum est, vnum esse aliud superiusque quam ens, propterea vltra esse à rebus expeti bene esse. Id vero bonum vniuscuiusque rei in vnione consistit, id est vt partes suæ inuicem sint vnitæ, & totum vnitum sit principio atque fini. Atque vt res omnes tum quæ magis inuicem sunt cognatæ coeant, tum quæ minus cognatæ concilientur.

Bonum etiam inanimatorum, numerorum, in quadam vnione consistit: item quodlibet quinque generum est & in seipso vnum, & in participantibus non discerptum. Caput XII.

In CAPVT XIII.

MOtus, status, identitas, alteritas sunt prima rerum genera vna cum ente, quoniam actus quidam primi & intimi ipsius entis existunt: numerus autem posterior inde resultans, atque etiam posterior magnitudo, ideo duo hæc non sunt genera prima.

In CAPVT XIV.

QValitas non est inter prima rerum genera: quoniam qualitas essentia ipsa posterior est, ei accidens absolutè iam existenti: prima

vero genera essentiam illam tanquam actus eius intimi pariter comitantur. Essentiis rerum naturalium insunt naturales & intimæ proprietates quædam quasi similes qualitatibus, vt ignis essentiæ calor, hominis facultas rationalis, quæ quidem reuera actus quidam essentiales sunt potius quàm qualitates. Quæ vero non ab essentia speciali nascuntur, sed aliunde contingũt, vt albedo homini, veræ sunt qualitates atque passiones.

In CAPVT XV.

Sicut non est prius ignis, deinde lux eius, & calor, & siccitas, atque leuitas: sed quatuor hæc simul cum ignis essentia sunt tanquam & proprietates & actus comites eius etiam existentis in actu, ita ad ipsum ens se habet motus eius intimus, atque status, & identitas pariter & alteritas.

In CAPVT XVI.

Relatio, locus, vbi, quando, tempus, positio, habitus, actio simul cum passione nec prima genera sunt, nec penes illa. Aduentitia enim sunt, & compositionem defectumque significanr.

In CAPVT XVII.

Bonum non est inter genera prima: Nam siue significet primum bonum est generibus eminentius, siue qualitatem, posterius est generibus. Quælibet vero dicuntur bona non per vnam genericam in se naturam, sed quia à primo bono sunt, verguntque ad ipsum: & bonum in primo ente est vita motusque ipsius ad primum bonum.

In CAPVT XVIII.

Pulchritudo, scientia, intellectus, virtus non afferunt noua illic genera, sed ad quinque illa iam numerata quodammodo rediguntur.

In CAPVT XIX.

Ambigit hic multa: nihil fermè definit.

In CAPVT XX.

Intellectus diuinus ad ideas se habet quemadmodum ad propositiones suas geometria. Ille enim intellectus & existit hoc ipsum quod in se est in actu, & dupliciter habet ideas, tum in actu simul cunctas ibi iam consistentes, tum in potentia singulas, ibi mox inter se distinguendas. Ideæ vicissim singulæ quidem hoc ipsum quod in sua proprietate sunt, in actu sunt: in potentia vero sunt ipsum totum. Totum vero quod est ibi superius ad sequentia, quasi & genus est & causa. Qua igitur ratione genus est, illa est in potentia: quia vero est causa, illa rursus est in actu.

Intellectus primus dum se intelligendo omnia inter se discernit, ibidem numerum patefacit, per virtutem immensam declarat magnitudinem, per intelligentiæ claritatem aperit qualitatem.

CAPVT XXI.

Patent igitur ibidem qualitates atque figuræ, ac per ipsam alteritatem differentiæ qualitatum figuramque, & omnium per identitatem quoque communio. Cum vero contineat omnia per modum naturæ suæ, hæc vero sit prima essentia viua intellectualisque, merito quæ intus intelliguntur, non sunt figmenta, sed existentia prorsus viua, intellectualia singulatim. Denique sicut se habet generationis motus ad naturam genitalem, ita ratio argumentatrix ad intellectum. Motus enim generationis contendit ad membra paulatim generanda, quæ simul & seminatia virtute sunt cuncta: similiter ratio argumentando quærit entia, quæ simul omnia semper sunt in mente nunquam argumentante. Sicut autem apud rationem perpetua inquisitio non habentis signum est, sic penes mentem, nihil inquirere argumentum est iam omnia possidentis.

Prima essentia ex se viua denominatur ipsum viuens ipsumque animal: huius actus in se reflexus appellatur intellectus, qui in hac ipsa substantia sui viua tot ideas inspicit, quot species fabricaturus est mundo.

CAPVT XXII.

Sensus in se quidem sentit tantum, in imaginatione vero persentit insuper se sentire. Similiter imaginatio imaginatur in se: in ratione imaginari se percipit. Ratio in se argumentatur: in intellectu animaduertit argumentari. Intellectus noster in se intelligit, in diuino intelligentiam suam animaduertit: diuinus in sua essentia viua possidet & inuenit omnia. Est autem viuens hæc essentia vniformis simul & omniformis: ideoque mundus hic inde talis intelligitur, atque generatur. Sunt vero ibi formæ rerum vsque ad species vltimas tantum multiplicatæ: in anima vero mundi inde nata multiplicatæ magis, maximè vero in natura genitali, quæ huius animæ postremum est Omnes quidem ideas appellat hic intellectus, generalem vero animarum ideam nominat, tum intellectum, tum etiam animam: quatenus sursum aspicit vel deorsum, similiterque animam nostram triplici ratione dignam censet triplici cognomento.

(∴) (∴)

LIBER TERTIVS

DE GENERIBVS ENTIS,

ANNOTATIONES.

In CAPVT I.


Icut in mundo intelligibili, ita in hoc ſenſibili ponenda ſunt genera rerum quinque, nec tamen ſub vno genere cõponenda. Nec putandum genera hæc vna cum ſuperioribus illis in eadem natura congruere, quamuis quadam proportione conueniant. Nec animæ intellectualis ſubſtantia eſt ſub inferioribus generibus collocanda.

In CAPVT II.

IN mundo quidem intelligibili eſſentiam veram ponit: in hoc autem apparentem, ac pro eſſentia fluentiam. Item confutat eos, qui genera hic non rectè diſponunt, nondum tamen ipſe diſponit.

In CAPVT III.

QVæcumque propriè ſunt in mundo ſenſibili probabiliter ad quinque genera referri poſſe videntur. Primum genus ſit ſubſtantia: ſecundum accidens quod in ſubſtantia: tertium accidens in quo ſubſtantia: quartum motus: quintum relatio. In primo genere quodammodo colliguntur materia, forma, compoſitum: in ſecundo quantitas, qualitas, figura: in tertio locus, tempus: in quarto actio, paſſio: in quinto quam plurima quomodocunque relationem ſignificantia.

In CAPVT IIII.

SVbſtantiæ corporeæ proprium eſt, vt accidentium ſuſtentaculum ſit: ipſa vero nulli tãquam accidens innitatur, ſed ſui iuris exiſtat. Id autem ſolius ſubſtantiæ proprium tribus ſubſtantiis eſt commune, ſcilicet materiæ, formæ, compoſito.

In CAPVT V.

SOlius ſubſtantiæ proprium eſt, vt nec vſquam velut in ſubiecto inſit, nec de ſubiecto aliquo tanquam extraneum aliquid prædicetur. Item quando aliqua quæ corporeis generibus propria ſunt, in mundo incorporeo nominamus, non ſecundum rationem naturamque eandem, ſed per comparationem & ſimilitudinem illis hęc attribuimus.

Ens non ſecundum eandem rationem, ſed diuerſam quidem, quamuis per quandam ſimilitudinem prædicatur de ſubſtantia incorporea & corporea, atque de accidente.

CAPVT VI.

SVbſtantia corporea comparata quidem ad incorpoream non habet eſſe ex ſe, ſed ex illa: comparata vero ad accidentia ſua obtinet eſſe ſecundum ſe, & prius atque ſimpliciter: Accidentia vero ſortiuntur eſſe per illam, poſteriuſque & eſſe quodammodo. Fit autem hic quaſi viciſſitudo quædam: nam & accidens per ſubſtantiam habet ſimpliciter eſſe, & ſubſtantiam per accidentia nanciſcitur eſſe tale, vel tali quodam pacto.

Et materia & forma materialis à cauſa ſeparata dependet, cui forma eſt ſimilior quàm materia: Ideo forma magis eſt ens, & eſſentia, & ſubſtantia, quam materia.

CAPVT VII.

IDcirco nec ens, nec eſſentia, vel ſubſtantia prædicatur de materia ſimul & forma tanquã genus vniuocum, ſed tanquam analogum, id eſt proportionale genus, atque comparabile. Præterea eſſentia minus adhuc conuenit accidentibus quàm ſubſtantiis. Nam ſubſtantiæ, ſcilicet materia, forma, compoſitum, communi quadam conditione ſui iuris exiſtunt. Accidentia vero ſunt mancipata ſubſtantiis. Denique materia ſupernè dependet ex eo quod minimè ideale: forma vero ex eo quod ideale quàm maximè cogitatur.

Vbi de ſubſtãtia ſenſibili loquimur, præſtat accipere compoſitum quàm materiam, aut formam. Compoſitarum vero ſubſtantiarum generaliter proprium eſt, vt ſubiecta quidem ſint, neque ſint in ſubiectis.

CAPVT VIII.

SVbſtantia incorporea pura ſubſtantia eſt, quãniam ab accidentibus non dependet: corporea vero non eſt ſubſtantia pura, quoniam ex accidentibus quibuſdam ſaltem intimis propriiſque conficitur, alioquin non erit ſubſtantia corporea ſenſibiliſque, quam in præſentia quærimus.

Species sub genere substantiæ numerandæ sunt vel per distinctionem corporum inter se, seu simplicium, mixtorum animatorum. Non autem dicendam substantiam primam esse hunc hominem, secundam vero ipsum communiter hominem.

CAPVT IX.

Species est vniuersalior indiuiduo, ergo simplicior: igitur & natura prior, quare essentia quoque perfectior. Hic enim homo, id est homo talis & in tali materia, fit posterius participatione quadam specialis ipsius rationis humanæ, prius quidem perfectiusque in se existentis, deinde aliis seipsam impartientis.

In CAPVT X.

Genus substantiæ sensibilis in speciei diuisuri, ritè per illa quæ ad sensum pertinet distinguere possumus, scilicet per qualitates siue simplices siue mixtas, item per formas & figuras, atque loca.

In genere quantitatis est propriè numerus atque continuitas, vel dimensio: reliqua sunt in alio genere.

CAPVT XI.

Tempus quidem qua ratione mensura est atque mensurans, locus quoque qua continens est in relatione sunt: magnum & paruum in quantitate, pulchrum in qualitate, maius vero & minus & pulchrius in relatione censentur.

Productio & contractio contraria sunt. Si producitur numerus, fit multus, si contrahitur, euadit paucus. Simili et dimensio contractione quidem parua, productione vero fit magna. Paucum igitur atque multum contraria sunt, similiter paruum atque magnum.

CAPVT XII.

Sicut determinata est ratio quædam pulchri, ita calidi atque magni. Tum vero in loco est oppositio propriè relatiua, vt inter superius & inferius. Denique oratio per accidens est in genere quantitatis, per se vero est in motu.

In CAPVT XIII.

Vnum quantitatis genus commune est numeris & continuis: item vnus genere numerus: omnibus numeris vnaquæque continuitas generalis omnibus continuis. Species numerorum accipiuntur per paris & imparis differentiam: species continuorum per differentias inter lineam, superficiem, solidum: similiterque deinceps.

Rectitudo vel curuitas adhibita lineæ, proprietatem eius significat, neque compositionem affert: item figuræ non in genere qualitatis, sed quantitatis sunt ponendæ.

CAPVT XIV.

Quando dicis triangulum esse quidem tres lineas, sed tali quodam pacto inuicem se habentes, significas hoc quodam termino inuicem terminatas, terminus vero atque terminatio eiusmodi ad genus quantitatis potius quàm qualitatis pertinere videntur.

Æquale & inæquale solum sunt in genere quantitatis: simile vero atque dissimile propriè in genere qualitatis.

CAPVT XV.

Quodammodo etiam dicimus figuras inter se similes non tam qualitate, quàm alia quadam conditione. Substantia qua ratione corporea, & sensibilis cogitatur congregatum quiddam est, ex substantia simul & accidentibus. Considera hominem quatuor gradibus: primo quidem in idea mentis, secundo in seminali animæ ratione: tertio in hoc nostro corpore: quarto denique in pictura. Quanto deterior est quartus tertio, tanto tertius secundo, tanto rursus secundus primo.

Substantia incorporea reuera hoc aliquid appellatur: substantia vero corporea tale aliquid. Accidens autem dicitur tale quale eiusmodi, item qualitates animæ quatenus versatur circa materiam & affectandam & tractandam, computantur in genere qualitatum corpori coniunctarum, eminentiores vero in genere qualitatum separatarum.

CAPVT XVI.

Item qualitates in virtute animæ seminaria in genere coniuncto numerantur, quamuis non sint in materia, sed in anima separabili. Ipsam vero substantiam animæ non in hoc quidem, sed in genere separatæ essentiæ collocamus.

In CAPVT XVII.

Ambigit qua ratione qualitatis genus ritè per differentias in suas species diuidatur, sed in hoc capite nihil fermè definit.

Sensibiles rerum species per differentias inter se distinguuntur, internas quidem præcipuè quodammodo etiam per externas: ipsæ vero differentiæ non per differentias alias, sed per seipsas inuicem distinguuntur.

CAPVT XVIII.

Qualitates discernuntur inter se non per alias qualitates, sed vel penitus per seipsas, vel per quosdam suos existendi modos.

In CAPVT XIX.

In genere qualitatis præcipuè quidem ponitur ipsa qualitas vt pulchritudo: deinde vero qui qualitate præditus est, qua videlicet ratione sic est affectus, vt pulcher. Tertio qualitatis eiusmodi modus, vt quod aduerbio pulchrè dicitur. Negationes vero qualitatum vel motus ad illas in hoc genere non ponuntur.

Non debemus qualitates illas duntaxat contrarias definire, quæ plurimo inter se qualitatum mediarum spatio distent: sed illas simpliciter, quæ cum in eodem qualitatis genere sint, in eo nullam in specie sui literæ mutuam habent, effectusque nobis oppositos afferunt:

CAPVT XX.

Hac ratione sanitas & morbus, inter quæ nihil est medium, contraria sunt. Vbi media qualitas

qualitas componitur ex extremis, non potest extremis esse contraria, vt viredo: vbi verò non componitur, potest, vt moralis virtus: vbi qualitas in proportione quadam certa indiuiduaque consistit, non suscipit magis atque minus, vt harmonia, temperantia, iustitia, sanitas: vbi latum habet gradum, suscipit, vt calor, atque frigus.

IN CAPVT XXI.

PRobabilius pro genere motum ponimus, quam transmutationem, quia transmutatio naturam rei mutans aliud pro alio in medium affert. Motus autem & hoc quidem significat, & præter hoc significat etiam progressionem quamlibet priore interim natura seruata.

IN CAPVT XXII.

COmmunis omnibus motibus est processio quædam ex potentia in actum, siue hic actus sit primus, vt forma, siue secundus, vt actio aut passio quædam. Motus procedens in habitum naturalem species quædam dici potest: procedens verò in habitum præter naturam; casus speciei vnius ad alterius aduentum. Est autem motus præsertim naturalis vitæ simillimus: maximè verò propria motui est alteritas; id est, aliter se habere quàm prius, propria consequenter & tempori.

IN CAPVT XXIII.

MOtus est quasi stimulus aliquis vergens ad varios actus, modos, habitus, variasque formas, qua quidem varietate res vitæ similitudinem consequuntur. Virtus motrix sicut & vita est inuisibilis. Motus quinetiam per se inuisibilis ex varietate deprehenditur. Dependet verò motus ex mouente & in mobile definit, quasi mouentis afflatus. Vnde differentiæ motionum vtrinque accipiendæ videntur.

IN CAPVT XXIIII.

LOcales motus differre videntur interse, vel per terminos oppositos quos petunt, vt ascensus atque descensus, discessus, ac reditus: vel per figuram processionis, vt rectus & circularis.

IN CAPVT XXV.

COncretio & discretio sunt motus ab omnibus aliis motibus, atque etiam à qualitatibus differentes. Verumtamen circa concretionem & discretionem contingit localis motus, item alteratio: generatio quinetiam & augmentum, & condensatio, atque opposita.

IN CAPVT XXVI.

MOtuum species probabilius distinguuntur per differentias internas quàm externas. Scilicet per vires motrices, aut inanimatas, item sic vel aliter animatas: rursus per impulsum naturæ vel artis, vel consilij.


Status est in rebus æternis, vbi nullus est motus: quies autem est in rebus temporalibus scilicet quædam priuatio alicuius motus, vel motio quædam valdè tarda.

CAPVT XXVII.

CVm igitur quies sit priuatio quædam, non est aliquod per se genus: motus autem non est priuatio simpliciter quietis, sed est actus efficax auferens aliquid atque afferens. Status in æternis non est priuatio motus, neque enim vel ibi status fit cessante motu, vel illa nata sunt ad motum. Motus duo habet opposita, scilicet & motum qui diuersos petit terminos, & quietem, maximè si quies consideretur in termino à quo motus iam discedit.

EPILOGVS
PRÆDICAMENTORVM.

DIctum verò nobis in superioribus est facere atque pati motiones esse. Motiones autem alias quidem absolutas esse, alias verò partim effectiones, partim etiam passiones. Dictum præterea de cæteris quæ dicuntur genera ad nostra hæc referri debere, dictum quoque de relatione, eam videlicet esse alterius ad alterum habitudinem, & simul ambo concurrere. Dictum denique circa relationem quando videlicet habitudo ipsa substantiam efficit, illud ipsum quod refertur non qua ratione substantia sit, relatiuum esse, sed qua pars aliqua, vel ut manus, aut caput, vel causa, vel principium, vel elementum. Licet autem & relatiua antiquorum more diuidere, adeo vt alia quidem tanquam effectiua sint: alia verò tanquam mensuræ quædam: alia in excessu defectuque versentur: alia denique per similitudines atque differentias distinguantur. Sed hæc iam de his generibus dicta sufficiant.



LIBER QVARTVS,

QVOD ENS VNVM, IDEMQVE ſimul totum eſt vbique.

ANNOTATIONES.

IN CAPVT PRIMVM.



VM anima, nec habeat quantitatem, nec paſſio ſit corporis quanti, quæritur quomodo per plurimum quaſi ſpatium diffundatur, ſiue per ſe ante corpus, ſiue vnà cum corpore in ipſo corpore per ipſum eatenus propagetur.

IN CAPVT II.

MVndus intelligibilis, id eſt, ens primum eſt verum, vniuerſum atque magnum, quoniam & cuncta entia eſt, & eſt in quolibet ſui totum, nec eſt in vniuerſo. Et cùm dicitur vbique eſſe, eſt ipſum quod appellatur vbique. Mundus verò ſenſibilis eſt verè paruum, quia vbique conſtat ex paruis. Atque eſt in mundo ſuperiore, non tanquam in loco continente, nec tanquam in interuallo quodam vacuo, ſed tanquam efficiente, ſeruante, ſiſtente, mouente, comprehendente. Mundus hic vbique per quamlibet ſui partem attingit illum totum, ideo non mouetur in rectum ad illum inueniendum, ſed circa illum vbique repertum reuoluitur in eodem.

Mundus intelligibilis excellentia vires ſuas per omnes partes mundi diffundit: & vnicuique parti totus adeſt; interea ſuper eminens.

CAPVT III.

SIcut omnibus participare potentibus vires communicat, ita viribus ſuis ipſe adeſt: atque vbi plures impertit vires euidentius adeſt: vbi omnes euidentiſſimè. Neque fit propria alicuius forma, vel loco proprio circunſcribitur: alioquin nec vlterius vniuerſum foret, nec omnibus communiter eſſet, præſens. Corpus non in ſpecie, ſed in quantitate diuiditur: ideo facta diuiſione, & ſi eadem non reſtat quantitas, eadem tamen ſpecies remanet: cùm verò eſſentia, vita, mens prima, ſit ſpecies quantitatis expers, ſi diuidatur ſecundum ſpeciem diuiſa, ipſam ſpeciem permutabit.

Vna eſſentia prima, id eſt, mens diuina vbique tota eſt, ſimiliter vna mundi anima: nec multitudo partium mundanarum impedit, quominus vna ſit vbique tota: nec vnitas primæ mentis & animæ prohibet quin multa præterea mentes ſint & animæ.

CAPVT IIII.

NEc per multa corporis eiuſdem membra anima cogitur eſſe multiplex & partibilis: nec per multa corpora euadunt animæ multæ: ſunt enim & mentes & animæ ſuis proprietatibus in ſeipſis inter ſe differentes, etiam ante corpora: ſuntque in ſe inuicem naturali quadam cognatione & officij communione coniunctæ, & interea alteritate proprietatis eſſentiæque diſtinctæ non loco.

IN CAPVT V.

ANima mundi, ſicut & mens eſt indiuidua ſimul & vniuerſum: ideo in mundo eſt vbique tota. Anima cùm non habeat quantitatem, non eſt minor vel maior quantitate quàm mundus, ſed virtute, quam nec totam mundus capit. Eadem verò anima grandiori quæ & minori ſufficit corpori propter potentiæ magnitudinem.

Quæſtiones de anima mundana & noſtra.

CAPVT VI.

QVærit ita: Si anima tantam habet magnitudinem virtutis, quantam modò dicebamus, cur non accidit etiam viuificandoad quodlibet corpus appoſitum. Reſpondet eam poſſe (modò corpus accedat ad eam) id eſt, conformitate formabili. Item dubitat ita: Si anima mundi occupat totum, nunquid corpus propria anima animatum habet ſimul atque communem? Et ſubdubitat quærendo, quomodo differant ibi hæ duæ animæ. Et reſpondet per adiunctiones differre, quia quamuis hæc & illa ſit anima, tamen hæc eſt anima eiuſmodi, illa illiuſmodi. Deinde confirmat animam mundi poſſe in corporibus remotis eandem eſſe totam, quia & in nobis anima noſtra eadem ſimul tota in pede eſt & manu. Et ſubiungit differentes ſenſus & paſſiones non obſtare, quo minus in homine ſit vna anima, & in mundo vna: quia videlicet in homine quouis vnus eſt iudex: ſic & in anima mundi. Deinde interrogat, cùm duæ ſint in nobis animæ, altera communis, altera propria, cur anima noſtra non percipit iudicium animæ mundi? Reſpondet: Quia ex iudicio illo non reſultat in nobis compaſſio. Præterea, neque eadem vis animæ ſemper quæ iudicat, animaduertit ſe iudicare, neque vis quælibet in eadem anima communicat alteri ſuum iudicium: ideo non eſt mirum, ſi nec vis animæ noſtræ perſentit iudicium communis animæ, neque illa noſtræ communicat ſuum: ſed ratio in nobis animaduertit iudicia inferiorum in nobis viriũ, & ratio in anima

communi animaduertit similiter suarum iudicia. Ratio quidem nostra occupata est, & distracta circa sensibilia: ratio verò communis animæ collecta circa intelligibilia: ideo cum circa opposita conuertantur, non communicatur iudicium ab altera in alteram facilè. Mitto nunc quomodo per communem animam fit in nobis communio quædam vitæ & consensus & compassionis tum inter nos, tum ad mundana & cœlestia, in qua vnione consistit vis attractionis & magicæ. Tu caue ne putes Plotinum ponere vnam tantum in cunctis animam. Hoc enim illi repugnat vbique.

IN CAPVT VII.

MVltitudo numerorum ab vno & linearum à centro fluentium non prohibet, quo minus vel vnum illud vel centrum hoc impartibile sit & vnicum. Similiter anima non cogitur diuisibilis fieri, aut multiplex propter diuersa membra vel corpora. Imò sicut virtus rectrix tota est in qualibet parte ponderis, ac lumen idem indiuisibile totum in qualibet parte aëris, sic & anima.

Anima cum sit prior omni re corporea, meritò à nulla dependet: nullo igitur loco indiget, nulli est addicta, ad omnem igitur locum indifferenter & aquè se habet: ideo & vbique communiter est & nusquam nisi anima quadam per proprium affectum quandoque ad aliquid proprium sese applicet.

CAPVT VIII.

ITem cum sit indiuidua, vbicunque est existit tota. Quicquid igitur illam suscipit, accipiens non diuisam suscipit quodammodo totam, quamuis non cunctis eius viribus penitus perfruatur. Anima mundi sicut in corporibus ipsa non fit corpus, vel passio, vel forma propria corporis, ita non fit multiplex, nec diuiditur, neque patitur, & quoniam mancipatur nulli, expedita cunctis adest.

Anima prima dum se totam multis mundi partibus exhibet, neque multiplicatur in multas animas aequè primas, hæ namque nihilo inter se different: neque in partes, est enim indiuisibilis: & alioquin vbi recta molem accedit prorsus debilitata deficeret.

CAPVT IX.

ACcommodat verò vires suas mundi membris: sed adeo essentiales proprieque sunt hæ vires, vt inseparabiles sint ab ea: ipsa igitur est vbique tota. Quinetiam si imagines duntaxat virium suarum impertit mundo, ipsa toti similiter adest, suas imagines vbique rectura: denique sicut in nobis, sic in mundo, nisi eadem vbique vita vigeret, non esset tam mira partium inter se, & ad totum consensio passim atque compassio. Quæ autem de anima mundi loquimur, de intellectu diuino similiter dictum intellige.

IN CAPVT X.

OMnis intellectualis anima est expressa imago & virtus quædam intellectus primi per essentiam immobilis quoniam ab illo solum existit essentia. Similiter radij solis firmi perseuerarent, si sol ipse permanserit: vbique sunt res & vires quædam ita dependentes penitus à mente, vel anima prima, sicut specularis imago: vbique igitur mens prima est similiter & anima prima. Tum verò hic & supra & infra sæpè per verba Plotini notabis plures esse mentium, animarumque substantias semper inter se distinctas, quamuis inter eas vnio sit mirabilis.

Anima nostra tota totisque suis viribus cuilibet membro adest, quamuis alia membra vires inde alias & magis minusue accipiant: similiter ad mundi partes anima mundi atque mens diuina se habet.

CAPVT XI.

RES corporeæ inter se distant sæpè per exteriores terminos: res verò incorporeæ quamuis per externos terminos inter se non distent, intimis tamen proprietatibus discernuntur: sic ideæ ab ideis in mente, scientiæ à scientiis in anima intellectuali, mens ab anima, mentes à mentibus, animæ ab animis, corpus quidem corpori non facilè adest, facilè corpus animæ, facilius anima animæ, atque menti facillimè mentes. Facilior quidem est vnio luminis ad lumen, quàm luminis ad diaphanum atque facilior hæc, quàm qualitatis ad qualitatem vel ad corpus: rursusque ista facilior, quàm corporum inter se commercium.

Sicut multæ aures tandem vocem audiunt non diuisam, sed totam vbique sonantem: sic multa passim corpora mundi ab eadem mundi anima simul vbique totam vitam accipiunt, & multa in nobis membra vitam similiter ab anima nostra.

CAPVT XII.

DIcere verò corpora mundi cumprimum apta sunt suscipere vitale aliquid ex anima mundi, non prohibet hæc interim habere proprias animas, quia & has accipiunt illa præparante, & animæ vicissim corpora illius virtute viuificant. Mundus vitæ hic nominatus significat congregationem communionemque mutuam omnium intellectuum intellectualiumque animarum. Anima qualibet intellectualis semper secundum totam substantiam eius est, & in mundo vitæ simul & in mundo corporeo, quamuis hic non cunctas sui vires exerceant. Et quia semper est ibi, per hunc totum excellenter existit, & quoniam per essentiam hic extat simul, & ibi; ideo non hæc ad corpus, sed corpus ad hanc videtur accedere, quadam videlicet ad illam accommodatione & proprietate formabili.

IN CAPVT XIII.

QVod in mundo corporeo est extensio quantitatis, id in mundo vitæ est potestatis excessus. Et quando ille dicitur esse hic & ibi, nullam ibi localem conditionem suspicari debemus: sed quicquid vbicunque est, totum illum mox inuenire præsentem. Nam per indiuiduum illum vigorem quasi glutinum omnia per se dispersa perpetuo connectuntur: neque vigor eiusmodi cunctis imperitans est paruum quiddam, vel quasi punctum. Non enim possidere vbique totum.

Præter vnam primamque mundi animam, oportet esse proprias animas & præstantiores, atque deteriores non externis quibusdam localibusque terminis, sed intimis proprietatibus inter se distinctas.

CAPVT XIIII.

HAs verò quasi collegas vnà cum mente regina ac duce mundi anima conspirantes appellamus vitæ mundum. Sunt autem magis inuicem vnitæ desuper, vbi per intellectualem proprietatem intelligibili mundo, id est menti diuinæ, velut centro cunctæ prorsus incumbunt. Magis verò disiunctæ inuicem deinceps euadunt, vbi proprietatem rationalem magis explicant: atque mox per vegetalem iam regnantem, ad generandum animal se deflectunt. Ex mundo vitæ qui totus vnà cum omnibus suis animis semper est vbique, alia corpora, alias atque aliter vitas animasque suscipiunt: quemadmodum & ab anima mundi quotidie varia corpora, & à qualibet anima propria similiter differentia membra, vites, actionesque alias aliterque percipiunt.

Si vniuersus ille vitæ mundus, id est, animarum intellectualium cœtus vnà cum prima mente, & anima prima conspirans semper totus & indiuiduus est vbique, sequitur vt nec ille vsquam locali motu accedat ad corpora, sed effectu quodam, nec corpora ad illum, nisi quadam preparatione formabili. Fermè sicut ignis ad proximum sulphur, vel lumen ad contiguum diaphanum, atque vicissim.

CAPVT XV.

COrpota certis quibusdam modis affecta suscipiunt vitales ab anima mundi vires. Nostrum igitur sic prius affectum, & eiusmodi vires illinc nactum vlterius expositum est mundo vitæ. Vt inde rationalis anima magisque propria huic vitam quoque propriam iam inspiret, in qua perturbationes quoque exoriuntur, quæ nec prius erant in anima rationali, nec ad eam præcipuè pertinent.

Quando audimus animam nostram descendere, vel ascendere, non debemus intelligere propriè loca mutare, sed descendere quidem, id est, efflare vitam corpori, eique affici: ascendere verò contra, scilicet nec afflare, nec affici.

CAPVT XVI.

ANima nostra per potentiam intellectualem semper est vniuersum, per rationalem verò & imaginalem atque vegetalem aliquando est vniuersum, aliquando pars vniuersi, quemadmodum luna vel plena, vel semiplena vicissim. Quando enim nondum ad particulare hoc corpus afficitur, circa vniuersam mundi formam instar animę mundi ratione imaginationeque, & vtcunque potest, seminalium virium amplificatione se versat, vbi anima nostra actu quidem vniuersalis est, potentia verò particularis. Euadit autem pars vniuersi, quando ad corpus hoc vniuersi partem affectu proprio se deflectit: quo quidem in habitu particularis quidem est actu, vniuersalis verò potentia. Proinde quando anima vniuersalis euadit, non desinit esse particularis: nam & proprietas hæc in ipsa habitus vniuersitate deprehenditur. Idolum animæ intellige vitale spiraculum animæ circa corpus: quod in nobis est geminum: alterum quidem ab anima nostra, alterum ab anima mundi. Nostrum quidem ab anima nostra separari non potest, sed ab affectu vacare: mūdanum verò ab anima nostra segregari potest.

LIBER QVINTVS,

QVOD ENS VNVM IDEMQVE EXISTENS, simul sit vbique totum.

ANNOTATIONES.

CAPVT PRIMVM.



NAturale iudicium quod falli non potest, declarat vnum Deum esse vbique totum. Item naturalium omnium appetitus ad vnum bonum teuocans omnia, testatur vniuersam entium naturam pendere ex vno simpliciter bono, atque per ipsam vnionem mutuam possidere. Primum verò susceptaculum ipsius vnius boni est ipsum ens primum: quod equidem vnà cum ipso vnum simul totum est vbique.

Mundus sensibilis tribus præcipuè modis est dispersus, extensione diuisioneque locali: item successione temporali: rursus mutua qualitatum contrarietate. Mundus verò intelligibilis, id est, prima idearum plenitudo, nullam admittit eiusmodi diuisionem. Similiter neque mundus vitæ, id est, animarum intellectualium cœtu cum prima mente eiusque ideis mirabiliter copulatus.

CAPVT II.

VErum nec propter vnionem hic & supra & infra à Plotino frequentius celebratam susceperis, nec mentes, nec animas esse numero plures, attende quod dicam. Hic enim dicit vnum es-

se entia omnia, quæ constat non esse vnum indiuiduali essentiæ vnitate: sed ex eo dicit in vnum esse, quia sunt ab vno & ad vnum vnitate quadam naturalis desiderij confluunt: item quia omnia separata quæ appellat entia, sunt in se inuicem nullis locorum terminis prohibentibus. Item quia inferiora inter gradus entium præcipuam actionem suam peragunt sub forma & actu superiorum. Similiter intelligit de vnione animarum rationalium cum anima vniuersa. Item in libro de Numeris dicit, entia omnia vnum esse, non vnum vt vnitas numeralis, sed vt numerus vnus, id est, millenarius: sic ergo significat, quando dicit omnes animas vnum. Denique de mundo vitæ mirabiliter vnito cogitandum est, non per rationem ex mundo corporeo argumentantem, sed per intellectum maximè in nobis vnitum exordientem ab ipsa rei substantia. Quicquid enim in illo mundo est, substantiale est iudicandum.

Mundus intelligibilis ac etiam mundus vitæ si nullam in se diuisionem admittit pertinentem ad locum, tempus, contrarietatem, nec ab vllo subiecto loccque dependet, meritò totus semper est vbique.

CAPVT III.

TOtus corporeus mundus mundo vitę vbique necessario indiget, vbique igitur illo potitur: sed vt ille huic vbique adsit non cogitur rarefieri aut diuidi, quæ corporis passiones sunt. Adest ergo vnicuique totus fermè sicut vita vel lumen: neque cogitandus est à re vlla quasi localiter segregatus. Iam enim in locum angustum redigeretur.

IN CAPVT IIII.

COmmunis omnium sententia, atque ipsa ratio dictat vnumquemque Deorum vbique simul existere: sed vt Deus vniuersum simul obsideat locum, non cogitur rarefieri, aut diuidi, alioquin corporeus foret, & debilitaretur, & interiret. Est igitur idem vbique totus: nullius Dei virtus defectum patitur, nusquam ergo deficit, igitur est vbique Deus. Naturalis virtus quo excellentior est, eo prouinciam obsidet ampliorem. Vniuscuiusque Dei virtus eminentior est quàm excellentissima naturæ virtus. Primi Dei virtus est immensa. Denique quicquid post Deum sequitur, absque Dei præsentia moueri & conseruari non potest.

IN CAPVT V.

SÆpè accipit pro mundo intelligibili primum ens & intellectum, cui velut communi centro insunt ideę rerum, velut propria quædam centra. Sæpè etiam illum accipit pro eo quod dixi, sed adiungendo illis ideis vt centris formas immateriales inde pendentes vt lineas, quæ vt anectuntur ibi sunt vnum, vt producuntur inde, sunt multa. Et totus hic cumulus est mundus intelligibilis magis vnum, quàm cumulus formarum materialium materiæ vni annexarum, qui dicitur mundus sensibilis: sed intelligibilis ille magis est vnum, quia immateriales formæ propius & firmius affiguntur ideis suis, & per ideas intellectui quàm formæ materiales inchoationibus suis, & per eas materiæ. Item quia ille mundus est vnum vnitatis summæ formæ, hic verò est vnum vnitate materiæ infimæ: item quia hic vnionem impedit localis distantia partium repugnantia qualitatum, tota transmutatio temporalis: ibi verò hæc impedimenta non sunt. Item mundus intelligibilis comparatur sphæræ amplissimæ, sub cuius ambitu continentur ambitus, & ad cuius centrum rediguntur centra formarum immaterialium, quasi sphærarum sic contentarum in prima forma, sicut sphæræ minores in ampliori sphæra eiusmodi vnio non prohibet essentiarum distinctiones, sicut nec vnio formatum in materia, nec annexio linearum centris & centro, nec collectio sphærarum in sphæra.

IN CAPVT VI.

SI consideres in prima mente ideas cunctas atque singulas, mox in qualibet idea agnosces totam plenitudinem idearum; eius tamen ideæ distincta proprietate seruata. Item intellectualis quidem, anima si plura vicissim formet corpora, vna est in multis: sed penes mundum intelligibilem multa potius in vno sunt, vel circa vnum.

Anima nostra intelligit plenitudinem idearum, scilicet conuersa ad intellectum suum, neque tamen illic per idearum imagines: ergo ipsa per intellectum est vniuersum. Atque ita in vniuersali rerum forma omnes animæ sunt quodammodo vnum, quamuis sua quadam singulæ proprietate distinctæ: quatenus autem ab intellectu digrediuntur, inter se distinguuntur.

CAPVT VII.

PLotinus in his duobus libris non intendit probare quòd non possit esse nisi vna anima, sed quòd vna anima possit esse vbique, non obstante magnitudine vel multitudine corporum: & quòd non oportet in diuersis mundi partibus animas multas ponere, quia vna communis non sufficiat vbique esse & regere. Quòd si ponuntur multæ, propter aliam rationem ponuntur quam propter illius vnius insufficientiam: & hæ multæ sunt vnum cum illa scilicet vnione spatij: item quia agunt sub communi virtute illius: item quia ad communem rediguntur animæ ideam: item quia quælibet anima est omnia in se rerum semina, sicut anima mundi, & quando in se conuertitur, explicat se in omnia, & adæquatur illi, & cum illa æquè gubernat, & cum mente communi æquè contemplatur omnia, talisque fit vnio qualis in luminibus omnium stellarum in lumine Solis, vbi omnia sunt vbique, omnia æquè habent vires ad cuncta regenda, sed cætera agunt in virtute Solis. item exemplum est in quinque sensibus, qui vnum sunt, primò quia ab vno communi sensu & ad vnum, secundo quia in retractione à corpore quilibet eorum sentit in communi sensu, tertiò fingamus visum in sensu communi sentire non modo visibilia, sed mox etiam cætera sensibilia, Similiter auditum sentire primò sua, deinceps alia: sic & alios. Tunc quilibet esset vnum tum cum aliis, tum cum communi, & tamen adhuc essent distincti: tum quia quilibet potest se reflectere ad propria sicut prius, tum quia licet quilibet fundat se per omnia, tamen à proprio quodam exorditur, ac tandem redit in idem. Scito Plotinum post hos libros, & post librum Vtrum omnes animę sint vna anima, composuisse tres libros de Du-

biis animæ, vbi manifestè ostendit numerum animarum.

Mens diuina per suas ideas in materiam agit, non extrinsecus more artis humanæ, sed intrinsecus modo artificiosæ naturæ: nec est seiuncta secundum locum à materia: alioquin loco proprio deputabitur: nec mixta materiæ: alioquin minime dominabitur.

CAPVT VIII.

VBique verò est idea ignis, vbique ignem genitura: non diuisa, ne pereat: non extensa, ne corporea fiat: non multiplicata numero, ne fiat innumerabilis: vna sufficit: vna est vbique tota.

Vna mundi machina & fabricata est ab vna mente, & vegetatur ab vna anima tota simul vbique præsente.

CAPVT IX.

SIcut intra vnam sphæram multæ sunt, & vnitæ cum ea pariter & distinctæ, sic penes vnam animam animæ multæ. Anima mundi nec vt punctum est indiuidua, sed eminentius, ideo non haber certum in dimensione situm: nec rursus vnum est ex multis, sed vnitas in se explicans multitudinem, ideo tota potest multis & partibus & corporibus simul adesse, nec est ab vllo disiuncta secundum locum, cum ipsa rebus eiusmodi sit eminentior, & quantitatem procreet atque locum. Denique quum non sustineatur ab ipsa mundi machina, sed eam seipsam sustinens, meriro viger vbique tota: similiterque intellectus mundi faber.

Hæc tria rerum principia sunt vbique ipsum bonum: item diuinus intellectus, qui ipsa pulcritudo est: rursus vita mundi. Hæc occultis tractibus ad se omnia rapiunt, colliguntque in vnum appetentia bonum, & pulchritudinem, atque vitam.

CAPVT X.

SVperna bonitas, intelligētia, vita, eadem' adest vbique tota, sufficit cunctis: quoniam addicta nulli permanet in seipsa. Prærerea sicut oculi multi vno solis lumine passim fruuntur: sic omnes intellectuales animæ vno int elligentiæ primæ lumine potiuntur, & vbique præsente, & nusquam diuiso, in quo & cunctæ sunt vnum. Vno similiter bono cuncta vescuntur absente nusquam, vna quinetiam vita vbique vigente spirant. Vnio verò rerum in mundo corporeo distantiæ discordiæque pleno nulla forer, nisi supernus ille mundus & habitatores eius vnionem mirabilem possiderent: quos quidem habitatores secundum essentias interim inter se differre in hoc capite & in multis aperit.

Mens diuina sicut per indiuiduam æternitatem, quæ temporis causa est, totum tempus adæquat & superat: ita per indiuisibilem essentiam virtutemque infinitam totum spatium obtinet, & excedit ipsa, videlicet spatium, & quæ sunt in eo vbique procreans & conseruans.


CAPVT XI.

SIcut enim se habet totum rempus ad indiuiduum illius statum, sic tota dimensio ad excellentem substantiæ indiuisibilis potestatem: est enim & ibi tum perseuerantiæ, tum virtutis immensitas, & hic imago quædam numen vtriusque.

Vita in mundo duplex, scilicet intellectualis & animalis: est & ab omni mole penitus expedita, & vigore vitali, efficaciaque infinita: ideo cunctas machinæ mundanæ partes ipsa tota impartibilis pariter obtinet atque vegetat.

CAPVT XII.

ANima quoque tua quamuis per vires inferiores tuo corpori sit addicta, tamen per intellectnm est vniuersum, per rationem verò media. Quando igitur ratio & se & vires inferiores conuertit ad intellectum, totus animus tuus fit vniuersum. Tunc de vita illa vniuersi vbique regnante non diffidis, quoniam & ipse fermè similiter es vbique. Vbique sunt & dij omnes, animarum ciuitatumque rectores, ad primum omnia dirigentes.



LIBER VI.

DE NVMERIS.

ANNOTATIONES.

Si vnum ipsum bonumque idem est, meritò multitudo quo longius discedit ab vno atque vnione, eo sit deterior, Igitur, si fingatur multitudo vel infinita, vel quomodolibet vnitatis expers, erit ipsum malum.

CAPVT PRIMVM.

MAximè vnita secum ipsa est species quælibet separata & idea cuiusque, quoniam essentia simplex indiuidua est. Minus vnita secum ipsa species naturalis per corporis partes extensa, etiam quamdiu continuitatem suam seruat: ergo minus bonum. Minimum vnitatis habet multitudo discreta contingens dissolutione continui: ergo malum. Quod verò nullam vnionem seruare fingitur, appellatur maximè malum.

IN CAPVT II.

SI fingatur multitudo infinita, non erit propriè numerus. Numerus enim entium in mundo incorporeo definitus est, atque inde in mundo corporeo terminatus: neq; animus numerans facit, augetve numeros re vera, quamuis fingat, sed in eo sunt vtrinque naturaliter terminati.

Mundus intelligibilis quoniam ab ipsa vnitate processit in multitudinem idearum, non est ipsum bonum, neque tamen est ibi multitudo malum, quoniam superatur ab vno. Est enim idearum omnium communis vna indiuiduaque natura, atque idea qualibet est vnita cunctis.

CAPVT III.

INfinitas ipsa nullum actu proprium habet esse, alioquin computata esset in genere entium, ibique designata, igitur definita: quare nec actu iam esset infinitas, verumtamen later infinitudo sub termino semper aliquid terminante. Igitur si quando formas omnes quasi terminos atque fines è medio tollas, quod reliquum fingitur, infinitudo vocatur. Si hanc apprehendis, iam terminas: sin terminas, non apprehēdis infinitatem. Deniq; si per omnia oppositorum genera pro arbitrio curras, neutrum oppositorum seorsum dedicabis infinitati, alioquin mox eam tibi finieris: rursumque alterutrum oppositorum in ea poteris per negationem alterius appellare.

IN CAPVT IIII.

QVæritur vtrum vnitas atque numeri in mundo intelligibili rationem propriam habeant à cæteris ideis distinctam necne? Ac si habent, vtrum præcedant ideas, & quasi sui iuris existant, an velut pedissequi consequantur: ab animo quidem numerante creari non est probabile.

Confutat dicentes vnitatem & numerum non esse rem aliquam, sed posita re qualibet singulatim dici vnum: iterumque vnum, atque hoc iterato dici numerum.

CAPVT V.

EX hac opinione non habemus rationem ad species numeri discernendas, neque ad numerum quemlibet redigendum in vnum principium numerorum, atque ipse numerus minus etiam quàm accidens esse putabitur. Quando de homine prædicamus vnum, aliud quidem est vnum quam homo, nam vnum ipsum non homo multitudinem habet oppositam, atque de rebus omnibus vltra hominem communiter prædicatur. Est ergo rebus omnibus communius & simplicius atque prius: prius etiam ipso ente ratione simili: præsertim quia vnum ipsum prædicabile est, non de ente solum, sed de quolibet pariter quodcunque superius vel inferius ente, vel enti oppositum cogitaueris. Cum igitur entia quidem ad ipsum ens, numeri verò referantur ad vnum ente superius, merito numeri entibus priores esse videntur. Igitur cum dicimus decem homines, ipsa decas nec homines ipsi est, nec ex eis velut accidens, alioquin non posset res alias æquè metiri, sed prius in seipsa est, quàm in rebus quæ numerantur, vt decem. Denique si qui dicant vnum ipsum esse cum entibus coniugatum, siue tanquam accidens siue tanquam elementum eis coniugatum fuerit: adhuc sequitur vt prius existat in se, quàm vel cunctis communiter accidat, vel accedat vt elementum.

(·) (·) (·)

Rerum species in prima essentia ordine quodam earum intelligentiam antecedunt. Sicut obiecta procedunt actus circa obiecta versantes. Siquis ergo dixerit species illic ab intelligentia procreari, concedet etiam posteriores fore, quod est absurdum.

CAPVT VI.

INtelligere ibi speciem aliquam scilicet iustitiam, statum, motum & reliqua, nihil est aliud quàm eiusmodi speciem declarare vel definire, nisi definitio hæc sit circa rem aliquam à definitione quoquo modo distinctam, vacua quædam definitio est; imò verò definitio nulla. Denique vnaquæque species ibi est proprietas æ cuisque essentialis vigore quodam proprio existens atque micans. Emicatio eiusmodi inde pendens, & penes ipsam quidem extans, atque ratione quadam differens ipsa eius intelligentia est.

Si mundo corporeo materiam quidem extensam subtrahas, formas verò rerum varias in vna viuaq; mundi forma conserues, videbis formam vnam omniformem, ibique formas cunctas in singulis vnitissimas pariter atque distinctissimas, omnia in vno viuente viuentia.

CAPVT VII.

EST igitur vniuersum eiusmodi tū natura, tum intellectualis anima, tum etiam intellectus, in quo species: vt res vetæ sint reuera distinctæ, verè intellectæ ante machinationem intelligentiæ, ita distinctæ sunt actu quamuis vnitæ natura, sicut in igne lucere, micare, calere: omnes enim species ibi sunt actus.

IN CAPVT VIII.

ESsentia vera est vis quædam extra molem materialem in seipsa fundata, per se viuens intellectualisque maximè, quod animal intellectuale vocatur, vbi numeri omnes sunt ante actum intellectualem atque vitalem.

Sicut vnum antecedit ens, ita numerus in ipso ente consistens antecedit entia, id est, speciales ideas. Et merito super numerum qui est in entibus numeratis extat numerus in suo fonte consistens: qui sanè causa est per quam ens possit in entia specieique deriuari.

CAPVT IX.

PEr ipsum numerum qui est essentialis virtus, & actus quidam discretiuus entis destinatum est, ens non sistere in vno graduum, sed entia plura ex vno profluere: rursumque quot & quotis ordinibus distributa; sed ille numerus ante entia quidem inuolutus in entibus: hic substantialis numerus est. Numerus in genere quantitatis, numeri huius est imago. Entia quidem fundantur in numero, numerus in ente, ens in vno, ne protinus dissipetur.

Natura primi entis quum sit post vnum, necessariò est prima sui origine multiplex, id est, numerosa. Per hos ergo numeros ita fermè ens se habet ad entia, id est, ideas, sicut plerique tradunt, materiam per inchoationes formarum secum genitas se ad formas habere.

CAPVT X.

ESse verò numeros antè entia patet, quia si numerus ad entia deinceps iam posita conse-

quarū, casu quodam contigerit numerosa distinctio entium atque ordo. Præterea sicut omnia per aliud entia, ad ipsum per se ens referuntur: sic quodlibet per aliud vnum ad ipsum reducitur per se vnum: ipsum verò per se vnum non potest esse sub ente, alioquin esset necessario multiplex, scilicet ex natura entis & addita proprietate compositum. Non igitur ipsum foret per se simpliciter vnum. Ens igitur est sub vno, similiter entia sub numero disponuntur: nam & super numerum qui est in entibus extat ipse per se existens ante entia numerus. Denique in ratione speciei vniuscuiusque formali necessario includitur vnitas atque numerus. Vnitas inquam, quoniam in primo sui signo species indistincta per vnitatem est à seipsa & distincta pariter à quolibet alio: numerus inquam, quoniam species communem in se naturam habet cum proprietate coniuoctam. Hinc sanè coniicimus, vnitatem atque numerum omnes præcedere rerum species, quandoquidem formales omnium rationes in vnitate numeroque consistunt.

Quodcunque ens perceperis, siue sensibile, siue quomodolibet intelligibile, vel ideam, de hoc singulatim prædicatur vnum. Vnum ergo quum communiter sit in singulis, nulli penitus est addictum: imò & super vnum quod est in alio, id est, ente, atque in eius opposito, id est, multitudine entium, profectò vnum extra aliud & multitudinem per se existit.

CAPVT XI.

NEque verò hic de ipso vno quod est primo ente superius, propriè loquimur, sed de vno quod in ente primo naturaliter vigens, ante entium eamque multitudinem suo quodam ordine regnat: in quo quidem vno sunt vnitates omnes, atque ex eis numeri certi antecedentes, ideas, & de ideis pariter prædicabiles: imò vero hoc ipsum entis vnum ipsæ pariter vnitates existit. Natura igitur entis vnitatibus his fœcunda quasi seminibus iam ideas parit, numeris deinceps eas minoribus maioribusue componens. Similiter & quæ ideis inferiora nascuntur, nisi enim certis numerorum proportionibus fœcunditas entis tum penes seipsam, tum extra progrediatur, aut nihil nasceretur vsquam, aut omnia temerè & inordinata contingent. Vt autem intelligas quorum authoritate circa numeros & vnitatem Plotinus vtatur, audi. Pythagoras ait, numerum esse extensionem, atque actum seminalium rationum in vnitate regnantium. Item numerus est inquit, primum in diuina mente consistens, à quo & ex quo omnia componuntur, & permanent ordine quodam indissolubili inuicem distributa. Ippasus Pythagoricus ait: Numerus est exemplar fabricæ muodanæ primum, & instrumentum mundani fabri iudiciarium. Philolaus inquit: Numerus est imperiosa quædam & ex se progenita sempiternæ mundanorum perseuerantiæ continentia. Pythagorici aiunt: Vnitas est idipsum per quod entium quodlibet denominatur vnum, atque est ipsa vnitas numeri partiumque infimum, à qua velut seminario radiceque sempiterna rationes proportionesque in vtramque partem infinitè procedunt: hic quidem multiplicando, inde iterum diuidendo. Item vnitas est species specierum, omnes videlicet numeros numerorumque rationes in se continens.

Ambigitur nunquid quod dicitur vnum sit res secundum se aliqua, an potius conceptio sola mentis circa rem aliquam facta.

CAPVT XII.

EST autem substantialis vnius vera notio insita menti, per quam iudicamus hoc esse magis, illum minus vnum, rursusque non vnum.

Quando dicitur homo vnus, aliud ibi est homo, aliud vnum, cuius participatione fit vnus homo.

CAPVT XIII.

NAm & vnum de non homine pariter prædicatur atque de homine, & homo ita multitudo quædam est sicut & vnus. Vnum ipsum de homine prædicatum non solum negatiuum est, perinde ac si tantum significet hunc hominem, & non alium: nam postquam percepisti hunc hominem reuera esse vnum, statim iudicas non esse illic hominem alterum, qui etiam ipse in se sit vnus. Præterea tam firma est vnius ipsius natura, vt oppositum eius, id est, multitudo nec existere possit absque vno, nec intelligi, imò & omnia quicquid sunt, vnione consistunt: quasi vnum ipsum maximè per se exsistat omniumque supremum: sine cuius participatione nulla in nobis oritur, & permaner cogitatio: itemque cum vnitatis participatione multitudo etiam discreta sit aliquid vnum, & continua magis vnum, resque indiuidua maximè vnum: certè vnum ipsum propriam possidet existentiam. Præterea Peripatetici confirmant vnum significare aliquid ipsum met sibi ipsi indiuisum penitus & indistans, atque interim affirmatiuum esse, non negatiuum. Huic enim significationi oppositum aiunt esse, videlicet aliquid in se diuisum: in qua diuisione multitudo contingit vnà cum priuatione: tum quia sic prior essentia definitum etiam quia multitudine contingente negatiuè iam dicimus, neque hoc est istud, neque istud est illud. Quum igitur significationi vni opposita sit negatiua sequitur, significationem vnius affirmatiuam esse. Denique vnum adeo affirmatiuum est, vt & ipsum ponat multitudinem, neque vicissim: & quemadmodum Auicenna probat in Metaphysicis, Vnum ab intellectu percipiatur, atque concipiatur aotequam multa, quamuis imaginationi fortè aliter accidere possit.

Non est putandum ipsum quod dicitur vnum, relationem quandam tantum significare: non enim desinit esse vnum, nisi per propriam passionem: & quoniam moles per accidentalem diuisionem ex vno fit duo, desinit quidem esse vnum, non tamen desinit esse moles aut calor, quasi vnitas ibi aliud quiddam sit quàm moles, aut calor atque similia.

CAPVT XIV.

SIgnum quod primum ens prius quodammodo vnum existit quàm ens, inde sumitur quia singula prius amittunt vnionem in propriam essentialemque mox essentiam, quasi vnitas sit essentiæ columen. Est autem vnitas in rebus quidem incorporeis essentialis, in rebus verò corporeis accidentalis, atque in his quoque incorporeum quiddam est potius quàm corporeum, atque ita vnitatis tanquam naturæ cuiusdam præsentia

quodlibet euadit vnum: ficut cuiuflibet qualitatis præfentia quale. Similiter quòd aliqua duo fint, non propriè caufa eft mutua propinquatio: nam & fegregatio interdum, ideft, diuifio ad idem conferre videbitur: fed participatio duitatis, quæ & ipfa & quilibet numerus ita eft fpecies per fe quædam, ficut qualitas atque quantitas: imò magis quàm continua quantitas quæ per numerum menfuratur. Sunt ergo fex numerorum gradus deinceps pofiti, primus in primo ente fuper ideas. Secundus ideis ingenitus: tertius in fubftantiis incorporeis: quartus in eiufmodi viribus: quintus in corporibus aptè connexis: fextus in corporibus quafi diuulfis.

Mundus ille diuinus ideo perfectum animal eft, quia vniuerfum iam poffidet numerum animalium. Talem verò animalium numerum habet, quoniam numerum ipfum fimpliciter vniuerfum habet. Illic igitur ipfe fimpliciter numerus, tum animalia omnia, tum perfectionem illius mundi praecedit.

CAPVT XV.

PArit enim omniformes in fe ideas, fuo videlicet quodam motu: inquam numerofo, alioquin varia minimè generaret: nempè ens ipfum in fe concipit entia, feipfum duntaxat in ea multiplicando. Quum verò non multiplicet feipfum, nifi virtute numeri, merito illic entia numerus antecedit, ficut vnum eft ente fuperius. Denique quemadmodum Luna fuperiore quidem vniformi lumine Solem fufpicit, fubter verò difformi lumine difformia generat: fic ens primum vnitate fua tanquam vertice ipfum fimpliciter vnum afpicit, numero autem mox comitante, entia numerofa, fpeciefque profert.

Quando homines fortè decurrentes numeras, numerum ipfe notum penes te facis in genere quantitatis. Quando verò decem homines ad idem ordinatos in choro confideras, præter denarium tuum, & eft in eis denarius ordinatus in genere quantitatis, fed numerus partium, inre qualibet naturalium effentialis eft, & naturaliter in fubftantiæ genere collocatus.

CAPVT XVI.

ESfentialis quoque numerus eft in anima, ex pluribus videlicet fuaptè natura harmonicè conftituta, effentialis in mente diuina numerus, tum idearum inter fe ferie certa difpofitarum, tum etiam partium in quauis idea fuarum, tum denique fuper ideas numerus ipfe fimpliciter.

Corpora quidem in dimenfiones, hæ verò in numeros refoluuntur. In primo igitur exemplari numeri quidem dimenfiones, hæ autem corpora antecedunt.

CAPVT XVII.

PRofectò ante corpus naturale eft ipfum fimpliciter corpus: igitur & principia huius ante illius principia funt. Dimenfiones igitur quę funt termini corporis: item nnmeri qui dimenfionum menfuræ funt, ante propria rerum naturalium principia cogitantur: quapropter & fine materia fenfibili cognofcuntur. Corpus profectò neque per materiam, neque per qualitatem propriè corpus eft, fed quantitatem: nifi enim hæc acceſſerit, vtraque eft incorporea. Numeri igitur quum quantitatis principia fint, probabiliter à Pythagoricis initia corporum appellantur: habent enim principiorum proprietatem: fiquidem primis minimifque funt differentiis conftituti, & à fimpliciffima mox vnitate procedunt. Quæ quidem fitum liberè fupereminens antecedit punctum fitui confignatum: imò & ipfa fupereffentialis vnitas omnem præcedit effentiam fpecie defignatam. Sunt in diuinis certæ figurarum ideæ, pequas & mundi fphæris & vnicuique fpeciei determinatæ figuræ funt. Illic autem dimenfio vel figura non aliter quàm deftinatione quadam intelligentiæ terminatur. Linea illic hac tantum ratione dicitur infinita, quoniam idealis lineæ ratio nullum habet terminum quantitatis, alioquin non æquè cum lineis quibuflibet maioribus minoribuſue congrueret. Effentia prima in primis confideratur viua, deinde intellectualis agnofcitur: fed quum primum intellectualis eft, fimul etiam viuens intellectuale, vel intellectuale animal definitur: numeri & figuræ prius illic inuoluta, mox cum intellectuali illic animali pariter euoluuntur.

Numerus rerum inter fe formaliter differentium determinatus eft in mundo incorporeo per numerum idealem, certum in mundo diuino, qui tamen illic infinitus dicitur, ficut & quæuis idea: quia totam naturæ fuæ virtutifque poffidet plenitudinem, nec extrinfecus terminatur.

CAPVT VIII.

PVlchritudo primæ effentiæ fuaptè natura viuentis eft intelligentia fua, conuerfa femper ad feipfam & ad ipfum bonum. Præterea omnis intellectus & animus vitam illam intellectualem reueta contemplans, ac igitur inde lumine intellectuali pariter & vitali, & accedente ftatim amore transformatur in illam. Prima effentia nec ab vllo ente velut à contrario patitur: eft enim totius entis caufa, & omne ens eminenter, nec à non ente pati poteft. Et quoniam per feipfam eft, merito femper eft, atque pleniffimè. Pendet autem ab ipfo bono, dum vitam & intelligentiam antecedit: quamobrem viuere & intelligere nobis eft appetendum, vt & effe pleniffimum habeamus: hoc autem vt habeamus effe bonum. Principium denique eft, quod fibi fufficit. Anima quidem fibimet ad motum fufficit: ens autem ad ipfum effe fibi fatis eft: ipfum verò bonum, atque omnia, tria igitur principia videri poffunt.

LIBER SEPTIMVS,

QVOMODO IDEARVM EXTITIT MVLTITVDO, atque de ipso bono.

ANNOTATIONES.

Deus prouidens animali non ita cogitauit, primò quidem animal inter contraria positum pati posse: secundò opus esse sensibus vt caueret: tertiò sensuum instrumentis: sed vno statim intelligentiæ ictu virtutisque momento cuncta in ipso penes Deum animali simul ordinatè disposita sunt.

CAPVT I.



INtelligentia enim virtusque perfecta motum, ac sensum, & sensibilia mirabiliter antecedens, nec à sensu vel sensibili exorditur, nec instar mobilis alicuius ab hoc in istud, ab isto in illud ordine ducitur quasi gradibus, sed in vno semel omnia possidet. Idea rei cuiusque quantumlibet compositæ motibusque distractæ, in Deo simplex est, totaque simul præsentia possidens quæcunque in rebus apud nos temporibus euoluuntur.

Duo de quolibet potissima quæri solent: quid videlicet, & propter quid res ipsa sit. Illud quidem explicatur definitione, hoc autem declaratur assignatione causæ efficientis, atque finalis: & inuicem coniuncta sunt ambo.

CAPVT II.

SEnsus quidem neutrum quęrit: ratio verò quęrit vtrumque seorsum: intellectus autem possidet vtrumque simul. Atque in hoc ratio simul consequitur ambo: nempè cum primum quid ipsa rei natura sit definierit, mox in ea ipsa definitione deprehendit efficientem eius causam & finalem, atque vicissim cum primum eiusmodi causam apprehenderit, comprehendit ibidem ipsius rei naturam. Præterea in animali tum mundano, tum quolibet, ita membra inuicem sunt connexta, totaque simul prodeunt, vt quouis inspecto causa statim eiusdem conspiciatur, atque conuerso. Multo maior in mundo diuino est vtriusque copula, vbi in quauis idea cæteræ sunt è connexæ. Atque mens ipsa quid simul, & propter quid de vnoquoque tenens idea quælibet ipsamet existit. Denique ignis quidem quòd nascatur, quod ita se habeat, quòd sic agat, sic patiatur, sortitur causam aliunde: quòd autem sit hoc ipsum quod naturaliter est, scilicet corpus calidum, siccum, lucidum, non aliunde reportat: sed ob hoc tantum, quod est ignis profert hæc tria simul, atque vicissim. Hæc igitur ratione quid in eius natura, & propter quid minimè segregantur: vnde rerum species definitionesque solent à Platonicis necessariæ æternæque nuncupari.

Quoniam intellectualis forma per quam Deus agit, est ipsa natura Dei, facitque eadem semper eodem modo, meritò non tam consilio quodam agit, quàm naturali quadam forma seipsam foras quasi naturaliter exprimente.

CAPVT III.

IN qualibet forma diuinitus procreata variæ quædam formæ sunt, quasi totius essentiæ partes. Propter eiusmodi partes tota existit essentia, & essentiæ gratia partes sunt adhibitæ: & cunctæ partes eiusmodi ipsa sunt essentia. Vides igitur in formali ratione rei quid ipsa sit, & propter quid pariter declarari.

IN CAPVT IIII.

VNaquæque res hoc ipsum quod est intrinsecus à forma speciali naturaliter habet. Qui igitur hominem definit id quod est ex anima corporeque coniunctum, nondum rationem formalem assignat, qua homo hoc ipsum quod est, existit.

Homo est anima intellectualis rationalisque simul & sensualis: Atque hac animæ humanæ conditio ex amussim ad ideæ nostra characterem est expressa.

CAPVT V.

QVæ quidem idea primus homo est; anima verò ita sicut dixi se habens est homo secundus: tertius verò homo est & quasi iam non homo, animal compositum ex corpore nostro simul atque vita quadam huic infusa ab anima præcedente, in qua sensus est efficacior, in animali verò sensus obtusior, sed humana quædam affectio quæ declarat hanc animalis vitam non ab anima tantùm sphæræ, sed à nostra etiam dependere, sicut nostra diuinitus dependet semper & agit.

Anima nostra sensum adeo radicitus habet, vt sensu quodam semper vtatur.

CAPVT VI.

NAm & extra terrenum corpus per corpus aërium sentit in aëre, & per cœleste corpus in cœlo, hic quidem aëria maximè: ibi verò cœlestia. Quinetiam extra cœlum intimo quodam imaginationis sensu ipsas intelligentiæ notiones in cõceptus transformat imaginabiles. Vnusquisque nostrũ tres homines habet, idealem, rationalẽ, sẽsualem: qui sibi deinceps ordine sũt connexi. Sed alij nostrũ atque alias, secũdum alium horum trium, atque alium vitam agunt. Et quatenus formas viuendi mutant, catenus commutant & dæmonas proprios præsentis vitæ du-

ces. Tum verò quæ vitam intellectualem potissimum agunt, dæmonem sublimiorem nactæ per eum etiam Deum ducem adipiscuntur. Ludit post hæc Ægyptio more Plotinus circa irrationalis animæ transmigrationem, atque etiam circa transitum rationalis animæ ipsam bruti naturam: quæ nec ipse prorsus affirmat, nec alij Platonici comprobant, & nos alibi confutauimus.

IN CAPVT VII.

Qvum Plotinus velit ideam hominis cum idea equi commisceri non posse: item intellectum nostrum in diuinis perpetuo permanere: rationemque ab intellectu proximè pendere: rursus diuinam animæ nostræ naturam ad inferiora nequaquam præcipitari, sed vicissim anniti hæc ad illam, consequens erat dicere, humanam speciem in equinam minimè permutari. Notabis in nostro corpore vltra vitale vestigium impressum ab anima mundi, quod nimium est commune, imprimi vestigium quoque vitale propriumque ab anima nostra, atque hanc ab anima mundi diuersam esse, nec ab externis, sed à seipsa potius permutari. Vnde consequens est, nulla eiusmodi mutatione speciem propriam prorsus exuere. Anima denique etiam in mundo diuino sensibus vti dicitur, quoniam corporea percipit, quamuis ab excelsiore specula prospicere videatur.

Intellectus primus fœcunditate lucis exuberante in quamplurimos seipsum intus naturaliter propagat radios ideales. Ex hac propagatione intellectuali simul & naturali, naturales rerum formæ foras tanquam lumina profluunt.

CAPVT VIII.

Illic igitur non excogitatur equus, vt hic fiat equus: alioquin & hinc illa penderent, & notus ibi foret equus antequam notus. Tum verò multitudo illic formarum enumerabilis esse videtur, quatenus quicquid acceperis in eo quod est post ipsum vnum, semper occurrit vt multiplex. Plenitudo quinetiam prima quicquid habet intus omnium habet æquè plenum.

Quum in ente primo sit primus numerus origo rerum, merito illic est omnis rerum numerus. Item quum sit prima forma, iure illic res inter se formarum gradibus differunt tanquam species. Rursus in vita intelligentiaque perfecta idea quælibet rerum hic etiam non viuentium vita est & intelligentia quædam.

CAPVT IX.

Similiter metallorum formæ in se etiam non lucentium in Planetis suis lucent omnes varietate lucis: & animalium formæ deformium formosæ sunt in cœlo. Vita illic intelligentiaque mirabiliter efficax mouetur intra se quamplurimum, eiusmodi motu se deriuando quasi se diuidit: nec tamen materiali quadam diuisione continui; ergo formali. Plurimis interim formarum gradibus se distinguit: atque sicut diuisio progressioque mundana, sic illa deinceps in angustiora procedit, minorum deinceps ideas intra se proferens. Sed quoniam omnes illic ideæ ex vna & in vna indiuiduaque vita & intelligentia sunt, nimirum omnes qui qualibet continentur: sicut in quauis stella sunt & aliarum vires quatenus omnes in cœlo in eodem Solis lumine congruunt, quamuis singulæ & aspectu & effectu primo proprietatem suam proferet & quæuis idea suam, reliquas interea continens.

Vita & intelligentia prima, & animal perfectissimum omnes quotcunque cogitari possunt vitæ, & intelligentiæ, & animalium gradus, speciesque continet.

CAPVT X.

Qvum ibi prima multiplicatio sit, merito quod melius est multiplicatur in species: quæ & vnitæ inuicem magno opere sunt, pariterque distinctæ. In materia quidem tenebrosa formæ rerum & vix inuicem vniuntur, & mox inter se confunduntur: in prima verò forma efficacissima simul atque clarissima. Formæ rerum omnes vnà cum communi natura proprietates suas mirificè seruant, vniuersumque illic vniforme pariter occurrit & omniforme.

Sicut corporeum cœlum formas animalium inferiorum etiam vilium in se continet ratione non vili: sic intellectuale cœlum totius mundi formas modo quodam præstantiore possidet quàm cœlesti.

CAPVT XI.

Qvicquid enim est vsquam ordinis atque formæ, à mente & sapientia prima est impressum, expressius idem in se habente. Expressiones autem illic earum rerum ideæ sunt, quæ vnà cum ordine formali vitam manifestiorem habent. Expressissimæ tandem rerum quæ intelligentiam quoque possident, tametsi omnes in mundo species vnà cum formali munere motuque vitale insuper & intellectuale aliquid habēt, vt non iniuria illic omnes existere videantur. Omnes materiales formæ proximè generantur à seminariis rationibus suis in vita mundi viuentibus: hæc verò ab ideis earundem formarum in mente diuina vitam habentibus veriorem. In omnibus elementis viuentia multa elemento conformia generantur, præsente videlicet anima, quæ certè inest, & fortasse vna quatuor elementis, velut globi eiusmodi humoribus insita: permanerque semper elementis etiam permutatis, sicut lumen aëre volitante. Nota, intellectuales animas adesse corporibus, non tanquam addictas, sed tanquam effectrices corporalium specierum.

IN CAPVT XII.

In prima vita omnium effectricē sunt omnia viua: & cum sit prima forma ob efficaciam vitæ mirabilem, in seipsam penitus propagabilis, omnia ibi viuentia formaliter distinguntur. Est autem illa forma fermè sic omnes formæ. sicut natura Solis est omnes stellarum vires, & lux eius radij omnem atque colores, & vita vegetalis omnes formæ membrorum inde per rationes seminarias nasciturae.

(∴) (∴) (∴)

Vita mensque prima, quoniam est omnium formarum prima, ideò simplicissima omnium, vniformisque quam maximè, tum verò quia omnium principium est, ideo est etiam vniformis.

CAPVT XIII.

EST autem forma illa perfectissimè forma quęlibet, ideo per modum formalis actus. Est igitur omnis actus, quoniam cum sit actus motusque primus efficacissimusque, nimirum omnes in se profert actus. Item quia multitudo est vnitissima, in quolibet sui sua omnia continet. Motus omnis varietatem quandam ab hoc in illud, inter hoc & illud necessario insitam habet, sed præter hanc in corpore quidem motus loco indiget atque tempore: in anima verò præter varietatem solum insuper habet tempus: in mente solam sine tempore varietatem seruat, ob miram virtutis actionisque potestatem. Varietas autem in motione & vita menteque prima est varietas omniformis, sicut ibidem est vita omnis & actus. Profectò sicut radius quilibet ab amplo Solis orbe in conum prosilit, atque in præcedente latitudine sua omnes complectitur Solis vires, in cono vnam præcipuè profert, & vario ictu varia perficit: sic ab intellectu primo actus quilibet intellectualis progreditur intus, & vbi exoritur omnes ideas amplectitur, definit autem vnusquisque in vnam prorsus ideam quasi conum. Quælibet enim idea & ab alia diuersa est, & ab aliis est connexa.

Vbique in mundo partibusque eius vel minimis ordinata distinctio est per formas. Eiusmodi formalis & ordinata varietas neque casu accidit, neque fit à materia tenebrosa, dependet autem ab vno, quoniam conducit in vnum Exprimitur igitur à simili formarum varietate vigente tum in ipsa mundi vita, tum in mente.

CAPVT XIIII.

SED tam mens quàm anima in se vnum quiddam est, non quidem ex multis compositum, sed præferens in se multa, non ad exrema, sed ad intima, motum, ac velut ad centrum se conuoluens, ampliores deinceps formarum vniuersaliorum orbes redigens in minores, & ad species specialissimas se denique cohibens.

Cum intellectus primus sit vita prima, Sol intellectualis vita est vera vita.

CAPVT XV.

ESSENTIA prima per actum vitalem conuersa ad ipsum bonum fit boniformis, & propter formam suam multiplicabilem, vnum boni donum in formas plurimas in se deriuat, ipsa videlicet potestate Dei. Imaginari licet mentem primam quasi vultus innumerabiles inter se varios ordine contextos in sphæram lucentes admodum atque viuos. Quod si conseruatis vultuum formis inter se variis, actuque in orbem quasi reflexo, distantiam inde localem dempseris, intellectum primum mox intelliges, præsertim si ipse talis in primis euaseris, deinde inspexeris temet-ipsum.

Essentia prima cum primum existit ex ipso bono conuersa est ad ipsum, non tam modo quodam intellectuali, quàm instinctu vitali. quemadmodum planta vergit ad Solem vel humorem; hic enim actus ordine quodam antecedit illum.

CAPVT XVI.

SED vbi directus in bonum impletus illinc radio quodam lucente pariter & calente, statim omnes rerum formas, quasi colores concipit in seipso, reflexusque in conceptus suos percipiendos intellectus euasit. Denique sicut visum colorésque procreat, inuicemque conciliat: neque ipse interim visus est vel color, sed superior, ita bonum & intellectum & intelligenda creat, mutuoque coniungit his ipsum interim eminentius.

Quęcunque sunt, cùm primum & quamdiu sunt, naturaliter agunt ad bonum: vnde argumentamur essentiam primam ad primum bonum naturaliter agere. Ipsum ergo bonum superius est essentia actuque eius & vita & intellectu. Non ergo propriè dicendum est esse, viuere, agere, intelligere.

CAPVT XVII.

NEque putandum est eas in se propriè formas habere, quas tribuit intellectui, sicut nec vnitas est plena numeris, nec signum dimensionibus, neque lux in Solis centro vigens, radios illos in se proprios habet, qui virtute ipsius innumerabiles à circumferentia Solis emicant ab orbe desinentes in angulum. Præterea sicut neque lumen foras effusum radiis eiusmodi plenum qualitates rerum illas in se proprias sustinet, quas per varios radiorum ictus apud nos generat, ita neque mens quamuis in se omniformis materiales ipsas, quas procreat, formas habet. Tum verò vita quidem prima quasi indeterminatus informisque essentiæ actus exoritur, quasi sanè directus in ipsum vnum, inde terminos ideales sibi vendicat, eosque quamplurimos, ob conditionem suam numero iam obnoxiam, & processioni procliuem. Eodem mox momento vita fit absoluta, quo & intellectus euadit. Denique sicut intellectus se habet ad animam, ita bonum ad intellectum. Quapropter quemadmodum intellectus rationem format in anima, atque ipse est à rationali discursione secretus, ita bonum species imprimens intellectui est à speciebus mirabiliter segregatum.

Quod primò procreatum est ab ipso bono, totum penitus bonum est: sed in eo essentia quidem est inchoatio quædam ortusque operis boni. Vita verò adolescentia boni: intelligentia, speciesque idealis bonum illic est adultum.

CAPVT XVIII.

QVodlibet horum idcirco bonum est, quoniam cum sit ab ipso bono, nonnihil ipsius quamuis adhuc ineffabile in se possidet, communé cunctis: sicut motus linguæ, manus, pedum, ideo concinnus similiter appellatur, quoniam ab eadem Musica ratione ordinem similem nanciscuntur: sed communis illa natura boni menti admodum interior est, quàm Musicus ordo membris.

IN CAPUT XIX.

Bonum neque definiendum est per id quod sit appetibile, neque per id quod sit vniuscuiusque virtus. In prima enim præscriptione adhibentur posteriora bono. Atque propter appetentium appetibiliumque diuersitatem, iudicium veri boni restat ambiguum. In secunda adhuc superest quærendum: quare & quomodo virtus aliqua vel virtus ipsa sit bonum.

IN CAPUT XX.

Quærentibus quid sit ipsum bonum, intellectus palam occurrit nobis vt bonum, quoniam & per ipsum de bonis reuera iudicamus ac malis: & ordo speciesque rerum & vita ab intellectu procedit. Vita quinetiam adulta quam animus optat, est intellectus. Neque tamen intellectus est ipsum bonum. Hoc enim non illum omnia cupiunt. Iam verò animæ prius & frequentius bonum quàm intelligentiam appetunt, neque in hac quiescunt, sed in illo. Cupiunt quidem esse, viuere, agere non sub ratione essendi, viuendi, agendi, intelligendi, sed boni, quapropter bonum ab his omnibus diuersum est atque superius.

IN CAPUT XXI.

Vita, intelligentia, species, boni formia appetenda sunt: quoniam illa est actus circa bonum, ista actus iam determinatus à bono: hæc ipse terminus impressus à bono. Geminam ab ipso bono hæc omnia lucem habent. Vna quidem nascenti facta est vnicuique propria, in aliis alia, sicut color: altera superfertur quasi cunctis vnum commune lumen, alibi tamen magis gratiusue quàm alibi fulgens. Per primam bona quidem sunt, & clam ac leuiter appetuntur, per secundam meliora, atque palam & ardenter amantur.

Absque mirifica primi boni gratia nec amant res vlla, nec amantur.

CAPUT XXII.

Quòd in spectandis formosis amore nos corripit, neque materia est, neque proportio, sed viridis quidam fulgor ab anima in proportione refulgens. Quòd iterum in excogitandis animis eorùmque virtutibus & officiis ardenti quadam beneuolentiâ capit, intellectualis quidam splendor est ab intellectu diuino subrutilans. Quod tandem dum intellectus & intelligibilia contemplamur, nouo quodam nos accendit amore, radius est a primo bono micans, hinc quidem inflammans & excitans voluntatem, inde verò quæ contemplanda nobis occurrunt gratia mirifica donans. Cum verò gradarim inde omnia pendeant, sequitur vt nec etiam in sensibus & corporibus absque influxu primi boni proprio vel amabilis vsquam gratia fulgeat, vel accendatur amor.

Primum rerum principium idem est atque ipsum bonum.

CAPUT XXIII.

Nihil enim melius ipso bono, nihil similiter primo rerum principio melius. Item ipsum bonum per se sibi sufficientissimum est, sufficere verò sibi principium solum potest. Præterea, malum per discessum quidem à principio crescit, per accessum verò augetur bonum. Infimum ergo rerum est ipsum malum: primum verò similiter ipsum bonum. Denique quoniam omnia bonum appetunt, atque eius participatione proficiunt, planè constat, ab ipso cuncta & esse conseruari, eiusque virtute moueri, & agere quicquid ritè & naturaliter agunt.

IN CAPUT XXIIII.

Esse appetibile non tam est ipsa natura boni, quàm conditio quædam consequens ad ipsam boni naturam. Ambigitur quidnam sit ipsa naturalis ratio boni & quæ cõsequuntur bonum, vtrum voluptatem solum, an & aliud insuper inde reportent: quoue indicio certo verum adesse bonum discernere valeamus.

Bonum materiæ quidem forma est, corpori verò anima, animæ intellectus, intellectui simul & omnibus principium omnium.

CAPUT XXV.

Forma materiæ actum exhibet atque ordinem tanquam bonum, anima corpori vitam atque motum intellectus animæ virtutem, principium intellectui actum vitalem intellectualemque & lumen inestimabile: sicut naturam ignis id sequitur, vt distantia quidem illuminet, propinquantia verò etiam calefaciat, imò sicut centrum grauia trahit & sistit, ita naturam boni hæc conditio comitatur, vt remota quidem trahat per appetitum, præsentia verò detineat atque delectet.

Quæ sensu prædita sunt hoc potissimum boni iam præsentis signum habere possint, quòd hoc ipso stabiliter delectantur, atque in eo libentissimè conquiescunt, meliusque inde se habent.

CAPUT XXVI.

Quemadmodum circa res sensu carentes duo hæc, scilicet inclinatio ad naturale bonum finemq; suum, & quies in eo, scilicet in fine habituque naturali aliud quiddã sunt præter naturale bonum: sunt enim quidam rei prosequentis actus ad bonum, vel circa bonum, vel in bono. Sic in rebus sensu præditis appetitus & voluptas aliud quiddam sunt quam bonum, nec voluptas ipsa sufficit. Optabilius enim est præsente bono, quod appetimus delectari, quàm delectari similiter absque illo.

Neque appetitus neque voluptas efficit vt aliquid bonum sit; sed ipsa natura boni eminus quidem allicit appetitum, cominus autem voluptate demulcet. Similiter nec propria quædam familiaritas est vt aliquid tibi sit bonum.

CAPUT XXVII.

Non enim optabile salutareque tibi est quodlibet simile vel propinquum, neque satis facit æqualitas, sed ipsam boni naturam virtus eiusmodi comitatur, qua tanquam domesticum propriumque nobis occurrat: quamuis vbique sit natura superius. Bonum igitur vniuscuiusque se ha-

bet vbique, vel tanquam species quædam ad subiectum, vel tanquam speciei principium ad speciem & subiectum.

Materiam primam cogitamus quasi potentiam quandam informem quidem, sed naturaliter cupiende formæ paratam. Qua igitur ratione informis est, neque proprie sic appetit bonum: qua vero ratione potentia parata formæ, non est malum. Ac si quomodo possit appetere sic bonum, id est, formam appetit præsertim occulto quodam suæ deformitatis ordo.

CAPVT XXVIII.

Sicur ipsum bonum sibi & omnibus est amabile, ita si fingatur ipsum malum nec aliis, nec sibi erit amandum. Vnicuique bonum est sua quædam species, forma, perfectio, actus, supernè dependens: sed forma speciesque materiali informitati passim opponitur. Quo igitur forma est à materia separatior, eo gradatim magis species est, magisque bonum: separatissima tandem species optimum. Ipsum verò bonum nec species vlla iam est, nec al cuius bonum, sed specierum author pariter & bonorum.

Manifestiore solemus voluptate moueri, dum extra perfectum corporis vel animi habitum positi restituimur in illum. quàm vbi perfectum iam sumus habitum consecuti: ex quo patet voluptatem illam quæ quasi motio quædam est non esse finem perfectionemque naturæ.

CAPVT XXIX.

Nempè in habitu naturali statuque vitæ perfecto mobilis quidem voluptas illa definit facta iam tranquillitas, & optima(vt ita dixerim) valetudo habitudoque naturalis mobili voluptate constantior, verior, optabilior. Contra illos qui opinantur nec sine voluptate, nec præter voluptatem aliquid esse bonum Plotinus asserit, esse, viuere, sentire, intelligere, & similia esse bona eligendaque, non eo duntaxat argumento, quod communiter cum voluptate quadam manifesta contingant, sed quoniam eorum opposita tanquam mala naturaliter fugiantur.

Finis intellectualis animæ est expeditus & summus actus intelligentiæ in ipsum vniuersi bonum prorsus intentus.

CAPVT XXX.

Actus eiusmodi beatitudo est, etiam si nulla huic voluptas exterior adiungatur, neque tamen ipse est voluptatis expers. Ipsa enim expedita actionis integritas atque summa est voluptas. Tunc verò maximè & simplex vnumque existit: gaudet verò seipsa penitus ex superiori lumine iam formata. Profectò, sicut summitas luminis circa speculum concauum iam est calor, ita summitas essendi iam est vita. Similiter viuendi sensus, sentiendi imaginario, imaginandi ratio, rationis intelligentia, intelligentiæ gaudium, gaudij bonum: nempè ad supremum vniuersi gradum, non per diuisionem, sed per vnionem ascendirur paulatim. Iam verò sicut elementa eodem naturæ nixu quod sibi consentaneum est petunt atque fruuntur: ita mens eodem actu, quando summus est vergit in finem vltimum tanquam verum, & fruitur tanquam bono. Sed de fine, & intelligentia, & voluptate in Commentariis Philæbi latius disputamus.

Ipsum bonum vniuersi principium non solum mentem animamque procreat, sed etiam radio his infuso velut amatorio quodam hamo assidue reuocat ad seipsum: vbi radium tum in anima, tum in mente tandem lumen vitale gratiosumque conuertit, atque hæc vtrobique est ipsa felicitas.

CAPVT XXXI.

Anima non solum per amorem diuinitus insitum, verumetiam per rationem ad supernam pulchritudinem prouocatur. Quando videlicet argumentatur, corpoream pulchritudinem tanquam in deformitate, distantia, mobilitate positam necessario imperfectam esse, ideoque ab incorporea proficisci. Sic anima tandem diuina mente formatur: vnde mox patrem diuinæ mentis agnoscit.

Quicquid est in mundo intelligibili species quædam est: & ipse totus est species constans ex speciebus. Species autem vnaquæque est aliquid intelligentia definitum. Vnde & altera ab altera planè distinguitur. Vniuersa rursus species constans ex definitis est denique definita. Item multitudine specierum illic pulchritudinis splendor emicat.

CAPVT XXXII.

Oportet igitur & super definitam illius mundi naturam peruenire ad ipsam incomparabilis virtutis immensitatem, & à pulchritudine quæ splendor quidam est in multis, quasi stellis ascendere ad simplicem ipsius boni lucem, velut Solis. Quæ quamuis species nulla sit, est tamen ipsa pulchritudinis pulchritudo. Et quoniam bonitas pulchritudoque infinita est, infinitum propinquantibus accendit amorem. Hinc argumentari possumus animarum beatitudinem sempiternam.

Pulchritudo ipsius boni specie vniuersa superior est: pulchritudo intelligibilis mundi est species vniuersæ itemque pura, quoniam nihil illi est informe: nihil informatum quin ipsum sit & forma. Pulchritudo mundi corporei est inferior vera specie, quoniam ex forma simul atque informi, ac etiam deformitate componitur.

CAPVT XXXIII.

Omniformis illa diuini mundi formositas & si quamplurimum admiranda, tamen definitum quiddam est: nec amanda summopere, sed ipsa bonitas melior omniforma. Nam & in mundo diuino quamnis vnumquodque sit formæ quædam, est tamen aliquid ibi ad aliud comparatum quasi materia. Vnde & hoc illud est aliquid definitum. Pulchritudo igitur in mundo diuino tanquam ipsius boni splendor animam illic admirabundam per amorem clam reuocat ad ipsum bonum: pulchritudo similiter in anima tanquam splendor intelligentiæ per amorem ad amandum intellectum latenter inuitat. Pulchritudo in corpore velut pulchritudinis animalis imago ad desiderandam incorpoream pulchritudinem adhortatur.

Quum pulchritudo qualibet à quocunque ametur, semper appetatur sub ratione boni, necessarium est ipsum bonum esse pulchritudinis principium & amoris.

CAPVT XXXIIII.

BOnum igitur ipsum semper vbique præsens, cùm primum illuxerit animo iam sereno mirificum accendit amorem: quando videlicet animus formas omnes intentionesque non solum imaginabiles, sed etiam intellectuales exuerit: tunc per amorem infiniti boni infinitum vna cum bono mirabiliter copulatur, gaudio illinc ineffabili plenus. Quod quidem non solum post vitam præsentem, verumetiam in hac vita consequi quandoque potest.

Ipsum bonum ita est ab omni multiplicitatis mobilitatisque suspicione semotum, vt anima illo fruens, intelligentiam exuere compellatur, quodammodo actioni cuidam multiplici mobilique consimilem.

CAPVT XXXV.

IN hac autem fruitione idem ipse Deus est lumen quod intueatur animus, & per quod intuetur: euaditque ibi visio ipsa luminis ipsum lumen. Est autem in intellectu primo intuitus atque contuitus: ille directus in Deum inde formatur, fitque mox naturæ suæ sic iam formatæ contuitus. Illo supra seipsum Deo fruitur: hoc autem seipso potitur. In anima quoque est vnitas intellectu superior per quam Deo fruitur visione quadam intelligentiam superante.

Scala per quam ascenditur ad principium, septem gradus habet: primus est purgatio animi: secundus, cognitio operum diuinorum singulatim comparata: tertius contemplatio ordinis, quo opera inferiora reducuntur ad superiora gradatim: quartus, comparatio quadam proportionalis ex ordine huiusmodi ad diuinum ordinem conferens: quintus, negatio per quam cuncta quæ concipis separes à principio: sextus, supplex ad Deum oratio, vt ipse intellectualis mundi pater te reddat mundum intellectualem actu: ens enim potentia, mundus hic ab initio: septimus, vt cum ipse intellectualis mundus euaseris, vlterius amore boni concitus ex statu intellectuali transformeris in bonum superius intellectu.

CAPVT XXXVI.

CVm bonum sit longè superius intellectu, & idcirco fruitio eius non rectè dicatur intelligentia, videtur neque cognitio nominanda. Est enim naturalior & optabilior quàm cognitio. Appellamus tamen vtcunque possumus tum visionem propter lucem & puritatem, tum tactum propter maximam vnionem: appellatur & gustus propter suauitatem illic penitus infusam animo, nutrientemque salubriter & mirabiliter in melius transformantem.

(∴) (∴) (∴)

Cum Plotinus semel intelligentiam definierit actum reflexum essentiæ vitæ dependentis à bono, conatuque eiusmodi quærentis se simul atque causam; viuentisque tum partes secum suas, tum seipsam causa, meritò negat principium eiusmodi intelligentiæ adminiculis indigere.

CAPVT XXXVII.

VIdetur quidem sicut se habet visus ad lumen, sic ad boni lucem intelligentia se habere, similiterque distingui. veruntamen multo magis à bono differt intelligentia, quàm visus à lumine: siquidem altitudine latitudineque maiore bonum transgressio videtur intelligentiam, quàm lumen visum. Cum igitur boni ipsius intelligentiæque rationes adeo distinctæ sint, ideoque naturæ sint duæ, iure cum bonum primò dixeris, vt conserues ipsum simplex sibique sufficiens, noli intelligentiam adhibere, quæ quidem essentiam vitamque sequitur: bonum verò excedit vtramque. Esse enim atque viuere ratione & gratia boni duntaxat optatur. Neque tamen demens: Deus est mente præstantior: neque quicquam latet eum, per quem omnia patent.

IN CAPVT XXXVIII.

CVm ipsa essentia, ratio & alia sit, & inferior quàm ratio boni, non rectè prædicatur esse de bono. Et si bonum ob summam simplicitatem nihil de se quasi intrinsecus loquendo componit, non tamen sibimet obscurum est & incertum. Ipsum siquidem certitudinis est origo paterque luminum.

In primo rerum principio nec est intelligentia sui, nec aliorum: si modo intelligentia est cognitio quadam eiusmodi habens conditiones.

CAPVT XXXIX.

PRimam quidem, vt vnà cum stabilitate habeat nonnihil simile motioni. Secundam, vt vnà cum identitate admittat & differentiam. Tertiam, vt simul componendo discernat. Quartam, vt natura cuius actus intelligentia est, sit in se difformis, dum est intellectus, intelligibile, intellectio. Quintam, vt sit etiam omniformis, si modo per hanc intelligentia fit omnia perceptura. Perceptionem eiusmodi varietate plenam Plotinus in Deo negat: simplicem certitudinem & claritatem lucemque non negat: similiter actionem prouidentiamque à bonitate differentem, forasque declinantem negat, sed interea omnia illinc effici vult, prouideque disponi.

IN CAPVT XL.

ACtionem omnem & alicuius existere & versari circa aliquid aliud arbitratur: mox intelligentiam esse vult actionem, deinde essentiam existimat actionis & intelligentiæ fundamentum. Merito igitur actionem, intelligentiam, essentiam principio negat: quod quidem neque subest actui, neque circa aliud vllo modo versatur. Si posita semel ipsa bonitate, mox intelligentiam huic attribuis: aut nihilo differre putas, aut aliquo. Si nihilo, frustra intelligentiam ibi nomines, si aliquo, cū summo bono misces minus bo-

num. Sit ergo bonitas ipsa non intelligentia quidem propriè, sed intelligentiæ causa lux, certitudo, veritas in se consistens: in quam velut summum optabilissimumque desinit totus intelligentiæ nixus. Est denique bonitatis tanta potestas, vt intelligentia quę imago prima eius existit, sit substantia prima.

Visus factus est, & nititur ad capiendum lumen: lumini igitur non est opus visu: ita nec ipsi bono opus est intellectus, eius actuque, qui ad id duntaxat natura contendit vt accipiat boni lumen.

CAPVT XLI.

SI ipsum bonum dixeris intelligere aut intelligendo nihil proficit: intelligit ergo frustra, aut proficit, nec igitur erat prius ipsum bonum. Si sui ipsius intelligentia ad hoc ipsum confert, vt intimæ partes enumerentur, totumque sibi conciliettur, non est opus intelligentia simplicissima. Vbi summum in cognitionis ordine posuisti primum scilicet intellectum, non adiungis rationem, imaginationem, sensum, oculum, ne & adiungas temere, & inficias quod est optimum. Similiter vbi concesseris immensam sufficientissimi boni lucem, quæ est intelligentiæ finis, intelligentiam huic adhibere non debes.

IN CAPVT XLII.

TRia sunt præcipua rerum principia, bonum, prima mens, anima mundi. Sicut in animæ mundi hæc ipsa mundi membra illinc genita collocari non debent: ita nec mobiles animæ discursiones affectionesque pendentes ab intellectu ponendæ, ita denique nec intelligentiæ species que rerum intellectui propriæ pendentesque ex bono attribuendæ sunt bono.

LIBER OCTAVVS
DE LIBERTATE, ET VOLVNTATE VNIVS.
ANNOTATIONES.

IN CAPVT PRIMVM.

VOluntarium apud nos est quod ipsi voluntate libera certaque facimus. Libera, id est, violentia nulla compulsi. Certa, hoc est, nulla prorsus ignorantia lapsi, circa idem reuera Domini sumus.

IN CAPVT II.

NOn agimus tanquam reuera liberi actionisque domini, quatenus agimus secundum motum animi incitatum per sensus affectusque sensuum à corporibus externis, vel etiam à corpore nostro. Iam verò motu sic incitato ratio vel nihil agit, vel ducitur à motu, vel ducit. In primo quidem & secundo gradu serui corporis & fortunæ sumus: In tertio verò dum videmur authoritate quadam corpus resque similes gubernare, obsequimur & viuimus alienis, indulgemus necessitati, nec viuimus ea tranquillitate qua volumus. Nec igitur omnino liberi dominique sumus.

Sicut duo sunt seruitutis gradus, ita libertatis duo: vnus autem est inter vtramque medius.

CAPVT III.

SEruus enim est qui imaginationem solam sequitur à corpore nostro, vel externis corporibus incitatam, seruus item, cuius etiam ratio imaginationi huic prorsus indulget. Liber primo, qui mente viuit sola contemplatione contentus, cæteris omnino neglectis. Liber secundo, quisquid agit præterea, id solùm legibus à contemplatione susceptis eligit, resque agendas refert ad contemplandum. Ex libertate quadam & seruitute permixtus esse videtur, qui imaginationem quidem subigit rationi rectæ, sed vitam actiuam, alioquin honestam eligit, tanquam finem.

Cur ratio libertatis in libero quodam motu consistat, atq; ad volendum bonumque conuertatur, intellectus libero voluntarioque incedit motu, quando certus ad verum sibi bonum agendo, ac etiam gubernando procedit.

CAPVT IIII.

QVinetiam si pro natura sua intelligit, vult, eligit, agit, non ideo cogi dicitur, quoniam hoc ipsum in primis sibi voluntarium est: nec ab alienis ad hoc adducitur: neque dici debet intellectualis actio intellectuali naturæ seruire. Ibi enim actio est ipsa natura, nec ab ipso bono sibi prorsus intimo cogi. Cùm enim hoc ipsum quod dicitur sui iuris existere rationem, & gratia boni sit volendum, maximè omnium sui iuris est intellectus summo bono quàm proximus.

Intellectus in contemplando viuit liber, libroque decreto constituit ad contemplationem actiones omnes priuatas publicasque referre.

CAPVT V.

SCit quinetiam incommoda multa quæ minus optarêt, tum suis, tum corpori, tum etiam animo sæpè ventura. Deliberauit, & his opportuna remedia pro viribus adhibere. Vniuersa hæc in mente hactenus dispositio voluntaria est, nec aliunde dependet: actiones verò quæ sequuntur in dies incommodis inuoluntariis succurrentes non adeò sui iuris existunt, sed quodammodo ex opportunitate dependent.

Non solùm intellectus sola contemplatione contentus, putandus est tanquam liber sibi viuere, verumetiam radio per virtutem ab intellectu conceptam libera secum habitat, quatenus videlicet pro fine non statuit rerum actionumque exitum, sed honestatem contemplationemque internam.

CAPVT VI.

INtellectus primus maximè viuit liber, vbi viuere quidem intelligere est. Intelligit autem quemadmodum & vult: siquidem voluntas & intelligentia vix ibi discernitur, sunt enim actus ferè idem. Qui vergens ad bonum voluntas dicitur, attingens bonum intelligentia nominatur: quemadmodum radius in cursu se habet ad splendorem in reuerberatione respectum. Si maximum bonum est maximè voluntarium summopere viuit vt vult & liber, qui in ipso bono vitam agit.

Si anima per virtutem intellectualem fit quandoque libera, sequitur vt intellectus primò sit liber. Item si intellectus vitam possidet summopere liberam atque voluntariam, quoniam ipsi bono sit quam proximus, meritò ipsum bonum est ipsa libertas.

CAPVT VII.

SI seruitus & fortuna circa inferiora versantur, sed libertas & ordo ad superiora pertinent, & quod quid superius eo est ordinatius pariter & liberius, certè principium omnium neque fortuitum est, neque coactum: quippe cum sit ordinis omnis, ac liberæ authoritatis origo. In quo cum tanquam summo bono sit tota voluntarij ratio, tota est, & ratio libertatis. Vbi si modo essentia & actio nominari possint, non potes dicere actionem essentiæ suæ seruire: quippe cum nulla sit ibi distinctio. Quapropter si quemadmodum existit naturaliter, ita & agit, vicissim sicut agit, ita naturaliter & existit. Sed de his in Theologia nostra satis diximus.

IN CAPVT VIII.

NEque libertatem neque aliud quicquam venerandum attribuere Deo debemus ea ratione qua sequentibus, sed ineffabili. Eiusmodi conditio qua aliquid sic existat & agat, sicut ad hoc est naturaliter institutum, rebus subiectis tempori propriè competit, æternis translatione quadam, essentiæ primæ abusione quadam. Nam propriè dicitur ex seipsa existere: principio, nullo modo. Sors verò contingens tam remota est à primo, vt vix etiam reperiatur in vltimis ordinante primo.

Non licet fingere contingenter euenisse, vt hoc ipsum quod nunc omnium principium quasi contingere potuerit aliud, & aliter affectum fore principium.

CAPVT IX.

VNica enim est principij ratio, ipsa videlicet summitas, quam & infinitatem possumus nominare, quæ cum aliis præsertim propinquioribus firmitatem necessitatemque imponat, meritò non est contingenter, sed necessario, imò est ipsa necessitas. Et quoniam primum est & ipsum bonum, ideo est & sua sponte necessitas: neque quodlibet contingere extitisse ponit: neque rursus oportuit esse, vel est determinatum hoc aut illud, sed est plus quàm vniuersa potestas, necessario, pariter, atque vltro id ipsum quod est existens.

IN CAPVT X.

CVm principium omnibus formam & terminum, ordinemque imponat, atque ordo rationalis sit fortunæ contrarius, meritò si principium fortuitum rebus inciderit, nullus vsquam ordo restabit. Quod principium vnicè firmiterque sit, maneatque hoc ipsum quod iam existit; nec aliunde sortitur: Hæc enim ipsa eius natura est. Nec vlla debilitas in causa est, vt nec aliud extitisse, nec ad aliud processisse potuerit. Esse enim & permanere immensam bonitatem atque potestatem, hæc ipsa est summa libertas pariter & potestas.

Ordo mirabilis vniuersi intellectuali ratione perspectus, purgatis tandem mentis oculis principium suum offert quasi incomparabilem summitatem, simplicitatem, potestatem, bonitatem. Sed tu postquam principium simpliciter tibi sic illuxerit, noli quid sit & propter quid inquirere.

CAPVT XI.

SI enim quidnam sit indagaueris, ad angustiam illud tuæ intelligentiæ contrahes & compones, tibique protinus subterfugiet. Tum verò cum ratio principium inuenerit super essentiam, non potest vlterius indagare quid sit: siquidem eiusmodi quæstio desinit in essentiam. Neque fas est de principio propter quid perscrutari: sanè quæstio hæc resoluitur in principium. Denique cum de eo sis negaturus essentiam, multoque magis & accidentia, quonam pacto in eo contingentem sortem poteris affirmare.

IN CAPVT XII.

SVmmus Deus rectius dicitur suaptè natura libertas, quàm naturæ suæ Dominus. Non enim actio penes eum vllo modo distinguitur à natura, ideo non debet dici in agendo naturæ suæ Dominus: sed est vel simplicissimus actus, per quem libertas potius appellatur, vel principium finisque actuum & actionum omnium: vnde libertas iterum in se nominatur: Dominus verò non tam sui quàm aliorum. Essentia prima per actionem suam quodammodo ab ipsa distinctam, suæ existentiæ domina dici potest. Animæ

verò cum non sit essentia ipsa simpliciter, sed essentia quædam, nequaquam dicenda est essentiæ suæ domina, quamuis quodammodo domina sui. Forma postremò corporea tanquã expers essentiæ liberum est dominatũ nullum habet. Contrà verò Deus per quem superiora sunt libera, dominanturque sequentibus, libertas est simul & dominatio summa.

Quocunque modo essentia, voluntas, actio in Deo nominari possint, penitus idem sunt. Si ergo sicut naturaliter eius essentia fert, ita Deus vult & agit, vicissim quoque quemadmodum vult & agit sic eius natura se habet. Est igitur neque fortuna, neque fato, sed propria voluntate quod est.

CAPVT XIII.

HAtenus vnumquodque seipsum vult, suique iuris existit, quatenus est cum bono. Ipsum ergo bonum penitus vt vult, existit & liberum, ac si detur optio commutandi, nunquam aliud quàm quod est se esse, sit voliturum. Præterea cum voluntates omnium in bonum confluant, & vniantur in eo, certè in ipso bono eadem est cum bonitate voluntas, quæ nec aliud vult esse quàm seipsam. Iam verò maximopere sibi quod est placet, siquidem sola participatione boni res habent, vt sibimet ipsæ placeant. Post hæc Plotinus ait, si velle & esse idem est penes bonum, sequitur, sicut est ipsum in se naturaliter, ita velle, atque vicissim vt vult, sic ipsum naturaliter & existere. Excogitat interim, Christianorum more, Deum per voluntatis actum aliquem in se producere (vt ita dixerim) subsistentiam. Alibi quoque dixit, Deum per intelligentiam in se nescio quam subsistentiam genuisse. Denique sicut voluntatis actum excellentiorem voluntate concedit ipsi bono, similiter actum intelligentiæ intelligentia excelsiorem est proculdubio concessurus.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XIIII.

SIngula in corporibus indiuidua possunt quidem contingenter in exitum processisse: in quibus præter specialem necessariamque essentiam est aliquid aduentitium. Anima verè intellectualis & idea quælibet vbi totum est ad essentiam ac speciem necessarium, hoc ipsum quod existit, ex intima sui natura prodit, non fortuito quidem, sed necessario. Cum verò hæc tanquam principio proxima id bonum consequantur ab eo, ipsum in primis id minus habet extra fortunam. Præterea in omni idea, itemque substantia, vel forma ad ideam ex amussim expressa, hæc duo inuicem coniunguntur, scilicet quid & propter quid existat. Quapropter si diligenter inspexeris in ipsa dispositione naturæ ex partibus suis constante rationem, causamque partium totiusque inuenies: tantum verò munus à principio rerum habent, idem eminentius in se habente. Alienissima verò illinc est fortuna, vbi existendi ratio causaque intrinsecus continetur.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XV.

SI vnum quodque eatenus sibi est amabile, quatenus sit boni particeps, ipsum certè bonum sibimet potissimum est amabile: ibique amator & amatus est idem. Non est igitur aliud quàm quod semper esse se amat. Præterea tunc demum extra contingentia positi sumus, experimurque libertatem, quando cæteris omnino posthabitis, vnico ipsius boni lumini intelligentiam superanti nos exponimus. Ipsum ergo bonum liberras ipsa est extra formam. Denique cùm ratio casui opposita sit atque à principio tota ratio vniuersi processerit, consequens est, ipsum non solum extra casum, sed etiam super rationem id ipsum quod est existere.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XVI.

SI Deus nec est in tempore, nec est in loco, non potest hoc ipsum quod est, vel aliquando, vel alicubi contigisse. Est autem Deus non tam semper quàm sempiternitas ipsa, nec propriè vbique habitat, sed ipse certè hoc ipsum est, quod à nobis appellari solet vbique. Intellectus in Deo mirus intelligibili intellectu superior tam efficaciter in se agit, vt existentiam generet in seipso, similiter & voluntas appetente voluntate superior existentiam in se volendo producit. Cum verò nihil in Deo sit præter ipsum, sic certè intelligendo ac volendo in seipso emicat à seipso, adeo vt neque forte neque aliunde vi illata, sed pro intelligentia voluntateque sua ad ipsum quod est, existat. Sed hæc & quæ sequuntur, in Theologia nostra diligentius explicamus.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XVII.

IN homine quidem aliud est naturã, per quam generat similem: aliud ars & prouidentia, per quam artificiosa facit. At in opifice mundi vita eadem est intelligentia simul atque natura. Cum igitur prouida & artificiosa dispositio mundi illinc proueniat intellectuali pariter naturalique ratione, necesse est hanc ibi quasi formam eius existere naturalem. Si igitur eiusmodi mundi forma, multo magis & illius procul est à casu: remotissimum denique à fortuna est illius formæ principium, quod pro natura & voluntate sua segregauit filium à fortuna. Denique si principium aspiciat aliorsum se perdet. Dum ergo se tantum respicit, seipsum quasi conseruat, atque agit. Igitur ex seipso id quod est existit. Non contingit ex fortuna.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XVIII.

NIhil extra Deum licet fingere. Nam Deus excogitatur tanquam superessentialis potestatis, imò actus immensitas, tum comprehendens superficies omnium, tum se tota penetrans profunda rerum. Intellectus primus ad Deum comparatur, tanquam circulus inferior ad centrum superioris circuli sese applicans, & naturaliter inde dependens: rursum quemadmodum lumen radiis quam plurimis foras effusum ad simplicem & intimam Solis lucem. Cum igitur intellectus sit imago quædam naturalis primi Dei,

sitque totus penitus tota ratio, constat primum illud, tum natura, tum voluntate rationis vniuersæ partem, fortuitum in se nihil admittere. Denique, cùm tota ratio decentis expedientis opportuni tanquam bona contineatur in ipso bono, meritò bonum ipsum est ipsum decus & opportunum. Non igitur vtcunque contigit, sed vt per suum naturale decus decet, naturaliter & existit.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XIX.

A Primo rerum principio multa id munus habent, vt in seipsis existant. Illud igitur si modo dicendum existere, summopere est existentiæ suæ Dominus, omnia apud intellectum cogitabili existentia longè superior.

Confirmatio superiorum.


CAPVT XX.

CVm omnis essentia ad actum pro viribus, tanquam ad melius & superius aliquid annitatur, excogitare decet principium tanquam actum essentia longè superiorem, est igitur omnis essentiæ Dominus. Nec non si ipse dici possit & esse, certè qua ratione actus est, existere se declarat Actus inquam non in essentia, sed superior. Ergo non essentiæ, vel naturæ seruus, itaque liber. Et quatenus non aliunde seruatus, ipse se seruat, dicitur & generare seipsum, generatione videlicet sempiterna. Denique vbi agere & quomodocunque existere idem est, actus autem solet tanquam præstantius cogitari, illic certè actus considerari potest existentiam suam quasi comitem secum ferre.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XXI.

PRincipium est optima & immensa potestas. Siquis ergo fingat hanc posse vel potuisse aliter se habere, impotentem finget. Sicut enim permutari ex ipso bono malum est: similiter ex ipsa potentia summa totaque permutari posse, est impotentia miseranda. Plotinus & in superioribus & præsentia intellectum & voluntatem intelligibili intellectu & affectante voluntate superiorem non negat Deo. Proinde voluntas in Deo est ipsa natura Dei. Sicut ergo Deus consideratur ex sua natura, sic & voluntate proprium prodiisse penes quem existere & velle sunt idem. Nota, posse animum tuum penes Deum nonnihil attingere, sed lumine quodam desuper illustrante: te verò mox quicquid vltra succurrit auferre debere.



LIBER NONVS, DE BONO, VEL VNO.

Quicquid est præter primum, constat ex multis partibus aut viribus, in vnam totius formam conciliatis.

CAPVT PRIMVM.



QVatenus in sua cuiusque multitudine viget vnitas, eatenus perseuerat essentia, quæ alioquin perdita vnitate disperditur. Vnitas ergo conseruat essentiam, eadem igitur & essentiam conficit atque esse. Vnitas certè in opposita sibi multitudine dominans, nec ex se existit, nec ex opposita prodiit multitudine. Igitur ex vnitate pura super essentiam vbique multiplicem in seipsa simpliciter consistente. Cùm dicis vnum corpus, & vnus animus, vnus calor & vnum frigus, hic prædicata vnitas nec corpus est, alioquin animo non competeret, nec frigus, alioquin calori minimè conueniret. Simili quodam discursu inuenies ipsum vnum essentia qualibet eminentius, cuius virtute quæ magis vnius, eadem magis essentiæ participia fiunt.

Præterea, summa ipsius entis perfectio in identitate statuque consistit, hæc verò in vnitate fundantur, sicut diuersitas ac motus in numero. Vnitas igitur quæ causa enti perfectionis existit, est ente superior. Proinde, ant ens dicit idem cum vnitate, aut ab ea diuersum: vnitatem certè identitatis fundamentum esse fateberis: ergo si primum illud dicis, scilicet ens esse idem cum vnitate, extat certè antè hanc vnitatem vnitas ipsa prior, per quam ab ente distincta atque prius erit in se absolutè prima per absolutam primitatem, id est, per naturam suam, antequam sit prior ente videlicet ab ente relata: neque licet dicere, ita ens ab vnitate distinctum, vt sit vnitate prius: nam si ab ea distingui dicatur, prius erit sibi ipsi idem, idem, inquam, per vnitatem. Accedit ad hæc quod nihil potest ipsa simplicitate superius cogitari: hæc autem est ipsa vnitas. Vnitas igitur non solum

est prima omnium, sed etiam est ipsa primitas: cuius ratione cætera sunt vbique priora. Per hanc & ipsius ens prius est sequentibus, per vnitatem videlicet tum coniugatam sibi, tum etiam ipso superiorem. Neque licet dicere ens in primo signo, nec vnum esse, nec non vnum. Nisi enim sit vnum, id est, simplicissimum, nondum in primo erit signo. Quod igitur ibi fit, habere videtur per vnitatem. Cogita concurrere ens simul, atque vnum, ens quidem cum sit multitudinis capax, non cogit secundum esse vnum: at verò ipsum vnum compellit ens esse vel vnicum vel vnitum. Merito igitur Boëtius ait, causa & ratio entis est vnitas. Et Auicenna Auerroisq; confitentur, vnitatem vniuscuiusque suam esse naturam.

Qualibet essentia naturalem sibi multitudinem possidet ab initio, atque interea est aliquid vnum.

CAPVT II.

Singulatim discurrendo aliud quidem est hoc ens, aliud autem est hoc vnum. Nam quatenus ens, est etiam multitudo quædam: qua verò ratione vnum, esse multitudo non potest. Quamobrem super singula entia aliud est ens ipsum, aliud ipsum vnum, neque disponuntur ex æquo, ne duo rerum principia sint, neque vnum est sub ente, alioquin & vnum esset multiplex, & ens non esset vnius particeps. Ens igitur est sub vno præsertim quoniam essentia prima atque mens est naturaliter omniformis & ideo pura simplicitate posterior. Quæ quidem pura vnitas dum per vnionem in essentia sua cuncta conseruat, declarat per vnitatem se omnes essentias confecisse. Præterea ipsum intelligibile amplius quam ens esse videtur. Intelligimus enim non solum entia atque esse, verumetiam non entia atque non esse. Non tamen est latius vno: nam etiam vbi discretam prorsus multitudinem cogitamus, intelligimus hanc tanquam plures vnum. Siquis autem ens latissimum esse dicat, concedemus quidem ad omnes species indeterminatum esse: interea tamen ad omnes determinabile. Ipsum verò vnum determinabile est ad nullum: igitur simplicissimum atque primum. Item essentia, vita, intelligentia sunt tres quædam particulares perfectiones formaliter inter se distinctæ: ipsa igitur simpliciter perfectio antequam in tres eiusmodi diuidatur in diuisa est, & ita semper permanet in seipsa. Hoc ipsum vero scilicet esse indiuisum, ratio est ipsius vnus perfectioque ipsa simpliciter. Est igitur vnitas ante ens & vitam; atque sapientiam. Quoniam verò perfectio simplex & bonitas idem sunt, consequitur ipsum bonum esse superius ente. Itemque ens vel simplex est omnino vel compositum: Si primum, ipsa ratio entis est ipsa essentialis vnitas atque simplicitas: si secundum, essentia entis est ipsa essentialium principiorum suorum vnio: sed super vnitatem essentialem essentialiumque vnionum est ipsa simpliciter vnitas. Quæ si ente sit posterior, iam & ipsa non vnitas est, sed multiplex: & ipsum ens in primo sui signo non erit vnum aliquid, ergo multitudo infinita vel nihilum. Siue dederis aliquod ens, siue ipsum simpliciter ens, diuisibile est in partes, siue insitas, siue subiectas, & multitudinis alicuius natura capax. Ipsa verò vnitas tale nihil admittit. Diuersa est igitur & superior. Ens quidem diuisione totius in entia deriuatur: vnitas autem non diuisione, sed repetitione totius in vnum hoc & illud se diffundit. Ens item diuisione minuitur: vnum verò contra diuisione semper multiplicatur. Denique ipsi quoque Peripatetici declarant excellentiam vnitatis. Nempè docent eandem esse formæ vnitatisque naturam, quoniam quo quidque ens est, eodem sit & vnum. Ideoque cum ex formis sit ens eademque vnum, merito formæ vnitatisque naturam eandem esse. Addunt huius & illius rationem esse diuersam. Cum enim proprietas quidem formæ sit potentiam formabilem se diffundere, vnitatis verò proprietas simpliciter in se consistere, atque interim vnire cætera & intus & extra, constat rationem vnitatis non solum esse à forma, ideoque ab essentia differentem, sed simpliciorem etiam prioremque, & magis ad excelsitudinem principij pertinentem.

Accessus ad Deum.

CAPVT III.

Animus etiam cùm propemodum accedit ad Deum, ambiguitate laborat. Tum quia intellectus, & species est, & speciebus consueuit inniti. Deus autem speciem habet nullam. Tum etiam, quia animus tunc demum accessisse potest, cùm ipse factus est Deus, ambigit ergo mox, vtrum ipsemet sibi, an alter occurrat. Quisquis accedit ad Deum bonum, summum, vnum, discedat ab oppositis, id est à malo, ab infimis, à multitudine, excedat etiam intellectum. Intellectus enim non est ipsum simpliciter ens, sed ens duntaxat intellectuale. Deus autem est quodlibet ente superior, imò & ipso simpliciter ente. Sicut enim ens sensibile forma sensibili terminatur, sic ens intelligibile forma finitur intelligibili. Sic denique ipsum ens ipsa entis forma determinatur. Principium verò super omne determinatum extat. Neque stare dicitur, ne stare statu cogatur. Nec vlla ad res habitudine facit quicquam. Sed res ab illo fiunt quasi non faciente, sicut non mutato mutantur.

Accessus ad Deum.

CAPVT IIII.

Principium rerum est penitus incorporeum, immobile, vnum. Cum igitur nequeamus illud attingere per opposita, meritò nec imaginatione attingimus corporalia machinante, nec mobili ratione mutabile nonnihil semper excogitante, nec intelligentia suaptè natura multiplici varium semper aliquid meditante. Sed attingimus tandem vnitate quadam animæ intellectu superiorem, quando ad eam à multitudine tam intima quàm externa penitus segregati confugimus. Tunc primum præsentis vbique semper Dei signum in nobis perfectè præsentis habemus, præcipuè trinum, nouum lumen, insuetum amorem, inestimabile gaudium. Ad hoc consequendum duo conferunt: doctrina quidem tanquam via, segregatio verò dicta tanquam animi præparatio.

Accessus ad Deum.

CAPVT V.

IN Theologia nostra, & libro de Amore, & secundo Epistolarum libro rationes diligentius assignauimus, quibus gradatim ascendendum sit à natura corporea quæ dimensioni, motui, numero subiecta est, ad animam dimensione iam liberam. Ab anima mobili multiplicique ad intellectum immobilem quidem, sed multiplicem: atque interim ab intellectu ipsius animæ proprio ad ipsum simpliciter intellectum: tandem ab intellectu qui necessario in se multiformis est, ad ipsum simpliciter vnum, quod non sit ens vnum, ne ita sit multiplex: siquidem ratio vnius & entis est diuersa. Ens enim & multitudinem admittit, & nihilum habet oppositum. Vnum verò multitudinem non sustinet, sed respuit vt oppositam. Est igitur non ens, sed principium entis penitus absoluti: atque interea principium specierum absolutarum. Omnes enim species naturalium in primo esse suum esse possident absolutum. Quando Deum nominamus vnum, simplicitatem ipsam vaticinamur penitus indiuiduam, quæ super essentiam principium est essentiæ longè excellentius, quàm vnitas numerorum & signum dimensionum. Profectò sicut ens continuum atque ens discretum ad aliquid indiuiduum soluuntur, ita ipsum simpliciter ens refertur ad ipsum simpliciter indiuiduum.

Accessus ad Deum.

CAPVT VI.

OPposita quadam via accedimus in dimensionibus numerisque ad indiuiduum suum, atque in entibus ad indiuiduum illud quod entium est principium. Illic enim ad intimum aliquid, ac minimum peruenitur: hic autem ad extimum & amplissimum: maximum inquam simplicitate atque virtute. Est enim simplicius semper qualibet apud te excogitare simplicitate, atque potentius similiter pro testate. Solum ipsum vnum esse potest vniuersi principium: solum namque seipso sufficiens est omnino. Quicquid verò præter illud est necessario multiplex, quatruplicem saltem patitur indigentiam: siquidem in eo totum eget partibus: pars item parte: partes quoque toto: denique cuncta quodam extrinsecus componente. Iam verò ad principium pertinet nihil quærere, nihil accipere, nihil amittere. Solum verò vnum ipsum id munus habet, alioquin vnum certè non erit. Cum ipsum vnum negamus intelligere, ne fore multiplex compellamus; non negamus esse lucem miram intelligentiæ creatricem: vel intelligentiam esse, si modo intelligentia lucem significet intelligentia meliorem, habentem in se; imò penitus existentem quicquid intelligentibus est optandum. Nec igitur sui ipsius incertam, nec aliorum, sed absque compositione atque respectu sibi ipsi mirabiliter, cæterisque lucentem. Denique sicut alibi diximus, non aliter Plotinus quàm Dionysius Areopagita principium super intelligentiam, vitam, essentiam esse putat.

Accessus ad Deum.

CAPVT VII.

ET si Deus est vbique perspicuè tamen in summo intelligentiæ lucet. Ad hanc lucem perspiciendam formæ omnes non solum imaginabiles, sed etiam intelligibiles, tanquam nubes obstant. Has igitur omnes procul discute, diuinam lucem mente serena feliciter percepturus.

Accessus ad Deum.

CAPVT VIII.

DEus est tanquam indiuiduum & immobile centrum vniuersi, à quo & ad quod omnia pendent. Similiter intellectus diuini animique intellectuales inde creati sua quædam habent centra, id est, vnitates essentiales intellectu superiores. In intellectibus ergo diuinis præter eiusmodi centrum extat orbis vnus, id est, proprius intellectus; in anima verò vltra centrum suum sunt tres orbes, intellectus, ratio, imaginatio. Cętrum quidem semper copulatum est cum vniuersi centro. Intellectualis orbis perpetuo reuoluitur circa idem: orbis autem rationalis atque imaginalis aliquando circa cętrum suum atque diuinum voluitur, aliquando quasi frangitur, & per obliquum declinat ad alia. Interea dum similem brutis vitam agimus ratione ad Deum non conuersi intellectu, saltem clam reuoluimur circa Deum. Restat quinetiam affectus quidam in ratione stimulis quandoque suis renocaturus ad Deum: cui quando penitus copulamur, quoniam per vnitatem essentialem illi iungimur, interius longè pleniusque fruimur, quàm qui re quauis cognoscendo potitur. Probabile verò est eiusmodi copula nos coniunctos inde minimè discessuros. Copula verò est arctissima quando incorporeum incorporeo iungitur, si modo alterum eorum formalem diuersitatem iam deposuerit, per quam vtique solam discrepabat ab altero.

Beatitudo animæ contemplantis Deum.

CAPVT IX.

SIcut omnia bona sunt à primo bono, sic omnis amor ad quodcunque bonum feratur, accensus est naturaliter ab eodem. Amor ergo noster cum in nullis vsquam bonis quiescat velut fine, pro fine vbi sit quietutus habet idem bonum quod habuit & principium. Quemadmodum verò appetitus ad bonum naturaliter incitatur, sic & fruitionem exigit naturalem: non imaginalem tantum & in cognitione quadam sola positam, sed reipsa naturam nostram intus afficientem: quod quidem in sensibus apparet, & corpore. Multo magis primi boni fruitio naturalis essentialisque nobis euadere debet, nec per modum intelligentiæ simplicis, sed naturæ: vbi fruitio tanto sit penetrantior in medullas quàm intelligentia, quanto intelligentia solet obiectum profundius penetrare quàm sensus. Igitur frui Deo non tam est videre quàm tangere, nec id quidem extrinsecus, sed penitus illabi, ac diuinitus affici, efficique Deum sicut qui & alimento vescitur, tandem efficitur alimentum, vel fortè vicissim. Sed ô Plotine postquam ista concesseras, consequenter & concessurus eras; animam in Deum iam

translatam inde non discessuram: & animam quæ naturaliter apta est, vt actu intimo conuertatur in Deum, fiatque Deus, non esse aptam, vt motu proprio aliquando transferatur in brutum.

Fruitio Dei.

CAPVT X.

Animus absoluta tandem præparatione Deo quam proximus ex infinito bono virtutem attrahendi infinitam prorsus habente, amorem erga ipsum concipit infinitum: vtrinque igitur adeo transformatur in Deum, vt intuenti mox non vt animus iam occurrat, sed vt Deus, quemadmodum si aër attenuetur in lumen, quod iam forte ab initio contigit igni. Hinc illud Pauli nostri: qui adhæret Deo, vnus fit spiritus. Concessit quidem Plotinus intellectum nostrum Deo semel potitum, nunquam inde diuerti. Concedit & rationem conuerti ad intellectum, quando discursione deposita argumentatio in ea iam subito fit intuitus. Concessurus erat & rationem ibi perpetuo contueri præsertim à corpore penitus absolutam, quod & hic inter loquendum tetigisse videtur.

Fruitio Dei.

CAPVT XI.

Virtute ipsius vnius vbique fit vnio: nec aliam ob causam similiora inuicem facilius vniuntur, quàm quoniam in qualitate sunt vnum. Animus ergo cum ipso principio rerum vno tunc demum vnitur arctissimè, quando ipse potissimum in se fit vnum, id autem efficitur, quando exutus multitudinem quæ ad imaginationem, rationem, intelligentiam pertinet, euadit sola sua vnitas, atque hac ipsa per amatorium affectum fruitur vnitate diuina, centrum ita suum centro copulans vniuersi. Plotinus animum sic affectum asserit intellectualem formam suam transtulisse ad vnitatem: rursusque rationalem formam ad intellectualem similiter transtulisse. Hinc igitur concessurus erat rationalem pro intellectuali iam habendam, atque hanc sicut & illam ibidem perpetuo permansuram, præsertim quum dicat animum in statu illic immobili constitutum euasisse quasi iam statum, ac nedum naturam mobilem, sed ipsam quoque primam essentiam transcendisse, vbi finem motibus faciat & laboribus. Nos certè Magnanime Laurenti laboribus in Plotinum nostris finem adiuuante Deo nunc imponimus: sic Deum omnipotentem suppliciter adorantes.

FINIS





MARSILIVS FICIN. FLORENT.

PHILIPPO VALORI, viro nobili atque magnanimo, S. D.

QVI præcipit, cognoſce teipſum, nos admonere videtur vt animam cognoſcamus, quæ quoniam eſt medicina rerum, nimirum eſt & omnis, hac itaque cognita facilè ſumus omnia cogni turi. Ego igitur vt animam in primis aſſequerer, per quam conſequuturus omnia forem, ad Philoſophos non plebeos illos quidem, ſed egregios iam diu ſtudiosè me contuli. Cùm verò hinc quidem Platonicos, inde verò Peripateticos anxius percontarer, eorumque reſponſa diſſidere inuicem viderentur, diffidebam ab initio me voti compotem vnquam fore. Verùm non multo poſt Themiſtius ſpem mihi prębuit optimam, affirmãs, tantos inter ſe Philoſophos non ſententia quidem diſſidere, ſed verbis eamdemque de Anima Platonis, Ariſtotelis, Teophraſti, ſub diuerſis verbis eſſe ſententiam. Incidi denique diuina quadam ſorte in librum Theophraſti de Anima, à Priſciano quodam Lydo breuiter quidem, ſed tamen diligenter expoſitam ea potiſſimum ratione, qua Plutarchus, & Iamblichus, Platonici, Peripateticique inſignes Ariſtotelicam de anima ſententiam explicauerant. Cùm igitur in his legendis Platonicos, Peripateticoſque eſſe concordes animaduerterem, habui fermè tota quod mente petebam. Atque vt cæteri quam ptimum habeant, librum hunc è Græca lingua tranſtulimus in Latinam. Adiunximus præterea Expoſitiones quaſdam breues, à nobis inter legendum atque transferendum excogitatas. Neque tamen hac in re duxi in præſentia mihi nimis elaborandum, vel latius euagandum. Ioannes enim Picus Mirandulanus vir certè mirandus, iam hoc agit ad ſummum, vbi Philoſophorum omnium de quauis materia mentes diligentiſſime di cutit. Ac Platonem Ariſtotelemq; de anima mirabiliter monſtrat eſſe concordes. Librum verò tibi potiſſimum, mi Valor, cẽſui dedicandum Tu enim vnà mecum iamdiu concordiam Philoſophorum hac de revehementer affectas. Medices verò noſtri quibus tanquam patronis dare omnia, imò reddere conſueuimus conſentient, proculdubio munuſculum hoc vnum è multis meo dedicari Valori, & Medicæ domus præ cæteris amiciſſimo & promptiſſimo, ſemper Platonicorum operum adiutori. Quamuis autem Græcum exemplar vnicum inuenerimus, & id quidem mendoſum atque mutilatum, att men lege ſecurus, & ita cæteris præbe legendum, nam emendare hoc atque reſarcire diligentiſſimè ſtudui, & Angelus Politianus noſter, acerrimo vir iudicio plurimaque doctrina, noſtram hanc diligentiam approbauit. Vale atque lege fœliciter, & cæteris præbe legendum. Vale.



MARSILII FICINI FLORENTINI EXPOSITIO in interpretationem Prisciani Lydi super Theophrastum.

QVOMODO INSTRVMENTVM SENSVS fiat simile sensibilibus.

(∴) CAPVT PRIMVM. (∴)

MARSILII.

AD hoc vt fiat sensus, oportet instrumentum eius euadere simile sentiendis. Non in forma eorum materiali atque naturali, sed in specie quadam & ratione immateriali, ac solum repræsentatiua. Forma rei sensibilis, quæ est extensa, non sufficit ad sensum, quoniam actus sentiendi fit subito simul totus circa totum, quod tunc comprehendi potest.

PRISCIANI.

THeophrasti deinceps institutum est de sensu disserere, quoniam vero Aristoteles instrumenta sensuum a sensibilibus mota assimilari sensibilibus passione quadam existimat, merito Theophrastus que natura similitudo fiat inquirit. Absurdum enim esse videtur in sensuum instrumentis, multoque magis in ipsa anima vllam, eo'oribus, liquoribus, siue saporibus, sonis, formis siue figuris assimilationem fieri. Ait igitur ipse quoque secundum species rationesque absque materia eiusmodi similitudinem comparari. Tractandum est igitur vtrum extrinsecus species incidat, qualisue sit, & vbi prorsus appareat, & nunquid species circa corpus extensa diuisibilisque satis ad cognitionem faciat, siquidem eiusmodi species incidit non congregata. Omnis autem cognitio constat secundum quandam in vnum congregationem, atque secundum impartibilem totius comprehensionem.

Quod sentit iam habet materialem speciem rei quam sentit repræsentatiuam: sed antequam habeat eam, oportet instrumentum sensus à sensibili moueri atque pati.

CAPVT II.

MARSILII.

QVatenus superbia animæ quasi inclinatione quadam se accommodat spiritui, quod est instrumentum sensus explicatur in actum potentia sentiendi, quæ latebat in anima, quæ potentia sic explicata concurrit tanquam pars vna cum corpore tali ad complendum animal, superbia igitur animæ separata est magis. Potentia verò hæc magis coniuncta corpori. Nec agit sine corpore Phantasia, id est, imaginatio acrioribus motibus suis variè afficit spiritum, per quæ hoc reliquum corpus, quoniam hæc intuitum suum dirigit intro circa imaginamenta sua, sensus autem dirigitur ad externa, neque percipit passionem instrumenti, vel speciem, quæ ad sensum conferunt, sed per hæc duo percipit, quæ sunt extra, iam actibus suis non alterat spiritum, non enim terminatur actus eius ad intima, sed externa.

PRISCIANI.

NEcesse est igitur quod cognoscit secundum speciem cognoscibilis agere, & illius pratul se characterem, atque id nominatur assimilatio. Passio verò in instrumento fit sentiendi, atque hanc necesse est precedere sensum sentiendi, namque potestas non est omnino à corporibus separata, sed in ipsa animæ inclinatione, siue nutu ad sensuum instrumenta suam sortitur essentiam, atque ad animalis exigitur complementum, neque absque instrumentis agere potest. Neque tamen hæc sicut imaginatio principaliter excitata simul commouet instrumentum propterea quod valde extensa est, atque omnino ad externa protendi tur. sensibiliumque semper præsentia indiget. Imaginabilia igitur haud extrinsecus sunt, quamuis sint quadam (vt ita dixerim) externorum assimilamenta, sensibilia verò sunt externa. Circa hæc enim fit sensus non circa passiones instrumentorum, tametsi vnà cum eiusmodi passionibus ipse sensus species, quæ sunt in corporibus, percipit.

(∴) (∴) (∴)

Res sentienda mouet quodammodo instrumentum sensus, id est spiritum quodammodo viuum, hæc motio, tum passio dicitur, quia spiritus est corpus, tum actio, quia spiritus est viuens, & efficacia vitæ illatæ passioni, continuam ex se adhibet actionem.

CAPVT III.

MARSILII.

Eiusmodi motio similis est obiectis, tum quia ab illis est illata, tum quia actio huic motui continua quando adhibetur à vita spiritus, ipse spiritus erga obiecta iam est excitatus, motio talis, quia est passio magis quàm actio & tempore, locoque diuisibilis, nec habet naturam speciei, sed motionis, ideo non est sensus, qui indiuiduè & subito, & per speciem agens totum, comprehendit obiectum. Motionem eiusmodi non esse sensum apparet, quoniam alioquin quoties mouemur, etiam sentiremus, & motio vehementior non offenderet sensum. Oportet post motionem & passionem peruenire ad aliquam speciem, per quam fiat sensus, qui & speciem attingit, & ideo per aliquam speciem percipit, quæ species non est in instrumento, alioquin motio quædam esset & passio potius quàm species, atque esset instrumento pariter coextensa. Oportet autem ab hoc ipso, quod est pariter coextensum perueniri ad speciem, quæ ad minimam redacta sit quantitatem, & per hanc ad rationem insitam animæ, quæ nullam habeat quantitatem. Rursus, species ipsa non in vestigio vitæ, quod anima imprimit instrumento, omnisenim huius actio cum passione miscetur, idemque motus & hoc vestigium & instrumentum pariter agitat. Species autem passionis est expers & motionis. Est enim terminus motionis. Non est ergo in vestigio vitæ, quod verè est accidens, sed in vita quæ quasi substantia quædam non in vita separata à corpore, sed in vita animali, id est, procedente ab anima superiore, quæ anima superior separata est, vel separabilis, & substantia vera & completa in se, atque subsistens, vita verò ab hac diffusa per corpus, quamuis quasi substantia, quædam sit, est tamen pars animalis, atque est quoddam vitale applicamentum animæ ad corpus diuisum cum corpore, & quasi quædam animæ propagatio.

PRISCIANI.

Patiuntur autem à sensibilibus ipsa sensuum instrumenta, non tanquam inanimata, sed corporis viuentis est passio, quapropter neque totum est ibi passio, neque extrinsecus contingunt omnia, sed etiam secundum propriam actionem neque mouetur quidem prius, agit autem postea. Imò neque mouetur omnino, quin simul & agat, neque tamen agit nisi & moueatur. Talis itaque in instrumentis motio similis fit speciebus, quæ sentiuntur, vtpote quæ simul & ab illis & secundum quandam ad illa excitationem vitalis apparitionis siue impressionis instrumento insitæ, illata fuit. Sed nondum hoc sensus est, ipsa videlicet ad sentienda in sensuum instrumentum inducta similitudo, quippe cùm hæc passio potius quàm actio sit, atque corporeum quiddam, & diuiduum, temporeque extensum ad speciem quidem adnitens, non tamen in specie positum, sed adhuc in motu. Sensus autem principium, mediaque & finem sentiendæ rei indiuiduæ comprehendit, & actionem iudicium que perfectum, & in præsenti momento simul totus existit, ac secundum speciem sensibilis iam constitisse videtur. Quamobrem, non absque passione aliqua instrumenti sensus efficitur, neque tamen est hæc passio sensus, quo fit vt aliquando patiamur quidem, & vigilantes, & dormientes, neque tamen persentiamus. Oportet igitur post passionem in speciem perfici tandem, atque desinere, speciem, inquam, rei similem sentiendæ: nam secundum perfectam spespeciem sensus efficitur, quandoquidem iudicat. Hæc autem rei sentiendæ species in instrumento non ponitur. In hoc enim passio motioque fieri solet. Quodve hic est in diuisione versatur, & species non existit: neque rursum colligata est in ipso vitæ vestigio, quod instrumento ab anima est tributum. Actio namque vitalis, etiam huius vestigij cum passione peragitur. Fitque ibi motio instrumento simul & vitæ, id est, eo collata communis. Sed species ipsa secundum actum se habente, neque tamen separata, sed in animali vita animal complente, atque in vitali ipsius applicamento, quod circa corpora iam est diuisum.

Species effecta in vita animalis addicta corpori, quoniam est coextensa simul cum hac vita, non sufficit ad actum sensus qui indiuiduus est, id est, indiuiduo momento totum quoddam sensibile, ictu quodam vnico comprehendit.

CAPVT III.

MARSILII.

Fit ergo actus sentiendi per formam aliquam indiuiduam, & quia est actus intus permanens, fit per formam intimam, quæ appellatur ratio exemplaris ad sensibilia repræsentanda, atque est essentialis animæ, & vnà cum anima etiam per se viuit, neque solum est compositi, id est, quamuis quodammodo communicet cum corpore, potest tamen à corpore separari, imò & separata est, alioquin indiuiduè non posse agere. Pro qualibet specie sensibilium est vna ratio sensualis in anima omnium induiduorum repræsentatiua, repræsentat autem nobis, tùm hoc, tum illud quatenus excitatur per speciem hanc, vel illam effectam in vita propria corpori atque animali. Hoc est propriè sentire proferre in actum ipsam rei sensibilis rationem ad præsentiam speciei factæ in vita, quando res mouet sensibilis vnum instrumentum sensus. Nota rationem talem, & actum sensus imaginationisque impartibilem esse, & ideo substantiam animæ, in qua est esse indiuisibilem, & ideo à corpore separatam, vel separabilem.

PRISCIANI.

Veruntamen, neque hæc species sufficiens est ad sensum, species enim circa instrumentum secundum actum perfecta, quia est circa corpus diuisa, nec in vnum impartibile conuersa est, non est cognitiua. Sed profectò est in anima quadam sensibilium, ratione ante sentiendi actum, & ante speciem comprehensa, quæ & secundum seipsam viuit, neque solum est compositi, quapropter

pter agit etiam indiuiduè, atque est potestas quadam particularium, neque fit quandoque in anima, tanquam vna quadam particularis diuisaque species. Est enim ratio cognitiua sensibilium in anima ipsa consistens, non in corpore iacens. Est quidem vna, sed non vt singularia, imò habens vnum in ipsum in se multa complectens, & vnicuique eorum accommodatum, vna enim albedo ratione animæ singula sentit alba. Oportet igitur rationem eiusmodi esse propositam, atque editam si futurus est sensus. Profertur autem excitata ad vitalem speciem, vt ad propriam, atque familiarem, atque huic speciei accommodata, tanquam speciei exterioris similitudini, & vnà cum hac agens, quod enim iudicat ratio est, & cogitatio secundum animam sensualem, atque ipsa in vnum impartibile collectio in substantia est à corporibus separata.

Non imprimuntur notæ à sensibilibus formæ in anima, & quando dicitur anima speciem à rebus accipere, intelligitur eam ad rerum præsentiam proferre in actum species earum in ipsa latentes.

CAPVT V.

MARSILII.

QVoniam cognitionis actus est intimus & vitalis, apparet hunc edi ab intima forma, sicut lucere à luce, & à calore calere, hæc intima forma, id est, ratio sensibilium exemplaris ad ipsam animæ spectat essentiam, à qua quidem essentia vera rationes essentiales habente, dependet quædam animalis vita, non vera essentia, nec anima vera, sed quasi accidens, vel quasi substantia & viuificatio quædam pendens à prima, sicut lumen à lumine, sub qua pendente fit vitæ vestigium quasi calor. Eiusmodi vita est pars animalis producta ab anima, quatenus vergit ad corpus producta, inquam, ab anima, per rationes suas, tum vegetales, tum etiam sensuales. Et ideo videtur ipsa quoque quodammodo rationes habere, sensumque & officium vegetandi. Non tamen dicendum est duas esse potentias sentiendi circa eundem sentiendi actum. Sed potentia ipsam in anima implicatam explicari per vitam, similiter rationem latentem in anima explicari per speciem aliquando in vita perfectam, hæc autem vita est illa, quæ dicitur terminus & actus, & perfectio organici corporis potentia vitam habentis. Denique, in instrumento sensus similitudo ad sensibile fit imperfecta, perfecta verò in vita, sensus autem per rationis productionem.

PRISCIANI.

A*Nima igitur propterea dicitur rei sentiendæ speciem possidere, quia illius proferat rationem, nec vllo modo tanquam ab illa formam aliquam vel figurationem velut à sigillo suscipiens. Iudicium enim & actio existit intrinsecus atque vitalis. Ratio itaque permanet intus & essentialis est animæ. Vita verò quæ complet animal, à rationibus quidem dependet essentialibus in suspensa. Secundum verò extensionem quandam ad corpus ipsa subsistit. Est hac quoque sensualis est, & terminus perfectioque animalis. Quo circa in hac rei sentiendæ similitudo perficitur, in instrumento autem est imperfecta, atque cum à passione, miscetur & actione, & passio quidem incidit ab externis, Actio verò procedit à vita. Item species quidem in vita est animalis, iudicium verò cogitatioque in ipso rationis actu consistit.*

Res externa suo modo instrumentum sensus afficiunt materiali quadam affectione. Sed vita præsens affectionem hanc in speciem immaterialem transfert, per quam excitatur anima ad rationem proferendam congruam speciei.

CAPVT VI.

MARSILII.

PEr prolationem eiusmodi anima rei sentiendæ se similem præstat, potest autem contrariis simul se facere similem per diuersarum rationum prolationem, non posset autem contrariis fieri similis si talis fieret patiendo. Rursum si anima vnà sui parte tangeret calorem, altera frigus, non posset hæc duo inuicem comparare, quomodo conueniunt, quomodo differant, oportet enim iudicem eundem prorsus opposita comparaturum ambo comprehendere. Anima igitur indiuiduo quodam sui plura simul contrariaque contingit, est igitur indiuidua. Nam hoc ipsum indiuiduum ad cognitionem sufficit, igitur & ad vitam.

PRISCIANI.

Q*Vo igitur modo anima fit similis sentiendis, non quidem ex eo quod quicquam ab illis accipiat, sed quia secundum rationem illorum agat, videlicet per impressionem apparitionemue quandam specierum exteriorum, quo rursum pacto anima pluribus simul atque contrariis fit aliquando similis, profectò contraria simul pati non potest. Agere verò valet, sensus autem secundum actionem est atque iudicium. Non autem secundum aliquam passionem, nam secundum rationem sensus efficitur, passio verò in instrumento locatur. Cum autem instrumentum sit corpus atque partibile, nihil prohibet ipsum quoque per differentes eius partes plura simul contrariaque habere. Iam verò ratio in quodam indiuiduo differentia simul atque contraria, quotcunque sint comprehendens similiter agit. Quapropter & eorum diuersitatem rectè diiudicat, quippe cum indiuiduo quodam plura contingat.*

Species sensualis quæ fit in prima animali vita, fit à ratione innata animæ tanquam à causa principali, fit & à vita, in qua est tanquam ab instrumento: ad huius verò effectum occasionem præbet passio quædam à sensibili instrumentum sensus illatus.

CAPVT VII.

MARSILII.

IPsa vis sentiendi non est in potentia formabili ad externa, sed ad suos actus circa externa edendos, Anima fit similis sentiendis, quatenus rationes eorum ex se promit in actum. Instrumentum verò sensus fit illis simile quatenus, & vt corpus ab eis afficitur, & vt viuum agit aliquid eis congruum.

(∴) (∴) (∴)

PRISCIANI.

Quando igitur etiam Theophrastus ait sensum fieri similem sentiendis, secundum species atque rationes, absque materia sic admittemus, vt non simpliciter ab externis species inferamur, sed à rationibus intimis in vita secundum actum sensualem constituantur. Iam verò sensus quoniam ad externa porrigitur, illisque fit similis, merito potentia quadam cognominatur tanquam actus, actionemque ferens, in anima quidem secundum rationis actum assimilatio fit, sed in instrumento, tum secundum passionem illatam à re sensibili, tum simul secundum vitalem actum, siue viuificam actionem.

Instrumentum sensus, quoniam est extensum, potest alia quidem parte pati contrarium istud, alia verò illud, sed hæc inter se conferre nequit, anima vero tanquam indiuidua, si simul à contrariis patiatur, patitur omnino per idem, quod est impossibile. Quando igitur contraria simul percipit non patitur ab eis, sed agit potius circa illa.

CAPVT VIII.

MARSILII.

NAm ex generali ratione saporum promit rationem dulcis, similiter & amari, quando amarum & dulce linguam simul attingit, & lingua tunc per diuersas partes patitur ab vtroque, sensus interim per rationes differentes communi ratione contentas circa vtrunque pariter agit.

PRISCIANI.

Qvonam igitur pacto instrumentum sensus ab amaro, simul atque dulci patitur. Non enim parte alia linguæ, hoc forsan percipit, alia verò illud. Sed eadem & in auditu similiter accidit. Si ergo distinguere licet auditum atque etiam instrumentum gustus, siue lingua id sit, siue quidam in lingua spiritus. Certè cum eiusmodi instrumentum diuisibile sit, quia corpus est, fieri potest vt altera quidem parte hoc, altera vero illud similiter patiatur, quod perspicuè patet in tactu, qui alia parte calefieri, alia frigefieri simul potest. Similiter & spiritus sensualis auditus, quandoquidem est diuiduus. Ratio vero, vt iam dictum est, tanquam indiuidua contraria simul agere minime prohibetur. Pati enim secundum idem contraria, est impossibile.

Omnia sensibilia agunt aliquid in instrumentum sensus, sed calor & frigus, & similes qualitates. Item sapores, & similes, quæ valde materiales sunt passionem inferunt acriorem, forma vero, & figura & numerus, atque motus, tanquam res magis formales passionem afferunt leniorem.

CAPVT IX.

MARSILII.

PRæterea, propria vniuscuiusque sensus sensibilia manifestiora sensibus offeruntur, vt color visui, vox auditui, calor tactui, atque similia: communia verò occultius subrepunt atque consequenter, vt figura, motusque &c. Sunt qui putent numerum atque motum esse tam formales, & à materia procul, vt sensibus minimè congruant, ideoque sola rationali cogitatione deprehendi, quando congruè ad hæc excitatur per sensum, sicut & essentiam sensibilium cogitatione deprehendi, non sensu, sed communis opinio est numerum atque motum non solùm ad cogitationem, sed ad sensum etiam quodammodo pertinere.

PRISCIANI.

Calor quidem tanquam potentia naturalis agere potest aliquid in sensuum instrumentum, sed forma, figura, motus, numerus, quomodo possunt actione quadam sensum sibi similem reddere? dicemus profectò hæc quoque habere in se aliquid efficax. Agere verò formalius, sed calorem cognatasque huic qualitates agere (vt ita dixerim) corporalius, ideoque acriùs & passione quadam vehementiore. Dicere quoque licet sensibilia vniuscuiusque sensus propria actionem inferre vehementiorem, communia vero remissiorem; hæc quidem vt proxima tanquam familiaria, illa vero remotiora. Ac forsan communia tanquam præstantiora, non eodem modo commensurata sunt sensui, sed enim simul sensibilia, sunt etiam ipsa communia, neque solum rationali cogitatione nascuntur. Atqui cogitatio hæc ad quædam ex sensibilibus reuocata ipsa secundum se cogitat, nondum vllo sensu comprehensa, seu quando sensibilium essentiam, substantiamue excogitat. Sin autem tempus quoque & numerum sensus minime percipit, hæc quoque cogitatio rationalis agnoscet à sensibilibus rebus admonita.

Res externa non reddunt sibi similem sensum, ac multo minus rationalem cogitationem, sed potentia sentiendi se facit similem per rationum suarum productionem, multoque magis id ita cogitatio facit.

CAPVT X.

MARSILII.

SIcut ratio innata sensui excitatur ad præsentiam sensualium specierum: sic ipsa tunc excitat potentiam cogitandi ad producendam rationem essentiæ sensibilium propter cognationem qualitatum ad eam, quando qualitates eiusmodi percipiuntur à sensu.

PRISCIANI.

Ceterum si secundum assimilationem quandam fit cognitio, quonam modo cogitatio à rebus non patiens sentiendis similis illis euadit? Sin autem patitur qualis huius est passio: sed profectò non secundum passionem (vt diximus) vel sensuale fit iudicium, ne dum rationalis excogitatio, imo secundum actionem rationumque partum. Ratio quidem sensibilium promitur quando instrumenti passio in speciem iam perficitur siue desinit sensibili similem. Atque ita ratio talis sensibili coaptatur. Quod si ad conueniens aliquid proportione aliqua excitatur, nimirum ratio index sensibilium qualitatum vim animæ suscitat sensibilium essentia cognitricem, familiariter sane propter familiaritatem quandam eiusmodi qualitatum ad essentiam ipsam à qua procedunt.

Sensibilia communia non solum cogitatione, sed sensu etiam apprehenduntur, & id quidem consequenter, prima enim magisque propria cognoscuntur, quia propter maiorem cognationem efficacius mouent.

CAPVT XI.

MARSILII.

AD eundem sensum pertinet de oppositis iudicare vt auditum de voce atque silentio, si purum silentium sit, non sensus exterior percipit, sed interior per memoriam vocis, aduertens se in vocis oppositum incidisse, vt plurimum vero silentium non est purum, & tum quidem conatur auditus circa obiectum debilissimum, & vix percipiens quicquam, silentium dicitur deprehendere, quasi deprehendens quod ibi de voce reliquum deest. Sensus rem congruam, & amicam, atque suauem iudicat, quando non innata cum aliquo congruit. Alienam verò cùm dissidet, dum interea instrumentum peruersè mouetur.

PRISCIANI.

PRoinde quoniam à propriis quidem sensibilibus primo magisque instrumentum pulsari solet, à communibus verò consequenter, atque remissius, meritò eadem conditione sensus quilibet sua percipere solet. Aspectus sanè primo colorem percipit, consequenter verò magnitudinem atque motum. Quamobrem videri possunt communia spectare magis ad animam, & quasi secundum accidens à sensu cognosci, sed certè, sicut dictum est, commune hoc sensibile consequenter fit sensui notum, neque sola cogitatione comprehenditur. Quæri præterea solet, quomodo & oculus tenebrosa, & auditus silentium deprehendat. Respondendum est non tam sentire, quàm consentire, neque inniti sigique talibus aliquando sensum, sed ex eo quod in his actio inhibetur, in ipso conatu sensum indicare, quod deficit ipsis. Atque quod distans alienumque est, deprehendere ex eo, quod ratio sibi innata huic minimè congruat. Interea verò instrumentum sensus quodammodo peruersè mouetur propter passionem à sensibili quodam illatam.

Cùm anima sit domina corporis, ideoque substantia longe præstantior, meritò corpus huius gratia factum atque dispositum.

CAPVT XII.

MARSILII.

IN ordine igitur prouidentiæ, anima & prior est, & prius distincta, quàm corpus: nam corpus tot accipit instrumenta, quot seruiant animæ iam tot vires habenti, quam vires formales sunt, & formaliter secundum speciem distinguntur, qualis distinctio à materia non procedit. Vnus ergo sensus intimus vnitatis suæ fœcunditatem in sensus se quinque deriuat. Quibus posterius quinque in corpore accommodata sunt instrumenta.

(∴) (∴) (∴)

PRISCIANI.

HActenus de sensu communiter sit tractatum, de singulis vero sensibus, vt de visu & auditu, cæterisque illud in primis nobis est distinguendum. Non vnum videlicet (vt quidam putant) solum esse sensum, quia participantibus instrumentis in differentes quodammodo species distinguatur. Nonenim ipsa diuersitas instrumentorum præcedit virium animæ differentias, nec ad vires diuidendas authoritatem habet, sed ipse sensus, & vnus quidem est in se ipso, & ex se in quinque discernitur ad sensibilia singula discernenda. Iam vero & ipsam sensuum discretionem instrumentorum quoque subsequuta differentia est congrue accommodata singulis, nam materialem instrumentalemque partitionem antecedit formalis ipsa, specialisve partitio, diuersitasque inuentibus tanquam authoritate freta maiore.

Actus sentiendi non ita afficitur, quasi vel sensus naturaliter tangat sensibile, vel sensibile naturaliter formet sensum, sed ratione quadam admodum spiritali.

CAPVT XIII.

MARSILII.

NEque visus emittit ex se naturale aliquid, & quasi corporeum, quo velut proboscide colorē tangat, neque ex colore effluit aliquid naturale quod imprimatur in visu, neque rursum color re ipsa colorat aërem, aërque visum. Species à materia separatæ, quia à loco penitus absolutæ sunt, & à materiæ limitibus sunt exclusæ, ideo aliquid in omnia possunt agere, & ad quantumlibet et spatium æqualiter agere. Species autem in materia & loco determinatæ pro modo naturæ suæ, & ad aliquid tamen agunt, & vsque ad certum spatium, similiterque patiendo suscipiunt. Sunt autem actiones naturalium plurimæ ipsius compositi, vt calefacere similesque, & odore saporeque naturaliter nonnihil afficere. Sunt tamen præter has actiones quædam eiusmodi specierum, non tam compositis attributæ, quàm speciebus, speciei videlicet ipsius præstantiam proprietatemque peculiariter consequentes: quæ quidem actiones quasi spiritales sunt, & longius protenduntur, quam actiones, quæ propriæ sunt compositi, & fiunt quandoque subito, vsque tamen ad certum spatium, quia species in materia sunt, locoque continentur. Actiones eiusmodi non solum in anima fiunt circa res agente, sed in speciebus quoque rerum ad animam quodammodo se porrigentibus, in tali vtique actione & passione fit sensus. Anima quidem cum sit forma viuens & sensualis, agit circa illa, quæ sibi offeruntur vitaliter atque sensualiter: & quia est in corpore, vsq; ad certum spatium operatur, species quoque rerum qua ratione sunt formæ formarum imagines diuinarum, formaliter & quasi spiritaliter agunt in rem videlicet formalem potissimum atque spiritalem, scilicet instrumentum sensus, id est, in ipsum viuentem. Atque actio talis propriè & proximè conducit ad sensum, sed addita huic actioni animæ, quam paulo ante dicebam. Actio verò compositi propria & materialis atque naturalis vel impedit, vel non conducit, vel non sufficit ad sensus effectum. Anima cœli, quoniam in corpore suo omnia sensibi-

bilia per causas habet, ideo sensu quodam intimo per hoc quasi per instrumentum simul & causam cuncta introspicit sensibilia. Contra verò, quoniam in corpore nostro non sunt principia sensibilium, sensus cogitur extra prospicere. Per hæc apparet Priscianum hunc esse Platonicum, Nam quod de sensu cœlestis animæ tangit, Plotini est Iamblichique, & Proculi. Imò & per superiora & per sequentia vbique constat hunc esse Platonicum & sedulum Iamblichi sectatorem.

PRISCIANI.

VErum quidnam est videre vel audire vel olfacere? Et nunquid per medium quoddam sensus omnes afficiuntur? Sicut visus per diaphanum, id est, perspicuum oculisque peruium, an potius sensus quidam tangunt absque medio sentienda? Item quidnam est diaphanum? Arbitror equidem visionem perfici, nec per susceptionem aliquam ab externis quasi formetur à sentiendis, per quendam ab eis effluxum, nec secundum emissionem ab oculis aliquam ita factam, quasi corpus aliquod emittatur, tangatque sentienda, neque colores quidem mouere diaphanum, quasi forment ipsum, Diaphanum verò visum mouere similiter. Sed species ipsas efficacem habere potentiam, per quam vnaquaque agit in illud potissimum, quod passioni eiusmodi est expositum, non tangendo duntaxat, sed in illa quoque, quæ distant, quatenus commensurata quadam distantia sit, his quidem ad faciendum, illis vicissim ad patiendum. Cum enim species naturalis corporea sit, & contineatur in aliquo, & loco quodam circumscribatur, non in quodlibet positum vbilibet agit. Sed in illud tantum, quod distat, inde ratione quadam commensurata tum efficaci agentium potestati, tum aptæ & expositæ ad hoc potentiæ patientium. Atque rursum ad passionis ipsius mensuram. Agit quidem visibile in instrumentum visus ab interuallo quodam, quod & commensuratum sit, tum videnti, tum visibili, illi quidem ad agendum, huic autem ad patiendum. Quoniam verò non simpliciter ipsa visualis naturæ ab obiecto visibili passio facit sensum, passio enim vehementior impedit, quia incommensurabilis est ad passionis mensuram, secundum quam fit sensus, nimirum opus etiam est interuallo. Quo fit vt valdè lucentia si propinquiora fiant quam exigat ipsa mensura, impediant visionem, & denique omnino prohibeant. Quoniam verò non solum in passione instrumenti, sed etiam in actione quadam sicut iam est dictum sensus efficitur, agit quoque id quod videt circa illud, quod videtur ab eo, non quidem illud alterans aut aliquam inferens passionem, sed iudiciarie circa illud agens. Non enim tanquam corpus sed tanquam vitale aliquid atque visiuum agit. At quoniam vitalis, & hæc ipsa cognitiua potentia est in corpore, neque in eo secundum causam sensibilia comprehendit sicut vita illa potentiaque cognoscendi cœlestis, sed secundum quandam ad sensibilia distantiam protensionemque perficitur, merito hæc quoque commensuratio quodam hæc coaptante indiget interuallo.

Quomodo inter alios sensus maximè cœlestis solus vtatur lumine, re valdè cœlesti & necessario hoc vtatur.

CAPVT XIIII.

MARSILII.

SVb lumine sunt luminosa, atque luminalia. Primum luminosum est cœleste, secundum est igneum. Tertium inter composita, quod quasi fulget vt ignis. Primum luminale est oculus præcipuè radiosus in animalibus, qui noctè vident. Sed ali quoque oculi quamuis minus sunt, attamen luminales. Secundum luminale est color factus, videlicet ex dominatu quodam luminis in corporibus. Tertium luminale est diaphanum, quod transpicuum possumus appellare, videtur enim perspicuitas hæc aduenienti lumini tam facilè peruia esse quædam luminis inchoatio, & aptitudo summa ad capiendam insuper reliqui luminis plenitudinem. Quoniam igitur & visus, & color, & diaphanum naturaliter in se habent luminis aliquid & quidem exiguum, meritò videntur ad plenius lumen adniti. Quo ex luminalibus euadant iam luminosa, & perfectum in eo genere gradum adepta inuicem copulentur, scilicet color cum oculo per diaphanum. Medium verò necessarium inter oculum & colorem non est aër, qua ratione aër alioquin per aquam, & similia non videretur, sed est qua ratione diaphanum, id est, transpicuum & radiis vndique peruium, & amicum quasi facilis hospes & aliquid naturaliter luminale, quod sanè exigitur, plurimum quidem vt ipsum lumine iam imbutum illuminet oculum atque coloret. Semper autem vt dubitum sit inter hos interuallum, nam vbi vel oculus, vel obiectum apud nos valdè luminosum est, non est necessarium alio quodam tertio præter hæc lumine ad perficiendum medium, quo hæc deinde perficiantur. Dicitur verò color extremitas diaphani in corpore terminato, duobus præcipuè modis, primo ratione diaphani, secundo ratione obiecti. Album aspicis niuem, hunc ergo colorem candidum esse terminum diaphani scito, tum videlicet aëris medii, nam in eius extremitate tangente niuem est candor, tum diaphani cuiusdam, quod niui insitum intelligimus. Apparet autem hic actu candor non in qualibet parte diaphani huius, sed extremitate tantum, id est, semper in superficie niuis, quotiescunque niuem incideris: Per hæc confirmatur colorem esse aliquid luminale.

PRISCIANI.

HÆc quidem communia sunt auditui simul, atque visui, & alicui aliorum insuper, si quis alius sensus sensibile proprium non cogatur attingere, sed in visu præcipuus est, & proprius luminis vsus perficientis, tum visiuum ad videndum tum visibile vt videatur: neque enim vel ipsum visibile aget aliquid innixum absque lumine, vel visiuus aget aliquid circa visibile. Quod enim in nobis est visuale, est quodammodo naturaliter luminale, quod quidem euidenter declarant animalia quædam, quæ res sibi videndas prius illuminant. Quapropter possunt etiam nocte videre, colores similiter sunt quodammodo luminales, vtpote qui circa terminos diaphani corporum terminatorum considerantur. His ergo de causis merito perficiuntur vtraque lumine quippe cum suapte natura exiguum habeant luminale, quantum spectat ad perfectam inuicem actionem. Quapropter externo insuper lumine indigent, tum visiuum ipsum tanquam aliquid luminale, tum colores, seu lumina quædam, quod sane eorum indicat susceptaculum. Colores enim termini sunt diaphani, diaphanum vero est quædam (vt ita dixerim) aptitudo ad lumen accipiendum, vel forsan est vestigium quoddam luminis exile adeo, vt nondum medium interuallum perficere possit ad visionem. Atqui & hoc

ipsum intervallum ad visionem accommodatum est, non tanquam aër, aut aqua, aut aliquid aliud, sed tanquam diaphanum aptu iam perfectum ab illustrante, atque utrunque perficiens, tum quod videt, tum etiam quod videtur. At si visibile ipsum sit adeo luminosum, ut ipsum possit perficere visum: quemadmodum ignis & similia, etiam nocte lucentia, non ulterius medium exigitur ut perficiat, sed ad tantum ut commensuratum prabeat intervallum. Res namque perfulgida oculis nostris imposita non videntur, quoniam hinc nequaquam illuminantur.

Utrum visio fiat per emissionem radij ab oculo, an per acceptionem speciei cuiusdam ob obiecto. Item de tribus regulis ad sensum communiter pertinentibus.

CAPUT XV.

MARSILII.

Visio est actio sic in vidente manens, sicut lucere atque calere manet in igne, si ergo visio quodammodo fit in obiecto externo, erit & ibi quemadmodum visus esse videns, scilicet radij cuiusdam visus emissi præsentia, videtur etiam visio fieri circa visibile extra positum: tum quia alioquin de intervallo non facilè iudicaretur: tum quia non aliquid naturale de re videnda venit ad oculum, sicut ab aliis obiectis ad alios sensus pervenire videtur. Sunt & quæ vicissim putent venire ad oculum aliquid ab obiecto. Nam aliquid inde patitur, sic utique visus congregatur nigro, disgregatur albo, nunc splendore caligat, qualis quidem passio oculo quoque percipitur, sed de his alias. Tres sunt præcipuè regulæ ab Iamblicho traditæ, firmiter in omni sensu tenendæ. Prima, aliquid fieri à sensibili in instrumentum sensus, quod necesse est quodammodo illinc affici, quæ affectio, tum passio est ab externis; illa tamen, quia instrumentum hoc est corpus, tum actio in instrumento resultat, quia vivum, eiusmodi quidem affectio quodammodo rei sentiendæ sit similis. Secunda regula, post hanc affectionem instrumenti quoquomodo viventis, fit species quædam admodum spiritalior in ipsa animalis vita, accommodatior iam ad sensum, etiam sensibili similis. Tertia, ad speciei huius præsentiam expergiscitur ratio quædam rei sentiendæ, prius in anima latens, quæ experrecta congruit speciei, & per hanc affectioni, & per actionem sensibili foris posito. Hæc quidem expergefactio atque congruitas communiter est sentire.

PRISCIANI.

Multa igitur in visu varietas accidit, videtur enim extra prodire. Propterea quod circa sensibile agit extra locatum quinetiam, aliquid à re videnda suscipere, quia videlicet illinc aliquid patiatur. Iam vero diaphanum atque medium traijcere videtur utrinque, tanquam & perficiens lumine, & commensurationem exhibens intervalli. Conferamus ad hac etiam quocunque communiter de omni sensu contemplati sumus, ipsam videlicet rei sensibilis apparitionem sive notam instrumento sensus impressam, secundum passionem simul & actionem iam constitutam in ipsa ad rem sentiendam similitudine quadam. Praterea apparitionem vel impressionem eiusmodi accipiamus perfectam, iam desinentemque in speciem in ipsa videlicet communi composita vita. Consideremus etiam insitam anima rationem, à sensuali anima pullulantem, atque speciebus eiusmodi congruentem, per quam fit iudicium quodlibet atque cogitatio. Talis utique modus est circa singulos sensus contemplationis, quem potissimum accipere debemus ab Iamblicho, ubi de anima philosophatur, ex quibus in prasentia nos hac compendiose conscripsimus, desiderantes videlicet formulam quandam prascribere circa singulos sensus contemplationis exacta. Nempe non id quidem nunc nobis propositum est, discussionem eorum distinctissime persequi, sed Theophrasti sensa rimari & si quid insuper ad Aristotelicam traditionem adiunxit summatim inter se connectere, si quid rursum dubitando proponit pro viribus pertractare.

Quomodo inter se sensibile atque sensum opus est medio, & de colore diaphani.

CAPUT XVI.

MARSILII.

Res ipsa sensibilis nimium materialis est, sensus autem admodum spiritalis. Itaque per se non coeunt ad sentiendi actum perficiendum, sed opus est medio quodam quodammodo spiritali; quod invicem ipsa conciliet, hoc quidem circa omnem sensum species quædam est, qualem paulo ante diximus. Circa visum verò tanquam excellentissimum ultra speciem, opus est diaphano insuper atque lumine, quibus materiale spiritali prorsus accommodetur: Ubi Aristoteles ait diaphanum non per se, sed per alienum colorem aspici. Ambigit Theophrastus utrum rectè dicatur aliquid per alienum colorem visibile fieri, & per alienum saporem gustabile. Respondetur Aristotelem appellauisse lumen colorem corporis perse luminosi, quo lumine sibi communicato diaphanum videatur. Sunt qui existiment diaphanum suum quendam habere colorem, sed exiguum. Alioquin foret alienis tam facile perviumatque formabile, hunc ergo imperfectum colorem aiunt perfici à lumine corporis luminosi colore perfecto, qui verò diaphanum negant proprium colorem habere, dicunt à lumine quodammodo colorari.

PRISCIANI.

Sed iam redeamus ad Theophrastum. Videtur & ipse putare nullum sensum seipso sensibile tangere, à ratione, inquit, alienum est, cum sensus omnes inter se generis sint eiusdem conditionem communem & similem non habere. Adducit insuper hoc de diaphano, quod videlicet nonnullos propter novitatem turbare possit. Quonam pacto dicatur hoc visibile, non per se esse, sed propter alienum colorem fiat oculis manifestum. Perinde ac si diceretur, & gustabile aliquid per saporem fieri alienum. Facile vero sic dubitatio solvitur, nempe alienus ille color lumen dicitur tanquam aliunde, id est, ab illuminante procedens. Adeo namque familiare lumen rebus est videndis, ut perficiat eas, & educat in actum, quapropter diaphanum ipsum sive colorem habeat proprium, perficitur tamen à lumine, sicut & aliorum colores solent. Lumen enim non aufert alicui propria, sed contra perducit ad actum. sive quod dixi diaphanum per sè est luminis expers, certe à lumine quasi coloratum ita perficitur, eiusdique videndum.

De Diaphano, atque Lumine.

CAPVT XVII.

MARSILII.

Diaphaneitas, siue perspicuitas non est corpus. Alioquin non essent sine dissipatione infusa corporibus, nec est dispositio aliqua per quendam passionis modum à quodam corpore cæteris illata corporibus, sed est species quædam & forma per se, sicut lux & color, atque calor, species verò formarum non fluunt principaliter à materia corporali corporibusve tanquam per suam materiam inefficacibus, sed fiunt, & formaliter distinguuntur à prima forma vniformi simul, & omniformi, id est, à mente diuina. Ponit autem Priscianus ex mente Iamblichi: sicut & Iulianus in libro de Sole ex eiusdem mente asserit. Diaphanum non solùm in æthere, igne, aëre, aqua, vitris, sed in ipsa terra, compositisque corporibus omnibus. Profectò intellectualis quædam anima his omnibus est infusa. Ab hac igitur quatenus est vita quædam per omnia procedit calor, licet occultus quatenus intellectualis est, per omnia diffunditur lumen, quamuis alicubi sit occultum, atque cum lumine diaphanum exhibetur tanquam proprium luminis susceptaculum. Ait autem Iulianus ex mente Iamblichi atque phænicum lumen esse purum actum ab actu diuinæ intelligentiæ per cuncta porrectum. Diaphanum verò actus eiusmodi esse vehiculum, & id quidem incorporeum, neque permixtū corporum qualitatibus, quamuis per hæc omnia sit diffusum. Eadem quoque significat extensum per omnia lumen à Platone in decimo de Republica positum, idem confirmat & in Timæo, sed de his latius loquimur in Commento Plotini. Cùm vbique in compositis atque sub terra sit color, atque color sit quædam portio, vel participatio luminis, est & lumen vbique. Igitur & diaphanum necessarium luminis susceptaculum. Si quis Astrologorum regula fretus consideret quantam vim habeant innumerabiles radij immensæ cœlorum machinæ ad penetrandum terram mundi punctum, cognoscet per hanc perque composita passim diffundi cœleste lumen atque diaphanum, quamuis nobis hæc in terra non pateant, pateant autem forte quibusdam illic degentibus animalibus. Aiunt etiam sicut se habet frigus ad calorem, & nigredo ad albedinem: sic tenebras ad lumen, vt tenebra non sit priuatio pura, sed lux minima vel opaca, tam enim potenti cœlestium lumine fieri, vt puris tenebris locus nusquam pateat.

PRISCIANI.

Quænam igitur est natura diaphani, id est, perspicui oculisque peruij? Non enim sufficit dicere esse hoc aëri, & aquæ, ætherique, solidisque nonnullis, necesse autem est inquit, vel passionem quandam, vel dispositionem esse diaphanum. hoc enim penitus est in corpore, corpus autem sic in corpore esse non potest. Sin autem passio est, vel dispositio quædam à quonam fiat inuestigabimus, aut enim ab vno aut à pluribus simplicium corporum forsan prouenire videtur, tamen si hoc fieri nequit, hæc enim simplicia scilicet aër, & aqua sunt diaphana. Terra quoque diaphana est per ignem, imo vero & composita corpora omnia quatenus omnia colorata sunt, color autem est diaphani terminus. Assero igitur diaphanum non esse passionem dispositionemue ab aliquo corporibus illatam, sed esse speciem quandam conciliatricem eorum, quæ in generatione sunt corporum ad luminis perfectionem accipiendam, itemque præbentem eis aptitudinem quandam ad suscipiendum lumen & ad tenebras subeundas, siue hæc alterutrum participans per essentiam, siue per vices vtrunque. siue simul ambo per aliquam mixtionem. Diaphanum quidem quod est in igne lumen habet essentiale. Diaphanum verò quod est in terra tenebras habet essentiales. quamobrem sicut ignis est lumificus, sic est tenebrifica terra, ipsa enim (vt ita dixerimus) tenebra non est priuatio luminis, sed ipsa quoque est actus. Sed nunquid errauimus modo, in terra quoque ponentes diaphanum, si modo luminis susceptaculum est ipsum diaphanum; sed non errauimus, hoc enim (vt diximus) non solum luminis sed tenebrarum etiam susceptaculum est. Præterea, terra quoque colorata est. Color autem est ipsius in corporibus terminatis diaphani terminus. Quapropter & in terra diaphanum est, ibique non solum tenebrarum secundum essentiam susceptaculum, sed & quodammodo luminis, nam tenebras quidem suscipit in profundo, in terminis verò lumen si modo colores sunt lumina quædam, atque, si ipsa quoque terra superficie suscipit lumen. Diaphanum autem aëris atque aquæ vicissim amittit vtrunque, quod sanè ratione magis propria diaphanum appellare solemus. Diaphanum verò quod corporibus inest compositis, ambo capit commixtione. Non debemus igitur percontari à quonam simplicium corporum diaphanum oriatur. Species enim nec ab elemētis nec omnino à corporibus vllis efficiuntur. Sed ipsa corpora participant species, atque secundum eas characteres proprios sortiuntur, Quapropter quæ non secundum essentiam speciem sibi vendicant luminosam, hæc lumine indigent, quo videantur. Ignis autem lucentiaque similiter nequaquam indigent, quippè cum per essentiam speciei luminosæ ad hoc ipsum sufficientis participia sint.

Lumen cuius sit actus.

CAPVT XVIII.

MARSILII.

Lumen vbicunque sit, est actus diaphani, sed in corpore naturaliter luminoso est actus tanquam forma, & qualitas quędam eius propria. In diaphano autem non naturaliter luminoso lumen intromittitur, non tanquam huius forma vel qualitas vel passio vera, sed quasi passio.

PRISCIANI.

Inter hæc interrogat Theophrastus quomodo diaphani actus sit lumen ipsum quod per corpus illuminans protenditur; huius enim potius actus videri potest. Postquam verò dubitauit, quæstionem soluit hunc in modum id dicens, similiter se habere sicut & in aliis accidit patientibus, his fortè verbis ostendens quemadmodum calor ignis quidem tanquam agentis est actus, calefacti verò vt patientis, sic & lumen suscipientis quidem actum dici tanquam passionem quandam Nec principaliter actum cognominari, quo circa subiungit non esse nomina perquirenda sed satis nobis factum fore si naturam eius intellexerimus. Primum quidem illud arbitror distinguendum. Alterum esse lumen quod aliunde est effectum. Alterum verò quod efficit illud, quemadmodum lumen in sole & igne se habet. Iam verò non habetur sermo de causa vbi propriè quæritur

quid sit lumen, sed de eo potius, quod procedit à causa, quod sane actus dicitur esse diaphani in aëre atque aqua cæterisque quæ tenebras vicissim lumenque suscipiunt.

Quomodo lumen non insit diaphano ceu qualitas eius, sed adsit potius tanquam ipsius illuminantis actus.

CAPVT XIX.

MARSILII.

EPicurei putant lumen esse corpus, plerique verò Peripateticorum non quidem corpus esse, alioquin non tam facilè penetraturum corpora, sed esse volunt lumen in diaphanis ipsum quandoque suscipientibus tanquam passionem eorum, atque qualitatem, id reprobat Priscianus tanquam à Platonicis alienum, quos ipse præ cæteris veneratur, adducit igitur ad hæc Iamblichi rationes, quas & ille acceperat à Plotino. Qualitas quæ in aliquod corpus adueniens ab eo propriè capitur, formaque fit ipsius, sex conditiones habet. Primam, quod accedit per partes corporis paulatim. Secundam, quod passionem infert subiecto mutatque in eo dispositionem eius naturalem, & primo quidem accidentalem ac postremo substantialem. Tertiam, quia vsque ad certum spacium propagatur. Quartam, quoniam abeunte formatore aliquamdiu remanet in subiecto, vt calor in aqua igne semoto. Quintam, quod & ipsa mouetur, quando corpus loco mouetur. Sextam, quod infici potest in eo ipsius inquinamento atque ibi confundi & cum cæteris qualitatibus commisceri in vnum atque componi. Lumen aut contra subito venit, non mutat in subiecto naturam, occurrit propagabile per immensum, quatenus subsit quod accipere valeat, recedente eo quod illuminat nihil sui relinquit in eo, quod videbatur hærere. Non mouetur aëre moto vel aqua non inficitur infecto diaphano, sed vel permanet in se sincerum vel protinus abit, semper illuminanti continuum. Quinetiam plurima lumina non componuntur in vnum, quod inde apparet, quod si ad lucernas duas deambulaueris vmbræ geminæ resultabunt, si ad plures similiter plures & vmbræ. Item si tribus lucernis opponatur ingens tabula, in cuius medio sit foramen transmittens per hoc tria lumina in oppositum. Denique lumen ita separabiliter adest diaphano, sicut intellectualis anima corpori.

PRISCIANI.

PRoinde Iamblichum sequens, neque corpus esse lumen existimo, neque sicut Peripatetici vnam corporis alicuius passionem, vel qualitatem, lumen inesse suum non habet in aëre. Nam aëre moto lumen permanet, ex aëre multifariam permutato lumen suo in se impetu inde discedit seruatque interea indissolubilem cum causa sua connexionem. Ipsa quinetiam huius simul tota præsentia per omnia accipere id valeat ia subito facta, præsente videlicet, quod illuminat & iterum abeunte, repentina defectio luminis nullum ibi sui vestigium relinquentis argumento nobis esse potest lumen non esse aëris passionem. Passiones enim velut calor nec accedunt subito, & igne submoto, calor eius exiguam saltem sui speciem in patiente relinquit. Constat præterea ipsum luminis actum esse à corporibus separatum, quia neque successione gradatim progrediente, neque permutatione subiecti vsquam accedit neque ad certum vsque terminum cohibetur. Sed diffundit seipsum, quousque offendit aliquid, quod possit accipere, neque vnquam lumina inuicem confunduntur atque componuntur. Quo igitur modo lumen actus diaphani nominatur. Profecto non vt passio quædam, nec vt perfectio eius in eo velut subiecto facta, tanquam separabiliter ipsum perficiens, neque luminosus hic actus aliquando fit diaphani, sed efficit potius, vt diaphanum sit ipsius permanens, ipse interim illuminanti continuus, atque cum illo vndique circunductus. Hoc igitur ita summatim commemoratum sit, ne forsan, sicut in aliis patientibus aliquid effici solet, similiter lumen in aliquo fieri, vel suscipi suspicemur.

De Lumine iterum, & Diaphano.

CAPVT XX.

MARSILII.

QVoniam per superiora constat, lumen esse aliquid incorporeum, corporeis non permixtum tria hinc possumus coniectare. Primum quidem cœleste corpus primum luminis susceptaculum incorporea vita, & intelligentia regi, à qua & lumen habeat, cæterisque tradat. Quod tanquam incorporeum nequit à corpore procreari, secundum cœleste corpus non habere materiam talem, qua cum cæteris misceatur. Tertium, lumen esse causam potentissimam in agendo. Si enim patientibus non miscetur, tanquam non impeditum expeditius agit, & suaptè natura potissimum. Ideo mirabiles inde proueniunt actiones. Non effluit autem lumen à luminoso per resolutionem quandam, sicut odor à pomo, nec sicut calor ab igne, qui proptius suscipientis euadit, neque semper est continuus largienti. Sed sicut radius visualis ab oculo, si modo per emissionem visio fiat. Qui forsan non est aliud quam visus quasi ad exteriora porrectus, siue visus ipsius actus eminus agens, non relinquens agentem, sed semper agenti continuus, & exterioribus non permixtus. Potens & malè facere, quod apparet in regulo: Potens & benè facere, quod constat in struto. Si lumen esse dicamus radios visuales cœlestium oculorum in se viuentium, perque eiusmodi radios cuncta videntium, agentiumque videndo siue prosperi, siue aduersi intuitus inde fiant à Platonicis non errabimus. Est ergo tam excellens in luminoso forma & actus vt longissimè sese porrigat, non disiunctus ab agente non permixtus in patiente, eiusmodi porrectio est hoc ipsum de luce lumen.

PRISCIANI.

POst hæc Theophrastus ita quærit, si lumen est incorporeum cur nam ignis, vel omnino alterius corporis præsentia fit. Si enim videri poterit defluxus quidam esse corporeus atque corpus. Id subinde soluens, non hunc inquit in modum, hoc accipiendum est sed ea ratione duntaxat, qua se naturaliter habet, vbi certe declarat ipsum luminis actum specialem formalemue existere, quandoquidem & calor est à specie. Ideoque non est corpus. Non enim per diuisionem, siue decisionem, nec per defluxum constat lumen, sed tanquam hoc ipsum actus lucida speciei, siue quo alio nomine appellare libet speciem ipsam luminis causam. Cæterum si

tenebræ videntur abſque lumine, non erit lumen cauſa omnibus vt videantur, ſed profectò ſicut Theophraſtus ait, tenebræ non ſunt viſibiles. Non enim ſentimus eas quopiam intuitus firmamento, ſed priuatione cernendi atque eo quod minimè videamus. Tum verò ignis & ſiquod ſimile videtur in tenebris, tanquam ipſum perfecti quoque diaphani cauſa. Et propterea illo non penitus indigens, vt videatur. Ignis igitur ad hoc vt cernatur, non eget quodam iam actu diaphano, id eſt, iam illuminato. Quoniam verò neceſſe eſt aliquid eſſe medium (viſio enim non fit contactu) ideo medium hoc oportet eſſe diaphanum, ne ſi fortè ſolidum ſit, atque reſiſtens impediat opaca proprietate atque tenebrifica mutuam inter ſe rerum luminalium actionem, ignis inquam, ac ſenſuum inſtrumenti.

Alij ſenſus non egent medio perfecto ſicut viſus.

CAPVT XXI.

MARSILII.

VIſum eſſe ſenſum præſtantiſſimum apparet, quoniam citius, longius, amplius diſtinctius quam cæteri ſentit. Item, motus apprehenſionis atq; progreſſionis eſt perfectior, quam deſcenſus. Sicut ergo ad exercendum motum hunc perfectiorem opus eſt anima & pluribus inſtrumētis, ad imperfectiorem verò nequaquam, ſic ad actum ſentiendi perfectiorem opus eſt medio quodam longè perfectiore. Quamobrem ad actum audiendi reliquorumque ſatis eſt inter materiale, ſenſibile atque ſenſum interuallum, mediumque congruum intereſſe. Ad videndum verò requiritur non ſolum eiuſmodi medium perfectum, perfectum inquam lumine quaſi quadam virtute cœleſti, quod ſanè lumen dici poteſt color quidam corporis luminoſi atque ita per primum colorem, colores cæteri ſentiuntur.

PRISCIANI.

CONtingit autem (vt Theophraſtus ait) ipſam videndorum colorum cauſam eſſe colorem, atque ſimpliciter vt qualibet viſibilia ſint, cauſam eſſe viſibilem, ſiquidem lumen color exiſtens cauſa eſt diaphani, atque viſibilis. Subiungit rurſum non eſſe hoc abſurdum, ſed in aliis quoque comperium, nam & guſtum fieri per ſaporem. Forſan verò dicet aliquis ſaporem, quod proprium eſſe ſenſibile guſtus, ac ſonum auditus eſſe ſenſibile proprium, atque duo hæc nullo prorſus exteriore, quo inſtrumentum moueatur egere. niſi forſan ſonante quis dixerit indigere, ſicut diaphano color, ſed profectò ſonus quidem eſt repente ſenſibilis, cum primum commenſuratus eſt medius aer, colorem ſcimus illuminatorem externum deſiderare, ſi modo viſibilis ſit futurus. Hoc forſan proprium eſt aſpectus, lumine videlicet indigere, non quia minus ſit perfectus quam cæteri ſenſus, qui nullo alio externo indigent perfectore, ſed quia præſtantiorem ſublimioremque actionē habet, cui potentia non ſuppetit ſēſualis, ſed diuiniorē inſuper quandam deſiderat ſpeciem: ſicut enim corpus noſtrum ad hoc quidem vt graue ſit, atque deſcendat non indiget anima, ſed ad ipſum progreſſionis apprehenſioni, que motum, propter excellentiam motionis naturalem corporis motum exuperantis, nec idcirco deterior eſt motus hic imaginationis impetu factus, quam naturalis, ſed melior, ſic & viſus cæteris excellentior, propterea quod excellentius operetur, alio quodam vtitur perfectore.

Viſus tanquam ſenſuum perfectiſſimus & viſibile tanquam perfectiſſimum ſenſibilium habens ordinem à multitudine ad vnum, quem cæteri ſenſus & reliqua ſentienda non habent.

CAPVT XXII.

MARSILII.

NEque guſtus omnes rediguntur ad vnum guſtum, per quem guſtent, neque guſtabilia ad vnum guſtabile, per quod guſtentur. Similiterque de ſimilibus, viſibilia verò per primum viſibile, id eſt lumen, viſibilia fiunt, ideoque & viſus omnes per primum viſum. Quoniam verò quæ apud inferiora ſunt diſuncta, apud ſuperiora ſunt vnita. Ideo coniectare poſſumus idem eſſe primum viſibile, primumque viſum, id eſt, præcipuum ſolis lumen, hinc Orpheus oculum mundi, ſolem vocat, ſimiliter intellectus omnes ad intellectum primum. Et intelligibilia omnia ad primum intelligibile referuntur. Idem verò eſt intellectus primus & intelligibile primum. Proinde ſicut ab ipſo cœleſtium medio, vt plerique confirmant, id eſt ſole, vniuerſalis vita per cuncta diffunditur, abſque vlla ipſius vitæ reſolutione, vel rarefactione, vel mixtione, ſimiliter per cuncta diffunditur inde lumen, quod quidem ex ipſa omnium vita omnium fit viuificum, atque hic eſt mirabilis ordo in ipſo viſualiumque genere & à multitudine redigantur in vnum, à quo & antè proceſſerant. Eſt & mirabilis copia ipſius primi viſibilis, vt eius virtute omnia videantur. Eſt denique ſingularis efficacia viſus, vt per vnum innumerabilia ſentiat: quoniam verò cæteri ſenſus & reliqua ſentienda ordine quopiam omninò carere non debent, veriſimile eſt, & ſenſus reliquos & cætera ſenſibilia in ipſa virtute primi viſus, & primi viſibilis contineri, vt ſi per ſe minus ſaltem per illos ordines ordinentur.

PRISCIANI.

DIxerit fortè quiſpiam, conſideratione dignum eſſe, nunquid quod eſt lucidum, ipſumque lumen ſit viſibile principale, quod per ſeipſum moueat oculum & circa quod agat viſus nullo extrinſecus alio egens perficiente. Colores autem tanquam exigua quadam lumina per ſe videri nequeam, ſed viſibile ipſum exigant principale eos eueſtigio perfecturum. Sed dicet inſuper aliquis, ſi ita ſit, non oportebat lumen ad hoc conferre coloribus vt cernantur. Sed contra conſideret illos. Quemadmodum maius lumen minus obruere ſolet, atque in ipſis rebus, quod magis vulget, occupat quod fulget minus. Sic ſub ſole lychni lumen minimè cernitur. Non eſt autem eadem comparatio maioris, ad minus, atque præcedentis ad ſequēs; non enim tanquam ſimpliciter viſibile confertur cum lumine coloris, neque enim conſpicuus omninò eſt abſque lumine, quapropter comparatur ad lumen quaſi viſibile, conſequenter, quatenus ab ipſo perficitur viſibileque fit per ipſum. Ipſum verò lumen ſuapte natura ad hoc ſufficiens vt cernatur. Quod ſi in cæteris ſenſibus non inuenitur proportio ſimilis per quam aliud quidem præcedenter, aliud verò conſequenter ſit audibile, vel guſtabile, hac certè opulentia quadam eſt, tum viſibilis omnium primi, quod lumen eſſe dicimus. Cætera videlicet videnda perficere, tum ipſius videndi potentias ſentientis ſcilicet non ſolum lumen, ſed etiam alia quadam ipſius luminis beneficio.

Quomodo medium conferat in videndo.

CAPVT XXIII.

MARSILII.

QVoniam non quælibet actio passioque inter sensum, atque sensibile confert ad sentiendum, sed certa quædam, & moderata. Ideo inter visum, atque colorem quodam opus est medio, quod & spatio moderetur actionem atque passionem, & proprietate quadam agens accommodet patienti, medium eiusmodi non potest esse vacuum. In vacuo enim neque spatium est, neque proprietas vlla; hæc enim sunt corpori passiones. Præterea, vt oculus quod est corpus, accommodetur visibili, quod & corpus est, vel in corpore exigitur, continuitas quædam facta per corpus, quæ non fit per priuationem corporis, quod est vacuum. Est igitur medium eiusmodi corpus, non quidem opacum. Visus enim color luminales sunt quodammodo, ac plenius insuper lumen desiderant; quod ergo renebriferum est, non medium, sed impedimentum est ad videndum. Medium igitur sit diaphanum, quod inter oculum & colorem non luminosum confert, tum spatio ad actionis, & passionis modum, tum perspicuitate ad vberius lumen accipiendum, atque insuper exhibendum, vbi verò vel oculus vel color est admodum luminosus, interuallo saltem conducit ad actionem, passionemque temperandam, confert quinetiam ad duo hæc inter se deuincienda proprietate quadam. Nam perspicuitate, & luce congruit cum colore luminoso, & oculo perspicuo simul atque lucente. Memento interim diaphanum per se esse aliquid luminale.

PRISCIANI.

QVoniam verò videtur moueri diaphanum à coloribus, nos autem optamus quæstionem hanc, scilicet quomodo moueatur, vtrum de fluxu quodam, vel ex eo, quod hi quidem agant, hoc autem patiatur extendere insuper & ad illos, qui visionem sine diaphano fieri putant, à coloribus dumtaxat perductis ad oculum, atque etiam ad illos, qui ex ipso sensuum instrumento emitti aliquid arbitrantur, ideo operæprecium est perquirere, quando quidem re vera mouetur diaphanum, quomodo moueatur. Videntur vbique colores per medium diaphanum videri quidem, appositi verò oculis non videri. Ad hoc autem diximus diaphanum requirere medium, vt videndæ res illustrentur. Sed quando spectaculum ipsum per se lucet, nunquid diaphano quodam opus est medio? Imò & tunc est opus, vt diximus, vt sit congruum internallum. Oportere quinetiam medium non esse solidum, & opacum, ne tenebrifica proprietate impediat actionem. Sed nunquid diaphanum ad id tantum confert vt nihil impediat? Perinde ac si foret vacuum interuallum. Non est autem consentaneum rationi, sed conferre aliquid, & hoc oportet, non enim vel temerè medium corpus est. Iam verò & in coloribus manifestè conducit, quos nisi illuminatum esset medium cernere non possemus, consequens est igitur in rebus quoque fulgentibus ad aliquid id conducere.

(∴) (∴) (∴)

Quod medium diaphanum inter colorem & visum quodammodo moueatur atque patiatur.

CAPVT XXIIII.

MARSILII.

CIrca omnem sensum compertum est inter externum sensibile atque sensum, esse medium aliquod aëreum aut aqueum, & id quidem à principali sensibili moueri patique nonnihil priusquam sensibile ad sensum vsque peruenerit. Ergo similiter & circa visum colorip se videndus lumine iam conspicuus, & ipse lumen, quod color est cœlestis mouent quodammodo diaphanum medium, & in ipsum nonnihil agunt atque ita moderatius, congruè vniusque ad oculum vsque procedunt. Quod enim luminosum est, agit euidentius in diaphanum, color igitur, & si non per se luminosus, quia tamen luminalis est, ex se aliquid agit, & si non illuminet, illuminatos verò colores agere in diaphanum non negabis. Ac dum tanquam illuminati agunt plurimum, interim tanquam colores agere quoque nonnihil.

PRISCIANI.

PRæterea si in audiendo & in odorando quodammodo mouetur aer, atque etiam in tangende, quando sit medius inter calefacientem, atque calefactum, & in gustando similiter, si quis liquor medius interuenires, tametsi in his medium fit eiusmodi permixtione quadam potiusquam actione, si inquam in his sensibus res ita se habeat, consequens est vt in videndo medium etiam moueatur. Rursum omne illuminans euidenter in diaphanum agit. Tale autem est quod valdè fulgens. Quapropter quod etiam minus fulget, aliquid agit, quamuis non adeo vt illustret, colores igitur ab illuminante perfecti illustratique ipsum quoque diaphanum commouent.

Quomodo color moueat agatque in diaphanum, atque oculum.

CAPVT XXV.

MARSILII.

IGnis thermarum agit in aërem, aër in hominem, hic duo sunt agentia, & geminæ actiones: Nam ignis calorem largitur aëri factum iam in eo aëris qualitatem. Aër ita feruens etiam igne subtracto hominem calefacit. Tactus feruentem aërem, vel saltem repentem sentire potest, quamuis non præsentiar ignem. Non ita color illuminatus vel luminosus, qualis est cœlestis, & igneus, non ita format diaphanum lumine quodam, sic per diaphanum mixto, factoque iam diaphani qualitate adeò, vt diaphanum iam formatum fit proprium agens formans oculum actione propria, præter ipsum coloris actum. Alioquin diaphanum coloratum, sentiremus non colorem. Nunc autem colorem perspicuè cernimus, quoniam lucidus eius actus ad nos vsque peruenit, & quidem momento, & totus in qualibet aëris portione. Totum enim repente, & vbique videmus, ex quo patet non esse hunc aëri mixtum nec factum aëris qualitatem,

sed aëri potius (vt ita dicam) insidere sicut eques equo, non sicut in equo figura. Atque sic separatim adesse diaphano, sicut intellectualis anima corpori.

PRISCIANI.

NVnquid igitur colores quidem diaphanum mouent, hoc autem moueat aspectum, quasi ipsum à coloribus sit formatum, nequicquam. Alioquin diaphanum quidem ita passum persentiremus, colorem verò minimè, sin autem colorem ipsum sentimus, is certè mouet aspectum, verùm tamen diaphanũ quoq; sẽtimus, hoc autẽ etiam per seipsum mouet intuitum, quãdo videlicet iã est illustratum, nec iã per aliud, atque tanquam à coloribus motum. Quis nam igitur hic motus est, vt etiam cognoscamus quomodo res ipsæ videndæ visum per medium moueant. Asscro igitur, quemadmodum res illuminans perficit diaphanum, dum videlicet rei illuminantis actus diaphano separabiliter adest, atque oculo per diaphanum, non quia diaphanum aliquid inde propriè passum fuerit, sed quoniam ipsum quoque per actum luminis separatim sit perfectum, ita colorem illustratum agere in diaphanum, actionem videlicet separatim diaphano insidente, siue potius superueniẽtem, quæ quidem propterea non succedente quadam per partes distributione, sed semel tota simulque toti vbique fit indiuiduè præsens, & quasi format diaphanum separatim, atque eum hoc ita formato nostrum quoque simul mouet aspectum. Adeò vt ipse color etiam agat in visum, sed ita vt interim vtatur diaphano tanquam propriè actioni subiecto, non quidem vt patiente, sed vt formato per actionem eiusmodi separatim. Quamobrem ipse coloris actus non mixtus fit oculo præsens, quanquam non aliter præsens quam diaphano vtens velut curru, quandoquidem aduehit se immixtum.

Diaphanum non est subiectum luminis, tanquam qualitatis suæ, sed est vehiculum luminis tanquam separabilis ab eo, & continui semper corpori luminoso.

CAPVT XXVI.
MARSILII.

SIcut cœleste lumen hucusque porrectum est vehiculum, mirabilium quarundam virtutum ab eo separabilium, sic diaphanum est vehiculum luminis ab eo interim segregati nec à diaphano, sed ab illuminante continuè dependentis. Similiter actus illuminati coloris per diaphanum sese porrigit diaphano, non permixtus & tamen à diaphano velut curru traiectus ad oculum, & quia non permixtus, ideo totus vbique, & idcirco vbique totus apparet. Quod in voce materiale est, id est, aër fractus, non est vbique totum, sed quod spiritale est in ea, id est, significatiuum vel saltem speciale quiddam, impressum voci tum extra nos à vita mundi, tum intra nos in instrumento sensus ab instrumenti vita, hoc autem dicitur nec per se cum aëre pati, nec aëri permisceri, & totum simul audientibus cunctis adesse.

PRISCIANI.

QVid ergo diaphanum ad videndum confert? si coloris actus in ipsum incidit non permixtus, hoc ipso prodest, quod traiicit, atque perducit. Peruenit enim coloris actus ad visum vectus diaphano separabiliter (vt diximus) atque indiuiduè totũ præsens. Itaque quicunque in theatro spectant, quotcunque sint, spectaculum idem vbique totum conspiciunt, sicut & vocem ibidem omnes tota pariter audiunt. Vocis etenim actus est impartibilis, vbique totus separtibiliter, idemque præsens, vtpote qui nec perfertur vnà cum aere nec similiter alteratur. Argumentum enim est absolute præsentia, cunctis & vnicuique audientium inesse totum atque sub vnius formæ ratione similiter omnes implere.

Quod ad sentiendum proxime confert, non materiale aliquid est, sed quiddam potius spiritale.

CAPVT XXVII.
MARSILII.

MEmento quod immateriale est, atque indiuiduum, & solutum à subiecto, & ideo vbique totum circa sentientes non posse à materiali procedere. Ideoque constat non solum in sensibus nostris, sed in vniuerso spiritale aliquid, & vitale vigore. Cuius virtute spiritales actus, & species, & imagines procreantur, quotiens materialis passio fit in aëre, vel à colorante, vel ab aliis obiectis sensuum & tamen interea resultat immateriale quiddam in instrumento sentiendi, vel etiam in ipso aëre. Quod necessario ad actum sentiendi requiritur, qui sanè actus non propriè fit ex passione materiali aëris vel instrumenti, sed ex quadam specie spiritali, quæ interim quadam vitæ virtute resultat in eis, neque tamen species eiusmodi sufficit ad sensum, atque iudicium, nisi ad eius incitamentum anima statim rerum sensibilium rationes sibi innatas educat in actum.

PRISCIANI.

DIc ergo nonne pulsatur passiueque mutatur à sonante aer, instrumentumque auditus? Profectò passio quidem, & motus præcedit circa corpora, Sed hæc non sunt vox ipsa, nec auditio, hæc autem est secundum actum perfectio quædam, quæ secundum speciem consistit circa motum. Verùm hic quidem passio aeris antecedit. Siquidem pulsatione quadam fit aliquid audiendum. Quod verò spectandum est, non per diaphani passionem fit conspicuum, sed iam in seipso spectabile est, color ipse videlicet illustratus. Si quis autem hic quoque dixerit fieri quandam passiuam sub coloribus in aere affectionem, non tamen per hanc color spectandus euadit, Imò per actum aliquem speciei, perfectum simulque totum, vbique præsentem, & expedite diaphano absistentem, qui passiua quadam conditione afficit instrumentum. Non tamen visus in passione consistit, sed in speciali, siue specifica vitæ perfectione, atque in partu quodam rationis innata.

Circa visum passio materialis minimè apparet, plurimum verò species spiritalis, circa auditum verò quasi apparet vtrumque. Circa tres autem reliquos passio quidem maxime patet, species verò minime.

CAPVT XXVIII.
MARSILII.

OMne sensibile genus afficit medium, & instrumentum per suam naturam naturali

quadam & materiali quodammodo passione. Nam lumen hæc subtiliat, atque fouet eo ipso. quod lumen est. Albedo disgregat, nigredo congregat, viredo contemperat, sonans frangit, & tarefacit, atque condensat, odoriferum similem sibi imprimit qualitatem naturaliter hæc afficientem, similem gustabile, similem quoque tactile. Quoniam verò passio hæc tanquam materialis longè distat ab animo penitus spiritali, ideoque si creuerit, sensum minuit, & denique perdit, necesse est prerer eam interesse speciem quandam quodammodo spiritalem, & quasi iam indiuiduam, siue hęc in instrumento tantum resultet, vt in tactu atque gustu, siue etiam extra cœperit, vt in visu, in auditu, olfactu, alioquin non possent hi tres adeò distantia persentire. Naturalis vtique species instrumenti visualis minimè materialis est, similis fermè est naturalis species auditus, atque soni, Ideò in minima passione materiali facillimè resultat species spiritalis, quæ necessaria est ad sensum. In tribus autem reliquis, species tum instrumenti, tum obiecti materialiter iudicatur. Idcirco materiali magis passione resultat species illa quæ confert ad sensum, vtpote quæ & ipsa sit quasi materialis. Possunt tamen hæc obiecta sine effluxu materiæ suæ mouere sensum, multo itaque magis & colores possunt.

PRISCIANI.

IN odore autem atque odoratione manifestior est passio qua contingit in medio. Ideoque absente re odoranda permanet odor non solum propter effluxas inde particulas, sed quoniam aër aliquid est perplexus, quemadmodum & calefactus euadit, quotiens inter calefacientē calefactumque medius incidit aër, quin etiam medius inter mella atque linguam dulcedinis qualitate perfunditur. Iam verò & hic tum sensus, tum sensibile, secundum speciem sese habet. Sed quoniam in his species tam instrumenti sensus, quam sensibilis magis ad materialem declinat, ideo in his vehementior, & idcirco manifestior tum instrumentis, tum aëri occurrit passio, vt sensibilem participant speciem. Neque tantum hæc secundum effluxum sentire solemus, multoque minus aliquid à coloribus effluit, quod efficiat visionem, sed videntur ex eo quod agant.

Sensibile confert ad sensum non effluxu, sed actione.

CAPVT XXIX.

MARSILII.

EFfluxus trahens secum aliquid de materia, naturaque rei, similiter afficit medium, atque instrumentum. Et ideò huc tendit, vt naturam mutet. Qua mutatione crescente adducitur, sensualis natura desinere. Itaque non effluxus à re naturalis propriè conducit ad sensum, sed ipsa simpliciter actio, non tam materiam rei sentiendæ sequens, quam speciem, speciem inquam non tam quia sit in materia quam quia sit species ab idea, quare actio eiusmodi ad instrumentum profecta desinit in eo saltem, si non prius in speciem quodammodo spiritalem sensibus necessariam. Lumen hoc ipsum, quod simpliciter sit visibile non habet ex virtute diaphani, imò hoc ex illo id euidenter habet, sed diaphano tanquam vehiculo ad nos vsque traducitur. Est ergo nobis visibile in diaphano potiusquam per diaphanum. Dici verò potest nihil nobis esse visibile præter colorem. Item nihil præter lumen, nam & lumen color quidam est, tum naturalis sydetibus, atque igni, tum diaphanus peregrinus, & color est lumen, tum instrumentum in compositis, & opacis, tum sincerum in cœlestibus, atque diaphanis.

PRISCIANI.

SEd est ne adeò fortis ipsa coloris potestas, vt absque effluxu moueat, atque continuè. Constat enim continuè actum suum edere, nisi forte quemadmodum ignis materia indiget ad agendum, sic & lumine sum, sed certè non color tantum, sed (vt dictum est) esse sensibile, sensus mouet eo ipso quod agit, color autem nec semper, sed quando iam est illustratus, & quando (sicut Theophrastus ait) diaphanum ei tanquam materia subest, quod quidem simul & lumine colores perficit, & quodammodo formatur ab illis, separato videlicet actu hinc inde manante. Lumen autem non per diaphanum, sed in diaphano potius, & secundum seipsum nobis fit conspicuum, ipsum quoque diaphanum fit lumine manifestum. Forte verò non est diuidendum (vt Theophrastus ait & rectè ait) neque enim lumen absque diaphano, neque hoc absque lumine sensu percipitur, atqui si lumen est diaphani color, certe hoc ipsum, quod visibile dicitur, nihil præter colores sit.

Aer medius confert ad visum, auditum, olfactum, non ex eo propriè quod à re sentienda formam accipiat, sed actum ab illius forma manantem traducat ad sensum.

CAPVT XXX.

MARSILII.

RES videnda non imprimit aëri formam aliquam vel figuram, sed ab ea iam illuminata procedit ab eius specie lucidus quidam actus, & specialis, atque specificus non mixtus aëri, & ideò aërem non figurans, sed cum primum attingit lucidum in nobis spiritum, rursus euadit in speciem speciei vnde venerat congruentem. Ab obiecto sonante atque olente tanquam magis materiali, quam sit obiectum visus euidentius patitur aër atque spiritus, quam à colore. Veruntamen non in eiusmodi passione sensus afficitur, sed in actu quodam speciali atque specifico qui à specie rei procedens sub passione latet, & inspicitu redit in speciem, virtute videlicet vitæ nostræ quæ est admodum specialis. Ac si fortè & priusquam nos attigerit in speciem, euaserit spiritalem, fit vtique talis mundanæ vitæ virtute. Vna enim mundi animalis vnius vita, namque singulis insita inuicem connectit singula, præcipuè quæ aliter sunt conformia, efficitque, vt etiam quæ procul distare videntur agant in se inuicem facilè, atque compatiantur, quod magi testantur.

PRISCIANI.

QVid ergo diaphanum patiens efficit visionem? Quidam enim figurari formariue propriè putant, verum non ita putandum, sed quemadmodum diximus, efficere videlicet visionem tanquam ipsum accipiens absolute actum à visibilibus emanantem, eumque copulans instrumento, visibiles verò non solum colores sunt, sed etiam magnitudines atque figura, quamuis secunda

uis secundo quodam gradu sicut iam distinximus. Olfactus autem (ut ait) fit per aerem, tanquam commixtum, ut apparet, atque patientem, auditio verò per aerem figuratum. Dictum est iautem sensum non secundum passionem fieri, & vocem non esse figuram in aere factam, sed perfectam quandam speciem actionis, siue actus. Tum verò odorabile non passio quadam est, sed species, pariter autem magis aer ab istis tanquam à speciebus magis ad corpus materiamque declinantibus.

Quod minus materiale est, potentius venit in sensum immaterialem, atque sensus remotior à materia obiectum immateriale potentius excipit.

CAPVT XXXI.

MARSILII.

QVatuor sunt causæ, quibus sensibile ad sensum magis peruenit, magisque sentitur. Prima quando obiectum ad hoc est efficacius. Secunda quando sensus est purior. Tertia quando medij qualitas est vtrique conformior, adeo vt aptius ab obiecto in sensum traiiciat actum. Quarta si accesserit distantia minor. Visus, atque visibile propter naturam spiritalem longius inter se agunt. Cæteri sensus gradatim descendentes in actum, quia paulatim natura materialis in instrumento crescit atque obiecto, paulatim ineptius inter se pigriusque agunt sensus, atque sensibilia, neque tam procul quam visus in sentiendo procedunt.

PRISCIANI.

POst hac interrogat Theophrastus vtrum quodlibet sentiendum æque ad sensum peruentiat, an potius hoc magis, illud minus. Arbitror equidem proculdubio non similiter peruenire, sed quatenus, quod est sentiendum vim habet ad agendum maiorem siue minorem. Rursum quatenus instrumentum sensus puritatem habet magis minusue sinceram. Præterea quantum ipsum quoque, quod medium est, magis minusue est aptum ad actum inter obiectum sensumque traiiciendum. Denique secundum interuallum longius, aut breuius, quo sensibile sit eminus aut cominus perueniendi differentia quædam accidit.

Inter sensibile quia materiale nimium, atque sensum immaterialem semper est opus medio quodam quodammodo spiritali.

CAPVT XXXII.

MARSILII.

QVando ad longissimum spacium scintillam vides, exiguum locustæ sonum audis, & animalia quædam minima quæque. Item apes & formicæ mellica olfaciunt remotissima, conchæ quinetiam distantia gustant, & torpedo per longam sæpè virgam stupefacit te quasi tangens, putas ne præsertim in superioribus à minimo quoque obiecto longissimum spacium frangi, & materialiter affici, nequaquam, sed intercedit nescio quid quodammodo spiritale, quod per tam longum spacium agat in sensum, id est, actus quidam specialis, atque specificus à specie rei sentiendæ proueniens, siue hic intra nos fiat, vt in tactu atque gustu, siue etiam extra nos, vt in visu, auditu, olfactu, qui & virtute fit vitæ communis, cuius beneficio cuncta ligante tam facilè à rebus distantibus, & mouetur sensus & corpus conforme patitur à conformi, quod per magicen est compertum. Quamuis autem ab obiecto magis materiali medium & instrumentum vehementius patiantur, vt in tactu, gustu, olfactu, & sæpè auditu, tamen ab eo, quod minus materiale venit, sensus tutior expeditiorque resultat. Circa visum statim ab obiecto actus prouenit spiritalis ipsius, vt arbitror luminis beneficio, itaque momento eodem videmus quo processit, sed sonus propè sonantem materialis quædam passio est aëris, atque fractio tempore facta, eique mox succedit specialis, & quodammodò spiritalis actus, simul totus attingens auditum, qui in aëre ita fracto resultat virtutis occultioris officio. Itaque non eodem momento pulsantem audis quo & vides. Procedit autem specialis actus in voces, quatenus & passio aëris non passio inquam frangens, sed afficiens, nam vltra frangentem longè procedit.

PRISCIANI.

CÆterum quod in omnibus quoque sensibus, inter sensibile, sensumque medium aliquod incidat, quamuis exteriorum obiectorum medium appareat euidentius, eorum verò quæ quodammodo sunt in nobis, minimè satis & ab Aristotele dessinitum est, & à Theophrasto nihil est dubitatum, & si instandum hic studiosius iudicauit. At illud in primis quispiam indagauerit, si præsentia vocis (vt diximus) repente aduenit simul tota, quo nam pacto qui sono propinquiores sunt, magis audiant, atque velocius, aut quomodo, quando quis quercum incidit, prius cadentem cernimus, quam sonitum audiamus. Constat enim non simul percussionis aspectum fieri sonitusque auditum. Dicendum est autem hoc ita contingere, quoniam necesse est aerem pati prius aliquid, atque moueri. Quo quidem ita moto, ipsa vocis species mox tota fit simul. Passio quidem mutusque in tempore fiunt. Species autem posterius sanè, sed ei, quod iam factum est tota simul accedit: circa vocem igitur posterius, in passione actus ipsius species accidit, eatenusque peruenit, quatenus per continuitatem aeris procedit & passio. Quamobrem qui sunt propinquiores obiecto, citius magisque audiunt. quippè cum velocius, magisque patiantur, qui sonanti primo propinquiores existunt. Quod verò videndum est, non per passionem in diaphanum agit, quando nec ipsum quidem quod illuminat. Itaque sine tempore agit, simulque occurrit omnibus, quibus cernitur. Tametsi non similiter omnibus, sed propinquioribus se expressius patefacit. Quoniam in ea, qua paratiora sunt vehementius agit, hac autem sunt, quæ secundum locum sunt vicina, propterea quod, & quæ videntur, & quæ quodammodo vident, corpora sunt.

De reuerberatione luminis, & imaginibus.

CAPVT XXXIII.

MARSILII.

LVmen incidens in corpus quodammodo densum leneque & nitidum, sistit seipsum, colligitque, & protinus conualescit in corpore videlicet tum firmiore, tum ei præ cæteris congruo. Congregatum ideoque & validum agit hinc ite-

rum in oppositum, quando scilicet ex corporibus quoquomodo specularibus resultat in oppositum parierem, ibique splendorem procrear. Resultat item in alia & in oculos. Nunquam itaque frangitur, sed explicat primo seipsum, deinde replicat, atque applicat. Et vtrobique vnus continuusque videtur luminis actus. Radius similiter visualis corpus attingens quomodolibet speculare firmatur, congregatur, corroboratur, & replicatur. Relapsusque in oppositum ex speculo, res speculo videt obiectas. Sunt, & qui velint formas rerum illuminatas ad speculum producere radios, qui inde reflectantur in visum res ita videntem. Addit Theophrastus & Plato à figuris rerum illuminatis imagines quasdam progredi, quæ nominantur Idola. Ideò enim species est, ab hac per diminutionem idolum appellatur, quasi specimen siue exilis quædam species à specie perfectiore proueniens, hæc igitur idola quasi valdè debilia, visum non plus mouent quam inspeculare corpus inciderint, quo stabilira redintegra, corroborara se oculis offerant, siue ipsa ad visum inde procedant, siue radius visualis ad eas ipse prosiliat. Quo autem modo idola non solum spiritalia, sed etiam materialia è rebus effluant tum per lumen, tum sine lumine, tum ad visum, tum ad alios quandoque sensus, & præcipuè in spiritu nostro imaginali tanquam in speculo quodam conualescant, se nobis ostendant, & in nos mirabiliter agant, in Plotini commentariis pertractamus.

PRISCIANI.

Theophrastus inquit deinceps de refractionibus siue reuerberationibus esse tractandum, dicit namque solitum esse expressionem quandam obiecta forma quasi repercussa in aere fieri. Forte & ipse Plato idem sentit, vbi ait apparitionem quandam corporalium specierum idolarem siue imaginalem fieri in lumine, leni cuidam corpori circumfuso. Nos igitur fractiones, seu verberationes non debemus corporeas hic admittere. Nam tale quiddam passio est ab ea, qua naturaliter est actio dissidens. Præsertim vbi de solis lumine agitur, sed verberationes quoque actiuas & efficaces debemus accipere, dum videlicet, & ipsum, quod illuminat, & ille qui videt circa corpus densum, tersum, lene, lucidum efficacius agit, adeo vt & ipsum illuminans per hoc insuper illuminet alia, & ipse videns, per idem respiciat aliud, huius enim secundus est actus. Quippe cum subiectum eiusmodi lene, atque subrutilans, simul in actione conducat. Qua ratione cum lumine cognationem habet. Tum verò & quia quod illuminat vtrobique, agit merito secundus actus sit primo continuus, & quia corpus lene tersumque in actu secundo, siue actione secunda, simul ad agendum confert, ideo diuisio quadam vtrorumque contingit, siue concurrit, quod quidem verberatio, siue fractio nominatur. Quando verò per specula spectantur vultus fit ibi visionis ipsius reuerberatio quadam in formam primam, non secundum passionem, sed secundum actionem, sicut diximus. Plato autem effici vult etiam apparitionem quandam corporalium specierum imaginalem in ipso visionis prodeuntis actu, circa lene quoddam nitidumque corpus, non quidem per effluxum quendam corporeum à corporibus, sed per specierum vmbratilem quandam figurationem in apparendo, atque videndo. Quod forsan & Theophrastus indicat, vbi ait per reuerberationes formæ expressionem quandam, siue figurationem in aere, fieri.

Inter agens & patiens oportet esse communionem.

CAPVT XXXIIII.

MARSILII.

VBi futura est actio peremptoria, communio inter agens, & patiens sufficit in materia, vt inter ignem atque aquam. Quod si accesserit communio in qualitate, nonnulla facilior proueniet actio, qualis inter ignem aëremque contingit. Vbi verò imminet actio perfectori necessaria est communio in quadam proprietate naturæ, sic rationale docet rationale, sic luminosum illuminat luminale, hoc enim perficiri præ cæteris illud, quoniam ad huius formam in illo est quædam proprietas inchoata. Proportio itaque in proprietare quadam est sensus huius adhoc ipsum sensibile, illius ad illud, oculus diaphanum quiddam est & luminale, atque in eo, quod naturaliter cœpit habere ad summum perficitur à lumine per diaphanum. Similiter spiritus auditui seruiens habet aëteam proprietatem iam quodammodo in se sonantem vel facilè resonabilem accedente videlicet aëre fracto perfectius sonante, in spiritu similiter olfatur vapor, inest expeditissimus ad vapores odorum, & quasi iam odorus. In gustu naturalis quædam saliua expositissima est quasi similibus in sapore liquoribus in tactu natura solidior, & primis elementotum qualitatibus accommodatior inest. Et vbique patitur hoc ab illo, non quia hoc illi in similitudine sit æquale, sed quia quodammodo simile & per hoc ad reliquam similitudinem facillimè properans & obediens tanquam formabile formatori, instrumenta sensuum conueniunt cum sensibilibus in proprietate, quam diximus. Sensus autem in rationibus infitis sensibilium. Intellectus cum intelligibili multo magis. Penetrat enim intelligibile resoluendo, quod sensus efficere nequeunt.

PRISCIANI.

VIdit verò posthæc, in quibusdam videri sensus instrumentum rebus sentiendis esse cognatum, lingua enim per humorem quendam gustat saporis humorem. Auditus quoque aeream audit vocem per motum aeris intus inclusi. Quærit igitur quam ob causam non in aliis quoque sensibus similiter res sehabeat. Item quomodo simile à simili patiatur, scilicet ab externo aere intimus aer. Et humor intimus ab humore. Imò & in cæteris ratio est consimilis. Nempè in quolibet sensu tale instrumentum est, quale est eius obiectum. Quippe cum instrumentum obiectorum actionibus sit subiectum, sic ergo diaphanum quidem est in visu resonabile verò aliquid in auditu. Non enim qua ratione est aer, sed quare sonabile quiddam sonum haurit, olfabile similiter in olfactu quiddam latet. Quapropter hic quoque est aliquid aqueum; vel aereum, vel potius medium. Nam humor aqueus est in gustu. In tactu denique facultas quædam est potens, congruè tangibiles excipere qualitates. Nec ita simile à simili patitur, sed quod est in potentia ab eo, quod existit in actu, neque rursum tanquam aer ab aere patitur: Sed tanquam aliquid in potentia resonabile ab eo, quod actu resonat.

(∴) (∴) (∴)

Dubia de visu, auditu, olfactu.

CAPVT XXXV.

MARSILII.

Medium necessarium ad videndum non est aër, aut aqua, sed ipsum simpliciter vbicunque sit diaphanum, verumtamen diaphanum aqu eum ad hoc positum est in oculo, vt aqueus humor tenuem ipsius visus coërceat spiritum, alioquin protsus euolaturum, obiectum auditus est ipse simpliciter sonus siue in aëre fiat puro, siue aqua, verumtamen aër potissimum inclusus naturaliter est in auditu. Quoniam facilius quam aqua mouetur. Necessarium est autem ad audiendum instrumentum auditus moueri. Quoniam igitur spiritus aëreus est instrumentum auditus, Ideo nullo modo potest audiri quicquam, nisi eiusmodi aër moueatur inclusus, & forsan aliquis propterea opinabitur non audiri externum aliquid, nisi ei sit aër infusus, aut etiam circumfusus. Potest tamen aliqui oddorari absque aëre respirato, scilicet ab animalibus olfactum habentibus expeditum ab hominibusque similibus. Animantes verò & homines habentes meatus ad olfactum oppletos respiratione, duo præcipuè consequuntur, nam & vberiorem odorem attrahunt, & tracto violenter aëre meatus protinus patefaciunt.

PRISCIANI.

Cvr nam igitur humor quodammodo aqueus positus est in oculo? Ac non potius humor quidam aquæ aerique communis? quandoquidem & diaphanum est vtrisque commune. Rursum, cur non & in auditu commune quiddam ponitur aëri, atque aquæ. Siquidem & in aqua fit sonus. Similis de olfactu accidit dubitatio, sed profectò sufficit alterum, nam & in externis non est opus commistione, sed siue aqua siue aër sit, quod est medium, simili ratione videmus. Cur ergo in aqua pupilla locatur? Quoniam videlicet aqua magis quam aer cohibet atque conseruat. Quam rursus ob causam auditus est in aere positus, nempe quoniam aer est mobilior. Confert vero motus ad sonum percipiendum. Verum si absque respiratione olfactus fieri potest, quid prohibet (Theophrastus ait) quominus sine aere aliquid audiatur? hoc certe, quia non potest intus fieri sonus absque pulsatione aeris auribus intimi. Instrumentum namque auditus est aer, olfactus autem ipsius instrumentum non est spiritus ille respiratione tractus, sed ille quidem vilis est ad meatus aperiendos, qui ad olfactum ducunt, In illis videlicet, qua obstrusos meatus habent. In quibus verò patent hæc, etiam non respirantia prorsus olfaciunt.

De sono & motu, qui fit in auditu perpetuus.

CAPVT XXXVI.

MARSILII.

Pvtant Peripatetici sonum ipsum audibilem, id est, qui ab extemis venit ad autes fieri violenta quadā collisione, atq; fractione, vbi corpus minus crassum in crassius quoddam incidens violenter retunditur atque confringitur. Inesse insuper auditui cognatum sibi aërem, qui perpetuo moueatur, & souet, sed motum eius ab omni violentia naturaliter esse remotum, atque esse actum quendam vitæ vegetalis in aëre illo se perpetuo exercentis, atque inde motum procreantis quoquomodo localem actum videlicet circulo quodam, qui sane motus aer crassiores capitis partes circum attingens continuum sonum efficit mirâ facilitate tam exiguum, vt non suscitet in nobis sensum, præcipuè quoniam huic semper est assuetus. Quoriens autem obstruimus aures, sonus ille prius diffusus, atque exhalabilis cogitur, conualescit, reuerberatur, auditur. Ante vero quando non auditur, cæteros sonos minime confundebat: neque motus ille motiones extrinsecus venientes, nam & lenis est & in alia specie quam motus externi.

PRISCIANI.

Inter hæc interrogat Theophrastus, nunquid sonus solido quopiam prorsus indigeat, an etiam sine solido fieri possit, qualis ventorum sonitus esse videtur, sed reuera hi quoque terram percutientes resonantes, imò & ipsi tonitrus tum demum fiunt, quando spiritus circa nubem quasi solidum aliquid frangitur. Cæterum si aer congenitus est auditui, auditur autem aliquid, quando aer externus huncpulsatione contingit, atque hic quoque semper est in motu sonatque, semper sequitur, vt motus motum sentiat, non sonus ipse sonum, tametsi quod inest siue agitatum siue resonans sensum prohibet, quemadmodum in ceteris accidere solet, verum non simpliciter sensibilis est intimus ille sonus. Vnde fit, vt neque sonantem percipiamus nisi aures obstruamus. Tum verò & motus eius vitalis est, nec qualis pulsati aeris atque percussi. Quando verò aer qui nobis est intimus patitur à percusso, ipsamque soni speciem iam acceperit, tunc sane fit auditus in actu. Prior itaque sonus, quoniam non est sensibilis non confundit auditum. Quinetiam motus ipse vitalis non solum non impedit quidem, sed etiam confert ad pulsatum fractumque aerem sentiendum.

Quomodo in videndo, audiendo, odorando sit medium inter sensibile atque sensum.

CAPVT XXXVII.

MARSILII.

Satis quidem compertum est inter rem coloratam vel admodum luminosam, atque visum medium aliquid esse, id est, diaphanum & actum quendam vel speciem spiritalem, sine quo medio offendatur visus & obtuatur, quinetiam quando remotissima quędam audimus vel olfacimus, patet per medium temperatum illa sentiri. At quando à sonante propinquiore in nos fractus aër irrumpit, vel à thure propinquo proueniens influit vapore, nonne natura ipsa sensibilis, denique sine medio tangit sensum? Responde, quantum de materiali natura sensibilis, si instrumentum sensus illabitur, vel omnino non esse sensui necessarium, etiamsi lenius influat. Quod autem & tutum, & necessarium est, ad sensum non esse materiale quicquam, sed specialem potius actum quendam, siue speciem actionis admodum spiritalem ex te sentienda ad instrumentum sensus peruenientem. Sensum verò ita sentire sicut & mouetur, moueri autem non à medio hoc eiusmodi actu, sed per eiusmodi, medium à sensibili. Sentire igitur non hoc quidem medium, non hunc vi-

delicet actum, non hanc scilicet speciem, sed per hæc ipsum sentire sensibiliter. Quod propriè sensum moueat, quamuis per medium eiusmodi moueat.

25. PRISCIANI.

AT si sonus perueniens ab externis ad auditum vsque penetrat, quod compertum est nobis nullum fieri sensum, quando sensibile tangit sensum. Nam & in olfactu odorem attrahimus respirando, quoad, scilicet ipsum principale in nobis attingit, sed profectò ipsum sensibile illic est, vbi percussio, & vbi aromata suauiter redolentia, sicut & vbi est ipse color, quæ sensibus admoueri non possunt; si modo sunt sensibus cognoscenda, quæ autem ab illis in medio fit species actionis, adesse oportet etiam sensuum instrumentum. Nam sicut & ille subiungit, nisi ab ipso sensibili in nos perueniat aliquid nunquam sensu in nobis mouebitur vllus. Iam verò color per diaphanum mouet visum, dum videlicet medium quoque hoc efficit aliquid atque confert, & ipsum etiam motum quodammodo ab eo, quod nobis est videndum. Quo autem modo ita fit effectum in superioribus pro viribus est distinctum. Atqui non medium quidem, sed ipsum; quod facit re vera sentimus, non enim est idem effectio atque efficiens, neque actio atque agens, efficit autem ipsum efficiens secundum effectionem, atque patiens ab efficiente quidem patitur. Verùm secundum ipsam ab illo procedentem affectionem, neque ab affectione propriè patitur. Sentimus igitur non ipsam quidem actionem à sensibili venientem, sed ipsum sensibile, secundum tamen actionem ab eo profectam, quamobrem non medium persentimus, sed per quandam speciem actionis in medio editam, ipsum quod hanc edit obiectum.

Natura luminis est excellentior natura soni.

CAPVT XXXVIII.

MARSILII.

SOnus ipse tanquam genus non propriè dicitur distare ab acumine & grauitate, quæ differentiæ eius sunt, vel à graui & acuto sono, quæ sunt species eius, nam vnà cum eiusmodi differentiis ipsum in speciebus includitur, neque reipsa, & si ratione quadam talia supereminet. Lumen autem distare propriè dicitur à coloribus qui neque differentiæ, neque species sunt illius, sed participationes quædam & imagines, & effectus, atque ipsum reipsa talia supereminet. Atqui propter excellentiam causalem nominus necessarium est lumen ipsum coloribus in natura constituendis atque declarandis, quam sonus & quodlibet genus differentiis speciebusque suis.

PRISCIANI.

INquit autem Aristoteles differentiam sonorum, sicut graue & acutum est declarari in ipso secundum actum sono. Adducit præterea: sicut colores absque lumine non videntur, ita nec absque sono graue acutumque designari, quasi dicat, similiter se habere lumen quidem ad colores. Sonum autem ad acutum, atque graue. Vbi forsan Aristoteli aliquis contradixerit, non enim lumen, sed color similiter se habet ad album, atque nigrum, sicut sonus ad acutum atque graue. Responderi potest pro Aristotele. Si hæc duo, quantum spectat ad genus, considerentur, certe color ipse, tanquam genus in præsenti comparatione, cum sono conferri potest tanquam genere, non autem lumen. Verumtamen quoniam colores absque lumine non cernuntur, quemadmodum neque acutum, atque graue absque sono discerni possunt, hæc meritò ratione comparatio ab Aristotele introducta, solùm est quantum ad hoc ipsum pertinet, quod est.

Qualis sentiri sit natura gustus.

CAPVT XXXIX.

MARSILII.

ALimentum aridum liquefieri oportet in ore, vt nec offendat, & facilius illabatur, ideo instrumentum gustus oportuit non esse aridum, & humectationi prorsus ineptum, sed facillimè humectabile linguamque habere spongiosam, quæ stomachi pulmonum cerebri stillicidiis irrigetur, & alimentorum combibat liquores, neque tamen oportuit humorem in se viscosum habere, vel multum. Alioquin & hebetaret sensum & liquorem venientem esse humidum non perciperet, siquidem humidum non alterat humidum, necesse tamen est & hic humidum persentiri, humidum enim ad tactum pertinet, gustus autem est quasi quidam tactus vel tactui proximus. Proinde certum huic saporem manifestumque natura non dedit, ne hoc vno discrimen iudiciumque saporum confunderetur, dedit tamen humorem quendam sic affectum & temperatum, vt propemodum sit omnis sapor, facillimeque saporibus influentibus conformetur.

PRISCIANI.

SEd cur nam existimat Aristoteles instrumentum gustus, nec humidum esse debere, nec tale vt humescere nequeat, quippe cùm (vt ait) humidum sit futurum, quod est gustandum. Respondebis forsitan aliquis hoc ipsum, quod est gustabile, non esse humorem simpliciter, sed humorem propriè sapidum. Oportuit igitur instrumentum gustus humorem in se duntaxat sapidum non habere. Vel potius quoniam gustus sensibile proprium quodam tactu degustat, necesse ipsum pati, vel vt à quodam non gustabili solùm, sed tangibili, quapropter & veluti ab humido, quamobrem oportet instrumentum eius propria humiditate prius non esse submersum.

De instrumento gustus & tactus.

CAPVT XL.

MARSILII.

ANima fons vitæ atque sensus hæc duo prius vberiusque spiritui tradit tanquam propinquiori per spiritum verò neruis carnique communicat, est itaque spiritus præcipuum instrumentum animæ, tum ad vitam sensumque membris impertiendum, tum ad sentienda, quæ veniunt ab externis. Oportet autem instrumentum hoc si patitur à sentiendis lenissimè pati. Vehementior enim passio & dissoluit spiritum & occupat animam iudiciumque disturbat, temperatur verò passio spiritus circa visum, auditum, olfactum, per interuallum aëreque medium. Circa verò gustum atque tactum, vbi non est eiusmodi me-

dium, quoniam temperatur lingua, scilicet carne neque neruosa, quæ duo quasi media quædam hic existunt inter se sensibile, atque spiritum, quod præcipuum est instrumentum ad sentiendum. Possunt tamen duo hæc etiam instrumenta dici quatenus vitæ sensusque participia sunt, quatenus autem temperant passionem à sensibili venientem media nominantur, memento in his quoque duobus sensibus non ex materiali naturæ sensibilis influente, sed ex speciali quodam actu eius atque insuper ex specie sensuali per vitam intrinsecus resultante, actum peragi sentiendi.

PRISCIANI.

Proinde Aristoteles sicut & postea Theophrastus existimat, neque linguam esse verum instrumentum gustus, neque carnem verum instrumentum tactus, sed duo hæc proportionem sitæ comparationem quandam habere cum iis, quæ in videndo vel audiendo nobis media fiunt. Etenim in tactu atque gustu oportet quidem aliquid & medium, siquidem sensibile sensui prorsus impositum sensum nunquam mouet, medium autem in his non est externum. Nam & quando medium aliquid foris interuenit, non per hoc tamen, sed vnà cum hoc gustus, aut tactus efficitur, velut si clypeus ibi medius opponatur non ita per clypeum lapis percutit, sicut color per aërem mouet visum, sed vna cum clypeo manum verberat adeo, vt ambo simul percutiantur. Quoniam igitur medium tactui gustuique seruiens non est externum, consequens est, vt sit internum, hoc autem quodammodo caro est atque lingua, Carnem quidem pati patet. Patet insuper eam non similiter, atque ea quæ anima carent. Patitur ergo vitaliter, & quoniam vita carnis est sensualis, patitur etiam sensualiter quo igitur modo ita patitur, nisi & in ea aliquid sit. quod indicet nam & si aliud quiddam est instrumentum tactus principalius atque perfectius, qualis est ipse spiritus. Caro tamen ipsa quoque est sensualis qua sané similiter quidem hic se habeat, atque aer circa visum, quatenus medium. est penes principalius instrumentum. Ex eo autem quod caro non extrinsecus accidit, sed nobis adnata, meritò particeps est sensus. Cur nam igitur, si caro sensitiua est aliud insuper, oportet instrumentum tactus prius inducere, quoniam videlicet caro vehementius patiens subsensibili è proximo huic incidente, passionis acerbitate actum sentiendi disperdit, quamobrem Aristoteles etiam iudicat aliquid esse medium in tactu etiam atque gustu, quod quidem cum ponat ingenitum animalibus, meritò medium in his eiusmodi vitale ponit atque sensuale.

Instrumentum sensus debet esse medium inter sensibilia sua contraria, ita vt nec alterutrum habeat, nec sit ex vtroque commixtum.

CAPVT XLI.

MARSILII.

SI spiritus gustui seruiturus naturaliter dulcis fuerit, non alterabitur à dulci; Ideoque neque deprehendet, iudiciumque confundet amari Sin amarus fuerit similiter neque discern t amarum, & dulce confundet, sin ex vtroque commixtus, neque similiter commixta discernet, & extrema confundet vtrinque. Spiritus non est instrumentum sensus propriè, quia sit corpus, sed tum quia tali quadam proprietate est affectus, ad tale quiddam sensibile spectante potissimum, tum etiam quia particeps est, & vitæ habentis in se sensibilium rationes, per quas sensibilium fit iudicium, in corpore sunt accidentia, eius qualitates, videlicet atque quantitates, quibus & substantia subest, sensus quidem exterior accidentia tantum percipit, substantiam verò opinio, id est, ratio vtens imaginatione vel imaginatio ratione freta.

PRISCIANI.

Existimat id quoque rectè, oportere videlicet instrumentum sensus in medio quodam consistere inter contrarietatem illam, quæ rebus inest sentiendis in medio in quam non ex extremis commixto, alioquin iam fuisset passum, verum oportet non esse passum, sed iudex potius passionum. quod enim est extrem is est admixtum non est mediorum iudex nam simile à simili pati non soles. Addit præterea quod instrumentum sensus corpus quidem est atque magnitudo. Non tamen qua ratione magnitudo est, sensuale putandum est, sed per rationem quandam atque potentiam, hoc etenim instrumentum in ratione quadam ad sensibilia spectante consistit, atque specie quadam vita iudicatiua corporum designatur. Proinde quoniam contraria sensibilia sunt passiones vel differentia corporum, qualitates enim sunt, atque quantitates, per quæ autem vnumquodque totum cognobile est, in eisdem quoque consistit, videri quidem potest alicui in passionibus differentiisque corpus vniuersum consistere. Sed reuera non solo sensu, imò ratione quoque opinatrice corpus cognosci soles. Opinione namque vnà cum sensu cognoscitur apud Platonem corpus, essentiam itaque corporalem opinio percipit.

De numero & qualitate sensuum.

CAPVT XLII.

MARSILII.

CVm animal sensu definiatur, consequens est apud Aristotelem hominem tanquam animal perfectissimum tot sensus habere, quot in genere animalium reperiri possunt. Non sunt ergo in toto animalium genere plures quam quinque sensus quos possidet homo, forsan etiam probabile esse quinque genera sensibilium; siquidem ad corpus propriè spectant esse sensibilia, sunt autem naturæ corporum quinque elementa, scilicet quatuor atque cœlum. Existimat insuper Aristoteles parum quidem ignis, minimum verò terræ inesse sensuum instrumentis. Aeris autem & aquæ quamplurimum, vt dici possint instrumenta hæc aëria esse simul & aquea. Item si per linguam gustetur, atque tangatur, quæcunque animalia linguam habent vltra tactum habere præterea gustum. Rursus si motus per visum cognoscitur & auditum atque tactum, quodcunque animal aliquod horum habuerit cognoscere, quodammodo motum Theophrastus addit, vbi dicitur aëream naturam ad plures sensus conferre, non esse accipiendam ibi naturam simpliciter aëream. Imò eam cum tali quadam proprietate formali conferre ad auditum, cum alia verò potius ad olfactum.

PRISCIANI.

Persuasisse sibi videtur Aristoteles non esse plures quam quinque sensus,inde potissimum quod omnia nobis sensibilia sunt.Tangibilia quidem tactu,quæ vero per media sentiuntur,ex eo deprehendi quod habeamus illa, per quæ medium cognoscitur. Cognoscitur quidem hoc per sola simplicium corporum duo, per aerem, scilicet atque aquam, ex duobus autem his solis simplicibus instrumenta sensuum nobis insunt. Nam ignis quidem aut nullus est,aut communis omnium,neque vero terra, sed siquid tactu deprehenditur quoquomodo miscetur. Vult insuper si per vnum instrumentum sensus plura patuerint sensibilia, eum qui hoc habet ad plura sentienda sufficere. Sin autem per instrumenta plura percipiatur idem, censet & qui alterutrum habeat idem sentire posse.Cum igitur hæc ita dixerit Aristoteles,hinc consequenter Theophrastus inquirit. Primo quidem vnde id confirmetur,ut per sola hæc duo, aerem scilicet atque aquam sensum perficiatur, nunquid nobis conueniat per hæc sola, propterea quod instrumenta nobis ex his componantur.Visus quidem attribuatur aquæ, auditus autem aeri, sed olfactus pertineat ad alterutrum. Deinde quærit si per idem plura noscantur,an forte non omnino qui hoc habet, propterea plura cognoscat, velut si per aerem odoranda, & audienda percipiantur, non tamen necessario per hunc cognoscuntur ambo,non enim quæcunque animalia olfaciunt,statim & audiunt.Neque enim tanquam simpliciter aer mox olfaciendi & audiendi fit compos, nam aer in gutture eius vt fistula neutrum habet.sed per rationem potius,quam per materiam sentiendi fit compos, atque oportet ad vtrumque sentiendum rationem quandam in se possidere,qui ergo ad vtrunque non possidet,non sentiet ambo.

Qualia sint sensuum instrumenta.

CAPVT XLIII.

MARSILII.

ETsi in cæteris præter tactum sensibus, oportet non inesse qualitatem obiectis formaliter similem, neque enim in gustu sapor, nec odor est in olfactu, tamen in tactu necesse est tactiles qualitates inesse, ex his enim corpus necessario constituitur. Sat verò si in neruo tactus non fuerit qualitas elementalis excellens adeò, vt discernere prohibeat qualitatem sensibilis occurrentem. Erit compositum instrumentum ex quatuor elementis,sed aqua excedet terram,aër excedet ignem, denique superabit & aquam, vt hoc dici possit quodammodo aqueum, & prorsus aëreum.Nemo verò dixerit simplicem aërem esse instrumentum sensus ob hoc ipsum, quoniam fit simplex aer. Alioquin portio quælibet aeris extimi, quia intimo nobis aere simplicior est, compos erit maximè sentiendi.Item, instrumentum ex eo potissimum conducit ad sensum,quod fit ratione quadam harmonica temperatum, qua proportione dissoluta sensus quoque disperditur, hæc autem in compositione consistit. Denique sensus vitam exigit,vita calorem igneum. Instrumentum igitur præter aërem atque aquam habet & ignem.

(∴) (∴) (∴)

PRISCIANI.

INstat præterea Theophrastus dubitans ne forte minus verum sit Aristotelicum illud,instrumenta videlicet sensuum ita simpliciter esse media, vt ex externis commixta non sint, sed potius ita se habeant vt secundum qualitatem in eis prævalentem sint nobis determinanda. Iam verò calorem omnibus dicimus esse communem,humorem quoque nonnullis. Præterea si instrumentum omnino desideramus immixtum,sequetur protinus,vt quod maximè immixtum est,sit & maximè sensitiuum, itaque quod separatum est ab animali sensitiuum erit. Accedit ad hæc,quod si ratio quædam est causa sensus, sensus enim perditur vbi ratio soluitur.Ratio verò in ipsa plurium commixtione consistit, nimirum ex pluribus erit compositum quodlibet instrumentum. Denique cur nam ex duobus solis sensus existunt. Viuere namque magis in calore consistit, sensus autem ad vitam pertinet.

De spiritu, vita, sensu.

CAPVT XLIIII.

MARSILII.

SPiritus si est vapor quidam sanguinis sicut sanguis, sic ipse ex quatuor componitur elementis, quanquam longè subtilioribus. Spiritus in corde vitalis euidenter est igneus ex perpetuo cordis motu, efficaciaque, & ira talis apparens, spiritus naturalis in iecore plurimum est aërius ita concoctioni generationique prorsus accommodatus, spiritus animalis in cerebro igne & aqua est quasi pariter temperatus sensibus sic expositus.Instrumentum namque sensus oportet facillimè moueri atque formari. Terra quidem renititur formatori,ignis autem format ipse potius quam formetur, ex aëre igitur & aqua temperamentum præ cæteris ad instrumentum pertinet sentiendi. Et si Pythagorici visum appellant igneum & solarem, non tamen prævalet calor in oculo, sed natura potius luminalis,quod apparet ex eius diaphano & nitore & radio.Lumen autem species quædam est inter omnes species sensibiles præ cæteris intellectualem speciem repræsentans,& in intellectu quidem est per causam,in cœlo per formæ plenitudinem,in igne per plenitudinem participationis, hinc deriuatur in portiones. Temperies illa quidem ex aëre, atque aqua, ad omnes scilicet sensus accommodatissima est. Non tamen vbicunque est ibidem sensus omnes existunt, nisi & in hac temperie sint formales omnes proprietates ad omnia sentienda, & in corpore sint omnia sensuum instrumenta. Probabile verò est, & omnes proprietates eiusmodi, & omnia instrumenta inesse animali omnium perfectissimo, hoc autem est,quod præter sensum habet & intellectum,cuius generis est & homo. Vita quidem ipsa cum sit generationis corporeæ motionisque domina,eminensque forma,non ex mixtione corporea pullulat, sed ex incorporea substantia pendet, mundanæ igitur sphæræ omnes, tum cœlestes,tum elementales,tanquam inter corpora simplicissima & prima mundi membra, ideoque viuificæ substantiæ proxima,primo viuunt inde, & exuberantia vitæ fortiuntur & sensum. Portiones verò elementorum ab vniuersitatibus suis segregatæ miscentur.iam alienis, neque propriè viuunt, nisi in corpore quodam animato contem-

perentur. Est igitur sensus in corpore simplici, non quia corpus, sed quia vitæ vicinum est & immixto, non quia mixtum. sed quoniam ad harmoniam vitæ vaticinam est redactum. Non est sensus in portionibus segregatis ab elementis, quia nec simplicitatem habet, nec harmoniam. Quandiu verò permanent in vniuersitatibus suis simplicitatem sortiuntur, & vitam, atque sensum.

PRISCIANI.

Respondeamus igitur ab initio ad quæstiones eiusmodi. Rationi profecto consentaneum est media ad sensum necessaria in duobus duntaxat constitui, non quantum spectat ad id, quod apparet, sed quemadmodum natura requirit, nam inter illa, quæ simplicia sunt, terra quidem propter solidam proprietatem atque resistentem, neque facilè patitur, neque terminos suscipit alienos Ignis autem alia ratione ob efficaciam scilicet suam. potestatemque formandi similiter, vt terra passionis facilitatem refugit, ac terminos exterminat alienos. Aer contra & aqua, quoniam aliunde facilè terminantur, merito facilè quodlibet intromittunt, leuique de causa patiuntur, facileque formantur. quo efficitur vt instrumenta sensuum ex his duobus nobis insint. Quomodo igitur instrumentum visus apud Pythagoreos & igneum & solare censetur, quoniam videlicet est luminis susceptaculum, tum propter pelliculas eius tenues & nitidissimas atque purissimas, tum propter humores ad summum perspicuos qui eiusmodi panniculis includuntur. Lumen igitur est species ignea, non tanquam corpus igneum, sed tanquam species quædam ab igne participata, in duobus igitur tantum medium collocatur ad sensum, propter eorum naturam formatu terminatuque facillimam, proinde si per idem plura noscantur animal idipsum possidens cognoscet & plura, animal inquam quod nec mutilatum fuerit, nec imperfectum. Rectè igitur Theophrastus existimat, per aliquid idem effici plura secundum rationes, atque secundum differentes rationes ad plura, quod autem reuera perfectum est, necesse est omnes in se rationes habere si modo debet esse perfectum, perfectum est autem animal quod præter sensum particeps quoque est virium sensu superiorum, quemadmodum se habet homo intellectus quoque particeps. At animalia quæ olfaciunt quidem, neque tamen audiunt, imperfecta censentur, at si calor omnibus & communis, & nonnullis humor, non propterea instrumenta sensuum iudicanda sunt mixta, nam neque externus aer, aut aqua ob hoc mixta dicenda sunt, quod participia sunt caloris. Nam donec non mutant essentiam, simplicia permanent. Sin autem contineantur esse permixta dominatus ipse tamen per illa duo quæ dicta sunt habetur. Atqui etiamsi sint simplicia, non tamen ob hoc quod separatum est sensitiuum est dicendum, quandoquidem non tanquam simplicia. sed tanquam tali quadam vita sunt insignita sensitiua sunt. quæ quidem vita si orbata sint, capta quoque, sunt sensu, nisi forte magis Platonice sentire velimus, scilicet quæ reuera simplicia sunt, sensum habere potissimum, vere autem simplicia esse, quæ in ipsis, propriisque totis permanent, siue (vt ita dixerim) vniuersitatibus suis, ne totalitatibus dicere cogar.

De ratione, vita, sensu.

CAPVT XLV.

MARSILII.

Ratio nunc significat proportionem quandam, vel habitudinem, vel respectum alicuius ad aliquid. Est autem in præsentia triplex. Vna in commixtione elementorum inter se, ex quibus componitur instrumentum. Alia in ipsa tandem instrumenti forma suum spectante sensibile, alia his eminentior est in anima spectante naturaliter, ita sensibile hoc, & ita illud, à qua quidem ratione duæ illæ in instrumento rationes fiunt, omnes quidē hæ tres necessariæ sunt ad sentiendum, prima sicut & anima permanet insolubilis, reliquæ dissoluuntur duobus videlicet modis, aut scilicet morbo quodam, aut acerbiore rei sensibilis impetu. Ratio denique sensibilium iudex semper in anima viget, nec disperditur vnquam, sed aliquando propter instrumentorum ineptitudinem vacat ab actu, quod in mundo intelligibili est intellectus, in mundo corporeo resultat lumen, quod ibi vita, hic calor, quod ibi motus, hic humor. Præsentia igitur motuque intellectualis vitæ fit calor, atque humor, & lumen in spiritu, quod sensus est instrumentum, pertinet verò ad vitam in corpore calor, non tam igneus quam aëreus, similiter & ad sensum vitæ comitem.

PRISCIANI.

Quo igitur modo ratio est causa sensus, ratio enim in quadam plurimum commixtione, & in mutua eorum habitudine siue proportione videtur consistere, sed & ipse Theophrastus id soluit, vbi rationem ipsam determinat, non in habitudine elementorum mutua, sed in proportione sensualium instrumentorum ad sentienda consistere, ego verò probabilius arbitror, Theophrastum non in habitudine vel proportione quapiam rationem sensualem principaliter collocare, sed in essentia vitali, & iudice sensibilium. Solutionemque rationis ita ponere, quatenus instrumentum rationem suscepturum euadit ineptum. Ineptitudinem vero censere etiam quando res sentienda incongruè incidens hac ipsa congruitate dissoluit aptitudinem, quam ad rationem suscipiendam exigit instrumentum. Proinde si sensus quidem ad vitam pertinet, viuere autem potius in calore versatur, erit & calor in rebus quæ nobis insunt simplicibus, secundum vitæ ipsius participationem, aduentitia quadam conditione. Sin autem mixta esse instrumenta sensuum deprehendantur, dominatus tamen vt diximus per duo duntaxat habetur.

Sensibile proprium commune per accidens.

CAPVT XLVI.

MARSILII.

Sensibile proprium est quod vnico sensu cognoscitur. Color visu, vox auditu, odor olfactu, sapor gustu, calor tactu. Sensibile commune quod pluribus, magnitudo quidem visu atque tactu. Motus autem, visu. auditu, tactu. Proprium propter maiorem, saltem cum sensu congruitatem primo mouet atque sentitur, commune secundo. Itaque mel prius flauum vides, mox magnum. Vnde longinquitate minus fallit color, quam magnitudo. dulce verò non vides nisi fortè dulce dicaris videre per accidens. Non enim oculus mouetur à dulci, mouetur autem à qualitate coloris, & quantitate rei, sed à quantitate per qualitatem velut efficaciorem. In via generationis non fit accessus à motu ad formam, sed à forma agentis per motum ad formam in patientem, Ideo

in via cognitionis non per notitiam motus formam, sed è conuerso sentimus. Qualitas rei naturalis maiorem sentiendi passionem, quàm quantitas infert, quoniam est efficacior & vtraque scilicet qualitas & quantitas passione aliqua sentiendi maiore noscuntur, quàm forma, id est, species, specimen, indoles, id est, aliquid in proportione colorum lineamentorum resultans, quod neque corpus compositum est, nec compositio ipsa, sed compositionis harmonicæ donatum tanquam speciale munus aliquod & cœleste, & quia postremum aduenit, longè putatur à materiæ ruditare distare, respondetque sublimioribus formis in mundo superiore comprehensis, nam postremùm materiæ datur quod est informatore primum. Cum verò violentia ad materiales res pertineat, atque eiusmodi forma longissimè inter has à materia distet sensus & instrumentum huius præsentia efficacius se exercet, potiusquam vehementius patiatur, tanquam simile à simili roboratum.

PRISCIANI.

Rvrsus Aristoteles ostendit circa communia sensibilia sensum nobis proprium non inesse, sed communia sensibilia nos motu sentire, atque ob hoc ipsum pluribus sensibus hæc agnoscere ceu magnitudine, visu pariter atque tactu. Theophrastus autem videri dicit absurdum, si motu in notionem formæ perueniatur, id vt arbitror dicens, non quomodo id accipiendum sit distinguatur. Oportet igitur non ita nos motu dicere communia nosse vt principaliter quidem motum, reliqua verò contingenter, consequenterue sentiamus, sed communia quidem omnia similiter nos sentire, dicendum omnino verò hæc omnia motu quodam, id est, in eo quod aliquo modo permutemur inde sentire. Quod si visus mouetur à magnitudine non per accidens eam sentit vt dulce, non enim patitur, vel aliquo modo alteratur aspectus à dulci. Sin autem & magnitudo ad sensum quendam proprium pertineret, per accidens ab aliis sentire vt dulce, nunc autem non ita se habet, sed mouendo sensum se exhibet sentiendam. Non est igitur sensus vllus percipiendæ magnitudinis proprius similiter aliis quæcunque sensibilia sunt communia figura quoque formaue mouet, sed minus apparet passio hinc illata. Imò magis emicat actio quædam ipsius sensus, propter naturam formæ siue figuræ præ cæteris specialem. Ideoque sensum in nobis specialium magisue secundum actum stabiliusque mouentem.

De sensu communi eiusque actione & excellentia.

CAPVT XLVII.

MARSILII.

OPortere quinque sensus ad vnum communem redigi sensum, atque hunc indiuisibilem esse satis in Theologia nostra vnà cum Plotino probamus, communis sensus obiecta quinque sensuum sentit & actiones eorum, atque vacationes, & ad hunc propriè spectat animaduersio, scilicet quando animaduertimus nos videre aliquid, vel audire; vnde fit vt sæpè & videamus & audiamus aliqua, non tantum percipiamus nos ea sentire, quoniam sensus communis imaginatioque interea vertitur aliorsum. In hoc sensu est visus, & auditus & cæteri. Sed hic vna forma sunt, atque putans: hinc verò velut à centro ad circumferentiam lineæ, scilicet deriuantur ad quinque instrumenta, scilicet formę propriorum sensuum, atque putantes, quæ tanquam lineæ scilicet in circumferentia inter se differunt, in centro sunt vnum. Communis itaque sensus formaliter aliud est, quàm quinque inde profecti. Sed putante hos in vnum colligente est idē, & quatenus hic animaduertit, & visum videre & auditū audire dici quodammodo potest, & visus tunc id & auditus animaduertere, quia communis ipse sensus in se visus est & auditus, quatenus autem visus & auditus inde segregati sunt, & hic quidem in oculo, ille verò viget in aure, neq; hic videt se videre, neq; ille audit se audire, nā sic in se conuerti, actionesque geminare, non ad vires pertinet adeo à fonte longinquas, atque ideo debiles: præterea si auditus suam perciperet actionem, vacationem quoque deprehenderet. Idcirco in silentio positus se non sentire sentiret. Ageret ergo simul, atque non ageret, hæc verò diuersitas in eodem tempore circa idem non pertinet ad sensum iam ad postremum diuisum, atque prorsus extenuatum, sed ad communem formam positus atque facultatem, quę quoniam in se conuertitur, & agit instrumento etiam non patiente, esse iure à corpore separabilis.

PRISCIANI.

IN quibus autem quodam modo sentimus nos sentire, eadem qua & Aristoteles incedit via communem videlicet sensum existimans ibi esse qui ita diiudicat, qui vniuscuiusque sensus negotium ociumque persentit. Eadem namque potentia opposita percipit, communis verò sensus, neque singuli sensus, neque rursum omnino diuersus, nam cunctorum secundum sensuum collectionem omniumque in vnum impartibile sublimitatem velut omnium apex esse videtur, qua quidem de causa vnusquisque etiam sensus quodammodo se sentire persentiet, non qua ratione iam est diuisus, sed qua vni sensui coaptatur. Iam verò separata a corporibus putamus est in se conuerti, seque ipsam agnoscere. Vnusquisque verò sensus magis est corporeus quatenus est diuisus. Progredietur autem in eam potius facultatem qua aliquid seipsum segregat secundum quandam ad alios sensus indiuiduam visionem. Hæc etenim indiuisibilis vnio speciebus cōpetit à corpore separatis. Sin autem vt ipse rectè putat eiusdem potestatis est contraria iudicare, atque idcirco præter negocium deprehendere, insuper ocium erit vtique & vnusquisque sensus ab instrumento eius quodammodo segregatus, alioquin visus tenebras non deprehenderet; quandoquidem ibi non patitur instrumentum, idque videtur agere instrumento etiam minimè patiente. Multo verò magis sensus ipse communis, qui & ipsorum sensuum ocia percipit.

Confirmatio superiorum.

CAPVT XLVIII.

MARSILII.

NVmenius, Plotinus, Porphyrius, Iāblichus animam sensualem existimant à corpore separabilem, quod & hic attigerit Priscianus propter hanc ad præsens coniecturam, quod vnam & indiuiduam habeat facultatem diuersissima simul agentem. Mitto vegetationis officium, dico imaginationem vnam tam diuersa simul imagi-

nantem, per quam anima etiam in se conuertitur, vbi per eam actiones, scilicet sensuum animaduertit, per quam agit quodammodo absque corporis instrumento, quoniam percipit tenebras & silentium vacationemque sentiendi. Tunc enim non mouetur instrumento sensus, itaque tunc neque mouet imaginationem, itaque imaginatio tunc agit tanquam ab instrumento quodammodo separata. Hinc ergo communis sensus secundum formam potestatemque suam viget in anima sempiternus, & quando adhibentur illi, scilicet corporis instrumenta vires, in ea scilicet producit quæ & ante in se vigebant formali etiam inter se ratione distinctæ, sed non situ vel propriis actionibus segregatæ. Desinente itaque corpore non omnino desinunt, scilicet sensus esse, sed desinunt explicari, hæc à nobis secundum Platonicos narrata memento.

PRISCIANI.

NOn igitur vnusquisque sensus reuera, sed ipse communis seipsum actionemque suam animaduertet. si enim sensus quilibet actionem agnouerit etiam actionis vacuitatem animaduerteret. Si vacationem recolet sin ul vacabit, & aget, quasi se sentiens. Nonnè igitur vacat quidem tanquam diuisus atque singularis, & quantum in se est. Agit autem interea quatenus à propria actione vacationeque permanet absolutus. Quapropter secundum communem tunc agit sensum, secundum quem sic agit & vnusquisque, non qua ratione singuli sunt atque diuisi, sed qua per vnà omnium vnitatē suntvniti. Cuius quidē efficium in omnium sēsuum sensibilia comprehendere in eodem sine diuisione dum per rationes agit inter se differentes, quamobrem ipse iudex numero quidem vnus indiuiduusque consistit, censetur autem & diuisibilis esse quatenus rationes differentes exercet.

Proportio inter sensum atque sensibile.

CAPVT XLIX.

MARSILII.

VNa quædam vox simplex quantum in se est non dicitur consonantia, dicitur tamen auditui consonare si congruat. Considerantius in instrumento sensus efficaciam eius & qualitatem, quando igitur res sentienda efficaciæ se adæquat, vt neque superet, neque deficiat, sincerè & expeditè sentimus, quando iterum congruit qualitati sensus propria qualitate, tunc sentiendo voluptate perfundimur. Nam in re, sicut diximus, vtrimque conformi libentissimè conquiescimus eam auidissimè complectentem. Id autem est affici voluptate. Est autem instrumento proportio duplex. Tum in actu sentiendi facta per congruentiam aduenientis obiecti, tum antiquior aliqua, id est affectio quædam huic instrumento naturaliter insita ad hoc sensibile, potius quam ad illud conformis, vt ita dixerim atque propensa.

PRISCIANI.

POst hæc, vbi Aristoteles ait, vocem esse consonantiam. Intelligendum est, vbi actu iam est sensibilis, vel in actu sensibili posita, dum scilicet iam auditur. Auditur autem quando & vox & auditus inter se concordes vnum conficiuntur, dum inter se prorsus contemperantur. Nimius enim rei sentiendæ excessus soluit, aut perdit sensuum actionem, in quadam verò commensuratione sensus ipse consistit, eaque obiecta dicimus esse blanda, quæ contemperata sunt sensibus. Dic ergo, quando sensus nihil agit, nunquid in commensuratione, secundum seipsum, nulla sit positus. Profectò quandoquidem sensus non secundum seipsum agere solet, sed in extensione quadam ad externa, & in habitudine quadam ad sentienda constat, quando vacat non habiturum secundum seipsum commensurationem actiuam vel efficacem. Commensurationem tantum secundum potentiam habiturum. Praexistit enim ipsa potentia, atque secundum seipsam consideratur. Sed pergamus ad ea deinceps, quæ sequuntur, ab alio iam principio, reliqua ad librum pertinentia tractaturi.

(:.) (:.) (:.)

FINIS

MARSILII FICINI FLORENT. TRANSLATIO SIMVL ET Explanatio in Prisciani Lydi interpretationem super Theophrastum de Phantasia & Intellectu.

CAPVT PRIMVM.



IN sensu & imaginatione sunt innatæ rationes sensibilium assimilatiuæ, hæ in sensu prouocantur ad actum ex passionibus instrumenti. In imaginatione verò ex actionibus sensuum phantasia inter sensum rationemque media in sensu est actio quædam. Iamblichus de phantasia, phantasia est adnata omnibus animæ viribus, omnia conformat in se, ac formas à viribus traducit in alias, & omnium virium actus æmulatur, phantasia non accipit formas ab externis, sed ex seipsa promit.

PRISCIANI.

PHantasiam, de qua Theophrastus deinceps Aristotelem sequutus agit, esse vim alteram præter sensum ex eius libris est confitendum. Rursum ab opinione, omnique rationali perceptione differre. Præterea, quemadmodum sensus à sensibilibus speciebus mouetur vitaliter excitatus, atque secundum propriarum rationum productionem circa illas agit, sic & phantasiam à speciebus sensualibus agitari, his videlicet velut subiectis utentem proxime, & circa eas agentem, quapropter hac quoque corporea vita est, nec absque corporeis instrumentis agit, quandoquidem & species sensuales quibus mouetur ex impressionibus illis perficiuntur, quæ, in sensuum instrumentis apparent. Addenda verò sunt his dogmata Iamblichi talia, Phantasia omnibus animæ viribus est adnata, omnesque figurat, atque effingit similitudines specierum, & apparitiones, visusque seu impressiones virium aliarum transmittit in alias, quæ quidem à sensu micant, in opinionem excitat. Quæ verò ab intellectu secundo loco affert opinioni, sed in seipsa ab omnibus imagines suscipit, atque per suam proprietatem secundum assimilationem propriè designatur, tum in agendo, tum in suscipiendo, quæ assimilantur atque apparent in intellectualibus vel geneficis operationibus, aut mediis vtrarumque. Hæc vtique omnes actiones animæ fingit, & exprimit, atque externas accommodat intimis, & vitis per corpus extensis, descendentes ab intellectu impressionis imponit. Cùm igitur phantasia secundum seipsam sit potentia assimilandi cætera ad seipsam, hinc meritò cæteris potentius coaptatur ipsa præcedens, & actionibus earum initia præbens. Neque passio est vel motus, sed actio impartibilis, atque definita, neque suscipiendo forinsecus figuratur vt cæra. Sed ab intimis atque secundum assimilatiuarum rationum productionem ad phantasmatum iudicium suscitatur. Hæc Iamblichus.

CAPVT II.

MARSILII.

IMaginatio actiones rationis effingit sub rerum sensibilium conditione, ac potest vltra sensuum actus latius phantasmata promere: Imaginatio conuenit cum sensu, quia particularia percipit. Superat sensum, quia etiam nullo mouente imagines edit. Imaginatio est tanquam Protheus, vel Cameleon.

PRISCIANI.

VErum, si alias vitas exprimit, vt est apud Iamblichum, ipsasque intellectuales rationalesque actiones effingit, quonam pacto vlterius verum erit illud Aristotelicum, phantasiam videlicet à speciebus sensualibus agitari. Fortè verò & si præstantiores omnes actiones effingit, simul tamen secundum species sensuales imaginatur, assimilatque formatiua quadam conditione, atque partibili, ac secundum relationem quandam ad sensibilia frangitur atque fingit, quamobrem præstantiores actiones effingit, qua ratione à speciebus sensualibus agitatur. Quo igitur pacto etiam non præsentibus sensibilibus phantasia mouetur. Etenim & si à sensualibus ipsa mouetur, veruntamen hæc quoque præsentibus sensibilibus producuntur in actum, absentibusue deficium, fortè non quemadmodum sensus præsentibus duntaxat sensibilibus moueri solet, ita semper & phantasia. Sed postquam semel mota fuerit ex

ſeipſa expergiſci iam poteſt, & phantaſmata prometre ſecundum relationem quandam ad ſpecies, quæ mouerunt. Interdum verò non ſemel tantum, aut bis, ſed ſæpius inſuper moueri hanc oportet ad hoc ipſum, vt ea quæ in ſeipſa ſunt ſimilia mouentibus offerat. Iam verò hæc, vel formatiua formabili diuiduaque ſorte cum ſenſu communicat, facultate verò qua etiam à ſeipſa phantaſmata promit, quamuis ſi mouentia nulla vlterius adſint ſupereminet ſenſum. Rurſum quæ conditione ſua ſemper in alia refert, atque ad differentes animæ actiones aſſimilatur, ita nimirum ad omnes animæ potentias eſt adnata, & ſecundum aſſimilatiua vel aſſimilabilem animæ proprietatem definitiua cenſetur.

IN CAPVT III.

MARSILII.

SIcut in eadem animæ ſubſtantia, ſenſus, & imaginatio ſunt differentes, ſic eadem ſubſtantia ſpiritus ſecundum diuerſas qualitates, eſt inſtrumentum imaginationis atque ſenſus. Item ex actionibus ſenſus imaginationiſque imprimuntur in ſpiritum notæ quædam eas repræſentantes, imaginatio ſenſuales ſpecies pro obiectis habet, ad quas innatas referat rationes, ſi motus rationis & imaginationis faciunt manifeſta ſigna in humoribus atque corpore ſolido, multo magis in ſpiritum. Per hæc nota quod dæmones cogitationes hominum deprehendunt, poteſt circa idem ſenſus eſſe veridicus, & imaginatio mendax, atque viciſſim, imaginatio ſemel experrecta longius progredi poteſt quieſcente ſenſu.

PRISCIANI.

QVærit interea Theophraſtus in quo potiſſimum collocanda ſit phantaſia. Non enim in ipſa potentia ſenſitiua ponenda eſt, quoniam quando etiam veridicus ſenſus eſt phantaſia interdum ipſa mentitur, neque rurſum in ipſo ſenſuum inſtrumento. Paſſio enim in inſtrumento facta ſenſibili re duntaxat præſente contingit, phantaſmata verò ſiue imaginamenta (nam & phantaſiam licet imaginationem interpretari) phantaſmata inquam etiam abſente ſenſibili ſiunt. Aſſero igitur phantaſiam eſſe vim aliam præter ſenſum, ſed ſenſui proximam, atque propterea quodammodo à ſenſu moueri & quoquomodo ſenſualibus ſpeciebus velue ſubiectis vti. Ex quibus expergiſcitur: & ad quas phantaſmata refert. Atqui phantaſmata multifariam variat ex eo, quod ſuperat ſenſum, atque ex ſeipſa poſtquam ſemel mota fuerit ad formationem, vtcunque cœperit, expergiſcitur. Arbitror præterea indicia ſiue impreſſiones ſpecierum è phantaſia finibus emergentium ab inſtrumento etiam ſentiendi ſuſcipi poſſe, quemadmodum formales partibileſque figuræ teſtantur ſeparatum à corporibus non indicantes. Sæpè profectò dum corpus commouetur ad phantaſias atque ſecundum eas afficitur, apparere arbitror in ipſo quoque inſtrumento phantaſmata, ſed non tanquam ſenſitiuo, quoniam non ab externis incidunt, neque rurſum tanquam ſi nos à corporibus quibuſdam agentibus mutaremur, imò tanquam in quodam ſpecies ſuſcipiente phantaſticas, neque id quidem mirum videri debet, quoniam rationalis quoque actionis noſtra quædam in corpus indicia notæque deſcendunt, quod planè perſpicitur quando & oculi ſupercilia in acrioribus indagationibus contrahuntur, iam verò ſi ſolida hæc membra corporis ſecundum animæ motus afficiuntur, multo prius ſenſuum inſtrumentum tanquam vitalius neceſſum eſt veſtigia quadam vitæ ſuſcipere. In quibus ſanè vita tantum eſt ſenſitiua, inſtrumentum quoque tantum eſt ſenſitiuum, in quibus autem vita inſuper phantaſtica & appetitiua, vel etiam rationalis exiſtit, inſtrumentum ſimiliter ineſt ad vitam eiuſmodi ſuſcipiendam accommodatum, accipiet igitur notas quoque phantaſticas tanquam phantaſticum, atque falſas ſi modo falſa ſunt phantaſia. Et quemadmodum ſimul vera ſentimus aliquando, poſſumus tamen interea falſas de his imaginationes edere, ita conſequenter ſpiritus ipſe vt ſentimus eſt, veras à ſenſitiuis accipit notas, vt autem phantaſticus eſt à ſenſitiuis quidem falſas, veras autem à phantaſia. Ceu quando ſolem videntes pedalem interim terra multo maiorem imaginamur geometrica demonſtratione compulſi. Neque tamen phantaſmatis ipſius vllus in nobis eſt ſenſus, quamuis & phantaſma in inſtrumento ſenſus exiſtat, ſed ad ſenſibilia propriè ſenſus pertinet ab eiſque dependet, phantaſmata verò emergunt ex phantaſia. Proinde nec eſt impoſſibile ſubtilem ſpiritum, veras ſimul atque falſas de eiſdem apparitiones accipere, ſicut apparet nobis, vt diximus circa ſolem, quandoquidem à viribus differentibus accipit, atque ſecundum vitæ ſpecies differentes, neque quicquam prohibet in eodem phantaſmate ſimul & opus ſentiendi concurrere, tametſi oppoſita ſint, vtpote quæ non eiuſdem ordinis coniugationiſue ſunt, neque eiuſdem potentiæ opera, ſiquidem & opinio in eodem ſenſuſque de magnitudine ſolis inter ſe opponuntur. Ad hoc itaque ita ſit ratione reſponſum, dictum eſt inſuper non ſemper opus eſſe præſentia ſenſibilium ad hæc, vt phantaſia ſua id eſt, imaginatio moueatur, ſed poſt quam ſemel experrecta eſt, atque in talis forma partu iam enititur ſibi ipſi ſufficere. Pergamus ad reliqua.

IN CAPVT IIII.

MARSILII.

INtellectus noſter eſt aliquid animæ proprium, & ſpecies quædam, & actu intellectus, ac per eſſentiam ſuam continet in ſe omnes intelligibilium ſpecies, ſed quoniam degenerauit à primo, ideo ipſe indiget primi fomento ad tria. Primò, vt ipſe ſit perſpicaciſſimus. Secundò, vt ſpecies eius ſint lucidiſſimæ. Tertiò, vt hic illis ſit vnitiſſimus, ſenſus quoque eſt ſpecies quædam, & ſecundum eſſentiam continet ſenſibilium rationes, quas edit, quando ſenſibilia mouent inſtrumentum eius, intellectus animalis propter naturam animæ declinantem ad diuiſibilia mobiliaque, longè diſtat ab vnitate ſtatuque intellectus primi primorumque intelligibilium: nota hic vbique intellectum agentem in noſtrum eſſe intellectum primum. Hæc ſimilia ſunt illis, quæ ſunt in Republica Platonis, quomodo ipſius boni lumen copulat ſpecies intelligibiles cum intellectibus. Sunt qui chartæ inſcribant literas ſucco cepæ, ſed hæ non videntur niſi caleſiat charta. Tales habet rerum formas, qui dicitur poſſibilis intellectus, quæ in conſpectum veniunt ignis diuini præſentia, ſicut & colores lumine ſolis, intellectus noſter non eſt in potentia ad hoc, vt fiat intellectus atque intelligibilia, ſed ad vltimam intelligentiæ intelligibiliumque perfectionem.

Theophrastus vbi posthac agitur de intellectu ait, non ita prorsus nobis accipiendum est, neque eodem pacto, contentiosum namque foret simpliciter hac accipere adeò, scilicet vt intellectus sit potentia quadam omnino ita subiecta, sicut materiales potentia solent, & paulum progressus adiungit. Forsitan hoc apparebit absurdum si intellectus sic materiæ naturam habeat, vt sit nihil, sed potentia omnia. Non igitur sic est exponendum, neque etiam de omni intellectu similiter hoc accipiendum, sed vtendum distinctione, qualis igitur est, & quænam distinctio. Materia quidem non est hoc aliquid, at si intellectus non sit hoc aliquid, quidnam vlterius hoc aliquid erit?

Hactenus verba Theophrasti.

Qvando igitur intellectus cum natura comparatur, secundum comparationem proportionis quandam idest assumendum, & quatenus in potentia quadam est intellectus alter ad alterum, sic enim intellectus animalis ad ipsum qui actu semper est intellectus atque separatus merito omnia esse in potentia dicitur. Sensus quinetiam non propriè, sed translatione quadam materia esse, vel sicut materia dicitur. Materia enim cogitatur vt vltima rerum, non tamen sensus sicut materia omnium est postremus. Est enim sensus species quædam, atque dicitur & secundum essentiam sensibilium continet rationes, alia præterea ratione sensus sensibilia in potentia esse dicitur, quatenus ab illis incitatur ad partum, indigetque illis, tum præsentibus, tum agentibus in instrumentum eius ad propriam actionem, intellectus autem animalis nec est vt materia, nec vt sensus; est enim species omniumque specierum secundum ipsius essentiam comprehensor. Agit quinetiam a seipso, & in seipso quidem intelligibilia continet, quamuis propter cognationem ipsius cum anima, atque ob essentialem ad animam habitudinem, & denique propter inclinationem quandam eius ad diuisibile, tum ipse ab intellectuali essentia simul & actione omnino impartibili prorsusque vnita quodammodo cecidit, tum intelligibilia, quæ sunt in eo ab ipsa superfulgida & seipsa lucente primorum intelligibilium substantia degenerauisse videtur, similiter & ipsa inter intellectum animalem & intelligibilia eius continuatio quodammodo relaxata est, nec integra prorsus, vt vnitas illa, quæ inseparato intellectu assiduè viget, atque ob hanc causam tum ipse ad cognitionem penitus impartibilem, intellectu qui semper actu est indiget perfectore, tum intelligibilia quæ sunt in eo illustratione indigent ea, quæ ab intelligibilibus separatis effulget, ad hoc vt hæc quoque perfecta intelligibilia fiant, hinc Aristoteles intelligibilia hæc coloribus inquit esse similia splendori solis egentibus. Ipse quinetium intellectus huius intellectibiliumque suorum inter se contactus ad indiuisibile copulatur ab exactissima superioris intellectus & intelligibilium vnitate. Hac igitur ratione animalis intellectus esse dicitur in potentia, quatenus videlicet ad intellectum pertinet separatum, quoniam illi prorsus est impartib. sincereque vnitus ad intelligibilia præclarissima & prima perfectaque lumina. Dicitur etiam in potentia quatenus ab eiusmodi perficitur intellectu. Proinde vbi intellectus dicitur quasi tabella literarum expers, secundum quandam proportionis comparationem accipi debet. Non enim hoc ita dicitur quasi intellectus nullo modo species habeat. Sed quemadmodum ipse intellectus est in potentia, non ita quidem vt omnino non sit intellectus, sed vt intellectus sanè, talis autem intellectus, qui ab intellectu primo perfici debeat. sic & quæ in eo intelligibilia collocantur, intelligibilia quidem sunt, sed talia, qualia sint à separatis intelligibilibus illustranda, vt sincerè prorsus intelligibilia sint, quapropter coloribus comparantur, & hæc ipsa tabella quantum spectat ad perfectas eiusmodi species capiendas literarum vacua dicitur. Rectè igitur Theophrastus absurdum esse clamat materialem intellectui naturam dare, atque putare materiæ modo nihil esse actu, sed potentia omnia, prohibet in primis sic exponere dicta. Iubet insuper indagare, quonam pacto intellectus alia quadam ratione in potentia esse dicatur. sed profectò quo pacto dicatur in potentia esse iam quantum ad præsentia pertinet, sufficienter est dictum, atque etiam non omnem intellectum in potentia esse, sed qualis ita se habeat est distinctum.

IN CAPVT V.

MARSILII.

INtellectus noster, qui possibilis dicitur, idest ab intellectu primo formabilis, habet innatum actum proprium atque liberum, per quem ex se conuertitur primò ad se, speciesque innatas, deinde quatenus ad se, speciesque suas conuertitur, eatenus ad intellectum primum, speciesque illius. Quo & quibus formatur ipse, speciesque suæ, id est ipse fit perspicacior, & illæ lucidiores. & hic eis quam vnitissimus intellectus noster est consubstantiale aliquid animæ, simile dicunt de actu libero, quo Angeli conuertuntur ad se, & per se ad Deum, signum quod species sunt innatæ, & quod intellectus hic nostri est naturaliter diuino coniunctus, quoniam conuersus ad se inuenit omnia, & perficitur à diuino. Nota hic & infra intellectum nostrum semper copulatum esse diuino. Res externæ non formant sensum, sed spiritum. Sensus autem ad formationes eiusmodi educit in actum ex se species vel actiones conformes illis, quando dicimus intellectum possibilem ab agente formari, non intelligimus accipere formas, sed illo præsente formis suis efficacius & copulatius vti intellectu possibili nullus est motus, nulla passio propriè dicta.

PRISCIANI.

POsthac autem Theophrastus ambigit quomodo vel intellectus noster intelligibilis fiat, vel ipsa intelligibilia fiant, quidue sit ibi pati. Oportet enim ipsum quodammodo & intelligibilia fieri, & quandam ibi cadere passionem, si modo quemadmodum sensus sic intellectus procedat in actum. Verumtamen ambiguum est, quænam passio à corporea natura in rem incorpoream inferatur, vel quæ inter hæc accidat permutatio, atque vtrum ab illo principium detur, an potius à seipso. Pati quidem hoc videtur ab illo. Eorum enim quæ patiuntur nullum patitur à seipso. Iam vero & huic principium omnium esse competit, & à seipso conuenit intelligere, neque sicut sensibus huic attribuitur à seipso cognoscere, sed modo quodam præstantiore.

Hactenus verba Theophrasti.

FIt tamen hic interim intelligibilia, neque est res ipse sicut intellectus penitus separatus, propterea quod vnitas eius quodammodo relaxata est vt diximus. Atque intelligibilibus plenius coaptatur. Hac vtique ratione quodammodo patitur, quando degeneratus à pura, & prorsus indiuisibili separatorum intelligibilium vnione, & tanquam inde digressus propterea quod cum anima congenitus est nimirum tanquam alter ab alteris, tam ab ipso secundum actum intellectu, quam

ab in-

ab intelligibilibus, quæ sunt in illo perficitur. Verumtamen ipse quoque perficit semetipsum, quantum expergiscitur à seipso, seque ad illum actum intellectu accommodat, perfectionemque ab illa actione propria suscipit. Præsertim quia non omnino ab illo secundum actum intellectu secessit, sed quamuis illi succumbens simul, tamen est ei coniunctus, vtpote qui ipse quoque est intellectus. Atque ideirco non ad exteriora distractus, sed seipsum ingressus & conuersus ad semetipsum, sibique maximè pro viribus copulatus. Ita demum ab ipso secundum actum intellectu perficitur. Quamobrem alio quodam pacto præter sensus patitur, neque id quidem propriè, sed æquiuocè, ac potius agit quam patiatur, quippè cum per actionem suam à superioribus perfectiones accipiat, nec extrinsecus suscipiat, quæ intelligit. Est enim & hic res ipse secundo gradu, quatenus ipse perficitur, dum & suis intelligibilibus copulatur, & simul superioribus coaptatur, propterea quod sua à superioribus non sunt diuulsa. Proinde intelligibilia sic agunt in intellectum, quemadmodum sensibilia in sensum agunt, hoc tamen excepto, quod intelligibilia non extrinsecus veniunt ad agendum, quandoquidem separata ab intellectu non sunt, quapropter vna quadam ambobus est actio intellectui quidem circa intelligibilia, intelligibilibus item ad intellectum, quatenus hac inter se seiuncta non sunt, sed intellectus est ab illa ipsa, quæ offeruntur intelligenda. Quinetiam & circa sensum passio instrumento contingit, quandoquidem sensi tiuum primum secundum propriam perficitur actionem, atque motum à sensibilibus non passiuè suscipit sed actiuè, multo igitur magis intellectus ex seipso agit, atque à rebus intelligendis perfectionem non passione accipit, sed actione, si modo dicendus est accipere, ac non potius ex se producere, à seipso enim exordiens perficitur, iam verò passio illis accidit propriè, qui mouentur ab alio, vtpote, quæ extrinsecus incitantur, in rebus autem quæ omnia intrinsecus operantur, tota que per totum sunt actiua, passionem aliquam suspicari non possumus, nisi fortè æquiuoce passionem accipiamus. Intellectus enim etiam qui potentia dicitur intellectus, secundum essentiam actus quidam est, quamuis secundo quodam gradu, hic igitur actus opponitur passioni, nec vnquam affici passione potest. Omnino verò rebus incorporeis à corpore separatis vel separabili. us Theophrastus ait nec passionem, nec mutationem accidere posse. Et passiones quidem solere ab externis incidere, intellectum autem esse principium, atque insuper à seipso, quocirca ad similitudinem patientis habere se posse, quamuis reuera minime patiatur, si enim omnem excluserit passionem ait nihil intellecturum. Vbi sanè perfectionem à rebus intelligendis collatam nominat passionem, quoniam intellectum omnino purum conseruare necessarium arbitratur, interea verò quoniam ab intelligendis secundum propriam perficitur actionem, idcirco non propria, sed communiori quadam appellatione hic passionem dictam accipiemus. Intellectus enim (vt Theophrastus ait) passionis est expers, nisi fortè aliter quam dici soleat dicatur esse passiuus. Non quidem vt mobilis, motus namque est imperfectus, sed potius velut actio, hac autem inter se differunt, tametsi necessum est interdum eisdem nominibus vti, hac Theophrastus Vides igitur non secundum defectum vel transmutationem aliquam, aut motum quendam, vel etiam ab externis, imo secundum actionem quandam penes intellectum accipi passionem. Ignoscendum rursus existimat, si quando nominibus abutamur. Quippe cum ex rebus ad sensum spectantibus ad res ipsas pertinentes ad intellectum sæpe nomina transferamus. Iubet autem Theophrastus definiri quid in mente sit passio. Atque ex eius sententia dictum est hic, pati esse perfectionem quandam à superiore suscipere, dum videlicet quod inferius est, quadam illinc actione perficitur. Atque ita intelligibile ab intelligibili quodammodo patitur, siquidem tanquam intelligibile secundum, & efficax loco secundo, atque vt incipiens, & alterum obtinens principatum, suaque actione ab eo quod præstantius definitur. Atqui quodammodo intellectus hic perficit semetipsum. Quoniam sicut est dictum, superioris munera per suam quandam suscipit actionem.

IN CAPVT VI.

MARSILII.

Duplex in anima est intellectus, & vterque possibilis appellatur. Primus essentia indiuidua participata ab anima. Secundus potentia ratione discurrens, quæ propriè nominatur anima. Ille actu semper intelligit diuina mente formatus, hic intelligit quando conuertitur ad illum. Cessat autem quando diuertitur illinc ad sensum, & in vtroque est proprius actus & liber. Phantasia nominatur aliquando intellectus, hæc enim est vltimum vestigium intelligentiæ. Anima rationalis, quia particularis vita est, per vices agit diuersas. Et alias ad diuina, alias ad caduca conuertitur. Liberum arbitrium est in intellectu, tum intellectuali, tum rationali. Intellectus siue intellectualis, siue rationalis, qui & vterque est in nobis, exorditur actum suum ex seipso, nec quicquam habet se prius, scilicet secundum tempus, si quid nuper mouerit intellectum nostrum, alioquin per se torpentem, duo sequerentur absurda, primum aliquid feret prius hoc secundum tempus. Deinde non haberet propriam actionem.

PRISCIANI.

Quæritur post hac, quare intellectus noster, ab intellectu superiore non semper accipiat, nec semper intelligere videatur, sed profectò semper intellectus agit. Anima verò non semper vtitur intellectu semper ei præsente, quoniam videlicet ad corpora vertitur. Videntur sanè Aristoteles & Theophrastus (quod & iam dictum est) intellectum aliquando totam vitam rationalem cognominare, vbi etiam vsque ad phantasiam intellectus nomen extendunt. Atque ita non absque ratione circa animam quærat, cur nam non semper intelligat. Nempe non intermittitur vnquam intelligentia, quia potentiã intelligendi non habeat. sed quoniam ad sequentia, corporeaque, & omnino extra seipsam anima distrahatur, propter conditionem particularis vita ad vtrumque vices agentem. In perspicua enim ad seipsam reuersione, & ad intellectum conuersione animæ perfectio tota consistit. Contrà vero inclinatione ad corpora casus ab intellectu contingit. Non solum verò intellectus vt diximus, sed insuper anima perficitur a seipsa, quatenus à se actum aliquem exorditur, seque ipsam adhibet intellectui, atque sua quadam actione perfectionem apprehendit ab intellectu. Quoniam Theophrastus ait dicere actionem intellectus ipsius monente alio incitari. Alioquin absurdum est, & nihil aliud est quam aliquid aliud introducere intellectu prius. Item non erit sic in ipso actus vel facultas intelligendi, nisi sit aliquis alius, qui moueat intellectum, atq; hac quidem vera sunt, siue intellectum appellet essentiam indiuiduam, quæ participatur ab anima, siue animam ipsam rationalem.

IN CAPVT. VII.

MARSILII.

IN nostro intellectu sunt intelligibilia, in ratione scibilia, nobis innata, sed ille agit circa illa actu quodam æterno, hæc circa sua agit actione temporali per eandem intellectus actionem, scilicet per intelligentiam, tum ipse maximè est intellectus, tum intelligibilia maximè sunt intelligibilia, atque vicissim, ergo intellectus est ipsæ res intellectæ. Intellectus etiam noster secundum essentiam est actus. Ideò in eo idem est esse quod agere, idcirco semper intelligit, sed in anima, id est, in potentia rationali, aliud est essentia aliud actio, ideo non semper intelligit, non scit semper, sicut intellectus noster est intelligibilia, sic rationalis potentia est scibilia, quamuis non habeat hæc semper in actu, sicut ille. Ratio educit in actum scibilia per actionem propriam, quando in se reuertitur essentia animæ, vbi maximè indiuidua est, est intellectus, & esse ibi est intelligere, vbi non minus indiuidua habet annexam actionem ratiocinandi distinctam ab essentia simul, atque potentia discurrendi. Essentia animæ est stabilis & mobilis, similiter actio. Actio stabilis comitatur essentiam stabilem, mobilis mobilem. Anima tota simul permanet & mouetur, item potentia mobilis circa stabilem versatur. Item in essentia animæ permanente latet actio quædam æterna, Attentio animæ plurimum vertitur ad imaginabilia sensibiliaque, sed quando redit in se inuenit scibilia in potentia rationali, per quæ tandem intelligibilibus copulatur, quæ semper in intellectu vigent etiam animali. Rationalis potentia reuersa ad intellectum non circa omnia simul agit, sed successione quadam propter naturam diuisibilem.

PRISCIANI.

CÆterum quærendum est quid natura sibi velit, quod deinceps hunc in modum Theophrastus adducit, si enim inquit intellectus in agendo ipsa res euadit, hoc autem maxime est vtrumque, certe res ipsa intellectus erit. Non solum enim intellecta, sed etiam intellectus, tunc maxime sunt quando intellectus intelligit. Quapropter modo vtrumque ait, si igitur quando res ipsa est, tunc & intellectus existit, certe intellectus res ipsa qua intelliguntur erit. Num igitur quando nihil intelligit, cum ibi res ipsa non sit similiter nec intellectus erit, sed profecto ille, qui reuera est intellectus, atque etiam qui potentia dicitur intellectus, videlicet participatus ab anima intelligit sane, vtpote qui & ipse essentia sua est actus, quamuis gradu secundo. In ipsa verò anima particulari habet dubitatio locum, hæc enim non semper intelligit. Sed nunquid anima nihil est omnino, anima quam intelligatur, an aliquid est quidem, sed cum materia quadam, formatur autem quando cognoscit rebus extrinsecus incidentibus, sed profecto anima ipsa & est aliquid antequam sciat, & non ab externis, sed à seipsa potius incipit, & quæ sunt cognoscenda producit, res qua ipsas inuenit, quatenus ingreditur semetipsam. Anima igitur res ipsa in se est anima quam cognoscat. Quoniam verò & hac ratione quodammodo anima diuisa est, quia videlicet non est actus secundum essentiam, sed scientia actum habet ab essentia procedentem, nimirum quemadmodum est etiam quando non scit aliquid actu, sic etiam ipsa res existit, videlicet non secundum & actionem, sed potius per essentiam, oportet enim res ipsas in anima, eodem ordine quo & animam prorsus accipere, non quidem ex eo quod hæc semper intellecta sint, sed quia cognobiliter animus agat, atque hæc cognobilia sint effecta secundum sequentem & producentem ab essentia actionem. Siquidem in anima nec esse, nec agere simplex est, atque vniforme, sed hoc quidem permanens, hoc autem mobile, dum circa potentiam permanentem procedit potentia mobilis, & tota interim anima secundum vtramque perpenditur, atque idcirco simul anima permanet atque mouetur. Simul etiam & agit semper secundum actionem occultam & essentiæ permanenti congenitam, & secundum vitam extra progredientem atque mutabilem, quando ipsa circa sequentia diuiduaque tota conuertitur ad eadem operatur, vtens tunc opinione cum sensu, neque conuersa ad illa quæ (vt ita dixerim) scibilia nominantur, quæ quidem res ipsa sunt in anima, multoque minus conuersa tunc ad illa, quæ intelligibilia nuncupantur, quibus per ipsa scibilia velut secundum vnum continuum vel coniugium copulatur. Iam verò quando ad illa, qua in ipsa manent vitam actionemque productam, & aliquando progressum denique reuocat, non circa omnia simul agit, sed nunc quidem, hac tunc autem illam ob naturam videlicet diuisibilem.

CAPVT VIII.

MARSILII.

POtentia rationalis dicitur à potentia in actum procedere, non quia nouas formas accipiat, habet enim semper omnes, sed quia exerceat nunc, quas non exercebat ante. Theophrastus ait, si intellectus sit vt materia simpliciter in potentia, quando accipiens nouas formas intelliget, essentialem quandam subibit mutationem, quod est absurdum. quod Theophrastus ait de intellectu nostro intellectuali, id Priscianus trahit etiam ad intellectum rationalem quodammodo, ille igitur neque formas accipit nouas, neque mouetur hic, non nouas quidem accipit, sed mouetur circa suas.

PRISCIANI.

QVando igitur in anima dicimus in potentia esse atque actum, secundum permutationem id accipimus, aut certè quando non adest actio illa progrediens, secundum quam habetur, dicitur que scientia, tunc sanè illam essentiam permanentem actionis eiusmodi productricem esse in potentia dicimus, quæ & res ipsa tunc existit, neque tamen agit secundum actionem progredientem. Quamuis igitur non omnia simul cognoscat, sed alias alia, non tamen propterea est etiam alias alia, nec vnquam eadem, quoniam non vndique permutatur, sed est & aliquid in anima interea permanens, atque secundum hoc ipsum res ipsa semper in anima permanserunt. Ait Theophrastus absurdum fore, si intellectus in potentia quidem positus alter quidem sit, & alter iterum, quando seipsum non intelligit, sic enim ex eo quod intelligat aliud atque aliud, nunquam erit idem. At verò natura eiusmodi indiscreta, & ordinis expers sic euadens manifestè refellet eos, qui intellectum esse quidem omnia in potentia. Nihil autem in actu putauerint. Primum quidem quando non intelliget, nihil erit, deinde & si intelliget quando alia, neque seipsum intellexerit, aliud quiddam erit neque prorsus idem, sed alias alter, atque ita perpetuo permutabitur. Quapropter ait, non sic accipiendum esse in intellectu potentiam, atque actum, sed (vt prius est dictum) vbi censuit secundum quandam proportionis

comparationem, duo hæc esse ponenda. Nec vllo modo sicut in materia, sic in intellectu hæc affirmanda.

CAPVT IX.

MARSILII.

INtellectus animalis non est mixtus corpori, ideò non formatur à sensibus. Potentia quoque rationalis huic adnata formas non accipit nouas, sed vicissitudine quadam suas exercet. Rationalis natura in formali suæ essentiæ ratione scibilium omnium formas includit. Anima quamuis ex potentia in actum migret, tamen non fit alia, quia nouam non induit formam, sed nouam præfert actionem.

PRISCIANI.

PRoinde quando intellectum ait esse hoc aliquid addit, non tamen in hoc ei sensum æquari. Sensus enim vt & nunc adducit non absque corpore separatus, propterea ad perfectionem suam iis, quæ procedunt extra non indiget. Itaque anima etiam quando cognoscit, nihil actu interim existit, omnia secundum perfectionem essentialem atque permanentem, quamuis interea ipsa secundum productionem & appositionem actio, actusque deficiet, itaque quantum ad hanc spectat, esse tunc in potentia indicatur. Tum verò quoniam rebus scibilibus est congenita, quando aliquid sciuerit, sic in actu existens id ipsum, quod est & scibile. tunc non est à seipsa iam altera. Quippè cum ipsa secundum scibilia omnia suam sibi decernat essentiam. Verumtamen videtur & quodammodo fieri, quando enim fit singula, quemadmodum sciens actu dicitur, hoc autem contingere dicimus, quando secundum se agere potest, nimirum est & tunc quodammodo in potentia, neque tamen similiter, atque tunc, quando nec didicerat, nec inuenerat.

CAPVT X.

MARSILII.

IN intellectu nihil noui nascitur, in anima nascitur, saltem nouus actus habitusque per actum, natura enim intellectualis est vniformis & stabilis, natura animalis præter hæc duo habet & horum opposita. Est enim multiformis insuper atque mobilis, motus pertinet ad animæ definitionem atque naturam. Anima rationalis, quia est & media rerum, & per se mobilis, ideò vices agit ad extrema, præsertim, quia est vita particularis, potentia rationalis, aliquando ad intellectum, aliquando ad sensum se conuertit.

PRISCIANI.

INter hæc Theophrastus ait à quonam generatio fit in anima, & quo pacto, siue generatio ipsius habitus atque potentia, siue essentia ipsius inerodu-catur. Videtur autem potius habitus, atque hic habitus eiusque generatio ad naturam accedit perficiendam. Fit igitur quodammodo anima, quoniam non ita vniformis est & simplex, sicut intellectualia esse censemus, neque penitus stabilis sicut illa, sed permanet simul, atque mutationem habet innatam, & ad vtraque vices agit, quoniam est & media rerum, & vitam habet definitam motu, quamobrem tum fertur ad ignorantiam, quatenus ad deterius inclinatur, tum scientia dono perficitur, quatenus conuertitur ad superius, itaque imperfecta fit quandoque vicissimque perfecta, quotiens enim ignorat imperfecta censetur, atque propterea esse dicitur in potentia, quia & tunc habet cognoscendi potentiam, quotiens verò scit indicatur esse perfecta. Tum verò quatenus agit quidem ex ipso actu sibi perfectionem vendicat, sed quatenus etiam quando scit aliquid interea non agit omnino, etiam tunc esse impotentia indicatur. Non eadem tamen conditione qua priusquam disceret, vel inuenires, vtpote qua iam possideat habitum, suamque illam perfecerit potestatem, qua scientia actus edere consueuit. Quando igitur Theophrastus interrogat à quonam fiat in anima generatio vel habitus atque potentia vel essentia, sic interrogare putandus est, vtrum videlicet secundum habitum tantum atque potentiam, an etiam secundum essentiam in anima permutatio fiat.

CAPVT XI.

MARSILII.

ANima nostra est mutabilis, etiam quodammodo secundum essentiam. Alioquin si essentia eius esset penitus immutabilis, non ederet actiones adeò diuersas atque mutabiles, vt inter se tenderent in oppositum. Item, vnà in nobis est anima essentia, quæ est in se penitus immutabilis, non edit actiones aliquando rectas, aliquando peruersas, si duæ sint in nobis essentiæ animarum inter se disiunctæ, nec altera dependeat ab altera, non erit animal vnum, anima intellectualis non erit princeps vitæ corporeæ, nisi hæc ab ipsa dependeat. Vnica essentia est, in qua est potentia intellectualis atque rationalis, & potentia quomodocunq; discurrens, videtur hic in eadem animæ essentia ponere intellectum, rationem, imaginationem, propter quam vnionem, & hoc est vnum animal, & vires inferiores ad vnum in anima principem referuntur, vnica in vnoquoque nostrum est animæ essentia, atque hæc immutabilis est simul, atque mutabilis, in quacunque mutatione animæ permanet ipsa vita sibi propria, scilicet rationalis.

PRISCIANI.

QVoniam igitur ab essentia sunt habitus atque actus, impossibile est essentiam quandam ponere, permanentem penitus, & à mutatione secretam, & eodem modo se semper habentem, quæ tamen interea aliquando quidem perfectas bonasque actiones edat, aliquando verò imperfectas atque peruersas, essentia namque actionum causa sunt, ideoque quales sunt actiones ealem quoque potentia simul atque essentiæ speciem esse inde merito coniectamus. Siquis autem geminam essentiam in nobis excogitet, atque geminas potentias simul & actiones, & alias quidem semper in se perfectas, alias autem modo imperfectas, modo verò perfectas existimet, hic si eas disiunctas intelligat, vnum animal multa faciet animalia, atque omnino præstantiorem deponet essentiam tanquam neque dominantem vita, neque commune quicquam habentem, siquidem per secundam efficitur ipsa inter imperfectum vicissitudo, atque perfectum, quæ quidem in re potissimum vita definitur humana. Sin autem qui excogitauit talia in nobis duplicia, is habitudines dicens duas, aut rationes duplices, aut vitas geminas, sic duorum non dirimat vnionem, ne forsan hoc pacto nostra natura choro cuidam, vel alteri cuipiam mul-

titudini fiat similis, sed in unum cuncta congredian-tur, atque ad unum conflata principium ita conspi-vent, nos ita de hoc uno protinus percontabimur, v-trum uniforme sit atque immutabile semper & inte grum, quod si protinus admittatur, inde sequetur, vt nulla sit vnquam in animalibus vel secundum es-sentiam vel secundum actionem imperfectio, aut pra-uitas vlla, vel passio. Actiones enim sequuntur es-sentiam, Verumtamen neque penitus permutabile il-lud vnum esse concedendum, permanet enim in mu-tationibus ipsa vita.

CAPVT XII.

MARSILII.

Anima nostra, quia est media inter omnino stabilia atque mobilia, ideò habet essentiam stabilem atque mobilem, perque vices agit vitas omnium in mundo gerentium. Iamblichus de compositione animæ, vitarumque vicissitudine, in anima est mutatio quædam, non solùm secundùm habitudines, sed quodammodo etiam secundum essentiam, quatenus ignem intellectuali siue rationali species variat, nunc viuens vt homo terrenus, tunc vt aëreus, alias vt æthereus. Mihi verò Marsilio non videtur Theophrastus mutationem vllam, quæ tangat essentiam in anima ponere. Iamblichus verò quam minimam.

PRISCIANI.

Particularis igitur anima vt est apud Iamblichum ambo pariter comprehendit, tum permanens, tum mutabile, vt & hac ratione medietas ipsa seruetur. Superiora enim stabilia tantum in se consistunt. Caduca verò mutabilia prorsus. At particularis anima tanquam mediarerum atque vna cum omnibus circum mundanorum generibus diuisa, pariter atque multiplicata non permanet solum, sed etiam permutatur totidem ita particulares diuisæ suæ vitas agens, neque solum secundum habitus, sed etiam secundum essentiam quodammodo permutatur. Quod quidem Theophrastus quoque (vt arbitror) significare volens ait. Videtur quidem magis in anima fieri secundum habitum generatio. Mutatio enim secundum habitus atque perfectio est admodum manifesta, propterea magis inquit. Atque dicendo hoc ipsum magis clam significat perfectionem quodammodo ad essentiam pertinentem, & ob hanc causam subdit ita, hac autem naturam perficit, naturam scilicet operantis, quasi prius perfecta non fuerit, si enim essentia esset omnino perfecta certè habitus atque actio imperfecta non foret ab essentia sola procedens.

CAPVT XIII.

MARSILII.

Res immateriales nihil in se habent nisi necessario pertinens ad essentiam. Res materiales præter essentialia subeunt accidentalia multa, intellectus noster cognoscit vtrasque per formas innatas, quæ formæ repræsentant, immaterialia quidem tanquam eis cognatæ, materialia verò tanquam causæ. Aristoteles & Theophrastus de rebus à materia separatis, & de coniunctis. Iamblichus & Plutarchus commentatores Aristotelis, intellectus possibilis in nobis est duplex, alter primus semper in actu, alter secundus transiens de potentia in actum, id est, ratio. Ratio quando non vagatur per imaginationem & sensus, conuersa ad se inuenit rationes rerum innatas. Rationes innatæ sunt germanæ substantiarum separatarum, & sunt vel causæ materialium, vel consimiles causis. Intellectus agens se videns conspicit omnia secundum causam.

PRISCIANI.

Deinceps verò Theophrastus quemadmodum Aristoteles duo ponit genera specierum, alias quidem immateriales, alias verò materiales, atque in speciebus à materia separatis ait idem esse ipsum vnumquodque, & ipsum eius esse, quando vero dicit ipsum eius esse, rationem formalem speciemque designat, at quando dicit ipsum vnumquodque substantiam significat totam & in speciebus quidem sine materia existentibus secundum solam rationem, atque speciem totam putat esse substantiam, in speciebus autem materialibus aliud esse vult ipsum vnumquodque, aliud ipsum eius esse, horum namque primum secundum vtrumque concretumque accipiatur, alterum vero secundum speciem intelligitur. Quoniam igitur intellectus qui dicitur in potentia vtrasque species contemplatur, inquirit Theophrastus, vna cum Aristotele quomodo speculatur vtrasque. & quemodo species in materia existentes etiam quadam abstractione cognoscit. Materiales namque species, vel secundum solam speciem contemplatur. Hac igitur planius disserentes legitimi interpretes Aristoteles, Iamblichus & Plutarchus Nestorio genitus, nos quoque aliquid commentare debemus breuiter quæsita diiudicantes. Assero igitur ipsum potentia intellectum tum eum qui participatur ab anima, tum potentiam ipsam rationalem, quando sincerè vtitur ratione, neque vna cum sensu & phantasia ad exteriora protenditur, tunc species rationesque immateriales sibi insitas contemplantem secundum has ipsas excogitare species, tum à materia segregatas, tum materia distinctas. Illas quidem secundum quandam (vt ita loquar) identitatem, atque communem inter immateriales species vnionem, has autem velut à causa ea, quæ sunt similia causæ. Sicut enim ille actu intellectus dum intelligit semetipsum sequentia sub se cuncta agnoscit vtpote qui ipse res ipse sit per causæ modum atque ab eiusmodi causis, effectus quoque præstantiore modo quam ipsi in se sint apprehendat. Ita & qui est in potentia intellectus sequenti gradu ab eis, quæ in seipso sunt proximis causis materialia percipit. Immaterialia quidem in se insita materialium principia contemplatus.

CAPVT XIIII.

MARSILII.

Sensus cognoscit accidentia tantum atque particularia. Intellectus etiam vniuersaliter, atque per rationes essentiales accidentia inde sequentia: item cognoscit omnia per insitas rationes, immaterialia quidem tanquam his rationibus coniugata, materialia verò tanquam hinc effecta. Rationes in anima insitæ respiciunt materialia tanquam causæ, immaterialia, vel tanquam germanæ, vel tanquam effectus. Species naturales quamuis non sint extra indiuidua, verè tamen cogitantur indiuidualibus accidentibus non cogitatis. Item si figuras Mathematicas ratio excogitat absque certa materia, quamuis cognoscat eas sine materia existere nunquam posse.

PRISCIANI.

Cognoſcit verò intellectus materialia non ſicut ſenſus. Senſus enim tanquam particularia ſecundum qualitates attingit, velut tanquam calida, vel frigida, vel alba, vel aliquid aliud generis eiuſdem. Intellectus autem vtraque rationalis cognoſcit eſſentias ſecundum communes materialium ſpecies. Num igitur intellectus ignem eſſe calidum non cognoſcet? Sed profecto qualitates & accidentia omnia ab vnaquaque progrediuntur eſſentia, quo circa intellectus, qui cognouit eſſentiam, accidentia quoque per ipſas eſſentia rationes præſtantius etiam quam ſenſus cognoſcit. Sed vt ad propoſitum reuertamur, quomodo anima vtraque percipit formarum genera, tum materialia inquam, tum à materiis abſoluta. Certè (quemadmodum dictum eſt) vtraque ſecundum inſitas animæ rationes, ſed immaterialia quidem tanquam rationibus ſibi inſitis coniugata, vel tanquam præſtantiora, materialia verò velut effecta, tum vero, quæ abſtractione cognoſcuntur auferendo, ſunt quodammodo ſpeciebus materialibus eadem, ſecundum verò ſeipſa à nobis excogitantur, id autem eſt, non vnà cum materia cogitantur, quandoquidem neque modo ſeparato ſubſiſtunt, neque intelliguntur tanquam in modo quodam ſeparato eſſentiam ſibi ſuam vendicent ſed quando ea vnà cum materia cogitamus, tunc tanquam materialia dicimus. Quando vero tanquam ſola ſpecies cognoſcentes agnoſcimus, tamen interea in materia eas exiſtere, nec aliter ſubſiſtere poſſe, tunc abſtractione percipimus.

CAPVT XV.

MARSILII.

EAdem vis in nobis intellectualis cognoſcit immaterialia, atque materialia, & hęc rurſum vel vniuerſaliter vel ſingulariter, idque totum agit per rationes innatas, quibus vtitur ad immaterialia quidem tanquam germanis, vel tanquam effectibus eorum, ad materialia verò tanquam cauſis.

PRISCIANI.

NVnquid igitur anima potentia quadam altera, vel per alterum modum ſe habente materialia & immaterialia indicat, rurſumque, & illa, quæ prorſus in materia deprehenduntur, & quæ percipiuntur abſtractione. An potius eadem potentia & ſimiliter ſe habente. Forſan verò eſt vtrumque verum. Idem namque differentium indicare eſſe poteſt. Nempè ipſum intellectuale idem & eodem modo ſe habens id efficit, tam ſecundum proprias rationes, & interea id efficit quodammodo altera facultate, & quoquomodo aliter ſe habente, quoniam rationes proprias, vel tanquam cauſas contemplatur, quando ab eis materialia cogitat, vel tanquam immaterialibus coniugatas vel quaſi ab intellectualibus ſpeciebus effectas. Atque hoc pacto ſuis rationibus contemplatur adeo, vt quaſi alteræ interea factæ ſint, aliterue ſe habeant.

Quia materiæ eſt ſubiectum priuationis atque diuiſionis, ideo formæ expertes materiæ ſunt plenæ vita, & intellectu, indiuiſibileſque.

CAPVT XVI.

MARSILII.

SVnt igitur intellectus formarum pleni, quia nulla eſt ibi priuatio, ſunt & idem cum formis quia nulla diuiſio, quoniam formæ ſunt, fiuntue intelligibiles propter ſeparationem à materia, ideò intellectus ſunt ſeparati, neceſſe eſt ſuper ſpecies materiales, quia imperfectæ ſunt immateriales eſſe. Quod à materia ſeparatur ſtatim euadit intelligibile pariter atque intellectus. Intellectus apparet indiuiduus, quia conuertitur in ſeipſum, item plenus formarum, quia in ſe conuerſus inuenit omnia. Tres ordines ſubſtantiarum ſeparatarum, tres intellectuum, ſunt intellectus ſupermundani tantum contemplatores. Sunt deinde intellectus ſupermundani quidem, ſed rectores cœleſtium animarum, ſunt tertio intellectus mundani id eſt, cœleſtes animæ, ſimiliter eſt intellectus agens, eſt & poſſibilis in anima rationali. Eſt tertio potentia ipſa rationalis, quæ etiam dicitur intellectus. Anima rationalis per rationis officium teſtatur ſe etiam ſeparatam plenamque formarum, quatenus liberè ſuum actum inchoat, colligitque ſe ad ſe, & ſic inuenit omnia.

PRISCIANI.

OMnino verò quemadmodum res ipſæ ſunt à materia ſeparatæ, ſic Ariſtoteles atque Theophraſtus, quæ ſunt circa intellectum habere ſe putant. Forſan igitur hæc eorum ſententia ſic exponenda videtur, quemadmodum materiales ſpecies cogitatione ſola à materia ſeparantur. Atque ita altera facultate, & altero modo ſe habente diiudicantur, tanquam per ſolam cogitationem apprehenſa ſint atque diſcreta, ſic & ipſius in potentia intellectus ſpecies inſita ab eo per ſolam intelligentiam ſegregantur. Quandoquidem ſecundum eſſentiam ſemper vnà cum ſpeciebus exiſtit, adeo vt & quomodo intellectus in potentia dicitur, actuque nihil animaduertamus, quia videlicet per ſolam intelligentiam, aut igitur illa Ariſtotelis & Theophraſti verba id ſignificant, ſic enim Plutarchus exponit, vel potius ita vt mox ſubiiciam. Quemadmodum quæ dicuntur à materia ſeparata, alia quidem reuera ſeparata ſunt, vt in materia prorſus, alia vero per intelligentiam, ſicut quæ abſtractione percipiuntur, ſic & intelliguntur vtraque. Alia quidem, vt reuera ſeiuncta, alia verò & ſic cogitatione aliqua ſeiunguntur, non tamen aliter quam (vt ita dicam) materialiter ſubſiſtentia. Fortè verò ſic melius exponemus, quemadmodum ſpeciem à penitus à materia illa ponimus, ſic & quæ ſunt circa intellectum diſponere decet, ne forſan hac ſecundum cogitationem ſolam, ſed proprie præcipueque ſeparata ponamus. Nempè quemadmodum immateriales illæ ſpecies reuera ſeiunctæ ſunt à materia, ſic & intellectus eſt penitus à materia ſegregatus ſanè ante & ſupra materiales ſpecies, neceſſum eſt immateriales exiſtere atque intelligibiliter (vt ita dixerim) in ſe ſubſiſtere. Quippè quæ indiuiſibiles ſint, totaque per totas vitæ cognitioneque vnita plena, vitæ namque vacuitas, & inſcitia ſecundum priuationem ſe habere dicuntur, priuatio verò in commixtione ad materiam accidere conſueuit, quoniam igitur expertes materiæ ſpecies, confeſtim intellectuales ſunt, conſtat eas eſſe in intellectu, ipſumque intellectum eſſe materiæ prorſus expertem atque vnà cum immaterialibus ſpeciebus eſſentiam ſuam eſſe ſortitum, ſiquidem vita cognitioque quæ in ſeipſam conuertitur eſt indiuidua, præſertim quoniam ipſa ſe ingredient entia inuenit, atque vera. At quoniam in rebus reuera ſeparatis ex partibuſque materiæ differentia quadam eſt ſub deſcenſu quodam: alia enim ſunt penitus indiuiduæ, aliæ enim ſunt penitus indiuiduæ, alia cum explicatione quadam, alia denique inter hæc mediæ ſunt tanquam indiuiduæ

quidem determinatiue tantum explicaturum, sic & intellectus ipse se habet, primo quidem gradu separatus est ille qui secundum actum dicitur intellectus. Secundo verò intellectus secundum potentiam & participatus ab anima, atque ipsa rationalis anima. Hac enim quamuis cum explicatione se habeat, tamen ad indiuiduum ipsum & se & alia colligit. Hac à seipsa suum opus orditur, hac in seipsa res inuenit, atque vera, hac igitur separata est, rationumque separatarum plena.

Omnis intellectus est vniformis, sed intellectus agens est omnino ipsa sua forma.

CAPVT XVII.

MARSILII.

POssibilis est quodammodo distinctus à formis suis, atque hæ inter se distinctæ, potentia rationalis magis etiã à formis suis distincta est, & in ea formæ discretæ magis. Sensus profert rationes suas consequenter quatenus ab externis passiones incidunt in instrumento. Intellectus non sicut sensus externa prospicir, sed inspicit sua, & alia conditione quàm externa requirant. Nota per hæc & sequentia intellectum agentem esse Deum, si modo est omnia indistinctè ex se & terminus omnium atque perfectio, intellectus possibilis dicitur in porentia, tum ad suas formas, quia quodammodo distinctus est ab eis, tum ad agentem, quoniam illuminatus est inde, & inde suis formis vnitus, intellectus possibilis simplici stabilique intuitu videt, potentia rationalis actione mobili atque composita, ideò minus vnita est rebus percipiendis, sed vnitur ab intellectu, ad quem est in potentia. Ratio etiam colligit se ad vnum, & in se inuenit omnia, intellectus possibilis semper, & vbique est vnitus agenti, & formatus ab eo, sed quoniam per propriam & liberam actionem suam est inde formatus, iure formare seipsum intellectus possibilis, ita est omnia secundo gradu, sicut agens omnia primo gradu.

PRISCIANI.

THeophrastus iterum Philosophicè admodum commemorat, quemadmodum hoc ipsum, quod dicitur intellectum res ipsas existere, tam in intellectu secundum potentiam, quàm in intellectu secundum actum se habente propriè debemus accipere, ne fortè vel quod dicitur in potentia secundum priuationem accipiamus, sicut in materia consueuimus, vel quod dicitur actu secundum perfectionem passiuam, & ab externis illatam fieri suspicemur, neque rursum sicut in sensu fieri consueuit, vbi per motionem instrumentorum accidit productio rationum. Ipseque sensus extra posita percipit, imò in ipso intellectu intellectualiter capiendum esse ait, tum in potentia, tum in actu res esse: nam secundum impartibilem vnitatem terminumque sincerum & perfectionem prorsus vnitam hoc ipsum, quod actu dicitur iudicandum. Est enim ipse in actu intellectus re vera res ipsa, non secundum participationem, non diuisum, non vt alius, non vt ab eis determinatus, vel inde perfectus, imo vt ipsa res existens, & vt terminus omnium atque perfectio. Secundum verò contactum vna cum alteritate factum. Ac per descensum quendam quodammodo ad determinatum, atque aliunde perfectum accipere hoc ipsum, quod in potentia nominatur, ipsa interim alteritate in anima rationali manifestius apparente. Quod quidem & eius speculatio patefacit vnà cum explicatione quadam, & euolutione rebus cognoscendis vnita. Neque tamen ipsa omnino diuisa a rebus, atque distãs, alioquin ad ipsum impartibile collecta non esset, nec ex seipsa atque in se cognobilia vnquam contemplata fuisset. Sed quasi remissam habens ad res vnionem & idcirco ab eo, quod est prorsus vnitum assiduè pendens, ob hoc ipsum dicitur in potentia. Iam verò remissio hac apertius apparet in anima, atque inde iam in intellectu ab anima participato propter subiectionem quandam, qui sanè intellectus ab intellectu vnito prorsus & impartibili termino dependet, manetque ibi suspensus, & ab eo secundum essentiam est perfectus, atque ideo secundum se dicitur in potentia: sed quoniam hic quoque est impartibilis, neque secundum distantiam, neque per integram alteritatem intellectui primo succubuit, idcirco neque tanquam aliunde mobilis, neque tanquam ab alio, quandoque perficitur, sed seipsum perficit, quamuis illius termino se perficiat, & secundo quodam gradu est hoc ipsum, quod ille primo, atque secundum proximè sequentem, ad illumque respicientem vnionem est vnitus, sic igitur propriè vt intellectui competit, quod in potentia nominatur, est in intellectu censendum.

CAPVT XVIII.

MARSILII.

INtellectus possibilis cùm primum existit, est species ipsæ omnes secundùm essentiam, ideò non accipit eas ab agente, sed perfectam sui ad eas earumque inter se vnionem, quam illinc habet ab æuo. Ratio verò ab intellectu accipit temporaliter vnionem. Intellectus possibilis dicitur quasi vacuus formarum, quia nisi ab agente vniatur formis suis, perinde se habet, ac si non haberet: non enim videt eas nisi perfectè vnitus eis. Nota hic & infra intellectum possibilem per suum liberumque actum assumere perfectionem ab agente, & ita seipsum perficere intellectus possibilis semper copulatus agenti, semperque formatus in actu. Ratio non semper intellectui copulata, ratio similiter per actum proprium & liberum intellectui copulatur, perficitque inde seipsam.

PRISCIANI.

ATqui mihi videtur Theophrastus hic quoque significare, id quod in potentia in intellectu dicitur oportere proprie, vt intellectui consentaneum est accipere, exemplum enim de tabella nondum scripta ad significandum, quomodo intellectus in potentia sit introductum ab Aristotele, ita subintelligit, atque notat, vt literarum vacuitatem admittimus in intellectu, quatenus est intellectui consentaneum, habenti videlicet species secundum essentiam perfectasque possidenti. Sed ita prorsus vt à primo intellectu sit perfectus actuque conscriptus. Ipsum namque indiuiduum & vnitum perfectionis hic habet inde, & intellectus hic, qui dicitur in potentia esse, est intellectualia secundum potentiam, vtpote qui secundum quandam gradus submissionem & cum quadam alteritate siue diuersitate hac habeat Sed interim excitatus à semetipso ad indiuiduam perfectionem ab intellectu primo suscipiendam, tale enim est intellectuale, quando dicitur in potentia esse, sed actu nihil à natura quam intelligat, id

eſt, non indiuidue nec vnite intelligibilia eſt prius, quam perficiatur à primo Dictionem verò hanc ſcilicet prius, quamuis in anima, non tamen in intellectu participato ſecundum conditionem temporis debemus exponere. Imò verò ſecundum ſubmiſſionem & ſeparationem quandam excogitatam, & ſimul ſecundum ipſius proprietatem. Intellectus enim hic in potentia nominatus quatenus eſt inferior, atque ipſemet in ſe duntaxat excogitatur, nondum eſt actus, ſed quatenus copulatur primo, ſic ab illo perfectus, imo ſecundum illum perficiens inde ſeipſum.

Omnis forma à materia ſegregata eſt procul à priuatione, & motu atque diuiſione.

CAPVT XIX.

MARSILII.

PRopter primum ineſt vniformis vitæ, quæ & intelligentiæ compos, propter ſecundum intelligit in ſe permanens, ideoque ſe omniformem intelligendo intelligit omnia, propter tertium, ſunt ibi ſimul in ſe inuicem omnes formæ, atque quod intelligit, quodve intelligitur eſt penitus idem. Cùm ait res corporeas plurimum non ſentire ſeipſas, quaſdam videtur excipere. Sunt enim qui velint cæleſtia ſuo lumine ſentire ſeipſa. Forma à materia ſeparata cùm ſit, forma perfecta ſiue dicatur intelligibilis, eſt intelligibile perfectum, tale verò eſt quod intellectui eſt vnitum, ſiue dicatur intellectus, ſimiliter intellectus eſt perfectus. Talis autem eſt, qui intelligibili eſt vnitus, intellectus noſter ſimplicem ſtabilemque ſemper habet intuitum, ratio verò diſcurſum, in ratione ſcientia eſt, quæ eſt acquiſita cognitio per diſcurſum. Ratio ſcitura aliquid diſcurſum reuocat ad inſitas rationes, per quas dum res cognoſcit habere, res ſcitas dicitur in ſeipſa, imò Plotinus ait rationem per rationes innatas ſecundùm potentiam eſſe omnia. Quando verò aliquam in actum exerit rationem, tunc animam ipſam actu euadere rationem, atque hoc ipſum eſſe ſcire. Ratio per formas innatas, velut per cauſas cognoſcit immaterialia vt effectus. Immaterialia verò per eaſdem, tanquam eiſdem rationibus coniugata, viſus actu videns vnà cum viſibili concurrit in vnum. Verumtamen ſenſibile venit extrinſecus. Multomagis ſcientia cùm ſcito venit in vnum: ſiquidem non proſpicit extra, magis inſuper intellectus, atque intelligibile ſunt penitus vnum, motu namque non diſtrahuntur.

PRISCIANI.

POſthac vbi Theophraſtus exponit Ariſtotelem dicentem, ſeparata & immaterialia vna cum intellectu eadem eſſe, in rebus autem materialibus vnumquodque intelligibilium in quadam eſſe potentia. Atque bis non ineſſe mentem diſtinguit articulatim eiuſmodi dicta, dirigitque, & interea quædam dubitat. Vt igitur hæc quoque planius apprehendamus, Ariſtotelis verba inprimis articulatim & breuiſſime pro viribus diſponemus, quoniam, inquit, alia quidem ſunt in materia, alia verò ſine materia, quales ſunt incorporea ſeparataque ſubſtantiæ, in rebus quidem ſeparatis idem eſt intelligens atque intellectum. Intellectus enim non ad externa porrectus, ſed in ſe manens res ipſas intelligit. Quapropter cum rebus intelligendis eſt idem, quinetiam immaterialia omnia cum indiuiſibilia ſint, & vita cognitioniſque plena, nimirum intellectualia eſſe cenſentur, nam ſenſibilia quidem propter materialem diuiſionem, ſunt aliis ſentienda, ſibi verò ipſis pleraque nullo modo, ſed res materiæ prorſus expertes, cum intelligibiles ſint hac quoque ratione a rebus differunt ſentiendis, quod non ſunt ab intelligente diuiſæ, neque ab externis perficiuntur, ſed perfecta ratione ſunt ex ſeipſis intelligibiles. Quocirca & intelligentes, & cū ſint impartibiles, impartibiliter vniuntur intelligenti. Cūq; inſuper totæ ſint per totas intelligibiles, vitæ totæ per totas intellectui ſunt vnita. Neque ſecundum accidens, ſed ſecundum eſſentiam intelligibiles ſunt, & ſecundum eſſentiam ſunt perfectæ, atque ob hanc cauſam perfectæ ſecundum propriam eſſentiam exiſtẽtes nimirum intelligibiles eædem ſunt, atque ſimul intelligentes, vt ſecundum ſeipſas & intelligibiles ſint, & intelligibiles perfectiſſimæ. Proinde Ariſtoteles ab ipſa quoque ſcientia nos admonuit in rebus ſeparatis idem eſſe, quod intelligit, & quod intelligitur. Scientia enim inquit ſpeculatiua, atque quod eſt ita ſcibile inter ſe ſunt idem, id eſt, ſcientia haud prorſus ad exteriora porrecta, ſed permanens in ſeipſa, & intrinſecus agens, ſimul & rerum ſpeculatrix exiſtit, & quod eſt ita ſcibile, eſt illic idem. Cum enim ſcibilia dicamus, & materialia, & quæ abſtractione quadam percipiuntur auferendo non ita, ſcibilia hæc appellamus, vt ſcientia hæc coniugato ſecum parique ordine ſpeculetur, ſed vt à rationibus in anima inſitis, velut à cauſis apprehendat. Adhæc igitur ille reſpiciens, & ex aduerſo diſtinguens quod ſic eſt ſcibile inquit, id eſt, quod pari coniugataque ſorte ſcibile, tale verò eſt, quod æternum, atque in ipſa anima conſtitutum. Id autem idem, atque ſcientia eſt, iam vero eſt & de ſenſu dictum, non aliter cognitionem ibi perfici, niſi in idem cognitio ſecundum actum, cumre ſecundum actum nota concurrat. quapropter & ipſa ſecundum actum ſcientia eadem eſt cum ſcibili ſecundum actum, ſed hoc intereſt, qui neque venit extrinſecus, neque extra poſitum eſt, quod principaliter eſt cognoſcibile. ſicut in ſenſu contingit. Si igitur ſcientia ſimul & ſcibile idem eſt, magis autem intelligens intellectumque vnitur, certè & intellectus eſſe idem quod intellecta cenſetur.

CAPVT XX.

MARSILII.

QVod eſt materiale non eſt ex ſe intelligibile, ſed quatenus à materialibus conditionibus per intellectum abſoluitur, neque igitur ſibi, ſed intellectui abſtrahenti intelligibile fit. Contra verò res per ſe à materia ſeparata, & ex ſe intelligibilis eſt, & intelligibilis ſibi ipſi. In rebus igitur ſeparatis intellectus, atque intellectum in eadem forma concurrunt, intellectus cognoſcit materialia, non per illa, ſed per rationes eorum innatas intelligentiæ, quaſi per cauſas intellectus, ſecundum Theophraſtum & Ariſtotelem eſt immaterialis, & tamen eſt potentia quædam materialium, id tribus modis exponitur: duobus actione, vno quaſi paſſiuè. Primò, intellectus eſt potentia productiua actuum ſuorum vel actionum circa materialia, ſecundo non æqualitate naturæ, ſed ſupereminenti poteſtate per formas ſuas, quaſi per cauſas materialia noſcit. Tertiò, materialia quoque cognoſcit, quatenus lumine intellectus agentis eſt formatus, immaterialia ſunt præſentia ſemper intellectui naturaliter, materialia

verò præsentia fiunt, quatenus per intellectum à materia resoluuntur, scientia in actu fit idem cum re in actu scita in ipso etiam rationis discursu. Multomagis in ipso intelligentiæ statu intelligens, intellectumque est idem. Siquidem intellectus ipse secundum essentiam est illæ ipsæ formæ, quæ intelliguntur ab eo, intellectus cognoscit immaterialia velut si coniugata. Materialia verò tanquam inferiora prout innatas sibi formarum tanquam materialium causas animaduertit. Intellectus agens nullo modo factus est, intellectus possibilis in nobis primus nunquam fit, sed semper est factus, id est formatus agente, intellectus possibilis in nobis secundus, id est ratio fit semper, id est quotidie per intellectum superiorem & discursionem suam ad illum actu formatur, vel saltem innatas formas in actum ex ocio profert. Sententia hæc de intellectu triplici, & æterno quodam in nobis intelligentiæ actu à Plotino & Iamblicho sæpius approbatur.

PRISCIANI.

CVm hæc igitur ita se habeant, merito ille in opportuno disputationis medio idem his verbis significauit. Curnam igitur inquit non semper intelligimus. siquidem in nobis est & intelligens, & intellectum eadem namque sunt ambo, hoc igitur quam primum pro viribus considerare debemus, in illis igitur quæ separata sunt à materia, idem est intelligens, atque intellectum, quemadmodum supra diximus, in his autem, quæ cum materia sunt vnumquodque intelligibilium est in potentia. Materialia enim neque secundum seipsa, neque secundum essentiam intelligibilia sunt, neque eundem ordinem sortiuntur cum intellectu, neque tanquam illi coniugata noscuntur, quomodo igitur dicuntur secundum potentiam intelligibilia? si enim in potentia sunt talia, etiam in actu quandoque intelligibilia erunt, erunt profectò quandoque talia, sed non coniugata sorte, imo secundum eorum causas intellectu positas cognoscetur, at qui & quoniam eadem cum causis proprietatem habent, ipsa quoque intelligibilia nominantur, sed potentia quadam intelligibilia, quoniam qui ea intelligit, eadem supereminet, atque secundum supereminentem causam intelliguntur ab eo, non autem se vel sibi ipsis intelligibilia sunt, non enim se intelligunt. Quamobrem deinceps hæc adducit, illis igitur non inest intellectus, materialibus videlicet rebus. Propterea non sunt intelligibilia sibi vel seipsis, quoniam hæc quidem materialia sunt, intellectus autem immaterialis existit. Absque enim materia est (vt ait) intellectus talium ipse potentia. Quorum sanè quod absque materia dicitur, naturam intellectus ostendit materiæ prorsus expertem, intellectus autem materialium potentia est, vel tanquam actionum causa, sic enim Plutarchus exponit, vel tanquam non coniugata, sed eminentiore quadam conditione hæc intelligens, quoniam hæc à causa contemplatur, vel ipse in potentia intellectus, talium quoque potentia est, tanquam hæc etiam secundum perfectionem intelligens à superiori tributam. Materialibus igitur non inest intellectus, in intellectu autem intelligibile inest, hoc verò articulatim distribuens. Theophrastus ita subdit, sed quando fiunt, intelliguntur que, tunc videlicet hæc habebit, ipsa verò intelligibilia semper, siquidem scientia speculatiua eadem est, atque scita, hæc autem ipsa, quæ videlicet secundum actum, talis enim præcipua est, intellectui sanè inquit intelligibilia, id est, immaterialia semper vt eadem adsunt, quandoquidem secundum essentiam ipsi simul cum eis existit, atque est idipsum quod intelligibilia esse dicuntur, materialia verò tunc demum quando intelliguntur, intellectui præsentia sunt, non tanquam pari sorte, ordinisue eiusdem ab eo intelligenda, nunquam enim materialia cum intellectu immateriali, ex quo coniugium sortiuntur. At quando intellectus, quæ sunt in ipso, non tanquam ipsa solum, sed etiam tanquam causas materialium animaduerit, tunc materialia quoque intellectui secundum causam præsentia sunt. Hæc autem de intellectu quidem secundum actum accepto dicta fuisse non affirmarem. Ille enim non est potentia, nec vnquam fieri potest.

FINIS






ARGVMENTVM

MARSILII FICINI FLORENTINI, IN LIBRVM MERCVRII Trismegisti, ad Cosmum Medicem, Patriæ patrem.



O tempore, quo Moses natus est, floruit Atlas Astrologus Promethei Physici frater, ac Maternus auus maioris Mercurij, cuius nepos fuit Mercurius Trismegistus. Hoc autem de illo scribit Augustinus, quanquam Cicero, atque Lactantius Mercurios quinque per ordinem fuisse volunt, quintumque fuisse illum, qui ab Ægyptiis Theut, à Græcis autem Trismegistus appellatus est. Hunc asserunt occidisse Argum, Ægyptiis præfuisse, eisque leges, ac literas tradidisse. Literarum verò characteres in animalium, arborumque figuris instituisse. Hic in tanta hominum veneratione fuit, vt in deorum numerum relatus sit. Templa illius numinis, constructa quamplurima. Nomen eius proprium ob reuerentiam quandam, pronuntiare, vulgo, ac temerè non licebat. Primus anni mensis apud Ægyptios nomine eius cognominatur, oppidum ab eo conditur, quod etiam nunc Græcè nominatur Hermopolis, id est, Mercurij ciuitas. Trismegistum verò ter maximum nuncuparunt, quoniam & Philosophus maximus & sacerdos maximus, & rex maximus extitit. Mos enim erat Ægyptiis (vt Plato scribit) ex Philosophorum numero sacerdotes, ex sacerdotum cœtu regem eligere. Ille igitur quemadmodum acumine, atque doctrina, Philosophis omnibus antecesserat, sic sacerdos inde constitutus, sanctimonia vitæ; diuinorumque cultu, vniuersis sacerdotibus præstitit, ac demum adeptus regiam dignitatem, administratione legum, rebusque gestis superiorum regum gloriam obscurauit, vt merito ter maximus fuerit nuncupatus. Hic inter Philosophos primus, à Physicis, ac Mathematicis ad diuinorum contemplationem se contulit: primus de maiestate Dei, dæmonum ordine, animarum mutationibus sapientissimè disputauit. Primus igitur Theologiæ appellatus est author: eum secutus Orpheus, secundas antiquæ Theologiæ partes obtinuit. Orphei sacris initiatus est Aglaophemo successit in Theologia Pythagoras, quem Philolaus sectatus est, diui Platonis nostri præceptor. Itaque vna priscæ Theologiæ vndique sibi consona secta, ex Theologis sex miro quodam ordine conflata est, exordia sumens a Mercurio, à diuo Platone penitus absoluta. Scripsit autem Mercurius libros ad diuinarum rerum cognitionem pertinentes quamplurimos, in quibus, proh Deus immortalis, quàm arcana mysteria, quàm stupenda panduntur oracula: nec vt Philosophus tantum, sed vt Propheta sæpenumero loquitur, canitque futura. Hic ruinam præuidit priscæ religionis, hic ortum nouæ fidei, hic aduentum Christi, hic futurum iudiciũ, resurrectionem sæculi, beatorum gloriam, supplicia peccatorum. Quo factum est, vt Aurelius Augustinus dubitauerit, peritiane syderum, an reuelatione dæmonum, multa protulerit. Lactantius autem illum inter Sibyllas, ac Prophetas connumerare non dubitat. E multis denique Mercurij libris, duo sunt diuini præcipuè, vnus de Voluntate diuina, alter de Potestate, & sapientia Dei. Ille Asclepius, hic Pimander inscribitur. Illum Apuleius Platonicus Latinum fecit, alter vsque ad hæc tempora restitit apud Græcos; at nuper ex Macedonia in Italiam aduectus diligentia Leonardi Pistoriensis docti, probique Monachi ad nos peruenit. Ego autem cum tuis exhortationibus prouocatus, è Græca lingua in Latinam conuertere statuissem, æquum fore putaui, Cosme Felix, vt nomini tuo Opusculum dedicarem. Nam cuius ipse adiutus opibus, librisque affatim refertus, studiis Græcis incubui, eidem studiorum Græcorum me decet offerre primitias. Neque fas erit, opus tam sapientis Philosophi, tam pij sacerdotis, tam potentis regis dicare cuiquam, nisi ipse, cui dicatur, pietate, sapientia, potencia, reliquis omnibus antecelleret. Est auten (vt ad scripta Mercurij descendamus) huius libri titulus, Pimander, quoniam ex quatuor personis, quæ in Dialogo disputant, prima Pimandro partes attribuuntur. Edidit verò librum Ægyptiis literis, idemque Græcæ linguæ peritus, Græcis inde transferendo communicauit Ægyptiorum mysteria. Propositum huius operis est, de potestate, & sapientia Dei differere. Cumque sint horum operationes gemina, quarum prima, in ipsa Dei natura permanet, secunda porrigitur ad externa, & illa quidem mundum primum, æternumque concipit, hæc verò mundum secun-

dum, temporalémque parit, de vtriſque operationibus, deque mundo vtroque grauiſſimè diſputat: quid Dei poteſtas, quid ſapientia, quo ordine intrinſecus concipiant, quo progreſſu exterius pariant. Præterea, quæ producta ſunt, quomodo ſe inuicem habeant, quo conueniant, quoue diſcrepent, quo denique pacto ſuum reſpiciant authorem Ordo autem voluminis eſt, vt in Dialogos quatuordecim diſtinguamus, vtque primæ Dialogi partes Pimandro dentur: ſecundas teneat Triſmegiſtus: ternas Æſculapius: quartum locum obtineat Tatius. Intelligit ergo Mercurius in diuinis Æſculapium, ac Tatium erudire. Diuina docere nequit, qui non didicit, ac humano ingenio, quæ ſupra naturam ſunt, inuenire non poſſumus. Diuino itaque opus eſt lumine, vt ſolis luce ſolem ipſum intueamur. Lumen verò diuinæ mentis nunquam infunditur animæ, niſi ipſa, ceu luna ad ſolem, ad Dei mentem penitus conuertatur. Non conuertitur ad mentem anima, niſi cum ipſa quoque fit mens. Mens verò non prius fit, quam deceptiones ſenſuum, & phantaſiæ nebulas depoſuerit. Hac de cauſa Mercurius modo ſenſus, & phantaſiæ caligines exuit, in aditum mentis ſe reuocans: mox Pimander, id eſt, mens diuina, in hunc influit, vnde ordinem rerum omnium, & in Deo exiſtentium, & ex Deo manantium, contemplatur. Demum quæ diuino ſunt numine reuelata, cæteris hominibus explicat. Is igitur eſt libri titulus, id propoſitum illius, & ordo. Tu verò Coſme felix, lege feliciter, ac diu viue, vt & diu patria viuat.



MERCVRII TRISMEGISTI,

LIBER DE POTESTATE & Sapientia Dei.

(·:) CVI TITVLVS (·:)

PIMANDER.

MARSILIO FICINO Florentino Interprete.

CAPVT PRIMVM.



CVm de rerum natura cogitarem, ac mentis aciem ad ſuperna erigerem, ſopitis iam corporis ſenſibus, quemadmodum accidere ſolet iis, qui ob ſaturitatem, vel defatigationem ſomno grauati ſunt, ſubito mihi viſus ſũ cernere quendam immenſa magnitudine corporis, qui me nomine vocans, in hunc modum clamaret: Quid eſt ô Mercuri, quod & audire, & intueri deſideras? Quid eſt, quod diſcere, atque intelligere cupis? Tum ego, Quiſnam es inquam? Sum, inquit ille, Pimander, mens diuinæ potentiæ, ac tu vide quid velis, ipſe verô tibi vbique adero. Cupio, inquam, rerum naturam diſcere, deumque cognoſcere. Ad hæc ille: Tua me mente complectere, & ego te in cunctis, quæ optaris, erudiam. Cum bæc dixiſſet, mutauit formam, & vniuerſa ſubito reuelabit. Cernebam enim immenſum quoddam ſpectaculum, omnia videlicet in lumen conuerſa, ſuaue nimium, atque iucundum, quod intuentem me mirificè oblectabat. Paulo poſt vmbra quædam horrenda, obliqua reuolutione ſubterlabebatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitatam, inde fumus quidam magnus in ſonitum erumpebat, ex ſonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem exiſtimabam: ex hac luminis voce verbum factum prodiit. Verum hoc naturæ humidæ aſtans, eam fouebat, ex humidæ autem naturæ viſceribus, ſincerus, ac leuis ignis protinus euolans alta petit. Aër quoque leuis ſpiritu patens, mediam regionem inter ignem, & aquam ſortiebatur, terra verò & aqua ſic inuicem commixtè iacebant, vt terræ facies aquis obruta nuſquam pateret. Hęc duo deinde commota ſunt à ſpiritali verbo, quod eis ſuperferebatur, aures eorum circumſonans. Tunc Pimander ait: Aduertis quid ſibi hæc viſio velit? Cognoſcam inquam: Ait ergo Pimander: Lumen illud ego ſum, mens, Deus tuus, antiquior quam natura humida, quæ ex vmbra effulſit, mentis verò germen lucens, Dei filius. Quid ergo inquam? Sic inquit: Cogita, quod in te videt, & audit verbum Domini, mens autem pater Deus, neque enim diſtant ad inuicem, horum vnio vitæ eſt. TRIS. Gratias habeo tibi. PI. Verum in primis meditare lumen, atque cognoſce. TR. Hæc vbi dicta ſunt, diu illum oraui vt eius ideam ad me conuerteret. Quod cum ille feciſſet, repentè proſpicio mea in mente lucem viribus in numeris exiſtentem, ornatum ſine termino ignem, vi ingenti circumſeptum, & in

ipsa stabilitate dominantem. Hæc ipse percepi per Pimandri verbum, qui me stupore attonitum, sic iterum affatus est: Vidisti in mente primam speciem infinito imperio prævalentem? Eiusmodi quædam mihi Pimander. At ego illi; Elementa naturæ vnde manarunt? PI. Ex voluntate Dei, quæ verbum complexa, pulchrumque intuita mundum, ad eius exemplar, reliqua sui ipsius elementis, vitalibusque seminibus exornauit.

Mens autem Deus vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, vita & lux cum verbo suo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque spiritus numen. Septem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum sensibilem complectuntur, eorumque dispositio fatum vocatur. Connexuit inde Dei verbum, ex elementis deorsum tendentibus purum naturæ artificium, vnitumque est opifici menti, consubstantiale enim erat, relictaque sunt elementa naturæ deorsum cadentia sine ratione, vt sint tanquam sola materies. Mens quidem opifex vnà cum verbo circulos continens, ac celeri rapacitate conuertens, suam ad se machinam flexit, eamque volui à principio ad finem absque fine præcepit, incipit enim illic semper vbi desinit. Horum profectò cunctorum circuitus, quemadmodum ipsa mens voluit, ex elementis inferioribus animalia conflauit rationis expertia, neque enim præbuit rationem, aër volatilia protulit, aqua verò natantia. Distincta quoque inter se sunt aqua & terra, eum in modum, qui menti placuerat. Terra postmodum animantia, quæ intus habuerat, peperit, quadrupedia videlicet serpentia, feras, agrestia pariter, atque domestica, at pater omnium intellectus, vita & fulgor existens, hominem sibi similem procreauit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est, pulcher enim erat, patrisque sui ferebat imaginem. Deus enim re vera propria forma nimirum delectatus, opera eius omnia vsui concessit humano. Homo autem cum considerasset in tempore suo rerum omnium procreationem, Ipse quoque fabricare voluit, vnde à contemplatione patris, ad sphæram generationis delapsus est. Cumque omnium in se potestatem haberet, opificia septem gubernatorum animaduertit. Hi autem humanæ mentis meditatione gaudentes, singuli eorum proprij ordinis participem hominem reddidere. Qui postquàm dicit horum essentiam, propriamque naturam conspexit, penetrare, atque rescindere iam exoptabat ambitum circulorum, vimque gubernatoris præsidentis igni comprehendere. Quiue arbitrium & potestatem omnium habuerat, in animantia mundi mortalia, & ratione carentia, per harmoniam emersit, atque exiliit, penetrans, ac resoluens potentiam circulorum: ostenditque naturam, quæ deorsum labitur, velut pulchram Dei formam, qui cum naturam contueretur mira pulchritudine præditam esse, actionesque omnes septem gubernatorum atque insuper Dei ipsius effigiem possidere, illi amore ingenti subrisit, vtpote qui humanæ pulchritudinis speciem in aqua specularetur, eiusdemque admirationem quandam in terra conspiceret, ille præterea consecutus similem sibi formam in seipso existentem, velut in aqua amauit eam, secumque congredi concupiuit. Effectus euestigio secutus est voluntatem, formamque carentem ratione progenuit. Natura illud, in quod toto ferebatur amore, complexa, illi penitus sese implicuit, atque commiscuit, quandoquidem solus homo ex vniuersis terrenis animantibus duplicis naturæ censetur, mortalis quidem propter corpus, immortalis autem propter hominem ipsum substantialem, immortalis enim est, cunctorumque arbitrium obtinet: cætera verò viuentia, quæ mortalia sunt, fato subiecta, patiuntur. Non igitur harmonia superior obstitit, in harmoniam verò lapsus periclitatus, seruus effectus est. Hic vtriusque sexus fœcunditate munitus, ab eo, qui arborum, & riuorum fons est, vigilque factus ab eo, qui est vigilans, continetur, atque eius dominationi subiicitur. TRISMEG. Posthæc, mens inquam meæ rationis, ipse es. Tum Pimander: Id est, inquit, mysterium, quod in hanc vsque diem, genus humanum latuit. Natura quippè homini sese immiscens, miraculum attulit, quod omnium miraculorum vincit admirationem, nam cum septem illorum harmonia ipse iam fuisset imbutus ab eo, quem tibi paulo ante narraui, patre videlicet, atque spiritu, natura ipsa non restitit. Quinimo septem protinus homines peperit, septem gubernatorum naturas, masculini pariter, ac fœminini generis compotes, atque sublimes. Adhæc ipse sic intuli: O Pimander, ardenti desiderio nuper affectus sum, audire præterea reliqua cupio, quare, ne hic me deseras, obsecro. Cæterum ille mihi: PIMAND. Sile, nondum enim primum sermonem absolui. TRISMEG. Ecce iam taceo. PIMAND. Horum septem (vt dixi) generatio in hunc modum effecta est. Fœmina enim aër, & aqua coëundi compos, ex igne maturitatem, ex æthere sumpsit spiritum, conglutinauitque natura corpora ad hominis speciem effingendam. Non autem ex vita, & luce, in animam, mortemque processit, vita quippè animam largita est, lux denique mortem. Talia profectò vsque ad finem circuitus principiorum simul, & generum, cuncta mundi sensibus membra manebant. Verum audiam reliquum, quem summopere cupiebas, sermonem. Expleto demum circuitu, omnium (volente Deo) solutus est nodus, nam cuncta vtriusque generis animantia vnà cum homine dissoluuntur, & mascula quidem ex parte, fœmineaque similiter conficiebantur. Extemplo Deus verbo sancto clamauit, pullulate, adolescite, propagate vniuersa germina, atque opera mea. Vos insuper quibus mentis portio concessa est, genus recognoscite vestrum, vestramque naturam immortalem considerate. Amorem corporis, mortis causam esse scite: rerum omnium naturam discite. His dictis, prouidentia, per fatum, harmoniamque conflauit mixtiones, generationesque constituit, vnde cuncta sunt secundum genus proprium propagata. Demum qui seipsum cognouit, bonum (quod est super essentiam) consecutus est, qui verò corpora, amoris errore complectebantur, is oberrabat in tenebris, mortalis mala sensu percipiens. TRISMEG. Quot tamen delinquunt, ignorantes, inquam, vt ob eam causam immortalitate priuentur? PIMAND. Videris ô Mercuri non satis intelligere, quæ audieris. TRISMEG. Etsi nondum intelligere sim professus, intelligo tamen, ac memini. PIMAND. Gratular si quæ dicta sunt, tenes. TRISMEG. Responde mihi quæso Pimander, cur digni morte sint ij, qui in morte iacent? PIMAND. Quia præcessit proprio corpori tristis vmbra, ex hac quidem natura humida, ex hac verò corpus

in mundo sensibili constitit, ex hoc denique mors ipsa scaturiit. Num hoc tenes Mercuri? Tenes etiam qua de causa, qui seipsum cognoscit, transit in Deum, vt Dei verbum tradidit? TRISMEG. Quoniam ex vita & luce constat omnium pater, ex quo natus est homo. PIMAND. Rectè loqueris. Lux & vita Deus est, & pater, ex quo natus est homo, si igitur comprehenderis teipsum ex vita ad lucem compositum, ad vitam rursus, lucemque transcendens. TRIS. Hæc ait Pimander. At ego: Adhuc mihi mens dicas, oro, quonam pacto ad vitam ascendere queam. PIMAND. Deus ipse mens iussit, vt homo mentis particeps, seipsum animaduerteret. TRISMEG. Non ergo homines singuli mentem possident. PIMAND. Rectè dicis, Mercuri, assum enim ego mens iis, qui boni, puri, religiosi, sanctique sunt, præsentiaque mea fert illis opem, adeoque vt statim cuncta dignoscant, patremque pacatum, & proprium habeant. Itaque gratias agunt benedicentes piè, & hymnis solennibus collaudantes, conceduntque sanè corpus morti suæ, sensuum illecebras fastidiunt, vtpote qui clarè diiudicant, quam letifera sint sensuum lenocinia, quinetiam ipsa mens ianitoris munere fungens, incidentes in insidias corporis haudquaquam permitto finem consequi suum, auditus enim, per quos turpes blanditiæ manare solent, iugiter intercludo, libidinumque fomites omnes extinguo. Cōtrà, ab ignaris, improbis, ignauis, inuidis, iniquis, homicidis, impiis procul admodū habito permittens eos dæmones vltoris arbitrio, qui ignis acumen incutiens, sensus affligit, magisque ad patienda scelera armat hominem, vt turpioris culpæ reus, acriori supplicio fit obnoxius, eumque sine vlla intermissione, ad insanabiles concupiscentias inflammat: cum eo pugnat in tenebris, peccarum examinat, & ignis impetum in eius cruciatum mirum in modum concitat, atque adauget. TRISMEG. Diligenter mibi omnia ô Mens, quemadmodum postulabam, exposuisti. Vlterius autem id responde, quid post ascensionem futurum sit. Primum quidem (Pimander ait) in corporis materialis resolutione, corpus in alterationem labitur, species, quam ante habuerat, insensibilis delitescit in posterum, morum ociosus habitus dæmoni conceditur, atque dimittitur, sensus corporei partes animæ facti, sui in fontes refluunt, aliquando in suos actus iterum surrecturi: irascendi & appetendi vites in naturam conuertunt ratione carentem, itaque residuum, tum per harmoniam recurrit ad supera. Primæ dehinc zonæ crescendi pariter, & decrescendi officium reddit. Secundæ machinarionem malorum, ociosumque dolum. Tertiæ ociosam concupiscentiæ deceptionem. Quartæ imperiosam, atque inexplebilem ambitionem. Quintæ profanam arrogantiam, & audaciæ temeritatem. Sextæ occasiones diuitiarum prauas, iremque ociosas. Septimæ zonæ mendacium insitum. Tunc sanè animus harmoniæ motiones exutus, ad optatam naturam reuertitur vim propriam habens, vnà cum iis, qui illic sunt, patrem laudat, ipsi quoque in potestatum se numerum conferunt, effectique potestates, Deo fruuntur, atque id summum bonum eorum, quibus cognoscendi sors competit, Deum scilicet fieri. Quid præter hæc ad te pertinet, nisi vt cuncta amplexus dux fore velis eorum, qui cura sint tua digni vt humanum genus tuo munere diuinam salutem consequatur? Talia quædam effatus Pimander, in potestarum diuinarum numerum se reduxit, ego autem benedicens, ac gratias agens vniuersorum parenti, surrexi iam corroboratus ab illo, totusque edoctus naturæ ordinem, spectaculum etiam clarissimum contemplatus. Hinc ipse cœpi hominibus, pietatis & scientiæ decorem enuntiare. O populi viri terrigenæ, qui vos ipsos ebrietati, somno, & ignorantiæ dedistis, sobrij viuite, abstinete à ventris luxu, vos, qui irrationali somno demulcti estis. Illi autem exaudientes, mecum vnanimes conuenere. Tunc rursus adieci: Cur ô viri terrigenæ præcipites in mortem ruitis, cum vobis haudquaquam desinit immortalitatis consequendæ facultas? reuocate iam vosmet, qui laboratis inopia, ignorantiæ tenebris inuoluti: discedite ab obscuro lumine, asciscite immortalitatem, corruptionem fugite. Eorum verò partim deridentes ascēdebant, in mortis iter præcipitati, partim aute ad pedes meos prostrati, vt eos instituere precabantur, subleuans igitur eos, dux humani factus sum generis, ostendebam quippe illis quæ ratio esset consequendæ salutis, sapientiæque sermones illorum auribus infundebam, quo factum est, vt illi ex imbrium procellis emergerint, tandem aduentante vespere, solisque radiis occidentibus (vt Deo gratias agerent) præcipiebam. Postquam verò gratias egerant, quisque in proprium se cubile condebat. Ego autem Pimandri beneficium inscripsi penetralibus animi, atque adeptus, quæ petieram, omnia, in gaudio requieui, corporis enim somnus, cum sobrietas extiterat, oculorum compressione verus intuitus, silentium meum bonitatis fœcunda prægnatio, sermonis prolatio bonorum omnium genitura. Hæc mihi contigerunt ex mente haurienti, id est, ex Pimandro diuinæ potentiæ verbo vnde ipse diuino afflatus spiritu, veritatis compos effectus sum, quamobrem omnibus animi viribus, patri Deo gratias ago. Sanctus Deus pater omnium: Sanctus Deus, cuius voluntas à propriis potestatibus adimpletur: Sanctus Deus, qui suis familiaribus innotescit. Sanctus es, qui verbo cuncta constituisti: Sanctus es, cuius imago est omnis natura: Sanctus es, quem nunquam natura creauit: Sanctus es omni potestate validior: Sanctus es omni excellentia maior: Sanctus es omni laude melior. Excipe verborum sacrificia sancta, ab animo, & corde debito tibi manantia. Ineffabilis, solo silentiò prædicantibus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias declinauit. Annue, corrobora me, atque huius gratiæ participes effice eos, qui in ignorantia versantur, cognatione quidem mihi fratres, tibi autem filij. Etenim fidem tibi præsto, testimonium de te perhibeo. In vitam, ac lumen assurgo. Ipse pater es venerandus, homo autem tuus, sanctitate vnà tecum potiri desiderat, cum potestatem illi omnium, arbitriumque concesseris.

COMMENTARIA.

IN hoc primo ex quatuordecim Dialogis, salua semper religionis pietate, videtur Mercurius Mosaica mysteria tractare. Moses enim tenebras vidit super faciem abyssi, & spiritum Domini ferri super aquas: hic verò vmbram horrendam in humidam naturam migrantem, quam quidem humidam naturam verbum Domini fouebat. Ille potenti verbo Domini cuncta creata nuntiat, hic vero verbum illud lucens, quod omnia illuminet, germen mentis, filium Dei asseuerat, & mentem

& mentem patrem, & verbum mentis filium natura non distare, consubstantiale, inquit, erat, videt & horum esse unionem. Et si plenius desideras, & fas est viris ante verbi carneum velamen tantum diuinæ cognitionis ascribere, vidit filium ex patre nascentem, & spiritum ex patre, filioque miro modo procedentem, cum dixit: Mens autem Deus utriusque sexus fœcunditate plenissimus vitæ, & lux, cum verbo suo mentem alteram opificem peperit. Vidit & mentem exuberantis fœcunditate sui se ad externa porrigentem, & ad sui diuini verbi exemplar formantem vniuersa, & vnicuique, in aere, in aqua, & in terra, propriam secundum genus suum naturam dispertientem, mox hominem ad ipsius similitudinem, & imaginem factum, cuius usui vniuersa sensibilia mens opifex subiecit, qui mox de intelligibili sphæra ad corporeorum, concupiscibiliumque sphæram prolapsus est, hinc quoque fomitis malorum contraxit originem, & tandem homo omnium (volente Deo) solutus est nodus, mortique cum cæteris factus obnoxius. Quid hic aliud est, Deum verbo sancto clamasse? pullulate, adolescite, propagate vniuersa germina, atque opera mea, quàm id Mosaicum: Crescite, & multiplicamini, & replete terram? Mox Mercurius nos instruit qua pateat aditus ad mentem, & quis nos ab ea tandem malus auferat error, & quibus mens abundè bonorum largitrix adsit, quibusue pariter absit, & quo pacto quemadmodum certis gradibus ab intellectuali immortalique natura labimur, degeneramusque ad caduca, ita quoque certis, oppositisque gradibus in priorem purgata mentis statum redintegramur. Moses diuino instituto dux fit Hebræi gregis, Mercurius Ægyptij, & nunc sancta institutione gregem suum pascit actiuam vitam viuens, nunc verò hymnis, gratiarumque actionibus rerum patrem collaudans, in contemplationis vitam, lumenque assurgit, hæc Pimandri summa est.

MERCVRII AD ÆSCVLAPIVM *Sermo vniuersalis.*

CAPVT II.

Deus atque ipsa diuinitas, dico nunc non quod genitum videlicet, quia ingenitum. Si ergo diuinum sit, essentia est: sin Deus, etiam super essentiam. Intelligibile autem id hoc pacto. Intelligibilis enim Deus primus non sibi, sed nobis existit, intelligibile quippe intelligenti per sensum subincidit. Deus itaque minimè sibi intelligibilis, non enim aliud quiddam existens, præter id, quod intelligit, intelligitur à seipso, est tamen differens quiddam à nobis, idcirco à nobis intelligitur. Quod si intelligibilis logos, non Deus, sin vt Deus, haud sanè vt logos, verbum tanquam discretus dicatur. Omne autem, quod mouetur, non in moto, sed in quodam stabili mouetur, ipsum quoque, quod mouet, etiam permanet, impossibile enim est cum eo simul agitari. ÆSCVL. Quonam igitur pacto Trismegiste, ea, quæ in mundo sunt, mutantur vnà cum iis, quæ mouent? nam sphæras erraticas ab aplane sphæra moueri dicebas. TRISMEG. Istæ non motus ô Æsculapi, sed resistentia est, non enim eodem, sed modo contrario gradiuntur, oppositio verò reuerberationem motionis stabilem continet, repercussio enim stationis, agitatio est. Ideoque erraticæ sphæræ contrario, ac aplane subalternè inuicem discurrendo obuiatione contraria circa oppositionem huiusmodi ab ea, qua perstat, agitantur, quod quidem aliter habere se nequit, nam arctos ipsas, quas nostri nec exoriri vnquam, nec mergi, circa idem perpetuo recurrentes, non moueri censes, an consistere potius? ÆSCVL. Moueri ô Trismegiste. TRISMEG. Quonam motu Æsculapi? ÆSCVL. Motione circa idem sempiternè currente. TRISMEG. At verò circulatio illa idem, & circa idem: motus statione contentus, ipsum namque circa idem prohibet, quod supet ipsum est, impeditum autem id, quod super ipsum est, circa idem instat, atque ita contraria agitatio firma est, ab ipsa oppositione perpetuò stabilita. Exempla tibi ante oculos ponam in terris viuentium, veluti dum homo quis natat (currente nimirum aqua) manuum simul, & pedum repercussio stare hominem efficit, ne cum aqua pariter collabatur, aut mergatur in eam. ÆSCVL. Perspicuum ô Trismegiste exemplum in medium attulisti. TRISMEG. Quodcunque ergo mouetur in statu, à statu mouetur. Motus itaque animalis omnis, quod ex materia constat, nequaquam fit ab iis, quæ sunt extra mundum, cæterum ab internis ad externa, seu ab anima, siue à spiritu, siue ab animo quodam incorporali, corpus enim corpus animatum minimè mouet, si neque totum simul corpus, & si inanimatum existat. ÆSCVL. Qua ratione id assetis ô Trismegiste? TRISMEG. Ligna, & lapides, & cætera omnia quæcunque animam habent, non mouentur à corporibus ô Æsculapi? Quid enim intra corpus, mouens ipsum inanimatum? non vtique corpus illud est, quo mouentur vtraque, & corpus eius, quod fert, eiusque, quod fertur? Non illud quoque, quod dictum est, animatum est, ob eam potissimum rationem, quod mouet? Nonnè ergo perspicis animam tunc onerari maximè, quando sola duo corpora sustinet? Quinetiam manifestum est, quicquid mouetur, in aliquo, & ab aliquo stante moueri. ÆSCVL. In illo vtique mutari oportet, qua mutantur, ô Trismegiste. TRISMEG. Rectè dicis ô Æsculapi. Nihil est in rerum ordine vacuum, solum verò quod non est, quod priuatur existentia, vacuum nuncupandum, nihil enim reperiri potest, quod cum existat, vacuum fit. ÆSCVL. Nonnè reperiuntur quædam vacua Trismegiste? veluti dolium vacuum, vacuus puteus, & similia quoque quamplurima? TRISMEG. Heu quàm procul à veritate vagatis ô Æsculapi, quæ ampla, & maximè omnium plena sunt, ea tu vacua putas. ÆSCVL. Quomodo id ô Trismegiste? TRISMEG. Aër profectò corpus est, id corpus reliqua penetrat, discurrensque replet omnia, corpus enim huiusmodi est, ex corporalibus non compositum. Quo fit, vt quæcunque tu vacua nuncupas, plena sint aëris. Itaque concaua potius ista, quàm vacua nominari debent, nam & existunt, ac aëris, spiritusque sunt plena. ÆSCVL. Inuicta atque indubia hæc est ratio Trismegiste, aër corpus est, id corpus in reliqua permanat, atque influens complectitur omnia. Locum, in quo omne mouetur, quid esse dicemus? TRISMEG. Incorporeum ô Æsculapi ÆSCVL. Incorporeum verò quid est? TRISMEG. Mens, ac ratio sese complectens, libera ab omni corporis mole, ab errore aliena, impassibilis, intangibilis, ipsa sibi assistens, purgans, atque seruans omnia: cuius radij sunt bonum, veritas, principale lumen, primaque animarum for-

ma. ÆSCVL. Deus quid est? TRISMEG. Quod nullum ex his est, horum tamen omnium, vt sit causa, præsens quiddam cunctis, præsens etiam vnicuique, neque quicquam permittit non esse. Omnia ex iis, quæ sunt, procreantur, de nihilo autem nihil prouenit, nam quæ minimè sunt, naturam nullam habent, qua fieri valeant, contrà ea, quæ sunt, naturam non habent, per quam aliquando non existant. ÆSCVL. Quid igitur ais Deum esse aliquando? TRISMEG. Deus profectò mens non est, at verò, vt sit mens, causa est; nec spiritus, sed causa, qua spiritus extat, nec lumen, sed causa, qua lumen existit. Vnde Deum colere oportet duobus iis cognomentis, quæ soli competunt illi, cęterorum verò nulli penitus congruunt. Etenim ex iis, qui præter ipsum appellantur, seu dæmones, siue homines, nullus tam bonus esse potest, quam Deus vnicus, iis enim ipsum bonum est, nec aliud quicquam præter bonum, reliqua omnia ab ipsa boni natura secreta sunt. Corpus quidem, & anima locum habent nullum, quo bonum capiant, tam ampla enim est bonitas, quàm existentia rerum omnium, tum corporalium, tum etiam incorporalium, sensibilium, & intelligibilium, id bonum est, id est Deus. Caueitaq; ne quando dixeris aliud quicquam bonum, profanus enim hic foret error. Neque etiam dixeris Deum aliquid quiddam, præter solum bonum, in eandem quippé impietatem incideres. Sermone igitur ab omnibus bonum pronuntiatur, quid tamen sit, ab omnibus non intelligitur, idcirco Deus non cognoscitur ab omnibus. Verum propter ignorantiam, tum deos, tum etiam nonnullos homines bonos nominant, nunquam tamen esse boni possunt, nec etiam fieri. Reliqui igitur dij cuncti immortales, honorati nomine Dei, Deus autem bonum non secundum honorationem, sed ipsa sui natura. Vna enim Dei natura est, ipsum scilicet bonum, vnum quidem est in vtrisque nominibus, vnde cuncta genera profluunt, bonus enim porrigit vniuersa, nec accipit quicquam, Deus exhibet omnia, capit nihil, igitur Deus bonum, ac bonum Deus. Altera Dei appellatio pater est: ob eam causam, qua omnia gignit, patris enim officium est generare. Quapropter præstans id in vita, censetur studium, atque ipsum apud sapientes, procreatio liberorum, extrema verò omnium calamitas, & impietas accidit illi, qui absque filiis è vita decedit, qua de causa, dæmonibus dat pœnas post obitum. Supplicium denique huiuscemodi est, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium migret, cui nec maris, nec fœminæ natura insit, quod quidem à sole eleuatum est, atque connexum. Igitur ô Æsculapi, cum homine, qui nullos genuit filios, nullum habeto commercium, infelicitatis tamen eius miserere, cum noueris, quæ hunc mala post interitum maneant. Tot igitur tibi, & talia dicta sint ô Æsculapi, ex quibus præcognitio quædam omnium naturæ colligitur.

COMMENTARIA.

Secundus disserit Deum rationali modo soli homini intelligibilem esse, & ex centro, polo, loco & rerum formis, venatur ipsum Deum, circa quem, in quo, & à quo mouentur omnia, stabilem, immobilemque, & iugiter sibiipsi idem semper permanere, & nihil in orbe vacuum esse posse, verum ea, quæ inania esse videntur, fœcundiore etiam plenitudine, summam amulari plenitudinem. Mox quid non sit Deus, quàm quid sit, afferre facilius Æsculapio suis responsionibus insinuat, Deum tamen esse absolutum bonum, & patrem, cuius officium est omnia gignere, quod de interna generatione, & quæ in ipsa Dei natura manet, intellectum, diuinæ religionis pietatem affert. Quod nomen boni soli Deo conuenire contendit, huic Euangelicæ veritati consonat. Quid me vocas bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Et quod de extrema sine liberis decedentium calamitate subiungit, velatus sermo est. Non enim id de corporeo, sed animæ partu concipere, cuius liberos, filiosque virtutum partus putato, & masculam ad Deum, deique diuinissimas potestates contemplandas sapientiam, quod apertè innuit, cum inquit, Supplicium denique huiusmodi est, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium migret, cur nec maris, nec fœminæ natura insit, quasi apertè diceret, per quod nunquam operetur bona, neque boni vnquam quicquam sit susceptura. Vos ergo summopere sterilitatem animæ fugite, & prolem, quæ vos aliquando beatos effectura sit, gignite, patrisque semper gignentis fœcunditatem quoad potestis, hoc pacto vestræ mentis imitamini fœcunditate. Hæc Æsculapij summa.

Mercurij sermo sacer.

CAPVT III.

Gloria omnium Deus: diuinum, diuina natura, principium vniuersorum, Deus, mens, natura, actus, necessitas, finis, & renouatio. Erat enim vmbra infinita in abysso, aqua insuper, & spiritus tenuis intellectualis, per diuinam potentiam in chaos inerant. Floruit autem splendor sanctus, qui sub arena, & humida natura elementa deduxit, diique omnes seminalem naturam deligebant. Cumque indistincta fuissent, leuia postmodum in excelsam regionem pronolarunt, grauia sub arena humida resederunt. Distinctis, librasque rebus, quæ igneo spiritu vehebantur, emicuit cœlum septem in circulos. Dij in astrorum ideis, cum signis eorum conspiciebantur. Dinumeratæ sunt stellæ secundùm eos, qui inhabitant illas, deos, ambitus amplior, cursu suo, aëreo circulo, conspirante diuino spiritu vectus. Quisque deorum ex interna virtute ascriptum sibi opus expleuit. Nata sunt ergo viuentia, quadrupedia, reptilia, aquatica simul atque volantia. Satio item omnis persemina pullulans, gramen, herba, atque germina florum, sementem quodque regenerationis intrinsecus comprehendebant. Generatio hominum ad diuinorum operum cognitionem, testimoniumque naturæ, ad imperandum omnibus, quæ cœlo teguntur, ad bonorum discretionem, ad incrementum generis, numerique propagine: omnisque anima velata carnis vmbraculo, ad cœlestium deorum discursum suspiciendum, ad opera Dei, & naturæ progressus, ad bonorum signa; ad potestatis diuinæ cognitionem, portio quædam tributa est ad bonorum malorumque iudicium, ac bonorum varium artificium inueniendum, incipit tamen in illis viuere, sapientiámque nancisci, ad portionem continuè cursus, deorum circumeuntium, resolui præterea in id, quo ampla extabunt monimenta, admonitionesque artificiorum super

terram, his electis innouatione temporum, herbæ, generationesque carnis animatæ (tepefactis sementibus fructuum, opificisque naturæ & artis) reiuuenescent. Denique vti necessitate, & renouatione deorum, cursuque circuli numerosæ naturæ dininum, ac ipsa scilicet omnis conspiratio mundi, natnra denuo florescente: etenim in ipsa diuinitate, natura etiam consistit.

COMMENTARIA.

Tertius rursum commemorat, ex informi materiæ sinu, formis ceu sanctis splendoribus illustrato, omnia ad ortum suo ordine processisse, & beatas cœlorum mentes opus sibi à summo patre commissum explere. Et hominem ad geminum officium natum, ad æternorum videlicet contemplationem, & ad boni, malique iudicium, & rerum humanarum cum variis artificiorum inuentis, tum prudentia moderationem, cui quidem contemplandi materiam, seque ad diuina attollēdi cœlum, terra, herbæ, germina, & tota mundi conspiratio, & rerum pulcherrimus ordo, abundantissimè suggerit, est enim natura velut liber vnus diuinitate plenus, diuinorumque speculum, hæc sermo sacer. Tertium tamen hunc Dialogum cautè legendum admoneo, nam Gentiles planè Gentilitè exponunt, & faciunt quoddam ad suos errores fundamentum, πρὸς ταῦτα ὁδὸν τὴν ματαίαν. Ad diuinationem omnem, ad idololatriam, orgia deorum, teletas, aut verius thelo threscias, magia, theurgias, fatum, opifices deos, & huiusmodi impura, & nefaria quamplurima, nobis autem vnus Deus est, qui fecit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & qui omnia, prout vult, in tempora mutat, & transfert.

Mercurij ad Tatium Crater, siue Monas.

CAPVT IIII.

Vniuersum mundum, verbo non manibus, fabricatus est opifex. Id se verò sic cogita, illum præsentem semper agentem omnia, Deum vnicum voluntate sua cuncta constituentem. Id enim eius corpus est, non tangibile, non visibile, non dimensum, non distans, nec alterius cuiusquam simile, nam nec ignis, nec aqua, nec aër, nec & spiritus, verum ab eo hæc pendent omnia, bonum verò ita est, vt sibi soli id competat. Terram quoque ornatu quodam diuini operis exornare voluit. Dimisit itaque hominem mortalis animantis, mortale animal, & mundus quidem refertus animalibus viuentis mundi per intellectum, atque rationem, homo enim effectus est diuini operis contemplator, quod profectò dum admiraretur, authorem eius agnouit. Sermonem quidem ô Tati, singulis hominibus Deus impartiuit, mentem verò nequaquam, non quod inuiderit, quibus ne vtique inuidet, liuor quippe ab eo non prouenit; sed illa, quæ habitat cum animis hominum mente carentibus. TAT. Cur ô pater non omnibus Deus mentem communicauit? TRISMEG. Quoniam voluit eam ô fili, in medio tanquam certamen, præmiumque animarum proponere. TAT. Vbinam hanc locauit? TRISMEG. Cum craterem parulum hac impleuisset, præconem misit, iubens talia quædam animis hominum nuntiare. Mergat seipsam in hanc pateram, quæcunque potest, quæ videlicet credit craterem animam ad eum, qui dimiserat, redituram, quæ finem noscit, cuius gratia nata fuerit. Quicunque igitur præconem exaudierunt, sese miserunt in mentem, ij cognitionis participes effecti sunt, mentemque suscipientes, in homines perfectos euasere. At qui præconium neglexerunt, i sermonis quidem participes, mentis autem expertes, relicti sunt ignorantes, & cuius gratia, & à quo geniti fuerint. Horum præterea sensus irrationalis animantis sensuum similes, itaque & cupidine implicita, ea, quæ sunt digna conspectu, nequaquam admirantur. Nam libidinibus corporis mancipati, horum causa natum hominem arbitrantur. Quicunque verò Dei natura fulti sunt, ij ô Tati secundum operum comparationem, pro mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cuncta complexi, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & siquid est præterea supra cœlum. Atque adeo seipsos erigunt, vt ipsum quoque bonum intueantur. Quod sanè cum perspiciunt, eam, qua hic vescimur, vitam, miseriam quandam arbitrantur, despicientes vtique, tum etiam corporea omnia, ad vnum solum feruntur. Hic ô Tati scientiam meritus est diuinorum, si contemplatio est intelligentia Dei, diuino existente cratere, TAT. Equidem ô pater, huius crateris latice ablui cupio. TRISMEG. Nisi ô fili tuum corpus oderis, teipsum amare non poteris, quam primum verò non te, sed Deum ipsum dilexeris, mentem protinus consequeris, hanc deniqae nactus, scientiam euestigio nancisceris. TAT. Quonam pacto asseris hæc, ô pater? TRISMEG. Impossibile est ô, fili, vtrisque simul intendere, mortalibus videlicet, atque diuinis, nam cum duo tantum in ordine rerum inueniantur, corporeum, & incorporeum: & illud quidem mortale, hoc diuinum dicatur, electione vnius amittimus alterum: quotiesque vnius cura remittitur, alterius actus intenditur. Potioris itaque optio, eligenti, decora, non modo hominem, qui elegit, Deum reddidit, verum pietatem erga Deum cæteris quoque demonstrat, deterioris autem electio, hominem quidem ipsum perdit, aduersus autem Deum nihil præter id vnum delinquit, scilicet quòd quemadmodum pompæ per media transeunt, ipsæ quidem nullius actionis compotes, cæteros autem impedientes: haud secus isti pomparum instar vagantur, atque obertant, propter corporis voluptates. Cum hæc igitur ita se habeant, ô Tati, diuina officia præcedere, humana sequi debent. Deus profectò extra culpam malorum à nobis, causa venit, nam mala bonis anteponimus. Cernis ô fili quòd corpora cœlestia transcendere nos opus est, quodque choris dæmonum abesse, ambitumque astrorum, eorumque progressus superare, vt ad vnum, solumque Deum tendamus, insuperabile enim bonum est, sine termino infinitum, quo ad se nunquam incipiens, quo ad humanam cognitionem principium habens, eiusmodi tamen cognitio non eius initium est, sed nobis ipsius cogniti principium exhibet. Principium itaque complectamur, hoc enim cognito, vniuersa celerrimè discurremus. Arduum autem est consueta, ac præsentia relinquentem, ad superiora se, potioraque conuertere, illa enim, quæ oculis cernimus, nimirum nos delectant: latentia diffidentiam pariunt. patentia autem sanè mala sunt, bonum occultum iis, qui manifestis incumbunt, nec enim forma eius vlla, nec figura, hac de causa sui tantum simile: cæteris, horum ve-

rò dissimile. Etenim corpori incorporeum apparere non potest: huiusmodi est simile differentia, dissimilisque ad id, quod simile est posteritas. Monas, id est vnitas omnium principium radix, atque origo, absque verò principio, nihil. Initium autem est non principij, sed alterius, monas ergo principium, omnemque numerum continet à nullo contenta, omnemque gignit numerum nullo numero genita. Quicquid vtique genitum imperfectum, diuiduum, crescens, atq; decrescens, ei verò quod perfectum, horum nihil accidit, id sanè quod augescit, virtute monadis augetur, euanescit autem imbecillitate propria, cùm vlterius monadem capere nequeat. Hæc tibi, ô Tati, pro viribus, imago Dei subscripta sit, quam si diligenter consideraueris, oculisque internis prænoueris, crede mihi fili, ascensum ad excelsa comperies, quinetiam imago ipsa te perducet: habet enim vim certam visio, eosque, qui intuendi desiderio flagrant, apprehendit, eoque trahit modo lapis, qui magnes dictus est ferrum.

COMMENTARIA.

CAPVT V.

Qvartus nos hortatur sapientiam capessere, quæ patulus est diuinæ mentis crater, in quem quæcunque anima se immergit, cognitionis particeps effecta, mentem suspicit, at vero, vt ad eam se attollat, ipsam cœlos transcendere opus est: & astrorum ambitum, eorumque progressu superare, & beatorum choros longè infra relinquere, tunc ad vnum, solumque Deum tendit, insuperabile, & sine termino infinitum bonum, quod cùm intuetur, corpora omnia despicit: & vitam, qua hic vescimur, miseriam reputat, solius incorporei boni desiderio intenta. Nullus tamen in diuino cratere se valet immergere, qui suum corpus non oderit: & qui non se, sed Deum ipsum dilexerit, & qui non mortalia negligens solis diuinis hæserit, solis assit, sola meditetur, atque flagret. Mox vnitatis, & numerorum analogia, ad veram monadem cogitandam, verosque naturæ numeros nos eleuat. Hæc Crater.

Mercurij ad Tatium filium suum: Quod Deus latens simul, ac patens est.

CAPVT VI.

HVnc præterea sermonem apud te transigam, ô Tati, ne præcipuum nomen tibi desit, neve ignores id, quod plurimis occultum videtur esse perspicuum, nam si nusquam pateat, nihil vtique erit. Quodcumque se offert aspectui, genitum, quod verò latet sempiternum, neque enim opus est, vt appareat, quandoquidem esse nunquam desinit, ante oculos quidem id, reliqua ponit, ipsum verò secretum manet, vtpotè quod vita fruitur sempiterna. Etenim phantasia solùm circa quæ genita sunt, versatur, in qua præter generationem nihil existit. At vnicum id ingenitum, incomprehensibile phantasiæ. Cùm verò per ipsum cuncta clarescant, per omnia rursus, atque in omnibus fulget. Hisque præsertim apparet, quibus ipse notitiam communicare voluit. Tu, igitur, ô fili mi Tati, in primis piis precibus obsecra Dominum Patrem vnicum, vnum, & à quo vnus, vt sis illius misericordia dignus, sic tandem Deum tantùm percipere poteris, si vel vnus duntaxat illius radius intelligentiæ tuæ benignè resulserit, sola siquidem intellectio latens, latentia perspicit: itaque si mentis oculis inspexeris, ô Tati, ille tibi (crede mihi) patebit. Deus sanè totius expers inuidiæ, per singulas mundi particulas vbique splendet, atque adeo se notum præstat, vt non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis (vt ita dixerim) liceat attrectare, nam vndique nostris oculis eius obseruatur, seque obiicit, & inculcat imago. Quod si infimum te latet, quomodo aut teipsum, aut eum inuenies? Denique cum Deum videre volueris, suspice siderum ordinem reliquorum, quis age perpetuum horum seruat ordinem? Ordo quidem omnis numeri, loci limitibus terminatur. Sol Deus deorum cœlestium præstantissimus. Soli cœlites reliqui veluti principi, regique parent. Sol tantus, terra simul amplior atque mari; minores tamen supra se stellas innumeras conuerti patitur. Quem timet is, quem veretur? O fili, diuersorum siderum sunt motus. Quis mensuram singulis motionis assignat? TAT. Arcturum circa idem se perpetuo vertens, totamque trahens mundi machinam. TRISMEG. Quis hoc vtitur instrumento: quis mare suis finibus circumscripsit? quis terræ pondus sistit, ac librat in medio? Est certè aliquis ô Tati, horum author, ac Dominus. Etenim locum, vel numerum, vel mensuram seruare absque authoris virtute, impossibile est. Ordo fieri à deformitate nequit, eget autem deformitas Domino, qui ordinem præbeat. Vtinam tibi daretur, ô fili, facultas, vt alarum adminiculo in sublimem aëris plagam volares, mediamque inter cœlum, ac terram regionem sortitus, conspiceres terræ quidem soliditatem, maris diffusionem, fluxum fluminum, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem. O felicissimum fili spectaculum! ô beatissimam visionem! Siquidem vno luminum motu seriem mundi totius comprehenderes, immobilemque factorem concitum, latentem quoque perspicuum cerneres: quod si per ea etiam, quæ terra sustinentur, fragilia, & aquæ profunditate conduntur, Deum artificem inuestigare volueris: age fili, circumspice humani corporis opificium, cuius admonitione perdisce, quis tam pulchræ imaginis conditor, quis oculorum pictor, quis nares, aures que tornauit, quis labia distendit oris, quis neruos retendit, atque ligauit, quis irrigauit venas, quis ossa congessit solida, quis carnem pellicula tenui circumtexit, quis digitos, articulosque discreuit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforauit poros, atque meatus aperuit, quis splenem coëgit, atque compressit, quis pyramidalē impressit cordi figuram, quis iecoris porro texit fibras, quis pulmonum sculpsit fistulas, qui aluo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figurauit, quis obscœna in obscuro prorsus addidit, eaque aspectu cernentium voluit secreta iacere. Vide quot diuinæ artis opera in vna materia demonstrantur singulaque pulchra, recteque dimensa, nec non propriis inuicem officiis differentia. Quisnam singula finxit? qualis mater, qualis pater, nonnè hæc solus ipse inuisibilis Deus, cuncta propria voluntate molitus est? Et cum statuam, & imaginem absque fabro & pictore fieri nullus asserere audeat, miram mundi huius constitutionem, sine conditore constituisse putabimus? O cæcum homunculum! ô nimis impium! ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris!

Caue,caue,inquam, ô fili mi Tati, ne vnquam artificium prius artifice,quin imo congruo Deum nomine præinnocato, patremque esse proprium eius existimato, quòd si me quiddam audacius proferre coëgeris,huius essentiam esse dicam concipere,ac facere singula,quemadmodum sine factore fieri quicquam nequit, ita Deum existere semper, nisi semper agat omnia,impossibile est, in cœlo videlicet, aëre, terra,mari, in toto mundo,inqualibet particula mundi, tum in quod est, tum in eo,quod non extat,nihil est in omni natura, quod ille ipse non sit, est ille siquidem, quæ sunt,est ea etiam,quæ minimè sunt. Quæ quidem sunt,deduxit in lucem,quæ non sunt,occulit in seipso. Hic Deus,nemine melior,hic occultus, hic rursus omnium patentissimus, hic menti conspicuus,hic præsens oculis,hic(vt ita dixerim)multicorporeus, nam nihil in corporibus est,quod ipse non sit,omnia enim ipse solis existit, nomina insuper habet omnia, quoniam vnus est pater. Nomen quoque nullum habet, quoniam pater est omnium. Quid ergo te laudabit, supra te an infra te positum? quo vertam oculos,vt te laudem,supra ne an infra,intus an extra? Num modus,an locus circa te, num aliud quiddam ex omnibus? In te autem omnia, abs te omnia,præbes omnia, nihil denique suscipis, omnia quidem habes,quod autem non habes,idipsum nihil. Quando verò laudabo te pater?tempus & momentum tuum capere non valemus. Qua potissimum in relaudes cantabo tuas?num in iis,quæ creaueris,an in illis, quæ non creaueris potius? num in iis fortè, quæ in lucem è tenebris eruisti, an in iis, quæ latent adhuc arcano sinu recondita? Per quid tandem hymnos tuos dicabo? nunquid in laudatione tali ego ipse mei iuris existam, an potius alter efficiar? Ipse profectò es quicquid ego sum, ipse es quicquid agam, ipse es quicquid denique dicam: Ipse enim es omnia, neque aliud præter te quicquam. Quid sanè non es ipse? Ipse omne quodcunque genitum. Es quidem intelligens pater,fabricans Deus,efficiens bonum,bona faciens omnia. Materiæ namque purissimus aër, aëris anima, animæ mens,mentis denique Deus.

COMMENTARIA.

Quintus docet Deum latere pariter,& per singulas mundi particulas splendere, res omnes, quæ se nobis obiiciunt eius esse imagines, ita vt mirificus, perpulcherque rerum ordo manifestè declaret ordinantem, & res singulæ certis suis limitibus circumscriptæ, Dominum declarent,& authorem,cui sol syderum rex, principesque obsequitur,atque paret, quem timet, quemque veretur,& summatim vniuersa mundi structura suum declarat artificem. Mox de diuina interna generatione confidentius iudicium affert, Dei esse essentiam concipere, ac facere omnia: ita vt Deum existere nisi semper omnia agat, impossibile sit, est enim sic diuinus logos omnia, vt nihil omnium,in quo corporeum, incorporeumque ens, atque nihil, in idem conspirant,atque eo incidunt,deinde Mercurius in diuinarum laudum cantibus Dialogum finit, & terminat.

Quòd in solo Deo bonum est, alibi verò nequaquam, ad Æsculapium.

CAPVT VII.

Bonum ô Æsculapi in nullo ponitur, nisi in vno Deo, imò ipsum bonum Deus ipse semper. Quamobrem essentiam omnis motionis, atque cognitionis, esse Deum oportet. Hac essentia orbatum nihil, hæc circa se stabilem actum nullius egenum, infinitum superabundanter porrigentem possidet. Vnum id vniuersorum principium, bonum porrigens, & effundens bonum; quoties nomino bonum,id,quod omnia bona, & quod bonum semper, intellige, hoc vnico Deo adest,neque enim cuiusquam indigus est, vt adeptionem illius appetendo malus fiat, neque iactura cuiusquam in eum vnquam, vt post damnum dolore afficiatur. Maior enim porrione mali, nec est illo validius aliud, à quo expugnetur,in hunc iniuria incidente nulla potest,qua irritatus; lacessitusue excandescat. Nihil eius iugum subterfugit,quo contemptus indignetur,atque irascatur, nec est sapientius eo quicquam, quod illi æmulationem incutiat. Itaque cum hæc illi non accidant, nihil eius naturæ præter ipsum bonum resistit. Quemadmodum verò nihil eorum, quæ mala sunt, in hac insunt essentia, ita in nullo alio bonum inuenitur.In singulis enim reliqua insunt singula,tum in paruis,tum in magnis, tum etiam in iis, quæ secundum vnum,& in ipso quoque animali maximo omnium, atque potentissimo; quod vtique passionibus genita replet. Nam generatio, passio quædam est,vbi autem passio,nullo modo bonum, vbi bonum non passio ponitur vlla,vbi dies,nullo modo nox,vbi nox, neque etiam dies: quapropter in generatione bonum esse non potest, restat itaque in eo, quod ingenitum. Vt autem materiæ concessa est omnium participatio, sic quoque boni participatione mundus bonus, bonum dico, inquantum ipse etiam omnia efficit, qua quidem ex parte bonus est mundus, in reliquis omnibus non bonus. passibilis enim ac mobilis est, & omnium præterea causa passionum. In homine insuper comparatione mali, bonum. Id quippè, quod non nimis malum,quoque minus malum,bonum in hominibus appellamus, quo fit,vt bonum nostrum nihil aliud sit, quam mali portio minima.

Vnde illud etiam sequitur, vt bonum huiusmodi, à malo separatum esse non possit. Inquinatur enim hoc bonum,admixtione malorum,infectum verò, vlterius bonum non permanet: sin minimè permanet, malum efficitur. In solo igitur Deo bonum ipsum existit. Quare solum boni nomen homini adest ô Æsculapi, natura boni nequaquam, neque enim id capere potest materiale corpus confectum vndique & oppressum prauitate, laboribus, doloribus, cupiditatibus, iracundia,deceptionibus,stultisque opinionibus; ac nugis. Deterrimum tamen omnium id censeo Æsculapi, quod vnumquodque eorum, quæ dixi, summum creditur esse bonum.Fugiendum in primis malum est,ventris luxus,malorum omnium fomes: hinc error, hinc boni priuatio. Equidem ingentes Deo gratias habeo, qui de natura boni cogitanti mihi sententiam hanc certam infudit, quod in mundo bonum esse non possit, siquidem mundus congeries est malorum. Deus autem boni vel bonum, Dei exuberans plenitudo, supereminentia quippè bonorum circa essentiam sincerè fulgentis, atque purissimè, neque fortè sunt essentiæ Dei. Audiendum sanè id assero ô Æsculapi, essentiam Dei (si vllam Deus habet essentiam) ipsum bonum esse. Pulchrum verò, & bonum in mundo, aut

in mundi partibus inuenire non licet. Nam quæcunque sensus mouent, idola sunt, & vanæ quædam admirationes, quæ verò sensuum organa subterfugiunt, ad pulchrum, bonumque pertinent. Vtque acies oculi Deum non cernit, sic neque pulchrum, bonumque cognoscit. Hæ siquidem partes Dei sunt, integerrimique illius propriæ, cognatæ, inseparabiles, præcipueque dilectæ: & vt has ipse Deus amat, sic ab his ipse Deus amatur, si Deû percipere poteris, pulchrum quoque, bonumque percipies, persulgens omnibus illustratum à Deo. Pulchritudo enim sine comparatione, sine imitatione bonum. Deus enim comparationem, imitationemq; nullam admittit. Quemadmodum ergo Deum pulchrum, bonumque noueris, ita sanè & cæteris viuentibus cum Deo conferri nequeant nunquam communicandum. Si Deum quæsieris, pulchritudinem ipsam quæres. Quæ tandem ad id ferat, vnica via est, pietas cognitioni coniuncta. Quapropter ignari mortales, & à pietatis semita deuij, hominem quoque bonum nominare non verentur, cùm boni notitiam veram habere nullam possit, sed malis irretitus, & illaqueatus sit, malumque bonum esse censeat, insanabiliterque malis vtatur, eorumque iacturam, priuationemque formider, omnibus denique machinamentis, viribusque contendat, ne vnico solum malo premátur, verum & innumerum mala, magnitudinemque augeantur. Talia sunt, ô Æsculapi, decora hominum, atque bona, quæ nec fugere nec odisse valemus, omnium namque difficillimum id existit, ob eam potissimum causam, quia nos illis vti oportet, atque vesci, illisque orbati vitam agere nullo modo possimus.

COMMENTARIA.

SExtus hoc contendit, in solo Deo bonum, bonique naturam, hoc est ipsam bonitatem reperiri, pariter & pulchri potentis, sapientisque naturam. In mundo autem solum boni nomen esse, & errorum cæcos homines arguit, vt ea abhorrere monet, & quæ via nos ad ipsam bonitatem, ipsamque pulchritudinem perducat, edocet, pietas scilicet cognitioni coniuncta, ad quam ignari mortales à pietatis semine deuij, pertingere valeant nunquam. Hæc sextus.

Quòd summum malum est hominibus ignorare Deum.

CAPVT VIII.

QVò ruitis, mortales ebrij, qui merum ignorantiæ combibistis? cùm id ferre nequeatis, euomite, viuite sobrij, oculos mentis inspicite. Quòd si minus potestis omnes, saltem qui possunt, id agant. Ignorantiæ pestis omnem terram subuertit, animamque corrumpit corporis vinclis inclusam, neque finit eam salutis iter ascifcere, ne permitrite nos in lacum corruptionis, mortisque submergi. Respirare iam, respirate, ad fontem vitæ recurrite, illumque, qui nos introducet in adytum veritatis, capescite, ibi fulgidum lumen nullis immixtum tenebris, ibi nullus ebrietate delirat. sed omnes sobrij vigilant, atq; mentis oculis eum, qui videri vult, acurius intuentur, is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque sermone profertur: sola mens eum prospicit, sola mens prædicat. In primis autem oportet vestem, quam circumfers, exuere, indumentum inscitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, sensitiuum cadauer, sepulchrum circonuertile, domesticum denique furem, qui dum blanditur, odit: dum odit, inuidet huiuscemodi est, quo circumtegeris, vmbraculum inimicum. Ad seipsum te deorsum raptat, ne forte conspiciens veritatis decorem, atque proximum bonum, huius oderis prauitatem: neve huius insidias, quas in re assiduè machinatur, aliquando præsenrias, hoc aciem interioremsensuum hebetat, & obtundit: crassa illam materia suffocat, abominabili, fastidiosaque ebriat voluptate, ne audias vnquam, neve perspicias, ea quæ iure & audienda sunt, & inprimis inspicienda.

COMMENTARIA.

SEptimus conqueritur ignorantiæ pestem, quæ omnem terram euertit, animamque corrumpit, corporis vinclis inclusam, & ignorantes hortatur resipiscere, & corpus mortale indumentum iubet nos exuere, à quo præcipites in ignorationem, mortemque raptamur, & nos in adytum mentis reuocare, quæ sola cum perspicit, qui neque auribus percipitur, neque cernitur oculis, neque sermone profertur. Hæc septimus.

Nihil eorum, quæ sunt, interitus, sed mutationes, decepti homines interitum nominant.
Ad Tatium.

CAPVT IX.

DE anima & corpore, ô fili, dicendum, quonam modo immortalis anima, quantaque sit agendi virtute in concretione, dissolutioneq; corporis. Mors ad horum nullum attinet: θάνατος enim, id est mors, conceptus quidem est mortalis appellationis, vel vanum quiddam, vel per ablationem primæ literæ, θάνατος id est mors, pro eo quod dicitur ἀθάνατος, id est immortalis: θάνατος enim interitum significat: at nihil eorum, quæ in mundo sunt, interit. Si enim secundus Deus est mundus, necnon immortale viuens, impossibile animantis partem aliquam interire. Quæcunque mundo insunt, mûndi sunt membra, homo præsertim animal rationale. Primus omnium verè sempiternus, immortalis, ingenitus Deus, omnium author. Secundus deinde ad illius imaginem, mundus ab eo genitus, & ab eodem seruatus, nutritus, & immortalitate donatus, velut à proprio parre viuens quidem semper, & immortalis: est enim semper viuens quidem, semper & immortalis, etenim semper viuens, & sempiternum hoc inuicem differunt, quia sempiternum quidem ab altero factum non est, sin autem fiebat à seipso, non ab aliquo factum fuit, quia fit semper. Sempiternum enim quatenus sempiternum est omne, pater autem ille suipsius sempiternus, at verò mundus à patre semper viuens, immortalisque factus. Quarumque materiæ fuerat subiectum patri, pater ipse corporeum agens, & in molem congregans, id totum sphæricum reddidit imprimens qualitatẽ materiæ existenti immortali, rationeq; materiæ sempiternũ habenti. Plenus autem ideis omnibus qualitates pater inferés in sphærá, velut in gyrum omni qualitate circumscripsit. Exor-

nate autem voluit id,quod post ipsum est, quasi immortalitate fulciens omne corpus, ne materia ab huius congressu discedere volens, in suam deformitatem iterum resoluatur, quando enim incorporea erat materia, ô fili, deformi formior erat. Habet hæc quoque materia qualitates quasdam exiguas reuoluta crescendi pariter,& decrescendi natura, quam homines mortem vocant. Huiusmodi autem confusio circa terrena viuentia. Cœlestium quippe corpora, vnum atque eundem seruant ordinem, quem scilicet primum à patre suo sortita sunt. Seruatur autem ipse à restitutione cuiusque indissolubilis. Restitutio verò constitutionis corporum terrenorum ipsaque dissolutio in corpora indissolubilia, & immortalia restituitur, atque ita sensus priuatio fit, non destructio corporum. Tertium quoque animal homo ad imaginem mundi genitus, secundum patris voluntatem sese habens, præter cætera terrena viuentia non modo cum secundo Deo cognationem habet, verumetiam intelligentiam primi. Secundum planè Deum vtpote corporalem, sensus comprehendit. Primum verò Deum, vt incorpoream, bonamque mentem, mente consurgit. TAT. Id ergo animal, nonne destruitur? TRIS. Melius melius ominare ô fili, ac insuper meditare quid Deus, quid mundus, quid animal immortale, quid animal dissolub.le. Scito quoque mundum à Deo simul, atque in Deo, hominem verò à mundo, & in mundo consistere: principium autem, comprehensioque omnium, & constitutio Deus.

COMMENTARIA.

Octauus edocet in primis cœlestia corpora, iugiter vnum, eundemque tenorem seruare, quem primum à suo patre sortita sunt. Et mortem, interitumque primum circa terrena viuentia corpora apparere, sed penè mortis nomen, atque corporum interitus vanum esse, corpora siquidem ipsa mutantur non intereunt, verum qualitates ipsas idearum idola, simulachraque, quibus Deus ipsam exornare voluerat, immortalis materia permutat. Et homo immortale animal, sed dissolubile, vniversæ materia vinculum, atque nodus, partim corporeus partimque incorporeus, mentisque capacior alta, instar mundi genitus est, vt sensibilem mundum comprehenderet, & mente ad optimam mentē, felici contemplatione assurgeret. Hæc octauus.

Quòd in solo Deo pulchrum, ac bonum, alibi verò nequaquam. Ad Æsculapium.

CAPVT X.

HEri ô Æsculapi perfectam edidi orationem, in præsentiarum autem necessarium esse arbitror, vt de sensu breuiter disseramus. Sensus, ac motus in hoc potissimum discrepare videntur, quia hic quidem secundum materiam, ille autem secundum essentiam est, mihi tamen vterque conuenire videtur, neque distingui in hominibus ratione. Intus animantibus sensus nunc vnitus est, in hominibus autem intelligentia. Ab intelligentia quidem intellectus differt, quemadmodum à diuinitate Deus. Diuinitas enim à Deo, intelligentia verò ab homine prouenit. Hæc sermonis est soror, aut vtraque sibi inuicem instrumenta. Nam neque sermo absque intellectione pronuntiatur, neque intellectio absque sermone prodit in lucem. Quamobrem sensus, & intelligentia in homine tanquam connexa conspirant inuicem. Neque enim sine sensu intelligere, neque sine intellectione sentire vllo modo possumus. Intellectionem tamen absque sensu intelligere possibile est, instar eorum, qui in somnis phanta mata vident, tantum quoque videntur vtræque operationes in somniorum visionibus externis, sensum autem ex somno in vigiliam suscitari. In animam præterea corpus, bomoque vnitur: quotiesque vtræque sensus particulæ sibi consentiunt, tunc intellectio concepta mente disponitur. Mens omnes notiones concipit bonas quidem, quoties à Deo semen insunditur; contrarias autem, cum à dæmonibus quibusdam spermata iaciuntur. Nulla profectò mundi pars est dæmonum præsentia destituta, horum lumen ab ipso Deo rotum descendit. Dæmon denique transfusus in hominem, semina propriæ notionis inspergit. Mens autem conspersa seminibus prægnans, inde parit adulteria, stupra, homicidia, parricidia, sacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euersiones vrbium, pestes hominum, & reliqua omnia quæcunque malorum sunt opera dæmonum. Dei planè semina pauca, at illa quidem magna, pulchra, bona, virtus scilicet, temperantia, pietas, pietas autem Dei cognitio. Deum qui recognoscit, bonis refertus omnibus, notiones diuinas assequitur: notiones inquam haud multorum similes. Qua de causa, si qui huic se cognitioni dedicent, nec ipsi vulgo placent, nec vulgus illis insanite demum putantur, risumque reportant: interdum etiam odio habentur, contumeliis afficiuntur, vitaque priuantur. Improbitatem enim hic habitare diximus, terramque illius esse prouinciam: terram dico non mundum totum, vt impij quidam obloquuntur. Veruntamen homo Deo deuotus, quamprimum diuinam prægustauerit visionem, obliuioni reliqua omnia tradit, atque etiam, quæ reliquis hominibus mala sunt, huic vt bona contingunt, consulenti prudenter & ad scientiam singula referenti, quodque mirandum est, mala semper in bona penitus conuertenti. Sed iam ad sermonem de sensu iterum redeamus, humanum est, sensum cum intellectione coniungere, nam omnes (vt supra retuli) homines intellectiones feruntur. Cæterum secundum materiam vnus, alter secundum essentiam. Qui enim prauitatis seruus est materialis, à dæmonibus quoq; (vt diximus) intelligēdi semen accepit. At qui bonitaris animæ compotes sunt; horum natura Deus ipse vtitur. Deus enim omnium author, efficiens autem omnia, sibi ipsi consimilia reddit. Quædam tamen genita bona in operationis vsu sterilia. Mundi namque reuolutio generationes exagitans, qualitates efficit quasdam, inficiens, maloque fœdans; quasdam defendens, bonoq; purgans. Mundus ô Æsculapi sensum, motumq; possidet, non humano sensui, motuique consimilem, sed potentiorem sanè, atque admodum simpliciorem, nam sensus, & intelligentia mundi, id vnum est, cuncta scilicet facere, ac resoluere. Diuinæ voluntatis organum, hac potissimum ratione constructum, vt à Deo semine suscipiens vniuersa, eaque toto sinu recondens, omnia quidem componendo producat, omnia rursus auferat diuidendo.

Atque instar agricultoris periti, quodcunque nimis adultum est, amputat, vt statutis temporum interuallis, reuirescat. Nec est quicquam, cui vitam mundus ipse non præstet, simulque vitæ locus est, est atque etiam institutor. Corpora verò ex materia in differentiam constant: horum quædam ex rerra, quædam ex aqua, ex aëre alia, ex igne quoque permulta, vniuersa certè composita. Quædam tamen congesta magis, nonnulla verò simpliciora, illa grauia, hæc leuia. Velocitas autem agitationis, illius varietate generationem qualitatis inducit, spiratio enim crebra existens, corporibus qualitatem, vnà cũ superabundantia vitæ suppeditat. Deus igitur Cosmi, id est, mundi pater. Cosmus autem eorum, quæ in Cosmo, & Cosmus quidem Dei filius. Quæ verò in Cosmo, sub Cosmi ditione consistunt, ac iure Cosmus appellatus est: omnia siquidem varietate generationis κοσμεῖ, id est, exornat, necnon indesinenti vitæ operatione perpetua necessitatis celeritate, elementorum commixtione, ordine genitorum. Ipse igitur Cosmus, id est, ornatus necessitate simul & merito nominatus est, animantium omnium sensus & intellectio, quæ ex externis influunt ab eo, quod continet inspirata. Cosmus autem quæcunque ab ipsa origine suscepit à Deo, perpetuo seruat. Deus profectò, non vt quibusdam videtur, sensu menteque captus est, illi enim miseria pressi, perperam obloquuntur. Quæcunque sunt, ô Æsculapi, in Deo simul atque à Deo pendentia, partim per corpus agentia, partim mouentia per essentiam animalem, alia per spiritum viuificantia, alia verò receptacula defunctorum. Rectius autem dicemus Deum talia non habere, sed vt veritatem liquidam exprimamus, ipsum esse cuncta fatebimur. Nec ea quidem ab extimis capere, ad extima nihilominus porrigentem, id est, sensus, & intellectio Dei. Vnde nulli vnquam futurum est tempus, in quo existentium aliquid in nihilum euanescat. Quoties verò existentia dico thesaurum: nam existentia ipse Deus amplectitur. Extra hunc nihil est, extra nihil, ipse. Hæc tibi ô Æsculapi, intelligenti, vera videbunrur: ignoranti autem, incredibilia. Intelligere enim, ipsum credere est: at non credere, proculdubio ignorare, sermo siquidem meus ad veritatem vsque cucurrit. Mens quoque ampla, & à sermone ad certum quiddam deducta, veritatem attigit: denique comprehendens omnia, eaque inueniens consona illis, quæ interpretabatur, euestigio credidit, & in ipsa fide decora feliciter requieuit. Quæ igitur de diuinis dicuntur, intellecta creduntur quidem, non intellecta negantur. Hæc autem de intelligentia dicta sufficiant.

COMMENTARIA.

Nonus homines erudit, qui cum intellectione vtantur omnes, materiales tamen ex dæmonum spermatibus, quorum præsentia nulla pars mundi destituta vacat, concipiunt & prægnantes tandem adulteria, stupra, homicidia, parricidia, & omne flagitiorum genus pariunt. atqui essentiales, spiritualesque viri omne virtutum ornamentum seminatore Deo concipiunt, & omne bonum virtutis officium pariunt. Sunt enim Dei semina pauca, at illa quidem magna, pulchra, & bona, & vitiorum innumerosæ multitudini longè præstantiora: quæ tamen qui sectantur, nec ipsi vulgo placent, neque vulgus ipsis: insanire demum putantur, risumque reportant, quòd terra sedes improbitatis sit, & prouincia. Mundus tamen ea lege formatus est, vt à Deo semina suscipiens vniuersa, diuinitatis dignum fieret organum, & omnia in miro pulchræ ordinationis decore procederent ad ortum, in quo perseuerent, suumque tandem nanciscantur exitum, quod profectò fieret, nisi inimicus veniens, in medio tritici superseminaret zizania. Vos ergo seligite diuina semina spiritales facti, & malorum semina dæmonum, qui nos materiali affectione dormientes occupare vigilant, cauti nunc effugite. Hæc nonus.

Mercurij Trismegisti Clauis ad Tatium.

CAPVT XI.

Hesternum ô Aesculapi sermonem ascripsi tibi, vnde æquum est & hodiernum Tatio dedicare, eoque magis ad operæpretium, quo disputatio præsens, omnium ad illum à nobis antedictorum compendiaria quædam summa futura est. Deus & pater, & bonum, ô Tati, naturam eandem, imò eundem actum habent. Illa siquidem augmenti, diuinationisque appellatio est, quæ circa mutabilia, & immutabilia, id est, humana, & diuina versatur, quorum vnumquodque ille vult esse, alibi verò actum (quemadmodum in aliis demonstrauimus) diuinorum atque humanorum, quæ quidem in hoc intelligere necesse est: huius actus voluntas est, huius essentia velle cuncta subsistere. Quid est Deus, & pater, & bonum, nisi ipse esse horum omnium existentium, quinetiam existentia ipse eorundem sunt, id Deus, id pater, id bonum, cui nihil aliud ex omnibus applicatur. Mundus enim ac sol eorum, quæ sunt secundum participationem pater, non tamen viuentibus vitæ, bonitatisque causa, quod si hoc ita se habeat, comprehensus agitur à voluntate boni, sine qua nec esse vnquam, nec fieri potest. Cum filiorum pater, tum procreationis, tum etiam alimenti, per solum appetitum boni suscipiens (nam bonum a ctiuum est) id alteri conuenire quàm illi nequit, quod cum accipiat nihil, vniuersa vult esse. Non dico ô Tati vniuersa facit: faciens enim, longo quodam tempore deficiens, et indignum est. Siquidem interdum facit, interdum cessat, egenum quidem & quantitatis, pariter & qualitatis, nonnunquam qualia, & quanta disponens, aliàs horum contraria. Deus autem & pater, & bonum, eo ipso quod omnia est. Tale igitur ei quidem ista præcipere potest: etenim hoc vult esse, & est. Et ipsum maximè verò ipsi, nam certa omnia propter ipsum. Proprium quippè boni, ô Tati, sese notum præbere, id bonum est ô Tati. TAT. Visionis pater, bonæ & pulchræ nos participes reddidisti, vnde meæ mentis oculus visione quasi iam expiatus est. TRISMEG. Neque verò quemadmodum solis radius, fulgore nimio corrumpit oculos, caligantesque reddit, sic ipsius boni conspectio; illustrat enim, atque oculi lucem eo magis exauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum. Velociter est, & acutior diuina lux ad penetrandum, innocentiaque, & immortalitare singula complens. Qui nitorem hunc à corpore vberius haurire possunt, obdormiunt sæpenumero à corpore ad aspectum pulcherrimum, quemadmodum Cœlius, & Saturnus nostri progenitores assurgunt. TAT. Vtinam & nos autem pater.

TRISMEG. Vtinam ô Fili. Adhuc tamen imbecilliores sumus ad conspiciendum. Tunc autem poterimus mentis oculos eleuare, bonumque, decoremque incomprehensibilem prospicere, cùm nihil de illo prorsus dixerimus; eius cognitio diuinum silentium est, & intenta omnium applicatio. Quid id intelligit, nihil potest aliud cogitare. Qui id intuetur, nil præter ipsum aliud intueri. Qui id audit, nil audire potest ipsum, neque corporis etiam sui membra mouere. Vniuersis profectò corporis sensibus, motibusque solutus, intrepidus agit: nam qui totum circumlustrat, vndique mentem totam quoque irradiat, animam abstrahit totam à corpore, totam in essentiam denique Dei transfigurat. Impossibile enim ô fili animam hominis in corporis fece iacentem, diuinam assumere formam. Neque licet etiam Dei pulchritudinem contueri, nisi quis antè in Deum fuerit reformatus. TAT. Quonam pactò id dicis ô pater? TRISMEG. Omnis animæ distributio ô fili. TAT. Mutationes autem quonam modo interim distribuens? TRISMEG. Nam in iis, quæ generatim diximus, audisti, quemadmodum ab vna mundi totius anima, vniuersæ profluunt animæ per omnem mundum tanquam distributæ circumcurrentes? Harum vtique animarum mutationes permultæ partim sanè in melius, feliciusque, partim autem in contrarium. Nam reptilium quædam in aquatilia transmutantur, aquatilium animæ in terrestria migrant: terrenorum in volatilia scandunt, aëreorum vertuntur in homine, hominum deinde immortales animæ, in dæmones transeunt, demum in deorum chorum feliciter reuolant. Chori deorum gemini, vagantium vnus, non vagantium alter, atque hæc est suprema animæ gloria. Anima verò in corpus humanum delapsa, siquidem mala perseuerauerit, non gustat immortalitatis quicquam, neque bono etiam fruitur, reuoluto autem itinere in reptilia præcipitans. Hæc vtique adiudicatio, pœnaque est animæ malæ, prauitas animæ, ignorantia. Anima naturæ rerum, bonique inscia, orbata oculis, corporis sese passionibus implicat. Anima, cacodæmonis, id est, mali dæmonis ritu corrupta, seipsam ignorans abiectis corporibus, monstrisque deformibus seruit. Corpus suum velut onus infestum circumfert, non præsidens corpori, sed ob ignorantiam subiugata, contrà verò virtus animæ cognitio est, eruditus enim reuera, bonus, pius, diuinus. TAT. Qui hic est ô pater TRISMEG. Qui nec loquitur, nec audit multa, qui duobus sermonibus, seu dicendis, siue audiendis intendit, & pugnat in tenebris. Nam Deus & pater, & bonum, nec lingua pronuntiatur, neque percipitur auribus. Cum hæc igitur ita se habeant in omnibus, quæ sunt ex eo, quod sensus ab illo esse nequeunt, sensus insunt. Inter cognitionem autem, ac sensum multum interest. Sensus enim superantis motus existit cognitio: scientiæ terminus. Scientia Dei donum, siquidem vnaquæque scientia incorporea mente vtens, vt organo, mens autem corpore, quamobrem vtraque in corpora, tum intelligibilia, tum etiam materialia recurrunt. Ex oppositione enim, & contrarietate constare omnia necesse est, neque aliter se habere possibile est. TAT. Quis igitur materialis iste Deus? TRISMEG. Mundus, pulcher quidem, non tamen bonus, etenim ex materia constat, passionibusque subiicitur: primusque est eorum, quæ patiuntur: secundus autem eorum, quæ sunt, indignus præterea suaptè natura, factus aliquando semper existens in generatione, atque genitus, qualitatemque, & quantitatem omnium genitura. Mobilis enim. Omnis autem materialis motio, generatio dici debet. Intelligibilis quoque status, hoc pactò motum materialem agitat. Quoniam mundus sphæra est, id est, caput, nec supra materiale quicquam, quemadmodum neque aliud sub pedibus intelligibile, atque materialia cuncta. Mens verò caput in circulum agitatum, id est, secundum naturam capitis motum. Quotcunque igitur contigua sunt, capitis illius pelliculæ, quæ sanè anima est, immortalia nata sunt, quasi corpus sit in anima constitutum, animamque habentia plena sunt corpore. Verum quicquid à pellicula procul, in qua sunt, quæ magis participant anima, corpus existit, totum verò animal est. Itaque mundus ex materiali quodam, & intelligibili compositus est. Mundus animal primum, homo secundum, post mundum animal, primum autem animalium reliquorum, quodcunque verò animæ munus conceditur aliis, homo quoque possidet, neque solum non bonus, sed malus etiam, vtpote mortalis perpenditur. Mundus enim non bonus, quia mobilis: non tamen malus, quoniam immortalis. Homo autem tum quia mobilis, tum etiam quia mortalis, malus esse censetur. Anima hominis in hunc vehitur modum. Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore. Spiritus per venas, arteriasque, sanguinemque diffusus, animal vndique ciet, molemque corporis suspensam sustinet, atque circumfert. Vnde decepti quidam humorem sanguinis animam existimatunt: hos planè latuit, quia in primis oportet spiritum ad animam vsque manare, deinde sanguinem coalescere, venasque, & arterias cauas extendi, demum resolui animal, eamque mortem corporis esse. Ex vno autem principio cuncta dependent, principium ex vno, atque solo. Et principium quidem mouetur, vt rursus extet principium. Ipsum tam vnum præstat, nec ab vnitate decedit. Tria igitur hæc sunt, Deus pater bonum, & mundus, & homo. Mundum Deus habet, mundus hominem. Mundus Dei filius, homo genitura mundi. Neque enim ignorat Deus hominem, sed curam eius habet, ab eoque cognosci se vult. Hæc vnica salus homini, cognitio Dei, hæc ad Olympum ascensio. Ex hoc vno duntaxat anima bona, neque interdum quidem bona, aliàs autem mala, at secundum necessitatem. TAT. Quomodo id asseris ô mi Trismegiste? TRISMEG. Hoc inquam assero, animam pueri contemplari seipsam, nondum ex natura sua propter corpus egressam, nondum corpus omnino compactum est, ac seipsam vndique pulchram conspicere. Nam haud corrupta est adhuc à corporis passionibus, mundi totius anima, tuncque dependens. Cum verò compactum est corpus, animamque in sui molem dispergit, ac distrahit, tunc illa obliuioni subiicitur, pulchrique, ac boni visione priuatur. Obliuio autem ipsa improbitas est. Idemque accidit iis, qui egrediuntur ex corpore. Recurrente enim anima in seipsam, spiritus in sanguinem, anima in spiritum contrahitur. Mens à velaminibus libera & diuina existens suaptè natura igneum sortita corpus, per loca omnia circumuagatur, animamque iudicio iusto, ac merito supplicio derelinquit. TAT.

Quo pacto id ais ô pater? TRISMEG. Mens quidem ab anima, anima verò à spiritu separatur. Indumentum mentis anima. Indumentum animæ spiritus. Cointelligere oportet ô fili cum dicente auditorem; atque conspirare, auditumque acutiorem voce dicentis habere. Harum ô fili vestium conuolutio in corpore terreno conficitur? siquidem nudam secundum se mentem in terta sistere mole penitus impossibile, neque enim potis est tertea fex mentem adeo diuinam suscipere, neque tantum numen partibili confitmatum cotpore sustinere. Assumpsit ergo mens animam velut amictum. Quinetiam anima diuina existens, vehiculo spiritus vtitur. Spiritus animal totum percurrit. Itaque cum primum mens à terreno corpore soluitur, proprium mox subit amictum igneum videlicet corpus; quo sanè quamdiu circumtecta est, in terreum corpus turgescere nequit. Terra namque igneum minimè sustinet, tota siquidem ab exigua scintilla eremaretur. Qua de causa terrenæ moli circumfusus est humor, quasi quoddam ad combustionem ignis obstaculum: qui cum acutissimus, ac velocissimus, sic omnium diuinorum conceptum, singulorum comprehendit elementorum corpora: etenim ipse cœlorum artifex, igne potissimum ad suam fabricam vtitur. Opifex quidem totius vtitur omnibus: omnis autem faber iis, quæ sunt circa terram: orba namque igni mens hominis, ad humanamque dispositionem duntaxat idonea, diuina construere nequit, humana certè anima, non omnis quidem, sed pia, beataque, diuina, postquam verò huiusmodi anima per mortem à carcere corporis est exempta, cum omnis subierit virtutis, pietatisque mandata, certè aut mens, aut Deus efficitur. Certamen autem religiosæ pietatis hoc est, recognoscere Deum, iniuriam inferri nemini; anima tamen impia in natura propria remanet, ac seipsam nimium cruciat, corpus quærit, quod ingrediatur, terrenum & humanum. Aliud quippè corpus quam humanum, animam non eapit humanam: neque fas est in eorpus animæ ratione earentis, animam rationalem corruere. Lex enim diuina generationem tam nefariam prohibet. TAT. Quo igitur modo cruciatur ô pater hominis anima, quodue supplicium huius animæ grauis? TRISMEG. Impietas, ô fili mi Tati, cuiusnam ignis ardentior flamma, quam impietatis est? Quænam fera mordax ita corpus lacerat, vt impietas laniat animam? Nonnè vides quot malis animus premitur impius? En sic fili vociferatur impius animus: Vror, absumor: quid agam nescio: deuorant me miserum mala vndique eonfluentia: non video quicquam: heu miser, non audio. Talet afflicti sunt animi voces: talis naturæ congrua mulcta: non qualem tu fortè fili, & alij quidam arbitrantur, quibus videtur anima nostra postquam est humanam exuta figuram, in corpora degenerare brutorum. Hic enim impius etror, verum castigationis eius, modus alter. Mens vtique, cum dæmon efficitur, ad obsequium Dei iubetut igneũ capessere corpus: inde in animã transfusa nefariã, eam flagellis verberat peccatorum: his animus verberatur iniquus, ad neces, conuicia, obiurgia, rapinasque varias sese vertit, ad ea denique, per quam delinquunt homines, vniuersa delabitur: at cum in sanctam mens influit animam, extollit illam ad sapientiæ lumen. Hæc anima postmodum nunquam somni torpore languescit, sed & verbis pariter & operibus humano fert opem generi, iu uatq; modis omnibus, suum semper a mulata parentem. Quamobrem oportet, ô fili, nos agentes Deo gratias obsecrare, vt bonæ mentis participes efficiamur: in melius quidem anima migrat, in deterius nunquam. Est etiam animarum communio quædam: deorum animæ cõmunicant hominum animis. Dcus se cõmunem singulis exhibet, præstantior enim cunctis ille, cuncta autem illo sunt imbecilliora, mundus à Deo, homo mundo, homini brutũ subiiciatur. Deus super omnia est, & circa omnia, Dei radij, actus existunt: mundi radij, sunt naturę; radij verò hominis artes, atque scientiæ. Per mundum exercentur actus, iique in hominem per mundi radios naturales descendunt: naturæ per elementa: hominis per artes, atque scientias. Hæc vtique mundi totius administratio, ex vnius natura dependens, perque vnam materiam rectè discurrens, qua nihil validius, nihil diuinius, nihil denique magis vnitum. Hominum ad deos, ad homines deorum communio. Iste bonus est dæmon, anima, quæ hoc plena est, beata est, misera verò vacua. TAT. Quanam ratione id ais ô pater? TRISMEG. Scito mi fili, quia anima omnis habet ipsum bonum pro mente, de hae enim præsens nobis est sermo, non de ministro huius, quem suprà diximus, ex judicio demissum ad inferos. Anima mentis præsentia destituta, nec agere qnicquam, nec dicere potis est. Sæpè verò mens extra animam, quo quidem in tempore, nec audit, nec videt anima, sed animali similis est ratione carenti. Tanta est potentia mentis, quæ animam huiusmodi deserit implicitam corpori, & ab eodem tractam ad infera. Talis anima, fili mi, mentem nullam habet, ideoque nec hominem hunc appellare fas est. Homo siquidem animal est diuinum, nec est cum terrenis brutis, sed cum diis cœlestibus comparandus. Quinimo si audendum est verum fateri, homo verus vel cœlicolis est præstantior, vel saltem pari sorte potitur, etenim quicunque eœlitnm descendit ad terram, cœli limitem deserit, homo autem ascendit in cœlum illudque metitur, nec ea fugit quæ ima sunt, quęue sublimia, ac reliqua omnia diligenter inquirit, quodque maius est, terram quidem haud dimittẽs in eœlum attollitur, tam ampla est humanæ naturæ potestas. Quamobrem audendum est dicere, hominem quidem terrenum, Deum esse mortalem: Deum verò cœlestem, immortalem hominem, itaque horum virtute dnorum, hominis scilicet ac mundi, gubernanrur singula, uni demum cuncta subiiciuntur.

COMMENTARIA.

DEcimus Deum omnia absolutè esse constanter asserit, quæ singula singulatim participatione contrahunt. Attamen Deum patrem esse, & bonum eo ipso, quod ipse omnia est. Mox de animæ in silentio raptu discutit. Vbi quæ mentis oculis cernuntur, neque reuelare fas, neque reuelandi concessum est arbitrium. Quod autem de animalium transformatione subiungit, non verborum fictionem, sed fictionis allegoriam sequendam esse eiusdem Mercurij sequens sermo declarat, cum inquit: Aliud enim corpus, quam humanum, animam non cupit humanam: neque fas est in corpus animæ ratione carentis, animam rationalem corruere, lex enim diuina generationem

tam nefariam prohibet. Et paulo post subiungit; Talis natura congrua mulcta, non qualem tu forte fili, & alij quidam arbitrantur, quibus videtur anima nostra postquam est humanam exuta figuram, in corpora degenerare brutorum. Hic enim impius error, quòd ei animam pueri causatur seipsam contemplantem, hoc viderint qui mentem intelligentiamque abditam defendunt. Hæc & similia Clauis.

Mens ad Mercurium.

CAPVT XII.

DEsine tamdiu differere ô Trismegiste Mercuri fili iam, antedictorum reminiscere, etenim sensum tibi meum non pigebit exprimere; eoque magis, quo multæ & variæ inter mortales de mundo, Deoque opiniones pererrant. TRISMEG. Equidem, vt ingenuè fatear, huius rei veritatem non dum teneo ipse, ergo mi Domine puram exprime veritatem, nam vnicum te elucidare talia posse confido. MENS. Audi me igitur ô fili, tempus, Deus, & vniuersum sic se habent. Deus æternitas, tempus generatio. Deus æternitatem, æternitas mundum, mundus tempus, tempus generationem efficit. Dei quasi essentia est, bonum, pulchrum, beatitudo, sapientia, æternitas, essentia, ipsum idem, mundi ordo, temporis transmutatio, generatio, mors, & vita, actus Dei, mens, & anima, æternitas, perseueratio, atque immortalitas, mundi institutio, & restitutio temporis, augmentum, & diminutio, generationis denique qualitas. Æternitas ergo in Deo, in æternitate mundus, tempus in mundo, in tempore generatio, æternitas extat circa Deum, mundus in æternitate mouetur, tempus terminatur in mundo, generatio complectitur in tempore, fors itaque omnium Deus, essentia verò æternitas. Opus æternitatis est mundus factus quidem non aliquando, sanctus autem semper ab æuo. Cum verò nunquam cesset æuum, nunquam cessabit & mundus. Cumque sit mundus æternitate comprehensus, nulla mundi pars interit. TRISMEG. Dei verò sapientia quid est? MENS. Bonum, pulchrum, beatitudo, omnis virtus, & æuum, perseuerantiam materiæ tradens. Origo enim materiæ pendet ex æuô, quemadmodum ex Deo æuum. Generatio quidem, ac tempus naturæ geminæ, & in cœlo sunt & in terra; in cœlo sanè immutabilia sunt hæc duo, atque immortalia; in terra mutabilia, corruptionique obnoxia: Æternitatis anima Deus est, anima mundi æternitas, terræ anima cœlum: Deus in mente, mens in anima, anima autem in materia: omnia verò ista per æuum, totum hoc corpus, in quo corpora omnia: anima mente, Deoque plena, intima mundi replet, complectitur extima, vitam omnibus hæc suggerit, extrinsecus quidem, ingenti huic, perfectoque animali mundi, intrinsecus autem cæteris, quæ insunt mundo, viuentibus. Superque in cœlo, quod idem est, omnia sistens: infra verò in terra, generationem agitans. Mundum profectò continet æuum, siue per necessitatem, seu prouidentia, vel natura: & siquid aliud quis cogitat, vel etiam cogitabit vnquam, id omne Deus agit. Actio Dei potestas insuperabilis, cum qua nec humanam, nec diuinam vllam comparare quis audeat. Caue igitur ô Mercuri, nequid infernorum, nequid etiam supernorum Dei simile censeas: nam à veritate penitus aberrares: nihil quippè simile est ei, quod dissimile, solumque, & vnum est. Neque cuipiam putes eadem, quam Deo, vim adesse: quid enim post illum tales, & ad immortalitatem, & ad qualitatis transmutationem? quid autem præter hoc aliud Deus efficiet? neque enim otiosus est Deus: nam ociosa forent omnia: cuncta siquidem plena sunt Deo: ocium verò in nullis mundi partibus reperitur: nomen profectò vanum est ocium, tum secundum id, quod agit, tum etiam secundum id, quod agitur: vniuersa fieri necesse est: & semper fieri secundum loci cuiusque naturam. Agens non vni præsens est tantum, sed omnibus: nec vnum duntaxat, verum vniuersa producit: nam efficax existens inseipsa potestas, in iis, quæ facta sunt, minimè sufficiens est: sub ipsa enim sunt opera ab illo progenita. Age contemplare, pro me subiectum tuo conspicui mundum, atque eius diligenter circumspice formam, inuiolabile corpus, quo nihil antiquius per omne quidem adultum, ac vires. Inspice præterea mundos septem suppositos, ornatu mirifico fabricatos, ordine sempiterno cursu suo differenter complentes æuum plena lumine singula, ignis verò in illis nullo modo: Amicitia enim contrariorum, dissimiliumque commixtio, lumen instituit illustratum ab actu Dei, bonorum omnium genitoris, totius ordinis principis, septemque mundorum ducis æterni: lunam verò cæteris præcurrentem, naturæ organum, inferiorem materiam transmutantem, terram in mundi medio sitam, pulchri mundi subsellium, nutrimentum terrenorum omnium, eandemque nutricem. Meditare numerum mortalium, immortaliumque viuentium, medium verò quasi confinium vtrorumque mortalium videlicet, atque immortalium, lunam ipsam circumeuntem. Anima rursus omnium plena propriis ab ea motibus agitata, partim quidem circa cœlum, partim verò circa terram: nec ea, quæ dextra sunt, ad sinistra, neque læua ad dextra. Item nec superna ad infera, neque infera iterum ad superna. Quòd autem hæc omnia genita sint ô dulcissime mi Mercuri, nequaquam nunc opus est vt me differente perdiscas: nam corpora sunt, habentque animam, & mouentur: hæc autem in vnum congredi absque congregantis virtute impossibile est. Oportet igitur aliquem esse talem, ac penitus vnum. Nam cum multi, variique sint motus, & dissimilia corpora, vnus autem ordo velocitatis in omnibus, impossibile est duos, aut plures esse factores, neque enim ordo vnus probaretur in multis. Præterea qui inter illos imbecillior esset, potentiori nimirum inuideret, ex quo seditio quædam exoriretur. Itaque si vnus eorum actor mutabilium animalium extitisset, cuperet quoque immortalis gignere, quemadmodum genitor immortalium affectaret mortalia, quinetiam vna existente anima vnaque materia ad quem illorum potissimum fabricatio pertinet? Quòd si ad vtrumque, ad quem prouincia maior? sic autem cogita, omne corpus viuens, seu mortale siue immortale, ex materia constat & anima: omnia sanè viuentia corpora animata sunt, non viuentia verò nuda penè in omnia. Anima quoque similiter secundum seipsam suo propinqua parenti, vitæ causa est: vitæ autem causa est quilibet immortalium. Quonam igitur modo mortalia viuentia differunt à mortalibus? itemque ab immortalibus immortalia? esse itaque horum omnium actoris præ cæteris est præcipuum: Nam anima vna, vita vna, vna quoque materia;

Quisnam iste, quis alter præter vnicum Deum? Num alteri cuipiam quam soli Deo conuenit procreare viuentia? Vnus itaq; Deus, mundum vnum est confessus, Solem vnum, vnicam Lunam, vnam quoq; diuinitatem. Ipsum verò Deū, vnum quidem credimus esse. Vnus igitur, singula facit in multis. Num censes arduum quiddam, & laboriosum Deo vitam, animam, immortalitatem, mutationemque efficere? Tu enim tot, tantaque potes, vides, audis, odoras, gustas, tangis, loqueris, graderis, spiras, intelligis. Neque aliter est in te, qui videt, quiue audit alter. Nec loquitur vnus, graditur alius, hic odorat, ille gustat, hic spirat, intelligit ille: at vnus hæc omnia præstat, neque etiam possibile est illa sine Dei natura fieri. Vt enim qui cessat ab iis, non est amplius animal, sic qui ab illorum constructione cessaret, minimè Deus esset, id autem suspicari nefarium. Quod si concessum nihil in rerum natura consisteret, cui non sit naturalis quidam agendi vigor, simulque certi operis executio. quanto magis asseuerandum est Deo, non deesse potestatem omnium, & effectum? nam quicquid ociosum, imperfectum, imperfectum dicere Deum, nefas, facit igitur omnia Deus. Nunc mihi id paululum temporis ô Mercuri totus addesto, ipsum te mihi dedito, opus Dei confestim intelliges. Hoc opus adesse necessarium erat, vt essent ea, quæ fiunt, quæue fiebant, & quæ fient in posterum, id autem ô suauissime mi Mercuri vita est, id verò pulchrum, id autem bonum, id denique Deus. Sin autem petietis, vt hæc tibi per exempla operum ante oculos ponam, aduerte quid tibi accidat generare volenti, non tamen illius hoc simile: ille siquidem non diffunditur voluptate, non haber operis adiutorem. Suaptè natura efficax, vi propria operans versatur, in opere semper existens ipse, quocunque fecerit vnquam. Si à quodam influxum suum ille subtraxerit, deficiente vita in mortem corruent vniuersa. Cum verò viuant omnia, vnaque sit vita cunctorum, vnus est Deus. Rursus si omnia viuentia sunt, & quæ in cœlo videntur, & quæ iacent in terra, vna profectò vita cunctorum manat ex Deo, atque ipsa & ipse est Deus, ab vno fiunt omnia conditore. Vita verò est vnio mentis, & animæ: mors autem non pernicies concretorum, sed vnionis plurium dissolutio. Imago ergo Dei æuum, æui mundus, mundi sol, solis autem homo. At verò mutationem quandam, populi mortem esse arbitrantur, ob eam causam, quia moles resoluitur corporis, & vita se reuocat in occultum. Equidem, ô dilecte Mercuri, mundum quidem mutari hac te doceo ratione, quia quædam illius particulæ in occultum iugiter abeunt, nunquam tamen interire illum existimato. Hæ profectò mundi sunt passiones, reuolutio scilicet, atque occultatio. Reuolutio quidem conuersio, occultatio autem renouatio est. Omniformis præterea mundus formas haud sanè aduentitias, peregrinasque suscipit. Verum ipse eas in seipso coagitat, etiam omniformis mundi similis erit: at si vnicam formam habuerit, in hoc erit mundo deterior. Quid itaque dicemus ad hæc? ne obsecro in ambiguo resistamus. Quod enim in diuinis ambiguum, nondum cognitum: vnam igitur habet ideam: huius autem idea propria, cum aspectum fugiat oculorum, incorporea est, formasque per corpora singula exprimit. Neque vlla te prorsus admiratio teneat, quia sit quædam incorporalis idea: est enim qualis idea sermonis, & inscriptionibus apices: videntur enim per multum excedere: planè tamen ex natura, leuesque sunt. Meditare autem quod nunc dicetur audentius, quodque verius etiam assereretur, quemadmodum homo nequit sine vita viuere, ita nec Deus viuere potest, nisi bona producat. Hæc enim Dei vita, hic eius actus, agitare singula, vitamque omnibus inspirare. Quædam verò eorum, quæ supra diximus, certam quandam requirunt intelligentiam. Censidera in hoc exemplo quid potissimum significare velim. Omnia sunt in Deo, non tanquam in loco posita. Locus enim corpus est immobile, atque ea quæ posita sunt, motu carent. Locatur quippè aliter in corpore, aliter in phantasia. Cogita singula continentem, cogita nihil esse, quam incorporalis natura capacius, nihil velocius, nihil validius, ipsumque omnium capacissimum, velocissimum, potentissimum. Sic iterum à teipso incipiens meditare, atque animæ tuæ præcipito quę citius, quàm præcipies euolabit. Iubeto inquam, vt transeat in oceanum, illa prius quàm iusseris, ibi erit, inde, vbi nunc est, nequaquam discedens. Iubeto iterum, vt in cœlum volet, nullis pennis egebit, nihil eius obstabit cursui, non solis incendium, non ætheris amplitudo, non vertigo cœlorum, non syderum reliquorum corpora, quin penetrans omnia, ad supernum corpus vsque transcendat. Quinetiam si volueris globos omnes transire cœlorum, quodque superius est, inuestigare, id quoque tibi licebit. Aduerte quanta sit animæ tuæ potestas, quanta celeritas. Tunc potes ista, Deus non possit? Hoc igitur pacto contemplare Deum, vt in seipso intelligentias omnes habentem, habentemque seipsum ceu mundum penitus vniuersum, nisi te Deo æquaueris, Deum nunquam intelliges: nam simile semper à simili suo cognoscitur. Extende teipsum in magnitudine sine termino, emerge ex corpore, totum supergredere tempus, æternitas esto, sic Deum denique noueris, impossibile nihil in teipso supponens. Teipsum immortalem puta, comprehendere, cuncta potentem, scientiam omnem, atque omnem pariter artem: omni sublimitate sublimior esto, omni fundo profundior, sensusque factorum tuorum singulos in te colligito, ignis, aquæ, aridi, humidi, adesto simul mundi partibus omnibus, cœlo, terręque, marique, per omnem ætatem, extra corpusculi tui vtrem habitato, per mon em nihil interire putare. Cuncta hęc simul comprehendito, loca, tempora, moles, qualitates, & quantitates, sic Deum intelligere poteris. Contra, si animam tuam in corpus demerseris, ipsamque abieceris, iisque te verbis in cœnum prostraueris, nequescio quicquam, neque scire etiam valeo, vastum horreo maris fundum, in cœlum volare nequeo, non noui quid nunc sim futurus in posterum, quod tibi cum Deo? neque enim potes, cum sis malus, corporisque fœtidi seruus, ipsum pulchrum, bonumque percipere: extrema verò prauitas, non recognoscere Deum. At verò confidere, atque sperare se, bonum aliquando reperire posse, via quædam diuina est, ad bonum rectò tramite ducens, facilisque. & peruia, passim procedenti tibi semper occurret, ambulanti, nauiganti, die noctęque loquenti, pariter atque tacenti: nihil est enim in rerum natura, quod non aliquam pręse ferat diuinitatis imaginem. TRISMEG. Nonnè inuisibilis Deus. MENS. Religiosius

giosius loquere Trismegiste; nam quis illo lucidior? Ille quippè omnia ob eam causam fabricauit, vt eum per singula cerneres. Hæc Dei bonitas, hæc eius virtus est, illum fulgere per omnia: nihic est vel incorporeis etiam inuisibile, mens ipsa intellectione videtur, Deus autem in operatione conspicitur. Hæc hactenus enodata tibi sint Trismegiste, cætera omnia ipse per te iam perscrutaberis, neque falsa veritatis imagine decipieris.

COMMENTARIA.

Vndecimus de mente, diuino sermone plenus declarat, aeternitatem à Deo, mundum ab aeternitate, tempus à mundo, transmutationem à tempore, à transmutatione mortem, atque vitam pendere, insuperabili Dei potestati nullam, nec diuinam, nec humanam, nec supernorum, nec infernorum comparabilem esse, quem vnicum esse cum rationibus, tum analogiis, gratissimè permonstrat, qui cum otiosus esse nequit, semper omnia facit, quod de aeterna verbi generatione dictum rectè concipiat: at enim quòd opus diuinum adesse necessarium erat, vt essent ea, quæ sunt, & quæ fient in posterum, id vita est, id pulchrum, id bonum, id denique Deus, & vita cunctorum: sed quid hoc nisi quod altius Euangelista tuba cecinit, cum inquit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est, nihil quod factum est, in ipso vita erat. Cunctorum ergo vita, à Deo manat, atque ipsa Deus est. Quo fit, vt ea vera mors, verusque is non sit rerum interitus, qui vulgo putatur, verum ea, qua viuentium vitam abditum seruocans, res deserit. Mira profectò proportione ad eum comprehendendum vtitur, qui omnem effugit proportionem, qui comprehensus incomprehensibilis manet, & qui omnibus incognitus, omnibus in rebus se præstat cognoscibilem. Vos ergo quicunque pij huc toti nunc adeste, & mentis sermonibus vestram mentem inclinate, vt eum tandem cognoscatis, qui omnia ob eam causam fabricatus est, vt eum per singula cerneretis. Hæc mens.

MERCVRII AD TATIVM, de communi.

CAPVT XII.

Mens quidem ô Tati ex ipsa Dei essentia, si qua tamen est eius essentia, nascitur. Hæc qualiscunque sit, sola seipsam sincera comprehendit. Mens igitur ab essentia Dei nequaquam diuisa, sed illi potius eo modo connexa, quo solis corpori lumen. Hæc mens Deus est in hominibus, atque idcirco nonnulli ex hominum numero dij sunt, eorumque humanitas est diuinitati quàm proxima: etenim bonus dæmon deos quidem prædicat immortales, homines autem mortales deos. In animalibus autem irrationalibus, mens illa natura est. Nam vbicunque anima, ibi quoque mens: quemadmodum vbicunque vita, ibi etiam anima in viuentibus, absque rationis discursu, anima est vita vacua mentis: mens quippè adiutrix est hominum animarum, eas in bonum proprium reuocans. In animalibus ratione carentibus, cum natura cuiusque operando congreditur, in animis hominum resistit interdum, atque repugnat. Anima siquidem infusa corpori, à voluptate, atque dolore continuo deprauatur, ex corporis enim commixtione voluptas & dolor, ceu riuuli quidam scaturiunt, in quos madens anima suffocatur. Quibuscunque igitur animis mens præsidet, suo illa fulgore illustrat, earum moribus, malisque resistens, quemadmodum verò Medicus eruditus ægrotantis corpus doloribus afficit, vrendo illud, atque secando, recuperandæ valetudinis gratia: eodem modo mens voluptuosam affligit animam, vt radices voluptatis euellat: ab hac enim omnis animæ morbus grauissimus, impietas est: opinio autem non ad bonum prorsus vllum, sed ad malum potius allicit. At verò mens illa repugnans, sic animæ bonum procurat, vt sanitatem corporis Medicus. Quocunque hominum animæ mentem nequaquam sortitæ sunt gubernatricem, eadem, quæ & brutorum animæ, patiuntur. Dimittit eas mens cupiditarum imperio, ad quarum expletionem ardenti quodam impetu perferuntur, rituque ferarum immoderatè & irascuntur, & cupiunt. Quodque deterius est, nec finem imponunt libidini vllum, nec malorum inueniunt, passionumque terminum. Hisce velut lictorem, vt vindicem Deus legem proposuit. TAT. Hic ô pater disputatio illa de fato, quam in superioribus imperfectam reliquimus, reuiuiscit. Nam si decretum sit quosdam adulteros, quosdam fortè sacrilegos, cur aliquis inde mulctatur, quandoquidem compulsus fati necessitate deliquerit? TRISMEG. Omnia sunt fati opera fili: absque illo nihil est corporalium, non bonum sine illo quicquam potest, non malum fieri sine illo. Decretum est eum, qui turpe quid commiserit, pati; ille ob id committit, vt patiatur inde quodcunque patitur, quando commiserit. Cæterum de fati, ac delictorum suppliciis, in aliis diximus. Præsens verò nobis est sermo de mente, quid mens valeat, quàm differens in hominibus, ac brutis sit eius instinctus atque iterum quomodo in brutis quidem non est mens ipsa benefica, in hominibus autem libidinis impetum cohibet, iracundiæ restinguit ardorem, ex quo sequitur, vt inter homines, irrationales quidam, nonnulli rationales existant. Cuncti verò homines fato generationi, transmutationi subiiciuntur: initium quippè, finisque fati duo hæc, generatio scilicet, ac transmutatio. Et homines vniuersi id quidem patiuntur, quod instituit fatum. Verum rationales illi, quibus diximus mentem ceu gubernatricem assistere, non eodem modo, quo cæteri patiuntur, imò ab improbitate alieni, existentesque non mali, patiuntur minimè malum. TAT. Quomodo rursus hæc ais ô pater? TRISM. Adulter nonne malus? homicida nonne malus? Homo non adulter patitur, sed quemadmodum adulter. Non homicida, sed quemadmodum homicida. Qualitatem transmutationis effugere impossibile est, sicut & generationis effectum, prauitatem verò mentem habenti vitare licet. Quamobrem ego mi fili bonum semper dæmonem audiui dictantem, qui si literis quæque monimenta mandasset, mira quædam in dies humano generi emolumenta conferret. Solus ille mi fili, tanquam ipse pro me genitus Deus, vniuersa conspiciens, diuina in nos effudit oracula. Nunc equidem audiui sic aliquando prædicantem, vnum omnia sunt, præsertim intelligibilia corpora: viuimus potentia, actu, æternitate. Mens huius bona, quemadmodum & eius anima bona: cum id ita se habeat, nihil est intelligibilium ab intelligibili distans. Potest præterea mens princeps omnium, atque anima

Dei,quæcunque vult efficere: hæc ille. Tu igitur ista considera,& ad hunc,quem inferam,sermonem de fato, mente, arrectisque auribus adsta.Si diligenter litigiosas captiunculas euitaueris, inuenies absque dubio, quòd mens anima Dei dominatur omnibus,tum etiam legi,ac cæteris vniuersis, neque aliquid illorum,quæ ad fatum spectant,impossibile menti.Ideoque humanus animus fato superior, non tamen, quæ fato subiecta sunt negligit:atque ista sunt oracula boni dæmonis optima.TAT. Verè diuinè, atque etiam commodè tractasti hæc ô pater. At illud insuper mihi declares obsecro. Mentem in brutis operari naturæ modo dixisti, cum illorum affectibus cooperantem. Affectus autem irrationalium (vt arbitror) passiones sunt: mens ergo passio quædam est, sic enim passionibus conformatur. TRISMEG. Euge fili bone, quàm generosè rogas, æquum est vt tibi respondeam. Omnia, quæ insunt in corporibus incorporea, patibilia sunt, imò passiones proptiè sunt. Omnis motus corporeus, in corpora quoque mouetur à mente,motus autem passio. Vtraque ergo, tum quod mouetur, tum etiam quod mouet, patiuntur;hæc quidem dominans,illud verò subiectum. Cum verò separatur à corpore, à passionibus liberatur, imò nihil vsquam impatibile fili, cuncta enim patibilia. Sed passio, & partibile in hoc maximè differunt,quòd vnum agit, alterum patitur: corpora verò secundum seipsa etiam agunt, aut enim immobilia sunt, aut mouentur: vtrum verò sit horum, passio est. Incorporalia autem operantur semper, proptereaque patibilia sunt. Neque te appellationes moueant. operatio enim, ac passio idem, vocabulo tamen magis honorando vti nil obest. TAT. Perspicuam de his rationem reddidisti ô pater. TRISMEG. Illud præterea considera ô fili, quòd duo hæc soli ex omnibus animalibus homini Deus ipse largitus est, sermonem scilicet, atque mentem, quæ quidem eiusdem (ac immortalitas) præmij esse censentur. Iis quisquis ad id quod decet, vtitur, nihil ab immortalibus discrepat. Quinetiam corporis solutus compedibus, ab vtrisque ducetur in chorum beatorum simul, atque deorum. TAT. Cætera præter hominem animantia, nonne sermone vtuntur? TRISMEG. Non fili,sed voce, permultum interest vocem inter, atque sermonem: sermo cunctis communis hominibus, vox autem propria cuiusque hominis,propria etiam cuiusque generis animantium. O pater, diuersa genera hominum, diuersis vtuntur sermonibus. TRISMEG. Diuersis ô fili,vnus etiam sermo:qui per interpretationem huc atque illuc translatus, vnum denique verbum existere reperitur. Verbum idem apud Ægyptios, Persasque,& Græcos.Sed videris mi fili, verbi virtutem, & amplitudinem ignorare. Beatus Deus, dæmon bonus, animam esse in corpore,mentem in anima,in mente verbum pronunciauit, Deum autem borum patrem asseruit. Verbum itaque, imago,ac mens Dei est: est corpus quidem ideæ, ideæ verò anima est, purissimaque materiæ potio aër,aëris anima, animæ mens, mentis denique Deus.Deus verò circa omnia,simulatque per omnia,mens circa animam, anima circa aëre,aër circa materiam. Necessitas autem, prouidentiaque & natura, organa mundi sunt, ordinisque materiæ. Erenim intelligibilium vnumquodque essentia,essentia verò illorum ipsum idem. At eorum, quæ mundo insunt,corporum, vnumquodque est multitudo. Corpora composita ipsum idem habentia, atque inuicem mutuo transeuntia,immortalitatem ipsius eiusdem perpetuo seruant.In cæteris corporibus,quæ composita sunt, corporis cuiusque numerus est, absque numero constitutionem, vel compositionem,vel dissolutionem fieri impossibile est: vnitates quippè gignunt, atque augent numerum, rursusque solutæ, in se numerum retrahunt. Materia quidem vna, totusque hic mundus,magnus est Deus,imago maioris, vnitus illi, patris ordinem, voluntatemque seruans,vitæ totius integra plenitudo:neque est in eo quicquam per omnem æternitatem, restitutionemque paternam seu ad totum,siue ad partem spectans,quod non vita fruatur:neque est vitæ expers in mundo quicquam, nec fuit antè, nec erit.Viuentem enim voluit pater eius,quamdiu est, esse mundum, vnde Deum hunc esse necesse est. Quomodo possunt ô fili in Deo, in totius imagine, in plenitudine vitæ, esse quædam vita carentia? Priuatio vitæ corruptio est, corruptio verò pernicies. Quonam igitur pacto, pars vlla eius, quod incorruptibile est, corrumpi, vel Dei quicquam destrui potest? TAT. Nonne ô pater animalia, quæ in mundo sunt mundi partes,intereunt? TRISMEG. Rectius loquere fili. Erras enim in nomine, non moritur in mundo quicquam, sed composita corpora dissoluuntur: dissolutio mors non est, sed mixtionis resolutio quædam:soluitur autem vnio,non vt ea,quæ sunt, intereant,sed vt vetera iuuenescant. TAT. Cum sit quædam operatio vitæ, nonne motio quædam hæc est, atque idcirco, quid in mundo immobile? TRISMEG. Nihil ô fili.TAT. Nunquid immobilis tibi terra videtur? TRISMEG. Minimè, sed multis motibus agitata,sola tamen hæc quodammodo stabilis. An non ridiculum esset ipsam nutricem omnium,concipientem,parturientemque singula motu carere? impossibile enim aliquid absque motu parere. Nec minus ridiculum illud, quàm id corpus sterile nuncupate: nihil enim aliud ipsius immobilis appellatio, quàm sterile quiddam significat. Totum hoc ô fili generatim considera, quod est in mundo,aut crescendo, aut decrescendo mouetur. Quod verò mouetur, id prætérea viuit: singula tamen viuentia, haud eadem esse necesse est. Simul quippè mundus vniuersus existens, toto quidem immobilis, partes autem eius agitabiles vndique: nihil tamen corruptioni subiectum, sed appellationes quædam falsæ homines turbant.Neque enim generatio,vitæ creatio est,sed latentis explicatio vitæ: neque mutatio mors, sed occultatio potius. Cum hæc igitur ita se habeant, immortalia cuncta. Materia quidem vitæ spiritus est,mens animæ.Ex mente viuens omne profluit. Omne igitur viuens per mentem,permanet immortale.Maximè verò omnium immortalis est homo, qui Deum capit, qui diuinæ conformatur essentiæ, huic enim soli ex omni viuentium genere, Deus ipse congreditur, nocte quidem per somnia, die crebrius per portenta, per quæ omnia sibi futura prænuntiat, per aues,per intestina,per spiritum,perque Sibyllam, propter quæ verè dicitur homo scite. Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. Illud antem in primis animaduertas fili mi velim, quòd vnumquodque genus viuentium reliquorum, propriam mundi prouinciam habitat: humida quidem aquam, terrestria terram, aërem vola-

filia: homo autem in omnibus vitur, terra, aqua, aëreque, & igni: cœlum suspicit, sensuque illud attingit: Deus verò circa omnia simul, atq; per omnia, actus enim est omniũ, atque potestas: nã atduum quiddã est, ô fili! Deum percipere. Hũc quoties intueri volueris, aduerte mundi ordinem, atque ordinis eius ornatum. Aduerte necessitatem eorum, quæ sensu percipiuntur, prouidentiamque cunctorum, quæ facta sint ante, & quæ quotidie fiunt. Aduerte plenam vitæ materiam talem, ac tantum Deum cum omnibus bonis, & pulchris diis, dæmonibus, atque hominibus incedentem. TAT. At istæ, ô pater! operationes quænam sunt? TRISMEG. Ah! fili, vnde hæc, nisi ab ipso Deo proficiscuntur? num ignoras, quod quemadmodum mundi partes sunt cœlum, aqua, terra, & aër, eodem modo Dei membra, vita, immortalitas, necessitas, prouidentia, natura, anima, mens? Horumque omnium participatio, ipsum bonum, neque fit aliud vsquam, nec est factum, vbi Deus ipse non adsit. TAT. In materia ergo pater TRISMEG. Materia fili mi seorsum est à Deo, vt locus illi proprius assignetur. Quid aliud illam existimas, quàm rudem, indigestamque congeriem hanc existere posse? ne secus credas nisi formetur. Quòd si formatur, ab aliquo certè formatur: operationes enim formandi, partes Dei esse diximus. A quo ergo vitæ donantur animantia singula, à quo fiunt immortalia, quæ immortalitatis munere perfruuntur, à quo mutantur, quæ mutabilia sunt, siue materiam, seu corpus nuncupaueris, Dei actus esse memento. Actumque materiæ, materiæ rationem: actum corporeum; corporum rationem: actum essentiæ, essentiæ rationem: idque omne, neque quicquam est in omni, quod non sit ipse Deus. Itaque nec magnitudo, neque locus, neque qualitas, nec figura, neque etiam tempus circa Deum, omne enim est. Omne autem circa omnia, atque per omnia. Hoc verbum ô fili cole, atque adora. Cultus autem Dei vnus est, non esse malum.

COMMENTARIA.

Duodecimus de inferiore mente, quæ primæ mentis imago, aut vestigium quoddam est, prosequens post prima mentis exactam determinationem, eam singulis animabus associat, sed in irrationalibus mens natura est, in hominibus autem ratio: cuius beneficio quicunque hominum destituuntur, ritu ferarum flagranti quodam impetu ad cupiditatum expletionem rapiuntur, nec finem suæ libidini statuunt vllum, nec suorum malorum inueniunt, passionumque terminum, qui fato, diuinoque decreto patiuntur, dantque suæ meritas ignorantiæ pœnas. Boni contra, quibus mens præsidet boni, pulchrique imago bona suscipiunt, quæ illis constituerit fatum. Minime ergo fatum effugies: lex siquidem diuina est fatum, mala tamen, pœnasque prauitatis asseclas fugere potes. Mercurius oraculo plenus multa discutit, sæpius oraculum infundentem audiuit; duo diuina in hominibus munera commendat, mentem, atque sermonem. Oracula boni dæmonis, vel si mauis, cœlestis spiritus diuinitus afflantis aperit, de Deo, de Verbo, de Mundo, de Materia, nihil esse in mundo vita expers, nihil mortale dicendum, sed potius dissolubile, quid esse sentiendum, nihil immobile. Et fili dissolubilium homini Deum variis modis congredi, & quo pacto ex sensibilibus ad Deum percipiendum homo assurgere possit. Hæc duodecimus.

Mercurij ad Tatum filium suum, de generatione & impositione silentij.

CAPVT XIIII.

TAT. In communibus pater sermonibus, per ænigmata quædam, ac sine declaratione vllius adiunctionis, de Deitate tractasti, asserens ante regenerationem saluum fieri neminem. Equidem, dum ascendebas in montem, supplex tibi tunc astiti, obsecrans, vt mihi regenerationis rationem aliquando referares: id enim solum restabat tunc mihi discendum. Tunc demum spopondisti te reuelaturum, cum à mundo forem alienatus. Ecce iam paratus sum pater, à mente mea mundi deceptiones excussi, tu ergo serua promissa. Regenerationis modum vel palam, vel clanculum, vt lubet edisere. Ignoro Trismegiste, qua ex materia, quoque semine natus fuerit homo. TRISMEG. O fili contemplatiua in silentio sapientia, semen eius verum bonum. TAT. Quonam ferente pater? hoc enim ignoto. TRISMEG. Voluntate Dei, mi fili. TAT. Et quanti est, qui non est genitus: expers enim intelligibilis essentiæ, quòd si aliter se habeat, qui gignitur, Deus erit Dei filius. TRISMEG. Omne in omni, constans ex omnibus potestatibus. TAT. Ænigmata fingis ô pater, neque patris more cum filio loqueris. TRISMEG. Hoc genus ô fili non eruditur, verbum quoties vult, sub insinuatione quadam in Dei memoriam reducitur. TAT. Impossibilia infers, ac nimium violenta, quapropter his cupio contradicere. TRISMEG. Admodum discrepas à paterno genere Tati. TAT. Ne inuideas mihi pater, legitimus enim sum filius. Agè precor, regenerationis modum, me doce. TRISMEG. Quid dicam fili? quod dicam præter hoc non habeo quicquam, quòd verum cerno spectaculum, ex Dei benignitate mihi iam oblatum, vnde in corpus sum immortale translatus, sumque non ille, qui prius fueram, ac mens nuper effectus, hoc mysterium non docetur. Vide hoc elemento formato, per quod videre licet, per quod neglecta est à me prima composita species, non quòd sim coloratus, tactumque ac terminum habeam, ab iis enim in præsentiarum alienus sum. TAT. In furorem me, insanumque mentis cœstrum ô pater nimium concitasti, in præsentiarum me ipsum haud video. TRISMEG. Vtinam fili charissime tu quoque teipsum non dormiens transcurrisses, instar eorum, qui somno in somniis occupantur. TAT. Dic age, quis est regenerationis author? TRISMEG. Dei filius homo, vnius voluntate Dei. TAT. Nunc mutum ô pater, ac stupidum reddidisti: ipse quoque à pristino statu mentis alienatus, eandem aspicio imarum rerum charactere magnitudinem, in eoque mendacium. Mortalis enim species per dies singulos transmutatur, hæc ad tempus, vtpote falsa, in augmentum, detrimentumque vertitur, quid ergo verum Trismegiste? TRISMEG. Quod non perturbatum, non determinatum, non coloratum, non figuratum, non concisum, nudum, perspicuum, à seipso comprehensibile, intransmutabile bonum, ac penitus incorporeum. TAT. Insanio iam re vera, mi pater, cumque sapientem abs te sperassem me fieri eiuscemodi cognitione, sensus obtusi sunt. TRISMEG. Sic accidit fili. Nam sursum latum, vt ignis, & deorsum latum, vt terra, & humidum, velut aqua, nec

non spirans, vt aër, quomodo ipsum sensu percipies, non durum, non molle, non densum, non penetrabile? solum potentia, atque actu considerandum, qui verò potest, orer, vt generationem, quæ in Deo est, intelligat. TAT. Impotens ego sum pater. TRISMEG. Absit hoc ô fili, recurre in teipsum, & consequeris, velis, ac fiet. Purga sensus corporis, solue te ab irrationalibus materiæ ipsius vltoribus. TAT. Num vltores intra se sunt? TRISMEG. Non pauci ô fili, sed horribiles, ac multi. TAT. Ignoro ô pater. TRISMEG. En fili, hæc vna est vltrix, ignorantia: secunda, tristitia: tertia, inconstantia: quarta, cupiditas: quinta, iniustitia: sexta, luxuries: septima, deceptio: octaua, inuidia: nona, fraus: decima, ira: vndecima, temeritas: duodecima verò, malitia, hæ quidem sunt numero duodecim: sub his plures aliæ continentur, quæ per corporis carcerem inclusum, tristem hominem sensibus pati cogunt, absunt autem istæ ab eo, qui est Dei fretus clementia. Atque ita constat regenerationis modus, ac sermo. Deinceps silento mi fili, Deumque silendo laudato, eoque pacto diuina clementia nunquam à nobis aberit. Gaude deinceps mi fili, nam potestate diuina in contemplationem es veritatis eleuatus. Descendit in nos cognitio Dei, hac accedente, repulsa est ignoratio. Descendit in nos cognitio gaudij, hac præsente, tristitia penitus aufugit, in eosque se vertit, qui ad eam parati sunt capiendam. Potestatem voco ad gaudium perducentem constantiam, cuius vis procul dubio suauissima est. Complectamur igitur eam libentissime fili: ea enim, cum primum aderit, mollitiem omnem prorsus expellet. Quartam verò nunc continentiam voco, vim vniuersarum victricem cupiditatum. Gradus hic ô fili, iustitiæ fundamentum existit. Aduerte autem quo pacto à cunctis operibus iniustitiam expulit, iusti quidem effecti sumus, absente iniustitia fili. Sextam voco potentiam in nos descendentem, communitionem scilicet aduersus excessum, hac denique discedente in uoco veritatem, aufugit mox deceptio, veritas adest. Vide quomodo absolutum est bonum, veritate præsente. Liuor enim discessit à nobis, veritatis enim innatum est bonum, cum vita simul & lumine, nec vltra iræ vindex accessit. Verum vltrices omnes repentino quodam impetu reiectæ sunt. Intellexisti fili regenerationis ipsius modum, denario præsente numero, intellectualis generatio composita est, quæ duodenarium numerum reiicit. Idque ex ipsa generatione speculati sumus. Quicunque igitur propter benignitatem generationis, quæ secundum Deum est, sensum amittit corporeum, seipsum cognoscit ex diuinis compositum, factusque indecliuus, diuina potentia tota mente lætatur. TAT. O pater concipio non oculorum intuitu, sed actu mentis, qui per vires intimas exercetur, in cœlo sum, in terra, in aqua, in aëre, in animalibus sum in arboribus, in corpore, ante corpus, atque post corpus. Ad id præterea mihi dicas velim, quomodo vltrices tenebrarum numero duodecim, à decem potestatibus repelluntur. Quis modus Trismegiste? TRISMEG. Tabernaculum istud ô fili, est ex Zodiaco circulo constitutum, qui ex duodenario numero constat illo. Numerique vndecim sunt, vnus omniformis secundum ideas naturæ, ad hominis peruagationem, atque circuitum. Itaque disiugatæ quodam modo sunt ab inuicem vltrices illæ, in agendo tamen quodammodo coniugatæ, vt ecce inseparabile est ab ira temeritas. Meritò ergo secundum rectam rationem eatenus interuallum, quatenus à potestatibus decem, id est, à denario numero repelluntur. Denarius ô fili, animæ genitor est. Vita verò, & lux, ibi vnitæ sunt, vbi vnitas ipsius numeri sunt ex spiritu nati: itaque vnitas secundum rationem denarium complectitur, rursusque denarius vnitatem. TAT. Eia pater vniuersum video, meque ipsum in mente conspicio. TRISMEG. At hæc est regeneratio ô fili non adesse vlterius corpori, quantitate dimenso. Ob hanc profectò rationem, regenerationis mysterium protuli, ne simus calumniatores totius aduersus multos, quos Deus ipse vult. TAT. Responde ad hæc ô pater, corpus istud ex potentia constitutum, num aliquando dissoluetur? TRISMEG. Caue ne id vlterius audeat. Impossibilia profers, ac penitus erras, mentisque oculis ista loquendo, impietate nimia profanaris. Sensibile naturæ corpus ab essentiali generatione procul admodum discrepat, vnum quidem dissolubile, indissolubile alterum. Illud mortale, hoc immortale. An verò ignoras, quòd & Deus, & vnus filius natus es? TAT. O quàm vellem ô pater, analogiam illam per hymnum, quem dixisti audisse à potestatibus, dum ipse in octonario essem. TRISMEG. Octonarium ô fili cecinit ipse Pimander. Vnde te decet vmbraculum soluere: purus enim ille Pimander, mens diuinæ potentiæ, non plura mihi, quàm scripta sint, aperuit, existimans me reliqua scrutaturum, hortatus me est ad decora officia, ex quo omnes, quæ in me vires sunt, concinunt. TAT. O pater audire hæc, & intelligere velim. TRISMEG. Quiesce fili, quiesce inquã, audies iam harmonicam cantilenam, regenerationis hymnum, quem nunquam sic facilè propalarem, nisi tibi conducturum considerem. Non docetur hoc, sed occulitur in silentio. Vide me fili bone, obserua singula diligenter. Sic enim te quoque decet orantem sub diuo, occidente sole ad austrum, oriente verò ad eurum fatiem vertere. Vniuersa mundi natura hunc audiat hymnum: Audi terra, audite turbines imbrium, ô syluæ silete, cantaturus sum creatorem omnium, totumque & vnum. Audite cœli, quiescite venti, circulus immortalis Dei orationem istam exaudiat. Cano iam creatorem omnium, terrarum distributorem, cœlum æquilibrantem, iubentem ex oceano aquam vndique fluere dulcem ad hominum alimentum, iubentem ignem fulgere supernè ad actiones hominum, atque deorum. Agamus illi omnes vna voce gratias, trananti cœlos, naturamque creanti. Hic mentis est oculus, hic potentiarum benedictionem libenter excipier. O meæ vires, laudate ipsum vnum & omne. Consonate voluptati meæ omnes animi vires. Cognitio sancta, quæ tuo lumine fulget, per te lumen intelligibile cantans, gaudio mentis exulto. Omnes potentiæ mecum vnà concinite. Constantia canta mecum. Iustitia mea, per me iustum canat. Communio mea, totum ipsum laudet, per me canat veritatem. Bonum nostrum, bonum denique canat. O vita, ô lux, à vobis in nos benedictio currit. Gratias habeo tibi pater, actus omnium potestatum. Gratias ago tibi Deus, omnium potestas actuum. Verbum tuum per me te laudet, per me mundus verborum recipit sacrificium hoc, meæ vires clamant, totum cantant.

voluntatem tuam perficiunt. Tua voluntas abs te in totum, sacrificium verborum, ab omnibus excipe. O vita totum, quod est in me, salua. O lux totum illumina, spiritus Deus. Verbum tuum me regit spiritifer opifex. Tu solus es Deus. Homo tuus hæc clamat, per ignem, perque aërem, per aquam, perque terram, per spiritum, perque creata. Ab æternitate benedictionem inueni, qua desiderio in voluntate tua quiescā. TAT. Noui pater hunc hymnum abs te ex voluntatis affectu cantatum, vnde mundum attigi, in eum. TRISMEG. Intelligibilem dico pater. Ex qua siquidem cantilena, illustrata mihi mens est, quo fit, vt ipse quoque ardeam amore canendi. TRISMEG. O fili mi Tati, ne fine proposito laudes cantato diuinas. TAT. Ex mente cantabo mi pater. TRISMEG. Quæ speculor infundo tibi, generationis progenitor Tati. TAT. Deo verborum offero sacrificia. O Deus, tu pater, tu Dominus, tuque mens, accipe sacrificia verborum, quæ requiris à me, te volente perficiuntur omnia. TRISMEG. Offero fili hostiam patri Deo gratam, orationique tuæ intentus esto. TAT. Gratias habeo tibi pater, quòd ista mihi prædicare volueris. TRIS. Gaudeo fili, quòd tibi bona quamplurima ex veritate, quæ sanè sunt immortalia opera, id à me discens, silentium virtutis annuntia, nulli communicans regenerationis mysterium, ne tanquam calumniatores quidam reputemur. Etenim vterque nostrum ad sufficientiam meditatus est, ego quidem dicens, tu verò condiscens, ex quo teipsum, patremque nouisti.

COMMENTARIA.

Decimus-tertius est de arcana regenerationis mysterio, antequam saluus fiebat nemo, cuius regenerationis author est Dei filius homo, vnius voluntate Dei. Mysterium, quod non docetur, sed occulitur in silentio, & in silentio à sanctis veneratur. Tu Christiane cætera legito, et si noua regeneratione in Deo per Dei filium es reformatus, depulsis ignorantia, tristitia, cupiditate, iniustitia, luxuria, deceptione, inuidia, fraude, ira, temeritate, malitia, horribilibus duodecim tenebrarum vltricibus: decem oppositis Dei pietate assecutis potestatibus tota mente exulta, Deo reformatori toto mentis vigore gratias agere memento, totus eius amore flagra, totus spiritus factus, & à spiritu regenitus, pietatis hymnum concine, & regenerationis immaculatus pietatem retine, totus in Deum parentem, & regenerationis authorem eius filium conuersus, hunc ex hoc decimotertio fructum consecutus, vel saltem ad tam piè cogitandum mentis tuæ benignitate excitatus.

Mercurij ad Æsculapium Epilogus.

CAPVT XV.

Quoniam filius meus Tatius (te absente) naturam omnium discere voluit, cunctari verò me noluit ipse, vtpote iunior, ac nuper accedens, ad cuiusque cognitionem, coactus sum plurima dicere, vt facilis illi foret, atque expeditus intuitus, operæprecium esse censui, vt ex multis eligens potiora, summatim nunc tibi disputationem præcedentem reperam. Licet enim tecum, vtpote rerum naturæ perito, per mysteria quædam percurrere. Quæ sensu percipiuntur, facta sunt omnia, fiuntque quotidie genita non à seipsis, sed ab altero fiunt. Multa sunt genita, sensu patentia singula, differentiaque, nec omnino similia, quæcunque gignuntur procedunt ab altero. Est ergo quis factor istorum, atque is ingenitus, vt genitis antiquior sit. Genita enim diximus ab alio fluere. Nihil autem præter ingenitum, genitis esse potest antiquius. Factor quippe potentior est, & vnicus, solusque reuera sapiens vniuersa, cum nihil omnino ipsum præcedat. Dominatur quoque multitudini, magnitudini, actioni continuitati, genitorumque omnium differentiæ. Præterea genita visibilia sunt: inuisibilis ille, ob id verò facit, vt visibilis fiat; semper igitur facit. Dignum est intelligere, intelligendo mirari, admirando se beatum vocare, patrem legitimum recognoscentem. Quid enim dulcius parente legitimo? Quis iste? Quomodo eum reperiemus? an illi appellationem Dei, soli decens est attribuere vel factoris, vel patris? an tria pariter cognomenta? Deum ergo cognominato propter potentiam, factorem propter actum, patrem denique propter bonum. Est enim potestas à genitis admodum differens, actus autem in productione cunctorum. Quamobrem sermonis varietate, vanitateque dimissa, duo hæc in primis meditari oportet, genitorem scilicet, ac genitum, horum nihil est medium, nec quicquam præter hæc aliud. Cum ergo omnia intelligere volueris, horum recordare duorum, eaque esse vniuersa memento, nihilque tibi erit ambiguum, nec supernorum, nec infernorum, seu diuinorum, seu mutabilium, aut patentium, aut eorum, quæ in tenebris delitescunt. Duo nempè cuncta sunt genitor ac genitum, nec secerni alterum ab altero potest: neque enim genitorem absque genito esse possibile est, vtrumque illorum idipsum existit. Itaque neutrum disiungi licet ab altero, quemadmodum neutrum à seipso diuidi: siquidem ipsum faciens, nihil præter ipsum, quod facit, est aliud, simplex enim est, vt semper est agens, idemque sibi ipsi, & existendo pariter, & in agendo. Nihil autem, quod genitum, à seipso genitum est: non ergo seorsum factum à faciente: qui horum vnum subtrahit, perdit & alterum. Vnus quippe natura propria, naturam semper alteram respicit. Si itaque duo concessa sunt, efficiens & effectum, vnita quidem sunt inuicem: sic tamen, vt vnum præcedat, alterum verò sequatur: præcedēs sanè Deus efficiens, sequens verò id, quod est effectum. Quicquid id denique sit, neque diffidat quispiam iis, quæ diximus varietate rerum perteritus, quasi tam diuersorum constructio vel ardua fit, vel indigna maiestate diuina. Vnica enim Deo gloria, omnium constitutio: atque, id est, velut corpus Dei effector. Ab ipso profectò factore, nihil malum, nihilque turpe. Hæ siquidem, passiones sunt creata sequentes opera, quemadmodum æs, rubigo, animata corpora. At, neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor cœnum ac sordes: eodemque modo, nec Deus etiam malum. Generationis autem perseueratio, malum surrepere cogit, eaque de causa mutationem Deus rebus instituit, & veu quandam generationis ipsius purgationem. Præterea, eidem pictori figurare licet cœlum, terram, mare, deos, homines, bruta, arbo-

tres, ac vita carentia, Deo verò, vni, talium deerit agendorum facultas? O dementem! ô cæcum! & totius diuinæ cognitionis expertem! Nihil eſt magis, ô Æſculapi, ridiculum, quàm quod huic accidit nam dum ſe Deum venerari fatetur, ex eo quod creandi negotio, curaque liberet, Deum ipſum prorſus ignorat, quodque deterius eſt, mortalium illi paſſiones aſcribit, inuidiam, ſuperbiam, ignorantiam, imbecillitatem. Niſi enim faciat omnia, aut ſuperbus eſt, aut potius imbecillis, quorum vtrumque nefarium. Deus enim vnicam, propriamque naturam habet, idque bonum eſt. Bonus autem, nec ſuperbus eſt, nec impotens. Ipſum verò bonum, Deus eſt. Bonum quippe, ipſa vis omnium agendorum. Quodcumque genitum, à Deo genitum, id eſt è bono, & ab eo, quod omnia poteſt. Vide quomodo ille quidem facit, quomodo etiam illa fiunt. Quod ſi comprehendere velis, licet magnam rationem, perpulchram, atque ſimillimam intueri. Aſpice, precot, agricultorem, ſemina in terræ gremium diffundentem, hic triticum, ordeum alibi, alibi verò reliqui generis ſemina, aſpice eumdem vites maloſque, & ficus repaſtinantem, atque amputantem. Eodemque modo Deus ipſe in cœlum quidem ſerit immortalitatem, in terram verò mutationem, in totum denique mundum vitam, atque motum. Hæc autem haud multa ſunt, ſed pauca, certoque numero determinata. Cuncta enim quatuor ſunt, ac Deus & generatio, quibus omnia comprehenduntur.

COMMENTARIA.

Decimus quartus hæc aſſerit, quæ ſenſu percipiuntur, facta eſſe omnia, atque continuè fieri: nam quemadmodum ab alio fiunt, qui omnibus omnipotens rebus dominatur, ita quoque ea continuè ſuſtinet, ne ſua natura ſui prona caſus ruant in nihilum, cuius ſola cognitio felicem facit, atque beatum, qui Deus, omnium factor, atque pater eſt, & ſolus ipſe genitor, & cætera omnia genita, interque genitorem, & genitum nullum intercipi poteſt medium: & hæc duo, vniuerſa ſunt: ſunt enim duo omnia, genitor, atque genitum. Præterea hoc aſſerit, malum à Deo non pendere (vt neque à ferrario fabro, ferri rubigo) ſed creata ſequi opera. Et ex humana nos arte ad diuinam artem concipiendam eleuat, & Deum ipſum in cœlo immortalitatem ſerere in terra mutationem, in toto verò mundo vitam, atque motum. Hæc Epilogus. Hæc pauca per modum argumentorum ſubiecimus, quamuis ingenuè fateamur, ſingulum quemque Dialogorum maiorem declarationis operam deſiderare, & longè præſtantius, quam noſtræ modiculæ vires ſuggerant, ingenium. Prodeat tamen Mercurius hic de diuina poteſtate nunc in lucem ad Dei honorem, & ad illuſtrationem legentium ex iis præſertim, qui ex Gentilibus prodierunt omnibus ſeculis inſigni ſermonum pietate conſpicuus, cui deinceps librum eiuſdem de voluntate diuina ſubiungamus.

(.·.) (.·.) (.·.)

FINIS



MERCVRII TRISMEGISTI, ASCLEPIVS.

LVCIO APVLEIO MADAVRENSI Philoſopho Platonico Interprete.

CAPVT PRIMVM.

Aſclepius iſte, pro ſole mihi eſt Deus: Deus te nobis ô Aſclepi, vt diuino ſermoni intereſſes, adduxit, eique tali, qui merito omnium antea à nobis factorum, vel nobis diuino numine inſpiratorum, videatur eſſe religioſa pietate diuinior: quem ſi intelligens videris, eris omnium bonorum, tota mente pleniſſimus, ſi tamen multa ſint bona, & non vnum, in quo ſunt omnia: alterum enim alterius conſentaneum eſſe dinoſcitur, omnia vnius eſſe, aut vnum eſſe omnia, ita enim vnum alteri connexum, vt ſeparari alterum ab altero non poſſit. Sed de futuro ſemine, hoc diligenti intentione cognoſces, tu verò ô Aſclepi procede paulum, atque nobis, quid interſit, euoca. Quo ingreſſo, Aſclepius etiam Amnonem intereſſe ſuggeſſit. Triſmegiſtus ait, nulla inuidia Amnonem prohibet à nobis, etenim ad eius nomen multa meminimus à nobis eſſe ſcripta, ſicuti etiam ad amantiſſimum, & chariſſimum filium, multa de Phyſica, exoticaque quamplurima. Tractatum hunc autem tuo aſcribam nomini, præter Amnonem verò nullum voca alterum, ne tantæ rei religioſiſſimus ſermo, multorum interuentu venientium; præſentiaque violetur, tractatum autem tota numinis maieſtate pleniſſimum, irreligioſæ mentis eſt multorum conſcientiæ publicare. Amnone etiam adytum ingreſſo, ſanctoque illo quatuor virorum religione, & diuina Dei completo præſentia, competenti venerabiliter ſilentio ex ore Hermu animis ſingulorum, mentibuſque pendentibus, diuinus Cupido ſic exorſus eſt dicere. TRISMEG. O Aſclepi omnis humana immortalis eſt anima, ſed non vniformiter cunctæ, ſed aliæ alio more, vel tempore. ASCL. Non enim ô Triſmegiſte, omnis vnius qualitatis eſt anima. TRISMEG. O Aſclepi; vt celeriter de vera rationis continentia didiciſti. Non enim hoc dixi, omnia vnum eſſe, & vnum omnia, vt quæ in creatore fuerunt omnia, antè quam creaſſet omnia, nec immerito ipſe dictus eſt omnia, cuius membra ſunt omnia. Huius itaque; que, qui eſt vnus omnia, vel ipſe creator omnium, in hac tota diſputatione; curato meminiſſe, de cœlo cuncta deſcendunt in terram, & in aquam, & in aëra. Ignis ſolum, quod ſurſum verſus fertur, viuificum, quod deorſum, ei deſeruiens, at verò quicquid de alto deſcendit, generans eſt: quod ſurſum verſus emanat, nutriens: terra ſola in ſeipſam conſiſtens, omnium eſt receptrix, omniumque generum, quæ accipit, reſtitutrix. Hoc ergo toto (ſicut meminiſti) quod eſt omnium vel omnia, anima; & mundus à natura compræhenſa agitantur, ita omnium multiformi imaginum æqualitate variata, vt infinitæ qualitatum ex interuallo ſpecies eſſe noſcantur, adunatæ tamen ad hoc, vt totum vnum, & ex vno omnia eſſe videatur, totus itaque quibus formatus eſt mundus, elementa ſunt quatuor, ignis, aqua, terra, aër, mundus vnus, anima vna, Deus vnus. Nunc mihi adeſto totus quantum mente vales, quantum calles aſtutia: diuinitatis etenim ratio, diuina ſenſus intentione noſcenda, torrenti ſimillima eſt fluuio, è ſummo in pronum, præcipiti rapacitate currenti: quo efficitur, vt intentionem noſtram non ſolum audientium, verumetiam tractantium ipſorum, celeri velocitate prætereat.

COMMENTARIA.

Caput primum edocet, omnia vnius eſſe, & omnia vnum: vnius; vt a quo omnia: vnum, vt omnia effecta: in cauſa ſunt vnum, animam humanam omnem immortalem eſſe: ſed id diuerſa eſſe ſorte: de cœlo omnia deſcendere: quod deſcendit, generationem præſtare: quod aſcendit, ſurſumque tendit; ſolum præſtare vitam, idipſum vnum, cuius ſunt omnia; quod eſt omnia mundum, & mundi formas omnes mouere, ex quibus coaluit mundus, ignem, aërem, aquam & terram eſſe: & ſicut omnia corpora, vnius mundi corpus vnum efficiunt, ita quoque vult omnes rerum formas vnam omniformem vnius mundi efficere formam, quam mundi vocat animam, quarè mundus omnicorpor, atque omniformis: & hæc ſunt corpus vnum, anima vna, mundus vnus, Deus vnus; à quo diuina ratio, diuinumque verbum, torrenti fluuio è ſummo in pronum præcipiti rapacitate currenti ſimillimum, omnia permeat, illabitur omnia; influitque in omnia: & hæc diuina ratio, diuinumque

verbum, quidnam aliud obsecro, quàm diuina sapientia; omniumque artifex? quæ (vt Sapiens canit) omnibus mobilibus mobilior est: & quæ cùm sit vna, omnia potest, & in se permanens omnia nouat. Hæc prima particula.

CAPVT II.

Cœlum ergo sensibilis Deus, administrator est omnium corporum, quorum augmenta, detrimentaque Sol, & Luna sortiri sunt: cœli verò, & ipsius animæ, & omnium quæ in mundo sunt, ipse gubernator est, qui est omnium effector Deus: A supradictis enim omnibus, quorum gubernator est omnium frequens per mundum fertur influxio, & per animam omnium generum, & specierum omnium, perque rerum naturam. Mundus autem præparatus est à Deo, receptaculum omniformium specierum: naturam autem per species effigians, mundum per quatuor elementa ad cœlum vsque adduxit. Cuncta Dei visibus placitura, omnia autem desuper perpendentia, in species diuiduntur, hoc quo dicturus sum modo: Genera rerum omnium suas species sequuntur, vt sit ita totalitas, genus: species generis particula: genus ergo deorum, dæmonumque genus: æquè & hominum, similiter & volucrum, & omnium, quæ in se mundus habet, sibi similes species generat: genus est & aliud animalis, genus sine sensibus quidem, attamen non carens anima, vnde beneficiis gaudet, & aduersis minuitur, atque viriatur, omnium dico, quæ in terra radicum, stirpiumque incolumitate viuiscunt, quarum species per totam terram sparsæ sunt. Ipsum cœlum plenum est Deo: supradicta autem genera inhabitant vsque ad loca specierum, earum rerum, quarum omnes immortales sunt species. Species enim generis est pars, vt homo humanitatis, quam necesse est sequi qualitatem sui generis: vnde efficitur, vt quamuis omnia genera sint immortalia, species tamen non omnes immortales sunt. Diuinitatis enim genus, & ipsum & species immortales sunt: reliquorum verò genera, quorum æternitas est generis, quamuis per species occidat, nascendi tamen fœcunditate seruatur. Ideoque species mortales sunt, vt homo mortalis, immortalis, humanitas, omnibus tamen generibus, omnium generum species miscentur: quædam, quæ antè factæ sunt: quædam, quæ de his factæ sunt: hæc autem, quæ fiunt, aut à diis, aut à dæmonibus, aut ab hominibus, omnes simillimæ generibus suis species. Corpora enim impossibile est conformari sine nutu diuino, species figurari sine adiutorio dæmonum, animalia institui, & coli, sine hominibus non possunt. Quicunque igitur dæmonum à genere suo defluentes, in speciem fortuito coniuncti sunt alicuius speciei, generis diuini, proximitate, & consortio diis similes habentur: quorum verò dæmonum species qualitate sui generis perseuerant, hi amantes hominum rationem, dæmones nuncupantur, similis est & hominum species aut eo amplior: multiformis enim, variaque humani generis species, & ipsa à prædicto desuper aduenientis consortio: omnium aliarum specierum multas, & propè omnium per necessitatem coniunctiones facit, propter quod & propè deos accedit, qui se mente, qua diis iunctus est, diuina religione diis iunxit, dæmonibus accedit, qui iis iunctus est, humani verò, qui mediocritate sui generis contenti sunt: & reliquæ hominum species, iis similes erunt, quorum se generis speciebus adiunxerint.

COMMENTARIA.

Caput secundum. Pro præsentium innuanda intelligentia, & quorundam sequentium latere haudquaquam debet, Mercurium longè alio significatu vti vocabulo animalis, ac nos vti consueuimus, item & animæ vocabulo: nam animam ex secundo Pimandri Dialogo motu definit: animal autem ex sequenti capite, anima definit & corpore, quare quicquid vim motricem habet, suâ quidem locutionis obseruatione, animam habet: quicquid autem animam, & corpus, animal est, animal igitur cœlum, mundus, planta, & elementa. Verum nostra consuetudo est, id solum vocare animal, quod sit corpus animatum, sensu præditum, & animam non solum motu definimus, sed vita, sensu, vltroneo motu, aut intellectu. Cum itaque animal audimus, non nostro, sed suo more intelligamus, at nunc ad Dialogum. Contendit cœlum, cœlestique corpus ad cætera sensibilia, vt homo ad cætera animalia: homo autem cæteris animalibus, vt animalis Deus, cœlum verò cæteris sensibilibus, vt sensibilis Deus. At Deum omnium rectorem, gubernatorem omnium esse, quæ sunt in mundo, nihil aliud esse crediderim, quàm Deum omnibus prouidere, & omnia dispensare, per genera, per species: quorum omnium mundus est receptaculum, & vnicuique Deus, vt apto instrumento, munus aliquod impartit, vt Sol & Luna, ad rerum ortus & obitus, ad rerum augmenta, & detrimenta sunt diuinitatis organa, & homines per Angelos, bruta verò per homines dispensat. At verò quod de dæmonibus dicit, species sine eorum adiutorio non figurari, & quosdam haesisse generi diuino, & proximitate, & consortio diis similes habitos, quosdam verò in qualitate sui generis perseuerasse hominum rationem amantes: scimus ex sacris literis, Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, reliquisse suum domicilium, & in iudicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reseruatos, qui, etsi simulent se hominum amatores minimè tamen amant sed ad præcipitia pertrahunt quod à principio fecerũt: amare enim simulantes, cum mortem hominibus intulerint, dicebant nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Quæ igitur de dæmonibus hic dicit, non satis accommodè videntur posse ad piam trahi intelligentiam, sed errorem Gentium sequi: verum de hominibus, qui hærent Deo, diuinos euadere: qui autem dæmonibus, in sortes recipi dæmonum, dæmonibusque iungi, qui in iudicium (vt dictum est) magni Dei vinculis æternis sunt reseruati, ingenuè fatemur. Nam ex Dei ore pronuntiatum esse cognoscimus, dicturum in iudicio iis, qui in sinistra parte erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius, sed quinam illi erunt, nisi qui dæmonibus in hoc mundo adhæserunt? Hæc pro secunda partitione.

CAPVT. III.

Propter hoc, ô Asclepi, magnum miraculum est homo, animal adorandum, & honorãdum: hoc enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus: hoc dæmonum genus nouit, vtpotè qui eisdem ortum se esse cognoscat, hoc humanæ naturæ partem in seipso despicit, alterius partis diuinitate confisus. O hominum quanto est natura temperata felicius, ac diis cognata, diuinitate coniunctius, partem sui, qua terrenus est, intra se despicit, cætera omnia, quibus se necessariũ esse cœlesti dispositione cognoscit, nexu secum charitatis astringit, sicque suspicit cœlum,

sic ergo feliciore loco medietatis est positus, vt quæ infrà se sunt diligat, ipse à superioribus diligatur: colit terram, elementis velocitate miscetur: acumine mentis in maris profunda descendit: omnia illi lucent, non cœlum videtur altissimum: quasi enim è proximo sagacitate animi intuetur: intentionem animi eius nulla aëris caligo confundit: non densitas terræ operam eius impedit, non aquæ altitudo profunda despectum eius obtundit. Omnia idem est, & vbique idem est horum omnium generum, quæ sunt animalia, desuper deorsum radices peruenientes habent: in animalium verò de imo, in superna vna radice syluescunt, quædam duplicibus aluntur elementis, quædam autem simplicibus: alimenta autem sunt bina, animæ & corporis, è quibus animalia constant: anima mundi inquieta semper agitatione nutritur, corpora ex aqua & terra inferioris mundi alimentis augescunt. Spiritus, quo plena sunt omnia, permixtus cunctis, cuncta viuificat, sensu addito ad hominis intelligentiam, quæ quinta pars sola homini concessa est ex æthere: sed de animalibus cunctis, humanos tantùm sensus ad diuinæ rationis intelligentiam exornat, erigit atque sustollit. Sed quoniam de sensu commoneor dicere, paulò post & huius rationem vobis exponam. Est enim sanctissima & magna, & non minor quàm ea, quæ est diuinitatis ipsius: sed nunc vobis expediam, quæ cœperam: dicebam enim in ipso initio rerum de coniunctione deorum, qua homines soli (eorum dignatione) perfruuntur. Quicunque etenim hominum tantùm felicitatis adepti sunt, vt illum intelligentiæ diuinum perciperent sensum, qui sensus est diuinior in solo Deo, & in humana intelligentia. ASC. Non enim omnium hominum, ô Trismegiste, vniformis est sensus. TRIS. Non omnes, ô Asclepi, intelligentiam veram adepti sunt, sed imaginem temerario impetu, nulla vera ratione inspecta, sequentes decipiuntur, quæ in mentibus malitiam parit, & transformat optimum animal in naturam feræ, moresque beluarum, de sensu autem, & de omnibus similibus, quando & de spiritu, tunc totam vobis præstabo rationem. Solum enim animal homo duplex est, & eius vna pars simplex est, quæ, vt Græci aiunt, οὐσιώδης, aut quam vocamus diuinæ similitudinis formam: est autem quadruplex quod κοσμικὸν Græci, nos mundanum dicimus, ex quo factum est corpus, quo circuntegitur illud, quod in homine diuinum esse iam diximus, in quo mentis diuinitas recta sola, cum cognatis suis, id est, mentis puræ sensibus, secum ipsa conquiescat, tanquam muro corporis septa.

COMMENTARIA.

Tertium caput affert hominis dignitatem, in qua summopere recognoscendus, tantorum beneficiorum author, ingentique amore, & perennibus gratiarum actionibus semper prosequendus: qui tantis, tamque excellentibus donis hominem insigniuit, nam, vt vult, effectus est homo, vt in diuinam naturam transeat Angelorum, dæmonumque genus cognoscens, cum Angelis nascitur, quos habet ab ipso natiuitatis exordio præsides, & custodes: naturam sortitus immortalibus cognatam, Deique insignitam charactere: compositus ex mortali, & immortali, terrena, & supramundana particula: qui verò diuinitatis dotes non ignorat, terrenam despicit, immortali autem, & supramundana parte confidit, ad cœlum suspirat, vt qui illic meliore sui parte, omnia sentiat affinia: attamen in mundi medio positus, cætera, quibus se diuina ordinatione necessarium esse cognoscit, secum nexu charitatis astringit, vt quæ infra se sunt diligens, a superioribus diligatur, colit terram, elementis velocitate miscetur, acumine mentis, in profunda descendit, omnia illi lucent, cœlum non videtur altissimum, quippe qui quasi è proximo, sagacitate animi, ipsum intuetur: intentionem animi eius aëris caligo non confundit: non densitas terræ operam eius impedit: non altitudo aquæ profunda despectum eius obtundit: & ex animalibus cunctis, Deus humanos tantum sensus, ad diuinæ rationis intelligentiam exornat, erigit, atque sustollit, intelligentia autem vel sola, hominis pars, ætheria, immortalis, & supramundanorum naturam sortita: attamen hominum quidam diuinum sensum adepti sunt, & felices quidem, qui pia mentis intentione in Deum iugiter feruntur: quidam verò mundanam, & sensualem, vmbratilem quandam veræ, diuinæque intelligentiæ imaginem: quam qui sequuntur, errant, nam hæc diuinæ intelligentiæ obumbratio in eorum mentibus, qui illam sequuntur, malitiam parit, & transformat hominem, natura quidem optimum, & diuinum animal, in naturam feræ, moresque bestiarum. Hæc tertiæ particulæ summa.

CAPVT IIII.

ASCL. Quid ergo oportuit ô Trismegiste, hominem in mundo constitui, & non ea parte, qua Deus est, eum in summa beatitudine degere? TRISMEG. Rectè quæris ô Asclepi, & nos enim Deum rogamus, vt tribuat nobis facultatem reddendæ rationis istius, cum enim omnia voluntate eius dependeant, tum illa vel maximè quæ de tota summitate tractantur, quam rationem præsenti conquirimus: audi ergo Asclepi. Dominus & omnium conformator, quem rectè Deum dicimus, cum à se secundum fecerit, qui videri, & sentiri possit, eundem secundum sensibilem ita dixerim, non ideo, quòd ipse sentiat: de hoc enim, an ipse sentiat an non, alio dicemus tempore) sed eo quòd videntium sensus incurrit: quoniam ergo hunc fecit ex se primum, & à se secundum, visusque est ei pulcher, vtpote qui sit omnium bonitate plenissimus, amauit eum, vt diuinitatis suæ partem, ergo quod tantus, & tam bonus esset, voluit aliũ, qui illum, quem ex se fecerat, intueri potuisset, simulque & rationis imitatorem, & diligentiæ, fecit hominem: voluntas etenim Dei, ipsa summa est perfectio: vtpote cum voluisse, & perfecisse vno, eodemque temporis puncto compleat. Cum itaque οὐσιώδη animaduerteret Deus, non posse omnium rerum esse diligentem, nisi eam mundano integumento contegeret, texit eam corporea domo: talesque omnes esse præcepit ex vtraque natura, in vnum confundens, miscensque, quantum satis esse debuisset. Itaque hominem conformauit ex animi, & corporis, id est, ex æterna, & mortali natura, vt animal ita conformatum vtrique origini suæ satisfacere possit, & mirari, atque orare cœlestia, & æterna, & incolere, atque gubernare terrena: modo autem dico mortalia, non aquam, & terram, quæ duo de quatuor elementis subiecit natura hominibus, sed ea, quæ ab hominibus, aut in his, aut de his fiunt, vt ipsius terræ cultus, pascua, ædificatio, portus, nauigationes, communicationes, commodationes alternæ, qui est humanitatis in-

ter se firmissimus nexus: & pars est mundi, quæ est aqua & terra: quæ pars terrena mundi, artium, disciplinarumque cognitione, atque vsu seruatur, sine quibus mundum Deus voluit esse perfectum: placita enim Dei necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus. Neque enim credibile est Deo displiciturum esse, quod placuit: cùm & futurum id, & placiturum multo ante sciuerit.

COMMENTARIA.

Quartum cap. discutit, cur Deus hominem non in intelligibilium regione, sed in mundo constituerit, & aperta est discussio. Et etiam cur ex vtraq; natura, mortali & immortali, hominem temperauerit, & visionem diuinæ similitudinis formam, quamque ad suam similitudinem & imaginem creauit mentem, mundano corporeoque contexerit integumento, & voluntatem Dei, summam esse rerum perfectionem, quam necessitas sequitur, necessitatem autem comitatur effectus, nam Deus voluisse, & perfecisse, vno, eodemque temporis puncto complet: quod mundum secundum Deum, & hic & cap. sexto appellat, perinde est, ac si dualitatem secundam appelles vnitatem: nam vnitas vna, vnusque binarius, sed monas absolutè vnus, sed participatione, contractioneque vnus, & secundus vnus, ita Deus vnus, absolutè Deus: mundus autem non Deus, sed participatione Deus, & sensibilium rerum pulcherrimum Dei vestigium. Hæc pro quarta Asclepij particula.

CAPVT V.

SEd, ô Asclepi, animaduerto, vt celeri mentis cupiditate, festines audire, quomodo homo cœli, vel eorum, quæ in eo sunt, delectum possit habere, vel cultum. Audi itaque, ô Asclepi, delectus Dei cœli, cum iis, quæ insunt omnibus, vnâ est obsequiorum frequentatio, hanc aliud animal non confecit, nec diuinorum, nec animalium, nisi solus homo: hominum enim adorationibus, adorationibus, laudibus, obsequiis, cœlum cœlestesque delectantur, nec immeritò in hominum cœtum Musarum chorus est à summa diuinitate demissus, scilicet ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset, sed potius, vt modulatis hominum cantilenis, concelebraretur laudibus, qui solus omnia, vt pater est omnium, atque ita cœlestibus laudibus, nec in terris harmoniæ suanitas defuisset: aliqui enim, ipsique paucissimi, pura mente præditi, sortiti sunt cœli suspiciendi venerabiliorem curam. Quicunque autem ex duplici naturæ suæ confusione, interiorem intelligentiam mole corporis resciderunt, curandis elementis, hisque inferioribus sunt præpositi: animal ergo homo non quidem eò est minor, quod ex parte mortalis sit, sed ex eo forte aptius, efficaciaque compositus ad certam rationem mortalitate auctus esse videatur, scilicet quoniam vtrumque nisi ex vtraque natura sustinere non potuisset, ex vtraque formatus est, vt & terrenum, & diuinum posset habere delectum: rationem vero tractatus istius, ô Asclepi, non solùm sagaci intentione, verumetiam cupio te animi viuacitate percipere: est enim ratio plurimis incredibilis, integra autem, & vera percipienda sanctioribus mentibus, itaque hinc exordiar.

COMMENTARIA.

Qvintum cap. instruit, Musicam suauitatem, ad concinendas Dei cœlestiumque laudes hominibus indultam, quod & Prophetas diuino spiritu plenos, præcipere cognoscimus, cùm iubilare, cùm psallere Deo, cùm laudare Dominum in tympano, in choro, in chordis, in organo præcipiunt: hic enim suarum, totiusque Musicæ optimus finis. Litera de se conspicua.

CAPVT VI.

ÆTernitatis Dominus, Deus primus est: secundus est mundus, homo est tertius, effector mundi Deus, & eorum quæ insunt omnium, simul cuncta gubernando, cum ipso homine gubernatore composita: quod est totum suscipiens homo, id est, curam propriè effecit diligentiæ suæ vt sit ipse, & mundus, vterque ornamento sibi, vt ex hac hominis diuina compositione, mundus Græcè rectius κόσμος dictus videatur. Is nouit se, nouit & mundum, scilicet vt meminerit quid partibus conueniat suis, quibus sibi vtendum, quibus sibi inseruiendum sit, regnoscat, laudes, gratesque maximas agens Deo, eius imaginem venerans, non ignarus se etiam secundam esse imaginem Dei: cuius sunt imagines duæ, mundus scilicet, & homo, vnde efficitur, vt, quoniam est ipsius vna compago, parte, qua ex anima, & sensu, & spiritu, atque ratione, diuinus est, velut ex elementis superioribus ascendere posse videatur in cœlum: parte verò mundana, quæ constat ex igne, & aqua, & aëre, mortalis restet in terra, vt naturæ suæ omnia mundana vidua, desertaque dimittat: sic enim humanitas ex parte mortalis est effecta in corpore consistens: est autem mensura eius vtriusque, id est, hominis: ante omnes religio, quam sequitur bonitas: ea demum tunc videtur esse perfecta, si etiam cupiditatum, omnium alienarum rerum sit despectus, virtute munita, sunt enim ab omnibus diuinæ cogitationis partibus aliena omnia, quæcunque terrena corporali cupiditate possidentur: quæ merito possessionum nomine nuncupantur, quoniam non nata sunt nobiscum, sed post ea à nobis possideri receperunt. Omnia ergo huiusmodi ab homine aliena sunt, etiam corpus, vt & ea, quæ appetimus, & illud, ex quo appetentiæ nobis est vitium despicianius; vt enim animum rationis ducit intentio, homo hactenus esse debuit, vt contemplatione diuinitatis, partem, quæ sibi iuncta mortalis est, mundi interioris necessitate seruandi, despiciat, atque contemnat: nam vt homo, ex vtraque parte possit esse plenissimus, quaternis eum vtriusque partis elementis animaduerte esse formatum, manibus & pedibus vtrisque binis, aliisque corporis membris, quibus inferiori, id est, terreno mundo deseruiat, illis verò partibus quatuor, sensus, animi, memoriæ atque prouidentiæ, quarum ratione, cuncta diuina norit, atque suspiciat, vnde efficitur, vt rerum diuersitates, qualitates, effectus, quantitates, suspiciosa indagine homo sectetur. Retardatus verò graui, & nimio corporis vitio, has naturæ rerum causas, quæ veræ sunt, propriè peruidere non possit hunc ergo sic effectum, conformatumque & tali ministerio, obsequioq; præposito à summo Deo, eumq; competenter, mundè mundum seruádo, Deum piè colédo, dignè & competenter

introque Dei voluntati parentem, talem quo munere credis esse munerandum (siquidem cum Dei opera sit mundus, eiusque pulchritudinem, qui diligentia seruat, atque auget, operamque suam cum Dei voluntate coniungit, cum specie, quam ille intentione diuina formanit, adminiculo sui corporis, diurno opere, curaque componit) nisi eo quo parentes nostri munerati sunt? quo etiam nos quoque munerari, si fuerit diuinæ pietati complacitum, optamus piissimis votis, vt emeritos, atque exutos mundana custodia, nexibus mortalibus absolutos, naturæ superioris partis, id est diuinæ, puros sanctosque restituat. ASCLEP. Iustè & verè dicis, ô Trismegiste! hæc enim merces, piè sub Deo; diligenter cum mundo viuentibus, secus enim, impièque quæ vixerint, & reditus denegatur in cœlum, & constituitur in corpora alia, indigna sancto animo, & fœda migratio: vt iste rationis sermo processit, ô Trismegiste, futuræ æternitatis spe animæ in mundana vita periclitantur, sed aliis incredibile, aliis fabulosum, aliis forsitan videatur esse deridendum. Res enim dulcis est, in hac corporali vita, qui capitur de possessionibus fructus, quare animam obtorto (vt aiunt) detinet collo, vt in parte sui, quæ mortalis est, inhæreat, nec finit partem diuinitatis agnoscere, inuidens immortalitati malignitas: ergo enim tibi quasi prædiuinans dixero, nullum post nos habiturum delectum simplicem, qui est Philosophiæ, quæ sola est in cognoscenda diuinitate frequens obtutus, & sancta religio: multi etenim eam multifaria ratione confundunt. Quomodo ergo multi incomprehensibilem Philosophiam afficiunt, aut quemadmodum multifaria ratione confundunt? TRISMEG. O Asclepi! hoc modo in varias disciplinas, nec comprehensibiles, eam callida commentatione miscentes, Arithmeticam, Musicam, Geometriam. Puram autem Philosophiam, eamque tantùm diuina religione pendentem, tantùm intendere in reliquas oportebit, vt apocatastases astrorum stationes præfinitas cursumque commutationis, numeris constare miretur. Terræ verò dimensiones, qualitates, quantitates, maris profunda, ignis vim, & horum omnium effectus, naturam cognoscens, miretur, adoret, atque collaudet artem, mentemque diuinam. Musicen verò nosse, nihil aliud est, nisi cunctarum rerum ordinem scire, quæque sit diuina ratio sortita. Ordo enim rerum singularum, in vnum omnium artifici ratione collatus, concentum quendam melo diuino dulcisonum, verissimumque conficiet. ASCLEP. Quid ergo homines post nos erunt? TRIS. Sophistarum calliditate decepti, à vera, pura, sanctaque Philosophia auertentur. Simplici enim mente, & anima, diuinitatem colere, eiusque facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima, hæc est nulla animi importuna curiositate, violata Philosophia, & de his sit hucusque tractatum.

COMMENTARIA.

Sextum cap. disserit, Deum absolutè primum esse Deum: mundum, secundum, non absolutè, sed participatione Deum, vt qui sit prima absoluti Dei imago: hominem tertium, diuinitatis participatione Deum, & secundam Dei imaginem, Deus autem non imago, sed imaginum omnium veritas, hominem, anima, sensu, spiritu, ratione, tanquam superioribus elementis, posse in cœlum ascendere, qua vero igne, aëre, aqua, terra coalitus est, mortis obnoxium, terræ mundanæ omnia diuina illa parte viduata relinquere. Mensuram, ad cuius modum viuere debet homo, religionem esse, quam sequitur bonitas, & quæ perfecta tandem esse videtur, cum cupiditates omnium alienarum rerum virtute munita despicit, possessiones, corpus, & ea omnia, quæ appetimus, & ipsum denique appetitionis sensum, homo enim hactenus esse, dicique debet, vt sua fert sententia; quatenus rationis intentio animum ducit, adeoque vt diuinitatis contemplatione, eam partem, quæ mortalis est, sibi quidem mundi inferioris necessitate seruandi, adiuncta contemnat, atque despiciat. De posteris Ægyptiis diuinat Asclepius, nullum post eos futurum, qui puram, & de cognoscendo Deo adipiscatur Philosophiam. Mox Hermes redit, ad quid terræ dimensiones, id est, geometriam, qualitates, quantitates, maris profunda, & ignis vim, horumque omnium natura, id est, vniuersalem de numeris, cœlestibus globis, rebusque naturalibus Philosophiam, discere hominem oporteat, sanè vt admiretur, adoret, collaudet artem, mentemque diuinam, horum omnium artificem, hanc enim puram esse Philosophiam, atque tantum diuina religione pendentem, hanc Musicam, hunc concentum, nosse cunctarum rerum ordinem, quem quæque res diuina ratione sortita est, atque in vnum omnium artifici ratione collatum, concentum quendam diuino melo dulcissimum, verissimumque efficere, & Philosophiam nulla animi importuna curiositate vitiatam, simplici mente, & anima, diuinitatem colere, eiusque facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima. Confirmatque Asclepij vaticinium. Hæc sexta partitio.

CAPVT VII.

DE spiritu verò, & de his similibus, hinc sumatur exordium, fuit Deus, & hyle, quam Græcè credimus mundum, & mundo comitabatur spiritus, sed non similiter vt Deo, nec Deus sunt hæc, de quibus mundus est; idcirco non erant, sed in eodem tunc erant, vnde nasci habuerunt. Non enim ea sola non nata dicuntur, quæ nec dum nata sunt, sed ea, quæ carent fœcunditate generandi. ita vt ex eis nihil nasci possit. Quæcunque ergo sunt, quibus inest natura generandi, hæc & generabilia sunt, quæ de his nasci possunt, tametsi ea ex se nata sunt: neque enim dubitatur ex iis, quæ ex se nata sunt, facilè nasci posse ea, de quibus cuncta nascuntur, Deus ergo sempiternus, Deus æternus, nec nasci potest, nec potuit: hic est, hic fuit, hic erit semper: hæc ergo est, quæ ex se tota est, natura Dei. Hyle autem, vel mundi natura, & spiritus, quamuis nata videantur à principio, tamen in se nascendi, procreandique vim possident, atque naturam fœcunditatis: etenim initium in qualitate naturæ est, quæ & conceptus, & partus in se possidet vim, atque naturam. Hæc itaque sine alieno concepto est, sola generabilis: at verò ea quæ vim solam concipiendi habent, ex alterius commixtione naturæ, ita discernendæ sunt, vt hic locus mundi cum iis, quæ in se sunt, videatur esse non natus, qui vtique in se vim totius naturæ habent: locum autem dico, in quo sunt omnia: neque enim hæc omnia esse potuissent, si locus deesset, qui omnia, sustinere potuisset. Omnibus enim rebus, quæ fuerunt, præcauendum est loco: nec qualitates enim, nec quantitates, nec positiones, nec effectus

dignosci potuissent, earum rerum, quę nusquam sunt: sic ergo & mundus quamuis natus non sit, in se tamen omnium naturam habet, vtpote quæ omnibus iis ad concipiendum sinus præstat fœcundissimos: hoc ergo est totum qualitatis, materiæque, quæ creabilis est, tametsi creata non est: sicut enim natura materia qualitatis fœcunda est, sic & malignitatis eadem est, æquè fœcunda: Nec ergo dixi ô Asclepi, & Amon (quod à multis dicitur) num poterat Deus incidere, atque auertere à rerum natura malitiam? quibus respondendum nihil omnino est. Vestri tamen causa & id prosequar, quod cœperam, & rationem reddam: dicunt enim ipsi, Deum debuisse omnifariam mundū à malitia liberasse, ita enim in mundo est, vt quasi membrum ipsius videatur esse: prouisum: cautumque est (quantum rationabiliter potuisset) à summo Deo, tunc cum sensu, disciplina, intelligentia, mentes hominum est munerare dignatus, his enim rebus, quibus cæteris antestamus animalibus, soli possumus, malitiæ fraudes, dolos, vitiaque vitare, ea enim qui ante quàm iis implicitus est, ex aspectu vitarit, iis homo est diuina intelligentia, prudentiaque munitus: fundamentum est enim disciplinæ, in summa bonitate consistens: spiritu autem ministrantur omnia, & vegetantur in mundo, & quasi organum, vel machina summi Dei voluntati subiectus est. Itaque hactenus intelligatur à nobis mente sola intelligibilis summus, qui dicitur Deus, rector, gubernatorque sensibilis Dei eius, qui in se complectitur omnem rerum substantiam totamque gignentium, creantiumque materiam, & omne quicquid est quantumcunque est. Spiritu verò agitantur, siue gubernantur omnes in mundo species, vnaquæque secundum naturam suam à Deo distributam sibi. Hyle autem vel mundus omnium est receptaculum, omniumque agitatio, atque frequentatio, quorum Deus gubernator, dispensans omnibus rebus mundanis, quantum vnicuique necessarium est, spiritu verò implet omnia, vt cuiusque naturæ qualitas est. Est enim caua mundi rotunditas in modum sphæræ, ipsa sibi qualitatis, vel formæ suæ causa, inuisibilis tota, quippe cum quemcunque in ea summum subter despiciendi causa delegeris locum, ex eo in imo quid sit videre non possis: propter quod multis locis instar, qualitatemque habere creditur, per formas enim solas specierum, quarum imaginibus videtur insculpta, quasi visibilis creditur: cum depicta monstratur, re autem vera est sibi ipsi inuisibilis semper: ex quo eius imum vel pars (si locus est) in sphæra Græcè ἀδὴς dicitur, siquidem ἰδεῖν Græcè videre dicitur, quo visu imum sphæræ caret, vnde & ἰδέαι dicuntur species, quod sint inuisibilis formæ: ab eo, ita quod visu priuantur, Græcè ἀδὴς, ab eo quod in imo sphærę sunt, Latinè inferi nuncupantur. Hæc ergo sunt principia, & antiquiora, & quasi initia, vel capita omnium, quæ sunt, in his, aut per hæc, aut de his. ASCLE. Omnia ergo ipsa, vt dicis, quæ sunt ô Trismegiste mundana (vt ita dixerim) specierum omnium quæ insunt, vniuscuiusque sicut est, tota substantia. TRISM. Mundus itaque nutrit corpora, spiritus animas, sensus autem (quo dono cœlesti sola felix fit humanitas) alit mentem, neque enim omnes, sed pauci quorum ita mēs est, vt tanti beneficij capax esse possit, vt enim sole mundus, ita mens humana isto clarescit lumine, & eo amplius. Nam sol quicquid illuminat, aliquando terræ & lunæ interiectu interueniente nocte, eius priuatur lumine; sensus autem cum semel fuerit animæ commixtus humanæ, fit vna ex bene coalescente commixtione natura, ita vt nunquam eiusmodi mentes caliginum impediantur erroribus, vnde iustè sensus, deorum animas esse dixerunt: ergo verò nec eorum dico omnium, sed magnorum quorumcumque, & principalium.

COMMENTARIA.

Caput septimum de Genesi mundi, de Hyle, mundique materia, de spiritu comitante, & de loco, velatam Philosophiam. Omnia mundana in mundo esse: mundum in Deo continens, locum appellat. Proinde, locum mundi natum esse non vult: mundum autem natum esse, & non natum: natum quidem, si creaturarum opificium respicis: at non natum, si opificij respicis veritatem. Hyle enim & spiritus, mundus scilicet, & vis quadam diuina per omnia means, atque diffusa, in mundi opificio non erant, quando nata non erant, sed in eo (inquit) iam tunc erant, vnde nasci debuerunt: sed in quonam erant, nisi in diuino illo verbo, per quod omnia facta sunt? & in quo, & quod factum est, vita erat, & vnde tandem factum prodiit quicquid est factum. Hylen fœcundam esse aequè qualitatis, qua rationem boni habet & aeque fœcundam malitia, quod boni, malique eque sit capax, ceu terra eadem, salutarium, & noxiarum herbarum fœcunda est, idque habet terra, tanquam proprietatis sua membrum, sic & Hyle. Attamen Deum in hominibus prouidisse (quantum rationabiliter oportuit) sensu, licet disciplinam, intelligentiam, aduersus huiusmodi materialem proprietatem, ne malitia nostram Hylem occuparet, ceu noxia quadam herba desertam, neglectam, incultamque terram. Insuper de spiritu in omnia diffuso, de inferis, de sensu, qui est superiorum mentium in humanas mentes illapso, ceu radiorum lucis in oculos, paucula quadam disceptat: Hac septima particula.

CAPVT VIII.

ASCLE. Quos dicis rerum capita vel initia primordiorum ô Trismegiste? TRISMEG. Magna tibi pando & diuina mundo mysteria, cuius rei initium facio, exoptato fauore cœlesti. Deorum genera multa sunt, eorumque omnium pars intelligibilis, alia verò sensibilis pars, intelligibiles dicuntur, non ideo quod putentur non subiacere sensibus nostris (magis enim sentimus eos, quàm eos, quos visibiles nuncupamus) sicuti disputatio perdocebit, & tu si intendas, poteris peruidere; sublimis enim ratio, eoq; diuinior vltra hominū mentes, intentionesq; consistens, si non attentiore auriū obsequio verba loquentiū acceperis, transuolabit, & trāsfluet, aut magis refluet, suiq; fontis liquoribus miscebit se. Sunt ergo omniū specierū principes dij, hos sequūtur dij, quorū est princeps οὐσία. Hi sēsibiles vtriusq; originis suę cōsimiles, qui per sensibilē naturā conficiunt omnia, altera per alterū vnusquisq; opus suū illuminās: cœli, vel quicquid est, quod eo nomine cōprehenditur, οὐσιάρχης est Iupiter: per cœlū n. Iupiter omnibus præbet vitā. Solis οὐσιάρχης est lumē. Bonū n. luminis, per orbē solis nobis infunditur XXXVI. (quorum vocabulum est Horoscopij) in eodem loco semper defixorū syderum, horum οὐσιάρχης vel princeps est, quem Pantomorphon vel Omniformē vocant, qui diuersis speciebus, diuersas formas facit, septem sphæræ, quæ vocantur erraticæ, habēt οὐσιάρχας, id est suos principes, quam fortunam dicunt, & εἱμαρμένην, quibus immutantur

tantur omnia, lege naturæ stabilitate, firmissima, & sempiterna agitatione variata, aër vero organum est, vel machina omnium, per quam omnia fiunt, est autem vsiarches huius secundus, mortalibus mortalia, & his similia. His ergo ita se habentibus ab imo ad summum se mouentibus, sic sibi connexa sunt omnia pertinentia ad se naturaliter, vt mortalibus mortalia, sensibiliaque sensibilibus annexa sint: summa verò gubernationis Domino paret, vt non multa, at potius vnum: ex vno etenim cuncta pendentia, ex eo potius defluentia cum distantia videntur, creduntur esse plurima diuisim, adunata verò, vnum vel potius duo, vnde fiunt omnia, & à quo fiunt, id est, materia, de qua fiunt, & ex eius voluntate, cuius nutu efficiuntur alia. ASC. Hæc iterum ratio, quæ est ô Trismegiste? TRIS. Talis ô Asclepi. Deus etenim vel pater, vel Dominus omnium, vel quocunque alio nomine ab hominibus sanctius, & religiosius nuncupetur, quod inter nos, intellectus nostri causa, debet esse sacratum, tanti eius nominis contemplatione nullo ex iis nominibus eum definite nuncupauimus, si enim vox hæc ex aëre spiritu percusso sonus, declarans omnem hominis voluntatem, vel sensum, quem fortè ex sensibus mente perceperit, cuius nominis tota substantia paucis composita syllabis, definita atque circumscripta est, vt esset in homine necessarium vocis, auriumque commercium, simul & sensus, & spiritus, & aëris, & omnium in his, & per hæc, an cum his nomen est totum Dei? non enim spero, totius maiestatis effectorem, omniumque rerum patrem vel Dominum, vno posse quamuis è multis composito nomine nuncupari, hunc verò vno nomine, vel potius omni nomine, (siquidem is sit vnus, & omnia sit) necesse aut omnia esse eius nomen aut ipsum omnium nominibus nuncupari, hic ergo solus, vt omnia, vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, semper voluntate sua prægnans, parit quicquid voluerit procreare. Voluntas eius est bonitas omnis, hæc eadem bonitas omnium rerum est, ex diuinitate eius, natura nata, vt sit omnia, sicut sunt, & fuerunt, & futuris omnibus dehinc natura ex se nascendi sufficiat, hæc ergo ratio ô Asclepi tibi sit reddita, quare, & quomodo fiant omnia vtriusque sexus. ASCL. Ergo Deum dicis ô Trismegiste TRISM. Non solum Deum ô Asclepi, sed animalia omnia, & inanimalia, impossibile enim est aliquid eorum quæ sunt, infœcundum esse, fœcunditate enim dempta ex omnibus, quæ sunt, impossibile erit semper esse, quæ sunt. Ego enim & naturam, & sensum, & mundum dico in se continere hanc naturam, & nata omnia in se conseruare, procreatione enim vterque plenus est sexus, & eius vtriusque connexio, aut (quod est verius) vnitas incomprehensibilis est, quam siue Cupidinem, siue Venerem, siue vtrunque poteris rectè nuncupare, hoc ergo omni vero verius, manifestiusque mente percepto, quod ex omni illo loco totius naturæ Deo, hoc sit cunctis in æternum procreandi inuentum, tributumque ministerium, cui summa charitas, lætitia, hilaritas, & cupiditas amorque diuinus, innatus est, & dicendum foret quanta sit eius ministerij vis, atque necessitas, nisi ex sui contemplatione vnicuique ex intimo sensu nota esse potuisset, si enim illud extremum temporis, quo ex cerebro ad ritum peruenimus, vt vtraque in vtramque fundat natura progeniem, animaduertis, vt altera alterius auide rapiat semen, interiusque recondat, denique eo tempore ex commixtione communi, virtutem marium etiam fœminæ adipiscuntur, & mares fœmineo corpore latescunt. Effectus itaque huius tam blandi, necessariique ministerij in occulto perpetratur, ne vulgo irridentibus imperitis, vtriusque naturæ diuinitas ex commixtione sexus cogatur erubescere, multo magis etiam, si visibus irreligiosorum hominum subiiciatur, sunt autem non multi, aut admodum pauci, ita vt numerari etiam in mundo possint, religiosi, vnde contingit in multis remanere malitiam, defectu prudentiæ, scientiæque rerum omnium, quæ sunt: ex intellectu enim religionis diuinæ, qua constituta sunt omnia, contemptus, medelaque nascitur vitiorum totius mundi: perseuerante autem imperitia, atque inscitia, vitia omnia conualescunt, vulnerantque animam insanabilibus vitiis, quæ infecta iisdem atque vitiata, quasi venenis intumescit, nisi eorum, quorum animarum disciplina, & intellectus summa curatio est, si ergo solis, & paucis hoc proderit, dignum est hunc prosequi, atque expedire tractatum, quare scilicet solis hominibus intelligentiam, & disciplinam suam, diuinitas sit impartiri dignata. Audi itaque Deus pater, & Dominus, cum post deos, & homines efficeret ex parte corruptiore mundi, & ex diuina, pari lance componderans, contigit vitia mundi corporibus commixta remanere, & alia propter cibos, victumque, quem necessario habemus cum omnibus animalibus communem, quibus de rebus necesse est cupiditatum desideria, & reliqua mentis vitia, animis humanis incidere, diis vero vtpote ex parte mundissima naturæ effectis, & nullis indigentibus rationis, disciplinæque adminiculis; quamuis immortalitas, & vnius semper ætatis vigor ipse sit eis prudentia, & disciplina, tamen propter rationis vnitatem, pro disciplina & intellectu ne ab his essent alieni, ordinem necessitatis lege conscriptum, æterna lege constituit, hominem ex animalibus cunctis de sola ratione, disciplinaque agnoscens, per quæ vitia corporum, homines auertere, atque abalienare potuissent, ipsos ad intentionem, spemque immortalitatis prætendit, denique & bonum hominem, qui posset immortalis esse, ex vtraque natura composuit diuina, atque mortali, & sic compositum per voluntatem Dei hominem, etiam constitutum est esse meliorem diis, qui sunt ex sola immortali natura formati, & omnibus mortalibus: propter quod homo diis cognatione coniunctus, ipsos religione, & sancta mente veneratur, diique etiam pio affectu, humana omnia respiciunt, atque custodiunt. Sed de hominibus paucis illud dictum est, pia mente præditis, de vitiosis verò nihil dicendum est, ne sanctissimus sermo eorum contemplatione violetur.

COMMENTARIA.

Caput octauum hæc complectitur de Vsiarchis, substantialibusque principibus, quos Deos appellat: cœli Vsiarcham appellat Iouem. Vsiarcham solis, lumen, triginta sex ponit horoscopios, id est horarum speculatores, syderum semper in eodem loco defixorum: horum autem principium Pantomorphon, id est omniformem, septem spharum erraticarum principes, ponit fortunam & fatum, ponit & aëris Vsiarcham. sed hæc dæmonum figmenta esse videntur, & vna quadam inuolucra ad Gentilitios errores per-

AAaa

trahentia, & quæ in his diutius immorantes vnueſcere cogunt potius, quàm perficiunt. Hinc ad ſummi Dei redit contemplationem, ineffabilis, & innominabilis, aut qu omnium nominatur nominibus, fœcunditate pleniſſimi, à quo omnia id habent, vt nihil eſſe poſſit infœcundum, hinc amor ille procreandi, & ingens naturæ ſtudium, nihil prorſus fœdum, nihil dedecorum in ſe habens, dum religioſè cogitetur, & de eo talis habeatur ſermo, tracteturque non minus religioſè, eſt enim id indultum, ad diuinæ fœcunditatis æmulationem. Verum quia maxima pars hominum myſteria ignorat, diuinas leges profanat, & beluarum more, inſane, irreuerenter, & quaſi furibundi, & amentes illa tractant, idcirco de talibus nunc vix aut cogitari, aut loqui præ verecundia quicquam audendum, quod inordinata illa, & hominum illa erga venerabundum Dei ordinationem irreuerentia, ſeſe ſenſibus, cogitatibuſque ingerunt, non autem illa pulchra, ſancta, incontaminataque Dei ordinatio: & quia paucis conceſſum ſit, puros habere ſenſus, cenſeo paucis de talibus cogitandum eſſe, atque loquendum. Mox ſubiungit, Deum ſolis hominibus intelligentiam, diſciplinamque eſſe impertitum, quo vitia, particula eius immortalis, & diuinæ deuitare poſſet, quæ alioqui admixtione corporeæ molis incurreret facilè, nam ratione corporis, & diſſolubilis particulæ, neceſſe eſt hominum animis, cupiditatum deſideria, & reliqua mentis vitia incidere. Hæc octaua particula.

CAPVT IX.

ET quoniam de cognatione, & conſortio hominum, deorumque ſermo nobis iodicitur, poteſtatem homines ô Aſclepi, vimque cognoſce, Dominus & pater, vel (quod eſt ſummum) Deus vt effector eſt deorum, qui in templis ſunt, humana proximitate contenti, & non ſolum illuminantur verumetiam illuminanr, nec tolum ad eum proficit, verumetiam confirmat Deos. Miraris ô Aſclepi, an nunquid diffidis, vt multi? ASCLE. Confundor ô Triſmegiſte, ſed tuis verbis libenter aſſenſus feliciſſimum hominem iudico, qui ſit tanram felicirarem conſecutus. TRISM. Nec immerito miraculo dignus eſt, qui maximus eſt omnium deorum. Genus enim omnium ſine confuſione manifeſtum eſt, de mundiſſima parre naturæ propagaruoı, ſignaque eorum, ſola pro omnibus eſſe quaſi capira, ſpecies verò deorum, quas confirmat hnmanitas, ex natura vtraqoe conformata eſt, ex diuina, quæ eſt prior, multoque diuinior, & ex ea, quæ inrra homines eſt, id eſt, ex materia, qua fuerunt fabricaræ, & non ſolum capiribus ſolis, ſed membris omnibus, totoque corpore configuranrur. Ita humanitas, memor naturæ, & originis ſuæ in illa diuinitatis imitatione perſeuerat, vt ſicuti pater, ac Dominus, vt ſibi ſimiles eſſent, deos fecit æternos, ita humanitas deos ex ſui vultus ſimilitudine figuraret. ASCL. Statuas dicis ô Triſmegiſte? TR. Statuas, ô Aſclepi, vides ne, quatenus tu ipſe diffidas? ſtatuas animatas, ſenſu & ſpiritu plenas, tanta & talia facientes, ſtatuas futurorum præſcias eaſque fortè vates omnes ſomniis, multiſque aliis rebus prædicenres, imbecillitates hominibus facienres, eaſque curantes triſtitiamque pro meritis. An ignoras ô Aſclepi, quod Ægyptus imago ſit cœli, aut quod eſt verius, tranſlatio, & deſcenſio omnium, quæ gubernantur, atqoe exercenrur in cœlo? & ſi dicendum eſt verius, terra noſtra totius mundi eſt templum & tamen quoniam præſcire cuncta prudentes decet, iſtud vos ignorare fas non eſt, futurum tempus eſt, cum appareat Ægyptios incaſſum pia mente diuinitatem ſedula religione ſeruaſſe, & omnis eorum ſancta veneratio in irritum caſura fruſtrabitur, è terris enim ad cœlum eſt recurſura diuinitas, linquetur Ægyptus, terraq;, quæ fuit diuinitatis ſed religione viduata, numinum præſentia deſtituetur, alienigenis enim regionem iſtam terramque complentibus, non ſolum neglectus religionum, ſed (quod eſt durius) quaſi de legibus, à religione, pietate, cultuque diuino ſtatuetur, proſcripra pœna, prohibitio erit, tunc terra iſta, ſanctiſſima ſedes delubrorum, atque templorum, ſepulchrorum erit, mortuorumque pleniſſima. O Ægypte, religionum naturam ſolæ ſupererunt fabulæ, & æquè incredibiles poſteris ſuis, ſolaque ſupererunt verba lapidibus inciſa, tua pia facta narrantibus, & inhabitabit Ægyptum Scythes aut Indus, aut aliquis talis, id eſt, vicinia barbara, diuinitas enim repetet cœlum, diſerti homines toti morientur, atque ita Ægyptus Deo, & homine viduata deſeretur. Te verò appello ſanctiſſimum flumen, tibi futura prædico, rorrenri ſanguine plenus ad ripas vſque erumpes, vndeque diuinæ, non ſolum proluentur ſanguine, ſed toræ rumpentur & viuis multo maior erit numerus ſepultorum, ſuperſtes verò qui fuerit, lingua ſola cognoſcetur Ægyptiis, Actibus verò videbitur alienis. Quid fles ô Aſclepi? & his amplius, multoque deterius, ipſa Ægyptus ſuadebitur, imbuerurque maioribus malis, quæ ſancta quondam, & diuinitatis amantiſſima deorum in terra, religionis ſuæ merito, ſola ſeductio ſanctitatis, & pietatis magiſtra, erit maximæ crudelitatis exemplum, & runc tædio hominum, non adoirandus, videbitur mundus, neque adorandus, hocrorum bonum quo melius nec eſt, nec fuit, nec, erit, qnod videri poſſit, periclitabiuur, erirque graue hominibus, ac per hoc contemnetur, nec diligetur rotus hic mundus Dei opus immutabile, glorioſa conſtructio, bonum multiformi imaginum varietare compoſitum, machina voluntatis Dei, in ſuo opere ſiue inuidia ſuffragantis in vnum omnia, quæ venerari, laudari, amari denique à videntibus poſſunt, multiformis adunrata congeſtio. Nam & tenebræ præponentur lumini, & mors vita vtilior iudicabitur, nemo ſuſcipiet cœlum, religioſus pro inſano, irreligioſus putabitur prudẽs, furioſus fortis, pro bono habebirur peſſimus, anima enim & omnia circum eam, quibus aut mortalis nata eſt, aut immortalitatem ſe conſecuram eſſe præſumit, ſecundum quod vobis expoſui, non ſolum riſus, ſed etiam putabitur vanitas, ſed mihi credite, etiam periculum capitale conſtiruetur in eum, qui ſe mentis religioni dederit, noua conſtituenrur iura, lex noua, nihil ſanctum, nibil religioſum, nec cœleſtibus dignum audietur, aut mente credetur, fit deorum ab hominibus dolenda ſeceſſio, ſoli nocentes Angeli remanent, qui humanitate commixti, ad omnia audaciæ mala miſeros (manu iniecta) compellent in bella, in rapinas, in fraudes, & in omnia, quæ ſunt animarum naturæ contraria, tunc nec terra conſtabit nec nauigabitur mare, nec cœlum aſtrorum curſibus, nec ſyderum curſus conſtabit in cœlo. omnis vox diuina, neceſſaria taciturnitate muteſcet, fructus terræ corrumpentur nec fœcunda erit tellus, & aër ipſe, mœſto rorpore langueſcet, hæc, & talis ſenectus venier, mundi irreligio, & inordinatio, & irrationabilitas bonorum

omnium, cùm hæc cuncta contigerit ô Asclepi, tunc ille Dominus, & pater Deus primipotens, & vnius gubernator mundi, intuens in mores, factaque voluntaria, voluntate sua, quæ est Dei benignitas, vitiis resistens, & corruptelæ omnium errorem reuocans malignitatem omnem vel alluuione diluens, vel igne consumens, vel morbis pestilentibus vbique per diuersa loca dispersa, finiens, ad antiquam faciem mundum reuocabit, vt & mundus ipse adorandus videatur, atque mirandus, & tanti operis effector, & restitutor Deus, ab omnibus, qui tunc erunt, frequentibus laudum præconiis, benedictionibusque celebretur, hæc enim mundi genitura, cunctarum reformatio rerum bonarum, & naturæ ipsius sanctissima, & religiosissima restitutio peracto temporis cursu, quæ est & fuit sine initio sempiterna, voluntas etenim Dei caret initio, quæ eadem est, & vbique est sempiterna. ASCL. Dei enim natura consilium est voluntatis, bonitas summa, consilium ô Trismegiste. TR. O Asclepi, voluntas consilio nascitur, & ipsum velle est ex voluntate, neque enim impensè aliquid vult, qui est omnium plenissimus, & ea, quæ vult, habet, vult autem omnia bona, & cogitat, & vult, hoc est autem Deus, eius boni imago mundus. ASCL. Bonus ô Asclepi, vt ego te docebo, sicut enim Deus omnibus speciebus, vel generibus quæ in mundo sunt, distributor, dispensatorque est bonorum, id est sensus animæ, & vitæ, sic & mundus præstitor est, & tributor omnium, quæ mortalibus videntur bona, id est, alternationis partium, temporalium fructuum, natiuitatis, augmentorum, & maturitatis, & horum similium: ac per hoc Deus supra verticem summi cœli consistens, vbique est, omniaque circumspicit, sic est enim vltra cœlum locus siue stellis, ab omnibus rebus corpulentis alienis, dispensator, qui est inter cœlum, & terram locum obtinet, quem Iouem vocamus, terræ verò, & mari dominatur Iupiter Plutonius, & hic nutritor est animantium mortalium, & fructiferarum, horum omnium viribus fructus, arbusta, & terra vegetantur: aliorum verò vires & effectus, per omnia quæ sunt. Distribuetur verò qui terræ dominentur, & collocabuntur in ciuitate in summo initio Ægypti, quæ à parte solis occidentis condetur, ad quam terra, marique festinabit omne mortale genus. ASCL. Modo tamen hoc in tempore, vbi isti sunt ô Trismegiste? TR. Collocati sunt in maxima ciuitate in monte Libyco, & hæc eo vsque narrata sint.

COMMENTARIA.

Caput nonum vniuersum, profanum est, quod & rectè coarguit Augustinus in libro de Ciuitate Dei, idololatriam probat, miris laudibus effert, prædicat, casum eius deplorat, Deum quendam supra cœli verticem ponit cuncta circumspicientem, intra verò eum locum qui cœlo, & terra continetur, Iouem ponit dispensatorem, quasi alius Deus sit in cœlo, alius in terræ, atq; mari: quæ vniuersæ ingentem continent errorum impietatem, nam ex diuinis eloquiis, caste, pure, & sanctè sumus edocti, quod Dominus ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum, & quod non sit alius, aduersus verò idola, & idolorum latriam sapientia, & diuiniloqui Prophetæ nos cautè præmonent, ne tanta impietatis macula inquinemur, ne tanto fœdemur errore, nam idolum ipsum quidem maledictum est, & qui fecit illud, & rursus: Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis, similique modo, odio sunt Deo impius, & impietas eius, nam quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patientur, hæc, & pleraque alia de idolis, & idololatria ex Sapientia. Et in Leuitico Deus ipse ex se præcipit: Ego Dominus Deus noster, nõ facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Et de idolis Ægypti, præcipit in Ezechiele: In idolis Ægypti nolite pollui, ego Dominus Deus vester. Et de cessatione, per eundem dicit: Disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphi, & dux non erit amplius de terra Ægypti. Quas autem Mercurius dicit idolorum, statuarumque animas, sensumque, & spiritum imbecillitates hominibus facientes, easque curantes, malos procul dubio cognoscimus esse spiritus, & indubitatæ fide eos esse, de quibus Propheta ore veridico dicit: Omnes dij Gentium, dæmonia. Hæc pauca aduersus Mercurij, & huius nonæ particulæ impuritatem satis sint, nam ad eos habemus sermonem, qui veri Dei cognitione sunt imbuti, quem (vt Sapiens dicit) nosse consummata iustitia est, & eius iustitiam, & virtutem scire, radix immortalitatis. Lazarelus hunc locum ad Analogiam trahit, quasi idola Apostoli sint: fictor homo, Christus: virtus desuper indita, spiritus sanctus: Ægyptus tenebræ Gentium, & persecutio discipulorum, Apostolorum, & martyrum, lapides inscripti pia facta narrantes, posteritatis corda, non opera, sed sola verba fidei retinentia, hæc excogitata piè, sed ad literam fortè violentia, lapsum Hermetis cum Augustino & in hoc, & in tertio decimo capite sentio. Id enim Gentium vates (vt Balaam, vt Sibyllæ) videntur habere, vt lucem patiantur, & tenebras, & lucida, & opaca vaticiniorum internalla, puraque interdum & nonnunquam impura. Hæc pro capite nono.

CAPVT X.

De immortali verò, & mortali, modo differendum est, multos enim spes, timorque mortis, veræ rationis ignaros, excruciat, mors enim efficitur, dissolutione corporis labore defessi, & numeri completi, quo corporis membra in vnam machinam ad vsus vitales aptantur, moritur enim corpus, quando hominis vitalia ferre posse destiterit, hæc ergo est mors, corporis dissolutio, & corporalis sensus interitus de qua sollicitudo superuacua est. Sed & alia necessaria, quam aut ignorantia, aut incredulitas contemnit humana. ASCLE. Quid est, ô Trismegiste, quod aut ignorant, aut esse posse diffidunt? TR. Audi ergo ô Asclepi, cum fuerit animæ à corpore facta discessio, tunc arbitrium, examenque meriti eius transiliet in summi dæmonis potestatem, isque eam, cùm piam, iustamque prævidetit, in suis competentibus locis manere permittet. Sin autem delictorum illitam maculis, vitiisque oblitam viderit, desuper ad ima deturbans, procellis, turbinibusque aëris, ignis & aquæ sæpè discordantibus tradet, atque inter cœlum & terram mundanis fluctibus, in diuersa semper æternis pœnis agitata, raptabitur: vt in hoc obsit animæ æternitas, quòd sit immortali sententia, æterno iudicio subiugata. Ergo ne his implicemur, verendum, timendum, cauendumque esse eo gnosce. Incredibiles enim post delicta cogentur credere, non verbis, sed exemplis: nec minis, sed ipsa passione pœnarũ. ASCL.

Non ergo Trismegiste, hominum delicta, sola humana lege puniuntur. TR. Primò enim ô Asclepi, terrena omnia quæ sunt, mortalia sunt, tunc ea etiam, quæ sunt ratione corporali viuentia, & à viuendo eadem corporali lege deficientia ea omnia pro vitæ meritis, aut delictis, & pœnis obnoxia, tanto post mortem seuioribus subiiciuntur, quanto inulta forsitan fuerint zelata, dum viuerent, præscia enim rerum omnium diuinitate, reddentur, perinde (vt sunt) pro delictorum qualitatibus pœnæ. ASCL. Qui sunt digni maioribus pœnis, ô Trismegiste? TR. Qui damnati humanis legibus vitam violenter amittunt, vt non naturæ animam debitam, sed pœnam pro meritis reddidisse videantur, contrà, iusto homini in Dei religione, & in summa pietate præsidium est. Deus enim tales ab omnibus tutatur malis, pater enim omnium, & Dominus, qui solus est omnia, omnibus se libenter ostendit. Non vbi sit loco, nec qualis sit qualitate, nec quantus quantitate, sed hominem sola intelligentia mentis, illuminans, qui discussis ab animo errorum tenebris, & veritatis claritate percepta, toto se sensu intelligentiæ diuinæ commiscet: cuius amore, à parte naturæ, qua mortalis est, liberatus immortalitatis futuræ concipit fiduciam, hoc ergo inter bonos, malosque distabit, vnusquisque enim pietate, religione, prudentia, cultu, & veneratione Dei clarescit, quasi oculus vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis suæ in tantum inter homines præstat, quantum sol cæteris astris lumine suo antestat, ipse enim Sol, non tam magnitudine numinis, quam diuinitate, & sanctitate, cæteras stellas illuminat, secundùm enim Deum hunc crede ô Asclepi, cætera omnia gubernantem, omniaque mundana illustrantem animalia, siue animantia, siue inanimantia. Si enim animal mundus, viuensque semper & fuit, & est, & erit, nihil in mundo mortale est, viuentis etenim semper, vniuscuiusque partis, quæ sit in ipso mundo, sicuti in vno, eodemque animali semper viuente, nullus est mortalitatis locus, ergo vitæ, æternitatisque ipse esse debet plenissimus, si semper eum necesse est viuere. Sol ergo, sicuti mundus, sempiternus est, sic & ipse semper gubernator vitalium, vel totius viuacitatis, eorumque frequentator, & dispensator est. Deus ergo viuentium, vel vitalium, quæ sunt in mundo, sempiternus gubernator est, ipsiusque vitæ dispensator æternus, semel autem dispensauit æterna lege cunctis vitalibus vitam præstans, hoc more, quo dicam. In ipsa enim viuacitate æternitatis, mundus agitatur: & in ipsa vitali æternitate, locus est mundi, propter quod, nec stabit aliquando, nec corrumpetur aliquando, sempiternitate viuendi circumuallatus, & quasi constrictus ipse mundus. Est igitur dispensator vitæ, omnibus, quæ in se sunt, & est locus omnium, quæ sub sole gubernantur, cuius mundi commotio, ex duplici constat effectu, viuificatur enim ipse extrinsecus ab æternitate, viuificatque ea, quæ intra se sunt omnia, differens numeris, & temporibus statutis, atque præfixis, cuncta per solis effectum, stellarumque discursum, omnia temporalia, ratione, diuinaque lege conscripta, terrenum autem tempus aëris qualitate, æstuum, frigorisque varietate dignoscitur, cœleste verò reuersionibus syderum ad eadem loca, temporali conuersione recurrentium: & mundus est receptaculum temporis, cuius cursu, & agitatione vegetatur, tempus autem ordine seruatur, ordo & tempus innouationem omnium rerum, quę in mundo sunt, per alternationem faciunt.

COMMENTARIA.

Decimum de morte, de examine animæ, cùm corpus excesserit, quòd magis puniantur post mortem, quibus iuste legibus humanis, pro scelerum magnitudine, vita adempta est, quod iustis Deus sit præsidio, de solis & mundi diuinitate, ponit mundum primum sensibilem Deum, solem secundum, mundum nunquam corruptum iri, nos autem nomen Dei incommunicabile, neque soli, neque mundo tribuimus, mundumq; credimus aliquando soluendum. Intellecta igitur hæc (vt simplicia sonant Hermetis dicta) errorem gentilium præ se ferunt, participatione tamen illis ceu excellentibus operibus Dei, diuinitatem tribuimus. Hæc partitio decima.

CAPVT XI.

Cunctis ergo ita se habentibus nihil stabile, nihil fixum, nihil immobile, nec nascentium, nec cœlestium, nec terrenorum, solus enim Deus, & merito solus, in se, & à se, & circum se totus est plenus, atque perfectus, isque sua firma stabilitas est, nec alicuius impulsu, nec loco moueri potest, cùm in eo sint omnia, & in omnibus ipse est solus, nisi aliquis audeat dicere, sui commotionem in æternitate esse, sed magis etiam & ipsa immobilis æternitas, in quam omnium temporum agitatio remeat, & ex qua omnium temporum agitatio sumit exordium. Deus igitur stabilis fuit, semperque cum eo similiter æternitas constitit, mundum non natum, quem rectè sensibilem dicimus, intra se habens, huius Dei imago, hinc mundus effectus est æternitatis imitator, habet autem tempus stabilitatis suæ vim, atque naturam, quamuis semper agitetur, ea ipsa in se reuertendi necessitate: itaque quamuis sit æternitas stabilis, immobilis, atque fixa, tamen quoniam mobilitate temporis, in æternitatem semper reuocatur, agitatio, eaque mobilitas ratione temporis vertitur, efficitur, vt & ipsa æternitas immobilis quidem, sola per tempus, in quo ipsa est, & est in eo omnis agitatio, videatur agitari, sic efficitur, vt & æternitas, stabilitas moueatur, & temporis mobilitas stabilis fiat fixa lege currendi, sic & Deum agitari credibile est, in seipsum eadem immobilitate: stabilitatis enim ipsius in magnitudine est immobilis agitatio, ipsius enim magnitudinis immobilis lex est. Hoc ergo, quod est tale, quod non subiicitur sensibus, infinitum, incomprehensibile, inæstimabile est, nec sustineri, nec ferri, nec indagari potest, vnde enim, & quo, & vbi, aut quomodo, aut quale sit, incertum est, fertur enim in summa stabilitate, & in ipso stabilitas sua, seu Deus, seu ęternitas, seu vterque, seu alter in altero, siue vterq; in vtroq; sint, propter quod æternitas, sine definitione est tēporis, tempus autem, quod definiri potest, vel numero, vel alternatione, vel per alterius ambitudinem rediens, æternum est, vtrunque ergo infinitum, vtrunque videtur æternum, stabilitas enim vtpote defixa, quòd sustinere, quæ agitabilia sunt possit, beneficio firmitatis merito obtinet principatum, omnium enim, quæ sunt, primordia, Deus est æternitas, mundus autem quòd sit mobilis, non habet principatum, præuenit enim mobilitas eius stabilitatem suam in lege agitationis sempiternæ, haben-

do immobilem firmitatem. Omnis ergo sensus diuinitatis, similis, immobilis, ipse in stabilitate sua se commouet, sanctus, & incorruptus, & sempiternus est, & siquid melius potest nuncupari, in ipsa Dei summi veritate consistens, æternitas, plenissimus omnium sensibilium, & totius disciplinæ, consistens (vt ita dixerim) cũ Deo, sensus verò mundanus, receptaculum est omnium sensibilium & specierum, & disciplinarum, humanus verò ex memoriæ tenacitate, quòd memor sit omnium, quas gesserit rerum: vsque ad humanum enim animal sensus diuinitatis descendendo peruenit. Deus enim sensum summum, diuinumque cunctis confundi noluit, nè erubesceret aliorum commixtione animantium. Intelligentia enim sensus humani, qualis aut quanta sit, tota in memoria est præteritorum, per eam enim memoriæ tenacitatem, gubernator effectus est terræ. Intellectus autem naturæ, & qualitatis, & sensus mundi, ex omnibus, quæ in mundo sensibilia sunt poterit peruideri: æternitas, quæ secunda est, ex sensibili mundo, sensus datus, qualitasque dignoscitur: at intellectus qualitatis, qualitasque sensus summi Dei, sola veritas est, cuius veritatis in mundo ne quidem extrema lineę vmbra dignoscitur, vbi enim quid temporum dimensione cognoscitur, vbi sunt mendacia, vbi genituræ, vbi errores videntur? Vides ergo ô Asclepi in quibus constituti, quæ tractemus, aut quæ audeamus attingere: sed tibi Deus summe gratias ago, qui me videndæ diuinitatis tuæ, illuminasti lumine, & vos ô Tati, & Asclepi, & Ammon, intra secreta pectoris, diuina mysteria silentio tegite, & taciturnitate celate, hoc autem differt intellectus à sensu, quòd intellectus noster, ad qualitatem sensus mundi intelligendam, & dignoscendam mentis peruenit intentione. Intellectus autem mundi peruenit ad æternitatem, & deos noscendos, qui supra se sunt: & sic contingit nobis hominibus, vt quasi per caliginem ea, quæ in cœlo sunt, videamus, quantum possibile est per conditionem sensus humani, hæc autem intentio peruidendis tantis bonis angustissima est, latissima verò cum viderit felicitatem conscientiæ.

COMMENTARIA.

VNdecimum caput pandit, quòd solus Deus immobilis sit, & stabilis, cætera autem mutabilia, Deus infinitus, incomprehensibilis, inæstimabilis, & qualis sit ignotus, de sensu Dei sancto, incorrupto, & sempiterno: de sensu mundi: de sensu hominis: de differentia intellectus à sensu. Hæc vndecima particula summa.

CAPVT XII.

DE inani verò, quodque etiam magnum videtur esse quamplurimis, sic sentio, inane nec esse aliquid, nec esse potuisse, nec futurum vnquam, omnia enim mundi sunt membra plenissima, vt ipse mundus plenus, sit atque perfectus corporibus, qualitate, formaque diuersis, & speciem suam habentibus, & magnitudinem, quorum vnum est alio maius, aut alio minus, & validitate, & tenuitate diuersa. Nam & quædam eorum validiora facilius videntur, sicuti & maiora: minora verò, & tenuiora, aut vix videri, aut omnino non possunt, quas solum res esse, attrectatione cognoscimus: vnde contingit multis credere hæc non esse corpora, sed esse inanes locos, quod est impossibile, sicuti enim quod dicitur extra mundum, si tamen est aliquid (nec istud enim credo:) sic ab eo plenum esse intelligibilium rerum, idest, diuinitatis suæ similium, vt hic etiam, qui dicitur sensibilis mundus, plenissimus sit corporum, & animalium, naturæ suæ, & qualitati conuenientium, quorum facies non omnes videmus, sed quasdam vltra modum grandes, quasdam breuissimas, aut propter spatij interfecti longitudinem, aut quod acie sumus obtusi, tales nobis esse videantur, aut omnino propter nimiam breuitatem, à multis non esse credantur, dico nunc dæmones, quos credo commemorari nobiscum, & heroas, quos inter aëris purissimam partem supra nos, & terram, vbi nec nebulis locus, nec ex signorum aliquorum agitatione commotio, propter quod ô Asclepi, inane nihil esse dixeris, nisi cuius rei inane sit hoc, quod dicis inane, prædixeris: vt inane ab igne, & ab aqua, & ab iis similibus, quod etsi contigerit videri, quòd inane possit esse à rebus huiusmodi, quamuis breue sit, vel magnum, quod inane videtur, spiritu tamen, & aëre vacuum esse non possit. Similiter verò de loco dicendum est, quod vocabulum solum intellectu caret. Locus enim ex eo, cuius est, quid sit apparet. Principali etenim nomine dempto, significatio mutilatur. Quare aquæ locus, ignis locus, aut his similium, rectè dicimus: sicuti enim inane esse aliquid impossibile est, sic & locus solus, quid sit, dignosci non potest. Nam si posueris locum sine eo, cuius est, inanis videbitur locus, quem in mundo esse non credo: quòd si inane nihil est, nec per se quid sit locus apparet, nisi ei, aut longitudines, aut latitudines, aut altitudines addideris, vt corporibus hominum signa His verò sic se habentibus ô Asclepi, & vos, qui adestis, scitote intelligibilem mundum, id est, Deum, qui mentis solo obtuitu dignoscitur, esse incorporalem, nec eius naturæ misceri posse aliquid corporale, id est, quod possit qualitate, quantitate, numerisque dignosci, in ipso enim nihil tale consistit, hic ergo mundus, qui dicitur sensibilis, receptaculum omnium sensibilium specierum, qualitatum, vel corporum, quæ omnia sine Deo vegetari non possunt. Omnia enim Deus: & ab eo omnia, & eius voluntate omnia, quod totum est bonum, decens, & prudens, inimitabile, & ipsi soli sensibile, atque intelligibile, & sine hoc nec fuit aliquid, nec est, nec erit, omnia enim ab eo, & in ipso, & per ipsũ & multiformes qualitates, & omnem mensuram excedentes magnitudines, & omniformes species, quas si intellexeris ô Asclepi, gratias acturus es Deo: sin totum animaduerteres, vera ratione perdisces mundum ipsum sensibilem, & quæ in eo sunt omnia, à superiore illo mundo, quasi ex vestimento esse contecta. Vnumquodque enim genus animalium, ô Asclepi cuiuscunque, vel mortalis, vel immortalis, vel rationalis, siue sit animans, siue non sit, prout cuiusque est genus, sic singulas generis sui imagines habent: & quamuis vnumquodque animalis genus, omnem sui generis possideat formam, in eadem tamen sui forma singula dissimilia sunt: vt hominum genus quamuis sit vniforme, vt homo dignosci ex affectu possit: singuli tamen in eadem forma sibi dissimiles sunt, species enim quæ diuina est, incorporalis est, & quicquid mente comprehenditur. Cum itaque hæc duo, ex quibus constat forma, & corporea, & incorporalia sint, impossibile est vnam quamque formam alteri simillimam nasci, hora-

rum,& elimatum distantibus punctis, sed immutantur toties; quot hora momenra habet circuli citcumcurrentis, in quo est ille omniformis (quem diximus) Deus, species ergo permanet, ex se toties pariens imagines tantas, ramque diuersas, quanta habet conuersio mundi momenra, qui mundus in conuersione mutatur, species verò nec mutatur, nec conuertitur, sic generum singulorum formæ sunt permanentes, in eadem forma; sibi dissimiles, ASCLE. Et mundus speciem mutat ô Trismegiste. TRIS. Vides ergo ô Asclepi tibi omnia quasi dormienti esse narrata? Quid est enim mundus, aut ex quibus constat, nisi ex omnibus natis? ASCL. Ergo vis dicere de cœlo, terra, & elementis. TRIS. Namque alia magis frequenter mutantur in species, cœlum humescens, vel arescens, vel frigescens, vel ignescens, vel clarescens, vel sordescens, in vna cœli specie hæ sunt, quæ specie alternantur species, terra verò suæ speciei multas immutationes semper habet, & cùm parturit fruges, & cùm eadem partus nutricat suos, cùm reddit omnium fructuum varias, diuersasque qualitates, & quantitates, ac stationes, & cursus ad omnes arborum, florum, baccarum qualitates, odores, sapores, species. Ignis etiam facit conuersiones plurimas, atque diuinas. Solis enim & Lunę omniformes imagines, sunt enim quasi speculorum nostrorum, similes imaginum similitudines, æmulo splendore reddentium: sed iam de talibus sint satis dicta talia.

COMMENTARIA.

DVodecimum differit, inane, vacuumque in rebus locum nullum habere, dæmones nobiscum circa terram diuersari, at propter nimiam subtilitatem à nobis imperceptibiles. Hercas puriorem obtinere aëris portionem. Loci nomen solitarium inane esse, quod ad aliquid sit, sine cuius intelligentia, quid sit locus intelligi non possit, & id omnibus relatiuis commune est. Intelligibilem astruit mundum, quo sensibilis mundus, & quæ in eo sunt omnia, quasi vestimento contegitur, vtpote qui in mundo contineatur intelligibili, vniformium generum singulorum quorumque, dissimiles esse formas, vt hominum, & id secundum momenta, & horas circuli, cui præsidet Pantomorphus, quem horoscopiorum dixit superius esse Deum, nos autem Deum illum ignoramus, & stultitiæ relinquimus Gentilium, siqui adhuc vsque adeo manifestè desipiunt, ac delirant. At nobis iuxta beatissimi Pauli sententiam, vnus Deus est pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Species & formas, id est, ideas, de quibus apud Platonem, & Platonicos, tot & tanta, immutabiles quidem, & inuariabiles collocat in Pantomorpho, hinc nomen habente, quasi omniformi, & omni ideali, a quibus singulis horis, & momentis, singula, eadem quidem forma, sed variè formas, cætera verò mutabilia esse, mundum, & cœlum, & terram, verum sint, qui Pantomorphon Mercurij, & ideam Platonis; inter figmenta reponant. Hæc capitis duodecimi summa.

CAPVT XIII.

ITerum ad hominem, rationemque redeamus, ex quo diuino dono, homo animal dictum est rarionale, minus enim miranda, etsi miranda sunt, quæ de homine dicta sunt: sed omnium mirabilium vincit admirationem; quòd homo diuinam potuit inuenire naturam, eamque efficere, quoniam ergo proaui nostri multum errabant, circa deorum rarionem increduli, & non animaduertens ad cultum, religionemque diuinam, inuenerunt artem, qua deos efficerent, cui inuentæ adiunxerunt virturem de mundi natura conuenientem, eamque miscentes: & quoniam animas facere non poterant, euocantes animas dæmonum, vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis, diuinisque mysteriis, per quas solas idola & benefaciendi, & malefaciendi vires habere potuissent. Auius enim tuus ô Asclepi, Medicinæ primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Libyæ circa litus crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est, corpus (reliquus enim; vel potius totus, si est homo totus in sensu vitæ, melior remeauit in cœlum) omnia etiam nunc adiumenta hominibus præstans infirmis numine nunc suo, quæ ante solebat Medicinæ arte præbere. Hermes, cuius auitum mihi nomen est, nonne in sibi cognomini patria consistens, omnes mortales vndique venientes adiuuat, atque conseruat? Isin vero vxorem Osiris, quàm multa bona præstare propitiam, quantis obesse scimus iratam? terrenis etenim diis, atque mundanis, facilè est irasci, vtpote qui sunt ab hominibus, extraque naturam facti, atque compositi, vnde contingit ab Ægyptiis, hæc sancta animalia nuncupari, colique per singulas ciuitates eorum animas, qui ea consecrauere viuentes, ita vt eorum legibus incolantur, & eorum nominibus nuncupentur, per hanc causam ô Asclepi, quòd aliis, quæ colenda videntur, atque veneranda, apud alios dissimiliter habentur, ac propterea bellis se lacessere Ægyptiorum ciuitates solent. ASCLE. Et horum ô Trismegiste deorum, qui terreni habentur, cuiusmodi est qualitas? TRISM. Constat ô Asclepi, de herbis, de lapidibus, de aromaribus vim diuinitatis naturalem in se habentibus; & propter hanc causam, sacrificiis frequentibus oblectantur hymnis, & laudibus, dulcissimis sonis in modum cœlestis harmoniæ concinentibus, vt illud, quod cœleste est, cœlesti vsu, & frequentatione illectum in idola possit lætum, humanitatis patiens, longa durare per tempora; sic deorum fictor est homo, &c. ne putes fortuitos effectus esse terrenorum deorum ô Asclepi, dij cœlestes inhabitant summa cœlestia, vnusquisque ordinem, quem accepit, complens, atque custodiens. Hi verò nostri, sigillatim quædam curantes, quædam sortibus, & diuinatione prædicentes, quędam prouidentes, hisque pro modo subuenientes; humanis quasi amica cognatione, auxiliantur.

COMMENTARIA.

TErtium decimum caput hoc cum capite nono simili impuritate laborat, & in quo vult Mercurius hominem esse diuinissimum, & maximè admirandum, in hoc certè homo maximè impius est, atque prefanus, quòd scilicet idololatriam inuenerit, quòd dæmonicos spiritus euocatos imaginibus indiderit ritusque, & sacrificia addiderit de Æsculapio, Mercurio Iside, Osiride, qui ab Ægyptiis colebantur, de animalibus, quæ Ægyptij sancta habebant, de herbis, lapidibus & aromatibus, concentibus, & hymnis quibus propitiarent spiritus illos statuis, imaginibusque inditos, quod adhuc facere solent nonnulli Pythonici (ô sæculum infelix) qui aut in annulis, aut vasculis se spiritus clausos habere putant, genus hominum impurissimum, Deo, hominibusque infensum, ac ex aduerso constitu-

tum inimicum, & contra hunc profanum impietatis errorem, agit beatus Augustinus, & iure quidem agit, in libro de Ciuitate Dei, & pro veritate conuincit. Hæc pro capite terti o decimo.

CAPVT XIIII.

ASCLE. Quam ergo partem rationis εἱμαρμένη, vel fata incolunt ô Trismegiste, si cœlestes dij vniuersim dominantur, terreni incolunt singula, quam εἱμαρμένην nuncupamus? TRIS. O Asclepi ea est necessitas omnium, quæ geruntur, semper sibi catenatis nexibus iuncta, hæc itaque est aut affectrix rerum, aut Deus summus, aut ab ipso Deo, qui secundus effectus est Deus, aut omnium cœlestium, terrenarumque rerum firmata diuinis legibus disciplina. Hæc itaque εἱμαρμένη & necessitas, ambæ sibi inuicem indiuiduo connexæ sunt glutino, quarum prior εἱμαρμένη rerum omnium parit initia, necessitas verò cogit ad effectum, quæ ex illius primordiis pendent, has ordo consequitur, id est, contextus, & dispositio temporis, rerum perficiendarum, nihil est enim sine ordinis compositione. In omnibus istis, mundus iste perfectus est. Ipse enim mundus ordine gestatur, vel totus constat ex ordine. Hæc ergo tria, εἱμαρμένη id est, fatum, necessitas, ordo, vel maximè Dei nutu sunt effecta, qui mundum gubernat sua lege, & ratione diuina. Ab his ergo omne velle, & nolle diuinitus auersum est totum: nec ita etenim commouentur, nec flectuntur gratia, sed seruiunt necessitati rationis æternæ, quæ æternitas, inauersibilis, immobilis, insolubilis est. Prima ergo εἱμαρμένη est, quæ velut iacto semine futurorum omnium suscipit prolem, sequitur necessitas, qua ad effectum vi coguntur omnia. Tertius ordo, textum seruans earum rerum, quas εἱμαρμένη necessitasque disponit, hæc est ergo æternitas, quæ nec capit esse, nec desinet, quæ fixa immutabili lege currendi, sempiterna commotione seruatur, oritur que, & occidit alterna sæpè per membra, ita vt variatis temporibus, iisdem quibus occiderat, membris, oriatur, sic est enim rotunditas volubilis ratio, vt ita sibi coarctata sint cuncta, vt quid sit volubilitatis initium ignores, cum omnia se semper & præcedere, & sequi videantur. Euentus autem & fors, insunt omnibus permixta mundanis.

COMMENTARIA.

CAPVT XIIII.

DE fatis, quæ vocat εἱμαρμένην, necessitatem, ordinem, alij Clotho, Lachesin, Atropon, circa quæ non minus solebant Ethnici ineptire, quam circa reliquos, quos sibi finxerunt, deos, noua & miri potentia fingentes numina, velatius autem de his Mercurius & parcius, & quasi ambiguè, veluti tria hæc essent, præfinitio, prædestinatioque mentis diuinæ, quam necessitas rerum, vt sint, sequitur, quas demum existentes, ordo conseruat, quemadmodum diuina, æternaque lege sancitum est, itavt primum fatum, sit diuina præfinitio: secundum, rerum consequutio: tertium, conseruatio, & hæc tria aut diuina lex, aut seriem diuinæ legis comitantia, & definitarum, ac secundum naturam causarum, ordinem continent, atqui & fatum, in contingentibus rebus indefinitas, præter naturam, indeterminatasque causas etiam permittit: Verum de his alij iudicent. Et hæc pro præsenti partitione.

CAPVT XV.

DIctum est nobis de singulis, vt humanitas potuit, vt voluit, permisitque diuinitas, restat hoc solùm nobis, vt benedicentes Deum, orantesque ad curam corporis redeamus, satis enim de diuinis rebus tractantes, mentem velut animi pabulis saturauimus, de adyto verò egressi, cùm Deum orare cœpissent, in austrum respicientes erant, sole etenim occidente, cùm quis Deum orare voluerit, illuc debet intendere: sicut & sole oriente, in eum, qui subsolanus dicitur. Iam ergo dicentibus precationem, Asclepius ait submissa voce, ô Tati, suggeramus patri iussetit vt thure addito, & pigmentis preces dicamus Deo. Trismegistus audiens, atque commotus, ait, melius, melius ominare, ô Asclepi, hoc enim sacrilegiis simile est, cùm Deū roges, thus, atque cætera incendere, nihil deest ei, qui ipse est omnia: sed nos agentes gratias, adoremus, hæc enim sunt sūme incēsiones Dei, cū aguntur gratiæ à mortalibus. Gratias tibi agimus, ô summe, & exuperantissime, tua enim gratia, tantùm sumus cognitionis tuæ lumen consequuti: nomen sanctum, & honorandum nomen tuum, quo solus Deus est benedicendus religione paterna, quoniam omnibus paternā pietatem, & religionem, & amorem, & quæcunque est dulcior efficacia præbere dignaris, cùm donas sensu nos, ratione, intelligentia, vt te cognoscente cognoscentes gaudeamus, ac numine salutari tuo gaudeamus, quod nobis te ostenderis totū, gaudeamus quod nos in corporibus sitos, æternitati fueris consecrare dignatus. Hæc est enim sola humana gratulatio, cognitio maiestatis tuæ. Cognouimus te, & lumen maximum, solo intellectum sensibile intelleximus te, ô vitæ vera via! ô naturarum omnium fœcunda prægnatio cognouimus te! totius naturæ tuo conceptu plenissimè cognouimus te, æterna perseueratio! in omni enim ista oratione, adorantes bonum bonitatis tuæ, hoc tantùm deprecamur, vt nos velis seruare, perseuerantes in amore cognitionis tuæ, & nunquam ab hac vitæ separari genere, hæc optantes conuertimus nos ad puram, & sine animalibus cœnam.

COMMENTARIA.

QVintumdecimum caput Dialogorum religiosè finit, in gratiarum actionibus: adoratione autem finita, & gratiis Deo persolutis, Mercurius, Asclepius, Amnon & Tatius quatuor viri, qui sacrarum aditum impleuerant, secundum religionem Ægyptiorum ritum se conuertunt ad puram, & sine animalibus cœnam, & hic Hermetis de voluntate Dei libelli.

MARSILIVS FICIN. FLORENT.

D. GERMANO DE GANAY, Parrhisii Consulari Regio, viro doctissimo. S. P. D.



Vltis iam diu de causis te multum amo, nec minus quam Germanum suauissimè mi Germane, iuuat me, vt vides gratioso tuo nomine Germano sæpè ludere, ac te forsitan iuuat audire. Cùm, niquam, ob virtutes multas te tamdiu non mediocriter amem, quam plurimum tamen propter singularem erga defunctos, præcipuè præstantissimos charitem. Hæc enim pietatis diuinæ species est, & rarissima quidem atque liberalissima. Soli profectò videntur gratis amare, qui defunctos amant, à quibus plerique nihil sperant. Tametsi Plato Plotinusque multa ab his afferri beneficia posse disputant. Ego igitur vt te propter acerbum Politiani Picique virorum excellentium obitum mœrentem pro viribus consolarer, statui ad te mittere, quæ ex libro Athenagoræ Atheniensis Philosophi Christiani de Resurrectione iamptidem excerpsi interpretatus è Græco. Si hæc & præterea quæ in Theologia Platonica de Resurrectione tractamus, consideraueris, læuius fortasse mœrebis. Lege igitur, ac viue feliciter, vir & amice, diuturna & fœlici vita dignissime.



ATHENAGORÆ ATHENIENSIS DE RESVRRECTIONE, excerpta per Marsilium Ficinum Florent.

(∴) ARGVMENTVM. (∴)

Athenagoras Atheniensis Philosophus Christianus, floruit tempore Marci Aurelij Antonini, & Commodi, infrà ducentesimum à Christo annum, & in libro de Resurrectione ista concludit.

CAPVT I.



Ationes de rebus humanis, aliæ trahuntur ex ordine naturali, aliæ ducuntur ex ordine prouidentiæ, quales sunt rationes de resurrectione mortuorum. Si ergo probemus hanc Deum possescire, velle, eam ferè iam probauerimus. Deus antequam componeretur homo, sciebat totum mundi corpus, & hunc hominem componendum aut illum. Similiter quando dissoluitur, intelligit quo potissimum partes & particulæ, & quibus gradibus posttremò peruenerint. Scit ergo vicissim vnde recipiendæ, quibusve modis in eandem rursus formam reconciliandæ sint, ad eundem hominem iterum componendum. Scientia verò penes Deum, & potestas idem, & quemadmodum quod ab initio cognoscebat, ita quod cognoscit, adhuc æquè reficere potest. Deus, cùm sit sapientia ipsa, ideoque nihil frustra faciat, hominem sapientiæ compotem non fecit frustra, igitur ad certum finem. Non ad hunc videlicet finem, vt vel superiora nobis, vel inferiora ad vsum suum

vtantur homine. Illa enim hoc vsu non indigent, hæc autem ad vsum nostrum potius sunt instituta. Fecit igitur Deus hominem propter seipsum, atque propter bonitatem sapientiamque in vniuerso Dei opificio contemplabilem. Fecit vtique hunc Deus vt viueret quidem, neque prorsus extingueretur brutorum instar. Huic enim animali intra seipsum authoris sui Dei similitudinem gestanti per intellectum atque rationem, sempiternam Deus vitam est largitus. Nempe bruta non propter seipsa, sed propter aliorum vsum creata sunt, quo quandoque cessante, non est eorum perseueratio vel restitutio amplius necessaria. Homines autem non ad alienum vsum ita sunt creati, sed ad vitam suam ita continuandam, vt authoris sui potentiam, sapientiamque considerantes, legemque & ius obseruantes, vna cum illis sempiternam vitam producerent, cum quibus acceptam ab initio vitam continuerunt. Deus siquidem naturam dedit homini ex anima immortali & corpore institutam mortali videlicet, vt alia animæ se vniret diuina contemplanti, deumque imitanti per legum obseruantiam diuinarum. Hic igitur actus circa æternum, hic finis in actu intimo constituitus, declarat fore hominem sempiternum, in natura videlicet sua ad actum eiusmodi conducente in copula corporis simul & animæ, quæ si quando dissoluatur, restituenda est per resurrectionem speratam à nobis, non vana quidem spe, sed certissimo quodam fideiussore, consilio videlicet diuino ad eiusmodi officium finemque sempiternum, naturam hominis eiusmodi procreante. Deus hominem non in alienum vsum retulit, sed ad actum suæ naturæ intimum procreauit imitaturum Deum per contemplationem & obseruantiam diuinorum. Qui sanè finis cum ipsi naturæ sit intimus, ad sempiternum fore, hominem inquam, non animam solam, sed speciem ex anima, corporeque compositam. Ad hanc enim constituendam, Deus velut partes animam redegit & corpus. Compositi quidem hominis procreatio est, compositi natura, compositi vita communis ex actionibus, passionibusque tam corporis quàm animæ congregata. Compositi igitur finis est communis, id est, imitatio Dei. Atque per hanc eiusdem fruitio. Iustitia quoque diuina in iudicium trahet, vtrumq; commune præmium vel supplicium reportaturum ex actione & passione vitaque communi. Non potest autem finis fore communis & vnus iusteque exhibitus, nisi ad vnum communem, eumque hominem, qui communiter operatus fuerat quandoque pertineat, ad hoc autem necessaria est resurrectio defunctorum. Dedit Deus homini intelligentiæ rationisque iudicium ad cognoscenda intelligibilia Deique bonitatem & sapientiam atque iustitiam. Cum igitur hæc sempiterna sint, consequens est hominem ad sempiterna natum, fore & sempiternum: Hominem inquam compositum, huic enim datus est iudicij huius vsus officium virtutum, & imitatio diuinorum. Ac nisi compositum maneat, non permanet vsus, officiumque eiusmodi. Non potest autem absque resurrectione homo sempiternus fore. Nisi verò restituatur homo in sempiternum, temerè frustraque coniuncta fuisset anima corporis indigentiæ, passionibusque innumeris, frustra corpus impeditum à ratione, quominus oblectamentorum suorum quotidie potiretur. Temerarius fuisset laboriosus virtutum vsus, religiosaque iustitiæ legumque obseruatio. Perseuerantiam vtrique sempiternam pro diuersitate naturarum, alia quidem aliter habent, Angeli immobiliter, cœlestia verò mobiliter, sed continuè, homines autem mobiliter atque interrupte, anima quidem perseuerantiam continuam, corpus intermissam vitam, bruta nullo modo. Ad naturam enim corporis aspicientes, dissolutionem timemus. Ad naturam verò animæ vsumque virtutum & scientiam creatoris, resurrectionem corporis expectamus. Corporis præterea vitam non minus propter hoc sempiternam dicimus, quod sit ad tempus per separationem animæ interrupta. Quemadmodum & vniuscuiusque hominis vitam dicimus vsque ad obitum vnam atque continuam, etsi per vicissitudines quasi sit intermissa, & per ætatum mutationes admodum permutata.


Quod ex prouidentia iustitiaque diuina Resurrectio sit.

CAPVT II.

Deus qua sapientia fecit, facitque omnia, eadem & singulis assiduè prouidet; & qua iustitia varios in mundo disposuit gradus; eadem sua cuique dispensat vbique. Prouidentia hæc, homini ex anima corporeque composito, nutrimentum successionemque prouidit. Prouidit ergo composito quoque iudicium dispensaturum iustè, commune præmium vel supplicium pro actionibus passionibusque animæ corporique communibus. Iudicium verò eiusmodi in vita præsenti minus impletur, vbi impij quidem plerumque fortunati sunt, pij verò iustique frequenter infortunati. In altera vita quinetiam expleri nequit iudicium commune iustè distribuens, nisi sequatur corporum resurrectio. Corpus profectò sicut fuit animæ socium in actionibus passionibusque tam virtutum quàm vitiorum, & in sanctimonia & martyrio comes, ita debet in pœna vel præmiis habere consortium; est ergo corpus idem resurrecturum. Nisi enim præmia manerent vitæ sequentis, prouidentia, iustitiaque diuina traheretur in dubium. Homo quinetiam brutis foret miserabilior, qui religionis & iustitiæ gratia, corporeis se priuat oblectamentis, & incommoda subit innumera. Ipsaque virtus, religio, leges deliramenta forent atque detrimenta. Nisi resurgant corpora, non habet iustitia diuina locum in corpore vel anima. Non in corpore, quia iniustum foret animam habere præmia laborum, in quibus magnam partem perpessum est, corpus verò non habere in præmio partem. Non in anima, quia iniustum esset animam solam dare pœnas peccatorum quam plurimorum quæ non commisisset, nisi corpus ei fuisset adiunctum. Nam corporeæ necessitatis voluptatisque & passionis gratia perturbationes subit plurimas & sæpissimè peccat. Vitia non sunt solius animæ, sed sunt in composito contracta, videlicet ex indigentia & incitamento corporis. Similiter virtutes sunt in composito, nam animæ soli nunquam profectæ in corpus non fuisset opus fortitudine, continentia, tolerantia, consilio pro rebus agendis similique iustitia. Sunt ergo virtutes fundatæ, hinc quidem in anima, inde verò in corpore, quod & confitentur omnes, virtutes scilicet saltem morales esse assuefactiones quasdam animalis corporisque nostri Non est ergo iustum solam animam vel supplicia vitiorum vel virtutum præmia re-

Portare. Leges datæ diuinitus, non animæ soli sunt datæ sed homini, non enim fuisset opus animam arcere ab adulterio, homicidio, furto, similibusque rebus, quæ sunt ad corporis indigentiam usumque corporeum, Compositum ergo quod est legibus alligatum, iuste vel subiturum est obseruatarum legum præmia, vel præuaricationis supplicia perpessurum. Cum singula pro diuersitate naturarum fines proprios habeant, necesse est naturam hanc rationalem quandoque finem proprium obtinere. Non est autem hic finis indolentia, est enim corporibus inanimatis quoque communis, neque rursus oblectatio sensualis, communis enim est brutis. Sed est aliquid potius secundum propriam eius præcipuamque naturam & virtutem & actionem id est, rationalem intellectualemque perceptum, in quo denique conquiescat, & in quo statu virtus ipsa suis præmiis perfruatur. Eiusmodi finem in vita præsenti nunquam assequi possumus. Igitur in futura. Cum verò sit finis vitæ actionisque humanæ, atque vita & actio communis sit atque compositi, consequens est finem illum ad compositum pertinere. Per quam sanè consequentiam futuram resurrectionem auguramur, præsertim quia cum diuinus noster opifex omnia sui gratia fecerit, ideoque rationem, & intelligentiam diuinorum compotem ad seipsum contemplandum nobis ab initio dederit. Vnde concluditur contemplationem Dei, firmam, absolutamque hominis esse finem. Hæc autem breuiter de resurrectione dicta sint nobis non proponentibus quidem de hac quæcunque dici possent eloqui, sed quædam oportuniora pro tempore, quæ & audientes facilius percipere possent.

FINIS



MARSIL. FICINVS FLORENTINVS,

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. Ioanni Medici, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali suppliciter se commendat.



Vm Epistolam ad te scribere potuissem, in Cardinea dignitate nuper tibi collata gratulaturã, cogitaremque cui potissimum eam darem tibi reddendam, qui congratulatione nostram efficeret admodum gratiorem, in Academiam me subito contuli, sperans in eius saltem penetralibus salutatorem nobis aliquem tibi acceptissimum non defuturum. Illic ergo diuina quadam sorte, primus occurrit Iamblichus inter Academicos cognomento Diuinus, & magnus ibi sacerdos. Cui quidem salue, inquam, Iambliche sacerdos magne. In præsentia (vt vides) Ioanni Medici, nouo Christianæ religionis antistiti congratulaturus sumus, precor, si iusta peto, congratulationem nostram, alioquin ieiunam, diuinis verbis, mysteriisque tuis efficies pleniorem. Annuit ille precibus, atque hac ad te sententia Ioannes sacerdos magne, venit magnus ille sacerdos. Tu igitur salutatorem tantum lætus excipe, atque post salutationem primam, post lectam Epistolam, quid diuinus ille loquatur, si placet attentius audi, promisit enim, vt sua, itaque persona pariter digna diceret, si tibi breuibus, quid Ægyptii, & Assyrii sacerdotes de religione, rebusque diuinis senserint, expressurum.

Argumentum in librum Iamblichi.

Porphyrius, qui inter Platonicos propter excellentiam Philosophus appellatur, lõgam in Ægyptum misit Epistolam ad Anebonem sacerdotem, variarum & grauium quæstionum plenam, ad omnes Philosophiæ partes spectantium, præsertim ad Deum, atque Angelos, dæmonesque, & animas, ad prouidentiam, ad fatum, vaticinia, magicen, miracula, sacrificia, vota. Porphyrii quæstionibus respondit Iamblichus eius auditor. Introducit verò Porphyrio respondentem Abamonem Ægyptum sacerdotem, pro Anebone discipulo suo, ad quem Porphyrius misit Epistolam. Huius ergo quæstionis totius, atque responsionis profectò diuina, tanquam in Plotino adhuc nimium occupatus singula fermè non verba, sed sensa traduxi, vt non mirum putari debeat, sicubi dissoluta videatur oratio, præsertim inter ipsa disputandi principia vbi leuior iactura verborum. Iam deinceps verborum etiam contextus, magis perpetuus apparebit. Coactus verò sum interdum in eum aliquod verbum vel continuationis, vel intelligentiæ gratia interserere. Velocioris autem editionis etiam in causa fuit Pierleonus vir omnium cupidissimus secretorum. Verum id quod in primis admiror, hic semper affectare videtur, quæ iam possidet. Nam diuinitate quadam ingenii Philosophorum arcana, & Græcorum, & Barbarorum nondum lecta consequitur.

IAMBLICHVS DE MYSTERIIS.

De cognitione diuinorum.



Egyptij Scriptores omnia inuenta esse à Mercurio, suos libros Mercurio inscribebant. Mercurius præest sapientiæ, & eloquio. Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus, & multi ad sacerdotes Ægyptios accesserunt. Dogmata bu us libri sunt Assyriorum, & Ægyptiorum, & ex columnis Mercurij. Pythagoras, & Plato dicerunt Philosophiam ex columnis Mercurij in Ægypto. Columnæ Mercurij plenæ doctrinis. Ante omnem rationis vsum inest naturaliter insita deorum notio: immo tactus quidam diuinitatis melior, quàm notitia, ex quo incitatur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio; atque iudicium. Essentialis cognitio diuinorum, quæ anima est perpetua, ac re vera non est cognitio hæc, qua Deo fruimur. In cognitione enim est alteritas, sed contactus quidam essentialis, & simplex. Non enim possumus atringere vnitatem ipsam, nisi vnitissimo quodam, & vnitate mentis, quæ super animæ, mentisq; proprietatem extat. Vnitas ipsa deorũ vnitsibi animas ab æterno per vnitetes earum secundum cõtiguitatem tam propriam, & efficacem, vt esse continuitas videatur. Intellectus diuinus dat esse animæ per intelligere suum essentiale. Ergo esse animæ, est quoddam intelligere, scilicet Deum, vnde dependet. Esse nostrum, est Deum cognoscere, quia præcipuum esse animę, est intellectus suus, in quo idem est esse quod intelligere diuina actu perpetuo. Ab illo antem esse præcipuo deriuantur potentiæ animæ discurrentes. Post deos ponimus dæmones, heroẽs, animas puras, hi tres ordines pedissequi sunt deorum.

Non possumus solitis humanum rationis discursionibus attingere deorum pedisse quos dæmones, heroẽs, animos puros. Sed necesse est consurgere ad essentialem intelligentiam, & æternam. Sicut dij semper attinguntur notione innata, sic numina deorum pedisse, qua tunc primum attinguntur, quando anima deposuit modum cognitionis mobilem, qui ad potentiam spectat rationalem, quæ intellectu, intelligentiaque formatur, quem vocant intellectum adeptum. Nam prima notia in agente intellectu consistit. Cum cognitio per adæquationem fiat, sequitur vt minima sempiterna, & immobilia attingamus, notione sempiterna, immobili, simplici. Cognitio, qua cognoscimus substantias separatas, est in alia specie, quàm illa, qua cognoscimus alia. Cognitio diuinorum fuit semper in anima per simplicem intuitum vel contactum. Aliqui putant se assecuturos separata per quendam oppositionis modum, scilicet materialia sunt, mobilia, localia, partibilia, &c. Ergo separata sunt immobilia, &c. Sic vtique cognoscitur, quid non sint, quid verò sint, adæquatione cognitionis ad illud, quod animo naturaliter per intellectum inest: acquiritur autem in rationali potentia studio quodam, nec tam comparationis, & coniecturæ, quàm separationis, & purificarionis officio. Erat, & modus disiunctionis, scilicet dij, & diuina, vel sunt temporalia, vel æterna. Non temporalia, ergo & cætera, hic etiam modus sua mobilitate non congruit immobilibus.

DE PROPRIETATIBVS vniuscuiusque superiorum.

SI qua compositio contrà substantiis separatis, & separabilibus inest ex genere per se indeterminato, & differentia terminante. Illæ enim substantiæ sunt completæ species vndique in actu determinato, atque completo. Si substantiæ separabiles tanquam simplices non differunt inter se per differentias speciales sub eodem genere, ergo neque per indiuiduales sub eadem specie discrepans. Quælibet igitur est, quasi vnum genus, vel species per se existens, differunt verò seipsis, & ordine graduum & quoniam ad primum, aliter referunrur. Intelligentiæ inter se non conueniunt, vel differunt genere, & differentiis vilis, simplicissima enim sunt, sed quatenus vel eadem, vel diuersa ratione referuntur ad primum, & aliæ in prioribus, alię in sequentibus perfectionis gradibus dispositæ sunt. Differentiæ rerum inter se in actionibus, passionibusque resoluendæ vbique sunt in iurium differentias, atque hæ in differentias essentiarum, neque alicubi quiescendum est in sequentibus, sed ad priora proficiscendum. Neque in substantiis superioribus anima nostra, neque in hac est motio vlla passiua, sed totum est actus efficax. Motus animæ, quo ex se mouetur, non diuiditur in motorem, & motum vel mouereatque moueri; sed est essentialis actus progrediens temporaliter. Compositis & formis, quæ sunt in subiecto, competunt accidentia, formis immaterialibus non conueniunt. Quicquid est in formis separabilibus, est esse, & essentiale præcipua quadam, æqualique sorte. Neque aliquid ibi accidens, aut consequens reperitur. Motus & actiones, sunt differentes propter differentias naturarum; non è conuerso. Si dicamus vnum esse genus separatorum, confundimus Theologiam.

Substantię separabiles non conueniunt quodam genere, in quo per differentias distinguantur, sed

seipsis, & ordine graduum distinguuntur: quatenus per alios perfectionis gradus referuntur ad primum. Conueniunt autem magis inter se quæ per similiorem modum referuntur ad primum, atque vltimum. Bonum duplex, quod super essentiam, quod secundum essentiam. Essentia est proprietas deorum omnium. Ipsum verò bonum super essentiam, & dicitur causa boni, scilicet essentialis boni principium, proinde secundum gradus essentiæ, gradus deorum inter se distinguuntur. Animabus rationalibus vltimis non inest essentiale bonum, sicut diis, sed participatio boni secundum pulchritudinem intellectualem, sed hæc immobiliter inest.

De ordine superiorum.

Animæ nostræ in diuinorum generibus computantur. Heroës sunt maiores hominibus, ergo multo grandiores sunt dæmones. Primum diuinorum est ipsum bonum, diique sequentes, vltimum particulares animæ rationales: horum media duo sunt, scilicet heroës propè animas, & dæmones aër, & aqua. Heroës etsi potentia, virtute, pulchritudine, magnitudine nobis præstant, tamen cum anima nostra, & vita eius multum congruunt, dæmones sunt superiores heroibus, & ministri deorum tanquam architectorum in opificio mundano. Quæ sunt in diis ineffabilia, & occulta, dæmones exprimunt, atque patefaciunt. Dæmones, & heroës accommodant inferioribus vniuersales, simplices, immobiles deorum dotes, & conciliant omnia, atque harmonici consensus, & compassionis omnium inuicem sunt authores. Traducunt diuina ad nos, & nostra æqualiter ad diuina perducunt, præterea gradus in donis superiorum, & in præparatione suscipientium æquè disponunt. Diuersa diuinorum genera differunt inter se per triplicem modum proprietatum, scilicet quantum ad essentias, & virtutes, & actiones pertinet. Proprietas deorum est vnitas, permanentia in se ipsis, immobilis motionum causa, prouidentia eminens, nihilque commune habens cum iis, quibus prouidet: atque hęc proprietas in eis secundum essentiam, & virtutem, actionemque seruatur. Animarum proprietas est declinatio ad multitudinem, & motum, coniunctionemque cum diis, atque ad accipiendum ab aliis aliquid, & ea motu vitali replenda, & congruendum vbique cum omnibus, partim manentibus, partim verò fluentibus, & ad omnia in se, & per se ipsam contemperanda.

Hæc verò proprietas in eis secundum essentiam, & virtutem, actionemque seruatur. Proprietates dæmonum sunt, continere in se dotes deorum, inferiori quidem modo, quàm dij, sed sub idea, rationeque earum continere deteriorum conditiones, dum, scilicet, multiplicatur quidem, sed vnite miscetur quoque, sed impermixte: mouetur denique, sed stabiliter. Heroës contra, sub condirione multitudinis, & motus, permixtionisque vnitatem, identitatem, statum, excellentiam habent. Dæmones & heroës sunt proximi extremis, illi quidem diis, hi animabus. Differentiæ Dæmonum ad heroës præcipuè, quoniam heroës magis aliquando declinant ad particularia, mobiliaque, quàm dæmones. Duo media, scilicet dæmones, heroësque componuntur ex prorietatibus extremorum, scilicet deorum, atque animarum, sed in dæmonibus plus est diuini, in heroibus plus humani.

Quomodo superiorum actiones inter se distinguantur.

Dij tenent entium summum, animæ infimum. Dij possunt omnia momento vno: animæ contra, nec omnia, neque momento, neque vnitæ. Dij faciunt, curantque omnia non inclinati: animæ cum inclinatione, & conuersione quadam agunt. Dij sunt præcipuè causæ: animæ ex illorum voluntate perpetuo pendent. Dij vigore celerrimo fines suos intimos vnà cum principiis comprehendunt: animæ ab aliis in alia, ab imperfecto ad perfectum pergunt. Dij comprehendi nequeunt aliqua mensura, vel forma: animæ inclinatione, habitudine, & nutu detinentur, atque superantur. Et appetitu deteriorum, familiaritateque tanguntur, & certas inde contrahunt qualitates.

De intellectu & anima.

Intellectus omnium opifex adest semper omnibus diis plenissime per actum vnum in seipso manentem. Anima est particeps intellectus magis partibilis, multiformisque ad gubernationem accommodari, ac naturaliter in animali prouidet alias aliis figuris affecta. Item, diis adest à causis superioribus ordo, ipsaque pulchritudo, vel causæ vtriusque: animæ verò adest ordo, intellectualisque pulchritudo. Item, in diis est mensura in omnia potens: anima verò mensuram illam determinat, ac per eam agit in aliqua. Dæmones & heroës, tanquam medij inter deos, & animas, competenti proportione quo ad externa, & seipsos pertinet, componuntur ex proprietatibus tam animarum quàm deorum, quas in superioribus enarrauimus. Si vis ergo deorum speciem apprehendere, proprietates animæ rationalis vltimæ cogita, & oppositas in perfectione diis attribue. Si speciem dæmonis componere placet, ex vtriusque compone, plus interim diuinitatis attribuens, si denique species herois, verùm ex ambobus, plus tamen de animæ conditionibus inferens. Carpit Porphyrium separata per habitudines ad corpora distiguentem, scilicet deos per habitudinem ad corpora æthetea, dæmones ad aërea, animas ad terrena, quia videlicet non debeant priora, & causæ per posteriora, effectusque distingui. Incorporeæ substantiæ non sunt in corporibus, sed extrinsecus ea ducunt, dantque eis aliquid, non accipiunt igitur, nec vnà ad eorum distributionem distribuuntur. Non enim sunt habitus corporum, vel materiales formæ, sed sustinentes, separabilesque, imò iam separatæ, & ante corpora viuunt. Substantiæ separatæ, separabilesque non tales euadunt, quia talem sortem, prouinciamque elegerint, vel sortitæ sint, imò vicissim, qualem anima ante corporis ingressum, vitam, speciemque in actum in se eduxit, tale corpus sortitur organicum, talemque consequentem sibi naturam, quæ quidem vitæ ipsius animæ perfectiori subiicitur, anima rationalis in corpus iam viuum venit, sed imperfectè viuum.

Diuina

Diuina progenerant in se ipsis naturaliter totum opus suum distinctum ante quàm patiant. Penes illa, quæ rationalem vniuersalis principij habent, inferiora in superioribus, corporea in corporeis, opificia in opificibus producuntur, in eisque circulatiter continentibus diriguntur.

Circuitus ergo cœlestes ad circuitum cœlestiū animarum rediguntur, animæ vero mundorum, id est sphærarum, siderumque in intellectum suum accidentes comprehenduntur ab ipso penitus, atque in ipso primum progenerantur. Intellectus particularis in vniuersalem, ac ille in superiora similiter. Cum ergo semper sequentia conuertantur in prima, & superiora tanquam exemplaria ducant inferiora, certe à superioribus producitur, adestque inferioribus essentia simul, & species, & omnino in melioribus primo sequentia producuntur. Ideoque ab illis ordo, & mensura insequentibus non econuerso dependet, non sunt igitur ab his illorum assignandæ proprietates, essentia igitur incorporea per corporea, qualia quibus cum nihil habet commune, distingui non potest. Principia diuina operibus suis non solum essentiam tribuunt, sed totam distinctionem, ordinemque formalem. Essentia, quæ adest corporibus non localiter, locis corporeis non distinguitur, & quæ non cohibetur particularibus circunscriptionibus subiectorum, eadem particulariter à mundi partibus minime continetur. Natura incorporea subito vbicunque vult, adest nullo alicubi prohibente.

Omne diuinum, & incorporeum vbique.

Multo magis diuinitas quo minus sit, vbique nullo limite coërcetur. Item, quæ apud nos sunt, fieri formarique nequeunt, nisi qua quædam virtus opifex & specierum participatio per omnia diffundatur. Denique nisi diuina sint, vbique tollitur sacrificij virtus, quæ in quadam deorum ad homines communione consistit. Dii ex hoc maximè omnia continent, quod nusquam continenrur. Terrena quoniam facta sunt, & constat munere diuinorum, quoties paratiora ad diuina redduntur, Deos subito sortiuntur existentes hic etiam ante naturas proprias terrenorum. præterea, cum in quolibet Deo potentia sit infinita, & natura indiuidua, incompræhensibilisque, merito certis alicubi locis cohiberi non possunt. Item non esset vera inter Deos vniuersalis prouidentiæ vnio, nisi omnes pariter essent vbique præsentes. Dicitur etiam, deorum alii quidem aërii, alii vero aquei, non quia ibi solum sint, sed quia ibi maxime regnant. Sacerdotes Deos terrenos, & subterraneos aduocabant, qui certe dicuntur tales, non quia ibi sint solum, (sunt enim vbique omnes) sed quoniam alii alibi potissimum operantur. Nam & anima cuiuslibet stellæ est vbique, quamuis ibi potius agat. Statuis diuina quædam illustratio capitur.

De Prouidentia, & quomodo Dij sint vbique.

Quando dii varias mundi partes vrbes, ædes, statuas proprie sortiri dicuntur, intellige essentiam, potentiamque illorum vbique in se vigentem, hoc, aut illud potissimum illustrare: atque sicut lumen in se manens, sine mixtione, diuisioneque sui diuersa passim illuminat, ita dii. Sicut lumen solis idem totum continuum est vbique, neque potest in partes diuidi, neque alicubi claudi, neque à fonte proprie separari, neque miscetur aëri, licet adsit: Quippe cum nihil relinquat luminis, calor tamen à calefaciente relicta, ita cuiusque Dei lumen, totum indiuidue, toti mundo penitus adest, licet parti cuidam præcipue vim suam maximè sibi accommodatæ concedat. Interea tamen quodammodo implet omnia, ob potentiam perfectam, & excessum causalem prorsus immensum, Vnde perficit omnia vnitque cum extremis extrema, per media comprehendens in se omnia, & se ad sic reflectens sibi prorsus vnitum. Quod quidem munus imitatur & mundus circulari motu, partimque in vnum connexione, & conciliatione quadam transferente elementa vicissim in elementa, atque virturem superiorum ad inferiora mittente. Qui manifestam hanc suscipit deorum statuam vbique prorsus vnitam, vereri debet omnino de diis mundi causis aliena sentire, scilicet esse localiter (vt ita dixerim) separato. Si enim nulla est communio mundi ad numina quo ad essentiam, vim, actionem spectat, nullaque condistributio, vel consortium, nulla nimirum nec coextensio, & condistributio secundum locum, atque determinans quantum ad illud pertinet, specie, vel genere cogitato sunt, mutua comprehensio, & permixtio esse potest. Quæ vero se totis omnino differunt, reciprocam inter se condistributionem, vel mixtionem, vel compræhensionem nullam prorsus admittunt. Quādo per diuersas mundi plagas fit numinum distributio, intellige alias plagas aliter munera deorum pro sua proprietate suscipere. Quod quidem considerans ars sacrorum operum propriis inuocationibus vtitur quæ eiusmodi distributioni, proprietarique numinum consentaneæ videantur. Quælibet mundi pars accipit aliquid à quolibet Deo: quilibet enim Deus cuilibet parti mundi totus adest. Sed partes aliæ aliter hinc accipiunt. Æther quidem ætheria, Aër autem aëria suscipit ratione. Certis namque materiis, inuocationibusque munera deorum naturaliter attrahuntur.

Quod omne diuinum sit à passionibus alienum.

Numina nobis superiora nihil habent in se passibile: atque hanc (vt ita dicam) impassibilitatem non habent acquisita virtute, sed natura: neque etiam anima, quæ est vltima diuinorum, passibile quicquam habet; animam dico à corporibus puram, quæ neque etiam tangitur perturbatione voluptatis eius, quæ est restitutio in naturam. Cum sit vita supernaturalis ingenita, neque dolore quopiam dissoluere, cum sit extra omne corpus, naturamque circa corpus diuisam, & harmoniam descendentem in corpus ab harmonia animæ principali, neque etiam passionibus sensum præcedentibus eget. Non enim corpore continetur, neque per instrumenta exteriora corpora percipere cogitur. Iam vero cum sit indiuidua, & vniformis essentia secundum se incorporea permanens, cum corpore nihil communicans, nimirum passiones diuisionis, vel alterationis, vel mutationis alicuius nullas admittit.

Loquitur de anima separata à corpore.

Nimia neque etiam, dum adest corpori, patitur vel ipsa quicquam, vel rationes seminales, quas ipsa corpori tradit. Species enim sunt simplices, vniformesque, nullam turbationem, vel exitum à seipsis suscipientes. Passiones, qualescunque sint, in animali non sunt in anima, qualiscumque sit, sed in corpore, quod sub anima certam possidet qualitatem, qua & patiatur, & agat. Nulla est in anima passio, vel peremptoria, vel turbatoria. Atque hanc impassibilitatem anima non solum acquirit electione, sed possidet ipsa natura admodum superiore corporibus. Dæmones, & heroës sunt impassibiles, atque sempiterni. Semper enim sequuntur Deos in mundi ordine conseruando, vbi vero passio est, ordo perpetuus non seruatur. Porphyrius suspicabatur dæmones mundi rectores aliquo modo esse passibiles per ea, quæ adhibeantur illis in sacris Iamblichus negat, quia vbi est ordo perpetuus, non est passio, quam essentia incorporea per sempiterna nequit accipere. Forte vero concederet dæmones infimos, malosque, & gubernatione priuatos tangi passionibus effectiuis, non quidem in anima, sed in corpore tali per animæ præsentiam constituto. Sicut natura ex occultis rationibus manifesta facit, ita Sacerdos adhibet manifesta, vt occulta significet. Sacerdos operatur sæpe multa, quibus aliquid simile, propriumque diuinis efficiat, qua quidem cognatione aliquid diuinitus attrahat. Interea operatur & multa, per quæ purificet animam, ac mala nobis auertat. Dæmones, qui sunt nobis præstantiores, nullam naturalem vtilitatem à nobis accipiunt, aut enim non indigent, aut ipsimet sibi abunde vbique suppeditant. Nullam vero ex rebus corporalibus mutationem aliquando patiuntur. Insunt nobis perturbationum principia quædam, quæ si violentia à principio, & subito cohibentur, tandem acriores erumpunt instar flammæ compressæ, risusque cohibiti, sunt ergo remissius corrigenda. Heraclitus sacrificia medicamenta nominat, quia purgent animam à morbis in hac generatione cõcretis. Porphyrius suspicabatur non modo dæmones, sed etiam Deos aliqua passione tangi, quoniam inuocationibus moueantur. Voluntas boni in Deo, diisque, qui sunt bonitates, excellentior est, ideoque liberior quàm vita nostra electiua circa bonum. Itaque dii non quia inuocantur, mouentur ad bonum hominibus adhibendum, sed sponte nos ad bonum prouocant, nobisque inuocando conuersi occurrunt vltro: ostenduntque aliquid, atque largiuntur. Putant quidem homines se esse liberos ad petendum. Esto ergo, dii liberiores ad dandum. Dij propter liberam voluntatem boni, actionemque perennem, atque perfectam omnibus benefaciunt, cum primum ad illos sunt inuocando conuersi. Anima supplicationibus ad contemplationem petueniens diuinorum, vitam priorem obnoxiam passionibus transmutat in vitam passionis expertem, dum subit actionem, vitamque deorum. Quomodo igitur supplicationes nostræ passionibus Deos tangunt, cum & animas ante passiuas reddant à passionibus liberas? Supplicationes animum influxui deorum aptum efficiunt: oui & vltro facilè peruenit propter diuinam amicitiam omnia connectentem.

De ira Deorum.

Qvando à benefica cura deorum, quasi à lumine solis nos diuertimus, in tenebris statim sumus, diciturque Deus nobis iratus. Placare igitur deorum iram, est ad illos supplicando redire. Placatio eiusmodi non affert passionem Deo, immo & animum à prioribus liberat passionibus. Dij, dæmonesque diuini supliciter adorati, cultique, mala multa repellunt, quæ alioqui naturaliter euenirent.

De necessitate, & libertate Deorum.

Necesse est Deos ita se habere, vt sunt non necessitate extrinsecus illata, sed naturali sibi, optimaque sibi, ideoque maximè voluntaria, quam & nollent vnquam optione proposita aliter se habere. Porphyrius, multique philosophi dicunt Deos quidem esse intellectus puros, dæmones autem intellectus, vel participationes intellectus aliquos animales: sed Iamblichus nõ ita rectè poni dæmonum proprietatem obiicit, nam & animæ intellectus sunt animales, & intellectus ipsius participationes quædam, neque rursus deorum proprietatem rectè poni, nam puris intellectibus dij præsunt.

De differentia Deorum ad Dæmonas apud Græcos, atque deuotissimos.

Dii non secundum rationem intellectus ipsius, sed vnitatis, & intelligibilis obiecti ritè definiuntur. Porphyrius suspicatur intellectus puros, separatosque habitudinem ad sensibilia non habere, neque preces audire, principalis cultus, separatis substantiis tamen est adhibendus, in hoc vtique cultu excitatur animæ summum, summisque coniungitur, supremi in vno omnia nostra comprehendunt, atque cognoscunt, actionesque orationum religiosarum in seipsis comprehendunt, neque à se discedunt, sed in se stantes orantium intentioni prorsus intersunt: supplicare vero humillimè conuenit, agnoscere enim vtilitatem nostram, si superis cõferamur, efficit vt maximè supplicemus, conuertamurque ad illos omnino, & assidua consuetudine similes euadamus. Apprimè vero conferunt orationes missæ dininiter, quibus diuina vis inest: hæc contra Porphyrium opinantem colendos nobis esse propriè mundanos Deos, quia sentiant. Item supplicationes diuinarum mentium puritati minimè conuenire. Iamblichus conuenire putat propter sensum intimum, qui supplicationibus inest, præsertim quæ sunt datæ diuinitus. Intellectus puri sine sensu sensibilia noscunt.

Iterum de Supplicationibus.

Porphyrius ait, materialia quædam in supplicationibus adhiberi, ideo adhiberi diis tantum illis, qui sint animalia. Respondit Iamblichus, in iis materialibus vltra corporeas qualitates latere etiam rationes, & species, & mensuras incorporeas, atque diuinas, per quas quæ adhibentur sunt congrua diis. Profectò quicquid admouetur quomodocunque consentaneum, & simile diis, mox dij adsunt, coniunguntur, exhibentque munera, precesque exaudiunt. Parua quædã congruitas rerũ

nostrarum ad Deos nobis sufficit, vt aliud ab illis hauriamus. Illi enim ad hoc semper promptissimi sunt propter bonitatem naturalem, mirabilemque potentiam. Causa vero præpotens agit in materiam, vel exilitur præparatam. Porphyrius ex eo distinguit dæmones à diis, quod illi sunt incorporei, hi vero corporei. Iamblichus ait, per hæc substantias, & proprietates eorum discerni non posse.

De differentia inter Deos, & dæmones, atque de cœlestibus.

DIi cœlestes dici incorporei possunt, quoniam ad suam excellentiorem actionem, & vitæ felicitatem nihil à corporibus impedimenti contingit. Sed quatenus dii ad ipsum vnum tendunt, corpora sponte contendunt eodem, neque continent animas, sed excellentissimè continentur. Cœleste corpus rebus est incorporeis cognatissimum, propter naturam simplicem, indiuisam, constantem, & actionem vnam, id est circuitum, & vitam sibi congenitam, atque lucem. Non fit in cœlo compositio ex anima, & corpore, in tertiam naturam vnam, sed prorsus ad naturam animæ trahitur, atque est quasi visibilis quædam anima, forte cœlum est lumen ipsum sine materia, & sine dimensione. Dimensio enim ibi propter amplam præsentiam eius apparet. Vnde cœlum est anima cœli se ipsam accommodans oculis, rebusque caducis, atque circulus ille est circuitus animæ, lumen est intellectus eiusdem. Sicut in infimo corporum forma fit materialis, sic in summo materia fit formalis: & corpus animale non anima corporalis, siqua modo est in cœlo materia. Sicut summus aër fit igneus, ita cœlestis ignis fit animalis. Anima illa intellectualis euadit, intellectus boniformis efficitur. Cœlestia animalia dici incorporea possunt. Omnes cœlestes boni sunt, atque benefici, suscipientes tantum ipsum bonum, & hoc intuitu agentes æterno. Virtutes inæstimabiles compertæ sunt, tum in animalibus cœlestibus, tum in earum corporibus insitæ, tum per deflexus in omnia sine impedimento vsque ad infima descendentes, communicatæ tam diuiduis quam in speciebus, immutabiles vbique, quamuis in materia mutabili regentes generationem perpetuo quodam ordine, semperque beneficæ, perinde fluxum cœli in materiam discordibus plenam resultat aliquid nobis dissonum. Temporalia temporaliter æterna capiunt. Corpora incorporea corporaliter. Materialia hæc immaterialia, cœlorum vires mutabiliter, & inordinatè suscipiunt. Quæ sunt in mundo diuino, figurata non sunt, quamuis vt figurata recipiantur in cœlo: sic cœlestia non sūt mala, quamuis hic suscipiantur, vt mala. Vires cœlestium omnes inde bonæ descendunt, in hac autem contrariorū permixtione mutantur, ideoque qualitas, quæ nocet in terris, alia iam est præter illam, quæ cœlitus hucusque peruenerat. Primo quod datur, aliud quidem est in datore, aliud autem extra, etiam si in se ipso permanent, præterea est & minus. Secundo dum in subiecto viliori suscipiuntur, fit & illius. Tertio propter naturam suscipientis diuersam suscipitur modo diuerso. Quarto qualitatibus inter se differentibus, quæ à subiecto eodem pariter capiuntur. Quinto patiente subiecto patitur. Sexto ex omnibus subiecto comprehensis aliud quiddam postremo resultat. Influxus cœlestes immateriales extendunt. Saturni quidem vis contentiua est. Martis vero motrix. Illa vero per accidens frequenter obest, quando materia frigidiore suscipitur, hæc autem quando feruentiore. Item illa nocet, quando recipitur, per modum congelationis accipitur, hæc quando per æstum, quod quidem fit pro dispositione materiæ, id est quādo videlicet materia illa, neque satis calida est, atque est interea densior, hæc autem per se est calidior, atque subtilior. Lux, colorque solis, quamuis offendere languidum videantur, necessaria tamen sunt ad vitam, similitet omnes cœlestium influxus veniunt salutares quamuis subiecti, vel peruersitas peruersè recipiat, vel debilitas facile tolerare non possit efficaciam superorum. Omnes motus conferunt, & vniuerso, & necessariis partibus vniuersi, quamuis interim particulas minimas sub hoc motu vel alia lædatur ab alia, vel tales particulæ non facilè motum vniuersi sustineant. Sicut in chorea, dum singuli harmonicè saltant congruuntque gestibus inter se, & toti choro digitus, & pes premitur, & offenditur. Et siquid debile incederit, pessundatur.

De vicinitate cœlestium corporum ad species incorporeas.

DIi cœlestes principium suum habentes in mundo intelligibili, dum ideas sui contemplantur, in eo mouent cœlos hoc ipso actu intelligentiæ, voluntatisque efficaci admodum, & perpetuo. Ideoque sine labore regunt, quod ex ordine semper constante euidenter appatet, ita vero affectis diis separatis coniuncti sunt potius quàm corporibus Regimen circa cœlos non potest Deos ab intelligentiæ intentione distrahere cum eo potentius, faciliusque regant, quo illic attentius speculatur: ex hoc enim procedit & illud, idem quoque nostris accideret animalibus, si causam suam contemplarentur, vnde est, & vegetandi facultas.

Confirmatio Superiorum.

MEns diuina per ideas suas deorum cœlestium animas procreat, atque per eas cœlestia corporea & vtraque sibi coniuncta perpetuo retinet. Dij mundani, qui & intellectuales species nominantur, inter se vniti sunt, tum quia cuncti idem exemplar, in quo sunt species intelligibiles contuentur, tum quia exemplar illud in quolibet Deo immundano viget vbique totum. Non spatium, non subiecta diuersa prohibent, quin qualibet essentiæ incorporeæ vbique sibi inuicem insint. Dii mundani in se inuicem sunt, fuisse ideis, tum quia sunt ab vno, & referuntur ad vnum, tum quia diuina vnitas vbique præualens vnit eos, tum quia procedunt inter se, & conuertuntur, mutuoque accipiūt. In compositis naturalibus vnitas aduentitia est depēdens à superioribus, & à multitudine vincitur. In formis separabilibus vnitas superat multitudinē, & in diis adeo superat, vt illorum esse sit vnitas quædam: dico autem quædam, quia primum principium est ipsa simpliciter vnitas. Cum igitur vnitas in diis intrinsecus ita præualeat, merito à prioribus exuberat in sequentes: ita vt hi in illorum vnitate consistat, quia vnitate quasi omnibus communi cuncti sunt vnum actu quodam, sicut corpora inter se potentia qua-

dam materiali sunt vnum. Dij cœlestes inuisibilibus diis penitus sunt vniti, tum quia cœlestes animæ sunt extra corpora, tum quia di superiores, id est ideæ vnitatem infinitam habent, prout omnes sunt in quolibet, per quam vnitatem sibi & inter se Deos sequentes vniunt. Cum enim omnes dij definiantur per vnitatem, vna communis vnitas dilatatur in omnes, per quam sunt vnum actu cunctorum vno ad vnum prorsus obiectum, & principium, atque finem, in eodem omnes puncto simul atque momento.

De Prouidentia, & de Diis, atque Dæmonibus.

DEorum prouidentia vniuersalis est, dæmonum vero particularis. Deus primus dat omnibus omnia, dij sequentes omnibus aliqua largiuntur. Dæmones, atque animæ aliquibus solum, & aliqua tantum. Sunt dij inuisibiles, sunt & in cœlo visibiles, sunt & dæmones dij quidem in cœlo conspicui in ipsa vnione ad Deos occultos existunt, dæmones autem longè ab illis distant, velut à contemplationibus puris ipsi in agendo propensius occupati. Ideo & à diis conspicuis longè distant. Item essentia vtrorumque deorum, & potentia, prouidentiaque vniuersalis est per omnia tendens: dæmonum vero natura prouidentia particularis circa res quasdā, atque prouincias. Item dii corpora sua adeo supereminent, & corpora adeo his obsequuntur, vt à corporibus separati dicantur. Dæmones vero contraria ratione magis affecti sunt, & copulati corporibus. Item dii sunt architecti, dæmones vero ministri, dæmones quod occulti sunt sensibus, dii rationi quoque humanæ: quod si forte aliquando dii appareant, circa tertam adhuc dęmonibus aëris erunt præstantiores. Mutatio enim loci, vel officii, naturam non mutat diuinam. Denique dii à potentiis fluentibus in generationem liberi sunt, Dæmones vero, nequaquam. Confutat quæ ex historia Porphyrius adduxerat, scilicet fieri multa ad Deos quasi passibiles esset. Quia lex sacrorum iubet à passionibus esse inter sacrificia liberum, quæ quidem lex est data diuinitus etiam à primo patre mundi, à quo & omnia symbola in sacrificiis significantia aliquid occultissimum. Denique quæ in sacris ritè fiunt, habent causam diuinam adeo à passione remotā, vt nec ratio eam possit attingere. Vulgus rationem ceremoniarum diuiniter institutarum attingere nequit; verumtamen assignare conatur, ex suis igitur passionibus assignando, diis passiones attribuit. Vulgus erga potentes vtitur gestibus venerationis, & donis vtitur ad Deos eisdem. Sed erga homines id agit, tum passionibus suis, tum propter passiones maiores, putat autem & similes passiones diis inesse, quæ hominibus potentibus insunt, atque propter similes passiones in subditis, adoratoribusque diis talia exhiberi. Sed re vera ceremoniæ diuinitus institutæ non passione aguntur vlla, sed admiratione potius, & veneratione, & constante prorsus intelligentia, gaudioque persimili.

Quo differant Dæmones, Heroes, Animæ.

SVnt in diis vires generatiuæ, opificesque, sūt & viuificæ, quæ & in prioribus sublimius continentur. Primæ latius diffunduntur quàm secundæ. Secundæ per primas definiuntur: dæmones post longum earum processum exordiuntur, vbi iam partionem plurimam deriuantur, heroës definiuntur per secundas, id est, viuificas ante quàm deueniant ad postremum. Nam in postremo earum exordiuntur animæ: officium ergo dæmonum est opificium circa naturas mundanas, vsque ad singula transfigere simul, atque perficere, & animas ligare corporibus. Heroum vero est viuificare, ratiocinarique, & animas custodire, easque à corporibus soluere. Dæmonum officium latius est quàm heroum: illi circa vniuersum magis, hi circa animas potius operantur. Nō dicimus animas fieri, sed accipere à dæmonibus, heroibusque nonnihil, & ex se multa insuper adhibere, exordirique suum officium circa diuinorum finem: non quia diuina non vlterius agant, sed quoniam animæ in vltimis diuinorum officiis adsciscuntur. Item anima ex se tam varias viuendi formas promere potest, vt pro earum congruitate singulas babitet mundi plagas. Potest & cōgredi quibus vult, iterumque regredi in seipsam & tam diis quàm inferioribus se coniungere, quatenus rationes diuinorum sicut inferior promit: etsi sæpe per dæmones, heroësque iungatur diis, potest tam per sua quædam media ab illis differentia se coniungere diis. Anima nonnunquam conciliat se diuinis per alias harmonias essentiæ, actionumque suarum, quàm sint illæ, per quas dæmones superis se coniungunt. Etsi anima non seruet vitæ tenorem adeo similem, tamen sæpe benefica voluntate Deorum illuminata dæmones supergreditur ad vitam Angelicā potius quàm animalem. Anima quamuis videatur omnes rationes, & totas in se species exhibere, tamen determinata semper est secundum aliquid vnum, id est, vnam speciem. Atque interim ex causis præcedentibus alias aliis seipsam coordinat ipsa semouens.

Quando alia numina aliter appareant, atque agant.

OMnes superi inuocati veniunt in conspectū, sed aliis formis, viribusque occurrunt. Animæ quoque stellarum nouis quibusdam modis aspectum mouent. Deorum visa occurrunt vniformia, simplicissimaque, Archangelorum aliquanto minus vniformia vel simplicia: Angelorū quoque minus, dæmonum varia iam, principatuum magis varia, sed ordine varietatis miro, heroum his quasi similia, principatuum varia admodum, ordinata parum. Animarum scilicet particularum omniformia. Cum enim diuersi sunt superi naturis, actionibusque, & modo suo appareant singulis, merito diuersi diuersis modis occurrunt. Dii in aspectum veniunt admodum salutares, Archangeli horribiles simul & mansueti: mitiores Angeli: dæmones metuendi: heroës verendi minus: principatus stupendi: principes noxii & infesti: animæ similes heroibus, quamuis inferiores. Deorum imagines apparent penitus immutabiles, magnitudine, forma, figura, actione: Archangelorum & Angelorum gradatim min⁹ immutabiles, sed prope Deos: dæmonum mutabiles quidem magnitudine, atq; forma, his enim alias aliter apparent, sed eædem agnoscuntur: principatuum immutabiles: heroū fermè sicut dæmonum: principium multiformiter variantur: animarū mutabiliores longe quàm dæmonum. Dii apparent cum quiete quadam

& ordine: Archangeli cum eisdem, sed his adhibent efficaciam: Angeli eisdem scilicet quieti, & ordini adhibent motum ordinatum, & moderatum; dæmones cum turbatione ordinem transgrediente: principatus cum stabilitate, constantiaque in seipsis: heroës cum motu, atque festinantia: principes cum tumultu: animæ ferme sicut heroës, sed minori constabilitate, & ordine. Deorum pulchritudo occurrit inæstimabilis, incomparabilis, admiranda, supra modum delectans: Archangelorum, Angelorumque consimilis, sed gradatim inæqualis. Demonum & heroum spiritus per se apparentes pulchritudinem in speciebus determinatis habent, sed illi secundum rationes essentiæ, hi secundum fortitudinis actum, principatuum pulchritudo principalis est, & natiua: principium ficta, adornata, elaborata. Animarum pulchritudo in rationibus consistit determinatis quidem, sed diuisis magis quàm in heroum forma, sub vna tamen specie comprehensis. Deorum actiones, effectusque velociores sunt quàm intelligentia deprehendere possit, sed interea penitus stabiles. Archangelorum celeritas mixta est, quodámodo efficacibus actionibus: Angelorum cum motu, neque pariter habent, vt vna cum dicto perficiant. Dæmonum actiones celeriores apparent, quàm sint effectu, & veritate, Heroës magnificè quidem incidunt ad actionem, tardius tamen quàm dæmones peragunt: principatus cum auctoritate, & imperio veniunt ad agendum, principium conatus plurimam quidem habet emphasim, sed deficit ab effectu, animarum actiones mobiliores sunt, quàm heroum, sed debiliores. Deorum apparentium magnitudo totum cœlum occupare videtur. Quam incedentem nec terra puratur sustinere posse. Archangelis apparentibus partes mundi quædam commouentur, & lumen præcedit in se diuisum, ipsi vero pro magnitudine dominationis suæ magnitudinem lucis, & figuræ præseferunt. Angelica forma, & lux & minor est, & diuisa magis: dæmonum magnitudo, formaque diuisa magis & minor: heroica rursus angustior, aspectusq; magnanimus: principatus prægrandes, & vasti: principes inflati, superbique, & insolentes apparent animarum effigies inæquales, heroibusque minores. Deniq; quilibet pro magnitudine potentiæ suæ, imperij latitudine magnitudinem formæ, lucisque præfert. Deorum spectacula prælucida nobis occurrunt, fulgentiaque ad summum, & splendore dearticulata mirificè, & lucidiora quàm sint reuera: Archangelorum vera, perfectaque: Angelorum effigies speciem eandem seruant, prætetquam quod à notitiæ plenitudine agnitionis discretione deficiunt: dæmonum exilia, & quasi caduca: heroum exiliora: principatuum perspicua: principum obscura, sed vtraque imperiosa: animarum vmbrosa. Deorum imagines quamplurimo splendore corruscant: Archangelorum quoque præfulgidæ: fulgidæ insuper Angelorum: dæmones turbidus ignis apparent: heroës mixtum lumen ex pluribus habent: principatus quidem purius: principes autem ex dissimilibus contrariisque confusum ostendunt: animæ ignem reddunt plenum ex multis generationis admixtionibus, atque diuisum. Deorum imagines occurrunt tanquam ignis indiuiduus, ineffabilisque implens vniuersum mundi profundum: Archangelorum ignis etiam indiuisus, habens circa se, vel ante, vel retro quamplurimam multitudinem: Angelorum diuisus, ignis, sed in ideis absolutissimis: dæmonum magis quoque diuisus, sed angustius circumscriptus facile exprimendus, & apud illos, qui superiora videntur, facile contemnendus: heroicus ignis habet, quod horum consimilia, sed non æqualia; principatuum ignis apprime lucidus: principium aliquid habet opaci: animarum valde diuisus, & multiformis, atque ex multis mundi naturis admixtus. Deorum ignis omnino stabilis est aspectu: Archangelorum stabilitatis particeps: Angelorum stabiliter mouetur: dæmonum instabilis: heroum properantior: principatuum quietus aduenit: principium vero tumultuosus, animarum ignis multis motibus transmutatur. Dij animas perfectissimè purgant, Archangeli sursum reuocant, Angeli tantum soluunt à materiæ vinculis, dæmones ad naturam trahunt, heroës ad curam sensibilium operum deducunt, principatus quidem præsideriam mundanorum, principes vero materialium studium exhibent, animæ, cum apparent contendunt, trahuntque in generationem. Quicquid purum, firmumque est in imagine nobis occurrente, superioribus attribuito generibus. Iam vero præfulgidum eius, quodue nec in seipso firmiter permaneat diis attribue, quod vero fulget, atque permanet quidem, sed quasi in alio, Archangelis, quod in alio permanens, Angelis. Item quod mobile est, & vagabundum, & alienis plenum naturis, vbique inferioribus ordinibus attribuito. Dæmones mixtos in se habent mundi vapores, feruntur que instabiliter præter vel iuxta mundi motum, heroibus generatiuæ spirituum compositiones admiscentur, circa quas & ipsi commouentur. Principatus eodem modo permanent, mundanum quod habent ostendentes, principes materialibus liquoribus pleni sunt, animæ superfluis maculis, & alienis spiritibus sunt repletæ, quibus cum quoties apparent, vnumquodque horum generum se ostendit. Dii materiam repente consumunt, Archangeli paulatim, Angeli soluunt ab ea, & ad sublimia reuocant, dæmones diligenter exornant eam, heroës coaptant ad eam competentibus vbique mensuris eam strenue, commodeque curantes, principatus adstant ei supereminentes, & hoc pacto seipsos ostendunt, principes impletos se penitus materia monstrant, animæ puræ quidem seorsum à materia veniunt, impuræ vero materia inuolutas se nobis ostendunt. Exhibent insuper alii nobis alia. Dii præsentes dant corpori sanitatem, virtutem animæ, menti sinceritatem, omnia nostra impropria principia reuocant, quod in nobis est frigidum letiferumque, delent, calorem fouent, efficacioremque reddunt ad vitam, faciunt quoque, vt omnia animæ, mentique congruant, & mensurentur eisdem, harmoniaque intelligibili lumen effundunt, quodue non est corpus, ostendune tanquam corpus ipsis animæ oculis per corporis oculos.

Archangeli eadem agunt, sed non adeo sufficientia, vel permanentia, vel extra proportionem nostram, Angeli bona etiam magis particularia diuisè distribuunt, effectumque agunt valde ab intimo eorum vigore deficientem, dæmones præsentia sua corpus grauant, morbis affligunt, aliter puniunt, animas quoque ad naturam trahunt, & à corpori-

bus, cognatoque eorum sensu non discedunt, atque eos, qui ad ignem cœlestem, diuinumue contendunt, circa locum inferiorem detinent, nec à fati vinculis soluunt. Heroës alia dæmonibus similia faciunt, proprium vero id habent, quod ad opera quædam generosa, magnaque nos suscitant, principatus apparentes bona largiuntur mundana, resque vitæ huius omnes suppeditant, principes materialia, terrenaque bona, animæ cum apparent, si animæ sunt puræ in ordine Angelico constitutæ, sursum reuocant, salutem animo præbent, spemque sacram, sacraque dona, quæ sperantur, animæ impuræ ad generationem detorquent, spem frustrentur eius fructus auferentes, passionibusque intuentes implent animam corpori copulantibus. Ordinem quoque, quem vnusquisque obtinet, in apparendo designat, dij ostendunt Deos, vel Angelos circa se adstantes, Archangelos præferunt, vel præcurrentes, vel circunstantes, vel sequentes, siue aliam quandam turbam Angelorum quasi stipatorum circumuallantium, Angeli opera ordini suo congrua præferunt. Boni dæmones opificia sua, & bona quæ tribuunt, in conspectum adducunt, dæmones vltores ostendunt suppliciorum species, dæmones alij quomodocunque praui occurrunt circundari feris letiferis, voracibusque, principatus, prouincias mundi quasdam secum demonstrant, principes, conditionem materiæ ordine carentem, errantemque secum afferunt in conspectum. Anima quidem tota in nulla particularium specie detenta ignem ostendit sine certa specie circa mundum totum, quo animæ mundanæ natura significatur indiuisa, & vna, & nulli addicta speciei. Anima purificata igneam ostendit figuram, ignem purum, & lumen micans, simulque stabile, & ipsa vna cum duce sublimi sequitur, bona voluntate gaudens, atque ita in operibus suis ordinem, quem obtinet, patefaciens, anima vero, quę deorsum labitur, occurrit, trahens secum signa vinculorum, atque pœnarum, materialiumque spirituum compositioue se grauatam ostendit, turbationibusque materiæ dissimilibus occupatam, seque subdentem imperio dæmonum generationi fauentium. Singuli cum apparent, ostendunt prouincias, sortesque, quas sortiti inhabitant, aërij quidem ignem aërium, terreni vero terrenum, atque nigrum, cœlestes autem ignem splendidiorem, atque in his tribus terminis omnes distributi sunt eorum ordines. Dij demonstrant omnium ordinum principia in se, cum apparent. Angeli declarant se ab Archangelis dependere: dæmones, heroësque, patefaciunt se superioribus ministrare, quamuis aliter hi quàm illi: principatus, principesque præfecturam ostendunt. Illi circa mundum, hi circa materiam animæ declarant se superiorum postrema tenere: vnde vna cum seipsis primi quidem prima loca designant, secundi secunda, tertii tertia, cæterique deinceps eodem ordine. Dij tenuitate luminis tanta effulgent, vt corporis oculi non possint capere, atque perinde afficiantur, vt species ab aqua turbida, pinguique tracti in aërem tenuissimum: qui enim diuinum spectant ignem, non potentes ignis diuini respirare sublimitatem, cum primum spectare videntur, virtute deficiunt, atque innato spiritu, prorsus intercluduntur. Archangeli quoque splendorem emittunt subtiliorem, puriorem que, quàm tolerari queat, non tamen adeo intolerabilem, sicut dij. Angeli occurrentes tolerabilem perficiunt aëris mixtionem, vt sacerdotes eam attingere possint. Dæmones cum apparent, nihil totus aër comparitur, neque eis circumfusus aër fit subtilior, neque præcurrit lumen, in quod eorum species emicat, aërem anticipans: neque circa illos circumlucet aër vndique: heroibus apparentibus plagæ quædam terræ commouentur, sonitusque circunsonant, totus vero aër non fit subtilior, neque adeo ineptus sacerdotibus, vt sustinere non possint. Sub principatibus circumcurrit eos visorum circumuolutio plurimorum difficilis toleratu, & volumen eiusmodi circa eos est mundanum: circa principes vero terrenum: neque tamen super mundana subtilitas, neque supremorum elementorum. Animis apparentibus, aër apparens magis conatus est eis, earumque descriptionem suscipit coaptatus eis. Affectiones inuocantium animorum occurrentibus diis excedentem reportant perfectionem, actionemque, & amorem diuinum, incredibilemque lætitiam: Archangelis contemplationem intellectualem summopere puram, immutabilemque potentiam: Angelis rationalem cognitionem, virtutemque in ordine positam: ad summum dæmonibus appetitum generationis, atque heroibus talia quædam, & insuper studia ciuilis gubernationis: principatibus, vel principibus motus mundanos, vel materiales agunt animo naturæ, operumque fatalium expletionem animis, appetitus generationis, & studia corporum curandorum. Deorum apparitio veritatem, potestatem, actiones ad summum corroborat, & bona præbet amplissima, Archangelorum similia, sed particularia magis, & cognitionem, potentiamque non simpliciter, sed ad hoc, & ibi, & tunc, & hoc pacto, Angelorum etiam determinata magis: dæmonum non animæ bona, sed corporis, corporeaque, quando mundanus ordo concedit: heroum dona Reip. mundanæ, siue terrenæ: principatuum mundana: & omnia vitæ commoda principum, inferiora, id est magis materialium copiam: animarum, quæ ad humanam vitam conferunt familiari prorsus occursu, Porphyrius narrauit opinionem dicentem communem hoc est diis, Angelis, dæmonibus, omnibus denique superis, cum apparent, ostentare se, & iactare mirificè, & imaginariam similitudinem ex se producere. Iamblichus vtramque confutat. Deus Angelus, dæmon bonus, docent hominem, cum apparent, quæ qualisue re vera sit eorum essentia, nihil vltra, vel citra veritatem loquentes. Sicut enim lumen naturaliter, & assiduè solem sequitur, sic veritas Deum, eiusque pedissequos, præsertim cum perfecti, plenique sint, neque egent, neque possunt sibi vltra quàm sint, arrogare. Quando in theuriga, id est deifica, & sacerdotia facultate delinquitur, tunc non bona quidem numina, quæ optantur, sed deteriora, malaque nobis occurrunt sub prætextu bonorum: mali enim spiritus in similitudinem bonorum se sæpe transformant, iactabundique veniunt, & supra quàm sunt, sibi arrogant. Nempe vbi initium primum adulteratum suboritur, mendacium plurimum ex peruersitate procedit. Oportet sacerdotes apparitiones spirituum regula ordinis totius examinare, & meminisse arrogantiam iactabundam non esse vllo modo

ꝑtopriam veris ſpiritibus, atque bonis. Et cauete ne à ritu ſacrorum aberretur vnquam. Acſi in errore apparitionis quadam repente inſolentes adueniant, non decet ex earum conditione communem, omnemque numinum naturam, conditionemque perpendere. Quæ enim multis ſeculis, & operoſo labore in ſactis comprobata ſunt, nefas eſt ex nonnullis repente incidentibus temere iudicando mutare. Etſi falſi ſpiritus mentiuntur, boni tamen circa ignem veridici ſunt, atque legitimi. In omni ſiquidem genere principalia primum à ſeipſis exordiuntur, ſibique ipſis præbent, quod cæteris exhibent, idque fit in eſſentia, vita, motu, ſimiliter ſuperi veritatem omnibus exhibentes, primò de ſeipſis vera prædicant, ipſamque eorum eſſentiam præcipuè contemplationibus patefaciunt. Ideoque ignem per ſe, propiaque forma ſpectandum ſacerdotibus rite demonſtrant, non enim eſt caloris frigefacere, vel luminis obtenebrare, atque occultare, vel vllius per eſſentiam aliquid facientis, aliquando contraria facere. Phátaſma, id eſt ſimulacrum miſſum ab aliquo ſine natura eius, ſed ſolum per modum idoli ſpecularis vanè trahit animum intuentis, fallitque, dum ſimulat ſe eſſe aliquid de cuius natura nihil habet. Eſt igitur cauſa falſitatis, quodque nullo modo competit alicui eſſentiæ veræ. Ideo neque diis, ſed hi, eorumque ſectatores, non exiles, inaneſque, ſed naturales, & veras ſui reuelent imagines, non quidem ſpeculares (vt dixi) vanas: cur enim eas mitterent? non vt demonſtrent eſſentiam ſuam, atque potentiam, nam illæ ab hac ex tota natura deficiunt, non etiam ad intuentium vtilitatem. quæ enim vtilitas eſt ex mendacio ſimul, atque deceptione? Non denique ob hoc mittunt, quia natura eorum ſit ita ex ſe idolum mittere, nempe eſſentia firma in ipſa conſiſtens, & ita teliquis eſſentię, veritatiſque cauſa nullo modo in aliud mittit imitamen ſui vllum fallax, & deceptorium, quod ſimul & ſe eſſe aliquid, de cuius natura nihil habeat. Neque igitur dij, neque ſequaces eorum vel transformant naturam ſuam in aliqua ſimulachra, neque hæc in aliud ex ſe producunt, ſed veras ſui formas in veris animæ moribus illuſtrant, atque demonſtrant. Nota huic ſimile illud, quod in patria mens beata diuinam eſſentiam videt non per imaginem ab ea creatam ptorſus deficientem, ſed per eandem eſſentiam, ſicut eius, qui lumen videt per lumen in lumine: non ſicut qui calorem per lumen, vel qui corpus ſpeculo. Subſtantiæ ſeparatæ, non habent vllum ſibi commune genus. Item dij, Angeli, dæmones boni non apparent phantaſtico modo, ſed proprio prorſus, & vero. Spiritus verò mali phantaſtico, fallacique, neque decet ex conditione, qua hi apparent nobis, reputare modum, quo boni ſua præſentia formant animam. Porphyrius ait, cognitionem quidem diuinorum eſſe tem ſacram, ignorantiam verò profanam, hæc Iamblichus comprobat: quia cum dii per intelligentiam agant entia, meritò nos per intelligentiam entium placere diis, atque probari, ſed operationem religioſam anteponit intelligentiæ, tanquam quæ ſola ſit efficax ad acquirendam animæ cum Deo deificam vnitatem. Tanta eſt virtus ſactorum rite Deo factorum, vt etiam ſi hæc ignotes, piè tamen obſerues, non minorem habeant efficaciam. Non enim intelligentia coniungit ſacrificatores Deo, alioquin philoſophi vnionem deificam reportarent.

De virtute Sacramentorum.

OBſeruantia decens præceptorum, operumque diuinorum, quæ omnem excedunt intelligentiam, atque ſymbolorum, ſacramentorumque poteſtas mira ſolis nota numinibus, præſtat nobis deificam vnionem. Quando operamur in ſacris, non conficimus per intelligentiam ſacramento, alioquin & actio eorum intellectualis foret, & daretur à nobis: contrà verò & nobis non intelligentibus, hæc proprium opus peragunt, & deorum poteſtas quò hæc teferuntur, ineffabiles ex ſeipſa proprias agnoſcit imagines non à noſtris intelligẽtiis excitatas. Vniuerſales enim cauſæ à particularibus effectibus non mouentur: vndenec ab intelligentiis noſtris diuina principaliter mouenrur ad operandum, ſed intelligentias, & affectionem optimam, puritatemque præcedere neceſſarium eſt, tanquam concauſas quaſdam. Quæ verò principaliter diuinam prouocat voluntatem, ipſa ſunt ſacramenta diuina: atque ita diuina à ſeipſis incitantur, neque ab vllo ſubdito principium actionis accipiunt. Ne putes igitur totam in nobis authoritatem eſſe efficacis rationis in ſacramentis, neque in veritate intelligentiæ noſtræ, verum eorum opus abſolui, vel hęc ex noſtra deceptione mentiti. Nam nec etiam ſi nouerimus, quæ genus quodlibet propriè conſequuntur, ſubitò conſequimur ipſam eorum in opere veritatem. Abſque cognitione quidem nunquam aduenit efficax vnitas ad diuina, neque tamen idem eſt omnino. Quapropter neque diuina puritas per rectam cognitionem efficitur, ſicut corporis puritas per ſanitatem, ſed ſuper cognitionem vnita eſt, & purificata puritas, id eſt per poteſtatem cognitione ſuperiorem. Neque igitur aliud quicquam in nobis humanum ad diuinarum actionum finem aliquid confert. Concludeſententiam Iamblichi, Aegyptiorum, Aſſyriorum, ſicut in agricultura, medicina, arte imaginum, coitu humano homo materiam opportune coaptat, cauſa verò ſuperior, vniuerſaliſque adhibet formam: ſic in ſacrificio, quando fiunt ſymbola, atque ſynthemata, id eſt ſignacula, & ſacramenta, ſacerdos adhibet materialia quædam, quo ordine decus inſtituit. Deus autem vim efficacem imprimit ſacramentis.

Vaticinium quid, & vnde.

VAticinium ipſum nec ab arte, nec á natura, nec à naturalibus, vel animalibus rationibus motibuſue efficitur: neque fit vllo modo, ſed vtrinque ſempiternum eſt miſſum ad nos vſque diuinitus totaque poteſtas præſaga refertur ad deos, & omnis huius authoritas conſiſtit in eis, atque inde traditur, diuiniſque operibus: ſigniſque perficitur, ſpectacula quidem habet diuina & contemplationes vera ſcientia præditas. Cætera verò cuncta, velut inſtrumenta ſubiiciuntur, miſſo diuinitus præſagii dono, quæcunque ad animam pertinent, aut corpus, vel in totius natura ſunt, ſiue naturis: loca verò & talia quædam ad vaticinium exiguntur vice materiæ. Non decet vaticinium deducere ſine cauſa, ſcilicet à quibuſdam nullam in ſe habentibus præſcientiam, ſed à diis continentibus in ſe terminos totius ſcientiæ rerum. Contemplati decet vaticinium diſtributum circa totum mundum, & circa omnes diuiſas in mundo naturas: ſic vtique cauſa vaticinii

præcipua est, & communissima, possidensque in se ipsa quæcunque sui participantibus exhibet, præcipuè præbens veritarem, qua opus est vaticinio, & inprimis essentiam, causamque eorum, quæ fiunt, obtinens in seipsa, à quibus necessario procedit, perpetua præsagij consecutio. Porphyrius ait, quando dormimus, aliquando presente futura, absque vlla præsentis status animaduersione, etiamsi in ecstasin minimè concitemur. Volens arbitror non tàm externo influxu tunc diuinitus influente, quàm ex ipsa natura animæ, mentisque præsagire: Iamblichus ait somnia, quæ humanis proueniunt causis, siue per naturam nostram, siue per affectus, & cogitationes, & actus, raro admodum & obscurè nimium, & sæpius casu quodam attingere verum.

De somniis.

SOmnia quandoque incitantur in nobis ab innatis intelligentiis, rationibusue vel ab imaginationibus, curisque diurnis, quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur atque hæ humanis principiis oriuntur, dormientibusque contingunt vigiliæ nihil habentibus. Somnia verò missa diuinitus non ita contingunt, sed veniunt, vel inter vigiliam, atque somnium, vel inter somnum, atque vigiliam, vel in ipsa vigilia. Tunc breues audiuntur voces, quid agendum sit admonentes, & aliquando spiritus quidam non corpulentus, non tractabilis, se iacentibus circunfundir: qui tamen non perspicitur sed alio quodam sensu, & animaduersione, quę in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens, & se vndique circunfundens absque contactu, atque mirificè passiones animi, corporisque expellit, aliquando verò lumen sincerum, quietumque fulget, sub quo visus clauditur anima patens. Sed alij sensus interim peruigiles sunt, persentiuntque quando dii in lumine se ostendunt, & quę illi loquuntur, arguuntque, continuata animaduersione percipiunt, perfectius verò id totum discernitur, quando visus quoque perspicit atque intellectus corroboratus, quæ fiunt assequitur, & quia spectant similiter commouentur. Tanta, tamque differentia qualia diximus, non sunt humana, contingunt verò quando somnus noster est grauedo quædam capitis, vel inclinario, & occupatio visus, vel medium quiddam inter vigiliam, atque somnium, vel excitatio subita, vel ipsa vigilia. Quæ omnia diuina sunt ad deos suscipiendos idonea, diuinitusque mittunt, atqui talia quædam præcedunt, quasi apparitionis diuinæ partes. Somnia humanis causis procedentia defectus patiuntur duos. Nam & in ipso somno omnino dormientibus accidunt, & nos tunc non distinctè, vt plenè animaduertimus, aut quæ occurrunt, aut statum ibi nostrum. Quando verò diuinitus mittuntur somnia, neq; reuera dormimus, & assequimur, animaduertimusque clarius quàm consueuerimus vigilantes: ideoque in eiusmodi somniis maximè ponitur vaticinium. Anima duplicem habet vitam, vnam quidem simul cum corpore, alteram verò ab omni corpore separabilem. Quando vigilamus, vtimur plurimum vita, quæ communis est cum corpore, pręterquàm si quando penitus separamur ab eo, propterea quod vel intelligamus, vel puris rationibus cogitemus: sed in dormiendo penitus solui possumus, velut à vinculis adhibitis animo, atque vita à generatione separata tunc vti. Quando quodammodo dormientibus animus à corpore soluitur, tunc illa vitæ species secundum seipsam permanens separabilis, separataque, siue intellectualis, siue etiam sit diuina, protinus expergiscitur in nobis, agitque quemadmodum sua fert natura. Quoniam verò & intellectus entia contemplatur, & anima genetabilium rationes in se complectitur, meritò secundum causam comprehendentem futura in præcedentibus sui rationibus ordinata prænoscit. Dictum est de præsagiis animæ redeuntis in se in statu simili somno. In se inquam, id est in rationes seminales, & intellectuales: sed hactenus sub forma quadam propria præsenti vitæ, id est sub forma particularis actionis huius, & vitæ, sed si mox explicet vniuersam tationum, cogitationumque formam, secundum quam vixit aliquando, tunc reportabit pręsagia pertinentia magis ad vniuersalem mundanarum retum conditionem, sub qua & particularia passim conspicere poterit. Si rursum per formam vniuersalem eiusmodi suam ipsis deorum mentibus copuletur, videt insuper, quæ ad mundum spectant superiorem, & quę ad hunc, item per illa tanquam præcipuas causas intelliget absolutius, in quo statu non solum cogitatio erit perfecta, sed imaginatio quoque habebit imaginamenta sincera de rebus corporeis, atque diuinis. Quoniam verò sunt in anima rationes generabilium penes potentiam eius, tum effectiuam, tum etiam cognitiuam, atque hæ rationes dependent à rationibus, quæ sunt in diis, ideò anima his coniuncta, rationes in se suscitat in actum saltem cognitionis amplissimum, & sub diuinæ prouidentiæ modo, per quem, & per quas reputat prætetita, futuraque, & temporalia omnia, eorumque actiones, & passiones, passionumque remedia, & curationes morborum, vitiorumque animi, & statuta legum, & artes generi hominum necessarias: sic in Aesculapii templo accipiuntur somnia, quibus morbi curantur, ipsaque ars medendi somnis est comparata diuinis. Exercitus Alexandri morbi mox deperiturus euasit discrimen remediis adhibitis in somno à Dionysio Deo. Lisander rex Aphutim vrbem obsederat, & in somno iussus ab Ammone, soluit obsidionem. Multa quotidie similia fiunt supra orationem, rationemque humanam.

De inspiratione diuina, quæ fit in vigilia.

POrphyrius duas diuinas afflationes tetigit: vnam, quæ communiter dicitur in somno fieri: alteram, quæ in vigilia, vbi afflati, & perciti præsagiunt, ita vigilantes, vt etiam vtantur sensibus. Neque tamen interim sunt humanæ rationis compotes. Iamblichus ait animos verè præsagientes, efflatosque, & cum dormire videntur, non dormire, & cum vigilare, non propriè vigilare, neque more hominum sensibus vti. Animi diuinitus afflati, percitique, subiecerunt vitam suam penitus afflanti Deo. Ideo siue vt vehiculum, siue vt instrumentum se subiecerint, priorem vitæ modum deposuere, atque vel vitam propriam in vitam diuinam commurauere, vel vitam suam penitus ad Deum agunt. Ideo neque vtuntur sensibus, neque ita vigilant, vt qui vigiles habent sensus, neque ipsi præsagiunt, vel mouentur humano quodam impetu, atque more neque suum statum animaduertunt, neque vllam edunt cognitionem, actionemque propriam,

sed totum illic agitur sub forma, actioneque diuina.

Miracula multa fiunt à Prophetis.

Quòd autem afflati diuinitus non viuant, tunc ipsa animalis vita patet, quia multi eorum admoto igne, non vruntur, ignem videlicet repellente Deo intus afflante: vel si vruntur, non persentiunt, neque pungentia percipiunt, vel radentia, vel vlla tormenta. Item quod actiones eorum non sint humanæ, constat, quoniam per inuia vadunt, per que ignem feruntur intacti, & flumina transeunt mirabiliter, quod & ipse sacerdos agit in caballis, per hæc patet illos non viuere vitam humanam, nec animalem sensibus, impetuque vtentem, sed diuinam, quasi anima eorũ orietur, & Deus ibi sit pro anima, moueatque tanquam excellentior anima. Variæ sunt diuinitus inspiratorum species tum pro varietate deorum, qui alij aliter inspirant, tum pro differentia modorum inspirationibus: hi modi sunt tales. Aut enim Deus ipse nos occupat, aut nos ei nos addicimus, totique illius efficimur, aut communem agimus ad Deum actionem: item vel vltimę diuinæ potentiæ euadimus compotes, vel mediæ, vel supremæ, item aliquando nuda est Dei præsentia, aliquando vltra præsentiam fit communio, interdum vltra hanc conficitur vnio, rursum inspiratione vel anima sola fit compos, vel etiam corpus subinde fit quodammodo particeps, vel etiam commune animal ex æquo fit compos. Secundum horum diuersitatem, differentia sunt inspiratorum signa, & effectus, & opera. Secundum prædictam inspirantium, inspirationisue diuersitatem, inspirati alij mouentur vel toto corpore, vel quibusdam membris: vel contrà quiescunt. Item choreas, cantilenasque concinnas agunt, aut contrà, rursum corpus eorum vel excrescere videtur in altum, vel in amplum, vel per sublimia ferri, atque contrà. Item voces edunt, vel æquales, perpetuasve, vel inæquales, & silentio interruptas. Et tum remittunt tonos, tum intendunt.

Inspiratus vacat ab actione propria ac Deum habet pro anima.

Maximum verò afflationis diuinæ signum est, quod ille, qui numen deducit, insinuatque, prospicit spiritum descendentem, & quantus sit, & qualis, atque ab eo mysticè docetur, & regitur. Quinetiam qui numen suscipit, ante susceptionem aspicit quandam ignis speciem. Interdum verò hæc conspicitur, & præsentibus, siue adueniente, siue recedente deo. Quo ex signo in his rebus periti verissimè discernunt, quæ sit potestas numinis, quis ordo, & de quibus vera loquatur, & quæ perficiat, sed qui absque eiusmodi spectaculis clam spiritus introducent, velut in tenebris, latitantes concutiunt. Neque quid agant intelligunt, nisi exigua quædam, id est signa nonnulla in ipso afflati corpore. Cum igitur ignis diuini præstantia, & luminis species quædam, ineffabilis extrinsecus incubet occupato, impleatque ipsum t[illegible]m, & penitus dominetur, & circum vndique in se complectatur, adeo vt nec vllà queat actionem peragere propriam, quisnam sensus, perceptioue, & animaduersio propria potest adesse animo diuinum ignem suscipienti? vel humana motio, passio, peruersio phantasiæ, & alienatio, qualem aliqui suspicantur? Porphyrius afflationem diuinam definit ita, Motio mentis vnà cum inspiratione dęmonica. Iamblichus ait, in animo afflato diuinitus, neque mentem, cogitationemue humanam ferri si re vera côtinetur à Deo. Neque dæmonum, sed deorum fit inspiratio, neque rursum definiri debet exitus, & alienatio, hæc enim lapsum significant in deterius, sed potius dici debet reductio, restitutioque in melius. Est igitur afflatio nihil aliud quàm totos à Deo animos occupari, atque contineri. Hinc verò posterius sequitur ecstasis, id est exitus, vel alienatio quædam tanquam consequens ad afflationem accedens, Plato in Phædro dicit antiquos vaticinium nominauisse maniam, id est furorem, quoniam soli diuino furore correpti, verè vaticinantur, posteriores autem ad unctot, nominasse mantiam. Item Sacerdotes, Sibyllas, Prophetas, quãdiu prudentes sunt, vel paulum admodum, & obscurè præsagire, vel nihil: quando verò rapiuntur deo, verè vaticinari, vnde præuidisse apud multas gentes particula diuinitus imminentia, admonuisse populos, & per sactificia diuinam Nemesim placauisse, item ait præsagium arte factum appellari putationem coniecturalem, nec vllius esse momenti, si cum diuina inspiratione, & vaticinio comparetur. Iamblichus ait, diuinum afflatum, vaticiniumque non esse in mente, vel anima, siue vt qualitas in subiecto, siue vt actio in agente, sed totum esse actum ipsius Dei ex Deo simpliciter dependentem. Actum dico à Deo peractum in mente, vel anima simpliciter, vt instrumentis ab omni proprio motu vacantibus, atque ita vera præsagia dari, at si quis motus ex corpore, vel anima, vel qualitas talis interim inferatur, vel præcedat, confundi visa, neque vera vaticinia fore, neque legitimam esse ibi diuinam afflationem, vbi aliquid miscetur humanum. Tres generatim opiniones erant de afflatu, vaticinioque diuino: prima, causam eius referebat ad animam, secunda ad corpus, tertia ad compositum. Prima ponit ipsum in eo statu, in quo anima tota est redacta in diuinum suum, vel mentem, aut quando eius actio facta est vehementior, siue amplior, aut quando cogitatio facta est acuta, motuque velocissima, aut cum mens incaluerit. Secunda ponit illius causam in corpore, quando certam habet complexionem, scilicet vel melancholicam, vel temperatam, siue qualitatem quandam elementalem, siue prætetea spiritalem, siue certum spiritum. Tertia causam eius ait certam proportionem, qua corpus, & anima inuicem sint comparata. Iamblichus ait, ipsum non esse opus animæ, vel corporis, vel cõpositi, nec causam in eis habere. Nam afflatus ille fatidicus agit tum in prædicendo, tum in efficiendo, super omnem humanæ naturæ consuetudinem. Non potest autem homo, vel aliquid hominis vltra terminos suos ad diuinos progredi terminos. Neque possunt pręstantiora à deterioribus generari, causa igitur huius est duntaxat ipsa diuinitas, quando scilicet à diis descendunt in nos lumina, spiritusque traduntur ab eis, adestque nobis dominatio, potestasque illinc absoluta comprehendens omnia, quæ sunt in nobis, & exterminans penitus propriam nobis animaduersionem, & motionem, proferensque sermones, per hominem quidem, sed non cum ipsa cogitatione hominis, immo pronuntians ipsa per eos furentis extra se positi. Dum videlicet quæcunque sunt in nobis seruiunt tota numini, ceduntque soli dominanti actionī

diuinæ. Porphyrius ait Musicam passiones inferre animo, itemque sedare, & alios sonos aliis animis, & moribus conuenire. Item complexiones affectionesque corporis permutare, furorem mouere, ac cohibere Iamblichus ista concedit, sed negat hæc esse causas afflatus diuini: quoniam sunt humana, partim naturalia, partim artificiosa, nec quicquam in se diuinum habet. Quod viderur suspicari Porphyrius, dicens alicuos afflari, cum audiunt tibias, vel cymbala, aut tympana, alios verò cum alias melodias. Variis deorum ordinibus respondent in mundo variæ motionum species, certæque certis, ex his verò variæ profluunt melodiæ, quæ congruunt similiter per suos, quæque motus certis ordine deis principiis motionum, hi, tum tibi sint, & sua potissimum suis impartiant, melodiis sibi præcipuè congruentibus adsunt præcipuè nostrisque spiritibus per eas affectis se infinuantes occupant hominem, suaque mox essentia, & potestate penitus implent, cuius afflationis causa est, non tam passio hominis excitata per Musicam, quam ipsa ad Deum Musicæ congruentia, cui naturaliter Deus adest. Quæ ad visum veniunt, nimis imaginaria sunt, & intelligibilia potius referunt. Quæ ad sensum infra auditum, materialia nimis, quæ ad auditum, media, & animæ congruunt, spirituque insinuata cum motu, affectu, significatione vehementer afficiunt animam quidem hinc, & inde corpus, vnde totus homo secundum proprietates melodiarum, euadit susceptaculum huius numinis, aut illius, & qui afflati sunt aliterque se habent in motu, & quiete, aliisque habitibus, pro diuersitate numinum, quibus afflantur principalius quam pro differentia Musicæ, Cessauit enim iam hic affectus soni, quando Deus agit. Anima in mundo intelligibili audiuit harmoniam diuinam, cuius hic reminiscitur, quando audit melodias habentes diuinæ vestigium, reminiscens verò ad eam vehementer afficitur, si est è numero animarum, quæ ipsam harmoniæ ideam præcipuè contemplatæ sunt in patria. Eiusmodi verò affectu facta familiaris Deo, iam afflatu singulari quadam præsentia Dei, vnde mirabilia facit. huius ergo afflationis, miraculique causa est non passio ex sonis illata, non animæ natura ex harmonia composita, sed similitudo ad Deum, Deique præsentia. Multò quoque minus dicendum est, afflationem in eo consistere, quod per Musicam & afflationem ipsam superflua quædam in anima, corporeque concreta purgentur. Vaticinij ius non est ex certa complexione, deorum enim dona non variantur secundum corpoream varietatem. Munus enim diuinum impartibile est, & super naturæ vim datur per propriam Dei actionem: neque aqua, neque aër, aut corporeum aliud præbet vaticinium, sed facta, quę fiunt circa hæc, imo mentis purificatio vera, cum purificatione vehiculi, intentioque in Deum suscipit vim diuinam vbique semperque promptissimam. Cum afflatus animus & dicat, & agat supra, & contra naturæ morem, causa afflationis eiusmodi non est naturalis, vel ex corpore nostro, vel qualitate loci, vel dispositione cœlesti nascente homine, vel operante, sed ex Dei præsentia ista fiunt, vnde & variæ afflatorum species non sequuntur naturales varietates in nobis, sed differentes species, tum numinum afflantium, tum modorum, quibus diuinæ præsentiæ participes sumus. Quòd igitur homines afflati diuinitus, alii conquiescant, alii concitentur, alii montes & deserta petant, aliterque alii se habeant, non procedit ex differentiis naturalium in nobis causarum, vel locorum, vel Musicarum, quas nuper audierint, audiantue, sed ex variis deorum proprietatibus, quibus afflati reguntur, atque ex variis afflandi modis. Porphyrius tria à multis in medium adducit oracula, vnum Colophonium, vbi aqua bibita, vaticinium veniebat: alterum Delphicum, vbi sedens ad os antri vaticinabatur: tertium Branchidicum, vbi haurientes vaporem ex aqua prophetabant. Vnumquodque secundum naturæ suæ modum agit circa se effectus, & opera. Ideo spiritus ipsi, qui à diis pendentes suscitant homines, atque concitant, in hoc ipso opere excedunt omnem naturalem, humanumque motum, atque hæc ipsa eorum actio nulla conditione similis est consuetis actionibus hominibus notis. Erat in Colophone subterraneus locus, in quo fons erat, sacerdos igitur statutis noctibus sacrificabat, postea gustabat aquam, tandem vaticinabatur ibi factus præsentibus inuisibilis. Videri potest alicubi spiritus diuinus transisse per aquam in sacerdotem. Neque tamen est ita ipsum, namque diuinum non ita secundum distantiam, diuisionemque transcurrit per ea quæ participant, sed extrinsecus comprehendit, penitusque illustrat, & implet aquam virtute quadam ad vaticinium conferente, scilicet purgatoria, ita quòd quando sacerdos bibit, ipsa purificat lumen infusum spiritum nobis insitum, & accommodat ipsum Deo: qua purificatione accommodationeque Deum capere possumus. Sed extat præterea alia Dei præsentia præter virtutem infusam aquæ, ac prior, & desuper, circum & intus illustrans, quæ à nullo obest, modo propter congruitatem contingere possit. Adest itaque subito, vtitur propheta vt instrumento, qui interim necue sui iuris est, neque animaduertit, quem loquitur, sed & vbi sit ignorat, vnde & post responsum vix seipsum recipit, quin etiam ante potum aquæ, diem noctemque cibis abstinet, & ad sacra quædam se reuocat inaccessibilia vulgo. Itaque propter sequestrationem à rebus humanis, sincerum se reddit, aptumque ad Deum suscipiendum. Ex quibus colligitur, duobus modis hic ad Deum hominem præparari, vno per purgatoriam aquam factam à Deo talem, quæ purificat spiritum, altero per sobrietatem, solitudinem, separationem mentis à corpore, intentionemque ad Deum, Sibylla in Delphis duobus modis suscipiebat Deum, vel per spiritum quendam tenuem igneumque, qui erumpebat alicubi ex ore antri cuiusdam: vel sedens in adyto super sedem æneam, habentem tres, aut quatuor pedes & Deo dicatam, & vtrobique exponebat se spiritui diuino. vnde ratio diuini ignis illustrabatur, itaque aliquando ignis plurimus simul totus ex antro euolans, vndique circunfunditur ei, repletque splendore diuino. Aliquando, dum inhæret sedi sacratæ Deo, per quam accommodatur Deo, coaptatur stabili vaticinio Dei, vtrobique verò per hæc sybilla fit tota Dei, vnde subito Deus adest, sed interim separatus, existens alter præter ignem & spiritum, sedemque propriam, & omnem eius loci apparatum, vel artificiosum, vel naturalem. Fœmina quinetiam in Brancis fatidica, vel manu tenet virgam ab aliquo Deo datam, vel pedes, aut limbum tingit in aquam, vel ex aqua quadam vaporem haurit, & his modis impletur splendore diuino, deumque nacta vati-

einatur. Nam ex his omnibus fit accommodata Deo, quem extrinsecus accipit. Quod autem ex nulla virtute corporea vel animali propria, vel locorum, instrumentorumue vaticinium fiat, sed ex præsentia Dei venientis extrinsecus, patet ex eo, quod ipsa sacerdos, antè quàm det oracula, multa rite peragit sacrificia, obseruet sanctimoniam, lauatur, triduum prorsus abstinet cibo, habitat in secessu, iamque incipit paulatim illuminari, mirificeque gaudere. Per quæ patet prouocari Deum extrinsecus, vt adueniat, & forinsecus aduenire, & prius quàm sacerdos ad locum agnæ veniat, quodam modo inspirari, & in ipso loco, dum spiritus quidam ex aqua euolat fontis, constat aliud quiddam preter hæc esse Deum separatum ab his omnibus, causamque loci, & fontis eiusmodi, totiusque vaticinij. Virtus, quæ inspirat nobis vaticinium, est abso uta à locis & temporibus: alioquin non posset omnia simul loca, temporaque exprimere. Si enim inseparabiliter inhæreat naturę locorum, materiarumue, vel procedat secundum motum determinatum numero, non poterit, quę vbique, semper que sunt, nec ipsa vbique, & semper æquè prænoscere, sin autem ab his fuerit absoluta, tanquam præstantioribus, quæ tempore fiunt, vel continentur loco, omnibus vbicunque sint aquæ, adest, & iis, quæ tempore fiunt, vndique simul adest, atque in vno simul comprehendit omnium veritatem, propter essentiam eius separatam prorsus & omnia superantem. Vis diuina vaticinii origo est, vbique tota & semper tota. Ea vis non est à corpore, neque ab animo corpori addicto, sed absolutis, id est Angelis, Deoque, qui sunt vbique, vel saltem vis ipsa est, vbicunque est aliquis angelorum, qui sunt vbique: ipsaque ab omnibus separata corporeis, præsens omnibus, non comprehensa loco vel corpore, vel anima, quæ in aliqua specie particularium sit addicta, sed hæc ipsa fatidica deorum potestas, & separata est ab omnibus, & ideo tota simul vbique adest subitò participare potentibus, illustrans for nsecus, & omnia replens, perque omnia elementa discurrens, nec relinquens animal aliquod, vel naturam, cui pro capacitate sua non imprimat ex se aliquid conferens ad præsagium: ipsa verò propterea implere se omnibus æquè potest, quòd pariter est ab omnibus absoluta. Porphyrius præter vaticinia publicè celebrata commemorat aliquod priuatum, eorum scilicet, qui profitentur per certos characteres se spiritus attracturos ad vaticinium, quod Ian blichus reprobat, quia, cum totam religionem, sanctimoniamque negligant soli confisi characteribus, nequeunt ipsum alicuius Dei, bonique numinis, præsentiam adip sci: qua solent vera vaticinia dari sed in eo falluntur, quod per characte res quidem diis congruos, & intentionem animi, reportant imaginariam quandam à superis apparitionem exiguam, & obscuram & quoniam interim sanctimoniam negligunt, ven unt sub malorum dæmonum pot statem, cui mentiuntur, & fallunt, & quantulumcunque indiciorum apparitionumque à diis contiger t; peruertunt, atque confundunt. Sed qui veram deorum præsentiam sortiuntur, præsagium reportant verum & immutabile, quod malis spirit bus deturbari non possit. Sicut enim veniente Sole, tenebræ eius pręsentiam sustinere nor possunt, sed subitò subterfugiunt, nihil solem impedientes: sic vndique refulgente potestate deorum, quæ replet omnia bonis, perturbatio omnis quæ solet à spiritibus malis accidere, nullum habet locum, sed repente disperditur. Bonis enim numinibus omnino præsentibus, mali spiritus euanescunt, neque mouere se valent, neque splendorem obsuscare diuinum. Damnat eos, qui omnem contemplationem, sanctimoniamque religiosam negligunt, solis confisi characteribus, qui sperant se inclusuros substantiam ipsam alicuius Dei, quo presente vaticinentur. Horum quoque confidentiam Porphyrius improbat. Qui etiam narrat præter hos, esse alios, in quibus phantasia aliquando concitatur, quando certa quædam adhibuerint, etsi alioquin in aliis mentes compotes sunt, dum sint phantasiæ furentes in sacris. Quando scilicet vel in tenebris latuerint, vel certa pocula biberint, vel cantibus, vel cõstructionibus quibusdam vsi sint. Tunc ergo furentes imaginantur occulta, futuraque, alij quidem in aqua videntes, alij in muro, alii sub dmo. id est sereno aëre, alii in Sole, alii in stellis aliis. Lumen hoc diuinum venit in phantasiam propriè, ac si quid extra videmus, mirabile fit, per visum phantasiæ pedissequum. Dii vel præsentia tantum sine medio mouent animum quoties volunt paratum, scilicet vel lumen aliquod ex se fundunt in ętherium animæ vehiculum, quo imaginationes mouentur in phantasia, quales ipsi volunt, & vtrobique diuinitus nusquam includitur. Cùm adhibentur prædicta vaticinio congrua, attentio quidem animi, & cogitatio animaduertit, quæ fiunt, quando diuinum lumen non attingit propriè ad hæc, scilicet ad rationales potentias, sed interim imaginatio fuerit alienata, quia super motem humanum desuper incitatur. Tenent aliquando in tenebris hominem diuinandum Nihil enim in eis obsistit venturo lumini. Aliquando tenent in lumine quando eum præparent, vt maior sit ad lumen diuinum similitudo, & tunc accipitur illud in lumine Solis, vel Lunæ, vel serenæ noctis, vel in aqua propter diaphanon parata, vel in pariete sacris characteribus præparato, hic enim propter soliditatem, quod diuinitus semel accipitur, diutius retinetur. Admouent præterea quædam cognata diis insinuandis, & exhibent diuinaturo potiones, & compositiones quasdam, & cantilenas, vel excantationes conuenientes ad præparandum susceptaculum & ad commodandam præsentiam, apparentiamque deorum scilicet, quod lumen eorũ occultum alicubi pateat sensui, sed semper pro voluntate deorum, siue deducatur ex æthere, siue aëre, vel Sole, vel Luna, vel alia sphæra cœlesti. Quatenus placet diis, qui liberi dant, & vt præcipui authores, & mouent imaginationem, & per eam quandoque sensum in obiectis accommodatis, & aliquando eam per sensum, imagines magicæ factę ex materia solida diutius virtutem seruant. Superi dant dona pararis, non solum naturaliter, sed per intellectum & liberam voluntatem ipsorum deorum, d i dant futurorum ostenta in extis, auibusque, & stellarum nouis prodigiis, ex quibus humana sagacitas conijcit euentus per proportionem signorum aduentus, vt ex casu auis casum viri, ex defectu membrorum in extis defectioni, exigue cadente deiectionem eorum. Dii imprimunt futurorum signa in rebus ministerio naturæ vniuersalis, & naturarum vel obsequio dæmonum seruientium diis, & dominantium elementis, animalibusque, similibusque cunctis, quæ agunt facilè pro voluntate deorum. Et si symboli-

cè declarant in ſignis voluntatem Dei, & futuros euentus, vt inquit Heraclitus, repræſentant interim opificii modum. Sicut enim pet imagines firmas faciunt res, & euentus perſignant, ſic & per noua oſtenta, & qualiacunque ſigna, & interim agunt ex eadem cauſa, & occaſione ſagacitatem noſtram. Viſcera in oſtentis tranſmutantur contra oaturam in animalibus ab anima eorum, & à dæmone eis pręſidente, & à motu aëris, motuque cœli, præter naturam, & pro voluntate deorum ad homines admonendos. Qood antem diuinitus fiat, patet, quia ſæpe non inueniuotur in animalibus principalia quædam membra ad vitam neeeſſaria, quæ repente io miraculo auferuntur, cum neceſſe ſit ea paulo ante non defuiſſe. In auguriis captandis aoes miraculoſe mouentur ab anima ſua, & dæmone præſide, motuque aëris, atque cœli à quo cœlo deſcendit virtus per totum aëre conformans, & commouens illum ad deorum ſententiam, pro ſignis efficiendis. Sententiam dico ab initio præſignatam, atque decretam: ſic aues ſæpe ſeipſas præcipitant, vel allidunt, vel aliter ſe necant, dum ad ſignificandum conferunt, qnod non ſponte faciunt, ſed tactæ diuinitus. Flammæ quædam ſtellarum inſtar factæ diuioitus, aliquando pro ſignis futurorum in aëre facillime fiunt, ad nutum deorum cœleſtium accenſo illic aëre ſummo, qui ductu, formatuque facillimus eſt, præſertim à diis, atque in ignem, deſcendunt interim in hunc aërem corporum cœleſtium influxus quidam, conducentes ad creandos, mouendaſque ſtellas eiuſmodi, ſimiles cœleſtibus luce, virtute, motu, mundaoum animal eſt adeo ſecum vnitum, vt membra eius compatiantur inuicem, commoueanturque, etiam quæ remota inter ſe videntur, quaſi ſint proxima, tanquam eiuſdem animalis membra. Atque hæc vnio, & compaſſio confert diis ad exhibenda ſigna hominibus, primò per cœlum, ſubinde per aerem. Dii non immediate, ſed per media inſtrumenta ſcilicet dæmones, animas, naturas, & omnia hinc dependentia faciunt hominibus ſigna, exordientes ſecundum principium vnum, & inde diffundentes deinceps motionem ab ipſis deſcendentem, quocunque volunt ipſi. Ideoque ſioe habitudioe, & coordinatione eorum ad generabilia, regunt eiuſmodi ſingula, & ſicut in opificio, & prouidentia, ita in exhibendis ſignis non deflectitur eorum intellectus ad noſtra, ſed dum ille in ſe permanet, ſigna omnia, vaticiniumque conuertit ad ſe, eaque animaduertit à ſeipſo procedere. Vates omnes confitentur, per deos, vel dæmones vaticinium nanciſci, quia nequeant futura videre, niſi quæ ſint cauſæ, & domini futurorum, per quos & alij videant. Porphyrius admiratur, quòd dii adeo inſeruiant hominibus, vt vates aliqui etiam per farioam vaticinentur. Reſpondet Iamblichus, deos non obſequio id præſtare ſuo, ſed exceſſu poteſtatis & bonitatis, & cauſa omnia in ſe continente, dum in ſeipſis manent abſque conuerſione ad ſubdita, eis pro gradu præparationis dona, & ſigna largiri, ſicut ſol diaphanis, oculiſque lumen, atque hoc calorem. Quia videmus homines ſubiecta curare conuerſione quadam ad opera, & diſtractione ad diuerſa & diſtrahi à ſeipſis, & laborare: ideo ſimiliter ſuſpicamur prouidere deos, qui contra, quatenus ad ſe conuertuntur, vnamque ſui formam, quæ eſt inferiorum cauſa, eatenus agunt, mouent, regunt omnia, non diſtracti per diuerſa, ſed ab vno principio, nutuque ſimplici vibrantes cuncta, ſucceſſione quadam inde pendentia: neque ipſi ad ſubiecta flectuntur, ſed ſtatu, & pleniſſime ſua reddunt ſibi cuncta ſimilia. Deus diuerſos ſuppeditat vaticioii modos, non quidem diſtractus ipſe, ſed indiuiduo nutu, formaque ſimplici ſuggerit omnes, & diuerſis temporibus ſuggerit diuerſos, non ipſe per tempora varius, ſed æterno, eodemque mentis, & voluntatis ictu omnes inſpirat, qnamuis hi, temporibus variis explicentur, neque in oſtentis cootinetur, diſtrahiturue, ſed in vna ſui forma complectens omnia ſigna, ex ea exprimit in ſeipſo conſiſtens, dum vno voluntatis actu omnia tradit. Tanta eſt exuberantia prouidentiæ ad oſtendenda nobis ſigna, vt etiam in calculis, virgis, lignis, lapidibus, frumento, farina, indicia præbeat futurorum, vbi mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, ratione careotibus intelligentiam quandam præſtare videtur, quaſi hæc cognoſcere videantur, vbi nobis futura portendunt. Et ſicut Deus ſæpe per fatuos homioes loquitur ſapientiam, declarans non hominem ibi loqui, ſed Deum, ſic per viliſſima quæque portendit futura, his ipſe admodum ſupereminens, & per omnia noſtra inſtruens intellectum. Deus per infima quæque cognitione carentia patefacit quædam cognitione ſuperiora, vbi teſtatur ſe longè ſupereminere naturam. Qui dum diuerſa porrigit ſigna, non coërcetur in eis, neque per illa diſtrahitur, ſed ſtans in vna, indiuiduaque ſui forma comprædendit illic omnia ſigna, & illinc vnico, ſimplici nutu explicat omnia, præbetque nobis argumenta paſſim præteritorum, pręſentium, futurorum.

Non fit in ſacris opus alicuius efficaciæ, niſi per potentiam, imo & præſentiam numinis alicuius.

IN religione non poteſt fieri opus vllum alicuius mirabilis efficacię, niſi adſit illic ſuperorum aliquis ſpectator operis, & impletor. Opera quidem abſoluta ducunt dii, media Angeli, tertia dæmones. Natura quidem humana nec rationem quidem, orationemue de diis ſuſcipere poteſt ſine illis. Eſt enim imbecillis, & hebes vſque adeo, vt nullum nullitatis ſuæ remedium habeat, niſi quandam diuini luminis portionem deſuper accedentem, ſine qua nihil à nobis fit diuinum. Sicut falluntur, qui confidunt ex inaoimatis animam, & ex amentibus facere mentem, ita qui ex rebus non diuinis diuina facere, & ſint diis propria deorum opera, qualia ſunt vaticinia, & miracula, & ſimilia, vt apparitiones, & expiationes.

Numina inuocata, nobis adſunt, non coacta, ſed volentia.

COnfeſſum eſt efficacia religionis opera perfici pręſentia deorum, angelorum, dæmonum. Porphyrius quidem ſuſpicatur numina ad hæc trahi quadam inuocationis neceſſitate. Iamblichus negat neceſſitatem inferri vel ab homine, vel à mundo numinibus, quę cum ſint immaterialia, non ſuſcipiunt ordinem aduentitium aliunde. Item inuocatio, & operatio ſacra, admouet quidem ſacerdotes ad numina aſſimilatione, & familiaritate quadam non violentia ſacerdotibus illata, nedum ouminibus inferatur. Deus, omniſque chorus numinum Deo coniunctus eſt, ſupra omnem neceſſitatem extrinſecus venientem. Vaticinium perficitur, dum ſacerdos operatur ſacra,

neque

neque tunc passio cadit in sacerdotem, vel in diuinitatem, quando diuinitus inspirantur, multo minus in numina, quæ non illabuntur in animos, nisi vacuos passione. Neque dicendum est, fatidicum animum esse instrumentum medium, & efficax diuinorum, sacerdotem verò inuocantem esse velut causam efficacem operum diuinorum. Imo Deus est omnia, potest omnia, implet omnia semetipso. Humana verò natura nullam in his efficaciam habet, est enim ad diuinitatem ludus. deridemus eos, qui dicunt Deum forte quadam aliquibus adesse potentia figuræ cœlestis in Genesi. Non enim decet ingenitos, & vniuersales causas mancipari alicui per generationem eiusue periodum, & per causas alienas. Quidam, cùm & nollent curis onerare Deum, & non perciperent modum aliquem opificij, prouidentiæque, præter eum, qui solicitudine fit humana, negauerunt deos facere, atque prouidere, similiter negarent deos interesse vaticiniis, & miraculis, qui non viderent modum excellentem, quo dii adsunt sine labore, & mutatione sui, modus autem per hæc omnia diis proprius eisdem duntaxat est notus. Porphyrius ait, opera diuina, qualia sunt vaticinia, & miracula, esse aliquando passiones quasdam animæ ex patuis scintillis excitatas, & animam sua virtute posse hęc imaginari, loqui, facere. Iamblichus dicit, opus diuinum neque fortuito fieri, cum sit ordinatum, neque ab homine longè inferiore. Oportere enim diuinum opus à diuinitate fieri, omnia igitur opera diuinitati similia non ab humana, sed diuina pullulare natura.

Opera miraculorum, & prophetiæ, non fiunt aliqua virtute stellarum, corporis, animæ, sed mera, & libera potestate Dei.

ANima humana & vna specie comprehensa est, & à caduco corpore nimium obumbrata. Ideo nullam habet ad diuinum opus potentiam efficacem, si quando verò videmur tale aliquid quodammodo posse, solum id agimus illustratione diuina desuper influente, per quam & actionis diuinę videmur esse participes, si opera diuina fierent ab anima ipsa natura animæ, & virtute propria, anima virtutis & prudentiæ compos, vel etiam omnis anima talia faceret. Nunc verò nec omnis anima facit, & quę perfecta videtur anima, ad diuina adhuc est imperfecta. Non igitur anima, sed diuinitas ipsa causa est operum diuinorum. Alioquin non esset nobis ad hæc religio necessaria, sed absque deorum cultu compotes esse mus operum diuinorum, si hæc ipsa animæ fierent potestate Denique, si anima sua potestate diuina perageret, vel omnis anima faceret, vel quæ haberet virtutem, & perfectionem animæ propriam scilicet scientiam, artem, prudentiam, mores, qui per prudentiam acquiruntur, nunc autem non tales hæc faciunt, sed concitati quidam potius & abstracti. Tria proposuerat Porphyrius de diuinis operibus. Primum, ad hæc animam esse causam instrumentalem: secundum, animam quandoque esse causam principalem: tertium, animam posse ita esse ex ęquo concausam, vt ex ea, spirituque diuino. Tertia quædam species substantiæ, vel subsistentiæ fiat. Iamblichus dicit, quando vnum aliquid fit ex pluribus, illa plura & esse cognata, & mutabilia, ex eo, quod sunt, in aliud sic commisceri in vnum quintum quatuor elementa, & animas plures in vnam totam, forte vegetalem, sensualem, motiuam, in nobis concedete intellectuali, & in eius actum redigi, vel forte ex illis omnibus harmoniam vitalem in corpore resultare, vel forte animas in patria conspirare in vnam ideam omnium animatum, diuinitas verò velut à cunctis exempla non coit in vnum. Tertium, cum anima præsertim è suo statu iam lapsa, & quia diuinitas velut longè diuersa non cadit in mixturam, & quoniam immutabilis, non commutatur in aliud commune duobus. Prius quidem dictum fuerat scintillis exiguis suscitari in anima species diuinas: esto: sed hæ non traducerentur ad species simpliciter diuinas, si corporales, & naturales essent. Nunc denique, vbi dicitur animam cum diuinitate in vnum tertium congredi, æquatur anima Deo, & conceditur, Deum ibi ita mutari accipereque ab anima, sicut mutari animam, & aliquid à Deo suscipere: quod est absurdum, præsertim quia hinc admittitur, quòd dii elementorum instar coibunt in effectibus suis in vnam formam temporaliter factam, & ex sempiternis, & in re temporali continebuntur. Quando dicitur ex anima, & Deo, vel ex diis inuicem vnum aliquid fieri temporale, quærimus vtrum præter congredientia resultet aliquid necne, si non resultat, tunc non fiet vera vnio, neque vere vnum: sicut neque in artificio sola arte pendente, si resultat res, sempiternè è suo statu cadent, vt fiat aliquid temporale, nisi enim mutentur, tertium non resultat. Omnino verò absurdum est, hoc ipsum, quod generatione quadam fit temporali, ponere sempiternum, neque tamen decet ponere temporale, ne sempiterna seruiant temporali: nec decet ponere, hoc esse solubile, vtrinque factum ex sempiternis, & tamen per nouam generationem videtur esse solubile. Illa igitur opinio est absurda. Porphyrius ait, animam quandoque generare potestatem, essentiamque dæmonicam imaginantem futura, per motiones eiusmodi. Generare inquam, dum conducit in vnum materias quasdam habentes in se vires eiusmodi, præcipuè verò materias acceptas ex animantibus. Iamblichus negat generari dæmones, & corrumpi. Negat & actiones animæ particularis, clausasque in corpore procedere in essentias, in se extra animam subsistentes. Negat vires corporum, materiæ prorsus addictas, solui ab eis ad dæmones generandos. Præterea quærit, quænam sit potestas, quæ vires materiales à materiis soluit, rursumque conflat in vnum ad dæmonem generandum, vbi videtur potestas hæc esse dęmonica, atque ita existere, dæmon etiam antè quàm generetur, Non potest ex rebus carentibus anima, præsertim fatidica. Nequit ex deteriori præstantius procreari. Nequit essentia vlla, substantiaque constitui, ex motionibus animæ, viribusque corporeis, quæ nec substantiæ sunt, neque essentiæ. Item, nullum eorum, quæ per generationem seminatur, maius aliquid habet, quàm quod ei traditur à causa principaliter generante. Cum ergo, nec corpus, nec anima per se habeat vaticinium, non potest anima ex suis motibus, atque corporibus vaticinantem dæmonem procreare. Dicet forsan aliquis, non generari à nobis dæmones, sed eos animantibus ordine præsidere. Itaq; quãdo materiæ ex animalibus huic demoni

commendatis, opportune adhibentur, huic dæmonem quasi compatientem ad talia ferri. Iamblichus ait: dæmones, qui vsque adeo compatiantur, vera vaticinari non posse, Vetum namque vaticinium non esse naturæ passibilis, & aliquo corpore, loco, tempore clausæ, sed ab his omnibus absolutæ, vt queat quocunque in loco vel tempore facta, pariter, simpliciterque prospicere.

De somniis, diuinis, & humanis.

Porphyrius ait, præsagia somniotum partim esse ex nobis, partim ab extrinseco. Iamblichus ait, solum extrinsecus aduenire, quia sæpe studemus, agimusque nonnulla ad hoc præsagium aucupandum, neque tamen datur, & sæpe id non quærentibus datur. Quòd si somnialis effectus esset ex nostra natura, arbitrioque humano, nobis ad hoc prouidentibus eueniret. Mittitur autem à diis pro eorum arbitrio, scilicet quando, & quomodo volunt benignitate quadam demonstrare futurum. Idem declarat Orphicus hymnus. Porphyrius ait, vaticinij causam esse quandam animi passionem. Iamblichus negat, dicens passionem esse suapte natura instabilem, inordinatamque, atque perturbatam. Vaticinium verò esse debere stabile prorsus, & ordinatum: ideoque non posse passione versari. Item quando anima prudens est, & constans, agitque secundum vires eius præstantiores, scilicet intellectuales rationalesque, futura non prospicit. quomodo igitur hæc assequitur, quando patitur secundum inordinatos motus, atque perturbatos? Item passio nihil habet proprium ad entitum, veritatisque contemplationem, sed affert impedimentum. Præterea si res ipsæ in mundo essent passionibus constitutæ, passio similitudine quadam bas attingeret. Cum verò rationibus, speciebusque constitutę sint, & agantur, certè alia quædam prę notio est ab omnibus passionibus aliena, rursum, passio præsentia tantùm sentit. Cum igitur vaticinium futurum etiam assequatur, non versatur in passione. Porphyrius ait, vaticinium esse passionem quandam phantasiæ subortam, vel ex cogitationibus nostris, vel instinctu corporalis in nobis naturæ, vel similiter incidentem, vt & phreneticis contingit vaticinari. Ad hoc autem adhibet signa, quòd in statu vaticinij agit quidem imaginatio vehementer, sensus autem interim occupantur, & cohibentur. Item quòd suffumigationes adhibentur diuinaturo, videlicet ad phantasiam sufficiendam. Item inuocationes, ad eandem affectionem incitandam. Item quòd non omnes, sed iuuenes, simplicioresque ad hoc idonei sunt. Iamblichus ait, occupationem sensuum esse signum, quòd phantasma tunc nullum est humanum. Vapores adhiberi ad efficiendam cum Deo congruitatem, non ad afficiendam spectantis animam. Inuocationes non excitare, vel cogitationes, vel corporeas passiones in nobis. Nam nobis incognitæ sunt, soli Deo, qui inuocatur cognitæ, soles simpliciores esse expositos diuino spiritui extrinsecus venienti. Quod Porphyrius ait, vaticinium esse passionem phantasiæ talem, qualis accidit melancholicis, & desipientibus sæpe fatidicis, abutitur diuino vaticinij munere, dum alienationem diuinitus factam in melius compatat alienationi à morbis, ebrietate, rabie in dexterius accidenti, alienatio animi ex passionibus nostris accidens, infra humanum statum deiici animum, sed à Deo facta, attollit hominem super hominem, Deoque coniungit. Illa reddit instabilem, & in materiam prorsus immergit: hæc constantem, ordinisque compotem, & à materia soluit. Nullo modo dicendum, afflationem diuinam habere aliquid simile, cum alienatione facta ab humoribus, ebrietate, rabie, nam hæc a Deo supra quæ cogitari possit, distantia sunt: tantundem ergo distat insania eiusmodi, ab inspiratione diuina: nihil igitur habent simile, vel commune. Alienatio à causis facta corporeis, est animi deprauatio ex debilitate contingens. Facta verò diuinitus est salus animę contingens ex plenitudine potestatis. In illa quidem, dum animo suas operationes aggreditur, eas edit peruersas, atque turbulentas: in hac autem, dum secundum propriam vitam, intelligentiamque, vacat, superiori se exponit vtendam. Denique, quantò distant diuina ab infimis naturalibus, tantò illorum actiones, effectusque ab effectibus naturalium. Alienatio itaque inducta diuinitus nihil habet simile cum ea, quæ fit humanitus. Cùm igitur illam cogitas, separa prorsus ab illa omnes huius defectus, accidentia omnia. Quinetiam quando sobrietatem, vigilantiamque sacram acceptam diuinitus meditaris, noli cum sobrietate hominum, comparare. Et vtrobique ab imaginationibus diuinitus adhibitis animum remoue, quicquid vllo modo simile est imaginationibus vllis, quas humores, similesque causæ suscitant. Item ambiguum hominis statum inter sobrium animum, alienatumque medium, ne similem putes statui animi sacri, vno intuitu spectantis Deum, nec certissimos intuitus diuinorum similes esse credas, imaginationibus arte venefica suscitatis. Nam quæ fascinati imaginamur, præter imaginamenta nullam habent actionis, & essentiæ veritatem. Eiusmodi namque magicæ finis est, non facere simpliciter aliquid, sed vsque ad apparendum imaginamenta porrigere. Non est putandum diuinum vatem incidere in veritatem casu sicut insani solent aliquando: nec etiam passione quadam naturali, sicut & animalia solent pati sæpe à partibus, viribusque quibusdam mundi futurum aliquid inchoantibus, & iam in aëre quodammodo facientibus prius quàm in terra. Atque ita patiendo nonnunquam futuras persentiunt terræ concussiones, atque procellas, præsertim animalia, quæ vel facilè patiuntur, vel acutè persentiunt. Prænotio enim vel casu vel eiusmodi passione proueniens, rara fit, inordinata, non continuata, prorsus obscura. Vaticinium verò diuinum vniuersi ordinem continuata, & firma, connexaque conspicit ratione. Siqua nobis innata sit facultas ad futurum percipiendum, non est propterea vaticinium; hæc enim nec semper, sed aliquando veridica est, nec in omnibus, sed quibusdam, vaticinium verò & semper, & in omnibus est veridicum. Item prænotio arte facta ex signis aucupatur futurum non omnino fidelibus, quia non semper sibi coniunctum habent euentū, sed diuina prouidentia factum effectus à causis conspicit, intuitu firmo, præsentique & prorsus continuato, connectens omnia mutabilia, temporaliaque & inter se distantia, futura anticipans, vt præsentia. Dicet aliquis, posse prænuntiari futurum, ex quatuot donis simul iunctis, scilicet ex certa hominis natura, & ex arte huic adhibita, & ex communi rerum inter se compassione

tanquam animalis eiusdem partium, atque ex ea corporum dispositione, qua alia aliis indicia subministrent: sed reuera quando his concurrentibus indicia manifestè percipiuntur, habet & hæc perceptio aliquid simile vaticinio, & vniuersum vestigia vaticinium habet vbique, sed non vbique clara. Tametsi sicut imago ipsius boni in omnibus Deum præfert, sic in cunctis est vestigium aliquod vaticinij. Neque tamen vaticinij species vna diuina, immixta, definienda est per simulachra eius in generationem demissa, & multò minus per imaginamenta delirantium, hæc enim omnia fallacia sunt.

Vaticinium ipsum definiendum est, per vnam rationem, ordinemque vnum, & vnam speciem diuinam, vnamque intelligibilem, & immutabilem veritatem, contrà verò omnis perceptio mutabilis inde segreganda, velut indefinita, & diis, diuinisque nullo modo conueniens: quando fit à nobis aliquod opus nobis naturale, certè ad hoc sunt ab initio tributa semina, & præparamenta ab ipsa natura, quæ est operis eiusmodi causa. Nulla ergo sunt data pręparamenra, seminaque à natura communi, vel humana ad vaticinium illud, quod est supra naturam, consuetudinemque bumanam: natura enim & intelligentia caret, nec est præcipuus author eorum, quæ fiunt, præsertim quarenus in nobis est natura, sed vaticinium plus quam intellectuale est, & causas attingit euentuum, & vno, subitoque intuitu complectitur ordinem vniuersi opus eiusmodi: Dei proprium est agentis hoc in nobis, nobis tunc à propria actione vacantibus. Præsagium, siquod nobis incidit, instinctu naturæ, vel arte peragitur: potest vtique in nostra natura præparationem, appetudinemque babere: sed hoc præsagium valde angustum est & obscurum, & magis minusue suscipit: vaticinium verò diuinum amplissimum est, & certum, & vnum, stabilemque, id est summum vbique gradum possidet, ideo nequit fuisse nobis inditum à natura. Porpbyrius coniectabat affectionem quandam nostræ naturæ vel corporalem, vel animalem ad vaticinium conferre præcipuè, ex eo quod qui aduocabant in hominem vaticinium, gestabant lapillos quosdam, atque herbas, ligabantque nodos sacros, iterumque ligata soluebant, mutabant quoque proposita in eis, qui talia ab illis acceperant, & ex malis meliora reddebant. Sed Iamblichus obseruationes, effectusque eiusmodi retorquet in coniecturam, quod inspiratio vaticinii forinsecus, desuper proueniat, talia enim certis nominibus consentanea, cum adhibentur nobis, ad eorum inspitationem suscipiendam, nos accommodant. Porphyrius ait, non esse contemnendam artem, quæ ex certis vaporibus ad ignem sub opportunis stellarum influxibus facit deorum idola in aëre protinus appatentia similis quodammodo diis, & habentia similem aliquam efficaciam. Iamblichus ait: hęc idola paruyendi à sacerdotibus, qui veras deorum species peruiderunt: neque posse excellens aliquod bonum repetiri in eo, quod pullulat ex materia, formisque in ea, formarumque eiusmodi viribus, & arte simul humana. Nam quod fit ab homine, est detetius homine, & quod fit ita, vt idolum, est adumbratio quædam apparens potius quàm existens, ac dum fit, protinus euanescens: neque fit arte opificia, quæ veras essentias fabricat, sed imitatotia potius, quæ essentiarum reddit imagines. Profectò Deus mundi opifex nòn per cœlestes motus, non per particularem materiam, non per porentias ita diuisas fabricat omnia, sed intelligentiis, voluptatibusque, & immaterialibus speciebus, ac per animam sempiternam supermundanam, simulatque mundanam mundos efficit. Factor quidem eiusmodi idolorum dicitur per stellas efficere, nontamen eo modo per ipsas efficit stellas, quo forte videtur, cum enim innumeræ sinr in diis cœlestibus vires, omnium infima est potentia naturalis. In ipsa potentia deorum cœlestium narurali sunt rationes, tum seminales, id est formarum generatiuæ, tum aliæ quædam immobiles seminalibus præcedentes ibidem, id est, coordinatiuæ formarum: vtrarumque igitur rationum authoritas generationē vuiuersam præcedit. Post eas sunt in corporib. cœlestibus qualitates, vires, morus, atque ex eis defluxus dominantes sub rationibus toti rerum mundanarum exordinationi: infima verò potestas cœlestium, quos dixi, virium generationem rerrenorum ducit. Multæ artes, vt Medicina, gymnastica, agricultura quæcunque videlicet in operatione sua communicant, cum operatione naruræ vtuntur qualitatibus, viribusque, per defluxus cœlestes ad inferiora traiectis, atqui & idolo ficus ipse trahit à cœlestibus defluxibus portionem aliquam geniralem, quamuis exiguam, atque debilem. Non enim vtirur ipsis cœlorum motibus, aut viribus ipsis, quæ illis insunt, aut viribus, quæ naturaliter fundantur circa cœlestes motus: nec porest eas attingere, sed occupatur citca vires quasdam, quæ ab illorum natura ad vltimum defluxerunt, prolapsæ ad infimum mundi locum. Vtirur quidem is arte quadam, sed non pia, atque dcifica, hæ quidem infimæ cœlestium vires conspirantes, circa materiam quandam particularem, possunt eam transmurare, transfigurare, transformare alias aliter. Iam verò & transpositionem ab aliis in alia suscipiunt potentiarum earum, quæ particularibus insunt. Qnando aliquis eiusmodi fabricat idola ex multis materiis, & sub cœlestibus inflnxibus, tunc varietas illinc quidem cœlestium actionum, hinc verò potentiarum materialium congregata, facit quidem aliquid, sed actio hęc longe degenerat, non solum ab opificio diuino, sed etiam ab effectione naturali. Natura enim & vno simul tenore, & actione simplici proprium peragit opus. Hæc igitur idolorum fabrica, est artificiosa commixtio circa defluxum cœlestium vltimum, & circa illa, quæ ad postremum à cœlesti natura mouentur, atque recedunt. Homo, cum sit melior, & ex melioribus procreatus, non debet idolis fabricandis incumbere, quæ non sunt animata; sed ostentamento quodam vitæ sunt inflata, nec intima, veraque, sed externa, fictaque barmonia continentur, prorsus ad breue mansura, nec habent verum aliquid, & legitimum, cum sint arte solum humana conficta, solùm verò, quod simplex, & vniforme est actionis, vel compositionis in eis pręualet. Ideoque valde deficiunt, quoniam ex qualitatibus longè diuersis, contrariisque congesta sunt, neque potentiam aliquam perfectam habent, quoniam eiusmodi defluxum multitudo è multis captatur, & in aduentitium aliquid commiscetur elixe penitus, & infirmum: nec stabilitatem vllam habent hæc idola, imo velocius quàm quæ apparent in speculis, euanescunt. Quando enim admouetur suffumigatio vaporibus exhalantibus, protinus componunrur: at cum per

totum aërem fimus, vaporque se fundit, subitò dissoluuntur. Prodigiorum eiusmodi fabrica idolaris est omnino contemplatore veritatis indigna, qui enim hæc machinatur, siue eorum vilitatem cognoscens, delectatur tamen, similis illis euadit, siue colat, vt deos, peccati reus est factu, dictuque nefandi: nec lux vlla in animam diuina subrutilat, circa tenebrosa idolorum phantasmata occupatam. Porphyrius ait: idolorum factores in fabrica obseruate cœlestium cursum, dicentes, quo potissimum cœlestium currente, & cum quo, vel quibus concurrente, vaticinia vera prouenient, aut falsa: item quæ ibi fiunt, vtrum significatiua sint, effectiuaue, vel contra significationis efficaciæ vacua. Quamuis ex materiis electis idola construant obseruatione syderum, nihilta-men hæc inde habent in se diuinum, nam materiæ, quæ hic mouentur cœlitus, in generatione sunt postremæ, atque ad vltimos è cœlo defluxus compatiuntur. Quæ enim tam facile permutentur eiusmodi phantasmata, vt ad minimum nutum vel inertia sint vel contrà scilicet fatidica, siue significatiua, siue effectiua, certè passio tam facilis, & mutabilitas, adeo velox declarat, ea diuinæ potentiæ nihil habere, Non sint in materiis vllæ potentiæ, quæ sunt elementa dæmonum: neque hi possunt ex particularibus corporibus generari, imò ab eis hæc generantur, atque custodiuntur. Neque potest homo suis machinis formas ipsas dæmonum procreare, imo nos secundum corpus à dæmonibus formati sumus. Non est putandum ex elementorum coitu confluere aliquam multitudinem, siue compositionem in se propriam dæmonibus vim habentem. Nam ipse demon simpliciter, vniformiterque, & in se consistens, in vnum diuersa congregat elementa, atque ex eis composita generat, & quicquid inest perseuerantiæ, ipse largitur: neque decet idola dæmones appellare. Nam & aliud est idolorum author, aliud dæmon magnus dux dæmonum: ipsaque substantia dæmonum diuersa est à phantasmatis idolorum, quibus & tu Porphyri confiteris, neque Deum neque dæmonem aliquem deorsum trahi. Igitur hæc idolorum fabrica, cum Dei, dæmonisque sit expers, neque vaticinium, neque sacrum opus aliquod affert.

Chaldæorum mysteria de Sacerdotio, Deo, Dæmonibus bonis, & malis.

Porphyrius commemorat opinionem dicentium omnia vaticinia nobis à dæmonibus malis infundi, quorum natura sit subdola, omniformisque, atque versatilis qui deos, & sublimes dæmones, & animas defunctorum simulent, & hac fallacia nobis occurrentes presagia præbeant. Horum opinionem Porphyrius etsi non probat, commemotat tamen de hac quoque Aegyptium consulens.

Iamblichus hoc quoque damnat inter sacra commemorare profana, atque subinde narrat mysteria, quæ audiuit Aegyttius à Prophetis Chaldæorum talia. Dij vera bona dant bonis per sacrificia expiatis, quibuscum & versantur, suoque commercio prauitatem, passionemque ab eis longe propulsant, suoque splendore tenebrosos inde spiritus arcent. Mali enim spiritus intrante deorum lumine, velut sole tanquam tenebræ subterfugiunt, neque turbare vlterius pium sacrificatorem possunt, omni prauitate, & perturbatione passioneque liberum. Qui verò perniciosi sunt, & interim contra ritus, ordinemque sacrorum sacra insolenter inuadunt, hi sanè propter actionis infirmitatem, potentiæque defectum deos assequi nequeunt. Sed propter inquinamenta quædam, tum à diis arcentur, tum dæmonibus malis accommodatur, quorum flatu prorsus implentur pessimo, pessimique illinc euadunt profani scilicet, atque dissoluti pariter & iniqui, desiderio dissimile diis, atque in omnibus simillimi dæmonibus improbis, quibus cum versantur assiduè. Hi igitur passionibus, & prauitate pleni, per ipsam cognationem malos ad se trahunt spiritus, quibus mox occupati, ad omnem iniquitatem inde iterum incitantur, vbi alter alterum ad hoc ipsum vicissim adiuuat, & corroborat, sicut circulus aliquis principium cum fine coaptans, reddensque equalem eodem pacto vicissitudinem. hucusque Chaldæi. Quando profani contrarius tractant sacra, frustratur euentus, nam & pro diis aliis alii celebrantur, & pro bonis spiritibus insinuantur mali, horum ergo errata non debent, vbi de legitimis sacris agitur, commemorari, neque quæ accidunt illis pro lege putari, sicut sacrilegium diuino cultui contrarium est, ita malis dæmonibus intemperantiæ authoribus, fallacibusque occupati contrarij sunt legitimis sacerdotibus, è quibus procul abest spiritus omnis iniquus, & prauitas, atque passio: adest verò bonorum præsentia numinum, atque desuper ab igne diuino veritate replentur. His ergo mali spiritus impedimenti nihil afferunt ad animę bona, nec inde suggeritur superbiæ fumus, vel adulatio mollis, neque subfumigatione falluntur, neque vi vlla turbantur. Sed hæc omnia mala, tunc boni pręsentia numinis, velut fulguris ictu percussa disperduntur statim, & euanescunt. Talibus ergo veridicum prouenit vaticinium, cum quo nulla ex parte aliud est conferendum, cui ritè studendum est, ea, qua diximus, sanctimonia, hac enim ratione duntaxat acquiritur, & in vaticinando veritas inconcussa, & in anima virtus penitus absoluta, quibus sanè duobus sacerdos ad ignem ascendit intelligibilem, quod tanquam finis omni præsagio, sacrificioque debet esse propositum. Temere nimium ò Porphyri, vbi de diuino agitur vaticinio, opinionem eorum commemorandam existimasti, qui omne præsagium arbitrantur à malo dæmone tribui, hi namque in tenebris à binitio, semperque versati, nec verum à falso discernere possunt, neque principia, quibus adueniunt, intelligere,

Inuocationes, & imperia hominum aduersum spiritus.

Porphyrius dubitat, quare spiritus tum simpliciter inuocamus tanquam nobis superioris, tum quasi cogimus imperando tanquam inferiores. Iamblichus ita distinguit; Dii quidem, & omnes nostra natura superiores plenitudine bonitatis, & voluntate bonorum, & benignitate quadam dignis animis conuenientia tribuunt: diligunt religiosos tanquam genituras suas, & alumnos, atque discipulos, & laborantium miserentur. Sunt præterea media quędam genera numinum, qui ephori, præsidesque sunt discretionis, atque iudicii, consulunt, quæ facere deceat, quę declinare, ad iusta quidem adiuuant, reuocant ab iniustis, & sæpe in homines iniquos iniurias

quas inferre conantur, instè retorquent, vt quæ agere moliebantur, patiantur ipsi. Est rursum aliud genus spirituum nobis circunstantium indiscretum, & inconsideratum, quod vnam numero potentiam est sortitum, propter ipsam à singulis vniuersi partibus distributionem, vnde vnum vni tantum operi est addictum. Sicut enim gladius solum diuidit, nec aliud afficit, sic spirituum in mundo distributorum propter ipsam partibilem naturæ necessitatem, hic quidem solum diuidit, ille verò solum colligit, quæ fiunt atque generantur. Quam igitur occulti spiritus alius aliam sortiti potentiam illud tantum singuli, ad quod ordinati sunt, peragunt. Siquis igitur accipiens illa, quæ ordine distributo ad rorum conferunt, deflexerit aliorsum, sed aliquid quasi præuaricando transegerit, & hoc ipsum quod fit, sequitur, ne ipsius malè vtentis est damnum; sed redeamus ad quæstionem. Vt ad quæstionem respondeam, iussa, imperia violenta diriguntur ad spiritus, nec vtentes propria ratione, nec iudicij, discretionisque principium possidentes. Cum enim cogitatio nostra habeat rationandi naturam, atque discernendi, qua res conditione se habent, multas quoque in se vitæ potentias complectatur, spiritibus imperare solet, non vtentibus ratione, & ad vnam duntaxat actionem determinatis. Inuocat eos igitur tanquam superiores, quoniam ab vniuerso mundo nos continente, quę ad tota conferunt, trahere conatur circa quędam, quę in particularibus, diuiduisque continentur. Imperat rursum tanquam inferioribus, quia natura nostra intellectualis præstantior est, quàm intellectu carens, etsi illa lariorem in mundo habeat actionem. Item duplex est in sacerdote figura, siue prætexta, vna quidem humana, altera verò diuina, quam ex sacramentis induit, in quibus latet diuina potestas, sursum ad diuinitatem animum eleuans, Deoque coniungens: ideoque figuram diuinam adhibens animo, quam indutus potest sub prætextu Dei, tanquam superior eiusmodi spiritibus imperare, tametsi tanquam homo rogare solet inuocans eos eatenus superiores, quatenus ab vniuerso inuocat potestates. Sed ita verius soluimus quæstionem. Communio quædam consentientis beneuolentiæ, & complexio indissolubilis vnitatis omnem sacrorum expeditionem continet, vt hæc effectio sit diuina, & excedens omnem expeditionis humanæ modū, ideoq; hunc omnē illinc auferre debemus. Non igitur sacerdos numerā accersit, velut absens: nec mandat aliquid segregato perficiendum, quod homines inter se solent: immo vna quædam, eademque cōmuniter diuini ignis actio sponte sua per se prompta, præsensque, ex se agens refulget, agitque, eodem modo per omnia simul, tum quæ deinceps inde tradunt aliis, tum quæ possunt accipere inde nonnihil. Diuina igitur opera, quæ in sacris explentur non per contrarietatē huius ad illud, vt generabilia: non per differentiam vocantis, moueotisue aduocantur, atque motu transiguntur, sicut humana solent, sed identitate, vnione, consensione, id totum expletur, & sublata discrepantia, hoc ipsum quod agit. & cuius virtute agitur, est commune vbique aliquid, atque simplex. Porphyrius quærit, curnam superi sæpe iubeant suos cultiores esse iustos: aliquando tamen obsecrati inferre iniuriam, inferant. Respondet Iamblichus, non inferre iniurias, sed iusta supplicia, ac si forte iniusta, non esse deos, sed dæmones improbos. Dij non partem quandam huius vitæ tantum, sed totam: nec hanc solam, sed vniuersam ab æuo in æuum conspiciunt animæ vitam, atque ita pro meritis in antecedente vita contractis, sæpe puniunt in sequenti, siue rogati punire, siue non rogati. Interea nos, qui nihil videmus vltra præsens, opinamur aduersa nonnunquam nobis contingere præter meritum, dum tamen sępe in hac vita patimur, quæ in alia iam intulimus, & quæ nunc facimus, aliquando patiemur. Præterea mulra nos latent hominum peccata, quæ deos minimè latent. Item nos iustitiam definimus, vt suum quisque officium faciat, secundum præsentes patriæ leges. Dii verò definiunt eam latius admodum spectantes, videlicet ad totum ordinem vniuersi, atque spectantes eam præcipuè rationem, qua animæ diis conducat, iudicium inde peragunt. Tantaque diuersitas est inter iudicium diuinum de ipso iure, atque nostrum, vt ad illud attingere non possimus. Iam verò & ipsi dii, quid iustum sit, aliter perpendunt ad vnam spectantes animam, aliter ad totam animarum cognationem. Si enim eiusdem naturæ communio existens inter animas, tum in corpore viuentes, tum extra corpus positas, complexionem quandam eandem, atque communem cunctis efficit ad totum mundi vitam, ordinemque mundanum, necessarium est iudicii à totis exigere, scilicet ab ordine vniuersali, & à necessitudine animarum inter se requiretur: præsertim vbi scelerum magnitudo ab vna anima commissorum excedit supplicium, consequens ex peccatis. Dii ergo nunquam obsecrati inferunt supplicia nisi iusta. Cum enim secundum essentiam bonum habeant, mali, iniustique causa esse non possunt. Verum siquis forte conuicerit ex imprecationibus ad superos factis, aduersa quædam aliquibus iniustè contingere, alias quasdam præter deos, bonaque numina causas inquirere compellemur: quas si forte non inuenerimus, non tamen ob hoc suspicari aliquid debemus de diis indignum diuina natura, eaque scientia certa, quæ de bonitate deorum nostris intelligentiis est innata, in qua proculdubio Græci omnes, barbarique consentiunt. Proinde cum malorum species diuersæ sint, atque dissidentes, non in vnam, sed in diuersas referendæ sunt causas. Si verum est, quod de idolis dicebamus, improbisque dæmonibus, hinc sanè exoritur multiplex origo malorum. Simulant enim deorum præsentiam, demonumque bonorum: ideoque cultorem suum iubent esse iustum, vt ipsi videantur boni, sicut & dii, quoniam verò natura sunt mali, rogati mala inferre, libenter inferunt, atque nobis ad iniusta conducunt. Hi sunt omnino, qui & in oraculis mentiuntur, & fallunt, & turpia consulunt, atque peragunt. Dii verò, boniquedęmones, neque fallunt vnquam, neque confetunt ad inqua. Est insuper malorum natura dæmonum sibimet inconstans, instabilis, secumque diffidens, alias alia suadens, superiorum vera natura sibi constat assiduè, eundemque seruat semper in actione tenorem. Corporeæ mundi partes non sunt virtute vacuę, sed quantò maiores, pulchriores, perfectiores sunt, quàm nostra corpora, tanto vires, actionesque maiores habent. Igitur vnaquæque earum vires seorsum differentes habet, & actiones diuersas edit. Item habitudine quadam inuicem multò plura conficere possunt. Quinetiam à totis mundi partibus descendit in particulas quædam actio multiformis

descenditque facillimè, propter potentiarum similitudinem: quatenus videlicet sequentes gradatim potentiæ antecedentibus correspondent: præsertim vbi patiens insuper agens accommodatur. Corporis ergo necessitatibus contingunt ex totis in particulas quasdam mala, & perniciosa quædam totis quidem salutaria, & harmoniæ vniuersi consona, quamuis interea noxia partibus, vel quia totorum actiones sustinere non possunt, vel propter commixtionem inferius accedentem, imbecillitatemque infimis naturalem, vel quia partes, partibus commensuratæ non sunt. Proinde præter ipsum mundi corpus multa potest ipsa mundi natura. Nam & similium concordia, & discordia dissimilium non pauca facit, quinetiam multorum coitus in vnum totius animal, & potentię vigentes in mundo quotcunque sint, & quales aliud quidem in totis, aliud in partibus agunt ob ipsam partium debilitatem ad vltimum distributam, atque diuisam. Amicitia totius, & amor, atque contentio, & similia in ipsis quidem totis actiones sunt, in particulis passiones. Item quæ in intellectu diuino species sunt, rationesque puræ, in vniuersi natura materialem quandam participant indigentiam: in singulis tandem informitatem, & quæ in totis sunt vnita, in particularibus dissident. Corrumpuntur insuper particulæ quædam, vt tota secundum naturam constituta seruentur, conteruntur & partes quædam, atque premuntur, totis interea sic inde nascentibus passionis expertibus. Quando veneficus aliquis imprecationibus suis deducit desuper in quempiam calamitatem, vtendo videlicet ad hoc naturalibus quibusdam, corporeisque potentiis: vniuersi traditio quidem actionis eiusmodi venit desuper absque electione, atque prauitate: rametsi interim maleficus hac ipsa vtens, traditionem deflectit ad contraria prorsus, atque mala, & ipsa quidem traditio, actioque superne descendens compassione quadam propter similitudinem sub contrariorum passionibus commouetur. Maleficus autem electione trahit præter iustum, quod trad tum est ad mala, iam verò ipsa traditio, secundum vnam harmoniam mundi conficit, vt quæ distantissima sunt, tamen cooperentur, siquis interim deprehendens ducere molitur iniquè partes fortesue, quasdam totius in partes alias, ita lædens eiusmodi dãni non est causa in vniuersum, sed abusus humanus transgrediens ordinem vniuersi, legitimaque peruertens. Non igitur dii mala nobis inferunt, sed naturæ corporaque diuinitus dependentia. Atqui & hæc non vt malos, sed vt bonos deflexus, mundoque salutares ad imademittunt, qui verò suscipiunt propria mixtione, peruersitateque transformant adeò, vt aliter quidem data recipiatur conditione contraria. Post hæc interrogas, cur natura superi non exaudiant inuocantem, nisi castum? siquiverò interim obsecrati illicitos concubitus adiuuent: neque pudeat cultores suos ad turpes libidines incitare. Quando causis occultis incitantur ad coitum non legitimum: scilicet, apud leges humanas forte legitimum, hoc est apud mundanas leges, quando videlicet inde nascitur hominibus necessarius. Iam verò instinctus ad Venerem in mundo quidem ad amicitiam tendit, & harmoniam, in partibus autem fit vehementior, propterea quòd hæ ob complexionem suam facilè nimium, & mutuò, & toti compatiantur: denique quod cœlitus descendit ad bonum, hic sæpe transfertur ad malum. Mundus est vnum animal, in quo partes, quamuis loco distantes, tamen propter naturam vnam inuicem ad se feruntur.

Atqui vis ipsa conciliatrix mundi, & causa communis omnium mixtionis, trahit quidem partes ad se inuicem suapte natura, potest eiusmodi tractus & appetitus arte quadam præter ordinem augeri. Vis quidem ipsa concilians infusa cunctis bona est, & causa vbique implexionis, communionis, harmoniæ, amoris mutui, vnionisque mundanæ, quæ sunt fiuntque imperio continentis: in partibus autem propter earum distantiam, & inuicem, & à totis, atque ob naturam debilem & egenam, compassione mutuum congressum conficit, vnde acrior appetitus plurimus est ingenitus. Ars itaque deprehendens hanc vim coagulì passim in natura dispersam, contrahit eam vndique, colligitque simul, deriuatque in vnum. Atque ita appetitum necessariæ vnionis naturaliter moderatum, reddit suis machinis effrænatum, dum & materiam admouet genituræ præcipuè conferentem, & vires vndique naturales inter se differentes, commiscet in vnum: quarum commixtione pro arbitrio regit, & conficit congressus ad genituram. Proinde cum sunt in herbis, atque lapidibus vires, & dissolutiuæ, rursum congregatiuæ, sintque multò maiores in rebus, naturisque maioribus, potest vtrique ad coitum nixus intendi eiusmodi rebus adhibitis, atque ab his ipsius sine artis opera amor accendi, tractusque fieri. Compertum habemus dæmones improbos, in generatione, rebusque tetrenis, humanisque posse quamplurimum. Ideoque nihil mirum videri debet, ardorem ad illicitum coitum in nobis frequenter ab eis accendi, possunt & ad idem conferre vires quædam animæ, tum in hoc corpore viuentis, habentisque vim mirabilem attrahendi, tum etiam hinc absolutæ, sed adhuc in spiritu turbido, humidoque inuolutę, & hoc circa loca generationis adhuc oberrantis idcoque talia committentis. Nemo itaque vel deos, vel dæmones eorum pedissequos amoris, & coitus non legitimi causas esse dicat, sed vel naturales instinctus apud nos deprauatos, vel veneficam insuper artem, vel malos dæmones, vel animas nondum puras.

De Sacrificiis vnde vim habeant, & quid conferant.

QVæritur qua ratione sacrificia & superis conueniant, & hominibus conferant, & in mundo quid agant. Porphyrius ait, non solum Prophetas, sed hypo prophetas, id est omnes sacerdotes qui vaticiniũ tradunt ab aliis acceptum, debere animalibus abstinere, ne dii vaporibus illinc exhalantibus contaminentur, hinc verò sententiæ contrarium est commune dictum, deos videlicet animalium nidoribus maximè demulceri velut esca, capique. Iamblichus vtrumque damnat, scilicet deos nidotibus carnium vel infici, vel irretiri, atque inescari. Anima mundi, cœlestesque ex eo, quod corporibus suis adsint, neque passiones inde suscipiunt, neque ab intelligentiis distrahuntur: animæ verò particulares patiuntur vtrunque, aberraret verò nimium, qui desectus similes animabus superioribus attribueret, non enim est vniuersalium, atque particularium vel principiorum, atque effectuũ æqua conditio. Vetc quidẽ corporibus quondã coniunctis animæ onus proculdubio, inquinamentumque

nobis infert, & procliuitatem animæ, per quam voluptatibus liquescat, atque succumbat, multosque alios in anima morbos procreat, sed vapor exhalans ab animalibus, & suffumigatio sacra ritè peracta diis, mundanisque & vniuersalibus causis nihil officit. Non enim ipsa continet, ordinatque superos ad se ipsam, sed continetur ab eis, atque ad vniuersum coordinatur pariter, atque Deos: ideoque ita potest illorum imperio superis coaptari, harmoniceque congruere, abstinent igitur animalibus religiosi: non tamen quia dij vaporibus animalium sedari possint, potestas namque deorum, prius quam materiale aliquid eam attingat, ipsa quoque sine tactu discutit, nec solum hæc absque propinquitate sua corporalia, prius quàm sibi propinquent disperdit, & delet, sed nec ipsa cœlestia corpora materiale aliquid elementum in se suscipiunt, nec peregrinum aliquid intromittunt, nec amittunt proprium, quinetiam vapores terrenorum vix ad quinque stadia progressi refluunt, nec immateriale, volubileque corpus inficiunt, aut alunt. Quod nullam in se potentiam ad mutationem habet, nec in se, neque sibi contrarium habet quicquam, neque fertur à medio vel ad medium, sed vel quiescere debet, vel reuolui. Corpora igitur infra Lunam, cum sint ex discrepantibus potentiis, motibusque composita, & transmutabilia sint, omnino & sursum, deorsumue ferantur, nihil habet commune cum cœlo, nec naturam, nec potestatem, nec actionem: nec ergo vapor ex eis, nec aliud attingit cœlum ab eis omnino secretum, & merito ingenita permutationem ex generabilibus nullam capiunt. Nunquid ergo natura deorum à vaporibus eiusmodi fœdari potest, quæ vapores materiales, vno (vt ita dicam) ictu propulsat? Talia ergo non superis noxia sunt, sed nobis, hæc enim diuidua, materialiaque, & cognata nobis, aliquid ergo similia commune habet in passione, vel actione, sed aduersus cœlestia, diuinaque in alio genere essentiæ posita, diuersisque naturis, viribusque prædita, & excedentia prorsus, agere quicquam, & communicare non possunt.

Quæ ratio sacrificiorum, quæ vtilitas.

Porphyrius offerri sacrificia diis hac ratione putat, vt eos veneremur eiusmodi donis, vt maiores sæpe solemus: atque etiam, vt pro bonis acceptis diuinitus ita gratiam referamus, pro bonis bona reddentes. Iamblichus causam eiusmodi ductam inquit ex communi hominum ad homines consuetudine, neque conuenire naturæ deorum mores humanos supra modum exuperanti. Maximam vero sacrificiorum efficaciam tales modi, declarationesque sacrificiorum non omnino demonstrant, efficaciam inquam, sine qua non liberamur à peste, fame, penuria, nec impetramus opportunos imbres, immo & per quam purificationem quoque, perfectionemque consequimur animorum, & ab hac generationis prouincia libertatem. Itaque aliquis ex assignatione tua non multum approbabit hos modos, quasi tu dignam causam ad effectus eorum assignaueris. Ac, si fortè probauerit, accipiet profecto secundo eos loco quasi consequentes, & modo secundario coaptatos, primis, antiquissimisque operum eiusmodi causis: desideramus itaque rationem, ob quam sacrificia efficaciam ad res efficiendas habeant, & vnde coaptentur diis præcipuis eorum, quæ fiunt, causis, atque principiis. Dicet aliquis, quia mundus sit animal vnum, habeatque vnam, eandem vbique vitam, ideo communionem ipsam virium consimilium, vel etiam distantiam dissimilium, aut certè aptitudinem quandam agentis ad patiens commouere similia, aptaque eodem modo, dum videlicet discurrit secundum compassionem vnam etiam à remotissimo ad remotissimum, tanquam hæc quoque sint proxima. Nam inter hæc quoque ipsa vitæ communio est æqualis assignatio eiusmodi, verum quidem dicit, & quod ad sacrificia necessario sequitur, non tamen verus sacrificiorum modus ita monstratur. Ipsa namque deorum essentia, nec in necessitatibus naturalibus posita est, ob quam obligationem ex passionibus naturalibus coërcetur, vel per totam naturam extensis potentiis commoueatur, sed extra hæc secundum seipsam determinata est, nullum ad hæc commune habens vel in essentia, vel potentia, vel actione simul & passione, addune ad superiorem assignationem aliquam in rebus inferioribus congruentiam superis. Ideoque ad sacrificiorum efficaciæ conferentiam, velut in Crocodilo hexagonarius numerus cum sole congruat: in Cane rursum, & Dynocephalo rationes physicæ quædam, & vires, rationes communes sint ad Lunam: itemque in aliis materiales quædam species, sicut in sacris animalibus, colores, figuræ, formæ, cuipiam conueniant superiorum, vel membrum aliquod animalis, vt cor Galli, & alia quædam similiter naturalia sacrificiis adhibita operum sint causæ mirabilium. Ex superiori causarum assignatione, non assignatur causa diuina, quæ supernaturalis est omnino: nec naturalibus motibus commoueatur, sed assignatur naturalis quædam potentia in materia, & corporibus comprehensa, ideoque corporeis motibus, rebusque materialibus coëxcitarur, rursumque sedatur, naturaliter inquam, atque hac simul, quæ sunt circa naturam. Siquid vero tale ad sacrificia consequitur, id quidem præcedentibus causis coaptatur, velut concausa, sine qua non eueniat opus. Præstat itaque dicere mirificos sacrificiorum effectus, tanquam à causa, procedere ab amicitia quadam, & accommodatione, & habitudine conciliante opifices ad opificia, & genitores ad genita. Quando igitur præcedente, atque ducente hoc communi principio aliquod animal, vel aliter animatum, natumque è terra, quod effectoris voluntatem, propositumque sincerè, & exactè conseruet, tunc per tale quiddam propriè mouemus causam opificam huic immixtæ perfectã. Cum vero multæ sint causæ tales, & aliæ quidem absque medio familiariter præsint, sicut dæmonia, aliæ vero his superiores sint ordinatę, sicut diuinæ per ordinem causæ, atque his omnibus vna quædam antiquissima præsit causa, certè in sacrificio perfecto, omnes per ordinem causæ commouentur. Secundum vero ordinem, quem vnaquæque sortita sunt, cognata quadam conditione sacrificio familiariter accommodantur, & (vt ita dicam) appropriantur. Sin autem sacrificium sit imperfectum, vsque ad aliquem gradum ascendit, sed non transcendit vlterius, vnde multi existimant sacrificia fieri dæmonibus bonis: multi & potentiis deorum vltimis: alii mundanis, vel terrenis dæmonum po-

testatibus, vel deorum: partem quidem re vera sacrificiorum explicantes, ignorantes tamen totam eorum potentiam, omniaque bona ad omne diuinum se penitus dilatantia: nos autem omnia admittimus, simulatque comprȩhendimus naturalia quidem, & quȩ tanquam in vno animali secundum aptitudinem, vel compassionem, vel repassionem inuicem commouentur, accipimus, velut simpliciter subiecta, & consequentia, seruientiaque causȩ efficaciȩ in sacrificiis apparentis. Dæmonia vero, diuinasque circa terram, mundumque potentias acceptamus, tanquam proximos ordini nostro præfectos, potissimas vero efficacium sacrificiorum causas competere iudicamus perfectissimis, opificiisque potestatibus. Quoniam vero summæ illæ opificiæ potestates in se omnes ordine causas complectuntur, ideo vna cum his commoueri simul vno quodam ictu cunctas efficientes causas arbitramur. Quoniam in sacrificio perfecto commouentur vna cum causis summis, opificiisque causæ ordine consequentes, tunc ex cunctis communis vtilitas prouenit in generationem totam: aliquando quidem per ciuitates, populosque, gentesque omnigenas, vel maiores his, vel minores circunscriptiones: aliquando vero per domos vel hominem vnumquemque bona contingunt, abunde benefica voluntate, superis largientibus non passione distributionem suam exhibentibus, sed impassibili mente indicantibus esse dandum secundum proprietatem, familiaritatemque, atque cognationem: vna quadam interim amicitia, quæ continet omnia, hanc colligationem per ineffabilem communionem quãdam conficiente. Hæc vtique veriora sunt, magisque deorum essentiam, potentiamque participant, quàm quæ tu suspicaris, scilicet nidoribus animalium in sacrificio superos potissimum inescari. Si quo enim corpore dæmones inuoluuntur, quod quidam sacrificiis nutriri putant, illud certè immutabile est, & impassibile, lucidumque nec indigum, adeo vt nihil effluat inde, nihilque necessarium sit influere. Atqui etsi fortè fuerit necessarium, quidnam necesse est per sacrificia id influere, cum mundus, & aër in ipso indeficientem ex terrenis exhalationem habeat vndique circunfusam. Iam vero si corpora dæmonum effluant, sacrificia tamen non æqua portione restituent, nec quantitatem inter excessum defectumque dæmonibus naturalem, proportionemque similem conseruabunt: denique cum mundi faber animalibus omnibus terrenis atque marinis abundans, paratumque tribuerit nutrimentum, nunquid superiores homine nutrimento deseruit? & cum viuentibus aliis statuerit alimenta quotidiana eorundem opera copiosè parari, cur dæmonibus solis aduentitium voluit alimentum ab hominibus adhiberi? Atqui, si fortè nos nutritionem eiusmodi negligamus, exuritura sunt, & peritura corpora superorum. Proinde si nos dæmones nutriremus, etiam generaremus eos, & superiores essemus, contra vero se res habet, nam ipsi nos nutriunt, & superiora passim inferiora, sic cœlestia terrestria nutriunt. Anima quidem ab intellectu perficitur, atque alitur, perficitque naturam, præterea oblatio sacrificiorum per ignem materiam consumit, eamque sibi prorsus assimilat; non se materiæ præstat similem, reducitque ad diuinum, atque cœlestem, immaterialemque ignem, nec vllo modo deorsum ad materiam, generationemque declinat. Si enim exhalationem vaporum à sacrificiis fore oporteret, nutrimentum materiale oportebat & materiam integram remanere. Sic enim abundantior illinc acceperis proueniret influxus, nunc vero materia tota comburitur, atque consumitur, & in ipsam ignis puritatem, subtilitatemque penitus permutatur, quod quidem contrarium eius, quod dicebas ipse, significat. Superi namque sunt passionis expertes, quandoquidem placet eis per ignem discenti materiam, atque consumi, nosque reddunt à passionibus alienos: & quæcunque sunt in nobis, diis similia faciunt: quemadmodum ignis dura omnia, & opaca, corporibus subtilibus, lucidisque similia reddit, nosque sursum eleuat per sacrificia, eorumque ad ignem consumptionem ad deorum ignem, sicut & ignis ad ignem, eleuat, reducitque gratia simul & dura ad diuina sursum, atque cœlestia, vehiculum corporale dæmonibus subministrans, neque à materia, neque ab elementis, neque ab aliquo corpore noto nobis existit. Non potest igitur ab elementali essentia tanquam alienissima fieri dæmonibus nutrimentum, sed quemadmodum dij igne fulmineo materiam diuidunt, ac separant à materia, quæcunque sunt immaterialia quidem per essentiam, sed alligata materiæ, atque ex passibilibus impassibilia reddunt: sic & noster ignis, actionem diuini ignis imitans, quicquid materiale reperit, in sacrificio destruit, & admota purificat, & à vinculis materiæ soluit, ac propter naturæ puritatem ad deorum communionem idonea facit, atque nos eodem pacto à vinculis generationis absoluit, diisque assimilat, & facit ad deorum amicitiam aptos, nostramq; naturam materialem, ad immaterialem attollit naturam. Hæc quidem communis sacrificiorum ratio satis, vt arbitror, facit ingeniosis, potentibus ex norma communi, vnicuique sacrificio propria sagaciter indagare, verumtamen tardioribus quoque ingeniis indulgentes, propria quędam his addemus, clariora in medium adducentes, principium vero ad hæc omnium optimum est, quod contextum sacrificiorum declarat, deorum ordini consequenter annexum. Deos alios quidem materiales, alios immateriales ponimus. Materiales, qui materiam in se comprehendunt, atque exornant: Immateriales autem omnino, qui à materia penitus segregati sunt, secundum igitur sacerdotiam artem incipere sacrificia decet à diis materialibus, non enim aliter ad immateriales Deos patet ascensus: hi igitur communionem quandam ad materiam habent, quatenus ei præsident, atque incubant, iisdem quoque, quæ fiunt circa materiam dominantur, vt diuisioni, percussioni, repercutienti, mutationi, generationi, corruptioni, corporibus materialibus omnibus. Siquis igitur hos ritè vult colere, nimirum pro natura eorum, atque principatu cultum adhibere debet, materialibus inquam materialem, sic enim ad eos totos, per tota nos toti in familiaritatem propriam perducemur, cognationemque ipsis in cultu congruam adhibebimus. Corpora igitur vita priuata, & animalium cædes destructo corporum, mutatioque multiformis, atque corruptio, & omnino proiectio materiæ præcedentis materialibus diis congruit, non quidem ipsis propter seipsos, sed propter materiam, cui præsunt. Etsi enim ab

hac maximè separati sint, simul tamen huic adsunt: ac si materiam in potestate immateriali continent, attamen vna cum hac existunt. Iam vero gubernatoribus non sunt aliena, similiter exornatoribus exotnata. Quin etiam vtentibus, quæ subministtant, tanquam instrumenta, facile proportionibus coaptantur, quapropter immaterialibus quidem diis, materiam in sacrificiis adhibere est alienum: materialibus autem omnibus est admodum consentaneum. Operæ pretium est ad hæc insuper geminum vitæ nostræ habitum cogitare. Aliquando quidem animus toti nos efficimur positi extra corpus, & elenati mente, vna cum totis immaterialibus diis per sublimia nos attollimus, aliquando vero terreno corpore colligamur, sumusque corporei, materia videlicet comprehensi. Similiter duplex erit cultus diuini ratio, vna quidem erit simplex incorporea ab omni generatione sinceta, sinceris competens animalibus: altera vero plena corporibus, & actione prorsus materiali conueniens animalibus nondum puris, necdum ab omni generatione purgatis Sacrificiorum ergo species duæ sunt, purissima quidem sacrificia hominum sunt summopere purgatorum, quod quidem raro conuenit vni, vel admodum paucissimis, vt inquit Heraclitus, sacrificia vero materialia, & quæ in mutatione versantur, animalibus adhuc occupatis corpore competunt, ciuitatibus ergo nondum purgatis genitali sorte, contubernioque corporeo nisi eiusmodi sacrificia dederis, ab vtrisque pariter aberrabis ab immaterialibus simul atque materialibus bonis. Illa quidem non possunt accipere, his autem proprium, consentaneumque non offerunt. Accedit ad hæc quod vnusquisque qua ratione est, non qua non est, agere debet essentiæ curam. Non oportet igitur hanc præuaricari propriam colentis mensuram, atque naturam, complexionem quoque propriè coaptatam inter curantes homines, potentiasque curatas, electuram iudico conuenientem sibi culturæ modum. Nam complexio eiusmodi immaterialiter temperata immaterialem eligit, quatenus ipsa videlicet potentiis purè incorporeis ad ipsa purè incorporea copulatur.

Complexio illiusmodi corporaliter coaptata corporibus, eligit culturam similem ad essentias corporibus præsidentes. Sæpe pro necessario corporis vsu vouemus, operamurque aliquid erga Deos gubernatores corporis, dæmonesque bonos, videlicet studemus purgare corpus à maculis quibusdam, sordibusque veteribus, vel morbis absoluere, sanitatemque adhibere, vel grauedinem torporemque remouere, & leuitatem, efficaciamque adhibere, vel aliud quiddam bonum corpori comparare. Tunc igitur non intellectuali quadam, & incotporea ratione, corpus rite tractabimus. Non enim ita natum vt his modis curari queat, sed cum cognata sibi nanseiscitur, tunc corporibus curatur corpus, atque purgatur, erit igitur & sacrificandi ritus ad vsum eiusmodi necessario corporalis, atque ita superflua corporis expurgabit, supplebitque pro necessitate, quæ desunt, & quæcunque distributa sunt, ad proportionem, ordinemque reducet. Sacrificamus sæpe poscentes à superis aliqua ad vitam humanam accommodata, scilicet, quæ vel victui necessaria sunt, vel ad illa pertinent, quæ gratia corporis affectamus. Quidnam tunc continget nobis à diis ipsis, qui ab omni humana generatione sunt penitus segregati, quod ad penuriam, sterilitatemue fugandam, vel copiam adducendam nobis conferrar, vel ad alia necessaria vitæ conducat? Nihil sanè. Qui enim sunt ab omnibus absoluti, eiusmodi dona non tractaut. Siquis vero dicat Deos illos immateriales omnino immateriales in se comprehendere Deos, horumque dona secundum vnam causam primam in se complecti, dicet vtique copiam quandam ita diuini muneris illinc inferius descendentem. Verum quod illi hæc tractantes proxime humanam vitam, actionesque peragant, nulli dicere concedendum est. Eiusmodi enim rerum, quæ hic sunt, dispensatio diuisa est, atque particularis, & cum quadam ad hæc conuersione peragitur: neque omnino est à corporibus segregata, neque puram, sinceramque gubernationem, præfecturamque admittere potest. Modus igitur sacrificandi pro rebus eiusmodi congruus est, qui cum corporibus habet, & generatione commercium, non qui est à materia, & corpore penitus separatus. Qui enim purus est, omnino talia supergreditur, neque ad hæc proportionem babet. Qui vero corporibus, horumque viribus vtitur, est rebus eiusmodi omnium cognatissimus, potens prospera quædam vitæ suppeditare, & à diuersa nobis imminentia deuitare, ac temperiem comparare humano generi moderatam. Plurima hominum turba naturæ subiicitur vniuersali, eaque viribus naturalibus gubernatur, atque inferius ad naturæ opera vergit, completque dispensationem fati, & fatalium operum suscipit ordinem, rationemque practicam circa naturalia solum exercet. Paucissimi supernaturali mentis potentia freti à natura discedunt, atque ad separatum, immixtumque se conferunt intellectum, vnde naturalibus potentiis superiores euadant. Nonnulli vero medium tenent inter purum intellectum, atque naturam: & horum alij quidem vicissim sequuntur vtrumque, alij mixtam ex illis vtrisque vitam agunt: alij soluuntur quidem à deterioribus, & ad potiora se transferunt. Qui ergo natura gubernantur vniuersali, & ipsi vitam degunt naturæ propriæ mancipatam, potentiisque naturæ fruuntur, cultum exercebunt naturæ conuenientem, corporibusque natura motis congruum, eligentes ad hoc loca, qualitates, aëris materiam, materiæ vires, corpora, corporum qualitates, & habitus, motus conuenientes, mutationesque eorum, quæ in generatione versantur, atque similia tum in cæteris cultus diuini partibus, tum in ritu sacrificandi. Qui vero sola mente viuunt, vinculis naturæ soluti, intellectualem, corporumque expertem culturæ normam in omni religionis parte meditabuntur. Qui mediam vitam degunt inter intellectum, atque naturam, mediam quoque sequentur religionem, atque pro vitæ mediæ differentiis differentes sectabuntur colendi per media modos. Aut enim tractabunt vtrumque vicissim, aut ab altero ad alterum declinabunt: aut deteriora tangent, vt per ea consequantur, & potiora, existimantes non aliter sublimiora cõsequi posse. In genere essentiarum, potestatumque diuinarum, aliæ quidem subiectam sibi animam habent, atque naturam. subministrantem videlicet eorum opificiis, quatenus ipsæ volunt: aliæ vero ab anima, & natura sunt penitus separatæ, non inquam ab anima tantum mundana prorsus

atque genitali, verum etiam ab anima diuina, eiusque natura. Aliæ denique medium renent, communionemque inter extrema conciliant, vel secundum vnum indissolubile vinculum, vel secundum exuberantem maiorem traditionem, vel secundum minorum susceptionem non impeditam, vel secundum colligatam amborum cõsensionem. Quando Deos colimus animæ, naturæque dominantes, non alienum est, & naturales his vires offerre, & corpora, quæ natura reguntur, diis eiusmodi consecrare, omnia enim naturæ opera & obtemperant eis, & ad deorum dispensationem aliquid conferunt. Sed quando Deos longè secretos, & in sua vnitate collectos cupimus venerari, honoribus à materia penitus absolutis eos venerari debemus: intellectualia enim his dona debentur, incorporea vita, virtus perfecta, sapientia consummata, eorumque officia. Mediis autem diis, mediorumque bonorum ducibus, sicut diximus, media competunt. Ab illo igitur principio exordientes, scilicet à mundo, diis mundanis, distributione, quatuor in mundo elementorum à communi fortitione secundum mensuras elementorum facta, à circumferentia circa centra in ordine reuoluta, ad veritatem sacrificiorum facilem habemus accessum. Si enim nos in mundo sumus, & vt partes continemur in eo, primumque generamur ab eo, atque à totis potentiis eius perficimur, & ex quatuor eius componimur elementis, ac porrionem quandam vitæ, naturæque ab eo nacti tenemus, profectò non debemus in cultu diuino mundum, mundanosque ordines prætermittere. Ponamus igitur circa quamlibet mundi partem esse quidem corpus aliquod, vt videmus, inesse præterea vires corporibus incorporeas ordine distributas, sacrorum itaque lex similia similibus ritè distribuit, & à summis ad ima per media tota ptogreditur, corpora quidem corporeis adhibens, incorporeis incorporea, propria videlicet vnicuique reddens. Verumramen siquis religiosus supermundanum numen assequitur, rarissimè vero id accidit, hic vtique solus seorsum à corporibus & materia positus nimitum, & talem prosequitur cultum, supermundana potenria, diis supermundanis vnitus. Quod autem vni vix tandem sacerdotij fine contingit, non expedit pro communi lege omnibus & in principio, & in medio religionis statuere, hi namque corporeum quocunque modo cultum agunt. Quilibet igitur peritus in sacerdotio, confitebitur, oportere cultum superis, nec ex parte, nec imperfectum, sed conuenientem, & integrum adhibere. Quoniam igitur ante quàm adsint dii, descendantque ad terram, omnes præsubiacẽtes illis potentiæ mouentur, & vt præcursores, pompæque præcedunt nimirum, qui non distribuit omnibus, quod cuique congruit, nec vnumquemque proprio quodam honore prosequitur, ipsam deorum præsentiam non assequitur. Qui vero omnia numina sibi propitia reddit, grata offerens vnicuique, donaque simillima, hunc sanè non frustratur euentus, sed diuinum chorum integra, plenaque præsentia suscipit. Cum igitur hæc ita se habeant, non oportet ritum religionis esse simplicem, ex paucisque compositum, sed multiformem, & ex omni harmonia constantem, ex cunctis vbique mundanis (vt diximus) constitutum. Si enim simplex aliquid, & vnius duntaxat ordinis esset, id ipsum, quod in sacerdotio aduocatur, & ad nos mouetur, simplex vtique modus sacrificandi sufficeret. At vero nullis notum est, quanta nimirum multitudo suscirari solet, quando descendunt dii, atque mouentur, nisi sacerdotibus illis, qui opere ipso id experti iam fuerint. Soli igitur bi cognoscunt, quæ potissimum sir perfecta plenitudo colendi, & quàm paucis prætermissis, quantum nos frustretur euentus. Quemadmodum in harmonia si vna cborda frangarur, tora subito dissonat, sic vno prætermisso numine, sine ritu communi, ipsa religio finem non habet optatum, dum hoc vno deficiente, sacrum opus structuram suam, integriratemque non babet. Quando diuinæ porestates palam ad sensum descensuræ sunt, manifestum nobis prouenit damnum, si quem ex superis prætermitrimus non honoratum. Similiter quando clam veniunr in opere sacro, periculosum est, si hunc quidem honores, alium vero pro sua dignitare, & ordine non honores. Qui enim aliquem proprio fraudat honore, totum confundit religionis opus, dum vnam, totamque dispositionem dissipat neque, vt aliquis putaret, tunc opus suscipiendi tantum est imperfectum, sed totius structura perit. Quid vero? nonne ipsa sanctimoniæ summitas, ad summum ipsum totius numinum multitudinis principium, vnumque recurrit, atque in eo diuinas omnes simul essentias dominationesque colit? Proculdubio. Verum eiusmodi summitas sero admodum aduenit, & quam paucissimis: atque optimè nobiscum agi putandum est, si talibus in vitæ calce contigerit. Disputatio vero præsens nõ eiusmodi viro leges ponit, hic enim est lege superior, sed lege aliqua indigentibus, has sacrorum leges in præsentia sancit, numinum multitudo est, quasi mundus aliquis habens multos ordines in vnum ordinem conspirantes. Similiter sacrificia debent habere numerorum ordinẽ pariter in vnum ordinem conspirantem, ita vt singuli numinibus ritè tespondeant. Similiter quæ circa nos sunt, & in nobis multiplicia sunt, neque debent ex aliqua parte tantum, sed ex cunctis congruè diuinis nostrarum rerum causis respondere, atque ita ad suptemos ascendere duces. Religiosa igirur obseruantia circa nos, & in nobis agit varia. Aut enim quasi propagando perficit, aut amputat, aut emundat, aut experria ordinis ordinat, aut segregat longius ab errore mortali. Cuncta denique totis supernis familiaritate conciliat: atqui quando vtrumque congrediuntur in vnum, illinc quidem diuinæ causæ, hinc autem ex æquo præparationes humanæ, tunc absoluta religio peragit omnia, & ingenita ex sacrificiis bona repottat. Profectò exuberantia potestatis in causis vniuersi summis, id habet, vt quemadmodum in cæteris inferiora superat, ita & in hoc admodum superet, videlicet in ipsa præsentiæ amplitudine, vt maximè omnium causæ, maximè omnium omnibus sint præsentes, adeo vt eadem ipsa causæ vniuscuiusque potestas, seorsum ab impedimento vbique tota, semperque sit præsens, bac igitur rarione ipsa omnium prima vltimis quoque subrutilant, immaterialiaque principia immaterialiter materialibus adsunt. Nemo miretur, siquã materiam esse dicimus puram, atque diuinam, nam ipsa quoque materia, cum ab opifice, patreque omnium facta sit, merito perfectionem sui quandam acquisisse potest apram ad Deos

suscipiendos. Quinetiam nihil prohibet superiora lumen suum ad inferiora diffundere: neque igitur materiam permittunt expertem fore superiorum. Quapropter quantumcunque materiæ perfectum, & purum est, atque deiforme ad deorum susceptionem non est ineptum. Nam cum oporteret etiam terrena nullo modo diuinæ communionis expertia fore, ipsa quoque terra diuinam quandam portionem in se sortemue suscepit ad capiendos Deos sufficientem. Hæc igitur sacrorum sapientia contemplata, atque ita secundum congruentiam, competentia vnicuique deorum suscepta cula diligenter inueniēs, sæpe componit in vnum lapides, herbas, animalia, aromata, aliaque similia, sacra, & perfecta, & deiformia: atque subinde ab his omnibus susceptaculum purum, integrumque fabricat. Neque enim fas est omnem materiam detestari, sed solum, quæ à diis fuerit aliena. Propriam vero ad illos decet eligere, vtpore quæ consentire possit, atque conferre ad deorum ædificia, statuarum fundamenta, sacrificiorum opera. Neque enim aliter terrenis locis, & hominibus hic habitantibus possessio, portione vlla ex diuinis contingere potest, nisi tale quiddam prius iactum fuerit fundamentum. Arcanis sermonibus credendum est testantibus ex diis per beata spectacula quandam fuisse materiam, hæc igitur illis ipsis tradenti est cognata. Talis ergo materiæ sacrificium Deos excitat, vt se demonstrent, atque ad comprehensionem eos protinus aduocat; & præsentes capit, & perfecte demonstrat. Eadem aliquis perdiscere potest etiam ab ipsa quæ secundum loca distributio diuinitus est effecta, atque ab ipsa præfectura, quæ per res singulas est diuisa: quæcunque secundum diuersos ordines, siue maiores, siue minores, passim sortes eiusmodi nacta fuit. Constat enim diis locorum quorundam rectoribus, sacrificium ex eisdem rebus, quæ nascuntur ibidem, fore admodum consentaneum, & gubernatoribus gubernata, & quæ ad ea pertinent, placitura, effectoribus & grata semper sunt opera sua potissimum: & qui primo aliqua procreant, talia rursus habent in primis accepta, siue igitur animalia quædam, siue plantæ, siue alia, quæ visa superis dispensantur, simul & præfecturam sub eis nacta sunt, & communem nobis conciliant cum superis indiuiduam. Horum ergo nōnulla, quatenus conseruantur, atque tenentur, augent, tenentium ad Deos familiarem proprietatem quotcunque videlicet ex eo, quod integra maneant, vim communionis inter homines, deosque conseruant. Talia sunt quædam apud Ægyptios animalia, vbique sacer homo, quædam vero mactata, combustaque familiaritatem efficiunt clariorem, quotcunque videlicet resolutionem in primorum elementorum principium, efficiunt cognatiorem causis superiorum, atq; pro ritu sacratiorem. Vbique enim quo magis proprietas, familiaritasque perficitur, eo perfectiora bona ad nos inde descendunt. Neque sunt hæc hominum duntaxat inuenta, nec humanis moribus autoritatem nacta sunt, sed Deus ipse ritè inter sacra vocatus autor est. eiusmodi legum, circa quem dij, Angelique permulti versantur, sub quo per quaslibet in terra gentes, numen aliquod sortitum est præfecturam, communemque prouinciam: proprium quoque inde tributum est templo vnicuique numen. Item sacrorum, quæ operamur ad Deos, Deus aliquis spectator est, atque gubernator: quæ ad Angelos, Angelus, quæ ad dæmones, dæmon: atque in aliis eodem pacto secundum proprium genus perfectus cognatam sortitus est præfecturam. Quoniam igitur sub numinibus specularoribus, autoribusque sacrorum sacrificia pertractamus, vereri debemus diuinæ sanctimoniæ leges, sacrificiaque legitima, & propterea in his sperare, quod sub numinum, deorumque principatu sacrificamus: & interea cauere summopere, nequid vel indignum superis offeramus, vel alienum. Denique summatim id admonemus, vt singula, quæ in nobis, & circa nos sunt, circumspiciamus diligenter, & quæ in mundo: item Deos, Angelos, dæmones genribus distributos. Et hac vnicuique ratione amicius sacrificium similiter offeramus, hac enim ratione duntaxat digna vnoquoque numine sanctimonia, religioque seruatur. Votum, siue adoratio, & oratio omne sacrificiorum opus perficit, & in primis ad totam confert religionem, & sacram, indissolubilemque animabus ad Deos conflat communionem. Huius vero sunt species: Prima congregat, atque contactum, notitiamque nobis ad diuinitatem præstat: secunda, communionem ad diuinum deuincit consentientem, atque dona nobis prouocat diuinitus quoque demissa, etiam ante quàm loquamur, intelligamusque omne nostrum opus perficientia: Tertia conficit ineffabilem vnitatem, atque in diis autoritatem totam collocat, animamque nostram in eis perfectè ponit, atque confirmat. Iam vero in tribus his terminis, quibus diuina omnia mēsurantur, amicitiam nobis ad Deos harmoniæ conflat, sacramque à diis vtilitatem triplicem nobis affert. Vna quidem ad illustrationem pertinet, alia ad communem operum executionem, alia ad perfectam ex igne diuino plenitudinem. Item adoratio, eiusque virtus aliquando sacrificia ipsa præcedit, aliquando mediis insetitur sacrificiis, aliquando finem complet sacrificandi. Opus vero in sacris nullum absque adorationis supplicationibus efficitur vnquam. Adoratio denique diutissimè frequentata nostrum nutrit, & perficit intellectum: animam ed suscipienda diuina admodum efficit ampliorem, diuina hominibus patefacit: ad splendores diuini luminis capiendos assuefacit: paulatim perficit, quæ nobis insunt ad numina contingenda, quousque ad summum nos vsque perducat. Atqui & mores nostræ cogitationis humanos retrahit paulatim, moresque diuinos infert, persuasionem quoque & communionem, & amicitiam procreat procul ab intermissione perpetuā: diuinum rursus amorem auget, quodue in anima diuinum est, accendit, & eleuat, expurgat quicquid animo est contrarium, & aduersum: atque ab ipso spiritu æthereo, splendidoque, qui est animæ circumfusus excutit, quantumque vergit ad genituram, spem quinetiam præstat bonam, & fidem perficit circa lumen. Denique (vt summatim dicam) homines frequenter orantes, adorationis virtus familiares deorum collocutores efficit, atque discipulos. Cum adoratio talis sit, talemque connexionem cum sacrificiis habeat parer sacrificiorum finem opificij contactus esse participem. Quandoquidem per opera diis accommodatur. Itaque & bonum ipsius tantum est, quantum à causis, opificiis mittitur ad ge-

nus humanum; atque inde rursus apparet virtus adorationis reductiua, perfectiua, impletiua, & qua ratione sit efficax, & vnionis effectrix: atque à diis commune vinculum habeat: & quomodo adoratio, sacrificiumque mutuo se confirment, potentiamque inuicem conferant admirabiles religionis effectus, hinc rursus apparet sacerdotium disciplinam, operationemque habere in partibus suis conspirationem non minorem, quàm in membris habeat, animal neque posse partem eius aliquam absque cunctis suum opus absoluere.

De sacrificiis animalium.

Porphyrius ambigit, quare oporteat lege sacrorum, eum, qui diuina sit inspecturus, exanime corpus eo tempore non attingere? verumtamen per corpora animalium, mortuorum sæpius diuinorum inuocationes peragantur. Iamblichus ita soluit, vates iubent diuinorum spectatorem exanime corpus, quod sacrarum non fuerit, non attingere: permittunt vero, quod consecraretur, attingere. Præterea vetant humana corpora, quæ iam deseruit anima, ne intuitu quidem tangere. Vitæ namque diuinæ vestigium quoddam vel simulachrum, vel demonstratio in corpore per mortem extinguitur: cæterorum vero animalium corpora mortua tangere religio nulla vetat, quoniam nec in vita diuiniore communi caruerunt. Præterea, quatenus ad immateriales Deos consurgimus, expedit tale corpus non attigisse: quatenus vero ad materiales studemus accedere, tangere frequenter expediet, nam per animalia Deos eiusmodi aduocare solemus: qui videlicet talibus præsideant animalibus, præsertim, qui proximè, & quasi cognata quadam conditione gubernēt. Item hominibus quidem in materia comprehensis corpora vita priuata, maculam quandam inferunt, videlicet non viuens viuenti, & sordidum puro, & priuatum habenti habitum: & mortuū habenti potentiam moriendi, propter communem quandam inter hæc habitudinem, sed dæmoni incorporeo penitus, atque impassibili, talia corpora nihil obsunt. Nam caduca maximè supereminet.

De *Vaticiniis per animalia.*

Quando vaticiniū agitur per corpora sacrorum animalium, vt asturum, non est putandum Deos ad hæc accedere, videlicet vniuersales prouisores ad curam diuisam particularem, materialem, proportionalem, circa animalia singula. Sed dæmones, & hos quidem valde diuisos, & singulos singulis speciebus animaliū distributos proximam curam animalium, præfecturamque sortitos, hi namque principatum nacti sunt, haud prorsus efficientem, expertemque materiæ. Ideoque congruè instrumenta eiusmodi attingere solent. Ad hoc igitur, vt eiusmodi per animalia vaticinium à dæmonibus consequamur, parare his oportet sedem talem, per quam possint inter homines obseruari, nobisque vti: sedem vero hanc esse oportet incorpoream, vt incorporei dæmones per hanc nobis adsint, erit igitur hæc anima talium animalium à corpore iam absoluta. Quatenus idem quodammoda & ipsa separata est à corpore, conuenit cum dæmonibus, conuenit & nobiscum propter quandam vitæ cognationem. Igitur tanquam media præsidi eius dæmoni subministrat ad præsagium homini suggerendum, & ad mandata dæmonibus declaranda, & cum dæmone nos conciliat. Anima vero hæc eiusmodi vaticiniis vtens, non solum vaticinium audit accipitue, sed etiam non parum ex seipsa confert ad executionem eius ad opera pertinētem. Hæc enim cōmouetur, & cooperatur, & simul præsidet per quandam compatientem necessitatem. Sed eiusmodi vaticinium à diuino, veroque longissimè distat, atque de rebus exiguis, breuibusque habetur. Quæ in natura diuisa positæ sunt, & quotcunque circa generationem iam simul feruntur, atque motiones ex seipsis exhibent potentibus eas accipere, & passiones multifariam inferunt iis, quę naturaliter ad compatiendum sunt exposita, per compassionem igitur præsagium eiusmodi prouenit. Non potest autem per passionem præcognitio perfecta contingere. Quod enim immutabile, purum est, id præcipuè futurum assequi consueuit: quod vero cum materiali, passibilique, & tenebroso commercium habet, obruitur ignorantia, hanc ergo artificiosam præsagij machinam, neque legitimi vaticinii numine dignam esse censemus, neque serio pertractandam, neque vtenti, quasi sit veridicus, esse credendum.

Quomodo obsecratores dæmonibus minabantur.

Narrat Porphyrius sacerdotes consueuisse violentis quibusdam minis aduersum superos vti, veluti; Nisi vos ita feceritis, vel contra, si feceritis aliquid, cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum diuulgabo, aut sistam barim, id est nauem quandam apud Ægyptios sacram, aut membra Osiridis Typhoni dispergam, cæteraque similia. Iamblichus subdit execratores non consueuisse dirigere minitationes eiusmodi, vt Porphyrius opinatur, ad Solem & Lunam, cæteraue cœlestia, sed esse in mundo genus aliquod potestatum valde diuisum, & discretum, inconsideratumque, quod accipit quidem ab alio rationem, siue sermonem, exauditque, sed propria intelligentia nequaquam: neque verum à falso, neque possibile discernit ab impossibili. Hoc itaque genus minitationibus lacessitum, protinus irritatur, & stupet, vtpote quod & ipsum naturaliter dictis vehementioribus agitatur, & alia ducit, trahitque per stupidam quandam, & instabilem phantasiam. Præterea sacerdos sæpe non humana virtute, sed diuina sacramentorum ineffabilium potestate mundanis numinibus imperat, atque minitatur, ipse tunc in superorum deorum ordine constitutus, & ideo grandioribus propria natura mandatis vtitur, atque minis, neque tamen tanquam facturus, quæ tunc asseruat, sed declarans quantam nactus fuerit potestatem propter ipsam ad Deos vnionem comparatam, videlicet ex notitia, possessioneque ineffabilium symbolorum, siue signaculorum, quæ dicimus sacramenta. Item dæmones per prouincias, partesque diuisi, & partes mundi custodientes, singuli commendatarum sibi partium tantam habent curam, vt nec verbum quidem illius ordini dispensationique contrarium valeant tolerare, perpetuam, videlicet immutabilemque

mutabilemque mundanorum perſeuerantiam obnixè cuſtodientes. Ordinem vero eiuſmodi ſuum ideo immutabilem ſuſceperunt, quoniam ordo deorum immobilis permanet in eiſdem. In quo igitur eſſe habent dæmones vel ætherij, vel circa terram diſtributi, hoc ipſum, nec minitationibus inuadi vnquam audire poſſunt, proinde dæmones ineffabilium, arcanorumque myſteriorum cuſtodiam ſtudiosè procurant, tanta videlicet obſeruantia, propterea quod intelligunt ordinem, diſpenſationemque vniuerſi præcipuè in eiuſmodi myſteriis contineri quatenus videlicet allegoricè per hæc verba numina deſignantur, ordineſque mundani, hanc enim ob cauſam mundi partes in ordine permanent, quod beneficio poteſtas Oſiridis ſincera permanet, & intacta, neque contrario tumultu, & errore miſcetur. Permanet inſuper ipſa omnium vita pura ſemper & incorrupta quatenus viuificæ, formoſæque rationes, quæ in Iſide recondità ſunt, conſiſtunt ibidem, dum inde mundus agitur, nec ipſæ in corpus hoc deſcendunt oculis manifeſtum. atqui & omnia permanent immobilia, & ſimul ſempiterna generationis videlicet ſucceſſione, quoniam nullum Solis curſum vnquam ſiſtere poteſt: perſeuerant inſuper integra, quoniam quæ in abyſſo, id eſt, profundo ſunt abſcondita, nunquam aperiuntur, in quibus ergo ſalutem habent omnia ſimul, & vniuerſum, videlicet in eo, quod & quæ naturaliter ſunt occulta, vt ſunt occulta ſeruentur, & maneant, & certiſſima deorum eſſentia, nunquam ſortem contrariam ſubeat, nec oppoſitis miſceatur: hoc inquam circumterranei dæmones, nec ad vocem vſque, aditumque ſuſſinent aliter effici, verbiſque profanari, atque propterea aduerſus dæmones eiuſmodi verborum vſus habet aliquam poteſtatem, de his autem nullius alicubi minatur: nec ad illos ſunt obſecrationes eiuſmodi conſtitutæ, quapropter Chaldæi ſacerdotes, apud quos diiudicatus, decretuſque eſt purus ipſe ad ſolos Deos ſermo, nunquam minis vtuntur. Ægyptij vero, qui, cum diuinis ſacramentis dæmonicos ſermones admiſcent, ad minas eiuſmodi aliquando ſe conuertunt.

Expoſitio ſymbolorum Ægyptiæ Theologiæ.

Imitantes Ægyptij ipſam vniuerſi naturam, fabricamque deorum, ipſi quoque myſticarum, reconditarumque notionum imagines quaſdam in ſymbolis conficiendis oſtendunt, quemadmodum & natura rationes occultas in apparentibus formis, quaſi ſymbolis exprimit, & dij veritatem idearum per manifeſtas imagines explicant. Cum ergo perſpiciant ſuperiora omnia inferiorum ſimilitudinem delectari, atque inſuper optent à ſuperioribus bonitate repleri, quatenus pro viribus imitentur, meritò & ipſi conuenientem ſuperis modum agendi pro viribus offerunt, quando occulta myſteria ſymbolis inferunt manifeſtis, in quibus interpretandis dimitte voces, accipe ſenſus. Quando igitur lutum in ſacris nominant, vt inducunt, hoc intellige mundi corpus, atque materiam, genitalemque virtutem huic inſertam, & quaſi pariter agitatam, atque fluentem, aut etiam cauſam principalem, & quaſi loco fundamenti propoſitam elementorum, elementaliumque virtutum. Cum hoc igitur tale ſit, Deus ipſe generationis, totiuſque naturæ virium omnium, quæ inſitæ ſunt elementis, cauſa vtpote, qui hæc ſuperemineat omnia immaterialis ipſe, indiuiſus, immobilis, & ingenitus, totuſque ex ſeipſo, & in ſeipſo totus, hæc omnia perſpicuus antecedit; & ducit in ſe cuncta complectens; atque ex eo, quod complectitur omnia, ac de ſuo mundanis tribuit omnibus, ex ipſis eluxit. Quoniam vero ſupereminet omnia, effulget, vt ſegregatus à mundanis omnibus ſecum ipſe ſolus per ſublime procedens. Confirmat & hoc, quod ſubinde ſequitur ſymbolum, vbi Deus inducitur ſedens ſuper loton aquaticam, ſcilicet arborem, vbi ſignificatur, Deum principatu ſuo mundanum ſuperexcedere lutum, nec attingere gubernando, ſed principatum gerere intellectualem penitus, & empireum. Omnia enim in loto rotunda ſunt tum poma, tum folia: ex quo ſignificatur circularis actio mentis per eadem videlicet, & eodem pacto ſe habens. Deus igitur ipſe ſuper hanc inſuper actionem in ſeipſo conſiſtit, ſuperans eiuſmodi principatum ſanctus & venerandus, & in ſeipſo penitus conquieſcens, quod quidem ex actu ſedendi ſignificatur. Proinde, vbi Deum introducunt nauis gubernatorem, principatum ſignificant, mundi gubernatorem, ſicut enim gubernator à naui, & gubernaculo ſegregatus vno quodam, facilique momento mouet vndique, & regit, dirigit nauem, ita Deus ipſe mundum inſuper, videlicet à primis naturæ principiis præcipuas motionum cauſas exhibens. Quoniam vero partes cœli omnes, animaliaque cœleſtia, & totus vniuerſi motus, ipſumque tempus, ſecundum quod mundus ipſe mouetur, cuncta denique, quæ continentur in totis, vires à ſole deſcendentes accipiunt, alias quidem commixtas in ipſis, alias autem commixtionem exuperantes: ideo has quoque ſymbolicus ſignificandi modus adducit, verbis quidem ſolem deſignans ſecundum animalia cœleſtia figurari, formaſque viciſſim commutare per oras. Interea vero demonſtrans immutabilem eius, ſimulque totam per totum mundum traditionem. ſed quoniam quæ ſuſcipiunt, alia quidem alibi circa impartibilem feruntur Dei traditionem, atque ipſa pro diuerſitate naturarum, motionumque ſuarum, multiformes accipiunt à ſole potentias, propterea ſymbolica traditio vult per donorum multitudinem vnum ingredi Deum, atque per potentias multiformes vnam Dei adeſſe potentiam. Quopropter inquit ipſum vnum, eundemque conſiſtere: vices vero formarum, transfigurationeſque in ſuſcipientibus afferit reſultare: quapropter illum ſecundum animalia, & ad oras commutari ait, quaſi circa Deum mutationes eiuſmodi varientur ſecundum diuerſa ſuſceptacula Dei eiuſmodi votis vtuntur Ægyptij non ſolum in ipſis deorum propriis viſionibus, ſed in precibus etiam leuioribus, quæ eiuſmodi ſenſum habent, atque per talem ſymbolicam, myſticamque culturam ad Deos ſupplicandos accedunt.

De nominibus diuinis.

Porphyrius quærit, cur ſacerdotes vtantur nominibus quibuſdam nihil ſignificantibus. Iamblichus reſpondet, omnia eiuſmodi nomina ſignificare aliquid apud Deos: quamuis in

quibusdam significato nobis sint ignota: esse tamen nota quædam, quorum interpretationem diuinitus accepimus, omnino vero modum in eis significandi ineffabilem esse, neque secundum imaginationes humanas, sed secundum intellectum, qui in nobis est diuinus, vel potius simpliciore, præstantioreque modo secundum intellectum diis vnitum. Auferendum igitur à diuinis nominibus omnes excogitationes, & rationales discursus, atque assimulationes naturales vocis ipsius congenitas, ad res positas in natura, & quemadmodum character symbolicus diuinæ similitudinis in se intellectualis est, atque diuinus, ita hunc ipsum omnibus supponere, accipereque debemus, quod autem hic nobis sit, hoc ipsum in eo est maximè venerandum, præstantius enim est, quam vt in nostram notitiam diuidatur, iam vero in quibus diuinorum nominibus resolutionem suam diuinitus acceperimus, in his totam habemus essentiæ, potentiæque, & ordinis diuini notitiam ipso nomine comprehensam, atque etiam mysticam, & ineffabilem, simulque totam deorum imaginem in anima custodiamus, animamque per hæc ad Deos attollimus, eleuatamque illis pro viribus copulamus. Proinde quæritur, cur nam inter nomina diuinorū barbara cæteris anteponimus, quia videlicet sacrarum gentium, vel vt Aegyptiorum, Assyriorumque totum dij sermonem approbauerunt tanquam sacris maximè congruētem, propterea & communes dictiones, modosque loquendi arbitramur cognatæ ad Deos dictioni, orationique adhibendum præsertim, quia antiquior, primusque extitit modus iste loquendi. atqui & quoniam prima nomina diuinitus acceperunt, dum ea cum propria lingua miscerent tanquam cum familiari, consentaneaque illis voce contemperantes, ita nobis seruanda perpetuo tradiderunt, nosque ita ipsam traditionis regulam ritè deinceps conseruare debemus. Siquid enim aliud diis conuenit, sempiternum ipsum, & immutabile diis est præ cæteris cognatissimum. Inter hæc Porphyrius ait illum, qui vocem audit nominum diuinorum, ed significata respicere, ideoque sufficere notionem ipsam eandem vbique manentem, qualiscunque sit dictio. Respondet Iamblichus hūc in modum, non est autem tale, quale tu putas, si enim nomina ex hominum pacto conuentoque posita essent, nihil interesset alia pro aliis commutare. Sin autem naturæ rerum accommodata fuerunt, quæ huic maximè congruunt, hæc & diis maximè sunt amica ex his perspicuē patet sacrum gentium vocem rationaliter cæteris esse præpositam. Neque enim prorsus eandem mentem seruant nomina in aliam linguam interpretata: sed sunt gentibus singulis propria quædam, quæ gentibus aliis per vocem significari non possint. Accedit ad hæc, quod si significationum proprietas per aliam linguam interpretari possumus, non tamen eandem conseruant permutata potentiam. Habent insuper nomina barbara multam emphasim, id est, insinuationis, demonstrationisque efficaciam, habent & conessam breuitatem. Minimum verò ambiguitatis, & varietatis, multitudinisque verborum propter hæc omnia superis maximè congruunt. Depone igitur suspiciones à veritate cadentes, quibus suspicaris Aegyptiam ibi conferre linguam duntaxat, vbi Aegyptius est, vel vsus Aegyptia lingua; qui tunc inuocatus. Potius autem existimato, quoniam primi omnium Aegyptij præsentiam, participationemque deorum sortiti sunt, ideo Deos inuocantem potissimum approbare, quando Aegyptio ritu vocantur, neque vero dicendum est barbara hæc obscura, diuinorum nomina esse quædam praestigiatorum fascinatoque machinamenta: quo enim pacto, quæ maximè coniuncta sint diis, nos quoque coniungunt, & quasi æquales cum superis vires habēt, phantastica figmenta erunt, sine quibus nullum in sacris opus efficitur? Sed neque prætegmina, inuolucraque eiusmodi per nostras passiones efficiuntur, ex fama diuinò tributas. Non enim exordientes ab iis, quæ ipsi patimur, imo vero ab ipsis deorum propriis competentes illis secūdum naturam attribuimus dictiones, neque contrarias de diuino agimus notiones: contra videlicet, quam ipsum reuera se habeat, sed prout natura se habeat, & quemadmodum veritatem de ipso consecuti sunt primi, qui leges nobis de religionis sanctimonia tradidetunt, sic perseueramus in eis: siquid enim aliud in sacris legibus, atque ritibus Deo placet, firmitas ipsa maximè placet, & præcipuè congruit. Oportet igitur ritus adorationis antiquos tanquam sacros conseruare semper intactos, neque demere quicquam, neque aliunde quid addere: fermè namque & hoc causa nuper extitit, vt omnia & nomina, & vota debilitata iam sint, propterea quod propter ipsam præuaricationem, & innouandi cupiditatem permutata sunt semper, & permutari non desinunt. Græci namque natura rerum nouarum studiosi sunt, ac præcipites vsquequaque feruntur, instar nauis saburra carentis, nullam habentes stabilitatem, neque conseruant, quod ab aliis acceperunt, sed & hoc cito dimittunt, & omnia propter instabilitatem, nouæque inuentionis elocutionem transformare solent, barbari vero sicut moribus graues, firmique sunt, sed in eisdem sermonibus firmiter perseuerant: ob quam sanè stabilitatem, & ipsi diis sunt amici, & orationes offerunt illis acceptas, quas nulli vlla vnquam ratione fas est permutare.

Opinio Aegyptiorum de Deo, atque diis.

QVærit subinde Porphyrius quidnam primā Aegyptij causam esse velint. Vtrum intellectum an super intellectum. Item vtrum vnum aliquid solum, an vna cum alio quodam, siue aliis. Rursus, vtrum incorporeum sit, aut forsitan corporale. Præterea, non sit idem cum opifice mundi, an opifice sit superius: & nunquid ex vno, an ex pluribus cuncta profluxerint: omnemque nunquid velint primum fundamentum esse materiam prorsus informem, an corpora qualia, ipsamque materiam nunquid ingenerabilem, aut genitam, ad hæc Iamblichus ita respondit. Ego vero causam in primis tibi dicem, ob quam sacri, & antiqui Aegyptiorum scriptores de his varia senserint, & insuper huius seculi sapientes non eadem de his ratione loquātur. Cum enim multo in vniuerso sint essentiæ, ac multifariam inter se differant, merito earum, & multa earum tradita sunt principia habentia ordines differentes, & ab aliis sacerdotibus alia principia quidem tota vniuersaliaue, vt narrat Seleucus. Mercurius ipse tradit viginti millibus

voluminibus, vel, sicut Meneteus recenset, tradidit voluminibus triginta millibus, itemque sex millibus & quingentis atque vigintiquinque & in his perfectè omnia demonstrauit: propria vero particularium essentiarum principia alij antiquorum alia passim introduxerint. Oportet igitur de his omnibus veritatem breuiter declarare; atque primum quod primo quæsisti. Primus Deus ante ens, & solus, pater est primi Dei; quem gignit manens in vnitate sua solitaria, atque id est superintelligibile, estque exemplar ipsius, quod dicitur, sui pater, sui filius, vni pater, & Deus vere bonus. Ille enim maior & primus, & fons omnium, & radix eorum, quæ prima intelliguntur, & intelligunt, scilicet idearum. Ab hoc vtique vno Deus per se sufficiens seipsum explicauit. Ideoque dicitur per se sufficiens sui pater, per se princeps. Est enim hic principium, Deus deorum, vnitas ex vno super essentiam, essentiæ principium, ab eo enim essentia, propterea pater essentiæ nominatur. Ipse enim est superenter ens intelligibilium principium, hæc sunt principia omnium antiquissima. Quæ Mercurius proponit diis ætheriis, empyreis, cœlestibus, componens de empyreis libros centum, totidemque de ætheriis, mille de cœlestibus. Secundum vero alium ordinem præponit Deum Emeph diis cœlestibus tanquam ducem, quem ait intellectum esse seipsum intelligentem, atque in se intelligentias conuertentem, huic vnum impartibile anteponit, quod appellat primum exemplar, aut expressionem, aut effigiem, quod Icthon appellat. In quo est primum intelligens, & intelligibile primũ, quod solo silentio colitur: præter hos autem rerum apparentium opificio, alij duces præsunt. Nam opifex intellectus qui & veritatis est dominus, atque sapientia, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem Amun Ægyptiaca lingua vocatur. Quatenus autem sine mendacio peragit omnia, & artificiosè simul cum veritate Phtha nuncupatur. Græci vero hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes. Quantum vero effector est bonorum, appellatur Osiris, aliasque denominationes habet propter potentias, actionesque differentes. Est & principatus alius apud illos super elementa tota in generatione posita, virtutesque eorum, quarum quatuor quidem masculinæ, quatuor fœmininæ, quem principatum Soli tribuunt. Item alius principatus super naturam omnem, quæ in generatione versatur Lunæ tribuitis. Marsilius. Potes in his ordinem consentientem Proculo ita disponere. Primum est ipsum vnum super ens intelligibile totum. Secundum vnum ens, siue vnitas entis, in quo vnitas sua suo enti præponitur, potest & intellectus intelligibilis appellari, & sui pater. Tertium est intellectus intelligibilis, intellectualisque simul, & vnitus intellectus, & expressio, prima Icthon. Quartum intellectus intellectualis iam explicatus cœlestium dux deorum Emeph. Quintum intellectus opifex proximus dux opificum mundanorum, qui sunt dij cœlestes, empireique, & ætherij, hic forsan intellectus est animæ mundi, qui nominatur Amun, Phtha, Vulcanus, Osiris. Iamblichus diuiderits vero cœlum in partes duas, vel quatuor, vel duodecim, vel sex atque triginta, vel harum duplas, vel aliter quomodocunque principatus his quoque perficiunt aut pauciores, aut plures. Rursus ducem vnum his anteponunt, atque ita Ægyptiorum tractatus de principiis desuper ad postrema progrediens ab vno descendit in multitudinem, ab vno videlicet gubernatam à Deo vbique, definita natura sub quodam termino definito fit imperiosè comprehensa, præcipuè vero ab excelsa omnium causa vnitate. Materiam vero produxit Deus materialitate, videlicet ab essentialitate subderiuata, quam opifex vitalem assumens, simplices, impartibilesque sphæras effecit. Ipsius vero postremum accepit ad generabilia, & corruptibilia corpora facienda. His ita discretis facilè soluuntur dubia, quæ in libris Ægyptiis, quos legisti, concepisse dicis. Qui enim sub Mercurij titulo circunferuntur, opiniones mercuriales continent, etsi sæpe Philosophorum Græcorum stilo loquuntur, sunt enim ex lingua ægypria in Græcam translati à viris Philosophiæ non imperitis. Optarem vero, vt quicunque mundanarum rerum causas primas attingunt, vltima quoque principia declatarent. Item quicunque planetas, zodiacum, decanos, horoscopos, stellas, potentes duces tractant, & particulares principiorum distributiones traderent. Proinde dogmata, quæ in Salaminiacis sunt breuissimam partem Mercurialium ordinationem continent, item quæ de stellarum apparitionibus, vel latebris, aut Lunæ augmento, vel decremento tractantur, in postremis penes Aegyptios assignationem causarum habent. Profecto Aegyptii non omnia esse naturalia putant, sed vitam & intellectualem, & animalem à natura discernunt, non in mundo solum, sed etiam in hominibus, atque cum intellectum, & rationem secundum seipsos existentes præfecerint. Sic quæcunque fiũt, fieri arbitrantur, atque eorum, quæ in generatione versantur, primum præcipuumque patrem esse opificem asserunt. Cognoscunt quoque vitalem potentiam, & quæ in cœlo est, & quæ super cœlum extat. Item purum intellectum collocant super mundum, & vnum impartibilem in toto mundo, & alterum per omnes circulos distributum. Iam vero hæc non oratione, ratione que nudæ speculari solent, sed admonent insuper, atque docent, ad excelsiora, communioraque, & superiora fato, naturam nostram progredi ad ipsum Deum, opificemque mundi, quatenus neque materiam ferat secum, neque aliud quicquam præter opportuni temporis obseruantiam, idque sacrorum opera nos consequi docent, atque simul efficiunt, tradidit hanc quoque viam nobis ipse Mercurius. Sed interpretatus est eam propheta Bitis Ammoni Redi inuenta in adytis templi in vrbe Sayn, Aegypti, literisque sacris insculptam præbuit quoque nobis Dei nomen discurrens per vniuersum, sunt & alii multi ordines de iisdem. Quapropter non rectè mihi videris Aegyptiorum omnia ad naturales duntaxat reducere causas, sunt enim apud illos plura, atque essentiis pluribus sunt & potestates supermundanæ, quas & religiosa principia sanctimonia coluerunt,

De libero arbitrio, & quomodo soluamur à fato.

POst hæc ait Porphyrius, plures Ægyptiorum ipsum quoque arbitrium nostrum motui stellarum supposuisse. Respondet Iamblichus ex mercurialibus sententiis hunc in modum: duas homo animas habet, vt mercuriales literæ docent, vna quidem est ab intelligibili primo, atque ipsius opificis potentiæ particeps: altera vero ex circuitu cœlestium nobis indita, in quam & anima speculatrix diuinorum irrepit. Anima igitur à mundis in nos descendens, mundorum quoque circuitus sequitur, quæ vero ab intelligibili veniens intelligibiliter adest genesicum circuitum supereminet, atque per eam, & à fato soluimus, & ad intelligibiles Deos ascendimus, & religionem habemus ad æterna tendentem: non igitur putandum est, de quo tu dubitabas, omnia insolubilibus necessitatis vinculis, quod fatum nominant, colligari, habet enim anima principium in se proprium, quod ad intelligibile sese conferat, & discedat quidem ab iis, quæ gignuntur, ad ipsum vero ens accedat, atque diuinum. Neque rursus diis applicamus fatum, quos tanquam soluentes à fato in templis, sacrisque, & statuis veneramur. Ipsi quidem dij fatum soluunt: naturæ vero ab eis vltimæ descendentes, atque generationi, corporique mundi iam implicitæ fatum peragunt. Merito igitur omnem diis sanctimoniam adhibem°, vt ipsi quidem soli per intellectualem persuasionem dominantes necessitati mala nobis à fato imminenti soluant. Non enim totum in natura fati ligatum est, sed est & aliud principium animæ, & natura, & generatione præstantius, per quod & diis possumus copulari, & mundanum ordinem superare, atque sempiternam vitam, supercœlestiumque deorum actionem participare, per hoc igitur nos ipsos à fato exprimere possumus. Quando enim præstantiora eorum, quæ nobis insunt, agunt, & ad præstantiora sui ipsius anima reuocatur, tunc ab illis, quæ eam in generatione deuinciunt, penitus segregatur, & à deterioribusque descendit, atque alteram pro altera vitam commutat, seque ipsam in alium interserit ordinem. Quid ergo? nunquid possibile est per Deos circumcurrentes à fato seipsum soluere? atque eosdem interim existimare duces, autoresque fatorum, vinculisque insolubilibus viras penitus alligantes, fortè verò nihil prohibet, ita fieri. Cum enim dij essentias, potentiasque multas in se complectantur, quidnam prohibet illis inesse & alias nobis inæstimabiles differentias, atque contrarietares? Iam vero & hoc licet dicere, in vnoquoque deorum etiam apparentium inesse intelligibilia quædam essentiæ principia, per quæ animabus à generatione mundorum fuga contingat, atque libertas. Si quis autem duos deorum ordines non admittat ad solutionis officium, scilicet mundanos simul, atque supermundanos, saltem per supermundanos fiet quandoque solutio. Verum hæc in tractatu deorum diligentius declarantur. Quinam dij potissimum sint ad supera reductores, & quando reuocent, quibusue potentiis, & qua ratione fatum soluant, & per quos præcipuè redditus sacrorum operatione peractos, & quis ordo mundanæ naturæ, & quo pacto intellectualis actio consummata huic ordini dominetur, quamobrem quod tu ex Homeri versibus adduxisti, scilicet Deos esse flexibiles, dictu nefas esse censemus, legibus namque sinceris, intellectualibusque iam diu definita sunt sancta religionis opera, atque ordine, potentiaque maiore, deteriora soluuntur, & quatenus nos in sortem traducimur meliorem, eatenus à deterioribus fit discessus: nec propterea contingit aliquid præter regulam ab initio constitutam, adeo vt dii flectantur propter sacrificium, cultumque posterius actum, sed à primo descensu Deus animas ea conditione demisit, vt ad eum iterum reuertantur. Neque inter se repugnant ascensus animarum, atque descensus, sicut enim vniuerso intellectuali vna cum essentia generatio, imo & hoc totum rectè connectitur, sic & in animarum dispositione vna cum earum circa generationem cura solutio quoque à generatione consentit.

De suo cuique dæmone.

QVærebat post hæc multa Porphyrius de suo cuique dæmone, respondet ad hæc Iamblichus ita: Duplex est tractatus de dæmone vnicuique proprio. Alter quidem sacer, siue deificus: alter artificiosus. Ille dæmonem à supernis causis inuocat: hic à circuitibus, qui in generatione versantur. Ille quidem exploratione vniuscuiusque genituræ non vtitur: hic talia diligenter explorat. Ille vniuersalius super naturam: hic particularius secundum naturam dæmonem colit, & curat. Cum igitur hæc ita se habeant, absurde tu mihi videris culturam perfectiorem ad humanam admodum transtulisse, & in hac duntaxat quæstiones tuas exercuisse. Propterea vbi naturali tantum via quæris, colisue dæmonem, videris & eiusmodi vitæ exiguam quandam particulam accepisse. Consueuerunt enim qui circa naturam artificiosè perquirunt, & operantur, ordinatè vocare dæmonem à decanis, id est facientibus. Atque ab influxuum dispensatoribus imaginationibus cœli, stellisque Soleque, & Luna, item à polis totisque elementis, atque mundo. Tu vero non rectè breuissimam horum partem seligens, scilicet ipsum genitalis figuræ dominum, de hoc duntaxat quæstiones iudicis & hac in parte hoc vno supposito perscrutaris, quonam pacto dominus ipse figuræ dæmonem tribuat. Atque secundum quam, & qualem vitam, vel potentiam, vel influxum ab illo nobis influat, vbi prorsus in genituræ exploratione moraris perscrutans, vtrum subsistat dæmon, necne: & vtrum figuræ dominus inueniri possit, aut fortè non possit. Asseris denique hunc fore beatum, qui inuenta generationis suæ figura, fatalia sic effugerit, ita videlicet suum dæmonem conspicatus, mihi vero videntur hæc inter se dissentire, & à veritate deficere. Si enim ab ipsa generationis figura dæmon nobis est attributus, atque inde cognouimus eum, quonam pacto fatalia fugiemus per notitiam dæmonis fato nobis adiecti? atqui, etsi necessaria à nobis per dæmonem expellimus, vel affirmas, quando vlterius sunt hæ vna cum dæmone nobis destinata per fatum.

De iudiciis Aſtrologorum, & dæmone.

POrphyrius dicit ſiquis cognoſceret figuram natiuitatis, dæmonumque figuræ, inueniret dæmonem ſuum, & per ipſum ſolueretur à fato natiuitatis: ſed ſubdit impoſſibile eſſe ſcire illam, & hunc inuenire: & regulas Aſtronomiæ, & Aſtrologiæ eſſe incomprehenſibiles, & incertas teſte etiam Cheremone. Iamblichus dicit, dæmonem neque cognoſci, neque dari ab illa figura, & dæmonio eius, alioquin non ſolueret nos à fato natiuitatis, ſed dari ab antiquiori principio,& altiori, ſcilicet à diis ſuperioribus,& cum primum anima inclinatur ad ſenſibilia ad conceptionem, & ſolui nos à fato non tam per dæmonem, quam per cultum ſuperioris numinis. Non ſolum vero illa Porphyrij dicta à ſe ipſis, ſed etiam à veritate diſſentiunt. Non enim ab ipſa propria generationis figura omnino vnicuique tributus eſt dæmon, ſed eſt & antiquius hoc initium. Item ſi hinc duntaxat dæmon agnoſceretur, non foret propterea felix, qui geneficum cognoſceret dæmonem. Et quiſnam hunc ducem accipiat ad effugienda fatalia? Si ad hæc explenda eſt ipſe tributus, omnino vero præcipuas prætermittis de eſſentia, & de ordine dæmonis quæſtiones, vltimas vero rangis, vnde deſcendat. Inquis præterea innumerabiles circumferri Aſtrologiæ regulas, dubitationeſque de Geneſi, vnde appareat ſcientiam de his haberi non poſſe. Ego vero cenſeo primum quidem haberi poſſe per diuinum vaticiniũ veritatem certiſſimam circa ſtellas: nec nos omnino regularum dinumeratione, nec artificioſis prædicationibus indigere: & inſuper addo, te non penitus impoſſibilem inde notitiam demonſtrare quantum ad Mathematicam ſcientiam pertinet, quod diuerſæ inter illos feruntur opiniones, quodue Cheremon, & quiuis alius contradicit. Sic enim & in omni ſcientia ſimul & arte propter diſſidentes opiniones dicere nullam eſſe ſcientiam cogeremur, ſed profecto: vbique non ſolum falſa inter ſe diſſident, ſed & à veris falſa diſſentiunt, vt vbique præter falſa veritas inueniri poſſit. Porphyrius dicit regulas etiam Aſtronomiæ comprehendi non poſſe, ne dum Aſtrologiæ, & multas eſſe illis diſſenſiones, & à multis impugnari. Reſpondet Iamblichus, diuinum vaticinium poteſt docere naturam, & effectum aſtrorum ſine arte. Aſtronomia, & aliæ artes quondam à diis datæ longo tempore humanis opinionibus confunduntur, exiguumque diuinitatis, & veritatis denique retinent, in Aſtronomia eſt aliquid veri, quamuis exiguum, quod patet per effectus ſtellarum inter ſe ex menſura prouveniens in cœlo, ſicut prædictum eſt de eclipſi Solis & Lunæ, & aſpectibus planetarum. Regulæ menſurarum, magnitudinum, diſtantiarum, progreſſionum, cometarum, atque ſimilium diu apud Chaldæos, & apud nos obſeruatæ teſtantur Aſtronomiæ ſcientiam eſſe veram. Porphyrius dicit, dominum figuræ, vel dominos, ſi plures ſint, deprehendi non poſſe etiam iudicio Aſtronomorum, & Aſtrologorum, ſed inde proprium dæmonem eſſe quærendum. Iãblichus dicit, Aſtrologos dare regulas, alios ſcilicet quinque, alios pauciores, alios plures ad inueniẽndos, vel diſcernendos dominos figurarum. Non dicit inquam haberi regulas,& inueniri, atque diſcerni, ſed ita putari, & tradi ab illis contra dicta Porphyrij. Quidnam prohibet figuræ dominum, atque dæmonem per Aſtrologiam quidem difficilè inueniri, facillimè vero per diuinum vaticinium; atque ſacrificia? Neq; putandum eſt dæmonem à ſolo figuræ domino tribui, ſunt enim plura hoc eius, & antiquiora principia, neque humanis artibus; ſed diuinis proprium dæmonem poſſumus inuenire, propriè cuique dæmon non particulari quodam cœli, elementorumue diſpoſitione diſtribuitur, ſed à toto mundi diſpoſitione, quando deſcendit anima regnante, ipſique dæmonem certum accommodante executorem vitæ, quam elegerit anima: hic eam conciliat corpori, vitam corpori cõmunicatam curat, vitam animæ propriam dirigit, cogitationi aſſiduè principia exhibet: noſq; agimus talia, qualia hic adducit in mentem, eatenuſque ſuos gubernat, quo ad ſacris perfecti dominum pro dæmone commutemus. Tunc demũ Deo cedens, velut vacat ab opere, vel conducit ad idem, ſors alicuius propria tribuuntur animę, dũ deſcendit ex toto mundi corpore, & vita prout tunc ſe habet ad illam, & illa ſors certo dæmone ducitur, & impletur. Ergo eſt impoſſibile iudicare certos euentus, cum omnium cauſarum concurſum comprehendere nequeamus, niſi per inſpirationem diuinam id aſſequamur.

Vnde proprius dæmon veniat, quid ue agat, & vtrum ſit vnicus.

PRoprius dæmon non à parte quadam cœli elementorumue tribuitur, imo vero à toto mũdo,& à multiformi in ea vita,& à multiformibus corporibus, per quam tranſit anima deſcendens in generationem, ſecernitur propriè, atque decernitur, ſors in nobis quædam propria noſtris ſecundum præfecturam propriam diſtributa, hic vtique dæmon erat in exemplari ante quàm in generationem animæ laberentur. Quem cum primum anima ducem accepit, adſtat ipſe dæmon expletor ſubinde vitarum, hic animam, vt dixi, deſcendentem alligat corpori, commune eius animal ipſe curat: vitam animæ propriam dirigit, & quodcunque ratiocinantur, exhibet ratiocinandi principia: agimuſque talia, qualia is adducit in mentem, gubernatque nos quouſque ſacris operibus expiati, Deum ſubeamus pro dæmone ducem, cui poſthac dæmon, ita cedit, vt vel valet eo præſente, vel conducat ad idẽ. Quærebas deinde, vtrum plures adſint vnicuique dęmones, alij alia gubernantes in homine. Reſpondemus ad hęc, dęmonem non alicui parti noſtrum pręeſſe duntaxat, ſed toti ſimul adeſſe, totum ducere, quemadmodum à totis, quę in mundo ſunt, ordinibus, eſt attributus. Coniectabas plures pro numero noſtrarum partium dęmones nobis adeſſe. Pręterea quod etiam in ipſo corpore diuerſi ſint dęmones, alius ſanitatem, alius pulchritudinem, alij quandam in his habitudinem curent, vnuſque his ęquè pręſit in corpore. Sic & putabis alium dęmonem corpus, alium animam, alium mentem regere. Præſtat vero eiuſmodi coniectura ad hoc ipſum vti, videlicet, quod corpus, & anima, & intellectus eodem dæmone gubernentur. Noli igitur ita diuidere, vt alius ſit corporis dæmon, alius animæ, alius intellectus, abſurdum eſt enim animal quidem eſſe vnum, dæmonium vero animali præfectum

multiforme putare. Nam quæ principatum tenent, vbique simpliciora sunt subditis. Est insuper & absurdius, si multi dæmones dominantes velut dæmoni partes, non conflati in vnum sint, sed inter se disiuncti. Introducis autem & in ipsis contrarietatem, tanquam dominantium dæmonum alteri boni sint, alteri vero mali. Cum tamen nusquam mali spiritus sortem habeant præfecturæ, nec pati, vel authoritate, vel numero ex aduerso bonorum distributi sint. Post hæc suspicaris dæmonem proprium esse quandam animæ partem, videlicet intellectum eumque hominem esse εὐδαίμονα, id est felicem, qui sapientem habeat intellectum: quod si ita sit, non erit amplius alius ordo præstantior homine præfectus homini, sed inter diuisas animæ partes superior inferioribus dominabitur, vbi tamen cunctæ cognatæ sunt, nulla vero vt absoluta subditis dominatur. Inducis post hæc dæmonis cultum tanquam ad plura factum, partim quidem tanquam ad duos dæmones, partim etiam velut ad tres, nefas vero est causas nobis præsidentes partiri, nec ad vnam redigere præfecturam, quippe cum vnitas in omnibus dominetur. Iam vero & qui dæmonium secundum corpus, corporisque dispensationem diuidit, is principatum eius in partem eiusdem redigit angustissimam. Quapropter religiosum cultum circa dæmonium, ita diuisum considerare non decet, cum opinio ipsa, in qua fundatur, debilitate vacillet. Vnus igitur est secundum vnumquemque nostrum dæmon proprius gubernator, dæmonem vero communem penitus, & eundem cunctorum hominum existimare non decet, videlicet rursum communem quidem in seipso, propria vero conditione vnicuique copulatum. Ipsa enim secundum speciem vnamquamque diuisio, materiæque alteritas ipsam rerum secundum se incorporearum communitatem, identitatemque non suscipit.

Inuocatio dæmonis.

Quæris deinde, quare communi quadam apud omnes inuocatione aduocare dæmonem soleamus, quoniam videlicet per Deum dominum vnum dæmonum agitur inuocatio, qui & à principio suum cuique dæmonem definiuit, & in sacrificiis secundum propriam voluntatem suum cuique monstrat. Semper enim in sacrarum operationum ordine per superiora numina inferiora vocantur. Quare & in dæmonibus vnus quidam dux eorum, qui circa generationem obtinet principatum, dæmonem suum ad vnumquemque demittit. Postquam igitur adest vnicuique suus, tunc & congruum sibi cultum pandit, nomenque suum, modumque inuocationis suæ proprium patefacit, atque hic conueniens est ordo dæmonum Alius enim ordo inuocantibus est cognatus, alius ab antiquioribus causis procedit, alius conspirationem in eis conficit ad idem communiter conferentem. Noli igitur diuinas inuocationes humanis similes arbitrari, & ineffabiles effabilibus comparare, & eas, quæ omnem terminum, omnemque indeterminatum modum superant, humanis imperiis, mandatisque conferre, siue definita sint hæc, siue prorsus indefinita. Quæ enim apud nos sunt, cum toto genere commune nihil habent, atque cum his, quæ secundum totum ordinem nos excedunt, totamque essentiam nostram, naturamque exuperant. Iam vero maximè errores hominibus ingentes accidunt. Quando ex humana debilitate aliqui de dominationibus dæmonicis ratiocinari solent & paruis nihilipendentibusque, atque diuisis ingentia, & magnipendenda, & perfecta perpendunt.

De felicitate.

Suspicaris ne fortè alia quædam ad beatitudinem præter diuinum cultum, via lateat, & quænam ista potissimum sic interrogas. Sed profectò in diis bonorum omnium essentia, profectoque continetur ac prima potestas, primum bonorum illic est principium, merito soli nos sacerdotes, & qui similiter superis se dederint, atque legitime vnionem ad illos fuerint consecuti bonorum omnium principium, atque finem studiosè prosequimur, in hoc vtique statu & veritatis contemplatio adest, & intellectualis scientiæ consummatio. Atque vna cum deorum cognitione conuersio quoque ad nos ipsos, nostrique agnitio comitatur. Frustra vero suspicaris, ne forte religiosus ex opinionibus humanis, fauoribusque dependeat. Quidnam enim esse potest animo diis dedito ad humanas laudes auscultandas?

Religionem esse veram.

Sed neque quod sequitur rectè dubitas, ne fortè religiosus ipse fallat, vbi ais animam magna sæpe ex contingenti confingere. Quodnam in rebus verè existentibus figmentorum initium esse potest? Nonne potentia phantastica in nobis est illa, quæ idola fingit, atque transformat, atque quando vita intellectualis perfectè agit, phantasia nulla suboritur? nonne penes Deos veritas ipsa secundum essentiam vna cum illis existit? Nonne multo magis & illa, quæ secundum consonantiam in rebus intelligentibus est fundata? Frustra igitur talia & abs te, & ab aliis diuulgantur. Quinetiam vbi tu, & alij religiosos calumniamini, tanquam præstigiatores, atque vanos, & iactabundos, longiùs à veritate disceditis, sicut enim cæteris artibus, sic & in religione sunt, qui eum falso profiteantur. Quæ professio longius quàm aliud quicquam à religione discedit. Malum enim bono magis quàm non bono contrarium est.

De præsagio naturali, artificioso, atque de diuino.

Siqua nobis aptitudo naturaliter insit ad futuri præsagium, quemadmodum animalibus terræ motum, procellarumque, & frigorum naturalis inest præcognitio, non videtur eiusmodi prænotio habere aliquid venerandum Nam secundum sensus acumen, vel compassionem, vel aliam quam communionem virium naturalium, eiusmodi præsagium naturale consequitur, neque rursum siquis secundum rationis discursum vel obseruationem signorum effectus aliquos præcedentium, sicut à contradictione pulsus, atque rigore medici febrem præuidere solent, videtur eiusmodi præsensio esse admodum honoranda: humana namque, suspecta, corporeaque conditione progre-

ditur. Solum igitur diuinitus aduenieus vaticinium, re vera nobis diuinam exhibet vitam, dum & preuiſionem, & diuinas intelligentias poſſidet, noſque reddit re vera diuinos, ac bonum legitimum nobis affert, beatiſſima enim deorum intelligentia bonis omnibus abunde repletur, ſuſpicaberis ne forte prophetæ diuinitus inſpirati præuideant quæ futura, neque tamen propterea ſint felices, nam & præuidere poſſunt, neque tamen ſcire futurus vni, ſed contrà dicendum, omnem videlicet prænotionem diuinitus inſpiratam eſſe bonis, & bonitate refertam, ordiniſque compotem, atque decori, atque vtilitatem nobis afferre: dij namque vnà cum præſagio, facultatem quoque ad cauenda, declinandaque incommoda nobis naturaliter imminentia ſuggerunt. Et quãdo virtutem oporteat exercere, ad idque conferat ignorario futurorum, occulunt ipſi futura, vt animus inde fit melior: quando verò ad hoc nihil intereſt, expedit autem animus præſentire, ad hoc videlicet, vt ſalui ad ſublimia reuertantur, tunc in mediis animarum eſſentiis vaticinium penitus inſerunt.

Via ad felicitatem.

QVærebas deinde, quæ ſit ad felicitatem via, quaue in re ſit ipſa felicitas, hoc igitur audi. Contemplabilis ipſe in ſe intellectus homo, erat quondam deorum contemplationi coniunctus, deinde verò alteram ingreſſus eſt animam, circa humanam formæ ſpeciem coaptatam, ſiue contemperatam, atque propterea in ipſo neceſſitatis, fatique vinculo eſt alligatus. Conſiderare itaque decet, quæ præcipuè ratione ab eiuſmodi vinculis ſolui poſſit, eſt autem ſolutio nulla, prætet ipſam deorum cognitionem. Idea namque felicitatis, ad ipſum cognoſcere bonum. Quemadmodum eſt & idea malorum, ipſa quidem bonorum obliuio, & fallacia circa malum, notitia quidem illa vnà cum diuino congreditur, obliuio verò hæc, atque deceptio inſeparabilis eſt à caduco. Item illa intelligibilium eſſentia per ſacras ſanctimoniæ vias rite metitur, hæc autem à principiis cadens, atque repulſa, ſeipſam proiicit ad corporalem ideam dimetiendam. Illa rurſum eſt ſui parentis agnitio, hæc verò diſceſſus vnà cum obliuione ab ipſo Deo patre ſuperſancto, ſeque ipſo ſufficiente, longè remotus. Illa veram conſeruat vitam reuocans hanc ad patrem: hæc hominem principem genituræ vſque ad id deducit, quod permanet quidem nunquam perpetuoque influxu verſatur, hæc vtique prima ſit tibi ad felicitatem via, intellectualem habens vnionis diuinæ penes animas plenitudinem. Sacra verò, atque deificà felicitatis traditio appellatur quidem porta ad ipſum omnium opificem Deum, aut locus, aut aula boni. Poteſtatem verò poſſidet primam quidem caſtam, & ſobriam animæ ſanctimoniam, valde vtiliorem, ſobria corporis caſtitate. Deinde cogitationis accommodationem ad ipſam participationem, viſionemque boni, ſimulque ad contrariorum expulſationem. Tertiò turſum vnionem exhibet ad deos bonorum omnium largitores. Poſtquam verò ſingulatim, atque propriè, tum mundi partibus, tum diuinis poteſtatibus per partes mundi diffuſis, animam copulauerit, tunc opifici totam copulat animam, præbetque vndique cum ipſo conſenſum, atque eam extra omnem materiam ponit, cum ſola iam ſempiterna vniuerſi ratione coniunctam, verbi gratia, in ipſa opificis poteſtate per ſe genita, per ſe mobili, & omnia ſuſtinente prorſus, & eleuante, intellectualique, & omnia pariter exornante: item ad veritatem intelligibilem reuocante, turſumque per ſe perfecta, perficienteque, atque effectrice cæteriſque Dei viribus opificis gradatim pro cuiuſque proprietate coaptat adeo, vt in actionibus earum, intelligentiiſque, & opificiis facultatibus, expiatus animus, atque ſacer perfectè firmetur. Atque tum demum in toto opifice Deo collocat animam.

Concluſio Religionis, felicitatiſque apud Aegyptios.

ATque hic apud Aegyptios religioſæ, ſacræque eleuationis eſt finis, ipſum verò bonum aliud quidem diuinum putant ipſum ſcilicet præintellectum Deum, aliud autem humanum, vnionem videlicet ad ipſum dominum, quemadmodum Byris propheta ex libris Mercurialibus explicauit. Non igitur pars hæc apud Aegyptios prætermiſſa eſt, vt tu ſuſpicaris, ſed quemadmodum ſpectat ad ſanctimoniam, rite nobis eſt tradita. Neque turſus de rebus exiguis ſacerdotes diuinam intelligentiam interpellant, ſed iis, quæ ad purgationem, ſolutionem, ſalutem animæ pertinent, neque difficilia meditantur, eademque hominibus inutilia, imo res animæ omnium vtiliſſimas, neque ſub dolo, & ſeductore quodam dæmone obfuſcati ſacerdotes hallucinantur, qui in omnibus fallacem, dæmonicamque naturam prorſus excedunt, atque ad intelligibilem, diuinamque conſcendunt, his itaque pertractatis, obſecro deos, vt mihi, tibique veram intelligentiarum cuſtodiam, obſeruantiamque exhibeant, nullo tempore defuturam, atque in ſempiternam æternitatem æternorum præbeant veritatem, perfectorũque circa deos intelligentiarum compotes nos efficiant, in quibus beatiſſimus bonorum finis nobis eſt propoſitus, & amicitiæ concordiæque internos mutuæ, authoritas omnis, atque firmamentum.

EXCERPTA

MARSILII FICINI

EX GRÆCIS PROCLI

Commentariis in Alcibiadem Platonis primum.



PRincipium dialogorum Platonicorum, totiusque Philosophiæ præcipuum, atque firmissimum, arbitrantur naturæ nostræ cognitionem, hac enim rectè cognita, bonum quoque nobis consentaneum, malumue dissidens absolutius nosse poterimus. Sic vtique natura comparatum est, vt quemadmodum inter se rerum essentiæ differunt, sic & propriæ rerum perfectiones. Vt igitur quæ sit naturæ nostræ perfectio, & quomodo comparetur, inueniamus (essentiam namque nostram in primis debemus agnoscere, quod quidem & in Alcibiade propositum est, & in tota doctrina Platonis est finis) quando rerum consideramus essentias, perscrutandum est, vtrum essentia rei sit ex earum numero, quæ indiuiduæ sunt: vel earum genere, quæ circa corpora diuiduntur: vel earum, quæ in medio collocantur. Item, vtrū essentia sit æterna, an per omne tempus existens, an in aliqua temporis parte fiat. Rursum, vtrum sit simplex, & ante compositionem existens, aut composita quidem sit, sed insolubilibus vinculis sit composita: aut possit vicissim in ea, ex quibus componitur, quandoque resolui, atqui si ita vnumquodque consideremus, deinde poterimus eius quoque bonum, quale sit, facilius iudicare. Constat enim essentiæ prorsus indiuisibilis, æternum esse bonum, diuisibilis verò bonum quoque in tempore, motuque versari, mediæ denique secundum substantiæ ipsius mensuras perfectio quoque perpenditur, eiusmodi namque perfectio tempore quidem indiget, sed tempore primo, quod sanè in corporeos circuitus possit apte metiri. Ignoramus quidem nos ipsos, quoniam obliuione benefica occupati sumus, atque in rationalium specierum vitæ perturbatione perculsi: existimamus autem interea cognoscere multa, quæ ignoramus, quoniam rerum rationes essentiæ nostræ innatas habemus. Tres sunt conuersionis species, quicquid enim conuertitur, vel ad aliquid vertitur, se deterius, dum à perfectione propria labitur: vel consurgit ad melius propter propriæ vitæ vigorem, actionemque naturalem, vel reflectitur ad seipsum propter cognitionem sibi consortem, mediamque speciem motionis. Conuersio quidem erga deterius, passio quędam est animę alas abiicientis, & in obliuione iam positę, sui ipsius simul atque aliorum. Conuersio verò & ad se, & ad melius non solis competit animabus, sed ipsis quoque diuinis, quemadmodum Parmenides ipse nos docet. Plato significat in procemio præter cætera animum veritatis studiosum cogitationes rebus cognoscendis consortes edere. Neque mutabilium immutabilem, neque necessariorum stabiliumque ambiguam atque nutantem. Sed quemadmodum Socrates in Republica docuit, notitia quidem simplici, vniformi, intellectuali intellectualia omnia coniugatè cognoscere, notitia verò scientifica, atque cogitatiua, specierum euolutione, atque compositione rationes rerum medias contemplari. Tertia rursum à veritate potentia sensuali per instrumēta cognoscibilia propria cōtingente sensibilia indicare, imaginali tandem potentia imagines sensibilium apprehendere. Iam verò Timæus cognitiones proportione quadam ad cognoscenda distinguens iubet nos entia quidem intelligentia, rationeque iudicare, opinione verò, sensuque illa, quę entia quidem non sunt, sed fiunt fugiter, atque pereunt, atque eorum, quæ verè sunt rationes, ratas, & inconiunctas existere, rerum verò in generatione fluentium imaginarias, atque contingentes, vbique enim rationes, sermonesque imitantur illa, quæ explicant.

Atqui Socrates in Cratylo ait circa res sempiternas, nomina naturam rei magis attingere: circa verò mutabiles nomina quoque sæpe mutari, & magis in positione versari. Aliorum vbique deorum aliæ proprietates existunt, nam aliæ quidem sunt opifices vniuersorum, atque specierum entium, ornatusque substantificę, aliæ verò propagantes vitam, ac varios vitæ vigores progenerantes, aliæ autem rerum ordinem seruant incommutabilem, connexionemque custodiunt insolubilem. Aliæ denique aliam sortitæ potentiam, omnia sua quadam beneficentia seruant. Similiter & omnis amatorius ordo causa conuersionis est rebus omnibus ad diuinam pulchritudinem, atque formam, reducens quidem sequentia ad illam omnia, eique coniungens, & coniuncta confirmans, atque mox inde sequentia replens, diuinique luminis procedentes inde dotes per omnia radians. Hanc igitur ob causam in Sympofio traditur, amorem magnum existere dæmonem, quippe cum amor primus omnium eiusmodi medii vim in seipso demonstret, sitque medius inter ipsum appetibile, atque appetens, & causa conuersionis sequentium in priora, vniuersa igitur amatoria cohors in vestibulo causæ pulchritudinis constituta, ad illam omnia conuocat, mediumque

processum facit inter amabile, atque illa, quæ reuocantur amore. Quapropter totius dæmonici ordinis in se declarat exemplar, hanc in diuinis medietatem obtinens, quam dęmones inter diuina tenent, atque mortalia. Cum igitur omnis amatoria cohors hanc inter deos proprietatem habeat, summitatem eius quidem vnicam, & occultam excogitamus primæ & intelligibili pulchritudini copulatam, penes supremos deos: medium verò processum eius penes supermundanos deos, intellectuali conditione fulgentem: tertium verò progressum eius circa mundum multifariam distributum multosque ordines, atque vires ex se producentem, atque eiusmodi munera partibus mundi diuersis distribuentem. Post enim vnicum, primumque amoris principium, atque post tripartitam substantiam inde perfectam, varia iam turba refulget amorum, vnde chori angelorum implentur amore: turbæ quinetiam dæmonum hoc plenæ Deo sectantur deos ad intelligibilem pulchritudinem reuocatos. Exercitus heroum vnà cum dæmonibus, & Angelis circa pulchritudinem debacchantur. Omnia denique suscitantur, reuiuiscunt, reuirescunt, incalescunt, circa pulchritudinis ipsius influxum. Iam verò animæ hominum inspiratione eiusmodi tactæ, & naturaliter cognatæ Deo, circa pulchrum mouentur assiduè, atque in generationis prouinciam delabuntur ad beneficium animis imperfectioribus exhibendum, & ad prouidendum iis, quæ salute indigere videntur. Dii quidem ipsi, deorumque pedissequi, in habitu proprio permanentes, sequentibus benefaciunt, & ad se cōuertunt: hominum verò animæ deorsum lapsæ, generationemque tangentes beneficam deorum prouidentiam pro viribus præseferunt. Quemadmodum igitur aliæ animæ secundum alium constitutæ Deum sincere prouinciis caducis præsunt, animabusque hic oberrantibus, atque aliæ quidem imperfectioribus prosunt per vaticinium, aliæ per expiationes, atque sacrificia, aliæ per opem medendi diuinam: sic & animæ, quę vitam amatoriam elegerunt, mouentur quidem a deo pulchrorum præside ad curam animorum ingeniosorū, à pulchritudine verò sensibus apparente ad diuinam pulchritudinem rediguntur, secumque ipsis conuocant & amatos; animæ verò, quæ ob peruersam educationem à superno munere decidunt, alioquin amatoriam nactę naturam, simulachris pulchritudinis incidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirãtur & amant, passionem propriam ignorantes. Sicut enim apud Plotinum defluxus mentis facit astutiam, atque sapientiæ portio lapsa creat sophisticam, sic munus amoris in peruersum incidens susceptaculum, vitam efficit intemperatam, atque tyrannicam.

Causa superior agit in opere prius, posteriusque quàm inferior, & vnà cum illa atque est præsentior operi.

QVæ perfectiora sunt vbique, & quæ rationem exemplaris habent, actiones prorsus imaginum comprehendunt, adeo vt deteriora nulli vsquam adsint, cui perfectiora quoque non multò prius aliquid ex se tradiderint. Quinetiam per omnes rerū ordines ipsum vnum alia comprehendit, atque ante illa, & post illa, & vnà cum illis agit.

Mali dæmones etiam in sacris occurrunt, & fallant sub prætextu bonorum.

COmpertum habemus in expiationibus, atque sacris, vbique ex deterioribus aliquid induere perfectionis imaginem, per quam animas nondum perfectas alliciat ad seipsum a superioribusque diuertat. Quemadmodum igitur in contemplatione physica impedimentum est vita sophistica procliuitasque ad illam trahens infirmiorem, ab ipsa entium contemplatione ad imaginationem caducis familiarem, sic in amatoria eleuatione turba popularium amatorum impedimentum est simulans amatorem verum, & animam iunioris à bonis cœlestibus in terrena, & tenebrosa detorquens: similiter in sanctissimis quibusque expiationibus, atque sacris antè quàm ipse Deus adsit, palam occurrunt dæmonum quorundam impetus terrenorum, aspectus noui quoque eos, qui expiantur, perficiunturque, deturbantes, & à sinceris bonis ad materiam deflectentes. Quamobrem dii iubent, ne prius in illos aspicias, quàm sacrorum potestate præstrinxeris oculos, sic enim aiunt diuina eloquia: Non expedit tibi illos aspicere prius quàm corpus expiaueris, atque sacraueris, quoniam illi mulcentes animas à sacrificiis vbique deflectunt. Sicutigitur in sacris, tùm primum apparet diuinum, quando totum hoc dæmonium trahens animas in materiam expulerimus: sic & diuinus amator post repulsam popularium amatorum occurrit amato. Item, sicut bonus cuiusque dæmon vnumquenque custodit à pueritia, actionesque omnes eius explorat, & verba, & ante parentes prouidet, & post patentes adest tanquam totius vitæ gubernator assiduus, atque post obitum dux est nobis ad iudices, eodem modo ad Alcibiadem se Socrates habet denique, sicut bonus dæmon nobis plurimum occultus adest clàm nobis prouidens, & silentio consulens, & ineffabiliter nos emendans, ita Socrates Alcibiadi.

Intellectus in nobis semper agit illuminando, neque tamen semper animaduertimus.

INtellectus ipse quidem circa nos semper agit, semperque præbet intelligentiæ lumen, atque etiam prius quàm in conditionem labamur irrationalem. Et quando in passionibus vitam degimus, & passionibus quandoque sedatis, non sem per animaduertimus: sed quando à quamplurimo generationis tumultu purgati sumus, atque tranquille viuimus (tunc enim intellectus nobis effulget) tunc quasi nobiscum loquitur, tunc suam nobis communicat vocem antea silentio præsens.

De bono dæmone; & de terrenis, materialibusque dæmonibus. Item quomodo vnusquisque nostrum consideretur, dupliciter, scilicet & vt simpliciter anima, & vt anima vtens corpore.

SOcrates quidem ad Alcibiadem se habet, vt bonus dæmon, amatores cæteri, vt materiales, terrenique dæmones, qui propellendi sunt, vt animus bono dæmoni sit magis expositus. Considerare potest dupliciter Alcibiadem, & vt simpliciter animam, & vt animam vtentem corpore. Non enim idem est vtrunque quemadmo-

dum nec ipse per se homo, & iam gubernator homo, nec homo simpliciter, atque auriga. Omnino autem, quod est imparticipabile ab eo, quod est participabile, differt. Atque id, quod secundum seipsum existit, ab eo differt, quod cum alio quopiam simul iam censetur. Et denique quod exemptum est ab eo discrepat quod coordinationem ad aliud est sortitum. Quoniam igitur Alcibiades dupliciter intelligitur, & vt simpliciter anima, & vt anima, vtens corpore, qua quidem ratione est simpliciter anima quædam. Socrates ad eum mentis vicem gerit, qua verò ratione est anima vtens corpore, Socrates boni dæmonis partes agit. Atque idem ipse & dæmon est, vt ad hominem, & intellectus ad animam. Iam verò & quando medieratem dæmonicam reputamus, inter deos eam & homines collocamus. Quando verò intellectum, in summo quidem animam ex ipso suspendimus, & corpus ex anima, habes profectò diuisionem alteram in symposio, vbi traditur dæmonum inter deos hominesque existere medium: habes alteram in Timæo dicente, animum inter intellectum atque corpus medium obtinere. Idem igitur est & intellectus, & dæmon ad animam quidem intellectus, ad animam verò humanam dæmon esse censetur.

Quomodo amor Deus nec primus est, nec vltimus, & quomodo in diuinis est bonum, sapiens, pulchrum: item fides, veritas, amor.

AMorem domini neque in primis entium, neque in vltimis collocare debemus. Non in primis, quoniam ipsum amabile superius est amore, non in vltimis quoniam amans particeps est amoris. Oportet igitur amorem inter amabile, amantemque constituere, & ipso quidem pulchro posteriorem, cæteris verò, quæcunque amant, priorem asseuerare. Vbinam igitur extitit ab initio? Quo pacto peruniuersa procedit, & quibus cum prodiit vnitatibus? Cum igitur tres sint in diis intelligibilibus, occultisque substantiæ, & prima quidem obsignata sit bono, ipsum videlicet bonum ex se intelligens, vbi sicut sacra eloquia tradunt, vnitas est paterna: secunda verò per sapiens designetur, vbi prima viget intelligentia: tertia per pulchrum definiatur, vbi intelligibilium est pulcherrimum, vt Timæus ait: nimirum & tres secundum has intelligibiles causas vnitates existunt, secundum causam quidem vniformiter in intelligibilibus consistens, effulgentes verò primum in ipso ineffabili deorum ordine, scilicet fides, veritas, amor. Fides quidem omnia firmat in bono: Veritas autem omnem in entibus cognitionem explicat, amor denique conuertit omnia, congregatque in ipsius pulchri naturam. Eiusmodi sanè trinitas hinc per omnes deorum progreditur ordines, omnibusque ad ipsum intelligibile irradiat vnionem. Aliter autem per alios ordines se declarat, vires vbique suas deorū proprietatibus complicans Alibi quidem est ineffabiliter, incognitèque & vnicè: alibi continentiæ, connexionisque ratione: alibi tanquam perficiens, atque formans, hic tursum intellectualiter, atque paterne, ibi motiuè viuificeque prorsus & efficiuè: illic tanquam imperans, & assimilans, ibi absolutè penitus atque sincerè, illic multiplicatè iam atque diuisim. Amor ergo supernè ab intelligibilibus vsque ad mundana descendit ad diuinam pulchritudinem omnia conuocans. Procedit & per omnia veritas, illustrans cognitionibus omnia, procedit fides per vniuersum in bono singulatim sistens, hinc diuina eloquia omnia tradunt tribus his gubernari, in eisque consistere. Quamobrem diis sacrificantes iubent Deo per Trinitatem eiusmodi se coniungere. Ipsa quidem intelligibilia propter inæstimabilem vnitatem medio non indigent amatorio. Vbi verò & vnitas entium est, atque discretorum discretio, ibi extat & amor, colligator enim est, & conciliator eorum, quæ sunt post ipsum, & quæ super ipsum. Conuersor sequentium in priora imperfectorum reductor, atque perfector.

Prouidentia percurrit per singula vsque ad minima, & interim nullis addicta.

QVi diligentiores sunt in rerum rationibus assignandis, duo hæc elementa potissima diuinæ, dæmonicæque prouidentiæ tradunt. Primum per omnia desuper prouidentiam ad vltimum vsque procedere, ac ne minimum quidem sui expers alicubi pretermittere. Secundum nihil omnino eam ex gubernantis accipere, nec eorum natura repleri, nec eis alicubi commisceri. Non enim ex eo, quòd omnia seruet, atque disponat, admiscetur propterea gubernatis, nam diuinum, atque dæmonum naturam habet passionibus animarum particularium non subiectam. Neque tamen, dum separatim sequentia supereminet, propterea ex deterioribus aliquid inordinatum, incultumque relinquit. Imò verò ob hanc ipsam causam omnia decenter exornat, atque à dispensatis absoluitur. Est enim benefica pariter, atque sincera, exornatrix omnium, atque ab excultis interim expedita, per omnia currens, præsertim quia cohibita nusquam. Viri quinetiam diuini inferioribus diligentissimè prouident simulatque tranquille. Quid ergo de diis ipsis, bonisque dæmonibus est dicendum? Nonne præsentes omnibus liberi sunt ab omnibus? Implentes seipsis omnia nullis alicubi permiscentur: discurrentes per vniuersum, nusquam viram propriam addixerunt. Nonne confitebimur deos suas proles amare? Quemadmodum Poetæ fingunt, Iouem amare puellam, ipsamque Venerem. Nempe quoniam amor eiusmodi prouisor est, & seruator, perfectorque, & contemptor rerum diuinitus amatarum. Interea & beneficus, & sincerus, immixtusque habitudine nulla ad tesasfectus externas. Dic amabo, vnde nam diuinis interdum hominum animabus amatorium eiusmodi priuilegium obtigisset, nisi prius diis ipsis inesset? quicquid enim bonum, & salutare competit animalibus, causam à diis definitam habet. Quamobrem & virtutum omnium, corporalinmque bonorum velut sanitatis, roboris, iustitiæ, temperantiæ, exemplaria Plato probat procedere penes Deum. Quanto itaque magis amatorij muneris causam principalem apud deos esse fatebimur, quippe cum amatorius hic affectus (vt Socrates in Phædro ait) diuino quodam munere sit tributus? Dij igitur deos amant: antiquiores quidem minores, sed prouidentiæ munere, minores vicissim maiores diligunt, quodam videlicet conuersionis officio. Perficere quidem deteriora, & inferioribus prouidere, animalibus quoque qua ratione sunt animę competit, nam & ob hoc ipsum descendunt, propter rerum generabilium prouidentiam, curamque mortalium. Ita verò

prouidere, vt prouidet gubernatis, nec misceatur, nec velut addictus afficiatur, nec inde recipiat quicquam, deorum proprium est, dæmonumque bonorum, & quoties contingit animabus humanis, diuina, vel dæmonica largitate contingit. Solent sacerdotes in sanctissimis sacrificiis, vel per verba vel per ea, quæ oculis ostenduntur, in admirationem, stuporemque præsentes adducere, stuporem in Deo animam exponere consueuit. Socrates nunquam amatoriam vitã vsque adeo rectam peregisset, nisi afflatu quodam dæmonis elegisset eam, & tenuisset electam.

Amor est medius inter amabile, & amantem: est magnus dæmon omnia ligans, & quæcunque appetunt, ipse medius primò copulat appetibili.

SAcra igitur eloquia hunc amorem domini indicunt omnia colligantem, omnibus insidentem, hic sanè, si connectit omnia, copulat & nos dæmonum præfecturis. Hunc Diotima magnum dæmonem appellauit, quoniam medium implet vbique inter illa, quæ appetunt, & quæ appetuntur. Ipsum quidem, quod est amandum, gradum sibi vendicat primum, amans autem gradum tertium ab amato. Amor denique vsurpat inter vtrunque medium congregans atque colligans inuicem appetens, atque appetendum, & implens meliore deterius. Iam verò apud intelligibiles deos, atque reconditos, primæ, secretæque pulchritudini, intelligibilem intellectum vnit per vitam quandam intelligentia meliorem. Itaque Græcorum ipse Theologus cæcum illum appellat amorem. In illis autem, quæ extra intelligibilia sunt, nondum illustrat indissolubilem, cunctis ab ipso perfectis. vinculum enim vnio quædam est, sed vnà cum discretione permulta. Quapropter eloquia sacra huius amoris ignem appellare copulatorem solent: ab intelligibili namque intellectu procedens sequentia cuncta inuicem, illique deuincit. Conciliat igitur intelligibili quidem pulchritudini deos omnes, diis verò dæmones, nos autem dæmonibus, diisque coniungit. In diis quidem subsistit primo, in dæmonibus verò secundò, in animabus autem particularibus processum quendam tertium à principiis existentem. In diis rursum supet essentiam: omne namque deorum genus est eiusmodi. In dæmonibus autem per essentiam, in animabus denique per illustrationis effectum. Atqui videtur hic trinus ordo, trinæ intellectus potentiæ similis. Etenim intellectus alius quidem imparticipabilis extat ab omnibus particularibus generibus absolutus. Alius verò participatus, cuius & deorum anima tanquam melioris participes sunt. Alius autem ab hoc infunditur animabus, qui sanè est ipsarum perfectio animarum. Hæc autem tria de intellectu Timæus ipse significat. Intellectu igitur imparticipabili amorem diis insitum congruum intelligito, absolutus namque est & ille ab omnibus, quæ suscipiunt eum, & illuminantur ab ipso. Intellectui verò participato amorem dæmonicum comparato. Essentialis enim est & ipse, seque ipso perfectus tanquam præparticipatus intellectus, & proximè insidens animabus, intellectui denique secundum habitum accepto. Tertium amorem illustratione animabus infusum reddere debes. Nec iniuria vniuersæ intellectui differentiæ coniugatum consideramus amorem, intellectu enim intelligibili primam habet, occultamque substantiam. Si enim prodiit inde, & ibi per causam est fundatus, atqui mihi videtur & Plato hunc Deum apud Orpheum inuenisse, eundem & amorem, & magnum demonem illic appellatum, atque ipse hoc hymno videtur fuisse contentus. Meritò igitur Diotima magnum dæmonem appellat amorem. Et Socrates vbi de amore disputat, disputat etiam de dæmonibus.

Primo de demonibus communiter: secundo de demonibus familiaribus: tertio de demone Socratis.

DIcendum est deinceps primò quidem communiter de dæmonibus: deinde de illis, qui nos sortiti gubernant: tertio de dæmone Socratis. Dæmones igitur à prima viuifica dea sortiti substantiam, atque inde velut ex fonte fluentes, essentiam nacti sunt animalem, & hanc quidem magis intellectualem, illi, qui maiorem habent, perfectioremque substantiam, minus verò intellectualem, potiusque rationalem, qui media possident. Tertij verò, & dæmonici ordinis postrema tenentes, variam, magisque rationalem habent, materialemque naturam. Eiusmodi igitur substantia constituti ad diuisionem deorum pariter diuiduntur, vtpote qui ad deos ministrorum vice funguntur. Aliter enim respondent, seruiuntque diis penitus absolutis, ante mundum cuncta exordientibus, atque ducentibus: aliter verò mundanis, qui mundi partibus proximè præsunt, qui & secundum duodecim deos supercœlestes distribuuntur. Hi autem secundum omnes mundanorum deorum proprietates distributi sunt, omnis enim mundanus Deus ordini alicui dæmonum imperat, cui propinquo suam impertit potentiam. Deus namque opifex vim largitur opificem. Deus inconuertibilis incontaminabilem exhibet facultatem: perfector autem similiter perfectoriam: atqui circa vnumquemque Deum innumerabilis est dæmonum multitudo, eademque cum diis ducibus cognomenta reportat, gratulantur sanè quando Apollines, Mercurij, Ioues nominantur, quippe cum propriorum deorum proprietatem in seipsis exprimant. Proinde mortalia per hos dæmones diuinos nanciscuntur influxus: atque ita plantæ, & animalia fabricantur: hæc quidem horum, illa verò illorum deorum, imagines præsetentia. His quidem è proximo dæmones ducum suorum munera largiuntur, eminentius verò dii desuper dæmonibus præsidentes, quamobrem postrema primis in passione consentiunt. Primorum enim notæ sunt, in postremis, & postremorum in primis causæ comprehenduntur. Media sanè dæmonum genera implent omnia, simulque connectunt, communionemque ipsi omnium continent, dum deorum quidem participes sunt, à caducis autem participati. Siquis itaque dixerit Deum vniuersi fabrum, contra totus ordinis in dæmonibus firmauisse, à veritate non aberrabit. Quandoquidem & Diotima hunc eis attribuit ordinem, connectentem videlicet diuina simulatque mortalia, deriuantem liquores supernè fluentes, in deos sequentia omnia referentem, denique vniuersa complentem secundum medietatis ipsius connexionem.

sim

Confutat opiniones duas, primam dicentem non esse alios dæmonas præter animas nostras à corpore solidiore solutas, secundam Amelii putantis dæmonas esse deos aliquos oberrantes.

NOn igitur admittemus eos, qui dæmones aiunt esse nostras animas, hac vita iam functas, in aliquam translatas. Non enim decet dæmonem per habitudinem quandam consideratum in idem conferre, atque ipsum essentia dæmonem, neque medietatem mundanorum omnium sempiternam ex vita quadam constituere multifariam permutante seipsam. Stat enim semper eodem pacto custodia ipsa dæmonica continuans vniuersa. Anima verò non ita suum tetinet ordinem, vt ait Socrates in Republica: aliis namque temporibus vitas alias eligit. Nec illos iterum comprobabimus, qui deorum aliquos esse dæmonas arbitrantur, ceu erraticos deos, vt putar Amelius. Sed Platonem ipsum sectabimur, deos quidem dicentem dominos vniuersi, greges verò diis dæmonum subigentem, & vbique rationem Diotimę comprobabimus, mediũ dæmonibus ordinem inter deos, mortalesque tribuentem.

De dæmonibus familiaribus. Item numerat quinque genera dæmonum, diuersaque eorum officia.

CVm igitur dæmones in medio sint, vt diximus, constituti, primi quidem, atque summi inter eos diuini sunt dæmones, diique frequenter apparent ob excellentem ad deos similitudinem. Nempe in vnoquoque ordine primum, superioris ordinis formam præfert. Etenim intellectus ex se tanquam Deus occurrit, & animarum antiquissima intellectualis existit: ideoque dæmonum quoque supremum genus, vtpote diis proximum, vniforme est, atque diuinum. Secundi verò post hos sunt dæmones intellectuali proprietate iam præditi, ascensionibusque, & descensionibus præsidentes, atque omnino deorum effectionem declarantes omnibus, atque tradentes. Tertii verò sunt dæmones, qui animarum diuinarum effectiones distribuunt in sequentia, complentque vinculum suscipientium, inde defluxus ad illas. Quarti vniuersalium naturarum vires efficaces in generabilia transmittunt, particularibusque naturis inspirant vitam, ordinemque, & rationes, & vniuersam mortalium effecturam. Quinti corporei quodammodo sunt, corporumque extrema deuinciunt. Quo enim pacto corpora sempiterna conuenient cum caducis? quo modo efficientia cum effectibus, nisi eiusmodi medio colligant? Natura enim eiusmodi media bonis corporeis dominatur, omnibusque copiis naturalibus prouidet. Plerique verò ex eorum numero versantur circa materiam, viresque à cœlesti materia desuper in materiam descendentes continent, atque contexunt, eamque subinde custodiunt, & varietatem picturamque formarum in hac ipsa conseruant.

Officia dæmonum quinque dæmones primi animas diis propriis copulant.

CVm igitur multi, multiformesque sint, vt ait Diotima, dæmones, summi quidem animas procedentes à patre diis earum ducibus copulant. Nam vnusquisque Deus ducit primo quidem dæmones, deinde verò particulares animas. Sicut enim Timæus ait, Deus horum opifex, alias quidem animas in Solem, alias autem in Lunam, alias in deos alios seminauit, hi vtique dii sunt dæmones, qui secundum essentiam sortiti sunt animas, propriisque eas ducibus copulant: atqui vnaquæque anima, etsi circa suum Deum se reuoluit, indiget eiusmodi dæmonis beneficio. Secundi verò dæmones ascensus animarum, descensusque dispensant, atque ab his electiones animis sunt permultis. Nempe perfectissimæ animarum, quæ sine generabilium commercio in generatione vitam agunt, quemadmodum proprio Deo vitam consenrancam elegerunt, sic & secundum dæmonem diuinum viuunt, qui & manentes quondam apud superos eas Deo proprio coaptauerat. Quamobrem Aegyptius Plotinum est admiratus, tanquam diuino quodam dæmone gubernatum. Itaque circa animas, quæ ita hic vitam agunt, tanquam mox ad sublimia redituræ, dæmon idem hic est, atque supeme. Circa verò minus perfectas, alius quidem est ipse secundum essentiam dæmon, alius autem, qui vitam nuper editam comitatur.

Tribus modis dicitur dæmon, aut essentia, aut comparatione, aut habitudine quadam.

SI hæc rectè posita sunt, nemo iam admittet animam nostram rationalem dæmonem esse dicentes, dæmon enim aliud est, quàm homo, vt Diotima tradit, dæmonas inter deos, hominesq; disponens. Quod & hic Socrates ipse significat, vbi contra causã humanã dæmonicã causã diuidit, dicens: Non humana quidẽ causa, sed dæmonicũ obstaculum me detinuit, homo autem est anima vtens corpore: non igitur dæmon idem, atque anima rationalis est putandus. Iam verò & hoc manifestum est, vbi Plato in Timæo dæmonem ait, animalis in nobis rationem constitutam esse. Verumtamen hoc vsque ad comparationem quandam nobis est admittendum. Alius enim est ipsa essentia dęmon, alius comparatione dæmon, alius habitu, vel habitudine dæmon. Vbique enim, quod proximè præest in quodam dæmonis ordine ad inferius sese habens, appellare dæmonem consueuerunt, quo vsu Iupiter apud Orpheum, Saturnum patrem dæmonem appellauit: & ipse Plato in Timæo dæmonas nuncupauit deos illos, qui generationem è propinquo disponunt, vbi ait: De aliis verò dæmonibus tractare, eorumque generationem in lucem edere, maius est, quàm ferre humanum possit ingenium, comparatione vtique dæmon est eiusmodi, qui videlicet proximè vnicuique prouidet, etiam si Deus sit, ac etiam si Deo sit inferior. Habitudine verò quadam dæmon dicitur animus, qui similitudine quapiam ad genus dæmonicũ mirabiliores, quàm secundum hominem actiones edit, totamque vitam suam suspendit ex dæmone. Hac arbitror ratione Socratem in Republica, dæmonas animos appellasse, qui vitam bene transegerint, & in meliorem transferri sint sortem, locaque angustiora iam colant. Ipse denique secundum essentiam dæmon, neque propter habitudinem ad sequentia, neque ob aliquam ad aliud similitudinem appellatus est dæmon, sed hanc per seipsum proprietatem est sortitus, atque inexistẽtia quadam, viribusque

viribusque propriis, modisque differentibus actionum est distinctus, omnino verò anima quidem rationalis in Timæo dæmon animalis est appellata. Nos autem ipsum hominis dæmonem perscrutamur, non dæmonem animalis, atque eum, qui rationalem dirigat animam, non instrumentum duntaxat illius, eum rursus, qui tandem animali solutos, animam perducat ad iudices. Quemadmodum Socrates asserit in Phædone, quando animal quidem non est amplius, dæmon autem vnumquemque ducit ad iudicem: dæmon inquam ipse, qui sortitus fuerat & viuentem. Si enim cum ipsum viuentem nactus est dæmon, quem & post obitum iudicio sistit, nimirum hominem videlicet non animal solum nactus erat, quinetiam desuper exordiens, atque imperans, constitutionem nostram gubernat totam.

Contra dicentes dæmonem esse vel partem animæ operantem, vel partem ei præpositam.

Sed neque etiam probandi sunt, siqui animæ rationali dimissa, dæmonem esse dicant ipsum, quod operatur in anima: ceu in viuentibus quidem secundum rationem esse dæmonum rationem, sed ita viuentibus irascibile: cupiditate, concupiscibile. Neque rursum audiendi, siqui dixerint dæmonem esse, quod in ipsa vita nostra ei, quod operatur, proximè præsidet, ceu iracundis rationem, libidinosis iracundię potestatem. Principio dicere dæmonas esse partes animæ hominum, est humanam vitam nimium admirantium, neque probantium Socratem in Republica post deos, & dæmonas disponentem genus heroicum, & humanum, increpantemque Poëtas, quod heroas nihilo meliores hominibus introducant, sed passionibus similibus mancipatos. Socrates igitur talia increpans, procul admodum ab hac erit opinione, vt dæmonas, qui heroibus præstantiores sunt, inter animæ partes, viresque constituat. Ex his namque sequitur ipsa pet essentiam meliora intus accipi ad deteriora complenda. Prætera vitarum mutationes varias, dæmonum mutationem adducent. Auarus namque in ambitiosam vitam sæpe mutatur, ambitiosus in habitum recta opinione viuentem, hic in habitum scientia præditum. Dæmon igitur alias similiter alius erit. Nam pars ipsa agens in anima aliàs exiistit alia. Si igitur vel hæc ipsa pars operans, vel pars huic proximo præsidens dæmon fuerit, nimirum vnà cum humanæ vitæ mutationibus, dæmones pariter mutabuntur, atque in eadem vita plures idem animus dæmones nancisceretur, quod fieri nullo modo potest. Nunquam enim anima in eodem vitæ curriculo mutat dæmonis præfecturam, sed idem dæmon est ex ipsa genitura vsque ad iudicis vitæ præsentiam nos gubernans, quemadmodum Socrates asserit in Phædone.

Dæmon non est particularis intellectus, sed substantia differens ab intellectu, posita in latitudine animarum.

Proinde qui intellectum particularem idem esse putant, atque dæmonem nos sortitum, non rectè mihi videntur intellectualem proprietatem cum substantia dęmonica confundere. Omnes enim dæmones in animarum latitudine continentur, animisque diuinis posteriores existunt. Intellectualis autem ordo aliud quiddam est quàm anima, neque eandem essentiam vel potentiam, vel actionem eandem nacta sunt. Præterea intellectu quidem animæ perfruuntur, tunc demum, quando ad ipsum conuersæ fuerint, lumenque inde susceperint, suamque illi coniunxerint actionem, dæmonis autem præfectura potiuntur per omnem vitam, totumque victum, atque per omnia, quæ vel à fato proficiscuntur, vel prouidentia: ipse namque dæmon est, qui omnem vitam nostram regit, electionesque nostras ante generationem factas implet, donaque fatalia, & munera ducum fati deorum, quinetiam illustrationes à prouidentia suggerit, atque dimetitur. Iam verò nos tanquam animæ quædam à solo intellectu pendemus, vt autem animæ vtentes corpore, egemus & dæmone. Quamobrem Plato intellectum quidem gubernatorem animæ nuncupauit in Phædro, dæmonem verò passim hominum speculatorem, atque curatorem; atqui nemo rectè considerans, aliam quandam vnam, & nobis proximam prouidentiam inueniet, ad nostra omnia pertinentem, præter dęmonicam prouidentiam, atque curam. Intellectus enim ab anima rationali participatur (vt diximus) à corpore verò nequaquam: natura participatur à corpore, ab intelligentia minimè. Anima rationalis iracundiæ quidem, & concupiscentię dominatur: in rebus verò fortuitis non habet imperium. Dęmon verò solus omnia mouet, cuncta gubernat, nostra omnia excolit, atque disponit: enim verò, rationem perficit, perturbationes temperat, naturam inspirat, corpus continet, fortuita subministrat, fatalia complet, prouidentiæ dona largitur. Vnusque hic existit vniuersorum, quæ in nobis, & circa nos sunt, rector totius vitæ gubernacula tenens.

Tria de dæmone Socratis, primum, quod est etiam Deus: secundum, quod per vocem apparet: tertium, quod reuocat, non prouocat.

De Socratis dæmone consideranda nobis sunt tria. Primum, quòd appellatur & Deus, vt hic, & in Apologia patet. Secundum, quòd per vocem dabat Socrati signum, quod in Theage apparet, & Phædro. Tertium, quòd reuocabat Socratem, non prouocabat, quod testatur Apologia. Principio animarum diuinarum, quæ intellectualem vitam elegerunt, dæmones sunt diuini in dæmonum quidem genere summi, deorum verò participes ante omnes, sicut enim in diis est dæmon, sic & in dæmonibus est & Deus, sed ibi quidem substantia est diuina, proportio verò dæmonica. In dęmonibus autem proprietas quidem dæmonica, proportio verò diuinam declarat essentiam. Adeo enim cæteros dęmones antecellunt, vt dij frequenter appareant. Meritò itaque Socrates dæmonem suum appellat, & Deum, tanquam ex dæmonum ordine summum. Quapropter perfectus Socrates erat, tali videlicet dęmone gubernatus, & ad eiusmodi sui dęmonis normam sese dirigens, proinde quantum ad illam dęmonis vocem spectat, attende. Socrates sanè primò quidem per intelligentiam, scientiamque rerum separatarum inspiratione dęmonis fruebatur ad diuinum amorem assiduè reuocante. Secundò verò & in vitę negotiis dirigebat prouidentiam suam erga deteriores, atque secundum ipsam dæmonis actionem non intelligentia, siue cogitatione tantum, neque solis viribus opinantibus, lumen accepit inde procedens,

sed ipso quoque spiritū, dum per totam eius vitam inspiratio illa dæmonica repente procederet, ipsumque sensum iam moueret. Constat enim eadem actione nobis desuper imminente, aliter quidem rationem, aliter imaginationem, aliter verò sensum, dato munere perfrui, & vnumquodque eorum, quæ nobis insunt propria quadam conditione à dæmone moueri, atque pati: non extrinsecus igitur passiuè vox in Socratem incidebat, sed ex intimis inspiratio per animam totam procedens, & vsque ad sensuum instrumenta progrediens. Postremò vox euadebat, in notitiam videlicet veniens, non tàm sensu quopiam, quàm consensu. Tales enim à bonis dæmonibus, atque diis illustrationes con tingere solent.

Dæmones alii sub aliis diis ordinati diuersa inter se habent officia.

QVod autem de Socratis dæmone dictum est, reuocare videlicet, non prouocare, non omnibus dæmonibus nostris est commune, beneficum ergo Socratis ingenium, & charitate erga homines communiter plenum, & vltro ad beneficia promptum, dæmonica exhortatione non indigebat, dehortabatur tamen eum dæmon, quoties vel importunè, vel ineptos ad disciplinam suam aggrederetur, fræno videlicet potius quā calcaribus indigentem. Præterea dæmonum alii purgatoriam, & incontaminabilem possident potestatem, alij verò genitricem, allj perfectoriam, alij opificem, atque omnino secundum deorum proprietates, viresque, sub quibus ordinati sunt, diuiduntur. Iam verò secundum eorum substantiam singuli clientibus suis ad beatam vitam patrocinantur, alii quidem ad deteriorum curam nos mouentes, alii verò ab actionibus retrahentes externis. Videtur itaque Socratis dæmon proprietatem huiu'modi nactus, purgatoriam inquam & incontaminabilis vitæ causam, at sub hanc Apollinis potentiam ordinatus præsidentem vniuersæ purgarioni, virtute scilicet vniformi, hac ergo virtute dæmon à commercio vulgi nimio segregat, colligitque ipsum ad animi penetralia, & actionem à deterioribus segregatam. Nempe sicut apud Orpheum Appollo præest Baccho, reuocans eum à processu in Titanicam multitudinem, sic & Socratem eius dæmon, qui pedissequus est Appollinis. Intellectus enim noster est numinis Apollinei proles.

Substantias numinum & animorum cognoscere, est intellectus perfectè purgati: communiter verò per actiones eorum cognoscimus potentias, per has auguramur essentias.

INter hæc Alcibiadi Socrates pollicetur dæmonis non substantiam, sed potentiam notam fore. Ait enim diuinus Iamblichus, substantias quidem dæmonum, & communiter omnium nobis superiorum, contemplari nobis difficilimum esse, nisi intellectum habuerimus perfectè purgatum qūandoquidem & animæ essentiam non vnicuique facile. Solus ergo Timæus omnem eius essentiam declarauit. Qualis enim est omnino, diuina, longaque expositione indiget, qua declaretur, vt Socrates ait in Phædro, potentias autem numinum facile est explicare: nam ab actionibus, quarum proxime matres sunt ipsæ vires, eas ipsas potentias persentimus. Media namque inter actionem, & essentiam potentia est, producta quidem ab essentia, actionem verò producens. Præterea ipsa potentia maximam cum dęmonibus familiaritatem habet. Vbique enim potentia dæmonis instar medium obtinet, & in rebus quidem intelligibilibus patrem, intellectumque coniungit. Potentia enim est simul cum patre, intellectus autem existit à patre. In rebus autem intellectualibus cum essentiis copulat actiones: actio namque est potentiæ proles: essentia verò potentias ex se parit. Numina igitur inter nos, deosque media propriè per nomen potentiæ designantur, vbique medium possidentis. Vera enim essentia verumque esse penes deos existit. Potentia verò diis rite ministrans in dęmonibus habet locum. Actio denique, & effectio per eorum potentiam progressa foras versatur in nobis.

Cognitio futurorum contingentium, est apud superos certa, atque necessaria.

DIuinus Iamblichus, atque dux ille noster ita quærunt atque soluunt. Quomodo non est absurdum, ex natura rerum cognoscendarum differentias cognitionum determinare, atque non contrà, scilicet cognitionum, siue cognoscentium differentiis cognoscenda diuidere? Ita vt quod per essentiam æternum est, atque diuinum, æternè, atque diuinè cuncta cognoscat: quod humanum est, cognoscat humanè, quod sanè indiuiduum est, nimirum & indiuiduè: vel quæ diuidua sunt, anticipet, quod æternum, supertempus etiam temporalia: quod rationale, in rationalia quoque rationaliter. Ex his itaque patet deos, atque dæmonas cognoscere indefinita definitè, instabilia stabiliter, atque firmiter, nonne videmus, multa inferioribus nostris incognita nobis interim esse nota? Inrationalia enim vniuersalis ipsius naturam apprehendere nequeunt. Nos autem colligere possumus: Quidnam igitur vlterius admiramur, quæ nos ambigua, & fallaci cognitione coniicimus, hæc superos firmiter comprehendere? Non enim nostra debilitas est illorum potentiæ iudex: quemadmodum neque irrationale nobis inferius, haber rationis nostræ iudicium, quamuis irrationali, quod est in nobis, vel extra nos, nostram intelligētiam moueat. Cur non absurdum sit coniecturalem quidem futuri præsensionem alicubi reperiri, stabilem verò, determinatamque, & indubiam, inueniri nusquam? Ipsa namque natura rerum non potest ab imperfectis, ab impuris, à rebus cum contrario mixtis exordia ducere, si autem futuri coniectio est ignorantiæ particeps, neque constat, vbinam ipsa est per se futuri notitia? Vbi purum ipsum, à quo quidem & quod posterius est, & illius cupidum, substantiam est sortitum, nisi apud superos?

Superi nobis bene consulunt, etsi prauideant nos non obtemperaturos eis.

APollo Pythius Laio respondit consulens ne filium generaret, alioquin dæmonum violentiæ subditum. Pręuidebat tamen interea Laium oraculo non obtemperaturum, sed Phœbus tanquam bonus proposuit ei vitæ melioris electionem. Et Laius sanè illi quidem non credidit, sed propter propriam ignorantiam futuris est periculis circumuentus. Omnes quidem probi viri actiones ad ipsa sui intima vergunt.

Itaque si beneficè, atque diuinè fuerit operatus, finem iam suum habet in actione videlicet propria constitutum, etiam si extra nihil fuerit inde perfectum similiter, & circa nos sæpe dæmones operantur. Proinde diuina frequenter inferioribus videntur occurrere, atque præcurrere, interim è suis sedibus non discedentia, sed dum in seipsis permanent propter aptitudinem suscipientis, videntur accedere. Nam & in deorum inuocationibus, & occursibus sponte factis accedere ad nos quodammodo videtur ipsa diuinitas, nobis videlicet profectis ad ipsam. Mos Pythagoræis erat per signa in corpore constituta venientes ad eos iudicare, vtrum ad meliorem vitam apti forent, necne. Natura enim ipsa, quæ animis confingit corpora, instrumenta eis congrua subministrat, imaginesque animarum in corporibus indicat, per quas & animarum ingenia in hac arte periti deprehendere possunt.

Regula dialectica de propositionibus necessariis, atque contingentibus.

PEriti in dialecticis dicere solent, etiã si quis decies mille propositionibus necessariis vsus fuerit, vnicam verò interseruerit contingentem, conclusionem omnino deteriori similem euasuram: similiter si ipsum, quod à nobis cognoscendum est, habeat penes se aliquid materialis, instabilisque naturæ commixtum, proculdubio efficit, vt nostra de hoc ipso cognitio indefinita sit, & ambigua. Cognitiones enim instabilium rerum non sunt à redargutione securæ, sed per assimilationem quandam vix talia comprehenduntur. Talis autem est & naturalis virtus, quia vbique quod imperfectum est, tanquam materiæ cognatum, facillimè permutatur. Ipsa per sesufficientia primum est penes deos; boni namque sunt dii, atque superessentiales bonitates quædam, & entium omnium plenitudines, per quos, & cæteris omnibus sufficientia competit intellectibus animis diuinis, dæmonibus nobis, & alia quidem participatione quadam sufficientia sunt, dij antem ipsa substantia. Quamobrem communis, immutabilisque sententia beatitudinem designat sufficientia, quibus enim competit habere se bene, eisdem sufficienter habere se conuenit.

Anima rationalis à primo opifice mundi, irrationalis à diis iunenibus. Ideo illa est hac nobilior.

ANimam in nobis rationalem, anima in rationali nobiliorem esse dicimus, quoniam illam quidem primus mundi opifex procreauit, hanc autem dii iuuenes produxerunt, huius sanè generositatis, ipsa iam liarũ nobilitas est imago, quæ tamen ignobilitatem habet admixtam, vicissimque mutatur, stabilis autem, & sempiterna generositas animarum à diis ducitur, circa quos olim satæ dicuntur, atque à diuinis potentiis, sub quibus ordinatæ fuerunt, nobiliores enim animæ sunt, quæ sublimiorum deorum pedissequæ sunt, atque à maioribus potentiis dependentes secundum distributionem in vniuerso dispositam. Idem quoque de ciuitatibus asseto. Desuper enim secundum sortes differentia ad animas vsque descendit. Atque dicimus deos quidem alios esse igneos, alios cœlestes, alios æthereos, alios postremo terrenos. Rursum animarum, alias esse ex sphæra Solari, alias Mercutiali, alias verò Lunari. Atque est eiusmodi secundum loca distributio animarum talis, vt ea teuera gloriari quis possit. Non autem nobilitas secundum terrenos genitores, & vrbes.

Perfectiores animæ sublimioribus diis dæmonibus, quæ circa illos accommodatæ fuerunt, atque vicissim.

SOcrates inter hæc designat differentiam bonorum dæmonum nobis secundum essentiam præsidentium atque potentias, quas sortiti sunt in mundo. Item animarum perfectiores quidem potentioribus subiectas esse dæmonibus, ab eisque seruari, atque, vt expedit, vbique dirigi, imperfectiores autem inferioribus subesse dæmonibus, sicut enim circa deos animæ pro dignitate sunt satæ, sic etiam sub dæmonibus rite sunt ordinatę, & quemadmodum deos duces, sic & dæmonas curatores pater ille, faberque mundi traditur animis præfecisse. Quapropter Socrates curatorem sui appellat præfectum sibi dæmonem, atque Deum, manifestè asserens Alcibiadi hunc duntaxat esse verum hominis curatorem, qui sit & beatitudinis author propter eius mirabilem potestatem, quod sanè nullus hominum nobis efficere valeat.

Ordo rerum exigit, vt post idealem causam sint res semper ideæ participes, stabilesque omnino, deinde res ordinatæ, semperq. immutabiles.

AMor à corporea pulchritudine pendens, mutabilis est. Quoniam est & illa mutabilis. Nefas verò est effectus alicubi conditionem supergredi causarum, atque meliores illis euadere. Nam & vbi causæ sunt ordinatę, sæpe effectus inordinati nascuntur: vbi stabiles causę, exitus sæpe mobiles: vbi determinatæ, frequenter indefinitæ contingunt. Igitur multo magis ex causis statu, ordineque carentibus effectus ordinis, statusque expertes eueniunt. Series vniuersi desuper per eiusmodi gradus deuenit ad extrema, quæ tandem talia sunt, quę permutari possint, sibique ipsis naturalem vendicare mutationem: quemadmodum circa iustum, aliud quidem est primo iustum, ipsumque iustum, neque participatione tale, aliud autem illius primo particeps, quod & semper est particeps: aliud denique aliquando quidem particeps, aliquando verò à participatione cadens. Neque enim fas erat ipsum iustum sterile permanere, nulli prorsus quicquam suæ proprietatis impartiens: nullum sanè primorum est eiusmodi, sed sterilitas ipsa soli materiæ tanquam rerum infimæ competit. Neque rursum fas erat, quod primum aliis participandum fuit, participari primo ab eis, quæ solum quandoque participant. Nam ab ipso, quod simplex penitus, immutabileque consistit, hoc certè, quod compositum est, atque mutabile, nimis est alienum, ideoque medio quodam vinculo indiget ad illius contactum. Nec iterum quod participatum est ab eis, quæ inde semper illustrari possunt, oportuit vsque ad hæc ipsa duntaxat suum sistere munus, ne in vniuerso fit extremum hoc ipsum, quod principiis semper est suspensum. Oportet igitur triplicem, sicut diximus, ordinem constituere, non solum circa iustum, sed circa pulchrum, æquale, simile, & species denique rerum omnes.

Quemadmodum dij curationes morborum, id est peccatorum animis, & fruges opportunis temporibus adhibentes, beneficio eas afficiunt: sic & viri diuini opportunitatem quærunt ad disciplinam, sed dii quidem intellectuali, diuinaque forma opportunitatum mensuras ipsi determinant, homines autem eas scientia prosequuntur, sunt & qui inter homines ex inspiratione dæmonica eas aucupantur. Bonorum namque dæmonum præsentia, familiaritasque præcipuam vim habet in nobis ad opportunitatem infallibiliter vbique captandam, quod & Socrati contingebat. Iam verò quemadmodum locus vnicuique corpori ab ipsa natura propriè destinatus est, sic & temporis partes aliæ aliis conueniunt actionibus, & quemadmodum totius mundi quidam circuitus sunt fœcunditatis, sterilitatisue causæ, animarum, atque plantarum: ita singulis actionibus aliud conuenit, aliudque tempus ad actionem hanc, aut illam perficiendam, eiusmodi verò tempus est, actionis cuiuslibet opportunitas, tanquam bonum, atque finem agentibus afferens, & affectis. quapropter Pythagorici primam quoque causam, à qua omnibus bonum adest, opportunitatem ipsam nominauerunt: quippe cum omnibus, vt perfecta sint, largiatur. Tali quadam occasione Socrates per dæmonem ad Alcibiadem fretus est, accedens ad eum nonnulla dicturus, quando & Alcibiades cogitabat ad eum proficisci eadem rogaturus. Vniuersa enim hunc in modum inuicem captantur, omnibusque communio bonorum vbique perficitur, dum videlicet causæ quidem perfectoriæ ad tradendum promptissimæ sunt.

Susceptura verò ad participationem expergiscuntur, & illæ rursum potentiam porrigunt perfectoriam: hæ autem potentiam aptitudinis à natura susceperunt. Duplex enim potentia est, altera quidem agentis, altera patientis, & illa mater est actionis: hæc verò perfectionis est susceptaculum, atqui oportet tum quod effecturum est, exuberans in se esse, atque ad agendum ita promptum, vt etiamsi suscepturum subsit nullum, ipsum tamen, per se sit perfectum, atque vltro motum sit ad dandum, tum etiam quod passurum est, ad participationem gliscat, seque ipsum perfectoriæ admoueat potestati, atque etiam si illa non adsit, tamen per aptitudinem summam ad participationem fuerit experrectum. Cum enim duæ sint causę, aliæ quidem immobiles, & omnibus vbique præsentes, aliæ verò mobiles, & aliquando presentes perficiendis, aliquando verò distantes, & intelligibilia certè similiter vbique adsint, omnibusque semper eodem modo sua munera largiantur, sensibilia verò adesse participantibus, vicissimque abesse possint, quemadmodum sol nunc adest, impletque lumine, deinde discedit: cum inquam ita se res habeant, quando aptitudo quidem inest participaturo ad aliquam immobilium causarum, tunc & hæc adest simul, & efficientis causæ munus absoluitur. In talibus enim sola subiectorum ineptitudo solet munera prohibere, quoniam quę traditura sunt, & semper tradunt, & sunt semper vbique similiter. Quod igitur euasit, aptum fit, & causæ subitò particeps, at quando ad aliquam mobilem causarum aliquid fit paratum, sæpe, etsi hoc expositum est, quod tamen traditurum fuerat abest. Oportet enim hoc & nuper adesse, quandoquidem locum requirit ad dandum. Omnino verò, quemadmodum diximus, necesse est, per omnes bonorum communiones hæc duo præcedere, tum datotis perfectoriam potestatem, tum consummatam aptitudinem suscepturi, atque largitoris perfectionem, suscipientis præparatione concurrere, & vnà cum eiusmodi concursu ipsam efficientem causam patienti secundum essentiam superferri. Concursum quinetiam eiusmodi non esse fortuitum, neque ab inordinatis, & rebus non coordinatis obtingere solet aliquid ordinatum: quemadmodum, quæ casu inuicem confluunt, sed necessum est conspirationem talem alicubi quidem per naturam fieri, alicubi verò per intellectum. Item alibi à causa quadam dæmonica, & alibi potius à diuina, hac sanè conditione Socrates cum Alcibiade opportunè concurrit ad idem: huius autem opportuni congressus, bonus dæmon causæ extitit opportunitatem Socrati conueniendi determinans, ipsa namque opportunitas desuper à diuinis exordiens vsque ad extrema progreditur, & alia quidem opportunitas est à diis determinata: alia verò dæmonica, fatalis alia, alia verò fortuita. Fortuna enim, vt inquit, opportunitasque omnia humana gubernant.

Quæ attentius in patria videras, eorum imagines hic ante alia sequeris.

Animæ nostræ hic peruagantur circa imagines eorum, quæ in prima viderant, & ad eas imagines magis afficiuntur, quorum exemplaria illic attentius contemplatæ fuerant, aliæ namque animæ aliis sunt accommodatæ spectaculis, ideo aliæ aliis imaginibus incumbunt, eorum enim, quæ illic inspexerant, similitudines amant. Quæcunque verò magni Iouis insuper pedissequæ fuerunt: vnaque cum illo circumuiuere, ordinem habente ducalem inter duodecim principes vniuersi, hæ profectò secundum speciem sui Dei etiam huc profectæ imperiosam vitæ speciem appetunt, & quod re vera imperiale est, ignorant, apparentem verò principatum inter imagines prosequuntur, atque, si sapientes nactæ sint præceptores, affectus eiusmodi eis peruenit ad salutem per quendam ad cœlestia reditum, sin autem inter imagines moras traxerint, desinunt in tyrannidem. Hinc ait in Republica Socrates, animas nuper profectas è cœlis, imperiosas potissimum eligere vitas. Cum enim paulo ante vnà cum diis cœlestibus circumuenerint, inspexerintque vires eorum omnibus dominantes, affectant ipsæ quoque vitam eorum similem cæteris imperantem. Et plurimæ quidem affectu eiusmodi abutuntur, rectè vero vtuntur admodum paucæ. Præstantissimam quidem vitam Plato ponit contemplatiuam: secundam, ambitiosam: tertiam, voluptuosam vel auaram. Contemplatiuam quidem eligunt animæ venientes cœlitus, educatæque rectissimè: Ambitiosam quoque venientes è cœlo, sed educatæ deterius: reliquas venientes è terris.

Naturalis in cunctis sententia est, deos animarum occulta cognoscere.

Omnes homines naturaliter intimas cogitationes suas, & passiones, & appetitus ad deos loquuntur, persuasi videlicet per immutabi-

les anticipationes, ipsam diuinitatem omnia nosse, ipsa etiam animarum oculta momenta. Omnis certe copula, communioque ratione confecta, indiget præsentia Dei. Quid enim aliud & multa vnit, & congregat segregata, nisi diuinitas?

Deus prouidentia sua nostrum confirmat arbitrium.

Dij animabus vitas proponunt, & eisdem, postquam elegerint quæcunque electæ vitæ conueniunt, certa sorte determinant, atque libertas arbitrij in media prouidentia continetur, mouerurque, & determinatur inde, & in medio vertitur, hæc manifestè in Republica describitur, vbi propheta proponit animis ex genibus, Lachesis sortes accipiens, atque clamans inter animas, ô animæ diurnæ, & cætera, & propositio quidem per medium prophetam fit à Lachesi. Electio verò circa vitas ibi propositas, ipsarum iam est animarum. Iam verò propheta illic animarum electiones in seipso cuncta anticipans, ita demum sortes proiicit, profectò res ipsa, quæ instabilis & indefinita videtur, semper in superioribus, perfectioribusque secundum vnum terminum & stabiliter, & ordinatè ante comprehenditur.

Tres Platonis sententiæ.

EX Platonis verbis hic tria colligimus: primum, ipsum malè esse, omnino deterius iudicandum quàm non esse: secundum, separationem animæ à corpore liberare nos à malis, quæ versantur in regione caduca, & ab impedimentis, quæ hic consecutionem conuenientis finis impediunt: tertium, ipsos animarum appetitus ad vitæ formas valere quamplurimum: neque nos esse tales, vt ab externis duntaxat formemur, atque moueamur. Ex nobis enim ipsis electiones promimus, per quas vitam agimus.

Superi sententia certa tenent, quæ in rebus sunt incerta.

ACcipies hinc sententiam admirandam, quæ videlicet præstantiora sunt vniformiter, vbique anticipare deteriora: at verò deteriora potentiæ superiorum non æquari. Item cognitiones superiorum in seipsis deteriorum actiones firmiter comprehendere. Cognitiones autem inferiorum totam superiorum actionem comprehendere nunquam posse. Quod superius est, nihil à deterioribus in se accipit, quemadmodum nec cœlum ex mutatione accipit alicuam sublunarium passionem neque immobilis causa ex motu mundanorum mundanum aliquid intromittit: nec omnino quæ sunt æterna ex rebus agentibus, temporaliter quicquam in seipsis admittunt. Hæc denique quod necessarium est, dum cuncta cognoscit, mutationem sustinet, in eo etiam cognoscendo, quod est contingens.

Argumentatio duplex per negationem, & affirmationem, illa resoluit, ista componit, & vtraque cum ipsa natura animæ congruit.

SI Alcibiades assignare nequit tempus, in quo putauerit se nescite illa, de quibus nunc consultat, certe nec illa quæsiuit aliquando, nec à præceptoribus didicit vnquam. Quòd si neque quæsiuit, neque accepit ab aliis, profectò nec didicit, nec inuenit: si nec didicit, nec inuenit, meritò neque nouit: si non nouit, non est bonus iudex, in quibus assignare nequit tempus, quando se nescire putauerit. Vides profectò quemadmodum hoc pacto disputatio producatur, tum quidem compositione, tum verò resolutione procedimus: affirmatiua quidem compositione, negatiua verò resolutione dicentes. Hæc autem, scilicet compositio, atque resolutio propriis naturæ animæ conuenit, quæ quidem à perfectionibus ad deteriora per cõpositionem rationum, & appositionem alienorum quorumdam indumentorum labitur, quousque in densum hoc, solidumque vinculum includatur. Vicissim verò ad excelsa resurgit, per resolutionem, expulsionemque eorum, quæ ab ipsa eius natura dissentiunt, donec euadens nuda, vt sacra tradunt eloquia, speciebus omnino separatis à materia coniungatur. Quamobrem argumentatio per affirmatiua procedens, à perfectioribus ad imperfectiora descendit: procedens verò per negatiua vicissim.

Ipsum bonum quamuis essentiam intellectualem supereemineat, solum tamen ad infimum vsque se porrigit.

IPsum bonum tanquam super naturam intellectualem in se consistens, si dictu fas est, vsque ad postrema descendit, illustrans omnia, & conseruans, exornansque, & interim ad se conuertens. Primo quidem ipsis verè existentibus adest: secundò diuinis animis: tertiò numinibus humano generi præsidentibus: quartò nostris animis, atque deinceps animalibus, & plantis, omnibusque corporibus. Ipsi denique informi materiæ infimæ rerum fæci, ipsum profectò bonum clam, ineffabiliterque ante omnem ordinem, proprium munus exhibet omnibus, hæc autem illud vbique participant, aliter, atque aliter suo quælibet ordine, & quatenus vnaquæque naturaliter aptæ sunt, bonum inde reportant. Hæc quidem debilius, efficacius illa: hæc vniformius, illa magis conditione partibili: hæc insuper sempiternè, mutabiliter illa, res namque diuiniores quemadmodum indiuiduam habent essentiam, sic & bonum indiuisum possident, & vnitum.

Quæ verò à principiis longius discesserunt, in distantia quadam, & diuisione iam posita bonum proprium comparant. Quapropter talia cœtu quodam ad idem contendentes, mutuaque conspiratione penitus indigent. Vt quandoquidem vnumquodque non habent sufficientiam, quod est elementum boni, saltem per communionem mutuam suppleat naturæ defectum. Atque ita debilitatem suam diuisione faciam conspiratione corroborent. Hac itaque ratione homines singuli seorsum debiles in commune ad consilium congregantur, diuisam ita mentem inuicem copulantes, & quasi è scintillis multis lumen vnum accendere contendentes. Ipsa quidem multitudo nunquam per seipsum sibi communiter conferens comparatet, nisi circa vnum aliquid, in ea pra ualens simul ordinaretur, hoc enim circa omnem rerum ordinem contemplari licet. Multitudinem scilicet vbique vni congenitam esse, atque per cognatum vnum renocandam ad vnitatem ipsam penitus absolutam. Ipsum diuinum bonum, ideo cunctis sui inferuit appetitum, vt

per hunc bona nobis impertire valeret.

Mercurius est autor nobis inuentionis, & disciplinæ.

MErcurius, vt Iouis nuntius paternam animis explicat voluntatem, atque ita nobis exhibet disciplinam, atque iterum, vt inquisitionis est author, inuentionem suis præstat alumnis. Iam verò quando disciplina à superis venit in animas, est inuentione præstantior: quando verò ab æqualibus seu hominibus cognitio venit in nobis potentiam suscitantibus, est inuentione deterior: inuentio igitur media est, naturæ animæ conueniens per se mobili. Per hanc enim vis ipsa in nobis per se viuens, & per se operans potissimum declaratur. Disciplina verò vtrimque se habet, atque secundum melius implet animam à causis eius superioribus, secundum verò deterius ab eis, quæ sunt extra nos, vitalem in nobis vim suscitat conditione quadam aliunde mobili. Quod autem etiam à superis cognitio quædam rerum nascatur in nobis, ipsi dij manifesta sui præsentia, expositionibusque satis sæpe declarant, ostendentes animis ordinem vniuersi, atque præcurrentes velut duces in ipso itinere ad diuinam, atque faces quasi phanales in signum itineris suspendentes.

Propter notiones rerum nobis innatas, putamus nos omnia nosse.

ANimæ nostræ premuntur ignorantia duplici, putantes quidem se plurima nosse ob ingenitas sibi rerum ab initio notiones, ignorantes autem propter obliuionem. Qui igitur hac duplici premitur ignorantia, nihil vltra perquirit, sicut neque sapiens ipse quærit, atque in hoc ipso est quodammodo similis sapienti. Quemadmodum & materia Deo per dissimilem quandam similitudinem, vt rectè quidam tradit. Sicut enim materia est informis, sic & Deus, & vtrumque infinitum est penitus, & ignotum. Tametsi hæc omnia Deo quidem secundum melius, conueniunt: secundum verò deterius, materiæ competunt.

Anima per acquisitam scientiam fit menti similis: per duplicem ignorantiam, similis fit materiæ.

ANima per ipsam quidem scientiam euadit intellectui similis, secundum actum ipsum cognoscibile comprehendens, quemadmodū intellectus intelligibile: secundum verò duplicem ignorantiam, fit materiæ similis: sicut enim materia omnia videtur habere, cum nihil re vera possideat, sic & duplici ignoratione laborans, videtur sibi, quæ non habet, habere. Proinde duplex animarum cognitio est. Vna quidem indistincta, perque intelligentiam simplicem, atque nudam: altera verò dearticulata, & scientiæ compos, & ambiguitatis expers. Videmur enim, vt ipse ait, quasi per somnium omnia nosse, eàdemque per vigiliam ignotare, vtpote, qui per essentiam quidem rationes habemus, & quasi cognitiones earum hinc expitamus, secundum verò actum, productionemque non satis habemus. Notionem igitur specierum per essentiam nobis insitam, atque constantem tempus non antecedit, ab æuo enim hanc habuimus. Sed notitiam secundum productionem, distinctionemque rationum affectam præcedit tempus. Itaque quo tempore primum hanc acceperimus, assignare valemus, noui enim, quod quid ipse sit circulus, in hoc tempore didici, quidue iustitiæ species sit in alio: similiterque de aliis, quorum scientias, etiam secundum actum habemus. Itaque de qua quidem re, siue rei, de qua reminiscamur, tempus non satis recolimus. Reminiscentiæ verò ipsius, est tempus aliquod certè determinatum.

Ætates septem, planetis septem congruæ.

AEtatum ordo sequitur ordinem vniuersi. Prima quidem ętas Lunarem sequitur potestatem. Tunc enim secundum nutritiuam, vegetalemque viuimus facultatem. Secundum Mercurialem, quando literatum, citharæque & luctæ, similiumque ludorum, studium exercemus. Tertia Veneream, quando turgent membra seminibus, & ad genituram protinus incitamur. Quarta Solarem, tunc enim regnat vigor, ętatisque perfectio properat, ætasque media. Quinta Martiam, in qua potentias, & victorias affectamus. Sexta Iouiam, quæ prudentiam & vitam actiuam, ciuilemque desiderat. Septima Saturniam, in qua naturæ consentaneum est à generatione desistere, seque à corporeis segregare, & ad alteram, incorporeamque vitam se transferre. Superiora vbique inferiorum cognitiones vnicè complectuntur, atque præstantius. Quæcunque enim sensus materiali conditione cognoscit, eadem immaterialius imaginatio percipit: quæ opinio sine causa reputat, eadem per causam scientia comprehendit, atque ita deinceps præstantiora semper per eminentiam absolutam vniuersam cognitionem in se continent inferioribus competentem: itaque & dæmonem præfectum nobis nihil nostrorum latet, non motus animi, non potentia naturalis, non fortuita permutatio: sed ille cuncta vnicè circumspicit, atque gubernat. In hoc vniuerso fines omnes omnium in eo dispositorum ad ipsum finem mundi conducunt. Vt enim mundus perfectus foret, sicut Timæus ait, animalia cuncta, tàm diuina quam caduca sunt genita. Similiter in ciuitate rectè disposita partium omnium fines, fini ciuilis peritiæ seruiunt. Item sicut vnumquodque eorum, quæ in generatione versantur, secundum speciem vnicam habet esse, ideoque non est infinita, ipsum verò intelligibile est omnia, quando quidem sensibilium habet causas: sic & quilibet priuatus artifex plurimum est ignorans, semel verò peritus: ipse verò ciuilis est absolutè prudens. Nouit enim & finem proprium, & aliorum fines atque cæteras artes ad vnam dirigit ciuitatis vitam.

Per harmoniam in cælo regnantem, superi reliqua harmonicè cuncta contemperant.

COelum concentu, motionumque concinnitate plenum est. Deinde numina nobis superiora harmoniæ cœlitus præcedentis participia sunt. Post hæc hominum vita rectè disposita consonantia morum, & actionum concinnitatem suscipit inde, eorundem quoque superorum munus vsque ad bruta, plantasque descendit. Nam hæc quoque harmoniæ naturaliter participia sunt. Superi namque harmonica ratione mundana omnia continent, atque perficiunt, & inuicem

accommodant, & ad mundum. Intellectui quidem corpus per mediam animam harmonica ratione concinnant. Circuitui vero identitatis ratione constanti, generationem per medium circuitum alteritati (vt ita dixerim) deputatum. Igni denique terram per vincula media. Præterea quamlibet animam harmonicis rationibus excolunt. Et vnumquodque corpus similibus copulant vbique mensuris atque motum quemlibet musicis peragunt vbique mensuris. Habitus igitur in nobis musicus, munus quidem est Musarum, quamuis earum imago postrema. Habitus enim nobis artificiosi, atque contemplatiui, Deos præsides habent, originemque inde deducunt.

Qui ignorat finalem causam, ignorat omnem causam.

IGnorantia finalis causæ circa rem quamlibet efficit, vt & cæteræ causæ ad eandem pertinentes similiter ignorent. Quoniam finis est causarum prima, præcipuaque atque potentissima, huius enim gratia, & efficientes causæ faciunt, & quæ fiunt efficiuntur, quapropter Timæus eiusmodi causam apud sapientes optimam arbitratur habendam : duplicem in sophista Plato tradit animæ prauitatem, quarum vna quidem ignorantia est in rationem cadens, altera vero discordia irrationalis partis ad rationalem. Eiusmodi quidem discordia est animæ morbus, ignorantia vero deformitas. Cum enim ratio in vniuersa anima ordinem habeat speciei, merito prauitas rationis est animæ turpitudo, sicut rationis virtus est animæ pulchritudo. Fit enim ignorantia quidem propter irrationalis potentiæ dominatum: cognitio propter rationalis imperium. Deformitas autem animæ superata ratione contingit, quando videlicet proprias actiones inconcinnas, & incongruas edit inefficaces, & ineptas ad finem. Oportet in anima excolenda, sublatis impedimentis, animam rerum contemplationi penitus admouere. Inest namque nobis cognitio veritatis, prohibemur autem quominus animaduertamus eam propter passiones ex generatione nobis obstantes, passiones inquam obliuionem, opinionem vnam, imaginationes falsas, appetitus immoderatos, quibus expulsis, in seipsum est animus conuertendus, ita veritate subito fruitur.

Finis belli iustitia : finis pacis amicitia, quæ est optabilior quàm iustitia.

BElli quidem finis est iustitia, pacis autem aliud quiddam excellentius bonum, amicitia scilicet, atque vnio. Finis enim vniuersæ virtus est, vt Pythagorici tradunt. Aristotelesque confirmat, vt omnibus iam factis amicis, iustitia non vlterius egeamus, quando videlicet sublatum fuerit meum & non meum. Atqui iusti sint omnes, adhuc tamen opus amicitia homines congregante. Esse vero bellorum principiũ iniustitiam declarat ipsum bellum, quod materiales formæ inter se committunt. Pugnat enim calidum contra frigidum: non quando loco disiuncta sunt, sed quando alterum alterius sedem occupare contendit. Cum enim sede illud indigeat, merito repugnat extrinsecus venienti, conantique ipsum è sua sede detrudere, quocirca rationes insitæ in natura inuicem absque seditione concurrunt. Nam vnaquæque in seipsa consistit. Formæ vero materiales, cum nequeant seorsum à materia permanere, merito de communi hospitio inter se decertant, quippe cum hoc vtrasque formas inter se contrarias in se absque confusione suscipere nequeant.

Quomodo anima descendendo variè vestiatur, & rursum purgetur, redeatque vicißim.

DEscensus animæ in corpus seiunxit quidem illam à diuinis animis, à quibus intelligentia, & potestate, puritateque implebatur. Coniunxit vero generationi, & naturæ, materialibusque rebus, à quibus obliuione, & errore, & ignorantia est imbuta. Nam animæ descendenti adnatæ, sunt ex mundo multiformes vitæ, vestesque variæ trahentes quidem ipsam in compositionem caducam, obstantes autem contemplationi separatorum. Oportet igitur animam hinc ad naturam illam peruigilem rectam ducendam, amputare secundas, tertiasque vires descendenti subortas, sicut marino glauco, herbæ, petræ, conchæ : cohibere vero impetu extra ferentes. Reminisci rursum rerum separatarum, essentiæque diuinæ, vnde est facta descensio, & ad quam omnem vitam contendere decet.

Anima per se mobilis est, corpus aliunde mobile, sed propter mutuum commercium alter alterius conditionem subit.

ANima per essentiam est mobilis ex seipsa, sed coniuncta corpori quodam modo euasit etiam mobilis aliunde : sicut enim ipsa sua præsentia dedit corpori vltimum ex se mouendi vestigium, sic & ipsa propter corporeum contubernium conditionis notam subiit mobilis aliunde. Igitur ob potentiam se mouentem anima fœcunda est, & inuentioni propensior, rationesque parit, atque scientias. Sed propter conditionem mobilem aliunde, indiget frequenter ab aliis excitari. Iam vero perfectiores animæ ad inuentionem sunt promptiores, imperfectiores vero magis externis indigent adminiculis. Illæ enim magis ex se mobiles sunt, minusque deterioris naturæ participes : hæ vero minus ipsæ semouent, magis sottem corpoream patientes. Verumtamen hæ quoque quando proficiunt, à corpore videlicet resurgentes, seque ipsas ex materia colligentes, fœcundiores, inuentricesque euadunt protinus circa illa, in quibus antea erant steriles & ambiguæ propter ignauiam ineptam vitæ à materia contingentem, sordidumque torporem ex generatione contractum. Nos igitur ita mediocritatem seruantes rationalis naturæ, conditionisque causas assignamus pertinentes præcipuè ad habitus eius imperfectiores, atque perfectiores : viasque eiusmodi arbitramur ad perfectiones eorum. Quicunque vero rationes de his assignantes mediocritatem minimè seruant, sed vel ad melius surgunt, vel ad deterius deflectuntur, hi à veritate animæ procul aberrant. Neque enim probamus eos, qui tradunt animam lapsam in corpus humidum, eiusque obstaculo impeditam, ab initio esse dementem, humore vero paulatim propter innatum calorem exhalante, magisque temperato, prudentem animi potentiam

conualescere. Hic enim perfectionis modus corporeus, & materialis est iudicandus, supponitque perfectionem animæ ex contemplatione corporis proficisci. Anima vero ante elementa, generationemque totam, suam habet substantiam, estque vita quædam, neque corpori, neque naturæ permixta, neque rursum admittimus eos, qui animam putant esse quandam diuinæ essentiæ partem, partem vero hanc esse toti persimilem, sempetque perfectam, tumultum vero, perturbationesque circa illud versari, quod in nobis est animal. Qui enim hæc aiunt, animam semper perfectam fingunt, semperque scientem, nec vnquam reminiscentia indigentem, semperque passionis expertem, nec aliquando deprauatam, tametsi Timæus essentiam animæ nostræ non ex ptimis ait omnino generibus constitutam, quemadmodum superiores animas, sed ex secundis, tertiisue conpositam. Et Socrates in Phædro inquit, vires nostras esse boni cõtrario mixtas, dissensionisque mutuæ plenas, atque hanc ob causam aliquando meliores, aliquando deteriores superare solere. Quid plura? nonne ipse inquit, aurigam quoque nostrum aliquando deprauari, scribens videlicet prauitate ipsius aurigæ multas animas claudicare? multas item plures perdere pennas? sed quidẽ aurigaria potestate in nobis est antiquius. Hæc vtique est, quæ reminiscitur diuinorum, vtirutque secundis, tertiisque viribus, vt ministris, quod planè docetur in Phædro. Profectò, sicut diximus, mẽsuras animæ conseruare debemus, rationesque perfectionem, & profectum animæ assignantes, neque ex corporeis, neque ex diuinis traducere, vt ita Platonis simus interpretes: neque ad opinionem propriam philosophi verba detorqueamus. Postquam igitur anima aliquando imperfecta est, rursumque perficitur, & obliuionem patitur diuinorum, & iterum recordatur, constat & tempus ad perfectionem eius conducere. Quo enim pacto ex imprudentia ad prudentiam transfertur, & in virtutem à prauitate, nisi per tempus mutationes efficere? Omnis enim mutatio spatio temporis agitur. Hæc vtique dicta sint de perfectione communiter animarum. Ex his autem accipiamus, oportere eum, qui iustum norit, ex ignorantia in cognitionem eius aliquando pertransisse, neque semper ipsam iusti rationem in promptu prorsus habere. Quemadmodum illi nobis superiores, imperfecti namque ab initio nascimur, neque rursum propter ipsam mutationem corporis, cognitionem quoque iusti nobis obtingere. Non est enim essentia nostra corporea, nec materialibus constituta. Necesse est omnes animæ mutationes tempore mensurari. Vnde & Aristoteles in anima mutationem secundum actus, & habitus, eorumque opposita, collocat temperalem. Quod igitur anima coniuncta corpori, & à prauitate, ignorantiaque transiens in opposita, interuallo temporis indiget, nemini dubium. Quidam vero animam ipsam seorsum in se manentem arbitrantur ad agendum tempore non egere, sed contra tempus ex ipsa creari, hoc autem arbitror aliquam rationem desiderare. Duplex enim tempus est, vnum quidem vna cum naturali vita, corporeoque vniuersi motu natum: alterum vero per incorpoream vitam procedens. Hoc igitur animarum quoque diuinarum circuitus dimetitur. Rursumque animarum nostrarum actiones perficit etiam separatas, secundum verò tempus vna cum naturali vita porrectum, vitam quidem nostram vna cum corpore actam metitur, vitam autem ipsam animæ secum ipsa viuentis nullo modo. Est tamen aliqua in nobis scientia ante omne tempus, fit & aliqua tempore. Socrates igitur scientiam secundum actum expressam spectans, inquirit, quodnam ante hanc tempus extiterit. Alcibiades autem scientiam saltem possidens in essentia positam, propter quam putat etiam scire quæ nescit, nequit assignare tempus, quo primum acceperit eam, ab æuo enim hanc habens. Quapropter si alter quidem de alia scientia loquitur, alter vero de alia, vera sunt vtraque: scilicet & tempus scientiam præcessisse, & non habere in promptu tempus, quod affirmes scientiam præcessisse, ante enim scientiam nondum consummatam tempus est nullum, ante vero scientiam actu perfectam tempus extitit.

Multi gradus, per quos à multitudine ad vnum ascendimus contemplando.

PLato, & Pythagoras iubent fugere multitudinem, vt veritatem simplicissimam consequamur. Multitudinem quidem exterioris populi, nos multifariam distrahentis, atque fallentis: interioris quoque populi multitudinem multo magis, hæc enim magis distrahit, atque fallit. Primam ergo fugito variam affectuum multitudinem: secundo sensuum: tertio imaginationum: quarto opinionum inde pendentium, omnis enim multitudo iam dicta tam in se diuersa est, vt alia aliis in qualibet contraria sint, vnde præstat ad scientias se conferre, in quibus multitudo iam contrarietatem habet nullam. Nam etsi affectus affectibus contrarij sint, sensus quoque sensibus, imaginationes imaginationibus, opinionibus, nulla tamen scientia scientiæ contraria reperitur. In hac igitur propositionum, notionumque multitudine, congregemus in vnum scientiarum quoque numerum, vno quodam vinculo connectamus. Tanto enim abest, quod inuicem contraria sint, vt etiam notio notioni seruiat, scientiæque inferiores omnes superiori ministrent, habeantque sua ab illis exordia. Oportet hic insuper à multis scientiis, quæ præsupponunt vnam, ad ipsam vnam se cõferre, nullam vlterius supponentem, atque ad hanc primam omnes ritè referre. Post vero sciẽtiam, eiusque studium expedit iam deponere compositiones, & diuisiones, multiformesque discursus, atque illinc ad intellectualem vitam, simplicesque intuitus, & perceptiones eius ascendere. Scientia enim non est summus cognitionum apex, sed super eam est intellectus, non intellectum inquam duntaxat ab anima separatum, sed ipsam quoque illustrationem animæ illinc infusam, de quo & Aristoteles ait, intellectum esse, quo terminos cognoscimus. Atque Timæus hunc ipsum inquit, in nullo vnquam alio præterquam in anima fieri: ad intellectum igitur hunc ascendentes vna cum hoc intelligibilem essentiam contemplemur, perceptionibus videlicet indiuiduis, atque simplicibus indiuisa, simpliciaque entium genera speculantes. At vero post venerabilem intellectum, ipsam denique summam animæ (vt ita dixerim) existentiam, per quam vnum sumus, & sub qua vnitur mul-

titudo nostra, suscitare fas est. Quemadmodum enim per intellectum nostrum diuinum tangimus intellectum, sic & primum vnum, à quo omnibus inest vnio, per vnum, & tanquam essentiæ nostræ florem attingere licet, per quod sanè nostrum vnum diuino maxime iungimur. Simili namque simile vbicunque comprehendi potest: scibilia quidem scientia, intelligibilia intellectu: vnitissimæ entium mensuræ animæ vnitate. Iam vero hæc vnitas, perque ipsam actio, actionum nostrarum summa, diuini per hanc efficimur, quando videlicet omnem multitudinem fugientes in ipsam vnitatem nostram confugimus, vnumque efficimur, & vniformiter agimus. Hactenus fugiendam multitudinem admonuimus per gradus cognitionum ordine procedentes: deinceps per gradus cognobilium ad idem comprobandum similiter procedamus. Sensibilia fuge omnia, congesta enim sunt, & diuidua, ac penitus mutabilia, ideoque sincera notitia teneri non possunt, ab his igitur ad essentiam incorpoream te transfero. Omne namque sensibile habet aduentitiam vnitatem, perque seipsum est dispersum, & infinitate plenum, propterea & bonum eius est partibile, & aduentitium, & à semetipso distans, atque dissidens, atque in sede residens aliena. Cum vero ascenderis illuc, & inter incorporea fueris collocatus, conspicies animalem illum ordinem super corpora mobilem quidem ex seipso, per se agente, in se, & ex se suam substantiam possidentem, multiplicatum tamen, anticipantemque in seipso apparitionem quandam essentiæ, circa corpora diuidendæ. Ibi sane videbis rationum plurimas habentes, proportionesque varias, & vincula multa. Item tota quædam, & partes, & circulos animales, varietatem virium multiformem. Præterea animarum perfectionem non æternam, non simul totam penitus consistentem, sed euolutam tempore, & in discursionibus se versantem; talis enim animæ natura est. Post vero multitudinem animis contemplantem te confer ad intellectum, & intellectualia regna, vt rerum possideas vnitatem, ibi quidem naturæ illius contemplator esto. Spectato manentem in æuo naturam, vigentem vitam, intelligentiam vigilantem, cui nihil deest vitæ, quæ ad perfectionem suam curricula temporis non desiderat. Vbi hæc inspexeris, & quanto interuallo animis sunt meliora, quære deinceps num aliqua ibi sit multitudo: & intellectus, cum sit vnus, nunquid sit etiam vniuersus. Item, cum sit vniformis, an sit insuper multiformis. Inuenies quidem ita se habere. Cum ergo perspexeris intellectualem illic multitudinem, quamuis indiuiduam penitus, & vnitam, ad aliud rursum principium te traducito, atque super intellectuales essentias, vnitates earum consíderato, ac denique vnitatem ab omnibus absolutam, hucusque profectus, omnem multitudinem dereliqueris, & ad ipsius boni fontem iam perueneris. Cum per hæc pateat perfectionem animæ comparari ex eo propriè, quod omnem, & externam, & internam, & ipsam vniuersi multitudinem fugiamus: hinc quoque concludere possumus, animas nostras non à sensibilibus cognitiones duntaxat colligere, nec à rebus particularibus, atque diuisis, ipsum totum vnumque inuenire, sed ex intimis promere disciplinam, & quod in rebus apparentibus imperfectum est, emendare. Non enim decet existimare ea, quæ revera non sunt, esse præcipuas causas cognitionis in anima existentis: & quæ inter seipsa dissident, indigentque rationibus, & argumentis animæ, ambiguaque sunt, scientiam omnino præcedere eodem modo manentem: neque etiam quæ variè permutantur rationes in vno consistentes progenerare: neque indeterminata determinatæ intelligentiæ causas esse. Non igitur à multis, sempiternorum veritatem accipere decet: neque à sensibilibus vniuersalium iudicium, atque discrimen, neque à rebus ratione carentibus iudicium, sententiamque bonorum: sed oportet animam seipsam ingredientem, vbi verum, bonumque ac veras rationes omnium perscrutari. Plena enim est horum animæ ipsius essentia, delitescunt vero ex obliuione genefica. Quærit igitur anima verum, exteriora spectans, ipsum interim essentia possidens, bonumque foris explorat, seipsa deserta. Hinc igitur suiipsius cognitionem exordiri quisque debet. Si enim in hominum multitudinem intuitum distrahamus, nunquam vnam eorum speciem discernemus obscuratá videlicet multitudine, diuisioneque, & discordia, mutationeque multiplici eorum, qui speciei participes sunt. Sin autem in nos ipsos aciem conuerterimus, hic vtique & rationem vnam, & naturam vnam hominum speculabimur à disturbatione se motam. Merito itaque Socrates longè segregat animam à multitudinis conspectu cogituram: quid re vera sit homo, opinionesque contemplationis huius impedimenta redarguit. Multitudo namque impedimento nobis est ad animi conuersionem in seipsam, atque ad vnius speciei notitiam. Hic enim varietas obumbrat vnum, alteritas obscurat identitatem, dissimilitudo obfuscat similitudinem. Nam circa materiam species sunt confusæ, & meliora deterioribus sunt commixta.

Vita propriè naturalis animæ, non est in corpore terreno, sed sublimi, ideo formæ omnes hic ægrotant, atque delirant.

NEmo mirari debet, si cum dicamus, quod est naturale, frequentius esse eo, quod præter naturam, & hoc quidem contrahi in angustum: naturale vero per vniuersum amplificari, hominum tamen plurimos, ignorantes esse fatemur, & malos, contrarios autem quam paucissimos. Non enim naturale est animis vna cum corporibus vitam degere, & in generatione versari: sed contra separata, immaterialis, incorporea vita potius est animis consentanea. Quando igitur in generatione versantur, similes sunt hominibus pestilentem habitantibus regionem, quando vero extra generationem viuüt, vt Plato inquit, similes sunt prata colentibus. Quemadmodum igitur non est mirandum inter eos, qui pestifera loca incolunt, languere quamplurimos, paucissimos vero naturalem valetudinem conseruare, sic & animas in generatione positas plurimas quidem obnoxias passionibus, atque prauas esse mirari non debes. Contra vero stupendum foret, si animæ eiusmodi corporibus inuolutæ his nobis adstrictæ, tanta circumfusæ mutatione aliquando sobriæ, puræ, imperturbatæ reperiantur, nonne stupendum est animam immaterialiter in rebus materialibus viuere, & in caducis incontaminatam se alicubi

conseruare? atque cum iam eiusmodi pocula biberit, non esse his pharmacis consopitam? Re enim vera obliuio, error, inscitia pharmaco cuipiam similis est in locum dissimilitudinis animas deflectenti. Quidnam igitur admiraris, multos quidem, secundum vitam esse lupos, multos vero porcos, plurimos autem alia quadam bruti specie circumfusos? cum terrenus locus Circes ipsius sit diuersorium, animæque multæ ob immoderatam concupiscentiam venenosis inescatæ sint poculis: illud autem, illud potius admirare, siqui inter mortales vsquam reperiantur eiusmodi potionibus non permulcti, non etiam irretiti, siqui Mercurij munere freti in rationem, scientiamque se conferant. Quemadmodum enim mirari non debes, si in tartaro prospexeris animas cruciatas (talium enim ille locus) sic etiam si in generatione viuentes animæ plurimæ perturbatæ, sint ignoræ, dementes, tales enim animas desiderat generatio. Sicut igitur in cœlo quidem bonæ sunt omnes, in tartaro autem omnes improbæ; sic in generatione plures quidem prauæ sunt, pauciores autem probæ. Generatio enim non ad extremorum melius, atque diuinius declinat, sed deterius.

Malus neque cum aliis consentit, neque secum.

IMprobus secum ipse consentire non potest. Necesse enim est, tum propter naturam rationalem videre, quodammodo verum, propter imaginationem perturbatam, plurimum ignorare secumque diffidere. Declarat hoc pœnitentia remissis perturbationibus veniens. Intemperatus igitur propter intelligentiam diuinitati cognatam, diuina quandoque cogitat, atque loquitur: sed propter concupiscentiam, imaginationemque perturbatam à temperantia diuina longè discedit. Cumque semper secum ipse pugnet, nimirum cum aliis consentire non potest.

Quicunque sciunt aliquid circa illud, omnino consentiunt.

OPortet eos, qui sciunt aliquid, circa illud esse concordes. Cuius quidem concordiæ causa prima est ipsa rerum determinata natura: secunda, quod ipsa cognitionis iudiciaria sunt eadem apud omnes: tertia, quod in primis principiis, intellectus ad seipsum est vnitus. Ideoque quicquid est, intelligentiæ compos est, & particeps vnionis. Scientia quidem illustratio quædam est, ex intellectu dependens: concordia vero illustratio est, ex vnitate procedens. Est enim vnio differentium. Necesse est igitur scientiæ eiusdem participes inuicem consentire.

Quisque nostrum est anima, & hæc in se habet, species omnes diuinas, atque naturales.

TOtum Platonis consilium hoc in libro est, nos in ipsam nostri reuocare cognitionem, atque demonstrare essentiam nostram in speciebus, rationibusque consistere. Atque scientias omnes ex seipsa producere, & in seipsa species omnes diuinas, & naturales agnoscere. Perfecta quidem nostri cognitio foret ab essentia vires, ab his actiones diiudicare. Cognitione vero nostri communiore potimur, ex actionibus vires, ex viribus essentiam animæ cognoscentes: hæc quidem tria inuicem in anima confluunt. Nam & essentia eius est actu, & actio essentialis existit. Hæc enim intellectualis fit, secundum actum, hæc autem essentiæ fit cognata, secundum ipsius perfectionem.

Anima libero motu se ducit, sibi bonum præbet, se purgat, se erudit, etiam quando aliunde erudiri videtur.

ANimalia quidem ratione capta, impulsu gubernantur externo, & aliunde curantur, ea videlicet conditione, qua mouet ipse motor, orbata scilicet ea facultate, qua aliquid seipsum ducere valeat, atque seruare: rationalis autem anima propter ipsam per se mobilem, & per se operantem proprietatem suapte natura potest circa seipsam agere, seque mouere, bonumque sibi ipsi præbere. Iam vero purificatio nobis tō accidit ab externis, sed ex intimis animæ ducit originem. Omne namque malum ab externis accidit, atque est animæ peregrinum, ex intimis vero bonum, anima enim naturaliter est boniformis. Et quanto fit perfectior, tanto vitam sibi vendicat ex se mobilem, quippe cum fiat aliunde mobilis ob corporale commercium, & effectum. Quapropter quicquid accipit ab externis, remanet appositum extra ipsam, sicut sensibilia, & imaginatione percepta. Sola vero illa sunt in ipsa, quæ ab ipsa in ipsam fiunt, ab eaque producuntur. Purgant igitur ex seipsa, quandoquidem ratio à seipsa incipiens, definit in seipsam. Hac igitur ratione rectè intelligitur, quod Socrates ait, scilicet inter disputantes, dicentem esse propriè, qui respondet. Hic ergo si redarguitur, redarguitus vero purgatur, certè, dum purgatur, se ipsum purgat, & ab ignorantia liberat, redargutionem adhibens ipse sibi. Quod quidem naturæ animæ se mouēti consentaneum est. Quod sanè dictum confirmat etiam illud, disciplinas esse reminiscentias, quod enim respondentes ex seipsis omnia dicant, maximum est reminiscentiæ signum, animas videlicet rationes, sermonesque ex seipsis promere, atque solo suscitante quopiā indigere. Neque esse tabellas vacuas literarum, quæ extrinsecus figuras accipiant, sunt enim semper inscriptæ, & ipse scriptor est intus. Neque tamen omnes inscripta legere possunt, vel quod inscripta sint, cognoscere: quippe cum ob geneficam obliuionem oculus eorum sit sordidus, circumfusus, atque ex ipsa obliuione in passiones inciderint. Solum igitur opus est auferre quod obstat appositum, non autem necessaria est extrinsecus iniecta notitia, habent enim animæ in se ianuas veritatis, sed terrenis, materialibusque speciebus obclusas. Si quis igitur diligentissimè res demonstret, animæ incitatæ quidem aliunde, promentes autem ex se ipsis scita responsa, ex hoc ipso declarant verum esse Platonicum illud, animam omnia nosse, soloque indigere quodam ad respondendum extrinsecus incitante. Præterea, quod aliquis, cum eruditur, ipse seipsum purget, dæmonicæ potestatis est opus, nam dæmones non extrinsecus in nos agunt, sed tanquam ex puppi nos intus dirigunt, & gubernant, neque nos purgant tanquam corpora quædam aliunde mobilem nacta naturam, sed curant tanquam mobiles ex se ipsis. Hæc enim ratione

tamen & bona præbent, & passiones expurgant. Socrates igitur vicem boni dæmonis agens, ostendit adolescentem non tam ab illo, quàm à seipso redargui.

Quare malus, & ignorans, secum, & cum alijs dissideat, quare bonus consentiat, & scientes inter se sint concordes.

Contingit merito plerisque ad seipsos discordia frequens: quoniam aliqua quidem à sensibus intromittunt, aliqua rursum ab imaginatione, aliqua ab opinione frequenter, nonnulla ab ira,& à concupiscentia multa. Non enim solum ex opinionibus tales quædam passiones mouentur hominibus, sicut Stoici tradunt, sed etiam contra propter passiones quasdam, & impetus, opiniones, sæpe permutant, quandoque ex optimis pessimas sæpe reportant. Hi ergo à multis principiis, atque potentiis,& his quidem deterioribus multiformes in se motiones accipientes, nimirum animam dissidentem habent, atque discordem. Scientia vero præditi ab vno quadam superiore principio cognitionem suscipiunt vniuersam, intellectus enim eis principia tradit. Iam vero omnes sententiæ veræ, filiæ sunt intellectus. Cum igitur à tali quodam principio simplicitate procedant omnes, merito omnes inuicem sunt concordes.

Qui putant hominem esse ex anima, corporeque compositum, consequenter vtile ab iusto seiungunt: qui vero hominem esse animam, coniungunt.

Vtrum idem sit iustum, atque vtile, cæteri quidem dissentiunt. Platonici vero idem esse censent. Nam Epicurei sanè, & Stoicorum quidam, finem nostrum ponentes ipsum secundum naturam viuere atque Peripatetici, qui bonum nostrum ex necessariis complent, non facilè possunt idem esse iustum, atque vtile confirmare: similiter & quicunque hominem aiunt esse corpus animatum, vel ex corpore, animaque compositum. Vulnera enim, cædesque fugiet aliquis, vel iniustè, vt animal conseruetur, quippe cum cuiuslibet animalis bonum sit secundum naturam se habere, & in hoc habitu conseruari, hic igitur vtile dissentit à iusto. Quicunque vero finem ipsum in anima collocant corporeis non egentem, hominemque ipsum esse putant animam vtentem corpore, hi certè iustum, atque vtile facile iudicant esse idem. Vtrumque enim in anima ponunt, & passiones instrumentorum ab ipsis vtentibus esse seiunctas intelligunt. Argumentatio vero probans iustum esse vtile, ita procedit: Omne iustum est pulchrum, omne pulchrum bonum, omne igitur iustum,bonum. Atque bonum & vtile idem est,omne igitur iustum est vtile.

Anima contrahit in se speciem rei, cui adhæret: item de vehiculis diuinarum animarum, atque nostrarum.

Animæ species etiam eorum sibi contrahunt, quibus ipsæ se coniungunt: nempe quando se assimilant intellectui, mox immutabilitatem secundum opiniones, atque vitam sibi vendicant: quando vero generationi se copulant, nouitatem vbique sectantur & tum in has, tum in illas feruntur opiniones: rationesque ipsas animæ semper stabiles minimè sentiunt. Significat inter hæc Plato generosiores,& ingeniosiores animas intelligentiam habentes puritatis deorum inuiolabilis, atque hanc ipsam suo idolo inferētes, etiā circa apparentē puritatē quodāmodo occupari solere. Quandoquidem & diuinorum indumentorum inuiolabilis essentia est, & immaterialis est puritas, quam sanè oportet animas induere, sua videlicet indumenta cognata purgantes, vestesque suas inconraminatas à generatione seruantes, neque totum in externarum vestium puritate ponentes.

Scientia vna in se manens implet multos non diminuta, hinc coniicimus animam esse à corpore separatam.

Eiusdem scientiæ minus est vni persuadere, atque multis, in qua quidem Platonica sententia quasi quidam hymnus,& celebratio scientiæ continetur hunc in modum: quanta & qualis vnaquæque scientia sit, huinc apparet, quod intellectus ipsius imitatiore eadem scientia vnumquemque impler cognitione, cunctosqué simul: est quidem indiuisibilis, & confidens in seipsa, & interim omnia participantia sui perficit instar mentis, quæ quidem ex se tradit omnibus interim ab vnoquoque seorsum. Hæc vtique essentiam nostram iudicant à corpore separatam, & in seipsam manentem, siquidem scientia, quæ perfectio nostra est, talem possidet facultatem: corporeæ namque potentiæ quando se tradunt, ipsæ se minuunt. Scientia vero vna, eademque permanens indiminuta sufficiens vni, multisque pariter seipsam exhibet, & anima igitur similiter est toti corpori præsens, omnibusque membris, quamuis alia aliter membra participent.

Propheticus esse aliquis sine scientia potest; propheta vero scit, quod pronuntiat.

Vbi Plato ait, vaticinatores, significat illum opinione quidem non scientia, quod ibi prænunciat præsagire, nam vaticinales quidem non scientia præditi sunt, sed opinione feruntur: qui vero non solum vaticinatores, sed etiam vates sunt, iam scientia potiuntur, potioremque humanam scientiam habent. Significat etiam generosiorum animarum impetus, atque motus quodammodo à superis suscitari, proprerea quod etiam præter opinionem agant, sæpe etiam si absque scientia operentur.

Bonum, pulchrum, iustum, superintelligibiliter intelligibile, intellectuale, essentia, vita, intellectus.

Inter principia rerum ipsum bonum supereminer pulchritudinem, & pulchritudo iustitiam: bonum namque superintelligibilia extat in loco inaccessibili situm, pulchritudo vero occultè quidem in primis intelligibilibus permanet. Explicatius autem in ipso ordinis illius fine. Iustitia denique vnitè quidem in primo intellectualium ordine permanet: consequenter vero in calce intellectualis deorum processionis effulget. Rursum ipsum quidem bonum regnat in diis, pul-

chritudo in mentibus. Iustitia regnat in animis, quapropter & iustum quidem pulchrum est. Non tamen omne pulchrum est & iustum: sed ipsa pulchrorum causa iustitiam antecedit. item, omne pulchrum bonum, fons autem bonorum omnium præcedit omne pulchrum. Rursum, iustum quidem est bonum per mediam pulchritudinem bono coniunctum, bonum vero superius est ambobus. Sic vtique inuenies rerum etiam extrema considerans. Materialis enim causa, quamuis bonum aliquid sit, turpe tamen est, atque deforme, vnius particeps quidem est, speciei tamen expers, quod vero sensibile est, pulchritudinis quidem vestigia possidet, iustitiæ vero nequaquam. Hinc in Phædro Socrates ait, inter caducas imagines nullum esse iustitiæ, temperantiæque splendorem: pulchritudinem vero solam priuilegium id habere, vt euidentissimè pareret vbique, & desiderabilissima foret. Vbi igitur iustum est, ibi pulchrum, vbi pulchrum, ibi bonum, siue prima principia spectare volueris, siue principiorum illustrationes vsque ad extrema porrectas. Ipsius quidem boni omnia participia sunt, omnium enim est principium, pulchri vero sola, quæ aliquam habent speciem, iustitiæ denique solæ animæ sunt participes. Iam vero in medio rerum omnium centro quale est anima, hæc omnia inuicem connectuntur: bonum, iustum, pulchrum, & bonum quidem ipsius est pulchrum, atque iustum. Iustum quoque simul & pulchrum est, & bonum: pulchrum similiter & bonum est, & iustum. Neque solum in eiusmodi trinitate est hic sermo verus, verum etiam in aliis quoque multis. Quemadmodum inter principia ipsum ens præcedit vitam, vita mentem: similiter etiam in effectibus, vbi non omne compos entis compos est & vitæ: neque viuens omne statim est mente præditum, sed vicissim intelligentia omnia viuunt, atque sunt: viuentia vero sunt, quoque viuendo. Cum vero talis sit in extremis, per trinitatem eiusmodi differentia in anima confluunt, vbi ens quidem, & vita, & intellectus existit, vita vero & intellectus est, & essentia. Intellectus autem, & essentia similiter est & vita, vna enim simplicitas est in anima, vna substantia, neque viuere, neque intelligere, ibi est aduentitium. Sed intellectus quidem eius est essentialis, & viuens, vita quoque intellectualis est per essentiam. Essentia denique intellectualis, & viuens, vbique ergo est omnia, & ex omnibus vnum simili ratione: & bonum eius pulchritudine, & iustitia pollet: & pulchrum est bonum, atque iustum: rursumque iustum est bono, pulchroque referturn: subiectum sanè vnum est, rationes vero diuersæ, vbi nos neque ipsam trium horum identitatem secundum rationes consideramus, neque alteritatem secundum subiectum existimamus, sed rationes quidem eorum differentes inter se conseruamus, vnum vero subiectum: quamobrem vbique per actiones animæ inuicem ista concurrunt, sicut enim rationes quidem virtutum sunt differentes, vnum vero compos est cunctarum, neque fieri potest, vt sis iustitiæ particeps, & temperantiæ vacuus, vel duo hæc quidem habeas, cætera vero non habeas: sic & eiusmodi trinitas sibiipsa connectitur, omne quidem bonum simul & pulchri compos est, & iusti, similiterque de cæteris, propterea Socrates iustum bonum per pulchritudinem copulauit. Hoc enim est competens eorum medium simul, atque vinculum: Timæus autem air pulcherrimum esse nodum, qui & seipsum, & colligata, quammaximè conficit vnum. Memento vero ipsi quidem bono, malum duntaxat esse contrarium, bonum vero nequaquam, ex quo apparet concordia inuicem esse bona: malo autem & malum, & bonum pariter aduersari.

Probat omne iustum ipsa eius natura pulchrum esse, atque bonum.

Omne iustum esse pulchrum sequentibus rationibus confirmabimus, cum anima sit multitudo quædam, atque in ea hoc quidem primum sit, illud vero medium, illud autem vltimum. dic age, quando medium, aut vltimum superioribus dominari conatur, an potius quando primum medio, medium imperat vltimo? At si tunc, quando deteriora melioribus præualent, non vlterius erunt dereriora natura talia. Illud enim cui competit dominari, melius est, honorabilisque natura. si igitur impossibile est, idem naturaliter esse melius, atque deterius: oportet iustum tunc in anima reperiri, quando quod in ea optimum est, vitæ totius habet imperium, medium vero subditum meliori prænalet vltimo. Tunc enim vnaquæque pars animæ, quod sibi conuenit, habet, primum quidem regnans: secundum vero stipans: vltimum denique meliori ministrans. Ipsum itaque iustum natura distributiuum est eius, quod conuenit parti cuilibet animæ. Et officij proprij conseruandi vnicuique causa, propriæque dignitatis distribuendæ, atque ita totius ordinis conseruatio, ordo vero, moderatioque huiusmodi naturæ conueniens naturaliter pulchra est. Est igitur iustitia causa pulchritudinis, atque pulchra. Est autem duplex iustum, vnum quidem in contractibus, quod arithmeticam conseruat æqualitatem: alterum vero in distribuendo versatur in geometria æqualitate consistens. Tum igitur arithmeticam seruat æqualitatem, ne socium suo in contractibus defraudemus, plus videlicet quàm dederimus, ipsi recipientes. Tum vero inæqualibus distribuit inæqualia pro dignitate cuique geometrica proportione seruata, vt quemadmodum differunt inter se personæ, sic & differant inter se distributa personis: itaque omne iustum, sicut diximus, est æquale: omne autem æquale, pulchrum, nam inæquale incompositum est, & turpe, iustum igitur omne pulchrum. Præterea tunc est in corporibus pulchritudo, quando superat forma materiam, ipsa namque materia deformis est, & turpis: & quando forma superatur ab ea, tunc forma informitate quadam & deformitate repletur, & quasi informe quiddam euadit, facta videlicet similis subiectæ naturæ. Si igitur & in anima, quod intellectuale nobis inest, vicem gerit formæ, irrationale vero materiæ (nam intellectus, & ratio in ordine termini compon..ntur) irrationale vero in genere indefiniti locatur (natura enim indeterminatum est, expersque mensuræ) necessarium est, in animæ quoque tunc pulchritudinem effulgere, quando ratio quidem regnat, species vero vitæ ratione carentes rationi subduntur, at vero iustum ipsum rationi quidem dat imperium, irrationali depurat seruiturem, vtrique enim, quod sibi consentaneum est, attribuit, principali quidem

dem principatum: inferiori vero designat obsequium. Quandoquidem in opificio mundi irrationale nobis est subditum, & rationi nobis insitæ irrationale subiicitur, vt vehiculum ipsum, itaque iustum naturaliter pulchrum est, & pulchritudinis animæ causa. Item iustum quod perfectum est, atque definitum, nam iniustum imperfectum, indefinitumque censetur, atque infinitum vagatur, nec vsquam sistit gradum prævaricans iustitiæ terminum, ipsum ergo iustum, cuicunque adest, mensuram, terminumque imponit, atque ita omnia perfecta facit. Cum itaque tale sit, merito pulchram efficit animam. Id enim, quod perfectum est, atque mensuratum, naturaliter pulchritudo consequitur, sicut immensuratum, indeterminatumque deformitas comitatur, iustum igitur est natura pulchrum, denique ipse mundi faber totum hoc per se iustitiam ornauit, pulcherrimo enim nodorum omnium nodo deuinxit mundum, indissolubilemque effecit, propter proportionis analogicæ potestatem continentem ipsum, sibique amicum vndique facientem, quod autem est simile mũdo visibilium omnium formosissimo, nimirum est ipsum quoque pulchrum, quod igitur iustum est, necessario est pulchrum.

Omne pulchrum naturaliter est bonum, omne turpe malum, atque vicißim.

OMne vero pulchrum esse bonum, ita probamus. Constat pulchrum esse amabilem suapte natura, quandoquidem & extrema pulchritudo diuinæ pulchritudinis imaginem ferens, est amabilis, primoque aspectu animos ad se mouet. Quod confirmatur in Phædro. Re enim vera καλὸν, id est pulchrum, siue dicitur διὰ τὸ καλεῖν, id est quia prouocat animas, siue διὰ τὸ κηλεῖν, id est quia permulcet intuentes, certè secundum naturam est amabile. Quapropter & amor ad pulchrum dicitur amantem ducere. Quicquid autem est amabile, est appetibile, est enim amor appetitus aliquis alicuius robustus atque vehemens. Et quicquid amat, appetit aliquid, quo & indiget. Omne vero appetibile est & bonum, siue re vera bonum, siue apparens. Pleraque enim non bona expetenda nobis occurrunt, quoniam appetentibus se offerunt tanquã bona. Demonstratum est autem à Socrate in Memnone, manifestè fieri non posse, vt qui malum, quale sit, nouerint, ipsum appetant. Appetibile igitur omne bonum est. Ac siquidẽ appetibile sit principaliter, bonum quoque principaliter erit. Sin autem apparens, appetibile, tale etiam erit bonum, omnino autem in quolibet terminorum hoc est apponendum, scilicet aut apparẽs, aut re vera. Si enim pulchrum, & apparens, certè & amabile, & appetibile, bonumque pulchro eiusmodi consors. Sin autem natura pulchrum est, & amabile, bonum quoque similiter. Atqui quidnam erit appetibile, nunquid malum? At impossibile est, vbi notum fuerit, esse alicui expetendum, omnia enim bonum appetunt, ad malum autem appetitio nulla fertur, sed neque etiam appetitus fertur ad aliquid, quod neque sit bonum, neque malum: quod enim tale est, gratia alterius agitur, nullusque finis existit: omne autem appetibile finis. atque siquid ex malis appetitur, quoniam apparet bonum, desideratur vt bonum: & siquid non pulchrum amatur, quoniam apparet, amatur vt pulchrum. Si igitur omne pulchrum est amabile, omne amabile est appetibile, omne appetibile bonum: consequenter omne pulchrũ est bonum, atque vicissim, omne bonum appetibile, appetibile est amabile: siquidem amare est vehementer appetere, vnde in Symposio Socrates ait bonum amabile esse sicut pulchrum: si inquam omne bonum est appetibile, appetibile rursum amabile, amabile vero pulchrum, sequitur vt bonum omne sit pulchrum. Neque nunc nobis obiiciat aliquis, ipsum bonum esse superius pulchritudine, neque rursum duplex esse, quod amabile dicitur: non enim nunc de primis rerum principiis disputamus, sed de iis quæ nobis insunt, pulchris, atque bonis: quod igitur in nobis est bonum, simul est appetibile, & amandum. Per amorem igitur id comparamus, & possidemus: per amorem inquam, studiumque propensum. ac, siquis seipsum animaduerterit, planè perspiciet, eiusmodi bonum acriores nobis amores inferre, cognoscet, quàm pulchra sensibus manifesta: quod igitur est bonum, est & pulchrum. Quapropter Diotima præcipit amatoribus, vt post occurrentem sensibus pulchritudinem, se ad pulchritudinem transferant actionibus, officiis, scientiis, insitam, ibique amatorium animæ oculum vehementer exerceant. Deinceps vero ad intellectus, ibique præcipuam, diuinamque pulchritudinem dominantem, tanquam ipsum re vera pulchrum in nobis animæ vigeat. Quid enim in nobis est virtute, & scientia pulchrius? Quid contra, vitio, & ignorantia turpius?

Homo est anima vtens corpore, vt instrumento. Mala ergo corporis non pertinent ad animam, hominemque, sicut neque mala instrumentorum, ad artificem atque artem.

FAlso plerique putant vulnera, mortemque mala, quid enim bonum nobis est malum? Siquidem non transit in animam, quæ nos ipsi sumus. Neque enim passiones instrumentorum virtutes vtentium mutant, neque igitur faber obtusa aliquando seca, artem amittit secandi, neque etiam si in arte fabrili consisteret nostra felicitas, infelicem propterea putaremus fabrum, cui seca defuerit. Iam vero quemadmodum anima instrumentum habet, sic & corpus instrumenta quædam habet, per quæ mouet externa: quorum vitium bonam non lædit corporis habitudinem, similiter & corporis passiones in animam non pertranseunt, quapropter & mors, etsi corporis malum est, non tamen est animæ malum. Si igitur pulchrum quidem actionis est in anima, malum vero interim fit in alio, nondum ostensum est, idem aliquando pulchrum esse, simulque malum. Licet etiam dialectica ratione distinguere, aliud quidem esse aliquid secundum seipsum, aliud autem secundum accidens. Est enim actio fortis, pulchra secundum seipsam: mala vero, siquando sit mala, per accidens: quoniam accidit fortiter agentem mori, esto enim, si vis, mors è malorum numero. Non igitur officium forte secundum hoc ipsum, quod est forte, ideoque & pulchrum, est etiam malum, sed forte per accidens, aliud igitur est pulchrum, aliud vero malum. Neque qua ratione pulchrum, eadem ostensum est esse

aliquando malum, sed per accidens propter obitum. Proinde hominis ignorat essentiam, qui bonum à pulchro secernit, & hoc quidem in alio, illud autem in alio ponit, bonum in corpore, pulchrum in actionibus animæ. Sed re vera homo ipse est animus, ipse essentia à corpore segregatus, in quo quicquid est, pulchrum est, & bonum est, etiamsi inde corporis sequatur incommodum. Corpus enim non pars hominis, sed instrumentum: instrumenti vero malum non pertinet ad vtentem.

Quomodo differant duo hæc, scilicet secundum seipsum, & qua ipsum.

Dictiones eiusmodi, scilicet, secundum seipsum, & qua ipsum, etiam apud Aristotelem distinguuntur. Quod enim secundum seipsum alicui competit, potest ei non competere primo. Quod autem qua ipsum conuenit, præter id, quod conuenit, secundum seipsum etiam primo competit ei, atque adæquatur. Pulchrum igitur, si commensurationis animæ causa est, atque ob hoc ipsum dicitur pulchrum, efficitque, vt melius in anima dominetur deteriori, perficitque nos, & animæ deformitatem purgat: hac ipsa ratione bonum est, non quidem per accidens, sed qua ratione pulchrum, si enim qua pulchrum est commensuratum, est & bonum. Bonum enim est mensura, certè qua pulchrum est, existit & bonum. Similiter turpe, qua turpe, malũ est. Nam qua turpe est, informe est, indeterminatum, incompositum, & hac ipsa ratione malum. Qua igitur est turpe, est vtrique malum, eadem itaque res, & pulchra semper est, & bona, atque contra turpis pariter, atque mala, hanc tu regulam hic mente teneto, qua & in posterum vsus est Aristoteles. Siqua duo conuertuntur inuicem, eorum quoque opposita conuertuntur, si igitur pulchrum, bonumque conuertuntur inter se, eorum quoque opposita, malum scilicet, atque turpe, similiter inter se conuertuntur.

PROCLVS

DE SACRIFICIO, ET MAGIA.

Interprete Marsilio Ficino Florentino.



Quemadmodum amatores ab ipsa pulchritudine, quæ circa sensum apparet, ad diuinam paulatim pulchritudinem ratione progrediuntur: sic & sacerdotes antiqui, cum considerarent in rebus naturalibus cognationem quandam, compassionemque aliorum ad alia & manifestorum ad vires occultas, & omnia in omnibus inuenirent, sacram eorum scientiam condiderunt, agnouerunt enim & in infimis suprema, & in supremis infima: in cœlo quidem terrena secundum causam, modoque cœlesti: in terra vero cœlestia, sed modo terreno. Nam vnde puramus plantas illas, quas heliotropias nominant, id est solisequas, ad solis motum solem versus moueri? sed selinetropias, id est lunisequas ad lunam verti? Nempe cuncta precantur, hymnosque concinunt ad ordinis sui duces. Sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia vero sensibili modo. Itaque solisequa quomodocunque potest, mouetur ad solem: ac si quis posset audire sati pulsationem ab ea in aëre circuitu factam, profecto illum quendam per eiusmodi sonum erga regem suum compositum animaduerteret, qualemcunque potest planta conficere. Quamobrem in terra quidem aspicere licet solem & lunam, sed pro qualitate terrena. In cœlo autem plantas omnes, & lapides, & animalia pro cœlesti natura vitam habentia intellectualem. Quæ quidem veteres contemplari alia cœlestium, alia terrenorum adhibuerunt, vnde diuinas virtutes in locum inferiorem ob quandam similitudinem deduxerunt. Nempe similitudo ipsa sufficiens causa est, ad res singulas inuicem vinciendas. Siquis enim canabim, siue papyrum calefaciat, deinde subigat lucernæ proximæ, etiam si non rangat, videbit subito accensam canabim, quamuis non tetigerit ignem, accensionemque desuper ad inferiora descendere. Comparemus igitur canabim calefactam, siue papyrum coguationi cuidam inferiorum ad superiora, appropinquationem vero eius ad lucernam, opportuno vsui rerum pro tempore, loco, materia. Processum ignis in canabim præsentiæ diuini luminis ad id, quod potest capere, accessionem denique canabis deificationi mortalium, materialiumque illustrationi, quæ deinde feruntur sursum instar accensæ canabis, ob quandam seminis diuini participationem. Quid vero de Loto dicam? Lotus implicat quidem in se folia ante solis exortum, oriente vero sole explicat paulatim, & quatenus sol ad mediam cœli accendit plagam, eatenus pandit folia. Quatenus vero à medio petit occasum, gradatim folia contrahit. Videtur hæc non minus dilatatione, contractioneque foliorum honorare solem, quàm homines genarum gestu, motuque labiorum. Non solum vero in plãtis, quæ vestigium habent vitæ, sed etiam in lapidibus aspicere licet, imitationem, & participationemquandam luminum superiorum, quemadmodum helitis lapis radiis aureis solares radios imitatur, lapis autem, qui vocatur cœli oculus, vel solis oculus, figurã habet similẽ pupil-

læ oculi, atque ex media pupilla emicat radius, lapis quoque selenitus, id est lunaris, figura lunæ corniculari similis, quadam sui mutatione lunarem sequitur motum. Lapis deinde helioselenus, id est solaris, lunarisque, imitatur quodammodo congressum solis, & lunæ, figuratque colore. Sic diuinorum omnia plena sunt, terrena quidem cœlestium, cœlestia vero supercœlestium, proceditque quilibet ordo rerum vsque ad vltimum. Quæ enim supet ordinem rerum colliguntur in vno, hæc deinceps dilatantur in descendendo, vbi aliæ animæ sub numinibus aliis ordinantur. Deinde & animalia sunt solaria multa, velut leones, & galli, numinis cuiusdam solaris pro sua natura participes, vnde mirum est, quanrum inferiora in eodem ordine cedant superioribus, quamuis magnitudine, potentiaque non cedant, hinc ferunt gallum timeri à leone quamplurimum, & quasi coli, cuius rei causam à materia, sensure assignare non possumus, sed solum ab ordinis superni contemplatione. Quoniam videlicet præsentia solaris virtutis conuenit gallo magis quàm leoni: quod & inde apparet, quia gallus, quasi quibusdam hymnis applaudit surgenti soli, & quasi aduocat, quando ex antipodum medio cœlo ad nos deflectitur, & quandoque nonnulli solares Angeli apparuerunt formis eiusmodi præditi, atque cum ipsi in se sine forma essent, nobis tamen, qui formati sumus, occurrere formati. Nonnunquam etiam dæmones nisi sunt solares leonina fronte, quibus cum gallus obiiceretur, repente disparuerunt. Quod quidem inde procedit, semper quæ in eodem ordine constituta inferiora sunt, reuerentur superiora: quemadmodum plerique intuentes virorum imagines diuinorum, hoc ipso aspectu vereri solent turpe aliquid perpetrare. Vt autem summatim dicam, alia ad reuolutiones solis correuoluuntur, sicur plantæ, quas diximus: alia figuram solarium radiorum quodammodo imitantur, vt palma, dactylus: alia igneam solis naturam, vt laurus: alia aliud quiddam. Videre sane licet proprietates, quæ colliguntur in sole, passim distributas in sequentibus in solari ordine constitutis, scilicet Angelis, dæmonibus, animis, animalibus, plantis atque lapidibus. Quocirca sacerdotij veteris authores à rebus apparentibus superiorum virium cultum adinuenerunt, dum alia miscerent, alia purificarent. Miscebant autem plura inuicem, quia videbant simplicia nonnullam habere numinis proprietatem, non tamen singulatim, sufficientem ad numinis illius aduocationem. Quamobrem ipsa multorum commixtione attrahebant super nos influxus: atque quód ipsi componendo vnum ex multis conficiebant, assimilant ipsi vni, quod est super multa, constituebantque statuas ex materiis multis permixtas: odores quoque compositos colligentes arte in vnum diuina symbola, reddentesque vnum tale, quale diuinum existit secundum essentiam, comprehendens, videlicet vires quamplurimas.

Quorum quidem diuisio vnamquamque debilitauit mixtio vero restituit in exemplaris ideam. Nonnunquam vero herba vna, vel lapis vnus, ad diuinum sufficit opus. Sufficit enim Cnebison, id est carduus, ad subitam numinis alicuius apparationem, ad custodiam vero laurus. Raccinum, id est genus virgulti spinosum, cepa, squilla, corallus, adamas, Iaspis, sed ad præsagium cor talpæ, ad purificationem vero sulfur, atque marina. Ergo sacerdotes per mutuam rerum cognationem, compassionemque conducebant in vnum, per repugnantiam expellebant, purificantes, cum oportebat, sulfure, atque asphalto, id est bitumine, aqua aspergentes marina, purificat enim sulfur quidem propter odoris acumen, aqua vero marina propter igneam portionem, & animalia diis in deorum cultu congrua adhibebant, cæteraque similiter. Quamobrem ab iis, atque similibus recipientes primum potentias dæmonum, cognouerunt, videlicet eas esse proximas rebus, actionibusque naturalibus: atque per hæc naturalia, quibus propinquant in præsentiam conuocarunt. Deinde à dæmonibus ad ipsas deorum vires actionesque processerunt, partim quidem docentibus dæmonibus addiscentes, partim vero industria propria interpretantes conuenientia symbola, in propriam deorum intelligentiam ascendentes, ac denique posthabitis naturalibus rebus, actionibusque, ac magna ex parte dæmonibus, in deorum se consortium receperunt.

PORPHYRIVS

DE OCCASIONIBVS, SIVE CAVSIS AD INTELLIGIBILIA nos ducentibus.

MARSILIO FICINO INTERPRETE.

De natura corporeorum, atque incorporeorum.



Mne corpus est in loco, nullum vero eorum, quæ secundum se sunt incorporea, vel aliquid tale, est in loco. Quæ secundum se sunt incorporea, eo ipso, quod præstantins est omni corpore, atque loco, vbique sunt, non distanti quidem, sed indiuidua quadam conditione. Quæ secundum se sunt incorporea, non localiter præsentia corporibus, adsunt eis, quotiescunque volunt, ad illa vergentia, atque declinantia, quatenus videlicet naturaliter ad ea vergunt, atque inclinantur. Sed enim cum non adsint locali conditione corporibus, habitudine quadam eis adsunt. Quæ secundum se sunt incorporea, certe non per substantiam, & per essentiam corporibus adsunt. Non enim corporibus commiscentur, verumtamen ex ipsa inclinatione, quasi momento vis quædam subsistit inde communicata iam propinqua corporibus. Ipsa namque inclinatio secundam quandam vim substituit corporibus iam propinquam.

De natura, & alligatione, & solutione animæ.

ANima quidem medium quiddam est inter essentiam indiuiduam, atque essentiam vera corpora diuisibilem. Intellectus autem essentia est, indiuidua solum. Sed qualitates, materialesque formæ, secundum corpora sunt diuisibiles. Non omne, quod agit in aliud appropinquatione, & tactu facit, quod facit, sed etiam quæ propinquando, & tangendo faciunt aliquid secundum accidens, non vtuntur propinquitate. Anima corpori alligatur conuersione quadam ad passiones prouenientes à corpore. Rursumque soluitur quatenus à corpore nihil patitur. Quod natura ligauit, hoc & ipsa natura soluit. Rursus quod conciliauit anima, hoc & anima dirimit. Natura quidem corpus in anima deuincit, anima vero seipsam in corpore. Quamobrem natura corpus ab anima separat, anima vero seipsam à corpore segregat.

Omnia quodammodo sunt in omnibus pro conditione eorum, quibus insunt.

NOn similiter omnia in omnibus intelligimns, sed proprie se habet ad omnia vnius cuiusque essentia: intellectu quidem intellectualiter, in anima vero rationaliter: in plantis seminarie, in corporibus imaginarié: in eodemque (quod bis omnibus superius est) modo quodam superintellectuali, atque superessentiali.

In summis est vnitas cum virtute: in infimis multitudo cum debilitate.

INcorporeæ substantiæ descendentes quidem diiudicentur, atque in singula potentiæ defectu multiplicantur, ascendentes autem vnuntur, atque simul recurrunt in vnum copia potestatis.

De speciebus vitæ.

NOn solum in corporibus æquinoca conditio est, sed ipsa etiam vita multipliciter prædicatur. Alia est enim vita plantæ, animalis alia: alia rursus intellectualis essentiæ, alia tandem naturæ superioris, alia animæ, alia intellectualis: viuunt enim & illa: etsi nullum eorũ, quæ ab ipsis existunt, vitam eis similem sortiatur.

Quæ generant, partim conuertuntur ad genita: partim minimè.

OMne, quod sua essentia generat, aliquid se deterius generat, atque omne genitum ad genitorem natura conuertitur, eorum vero, quæ generant, alia quidem nullo modo conuertuntur ad genita: alia vero partim quidem flectuntur ad illa, partim non flectuntur, alia tandem solum deflectuntur ad genituras, neque interim ad se reflectuntur.

Sensus, imaginatio, memoria, intelligentia.

MEmoria non est imaginationum conseruatio quædam, ἀλλὰ τῶν μελετηθέντων προβαλέσθαι ἐκ νέας προβλήματα, sed est ipsas propositiones, siue productiones in actũ eorum, quæ meditatus est animus nuper, educere. Anima quidem habet omniũ rationes. Agit autem secundũ eas, vel ab alio ad expeditionem eiusmodi prouocata, vel ipsa seipsam intus conuertens ad rationes, & cum

ab alio prouocatur, tanquam ad externa committit introducere sensus: cum vero ingreditur in seipsam, ad intelligentias peruenit: neque igitur sensus extra imaginationem sunt, neque, vt dixerit aliquis, intelligentiæ quatenus competunt animali: neque rursus absque instrumentorum sensualium passione sunt sensus, sic & intelligentiæ non absque imaginatione, nisi analoga conditio sit: quemadmodum figura consequens quiddam est ad animal sensuale, sic phantasma aliquid consequens ad intelligentiam animæ intelligentis in animali.

Anima est immortalis.

ANima est essentia inextensa, immaterialis, immortalis, in vita habente à seipsa viuete, atque esse similiter possidente.

Passio animæ, atque corporis est longe diuersa.

ALiud est pati corporea, aliud incorporea, passio enim corporum cum transmutatione contingit, passio vero animæ est accommodatio quædam, & affectio ad rem ipsam, & actio quædam, nullo modo similis calefactioni, frigefactionique corporum, quamobrem si passio corporum, cum transmutatione fit, dicendum est omnia incorporea esse passionis expertia. Quæ enim à materia, corporibusque separata sunt actu, eadem permanent: quæ vero materiæ corporibusque propinquant, ipsa quidem non sunt passiua, sed illa, in quibus hæc apparent, patiuntur, quando enim animal sentit, animaquidem similis esse videtur harmoniæ cuidam separatæ ex seipsa chordas mouenti contemperatas. Corpus autem simile harmoniæ, quæ inseparabilis inest chordis, sed causa mouendi esse videtur animal, propterea quod sit animatum, quod quidem simile est musico, ex eo quod sit concinnum, corpora vero quæ per passionem sensualem pulsantur, similia contemperatis chordis apparent. Etenim ibi non harmonica quidem separata patitur, sed chorda, & mouet sane musicus per ipsam, quæ sibi inest, harmoniam: neque tamen chorda tatione musica mouetetur etiam, si vellet musicus, nisi harmonia ipsa id dixit.

De differentiis incorporeorum.

IPsa incorporeorum appellatio non secundum communitatem vnius eiusdemque generis, sic cognominata est quemadmodum corpora, sed secundum nudam ad corpora priuationem. Quamobrem nihil prohibet inter illa, alia quidem esse essentia, alia vero non essentia: & alia rursus ante corpora, alia vero vna cum corporibus: item alia à corporibus separata, alia vero non separata. Præterea alia secundum se subsistentia, alia vero aliis, vt sint indigentia: alia denique actionibus, vitisque ex se mobilibus eadem, sed alia vitis, & qualibus actionibus quodammodo permutata, nempe secundum negationem eorum, quæ ipsa non sunt, non secundum assistentiam eorum, quæ sunt, appellatur.

Passiones materiæ primæ assignata similiter à Plotino.

MAteriæ propria apud antiquos hæc sunt incorporea quidem, diuersa enim est à corporibus, præterea vitæ expers, neque intellectus, neque anima, neque aliquid secundum se viuens. Item informis, permutabilis, infinita, impotens. Quapropter neque ens, sed verum non ens, imago mollis apparens, quoniam quod primo est in mole, est ipsum impotens, item appetitio subsistentiæ, & stans non in statu præterea semper in se apparens, tum paruum, tum magnum, tū minus, tum magis, tum deficiens, tum excedens, quodue fiat semper, maneat vero nunquam, neque tamen aufugere potens, quippe cum totius entis sit defectus. Quamobrem quicquid promittat, mentitur: ac si magnum appareat, intetim euadit paruum, quasi enim ludus quidam est in non ens aufugiens. Fuga enim eius non sit loco, sed dum ab ente deficit, quamobrem quæ in ea sunt imagines, insunt in deteriori rursus imagine, quemadmodum in speculo id, quod alibi situm est, apparet alibi, & ipsum speculum plenum esse videtur, nihilq; habet, dum omnia videtur habere.

Quid patiatur, quid non.

PAssiones circa id sunt omnes, circa quod accidit & interitus. Via enim ad interitum est admissio passionis, atque huius est interire cuius est pati. Interire autem incorporeum nullum, sed quædā inter illa aut sunt, aut non sunt, quapropter nullum eorum patitur: quod enim patiens est, non oportet ita se habere, sed esse tale, vt alterari queat, atque interim inqualitatibus eorum, quæ ingrediuntur, sicque inferunt passionem. Et namque quod inest alteratio non à qualibet accidit, neque igitur materia patitur. Nam secundum seipsam qualitatis est expers, neque prorsus formæ, quæ sunt in ea, ingredientes, vicissimque exeuntes, sed passio fit circa compositum, & vnius esse in compositione consistit, hoc enim in contrariis viribus & qualitatibus ingredientium, inferētiumq; passionem perseuerare in subsistendo videtur. Quamobrem ea quorum viuere est ab externis, nec à seipsis, nimirum & viuere, & non viuere pati possunt. Sed ea, quorum esse in vita consistit, passionis experte, necessarium est permanere secundum vitam, quemadmodum vitæ vacuitati conuenit & non pati, quatenus & vitæ vacuitas. Itaque sicut permutari, ac pati composito ex materia, formaque contingit, id est corpori, neque tamen id materiæ accidit, sic viuere, atque interire, patique secundum hoc ipsum incompositum ex anima, corporeque perspicitur, neque tamen animæ id contingit, quoniam anima non est aliquid ex vita, & non vita conflatum, sed vita solum, constat quippe, cum simplex essentia sit, ipsaque animæ tario sit natura ipsa semouens.

Omnis intellectus est omniformis.

INtellectualis essentia sic in partibus est consimilis, vt & in particulari quolibet intellectu, vniuersoque intellectu sint entia: sed intellectu quidem vniuersali entia etiam particularia vniuersali sint ratione: in particulari autem intellectu etiam vniuersalia simul atque particularia sint conditione quadam particulari.

Anima quia per essentiam est vita, non moritur.

CIrca essentiam, cuius esse consistit in vita, & cuius passiones vita quædam sunt nimirum & mors, in quali aliqua vita versatur, non in priuatione vitæ simul tota. Quoniam neque passio, seu vita est omnino, illic ad non viuendum, ipsaque illic accidit orbitas.

Omnis vita incorporea quocunque mutetur, permanet immortalis.

IN vitis incorporeis processus manētibus prioribus in se fitmis efficiuntur, dum nihil sui perdunt, neque permutant ad substantiam inferioribus exhibendam, quapropter neque quæ inde subsistunt, cum aliqua perditione vel transmutatione subsistunt, neque hoc quidem efficitur, sicut generatio interitus, permutationisque particeps, ingenita igitur, & incorruptibilia sunt atque ingenitæ, incorruptæque secundum hoc ipsum effecta.

Quomodo intelligatur quod est superius intellectu.

DE illo quod est mente superius, per intelligentiam quidem multa dicuntur: considerantur autem vacuitate quadam intelligentiæ intelligentia meliote, quemadmodum de dormiente per vigilantiam multa dicuntur, sed per somnum ipsum cognitio eius, peritiaque habetur, simili namque simile cognosci solet, quoniam omnis cognitio, assimilatio quædam est ad hoc ipsum, quod cognoscitur.

Non ens aut est superius ente, vt Deus, aut inferius cum materia.

QVod non ens dicitur, aut ipsi nos machinamur ab ipso ente aliquando separati, aut superintelligimus, dum ens possidemus, quapropter si separamur ab ente, ens ipsum non superintelligimus non ens super ens ipsum, sed iam non ens velut falsam concipimus passionem, contingentem videlicet illi, qui digreditur extra seipsum, ipse enim quisque quemadmodum existenter id est vere, atque per se ipsum potest reduci ad ipsum non ens ente superius, sic ab ente, seque ipso digrediens iam traducitur ad non ens, quod entis ipsius est casus atque ruina.

Substantia incorporea est vbicunque vult.

NAtura corporis nihil impedit, quin quod secūdum se incorporeum est, sit vbicunque, & quomodocunque. Sicut enim corpori incomprehensibile est, quod molis est expers, nihilq; ad ipsum pertinet: sic incorporeo ipsum, quod molle distenditur, non sit obstaculum & quasi non iacet, neque enim quod incorporeum est locali conditione quo vult discurrit; locus enim cum mole simul existit, neque rursus corporum limitibus coercetur, quod enim quomodocunque iacet in mole, in angustum cohiberi potest, & conditione locali trāsmutationem agere, quod autem est à mole, magnitudineque prorsus exēptum, hoc ab iis, quæ sunt in mole, contineri non potest, à motuque locali permenet liberum. Igitur quali quadam, certaque dispositione reperitur ibi, vbicunque disponitur, loco interea tum vbique, tum nusquam simul existens, quapropter quali quadam certaque affectione vel super cœlum, vel in parte mundi quadam apprehenditur: quando vero in aliqua mundi parte tenetur, non oculis quidem aspicitur, sed ex operibus eius præsentia sua fit hominibus manifesta.

Substantia incorporea nullo corpore cohibetur, sed producit escam in corpore per quam se corpori applicat.

QVod est incorporeum, si quando in corpore comprehendatur, non opus est vt ita concludatur, quemadmodum in parco feræ clauduntur, nullum namque corpus potest ipsum sic in se cohibere, neque sicut vter liquorem aliquem trahit, & cohibet, aut flatum, sed oportet ipsum substituere vites ab ipsa in seipsum vnione extra manātes, quibus descendens corpori applicatur, copula itaque eius ad corpus per ineffabilem quandam sui ipsius impletur extensionem, quamobrem non aliud quidem vllum ipsum alligat, sed ipsum certe seipsum, neque igitur tesoluit ipsum corpus quando frangitur aut interit, sed ipsum potius semetipsum enodat, quando à familiari erga subiectum affectione diuertit.

Vniuersales causæ non conuertuntur ad effectus, sed eos ad se conuertunt.

NVlla substantiarum, quæ vniuersæ sunt, atque perfectæ ad suam conuertitur genituram. Omnes autem perfectæ substantiæ ad generantia rediguntur, & id quidem ad corpus vsque mundanum. Quod quidem cum sit perfectum ad animam est redactum, animam inquā intellectualem, ideoque circulo voluitur, anima vero mundi ad intellectum attollitur, intellectus autem erigitur ad principium, omnia itaque perueniunt ad hoc ipsum ab extremis exordientia, quatenus facultas suppetit vnicuique perueniunt inquam eleuatione ad primum, illucusque perducta: quæ quidem aut ex propinquo, aut ex longinquo effici solet. Hæc itaque non solum appetere Deum dici possunt, sed etiam pro viribus assequi, in substantiis vero particularibus, & ad multa labi potentibus inest procliuitas deflectens ad udenituras: ideoque in his delictum dicitur accidisse, in his infidelitas est damnata. Has igitur contaminat ipsa materia, propterea quod ad hanc deflecti possint, cum tamen interea ad diuinum se valeant conuertisse: quare perfectio quidem à prioribus secunda substituit conseruans eadem ad priora conuersa, defectus autem priora etiam ad posteriora deflectit, efficitque vt hæc ipsa diligant à superiore interim differentia.

Quomodo differenter est vbique Deus, intellectus, anima.

DEus est vbique, quia nusquam intellectꝰ est: vbique etiam, quia nusquam anima, deniq; vbique est quoniam est & nusquam: sed Deus quidem vbique & nusquam est eorum omnium, quæ sunt post ipsum. Sui vero ipsius est solum, sicut est, atque vult. Intellectus autem in Deo quidem vbique est, sed in eis, quæ sunt post ipsum, existit nusquam pariter, & vbique anima tandem in intellectu, atque Deo, similiter est vbique, in corpore vero vbique est simul & nusquā. Corpus autem & in anima, & in intellectu, & in Deo, omnia profecto cum entia, tum non entia ex Deo sunt, & ideoneque tamen ipse Deus est, cum entia, tum non entia, neque existit in eis. Si enim esset duntaxat vbique, ipse quidē omnia, & in omnibus esset. At quoniam est, & nusquam, omnia sane per ipsum fiunt, fiuntq; rursus in ipso, quoniā

ipse exiftit vbique diuersa rursus ab ipso, quoniam ipse nusquam. Similiter intellectus vbique existens atque nusquam, causa est animarum, animasque sequentium: neque ipse anima est, neque quæ post animam, neque in eis existit: quoniam videlicet non solum vbique est, eorumque, quæ sunt post ipsum, sed & nusquam. Rursus anima neque corpus est, neque est in corpore, sed causa corporis, quoniam dum vbique est per corpus simul est, & in corpore nusquam, processus denique vniuersi in illud desinit, quod neque vbique simul, neque nusquam esse valet, sed alternis quibusdam vicibus vtriusque fit particeps.



EX PORPHYRIO DE ABSTINENTIA ANIMALIVM.

Marsilio Ficino Interprete.

Anima in hoc corpore dormit.



Bstinere animalibus præcipimus, non quidem omnibus, sed omni duntaxat diuina contemplaturo, qui sane animad uertit huius habitaculi veneficia, in quo hic habitamus: quinetiam cognoscit ipsum, quod in se est, naturaliter, perpetuo vigilans, atque somnum, quo hic opprimitur, deprehendit. Cui non sane educationem, nutritionemque tra demus consentaneam, tum huius loci naturæ, tum sui ipsius cognitioni conuenientem.

Beatitudo non est diuinorum cognitio, sed vita diuina.

Beata nobis contemplatio non est verborum accumulatio, disciplinarumque multitudo, quemadmodum aliquis forte putauerit: neque enim ita componitur, neque pro quantitate rationum ac verborum accipit incrementum, alioqnin nihil prohiberet illos, qui omnes congregauerint disciplinas, esse beatos, hunc verò nedum quælibet disciplina felicem contemplatione impleat, nec ipsæ etiam de iis, quæ veræ sunt doctrinæ, id vnquam efficiunt, nisi eis adsit & vita in ipsam diuinorum translata naturam profectò contemplationis finis est ens ipsum, verumque assequi adeo scilicet, vt eiusmodi assecutio contemplatorem pro naturæ suæ viribus, cum eo, quod contemplatur, conflet in vnum, non enim in aliud, sed in ipsum verè seipsum fit recursus, neque ad aliud, sed ad seipsum reuera fit conspiratio, ipse verò re vera est intellectus. Quamobrem & finis est intellectu viuere, atque ad hoc ipsum sermones, disciplinæque foris adhibitæ, conditionem quidem nobis purgatoriam adhibent, non tamen rationem ipsam qua nobis felicitas compleatur, quamobrem si in sermonum, rationumque congerie felicitas ipsa consisteret, liceret hominibus educationem, certaque officia contemnentibus felicem consequi finem, at verò quoniam hanc vitam oportet in alium commutare animum per verba, & rationes, operaque purgantes, dic age, quinam sermones, quænam opera sic potissimum nos instituant, nonnè verba duntaxat, officiaque, quibus à rebus sensum mouentibus, sensusque passionibus separemur? Atque ad vitam intellectualem, superque imaginationem, ac pro viribus passionis expertem denique reducamur.

De animæ descensu, atque ascensu.

Oportet nos, si modo ad illa quæ, reuera nobis propria sunt, reuolaturi sumus, hæc, quæ & ex natura mortali nobis adsumpsimus, omnino deponere vnà cum affectione ad hæc declinante, per quam descensio nobis contigit, prætereà reminisci beatæ, & æternæ substantiæ, ac, dum ad incorporeum studemus ascendere, duo potissimum meditari, tum qua ratione esse materiale, caducumque deponamus, tum etiam qua via præcipuè reuertamur, contraria scilicet via redeuntes ad illa viæ, per quam & hæc nostra descendimus. Eramus enim, & adhuc sumus, intellectuales essentiæ puræ ab omni sensu, naturaque irrationali viuentes: copulati verò sumus naturæ sensibili, tum per impotentiam æternæ ad intelligibile nostrum coniunctionis, tum per potentiam ad inferiora vergentem. Omnes enim vires cum sensu, corporeque agentes, tunc primum pullulant ad effectum, cum animus in ipso intelligibili minimè perseuerat, similes terræ iam deprauatæ, quæ cum triticum sæpe susceperit, reddit denique lolium. Idque per quandam animæ accidit prauitatem, quæ sanè non perdit quidem ipsius essentiam, dum irrationale pullulat germen, sed per hoc ipsum anima coniungitur cum mortali, dum & alienum ex proprio trahitur. Quamobrem siquando ad pristinum statum redire pro viribus affectamus, necessarium est è sensu, & imaginatione, omnique irrationali, quæ sequitur inde, conditione, passionibusque eiusmodi animum penitus segregare, quatenus permittit naturæ necessitas. Rite verò disponere, articularimque componere, quæ ad mentem pertinent, tranquillitatem, pacemque ex hoc circa ir-

rationale belle constituentes, vt non solum de ipsis intellectus intelligibilibus audiamus, sed etiam quanta potentia simus fruentes, videlicet contemplatione mentis, & in naturam incorpoream restitui. Iamque per intellectum verè viuentes, nec vltra falso vnà cum naturis caduco cognatis. Soluere itaque multa nobis indumenta debemus, tum visibile hoc indumentū, tū interiores adhuc nobis vestes adhibitas, non enim vitiorum effectus tantum deuitare debemus, sed effectus etiam ipsos radicitus extirpare, discessus autem à corpore fieri quidem potest cum violentia, fieri quoque persuasione quadam, & profectò ritè peragitur per extenuationem quandam, & vt dixerit aliquis, per obluionem, mortemque affectum, quæ quidem optima discessio est, quippe cum nihil trahat secum ipsius ex quo animus ipsa diuellitur, nam vt in rebus sensibus manifestis compertum habemus, quicquid euellitur violentia, aliquid secum, siue partem, seu vestigium euulsionis ipsius, eiusque ex quo eradicatur trahere solet.

De solutione animæ.

Sapientes antiqui diligenter omnia deuitabant, quæ animam corpori affigere possent, sic Pythagorici, & similes sapientes partim se insolitudinem receperunt, partim viuentes turbę in templis, lucisque viuebant, vnde procul turba omnis semoueretur. Plato autem eligit academiam habitandam, agrum non modo solitarium, & ab vrbe semotum, sed etiam (vt fertur) insalubrem. Alij verè oculis etiam minimè perpetcerunt, quo contemplationem intimam nullis interpellarent, & perpetuam conseruarent. Philosophus quidem animum à corpore per violentiam non extrudet, nam si vim intulerit, nihilo minus permanebit ibidem, vnde sic exire compulerit, neque tamen parum referre putabit, si corpore impinguando sibi carcerem confirmauerit duriorem. Cauebit enim ne sensus, eiusque voluptas, si inualescat, animam profundius incorpus immergat. Profectò si sensuum actiones puram animi actionem non impedirent, quidnam graue foret esse in corpore, dum motiones, quæ per corpus fiunt, minime patiaris? quo enim modo iudicares, diceresque quod passus fueris, nisi & patiaris, nisi & præsens his existeres, quæ patiebaris? Intellectus quidem penes seipsum esto, etiam si nos penes ipsum minime simus, qui autem ab intellectu digreditur ibi iam est, quo est transgressus, discurrensque sursum, atque deorsum, attentiore perceptionis cuiusdam studio, illic iam adest, vbi perceptio ipsa peragitur, nedum qui ad experientiam sensibilium descendit, & per facultatem irrationalem agit, possit interea quæ secundum mentem sunt, contemplari sincere: nec illi etiam, qui duas nobis attribuunt animas, geminas quoque nobis attentiones simul habere permittunt, alioquin duo animalium coniugia effecissent, fieri posset altero ad alia intento, vt alterum sibi alterius opera minimè vendicare. Sed quidnam oporteret passiones corporeas eneruare, ab eisque mori, idque quotidie meditari, si possemus secundum intellectum agere coniuncti mortalibus absque intellectus inspectione, vt aliquis declarauit? Intellectus enim videt, intellectus audit. At si luxuriosè comedas, vinumque ingurgitas suauissimum, potes interea diuinis incumbere, cur non frequenter es in diuinis, dum humanis inhæres, eaque congressu perpetras, quæ dictu etiam honesta non sunt? vbique enim pueri ipsius qui nobis inest, perturbationes sunt, & quia turpes, ideo ad eas contemplator distrahi nequit, & interim contemplari, vbi enim sensus, animaduersioque eiusmodi, illinc ipsum abest intelligibile, & quo magis facultas extra- tur ratione carens, eo longius abest intelligentia, fieri namque non potest vt aliquis huc, atque illuc delatus, hic simul sit, atque ibi, non enim parte nostrum, sed toto attentiores efficimus.

De abstinentia.

Vir autem cautus, & qui naturæ veneficia suspicatur, cognoscitque naturam corporis, quemadmodum videlicet instrumenti more ad animi vires contemperatum est, intelligit sanè quantum passio sonare parata est velis, nolisnè, quoties ab externis pulsatur corpus, pulsatioque in perceptionem peruenit, perceptio enim ipsa, animaduersioque sonus ipse est. Fieri verò non potest, vt anima sonet quidem, nisi tota conuersa sit ad sonum, & oculum præsidentem ad hoc ipsum direxerit. Quando verò sublata multorum indigentiæ causa fuerit, liberatique fuerimus eorum copia, quæ intromittuntur in corpus, & eorum pondere iam leuati, tunc animi oculus à fumo, fluctuque corporeo foras emicat, neque commemoratione, neque demonstratione iam indiget ob naturalem sui solertiam otij nesciam. Præterea vsus carnium ad sanitatem minimè confert, sed sanitatem potius impedit: quoniam per quæ recuperatur sanitas, per eadem perseuerat, recuperatur autem per victum tenuissimum, & carnibus abstinentem, quapropter & hoc sanitas conseruatur. Quod si ad Milonis robur animalium abstinentia minus confert, certe neque roboris augmento opus est Philosopho, si modo contemplaturus est, neque actionibus seipsum & incontinentiæ dediturus, conseruare profectò sanitatem decet non mortis quidem metu, sed potius ne à contemplatione proficiscentibus arceamur. Conseruat autem maximè sanitatem imperturbatus animi status, cogitationisque dispositio ad ipsum quod verè est, exposita. Multum enim vigoris ad corpus inde redundat, quemadmodum experientia nostri familiares comprobauerunt, adeo, vt dolores iuncturarum, pedum simul, manuumque acerrimos, annosque integros octo vectari ab alio compellentes simul expulerint, cum pecuniarum rerumque incuria externarum, studioque ad diuinitatem prorsus iacto, simul igitur pecunias, atque curas, morbumque corporis expulerunt. Ex quo apparet plurimum, imò totum ad sanitatem conferre certum quendam animi habitum, atque statum, conducit & plurimum tenuis ad idem victus, & parcus: Si autem oportet nos nihil veritos veritatem libere confiteri, non datur aliter finem consequi, nisi quandoque Deo (si dictu fas est) affigamur, atque euellamur à corpore, oblectamentisque corporeis: quippe cum salus ipsa nobis non per nudum verborum rationumque auditum, sed per opera comparetur, non aliter inquam Deo copulari possumus, quam per purissimam abstinentiam: neque etiam videlicet alicui particularium Deo nedum ipsi Deo omnibus præsidenti, superque naturam etiam incorpoream simpliciter exi-

ſtenti, qui quando cæteris ſimplicior eſt, & purior, ſufficientiorque, & à materia longe ſemotior, tanto puriorem eſſe oportet animum eo aliquando fruiturum.

EX SECVNDO LIBRO PORPHYRII, de Sacrificiis, & diis, atque dæmonibus.



Rimi ſacrificatores non animalia, ſed herbas primum, floreſque, deinde arbores ſacrificarũt atque aromata ſubfumigarunt. Primi, qui animalibus veſci cœperunt, penuria frugum animalia inuaſerunt, prius enim terræ fructu veſcebantur. Tribus de cauſis diis ſacrificandum eſt: vt veneremur, vt gratiam referamus, vt neceſſaria ab ipſis peramus, malaque propellamus. Ad hæc autem impetranda votum in animis ſatisfacit, cui addi poſſunt ex frugibus munuſcula quædam. Animalia verò mactare nefas eſt. Sacra profectò diis nos quoque dicabimus, ſed diuerſa, ſicut par eſt, ſacrificia offeremus, ſicut differentibus quoque ſacrificabimus poteſtatibus. Deo quidem ipſi, qui regnat in omnibus, ſicut ſapiens quidam vir inquit, nihil ſenſibile offeremus, neque fumigantes, neque denominantes. Nihil eſt enim materiale, quod ipſi prorſus immateriali ſubirò non ſit impurum, quapropter neque ſermo huic vocalis eſſe poteſt accõmodatus, neque etiam ſermo animo intimus, quando paſſione quadam animæ ſit inquinatus, ſed ſilentio puro, puriſque de ipſo intelligentiis ipſum rite colemus, oportet igitur coniunctos, ſimileſque Deo iam effectos noſtram hanc ad Deum eleuationem, velut ſacram victimam, dedicare Deo, quę quidem & ipſamet diuina laus eſt, ſaluſque noſtra. In ipſa igitur Dei huius contemplatione paſſionis omnis experte ſacrificium hoc impletur. Filiis autem eius, qui & intelligibiles dii ſunt, laudem iam ex ipſo quoque ſermone adhibere debemus. Nam vnicuique numinum iuſta primitiarum ſit oblatio ex iis, quæ largitur, & per quæ nos nutrit, atque ineſſe conſeruat ad ſacrificij facultatem, ſicut igitur agricolæ primitias ex iis, quæ colligunt manipulos videlicet frugum, atque fructus arborum ad numina ferunt, ita nos dicabimus eis primitias intelligentiarum, ſimiliumque munerum excellentium, gratias ſcilicet pro iis agentes, quæ nobis largiti ſunt, ipſam videlicet numinum, munerumque ſuorum contemplationem, præcipuè cum per ipſam eorum inſpectione verè nos nutriant, præſens vbique nobis, atque apparentes, & noſtræ ſaluti feliciter aſpirãtes. Nunc verò multos etiam philoſophiæ ſtudioſos id operari piget, qui gloriam potius, quam diuinitatem colentes circa ſtatuas reuoluuntur, neque conſiderant, vtrum, & quomodo ad talia ſit veniendum, neque diſcere ſtudent ab illis, qui diuina ſapientia pollent, quouſque, & quantum ad hæc ſit concurrendum. Nos autem cum his minimè contendemus, neque tale aliquid dignoſcere ſtudebimus ſed ſanctos, antiquoſque imitabimur plurimum, videlicet velut primitiarum numinibus ex ipſa contemplatione dicantes, quam nobis ſuperi tribuerunt, & cuius nobis vſus ad veram ſalutem eſt admodum neceſſarius, itaque Pythagorici circa numeros, lineaſque verſati, ex his etiam diis plurimum dedicabat, alium quidem numerum Palladem nominantes, alium verò Dianam, alium Apollinem: rurſus alium iuſtitiam, alium temperantiam, ac ſimiliter in figuris, atque ita ſimilibus ſacrificiis diis adeo placuerunt: vt vnumquemque deorum ſuis oblationibus aduocarent, eorumque beneficio frequenter ad vaticinium vterentur, & ſiquo ad exanimandum aliquid indigerent. Dii autem quæ ſunt intra cœlum, ſiue curſu quodammodo perrerantibus, ſiue non errantibus, quorum ducem eſſe Solem primo, deinde Lunam exiſtimandum eſt, commode ſacrare poſſumus ignem iam quaſi cognatum, & quæ mandat Theologus, ſeruare debemus. Inquit autem ille, animatum nullum ſacrificandum, ſed vſque ad farinam, & mel, terræque fructus atque flores, nouit enim virum pietatis veræ cultorem, Diis quidem animatum nullum aliquando ſacraturum, ſed dæmonibus, atque aliis ſiue bonis, ſiue malis, ſed miſſa hæc faciamus, mihi quidem quæ plerique Platonicorum diuulgauerunt, in medium ingenioſis iam afferenda videntur. Tradunt verò tantummodo, primus quidem, Deus cum ſit incorporeus, immobilis, impartibilis in nullo, neque etiam in ſeipſo cohibitus, nullo eget externo, neque etiam mundi anima eget externis. Poſſidet enim & continet ipſum, quod eſt trina dimenſione porrectum, facultatemque naturaliter ſe mouentem, & ſuapte natura decreuit bene, ordinateque moueri, mouereque mundi corpus ſecundum optimas rationes, excepit autem in ſeipſa corpus, atque complexa eſt, quamuis incorporea ſit, atque ab omni libera paſſione. Diis autem reliquis, ac mundo & errantibus, & non errantibus, qui ex anima, & corpore conſtant, oculis manifeſti, ſacrificandum eſt ſacrificiis inanimatis, ea, qua diximus, ratione.

De ſpeciebus dæmonum bonorum atque malorum.

Reliqua eſt inuiſibilium multitudo, quos dæmones indiſtinctos dixit Plato: horum verò alij quidem ab hominibus cognominati apud ſingulos nacti ſunt honores diis æquales, reliquumque cultum alii verò plurimum formæ nominati non ſunt, ſed à quibuſdam per vicos, aut vrbes nomen, & cultum, occulte quodammodo ſortiũtur, reliqua verò turba, ſic quidem communiter appellatur nomine dæmonum. Rata verò apud omnes fides eſt, eiuſmodi: eos certe læſuros genus humanum, ſi iraſcantur, propterea quod negligantur, neque cultum legitimum nanciſcantur: rurſuſque benefacturos hominibus qui eos votis, ſupplicationibuſque & ſacrificiis, & aliis, quæ conſequuntur, ſibi conciliauerunt. Cum igi-

tur opinio hæc de dæmonibus confusa sit, multumque habeat in eos calumniæ, necessarium est eorum naturam ratione distinguere. Forte namque necessarium aiunt, vnde circa illos error hominibus incidit declarare, distinguendum igitur hunc in modum. Quæcunque igitur animæ ex tota anima pullulantes magnas sub Luna locorum partes gubernant, ἐπερειδόμεναι innitentes quidem, siue adherentes, siue impositæ spiritui sed ipsum secundum rationem superantes. Has vtique bonos dęmones, iudicandū, & ad eorum, quæ sunt, vtilitatem omnia procurare, siue quibusdam præsint animalibus siue certis fructibus, siue aliis horum gratia ordinatis: velut imbribus, & temperatis ventis, aërique sereno, temperationique temporum, & reliquis ad hæc omnia conferentibus: apud nos rursum artibus & Musicæ disciplinæ, & Medicinæ & gymnastice, atque similibus. Fieri verò non potest, vt ij, qui vtilitati rerum, commoditatique consulunt, rursum inferant detrimenta, inter eos adnumerandi sunt dæmones, quos Plato transferre, nuntiareque dicit humana quidem diis, diuinaue hominibus, dum nota quidem nostra ad Deos, velut iudices perferunt: illorum verò iussa, monitionesque vnà cum vaticinio ad nos deducunt. Quæcunque verò animæ coniuncto spiritui minime denominantur, sed plurimum cedunt, hę sanè per hunc dicuntur nimium, feruntur quando iræ, concupiscentięque spiritus inualescunt, hæ quidem animæ ipsæ quoque sunt dæmones, sed rite malefici nominantur. Sunt autem tum hi omnes, tum quos diximus ab his diuersi inuisibiles, nec prorsus humanis sensibus manifesti, non enim solido corpore vestiuntur. Preterea nec vnam omnes formam habent, sed figuris plurimis insignitas. Et formę, quæ illorum spiritum obsignant, alias quidem apparent, alias verò nequaquam, aliquando verò & formas mutant illi scilicet, qui deteriores sunt. Spiritus autem eorum, qua quidem ratione corporeum quiddam est, passioni obnoxium est, atque dissolubile: sed qua ab animis, ita deuinctum species eius diu perseuerare potest, neque tamen est æternum. Consentaneum est aliquid ab eo semper effluere, atque nutriri. In commensuratione quidem corpus bonorum consistit, quemadmodum & corpora nobis manifestorum, sed maleficorum dęmonum inconcinna sunt, ac affectione passiua locum incolunt terræ vicinum. Nullum ergo malum est, quod non audeant perpetrare, habent enim omnino violentum, & malesanum morem, desertum videlicet custodia dæmonum meliorum, ideoque vehementes, repentinasque insidias plurimum machinantur, & prorunt, ac dum agunt incursiones, partim latere conantur, partim inferunt violentiam, quamobrem acutæ, velocesque sunt passiones ab eis illatæ: curationes autem, emendationesque à dæmonibus melioribus tardiores esse videntur. Omne enim bonum gubernatione facile: æqualeque est, & progreditur ordine, neque quod opportunum est, transgreditur. Si ergo sic de dæmonibus senseris, nunquam in opinionem de illis incides absurdissimam, per quam opineris, vel à bonis mala, vel à malis contingere bona, neque sic tantum absurdus est sermo, sed etiam multi concipientes inde pessima diis opiniones in multos homines diuulgarunt. Vnum enim hoc est inter maxima damna, quæ à maleficis dæmonibus inferuntur, quod videlicet, cum ipsi infelicium passionum terrenis incidentium autores sint, sicut pestis, penuriæ, terræ motus, æstus, incendij, atque similium nobis interea persuadent illos horum effectores esse, qui contrariorum potius, id est fertilitatis, prosperitatisque eiusmodi sunt autores: sic itaque seipsos ex ipsa calamitatum causa conantur absoluere, atque hoc ipsum machinantes. Primum quidem iniustitiam suam latere nos moliuntur, subinde verò nos flectunt ad supplicationes, & sacra beneficis conuenientia diis quasi illi nobis irati sint: hæc autem, similiaque faciunt studentes à recta deorum sententia nos abducere, atque ad seipsos adducere, omnibus enim rebus sic iniqne, discorditerque factis admodum delectantur & tanquā aliorum deorū facies subeuntes: sicque imprudentia nostra confici sibi turbas in societatem adsumunt, & propter eiusmodi concupiscentias hominum incendunt animos à moribus cupiditatibusque diuitiarum, & dominationum, atque voluptatum, rursus nouis, extraneisque opinionibus nos inuoluunt, ex quibus seditiones, bellaque nascuntur, & cætera generis eiusdem. Quod autem omnium grauissimum est persuadent similia à superis effici à Deo, vt etiam Deum maximum criminationibus eiusmodi subigant, quem tradunt omnia sursum, deorsumque turbare. Accidit autem hoc non rudibus tantum hominibus, sed multis philosophiæ etiam studiosis. Causa verò erroris mutuo procedit, atque confirmatur. Etenim philosophantes, qui à communi colluuione nunquam secesserunt, in eosdem cum plebe errores inciderunt, rursusque turbæ opinionibus suis similes à laudatis scriptoribus audientes in hac de diis sententia sunt magis etiam confirmatæ. Poëticum namque artificium, suspiciones insuper eiusmodi hominum acrius excitauit, propterea quod elocutione vtitur ad stupotem, & attractum quasi magicum vehementer accōmodata, facileque potenti mulcere animos, & allicere, ideoqne fidem de rebus prorsus impossibilibus nobis afferre: sed profectò firmiter credendum est, neque bonum vnquam lædere, neque prodesse malum. Non enim caloris est (vt inquit Plato) frigefacere, sed oppositi, ita neque iusti nocere. Iustissimum autem omnium naturaliter est ipsa diuinitas, alioquin nihil diuinum foret. Nonnè igitur secernenda est hæc potentia, sotsque beneficorum dæmonum? quæ enim prompta est, naturaliter admodum contraria est beneficæ, contraria verò circa idem nunquam naturaliter accidunt. Cum igitur eiusmodi dæmones in multis mortalem lædant naturam, & quandoque in magnis, certè boni dæmones interim officia sua nunquam deserunt, sed imminentia passim à malis pericula pro facultate significant, tum in somniis ostendentes, tum per animos diuinitus inspiratos, perque alia multa. Ac si quis posset significata discernere, omnes improborum machinas deprehenderet, atque deuitaret, hi namque significant omnibus, sed non quiuis significata cognoscit: neque quilibet scripta legere valet, sed qui literas ante didicerit. Per contrarios verò dæmones vniuersum efficitur veneficium, hos namque maxime, horumque ducem honorare solent, qui mala veneficiis inferunt hi sanè dæmones omniformibus figuris imaginibusque abundant, prodigiorumque machina strenue fallunt, horum opera infelices φίλτρα, amatoriaque maleficia machinantur, omnis enim intemperantia, spesque diuitiarum, at-

atque gloriæ per hos inualescit, præcipuè verò deceptio: mendacium enim, proprium est eiusmodi dæmonum. Dii enim videri volunt, ac potestas ipsa eis præsidens, Deus maximus vult haberi. Hi sane sunt duntaxat, qui libamine, nidoreque carnium oblectantur, his enim spirituale corpus eorum pinguescere solet, viuit namque hoc vaporibus fumigationibusque, atque variè admodum (vt par est) per varia, nidoreque sanguinis, & carnium vires assumit. Vir igitur prudens, atque temperatus cauebit eiusmodi Sacrificiis vti, quibus eiusmodi dæmones attrahat ad seipsum. Studebit autem animum perfectè purgare: animum namque purum ob ipsam dissimilitudinem nũquam aggrediuntur. Proinde si ciuitatibus forte necessarium sit, hos etiam dæmones sibi conciliare, nihil ad nos vsus eiusmodi pertinet. Nam in ciuitate diuitiæ, externaque, & corporea commoda tanquam bona inter ciues habentur, atque horum contraria mala: neque fermè quicquam pensi habent de animi perfectione, atque puritate. Nos autem commodis, quæ dæmones afferant, qua tum fieri poterit, non egebimus, sed tum ex animo, tum ex externis omni studio contendemus, Deo quidem ipsi, sibique propinquis similes effici quod sane tranquillitate animi, veritatisque rerum comprehensione distincta, ac vita ad hæc prorsus intenta completur: improbis autem hominibus, atque dæmonibus omnique prorsus, & quod mortali, materialique gaudeat, dissimiles effici. Quamobrem secundum ea quæ tradidit Theophrastus, ipsi quoque sacrificabimus, quibus & Theologi consenserunt, cognoscentes videlicet quatenus anima à perturbationibus purgare negligimus, catenus potestati improbæ copulari, vnde meritò compellemur hanc insuper demulcere, vt enim Theologi tradunt, qui à rebus pendent externis, neque dum perturbationibus dominantur, hac ipsa conditione coguntur potestatis eiusmodi impetum à se propellere, alioqui cessare nunquam à laboribus potuerunt.

De sacrificiis ad dæmones malos & de abstinentia, & cautione à malis dæmonibus.

QVapropter Theologi, si quando permittunt dæmonibus improbis vitandorum gratia malorum, quæ illaturi sint, animalia mactare, vetant simul talia sacrificia degustare, interea iubent antequam ita sacrifices purgare animum ieiunio, ac præcipue animalium abstinentia. Existimant enim sanctam animi puritatem esse quasi symbolum, characteremque diuinum, quo custodiaris adeò vt nihil patiaris ab illis, quibus ipse propinquas, dum eos sacrificando concilias: quando enim contra sis affectus, atque illi, quibus sacrificia operaris, sisque purior, ideoque diuinior te, & corpore & animo indemnem perseuerare, pura scilicet sanctimonia velut arce munitum. Quamobrem fascinatoribus etiam, veneficisque necessaria visa est eiusmodi cautio, per quam sint à discrimine tutiores: neque tamen penitus tuti esse possunt: lasciuiæ namque genera consueuerunt dæmones improbos compellare, quapropter non veneficorum, incantatorumque propria est puritas, atque simonia, sed diuinorum certè virorum, contemplantiumque diuina. Iam verò castitas, abstinentiaque suos passim obseruatores contra malos dæmones diuina familiaritate tuetur. itaque si fascinatores hac vti prorsus constituissent, certe fascinare nunquam prorsus auderent, vtpote, qui per hanc reuocati essent ab eorum concupiscentia, quorum gratia in pietate se polluunt. Itaque perturbationum pleni, atque vix vel paululum cibis abstinentes impuris, ideoque ipsi prorsus impuri supplicia luunt transgressionis contra vniuersum iniquè: partim quidem sub dæmonibus, quos ipsi prouocant, partim etiam sub diuino iudicio cuncta mortalium opera, consilraque prorsus inspiciente.

De vero cultu, & sacrificio, & cautione à malis dæmonibus.

DIuinus autem vir animum, tum sapientia diuina, tum abstinentia ciborum perturbationes hominibus incitantium, tum ipsa ad Deum similitudine muniet, & quasi Dei templum incontaminatum animum esse purabit, in hoc videlicet vniuerso Dei patris templo. Proinde cum omne sensibile corpus defluxus quosdam materialium dæmonum nobis afferat, certè vnà cum impuritate nutrimenti ex carnibus, & sanguinibus hausti adest nobis potestas dæmonica huic amica, facileque pellecta propter similitudinem, proprietatemque valde familiarem. Quamobrem rectè Theologi omnes in primis abstinentiæ studuerunt, atque Aegyptius nobis hæc aperuit causam afferens maximè naturalem, quam experientia comprobauerat. Quoniam videlicet praua, irrationalisque anima, quæ corpus violentia suum reliquit, expoliata ad hoc ipsum deinde se admouet, vbique moras protrahit, vnde hominum quoque animæ violentia mortuorum immorantur, & circa corpus, idque ipsum nos admonet ne vi à corpore animum excludamus, cùm igitur violentiæ viuentium cædes compellant animas corpora relicta diligere, nihil autem obstet, quo minus anima ibi sit quocunque cognatum aliquid allicit eam, vnde animæ passim multę visæ sunt lamentari, hominumque animæ carentium sepultura circa corpora immorantur, quibus sanè malefici sępius abutuntur ad ministerium suum efficiendum, compellentes animas appositione corporis, vel partis cuiusdam assumptione: cùm hæc inquam illis historia comperta sit, compertamque habuerit improbę naturam animæ, & cognationem eius ad corpus, voluptatemque, qua afficitur erga corpus, ex quo euulsa est, iure nutrimentum ex animalibus fugerunt, atque damnauerunt, ne extraneas animas aulsas violenter, atque impuras, quæ ad cognatum sibi trahuntur, ad se sic accersirent: neue prohiberentur, quominus soli, purique deo appropinquarent, si quando videlicet præsentia turbantium dæmonũ propellerentur à deo. Quòd natura cognati corporis incitamentum quoddam sit ad animam trahendam, experientia in pluribus Theologos docuit. Qui enim vaticinantium animalia insinuare sibi animas optabant, præcipua illorum membra deglutientes, velut corda coruorum, vel talparum, vel asturum accipiebant, subinde præsentem animam Dei ritu vaticinantem, quæ sanè vnà cum sui corporis intus assumptione in corpus humanum se penitus ingerebat. Iure igitur philosophus, Deique sacerdos omnibus dominaris, animalibus omnibus abstinet, solus videlicet soli Deo per seipsum studens appropinquare, dum videlicet nulla comitantium inde turba diuertat,

quo quidem commercio ipse, deinde & naturas rerum intelligit, & diuinat, deumque habet in semetipso, vnde æternæ vitæ fiduciam pignusque possidet, totus translatus ad Deum, atque varis loco iam Iouis familiaris euadit. Proinde siqua necessitas instat, non desunt huic diuinitatis familiari passim boni dæmones occurrentes ei, & per somnia, signa, voces, futura prænuntiantes, vnde discatur, quid sit necessarium deuitare. Solum namque discendum est à malo, cognoscendumque, quod in vniuerso sit optimum ac maximè venerandum, & vniuersum, quod est in toto bonum amicum, atque affabile. Improbitas autem, & inscitia diuinorum compellit hominem despicere, quæ non nouit, eaque damnare, verùm apud eos, qui audire possunt, ipsa natura clamat, quæ, cùm intellectualis sit, per intellectum cultores suos in sacra penitus intr oducit. Nouit profectò vir sapiens, dæmones quidem malos animalium victimis delectari, & in eis futura portendere. Deos autem huiusmodi victimis non egere, qui sanè adorantium mores inspiciunt, maximum sacrificium existimantes rectum de ipsis, atque de rebus iudicium, nam apud deos optima est oblatio, pura mens, & perturbationum vacuus animus, hinc Plato bono quidem viro conuenire ait sacrificia operari, diuinisque interesse: malum verò frustra in sacrificiis laborare.

EX LIBRO TERTIO QVOD ANIMAE sensuales sint, & rationales, atque immortales.



IN libro tertio dicit se afferre opinionem veram, & Pythagoricam: omnem scilicet animam sensibus, & memoria præditam, esse rationalem, habereque rationem, orationemque, tum interiorem, tum exteriorem, qua inter se loquantur animalia, quorum verba non discerni à nobis, nihil mirum sit, cùm barbarorum etiam multorum sermonem minimè discernamus, neque tàm loqui quam indistinctè vociferari putemus. Addit, si credendum sit antiquis, atque illis, qui patrum nostrorum, & nostro tempore extiterunt. Sunt qui dicant se audire sermonem animalium, atque intelligere, sicut apud antiquos Melapus, & Tiresias, atque tales, nuper verò Apollonius Thianeus, quem dicunt in amicorum cœtu, cùm audiret hirundinem aliis nuntiare, asinum prope vrbem onustum tritico cecidisse, triticumque humi diffusum: contendit deinde animalia rationem habere, tum quia inter se sua significent, tum quia diligenti sibi solertia consulant, vsuique futuro prouideant, tum quia discant, & ad se inuicem, & ab hominibus multa, seipsaque inuicem doceant. Subiungit Aristotelem, Platonem, Empedoclem, Democritum, aliosque quicunque veritatem de animalibus perscrutati sunt, participationem rationis, orationisque in animalibus comperisse. Apparere autem in hac diuersitatem, vt Aristoteles quoque dixerit, in essentia minimè differentem: sed per magis, minusue diuersitatem, quemadmodum plerique putent differentiam Deorum in hac ad homines esse, non quidem secundum essentiam, immo secundum perfectum, & imperfectum habitum rationis, sic & rationis naturam nobiscum anima'ibus, sed per magis & minus existimamus esse communem. Animalia illa Aristoteles ait esse prudentiora, id est astutiora, quæ sensuum acumine pollent. Differentiæ verò corporum facilè quidem, vel difficilè passiuam reddunt animam, atque magis, minusue promptam habere rationem præstant, verùm secundum essentiam, variare animam nequeunt, quando neque sensus, neque passiones reddunt inter se differentes, neque faciunt, vt perfectum transgrediantur. Concedatur itaque secundum magis, & minus esse in his differentiam rationis, neque tamen ratione animalia reliqua omnino priuentur, neque ex eo, quod nos magis, quam animalia intelligamus, propterea illa intellectione omnino priuemur, sicut neque volare perdices negamus, quoniam astures velocius volent. Concedere quidem poterit aliquis animam cum corpore compati, patique aliquid eo vel bene, vel malè affecto: permutari verò ipsam animæ naturam ex hoc, nequaquam. Si autem compatitur tantùm, vtiturque eo, vt instrumento, faciet quidem per ipsum multa aliter instrumentis dispositum, quam nos simus, quæ quidem nos facere non valemus. Atque con patietur per ipsum certo modo dispositum, non tamen naturam propriam commutabit. Qui autem bruta dicit, quæ rationaliter agunt, natura facere, non animaduertit se dicere hæc rationalia esse natura, quasi verò ratio nobis natura non insit.

Ipsaque perfectio non sicut natura instituti sumus suscipiat incrementum, verumtamen quod diuinum est, non fit disciplina rationale, non enim erat quando rationale non esset, sed simul & fuit, & rationale fuit, neque prohibetur esse rationale, quoniam rationem non acceperit per disciplinam, quamuis & in cæteris animalibus, sicut & in hominibus, multa quidem ipsa natura docuerit, alia verò disciplina præbuerat. Non absurdè quidam conati sunt ostendere multa etiam ex locis, quæ sortita sunt, prudentiora esse quænos, vt enim habitantia ætherem rationalia sunt, sic aiunt, quæ illis proximè habitant, id est in aëre. Deinde quæ in aqua, deinde quæ in terra inter se rationis gradu differre, si enim deorum dignitatem quodammodo metimur etiam ex locis, sic & animalium perpendimus dignitatem. Socrates, & ante illum Rhadamanthus per animalia iurabant. Aegyptij verò animalia quædam deos existimabant, siue reuera deos arbitrarentur, siue consultò deorum formas vultu bouino, & auium facile, aliorumque pingerent, vt non aliter animalibus quam hominibus abstinerent, siue alia secretiori de causa: sic & Græci statuæ Iouis cornua arieti imposuerunt: tauri verò cornua statuæ Dionysij, at Pana ex homine, & capra composuerunt. Musas autem & Sirenas alauerunt, & Amorem, atque Mercurium, & Iouem tauri for-

mam induisse ferunt, & aquilæ, atque cygni. Per hæc antiqui honoranda esse animalia testabantur, & Socrates, vbi ait Cygnos suos esse conseruos, non est iocatus. Tabula verò indicat contenire animalia nobiscum in anima, dicens indignatione deorum, ex hominibus animas in animalia pertransire, cùm verò pertransiuerint, deos denique misereri, per hæc, & similia significatur animalia esse rationalia, ratione quidem in plurimis imperfecta, non tamen prorsus ab ente.

Nefas est animalia cædere.

INiustum est animalia cædere, quandoquidem non omnino à nobis sunt aliena. Nos autem tanquam lasciui, & insolentes ludo frequenter in Theatris, venationibusque animalia passim interficimus, quo factum est, vt vis ipsa in nobis ferina, & immitis vehementius inualuerit, humanitas autem, & mansuetudo cessauerit. Pythagorici verò mansuetudinem, & clementiam erga feras meditati sunt, tanquam humanitatis, & misericordię specimen. Omne, quod est inanimatum, cùm ratione, menteque careat, opponitur ei, quod vnà cum anima rationem, & intelligentiam quandam habet. Omne namque animatum sensuale habet etiam phantasiam, velut rationem quandam, natura enim, quæ alicuius gratia, & ad aliquid omnia facit, & fecit animal sensuale, non quidam vt simpliciter sentiret, atque pateretur, sed vt perciperet quæ sibi commoda forent, quæue incommoda, & illa quidem sequeretur, hæc fugeret, sensus igitur vtrorumque cognitionem singulis animalibus affert. quæ verò sensum sequuntur, scilicet vtilium prosecutiones, apprehensionesque, noxiorum verò deuitationes, putandum est non adesse nisi habêtibus ratiocinationem quandam, & iudicium, atque memoriam. Etsi Strato physicus sensum dicit non absque intelligentia quicquam agere, siquidem præsentia sensibus non percipimus, dum attentius aliud intelligimus, tamen esto quidem sensum non egere mente ad eius actionem: at quando ad proprium, & alienum sensus agendo se confert, & inter hæc duo differentiam ponit, & illud fugit, hoc sequitur, mediumque sequendi, effugiendique sagaciter inuenit inesse rationem: conijcere possumus, & hæc quidem rationis propria sunt, omniaque omnibus animalibus adsunt scilicet progressiuis.

Qui paucis contentus viuit, & innocens, est quasi deus.

CVm animi finis sit Deo fieri similem, Deus autem nullius indigus sit, noceatue nulli, ille certè felicissimus est, Deoque simillimus, qui ita seipsum comparat, vt quamminimè egeat alienis, quamminimè noceat. Hic ergo solis vescetur terræ fructibus, ne noceat hominibus, ne noceat animalibus, & quantum fieri poterit, parcet etiam plantis & herbis: nam & hoc ipsum antiqui lamentabantur, quod velarborum fructibus egeamus, huius autem egestatis causa generatio est, quodue in ipsa inopia per generationem constituti sumus iam remotiores à copia, inopia verò salutem queritat ab externis. Qui igitur pluribus eget externis, magis cum inopia copulatur, longiusque à Deo disiungitur, qui enim Deo similis est, hac ipsa similitudine verám possidet copiam. Diues autem, diuitiisque fruens, nullis infert iniuriam, nempe quandiu iniuriam infert, quamuis pecunias omnes habeat, totamque occuparet terram, pauper est habendus, quippe cùm sit familiaris inopię. Quamobrem vir iniustus, profanus est, & omni prauitate pollutus, quod quidem vitium nobis intulit ruina quædam animæ in materiam descendentis à bono, omnia igitur nugæ sunt, quatenus aliquis à principio deficit, omnium egenus est animus, quandiu ad ipsam plenitudinem minimè suspicit. Cedit autem ei, quod est naturæ suæ mortale, quatenus ipse nonnouit reuera seipsum. Qui autem tanquam Deo similis iam effectus, quàm minimis ad victum est contentus, hic illa sæculi aurei prosperitate potitur.

Ratio quædam inest etiam animalibus.

RAtio quidem naturaliter inest, ratio verò recta, perfectaque ex meditatione fit, atque doctrina. Quapropter rationalis quidem facultatis participatio quædam omnibus competit animalibus. Rectitudinem verò, sapientiamque neque hominem quidem adeptum reperire licet, & quemadmodum d'fferentia visus ipsius est ad visum, volatusque ad volatum, non enim similiter cernunt astures, atque cicadæ, neque aquilæ similiter volant, atque perdices, sic neque rationale quodlibet æque particeps est acuminis, & astutiæ.

EX QVARTO LIBRO.

ANTIQVI ANIMALIBVS ABSTINEBANT.



DIcæarchus peripateticus antiquos inquit Græcos tanquam proximè Deo genitos, optimos fuisse natura, ac vitam optimam peregisse, adeò vt genus eorum aureum sit iudicatum, subdit eos nullum animal occidisse. Illi sanè nihil ad sanitatem melius probauerunt, quã superflua minimè congregare. Itaque nutrimentum natura valentius adsumere noluerunt, sed quo potius esset natura valêtior. Antiqui quoque sacerdotes Ægyptiorum sapientiæ studio dediti, de quibus Cheremon Stoicus diligentissimè tractat, animalibus plurimum abstinebant. Quinetiam multa, velut diuina, venerabantur, quorum alia diis aliis accommodata dicebant, sicut Soli asturem, atque cantharum, & arietem, atque crocodilum. Comprehenderunt enim omnis animalis animam esse rationalem, quando à corpore fuerit separata, præsagamque futuri, nobisque diuinantem, omniumque effectricem, quorum & homo solutus à corpore, non ergo temere animalia honorabant & ab eis se, quantum fieri poterat, continebant.

Sobria vita Essæorum.

Narrat subinde ex Historia Iosephi Essæorum vitam religiosorum apud Iudæos, atque philosophorum omnia eos habuisse communia, charitatem mutuam, & abstinentiam, & patientiam ante omnia coluisse, diuino cultui semper intentos, adeoque fortes animo, vt necari quā deum negare maluerint. Atque in ipsis cruciatibus ridere palam consueuerint, qui ob eam causam cruciati alacres animas emittebant, tanquam iterum recepturi, hæc enim sententia rata est inquit, apud illos, animas immortales existere, atque ab æthere tenuissimo descendentes corporibus applicari, ἴυγμι, id est, impetu, & instinctu naturali tractas ad corpora: postquam verò è carcere corporis emigrauerint, tanquam à longa seruitute iam liberas exultare, perque sublimia se attollere. Abstinebant tum animalibus multis, tum omni prorsus incontinentia. Denique ex ipsa vita & temperatissima, & veritatis studiosissima, & deuotissima deo inter eos multi futura præsagiebant, ideoque Prophetæ nominabantur.

Sapientes antiqui præsentem vitam contemnebant spe futuræ.

Sapientes Indorum nominati sunt Gymnosophistæ inter eos, qui quadam generis successione in studio religionis, & sapientiæ procedebant, Brachmanes nominati sunt: qui verò idem electione tantum profitebantur, Samanei, quorum vitam Bardesanes Babylonius latè describit. Samanei huius vite tempus tanquam necessariam quandam seruitutem naturæ ministrantem inuiti ferebant, studebantque animas è corpore soluere, & cùm prosperè corpus se habere sentirent, sæpe, nihilo ad hoc vrgente, egrediebantur è vita, hos ergo domestici obitu beatos existimabant, atque eos, qui illis superessent deflebant, vt infelices.

Sobrietas, & contemplatio mentem deo coniungit.

Gymnosophistæ, præter reliquam temperantiam animalibus abstinebant. Sanctimonia quidem mortalibus abstinens æternam continet vitam. Corpus autem pinguefactum animam cogit esurire à felici vita cadentem, augetque mortale, expellens, impediensque vitam nobis æternam, contaminat & animam, videlicet corpoream eam reddens, & ad id, quod diuersum est, deflectens. Magnes verò lapis quasi quandam animam trahit ferro sibi aliquando propinquanti, vnde ferrum natura grauissimum euadit leue, eleuaturque spiritu magnetis se conferens ad magnetem. Si quis ergo ad deum suspensus euaserit, incorporeum intellectualemque merito non debet nutrimentum quærere, quo pinguefiat corpus, quod iter ad mentem impedit, sed ad minimum, ac penitus necessarium alimentum rediget corpus: ipseque nutrietur diuinitate naturalis Deo coniunctus, quā magneti ferrum. Item verò si neque minimis quidem alimentis indigeremus, tantò feliciores essemus, quantò magis & immortales. Nunc verò in hoc mortali viuentes, adhuc etiam nos (vt ita dicam) mortaliores latenter efficimus, dum corpus adaugemus, atque (vt Theophrastus inquit) dum οἰκεῖον, id est plurimum necessitudinis animus familiarius habitando cum corpore contrahit, atque insuper seipsum adhibet totum. Sed vtinam absque cibo penitus, atque potu agere vitam potuissemus, vt corporis cohibentes effluxum optimis statim rebus coniungeremur, in quibus & Deus existens ita Deus existit. Verum quidnam frustra ad homines hęc exclamamus, atque deflemus, sic excæcatos, vt malum quidem suum assiduè foueant, oderint verò seipsos primo, veremque genitorem? Deinde eos etiam, qui vt quandoque ab ebrietate expergiscantur, admonent, & hortantur. Democrates ait, viuere imprudenter, intemperanter, impiè, non tàm malè viuere est, quàm diu mori.

EX MICHAELE PSELLO DE DÆMONIBVS.

Interpres Marsilius Ficinus.



Natura dæmonum non est absque corpore, sed habet corpus & versatur circa corpora, quod & venerandi patres nostri iudicauerunt, sunt & qui asserant dæmones propria cum corporibus præsentia sibi apparuisse. Atque & Basilius diuinus mysteriorum nobis occultorum inspector, non solum dæmonibus, sed puris etiam Angelis corpora tribuit, velut spiritus quosdam tenues, & aereos, atque puros, & testem affert Dauidem dicentem: Qui facit Angelos eius spiritus, ac ministros eius flammeos: atque id quidem necessarium est, oportet enim, vt diuinus asserit Paulus, spiritus ministros qui mittuntur, corpus habere, quo moueantur, gradumque sistant, palamque appareant, nouerunt enim hæc ministeria non aliter, quàm corpus aliud perfici posse, quod sicubi legas in scriptura eos incorporeos appellari, respondeo & nostros, & alios solere corpora cuidem crassiora corpora nominare. Corpora verò tenuia, & quæ aspectum, tactumque effugiunt, incorporea frequenter cognominare. Non est autem corpus idem cognatum Angelis, atque dæmonibus. Angelicum enim corpus radios quosdam effundens alterius

oculis sustineri non potest, eis penitus euanescens: dæmonicum verò si vnquam tale fuerit, eloqui nescio, videtur autem tale aliquando extitisse, cum Isaias nominet Angelum, qui cecidit, luciferum, nunc verò alioquin obscurum, tenebrosumque existit, ac si coniugato lumine nudatum oculis offeratur, molestum nobis occurrit, & Angelicum quidem materiæ penitus expers, quapropter & per vniuersum solidum penetrat, atque pertransit, minusque etiam quam solis radius passionibus est obnoxium. Solis namque radium per corpora diaphana, atque translucida procedentem, siue ingredientem obstacula terrena, & opaca obstantia detinent adeò, vt sustineat fractionem, vtpote qui ad malum cognationem habeat. Corpori verò Angelico nihil horum obstat, vtpote quod nullam à quoquam oppositionem patitur: quippe cùm horum nullis in ordine congruat, vel natura, corpora verò dæmonica quamuis ob tenuitatem inusibilia sint, attamen materialia quodammodo sunt, passionique subiecta, præsertim quæcunque loca subterranea subire. Hæc enim adeo concreta sunt, vt tactui subiiciantur, pulsataque doleant, & igni propinquantia comburantur, adeo vt borum quædam cinerem quoque relinquant. Quod quidem apud Thuscos Italiæ populos accidisse, Historia traditur, neque ego hæc loquor quasi poëticam fabulam, monstraque in medium afferens Cretensium, Phœnicumque more, sed ex ipsis Saluatoris verbis persuasus hęc affirmo, quæ tradunt dæmones igne torqueri, vtpote qui, propterea quod corporei sunt, pati possint. Quo enim modo pati possent, si incorporei forent? quod enim incorporeum est, pati à corpore ne fingi quidem potest.

Sex dæmonum species, quomodo se transforment, se nobis insinuent, nos moueant.

ACcepi verò multa de bis ab eis, qui seipsos dediderunt studio eos in aspectum prouocandi, tametsi nil tale vnquam viderim, neque videre dæmones optem. Versatus verò sum cum aliquo, qui in Cherrboneso Græciæ contermina solitariam vitam egit, Marco nomine, hinc in Mesim fluuium genus suum referebat, ac siquis alius in dæmonum cultu profecerat, inspexeratque apparitiones dæmonum: hæc ergo antè tanquam vana, falsaque spernebat, atque detestabatur, deinde verò palinodiam cecinit, verisque dogmatibus, & nostris adhæsit, hic ergo multa, & mira quidem, & dæmonica nobis aperuit, atque mihi interdum interroganti, vtrum dæmones pati possent, & valde quidem, inquit, adeo vt nonnulli dæmonum semen iaciant, atque in pusilla quædam animalia oriantur. Tum ego, incredibile inquam dæmones excrementa habere, & membra genitalia. Habent quidem, inquit ille, membra, sed non talia, excrementum verò aliquod ex illis emanat. Tum verò subiunxit, mihi crede, sed ego inquam, graui in discrimine sunt, si nostro more nutriantur. Nutriuntur sanè, inquit Marcus, alij quidem inspiratione, veluti in arteriis, & neruis viget spiritus, alij verò humore, sed non ore, vt nos, immò verò sicut spongiæ, atque ostrea, exugentes quidem humorem extrinsecus adiacentem, rursus autem quod in humore concretius est secernentes, id verò non patiuntur omnes, sed solùm genera dæmonum materiæ proxima, genusque dæmonum, quod odit lucem, & aquatile, atque subterraneum. At hęc interrogaui, suntne ô Marce multa dęmonum genera? multa, inquit, atque diuersa, tum secundum formas, tum secundum corpora, adcò, vt & aer, qui supra nos est, & qui circa nos, sit plenus dæmonum, plena & terra, mareque & loca abdita, atque profunda. Nisi molestum est, inquam, enumera. Sex generaliter, inquit, sunt genera dæmonum, neque verò noui, vtrum locis diuidere oporteat dæmonas, in quibus versantur, an potius ex eo, quod vniuersum dæmonum genus amore afficiatur ad corpus. Esse verò noni senarium numerum corporeum, atque mundanum. In eo enim circumstantiæ corporeæ sunt, atque mundus per hunc compositus est, siue quia hic numerus primus est, qui componat triangulum scalenum. Esse verò proprium æquilateri diuinum, atque cœleste, vtpote quod sit sibi ipsi æquale, ac difficile moueatur ad malum, proprium verò æquicrurij genus humanum vti, quod vno quodam ab instituto aberret, ex pœnitentia verò fiat melius. Scaleni verò proprium dæmonicum tanquam inæquale, nec vllo modo propinquans bono. siue igitur hoc, siue alio modo res se habeat, sex omnino ille genera dæmonum enumerabat, & primum quidem prima lingua barbare nominabat leliureon, id est igneum, quod circa sublimiorem aërem peruagari dicebat, omne namque dæmonicum ex lunaribus regionibus, velut ex templo profanum aliquid exterminari. Secundum verò genus, quod in aere propinquo nobis oberrat, quod & à multis propriè, aereum nominatur. Tertium, terrenum, quod plurimum circa terram versatur, terrenisque aduersatur multis rationibus, atque machinis. Quartum, aquatile, & marinum, quod humoribus se immergit, ac libenter circa lacus, & fluuios habitat, multosque perdit . quis, & in mari fluctus excitat, ac tempestates, nauigiaque viris onusta funditus submergit, multosque obruit vndis. Quintum, subterraneum, quod habitat quidem sub terra, inuadit autem qui puteos effodiunt, & metalla, efficit hiatus terræ, & fundamenta concutit, flammiuomos ventos suscitat. Sextum & vltimum est lucifugum, imperscrutabile, ac penitus tenebrosum, passionibusque frigidis violenter res perdens. Esse verò dicebat hęc omnia dæmonum genera sic affecta, vt & deos oderint, & hominibus aduersentur, sed aliud alio peius. Aquatile enim, & subterraneum, ac etiam lucifugum summopere malefica, atque perniciosa: hæc enim non phantasiis excogitationibusque animas deprauare, atque lædere, sed oberrantia ferarum more syluestrium ad perniciem hominum festinare, sic aquatile quidem errantes in aquis suffocare, atque morbo comitiali, dementiaque vexare. Aereos autem, atque terrestres arte quadam, & excogitatione inuadere, sicque humanos animos fallere, & ad perturbationes turpissimas, & iniquas, perniciosasque flectere. Tú ergo quonam pacto, & quid agentes hæc peragunt? vtrum dominantes nobis, & quocunque placet velut mancipia circúferentes? Non dominantur ait, sed nobis clam commemorant, spiritui namque, qui nobis inest, phantastico propinquant, vtpote qui & ipsi spiritus sint, verba perturbationum, & voluptatum nobis insonant, non emittens quidem vocem pulsatione quadam, ac sonitu, sed sermones suos absque sonitu immittentes. Sed quonam pacto inquam sine voce sermones nobis ingerere possunt? Quid mirum, inquit, si modò illud

-animaduertas, quemadmodum videlicet qui loquitur, si procul loquatur, vehementiore clamore eget, factus verò propinquior inuadendis aurem susurrando subloquitur: qui si posset cum ipso animæ spiritu copulari, nullo sono prorsus egeret, sed sermo eius voluntate conceptus nullo penitus sono audienti illaberetur, quod quidem animabus etiam egressis corpore contingere tradunt. Has enim sine strepitu inter se versari, hoc vtique modo nobiscum dæmones conuersantur, clàm videlicet, alio, vt uec vnde quidem nobis infestatur bellum, liceat persentire. Neque de hoc dubitat quisquis, quod aëti contingit, considerauerit. Sicut enim aët præsente lumine colores, & formas accipiens traducit in illa, quæ naturalitet accipere possunt, sicut apparet in speculis, rebusque quasi specularibus: sic & dæmonica corpora suscipientia ab ea, quæ intus est, essentia phantasticą figuras, atque colores, & quascunque ipsi voluerunt formas in ipsum animalem, nostrumque spiritum transmittunt, multa nobis negotia præbent, voluntates, & consilia suggerentes, formas subindicantes, suscitantes memorias voluptatum, simulacra passionum frequenter concitantes vigilantibus, atque dormientibus, nonnunquam verò femota nobis, ac inguina titillantibus, incitantes insanos, & iniquos amores sub iciunt, & subacuunt, precipuè verò si humores calidos humidosque ad id conducentes nacti fuerint. Sed hi Plutonis galeam subinducentes perturbant animas arte quadam, & sophistica fraude. Reliqua verò dæmonum genera nihil excogitant sapienter, nec quicquid facile astu petagunt, nisi quod molesta tamen, atque valde turpia sunt, & charonei spiritus more lædunt. Sicut enim ferunt spiritum hunc corrumpere quicquid propinquauetit siue quadrupes, siue homo, siue sit auis: sic dæmones occursu diri quicquid occurrerit, subitò perdunt agitantes corpora, animosque, naturalesque habitus peruertentes, sæpe etiam igne, aqua, precipitio perdunt non solum homines, vetumetiam bruta nonnulla. Ad hæc ergo, curnam hi dæmones bruta rursus inuadunt? iam verò circa Gergesam tale aliquid accidisse porcis sacra testantur eloquia. Ad hæc ille, cum dæmones hominum hostes sint, nihil mirum videri, eos lædere, insultant quinetiam aduersus bruta nonnulla, non tàm voluntate nocendi, quam viuifici calotis auditate. Cum enim in locis habitent profundissimis, ad summum quidem frigidis, sed humore carentibus, frigiditatem plurimam contrahunt humoris expertem, qua quidem obstrusi in angustumque coacti calorem humidum appetunt, & viralem, vtque hunc assequantur in animalia irruunt, & ratione carentia, & ad balnea, foueasque aduolant, Nam calorem ignis, Solisque velut comburentem, & exiccantem fugiunt: calorem verò animalium quasi moderatum, suauique humore permixtum diligunt, præsertim humanum quia sit temperatior, quamobrem hominibus se insinuantes, non mediocriter eos perturbant oppletis videlicet meatibus, & impletis, in quibus spiritus insiderat animalis, ipsoque spiritu dæmonicorum corpore crassitudine coacto, intusque concusso, ex quo accidit, vt vibrentur, concutianturque corpora, viresque principales malè in actionibus se habeat, ac motiones stupidæ erraticæque proueniant. Atque si dæmon, qui irruit, subterraneus sit, concutit, ac destruit occupatum, clamatque per ipsum vtens patientis spiritu velut proprio instrumento. Sin autem lucifugarum aliquis homini se clam ingesserit, segnitiem adducit, cohibetque vocem, hominemque obsessum, quasi mortuum reddit, hoc enim genus tanquam interdæmones vltimum terrestrius, est, summopereque frigidum, atque atidum, & cuicunque latenter irrepserit, vim omnem animalem obtundit, & hebetat, obfuscat, & delet. Cum verò ratione captum sit omnino, omnique intellectuali speculatione prorsus orbatum, & ductum irrationali quadam phantasiæ more brutorum præ ceteris indocilium, nu lis rationibus auscultat, nec redargutiones metuit, quocirca rectè apud multos vnum, surdumque vocatur, neque discedit ab occupatis, nisi diuina potestate propulsum oratione videlicet, ieiunioque accedentis. Sed ego ô Marce inquam, retentiora quædam sapere nos medicorum sectatores adducunt, asserentes passiones eiusmodi non esse effectus dæmonum, sed humorum, vaporumque & venti malè sese habentium, itaque pharmacis, & diæta non carminibus incantantium, ex piationibusque curare hæc ægredi solent. Tum ille, nihil mirum est hæc medicos dicere, qui nihil nouerint præter sensum, sed corporibus tantum incubuerint cognoscēdis. Illa fortasse decebat malorum humorum putare incommoda, capitis somniferam grauitatem, atræ bilis angustias, phrenesis deliramenta, quæ lauacris, potionibusque nec euacuationibus, vel emplastris sedare consueuerunt. Inspirationes autem, occupationesque, quibus qui obsessus est, agere nihil potest, non intellectu non ratione, non phantasia, non sensu. Aliud verò est, quod mouet, atque ducit, ducitque insuper, quæ non nouerit occupatus, & futura nonnunquam prædicit, quo inquam pacto dicemus, hæc esse erraticas materiæ motiones?

Quomodo dæmones occupent hominem, loquantur, moueant, se transforment.

EGo igitur Marco fidem adhibeo, præsertim cum memoria teneam, quæ de dæmonibus diuina nobis Euangelia tradunt, quodue viro Corinthio contigit iubente Paulo, & denique quocunque patrum nostrorum scriptis leguntur de dæmonibus multa, penitusque miranda Reliquum verò est, ea referre, quorum ego inspector, & quibus velut autor interfui. Profectus sum in Elasoniam, vbi vir quidam actus dæmone multa multis oracula fudit. Quem ergo conueniens interrogaui, vnde nam sibi facultas vaticinandi contigerit, cum verò ille aperire nollet, arcanum tandem Laconicam passus necessitatem, tandem confessus est verum. Retulit ergo se initiatum fuisse in operibus dęmonum à quodam Aleto Libio, qui eum nocte adduxisset in montem, iussisset que herbam quandam assumere, deinde in os expuisset, & quibusdam vnguentis oculos illinisset, vnde sibi dæmonum turbas videre contigerit, ex quibus senserit, quasi eorum quendam inuolantem, osque suum ingredientem ex eo tempore, atq; hactenus sibi vaticinium adesse de quibuscunque, & quandocunque hoc ipsū vult, quod eum mouet, in diebus enim crucifixionis, & in die venerandæ apud nos resurrectionis mihi, ait, nihil etiam si studiosè contenderim, insonat. Hęc ille nuntiauit. Cum verò quidam meorum comitum irrideret eum, percuteretque cetuleem, ait. Tu quidem paulò post pro vna plaga multas

multas vtique reportabis, & aliis multa prædixit, quæ prouenerunt. Quidam ergo eum fatidicum conspicatus tanquam Musicum instrumentum insonantibus dæmonibus euasisse, sic obiecit, omnes insaniæ species passiones sunt deprauatæ materiæ, potius quàm tragicæ dæmonum passiones. Ad hunc ille, nihil mirum videri debet, inquit, si ita medicorum sectatores iudicant, qui nihil vnquam eiusmodi viderint. Nam & ego ita putabam, quousque contigit prodigiosum aliquid prouidere, quod non importunum erit in præsentia recensere, & profectò nihil mentior. * Senex quidam, qui hoc idem pallium induebatur. Frater meus natu maior habet vxorem alioquin modestam, morbisque vexatam frequentibus, hæc aliquando puerpera vehementer iam laborabat, vestemque confringens barbarè loquebatur, sermone præsentibus incognito, itaque ambigebant omnes quid in re ardua faciendum foret: fœminæ vero quædam adducunt peregrinum quendam nomine Anapbalangiam valde semen rugosumque, & exustum, atque nigrum, qui nudato ense, prope lectum adstans, ira quadam apprehendit ægrotam, linguaque sibi patria, id est Armenica, acriter conuiciatus est, illa huic vicissim respondit Armenicè, ac primo quidem audax è lecto prorupit cum eo protinus certatura. At barbarus ille, tū maximè adiurationibus vtebatur, & quasi furens minabatur illam se percussurum. Tum fœmina se recepit, compressit, contremuitque, & humilius iam locuta, in somnū mox incidit. Nos autem obstupuimus ambigentes, quonam pacto illa locuta sit Armenicè fœmina quæ Armenios nec vidit quidem vnquam, neque domesticis laribus egressa est. Cum ergo resipuisset, interrogauimus eam, quid passa fuisset, & nunquid acta animaduertisset, vel mente teneret. Tum illa respondit, se vidisse dæmonum visum tenebrosum, & simile mulieri. passos habenti crines in se irruere, vnde antequam ipsa lectum ingrederetur, extimuisse: quod verò deinceps secutum est, minimè persensisse. quamobrem ego post hæc ita dubitare cœpi, quonam pacto dæmon mulierem perturbans mulier appareret, nec iniuria dubitabatur, vtrum dæmonum alii quidem mares, alii verò sint fœminæ more animalium caducorum: præterea quomodo dæmon lingua Armenica vteretur, nam valde dubitandum est, num dæmones alii Græcè, alii Chaldaicè, alii Persicè, alii Syriacè loquantur. Deinde quomodo ad magi illius minas seipsum dæmon compresserit, strictumque timuerit ensem, quid enim patiatur ab ense dæmon indiuiduus, atque immortalis? Tum Marcus dubitationem meam animaduertens, ait, nullus dæmon suapte natura mas est, vel fœmina. Compositorum enim sunt huiusmodi passiones: corpora verò dæmonum simplicia sunt ductu, flexuque facilia, ad omnemque figurationem naturaliter apta, sicut enim nubes suspicimus nunc hominum, nunc vrsorum, nunc draconum, aliorūuè præferre figuras, sic & corpora dæmonum: sed hoc interest, quod nubes externis agitatæ ventis figuras varias agunt, dæmones autem proprio consilio, prout ipsi volunt, corporum formas in se variant, & modò in breuiorem molem contrahuntur, modò rursus in longiorem se extendunt. Quemadmodum lumbricis videtur accidere ob substantiam meliorem, & ductuque facillimam: neque solum magnitudine in eis diuersitas accidit, verum etiam figuras, coloresque variant multiformes: corpus enim dæmonis ad vtrumque est natura paratum, qua enim ratione est natura facilè cedens, & sic in varias figurarū species transformatur, qua verò aëreum est, diuersos aëris instar colores subit. Sed aër quidem ab extrinseco coloratur, corpus verò dæmonis ab intima actione species colorum accipit, quemadmodum nobis expauescentibus genæ pallescunt, verecundia verò affectis rubescunt, anima verò prout sic, aut sic afficitur, passiones eiusmodi in corpus, similiter traducente eadem ratione de dæmonibus est putandum, nam & hi ab intrinseco in corpora sua colorum species transferunt, quapropter vnumquodque dæmonum corpus proprium in quam elegerit figuram transformans, speciemque coloris certam ad extremum vsque corporis educens, sic & tanquam vir apparet, & mox occurrit, vt fœmina, leonis more fremit, saltat vt pardalis, latrat vt canis, atque ad vtris, vasisque formam se aliquando transfert: ac dum omnes eiusmodi vicissim formas mutat, nullam earum stabilem retinet. Non enim solidum corpus dæmonum, quo possit acceptas retinere figuras. Sed sicut in aëre, & aqua contingere consueuit, videlicet siue colorem infundas, siue figuram imprimas, mox diffunditur atque dissoluitur: simile quiddam dæmonibus accidit, nam & in his figura, colorque, & species rerum quarumlibet citò dilabitur. Docuit itaque Marcus has maris, & fœminæ differentias non inesse dæmonibus, sed apparere, nullamque eiusmodi formam in eis stabilem permanere. Sin autem è multis audiueris dæmonem sub fœminæ specie omnibus puerperis apparere nullamque eiusmodi formam, scito, non omnes dæmones eandem vim, voluntatemque habere, sed in hoc etiam illos valde differre. Nempe in proportione quadam simili, qua etiam composita, caducaque animalia se habere, sicut enim inter hæc homo quidē intellectualis, prudētisque potentiæ particeps phantasticam insuper vim communiorem habet ad omnia sensibilia explicabilem, atque diffusam, tum ad cœlestia, tum ad alia, quæ circa terram sunt, atque in ipsa terra. Equus autem, atque bos, & reliqua ordinis eiusdem vim eam magis particularem, atque ad nonnulla imaginabilia cognomina operantem, quæ præsepe possessoresque suos cognoscit. Culices autem, & mures, atque similia angustiorem hanc habent, atque indistinctam, neque foramen cognoscunt, ex quo emerserunt, neque locum, quo processere, & quo quid est adducendum, sed vnicam tantum imaginationem habent, scilicet alimenti: sic & multa, diuersaque dæmonum genera inter se similiter differunt, nempe in his quoque ignei quidem, aëreique phātasiam habent variè admodum distinctam, atque discretam, quamcunque imaginabilem speciem elegerint, nam ad hanc ipsam seipsos formant, contra verò lucifugum dæmonum genus se habet, eius enim imaginatio valde angusta est: itaque formas varias non commutat, vtpote quòd plures imaginabilium rerum non habeat species, neque corpora possideat ad motum agilia, ad flexumque accommodata. Aquatiles verò, atque terrestres medium inter hos dæmones obtinentes, possunt quidem plures formas mutare, sed quibus maximè delectantur, in eis diutius immorantur. Quicunque enim in humidis viuunt, molliorem que vitæ ductum tenent, se auibus, mulieribusque similes reddunt.

Quaproptèr Naiadas, Nereidas, & Dryadas fœminino sexu hos cognominant, quicunque verò in locis habitant sicciotibus, corporaque habent subarida, quales ὀνοσκέλας esse ferunt, in viros se transformant. Nonnunquam etiam canibus, & leonibus, aliisque animalibus similes se ostendunt, in quibus videlicet mos inest masculinus. Nihil itaque mirum, si dæmonium inuadens puerperas fœmineam præfert formam: quippe quum sit adulterum, humiditatibusque se oblectetur impuris, formam enim subit vitæ sibi gratæ conuenientem.

Dæmones singulorum gentium, quibus loquuntur, linguam imitantur.

QVa verò ratione Armenicè loquerentur, Marcus quidem non explicauit, neque etiã à nobis est quæsitum. Arbitror autem hinc fore hoc manifestum, quoniam non possit lingua dæmonum propria inueniri, tametsi Hebraicam quis seruare linguam dixerit, siue Græcam, aut Syram, aliamue barbaram, quid enim opus est voce dæmonibus? qui inter se absque voce conuiuunt. Cum verò sicut Angeli posteriores posterioribus, alij aliis gentibus præsunt, sic dæmones alij aliis assistunt: sanè singuli singularum gentium linguas exercent: quamobrem dæmones, qui inter Græcos habitant, heroico stylo oracula ediderunt, apud Chaldæos verò Chaldaica vtebantur lingua, quemadmodum apud Ægyptios, Ægyptia voce colloquia faciebant, quinetiam dæmones incolentes Armeniam, si aliò forte se conferant, indigenarum voce vtuntur.

Cur dæmones timeant minas, atque patiantur.

SEd quæritur, cur dæmonia minas, ensesque timeant, profectò omnia dæmonum genera audacia, rursusque timiditate plena sunt, præsertim coniunctiora materiæ. Aërea enim circumspectæ cogitationis participia, si quis obiurgauit, discernere nouerunt obiurgantem, vel honotantem: neque aliter ab obsessis discedunt, nisi obtestato terga Deum sanctimonia polleat, nomenque Dei, sermonemque horribilem incanret potestare diuina, hæc profectò sunt dæmonia materiæ proxima, formidantia nec in loca profundiora, abyssumque demittantur. Item Angelos timent, qui illuc eos præcipitant quoties videlicet quispiam eis præcipitium minitatur, adducitque inuocationes Angelorum ad hoc institutorum, valde enim timent, nam ob ignorantiam non discetnunt minitantem. Iam verò si anicula quædam, vel superbior senecium aliquis, minas eiusmodi rusticè intentauerit, sæpe discedunt, quia discernere nequeunt. Ideo superfluis etiam quibusdam facilè mancipantur, scilicet vnguibus, & capillis à polluto magorum genere. Item plumbo, & cera, tenuique filo deuinciuntur, atque nefariis adiurationibus conturbantur, venefici ergo, & nefandi dæmonia hæc subterranea mansuefaciunt. Qui verò nefariis ministeriis abstinent, aërea maximè colunt, cauentes ne dæmonium subterraneum interueniat, nam siquid tale interuenerit, præter id, quod terrores incurit, etiam saxa iacere consueuit, proprium enim subterraneorum est lapides in occurrentes iacere, sed ictibus irritis. Ærea verò dæmonia tario dictat intrepida esse, neque tamen boni quicquam afferunt, quoniam & superba sunt, & iactabunda, & deceptionis, phantasiæque inanis plena, ab eis enim incultores veniunt ignei quidam radii, quos furiari homines diuina spectacula putant, nihil tamen veri, constantisque possident, quid enim in obscuris dæmonibus potest lucis inesse? sed hæc omnia fallaciæ sunt occultorum, atque præstigiæ. Sunt plerique, qui communitet appellantur Eucheræ, quorum fraudulentum dogma ab insano quodam monente manauit. Tradunt ergo principia plura, & profectò ab ipso monente duo rerum principia supposita sunt, ita vt Deo bonorum opifici Deus malorum, artifexque ponatur. Deoque cœlestium domino Deus Dominus subcœlestium, hinc Eucheræ miseri tertium his principium adhibuerunt. Nempe apud eos vnus quidem Pater est: Filij verò duo, antiquior videlicet, atque iunior, principia tria, sed Patri quidem supermundana tantum, iuniori autem filio cœlestia, seniori verò subcœlestia velur dominis tribuuntur. Quod quidem dogma nihilo à Græcis fabulis differre videtur iuxta poëticum illud, ternario distributa sunt præmia numero. Sed inter Euchetas, alii vtrumque filium colunt, nam etsi dissidere eos nunc interse dicant, vtrumque tamen existimant adorandum, quoniam ambo, ex eodem patre nascantur, atque in posterum conciliandi mutuo sint. Alij verò alterum duntaxat, id est iuniorem colunt, vtpote qui meliori, præstantiorique prouinciæ dominetur, seniorem verò non spernunt quidem, sed obseruant ipsum cauentes, videlicet ne malefaciat. Deterrimi verò inter illos à cœlesti quidem numine disiunguntur omnino, solum verò terrestrem satanam finibus suis excipiunt ipsumque nominibus apud eos potioribus extollunt, appellantes primogenitum, & à patre seiunctum. Item arborum, animaliumque, & reliquorum compositorum opificem, pestiferum verò, atque hostilem. Sed qui hæc dogmata introducunt, & oculis, & auribus mentis capti sunt, neque enim vident ex ipsa rerum cognitione mutua, vnum esse omnium autorem, neque scripturam sanctam, id docentem audiunt, neque ratione secum ipsi reputant: quod videlicet si duo inter se dissidentes rerum opifices essent, non esset vna quædam conspiratio, vnioque omnia ligans. Et si dæmonia diuitias nobis, & gloriam promittunt, nihil tamen ex se tradere possunt, quippe cum imperium nullum habeant, sed visu tantum quædam inania suis cultioribus afferunt, varia prorsus, & instabilia, quæ tamen impij diuina esse spectacula putant. Eucheræ & Gnosci, vt dæmonia toto concipiant pectore, nefanda sacrificia perpetrant. Conueniunt die, quo die passus est Saluatot, vespere statutum in locum vnà cum puellis sibi notis, & post quædam sacra extinctis luminibus, mixtim coeunt siue cum sorore, siue cum filia, siue cum qualibet, nono rursus mense reuertuntur, puellasque accersunt, & infantes iam natos ab his euellunt, perque totum corpus pueros circumcidunt, & circumfuso sanguine phialas implent, corpora cremant, cinerem cum sanguine miscent, hoc condimento epulas, & pocula condiunt, tum sua inter se, tum aliorum clam quoruncunque possunt. Existimant enim hoc sacrificij, & alimenti genere tanquam maximè profanos characterem diuinum nobis impressum, & dæmonia procul exercentem penitus aboleri, itaque dæmonia liberius ingredi.

Quomodo magi excantent, trahantque dæmones.

VEneficia, atque magia non vanum nomen sortita sunt, sed vim quandam possident. Veneficium enim ars quædam est circa materiales dæmones, & terrestres, simulachra dæmonum prouocans in aspectum, & alios quidem velut ab inferis excitat, alios autem ex alio deducit. Disciplina enim nostra omnem dæmonem existimat malum, propter superbiæ, & vanitatis excessum, ab Angelico statu, ordineque delapsum. Opinio vero Græca paruam dæmonum partem iudicat malam, & hanc quidem non tanquam electione talem, sed ex prima rerum diuisione sic affectam, tortoris vicem gerentem aduersus animas delinquentes. Talem itaque dæmonum portionem veneficiis præstigiator in aspectum imaginarium prouocat, visaque imaginalia spectatoribus obiicit, & aliis quidem fluenta quædam illinc exudantia adducunt in medium: aliis autem vinculorum solutiones, & delitias, gratiamque promittunt. Adducunt vero tales dæmonum potestates nodis, cantibusque quibusdam, & in plurimis quidem mentitur, in quibusdam vera loquitur. Magia vero facultas quædam Græcis visa est potestatis plurimæ compos. Tradunt enim hanc esse extremam sacerdotij portionem. Affert autem visa quædam sæpius in aspectum falso diuinitatem aliquam præferentia. Hæc enim facultas perscrutatur vniuscuiusque rei sub Luna genitæ, naturam, potentiam, qualitatem elementorum inquam, eorumque partium, animalium, omnium plantarum, & seminum, & pomorum, item lapidum, herbarumque, ac summatim vniuscuiusque rei substantiam, & virtutem, hinc ergo effectus suos agit, & statuas sanitatem adducentes, videlicet omnigenis figuris instructas, & alia rursum artificia inferentia morbos callet, & quia inter se differunt, & quæ conueniunt, multarum namque materiarum commixtio vnionem illi arti affert, distantia vero ab vno discretionem infert. Iam vero aquilæ, & dracones apud illos ad sanitatem conferre dicuntur: feles autem, & canes, & corui, conferunt ad vigiliam. Cera item, atque lutum ab illis ad quasdam partium conformationes assumi solent, quippe cum proprietates quasdam suis viribus habeant. Apparet frequenter cœlestis ignis huiusque traductio, tunc vero statuæ subridere videntur, & lampades sponte ignibus accenduntur, instructa est magia multum astronomica facultate, plurimaque per ipsam pergit. Est & quædam in pelui vaticinatio, per quam rustici sæpe vaticinantur, profecto quemadmodum prædictio quædam fit, id est per aerem, atque per folia, sic prædictio quædam fit in pelui apud Assyrios frequentata, atque nominata, quæ profecto congruitatem quandam habet cum dæmonibus materiæ valde coniunctis. Accipiunt ergo peluim aqua plenam vaticinantes, dæmonibus congruentem in profunda repentibus. Apparet autem peluis illa aqua plena, quodammodo & spirare, propter sonitum, ipsaque aqua in peluim infusa secundum substantiam quidem ab externis aquis minime differt, sed virtute infusa carminibus valde præcellit, atque ita facta est aptior ad suscipiendum spiritum deinde fatidicum. Id vero dæmonum particulare est, atque terrenum compositionibusque attractum: & cum primum illabitur aquæ sonum, mox quendam exiguum, & significationis expertem edit, remissionem eius præsentibus significantem, deinde vero in aqua iam inundatæ exiles quidam soni susurrant quadam prædictione futuri. Est autem eiusmodi spiritus passim pererrans, quoniam solarem ordinem est sortitus, idque genus dæmonum dedita opera tenuem vocem edit, vt propter indistinctam vocis obscuritatem, eius mendacia minus deprehendi possint. Sed nunquid corpora dæmonum pulsari possunt? possunt sane, atque dolere solido quodam percussa corpore, verum quonam pacto, cum sint spiritus, neque solida, neque composita natura, & compositorum est sensus? Sed profecto in iis, quæ sentiunt, non neruus ipse est, qui sentit, sed qui eis spiritus inest. Quapropter si atteratur neruus, si frigefiat, si quid alter patiatur, spiritu videlicet in spiritum misso, fit dolor. Nempe compositum nunquam per se doleret, sed quando participat spiritum, quo quidem priuatur & sensu. Dæmonicum itaque corpus per totum se naturaliter sensuale secundum partes singulas absque medio videt, audit, tangit, patiturque tangendo, & diuisum dolet, sicut & corpora solida, sed hoc interest, quod corpora quidem solida, diuisa cum sunt, aut vix, aut nunquam restituuntur: corpus vero dæmonum, vbi secatur, mox in se iterum recreatur, & coalescit, sicut aquæ, aërisque partes, quando aliquid intercidit solidum, sed & dictu velocius dæmonicus spiritus in se reuertitur. Dolet tamen interea, dum diuiditur, quamobrem aciem ferri metuit, idque animaduertentes, qui fugare dæmones moliuntur, tela, & enses in rectum ibi constituunt, quo nolunt aduentare, atque alia machinantur tum oppositis passionibus propulsantes, tum congrua quadam affectione mulcentes.

MARSILII FICINI FLORENTINI, AD IOAN. CAVALCANTEM FLORENTINUM ciuem & amicum vnicum, in Alcinoi & Speusippi opuscula, Præfatio.



Eram Platonici philosophi amicitiam, optime mi Ioannes, stabilem vitæ duorum vnionem definierunt. Vitam vero nos vnam in illis esse duntaxat hominib⁹ arbitramur, qui opere vno ad vnũ finem tanquam eodem calle ad eundem itineris terminum gradiuntur. Stabilem quoque eorum ita demum fore societatem existimamus, cum non vnum solum, verumetiam stabile firmumque id fuerit, quod sibi communi quodam inter se officio sectandum proposuerunt. Verum cum omne hominum studium atq; commercium ad id quod bonum putatur semper contendere soleat, bona vero tria esse mortalibus videantur, bona inquam animi, corporis & externa: aut virtus animi ab illis, aut voluptas corporis, aut diuitiarum copia quæritur. Horum profecto primum illud certum est & perpetuum duo reliqua caduca sunt atque mortalia. Quamobrem inter illos solum stabilis vitæ vnio, quæ vera est amicitia, esse potest, qui neque ad diuitias cumulandas, neque ad explendas libidines corporis, quæ omnia fluxa & caduca sunt: sed ad vnam stabilemque virtutem animi capessendam atque colendam communi quodam inter se studio, & toto mẽtis ardore proficiscuntur. Animi virtutem philosophorum ille omnium magister & dux Plato noster, sapientiam voluit nuncupari. Sapientiam vero esse rerum diuinarum cognitionem existimauit. Res autem diuinas idem in libris de Rep. non aliter mente nostra innotescere posse, quàm Deo nos illustrante demõstrat: quemadmodum & corporum formas oculis, non aliter quàm sole oculos illuminante, videri. Idem igitur Deus est quem videre desideramus, qui aciem mentis vt intueri possimus illuminat, qui lucida menti se denique monstrat, monstrando delectat. Idem via nobis est Deus, & veritas, & vita, Via quidem, quoniam suis nos radiis ad se conuertit, & ducit & rapit. Veritas autem, quia verum se nobis ad ipsum conuersis ostendit. Vita denique, quoniam animum nostrum ipsius contemplatorem beata illa visione pascit perpetuo & oblectat. Hunc ergo sapientiæ omnis perennem fontem sitiant oportet omnes, quicunque sapientiæ gustare liquores suauissimos cupiunt. Sapientiam vero sectentur necesse est omnes, qui virtutem animi adipisci desiderant: quo efficitur, vt quicunque animum suum colere instituunt, Deum colere compellamus, amicos autem inuicem eos in superioribus definiuimus, qui simili & pari studio ad virtutem contenderent, mutuoque fauore suos animos colerent. Cultus animi sola virtute constat: virtus sapientia est: sapientia cognitio diuinorum. Cognitionem huiusmodi lux nobis diuina largitur. Cultus itaque animi, Dei ipsius est cultus. Amicitia igitur cum duorum consensu ad animum virtute colendum nitatur, nihil vtique aliud esse videtur, quàm duorum animorum summa in Deo colendo concordia. Amantur autem à Deo, quicunque Deum pia mente colunt. Ideo non duo quidem soli, sed tres necessario amici sunt semper: Duo videlicet homines, vnusque Deus. Deus inquam Iupiter hospitalis, Iupiter amicabilis, Iupiter humanæ vitæ seruator, quem coluit Plato semper, semper Socrates honorauit. Hic vitæ dux hominum, hic nos in vnum conciliat, hic indissolubilis est amicitiæ nodus custosque perpetuus. Hoc Deo quondam conciliatore prisci illi theologi, quorum memoriam veneramur, sanctam inter se amicitiæ copulam iniuisse traduntur. Apud Persas Zoroaster in ipsis religiosæ philosophiæ mysteriis assiduum sibi comitem Arimaspem aspirante numine dicitur asciuisse. Mercurius Trismegistus apud Ægyptios similiter Æsculapium: Musæum in Thracia Orpheus, illic etiam Aglaophemus Pythagoram: Atheniensis Plato Dionem primo Syracusanum: Dione deinde defuncto Xenocratem. Vsque adeo sapientes viri ad cœleste iter tuto & placide peragendum, & ducem Deũ, & comitem hominem necessarium fore arbitrantur. Horum ego vestigia superne per cœli plagas impressa, & si minime sequi posse confido, hic tamen vnum mihi iam abunde videor consecutus, vt ad sacra philosophiæ studia, exercendam virtutem, veritatem inuestigandam, optimi viri commoda & iucunda societate non caream. Reor enim Ioannis Caualcantis & Marsilij Ficini familiaritatem in earũ numero quas paulo ante commemorauimus ponendam, ac duce Deo, qui nobis feliciter hanc copulam instituit & conflauit, vtrique nostrum ad res agendas, ad vitæ tranquillitatem, ad diuinorum indagationem plurimum conducturam. Huius singularis beneuolentiæ monumenta posteritati mandare, alias quidem materia constitui, & nunc opuscula quædam à me nuper è græca lingua in latinam traducta, quæ ad nostram illam Platonicam sectam, cuius sacris initiatus es, collatura maximè videantur. Accipe igitur amice vnice, librum Alcinoi Platonici de huius sectæ cõclusionibus: Præterea librũ de Platonis definitionibus, ab eius nepote Speusippo cõpositum. His legendis ad arcana diuinæ philosophiæ mysteria eruditus, inania vmbratilis huius vitæ somnia, quibus anxium vulgus inhiat aspernaberis, mentemque ad cœlestia eriges: quorum cõtẽplatione in præsẽti vita trãquillitatẽ, in futura beatitudinẽ nãcisceris.



ALCINOI PHILOSOPHI PLATONICI de doctrina Platonis Liber,

MARSILIO FICINO INTERPRETE.

Quid philosophia, & quale ingenium philosophicum.

CAPVT I.



PRæcipuarum Platonis institutionum doctrina hæc traditur. Philosophia est appetitio sapientiæ: vel solutio animæ à corpore, & conuersio quædam ad ea quæ vera sunt atque diuina. Sapientia est diuinarum humanarumque rerum scientia. Philosophus autem est, qui à philosophia nomen accipit, quemadmodum à Musica musicus. Et qui philosophus futurus est, ab ipsa natura sic institutus esse debet, vt primo quidem ad omnia disciplinarum genera facilis ac promptus existat. Deinde vt non iis, quæ in fluxu versantur, sed illis quæ semper eodem modo consistunt, mentem adhibeat. Tertio loco, vt natura sit verax, ab omni mendacio penitus aliena. Præterea temperatum hunc quodammodo nasci oportet, easque animæ partes quæ affectibus afferri solent, domitas à natura suscipere. Quisquis enim veritatis auidus ad diuinorum contemplationem mentem conuertit, voluptates corporis paruipendit. Oportet præterea liberali animo philosophum esse: Etenim rerum vilium æstimatio, homini veritatem rerum contemplaturo aduersa est. Huius insuper voluptas iustitiam diliget, quippe cum veritas, temperantiæ, liberalitatis studiosus existat. Adde quod ingenij acumine atque memoria illi opus est. Hæc namque philosophum virum perficiunt. Atqui eæ quidem naturæ dotes, quum disciplina atque educatio decens adhibita est, perfectum virtute virum efficiunt. Verum si neglectæ sint, maximorum scelerum causæ sunt. Atque has Plato communiori quodam nomine temperantiæ, fortitudinis & iustitiæ, significare solet.

Philosophus contemplationem actioni præponit.

CAPVT II.

CVm vero duæ sint vitæ, contemplatiua videlicet & actiua: & contemplatiuæ officium in veritatis cognitione consistat, actiuæ autem in actione eorum quæ ratio dictat: honoranda quidem est vita contemplatiua: pedissequa vero necessariarumque rerum ministra vita illa, quæ in agendo versatur. Quod autem ita sit, ex iis declarabitur. Contemplatio est operatio mentis diuina intelligentis: actio vero operatio animæ rationalis per corpus expleta. Animus namque diuinum intelligentiamque diuinam contemplans, quamoptimè affici dicitur. Atque hæc eius affectio sapientia nuncupata est: quam quidem nihil aliud quàm Dei similitudinem appellari oportet. Quamobrem huiusmodi operatio præcipua ac veneranda est, & maximè omnium expetenda, necnon hominis quam maximè propria, cui nulla obsistunt impedimenta, quo minus in nostra potestate consistat: atque etiam propositi finis nobis est causa. Actiua autem vita eiusque actio cum corporis ministerio plurimum vtantur, impediuntur sæpe numero, & quæ contemplatiua vita speculatur, ad officia morum transferre desiderant. Etenim studiosus disciplinæ vir, tum demum ad ciuilium administrationem se confert, cum illa male à cæteris hominibus tractari senserit, adminicula quædam quasi externa existimans militiam, legationes, executionesque iudiciorum. Præcipua vero & maxima omnium agendorum officia, leges condere, Reipub. præscribere ordinem, disciplinam educandorum iuuenum instruere. Quapropter oportet philosophum nunquam veritatis indagationem omittere, sed eam nutrire semper & augere, humanas autem actiones tanquam inferiora quædam nonnunquam attingere.

Philosophus versatur in tribus, scilicet in contemplatione rerum, in actione morali, & artificio disserendi.

CAPVT III.

STudium profecto philosophi in tribus potissimum Plato versari voluit: In rerum speculatione, in actione virtutum, in sermonis consideratione. Vocaturque rerum cognitio, contemplatiua: morum studium, actiuum: sermonis cura, dialectica. Dialectica vero in mul-

tas species distribuitur: in diuisionem, definitionem, inductionem, ratiocinationem. Hæc autem in demonstrationem, quæ est ratiocinatio necessaria: & in ostensionem, quæ ratiocinatio probabilis appellatur: & in rethoricum enthymema, id est sententiam cautam, quæ ratiocinatio imperfecta vocatur: ac denique in sophismata, quibus legitimus philosophus operam dabit, non quod ea vt præcipua probet, verum quod interdum necessaria fore censeat. Eius præterea philosophiæ, quæ in agendo versatur, prima pars mores ipsius hominis curat: altera domum gubernat: postrema tuetur rempublicam. Et prima quidem moralis, secunda domestica, tertia ciuilis dicitur. Atque eius philosophiæ quæ contemplationi studet, pars vna immobilia & diuina primasque rerum causas inuestigat, quam theologiam vocamus: altera motus syderum suspicit, circuitusque & restitutiones cœlestium, ac fetiem mundi, quæ naturalis cognitio nuncupatur. Sequitur mathematica, quæ geometriam & arithmeticam continet. Cum vero philosophia in tres potissimum species distributa sit, contemplatiuam, actiuam & dialecticam, de ipsa in primis dialectica tractandum est, quid Plato de illa sentiat, & primo quidem de iudiciario.

De iudiciario, & viribus animæ pertinentibus ad iudicium.

CAPVT IV.

QVoniam est quiddam quod iudicat, quiddam quod iudicatur, necesse est aliquid etiam ex vtrisque fieri, quod quidem iudicium vocare possumus propriè. Itaque ipsum iudiciũ iudiciarium nominatur: communius autem ipsum quoque quod iudicat. Iudicans præterea duplex esse videtur: Vnum à quo, alterum per quod iudicatur. Illud intellectus noster, hoc organum naturale: idque primo vera, secundo loco falsa diiudicat. Neque hoc aliud quicquam est quam ratio naturalis. Quod si liquidius etiam explicare velimus, iudex appellandus erit philosophus, à quo res ipsæ diiudicantur. Iudex item ratio, per quam verum etiam iudicatur: quod quidem organum appellauimus. Duplex autem ratio est: Vna penitus incomprehensibilis ac vera: altera secundum rerum cognitionem infallibilis. Prima Deo conuenit, homini nequaquam. Secunda homini congruit. Sed hæc quoque duplex est: Vna ad intelligibilia, altera ad sensibilia spectat. Prima quidem scientia est, secunda vero opinio: Et illa stabilitatem habet, quippe cum circa stabilia versetur: hæc verisimilitudinem & imaginationem, vtpote quæ ad mutabilia tendat. Scientiæ vero circa intelligibilia, & opinionis circa sensibilia, intellectio ac sensus principia sunt. Sensus profecto est passio animæ per corpus primo nuncians potentiam patientem. Postquam vero in anima per organa sensuum species rerum secundum sensum impressa est, adeo vt firma indelebilisque permaneat, huius itaque conseruatio memoria nuncupatur. Opinio autem est memoriæ sensusque complexio. Quando enim sensibile quoddam primo nobis occurrit, ab eoque sensus in nobis efficitur, & à sensu memoria, ac deinde rursus idem nobis obiicitur, memoriam præcedentem cum sequente sensu componimus, & in iis iam dicimus Socrates, equus, ignis, cæteraque huiusmodi. Atque hæc opinio nuncupatur, cõponentibus nobis præcedentem memoriam cum recente sensu. Et quoties hæc quæ colliguntur inuicem consonant, opinio vera existit: si dissonant, opinio falsa. Nam si quis dum Socratis speciem in memoria seruat, Platonem ipsum offendat, putetque se ob quandam similitudinem Socrati rursus occurrere, postmodum Platonis sensum velut à Socrate hauriens, memoriæ Socratis ipsum accommodet, opinio falsa resultat. Id autem in quo sensus atque memoria fiũt, ceræ effigiei Plato comparat. At vero quum opinione concepta per sensum atque memoriam anima cogitatione refingens, ita in hæc respicit, velut in illa à quibus ista manarunt, picturam quandam ac etiam phantasiam Plato nominat. Cogitationem vero vocat discursum & ratiocinium animi ipsius ad seipsum. Sermonem autem effluxum à cogitatione per os vna cum literata voce. Intellectio vero est operatio intellectus prima intelligibilia speculantis. Atque hæc quoque duplex esse videtur: Vna antequam anima descendat in corpus, nam nunc ipsa intelligibilia contuetur: Altera postquam in corpus hoc mersa est. Ex iis itaque prima ipsa intellectio proprie dicta est: secunda vero pro intellectione iam naturalis intelligentia nuncupatur, intellectio quædam in anima subiecta consistens. Quoties ergo intellectionem scientiæ principium dicimus, non eam quam modo proposuimus intelligi volumus, sed eam potius quæ animo à corpore soluto conuenit: quæ quidem, vt diximus, nunc intellectio, nunc naturalis intelligentia nuncupatur. Atque hanc ipsam Plato intelligentiam, cum scientiam simplicem, tũ animæ alam, tum etiam reminiscentiam nominat. Ex iis denique simplicibus scientiis naturali scientiæ ratio natura inhærens animo conflata est. Cum itaque sit, & sciens, & opinans ratio, intellectioque, & sensus: necesse est & iis subiecta quædam existere, velut intelligibilia atque sensibilia. Et quoniam intelligibilium quædam prima sunt, vt ideæ: quædam secunda, vt inhærentes materiæ species, quæ ab illa separari nequeunt, intellectio quoque duplex erit, primorum vna: altera secundorum. Rursusque in ipsis etiam sensibilibus quædam prima sunt, ceu qualitates, vt color, albedo: Alia secundum accidens, vt album, coloratum: post hæc quod ex his concretum, vt ignis. Eodem quoque modo sensus primus primorum est, secundorum vero secundus. Prima intelligibilia intellectio iudicat non sine scientifica ratione per comprehensionem quandam atque discursum. Secunda vero scientifica ratio, non sine ratione opinatiua. Concretum autem opinatiua ratio, non sine sensu. Cùmque intelligibilis mundus primum intelligibile sit, sensibilis vero concretum quoddam: illud intellectio cum ratione, id est non sine ratione iudicat: hunc opinatiua ratio non sine sensu. Et cum contemplatio sit, necnon & actio recta ratio, haud eodem modo discernit quæ contemplationi, & quæ actioni subiiciũtur. Cæterum in contemplatione quid verum, quid falsum consideratin actione quid proprium, quid alienum, quid agendum, quid non. Ex eo enim quod naturalem pulchri & boni habemus intelligentiam, ratione vtentes referentesque ad natu-

rales intelligentias veluti ad præfinitas normas, bona ne an mala sint, singula diiudicamus.

Elementum, & officia Dialecticæ.

CAPVT V.

Dialecticæ facultatis elementum primum Plato esse vult, in primis rei cuiusque essentiam considerate: postea quæ contingunt aduertere. Quid autem vnumquodque sit considerat, vel ex superioribus diuidendo atque definiendo, vel ordine conuerso composita resoluendo. At contingentia, & essentiis adiacentia, vel ex iis quæ continentur per inductionem, vel ex iis quæ continent per ratiocinationem: vt merito dialecticæ membra sint, diuisio, definitio, resolutio, inductio, ratiocinatio. Diuisionum præterea quædam est generis in species distributio, quædam totius in partes: vt pote cum animam in partem rationalem, & ratione carentem diuidimus, atque hanc in appetendi & irascendi vim distribuimus. Est insuper vocis in significata diuisio, quoties nomen idem res plures significat. Accepit quoque accidentium in subiecta diuisio, veluti cum dicimus, Bonorum quædam circa animam, alia circa corpus, nonnulla circa res externas. Nec deest in accidentia subiectorum partitio: ceu cum dicimus, hominum quosdam bonos, nonnullos malos, medios alios. Diuisione igitur generis in species primo vtendum est, quoties quid vnumquodque sit dignoscere volumus. Id autem absque definitione fieri nequit: definitioque ex diuisione hoc pacto conficitur. Rei definiendæ genus capere in primis oportet, veluti genus hominis, animal: Id deinceps secundum proximas differentias partiri, vsque ad species descendendo, vt in ipsum rationale & irrationale, mortale & immortale. Quapropter si proximæ differentiæ generi adiiciantur, hominis definitio constituetur. Resolutionis tres sunt species: Vna est à sensibilibus ascensus ad intelligibilia prima: Altera, accensus per demonstrata & subdemonstrata ad indemonstrabiles, & sine medio propositiones. Postrema ex suppositione ad principia, quæ minime supponuntur. Et prima quidem huiusmodi est, ac si à pulchritudine corporum ad animi pulchritudinem transcendamus: ab hac ad officiorum pulchritudinem: ab ea deinde ad pulchritudinem quæ in legibus inest: demum ad ipsum pulchritudinis fontem: vt per hunc modum gradatim ascendentes, ipsum per se pulchrum inteneamur. Secunda resolutionis species ita fit: Supponendum est id quod quæritur, & quæ supra sunt considetanda, eaque demonstranda à posterioribus ad superiora progrediendo, donec ad primum & planè concessum perueniamus: à quo rursus incipientes, ad quæsitum compositionis modum regrediamur. Ceu si quis quærens an immortalis sit animus, idipsum primo supponat inquirens, vtrum semper mobilis, atque id inde demonstret: quærens vlterius, vtrum quod semper mouetur, per se moueatur: idque rursus ostendat considerans, num quod per se ipsum mouetur, motus principium sit, rursusque demonstret: inquirens denique vtrum principium ingenitum sit, quod quidem vt perspicuum à cunctis admittitur. Ingenitum quippe incorruptibile est, à quo veluti à manifesto demonstratione eiuscemodi colligat: Principium ingenitum & incorruptibile, principium motus quod per se mobile animus: Incorruptibilis ergo & ingenitus animus. Resolutio ex suppositione huiusmodi est: Quisquis aliquid inuestigat, illud primo supponat: deinde quid ex supposito sequatur aduertat: Posthac si oportuit suppositionis rationem reddere, aliam suppositionem assumens quærat, vtrum quod prius suppositum fuerat, rursus ad secundam suppositionem sequatur. Idemque semper obseruet, donec ad principium quod non supponatur ascendat. Inductio autem est omnis per rationes processus, qui vel à simili transit in simile, vel à singulis in communia. Atque hæc argumentatio ad excitandas naturales intelligentias summopere confert.

Species propositionis & argumentationis.

CAPVT VI.

Orationis eius quam propositionem vocamus, species duæ sunt affirmatio & negatio. Affirmatio hæc est, Socrates vadit. Negatio hęc, Socrates nō vadit. Ex affirmationibus autem & negationibus, quædam vniuersalis est, quædam particularis. Particularis affirmatiua hæc, quædam voluptas bonum. Negatiua, quædam voluptas non bonum. Vniuersalis affirmatiua, omne turpe malum. Negatiua vniuersalis, nullum turpe bonum. Ex propositionibus, quædam prædicatiuæ sunt, quædam suppositiuæ. Prædicatiuæ quæ simplices, vt omne iustum bonum. Suppositiuæ, quæ consequentiam vel repugnantiam inferunt. Vtitur autem ratiocinationibus Plato tum redarguendo, tum etiam demonstrando: Redarguens per quæstionem quæ falsa sunt, demonstrans per doctrinam quę vera. Ratiocinatio est oratio quædam, in qua quibusdam positis ex necessitate conclusio sequitur. Ratiocinationum quædam prædicatiuæ sunt, nonnullæ suppositiuæ, reliquæ ex iis vtrisque commixtæ. Prædicatiuæ, quarum tam assumptiones, quam conclusiones simplices propositiones sunt. Suppositiuæ, quæ ex suppositiuis propositionibus fiunt. Mixtæ, quæ ex vtrisque. Vtitur autem Plato demonstratiuis argumentationibus in dialogis, qui ad expositionem pertinent: probabilibus vero & apparentibus aduersus sophistas atque iuuenes: contentiosis aduersus illos, qui proprie litigiosi vocantur, vt ad Euthydemum & Hippiam. Cum vero prædicatiuæ figuræ tres sint. Prima est in qua communis terminus ad hoc prædicatum, ad illud subiectum est: Secunda, in qua communis terminus de vtrisque prædicatur. Tertia, in qua communis terminus vtrisque subiicitur. Terminos dico partes propositionum, vt homo est animal: hominem & animal terminos appellamus. Et secundum primam figuram vt plurimum Plato disputat, necnon secundum figuram secundam ac tertiam. Atqui ad modum primę sic in Alcibiade argumentatur: Iusta pulchra sunt, pulchra bona, iusta ergo sunt bona. Ad modum secundę sic in Parmenide: Quod partes nullas habet, nec rectum est nec rotundum: at quicquid figuræ est particeps, aut rectum aut rotundum est, quod ergo partes non habet, figuræ nullius est particeps. Ad modum tertiæ sic

eodem in libro: Quod figura participat, quale est: quod figura participat, finitum est: quod ergo est quale, finitum est. Argumentationes præterea quæ per suppositiones contextæ sunt, crebras apud Platonem reperire licet, præcipuè vero in Parmenide rationes eiusmodi: Si non habet partes ipsum vnum, nec principium, nec finem nec medium habet: quod si principium, medium, finem non habet, nec habebit terminum: nisi non habet terminum figura nulla participat: Ergo si non habet partes ipsum vnum, nullius figuræ particeps est. Secundum vero figuram secundum argumentationis suppositiuæ, quam plurimi tertiam nominant, in qua communis terminus extrema vtraque sequitur, in hunc modum ratiocinatur: Si non habet partes ipsum vnum, neque rectum est, neque rotundum: Sicut figura participat, aut rectum aut rotundum est, idcirco si partes non habet, nec figuræ quidem particeps erit. Quinetiam secundum tertiam figuram, quam nonnulli secundam esse volunt, in qua communis terminus vtraque antecedit, in Phædone sic quodammodo argumentatur. Si scientiam ipsius æqualis adepti nunquam oblinioni tradidimus, profectò scimus: Sin autem obliti sumus, reminiscimur. Mixtis item argumentationibus, quæ per consequentiā procedunt, sic vtitur: Si vnum totum est & finitum, hoc principium, media, finem habens, figura quoque participat. Verum antecedens, verum igitur consequens. Eorum autem quæ per consequentiam fiunt, sic quodam modo differentiæ considerantur. Quando quis igitur diligenter animi vires, variasque naturas hominū necnon diuersas argumentationum species animaduerterit, deinde temporis occasione considerata, certis affectibus hominum proprias, quibus moueri possint ratiocinationes accommodarit, perfectus erit orator, eiusque rhetorica, scientia benedicendi merito nuncupabitur. Sophismatum quoque captionumque laqueos modo perspicacius inspiciamus, in Euthydemo à Platone subinsinuatos percipiemus. Illic enim & quæ secundum voces, & quæ secundum res ipsas sophismata fiunt, & eorum præterea solutiones reperiuntur. Atque etiam decem prædicamenta, tum in ipso Parmenide, tum in aliis dialogis tradidit. Locus autem ab etymologia eminens in Cratylo complexus est. Et proculdubio vir præ cæteris admirandus in diuidendo, definiendoque, quæ duo dialecticæ vim maxime testantur, Plato noster extitit. Quæ vero in Cratylo tradita sunt, hoc intendunt. Discutit vtrum natura, an positione nomina vim suam habeant: placetque illi positione quadam constare nominum rectitudinem, neque tamen id temere, & vt sors obtulit, verum positionem ipsam rerum naturam secutam fuisse censet: neque aliud esse nominum rectitudinem, quàm impositionem rei ipsius naturæ consonam. Neque enim quamlibet impositionem nominis ad rectitudinem sufficientem esse, neque rursus naturam, ac primam vocis emissionem, sed quod ex vtrisque compositum, vt omnis nominis rectitudo sit secundum impositionem rerum naturæ conuenientem. Non enim si quodlibet nomen temere cuilibet adhibeatur, rectum significat: veluti si equus homini nomen imposuerimus: Etenim loqui, vna quædam operationum est: Quamobrem non quomodocunque quis loquatur, rectè loquitur: verum si ita loquatur, vt rerum ipsarum natura requirit. Quoniam vero ipsius locutionis pars quædam nominatio est, vt orationis pars nomen, rectè vel non rectè nominare, haud sanè per quamlibet positionem fieret, sed per naturalem nominis ad rem ipsam cognationem. Isque rectus erit nominum conditor, qui per nomen rei naturam significabit. Nam rei organum, nomen est, nō quodcunque sors obtulit, sed quod naturæ congruum: Ac per istud vicissim nobis res indicamus, naturamque discernimus. Quo fit, vt nomen sit instrumentū quoddam, indicans atque distribuens vniuscuiusque substantiam, quemadmodum telam textoris pecten. Ad dialecticum igitur hoc etiam pertinebit, nominibus rectè vti, vt pectine textor vtitur, proprium illius opus agnoscens, cum illum faber effecerit, haud secus dialecticus nomine, quod nominum conditor effinxit, vtetur. Enimvero temonem constituere fabri, vti autem rectè gubernatoris officium. Eodem pacto ipse quoque nominum institutor, rectè nomine statuet, si tanquam præsente dialectico instituerit, quippe cum dialecticus naturas eorum, quæ sub nominibus latent, intelligat. Atque hæc de dialectica dicta sufficiant.

Distinctio scientiæ speculatiuæ.

CAPVT VII.

Deinceps de speculatiua philosophia dicendum. Huius membra dicimus Theologiā, Physicen, Mathematicam. Theologi finis, supernarum causarum cognitio. Physici, quæ sit mundi natura perdiscere: quare animal homo, quam sit prouinciam in mundo sortitus, vtrum Deus prouideat omnibus, & num cæteri huic subiecti ministri, atque etiā quomodo ad Deos sese homines habeant. Mathematici finis planam, & in tres porrectam dimensionis naturam cognoscere, motumque ad cœlestium progressus suspicere: atque ita in summa quadam mathematici speculatio proponatur. Hæc vtique ad cognitionis acumen à Platone suscepta est, attingens animum, & ad rerum diuinarum intuitum, aciem mentis exacuens. Pars autem Mathematicæ facultatis, quæ ad numeros spectat, non mediocrem ad diuina percipienda vim præstat: verum ab errore atque ignorantia, quæ circa sensibilia ista versatur, nos liberat, opem ferens ad essentiæ cognitionem: promptumque ad certamen, propter consequentium rerum ordinisque peritiam hominem reddit. Geometria quoque plurimum ad ipsum bonum intelligendum conferre videtur, cum quis non mechanicæ dimensionis gratia ipsam sectatur, sed ita vtitur, vt eius adminiculis ad superna conscendat, nec in rebus quæ oriuntur & occidunt, dimetiendis insistat. Quinetiam Stereometria, id est solidorum dimensio quam maxime vtilis est. Nam post secundam augmentationem sequitur eius consideratio, tertio suscipiens augmentum. Vtilis præterea ceu quarta quædam disciplina Astronomia est, per quam cœli siderumque motus, autoremque diei ac noctis, & mensium & annorum inspicimus, ex quibus quasi proxima quadam regione horum omnium authorem inuestigamus, & ab iis disciplinis veluti à quibusdam subselliis, & elementis, & gradibus ad altiora

tiora progredimur. Musicam quoq; discere nos oportet, ad eam adhibentes auditum. Nam quemadmodum ad Astronomiam oculi conditi sunt, sic aures ad harmoniam: Vtque Astronomiæ incumbentes, ab iis quæ oculis percipiuntur, ad inuisibilem essentiam ducimur: sic & auribus harmoniam vocum haurientes, ab iis quæ audiuntur, ad intelligibilia gradatim accedimus. Quamobrem nisi finis istius gratia Mathematica prosequamur, horum profecto curiositas manca & amens, nulliusque æstimanda censetur. Decet enim confestim ex iis quæ oculis & auribus percipiuntur, ad illa quæ sola cernit ratio pertransire. Nam Mathematicorum consideratio, præludium quoddam est ad diuinorum contemplationem. Arithmetica quippe & Geometria, & qui eas colunt, essentiam ipsam videre desiderant: verumtamen circa illam quodammodo somniant, nec eam reuera cernere possunt, ignorantque principia, & quæ principiis constituuntur. Verum nihilominus ad ea quæ diximus conferunt: ideoque nec scientias disciplinas huiusmodi Plato appellandas esse censuit. Cæterum dialectica facultas à Geometricis suppositionibus ad prima principia, quæ minime supponuntur assurgit. Quapropter Dialecticam iure scientiam appellauit. Disciplinam vero Mathematicorum non opinionem, quia clariora sint quàm sensibilia, neque rursus scientiam, quia obscuriora sint quàm intelligibilia prima, sed opinionem corporum, scientiam diuinorum, cogitationem Mathematicorum. Fidem præterea & coniecturam imaginationemque imaginibus idolisque attribuit. Quoniam vero Dialectica efficacior est quàm Mathematica ex eo quod circa diuina æternaque versatur: idcirco Mathematicis vniuersis præponitur, velut arx quædam & custodia reliquorum.

De materia prima.

CAPVT VIII.

POst hæc de principiis, & iis quæ ad Theologiam spectant breuiter disseramus, à prioribusque ordiamur, descendentes inde ad ipsius mundi generationem, ac demum vsque ad hominum geniturum. In primis igitur de materia tractandum est. Hanc sanè effigiem omnium receptaculum, nutricem, matrem, locum, subiectumque nominat, eamque asserit sine sensu tangi, & adulterina ratiocinatione comprehendi. Materiæ proprium esse vult omnes generationes suscipere, ac nutricis instar eas fouere, omnes item formas capere, cum ipsa suapte natura omnis formæ, qualitatis & speciei sit expers. Conspersam præterea illam & figuratam formis velut effigiem asserit, nullius per se figuræ qualitatisue participem. Neque vero subiectum esset ad varias formarum impressiones commode præparatum, nisi qualitate omni quam suscepturum est, penitus careat. Videmus enim eos qui vnguenta ex oleo odore suauia conficere student, oleum nullo prorsus odore infectum quærere: eosque qui formas impressuri sunt vel ceræ, vel luto, primum materiam ipsam polire penitus atque lenire, donec figuræ pristinæ deleantur. Conuenit namque vniuersali materiæ, si modo formas omnes susceptura sit, nullam illarum habere naturam, sed absque qualitate omni atque specie subiici speciebus. Et cum huiusmodi sit, neque corpus erit, neque etiam incorporea, sed potentia corpus, quemadmodum æs potentia statua, quoniam speciem suscipiens, statua fiet.

De ideis, & de causa efficiente.

CAPVT IX.

CVm vero materia principij cuiusdam rationem habet, alia quoque principia Plato præter materiam introducit, principium videlicet exemplare, ad quod ideæ ipsæ reducuntur, & principium paternum quod ad Deum rerum omnium causam pertinet. Est autem idea ad Deum quidem intellectio Dei, ad mundum vero sensibilem exemplar, ad seipsam essentia. Quicquid enim intelligentia fit, ad aliquid referre necesse est, quod quidem operis exemplar erit: Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, vt à meipsus imago. Et si exemplar haud omnino sit ab agente seorsum, vt quisque artifex in seipso artificiorum exempla concipiens, horum deinde formas in materiam explicet. Definiunt autem ideam exemplar æternum eorum, quæ secundum naturam fiunt. Nam pluribus ex iis qui Platonem secuti sunt, minimè placuit artificiorum ideam existere, vt clypei atque lyræ: neque rursus eorum quæ præter naturam, vt febris ac bilis intemperatæ: neque particularium, ceu Socratis & Platonis: neque etiam alicuius eorum quæ imperfecta sunt, veluti sordium atque festucæ: neque relationum, vt maioris & excedentis: Esse namque ideas intellectiones Dei æternas ac seipsis perfectas. Quod vero sint ideæ, sic probant: Siue intellectus Deus ipse sit, siue intellectuale quiddam, notiones illi adsunt æternæ atque immobiles. Quod si hoc ita se habet, ideæ sunt. Etenim si mensura per seipsam materia caret, ab aliquo superiori, & à materia penitus absoluto mensuras suscipiat necesse est. Verum quidem est antecedens, verum igitur consequens. Et si hoc, ideæ sunt mensuræ quædam sine materiæ mixtione existentes: accedit quod si mundus non temerario quodam casu talis est, non solum ex aliquo, verum etiam ab aliquo factus est, neque id solum, sed ad aliquid etiam fabricatus. Id vero ad quod effectus est, quidnam aliud præter ideam existit? Quo sequitur, vt ideæ ipsæ sint. Item intellectus à vera opinione differt, intelligibile quoque ab opinabili discrepat. Hoc si verum est, extabunt intelligibilia ab opinabilibus differentia, vt sint prima quoque intelligibilia, quemadmodum & sensibilia prima: ex quo ideas esse concluditur.

Quomodo describatur Deus, & quibus rationibus inuestigetur.

CAPVT X.

DEinceps de tertio principio dicendum est, quod penè ineffabile Plato autumat. Ipsum tamen hoc modo conemur ostendere. Si intelligibilia sunt, eaque nec sensibilia, neque cum illis cohærentia, sed intelligibilibus primis extant prima intelligibilia simplicia, quem-

admodum sensibilia prima. Antecedens verum: verum ergo quod sequitur. Homines sanè, vtpote perturbatione sensuum occupati, quoties intelligibile quiddam contemplari statuunt, in phantasiam mox alicuius sensibilis recidunt, adeo vt sæpenumero ei quod intelligendum est, vel magnitudinem vel figuram applicent, vel colorem: quo fit vt illud sincere intelligere nequeant. Dij autem sine corporalium mixtione, pure nimium atque sincere intelligunt. Quoniam vero intellectus anima melior est: intellectu autem eo qui in potentia, melior intellectus ille qui actu semper omniaque simul intelligit: hoc deniq; pulchrius quod eius est causa, quodque omnibus superextat: is vtrique Deus ipse primus existit, isque causa est, vt mundi mens semper agat: in quam immobilis ipse, semper haud secus quàm in oculum obiectum Sol agit. Atque ea ratione mouet, qua id quod appetitur, immobile ipsum, appetentem agitat. Hoc inquam pacto mens ipsa suprema, totius cœli mentem ducit. Et cum primus hic intellectus pulcherrimus sit, pulcherrimum quoque, intelligibile illi subiici necesse est. Nihil autem ipso pulchrius: seipsum igitur ac notiones suas semper intelligit. Atque hæc eius operatio idea est. Quinetiam Deus ipse supremus, æternus, ineffabilis, seipso perfectus, nullius egens, semperque & vndique absolutè perfectus. Diuinitas essentiæ ratio. Veritas harmonia, bonum existit. Neque vero hæc ita diuumero vt ab inuicem ipsa secernam, imo vt vnum potius cuncta contemplor. Bonum profectò ob eam causam dicitur, quod omnia pro capacitate cuiusque beneficiis replet, omniumque bonorum causa est. Pulchrum vero ex eo, quod ipsum natura plenitudo ipsa & harmonia omnis existit. Veritas item ob id vocatur, quoniam omnis veritatis ita principium est, vt Sol quoque luminis vniuersi est. Et patet, quia omnium causa, cœlique totius mentem, & mundi animã ad suiipsius exemplar exornat. Nam suæ voluntatis munere omnia seipso compleuit, mundi animam excitans, & ad se conuertens: quippe cum mentis eius causa sit. Atqui mens ista beneficio patris ornata, naturam omnem huius mundi perornat. Ineffabilis prætetea & solâ mente percipiẽdus Deus ideo dicitur, quia nec genus circa illum, neque species, neque differentia vlla, neque accidit illi quicquam: nam nec malum, nefas enim dictu id esset. Neque etiam bonum, siquidem participatione cuiusquam bonitatis præsertim talis existeret. Neque differentia illi accidit vlla: Non enim id secundum ipsius notionem fieri potest. Neque qualitas, non enim qualis effectus est: neque tamen informis; non enim qualitate vlla ad se pertinente priuatus est. Neque est pars cuiusquam, nec totum vt partibus constitutum: neque idem est cuiquam, nec alterum, quippe n hil illi contingit quo ab aliis secerni queat: neque mouet, neque mouetur. Vnde prima huius intelligentia est secundum horum omnium ablationem: quemadmodum punctum quoque cogitamus secundum ablationem, primo superficiem, deinde lineam, postremo punctum considerantes. Secunda eius intelligentia est secundum proportionis rationem, hoc pacto: Quam rationem Sol habet ad visum, & ad ea quæ videntur, non existens ipse visus, præbens vero huic quidem vt videat, his autem vt videantur: eandem profectò rationem habet intellectus primus ad intelligentiam quæ animæ inest, & illa intelliguntur. Neque enim ipse idem quod intelligentia est, porrigit tamen intelligendi vigorem: animæ quidem vt intelligat, intelligibilibus autem vt intelligantur, veritatem quæ illis inest illuminans. Tertius intelligendi modus huiusmodi est. Aduertens quispiam pulchritudinem quæ corporibus adest, ad animi pulchritudinem sese confert: deinde ad eam quæ in officiis ac legibus: postremo ad ipsum pulchritudinis fontem, supra quem ipsum bonum amandum & expetendum intelligit, velut splendorem in animam quæ illuc euolauit subito refulgentem. Huiusmodi vero lumen Deum ipsum esse ob excellentiam recognoscit, eumque in primis sine magnitudine quantitatis agnoscit. Nam pars, atque id ex quo aliquid constituitur, illud semper cuius pars est antecedit: Planum namque prius est, quàm corpus, & linea prius quàm planum. Cum vero partes nullas habeat, neque secundum locum, neque secundum alterationem mouebitur. Etenim si mutationem patitur, vel à seipso, vel ab alio quodam permutari necesse est. Si ab alio, illud vtique validus erit. Sin à seipso, aut in deterius, aut in melius trasmigrabit. Verum vtraque impossibilia sunt. Quibus omnibus perspicuum est, ipsum incorporalem esse. Verumtamen ex iis quæ adiicientur, idem quoque patebit. Si corpus Deus esset ex materia specieque constaret, ex eo quod omne corpus compositum quoddam est ex materia simul & specie, quod quidem idearum simile redditur, dum illis ineffabili quadam ratione participat. Absurdum autem est Deum ex materia specieque constitui: Neque enim simplex, neque principium esset. Quamobrem incorporeus Deus est. Præterea si corpus est, ex materia constat. Ideoque vel ignis est, vel aër, vel terra, vel aqua, aut aliquid ex iis conflatum. At quomodocunque se habeat, principium minime erit, ctitque materia ipsa posterior, siquidem ex matria conficiatur. Quæ quoniam nefaria sunt, incorporeum esse Deum necesse est. Etenim si corpus est, corrumpi potest, genitusque est, & transmutationi subiectus. Atqui horum nihil in Deum cadit.

Qualitates sunt incorporea.

CAPVT XI.

Qualitates insuper in hunc modum incorporeas esse monstrabimus. Omne corpus sub ectum est: qualitas vero minime subiectum, sed accidens: non ergo corpus est qualitas. Nullum corpus in subiecto, omnis qualitas in subiecto, non ergo corpus est qualitas. Item qualitas contraria qualitati: nullum vero corpus, qua corpus contrarium corpori: non ergo corpora sunt qualitates. Quinetiam rationi maximè consentaneum est, vt quemadmodum materia qualitatis est expers, ita & qualitas materiæ expers sit. Et si materia careat, corpus esse non poterit. Enim vero si corpora qualitates sunt, duo ac tria corpora eundem in locum concurrent: quod à ratione procul aberrat. Quod si qualitates incorporeæ sunt, opifex

quoque illarum incotporeus est. Præterea agentia nulla esse prærer incorporalia possunt. Siquidem corpota passibilia sunt atque fluentia, neque semper eodem se modo habentia, neque in eodem statu perseuetantia, & in quibus aliquid efficere alicui forsitan videbuntur, multo magis illic pati reperientur. Vnde quemadmodum est aliquid quod omnino patitur, ita necesse est aliquid quod omnino agat existere. Id vero nihil esse aliud quàm incorporeum inueniemus. Sermo itaque de rerum principiis, qui theologicus appellatur, hic iam finem suum accipiat. Nam deinceps in eam disputationem quæ physica nuncupatur, descendendum esse videtur.

De causis, & generatione, & elementis, & ordine mundi.

CAPVT XII.

Corporalium omnium quæ secundum naturam distincta inuicem efficiuntur, præfinita quædam exemplaria ideas esse oportet, ad easque scientias & definitiones referri. Nam præter singulos homines, hominem ipsum intelligere decet: & præter equos singulos, ipsum equum: ac generatim præter animalia cuncta, immortale animal & ingenitum. Quemadmodum ab vno sigillo plurimæ exprimuntur imagines, & vnius hominis imagines multæ, quibus omnibus idea ipsa causa est, vt huiusmodi sint, cuiusmodi & ipsa est. Quapropter mundum hunc vniuersum, pulcherrimum opificium Dei, necesse est ab ipso Deo ita fabricatum fuisse, vt ad ideam quandam mundi huius exemplar in ipsa fabricatione respexerit, dum mita quadam prouidentia atque optima norma hoc est propria bonitate ad huius machinæ constructionem sese Deus accingeret. Extora ergo ipsum materia genuit: quam quidem sine ordine vllo ante cœli generationem tumultuantem, Deus ex confusione deformi, in pulchrum ordinem reuocauit, numerisque decenribus, & figuris eius partes vndique decorauit, vt ea mundus fit proportione conrextus, quam etiam nunc ignis atque terra ad aërem & aquam setuant. Horum tunc vestigia solum absque ratione atque mensura, in ipso elementorum receptatulo confuso iacebant, quatiebantque mareriam, & à materia vicissim quatiebantur. Ex integris enim quatuor elemenris eum compegit, ex toto scilicet igni, aëreque & aqua simul ac terra, nullam alicuius parrem potentiamue relinquens. Præsciebat enim quod corporeus futurus esset, ractuque ac visu percipiendus. Absque vero ignis & rerræ præsenria, nihil rangendi videndique sensum mouere potest. Quamobrem secundum congruam rationem, ex igne ipsum terraque construxit. Quoniam vero vinculo quodam vtrorumque medio ad extrema vincienda opus erat, diuinum aurem vinculum est quod secundum proportionem fit, quod & seipsum & ea quæ vinciuntur vnum efficit, planusque mundus nequaquam futurus erat, alioquin vnicum medium fecisset. Sphæricus autem esse debebat, ideoque geminis illi mediis opus erat. Ob hanc causam inquam inter ignem ac terram, aër & aqua secundum proportionis consonantiam interiecta sunt: vt quemadmodum se habet ignis ad aërem, sic aër ad aquam, vtque aër ad aquam, sic & aqua ad rerram: ac tursus vt rerra ad aquã, sic aqua ad aërem: vtque aqua ad aërem, sic aër ad ignem. Ex eo insuper quod nihil extra mundum reliquit, vnicum illum fecit, & ideæ suæ quæ vnica est, numero quoque parem. In quem præterea nec morbus vnquam, neque senectus incurreret, quippe cum nihil extra superesset, quod vim inferat: verum seipso sufficiens, nulliusque indigus, atque incolumis perseueraret. Figuráque illi dedit sphæricam, vtpore omnium pulcherrimum figurarum, capacissimamque & ad motum facillimam. Et quoniam nec auditu, nec visu, nec cæteris sensibus indigebat, ideo sensuum instrumenta ad obsequium sentiendi nulla prorsus adiecit. Cæteras item motus species procul esse iussit, solumque circuitum concessit illi, tanquam mentis & sapientiæ proprium.

De conuenientia figurarum cum elementis mundi atque mundo.

CAPVT XIII.

ET cum duo sint ex quibus constructus est mundus, corpus scilicet arque anima, quorum illud visibile corruptionique obnoxium, hæc inuisibilis atque inrangibilis, vttiusque vis constitutioque diffetens existit. Corpus siquidem mundi, ex igni, tetra, aquã & aëre compactum est. Quatuot enim hæc artifex ipse mũdi comprehendens, nullum prius elemenrorum ordinem obseruantiæ figurauir ex pyramide atque cubo, & octaëdro, id est figura octo facierũ, atque icosaëdro, id est figura facierum viginri: cunctis autem impressit duodecaëdrum, id est figuram facierum duodecim. Quatenus ergo materiæ pyramidem figura induit, ignis emicuit. Ea quippe figura tenuis, & ad incisionem præ cæteris apta, ex paucioribusque rriangulis constituta, ideoque omnium figurarum leuissima. Quatenus autem octoaëdrum, aëris subinduit qualiratem. At veto cum primum icosaëdram figuram cepit, aquæ naruram sortita est. Figuram denique cubicam rertæ largitus est, solidissimæ quidem atque elementorum omnium stabilissimæ. Figura denique duodecaëdra, ad vniuersi fabricã vsus est. His omnibus antiquior narrra plãnorum: Plana enim solida præcedũt. Planæ vero naruræ duæ quædam origines rectis angulis figuræ sunr, scalenus & isosceles. Et scalenus quidem est triangulus, vnum rectum angulum habens, alterum duarum tertiarum, alium vnius tertiæ. Scalenus ergo triangulus pyramidis, & octoaëdri, icosaedri elemenrum fit, cum pytamis ex triangulis quatuor æquilateris constiruatur, quorum quilibet in sex triangulos scalenos distribuitur. Octaedra vero figura ex octo similibus, quorum quisque in sex triangulos scalenos diuiditur. Icosaedra figura ex viginti similiter. Isosceles aurem triangulus figuræ cubicæ elementum est. Nam quatuor isosceles rrianguli concurrentes, quadrangulum complent. Ex huiusmodi autem quadrangulis sex, cubus conficitur. Duodecaedram vero figuram ad vniuersi constructionem ipse Deus assumpsit, vnde & animalium formæ duodecim in Zodiaco circulo conspiciũtur, quorum quodlibet in partes triginta secatur. Similiter quoque in ipsa duodecaedra figura intueri licet pentagonos duodecim in trian-

gulos quinque, ita vt vnusquisque per sex triangulos diuisos existat, & in omni duodecaëdro trecenti sexaginta trianguli reperiantur, quot etiam in Zodiaco portiones existunt. His ab ipso Deo formata materia agitari cœpit: primo quidem vestigiis absque ordine, deinde à Deo in ordinem redacta est, singulis secundum proportionem inuicem temperatis. Neque tamen loco discreta hæc permanent, indesinentemque concussionem & ipsa habent, & in materiam inferunt, à circumferentia enim mundi constricta seruantur, atque inuicem alternis pulsibus coagitata feruntur, tenuia quidem in prouinciam solidorum. Qua de causa nihil omnino vacuum restat, & inæqualitas iugiter perseuerans pulsationis causam præbet. Ab iis enim materia, & ista vicissim à materia quatiuntur.

De anima mundi, & sphæris, atque stellis.

CAPVT XIV.

EX corporibus itaque animæ vires inuestigare concessit. Nam cum res singulas anima discernamus, rerum omnium principia merito hic indidit, vt quicquid vnquam occurreret, ex cognatione quadam recognoscentes, rebus consonam illius essentiam adhiberemus. Ergo cum diceret esse intelligibilem quandam indiuisibilemque substantiam, alteram quoque circa corpora dispersam tradidit, innuens animam per intelligentiam vtramque substantiam percipere posse. Et quia in rebus iis quæ ad intelligentiam attinent, & in iis etiam quæ ad sensum ipsum idem atque ipsum alterum esse cognouit, ex iis omnibus animam iure constituit. Aut enim simili simile (vt Pythagoreis placet) agnoscitur, aut quemadmodum Heraclito physico, dissimile semper dissimili. Cum vero mundum Plato genitum inquit, haudquaquam sic eum sensisse credendum est, vt aliquod olim tempus ante mundum præcesserit: verum quia semper in generatione perdurat, indicaroue substantiæ suæ causam præstantiorem. Animam præterea mundi, quæ semper existit, haud efficit Deus, sed ornat, eaque ratione illam facere nonnunquã asseritur, quod excitat eam, & ad seipsum eius mentem velut ex profundo quondam somno cõuertit, vt ad ea quæ intelliguntur à Deo respiciens, diuinasque notiones affectans, species indeformasque recipiat. Perspicuum est præterea, quod mundus anima simul & mẽte, ab ipso Deo donatus est. Nam quum optimum opus fore id vellet, merito & animarum mundum & intellectualem effecit. Etenim opificium viuens, non viuente omnino præstantius est: & mentis compos eo quod mentis est expers. Nec forte sine anima accedere mundo mens poterat. Cumque anima à mundi medio ad extrema vsque se fundaret, mundi corpus totum circulo complexa est. Vniuersũ quippe circũregens singulis eius communicata particulis, eoque pacto insolubili cõnectit vinculo, incolumemque conseruat. Atque ea vis animæ, quæ extra restitit, partes eius intimas antecedit. Illa siquidem indiuisa permansit, interior autem portio in septem diuisa circulos est, ab ipso principio duplis ac triplis interuallis vndique distributa. Et illa quidem, quæ ab indiuidua sphæra comprehenditur, ei quod ipsum idem est, cognata permanet, quæ autem dispersa est ei contra quod ipsum alterum appellatur. Motus enim cœli singula comprehendentis cum minime peruagetur, vnus est, ordinemque præcipuum seruat. At vero subiectorum progressus varius ortibusque & occasibus permutatur: vnde peruagatio quædam atque oberratio nuncupatur. Extimus quidem circulus, ad dexteram ab ortu in occasum vsque transcurrit. Interior autem contra, in sinistram ab occidente in orientem superiori resistens. Stellas præterea & astra Deus ipse molitus est, & quæ ex iis nequaquam vagantur, ad cœli noctisque ornatum. Atque huiusmodi stellarum multitudo innumera est. Quæ vero vagantur numero septem, ad numeri temporisque originem, & ad rerum omnium illustrationem. Tempus planè mundani motus interuallum facit, veluti quandam æternitatis imaginem. Æternitas quippe æterni mundi status mensura est. Vagantium quoque siderum baud sanè omnium vis eadem est. Sol enim dux est omnium reliquorum, & illuminans & oculis patefaciens vniuersa. Luna deinde potestatis gratia, secundum obtinet ordinem. Cæteri vero Planetæ secundum proportionem pro sorte propria singuli. Luna siquidem mensis terminum indicat, in eo spatio circulum suum excurrens, solemque comprehendens. Sol autem anni mensurã: transcurrens namque Zodiacum circulum, anni tempora complet. Cæterorum quoque siderum quodlibet proprio circuitu fertur. Atque hi quidem circuitus non cuibuscunque hominibus, sed eruditis noti sunt. Ex omnibus demum reuolutionibus absolutus numerus temporisque complebitur, cum ad idem punctum omnes Planetæ peruenientes eiusmodi accipient ordinem, vt linea quadam recta à supremo circulo vsque ad terram secundum perpendiculum considerata, omnium centra in ipsa conspiciantur. Cum igitur septem sphæræ in orbe circumuago constructæ fuissent, in iis corpora septem conspicua mundi conditor maxima ex parte ignea fabricanit, eaque sphæris ex altero vagoque circulo constitutis adnexuit. Lunam profecto circulo supra terram primo dicauit. Solem vero secundo. Luciferum deinde & sacrum Mercurij sidus in circulo pari ac Sol velocitate currente disposuit. Supra vero reliqua secundum propriam sphæram gradatim disposita. Tardiorem sanè omnibus Saturni stellam in proxima sub non errante circulo sede collocauit. Qui vero huic aliquid in tarditate cedit Iupiter, continuo sequebatur. Huic Mars deinde successit. Octaua demum potestas hæc omnia circumplexa est.

Horum singula viuentia sunt, & intelligentia, necnon dij cognominantur, eorumque figuræ rotundæ sunt.

De dæmonibus atque elementis.

CAPVT XV.

SVnt & alij qui vocantur dæmones in singulis elementis, quos intelligibiles Deos nuncupare possumus, partim quidem visibiles, partim autem rursus aciem fugientes in æthere atque igni, aëreque & aqua, ne pars vlla mundi expers animæ, animantisue natura præstantis relinqueretur. His autem terrena, & quæ sub Luna sunt cuncta subiiciuntur. Etenim Deus mundi

totius, deorumque & dæmonum author est, atque id vniuersum voluntatis diuinæ munere nunquam in posterum dissoluetur. Cæteris autem operibus eius filij præsunt, secundum patris præceptum imitationemque singula transigentes. A quibus furentium concitatio, atque raptus, & somnia, & oracula, & quæcunque per vaticinium mortalibus accidunt. Terra vero omnium media sita est, circa discordiam agitationemue, quæ per totum porrigitur coarctata, diei noctisque custos, deorum omnium qui intra cœlum sunt antiquissima. Ac post ipsam mundi totius animam dulcia nobis alimenta ministrat, circa quam cœlum voluitur: necnon astrum ipsa quoddam est, ob eamque rationem immota permanet, quod æquilibrata est in medio similis continentium. Æther autem exteriorem prouinciam sortitus est, in sphæras vagantium & non vagantium distributus. Quibus aër successit. In medio vero terra vna cum eius humore resedit.

Dij iuniores sunt opifices hominis. De transmigratione animæ.

CAPVT XVI.

CVm hæc omnia fabricata essent, restabant mortalium animantium genera tria, volatilium, natantium, atque gradientium, quorum generationem filiis suis faber mundi mandauit. Nam si ipse hæc etiam genuisset, immortalia nata fuissent. Illi igitur à prima materia particulas, quas exactis certis temporum curriculis redderent, mutuantes, mortalia finxerunt animantium geneta. Quoniam vero de hominum genere vtpote diis cognatiori tum patri Deo, tum etiam natis cura erat, demisit huius generis animas in terram ipse omnium artifex stellarum numero pares. Verum cum quamlibet antea cognato astro tanquam vehiculo imposuisset, instar legum conditoris fatales illis leges explicauit, vt ipse extra culpam delictorum existeret. Docuit igitur perturbationes à corpore mortales exorituras: primo quidem sensum, postea voluptatem atque dolorem, metumque, & iram: quas quæ superarent, neque se trahi permitterent, iuste victuras, & in cognatum astrum denique redituras. Quæ vero ab iniustitia superarentur, secunda generatione in vitam fœminæ migraturas. Et quæ nondum ab improbitate cessarent, in brutorum denique naturam degeneraturas. Finem vero laborum tunc demum futurum, cum innatos corporis affectus expulerint, & in proprium habitum iam redierint.

De corpore membrisque hominis, & viribus animæ.

CAPVT XVII.

DIj autem in primis hominem ex terra, & igni, aëreque, & aqua finxerunt, portiones quasdam quas quandoque redderent à materia mutuantes, ligantesque inuicem, latentibus nexibus corpus vnum ex omnibus confecerunt. Ac partem deinde animæ præstantiorem in capite locauerunt, cum cerebrum prius cen cultum agrum præparauissent. Circa vultum organa ad ministeria sensuum disposuerunt. Cõposuerũt quoq; medullam ex leuibus ea sine flexura triangulis, quibus elementa genita fuerãt, genitalis seminis futuram originem. Os autem ex medulla atque terra coëgerunt, postquam hæc duo igni & aqua crebrius irrigarant. Neruos item ex osse & carne. Cato vero ex salsa & acuta quadam quasi fermentatione compacta est. Circundederunt autem ossa medullis, & ossibus iuncturarum gratia neruos, vnde neruorum obsequio, flexiones articulorumque nodi prouenerunt. Per carnem postremo teguentum illis adiectum est: quæ tum alba, tum plurima, & ad decorem, & ad vsum viuentis est tradita. Ex iis præterea interna sunt implicita viscera, ventterque, & circa ipsum intestina vndique reuoluta. Superne vero ab ore arteria & fistula faucium, vna quidem in stomachum, altera autem in pulmones protensa. Cibi profecto in ventre digeruntur spiritu simul, & calore attriti atque molliti, atque inde in totum corpus manant permutationibus propriis. Duæ autem venæ circa spinam erectæ, caput contrario modo implicãt, inuicem obuiantes, hinc in multa se scindunt. Postquam dij hominem fabricarunt, animamque illius dominam corpori coniunxerunt, animæ ipsius principem rationem caput habitare iussere, à quo medullæ neruorumque origo deducitur, cuiusue variis passionibus mentis alienatio sequitur. Quapropter circumpositis capiti sensibus ipsam corporis arcem quasi quibusdam satellitibus munierunt. In ea siquidem ea vis habitat quæ ratiocinatur, iudicat & contemplatur. At vero partes animæ quæ mouentur affectibus, humilioribus sedibus addixerunt. Irascendi vim cordi, concupiscendi vero iis quæ circa vmbilicum sunt partibus, de quibus in posterioribus disseremus.

De visu, lumine, specularibus imaginibus.

CAPVT XVIII.

VErum postea quam in vultu luciferos oculos insculpserunt, lumen illis igneum accendere. Quod cum lene & quodammodo crassum esset, existere diuini luminis germanum existimarunt. Id vtique passim per oculos emanat, verum per pupillas potius vberiusque transcurrit. Quod quidem externo fulgori simile commixtum simili ac corroboratum videndi sensum præstat. Ideoque nocte abeunte vel obumbrato lumine, haud amplius radius hic noster aëri se propinquo permiscet. Quo fit vt sese ad interiora recipiens demulceat atque resoluat inter nos motus, somnoque membra deliniat, vnde & palpebras cum iam retractum est claudit. Et si plurimum quietis induxerit, somnus fermè sine insomniis surrepit. Quod si quædam adhuc agitationes restiterint, frequentia confestim phantasmata nobis occurrunt. Atque hoc pacto phantasiæ seu veræ siue falsæ, tramite quodam directo nascuntur. Post istas autem sequuntur imagines, quæ in speculis vel aliis corporibus transiucentibus lenibusque videntur, quæ quidem haud aliter quàm secundum reuerberationem resultant. Quatenus enim vel concauum vel conuexum vel oblongum speculum erit, eatenus visa diuersa intuentibus apparebunt. Nam lumina ad partes alteras

reflectentur, à connexo quidem repulsa atque dispersa, in concauum vero conuenientia. Quam ob causam in quibusdam dextra atque sinistra controuersa videntur, in aliis pari modo, in nonnullis autem supeta ad infera, ac vice versa ad superna infera conuertuntur.

De cæteris sensibus, & obiectis eorum.

CAPVT XIX.

AVditus vero ad vocis præceptionem procreatus est, exoriens à motu, qui circa caput efficitur, ad iecur vsque deueniens. Vox autem per aures cerebrumque & sanguinem ad animam penetrat: acuta quæ mouetur velocius, grauis quæ tardius, magna quæ plurima, parua quæ pauca. Post hæc narium vis sequitur ad odorum perceptionem progenita. Odor autem est passio quædam, à narium veris vsque ad vmbilici regiones transfluens. Huius species præter duas communiores nomina nequaquam habent. Atque hæ quidem non aliter quàm bonus odor, quæ suauitatis & nauseæ nomina sunt, cognominantur. Odor certe omnis aëre crassior est, aqua subtilior. Propriè autem in iis odoris genus accidit, quæ nondum transmutationem integram susceperunt, sed communione quadam aëris & aquæ constant, cuiusmodi sunt quæ ex fumo & caligine conficiuntur. His enim inuicem alternatis, odorandi sensus efficitur. Gustum deinde variorum admodum succorum iudicem dii formarunt, venas porrigentes ab illo ad cordis sedem, quibus diuersi liquores examinarentur. Hæ siquidem dum dilatantur variè atque contrahuntur, secundum succorum incidentias eorum varietatem discernunt. Sunt autem saporum differentiæ septem: dulcis, acer, ponticus, austerus, salsus, acutus, amarus. Et dulcis quidem natura reliquorum omnium contraria, etenim humorem linguæ imbibitum perfundit atque delinit, acer turbat atque dispergit, acutus inflammat, & ad supera euolat. Qui vehementer abstergit & liquefacit, amarus dicitur: sed qui lenius purgat atque permollit, salsus. Ex iis autem saporibus qui obstruunt linguæ meatus & contrahunt, qui id asperius agunt pontici, qui vero lenius, austeri dicuntur. Tangendi postremo sensus à diis genitus est, vt calida dignoscat, & frigida, mollia & dura, leuia atque grauia, leniaque & aspera. Cedentia quidem corpora dicimus, quæ tactum recipiunt. Resistentia, quæ minime cedunt. Hoc autem propter corporum ipsorum fundamenta contingit. Quæ enim ampla, habent stabilia ac solida: quæ contra exiguo fundamento vtuntur, cedentia, mollia, lubrica sunt. Asperum sanè est, quod inæquale ac durum. Lene, quod planum simul & pingue. Cum vero calida & frigida passio admodum oppositæ sunt, diuersis causis inferuntur. Nam quod acumine ac velocitate partium scindit, calidam passionem gignit: frigidam vero quod ingressu pigrius. Dum tenuia quidem expelluntur, & in illorum sedes crassiora penetrare coguntur, tunc sanè concussio tremorque prouenit, & quæ hinc passio in corporibus nascitur, rigor existit.

De graui & leui.

CAPVT XX.

GRaue & leue per superiorem & inferiorem locum definire non decet: nihil enim aut sursum est aut deorsum. Nam cum cœlum omnino rotundum sit, & in conuexa superficie æqualiter leuigatum, haud decet aliquid superius, aliquid inferius prædicare. Cæterum graue quidem dicendum id est, quod difficile in locum extra naturam suam trahitur: leue vero, quod facilè. Item graue quod ex plurimis, leue quod ex paucissimis partibus est compositum.

De respiratione.

CAPVT XXI.

REspiramus autem hoc pacto. Aër amplus circumstans vndique per os ac nares, cæterosque latentes meatus corporis influit. Calefactus inde ad externum cognatumque aërem refluere nititur. Qua vero ex parte effluit, extimum aërem ad interna repercutit, & huiusmodi circulo nunquam cessante, inspiratio & expiratio sequitur.

De causis morborum.

CAPVT XXII.

MOrborum causas Plato multas esse docuit. Primam quidem, elementorum excessum atque defectum, mutationesque locorum in prouincias naturæ minime congruas. Secundam vero, mutuam cognatorum regenerationem: veluti si ex carne sanguis, aut bilis, aut pituita fiat. Hæc enim omnia nihil aliud quàm colliquationem & putrefactionem esse. Pituitam enim esse recentis carnis liquefactionem. Sudores autem & lachrymas effluxum quendam, reliquiasque pituitæ. Extra quoque missa pituita, albas infectiones inducit. At intus atræ bili commixta, morbum comitialem, qui sacer appellatus est, procreat. Acuta vero & salsa pituita passionum, quæ per fluxum accidunt, causa est. Omnes enim qui pituita simul & bili grauantur, id pati necesse est. Nam innumeros variosque morbos bilis cum pituita gignit. Febrem continuam ignis excessu contingere putat: Diurnam aëris, Tertianam aquæ, Quartanam denique terræ. Deinceps de anima, hinc sumentes exordium, dicendum est, etsi in idem redire videmur.

De tribus principalibus animæ viribus.

CAPVT XXIII.

ANimam hominis immortalem à primo Deo suscipientes, dij mortalium generum conditores, partes illi duas mortales, vt diximus, adiunxerunt. Verum ne vis animæ immortalis atque diuina deliramentis mortalibus inficeretur, in ipsa corporis arce sedem eius vtpote principis omnium statuerunt. Etenim habitaculum eius caput esse voluerunt, ea figura, qua mundus elaboratus. Reliquum vero corpus huic ad ministerium quasi vehiculum subiecerunt. Ipsis vero mortalibus portionibus propias singulis prouincias assignarunt: Iracundiæ

quippe præcordia: cupidini verò locum medium inter vmbilicum atque Diaphragma: ibique vim eam veluti furiosum & agreste animal, ligauerunt. Pulmones machinati sunt gratia cordis, molles atque ventosos, & instar fistulæ cauos, & spongiæ similes, vt cor iræ ardore nonnunquam exæstuans, aliqua saltem refrigeratione mitigaretur. Iecur autem ad excitandam concupiscentiam animæ rursusque sedandam dulcedinem simul & amaritudinem nactum est. Quinetiam ita est institutum, vt diuinationes quæ per somnia fiunt, in ipso reluceant. In eo siquidem propter lenitatem, soliditatem atque nitorem, vim à mente manentem refulgere putauit. Splenem verò iecoris ipsius gratia, vt & purget ipsum, & splendidum reddat, vtque putredines corrodentes, quæ quibusdam morbis circa iecur affluunt, in splenem continuò delabantur.

De distinctione partium animæ.

CAPVT XXIV.

Quod autem illæ tres animæ partes locis propriis seiunctæ sint, hinc discere licet. In primis enim, quæ natura segregata sunt, altera existunt. Natura verò segregatur, quod rationem habet, & quod rationi subiicitur. Siquidem illud circa intelligibilia versatur, hoc autem circa molesta vel læta. Quinetiam ratio hominibus duntaxat, pars autem perturbationibus obsequens, cæteris quoque viuentibus competit. Ratio itaque & irrationalis animæ portio, cum natura distinctæ sint, locis quoque seiunctæ esse debent. Inueniuntur enim hæc duo sæpe inuicem repugnare. Nihil autem secum pugnare potest: neque etiam quæ inter se contraria sunt circa idem, secundum idem, eodem in tempore, ad esse vllo modo possunt. Videtur autem in Medea ira cum ratione pugnare: Intelligo inquit, quæ factura sum esse mala, ita tamen consilium superat. In ipso etiam Laio dum Chrysippum raperet, concupiscentia rationi nimium repugnabat, sic enim inquit: Heu heu diuinum hoc hominibus malum, quando quis bonum nouit, sed minime vtitur. Item aliud quiddam esse vim rationalem, ex hoc planè patebit, quod diuersa vtrorumque curatio est. Illa quippe disciplina, hæc autem consuetudine & exercitatione curatur.

De immortalitate animæ.

CAPVT XXV.

Animam his rationibus immortalem esse Plato demonstrat. Anima cuicunque adest, vitam affert, vtpote illi naturaliter insitam: quod verò vitam præstat, mortem minime suscipit. Quod autem huiusmodi est, immortale existit. Quod si immortalis est anima, incorruptibilis quoque erit: Essentia enim incorporalis secundum substantiam immutabilis, intelligibilis, inuisibilis & vniformis est. Nonne igitur & simplex & indissolubilis erit? Corpus verò contrà habet; sensibile, visibile, dissipabile, compositum, multiforme. Præterea anima, cum per corporis sensus ad illa quæ sensibilia sunt descendit, angitur atque turbatur: neque similis esse potest illius, cuius præsentia perturbatur: quare intelligibilibus potius quàm sensibilibus similis est. Intelligibile verò ipsa sui natura semper incorruptibile. Accedit ad hæc, quod anima ipsa natura corpori dominatur. Quod autem natura sua regit & imperat, diuinitati cognatum: Quapropter anima Deo proxima, immortalis erit. Item quæcunque sine medio contraria sunt, neque secundum seipsa, verum secundum accidens quodam, sic à natura sunt instituta, vt ex se inuicem mutuo fieri valeant. Ipsum verò quod homines viuere vocant, ipsius quod mori dicitur contrarium est. Quemadmodum igitur mors est animæ à corpore separatio, sic vita animæ cum corpore congressio est, animæ inquam quæ ante corpus extiterat. quod si & fuit ante, & post mortem erit, consentaneum videtur vt sempiterna sit: Neque enim vltra quicquam quod illam perdat excogitari potest. Adde, quod si disciplina reminiscentia quædam est, immortalem esse animam, necesse est. Esse verò reminiscentiam sic adstruimus. Neque enim aliter discere quicquam possumus, quàm per recordationem eorum quæ quondam nouimus: Nam si à singulis vniuersalia intelleximus, quonam pacto singula ipsa vniuersa cum infinita sint percurrimus? At quomodo ex paucis indiuiduis communia ipsa percepimus? Deciperemur enim atque mentiremur, perinde ac si iudicaremus, omne quod respiratione vtitur, solum animal esse. Vel quomodo ipsæ intelligentiæ in nobis principales essent? Reminiscendo igitur intelleximus ex paruis acceptionibus à quibusdam secundum partem incidentibus, reminiscentes eorum quæ iamdudum cognoueramus, quorumue obliuionem tunc primum perpessi sumus, cum primum animæ in corpora descenderunt. Præterea si anima à proprio malo nequaquam corrumpitur, nunquam alterius malo, neque simpliciter à quocunque malo destruetur. Cumque huiusmodi sit, incorrupta perseuerabit. Item quod seipso mouetur, vtpote motus principium, semper mouetur, & quod huiusmodi, immortale est. Anima verò seipsa mouetur, & quod seipso mouetur, motionis omnis generationisque principium. Principium autem ingenitum & incorruptibile permanet. Quapropter & hominum & reliquorum animantium animæ fortè tales existunt, atque eiusdem mixtionis participes. Per se mobilem sanè animam vocat, quoniam innatam habet vitam semper secundum seipsam operantem. Quod igitur animæ rationales immortales sint, ex Platonis sententia quibusque asseuerare potest. Vtrum verò & irrationales, ambiguum esse videtur. Probabile tamen est irrationalium animas cum sola phantasia ducantur, ratiocinationis iudiciique expertes, nec intelligentiis earumue collectione, aut boni malive discretione vtantur, aut sanè eiusdem cuius & animæ nostræ naturæ participes esse, sed mortales potius corruptionique obnoxias. Ex eo autem quod rationales sint, sequitur vt extrinsecus ingrediantur in corpora, formatis iam fœtibus adhærentes, & in corpora plura tum humana, tum etiam alia, eundem semper seruantes numerum transfigurare valeant, atque id voluntate deorũ, siue incontinentia vitę, corporisque amore. Quippe corpus & anima cognationem inter se quandam habent, qualem ignis atque bitumen. Quin etiam deorum animæ vim discernendi, quæ etiam dignoscendi facultas dici potest, nactę sunt. Præterea & aggrediendi naturam, quem assistendi vigorem possumus nuncupare. Post hæc vim quan-

dam, qua conciliant & gubernant, quæ quidem naturæ cum in hominum animis insint, postquam in corpora venerint, permutantur. Conciliandi nam que & gubernandi facultas in concupiscentiam, aggrediendi autem vigor in iracundiam transmutatur.

De virtutibus & vitiis, atque horum distinctionibus.

CAPVT XXVI.

Quoniam verò secundum vires rationales & irrationales anima trifariam diuisa est, id homini contingere Plato existimat, vt nunquam prudens esse queat, dum aut timidus aut intemperatus existit: ideoque absolutæ virtutes inuicem inseparabiles sunt. Dicuntur & alio quodam modo virtutes naturæ dotes & inclinationes bonæ ob quandam similitudinem, idem quod & perfectæ virtutes nomen adeptæ. Quamobrem milites fortes quandoque dicimus, nec non imprudentes ac temerarios: quosdam fortes aliquando prædicamus, haud sanè de perfectis virtutibus, sed de dotibus naturæ loquentes. Absolutæ profectò virtutes nec crescunt vnquam nec decrescunt. Vitia verò intenduntur atque etiam remittuntur: vnus siquidem altero imprudentior & iniustior. Nec tamen se inuicem vitia cuncta sequuntur, sunt enim contraria quædam, quæ in idem congredi nequeunt. Sic se habet ferocitas aduersus timiditatem, & aduersus auaritiam prodigalitas. Neque inueniri quisquam potest omnium vitiorum maculis inquinatus, quemadmodum nec corpus cunctis morborum corruptionibus simul afflictum. Accipienda est insuper media quædam affectio, quæ nec ad virtutem pertineat. Neque enim homines vniuersos probos vel improbos esse necesse est. Nam huiusmodi sunt, qui iam ad integrum peruenerunt, haud quippe facile est è vestigio ad virtutem progredi. Longo enim interuallo extrema inter se distat. Virtutum præterea quædam principes, quædam verò pedissequæ. Principes, in parte animæ rationali quibus & cæteræ virtutes perficiuntur. Pedissequæ verè, quod circa partem rationis expertem versantur. Hæ siquidem honesta operantur haud sanè secundum rationem, quę ipsis insit (neque enim habent) verum secundum notmam à prudentia ex consuetudine & exercitatione illis impositam. Et cum neque scientia neque ars in alia parte animæ quam in rationali consistat, virtutes quæ circa partes irrationales versantur doceri nequeunt, quia nec artes, nec scientiæ sunt. Neque enim propriam intelligentiam possident. Prudentia tamen, quæ & scientia est, propria vnicuique tribuit, quemadmodum gubernator nautis quędam ab illis minime inspecta interdum indicat, illi verò sequuntur. Eadem quoque ratio in milite, & exercitus duce. Cum verò mala & intendantur & remittantur, delicta patia nequaquam erunt, sed quædam maiora, minora nonnulla. Quam ob causam conditores legum quædam lenius, quædam asperius puniũt. Et quamuis ipsæ virtutes summitates quædam sint, ex eo quod perfectæ sunt, ac recto comparantur, alio tamen modo mediocritates dicuntur, eo quod circa singulas vel saltem plurimas, duo vitia vtrinque conspiciuntur, quorum vnum excessu, alterum defectu prouenit: Velut circa liberalitatem, hinc auaritia, inde prodigalitas cernitur. Nam in affectibus intemperantia sequitur, aut ex eo quod vltra decens transitur, aut ex eo quod nequaquam attingitur. Neque verò qui patentibus suis furentibus nihil mouetur, neque etiam qui ex quibuscunque minimis effertur, moderatus est. Item qui parentibus vita functis nihil dolet, insensatus est qui verò mœrore seipsum perdit, effrenis: at qui mediocriter tristatur, moderatus dicitur. Et qui in omnibus trepidat formidolosus: qui nihil omnino metuit, ferox: fortis autem qui ad timendum atque audendum mediocritatem seruat. Eademque de cæteris omnibus ratio est. Quoniam verò mediocritas in affectibus optima est, nec aliud est mediocritas quàm medium inter excessum atque defectum, ob id virtutes huiusmodi mediocritates dictæ sunt, quod nos mediocritet affectos circa perturbationes humanas reddunt.

Quomodo virtus quidem voluntaria, prauitas autem inuoluntaria.

CAPVT XXVII.

Postquam verò si quid aliud in nostra potestate consistit, nec est coactum, eiuscemodi præcipue virtus est. Neque enim laude digna existimaretur, si vel natura, vel diuina sorte contingeret. Sequitur vt voluntaria virtus existat, atque id per affectionem quandam flagrantem generosam atque perpetuam. Ex hoc tandem quod virtus voluntaria est, prauitatem inuoluntariam esse concluditur. Quis enim in parte eius præstantiori, extremum esse malum sponte vnquam eligat? Quod si quis in vitium labitur, primum quidem non vt in malum, sed velut in bonum potius inclinatur. Et si in malum irruit, omnino deceptus est, vt per minus malum maius quoddam malum deuitet, atque ex hoc inuoluntarius agitur. Neque enim fieri potest vt quis eo animo ad mala declinet, quasi mala exoptet, neque spe aliqua boni aut metu minoris mali feratur. Quamobrem omnia quę improbus agit inuoluntaria sunt. Nam cum iniustitia inuoluntaria sit, multo magis iniuste agere inuoluntariũ, erit, quo deterior est operatio ipsa vitij, quàm eius habitus ociosus. Et quãuis inuoluntaria sint scelera, sceleratí tamẽ homines puniendi. Ac etiam diuersa pœnarum genera esse debent, quemadmodum illata per iniuriam damna differentia sunt. Inuoluntatium prætetea in ignorantia quadam vel perturbatione consistit. Quæ profectò excutere licet ratione, consuetudineque ciuili atque diligentia.

De iniustitia, de affectuum distinctione.

CAPVT XXVIII.

Tantum verò malum iniustitia est, vt iniuriam pati præstet admodum, quàm inferre. Etenim iniuria quenquam afficere, improbi hominis opus est: affici verò iniuria, imbecillis est passio. Turpe quidem vtrunque Attamen inferre iniuriam eo deterius est, quo turpius Atqui operæ precium est, iniusto se iudici vltro subiicere, quemadmodum ægrotanti medico se committere. Omnis enim castigatio medicina quædam est delinquentis animæ. Quoniam verò virtutes quamplurimæ circa affectus perturbationesque

versantur, affectus ipsi iam distinguendi videntur. Est autem affectus motus animæ sine ratione, gratia boni cuiusdam aut mali. Irrationalis motus ideo dictus est, quia nec iudicia, nec opiniones affectus sunt, sed irrationalium partium animæ motus. In parte enim animę rationis expertę motiones sunt, quę etsi nostra sunt opera, nihilo tamen magis in nostra potestate consistunt. Sæpe igitur inuoluntarij motus huiusmodi nobis exoriuntur, voluntatique repugnant. Quandoque enim accidit, vt dignoscentes nec aspera esse quæ incidunt, neque dulcia, nec experenda, nec etiam metuenda: nihilominus ab iis trahamur. Quod sanè nunquã pateremur, si perturbationes idem essent atque iudicia. Hæc enim tunc reiicimus, cum ipsa per consilium confutamus, siue vt decet, seu non id agamus. Adiectum præterea in definitione est, boni cuiusdam, aut mali gratia: Nam ex indifferenti occursu affectus minime concitatur. Ex eo enim, quod aliquid, aut bonum aut malum apparet, perturbationes omnes nascũtur. Et si bonum adesse videatur, voluptate perfundimur, si fore cupimus: malum contrà cum præsens appetat dolemus, futurum metuimus. Simplices præcipuique affectus duo sunt, voluptas scilicet atque dolor Cæteri autem ex iis velut elementis quibusdam conficiuntur. Neque enim cum iis timores & concupiscentiam quasi simplices principalesque sint, annumerare debemus. Nam qui metuit, non omnino voluptate priuatus est: quippe si malorum repulsionem vel leuationem penitus desperarit, haud vltra metueret, imò acriori inde passione afflictus, doleret iam potius quàm timeret. Qui verò cupit, quandoquidem consecutionem eius quod appetit, sperat, quodammodo delectatur, & cum haud certam spem habeat, angitur. Quod si cupido ac metus minime simplices sunt, sine controuersia concedetur, nullum quoque reliquorum affectuũ simplicem esse, velut iram inquam, desiderium, æmulationem, cæteraque huiusmodi. In iis enim voluptas & dolor tanquam ex iis compositis inspiciuntur. Perturbationum præterea quędam agrestes, nonnullæ domesticæ sunt. Domesticæ quidem quæcunque secundum naturam hominibus insunt. Atque hæ sanè dum modum tenent, necessariæ ac propriæ sunt: at cum supra modum efferuntur, profectò delinquunt. Eiuscemodi sunt, voluptas, dolor, ira, misericordia. Conueniens quippe hominibus est iis, quæ secundum naturam accidunt delectari, contrariis verò dolere. Et ita quidem ad repellendam vlciscendamque iniuriam necessaria est: misericordia humanitatis atque caritatis est propria: verecundia verò vt ab aduersis declinemus, nos prouocat. Agrestes autem & ferinæ perturbationes præter naturam hominum ex peruersione vitæ, ac deterrima consuetudine procreantur. Huiusmodi sunt, risus effusior, & in malis contingentibus exultatio, & humani generis odium: quę siue vehementes atque intensæ atque remissæ sint, aut quomodocunque se habeant, semper aberrant, mediocritatemque laudabilem nullam prorsus admittunt. De voluptate autem & dolore, sic inquit Plato: Has videlicet perturbationes in nobis ab ipsa origine naturaliter excitari: Dolorem quidem iis, qui præter naturam mouentur accidere: voluptatem verò illis, qui in naturam suam restituuntur. Existimat enim naturalem hominis statum esse medium inter voluptatem atque dolorem, dum neutro mouetur: quo in statu plurimum tempus viuimus. Tradit item plures species voluptatum: quasdam per corpus, nonnullas verò per animam: necnon ex voluptatibus alias dolori commixtas, alias puras esse: aliquas item per memoriam fieri, secundum spem alias excitari, nonnullas quoque turpes, honestas alias, & illas quidem ex incontinentia & ex iniustitia suscipi, has autem ex temperantia, aut alio quodam bono contingere, veluti gaudium illud quod ex virtutum operatione percipitur, cum igitur voluptatum plurimarum natura obscœna sit, nequaquam disputandum esse censet, vtrum voluptas simpliciter & absolute bonum esse possit. Exilis enim & inanis esse videtur, cuius natura pedisse qua est alterique succedens, neque substantiæ propriæ principalis particeps. Contrario quoque suo congreditur dolori semper immixta, quæ sanè nunquam contingerent, si voluptas absolutum bonum, dolor autem absolutum malum esse posset.

De fato & libero arbitrio.

CAPVT XXIX.

DE fato autem huiusmodi quædam Platoni visa sunt. Omnia, inquit, in fato sunt, non tamen omnia fato decreta. Fatum enim legis instar nequaquam dicit, hic talia faciet, hic talia patietur: In infinitum namque progressio foret, cum infiniti sint qui nascuntur, & innumera quæ illis deinde contingunt. Libertas quoque nulla restaret, & laudes vituperationesque penitus tollerentur. Verum sic fatum pronunciat. Quæcunque anima talem vitam elegerit, & huiusmodi quædam commiserit, consequentet talia patietur. Libera ergo est anima, & in eius arbitrio vel agere vel non agere ponitur, neque hoc ab aliquo cogitur: quod autem sequitur actionem, ab ipso fato perficietur. Veluti ex eo quod Paris Helenam rapiet, quod quidem in eius erit arbitrio: sequetur, vt Græci de Helena decertent. Sic quoque Apollo ipsi Lario prædixit, si genueris filium, natus ipse te perimet. In lege quidem, & Laius & generatio Filij simul comprehenditur: fato verò institutum est, quod ex generatione filij sequitur. Ipsius autem quod possibile est, natura inter falsum & verum media cadit, eique sua pte natura indefinito, libera animæ rationalis potestas vndique superfertur. Quod verò eligentibus nobis efficitur, confestim aut verum est aut falsum: ab eo autem quod in potentia, id est quod habitu quandoque actuque erit, admodum discrepat. Quod enim potentia facultatem quandam & aptitudinem ad aliqua quæ nondum ordinem suum sortita sunt, significat, quemadmodum puer potentia quadam grammaticus, tibicen ac faber dicitur, eritque tunc in vnius aut duorum habitu constitutus, cum didicerit, habitumque istorum aliquem nactus fuerit. In actu verò tunc demum esse dicetur, cum secundum acquisitum habitum operabitur. At quod possibile vocabamus, horum neutrum est. Indeterminatum enim atque indifferens natura sua libertate nostra in vtram placuerit, statere lancem quodammodo declinante, mox aut verum aut falsum ex possibili fit.

De bonis, & summo bono, atque virtutibus.

CAPVT XXX.

Deinceps quæ Platoni de motibus placuerunt, breuiter perstringamus. Venerandissimum profectò & supremum bonum, nec facile inueniri, nec postquam inuenetis tutò cuilibet reuelari posse putauit: ideoque cum paucis admodum, atque iis quidem familiarissimis ac probe electis, contemplationem ipsius summi boni communicauit. Nostrum tamen bonum, si quis diligenter eius libros examinauerit, in ipsa primi boni contemplatione posuisse reperiet: Quod quidem bonum, & Deum & primam mentem nuncupare licet. Omnia enim quę ab hominibus bona dicuntur, ea ratione bona nominari voluit, quod aliquo modo ipso primo bono participant: quemadmodum & dulcia omnia atque calida, participatione quadam primi dulcis & calidi, appellationem huiusmodi sortiuntur. Ex iis verò quæ nobis insunt, mentem atque rationem duntaxat ipsius boni similitudinem cõsequi. Quamobrem bonum nostrum, pulchrum quiddam, venerandum, diuinum, amandum, commensuratum, ac beatiudo apud illum vocatur. Eorum autem quæ vulgò dicuntur bona, cuiusmodi sanitas est, formaque, & robur, necnon diuitiæ atque dignitates, nullum prorsus esse bonum, nisi in vsum virtutis inciderit. Separata enim hæc ab ipsa virtute, materiæ sortem solummodo tenent, atque iis qui male vtuntur, mala proculdubio sunt. Nonnunquam tamen ipsa materialia bona Plato nominat. Beatitudinem verò haud quaquam in bonis hominibus, sed in diuinis ac sanctis inesse. Ideoque ingentibus quibusdam admirandisque bonis legitimorum philosophoũ animos refertos esse prædicat, ac post corporis mortalis interitum diuinis epulis vesci, veritatisque campum cum diis vnà circumlustrare. Idque ex eo potissimum promereri, quod in omni vita desiderio scientiæ diuinæ flagrauerint, atque eam præ cæteris omnibus veluti preciosissimum quiddam coluerint. Cuius munere mentis illorum expergefactus oculus atque reuiuiscens antea obcęcatus, innumeris tamen corporeis oculis preciosior, eos vniuersæ naturæ rationalis compotes efficit. Etenim ignorantes homines iis comparat, qui vitam omnem in subterranea quedam spelunca transegerint, vbi fulgidum solis lumen nunquam inspexerint, sed exiguas & inanes vmbras corporum eorum, quæ nos supra terram inspicimus. Quas dum intuerentur, vera se corpora videre putauerint. Vt enim hos si quando è tenebris ad lumen emerserint, consentaneum est omnia quæ antea visa fuerant, ac seipsos multo magis tanquam omnino deceptos vituperare: sic & eos qui ex huius vitæ tenebris ad diuina se conferunt rationabile est, quæ quondam maximi fecerant aspernari, diuinorumque beatam speculationem duntaxat amare. Ex quibus consequens est dicere, ipsum solum bonum in scientia primi, quod & pulchrum est consistere: quod per omnes Platonis libros ostensum est, semper tamen secundum ipsam participationem id assertum. In primo igitur libro de legibus hoc modo: Duo quidem bona sunt, humana videlicet atque diuina, & quæ sequuntur. Si quid autem absque virtute possidetur, & essentiæ primi est expers, id præterea ab ignorantibus bonum est appellatum: quod tamen in Euthydemo Plato ingens habenti malum esse testatur. Quod verò virtutes per seipsas eligendas existimat, ex eo patet, quod solum pulchrum honestumque bonum esse censet, quod cum in multis eius Dialogis demonstretur, tum maxime in iis quos de Republica edidit. Quapropter hominem Dei scientiam consecutum, felicissimum beatissimumque existimat. Neque tamen bonorum causa, qui eiusmodi vitum sequuntur, neque alicuius alterius præmij gratia beatum vocat: sed licet homines vniuersos lateat, eaque etiam quæ vulgò mala putantur, infamiæ, exilia, atque mors illi contingant, nihilo minus beatum fore. Atqui hominem absque Dei scientia, cuncta quæ vulgus bona prædicat possidentem, diuitias, regna, sanitatem, robur & formam, nihilo magis beatum putat. Quibus omnibus consequentem atque consonum finem induxit, hoc est Dei similem fieri, quoad humanum genus assequi potest. Variis autem modis id astruere tentat Interdum quippe similitudinem Dei dicit prudentem, iustum, sanctumque esse, quemadmodum in Theæteto declarat. Vnde admirandum monet oculis hinc ad diuina consurgere. Fuga verò similitudo Dei: similitudine Dei prudentẽ, iustum sanctũque fieri. Nonnunquam etiam per solam iustitiam, quemadmodũ in vltimo de Republica libro, Dei similes fieri nos posse demonstrat: Neque enim à Deo, inquit, vnquã despicitur, quisquis conatur vt iustus euadat, & ipsius virtutis officio sese quantum licet Dei similem reddat. In Phædone verò Dei similitudinem per temperantiam institiamque acquiri sic asserit. Nonne beati sanctique sunt, & in optimum locum migrant, qui popularem ciuilemque virtutem, quam temperantiam & iustitiam vocant, exercuerunt. Interdum igitur vitæ finem esse dicit, Dei similem fieri: aliàs autem sequi Deum, ceu cum inquit: Deus profectò vt antiquus sermo testatur, principium, medium, finemque eorum omnium continens, rectitudine perficit singula, secundum naturam vndique circumcurrens. Hunc semper iudicium sequitur, iudex eorum, qui à diuina lege discesserint. Cui qui beatus futurus est, se sponte subiiciens, mitis & modestus obtemperat. Nonnunquam vtraque, vt cum inquit: Animam verò Deum sequentem atque illi consimilem, & cætera quæ sequuntur. Etenim vtilitatis principium bonum ipsum existit, hoc autem ex Deo dictum est. Consonus ergo principio finis erit, Dei similem effici, Dei scilicet cœlestis vel proculdubio supercœlestis, qui virtutem quidem non habet, est tamen virtute præstantior. Quamobrem rectè quispiam dixerit κακοδαιμονίαν, id est miseriam, dæmonis deprauationem esse: εὐδαιμονίαν verò, id est beatitudinem, bonum dæmonis habitum. Tandem verò ad ipsam Dei similitudinem accedemus, si conuenienti natura vtamur, moribusque, & victu ac sensu secundum legem, rationeque præsertim atque doctrina, vt ab humanis negotiis longè admodum alieni, diuinisque contemplationibus dediti semper viuamus. Præpurgationes autem, & quasi purificationes quædam interioris dæmonis, si maioribus expiationibus opus fuerit, ipsæ Mathematicæ disciplinæ erunnt, per Musicam, Arithmeticam, Astronomiam atque Geometriam. Corporis quoque cura per gymnasticam habenda est, qua promptius ad opera tum pacis tum belli reddatur.

Definitio virtutis atque distinctio.

CAPVT XXXI.

CVm verò virtus diuinus quidam Thesaurus sit, ipsa quidem est affectio quædã animæ perfecta & optima, ornatum, & concordem & stabilem efficiens hominem, tum ad agendum, tum etiam ad loquendum, & ad seipsum pariter & ad alios. Ex virtutibus autem quædam circa partem rationalem sunt, quædam circa rationis expertem. Nam cum alia sit natura rationalis partis, alia irascendi potentiæ, alia etiam concupiscendi: diuersę quoque harum perfectiones esse debebunt. Vnde ad primam prudentia, ad alteram fortitudo, ad postremam temperantia pertinebit. Et prudentia quidem bonorum & malorum indifferentiumue scientia est. Temperantia ordo circa voluptates atque libidines, eas obedientes rationi efficiens. Cum autem ordinem & obedientiam tribuimus temperantiæ, id sanè intelligi volumus, quod vis quædam est, qua cupidines pedissequæ naturalis domini fiunt. Fortitudo est legitimæ institutionis, seu arduæ, siue facilis, seruatio: id est conseruatrix & executrix facultas legitimi rationis propositi. Iustitia est consensio quædam omnium animæ partium, quippe vis quædam est, per quam tres animę vires sibi inuicem consonant, & vnaquæque secundum dignitatem proprio munere fungitur, vt iustitia communis quædam & integra harum trium virtutum, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ perfectio sit, dum ratio ducit & imperat: reliquæ verò partes quæque pro naturæ suæ officio superiori subiectę obedientesque permanent. Quam obrem virtutes coniugatione quadam se inuicem consequi putandum est. Fortitudo enim cum sit institutionis legitimæ conseruatio, rationis rectæ conseruatrix erit. Recta autem ratio à prudentia proficiscitur. Quinetiam prudentia cum fortitudine constat, bonorum nempe scientia est. Nemo autem bonum discernere potest, dum timiditate perturbationibusque illam sequentibus obcæcatur. Atque eodem modo neque cum intemperantia prudens vir vllum habet commercium: ac generatim quisquis perturbatione concitus quicquam præter rationem efficit, propter inscitiam semper aberrat. Prudentia verò rem propriam & rem familiarem, & rempublicam administrat. Et vt Rempublic. gubernant, ciuilis scientia nuncupatur cuius sunt officia duo, Leges cōcedere, & cōditas exequi Prima νομοθετικὴ, id est legum positiua, secunda δικαστικὴ, id est iudiciaria nominatur. Considerat denique ciuilis peritia ea quæ ad pacem, & quæ ad bellum pertinent, & in eo cum alia plurima, tùm hoc præcipuè, bellumne ineundum sit, an potius renuendum.

De amicitia.

CAPVT XXXII.

AMicitia propriè nihil aliud est, quàm beneuolentia mutua. Hæc verò tunc existit, quando vterque bonum alteri æquè ac sibi esse desiderat, quæ quidem æqualitas haud aliter quàm per similitudinem morum seruatur. Simile enim simili ac moderato amicum est, intemperata verò neque inuicem neque moderatis congruere possunt. Dicuntur & alię quædam, nec tamen sunt amicitiæ à virtute quodammodo colorare, cuiusmodi est naturalis parentum ad filios, cognatorumque ad inuicem beneuolentia, necnon ea quæ ciuilis ac Rhetorica nuncupatur. Hæ siquidem non semper beneuolentiæ vicissitudinem habent. Species præterea quædam amicitiæ, amatorius affectus est. Amor honestus est animi generosi, turpis, abiecti, medius denique medij. Enimuero quemadmodum tres dispositiones sunt rationalis animi, bona videlicet, malaque, & media, ita tres amatorij sunt affectus inuicem specie differentes. Quod autem tres sint amores, fines illorum diuersi declarant. Turpis quidem sola corporis voluptatem sequitur, ideoque brutorum passio est. Generosus verò nudum respicit animum ad virtutis officia promptum. Medius vtramque diligit, tùm corporis, tùm animi pulchritudinem. Atque ille etiam si sumatur, neque probus est nec improbus. Quapropter amorem ad corpus ex parte aliqua declinantem dæmonem potius, quàm Deum appellare decet, nunquam in terrena corpora mersum, diuina ad homines, humana rursus ad deos traiicientem. Cum verò amatorius motus, in tres ideas sit, quas diximus, distributus, boni quidem viri amor passionis expers, artificiosus quodammodo est, vnde & in rationali animæ parte sedet, eiusque cogitationes huiusmodi sunt, discernere, qui ob animi dotes sit beneuolentia dignus, atque eum sibi conciliare. Deinde eius quem amat, cogitationes appetitionesque, si generosæ sint, & ad bonum feruore quodam animi perferantur, laudat & approbat, sin contra se habeant, nec assentabitur illi, neque suauibus verbis obsequiisq; deliniet, sed absterrebit potius atque docebit, nequaquam illi donec talis sit, esse viuendum. Promittet autem semper ac porriget ea, quibus exercitatus is quem amat, ad optimam frugem euadat. Finis tandem is etiam, vt ex amore amicitia fiat.

De speciebus Republicæ.

CAPVT XXXIII.

REram publicarum quasdam præsupponendas esse dicit, quas in libris de Republica tradidit. In iis enim priorem quidem concordem, secundam verò dissidentem describit, inquirens quænam istarum præstantiores essent, & quo pacto constituerentur. Est & apud eum instar diuisionis animæ, respublica quoque in tria membra diuisa, in custodes, adiutores, artifices. Primis autem consultationem principatumque tradit. Secundis propugnationem, si quando opus fuerit, quos iracundię comparat, quasi opem rationi ferentes. Postremis verò artes ac cætera ministeria. Principes existimat Philosophos, & contemplationi ipsius boni deditos esse debere. Hoc enim modo duntaxat ipsos omnia rectè gubernaturos, quippe nunquam humanum genus à malis cessarurum, nisi aut Philosophi regnent, aut dominantes diuina quadam sorte philosophentur. Optime enim & cum iustitia tunc administrari rempublic. cum vnaquæque ciuitatis portio suo munere fungitur. Principes populi consultant atque decernunt, militares his obsequuntur atque tutantur, reliqui verò superioribus libenter obediunt. Quinetiam reipublicæ species induxit, prima optimatum gubernationem, quando viri optimi præsunt. Secundam ambitiosam,

in qua fastu inflati homines dominantur. Tertiam popularem. Quartam paucorum potentiam. Postremam tyrannicam, cunctarum deterrimam. Describit quoque alias ex suppositione res publicas, cuiusmodi est quæ libris de legibus instituitur, & quæ ex emendatione in epistolis exrat, quæ vtitur aduersus eas ciuitates, quę ęgrotantes in libro de legibus relatæ sunt, quæ iam distinctam regionem nactæ sunt, & homines ex omni ætate electos, ita vt secundum diuersitates naturarum & regionum, disciplina propria importatione & exportatione, & armatura indigere monstrentur. Qui enim mari finitimi sunt, nauigationi studebunt, & naualia prælia tractabunt. Qui autem continentem habitant, ad pedestrem pugnam aptiores erunt, & armaturam leuiorem qui montes colunt: grauiorem qui littora. Nonnulli verò ex iis equestrem pugnam exercebunt. In hac vtique ciuitate mulieres communes nequaquam instituit. Est igitur ciuilis facultas virtus contemplatiua simul atque actiua, quę eligit atque proponit bonam ciuitatem beatamque efficere, & secum maxime consentientem: eiusque proprium etiam imperare, vnde & militares artes omnes subiectas habet.

De sophista.

CAPVT XXXIV.

HActenus euiusmodi sit Philosophus dictum fuit. Sophista verò à Philosopho tàm modo quam materia discrepat. Modo quidem, quod sequitur mercedes iuuenum, bonusque & clarus videri quàm esse mauult: Materia autem, quod Philosophus circa illa quæ semper eadem sunt & eodem modo se habent, versatur. Sophista circa id quod minime est, contendit atque laborat, in prouinciam profectò quæ ob tenebras difficile cerni potest, refugiens. Ipsi namque quod est, id quod non est, haudquaquam vt contrarium opponitur. Hoc enim nec existit, nec substantiæ vllius est particeps, nec etiam intelligi potest. Quod quidem si quis proferre vel cogitare cogatur, oberrabit atque tergiuersabitur, ex eo quod secum ipse pugnet atque dissideat. Ipsum verò quod non est quatenus pronunciatum auditur, haud sanè nuda est ipsius negatio, sed cum suspicione quadam, & sub insinuatione alterius, quod quidem modo aliquo ipsum quod est comitatur. Quod nisi ipsa quoque eo quod non est participassent, nequaquam ab aliis distinguerentur. Nunc autem quot sunt, quæ sunt, totidem modis quod non est, profertur. Quod enim non est, vnum aliquid eorum quæ sunt, profectò non est.

EPILOGVS.

HÆc ad introductionem quandam in Platonicam disciplinam dicta sufficiant: quorum quædam ordine suo tractata sunt, nonnulla sine ordine certo sparsim inducta. Verumtamen sic tradita sunt, vt horum vestigiis, reliqua etiam Platonis sensa venari liceat.

ALCINOI FINIS.

SPEVSIPPI
PLATONIS DISCIPVLI
Liber, de Platonis definitionibus.



Sempiternum, quod per omne tempus, & prius extitit, & nunc est, nulli corruptioni obnoxium. Deus, viuens immortale: per seipsum ad beatitudinem sufficiens: essentia sempiterna: ipsius boni causa. Generatio, motus ad essentiam: acceptio essentiæ: processus inesse. Sol, cœlestis ignis, qui solum ab ortu ad occasum ab eisdem aspici potest, animal sempiternum: astrum animatum, diurnum ac maximum. Tempus, solis motus: progressionis mensura. Dies Solis iter ab ortu ad occasum: lumen nocti contrarium. Aurora, diei principium: primum à Sole lumen. Meridies, tempus in quo vmbræ corporum quam breuissimæ sunt. Occasus, diei finis. Nox, vmbra diei contraria: Solis priuatio. Fortuna, motus ab occulto in occultum casu quodam: felicis actionis causa. Senectus, decrementum vitę tempore factum. Ventus, agitatio aëris circa terram. Aër, elementum cuius omnes loci mutationes secundum naturam sunt. Cœlum, corpus omnia complectens corpora, præter ipsum supremū aërem. Anima, quod seipsum mouet, vitalis motus, animantibus causa. Potentia, quod est per seipsum efficax. Visus, habitus quo corpora discernuntur. Os, medulla calore consolidata. Elementum, ex quo componuntur, & in quod composita dissoluuntur. Virtus, dispositio vel habitus optimus mortalis animantis per se laudabilis: habitus secundum quem, quod habet bonum vocatur. Communio, legum iusta institutio, qua quod prædirum est probum dicitur, habitus concordiam præstans. Prudentia, vis quæ per seipsam ad beatitudinem humanam ducit, scientia bonorum & malorum, dispositionem felicem præstans, qua quid agendum sit, & quid non diiudicamus. Iustitia, consensio animæ ad seipsam, eiusque partium ordo ad inuicem mutuus, habitus vnicuique pro dignitate distribuens, habitus quo qui præditus est, semper quæ iusta videntur, eligit, habitus vitæ legibus obedientis, æqualitas communicatiua, habitus qui legibus rectis semper

ſemper obtemperat. Temperantia, moderatio animæ circa naturales concupiſcentias atque voluptates, compoſitio ordoque animæ ad naturales voluptates, atque dolores, conſonantia animæ ad imperandum & obediendum, voluntaria eorum quæ ſecundum naturam ſunt, actio, rationalis animæ conuerſatio quo ad honeſta & turpia, habitus quo decentia eligimus & ſeruamus. Fortitudo, habitus animæ intrepidus, militaris audacia, peritia illorum quæ ad bellum ſpectant, conſtantia animi aduerſus illa quæ terrere ſolent, audacia prudentiæ pediſſequa, intrepiditas in mortis expectatione, affectio ſeruans in periculis rationale propoſitum, robur contra periculum obſiſtens, vigor tolerans omnia virtutis gratia, perſeueratio animi in iis, quæ rectæ rationi audenda vel metuenda videntur: obſeruatio eorum quæ ratio dictat in rebus pauendis: Rei militaris peritia: habitus in lege immobiliter perſeuerans. Conſtantia, poteſtas perferendæ moleſtiæ ſequentis ex iis, quæ recta ratio iuſſit, poteſtas quæ nunquam deiicitur è rationis propoſito. Sufficientia, perfecta bonorum poſſeſſio: habitus quo vnuſquiſque ſuiipſius dominus ſit. Æquitas, iuſtorum conducentiumque remiſſio, moderatio in commerciis: ordo rationalis animæ, quo ad honeſta & turpia: Tolerantia, perpeſſio moleſtiæ honeſti gratia. Audacia, ſecuritas qua quis malum neque futurum expectat, neque præſens borreſcit. Indolentia, habitus quo in dolores nunquam incidimus. Perſeuerantia, affectio quæ perficit quodcúque elegerit, id eſt tolerantia voluntaria: aduerſus labores inconcuſſus babitus. Pudor, audaciæ remiſſio: eius quod optimum apparet ſpontanea & libens acceptio: formido vituperationis veræ. Libertas, vitę dominium, dominatio in omnibus abſoluta: licentia propria vitæ: affectio in poſſeſſione & vſu rerum minimè parca. Liberalitas habitus qui in quærendis erogandiſque pecuniis decorum ſeruat: decens acquiſitio accumulatioque pecuniæ. Manſuetudo, conſtitutio animæ aduerſus iræ impetum immobilis: moderata temperies animæ. Modeſtia, voluntaria ad id quod optimum iudicatur conceſſio: in guſtu corporis compoſitio. Beatitudo, bonum ex bonis omnibus accumulatum: poteſtas ad bene viuendum ſeipſa ſufficiens: perfectio ſecundùm virtutem: ſufficiens vitæ commoditas. Magnificentia, æſtimatio ſecundùm rationem rectam & bonorandam. Induſtria, ingenium animæ, quo quiſquis munitus eſt, in ſingulis quod decet facilè coniicit mentis acumen. Frugalitas rationalis vitæ ſimplicitas, morumque bonorum ſtudium. Bonitas, affectio qua eligimus optima. Magnanimitas, moderatus contingentium vſus: vrbana cum hominibus conuerſatio: magnificentia animi cum ratione. φιλανθρωπία, id eſt humanitas, affectio amicitiæ, hominum conciliatrix, habitus hominibus beneficus, gratiarum redditio, gratitudo benefica. Pietas, iuſtitia erga Deum, affectio colens Deum, voluntaria veneratio Dei, recta honoris diuini ſcientia. Bonum, quod ſuiipſius gratia expetendum. Intrepiditas, habitus per quem timoribus nullis mouemur. Sanitas animæ, habitus affectibus non ſuccumbens. Pax, quies qua ab inimicitiis belli ceſſamus. Humilitas, facilitas animæ omnis expers iracundiæ. Aſtutia, affectio qua finem proprium coniectamus. Amicitia, conſenſio in rebus honeſtis & iuſtis, eiuſdem vitæ electio: conſenſus in deliberando atque agendo, concordia in communione vitæ cum beneuolentia: cõmunio in dandis & accipiendis beneficiis: Generoſitas, virtus ingenui moris, facilitas animi ad dicenda pariter atque agenda. Electio, approbatio recta. Beneuolentia, electio hominis ad hominem grata atque accepta. Propinquitas, communio in eodem genere. Conſenſio, communicatio rerum omnium, cogitationum, ſuſpicionumque concordia. Charitas, integra animi declaratio, ciuilis ſcientia honeſtorumque atque vtilium, ſcientia iuſtitiam inducens in Rempub. Societas, amicitia ex diuturna æqualium conſuetudine conflata. Sagacitas, innata ratiocinandi virtus. Fides, recta præſumptio quod ſic ſe res habeat, vt ſibi videtur, morum ſtabilitas. Veracitas, habitus in affirmando atque negando rectus, ſcientia veri. Voluntas, appetitus ſecundum rationem rectam, affectus rationalis, affectus cum ratione ſecundum naturam tendens. Conſilium admonitio alterius de agendarum rerum ratione. Oportunitas, imminentia temporis, in quo vel agere vel pati quicquam oporteat. Cautio, declinatio mali, diligentia cuſtodiendi. Ordo, concentus operationum ad inuicem, communionis proportio, viciſſitudinis in omnibus cauſa, contemperatio ad percipiendum idonea. Attentio, intenſio animi ad diſcendum. Ingenium, diſcendi velocitas, genitura bona naturæ, virtus inſita in natura. Docilitas, ingenium animæ ad velociter percipiendum. Iudicium, rata pronuntiatio de eo, quod in diſceptationem venit. Lex, norma ad quam quæritur, an quis iniuriam intulerit, necne. Legitima ciuilitas, bonis legibus obedientia. Gaudium, lætitia in operibus temperantiæ. Honor, bonorum largitio propter virtutis officium: æſtimatio ac dignitas virtute acquiſita: figura venerationis, conſeruatio dignitatis. Promptitudo, patens expeditio propoſiti ad res agendas. Gratia, voluntaria beneficentia, redditio boni obſequij in tempore opportunò. Concordia, conſenſus imperantium & ſubditorum in imperandi obediendiue ratione. Reſpublica, cœtus multorum hominum ad felicitatem per ſe ſufficiens, legitima multitudinis conſpiratio. Prouidentia, præparatio ad futura. Conſultatio, conſideratio futurorum quonam pacto conferant. Victoria, vis in certamine ſuperans. Facundia, perſpicacia & facultas obtinendi quod propoſitum eſt. Donum, mutua gratiarum relatio. Occaſio, flos ipſe temporis rebus agendis conferens, tempus bonam quandam ferens opem. Memoria, diſpoſitio animæ, inhærentem illi veritatem cuſtodiens. Intelligentia, cogitationis intentio. Intellectio, ſcientiæ principium. Sanctimonia, cautio declinans à peccatis, quæ aduerſus Deum committuntur, diligens obſeruatio diuini cultus ſecundum naturam. Diuinatio, ſcientia rerum abſque demonſtratione præſaga. Vaticinium, ſcientia qua dignoſcitur quid adſit, quidue futuro ſit mortali viuenti. Sapientia, ſcientia quæ nihil penitus præſupponit, ſcientia eorum quæ ſemper ſunt, ſcientia quæ rerum omnium cauſam contemplatur. Philoſophia, appetitus ſapientiæ, contemplatio veritatis, vt veritas eſt: cura animæ ſecundum rectam rationem. Scientia comprehenſio animæ immutabilis ratione, vis comprehenſiua alicuius vel quorundam ratione immutabilis, ratio vera in cogitatione immutabilis. Opinio, perceptio cum fide per ratiocinationem, rationis diſcurſus, cogita-

tio incidens in verum & falsum per ratiocinationem. Sensus, animæ progressus, mentis motus, nunciatio animæ per corpus in formas hominum, à qua fit irrationalis animæ vis, per corpus nascens. Habitus, affectio animæ; secundum quam quales dicimur. Vox, prolatio ex ore secundum cogitationem. Oratio, vox quæ scribi potest pronunciatiua cuiusque rei: compositio ex verbo ac nomine: sine harmonia cantus. Nomen, dictio simplex significatiua eius, quod secundum essentiam prædicatur, & omnis quod secundum seipsum minimè dicitur. Dictio, vox hominis quæ scribi potest: & signum quoddam commune absque cantus harmonia significans. Sybilla, articulus humanæ vocis, qui scribi potest. Definitio, oratio ex genere differentiaque composita. Coniectura, rei latentis iudicium. Demonstratio, ratiocinatio vera: oratio ostendens aliquid per præcognita. Elementum vocis, vox simplex, causaque, quod cæteræ voces, voces sint. Vrile, causa quod vnumquodque bene afficiatur: causa cuiusdam boni. Conferens, quod in bonum ferr, Pulchrum, quod bonum. Bonum, quod in omnibus quæ sunt, salutis est causa, causa omnis, quod ad ipsum tendit id, à quo veniunt quæcunque sunt eligenda. Temperamentum, ornamentum animi. Ius, legis institutum, à quo iustitia prouenit. Voluntarium, quod per seipsum eligendum: quod cogitationem perficit. Liberum, quod sibiipsi dominatur. Moderatum, medium inter excessum atque defectum, secundum artem sufficiens. Mensura, medium excessus atque defectus. Palma, virtutis præmium, suipsius gratia exoptandum. Immortalitas, essentia viuens, & sempiterna perseueratio. Sanctum, Dei cultus: quod Deo gratum, Celebritas, tempus secundum leges sacrum. Homo, animal sine pennis, bipes, latis vnguibus, quod solũ ex animantibus scientiæ rerum per rationes fit particeps. Sacrificium, hostiæ donum Deo exhibitum. Votum, precatio hominum ad Deum, qua vel bona, vel quæ bona videntur efflagitant. Rex, imperans secundum leges, nulli subiectus, irreprehensibilis, ciuilis ordinis institutor. Principatus, prouidentia vniuersi. Licentia, legis concessio. Legislator, author legum, quibus gubernari ciuitas deber. Lex, ciuilis institutio multitudinis, absque certi temporis termino. Suppositio, principium indemonstrabile: sermonis summula. Decretum, institutum ciuile ad certum tempus respiciens. Ciuilis homo, peritus eorum quæ ad administrationem Reipublicæ pertinent. Ciuitas, habitatio multorum hominum communibus vtentium legibus: cœtus hominum iisdem legibus subiectorum. Ciuitatis virtus, recta Reipublicæ constitutio. Militaris virtus, experientia in bello. Salus, munitio ab omni damno secura. Tyrannus, imperans ciuitati secundum sententiam propriam. Sophista, iuuenum nobilium atque diuirum mercenarius venator. Opulentia, possessio rerum sic moderata, vt ad felicitatem conferat: abundantiam rerum ad beatitudinem conferentium. Depositum, tributio cum fide. Purgatio, deteriorum à melioribus segregatio. Vincere, aduersarium superare. Homo bonus, qui huiusmodi est vt homini bona reddat. Temperans, qui mediocres concupiscentias habet. Continens, qui partes animæ rationi repugnantes cohibet. Probus, qui perfectè bonus: qui propriam sui virtutem habet. Conscientia, cogitatio tristis absque ratiocinatione. Indocilitas tarditas ad discendum. Dominatio, principatus iustus, nulli subditus. A Philosophia, habitus quo quis rationes odit. Metus, concussio animæ in expectatione mali. Animositas, impetus violentus irrationalis animæ absque ratione & ordine mentis. Pauor, trepiditas in expectatione mali. Adulatio, conuersatio ad voluptatem absque ratione boni: habitus ad oblectationem consuetudinis tendens, mediocritatemque transgrediens. Ita, prouocatio irascibilis animæ partis ad vlciscendum. Contumelia, iniuria quæ per contemptum infertur. Incontinentia, affectio trahens ad ea, quæ iucunda videntur præter rectæ rationis iudicium. Pigritia, fuga laborum, qui ex gubernando proueniunt. Timiditas, prima causa succurrentis impetus. Calumnia, dissensio amicorum verbis facta. Opportunitas, tempus in quo vnumquodque aptum est vel pati, vel agere. Iniquitas, habitus qui leges despicit. Indigentia, bonorum diminutio. Verecundia, formido in expectatione infamiæ. Ostentatio, affectio quæ sibi vendicat ea bona, quæ minimè adsunt. Peccatum, actio præter rectam rationem. Inuidia, tristitia ex amicorum bonis, seu præsentibus siue præteritis. Impudentia, habitus animæ infamiam lucri causa subiens. Ferocitas, excessus audaciæ haud metuens quæ metuenda sunt. Ambitio, habitus animæ, omnes honoris gratia sumptus admittens, præter rationis normam. Degeneratio, prauitas in natura: declinatio ab eo quod secundum naturam: morbus eius quod secundum naturam. Spes, expectatio boni. Furor, corruptio æstimationis veræ. Loquacitas, resoluta loquendi sine ratione intemperantia. Contrarietas, distantia maxima illorum, quæ sub eodem genere per quasdam differentias continentur. Inuoluntarium, quod præter sententiam factum. Disciplina, facultas animam curans. Eruditio, disciplinæ traditio. Legum institutio, scientia ciuitatem tumultu vacuam reddens. Monitio, sermo ex sententia castigans: sermo ab erroribus absterrens. Auxilium, expulsio mali vel adulti, vel etiam imminentis. Castigatio, curatio animæ ob commissa scelera. Potestas, excellentia in agendis seu dicendis: habitus quo potentes efficimur. Robur, vis vnumquodque in natura sua seruans, eo quod detrimenta deuitat.

(∴) (∴) (∴)

DEFINITIONVM FINIS.

MARSILII FICINI FLORENTINI,

AD CLARISSIMVM VIRVM PETRVM MEDICEM, in traductionem libri Xenocratis Platonici.

PRAEFATIO.



Osmus Italiæ decus Petre Medices, cum rebus gestis, tum etiam te tanto filio felix, non modo rerum humanarum prudentia, verumetiam sapientia diuinarum miram sibi gloriam comparauit. Qui cum nullum vitæ tempus, vel in summis negotiis absque consortio Musarum transegerit, in senectute præcipuè Philosophiæ studiis sacrisque literis totum se tradidit. Vtque in primis Philosophiæ sacris initiaretur, nonnullos Aristotelis libros conuerti ab Ioanne Argyropylo viro doctissimo voluit, eosque diligentissimè legit. Deinde ne intima sapientiæ ipsius arcana sibi deessent, diui Platonis libros decem, & vnum Mercurij è Græca lingua in Latinam à nobis transferri iussit, quibus omnia vitæ præcepta, omnia naturæ principia omnia diuinarum rerum mysteria sancta panduntur. Hæc omnia Cosmus & accuratè legit, & absolute comprehendit. Cumque Platonis librum de vno rerum omnium principio, & de summo bono iam peregisset, duodecima deinde die, quasi ad id principium bonumque fruendum rediturus, ex hac vitæ vmbra, ad supernam lucem reuocatus accessit. Cuius decessu grauiter & patria & academia gemeret, nisi Petrus parenti quam simillimus superesset: in cuius prudentia atque pietate; patria spem suam firmet, & academia conquiescat. Die autem vigesima antequam corporis vinculis purus eius spiritus solueretur, sole iam occidente, cœpit huius vitæ miseriam deplorare: atque ita in errores mortalium inuehi, vt lucrum quoddam diceret esse mortem, vbi permulta & acute & copiose de huius vitæ contemptu disseruit, vtpote qui iam ad supernam beatitudinem adspiraret. Cum ille finem dicendi fecisset, hæc eadem, Cosme inquam, Xenocrates vir sanctus atque dilectus Platonis nostri discipulus in lib. de morte tractauit. Tum ille: Referas, inquit, Latine Marsilij, quæ Græce Xenocrates disputat. Retuli. Probauit, transferri iussit. Transtuli, tuo nomini dedicaui: vt cum breue quidem hoc, sed preciosissimum opusculum legeris, quantum in hac vita sperandum sit cogites, quantum sua cuique mors, vel parentum, vel filiorum lugenda. Hæc igitur lege feliciter, academiæ columen, ac diu viue, ne Cosmo carere nos aliquando sentiamus.

XENOCRATIS PHILOSOPHI PLATONICI, LIBER DE MORTE.

(∴) *Marsilio Ficino Florentino Interprete.* (∴)

SOCRATES. CLINIAS. AXIOCHVS.




Vm in Cynosargem proficiscerer, & Ilisso iam applicarem, vocem cuiusdam nomine me vocantis audiui. Conuersus autem Cliniam vidi Axiochi filium, versus fontem Calirrhoëm currentem, vnaque cum eo Dæmonem Musicum, Charmidemque filium Glauconis. Quorum ille quidem Musicæ præceptor, hic autem mutata quadam beneuolentia coniunctus erat. Visum igitur mihi est, vt retrocederem, illisque obuius fierem, vt ocyus & facilius congrederemur. Lachrimans verò Clinias, Socrates, inquit, præsens tempus exigit; vt illam quam semper prædicas sapientiam nobis ostendas. Pater enim meus repentino quodam & intolerabili morbo pressus est, & morti proximus esse, eamque moleste ferre videtur: quamuis olim eos qui mortem

expauescerent, quasi laruarum vultus horrerent, irriserit. Veni obsecro, eumque vt soles corripe, vt facilè ferat necessitatem. Congredere ergo nobiscum, vnaque cum aliis, pium opus exequere. SOCRATES. Honesti ô Clinia voti quantum in me est, compos efficieris, præsertim cum sanctum opus sit quod iubes. Properemus itaque: si enim sic se habet, properandum est. CLINIAS. Cum primum te ô Socrates viderit, conualescet. Etenim sæpè contigit, vt quodammodo resipisceret. Ergo secus muros peritonios agros ad eum pertexímus. Propè enim portas, versus columnam Amazonidem habitabat. Inuenimus que illum iuncturis validum & robustum corpore, sed animo imbecillum, & consolatione admodum indigentem, respirantem sæpè, trahentemque suspiria, multis cum lachrymis & percussione palmatum. Quæ cum vidissem, quid hoc ô Axioche inquam? Vbi nam pristina illa tua & iactabunda constantia? Vbi perpetuæ virtutum laudes? Vbi mira tui animi magnitudo atque audacia? Vt enim luctator ignauus in gymnasiis generosus apparens, in certaminibus succubuisti. Cur naturæ ipsius ordinem non consideras, cum sis vir tantus: & tot insuper disciplinis imbutus? etsi nihil aliud, Athenienses tamen. An non tenes vulgatam illam tritamque sententiam qua dicitur, peregrinationem quandam vitam hanc esse, & oportere nos rectè & æquo animo peregrinantes, haud ægra sanè, sed læta mente ad id quod debitum necessarium est accedere? Mollities autem hæc non ætati maturæ, sed infanti conueniens. AXIOCHVS. Hæc ô Socrates rectè dici videntur: Verum nescio quomodo imminente discrimine sermones ipsi de tolerantia copiosi, clanculum euanescunt & negliguntur: Suboritur autem repugnans quidam pauor, animum vndique circumcutiens. Heu hac luce iisque bonis priuabor, iacebo obscurus, gustu visuque captus putrescam, in vermes ferasque conuertar. SOCRATES. Coniungis ô Axioche absque rationis examine cum sensus priuatione sensum, ac tibi ipsi & loquendo & agendo repugnas, nec aduertis quod simul de sensus priuatione conqueteris, & mœres ob putredinem, amissionemque bonorum, tanquam in aliam vitam transiturus, potius quàm in sensus omnis priuationem aliquando migraturus: priuationem inquam talem, qualis ortum præcessit. Vt enim in Repub. Draconis vel Clisthenis nihil tibi contigit mali: tu enim nō eras circa quē esset malum: Sic post mortem nullum tibi aduersum: tu namque non eris, circa quem futurum sit malum. Omnes igitur huiuscemodi nugas abs te pelle, idque considera quod dissoluto eo quod compositum fuit, & anima in locum proprium abeunte, hoc quod restat, terrenum & irrationale corpus, homo nullo modo est. Nos enim sumus anima immortale animal, in habitaculo mortali clausum: Idque vmbraculum nobis ad malum natura construxit: cui quæ dulcia sunt, adulterina, fluxa, & plurimis permixta molestiis: quæ verò molesta, integra, diuturna, suauiumque experta. Accedunt tumores bilis atque pituitæ, ac sensuum morbi, necnon corruptiones viscerum. Quibus anima necessario condolet, per singulos diffusa meatus, vt singula vinciat. Quo fit vt cœlestem cognatumque ætherem iam desideret, sitiatque vitam chorumque supernum. Nam vitæ huius amissio, à malo in bonum est transitus. AXIOCHVS. Cum malam iudices hanc vitam, ô Socrates, quid in ea permanes, præsertim cum ista potissimum mediteris, aliorumque curator existas, & mente cęteros antecellas? SOCRATES. Axioche, haud satis mihi verus est testis. Existimas enim quemadmodum Atheniensis populus, postquam rerum perscruratus sum, me aliquid scire. Ego autem optarem quidem communia ista cognoscere, ne dum superuacua calleam. Quæ verò diximus, Prodici sapientis declamationes sunt: partim quidem duabus tertiis, partim duabus dragmis, partim quatuor empta: gratis sanè is nullum erudit: ac semper habet in ore Epicharmi illud: Manus manum lauat. Dans aliquid, aliquid accipe. Superioribus autem diebus, tot contra vitam intulit, vt parum abfuerit, quin ego vitam finirem: & ex illo tempore, continuè animus meus ô Axioche moritur. AXIOCHVS. Quæ sunt igitur ea quæ dixit? SOCRATES. Referam omnia, quorum apud me, memoria restat. Inquit enim: Quæ pars vitæ non plena malis? An non vix natus infans euestigio luget, vitamque inchoat à mœrore? nec vllus abest dolor: sed vel propter indigentiam, vel frigus, vel calorem, vel percussionem plorat. Nondum potest verbis quæ patitur, explicate: flet autem atque vociferat vnamque hanc habet vocem molestiæ signum. Cum verò septimum ætatis annum impleuerit, plurimis laboribus oneratur. Surgunt nimirum Pædagogi, Grammatici, Gymnastici, Pædotribæ, illique non secus dominantur ac tyranni. Cum paulisper adoleuerit, censores arithmetræ, geometræ, distributores, & innumeri præter istos Domini præsunt. Ephebum verò metus circumuenit, atque mancipat, lycium & academia gymnasij principatus, sceptra, malorumque immoderatio prorsus occurrunt, omnisque adolescentis angustia sub motum censoribus, consilioque Areopagirarum electis consistit: cum istorum dictione solurus fueris, curæ consultationesque surrepunt, dum quem vitæ callem ingredi deceat, disceptatur, adeò vt sequentium comparatione laborum, præcedentia illa leuia videantur, & solis infantibus metuenda. Expeditiones belli ac vulnera, frequentiaque certamina surgunt Demum senectus ipsa clam serpit, in quam omne naturæ sordidum & insanabile malum confluit. Et nisi quis statim vt debitum reddat vitam, natura tanquam quæstura instat, atque pignora exigit, ab isto auditum, ab illo vtrumque. Quod si resistat quis, dissoluit, inficit, mutilat atque obtruncat. Nonnulli ad extremum vsque senium viuet, sed mente bis pueri decrepiti fiunt. Quapropter Deus rebus hominum prouidens; quos amat, breui ad se ex hac reuocat vita. Itaque Agamedes atque Trophonius, cum moliti essent Deo Pythio templum, quodue optimum foret precarentur, confestim somno pressi, nunquam postea surrexerunt. Idem quoque Argiuæ Iunonis sacerdotibus contigit, cum mater illorum ab Iunone pietatis filiorum munus aliquod postularet: nam tardante iugo, subeuntes ipsi matrem in templum transportauere. Cumque Deo vouissent, nocte ē visa migrarunt. Prolixum esset Poëtarum referre sententias, qui diuinis poëmatibus calamitates humanæ vitæ deplorant. Vnum referam poëtam clarissimum ita dicentem: Statuerunt dij, vt mortales miseri, in mœrore perpetuo viuerent. Nec est in terra quicquam homine miserabilius. Itaque aiunt Amphiaraum ab Ione atq; Apolline, summo quodam affectu fuisse dilectum, neque

tamen ſenſum attigiſſe. Quid autem tibi de illo videtur, qui naſcentem iubet miſeriam ſuæ vitæ lugere? Verum iam deſinam, ne præter id quod propoſitum eſt, peruagari longius videar. Quis eſt autem qui non de ſtudio atque arte quam elegit, ſummopere conqueratur? Mercenarios, mechanicoſque artifices diſcurramus, ex nocte in noctem laborantes, & vix ea quæ ad victum neceſſaria ſunt acquirentes. Queruli porro viuunt, nocturnaſque vigilias fletu ac lachrymis complent. Quid dicam de nautis? quot periculis ſubijciuntur? Rectè ſiquidem Bias, nautā nec in defunct. nec in viuentiū numero cōputat. Homo nāque terrenus, tāquam vtriuſque ac dubiæ vitæ particeps, ſeſe mergit in aquā, totus fortunæ ſubiectus. At ſuauis eſt agricultura. Eſto. Sed nonne, vt aiunt, tanquam vlcus occaſionem triſtitiæ ſemper inuenit? Nunc ſanè ariditatem accuſat & gemit, nunc imbres, nunc æſtum exuſtionemque, nunc vermiculos, nunc calorem, nunc frigus intempeſtiuum. Honorandum verò Reipublicæ ſtudium. Vt multa pertranſeam, quot malis ærumniſque torquetur? Lætitiam quidem habet pituitæ vel bilis æſtuantis inſtar mobilem, tumidam, fallacem & turbulentam: iacturam verò triſtem & mortibus mille deteriorem. Quis autem poteſt eſſe felix, dum ad turbæ nutum viuit, irridetur atque exploditur, quaſi ludus quidam, & fabula vulgi, concuſſus, exibilatus, mulctatus, miſerabilis atque perditus? Vbi nam ô ciuilis Axioche, Miltiades obiit? vbi Themiſtocles, vbi Ephialtes, vbi duces reliqui? His equidem rebus inhiaui nunquam. Neque enim honorandum mihi videtur, dementi in populo magiſtratibus fungi. Qui autem circa Theramenem & Calixenum poſtridiè præſides, inſidiatores ſubigentes indiſcreta homines morte damnarunt: quibus tu vnà cum Eriptolemo tribus milibus concionantibus repugnaſti. AXIOCHVS. Vera narras ô Socrates, Atqui ex eo tempore in hunc vſque diem vitaui tribunal, neque difficilius ac durius quicquam Reipublicæ gubernatione viſum eſt. Perſpicuum hoc eſt iis, qui ipſi ciuilia tractant. Tu ergo de his ita loqueris, tanquam eminus è ſpecula quadam hæc intuitus. Nos profectò perſpicacius iſta callemus, qui in opere iſto verſamur. Populus nempè ô amice Socrates, ingratus, irritator, infenſus, crudelis, inuidus, rudis, ex confluente turba atque nugis coaceruatus. Et quiſquis huic familiariter ſe accommodat, longè eſt illo miſerior. SOCRATES. Poſquam ô Axioche diſciplinam præ cæteris liberalem, maximè omnium iudicas deuitandam, quid de reliquis exiſtimandum? Nonne ſummopere fugiendas? Audiui præterea Prodicum quandoque dicentem, mortem nec ad viuos, nec ad mortuos pertinere. AXIOCHVS. Qua ratione ô Socrates? SOCRATES. Quoniam circa viuentes mors non eſt, defuncti verò non ſunt. Quamobrem neque circa te nunc eſt, nondum enim es mortuus: Neque etiam ſi deceſſeris circa te erit, tu namque non eris. Inanis igitur dolor eſſet, ſi Axiochus id lugeret, quod nec eſt circa Axiochum, neque erit in poſterum. Nam perinde faceres, ac ſi Scyllam Centaurumque horreres, quandoquidem hæc monſtra neque circa te ſunt, neque erunt aliquando. Quod enim metuendum atque horribile, iis qui ſunt accidit: at iis qui non ſunt, nihil expaueſcendum. AXIOCHVS. Tu quidem iſta ex leui illa, quæ iam paſſim vulgata eſt loquacitate colligis: Inde enim eſt hæc inanium verborum copia, gratia adoleſcentulorum compoſita. Ego autem quod huius vitæ bonis priuor, lugeo: etiam ſi validiores ſuperioribus rationes adduxeris. Mens quippè fluctuans, ornatum verborum non intelligit, neque colores orationis attingit. Pompam ſplendoremque ſermonis etſi audit, negligit, & à veritate procul abeſt: Sophiſmatum quoque captiunculas minimè ſuſtinet. Sola hæc attendit, quæ pulſare omnino, & penetrare animum poſſunt. SOCRATES. Abſque ratione Axioche malorum ſenſum cum bonorum priuatione coniungis, lateatque te mortuum eſſe. Eum planè, qui bonis orbatus eſt, contraria paſſio malorum affligit. Qui verò non eſt, nec ipſam quidem orbitatem aduertit. Quo pacto igitur, vbi affligentium abeſt notitia, ibi poteſt eſſe afflictio? Principio enim niſi ſenſum quendam per inſcitiam poneres, mortem non expaueſceres. Nunc autem peruertis teipſum, metuens ne amittas animam: amiſſioni verò animam addicis. Formidas ne ſenſu priueris, putaſque non exiſtentem ſenſu comprehendi, ex eo quod multi atque præclari ſunt de animi immortalitate ſermones. Neque enim natura mortalis in tantam excellentiam ſurrexiſſet, vt violentiam immanium brutorum contemneret, mare tranſiret, conderet vrbes, Reipublicæ præſcriberet ordinem, in cœlum ſuſpiceret, aſtrorumque circuitus metiretur, ſoliſque & lunæ progreſſus animaduerteret, ortus atque occaſus, defectus inſuper, celereſque reſtitutiones meridianas, dupliceſque conuerſiones, pleiadas, & hyemem pariter & æſtatem, ventorum flamina, & impetus imbrium, iactum Præſteris, fulguriſque coruſcum, & mundi denique paſſiones in æternitate mirificè ſiſteret, niſi diuinus ſpiritus aliquis ineſſet in animo, per quem tantarum rerum eſſet intelligentiam conſecutus. Quamobrem non in minorem, ô mi Axioche, ſed in ipſam immortalitatem migras. Neque bonis priuaberis, ſed integra bonorum poſſeſſione frueris. Nec voluptas mortali corpori mixtas percipies amplius, ſed omni prorſus triſtitia vacuas. Illuc inquam proficiſceris ab hoc carcere liber, vbi quieta omnia, & à triſtitia ſenectuteque ſemota: vbi exultatio ſancta, vitáque malorum neſcia; & tranquilla pace nutrita, naturam rerum ſpeculans, & arcana Philoſophiæ contemplans, haud ſanè ad turbæ theatriue gratiam, ſed ad perſpicuæ veritatis obiectum. AXIOCHVS. In contrarium me affectum oratio tua deduxit. Neque enim mortem formido iam, ſed opto. Vt autem rhetorum more, ego quoque exuberans aliquid exprimam, iam ô Socrates euehor in ſublime, diuinumque circuitum thronumque percurro. Ex hac imbecillitate me eximens renatus ſum. SOCRATES. Referam tibi præterea, ſi placet, quæ Gobrias magus mihi tradidit. Inquit enim: Eo tempore quo Xerxes tranſiit, auum ſuum Gobriam nomine, miſſum fuiſſe in Delum ad cuſtodiendum inſulam, in qua dij extabant duo. Vbi ait, ex quibuſdam tabulis æneis, quas Opis & Hecaërgos ex hyperboreis attulerunt, ſe didiciſſe, in corporis ſolutione animam in occultum ſub terram migrare locum, in quo Iunonis eſt regia, haud Iouis anguſtior aula. Quippè cum terra mundi medium teneat, cœlum verò ſphæricum ſit, cuius hemiſphærium vnum dij cœlites ſortiti ſunt, alterum inferiores, partim, cœlicolarum fratres, partim filij fratrum. Veſtibula verò Pluto-

nis prouinciæ claustris æneisque catenis vndique vinciuntur. Illum qui ista referat, fluuius Acheron primo, deinde Cocytus excipit. Quibus transcursis oportet ad Minoëm & Rhadamanthum duci, in eam videlicet regionem, qui veritatis campus cognominatur: vbi sedent iudices, examinantes venientis cuiusque vitam. Hic mendaciis tutari se nemo potest. Quibuscunque igitur in vita bonus aspirauit dæmon, in locum isti piorum pertranseunt, vbi ver æternum omnigenis exuberat fructibus, fontesque nitentium aquarum scaturiunt, prata insuper amœna, variis depicta coloribus: Nec desunt philosophantium cœtus, poëtarumque theatra. Circulares ibi chori, & musicæ cantilenæ, suauesque concentus, iucunda conuiuia, sanctique & vberes conuentus bibentium, inuiolabile gaudium, dulcisque conuictus. Non frigoris illic aut caloris excessus, sed aëris natura salubris, lenibus Solis radiis temperata. Hic purgatorum sunt animorum sedes, vbi diuina mysteria celebrant. Quid igitur obstat, quin tibi primo honor præmiumque illic detur, cum originem à Deo ducas? Eos quoque qui circa Herculem & Dionysium cum illuc descendunt, purgatos ire ratio dictat, spemque felicis itineris ex Cereris cultu suscipere: Contrà, qui vitam sceleribus inquinarunt, repente per tartarum à Furiis in Erebum chaosque raptantur, vbi patet impiorum prouincia, Danaidumque puellarum labor irritus, aquis cribra implere frustra nitentium: vbi Tantali sitis, Titij viscera, Sisyphi saxum perpetuo reuolubile: vbi feræ mordaces inseparabiliter corporibus se complicant: vbi faces inextinguibiles carnes exurunt: vbi homines impij omniformibus suppliciis cruciati, perpetua punitione vexantur. Hæc quidem à Gobria percepi. Tu verò de his iudices ô Axioche. Ego enim ratione coactus, hoc solum planè firmiterque cognosco, animam omnem immortalem existere, & eam quæ pura ex iis locis abierit, sine tristitia viuere. Quamobrem siue sursum siue deorsum tendas Axioche, beatum fore te oportet, si modo piè sanctèque vixeris. AXIOCHVS. Erubesco mi Socrates, & vlterius loqui vereor. Tantum à me formido mortis abest, vt iam mori vehementer exoptem, adeò mihi sermo superior quasi cœleste oraculum persuasit. Nunc igitur hanc vitam sperno, vtpote in potiorem locum feliciter transiturus. Quapropter in præsentia, quæ dicta sunt, mecum ipse tacitus animaduertam. Tu verò post meridiem ô Socrates ad me redibis. SOCRATES. Faciam vt dicis, sed interim in Cynosargem reuertar deambulationis gratia, vnde huc ad te deductus sum.



MARSILIVS FICINVS FLORENT.

MAGNANIMO LAVRENTIO MEDICI S. D.

Synesius, atque Pselus, & Iamblichus, ac Proclus, Porphyriusque Platonici iampridem amplissimas tuas ædes ingressi, ingenuos filios tuos salutauerunt, hactenus quidem rectè admodum fecisse videntur, quod autem insalutatum te reliquerint, nec egisse prudenter, nec euasisse fœlices, imprudentiam ergo suam tandem recognoscentes, vt quandoque fœliciores sint. Limina nunc tua reuisunt cogniturj patrem, ac sursum vnà cum patre filios agnituri, sic protinus victuri felicius. Quippè cum nuper compertum habeant, nec libros quidem de vita nostros, absque tuis auspiciis viuere voluisse. Comitantur præterea hos quinque Philosophos Priscianus Lydus simul, & Theophrastus, hi enim cum valorem meum saluere iamdiu dixerint, & ardenter optauerint, hodie te alacres adeunt, ita demum magnopere votum consecuturi, vt imprimis, ipsi penes te salui, saluum faciant & valorem, per te præcipue post Deum saluere desiderantem. Salue ante alios optime patrone noster, ac Philosophos tantos apud te colloquentes feliciter audi.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS,
Petro Medici viro magnanimo. S. D.



Qvanquam multa quotidie legitis meliora nostris, nulla tamen fermè magis arbitror vobis placere, quam nostra, si modo sua cuique maximè placere solent. sua verò cuiusque sunt potissimum, quæ omnium antiquissima possidentur, antiquissima certè possidentur à vobis Marsiliana, spero igitur hæc vobis semper carissima fore, vt etiam si somnia mittam, hæc quoque quasi pro veris apud vos primum, atque per vos vera etiam apud alios habeantur. Cum igitur Synesij Platonici librum de Somniis, quem nuper interpretati sumus è Græco, authorita em & fidem in primis apud lectorem primum ; & per hunc apud alios habere desiderarem, potissimum ad te misi, quarto iam gradu post magnum Cosmum nostra lecturum, atque hæc statim approbatione tua omnibus probaturum, adiunxi libro de Somniis librum Michaëlis Pselli Platonici de dæmonibus non immerito, quoniam à dæmonibus somnia mitti veteres arbitrantur. Vale XV. Aprilis. M. CCCC. LXXXIX.

SYNESIVS DE SOMNIIS,
TRANSLATVS A MARSILIO FICINO FLORENT. AD PETRVM MEDICEM.



Vetus mos est maximeque Platonicus sub quodam viliori prætextu grauiora occulere Philosophiæ mysteria, ne forte quæ summo cum labore adinuenta sunt, pereant, neue interea coinquinentur, si vulgo palam exposita fuerint. Hunc itaque morem, nos in hoc opere pro viribus secuti sumus, vtrum verò, & id consecuti simus, & cætera antiquorum more abunde tractauerimus, diiudicare poterunt, qui hæc philosophico ingenio legerint

VATICINIVM EORVM quibus homines student optimum esse.

SI somnii sunt Prophetæ, & quæ in sõnis videntur, hominibus exibent inuolucra futurorum, sapientes quidem erunt, certi verò non erunt, quatenus sapientia somniorum in ipsa consistit certitudine, occultauerunt enim dij vitam hominibus, nam maxima fine labore consequi proprium diuinitatis est bonum, apud nos autem non solum virtutes, sed cætera quoque præclara sudore quæruntur. Vaticinium verò, maximum videbitur esse bonorum, ipsa namque notitia, & omnino cognitionis ipsius facultate, tum Deus homini, tum homo bestiæ præstat. Sed Deo quidem ad cognitionem sufficit, ipsa natura, homini verò vaticinium longè plus affert quam communis notitia ferat, vulgus enim præsentia tantum nouit, futura verò coniectat.

Solus autem Chalchias in concione Græcorum omnium, nouit quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. Hanc igitur ob causam apud Homerum res deorum ex ipsa Iouis sententia pendent, quoniam prior extitit, pluraque nouit, eo ipso quod antiquior est: ætatem enim eò tendere in carminibus arbitror, quoniam beneficio temporis plura nosse contingit, quandoquidem notitia ipsa est sanè honoratissimum. Si quis autem ex aliis carminibus adductus existimet Iouis imperium in manuum potestate consistere, quod ait hic robore præstantior est, is molestè Poëma interpretatur, vel intelligit, quæ in illo est Philosophiam, nihil aliud deos esse dicentem quam mentes. Sic rursus ad id quod ait viribus excellere, esse etiam generatione priorem, adiungit cùm Iouem dicat mentem antiquiorem. Mentis autem ipsius robur, quidnam est aliud quam prudentia ? Quisquis igitur Deus est, dignusque qui aliis præsit, censetur: is cùm mens sit, sapientiæ præstantia imperat. Quare quod ait. Robore hic excellentior cum eo quod est plura nouit, idem nobis significat. Et propterea fertur etiam sapiens Deo similis, quod tum mente propius esse conetur, tum se circa intelligentiam exerceat, qua diuina constat essentia. His igitur rationibus demonstratum sit vaticinium eorum, quibus homines student, optimum esse.

In mundo tanquam vno quodam animali, res alia signa aliis exhibent.

SI autem per omnia significantur omnia, quippè cùm omnia in vno animali mundo sint germana, atque sunt hæ veluti omniformes literæ, sicut in libro, sic in vniuerso signatæ, partim quidem Phœniciæ, partim verò Ægyptiæ, partim Assyriæ; has autem sapiens ipse legit. Sapiens verò, qui naturam didicit rerum, & alius quidem legit alias, & hic magis, ille minus. Quemadmodum hic quidem paulatim, per syllabas, iste verò dictionem simul totam, ille denique orationem similiter. Ita sanè sapientes futura prospiciunt, alij suspicientes astra, alij flammas, siue manentes, siue currentes, alij in visceribus futura rimantes, alij in garritibus

auium, obseruantes interim qua volent, vbiue insideant. Sunt & qui perspicua futurorum signa coniectant ex vocibus, & concursibus, siue casibus accidentibus alteri. Quippe cum omnibus omnia significata sint, quapropter si aues sapientes forent, artem certè vaticinandi ex hominibus collegissent, quemadmodum nos ex illis peritiam cumulauimus: sic enim nos illis, quemadmodum & illæ nobis, occurrimus nuper, & ad dextram, atque sinistram.

Ea est mundi concordia, vt alia trahantur ab aliis, atque conspirent.

CVm enim vniuersum hoc sibimet sit compatiens atque conspirans, oportet partes congruenter inter se conuenire, vtpote quæ vnius æquè totius sint partes. Consideratione verò dignum est, vtrum huc tendant illices, vel motacillæ magorum. Mundana enim sicut ex se vicissim significantur, sic inuicem permulcentur. Iam verò sapiens est, qui mundanarum partium cognationem tenet. Trahet enim per aliud, præsentia tenens, velut pignora quædam procul absentium, voces videlicet, & materias, atque figuras: perinde sicut in nobis, dum interius patitur aliquid, & aliud quoque compatitur: malumque digiti in emunctorium sæpè tesultat, dum inter hæc multa minimè patiuntur: ambo enim illa, & vnius animalis sunt membra, & habent aliquid inter se cognatius, quam cum cæteris. Atqui, & alicui Deo ex deorum numero mundanorum lapis hic, herbave congruit, quibus quasi compatiens naturæ cædit, ac veluti fascinatur, quemadmodum qui grauem pulsat vocē, commouet subito non proximam sesquioctauam, sed sesquitertiam & acutam nomine netem: hæc enim propius sibi inuicem congruunt. Est enim in partibus sicut concordia quædam, sic insuper, & discordia: Nam mundus hic non est simpliciter vnum, sed ex pluribus vnum, suntque in eo partes partibus consentientes interim, atque dissidentes, ita tamen vt earum dissensio ad consensionem vniuersi conducat, sicut lyra constitutio quædam est tonorum dissonantium, atque consonantium. Ipsum verò ex oppositis vnum ad harmoniam, & lyram pertinet, atque mundum.

Solum quod mundo connexum est, à munda nis trahi potest.

ARchimedes Siculus optabat situm aliquem extra terram, ita sperans se contra totam terram libraturum. Aiebat enim dum esset in ea, se contra eam non habere potentiam, qui verò sapiens, aliqua in te est circa mundi naturam, si extra ponatur non habebit vlterius, quo pacto sapientia hac vtatur. Ipso enim ad seipsum vtitur. Interrupta igitur continuitate, hæc frustra sapit, signaque huic obseruata carent anima. Atqui quantum extra mundum extat diuinum, Id omne fascinari non potest, huic illud simile, qui emissus est, nihil curat, mentis namque naturam illecebræ non attingunt, quod verò passiuum est illecebris demulcetur, & trahitur. Prouinciam quidem & latitudinem vaticiniis expiationibusque præbent eorum, quæ in mundo sunt, multitudo simul, atque cognitio distantium, quidem multitudo, vnitorum verò cognatio. Expiationes quidem solennitatesque, sed nihil in præsentia sermo moueat ciuili tantum legi fidem adhibens, vaticinium verò recipere tuum est, nam & ipsius totum per ea, quæ intus habentur est comprobatum. Quantum verò ad præsens spectat, licet optimum seligere impensiusque in eius consideratione versari, dum interea propriam vaticiniis omnibus babemus obscuritatem, adeo, vt nulla eius species ex hoc ipso reiicienda sit, quod pariter est in totà integraque natura. Iam verò ratio declarauit, id quoque venerandum esse, vt quemadmodum in sacris est secretum, sic & oracula non omnibus sunt aperta, hinc & qui in Pythia dat responsa λοξίας, id est, obliquus, & contortus est appellatus, quoniam & ligneum parietem; quem Phœbus Atheniensibus attulit, in salutem frustra vulgus audisset, nisi Themistocles oraculi mentem intellexisset, quamobrem neque vaticinium somniorum propterea respuendum erit, quod sit obscurum, siquidem obscuritatem habet cùm cæteris oraculisque communem.

De intellectu, & ratione, & phantasia.

STudendum verò huic maximè præ cæteris disciplinis, quoniam ex nobis hæc est, & intrinsecus, & vnius cuiusque animæ propria. Intellectus enim in entium species habet, quemadmodum antiqua tradit Philosophia. Nos quoque adiungere possumus, sicut intellectus species habet eorum, quæ sunt, sic animam eorum, quæ fiunt species possidere. Nempè sic se habet intellectus ad animam, quemadmodum ens se habet ad generabile. Sic igitur permutarim accommodetur primum ad tertium, & secundum ad quartum, vicissimque rependatur, nihilominus vera loquemur, sequentes scientiæ terminos, Sic itaque demonstratum fuerit: quod nobis placet, animam videlicet eorum quæ fiunt species possidere, habet igitur omnes, producit verò in actum in primis, quæ & conueniunt maximè, atque phantasiam illuminat quasi speculi more, per quam animal, quæ manet intus aduerrit. Sicut igitur neque intellectus ipsius actiones animaduertimus, antequam ipsi communi nuntiet ipsa potentia præsidens, atque quod non peruenit in eam, latet. & animal, sic neque, quæ in prima sunt anima, solemus animaduertere prius quam in phantasiam eorum signacula veniant. Atqui videntur hæc vita quædam existere aliquantum inde sublapsa, & subsidens in ipsa proprietate naturæ, sentiendi vtique vires sunt penes ipsam. Etenim colores videmus, & voces audimus, & vehementissimum percipimus tactus impulsum, dum instrumentales corporis partes nihil agunt. Fortè verò nihil prohibet eiusmodi sentiendi genus esse sacratius. Nam & per hoc diis quoque nonnunquam propinquamus monentibus, & prædicentibus, atque simpliciter consulentibus, quapropter sicuti thesaurus contigerit somni donum non admodum admiraretur, neque si quis cubitum profectus Musarum expers interdormiendum in Musas inciderit, & partim verò audiens idoneus poëta prodierit, quod & nostrum attulit seculum, neque hoc quidem videtur prorsus inopinabile. Mitto equidem in præsentia diuulgaras somnij dores, quibus sæpè ab insidiis liberantur, & quod hominibus somnus accedens Medicus aduersum expulit valitudinem. At quando ad solertissimam æternorum

contemplationem viam patefacit animæ non speranti, neque etiam cogitanti, hoc quidem munus est in ordinem rerum, eminentissimum, naturam videlicet supergredi, atque cum ipso intelligibili illum denique copulare, qui illinc vsque adeo aberrauerat, vt neque vnde venit animaduerterit.

De potestate phantasiæ, spiritusque phantastici.

SI quis autem magnum quiddam existimauerit quidem ascensum in sempiterna, neque tamen confidat phantasiæ facultatem ad beatum illud commercium nobis suppetere, audiat eloquia sacra, quæ varias ad hoc vias ostendunt, atque post totum narrationis ordinem occasiones ex intimis nostris præbentem ad ascendendum, per quem datur semen intimum augere. Tradunt Deum aliis quidem dedisse facultatem ad perdiscendam luminis innotionem, alios autem etiam in somniis diuini fructus vigorisque effecisse participes, videsne disciplinæ facundiam hic è contra diuisam: dum dicitur alium quidem in vigilia, alium verò in somno doceri. Sed in vigilia quidem doctor est homo, somniantem verò Deus ipse fructus vigorisque sui participem facit, quasi non idem sit discere, atque consequi, nam pascere fructibus, plus est admodum quam docere, verum hoc quidem nobis adsumptum fuerit ad asseruandam vitæ phantasticæ dignitatem aduersus eos, qui de hac vel minima quæque desperant. Iam verò nihil mirum est, eos ita sentire ob superuacuam sapientiam, qui versati sunt in illis, quæ à sacris eloquiis reprobantur, vbi traditur victimas, obseruationesque extorum vanas esse proculque fugiendas, illi verò quasi vulgo præstantiores, artes quidem alios alias ad præsagiendum accipientes, & operationes huiusmodi comprobantes, sola somnia negligunt. quasi rem vltro ante oculos positam, cuius passim ignarus, & sapiens æquè particeps. Quid verò si ob hoc ipsum maior hic sapientia fit, quia communius munus habetur, nonne & alia bona præcipuè, quæ maxima sunt omnium communissima sunt? nihil inter omnia, quæ videntur sole diuinius, nihil sole communius. Si autem ipsum per se Deum inspicere donum beatum est, certè per phantasiam percipere antiquioris proprieque inspectionis est munus, hæc enim sensus est sensuum, quoniam phantasticus ipse spiritus sensorium est communissimum, primumque animæ corpus, & hoc quidem latet, agitque intus, principium animalis habet velut ex arce. Nam circa ipsum vniuersum capitis fabricam natura construxit. Auditus autem, atque visus non sunt quidem sensus, sed instrumenta sensus, communi sensui ministrantia, & quasi quidam animalis ianitores, & ostiarii, nunciantes Domino sensibilia forinsecus occurrentia, quibus pulsantur externa sensoria. Intimus interea sensus in cunctis sui partibus sensus est integer toto namque spiritu audit, toto videt, similiterque reliqua valet, distribuit autem vires alias aliis: quarum quælibet deriuatur ex animali seorsum, suntque velut rectæ quædam lineæ profluentes è centro, & connuentes in centrum, vna quidem omnes ex communi radice, multæ rursum processione iam factæ. Sensus igitur, qui per instrumenta fit palam proposita, maximè est animalis, tametsi non prius est sensus, quam recurrat in primum. Sensus autem sine medio factus, & animæ propinquior est, & certè diuinior.

Phantasia est perspicacior, quàm sensus exterior.

AT verò si corporeos quidem sensus ob cognitionem honorantes, quoniam maximè cognoscamus, quæ cernimus, phantasiam respuimus tanquam infideliorum sensu, videmur non satis animaduertere, ne oculum quidem ipsum verè omnia nobis ostendere, sed aliud nec ostendere, aliquid quoque mentiri, tum per naturam eorum, quæ videntur, tum per naturam instrumentorum. Sanè ex interuallis minora, maioraque eadem offeruntur, & quę videntur per aquam grandiora nobis occurrunt, ac remotus occurrit fractus, accedit & debilitas oculi. Nam & lippus oculus confusa indiscretaque obiicit. Quicunque igitur phantastico languet spiritu, ne exigat perspicua discretaque visa, qui verò fit eius morbus, & quibus de causis langueat, hebeteturque, quibusue purgetur, atque defecerur, & in naturalem restituatur puritatem, à Philosophia secreta tibi est perdiscendum, à qua mysteriis purificatus, & diuinus euadit, atqui & influxus exteriores effugiunt, antequàm Deum spiritus intromittat, & quicunque victu quodam secundum naturam hunc conseruat purum, hoc vtitur admodum præparato à Deo, vt hac insuper ratione munus eiusmodi fit communissimum. Percipit enim eiusmodi spiritus animæ quoque ipsius affectionem, neque compassione caret ad ipsam, sicut terrenum corpus huic circundatum, hoc enim & oppositas conditiones habet præstantioribus affectionibus animæ. At primum eius propriumque vehiculum, anima quidem bene se habente tenuatur, æthereamque sortitur conditionem, habente verò se male, hebescit, euaditque terrenum. Omnino verò hoc est rationis interuallum, irrationalisque naturæ, & incorporei gradus, atque corporei, & terminus vtriusque communis, perque hoc medium diuina coniunguntur extremis, hac vtique ratione arduum est, naturam eius Philosophia comprehendere.

Spiritus phantasticus est primum animæ vehiculum.

VEndicat enim sibi spiritus hic aliquid velut proprium, tanquam ex vicinis quibusdam ab extremis vtrisque, & quæ tam longè disiuncta sunt, occurrunt in vna natura, atqui essentiæ phantasticę latitudinem natura per multas rerum sortes extendit. Descendit vtique vsque ad animalia, quibus non adest vlterius intellectus, neque tunc est vehiculum diuinioris animæ, sed subiectis præsidet viribus, atque est animalis ipsius ratio, multaque per phantasticam hanc essentiam sapit animal, agitque decenter: purgatur & in brutis, adeo vt præstantius aliquid inferatur, tota quinetiam genera dæmonum ex eiusmodi vita suam sortiuntur essentiam, illa enim ex toto suo esse imaginaria sunt, & iis, quæ fiunt intus imaginata. Homo quinetiam multa per hanc exercet etiam solam, aut si per aliud, per hanc vtique magis. Intelligentias namque edere non sine phantasia solemus, nisi fortè quispiam ad breue immaterialem attigerit speciem, phantasiam verò supergredi, non minus est arduum, quam beatum. Hinc Platonicum illud, optabile illud est in primis satisque factum, sicut vel in senectute

mens, sapientiaque contigerit, significans intelligentiam absque phantasia lucentem, quippè cum præcedens communisque vita phantasia sit propria, vel saltem phantasia vtentis intelligentiæ.

Spiritus Phantasticus inter æterna & temporalia medius est, quo & plurimum viuimus.

PRoinde spiritus hic animalis, quem beati spiritalem quoque animam vocauerunt, fit Deus, & dæmon omniformis, & idolum. In hoc etiam anima pœnas exhibet, de hoc consentiunt & oracula, vitam in hoc animæ comparantes imaginationibus somniantium. Philosophia quinetiam comprobat præcedentes vitas esse præparationes quasdam ad vitas subinde sequentes, cum & optima in animabus affectio, vel habitudo spirituum eiusmodi leuius efficit, abstergitque habitudinis deterioris profunditatem. Tractibus igitur naturalibus, aut attollitur in sublime ob caliditatem, atque siccitatem. Itoque apud Platonem alarum assumptione signatur, & apud Heraclitum significat idem splendor siccus, anima sapiens, aut crassus humidusque fit spiritus, vnde immergitur terræ secessibus, naturali pondere delitescens, expulsuque in subterraneam regionem. Hinc enim locus spiritibus humidis maximè congruit. Ibique vita infelix degitur, & obnoxia pœnis, licet autem tempore & labore, vitiisque aliis animam purificatam rursus emergere; cursum enim per geminas agit vitas, vicissimque melioribus deterioribusq; propinquat, eiusmodi spiritus mutatur à sphæris anima prima descendens, & hanc velut cimbam ascendens commercium init cum mundo corporeo, atqui certamen agit eiusmodi, vt vel simul ducat, vel non remaneat simul. Nempè vix quidem, fieri tamen potest, vt dimittatur non sequens vlterius, nefas enim est rotis non credere sacris, turpis autem accideret ad superos reditus, quando animæ non redderent alienum, sed circa terram relinquerent, quod desuper acceperunt. Atque hoc quidem vni, & secundo donum Dei mysteriorumque acciderit, natura enim comparatum est, vt anima huic semel insita, vel simul impetum faciat, vel trahat, vel forrè trahatur, omnino verò congrediatur donec vnde venerat, rursus ascendat. Quapropter cum ob deprauationem ingrauescit, contrahit secum animam, quæ permiserat id grauari, atque id est, in quo eloquia semen in nobis intellectuale pererrent his verbis, neque declines infra in obscurum mundum, cui profundum est semper infidele substratum, & infernus aer vndique sordidusque gaudens idolo demens, quo enim pacto menti expedir, stupida vita demensque, at idolo, id est, simulachro ob talem tunc affectionem spiritus inferior competit locus. Simile namque gaudet simili.

Phantasticus spiritus potest purior, & impurior fieri leuior, atque grauior.

PRoinde si per copulam vnum conficitur ex ambobus, intellectus quoque propter oblectationem, aliquando se immergit, id autem malorum omnium est extremum, ne præsens quidem malum animaduertere, quo qui premuntur, non conantur emergere, quibus durissimum iam callum morbus obduxit. Ideoque cum nihil doleat amplius, meritò neque curare contendunt, quamobrem pœnitentia vim habet peculiarem ad supera reducentem. Qui enim præsentem statum fert ægrè excogitat fugam. Itaque maxima purgationis pars est voluntas, huius namque munere rum facta, tum dicta manum porrigunt, hac verò sublata omnis purgatoria machina caret anima, quippè cum maximum reconciliationis pignus ei desit, hanc ob causam, & hic, & ibi, punitiones ordini rerum maximum afferunt adiumentum, dum molestiam oblectamentis opponunt, stupidamque expurgant ex anima nostra lætitiam. Tum verò casus, qui præter merita dicuntur incidere, plurimum conferunt ad affectum, quo bis afficimur extirpandum fortunis, certè eiusmodi apud eos, qui mentem habent, prouidentia confirmatur, quibus, & qui mente capti sunt diffidere de prouidentia solent, nullus enim relinquitur animæ locus, quo materiam fugiat si in nullum hic malum inciderit. Quæ propter existimandum est inferioris prouinciæ præsides vulgares adinuenisse prosperitates tanquam animabus insidiaturas. Itaque hinc emigrantibus animabus obliuiosum contingere potum alius dixerit, ingredienti verò hanc vitam, animæ potum obliuionis afferr conditio suauis, & blanda. Cum enim ad primam vitam anima descenderit mercede laboratura libenter serua euadit pro mercenaria, descensus quidem hic tendebat, vt ipsi vniuersi naturæ mysterium adimpleret, ita regulis legis ineuitabilis ordinantibus. Fascinata verò materiæ donis perinde afficitur, atque illi, qui cum liberi sint, ad certum tempus mercede conducuntur ad opus, vbi ancillæ cuiusdam pulchritudine capti, moras trahere volunt, ipsius amatæ Domino seruire constituentes. Iam verò nos quandoque profunda sententia, externisque circa corpus bona videntur, oblectamur, consentire videmur naturæ materiæ eam esse formosam, hæc autem conuentionem nostram pro arcano signat libello, atque si quando inde discedere rāquam liberi statuamus, profugos esse clamat, & reuocare conatur, ac tanquam fugitiuos seruos repetit, libellum in medium introducens, tunc fanè fortitudine, auxilioque diuino potissimum opus est animæ: quippè cum non sit leue certamen, sui ipsius abrogare confessionem, atque pactum, contingit autem, & vim inferri, pœnæ namque vltrices materiales tunc & iuxta fatum mouentur aduersus eos, qui à legibus fari rebellant. Atque idipsum est, quod significat labores Herculis & pericula, quę oportuisse Herculem tolerare, sacra testantur eloquia, & si quis alius fortiter pro libertate contendit, quod ad spiritum illuc vsque traducat, quod naturæ manus minimè porriguntur, at si intra terminos eius saltu acciderit, in angustum anima coercetur, grauioribusque opus est certaminibus, tunc enim nobis ipsa non parcit, quasi videamur iam alieni, & si de ascensu desperet, pœnas exigit pro conatu, vitasque promir non ab vtrisque iam dolis, quæ Homerus occultè significat tradens, duas esse materiæ portiones, duplicem distribuens fati conditionem, à quo bonum quidem nunquam est sincerum. Iam verò & aliquis deteriorem sortem patitur temperatam.

Quàm vtilis sit pœnitentia delictorum, quàm perniciosus mortalium amor.

OMnino verò vitæ omnes in errore versantur, errore inquam, vbi post primum descensum non fit subito reditus. Considera vtique quanto

interuallo. spiritus hic nobiscum negociatur, cùm enim deorsum inclinatur anima, spiritum quoque grauescere, immergique sacrum tradit eloquium. Quousque regionem subeat vndique tenebrosam, cùm verò resurgit anima, spiritum etiam comitari, quatenus sequi valet, valet autem, quousque in gradum peruenerit omnino distantem. Audi iam quid hac de re eloquia doceant, neque etiam abiectissimum hoc materiæ præcipitio derelinques: sed etiam simulachrò porrio est in regione vndique lucida. Regio verò hæc regioni vndique tenebrosæ prorsus opponitur, tametsi hoc in loco nemo sic acutè nimium interpretatus fuerit, non enim solam in sphæras naturam inde profectam reuocare videtur eloquium, verumetiam si quid ex igni sublimi, vel aëre in naturam simulachralem anima contraxit ex alto descendens prius, quam corticem terrenum indueretur, atque ex hoc ipsum ex aëre igneque supremum inquit, vna cum parte meliore ad superos reuocari. Quod enim dicitur materię abiectissimum significare diuinum corpus non potest. Iam verò ratio dictat, quę nam communicant conseruntque ad vnum non posse mutua quadam habitudine, iuncturaque, & perseuerantia inter se carere, præsertim, quorum vicinæ sunt regiones, quemadmodum ignis est orbiculari corpori proximus, atque non sicut terra rerum tenet extremum. Quod si meliora deterioribus quandoque cedentia communione fruuntur, conficiunt in materia corpus indissolubile, tanquam formatum ab eo, quod in congressu permissum est imperare, forsan & deteriora non reluctantia aduersus actum actionemue animæ, sed mansueta, & obedientia prorsus, atque sequentia, mediamque naturam indissipabilem exhibentia ipsius animæ primæ ducta in sortem simul redigunrur ætheriam, communique tractu tollunrur ad supera, si non ad vniuersi summum, saltem elementorum, ita transeunt summitatem, attinguntque regionem vtrinque lucentem, habet enim (vt inquit) quandam in se portionem, id est, in ordine quodam corporis orbicularis recipitur, verum de parte sorteque elementorum hæc dicta sufficiant. Quæ credere licet, atque non credere, essentiam vero corpoream, inde profectam negare non licet naturaliter anima reuolante attolli simul ex infimo sphærisque coaptari, hoc est, in naturam propriam quasi refundi.

Anima corpus habet cœleste, pariter & aëreum, quibuscum ad supera reuolat.

HÆc quidem duæ extremæ sunt regiones atque sortes: Altera vtrinque prorsus obscura, altera vndique lucens, quæ & felicitatis, infelicitatisque sunt extrema sortitæ. Tu verò quod existimas in mundi capacitate esse medias regiones, quæ ex altera quidem parte sunt atræ, ex altera verò lucentes, in quibus omnibus anima vnà cum hoc spiritu vitam degit, species, & mores, & vitas alternè commutans.

Cùm igitur in propriam genetositatem se recipit, veritatis est penus: pura enim est perlucidaque, ac prorsus immaculata, est & Deus, atque vates, si libear: cùm verò delabitur, obtenebratur, erraticaque, & mendax, quod enim caliginosum est in spiritu rerum verarum perspicuitatem capere nequit. Cum denique tenet medium, partim quidem aberrat, partim verò consequitur. Posses & hac ratione dæmonicam quoque naturam, eiusque ordinē explorare. In omnibus enim consequi vera, vel paululum abertare diuinum est, aut propè diuinum, conditio verò aberrans in prædicendo ad eos necessario pertinet, qui ad naturam inclinantur assiduè, quorum, & conditio passioni obnoxia est, ac prorsus ambitiosa, Hoc enim pacto subterranea subit, dimittitque Deum, antiquioremque dæmonem. Sed alia ratione hunc recipit, aditque, & assequitur regionem naturæ præstantiori dicatam.

De regione omnino lucida, & omnino obscura, atque de media, & quomodo passim spiritus reuoluatur.

PRoinde ordinem animæ viuentis in homine hinc deprehendere licet in quocunque. Phantasticus spiritus purus est, atque compositus, & vigilans, atque dormiens veras rerum effigies accipit. Hic sanè tunc pignus possidet, quo asseuerare possit ipsam animæ suæ figuram meliori sorte potiri. Neque leuiter insuper venari possumus, quæ nam potissimum animalis spiritus sit affectio ex imaginationibus, quas præcipuè promit, & in quibus se versat, quando à nullo pulsatur extrinsecus. Philosophia huic suppeditante iudiciaria, atque monente, vt hunc nutriamus diligentissimeque curemus, nequando aberret. Educatio autem optima est secundum intuentem percipienteque potentiā semper agere, & omnino vt intellectualis sit semper actus ipse præcipuus animæ. Atque quod fieri potest absurdos temerariosque impetus conceptus phantasiæ semper anticipemus. Hoc autem est, vt in primis ad optimum conuertamus, neque cum deteriore commercium ineamus, nisi quantum summa cogat necessitas. Intellectualis autem intuitus res quædam est, maximè omnium quæ in spiritu sunt concreta secernens.

Extenuat enim ipsum, clam supra quam dici possit dirigitque, in Deum, hic verò factus ad hoc idoneus trahit cognatione quadam, diuinum spiritum ad animæ nostræ commercium, quemadmodum condensatione aliqua cohibetur, fitque angustior, quam vt implere possit sedes assignatas ei à pronidentia hominem effingente, quæ in cerebri sunt ventriculis, tunc sanè natura vacuum in rebus non tolerante, spiritus malus insinuatur. Tunc verò quid non patitur anima in exsectabili malo assiduè pressa, sic enim natura comparatum est; vt spiritus ipsius sedes, in hoc ipso dispositæ vel peiori quodam, vel meliori sint plenæ, & hoc quidem malum pœna est impiorum, qui diuinum eis sibi insitum inquinarunt, illud verò bonum, aut finis ipse pietatis est, aut proculdubio propè finem.

Quomodo deprehendat aliquis puritatem sui spiritus, atque impuritatem, & qua ratione purificet.

CVm verò de vaticinio per somnia facto disserere statuerimus, ne id homines spernerent, imo colerent, tanquam vitæ admodum profuturum, ad hoc sanè phantasticam naturam curiosè tractauimus, ex hac autem disputatione quod in præsentia confert, minus apparuit. Fructus autem præstantior est sani spiritus ad superna reductio. Lucrum certè animæ sacrum adeo,

vt meditatio quædam religionis sit conari eiusmodi spiritum reddere vaticiniis aptum. Iam verò quidam hanc ob causam auiditate vaticinij capti mensam sacram, atque mitem antepofuerunt turgidæ mensæ, amauerunt que cubile purum, ac prorsus immaculatum. Petr multum certè abest, vt qui in pythio tripode, phœbeaque lectica trahebat moras ad vaticinium, his vsuris noctes ibi protraheret intemperantiæ testes, imo verò & obsecrabat Deum, & votis impensior incumbebat. Quod verò paulatim accumulatur, euadit denique multum, & quod per aliud efficitur, in maius denique definit, dum videlicet Deum vehementius amare pergimus, atque ad húc amoré cohortari eos, qui aotea oon amabát.

In primis elaborandum est, vt phantasticum spiritum habeamus purum, & vaticiniis aptum.

NOn igitur spernendum est vaticinium nos ad diuina perducens, habensque propè assistens, quod est in animæ potentia præstantissimum. Neque verò ob hoc minor est vtilitas animæ sic Deo coniunctæ, quod in diuinum est recepta commercium, non enim interea deserit animal, nam & ex specula inferiora circunspicit multo plenius, quam si cum deterioribus sit commixta, quapropter permanens inconcussa, dabit eorum, quæ fiunt imagines animali, atque id est. quod dicitur descendentem non descendere, quando natura præstantior deteriorem curat non detenta. Eiusmodi equidem vaticinium, & adesse mihi opto, & afferre filiis, cuius comparandi gratia longum iter aggredi non compellimur, oam extra fines enauigamus, quemadmodum ad Apollinis Pythij, vel Iouis Ammonis oraculum, sed sufficit dare se somno lætis manibus, diuini que laudibus celebratis, huic illud simile, hæc autem læra prius, & puri coloris amictus indura Mineruæ vouet. Sic itaque somnium exoptabimus, quemadmodum forsan optauit Homerus. Iam verò si paratus fuerit, aderit, qui procul esse dicitur euestigio Deus, quandoquidem nobis nihil eiusmodi operatis, sed tantum dormientibus vbique fit præsens, atque hæc quidem est mysteriorum tota tractatio, propter quam nemo vnquam inopiam accusauit, quasi propterea minus quam diuites consequatur. Pleræque res publicæ sacrorum antistites ex nobilissimis ditissimisque, sicut Athenienses classes gubernatores eligunt, apudque illos opus est magnificis sumptibus & fortuna non parua, vt aduehatur herba Cretensis, & Ægypria penna, osque Ibericum, ac per Iouem siquid prodigiosum in profundo maris nascitur, atque nutritur, siue occidente sole, siue oriente. Traduntur enim eiusmodi quædam & alia eiusdem generis plurima de illis, qui vaticinium acceptum forinsecus machinantur, quibus suppeditandis nullius sufficit priuati facultas, somnium verò videt, tam qui pauum, quàm qui magnum possidet censum, & qui victus extremitate laborat, videt speculator pariter, atque mercenarius, nec ciuis aliter, quam peregrinus, nihilo verò differt apud Deum ad vaticinium bubulcus mancipiumque, & insanus à cæteris. Quod sanè huius condirio vaticinij admodum popularis est, certè est humanissimum, quod simplex ac per se paratissima, est admodum philosophicum, quod non violenta, proculdubio pium, quod adest vbique, quodue cogimur adhibere aquam, aut petram, aut hiatum terræ, diuinissimum, merito iudicatur. Decebat & inter prima laudare, quod eiusmodi vaticinij gratia ne ab vno quidem negotia vitæ distrahimur, neque tempus cooterimus vllum, nemo enim posthabitis necessariis præsentibusque negotiis cubitum abit domum ad somnium constitutum, sed tempus ipsum duntaxat, quod necessarium est animali conterere naturæ instaurandæ gratia, cum substantia nobis ad perpetuam vigiliæ actionem sufficere nequeat, tempus inquam hoc nobis, hoc ipsum vltro largitur, quod & dici solet, ocium negotio maius, coniungens nimirum optabile necessario, ac bene cum simpliciter esse. Contra vero circa præsagia illa, quæ instrumentis variis aduenire solent optimè nobiscum actum existimandum est, si dum plurimam vitæ partem sibi vendicat. Interea concedant aliquid cæteris vitæ vsibus, atque actionibus. Quibus si quia in parte prorsus mentem intenderis, difficile admodum ad hanc ipsam iuuaberis vaticinio, non enim est cuiuslibet temporis, aut loci apparatum, suppellectilemque capere ritibus sacris subministrantem, neque facile est secum circumferre instrumenta solennibus necessaria. Atque vt alia prætermittam, vbi nuper coaceruata supplicia sunt, immittis quædam est onerositas cauæ nauis: quibus cum & aliæ sacrorum partes accedunt descripti homines videlicet atque testes, sic enim dictu verius est, quando nostrum hoc sæculum multa per legum ministros soler enuntiare, quorum opera iam diuulgati sacrorum ritus in profaoi vulgi conspectum auditumque venerunt. Præter enim id, quod infestum est, atque miserum (arbitror) his incumbere Deo proculdubio est inuisum, nam non expectare volentem aliquem, sed in pulsu vestibulque mouere, nihil aliud est quam vim inferre, quod quidem nec apud homines factum conditor ipse legum reliquerit impunitum, Itaque præter hæc omnia, quæ perardua sunt apud eos, qui futurum ita rimantur, accedit & actionis ipsius intermissio frequens, & dum vagamur extorrens artis ipsius obmissio, non enim leue opus est oberrantes passim sarcinas ad eiusmodi vaticinium ferre. Vaticinij verò somnio venientis ipse quisque est instrumentum, vt neque volentibus quidem oraculum eiusmodi dimittere liceat, sed cum manentibus permanet, cum peregrinantibus æquè commigrat, commilitat quoque, simulque ciuilia tractat, corrusticatur, atque commercatur. Vaticinium hoc nec inuidæ ciuitatis leges vetant, neque vetare possent, etiam si voluerint, non enim habent, quo vaticinantem eiusmodi reprobent, quid enim dormientes iniuriamur? sed neque tyrannus in somnia videre prohibeat, nisi fortè somnum ex vrbe procul expulerit, sed & demenris esset impossibilia velle, & impij, mandare naturæ, Deoque contraria.

Quam vtile vaticinium, & optandum, præsertim per somnia.

AD hoc igitur vaticinium accedere decet fœminas, atque viros, antiquos & iuuenes, pauperes, atque diuites, priuatos, & principes, rusticos, & vrbanos, elegantes, atque plebeos, non genus, non ætatem, non fortunam, non artem aliquã respuit, omnibus passim adest Propheta paratus, consultor bonus, & tacitus, sacrorum præceptor,

ceptor, atque discipulus, prædicit quidem bonum, vt anticipans visum voluptatem habeat longiorem, prædicit & malum, vt caueamus incommodum, atque propulsemus, etenim quæcunque siue species genus hominum nutrientes optima blandaque porrigunt, siue metus affert, prouida, & vtilia omnia somniis insunt, atque à nullo prorsus ita sperare persuademur, tametsi sperandi munus adeo in natura plurimum est, atque salutare, vt sophistæ prædicent eleganter, nec optaturos fuisse homines viuere sic affectos, quemadmodum sunt ab initio constituti. Respuerent enim sic viuere difficultatibus vitæ compulsi, nisi Prometheus naturæ spem ipsam inseruisset, tanquam perseuerandi in vita remedium, cuius illecebris irretiti, quod expectant in futurum, præsenti statu fidelius arbitrantur. Habet autem spes ipsa vim tantam, vt vinctis compedibus si quando licuerit, inciderit que, pro voto sperare (vt ita dicam) soluitur, militat, subito duplo proficit. Paulo post regit manipulum, mox ducit exercitum, vincit, mactat, coronatur, conuiuia ponit, mensam parat si placet siculam, si libet, & medicam. Interea oblitus est pedum, donec iam est ducturus exercitum, atqui hoc est re vera somniantis, & vigilantis in somnium, nam circa idem subiectum versantur vtraque scilicet circa naturam phantasticam, quam quotiens formare statuimus imaginibus, vnam hanc in primis affert vtilitatem, delinit enim vitam nostram lætitia, animæque spe vaga blanditur, atque ita nos à sensu reuocat molestorum.

Exhortatio ad vaticinium somnij comparandum, atque de imaginationis efficacia.

QVando verò natura phantastica proprio munere nobis præsidens spem nobis excitat, id autem accidit somniantibus, somniale promissum tanquam Dei pignus habemus, quamobrem iam aliquis animum suum alacriter instruens, tanquam grandioribus visurus muneribus, quæ in somnium proposuerat, lucrum reportat geminum, tum quod ante rem ipsam gaudet, tum quod partis aliquando rebus scienter vtitur, propterea quod iamdiu de his fuerit meditatus tanquam vitæ admodum competentibus. Iam verò quam Pindarus spem laudauit de viro scilicet fœlice loquutus dicens, spem huic almam cor dulce nutrire, eumque comitari, quæ mortalium vndique nutabundam mentem maximè regit, eiusmodi spem inquam ab eo decantatam, dixerit aliquis, non esse fallacem hanc, quæ decipit vigilantes, quam ipsi nobis effingimus, sed totum hoc ad somnialem speciem potius attinere, atque Pindaro dictum ad celebrandam partem exiguam somniorum. Vaticinium igitur somniare vnà cum arte prosequens, quod apparet, speciem exhibet firmiorem, vt non vilioris esse generis non videatur.

Penelope verò, apud Homerum duas somniorum portas inducit, affirmatque dimidium esse fallax, quoniam somniorum sapientiam non habebat, si enim artem scite ad hæc habuisset, omnis vtique per portam corneam traduxisset. Inducitur ergo illic redarguta, inscitiamque confessura circa ipsam visionem, cui non credidit, cum credere debuisset, Anseres quidem proci. Ego verò vxiles sum aquila, hic autem erat contubernalis, atque id erga illum de visione nugabatur. Videor equidem Homerum hic audire dicentem, non decere diffidere somniis, vel vtentium debilitatem ad visorum transferre naturam, apud quem nec Agamemnon iuste somnium criminatur, vt fallax, cùm malè accepisset oraculum de victoria dicens, iubeo te thoracibus armate galeatos Achiuos, nunc enim ceperis amplissimam vrbem. Properat igitur Agamemnon tanquam repente propriis viribus vrbem expugnaturus, vbi quod omnino dictum est ab oraculo obaudiuit, neque seruauit. Inquit enim oraculum, superabit sanè, si totum omnino exercitum Græcorum armauerit, at verò neque Achilles tunc, neque Myrmidonum phalanx processit in prælium, pars nimirum exercitus præstantissima.

Quantam spem nobis vaticinium somnij præbeat.

MVltas vtique laudes accumulauimus, verumtamen quasi desipui, quod enim vaticinium somniale connauigat nobis, & commoratur, commilitat, & commercatur, omnibusque omnia commi nistrat, paulò ante prædiximus. Beneficia verò mihi inde collata nondum memoraui, tametsi in nullo magis quàm Philosophiæ commercio cum hominibus communicare solet, multa sanè vigiliæ dubia. Postquam dormitum accessimus, partim patefacit omnino, partim nobiscum ambigit, & nunc quidem, qui somniat interrogare videtur, & discere, nunc etiam inuenire. Mihi quidem sæpè libros mecum vna, mentem enim instruxit, orationem composuit, diem partim quidem describeret, partim etiam commutaret, quandoque verò & totam linguæ dispositionem stolidam, atque tumentem nominum nouitate ob nimium atbeæ linguæ antiquioris, duriorisque amorem vaticinium hoc per Deum corrigens, & partim quidem dictans, partim verò, quid sit ostendens, tu mores quosdam ingenitos linguæ deliniens leu gauit, tumorem expulit, modumque adhibuit. Atqui, & dum quandoque venarer vires mihi insidiasque subministrabat aduersum feras arte quadam currentes, atque latentes, quandoque etiam defatigato castraque dissoluenti instare præcepit, promisitque fortunam in dominam, adeò vt dulce foret venationibus immorari alacriter confidenti. Diuinatio verò eiusmodi cùm primùm deesset, domina aderat, & fortuna, hæc sanè monstrabat examina irretitarum captarumque ferarum, mihi quidem vita libri sunt, atque venatio: quoniam nunquam legationibus fungi desideraui; existimans non conferre tres annos è vita videre nefastos. Verum & tunc plurimum hoc vaticinio, & maximo sum adiutus. Insidias enim contra me magorum animas citantium reddidit impotenter, tum patefaciens occulta, tum ex omnibus discriminibus liberans. Itaque & publica mihi disposuit, vt ciuitates optimè regerentur. Regi quoque magno maiori me fiducia, quàm Græcorum aliquem vnquam conciliauit.

Somnium affatim nobis vaticinia præstat.

CÆteris quidem cura est aliorum, hoc autem adest omnibus: bonus vnicuique dæmon, atque iis qui vigilantes meditati sunt artificiosè aliquid inuenire, præceptor occurrit. Adeò sapiens res est anima ocium agens à sensuum colluuione forensium animæ naturas vndique inferentium alienas. Anima namque quotcumque species habet, & quotcumque accipere solet à mente facta, quandoque sola perspicuas exhibet ad interiora conuersis, & quæ veniunt à diuino traducit. Nam anima ita se habenti Deus quoque mundanus se prorsus adiungit, propterea quod animæ ipsius natura ex eodem simul, atque ille profluxit. Hæc igitur genera somniorum diuiniora censentur, atque vel omnino, vel quasi penitus integra sunt, atque perspicua, minimeque artis indigent adminiculo. Sed hæc quidem solis contingunt hominibus virtute viuentibus, vel per prudentiam, vel per consuetudinem acquisita, sin autem aliquando & aliorum alicui fortè contingant, vix quidem, quamuis fortè accident. Verùm non in exiguo quodam somnium generosum cuilibet accidet, reliquum verò multiplex, atque communissimum genus, illud est omnino reconditum, cuius gratia artem necesse est adhibere, originem namque habet absurdam (vt ita dixerim) atque monstrosam, cumque ex talibus quibusdam pullulet, progreditur obscurissimum, sic enim somniorum se res haber, vt dicam.

Vaticinium somniorum praslo omnibus adest.

AB omnibus, quæ vniuersi natura comprehenduntur, siue sint in præsentia, siue facta sunt in præterito, siue futura dicantur: nam & hi sunt quidem existentiæ modi. Idola profluunt, & ab eorum substantia iugiter euibrantur, si enim sensibile quodlibet est *εἶδος*, id est species in materia, cum materia simul extensa, deprehendimus autem ex composito materiam foras effluere, ratio certè dictat, formarum quoque naturam extrinsecus per idola deriuari, vt ex vtraque parte ea, quæ in generatione versantur, ab ipsa entis dignitate degenerent. Omnium verò, quæ diximus idolorum à rebus vbique manantium spiritus ipse phantasticus speculum est certè clarissimum. Aliter enim circumeuntia, & à statu labentia, tum ob indefinitam essendi, tum quia à nullo entium cognoscuntur, cùm primùm irretiuntur in spiritus animales, qui & ipsi quidem sunt idola, sed in natura habentia sedem, his protinus inniuntur, & tanquam in domiciliis conquiescunt. Eorum igitur, quæ facta sunt, vtpote, quæ in essendi actum iam processerunt perspicua passim Idola demittuntur, donec temporis diuturnitate debilia tandem exiguaque euadant. Eorum verò quæ in præsentia sunt, vtpote, quæ adhuc in se consistunt validiora prorsus, & manifestissima simulachra perueniunt, sed futurorum inde indefinita sunt, & admodum indiscreta. Sunt enim hæc præuolumina quædam rerum nondum præsentium & efflorescentiæ quædam adhuc imperfectæ naturæ quasi prosilientes forasque saltantes, & tanquam delitescentium seminum obscura signacula. Hanc ob causam ad res futuras opus est arte, ab eis enim idola obumbrata imaginesque obscuræ procedunt à mirum, non vt à præsentibus manifestæ.

Ab omnibus profluunt simulachra, quorum speculum receptaculumque est species ipsa phantastica.

MIrabilis quidem natura imaginum ita se prorsus habentium, vt à rebus nondum effectis efficiantur. Itaque iam aliquid de hac arte dicendum, qua ratione valeat comparari. Optimum est in primis, ita diuinum spiritum præparasse, dignus euadat, cui intellectus, & Deus innotescat, atque præsideat. Imaginum verò indefinitarum non sit amplius susceptaculum: educatio autem spiritus optima est, tum per Philosophiæ studium perturbatos sedare animi motus, quibus excitatis spiritus ipse quasi regio quædam penitus occupatur, tum permoderatum temperatumque victum, & animal sic afficere, vt minimè incitabundum sit, & ita componere corpus vltimum, vt fluctus minimè moueat, nam vsque ad primum vnda redundat. Oportet autem primum semper inconcussum imperturbatumque seruate. Quoniam verò id optare quidem vnicuique facilè, consequi verò præ cæteris arduum, nos autem desidetamus somnium esse nullis inutilem, age iam vel in rebus indeterminatis terminum aliquem perquiramus, hoc est, artem circa idola, id est, imagines statuamus, habent se verò hunc in modum.

Quomodo somnia interpretari possimus.

QVi frequenter maria nauigant, si quando scopulum aliquem obuium habent, in quem ascendentes vrbem aliquam inde prospiciant, quotiens eundem scopulum viderint, eandem inter se significant ciuitatem, qui etiam sæpè duces exercitus, quos nondum videmus, interim à præcursoribus statim affore coniectamus, nam & antea semper eisdem percurrentibus subsequi consueuerunt, eadem ratione per idola res vbique figuratas præsignare solemus. Antecedentia enim sunt eadem rebus eisdem similiaque similibus. Quemadmodum igitur gubernatoris signa uia est, eadem occurrente scopulo noua gnoscere, neque prædicere quibus littoribus applicat, talisque gubernator coniecturarum subsidio caret. Si & qui in idem visum sæpius incidens, nisi iam designauerit, quem potissimum euentum sibi portenderit, siue passionem, siue fortunam, siue actionem, vita dementer vtitur non aliter, quam nauis gubernator eiusmodi. Solemus & Iouia signa in aëre circunfuso notare, sic circa Lunam orbicularem aream intuentes procellas fore vaticinamur, quoniam eandem intuitis sæpius consecuti sint venti, huc tendit & Poëticum illud, hinc sanè tempestas, hinc tranquillitas designatur orbicularis, namque area fracta ventos, euanescens verò portendit tranquillitatem, duo quidem circuli tempestatem præcedunt, vehementiorem verò portendit procellam circulus triplicatus, magis etiam si niger occurrerit, magis insuper si frangatur: sic in omnibus & Aristoteles, & ratio dictat, sensu quidem memoriam, memoria verò experientiam, atque peritiam, hac artem denique comprobari. Similiter, & circa somnia debemus incedere.

Non potest communis, eademque regula somniorum interpretandorum singulis adhiberi.

PLerique libros de obseruantia somniorum eiusmodi multos composuerunt. Ego autem hæc omnia rideo, iudicans prodesse perparum, non enim sicut corpus hoc vltimum, id est, elementorum inter se conciliatorum, coitus suscipere potest artem vniuersalem, sermonemque naturæ pariter subsequentem: nam vt plurimum eadem patitur ab eisdem cum in rebus conformibus exigua sit inter se discrepantia, quod ne in eis præter naturam se habens ægrotat, latere non solet, ideoque nec vtitur tali quadam indice regula, non inquam ita se habet spiritus ipse phantasticus, sed & ab origine prima alius discrepauit ab alio, alius enim cum sphæra congruit alia, quatenus in eius contemperatione, illa præualet, aut illa. Hinc Poëticum illud, præcipuè verò animæ beatissimæ animarum cœlitus in terram profluunt, atque illæ præ cæteris opulentissimæ, & in extimabilia fila sortitæ. Quæcunque munus sortitæ sunt à splendido Rege, & quæ ab ipso Ioue veniunt potentis filo necessitatis, hoc insuper erat, quod clam innuit, & Timæus, vbi tradit vnicuique animæ collegam stellam siue consertam. Animæ verò & à natura sua delapsæ, ex eo quod circa materiam libentius habitant, hæc quidem minus, illa verò magis, quatenus vnaquæque ipsa quasi lancis inclinatione vsa est, infœliciter spirirum inquinauit. Inhabitant igitur corpora sic effectæ, totaque inde vira in delicto morboque species agitur, certè præter naturam, quantum ad generositatem species attinet, secundum verò naturam quantum spectat ad animal, nam à spiritu sic affecto est animatum, nisi & ipsa natura sit ordo, in quem à seipso est, ordinatur, prauitate, virtuteque vtens, nihil enim æquè, ac spiritus, facilè est, atque vertibile. Quonam igitur pacto in rebus inter se dissimilibus, rum natura, rum lege, tum passionibus resultant, & apparent eadem ab eisdem? certè neque fit ita, neque fieri potest. Quo enim modo aqua turbida simul, atque perspicua, siue agitata simul, atque quieta sub eadem forma similiter affici potest? sin autem & conditio turbida alia sit in alio secundum colorum differentias, atque ipsi motus in configurationibus variis, sic vtique vnum quidem erit genere aberrare à sincera prorsus imagine, species verò diuersum. Siue igitur Phemonoe, siue Melampus, siue alius quisquam profiteatur communem de rebus eiusmodi regulam definire, ac penitus ordinare, quæremus ab eis, nunquid speculum, rum rectum, tum peruersum, tum ex materiis dissimilibus similem obiecti reddere possit imaginem? Sed illi nec à principio quidem de spiritu philosophati sunt quicquam. Proprium verò ipsorum spiritum, vtcunque se habeat, omnium esse regulam existimant, & examen, atque ego quidem non nego per omnia inter se differentia, congruentiam quoque aliquam inueniri, sed enim ipsum quod obscurum est, dispersum, euadit obscurius, erat & ab initio difficile cognitu rei præexilientis idolum. Difficilius quoque in vno quoque modo, morteue percipere aliquid communi viso persimile, atque prorsus accommodatum.

(∴) (∴) (∴)

Vnusquisque somnia sua, & suos inde obseruat euentus.

HIs de causis nullo modo sperandum est, leges in somniorum statui posse cunctis æquè communes, debet autem potius vnusquisque seipsum quasi artis habere materiam, & in memoria scribere potest qualia visa, in quales euentus inciderit, non enim difficile admodum habitus congregabit circa rem, quam vsu quodam vel indigentia meditatur, vsus namque necessitasne meditationem memoriæ suggerit, præsertim quando vbique materia suppetit. In somniis autem nihil est abundantius, nihil iterum quod animos ad se magis adducat. Nam & stultos compellunt ad aliquid de somniis meditandum, atque curandum adeo, vt turpe sit futurum, homines implentes à pubertate decennium altero vate adhuc indigere, nec iam penes seipsos multas eiusmodi artis regulas cumulasse. Operepretium vtique foret, visa, & accidentia sigillatim, tum vigiliæ, tum somnij literis commendare, nisi consuetudo ciuilis nouitatem huius excogitationis horreret. Hac ipsi venia iudicamus diurnalibus annotationibus, annotationes quoque nocturnales esse quotidie coniungendas, atque ita vtriusque vitæ humanæ status tenere actus commentarios commendatos, vitam namque aliquam in imaginatione positam ratio posuit, nunc quidem meliorem media vita, nunc verò deteriorem. Quarum videlicet sanitatis, aut morbi spiritus habet. Sic igitur si sedula quadam opera obseruationem huiusmodi prosequamur, ex qua ars paulatim accumulatur, dum nihil delabitur è memoria, & alioquin vrbana hæc erit oblectatio, & exercitatio animi, dum nostra, tum vigiliæ tum somni honoramus historia, & ad eloquentiam hæc exercitatio fert, quibus enim curæ est exercitatio linguę nullum (arbitror) est inuentum hoc accommodarius ad dicendi facultatem in omnibus exercendam, si enim Lemnius Sophista scripta quotidiana tradit esse optimos præceptores ad singula passim aptè dicenda, propterea quod neque nimia negligantur, sed oporteat omnia rum grauia, tum leuia loqui, cur non etiam nocturnas annotationes interpretationis gratia colere debeamus?

Quam varia, & fallax, & lasciua sit in somniis phantasia.

NOuerit vtique aliquis quantum opus aggressus fuerit, qui sermonem visis adæquare voluerit, in quibus separantur quidem, quæ naturæ cohærent, coniungunrur autem, quæ sunt natura discreta, atqui & ratione disputationeque opus est ad hæc, vt visum, quod non occurrit, occurrat, neque etiam leue opus est motionem prodigiosam, atque obsurdam suborientem animæ in alterum traducere modum. Quando verò phantasia expelluntur quidem ab essendi munere, quæ sunt, introducuntur verò vicissim in esse, quæ nusquam, & nullo modo vel sunt, vel naturaliter existere possunt, quisnam modus est visis intrinsecus incogitabilibus abstruere naturam prorsus innominabilem. Hæc autem ista, neque species multas, simulque omnes, neque cum tempore ferens ostendit, tametsi hæc, vt habet, & porrigit somnium incidunt. Putamus enim quicquid voluerit animis occursurum, in quibus sanè omnibus extimendis, longius immorari, & id qui-

dem absque ineptitudine perfectissimi oratoris est opus, exultat quidem hæc in somniorum iactabunda materia aduersus ipsam dignoscendi naturam, plus aliquid inferens, quam simplex existimatio ferat, neque enim absque passione circa visa versamur, sed vehementer quidem, constitutiones affectionesque contingunt, odia quoque non minima veniunt, & frequentia circa hæc veneficia dormientibus imminent, voluptas sanè tunc maximè prænalet, atque hic vitæ status propensius admodum blandissimis illecebris est obnoxius vsque adeò, vt sobolescant animo amores, & odia in vigiliam duratura.

Quam prodigiosa in somniis varietas phantasiæ,

SI quis autem non vana sit locuturus, sed cuius gratia sermo est institutus, absolutus, in hac ipsa videlicet affectione, eiusdemque existimationibus, perceptionibus constituere auditorem verbis vtique, quæ moueantur egebit. Iam verò & aliquis simul vincit, gladiatur, volat, capit enim nomina phantasia. Oratio verò quomodo capietur, dormit aliquis somnium, & insomnia videt, ac surgit interea dormiens, vt existimat, & iacens excutit somnium. Philosophatur, & aliquid de apparente somnio vtrumque nouit, atque hoc est somnium, illud verò duplex, deinde non adhibet fidem, putatque quod adest esse verum, & quæ apparent esse viuentia. Hinc ergo totis viribus concertatur, & somniat aliquis certamen aduersus seipsum, tum dimittere, tum etiam excitare, periculumque sui facere, & fallaciam deprehendere. Ferunt sanè Aloadas pendere pœnas quod Thessalicos montes superextruxerint contra deos, dormientem verò nulla ineuitabilis sententiæ lex aliquando vetat seipsum in altum à terris attollere fortunatius Icaro, & aquilas superare volatu, summas quinetiam sphæras superuolare, vbi & aliquis eminus orbem terræ considerat, & hunc non inspectum Lunæ significat. Licet & disputare cum stellis, atque cum diis occultis in mundo congredi. Quando enim factu difficillimum est, fit ibi facillimum, tunc manifesti palam dij prorsus occurrunt, neque horum nulla est inuidia. Paulo post in terris resider, neque processit quidem: sed protinus adest, nihil enim magis est proprium somniorum, quàm intercipere medium, nec agere tempore, sic vtique statim loquitur cum mouiculis, atque balatum putat esse sermonem, & quæ loquuntur intelligit adeo. Itaque noua, adeo lata est argumentorum materia, prouinciaque tractandi, si quis in somniis contenderit accommodare sermones, arbitror equidem fabulas quoque suam ab insomniis licentiam & copiam accepisse, in quibus pauo loquitur, & vulpes, & mare, tametsi hæc exigua sunt, si cum in somniorum licentia conferantur, atqui fabulæ quamuis sint pars minima somniorum, tamen à Sophistis coluntur, ac dignæ interpretatione censentur, deceret verò quibus principium artis est fabula, eisdem in somnium esse finem, præsertim cum non frustra in his dicendi facultas exerceatur, quemadmodum, nec in fabulis temere, sed profundioris sententiæ aliquid ibi lateat.

(∴) (∴) (∴)

Quod vtile sit vita simul, & eloquentia notare quotidie quæ somniauerit, quæ feceris, quæ tibi contigerint.

ACcingitur se igitur vnusquisque, cui datur ocium, suppetitque victus ad omnia conscribenda, quæ vel vigilanti, vel dormienti contingunt, expendat in hoc temporis aliquid à quo quidem optimum est, quod alibi intelligentia comparatur vaticinium, scilicet artem quam laudauimus congregare, qua quidem re nihil esse potest vtilius, quinetiam neque dicendi ratio, hinc obiecta erit tantarum consequentia rerum. Philosopho sanè tractatus eiusmodi ludus erit, atque solatium, dum nimiam mentis remittet intentionem, quemadmodum Scytæ Sagittarij solent arcum. Rhetori verò tanquam demonstrationum suarum summam & apicem eiusmodi statuemus: quoniam non opportunè dicendi facundiam, vehementiamque exercere videntur, Miltiadi inquam, atque Cimoni, & quibusdam etiam ignobilibus, ac opulento, & inopi, ciuilia quoque habentibus odio. Pro quibus equidem antiquos etiam vidi viros in theatro acriter concertantes, quanquam erant Philosophiæ nomine venerabiles, & vterque (vt videbatur) produxerat barbæ talentum. Verum non prohibuit eos professionis reuerentia inconuiuia, iurgiaque efferri, & immodestè circumuertere manus in disponendis sermonibus abundè pro viribus, sicut ego tunc arbitrabar, idoneis. Vt autem retulerunt, qui me postea docuere, neque tunc erant illi, neque aliquando fuerant, nedum idonei, sed nec ab initio in natura, quo enim pacto ciuilitas erit eiusmodi, quæ victori præmium dederit interficienti ciuem, aliter de Repub. sentientem. Iam vero quicunque nonagenarius figmentum adhuc meditatur atque contendit, in quod non tempus verborum differat veritatem, Omnino nomen quidem ipsum meditationis intelligere mihi videntur, vbi aiunt propter aliud se studere, hi autem paratum esse finem existimarunt, viamque ipsam, qua oportet incedere pro termino coluerunt. Ipsam namque meditationem fecere certamen. Quemadmodum siquis tum in palæstra exercuerit strenuè manus. Pancrarium in ludis profiteatur olympicis adeo igitur, & mentis ariditas, & affluentia verborum homines occupauit, vt esse videantur aliqui in dicendo quidem ponentes: non habentes autem quid sit eloquendum, cum tamen oportuerit ita se comparasse quemadmodum Archilochus & Alcæus, quorum vterque propriæ vitæ gratia erogarunt vocis canore dulcedinem, itaque posteritas memoria tenet, quibus oblectabantur, quibusue dolebant: non enim in argumentis confictis vanos effudere sermones, quemadmodum recens hoc sapientum genus facere solet, neq; aliis suum largiti sunt bonum, sicut Stesichorus, & Homerus, qui genus quidem heroicum carminibus suis illustrius reddiderunt, vnde, & nos ad virtutem profecimus imitandam. Illi verò quantum in eisdem neglecti videntur, de quibus nihil amplius habemus dicere, nisi quod strenui fuere Poetæ. Quisquis igitur apud posteros exoptat memoriam, confiditque mandare posse literis immortalia, prosequatur scribendi rationem à nobis præter communem consuetudinem in præsentia comprobatam. Deponat seipsum audacter apud tempus. Fidus enim est custos, quando secundum Deum huic aliquid creditur.



PYTHAGORAE PHILOSOPHI

AVREA VERBA.



Immortales primum deos, vt leges iubent, honora, Iusiurandū cole, deinde beatos heroës. Terrestres postea dæmones. Quæ lege instituta sunt, serua. Honora parentes, atque propinquos. Ex aliis hominibus illum tibi amicum facias, qui sit virtute præstantior. Cede mitibus verbis, operibusque vtilibus. Ne amicum tuum erroris exigui causa aduersum tibi reddas, feras quoad possis. Potestas autem iuxta necessitatem habitat. Hæc ita considera, ab iis autem abstine, à ventre primum, somno deinde, luxuriaque, & ira. Nihil turpe committas, neque coram aliis, neque tecum. Maximè omnium verere teipsum. Iustitiam exerce, verbo simul, & opere. Consuesce nihil sine ratione facere. Scito mortem fato esse omnibus institutam. Pecuniā in tempore cumulare, & rursus cum res postulat, erogare discito. Eorum, quæ fortuitis casibus aduersa contingunt hominibus, quamcunque sortem habueris, sine perturbatione feras, Mederi oportet quoad possis. Scito non multa ex iis fortunam hominibus bonis afferre. Multi variique sermones, partim boni, partim mali vulgo circumferuntur, quibus ne mouearis, neque te coerceri permittas. Si quid verò falsum dicatur, moderate feras. Quod tibi nunc dico omnino perficito. Nemo te, aut agendo, aut dicendo ad id inducat, quod tibi non sit melius. Consule ante opus, ne quid temere agas. Miseri quippè hominis est, aliquid dicere, vel agere temere. Ne facias ea, quæ quandoque te possint afficere pœnitentia. Quæ ignoraueris ne facias, sed quantum necesse est disce. Atque ita vitam iucundissimam transiges. Sanitatem corporis ne neglexeris, sed mensuram cibo, potuique, & exercitationibus adhibe, mensuram verò illam dico, quæ nulli ste molestiis afficier. Puro & sine delitiis victui consuesce. Illa deuita, quæ inuidiam concitant. Ne fortunæ bona præter opportunitatem effundas, neque sis illiberalis, mediocritas enim in omnibus optima. Ne feceris, quæ te lædere possint. Ante opus considera. Ne te prius molli somno tradideris, quàm diurna opera rer mente reuolueris. Qua transiui? quid egi? quid quod agendum fuerit, prætermisi? à primo incipiens, discurras ad reliqua. Cum turpe quid feceris, teipsum crucia. Cum verò bona perfeceris, tibi congratulare. Hæc exercere, hæc meditari, hæc te amare oporteat, hæc re in diuinę virtutis vestigiis collocabūt per eum, qui animo nostro quadruplicem fontem perpetuo fluentis naturæ tradidit. Exi ad opus, cum diis voueris. Nam ista si tenebis, cognosces immortalium deorum, mortaliumque hominum conditionem, qua procedunt, & continentur omnia. Cognosces quantum fas est, naturam circa omnia similem, ne te sperare contingat, quæ speranda non sunt, neque te quicquam lateat. Cognosces homines, cum suorum sint malorum causa miseros esse. Qui bona, quæ propè sunt, nec vident, nec audiunt. Solutionem verò malorum pauci admodum intelligunt. Tale fatum lædit mentes hominum, qui reuolutionibus quibusdam ex aliis ad alia feruntur, infinitis malis obnoxij letifera discordia insita latenter obest, eam tu cedendo deuita, & postquam venerit, ne exaugeas. O Iupiter pater, vel à malis homines libera, vel ostende illis, quo dæmone vtantur. At tu confide, quoniam diuinum genus hominibus inest: his enim sacra natura proferens vniuersa demonstrat. Quorum si quid tibi fuerit reuelatum, abstinebis ab iis, à quibus abstinendum iubeo. Quod si Medicinam adhibueris, animam ab his laboribus liberabis. Verum abstine à mortalibus, quæ supra diximus in purgatione solutioneque animæ. Recto iudicio considera singula. Optimam deinde sententiam tibi velut aurigam præpone.

Corpore deposito cum liber ad æthera perges,
Euades hominem, factus Deus ætheris almi.

SYMBOLA
PYTHAGORÆ PHILOSOPHI.



Vm veneris in templum adora, neque aliquid interim, quod ad victum pertineat, aut dicas, aut agas. Ex itinere, præter propositum, non est ingrediendum in templum, neque orandum, neque etiam si propè vestibulum transiueris. Nudis pedibus sacrifica & adora. Populares vias fuge, per diuerticula vade. Ab eo, quod nigram caudam habet abstine, terrestrium enim deorum est. Linguam in primis coerce, Deum imitans. Flantibus ventis Echon adora. Ignem gladio ne scalpas. Omne acutum abs te dimoue. Viro, qui pondus eleuat, auxiliare, non tamen cum eo deponas, qui deponit. In calceos dextrum præmitte pedem, in lauacrum verò sinistrum. De rebus diuinis absque lumine loquaris. Iugum ne transilias. Stateram ne transilias. Cùm domo discesseris, ne reuertaris, furiæ enim congredientur. Ad solem versus ne mingas. Ad solem versus ne loquaris. Oleo sedem ne abstergas. Gallum nutrias quidem, ne tamen sacrifices, soli enim & lunæ dicatus est. Super modium ne sedeas. Animalia recuruis vnguibus ne nutrias. In via ne scindas. Anulum ne feras. Dei figuram ne insculpas anulo. Ad lucernæ lumen ne te speculo contempleris. De diis, rebusque diuinis nihil tàm mirabile dicitur, quod non debeas credere. Risu effuso abstine. Iuxta sacrificium ne incidas vngues. Dextram ne ad omnia facilè iniicias. Stramentis surgens collige ipsa figuramque confunde. Cor ne vores. Cerebrum ne edas. Capillorum & vnguium superfluitates, postquam abscideris pessunda. Rubrum aliquid ne suscipias. Ollæ vestigium in cinere confunde. Aurum habenti ne hæreas in filiorum generatione. Honora in primis figuram, & aram, figuram ac pretium denariorum trium. Fabis abstine. Herbam molochinam sere, ne tamen edas. Hirundinem domi ne recipias. Ab animalibus abstine. Fugare decet omni studio, vniuersisque machinamentis, ferroque ac igne abscindere à corpore morbum, à victu, luxum, ab animo, ignorantiam: domo discordiam, ciuitate seditionem, ab omnibus denique intemperantiam.

FINIS.





IN MARSILII FICINI FLORENTINI OPERA OMNIA;

INDEX RERVM AC VERBORVM Inſignium cõpioſiſsimus.

1. numeris præfixum Tom. 1. indicat. 2. verò ſecundum.

Index.

E

Index.

L.

Index.

V

Index.

FINIS.

